M. ACCI PLAVTI COMOEDIÆ,

ex recognitione

JANI GRVTERI;

qui bonâ fide contulit cum MSS. Palatinis.

Accedunt Commentarij

FRIDRICI TAUBMANNI

auctiores; item Indices rerum & verborum necessarii.

Cum Privil. Cæs. Majest. Special.

Apud Zachariam Schurerum, Bibliopol. Anno Domini
M. DC. XXI.

Nobilissimo Amplissimoq;

Dn. JACOBO VAN DYCK,

Equiti; Salneccæ, Lieræ, Ketelæ, &c. Domino:

SERENISSIMO SUECORUM &c. REGI GUSTAVO II. ad Illustriss. & præpotentes Dominos Ordines Vnitarum Liberi Belgii Provinciarum Legato.

S. P.

CUR opellæ isti, nominis tui veneres præscribam, Vir Amplissime, caussam habeo & privatam & publicam. Benevolentia tua affectusque erga me incredibilis, hoc est, sine æmulo, sine exemplo, id omnino postulabat. Triginta ferè sunt anni, quod alter alterum novimus VVittebergæ: quantique vel tunc me faceres, publicè testatus es Epigrammate in Suspicionum mearum libellos venustissimo. Interea tenuit me Palatinatus, dolio ferè perpetuò inclusum, more Diogenis: ubi profectò per multas annorum septimanas, nihil inaudivi à Dyckio, juvene animo meo ceteroquin acceptissimo: qui tamen non modò in Arctoum orbem fidâ mente amorem meum transtulit, sed & ibidem gratiosi pectoris custoditum penetrali, & calidè fovit, & jucundè recreavit, & curiosè auxit: nullo interim accedente meo merito, meo

incentivo: ſolâ inductus ſpontaneâ honeſtiſſimi Genii bonitate. Ejus rei, dudum fidem abundè fecit per literas Suada amici communis, virique eximii, Danielis Heinſii: qui ut exoptatiſſimum ſalutationis tuæ honorem largiter à te mihi detulit; ita deinde & Bibliopolæ aliquot Lugdunenſes, & nuperè admodum Sereniſſimi noſtri Regis ac Principis Legati, ore item ſuo affirmare mihi, quanta tua eſſet adhuc erga me dignatio atque æſtimium.

Sed & publicè præterea impellebar ad hanc Dedicationem; quod tale quid etiam planè merereris longâ aliarum virtutum ſerie: jam olim conſecutus ſolidam probitatis, doctrinæ, jurisprudentiæ famam; non ſolùm apud Europæ pleroſque Reges, ſed etiam Amicorum meorum in Belgiâ antiſtites, quibus Muſæ Gratiæque vel nutrices fuere, vel parentes: nullo non eorum certante, ut monumentorum ſuorum innoxio lenocinio te ſibi adſciſcerent patronum atque amicum. Ea nota ſanè apud me talis fuit, ut nihil mediocre cenſerem de te, ſed ſumma omnia: tanquam ſcilicet non patereris tantum amari te ab illis ipſis obſervarique, ſed & eoſdem viciſſim amares, obſervares, fervore mutuo. quod ipſum quantò iſto ſæculo inſolentius eſt conſtitutis in altioris dignitatis culmine, tantò eſt quoque laudabilius: apud eos præſertim, qui cetera alia in homine parvi æſtimant, præterquàm interiores animi ingeniique dotes; concinnum illud, inquam, Virtutis atque Eruditionis conſortium.

Unde

Unde etiam accedit, ut Regem vestrum Serenissimum, GUSTAPHUM ADOLPHUM, supra ceteros Principes & suspiciam & venerer; quod videam illum unum tot tantisque egregiorum ingeniorum celebrari elogiis, quot quantaque vix impenduntur in alios Orbis rectores universos. Sanè si templa ea jure fiunt maximi, quibus plura plurium consecrantur anathemata; quid ni & eam Potestatem arbitrer verè augustam, ad quam humani generis summum bonum, literæ; humani generis primi sospitatores, literati, respiciunt ut ad Helicen aliquam aut Cynosuram? Talis certè oportet non tantum pretiosissimè intelligat, sed & æstimet disciplinas liberaliores, ideoque & benignius foveat, & indulgentius tutetur; alter videlicet Hercules Musageta. quod quid aliud est quàm mereri immortalem Posteritatis gratiam, seque ac sua inserere aureis semper juvenis Monetæ tabulis, in gemmeo floridæ Antiquitatis sacrario? Aliis fortè res istæc habeatur comitas ac submissio: at mihi, aliquid est fastigio mortali altius. Ecquando enim unquam Regia Majestas altius adsurgit, quàm ubi sic demittitur? Spicæ inanes capita attollunt, gravidæ deprimuntur.

Verùm hanc, ut & alias ejus verè Heroicas virtutes, præstat intra hunc animum tacitâ venerer religione; dum tu, mi Dycki, collegæque tui, virorum summi, Dn. Oxenstiernius, Dn. Skittius, Dn. Rutgersius, aliique, easdem perennanti orationum venâ derivetis per montes ac maria; triumphali excipiendas applausu, non solum ab orbe isto supero, sed & eo qui pedibus nostris opponitur.

Interea ecce tibi Plautinas Comœdias; eò promptius ac ſecurius amabiliſſimo tuo nomini inſcriptas, veluti obligationis veteris, & minimè infitiandæ, ſi non novum pignus, at confeſſoriam ſaltem tabellam; quod Scriverio noſtro crederem, non diſplicuiſſe tibi Martialem meum. Qui enim Veneres ac Charites poſtliminio reduces non adverſatus fuiſti in homine Hiſpano, easdem profectò amplecteris in Umbro, vel ſolius vetuſtatis reverentiâ: præſertim cùm ante plura luſtra Bilbilico illi admoverim medicinâ; hic autem Sarſinas adhuc caleat à meâ curâ. Ante triginta quidem annos, non indiligens fueram in hujus Fabulis, multaque minimè protrita ad eas annotaveram, ex MSS. ex Edd. Vett. ex ceimeliis benevolentium: ſed ita ut in publicum produci non paterer; veritus ne priora mea monumenta, quamvis infra mediocritatem exilia, devenuſtarent, certè ne expectationi eorum ſatisfacerent, qui nihil non adhuc Plauto adjici poſſe ſperabant poſt Camerarium. Omnia quippe optimus ille Senum è MSS. ſuis eruerat, quæ ad Auctoris iſtius ſalutem, decuſque propriè ſpectarent. Quare etiam nunc araneis Schidæ illæ meæ circumvolverentur, niſi earum uſum à me volente nolente impetraſſet Taubmannus p.m. & inde alius. Qui cùm non pauca ex iisdem citarint præter animi mei ſententiam; minus ſcilicet aſſecuti characteres chirographi noſtri confuſè exarati, & in quo multa inerant deleta, inducta, ſuperſcripta: non temere cæpi timere, ne à morte meâ diverſimodè diſtraheretur Juventus rudior inter hos duos, aliter atq; aliter

lau-

laudantes una eademq; Excerpta. Præsertim cùm alter eā adhuc me superstite, usurpet licentiā, ut quæ ad ipsum privatim scripserā publicè divulget, fide prorsus malâ. Resumpsi igitur in manus, textum Plauti, & mendavi ad MSS. Pall. & Edd primas religioso studio. Quid præstiterim, Tu, mi Dycki, judicabis ex æquo & bono; aliique tecum, quibus nihil est commune cum Semiliteratâ turbâ, vel Invidiæ, vel Ambitionis, vel adeò utriusque, mancipio extremo. Interim fausta cuncta ac felicia opto voveoque, & anno isthoc, & multis ordine sequentibus, tibi tuisque. Kalendis Januariis cIↃ. IↃC. XX.

Addictissimus & Virtuti, & Doctrinæ, & Gloriæ tuæ.

JANUS GRUTERUS.

COMOE-

COMOEDIARUM PLAUTI, QUÆ SUPERSUNT, NOMINA.

PRÆ-

CHRISTOPHORI PFLUGII, Typographéi Schureriani Præfecti.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

IAM bis prodiit ex officinâ nostrâ Accius Plautus, salutarem ei admovente manum Taubmanno. hac verò vice tertiâ, ipsimet medicinam adhibet Gruterus, priorum etiam editionum fautor auctorq; singularis. Et hanc fortunam debemus, ut opinor, intemperiis Parei. Is enim non contentus antè decem annos producere hunc auctorem pro suo, quamvis ornatum à capite ad caudam plumis merè Taubmannianis: alia omnia persuadere insuper voluit obvio cuique: usum se videlicet novis, nescio quibus, thesauris, ab hoc, ab illo, largiter oggestis: inprimis vocaliter nimis debuccinabat disciplinam, familiaritatem, amicitiamq; Gruteri, è cujus interiore veluti sinu repentè prodiisset, Umbri Sospitator nulli secundus: Utpote *quem ab omni scabritie, quâ tot secula oblitus, ac penè abolitus fuerat, reddidisset purum putum*. nec id satis. eò etiam prorupit superciliosa ejus bilinguitas, ut asseveraret, *usum se ad eam rem manuscriptis Camerario-Palatinis*; quos semel tantum uno oculo tetigerat, nunquam digito, certè nunquam manu. Aliquidné adhuc reliquum? est. nam ut paulò post Taubmannus ante obitum suum, eundem Poetam, iterum præli nostri auxilio orbi publicat, Lepus ille noster, barbam vellere mortuo Leoni; atque *affirmare*, & quidem *candidè, supra trecenta millia locorum legi in eâ editione, expressa è Pareanâ*. Ad isthæc tam vanissima, mussare Gruterus: solùm apud se ægrè ferre, quod passim existimaretur, vel ductor, vel director ejus editionis; quam semper arbitratus fuerat, editionum omnium fatuissimam, impurissimam, petulantissimam. Verùm ut & ipse quoque Pareus secundam conatur impressionem, & in eculeo suo extendit Comicum nostrum, ac probè excarnificatum vulgò vulgat; interque Doctorum aliquot euphemias, ambitiosè extortas, etiam Gruterum industriæ suæ facit applausorem, istis verbis: *Secunda hæc editio tua Plautina, quam paras, spondeo! mille modis exsuperabit priorem*. exhorruit profectò ad talem tantamq; sycophantiam vir

b candi-

candidus. Voces quidem has totidem fortè verbis epistolæ commiserat, sed diverso planè & consilio & sensu. quod ipsum nemini non statim liquere potuisset, nisi vocabula aliquot & præcedentia & subsequentia, subdolè nimis exclusisset descriptor. Itaque arbitratus pertinere, non tam ad famæ suæ ignominiam, quàm optimarum artium perniciem, si & altera Parei editio muniretur falsissimâ auctoritatis suæ prærogativâ, non satis habuit testari dolorem suum super facinoribus istis Parei tacito gemitu; adhibuit præterea & questus. tantò quidem magis, quod vereretur non sine caussâ, ne nihil non is fingeret de mortuo, qui adhuc viventem, peneq; præsentem, tam indigniter publicè traduceret, & quidem tubâ typographicâ, penetrante se, si non per ævi, at per orbis spatia universa. Et patienter, puto, tulisset si furto quocunque alia ejus omnia involasset Pareus: at heic tacere ubi ipsi depravatur & ingenii & judicii bilanx, ubi tollitur sensus communis, ubi denique aufertur mens quasi & anima sapientiæ, quei poterat? Opifices mechanici non simpliciter indignantur nominati à discipulo suo artem suam minus accuratè apud ipsos edocto: nedum ut eundem ferant jactitantem operis approbatores, qui id seriò improbaverant. & aliquis sibi patietur adscribi opinionem à veritate longè lateq; abhorrentem? adfingi sententiam menti prorsus contrariam? produci epistolam addito anno & die, quæ alia omnia publicè cantet, quam privatim volebat ejusdem auctor? Rei talis indignitas vel ipsi silentio rupisset silentium. Fecit igitur Gruterus quod virum bonum decuit: utque rumores de se falsò sparsos contunderet: hoc est, ne velut esca hamo Pareano circumdata imponeret amplius Europæ cultiori, codices Palatinos, ante XXVIII. annos impetratos sibi Norimbergâ, ab optimi parentis minimè degeneri prole, Joachimo ac Philippo Camerariis, religiosè iterum consuluit in Bibliothecâ Palatinâ, contulitq; cum editionibus Parei; & quicquid is puris ac sordium textui clam palamve sinistrâ invexerat, meliore manu iterum ejecit; nobisque benignè communicavit. Et verò illud pus, illas sordes, nudè volebamus destitui ante oculos lectorum, nullâ interveniente voculâ acerbiore. Verùm ut idem antè annum, laudationem sui solennem emisit, sub nomine Advocati Parisiensis FR. SAR: sequenti verò semestri scurrilissimum procudit libellum, *titulo Apologiæ,* directè in ipsummet Gruterum; eam seposuimus modestiam: & aliquam multa inscitiæ authadiæque Pareanæ paradigmata sub censuram revocavimus: ut si ipse eo esset corio, quod nihil sentiret neque agnosceret culpas suas; ab eis tamen sibi prudenter caveret adolescentia rudior, ultimam alioqui editionem arbitrata perfectissimam; sciretque non sine antidoto tractandas pyxides, inscriptione quidem professas remedia, sed intus mero scatentes toxico. Fecimus autem id tanto promptius; quod idem Pareus, nullo adhuc viso Plauti hujus nostri specimine, insidiosè tamen pretium ei suum auferre conatus fuerit; prorumpere ausus ad eas impudentiæ incitas, ut in Calligraphiæ suæ præfatione hujus anni cIↃ. IↃc. XX. asseveraret, *Plauti sui secundam Editionem, cum optimis Europæ Manuscriptis libb. post Janum Gruterum*

terum fide antiqua & religiosa, certè longè meliori quàm ab ipso factum, diligentissimè imò superstitiosissimè à se comparatum. Quod ipsum quale sit mendacium, experietur ipsemet lector, inspectis istis nostris: qui item dispiciet, an non hoc sit summa cum impudentia propriæ oppedere conscientiæ.

Ceterum hac correptione, subventum utique fuit piis Taubmanni nostri manibus, quibus Intuergus ille tam in iteratâ impressione Plauti, quàm in aliis libellis nefariè nimis insultarat. Nam ad Gruterum quod attinet, mirabamur quidem initio silere ad Parei carmen illud famosissimum, neque implorare opem cujusque loci Magistratus, ubi id clam palamve passim legeretur. Verùm enimverò ut id schedium semel iterumque percurrimus, necesse nobis fuit accedere Grutero, exoscularique porrò obfirmatum taciturnitatis ejus rigorem; non modo quod verum esset illud: ἔστι καὶ τιμωρία τὸν κεχρημένον ὑβρίζουσα, ὅταν ἀμύνηταί τις τὸν ἄγαν ἐλάττονα: *Est & vindicta quædam, quæ auctorem qui eà usus est infamat; cùm quis valde inferiorem ulciscitur:* Sed magis istud melioris scriptoris: Αὐτάρκης δὲ καὶ τοῖς γε μετρίοις, τὸ τῶν λελυπηκότων δέος, καὶ τὸ προσδοκῆσαι ταῦτα παθεῖν, ὧν εἰσιν ἄξιοι, καὶ οἰκείῳ συνειδότι βασανισθῆναι. ἃ γὰρ τις, ὡς πεισόμενος δέδοικε, ταῦτα πέπονθε, κἂν μὴ πάθῃ, καὶ πλείω παρ᾽ αὐτὸ τυχὸν, ἢ τῶν δρασόντων κολάζεται: *Satis magna pœna censeri debet, hominibus utique probis ac moderatis, cùm ii, qui molestiam intulerunt, metu concutiuntur, meritasque pœnas expectant, proprieque conscientiæ cruciatu afficiuntur. Nam quæ quisque ut jam jam perpessurus timet, hæc passus est, etiamsi non patiatur: graviusque à se ipso fortasse, quàm ab iis, qui supplicium illaturi sunt, torquetur.* Et certè si fatuorum verba, quamvis piperatissima, ridemus; & tantum ad rabiosorum verbera gemimus, nec ullum eis inferimus damnum aut malum; idem ei heic quoque faciendum fuit, agnoscenti in Pareo expressum istius gemini vitii exemplar. ut jam omittam, scripti totius elementa, spurciora esse quàm ut mereatur comparere architectus eorum apud tribunal aliquod honestum, sacramq; alicujus prætoris intueri purpuram. Tantum sanè abest, ut toto illo libello uspiam observet τὸ ἦθος, allubescat æquo & bono, accedat ad aliquam judicii normam; ut contra characterem modestiæ, fidei, decori, honestatis, bonæ mentis, agat mediteturque omnia. Id ipsum vere isthoc superiori, quadraginta aliquot demonstrationibus ita liquidè palam fecimus, ut ne verbulum quidem unum ei reponere posset, vel ipsamet idea Impudentiæ. Eramus eas heic repetituri, nisi postea inaudiissemus Supremum Electoralis Palatinatus Senatum, nemine mortalium eapropter ipsos interpellante, & Apologiam Parei, & Epistolam fictitii Advocati seriò damnasse, fiscoque adeo exemplaria universa ac singula mancipasse, pro libellis scilicet apertè famosis. adeo videlicet à minimo ad maximum res visa est abominabilis pestilentiæ, Literionem quem de trivio, tantum non à se convictum, & sycophantiæ, & mendacii, & falsi, ausum sibi jus dicere in propriâ caussâ, ausum proscindere vitam ac mores Præceptoris sui, ausum denique prodere

 exem-

exemplum Orbi, nullo satis expiandum exemplo. Macte hac mente, hoc judicio, Senatus incluté! Ibit in Annales isthæc animadversio; recreabitque occultâ virtute Bonos quosque ac Doctos, jam ingenii judiciique alas demittentes, afflati tam horribilis Carminis veneno, impunè per civitatum tabernas librarias ambulante cursu plus quàm volucri. Eo ipso certè ab ipso penè interitu revocastis qualemcumque adhuc reliquam meliorum disciplinarum ingenuitatem, plurium mox calcibus morsibusque Asinorum miserè divexandam. Nunc quid? quo longius latiusque facinora hæc sua Pareus divulgavit, eò etiam latius longiusque suammet ipse publicavit infamiam. Profecto si is qui testamenta, qui liberos, qui chirographa subjiciunt ac supponunt, nullam non sufferunt ignominiam, nulla non subeunt supplicia; eritne impune Pareo adulteranti sacrosanctam venerandi antiquitatis monetam? eine utraque plaudemus palmâ corrumpenti publicum perpetui Prætoris album? eine accidemus ad genua, aut abolenti, aut subnervanti, aut interpolanti totius orbis, centumque aliquot annis receptissimam Scripturam, ideoque jure merito inviolabilem. Minimè, minimè.

Pontifices summi caussas sibi esse volunt excommunicandi terrarum quoscunque Principes, si vel legem aliquam condiderint præter pietatem, contraque bonos mores. Et scelus erit, si contradicamus Pareo verbis durioribus, blasphemè sentienti de divinitate Plauti? scurriliter illudenti religiosissimis Christi Salvatoris mysteriis? petulanter auferenti Regibus Principibusque apud plebem auctoritatem ac fidem?

Senatus populusque non unus, abstulit rectoribus suis jurisdictionem imperiumq; legitimè commissum; quod eam potestatem exercuissent paulò immodestius. Pareus, à se unicoq; creatus Censor, nullius præterea mortalis, aut suffragio, aut approbatione, aut ratihabitione; nullo item antè edito aut ingenii, aut judicii, aut eruditionis quali quali specimine: & patiemur illotis manibus animisq; invadere Plautum? patiemur eam in fabulas ejus exercere libidinem, quâ nullum ei relinquat versum? nullum verbum? nullam syllabam, quam non eviscerarit quæstionis suæ igne, unco, flagellis? Nihil heic hyperbolicum! utimur ipsiusmet Parei oraculo. Affirmavit, & candidè quidem, *Taubmannum sibi suffuratum esse supra trecenta locorum millia.* Si trecenta locorum millia & amplius ei sunt involata; emendavit utique & alia plura à quibus noster ille abstinuit manum. Atqui omnes Plauti fabulæ continent solummodò ducenta vocabulorum millia: certè longissimè absunt à trecentis millibus. Unde necessariò sequitur, adhibita torturæ Pareanæ cruciamenta singulis etiam ejusdem comici syllabis. Ne pater quidem tuus, Paree, calculo suo adprobaverit confusum istud carnificinæ tuæ chaos, per quam nihil ferè in libris suis agnoscunt Scriptores, nisi nuda nomina. Imò pater tuus execraturus erit impudentissimam hanc styli tui vecordiam, veluti rem omnibus & locis & temporibus perniciosissimam, si aliquid sapit in

bonis literis. At quid idem sentiret, si vacaret ei examinare puerilia illa crassissimæ tuæ ignorantiæ facinora, ubi singulis penè lineis turpissimè peccas, circa explicationem, interpretationem, enarrationem locorum versuumque Plautinorum, ubi barbarè aberras ab omni historiarum fide, ab omni bonarum literarum disciplinâ, ab omni antiquitate Romanâ, ab omni sensuum communium analogiâ, ab omni denique rerum divinarum humanarumque & natura & cognitione. Nolumus nobis credi. Accedat modò lector ad Taubmanni commentaria; nulla erit pagina, ubi non aliquoties occurret error, ad quem non vel exertè rideat vel gemat: adeo semper abis, Paree, à vero, à decoro, ab honesto, ab æquo; adeo assiduè ineptè loqueris & auctori lucem aufers illatis tenebris. Neque jam solùm loquimur de editione Plauti tui primâ, sed etiam de ultimâ. Illa, tota erat vulnus, tota scabies, tota cadaver, tota monstrum: Hæc postrema; tota est obsoleta, tota simiola, tota putidè antiquaria, tota Pareana; adeo velut in effigie, statuis cunctis emendatiore, firmas illud Poetæ: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.* Nactus enim codices Palatinos calamo exaratos, sed quorum veterrimus nec eruditum resiperet sæculum, nec hominem doctum, ut de eo ultrò testatur, tunc ejus possessor, magnus ille Joachimus Camerarius: nactus, inquam, rudis tyro tales MSS. quicquid in eis occurret, quod jejuno palato, quod stomacho latranti videbatur delicatum, (videbantur autem omnia;) factum est, ut dum id totum avidè nimis devoras, & parum deinde percoquis, exhibueris Plauti comœdias verè percacatas. Neque eo stetit munificentia tua: verè largum se præterea nobis præbuit de alieno. Quæcunque Camerarius, Turnebus, Lambinus, Lipsius, Dousa, Taubmannus, alii, ex plutëariis jam à se olim observatà libris, publicè Comico intulerant; ea universa ac singula, minima maxima, tua facis, ac tanquam nemini antehac visa, nemini audita, arrogantiâ pompaticâ, tuis ærumnis, tuæ industriæ, tuis oculis vindicas venditasque; non pro crambe toties coctâ, sed novâ ambrosiâ, novo nectare. Restatné quid amplius? omnino. quippe tanquam flagitium esset inexpiabile Censori tam grandi, tam legitimo, relinquere locum in Plauto minus sanum; scalprum tuum sicamque applicuisti ulceribus desperatissimis, membris maximè mutilis, vulneribus insanabilibus. quo successu? semper quidem purgas, semper mederis, semper redintegras, præeuntibus, uti jactas, MSS: sed ea felicitate, uti decebat medicum qui ignores morbum ægri, multò minus commoda ei applicares remedia. Quo autem istud facinus tuum feramus indignius; nunquam curationis tuæ ullam reddidisti rationem. Interim in aliis corripiendis, præcipuè optimo Criticorum Camerario, perque latus, Taubmanni Grutero, tam impotentibus uteris sarcasmis, tanquam si verulæ tuæ subjicerentur, merè ergastularii. At ne sic quidem exhauriris fons ille perennis. Infers etiam communis Europæi orbis spectaculo omnes MSS Palatinorum codicum lectiones veras, falsas, usque ad ultimum apicem; quo scilicet id consequamur, ne cuiquam deinceps opus sit recurrere ad librariam Palatinam, ut certò ei constet

de membranarum earum scripturâ veriore: comparet sibi solum Parei Plautum, domiq; possidebit incomparabilem illum thesaurum, unà cum pulvisculo. Bona quidem verba! sed verba tantum. Nam quod attinet ad scripturam sex septem codd. Pall. ab editionibus diversam, aliquot quidem paginas excussit Gruterus; sed id unum deprehendit; nihil te fecisse operæ pretium; occupatum fuisse magis in parergo quàm ergo. Integra quidem variantium lectionum plaustra cumulasti, sed circa ea loca, quæ nemo unquam vocavit in controversiam. Et tamen ne sic quidem quartam partem eorum nobis exhibuisti, in quibus halucinati fuerant librarii isti analphabetarii. Quare non libuit Grutero frustra perdere & oculos & tempus in re nihili: præsertim nulla earundem membranarum æquante Editionum primam senio ævoque, nedum ut eam anteiret bonitate incubuit magis Camerarianis ejusdem librariæ civibus, in quibus tamen æque te ridiculum præbuisti, miser Ardelio. certè nihil pravi restituisti, nihil ægri persanavisti, nihil luxati composuisti, nihil debile supplevisti, nihil falsi notavisti, quod non antea & pueri noverant. Quid ergo præstitisti? quid? nunc pronomen, nunc adverbium, nunc enclyticam Plauto redonavisti, quibus versus quidem perverteretur, nihil autem accederet sensui, aut gratiæ aut veneris. Deinde potissimus fuisti in enotandis vocibus, ubi A E exhibebatur sine diphthongo, aut non; ubi aspiratio H aut auferebatur verbo, aut accedebat, præter rationem scribendi communem; ubi denique Orthographia ævi illius demigrabat ab hodiernâ. Unde semper, aut frequentissimè, oggessisti ea nobis, quæ lectorem morentur potius, quàm expediant, quæque ideo fugienda magis quàm sequenda. Planè Amphitruone cum antea legeremus Prologi versu 120. *en eccum* editio tua præfert *en eCum*. Actu verò Scenaque 1. versu 27. pro *occellit*, jam *oCellit* habemus. v. 135. *metuculosus* pro *meticulosus*. v. 169. *advolaBit* pro *advolavit* 1.2. v. 5. *insimulaVit* pro *insimulabit*. versu 15. *verberaVit* pro *verberabit*. 2.1. v. 6. & 77. *Dabo* pro *Davo*, v. 84. *ebiVi* pro *ebibi* 2.2. v. 109. *cumVeris* pro *cumberis*. 4.3. v. 8. *ludivicaVit* pro *ludificabit*. 5.1. v. 58. *juVati* pro *jubati*. Aulularia. 1.2. v. 17. *pistellum* pro *pistello*. 2.2. v. 21. *viBi*, pro *vivi*. 2.2. 86. *strennuus* pro *strenuus*. 4.2. v. 1. *indicasses* pro *indicassis*. 4.10. v. 51. *eCillam* pro *eccillam*, v. 77. *pedisiqua* pro *pedisequa*. Capteivis Prologi v. 42. *servaVit* pro *servabit*. 1.1. v. 13. *suCo* pro *succo* 2.2. v. 15. *nesciVo* pro *nescibo*. v. 24. *tanlento* pro *talento*. 3.4. v. 122. *pigneri* pro *pignori*. 4.2. v. 18. *dentileCos* pro *dentilegos*. 5.1. versu 31. *vidin* pro *viden*, 3.1. v. 5. *velle* pro *belle*, 4.2. v. 21. *Voro* pro *foro*, 4.2. v. 22. *juBet* pro *lubet*. Casina argumenti versu 5. *mulGat* pro *mulcat*. Prologi versu 10. *molto* pro *multo*. v. 65. *rediVit* pro *redibit*, 2.1. v. 3. *arcerso* pro *arcesso*. 2.8. v. 44. *depugnaVimus* pro *depugnabimus*. v. 48. *calefactaVere* pro *calefactabere*, 5.4. v. 2. *veis* pro *vis*.

Cistellaria 2.1. v. 2. *ni* pro *ne*, 2.1. v. 5. 56. *leGet* pro *licet*, 2.3. v. 45. *indicaVit* pro *indicabit*. 2.5. v. 3. *eis* pro *is*.

Epidico 1.1.v.49.*vilei* pro *vili*.3.2.verſu 45.*loculentum* pro *luculentum*.v.33.*alligaBit* pro *alligavit* 5.1. verſu 17.*feſtiviſſuma* pro *feſtiviſſima* v. 20.*pinCent* pro *pingent* 5.2.v.56.*attiCas* pro *attigas*.Bacchidibus 1.1.v.72.*Kalet* pro *calet*.2.3.v.17.*quopem* pro *copem*.2.3.v.100.*veRim* pro *velim* 4.1.v.4.*ſemul* pro *ſimul* 4.3.1. *propteruo* pro *proteruo* 4.3.v.13.*acerva* pro *acerba* 4.5.v.8.*hoſtium* pro *oſtium*. 4.8. verſu 43. *verBina* pro *verbena*. 5.2.verſu 19.*craſſari* pro *graſſari*.

Moſtellaria 1.2.v.60.*obtiCere* pro *obtegere* 1.3.v.103. *offuGiam* pro *offuciam* 2.1.v.69.*turbaBimus* pro *turbavimus* 3.2.v.119.*Belle* pro *velle*.

Menæchmis argumenti v.3.*avos paternos* pro *avus paternus* v.7.*ſubruptꝰ* pro *ſurreptus*. Prologi v.18.*puerei geminei* pro *pueri gemini*.1.3.v.1.*mei* pro *mi* v. 17. *ſubGingulum* pro *ſubcingulum* v.31.*quoquitur* pro *coquitur* 2.3. v.54. *ſemul* pro *ſimul* 5.2.v.51.*ſamnam* pro *ſanam* 5.5.v.3.*compleBit* pro *complevit* v.8.*ciVo* pro *cibo* v.15.*jungere* pro *jugere*. Milite 1.1.v.54.*reluquiæ* pro *reliquiæ* v.57.*ajeVat* pro *ajebat* 1.2.v.24.*interiVi* pro *interibi* 2.2.v.31.*verVis* pro *verbis* v.52.*Vini* pro *bini* v.57.*ſervaBit* pro *ſervavit* v.97. *muSitabit* pro *muſſitabit* 2.6.v.30. *tractaBiſti* pro *tractaviſti*.v.41.*juVeo* pro *jubeo* v.77.*Em* pro *eam* v.84. *dido* pro *dedo* 3.2.v.19.*exViVit* pro *exbibit*.v.22.*caleVat & amburеVat*, pro *calebat & amburebat* v.35.*impemVat* pro *imperabat* v.39.*caſaVant* pro *caſabant* v. 42.*Vilibris* pro *bilibris* 3.3.verſu *eire* pro *ire* 4.1.v.8.*dido* pro *dedo*.v.2.v.7.*tranſiVit* pro *tranſibit* v.90.*gnatos* pro *natus* v.93.*abeis* pro *abis* 4.3.& 14.*ajeVat* pro *ajebat* v.15. *naBe* pro *nave* 4.6.v.28.*largiVere* pro *largibere* v.45.*quor* pro *cur* 4.8.verſu 14. *diungimur* pro *dijungimur* verſu 55. *ſciVis* pro *ſcibis*. Mercatore 2.1.37.*ei* pro *i*. 2.3. verſu 127. *Vitas* pro *Bitas* 3.3.verſu 10. *auſculari* pro *oſculari* 3.4.verſu 6.*exſolatum* pro *exulatum* verſu 48.*requerere* pro *requirere* 4.1.v.24. *pelex* pro *pellex* 5.2.v.38.*inVer* pro *imber* v.55.*longincum* pro *longinquum* v. 92. *exſulium* pro *exilium* 5.3.verſu 3.*ellam* pro *illam* 4.5.verſu 41.*exporCi* pro *exporgi*. Pſeudolo prologi verſu 24.*Qum* pro *cum* Præpoſitio. at ecce 1.3. verſu 77. *quom* pro *cum* Præpoſitio. 1.1.verſu 76.*ſciBi* pro *ſcivi* verſu 99.*provare* pro *probare* verſu 115.*daVis ne* pro *dabis ne* 1.2.verſu 86.*deunCis* pro *deungis* 1.3. verſu *poRiciam* pro *porriciam* verſu 93. *aCninis* pro *agninis* v. 104.*emortVs* pro *emortuus*. ut & verſu 103.*viVs* pro *vivus* verſu 147.*quoque* pro *cocus* 150. *caLidum* pro *callidum* 3.4 42.*juBas* pro *juvas* 3.1.verſu 6.*præfulGior* pro *præfulcior* verſu 16.*fRuctus* pro *fluctus* 3.2. verſu 5. *multiloCium* pro *multiloquium* verſu 10. *qur* pro *cur* verſu 103. *ſublinCio* pro *ſuclingio* 4.2. verſu 21. *ſcrBin* pro *ſcivin* 4.4.verſu 6.*amplexaVere* pro *amplexabere*.5.2. verſu 24. *deicis* pro *dicis* verſu 25. *ſei* pro *ſi*. Pœnulo Prologi verſu 96. *Berbera* pro *verbera*. 1.1. verſu 75. *eCam* pro *eccam*.2.1.verſu 35.*gloVos* pro *globos* 3.1. verſu 11. *ceſſari* pro *graſſari* verſu 27.*claBator* pro *clavator* 3.3.verſu 69. *inſpectaVimus* pro *inſpectabimus*. 3.5. verſu 9. *utquomque* pro *utcunque* 3.9.verſu 1.*proCredere* pro *progredere* v.5.*ſuſcribam* pro *ſubſcribam*. 4.2.v.1.*necle-*

gere

gere pro *negligere*. 5.2.v.58. *Bendundas* pro *vendundas*. 5.4.v.100.*quo* pro *cur*.

Persa 1.1.v.50. *morolaCus* pro *morolagus*.2.2,v.56.*meres* pro *merx*.2.3.v.8.*septimei* pro *septimi*. 2.5.v.21,*voBis* pro *voves*.3.3.v.3.*sterCilinum* pro *sterquilinum*.5.2.v.2.*homonum* pro *hominum*.

Rudente 1.1.v.2.*exsiGas* pro *exsicas*.1.5.v.26.*serviVo* pro *servibo*.3.3.v.22.*moreirei* pro *moriri*.3.5.v.40.*deiligentia* pro *diligentia*.3.6.v.29. *mei* pro *mi*.4.3.v.90. *muSitabo* pro *mussitabo*.4.4.v.22.*eCillum* pro *eccillum*.5.2.v.65. *contiGiscam* pro *conticescam*. 5.3.v.penult.*comiSatum* pro *commissatum*.Sticho 1.2.v.90. *pinCent*.pro *pingent*.2.1.v.96.*aCnis* pro *agnis*.2.2.v.28.*supervia* pro *superbia*. 4.1.v.22 *quom socero* pro *cum*.

Trinummo 2.2.v.27.*serviVit* pro *servibit*.3.1.v.21.*eCillum* pro *eccillum*.3.2.v.22.*conClis cat* pro *conglis cat*.

Truculento 1 1.v.69.*pergraGetur* pro *pergracetur*.v.27.*Berba* pro *verba*. 12.v.8.*oenus* pro *unus*.v.19.*avis* pro *abis*.v.36.*expepiVo* pro *expedibo*.v.77. *velle* pro *felle*.eod.v.*acerVo* pro *acerbo*.v.93.*horrisco* pro *horresco*.v.95.*exiVit* pro *exibit* ibid.*locaBit* pro *locavit*.2.2.v.21.*attiCas* pro *attingas*.v.22.*Vovem* pro *bovem*. v.64.*VelBas* pro *belluas*.2.3.v.11.*revocaBi* pro *revocavi*.2.4.v.61.*laVore* pro *labore*.2.5.v.27.*Benerem* pro *venerem*.2.6.v.41.*oppleVit* pro *opplebit*.v.25. *improVis* pro *improbis*.2.7.v.20.*privaBit* pro *privavit*.v.39.*obseraBit* pro *obseravit*. v.42.*verVerat* pro *verberat*.v.59.*abiCo* pro *abigo*.3.1.v.4. *Billam* pro *villam*.3.2.v.4.*inclamaVit* pro *inclamabit*.v.22.*Velbam* pro *Belluam*.v.24.*straVacem* pro *strabacem*.4.1.v.1.*proCignetur* pro *progignetur*,v.2.*Beneri* pro *veneri*.4.2.v.49.*Benefica* pro *venefica*.v.54.*verVis* pro *verbis*.4.3.v.50.*habeam* pro *abeam*.4.4.v.15. *Vestia* pro *bestia*.5.1.v.25.*eCam* pro *eccam*.5.1.v.35.*manuVia* pro *manubia*.v.50. *aVi* pro *abi*.

Præterea tua, Paree, editio nunquam ferè habuit, *corrigere*, *prorsus*, *herus*, *hera*, *plurima*, *pessimus*, *efficio*, *efflictum*, *succenseo*, *sexcenta*, *simul*, *heri*, *surreptum*, *fidicina*, *tibicina*, *thesaurus*, *veto*: sed *conrigere*, *prosus*, *erus*, *era*, *pluruma*, *pessumus*, *ecfero*, *ecficio*, *ecflictum*, *suscenseo*, *sescenta*, *semul*, *eri*, *subruptum*, *fidicena*, *tibicena*, *thensaurus*, *voto*. tum quoque, ubi alterum disertè tamen comparet in MSS. Etiam perperuò ibi visamus, *Karthago* & *Karchedonius*, *Kalydonius*, cùm libri teneant, *Carthago*, *Carchedonius*, *Calydonius*.

Jam saltem arbitraris, Lector, nihil huic putidæ diligentiæ addi posse, nihilque præterea extare orthographiæ Italicæ recentioris quod non optimâ fide intulerit editionis suæ foricæ, Pareus? Contra est. Plures adhuc ejusmodi pronunciationis putredines neglexit quàm congessit. Vis specimen? dabitur largissimè. Amphitruone quidem Prologi v. 143. extat in MS. *pinulas* unica litera, ubi ipse geminam exhibet. Præterea habetur 1.1.v 36.*vinctum* MS. non *victum* item v.128.legitur in MS. *furG fer*, ubi tamen Pareana retinuit nostrum *furcifer*. 1.1.v.298.*lumbrifragium*, pro quo eadem *lumbifragium*. 1.3. vers.26.*Cessissem*, pro *gessissem*. 2.2.vers.30. *habitum*, pro *abitum*. vers. 36. *habieris*

habieris pro *abieris*.4.1.v.1.*NauGratem* pro *Naucratem*. 5.2.v.8.*parto* pro *partu* &c.

Asinaria 1.1.v.24.*conloCatur* pro *colloquatur*.2.1.v.12. *cornex* pro *cornix*. 2.2.v.27.*perierat* pro *peierat*.4.2.v.7.*suppendas* pro *suspendas*.5.2.v.3.*scienti* pro *sciente*.v.40.*cruciebam* pro *cruciabam*.v.55.*jaceamus* pro *jaciamus*.v.63. *pollictorem* pro *pollinctorem*.v.60.*poteirier* pro *potirier*.v.75.*pauLVm* pro *paululum*. v.91.*abiis* pro *abis*.

Aulularia 2.4.v.8.*Atque* pro *Atqui*.2.9.v.6.*clabriorem* pro *glabriorem*.4.9.v.9.*Em* pro *Hem*.v.11.*optulit* pro *obtulit*.v.20.*habeam* pro *abeam*.4.10.v.2.*optigit* pro *obtigit*,quæ solennis ejus libri scriptura,perpetuò neglecta Pareo.v.11. *fiere* pro *fieri*.v.49.*voco* pro *vocor*.v.66. *Ei mihi* pro *Hei mihi*. 5.1.v.11.*solis* pro *soles*,v.14.*Heuclioni* pro *Euclioni* v.16. *cumulatussume* pro *cumulatißimè*.

Capteivis 2.2.v.9.*ad pigeat*,pro *at pigeat*.v.16.*tostrina* pro *tonstrina*. v.20. *Em* pro *Hem*,quæ aspiratio plerumque abest à MSS.v.31.*exquoquat* pro *excoquat*.v.32.*linquimus* pro *liquimus*.v.43.*exquesivero* pro *exquisivero*.v.69.*optestor* pro *obtestor*,perpetuò ferè v.73.*honestu* pro *honestum*. 3.4. v.123.*sublivere* pro *sublevere*. 5.1.v.28.*aducito* pro *abducito*,v.eod.*PeCnium* pro *Pægnium*. 5.3.v.7.*eneGas* pro *enecas*.

Curculione 1.2.v.62.*amænissumi* pro *amænissimi* 1.2.v.18.*aps* pro *abs*,quomodo ferè semper v.22.*divitia*,pro *divitias*,neutrum, v.32.*vidin'* pro *viden'*.2.3. v.11.*trapeta* pro *drapeta*.v.17.*dadatim* pro *datatim*.v.41.*aliquit* pro *aliquid*.v.46. *sciimus* pro *scimus*.v.80.*pasilicum* pro *basilicum*.v.90.*tabillas* pro *tabellas*.3.1.v.20. *sequeri* pro *sequere*.v.26.*quaSa* pro *quassa*.4.1.v.16.*consitentes* pro *confidentes*. 4.3.v.21.*habeas* pro *abeas*.

Casina 1.1.v.10.*viLice* pro *villice*,quomodo ferè usurpatur ubivis. v.ult. *met arbitro* pro *med arbitro*.2.2.v.1.*comitis* pro *comites*. v.4. *calpitur* pro *calvitur*.v.33.*deliCũ* pro *deliquũ*.2.3.v.11.*unguintũ* pro *unguentũ*.v.17.*eneGas* pro *enecas*.eod.*crodo* pro *credo* & v.19.*amobo* pro *amabo*,ut dicātur ab uxore irata.v.22. *culix* pro *culex*.v.25.*commendatus* pro *commentatus*.v.29. *unde bis*, pro *unde is?* eod.*ViVisti* pro *bibisti*.v.30.*infilicent* pro *infelicent*.v.32 *tinnes* pro *tinnis*. v.46. *nilbo* pro *nihilo*.2.6.v.4.*abeo* pro *habeo*.3.5.v.15.*meraGlo* pro *meraclo*.v.29. *interemere* pro *interimere*.5.3.v.17.*occide* pro *occidi*.

Cistellaria 1.1.v.47.*luCubre* pro *lugubre*.vers.51.*oPtinebis* pro *obtinebis*,& hoc quoque penè semper.1.3.v.43. *DUm* pro *dudum*. 2.1.v.20.*rede* pro *redde*. 2.3.v.7.*hiPodromo* pro *hippodromo*. v.22. & 23. *meritrix* pro *meretrix*. v.37.*aCulam* pro *aquulam* v.53. *habeas* pro *abeas*.v. 57. *dispondit* pro *despondit*.v.59.*deicam* pro *dicam*.v.78.*suspina* pro *supina*.3.1.v.7.*ACipe* pro *Accipe*.3.3.v.4. *accuRite* pro *adcurrite*.

Epidico 1.1. v.16. *Capreaginum* pro *caprigenum*. v.22. *reDitur* pro *redditur*. vers.85. *despoliet* pro *dispoliet*.1.2.vers.16.*mensos* pro *mersos*. vers. 32. *impendit*

pendit pro *Impendet* 2.2.v.3. *marsuppium* pro *marsupium* v.33. *illi* pro *illic* v.35. *quom* pro *cum.* præpositio v.43. *qVm* pro *quum* v. 52. *occipere* pro *occepere.* v. 71. *riperiamus* pro *reperiamus* v.88. *hunc* pro *huc* 5.2.v.20. *macipium* pro *mancipium* v.23. *odie* pro *hodie.*

Bacchidibus 1.1.v.38. *asta* pro *hasta* 1.2.v.3. *Lygurgus* pro *Lycurgus* 3.5.v. 3. *tetegit* pro *tetigit* 4.4.v.91. *congregem* pro *congracem* 4.7.v.15. *pergregetur* pro *pergracetur* 4.8.v.50. *ausculatur* pro *osculatur* 5.1.v.2. *reliCum* pro *reliquum* 5.2. v.5.& 18. *Balitantes* pro *palitantes.*

Menæchmis prologi v.63. *pLVerat* pro *pluverat* 1.2.v.67. *Sartin'*, pro *Satin'* 2.1.v.29. *marsuppium* pro *marsupium* vers.39. *devertitur* pro *divertitur* 2.2.v. 52. *habeas* pro *abeas* v.74. *eCreditur* pro *egreditur* 4.1.3.v.23. *reditur*, pro *redditur* v.35. *Culindrum*, pro *Cylindrum* 2.1.v.14. *aparerct* pro *appareret* 2.v.59. *aliquo Irata* pro *aliquoi irata* 5.2.v.29. *loCos* pro *logos* v.80. *pandiculas* pro *pandiculans* 5.3.v.5. *ni* pro *ne* 5.5.v.62. *usCe* pro *usque* 5.7.v.21. *eCius* pro *aquius* v.28. *habite* pro *abite* v.30. *cometavi* pro *commentavi.*

Mostellaria 2.1.v.70. *linqueant* pro *liqueant.*

Milite 2.2.v.46. *cogitas* pro *cogitans* v.57. *occubant* pro *accubant* vers. 87. *conGriminatus* pro *concriminatus* 2.3.v.19. *tutin'* pro *tuten'* v.30. *proxumu* pro *proxumo* vers.51. *Berbero* pro *verbero* 2.4.v.37. *ausculatur* pro *osculatur* vers.44. *prorit* pro *prurit* 2.6.v.49. *reo* pro *reor* v.88. *comprimis* pro *comprimes* 3.1.v.123. *tricemini* pro *trigemini* 145. *hospis* pro *hospes* v.160. *hominis* pro *homines* v.162. *conCer* pro *conger* v.212 *poscit* pro *poscit*. 3.2.v.18. *feminas* pro *heminas* v.27. *postquam* pro *poscam* 4.9.v.3. *inBestigabo* pro *investigabo.*

Mercatore Prologi v.50. *neCitare* pro *negitare* v.79. *dicere* pro *decere*. 2.2.v.57. *Cnatus* pro *gnatus* 2.3.v.72. *neclent* pro *nictent* 3.3.v.6. *verBex* pro *vervex* v.19. *Aput* pro *Apud* v.22. *Curemus* pro *Curamus* 3.4.v.4. *defendat* pro *defendant* v.22. *DiVm* pro *Divum* v.23. *hodiosa* pro *odiosa* v.31. *adducta* pro *addicta* v.37. *pacies* pro *facies* v.39. *fieri* pro *flere* v.47. *mandarIs lapidi* pro *mandari, is lapidi* v.55. *pansam* pro *pansum.*

Pseudolo 1.2.versu 33. *gallum* pro *rallum* 2.1.versu 35. *aCum* pro *aqnum* versu 74. *mortVs* pro *mortuus* versu 90. *arcessi* pro *arcesse* versu 146. *habis* pro *abis* 1.5.versu 114. *tVs* pro *tuus.* 2.3.versu 94. *Graassam* pro *crassam* 2.4.versu 64. *honerabo* pro *onerabo* 4.7.versu 129. *caBere* pro *cavere* 5.1.versu 35. *grapulam* pro *crapulam.*

Pœnulo Prologi versu 63. *pollector* pro *pollinctor* 3.6.versu 13. *habeamus* pro *abeamus* 5.2.versu 65. *gratim* pro *cratim* 6.4.versu 100. *pingeritis* pro *pingeretis* versu sequenti *pinctores* versu 105. *auxiiio* pro *auxilio* versu 206. *tua Majorem* pro *tuam Majorem* 5.5.versu 4. *habiit* pro *abiit* versu 16. *olsonare* pro *obsonare* versu 28. *adbulescins* pro *adulescens.* ibidem. *at te*, pro *adte*

versu

versu 30.*legula* pro *ligula* versu 32.*maris* pro *mares* versu 34.*manstruga* pro *mastrugæ*, versu 35. *ulpique* pro *ulpici* ibid. *remigis* pro *remiges* versu 36.*dentent* pro *dentes* 5. 6. versu 3.*miis* pro *meis* versu 13.*debitur* pro *debetur* versu 17. *coLo* pro *collo* versu 19.*sed* pro *sed*. 5.7.v.2.*seCuntur* pro *sequuntur*.v.8. *abuit* pro *habuit*.

Persa 1.3.versu 1.*magrum* pro *macrum* versu 27.*balegis* pro *balecis* versu 39.*darum* pro *darem* 3.3.versu 12.*sene* pro *sine* 4.3. versu 11. *trassenna* pro *transenna* versu 45.*habiat* pro *habeat* versu 50.*libirali* pro *liberali* versu 54.*vedere* pro *vendere* versu 56.*vedat* pro *vendat* v.66.*vedas* pro *vendas* versu 76. *eu* pro *heu* versu 77.*perregrinus* pro *peregrinus*.

Rudente Prologi versu 17.*periorio* pro *perjurio* versu 42. *Atticos* pro *Atticus* 1.2.versu 61.*litus* pro *littus*,& ita semper versu 65. *ercle noVis* pro *hercle nobis* versu 88.*Em* pro *Hem* versu 90.*fecerat* pro *fecerit*. 1.3. versu 23.*quisque* pro *quisquam* 1.4.versu 5. *Qrarire* pro *quærere* versu 6.*nequEam* pro *neque eam* v.ult. *Quianam* pro *Cuianam* 1.5.v.8. *aut* pro *haud* v. 11. *atmodum* pro *admodum* versu 21.*quod videns*,pro *quod vides* 4.4. versu 65.*gaudeam* pro *caudeam* 4.7.versu 34.*forti* pro *furti* versu 34.versu *caulus* pro *gaulus* 5.3.versu 21.*pejurio* pro *perjurio*.

Sticho 1.1.v.7.& 30. *aCum*,pro *æquum*.1.2.versu 3.*quod Kalendis* pro *quotcalendis* versu 27.*adsemulabo* pro *adsimulabo*, versu 40.*qVm* pro *quum* 2.1.versu 41.*pracones* pro *præconis* v.55.*maliBolus* pro *malevolus* versu 68.*loCos* pro *logos* 2.3. versu 67. *obtabilem* pro *optabilem* 3.1.v.38.*putare* pro *potare* 4.1. versu 1. *servaSint* pro *servassint* 4.2.v.40. *nollo* pro *nolo*.v.56.*gilam* pro *gulam* 4.3. versu 3.*arceSita* pro *arcessita*.54.versu 20. *huc* pro *huic* 5.5.versu 1.*ceram* pro *gemm*. vers.15. *pluriam* pro *pruriam*.

Trinummo 2.1.vers.14.*eligans* pro *elegans*. vers.31. *apaCe* pro *apage* 2.2. v.61.*premostro* pro *præmonstro* 3.2.v.41. *amores* pro *amoris*. v.88. *habiturus* pro *abiturus*.v. 92. *habuit* pro *abiit* v.101.*nundiustertius* pro *nudius tertius* 3.3.v.11. *cremen* pro *crimen* 4.2. versu 6. *subiCor*, pro *subigor* v. 90. *absentium* pro *absinthium*.

Truculento 1.1.v.56.*plagida* pro *placida* 1.2.v.85.*subbenistis* pro *subvenistis*.2.1.v.2.*jubebit* pro *lubebit* 2.3.v.23. *obtegerit* pro *obtigerit* 2.4. v.62. *sVm* pro *suum* 2.6.v.38. *Bim* pro *vim* 2.7.v.60. *veri* pro *viri* 3.1. vers.2.*clandem* pro *glandem* 3.2.vers.8.*incipera* pro *impera* 4.2. vers. 11. *naRem* pro *narem* 4.4.v.17. *obsideator* pro *obsidiatur* v.19.*commemoraVitur* pro *commemorabitur* vers.74. *aucupaBi* pro *aucupavi* 5.1. v.22.*sentium* pro *gentium*. v. 45. *tiBIaticum* pro *tibi viaticum*.5.1.v.7.*sinem* pro *sinam*.

Hæc omnia in trancursu enotarat Gruterus, omissa Argo illi nostro Pareo, qui non centum modò,sed & mille ejusdem generis alia neglexit invehere editioni illi suæ puerilissimæ.Horũ maximam partem quidem Gruterus ducebat manasse vel à librariorum Latinas literas ignorantium exerratione, vel à

e 2 pronun-

pronunciatione nationis Italicæ corruptâ. At Pareo sine talibus non videbatur constare libris antiquis sua majestas. quo quid magis ridiculum, magis futile? Membranarum fides adstringenda est sensui, rationique: qui contra ea sese ipsis deduut, plumbum nobis obtrudunt pro auro, urticam pro amaraco, noctem pro sole.

Talibus tamen ulcerosis non ita muscarum more usq; atque usq; adhæsit Pareus, ut non etiam sæpius intermortua & sepulta effoderit, rancida & obsoleta introduxerit; sed infeliciore adhuc omine infelicissimoque successu. Factû inde, ut infinita loca prius sincera atque expedita, mirè lutulaverit, intricaverit, luxarit. Quid mirum? Majorum gentium Criticis talis labor imponendus quibus interior cognitio & morum veterum, & linguæ Latinæ, minimè verò arripiendus juveni; rerum & verborum imperito, & tantum XX. jam annis occupatissimo puerorum virgidemiâ.

Idem modò, si Švernæ placet, nobis adornat novam Ciceronis editioné, post Gruterianam; cui adeo infensissimus est, ut non puditum fuerit, in præfatione Calligraphiæ, istis aggredi Lectorem Philologum: *Petri Victorij editione Tullij nullam aliam meliorem hodie sub sole extare, viris doctis persuasissimum est: quam proindè perpetuis notis illustratam propediem σὺν Θεῷ iterum in lucem edere cogito.* Quibus viris doctis, Paree, id persuasissimum? non Camerario, sanè, non Manutiis, non Lambino, non tot aliis; qui profectò post Victorium non infeliciter infinita loca emendarunt. Sed & longè aliter sentit Galliæ suæ primus Jacob. Augustus Thuanus, fine libri Historiarum LXXX: *Eodem, inquit, mense Quintili* cIↄ. Iↄ. XXCIV. *Janus Gulielmius, adolescens cultissimi ingenij, Lubecæ natus, Avarici Biturigum, contracto ex nimiis caloribus morbo, vix salutata urbe, decessit cum nondum XXX. vitæ annum attigisset: & magis deploranda morte; quod multa, & inter ea novam Ciceronis operum ad Mss. exemplaria diligentissimè collatorum, & amplius sexcentis clausulis suppletorum, editionem paratam haberet; quam ego Lutetiæ, dum is ad me familiariter ventitaret, vidi: hactenus magna rei literariæ jacturâ aut disperditam aut suppressam.* Quid heic dicis? non solum sexcentas istas clausulas è Gulielmianis schedis excerpsit Gruterus, reddiditque Ciceronis orationibus, confirmatas præterea fide membranarum Palatinarum; sed & mille alias, ut minimum, ceteris ejus operibus intulit bonâ ave, præeúntibus ei centuriâ amplius librorum calamo exaratorum. Verum abi sis Calumnia! abi sis Inscitia! hodie tibi nihil creditur, multo minus cras.

Et iste Ajax, ignarus fidei, ignarus æthologiæ, ignarus honesti, ignarus denique sui ipsius, nobis incumbet Dictator perpetuus? quicquid pronunciaverit fœdo ore exosculabimur pro lege, examinis ac censuræ non indigâ; quicquid pedet, sursum deorsumve, amplectemur, ut tus, ut myrrham, omni logicâ facultate, omni contradictione potentius? ab ipsius infami linguâ pendebimus, ut ab anchorâ sacrâ, ut ab effatu Sybillæ, ut ab oraculo Apollinis?

Imò

Imò donec aliquis exoriatur magistratus cujus censuræ cogatur reddere rationem exactissimam facinorum suorum, nos monstrum illud, nullâ virtute redemptum, veluti Ætolicam suem excipiemus jaculis meritis, applaudente totâ Bonorum, tota Doctorum manu. Nondum enim adhuc periit omne jus ac fas, nondum obsolevit æquum & bonum: adhuc æstimatur apud plures & pudor & decorum, & veritas & modestia. Quæ enim illa erit factio, ut non liceat in Pareum aliquid edere, quin statim audiat libellus famosus? quæ nam ea tyrannis, ut licentiam sibi dari velit in alios, in se nolit? ut injuriarū formulam intentet aliis, sui securus? ut obtrectationi sit: intendere Juventuti indicem digitum ad Pharon illam alterius prorsus Nauplii? ne scilicet admissis velis remisq; recto cursu pergat per insidiosa vada, per latentes cautes, per aras subdolas, ad falsum istum intutumq; scientiæ prudentiæq; Pareanæ portum? Et quid? passim obtinebit ut ei qui corporis medentur vitiis, non modò amariora adhibeant remedia, sed & sectionem & ustionem: & animi huic malignæ pravitati, vel sanandæ, vel cohibendæ nihil opponetur, nisi vota & supplicia? non verbum malum? non increpatio? non reprehensio? non minæ? Licebit profectò! nisi velimus hanc nostram ætatem superstitem esse literis literatisq; universis; nisi velimus bonæ spei meliorem indolem aut suffocari statim primore in herbâ; aut jam grandiorem, ea omnia turpiter dediscere quæ hausit ab Pareo; nisi deniq; velimus hac effreni impunitate, longo excitare ordine alios aliosq; scurras, ejusdem cum Pareo & Philautiæ & Proterviæ; qui scilicet speciosa tecti larvâ, ignotis sese ingerant negotiis, Harpyiarumq; unguibus integritatem salutemque librorum meliorum, incestent, dilacerent, exaniment universam. Plauti est: *Indignis si maledicitur, maledictum id esse duco. verum si dignis dicitur, benedictum est.* Sed & innotuit: *Vis in illum injusta non est, jus pati æquum qui abnuit.* Quare non est quod heic quispiam meminerit clementiæ. qui immanem carnificem, humanitatis heic fovet officiis, inhumanissimus est. neque enim misericordia censenda est, quæ juri, quæ exemplo, quæ justitiæ legibusque obstat. Hunc talem corripere lenius, crudelitatis linea est extrema. Ad quæ enim non transiliet vitiorum prærupta, cui tyrocinium fuit occidere Plautum, Gratiarum Camœnarumque pullum? *Non sat domatur; est triumphandum scelus.* Plane si mechanicis artibus suæ sunt leges, sua jura, suæ consuetudines, à quibus nulli opificum vel latum unguem recedere fas est sine præsentaneâ animadversione; imò si unicuique familiæ suus est censor, suum tribunal, neque aliter constiterit universi hujus harmonia; solusné scriptor malus, solusné barbarus Criticaster, solusné degener fucus, omnia aget ad libidinem? neque ab eo quisquam reposcet qualem qualem consiliorum factorumque rationem? hoc erit confirmare ideam tyrannidis, hoc erit animare novum exemplar impudentiæ. Sed bene! quodvis sæculum invenit assertores vindicesque honestarum disciplinarum; neque ulla unquam ætas iis caruit, qui etsi cum nauseâ, etsi cum pudore suo, tamen fatua ac portentosa scripturientium deliria detexerint, exibilarint, insignive-

rint; si non bono Agyrtarum illorum, at publico tamen. Talis enim censura à contagione arcuit præsentaneâ non vulgus modò promiscuum, sed & ex Equestri, & ex Senatorio ordine admodum multos, qui aut serioribus abrepti occupationibus, aut in aliarum artium studiis toti, Criticen ita attingunt, ut canes Nilum, raptim scilicet obiterque, sine pensiore minutiarum examine. Hocque ipsum etiam movit Gruterum, ut ea sedulitate ac fide, quâ multorum classicorum monumentis antea subvenerat, nunc quoque succurreret Plauto. In quo emaculando secutus est præcipuè duos MSS. quos Palatina Bibliotheca redemit ab heredibus Camerarianis. Quicquid ii habebant quod veritati, quod vero similitudini, quod sententiæ, quod rationi, reique præsenti accommodatum videbatur, recepit confidenter in album Comicum. Sin & iidem hallucinabantur, transiit ad editionem Georgii Merulæ primam, cui infinitis locis acquiescendum ipsi fuit, nisi voluisset objicere Lectoribus editionem mutilam prorsus debilemque. Plurimæ enim ibidem comparebant voculæ, quarum ne apex quidem extaret in membranis supra laudatis, & sensui & versui propriè inservientes. Etiam hac in re nonnunquam ipsum juvit editio Joannis Baptistæ Pii, quem dum deinceps temerè sequitur discipulus Merulæ, Eusebius Scutarius, textum præceptoris sui interpolavit quidem, sed in deterius. Scutarium exinde æmulatæ editiones Argentinensis, Mulingi, anno M. D. VIII. Parisiensis Charpentarii, anno 1513. sed admissis præterea nimis frequenter deliramentis Pii, & conjecturis nihilo felicioribus Bernardi Sarraceni. Nam Veneta Manutii M. D. XXII. audacissimam senserat improbissimi fullonis operam; cui tamen adhæserunt ferè & Parisiensis Roberti Stephani, & Coloniensis Gisberti Longolii, aliique usque ad Camerarianam. Deficientibus istis adminiculis, nonnunquam retinuit in contextu, correctionem conjecturalem, sed certam liquidamque, hoc est cujus veritas, aut ultro se proderet, aut firmaretur à tribus quatuor robustæ auctoritatis Criticis; appareretq; inductam mutationem ab eis, qui antiquorũm omnia adstringenda putabant regulis suis Grammaticalibus. Quæ necessariò requirebantur, vel ad sententiam, vel ad sententiam, vel ad versum, ea non semper ejecit, quamvis certè constaret neotericum esse; veritus receptam editorum priorum opinionem, retinuit igitur sed literarum charactere diverso. Ad versus quod attinet; autumabat licere sibi nonnunquam aliquid eis aut detrahere, aut transponere præter Manuscriptos, tanquam temerè adjectum permutatumque ab librariis oscitantibus. factum id tamen rarissimè. At versus alicujus constituendi caussâ, nihil unquam infarciit de suo, de alieno; nisi quod fortasse semel iterumq; vocem immiserit geminæ similitudinis cum vicinâ suâ: arbitratus ideo omissam expunctamve ab exscriptoribus, qui cum nulla eis esset notitia carminum, putare poterant bis malè positam. Porrò, nævis erratisque, quæ in hac editione haud dubiè restabunt pluribus, tanto benignius veniam dari postulamus, quod omnia heic edita sint absente Grutero. & ea est alioqui infelicitas

chalco-

chalcographiæ, ut quamvis Argo correctore, multa tamen interveniant sphalmata. Quid nunc accidisse putandum est, ubi non typothetæ tantum, sed & alii, hæsere circa scripturam Belgicam. Quare si Pareus mille minimum locis falsò exhibuit lectiones codicum Palatinorum, qui tamen illi suæ impressioni perpetuò & aderat, &, uti stolidè jactat superfuerat; paucorum nobis erratorum fieri gratiam verecundè petimus. B. V.

DE PLAUTO,

ET EJUS SCRIPTIS

VETERUM AUCTORUM TESTIMONIA.

VARRO Parmenone, apud Nonium, in *Poscere*, i. accipere.

IN Argumentis † *Cæcilius poscit palmam, in* Ethesin *Terentius, in* Sermonibus *Plautus.*

† Jac. Nic. Loensis Miscellan. lib. 8. 9. è Charisio probat, *In Pathesi Cæcil.* quem vide: ut & Gerhard. Vossium Instit. Orat. lib. 4. cap. 1. Sed alterum tamē rectè ab Heinsio adseritur, in Constitut. Tragœdiæ, cap. XV.

CICERO lib. 1. de Officiis.

DUPLEX omnino est jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum: alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum: quo genere non modò PLAUTUS noster & Atticorum antiqua Comœdia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri sunt referti.

Idem

Idem Tuſcul. Quæſt. lib. I.

SERIUS Poeticam nos accepimus. annis enim ferè CCCCX. poſt Romam conditam Livius Fabulam dedit, C. Claudio Cæci filio, M. Tuditano COSS. anno ante natum Ennium, qui fuit major natu, quàm PLAUTUS & Nævius.

Idem lib. III. De Oratore, ex perſonâ L. Craſſi.

EQUIDEM cùm audio ſocrum meam Læliam, (faciliùs enim mulieres incorruptam antiquitatem ſervant, quòd multorum ſermonis expertes ea tenent ſemper, quæ prima didicerunt) eam ſic audio, ut PLAUTUM mihi aut Nævium videar audire.

Idem, lib. De Republ. apud AUGUSTINUM De Civ. lib. II. cap. IX.

a *SED Periclem, cùm jam ſuæ civitati maximâ auctoritate plurimos annos domi & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in Scenâ non plus docuit, quàm ſi PLAUTUS noſter voluiſſet aut Nævius P. & Cn. Scipioni, Cæcilius M. Catoni maledicere.*

Idem, Catone Majore, ex ejusdem perſona.

QUAM gaudebat Bello ſuo Punico Nævius! quàm Truculento PLAUTUS! quàm Pſeudolo!

Idem, Epiſtol. Famil. lib. IX. Epiſt. ad Papyitum Pætum.

SED tamen ipſe Cæſar habet peracre judicium: & ut Servius, frater tuus, quem litteratiſſimum fuiſſe judico, facile dice-

diceret: Hic versus Plauti non est, hic est: quòd tritas haberet aures notandis generibus Poetarum, & consuetudine legendi: sic audio Cæsarem, &c.

VOLCATIUS SEDIGITUS, de Poetis Comicis, apud Agellium lib. XV. cap. XXIII.

MULTOS incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetæ Comico quoi deferant.
Eum meo judicio errorem dissolvam tibi.
Vt, contra si quis sentiat, nil sentiat,
Cæcilio palmam Statio do Comico.
PLAVTVS secundus facilè exsuperat cæteros.
Dein Nævius, qui servet, pretio in tertio est.
At si quid quarto detur, dabitur Licinio:
Attilium post Licinium facio insequi.
In sexto consequetur hos Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum obtinet.
Nono loco esse facilè facio Luscium.
Antiquitatis caussâ decimum addo Ennium.

PLINIUS NEPOS, lib. I. Epist. XVI.

LEGIT mihi nuper epistolas, quas uxoris esse dicebat: PLAVTVM vel Terentium metro solutum legi credidi.

QUINTIL. Inst. Orat. lib. X. cap. I.

IN Comœdiâ maximè claudicamus: licet Varro dicat, Musas (*L. Ælii Stilonis sententiâ*) Plautino sermone locuturas fuisse, si Latinè loqui vellent.

AGELLIUS Noct. Att. lib. I. cap. VII.

PLAUTUS verborum Latinorum elegantissimus, † *in Amphitruone dixit:* Numero mihi in mentem fuit.

† H. Steph. leg. *diligentissimus.*

Idem

Idem lib. III. cap. III.

Verum esse comperior, quod quosdam benè litteratos homines dicere audivi, qui plerasque Plauti Comœdias curiosè atque contentè lectitaverunt, non indicibus Ælij, nec Sedigiti, nec Claudij, nec Aurelij, nec Accij, nec Manilij, super his Fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, sed ipsi Plauto moribusque ingenij atque linguæ ejus. hâc enim judicij normâ Varronem quoque esse usum videmus. nam præter illas unam & viginti, quæ Varronianæ *vocantur; quas iccircò cæteris segregavit, quoniam dubiosæ non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur; quasdam item alias probavit adductus stilo atque facetiâ sermonis Plauto congruentis: easque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit: sicuti istam, quam nuperrimè legebamus, cui est nomen,* Bœotia. *nam cum in illis unâ & viginti non sit, & esse Aquilij dicatur, nihil tamen Varro dubitavit quin Plauti foret; neque alius quisquam non infrequens Plauti lector dubitaverit, si vel hos solos versus ex eâ Fabulâ cognoverit: qui quoniam sunt, ut de illius more dicam, Plautinissimi, propterea & meminimus eos & adscripsimus. Parasitus ibi esuriens hæc dicit:*

Ut illum dî perdant, primus qui horas repperit, &c.†

† Cætera lege pag. 1467.

Favorinus quoque noster, cùm Nervolariam *Plauti legerem, quæ inter incertas est habita, & audisset ex eâ Comœdiâ versum hunc,*

Strateæ, † scrupedæ, strativolæ, sordidæ:

† Vide mihi pag. 1475.

delectatus facetâ verborum antiquitate meretricum vitia atque deformitates significantium: Vel unus hercle, inquit, hic versus Plauti esse hanc Fabulam satis potest fidei fecisse.

Nos

Nos quoque ipsi nuperrimè cùm legeremus Fretum *(nomen est id Comœdiæ, quam Plauti esse quidam non putant) haud quicquam dubitavimus quin Plauti foret, & omnium maximè genuina, ex qua duos hos versus exscripsimus; ut historiam quæreremus Oraculi arietini:*

——Nunc illud est,
Quod arietinum responsum magnis Ludis dicitur:
PERIBO, si non fecero: si faxo, vapulabo.† Vide pagi 1471.

Marcus autem Varro in libro De Comœdiis Plautinis primo verba hæc ponit: Nam nec *Gemini*, nec *Lenones*,† nec *Condalium*, nec *Anus* Plauti, nec *Bis compressa*, nec *Bœotia* unquam fuit, neque adeò Ἄγροικος, *neque Commorientes*; sed M. Acutici. *In eodem libro Varronis id quoque scriptum est, Plautium fuisse quempiam Poetam Comœdiarum: cujus quoniam Fabulæ Plauti inscriptæ forent, acceptas esse quasi Plautinas: cum essent non à Plauto Plautinæ, sed à Plautio Plautianæ. Feruntur autem sub Plauti nomine circiter centum atque triginta. Sed homo eruditissimus L. Ælius quinque & viginti esse ejus solas existimavit. non tamen dubium est, quin istæ, & quæ scriptæ à Plauto non videntur, & nomini ejus addicuntur, veterum Poetarum fuerint, & ab eo retractatæ & expolitæ sint: ac propterea resipiant dictum Plautinum. Sed enim* Saturionem *&* Addictum, *& tertiam quandam, cujus nunc mihi nomen non suppetit, in pistrino eum scripsisse Varro, & plerique alii memoriæ tradiderunt, cùm pecuniâ omni, quam in operis artificum Scenicorum pepererat, in mercationibus perditâ, inops Romam rediisset; & ob quærendum victum ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locasset. Sicut de Nævio quoque*

† Vide pagi 1474.

accepimus, Fabulas eum in carcere duas scripsisse, Hariolum & Leontem &c.

Idem lib. VII. cap. XVIII.

PLAUTUS homo linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps.

Idem lib. XVII. cap. XXI.

AC DEINDE annis ferè pòst quindecim, bellum adversus Pœnos sumptum est: atque non nimium longè M. Cato Orator in civitate, & PLAVTVS Poeta in Scenâ floruerunt.

Idem lib. XIX. cap. IIX.

QVANDO Plautus linguæ Latinæ decus, delitiam *quoque* ἑνικῶς *dixerit, pro delitiis:* Mea, *inquit*, voluptas, mea delitia.

Macrobius Saturn. lib. II. cap I.

ET jam primùm animadverto duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit, Comicum PLAVTVM & Oratorem Tullium: eos ambos etiam ad Jocorum venustatem cæteris præstitisse, PLAVTVS quidem eâ re clarus fuit, ut post mortem ejus Comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen esse de jocorum copiâ noscerentur.

D. Hieronymus in Epist. ad Pammachium.

HÆC est Plautina elegantia, hic lepos Atticus, & Musarum, ut dicunt, eloquio comparandus.

Idem, Epist. ad Pammach. De opt. genere interpretandi.

TERENTIVS Menandrum, PLAVTVS & Cæcilius veteres Comicos interpretati sunt. Nunquid hærent in

verbis,

verbis, ac non decorem magis & elegantiam in translatione conservant, quàm veritatem interpretationis?

Idem ad Eustochium, De custodiâ Virginitatis.

ITAQUE miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, PLAUTUS † sumebatur in manûs.

† Audio esse, qui hic *Plato* probent: (ut est in ed. 1490 Basil.) sed hoc aliorum Codicum fides, ac ipsa ratio & precipuè orationis sequela ac scopus refellunt.

Idem, adversus Ruffinum.

AUDIO præterea te quædam de epistolâ meâ philosophicè carpere, & hominem rugosæ frontis adductique supercilij PLAUTINO in me sale ludere, eò quòd Barrabam Judæum dixerim præceptorem meum.

Idem, in EUSEBII Chronico.

OLYMP. CXLV. PLAUTUS ex Umbriâ Sarsinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias pistori se locaverat. ibi, quoties ab opere vacasset, scribere Fabulas solitus & vendere.

RUFFINUS, in D. Hieronymum.

CUM ad hæc omnia quæ suprà diximus, etiam illud addatur, ubi cessat omne commentum, quod in monasterio positus in Bethlehem antè non multo tempore partes Grammaticas exsecutus sit, & Maronem suum Comicosque ac Lyricos & Historicos auctores traditis sibi ad discendum Dei timorem pueris exponebat.

Quinam isti Comici sint, paulo pòst exprimit.

QUÆRO, si vel Flaccus tuus, aut Maro, si Plautus Comicus, aut Terentius certè, si aut Satyricus quis, &c.

Idem ibidem:

SIC, dum totus Plautinæ & Tullianæ cupis eloquentiæ sectator videri, oblitus es, quomodo Apostolus omnem Ecclesiam &c.

IDEM ad Domnionem.

PUTO quòd puer legeris Aspri in Virgilium & Sallustium Commentarios, Vulcatij in Orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos ejus, & in Terentij Comœdias Præceptoris mei Donati, æquè in Virgilium; & aliorum in alios, PLAUTUM, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum. Argue Interpretes eorum, quare non unam interpretationem sequuti sint, & in eâdem re quid vel sibi vel aliis videatur enumerent.

D. AUREL. August. lib. 2. cap. 12. De civitate Dei.

INDIGNUM videlicet fuit, ut PLAUTUS aut Nævius Publio & Cneo Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni malediceret: & dignum fuit ut Terentius vester flagitio Jovis opt. adolescentium nequitiam concitaret.

C. SOLLIUS SIDON. APOLLINARIS, Panegyricò ad Anthemium Augustum.

QUA Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio PLAUTUS, quo flumine † Quintilianus!

† *Flumine.* In meâ edit. quã Joh. Savaro procuravit, legitur, *fulmine.* certè & lib. 5. Epist. 10. *acrimoniam Quintil.* laudat, &c.

Idem Carmine XXIII.

ET te tempore qui satus severo
Grajos, PLAUTE, sales lepòre transis.

SERVIUS HONORATUS ad 1. Æneid.

DE numero librorum nulla hîc quæstio est, licet in aliis inveniatur auctoribus. nam PLAUTUM alij dicunt scripsisse Fabulas viginti unam, alii quadraginta, alii centum.

EUPHEMIÆ AMICORUM IN PLAUTUM GRUTERI.

Daniel Heinsius.

ILLUD grande decus, quo se Germania jactat,
Nec non Belga tamen quem putat esse suũ
Cui, lecto Cicerone, nihil restare putabit,
Romani quisquis flumina mellis amat,
Ingenii metas famæque egressus, in alto
Contiguas Divis cœpit habere domos.
Jamque suis potitur pariter fruiturque beatus
Laudibus, & laudes astruit ipse suas.
Nec Musas putat esse satis, quas Græcia mater
Ter quondam ternas credidit esse Deas.
Adjungit decimam. quæ dum sic culta legetur,
Dicetur pariter restituisse novem.

JOANNES MEURSIUS.

GRUTERE magne, terra quà Germania,
Et quà beata porrigit se Gallia,

Immò

Immò orbis omnis, cognitus Musis novem;
Te gloriari nemo doctorum magis
Se jure poßit maximo, Scriptoribus
Decus Latinis reddidisse pristinum:
Seu res acumen postularet ingenî,
Laboriosam comparantis seu manum
Ad prisca scripta, vetere membranâ abdita,
Monumenta quondam excusa fallaci typo
Ut reliqua taceam, nominanda maximè,
Certè taceri Seneca non debet tuus;
In quo, ille quantum cæteris præstat viris,
Sapiente regnans porticu, major viro;
Immane tantum cæteris plus omnibus
Tu collocasti industriæ, & solertiæ.
Nunc, ceu laboris restet in terris nihil,
Mens ignea, alta cogitans, cœlum petit:
Et decima Musa flore perpetuo tibi
Nectit coronam, cælitumque infert choris.
Ibique multò illustriori nomine
Phœbusve Musarum audies, aut Hercules.
Macte operis ergo, macte, virtutis tuæ,
Grutere magne, terra quà Germania,
Et quâ beata porrigit se Gallia,
Immo orbis omnis, cognitus Musis novem.

Gerardus Joannes Voßius.

CUNCTA decus perdunt proprium. Sic barbarus ex (quo
Pistoris Plauti verba salesque terit;
Aurea mutarunt in nigras verba tenebras,
Frigescuntque sales, qui placuere prius.

Fit

Fit vates erro. nostrum quoque talis in ævum
Pervenit, pallens frigore, luce vacans;
Ignis se donec Camerarius extulit. oræ,
Teutonicæ, & Plauto Lucifer ille fuit.
Post quem Gruteri rutilantia lumina latè
Tanquam siderei vidimus ora Dei.
Ille calore suo priscum decus adspiravit,
Dispulit & cunctas luce suâ tenebras.

EIDEM.

QUOI genius vatis, tulerat quem Bilbilis olim,
Totque Augusta quibus scribitur historia.
Et Crispi brevitas, Senecæ prudentia, Tullî
Eloquium, Plauti displiceantque sales:
Ingenium sollers Gruteri is non amet; istis
Qui medicâ absterfit vulnera cuncta manu.

EIDEM.

GLORIA Gruteri est, Romana volumina doctè
Librorum ad veterum restituisse fidem.
Sed tamen huic aliquis forsan de pluribus unum,
Qui sint, vel fuerint æquiperare volet.
Tot veterum at nemo monumenta recensuit unquam,
Laus hæc unius, magne Grutere, tua est.

CASP. DORNAVIUS.

I.

TRIA verba pro re proloquar præfiscinè.
Tria verba sufficiunt bonis, caussa bonâ.

TAUBMANNUS olim spiritum PLAUTO novum;
Novumque Taubmanno GRUTERUS reddidit:
Servat duos dignus coronâ duplice.

II.

TAUBMANNUS, Charitum decus, inque videnda Corona;
Per NOS magmentum, GRUTERE, capessat honoris:
Sic meritus. SIC degat in umbra lætificum ver.
Quàm fera barbaries, cineres violare sepultos!

III.

Sive Tuos luci, GRUTERE, expromere libros;
Tergere seu lubeat scripta vetusta situ:
Templo æternantis nomen præscribis Honoris.
Judicium gratæ Posteritatis erit.

Michael Piccartus.

PLAUTE Pater Scenæ, Risusque Jocique Monarcha,
Quique Camœnarum dictus es ore loqui;
Dum te persanant Medicorum examina, perdunt:
Compagem & pulchri corporis interimunt.
Usque adeò scalpella nocent, runcinaque mentis
Inscitæ in veteres ingeniosa nimis.
Ergo lacer prorsus membris, tantum ossibus hærens;
Exsuccus, nec jam corporis umbra sui,
Quod misero reliquum, credit GRUTERE, salutis
Jam tibi, teque tuam poscit egenus opem.
Scilicet huic unus superas Podalirius ægro,
Cui, quidquid Latium, quidquid & Hellas habet,
Credidit ingenii facilis largitor APOLLO;
Quando minutatim hæc unus & alter habent.

Adsere,

Adſere, ſis, Latio decus ergo hoc vindice dextrâ!
Sic æger Gallum, Laurum at APOLLO feret.
Quin, quæcumque hodie PLAVTO conferre laborant,
Sunt ex ingenii fonte petita tui.
Quare age, fac liquidam puro de fonte bibamus:
Ingrata eſt, pigro quæ ſtupet unda lacu.

Michael Virdungus.

O REM ridiculam, ac nimis jocoſam,
Dignam naribus & tuo cachinno,
GRVTERE! en, pecus Arcadum, leonis
Indutum exſuviis, ferox oberrat
Paſſim rure, gregi metum minuto
Hac ſchemâ incutiens. At, ô, miſellos!
Aures prominulæ eſſe ὄνους loquuntur.
Quin pellem nimis omnibus verendam
Uni detrahis ipſe nunc. at oncat?
At pili facis: at leo ruditum
Aſelli nihil arduus moratur.
Ergo, ſi ſapiunt, ſuam quieſcant
Intra pelliculam. Sed, heu! nequibunt:
Tanta eſt nominis eſurigo, tamque
Dulcis auribus bacce cantilena eſt:
Næ, vir doctus hic eſt! vir eſt politus!
Quàm novit ſapere! hoc HABERE COR, eſt.

Balthasar Exnerus.

PLAUTUM edidit TAUBMANNUS, Interpres bonus,
Et doctus, argutusque; quem CASAUBONUS,
Et SCALIGER probavit atque LIPSIUS:
Trium-viri illi nempe litterarii.
At MARCULUS nunc rodit hunc post funera.
Adhibenda cui fides, GRUTERE, an MARCULO?

ALIUD.

Hoc nonne perversum est? placebat omnibus
TAUBMANUS in Criticis Notis Maronicis,
Notisque Plautinis placebat vividus:
At displicet nunc MARCVLO de mortuus.
De Marculo, GRVTERE mi, quid æstimas?
Cui sinciput non est probum, nec occiput,
Quei de bonis bene scribat, aut dicat bene?

Julius Gulielmus Zincgrefius.

SCALIGER ille Atlas Musæi solus Olympi,
Cùm vellet cælum fessus inire suum;
Anxia quæsivit Doctorum natio, quis nam
Huic tanto Alcides optio fortè foret.
Musarum assensu Phæbus te nominat, istud,
Qui cervice feras strenuiore, decus.
Nempe Deæ meminere, nec immemor ipsius Apollo est,
Per te Plautino sese iterum ore loqui.

Ergo

Ergo cavere tuum eſt, Phaeton ne frontis amuſſæ
Ignibus invadat tot Critici orbis opes.

JANUS GEBHARDUS.

ADDICTOS inter piſtrino, PLAVTE, labores
Mittebas variis libera corda jocis,
Exſuperans candore ſalum tunc pollen adorque
Piſtum ſæpe tuâ, MARCE facete, manu.
Plena tuos toties plauſêre theatra lepôres,
Et caluit riſu Martia Roma tuo.
Sed fatum ſeris te ſævum repperit annis,
Inſipido oblimans tot bona dicta fimo:
Dum lacerant hebetes argutum drama magiſtri,
Exſuiturque ſuos Scena venuſta ſales;
Qui penitus fœdo cœpêre nigreſcere tactu,
Cùm biberent Scholici blenna venena gregis.
GRVTERVS Senecæque ſalus TullIque Machaon,
Et tot Scriptorum dextera nota choro;
Ne ſtaret ſalibus deſerta Orcheſtra vetuſtis;
Ex hoc reſtituit, quo Venus orta, ſalo eſt.

ALIUD.

ET meritò proprios quærit Comœdia riſus,
Et PLAVTI ingenuos conſcia Roma ſales.
Quippe novo MARCVS piſtrino incluſus, avitos
Dedidicit numeros dedidicitque jocos.
Obruta ſunt paleâ ridentis dicta Poetæ,
Venaque feſtivi eſt furfure merſa Patris.
Aſſertor GRVTERVS adeſt, præſepia rumpit,
Vt vates olido carcere liber eat.

Cui fert arcanam Cirrhæ de limite vannum
Lustralesque sacro gurgite Phœbus aquas:
Vt paleam à salibus asinorum prandia cernat,
Inque suos risus vena refecta micet;
Tersaque furfuribus vates quoque corda profanis,
Liberaque affrictis sordibus ora ferat.
MARCE, fuit tanti fatum subiisse malignum:
Grandior hos casûs gloria nempe manet.
Quippe tibi pauci quondam plausêre Quirites:
Nunc vindictam axis laudat uterque tuam.

BALTHAS. VENATOR.

SVNT homines, quorũ sibi vẽdicat ACCIVS ævum,
Quos extra PLAVTI nil monumenta juvant;
Tota luce vetus renovat proscenia MARCVS,
Hora perit, quam non Comicus Vmber habet.
Lux ubi præteriit, Macetus fit Plautus Homerus,
Et sub pulvino cum cubitore cubat.
Repperias etiam, solius gratia TVLLI
Quos capit, ut credant cætera vile lutum;
Ex uno cupiunt fieri scriptore Platones;
O Miseri, quoties res jubet esse viros!
Hoc aliquis præstet, quod nobis cura GRVTERI,
Quem nihil in Latia posteritate fugit.
Quicquid habẽt Græci, nunc est cõmune GRVTERO:
Res ait: & verbis non eget illa meis.
Nec tamen in solis stetit illi meta prophanis
(Talia namque hodiè scripta pròphana vocant.)
Quis magis assiduus divina volumina Patrum,
Attica seu fuerint, sive Latina, terit?

Doctor

Doctor ad Aſſyrii ripam qui natus Orontis,
Se negat alterius plus caluiſſe manu;
Ad partes toties ſe CÆSARIENSIS alumnus
Miratur ſtudio fervidiore trahi;
Et reliqui quorum melius pia verba GRVTERUS,
Quàm nos illorum nomina ſola, tenet.
Adjice cæleſtem ſignato fœdere Chartam,
Quæ docet immenſi juſſa notata Dei;
Hic verò nihil eſt, quod non collegerit Vſus,
Ceu florum ambroſiam conſcia quærit apis.
Hæc ubi ſic fecit, Latiam ſe rurſus in umbram
Projicit, & Graium vult habitare nemus.
Inde juventuti præclarum dictat Honeſtum;
Perditus eſt, qui non rectior inde venit!
Jam poſtquam Senecas, Tacitos, Criſposq; peregit,
Et quorum numerum vix ſatis ipſe capit,
PLAUTUS ei miſeræ porrexit pignora dextræ,
Et mihi promiſſam ſuggere, dixit, opem.
Mirantur multi, toties cur mittar in auras,
Cùm tamen & calces & caput æger eam.
Crura macent cura: vivo, nec vivo ſuperſtes;
Alterutrum mallem quàm dubioſa ſequi.
Quàm benè TAUBMANNUM miſiſti nuper! ab ipſo
Cœpit tunc melius corpus habere meum.
Ipſe veni tandem. Legatus plurima fecit;
Tu poſt legatum, ſi vacat, ipſe veni.
Adſpice, convaluit Plautus, medicante GRUTERO:
PLAUTE, dehinc medicos diſce cavere malos.

Martii.

Martinus Opitius.

QVICQVID in autorum felix tua dextra salutem
Contulit, & nunquam charta silebit anus,
Si rigidus planè repetas exactor ad assem,
Omnis obæratus jam tibi mundus erit.
Cælica quid magni finget facundia Tullî?
Quid saxa, & Latii marmora docta soli?
Quid Seneca? incisas causabitur illéne venas?
Quid Taciti dicet lingua diserta mei?
Sume vades superos; alio sponsore caremus:
Sola Deûm meritis sufficit arca tuis.
Ad nostros autem venias si fortè Poëtas,
Atque illis paulò durior esse velis,
Conturbabit, egens aliàs quoque, natio tota:
Plus miseris nemo credidit ante viris.
Bilbilici debent animam tibi carmina; Belga
Sis licet, Hesperio natus at ipse solo.
Tu grandem melius docuisti stare cothurnum:
Herculeos nescit Corduba magna rogos.
Oedipus è Davo jam fit quoque, Lucius Vmbro,
Post morbum, & criticæ stigmata tanta notæ.
A Plauti, ore prius Musæ didicere; Gruteri
Nunc sed enim Plautus discit ab ore loqui.

THEODORVS RHODIVS.

GRVTERE docte, qui subinde das luci,
Præsens quod ætas laudet atque ventura;
Quo carmine, aut quâ voce prosequar curas,
Quas tu Senatûs musici gravis Consul,
Reique literariæ unicus Pæon.
Scenæ Latinæ impendis ac tuo Plauto,
Iniqua passo plurima à vetustate,
Et gente barbarâ, inficetâ, & insulsâ.
Gnavam quidem operam contulere non pauci;
Taubmannus etiam, candidissimum pectus,
Suo labore, industriâ suâ effecit,
Vt melius esset elegantiæ Patri.
At postquam abivit, unde non redit quisquam;
Passim sinistra liberalitas vulgi,
Nugas meras ineptiasq; suffundit.
Non pateris hoc, Grutere, sed simul Plauto
Tuoq; amico serius venis vindex;
Maculisq; cunctis sordibusq; detersis,
Vtrumq; famæ seculoque commendas;
Nil contremiscens obstrepentium voces:
Qualis caballus præterit levem turbam
Canum insequentum, despicitq; latratus.
En ut triumphat Vmber! ut novo cultu
Vadit decorus! Scilicet bonum factum est.
Venerem jocosq;, & elegantiam linguæ,
Salesq; doctos, & facetias Plauto;
Taubmanno, amato quondam Apollini & Musis,
Nunc cælum habenti, vindiciq; Grutero
Debere posthac nos fatebimur Plautum.

HEINRICUS ALBERTIUS
Hamilton Danus.

PRomite jam Charites thesauri quicquid in imo
Mille reservavit clavibus arca Jovis:
Dona tamen meritis Magni sat digna Gruteri
Vix vester potis est accumulare Labor.
Ille Salus Livî, Taciti, Crispiq; Salustî;
Ille potens Senecæ Phœbus utriq; fuit.
Ille Quirinalis Suadæ Sophiesq; parentem
Ad majestatis stemmata prisca tulit.
Quid reliquos memorem, quibus est Podalirius alter?
Quid proprii Genii dia reperta canam?
Jam Plauti numeros afflictos eripit atris
Intuergæ ocypetes unguibus, arte novâ;
Nec sinit Heroum fædari nomina sancta,
Queîs vitæ debet jure Poeta decus,
Et licet insanum perjura Calumnia ringat,
Perficit eximii grande laboris opus.
O opus æternâ salve venerabile Famâ,
Quod foveat niveo casta Minerva sinu;
Quod fuget ignavas iterum Phlegetontis ad undas
Barbariem & fraudes, spurce Paree, tuas.
Fallor? an Elysiis tum te legat Umber in umbris
Exsultans choreas mille decenter agat,
Ipseq; te excipiat gratis Camerarius ulnis,
Et meriti testem gaudeat esse sui?
Fallor? an ille, cui studiosa Peristera nomen,
Dum fieret Dominæ serva columba, dedit,
Innumeris etiam tibi plausibus oscula figat,
Et BENE GRVTERVM voce frequente canat?

O opus æternâ salve venerabile famâ,
Ad cæli zephyrus te tabulata vehet,
Inter & astrorum fulgebis amabile flamas,
Quà micat Orpheæ nervia clara lyræ.
Quò tamen Intuergus posthac se vertat Alastor,
Qui malè GRUTERUM calce ferire cupit,
Et decus istius lutulari Semonis optat?
An sacrata Bonæ Mentis asyla petat?
O nimis infelix! ea non infamia cœli,
Ut tanti custos ulla sit ara mali,
Incolumisq; Deûm tutelâ floreat ista
Impietas, Pluto quam nec amare potest.
Lætiùs ad nullas tollunt sua brachia pœnas
Fumida matrimi triga ministra Dei.
Quumq; priora nimis pro crimine mitia culpent,
Quarta novo fabricant robore tela Jovi.
Scilicet est etiam Majestas enthea, per quam
Principis atq; Patris jura Magister habet.
Talia jura Themis jubet illibata teneri;
Flagra reis Nemesis vibrat, Erynna faces.
Dî tenuis terræ duro sine pondere tegmen
Inq; urnâ æternum Ver croceumq; nemus
AUGUSTI servant umbris, Macediq; MONARCHÆ,
Quos præceptorum tantus honorat Honos!
Sic, quibus ingratam virosa Philautia mentem
Ambitioq; ferox à Pietate rapit,
Nullaq; Doctorum frenat Reverentia, frustra
Manibus & superis thura merumq; ferunt.
Sunt onus ac odium matris telluris, aduncâ
Dum netiis Lachesis stamina pulla manu.

Denique ab Elysiis pulsi post fata virectis,
Tantali erunt socii Sisyphiique gregis.
Alecto stygiis ibi nudat corpora virgis,
Ut scelerum numeros carnificina probet.
Altera Tartareos discerptis artubus angues
Pascit & infernas ventre saginat aves:
Tertia Letheo coquit anxia pectora aheno
Mille aliis lentè plectitur umbra modis,
Suppliciisq; novis plenam quatit Æacus urnam,
Et varias sortes ingeniosus agit.
Cogitet hæc MAGNVS CVMANI FRATER ASELLI;
Flagitii speculum consulat ipse sui.
Pompa parata venit; vivi jam funeris aram
Ipse sui cernit; vitta revincta decet;
Ipse suum jugulum quibus offerat hostia dura
Jam cernit cultros; jam rata vota capit.
At tu SERVATOR DECIMÆ TER MAXIME MVSÆ
O SACER ORBIS AMOR, O SACER ORBIS HONOR
JANE GRVTERE fave. miseri miserere, nec IBIN
Fac iræ celebrem nobilitate tuæ.
Verberat indigne Pygmæum Pelias hasta;
Impare congressu nulla corona datur.
Tu Doctrinarum clypeo septemplice tectus,
Lorica famæ tu meliore gravis,
Victor Io juvenis debellasti omnia monstra:
Quem non invicti terreat umbra senis?
Pro te perpetuò Pietas fortissima pugnat,
Et conjurati candor & alma Fides
Ipsa Themis proprio tibi militat ense, quis ausit
Hiscere Mars contra teq; tuosq; Deos

Sic est; tota lubens tibi cœli curia servit,
Quum meriti maneat semper in ære tui.

Melchior Adamus.

SIC est: Herculeis majores mente labores
Cordatus imponit sibi:
Qui veteres critica
It depurgatum scriptores falce: tenebris
Lucem additum: palantia
Conveniente loco
Dispositum. Hic animum censoris sumit honesti;
Et erudito pectore,
Iudicioque cato,
Arcet barbariem priscis auctoribus, olim
Bardâ affricatam dexterâ,
Perpetuove situ.
Talis Aristarchus, GRUTERE ter optime, dudum
Audis bivertice in jugo,
In Clariisque choris.
Proin Musæa tuis applaudunt amphitheatra,
Faventque utroque pollice
Nisibus eximiis:
Quos exantlasti, dum mendas undique tollis.
E Sarsinatis dramate,
Delicio Latii.
Ergo monstrorum domitor, victorque decorus,
De tot triumphas hostibus
Judicio critico.

AUGUSTUS BUCHNERUS.

O roſeam cæco lucem qui dividis orbi,
Et novus usque oreris, & vetus usque manes.
Qui ventura rotas decurſaque ſecula condis,
Omnia quique audis, omnia quique vides.
Gentis Achemeniæ ſeu te Titana vocari,
Seu Nili potius more Serapin, amas.
Nomine vel quo te taciti ſub rup. bus antri,
Perſei celebrant diſſona ſacra Magi.
Come ſerenatum radiis candentib. axem,
Et jubaris totum nunc age pande decus.
Aufugiant nubes, ſudo ſtent aere venti,
Et feſtâ cœlum rideat omne face.
Romani pater ecce chori lætæque Thaliæ,
Nunc iterum ê fœdo ſublevat ora ſitu.
Et clarum tentare diem, ſua cernere PLAUTUS
Sidera, & innumeros it hilarare modos.
Quali olim læti plauſit cortina theatri,
Dulcia quum argutis ſolveret ora jocis.
Jamque merebatur Latios docuiſſe lepores,
Romulaque Aonias verba ſonare Deas.
Nam quicquid rudis inſipidi vecordia ſecli,
Indoctæ quicquid ſubſtituere manus,
Et creperas certæ tenebras obducere luci,
Hei nimis infauſto ſidere nata cohors,
GRUTERI pia cura mei projecit, & omnes
Eluit & ſordes, eluit & maculas,
Ingenuumque decus priſcoſque reduxit honores,
Ut recidiva ſeni lux genitalis eat.

Invaſit

Invasit Superos mercedemque astra recepit,
Cui nox nascendo non fuit una satis,
Postquam illi Elei claustra expurgata tyranni,
Et Diomedéis mors data digna feris.
Ætoli quum terror agri Nemeæque jaceret,
Atque hydra innumerâ peste recincta caput.
Quique in tergeminum collum surgebat Iberus,
Quæque diem terris eripuistis aves.
At quæ digna tuis solvemus præmia curis,
Qui tot quottidie monstra GRUTERE domas?
Qui tot quottidie lucem vitamque reducis,
Quos habuit magnos Roma vetusta viros?
Quorum animis stetit innitens Sapientia, quorum
Pectore manarunt divite linguæ opes;
Queis sine vix verum, vix possis discere honestum,
Quicquid & antiqui temporis acta regunt.
Ecce, iterum æterni tibi TULLIUS oris honores
Exerit, & Latio dat sua frena foro.
Aut pia Socraticæ relegens monumenta senectæ,
Mentibus instillat dia reperta Sophûm.
tat SENECA & pictis modo vinctus crura cothurnis
Medeæ ingenti detonat ore nefas:
unc ferit intonsi præcepta animosa magistri,
Et superis gaudet proximus ire Diis.
n placet & CRISPI brevitas, & copia LIVI,
Quoque olim nituit FLORUS honore, viget.
TACITUM terimus, strictæ quum pondera mentis
Per genium meruit rursus habere tuum.
miratur PLINI ediscitque juventus,
Qui fueras paucis cognitus ante viris:
an & veteris male-noti Rhetores ævi,
O nimis in laudes ingeniosa cohors,

Noste

Nocte jaceretis dubia, nisi dextra GRUTERI
Vobis salvificam ferre parasset opem.
Nunc arguta juvant ridentis Carmina Mimi,
Et sapit ad Tragicum Musa pedestris Epos.
Quæque diu jacuit lacerata, male-utilis, excors,
Per te Bilbilici sicca Camena valet.
Nec labor ista tibi: quemcunque attingere raptim
Dignaris medicam percipit illicò opem.
Testis eris tenerum cui dictat Delia carmen,
Dum nitet exiguo pauper ab igne focus.
Et quem prima suis tentavit Cynthia ocellis,
Contactum nullis ante. Cupidinibus.
Et si quos olim felix suspicio juvit
Turpiter adfectis facta medela locis.
Nec tantum servas homines, tibi saxa revivunt,
Et quicquid rapuit temporis ira redit.
Quosque olim mendax frustra jactavit honores,
Nunc ÆTERNA audit munere ROMA tuo.
Sive Pater vatum mentem inspiravit Apollo,
Et tibi quæ fuerunt omnia nosse dedit,
Seu tacitus Serpens, qui se revomitque voratque,
Reclusit claustri furta verenda sui,
Teque docet Natura parens, ut cuncta patescant,
Et quicquid latuit proruere omne queas,
Miranturque herentque & se vix posse fatentur
Reddere par meritis orbis & astra tuis.
At tu festivi risus plaususque theatri,
Fortunæ tantis gaude, age PLAUTE, bonis.
Istis Vindiciis Latiæ te gloria linguæ,
Perpetui & fasces cum CICERONE manent.

ALIUD

ALIUD.

Quum fera TAUBMANNUM rapuissent pensa sororum,
Jamq; ille Elysias tenderet umbra plagas,
MARCULUS invasit decimæ mox regna Camenæ,
Affectans Critici Sceptra tenere chori.
Quid fieret? toto fugiunt simul orbe lepores,
Et quærunt plausus mœsta theatra suos.
Obscenum auditur murmur, sub nocte silenti,
Quale gemunt diræ per tumulos Lamiæ:
Aut quum de celsis templorum turribus omen
Horrendum populis Attica mugit avis.
Viderat indignans GRUTERI nobilis ardor,
Et quid io hunc Verrem sic patiemur, ait,
Musarum vexare hortos, violaria Phœbi,
Queis Venus Idalias post habet ipsa rosas?
Non ego: tollendum maturè hoc dedecus ævi:
Sera salus noxæ sæpius instar habet.
Talia perstabat generosâ fervidus ira,
Et nota in Pecudem fortiter arma movet.
Nec mora, rarescunt tenebræ, Sol aureus exit,
Et passim resonant mellei, ut ante, joci.
Quiq; modò magnum spirabat corde tyrannum,
Ad scholicos recidit, pristina regna, foros.
Disce tuos humeros, & quod pote MARCULE tenta:
Trita manus ferulis non bene sceptra gerit.

DAN. HEINSII

In obitum Clarissimi Viri FRIDERICI TAUBMANNI, cùm ab eo Plautum manu morientis inscriptum, & ad se remissum accepisset,

ELEGIA.

QUALIS mœsta parens cùm jam suprema minatur
Atropos, & vergit non reditura dies,
Exiguum charæ munus dat & oscula natæ,
Atque ait, hoc nostri pignus amoris habe.
Illa datum servat, matremque agnoscit in illo,
Et matris, parvum sit licet, instar habet.
Non aliter sævi Taubmanne in limine fati,
Cum premeret sacrum mors inimica caput,
Inscriptum nostro misisti nomine vatem,
Qui tibi deliciæ qui comes usque fuit,
Qui tibi longævam ventura in sæcula vitam,
Nec leve post cineres nomen habere dedit.
Agnovi dulcemque manum ductusque labantes,
Qui puto jam dextræ deficientis erant.
Hæc quoties specto, toties Taubmannus in illis
Spirat, & ante oculos ceu redivivus adest.
Sæpè etiam lachrymæ mœsto labuntur ab ore,
Et subeunt animo mors pietasque meo.
Et subit ista fides: quam nunc post fata superstes,
Blandus in Elysia valle poeta colis.
Hic tua victuri veniunt ad fœdera vates,
Et jungit teneram quælibet Umbra manum,
Occurruntque tibi pars priscæ munia vitæ,
Pars Musam & studium, pars rogat una domum,
Injiciunt alii sertos in tempora flores,
Dant alii, quales sponte ministrat humus.
Deducunt alii, longaque exercita febri
Membra sub arboribus sub foliisque locant.
Hic suavem Zephyrus venienti assibilat auram,
(Hos Zephyrus campos hæc loca semper habet)
Frigoraque indulget, sed mitia. totaque Phœbi
Ardentis radios telaque nescit humus.

Laurus

Laurus humum viridesque involvunt undique myrti,
Illa domus vates hospitiumque tenet.
Quaque sedent, violis sudat pia terra rosisque,
Et calcant teneras sub pede veris opes.
Namque ubi mane novo pulchrum caput extulit Eos,
Ros cadit assiduus, totaque terra madet:
Quotque cadunt guttæ, totidem sine semine surgunt
Ingenui flores, quos suus humor alit.
At super, impendent capiti cum vitibus ulmi,
Quæ plenum gestant nectare semper onus:
Sed quod sponte viris summo de stipite manat,
Et Ganymedea non eguere manu.
Nec cibus ullus adest, nec abest tamen. Invida nusquam est,
Apponitque suas terra benigna dapes.
Talia Saturno duxit sub rege vetustas
Tempora, cùm terræ mixtus Olympus erat,
Errarentque Dei passim: contentaque parvo
Nullarum probitas non foret instar opum.
Sub lauri foliis densaque à vitibus umbra,
Crystallo quavis purior unda cadit.
Lympha cadit prono de pumice. quaque virentem
Sulcat humum, trepidat: nec leve murmur abest,
Quale ubi vere novo cinxere examina regem,
Certant unanimes edere murmur apes.
Hac, si vera canunt, quisquis se proluit unda,
Oblitus vitæ fata prioris agit.
Et tristes gemitus lacrymasque è pectore delet,
Nec memor est lethi, nec memor ipse sui.
In medio, Phœbi gelida de fronde corollam
Nectit, & è myrto pulpita condit Honos.
Illic innocui recitant sua carmina Vates.
Pars Elegos, sed quos scribere jussit Amor,
Pars Sylvas faciles natosque ex tempore lusus,
Pars ignes Lyricos, pars Epigramma canit.
Hic sedet & priscos Lotichius ardet amores,
Hoc nullum majus gens tua nomen habet.
Nec negat hoc Naso, lateri cui proximus hæret,
Nec negat hoc Nemesi nunc quoque junctus amans.
Nec negat hoc Veneris puer & Cythereïa mater,
In terris alium vix habitura parem.
Assidet & totis indulget basia labris,
Aut junctum in chorea fert Tunicata pedem.
Claudia quam sequitur rivalibus æmula curis,
Primus amor vatis priscaque cura sui.

Ille

Ille manu medica Phœbique potentibus herbis
Sæpe aliquam vellet quærere læsus opem.
Mox ubi pulchra videt ridentis lumina Nymphæ,
Gàudet, & ardori jam favet ipse suo.
Exulat è toto funesta Tragœdia luco,
Et quæ sanguineas cogit in arma manus.
At festiva sedet lepido Comœdia vultu,
Nixa pedem socco, cætera repit humi.
Hanc colit ante omnes Vmber tua gaudia vates,
Quem decimam credunt ex Helicone deam.
Cui Veneres omnes, omnes risere Lepores,
Forsitan & palmam Græcia victa dedit.
Nunc quoque si quando redeunt ad pulpita ludii,
Haud mora, quæque suam deserit Umbra domum.
Et spectaturi properant per gramina Manes,
Ipse quot immensus gramina campus habet.
Hunc sequeris passim viridem Taubmanne per herbam,
Seu consedit humi, sive theatra petit.
At te simplicitas sequitur, Risusque Salesque,
Viventi comites qui tibi semper erant.
Festivisque jocis, quorum tibi copia larga est,
Elysio nulli cedis in orbe locum.
Vel tibi suppeditat faciles Elegeïa versus,
Ad numeros qualis nunc mihi sponte venit.
Vel cœlo propiora canis terramque perosa,
Sæpe Dei natum carmine, sæpe Deum.
Qualia cantantem mirata Galægia quondam
Imposuit capiti debita serta tuo.
Quicquid agis, dum lacte tibi blandoque litamus
Carmine, formosam linque poeta nemus.
Ipse ego constituam tumulum tibi mœstus inanem,
Quotquot erunt anni, parvaque dona feram:
Pallentes oleas nec tactas frigore lauros,
Delius has, illas flava Minerva colit.
Et, quæ cæsa semel non est victura, cupressum,
Et gratum lacrymas quæ tibi munus erunt.
Eliciamq; tuam verbis solemnibus Umbram,
Nec Ditis rigidas experiere fores.
Scilicet Orpheæ dedit hoc Proserpina Musæ,
Cum rite Ismarium sollicitaret ebur.

M. AccI PLAUTI COMICI AMPHITRUO.

ANTIQUARUM Lectionum discrepantias, quas CAR. LANGIUS *è tribus MSS. exemplaribus digessit, pro thesauro habuêre* J. GULIELMIUS, *& alter ille à Camerario Plauti Sospitator* JANUS GRUTERUS. *In iis legitur titulus:* PLAUTI ASINII AMPHITRIO. *Et* ASINII *quidem cognomentum Plauto in omnium Fabularum titulis ibi tribuitur. Quod à librariis veteribus factum arbitratur* J. Meursius, *& scriptum fuisse,* PLAUTI ASINI: *quia de pistorum esset prosapiâ. Nam olim,* inquit, *qui in pistrino laborabant, quòd idem illis incumberet labor ad trusatiles molas, qui asinis ad versatiles, per convitium* Asini *audiebant; & molæ quoque contemptim* præsepia. *Ex quo fortè & exaudiendus locus Curculione, Act. 2. Sc. 1. v. 13.*

PLAUTI *verò nomen unde sit, P. Festus docuerit.* PLOTI, *inquit ille*, appellati sunt Umbri, (*hinc Scaliger colligit* Plotum *esse Umbricam vocem*) pedibus planis quòd essent. unde soleas dimidiatas, quibus utebantur in venando, quò planius pedes ponerent, vocant semiplotia: & ab eâdem caussâ M. Actius Poeta, quia Umber Sarsinas erat, à pedum planicie initio Plotus, postea Plautus cæptus est dici. HADR. TURNEBUS, *Crediderim*, inquit, *è Græco per antistœchum esse deductum, à calcei genere, qui ab illis πλαύτη & πλαύτιον dicitur, quod* sandalium *est. Sed & à Latinis soleæ venatorum dimidiatæ* semiplotia *dicebantur*, ἡμιπλαύτια. *In*

antiquo tamen Lexico plancus *exponitur* βαρύωπος, *ab aurium latitudine: & in Festo scribitur;* Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt & flaccidæ, & latiùs videntur patere. Pedo *quoq;* πλατύπους *declaratur: ut* Scaurus σκαμβὸς σκέλος, στρεβλόπους. Adversarior. lib. & cap. XIX. *Utrum verò* Accius *an* Attius *scribi debeat, disputatur Prologo Mercatoris.*

ARGUMENTUM FABULÆ.

Auctore Joach. Camerario.

Cujus quidem Auctoris & cæterorum deinceps Fabb. Argumenta repræsentabimus.

HUJUS Comœdiæ argumentum est in granditate quâdam admodum ridiculum. Traduxit enim Poeta tragicum argumentum in Scenam Comicam. Atque est Fabula illa nota, Jovem adamasse Alcumenam, quæ esset nupta cum fratre patruele Amphitruone. Fuit enim, secundum Poetas, Jovis & Danaes filius Perseus, & cum hoc nupta Andromeda Cephei filia. Horumq; filii Alcæus, Sthenelus, Mestor, Electryon, & filia Gorgophone. Alcæi autem filius Amphitruo; & Electryonis Alcumena ex filiâ Pelopis, quam fuisse ajunt appellatam Lysidicen. Cum autem interfecisset Electryonem, qui Midiam tenuerat, Amphitruo, contulit se cum uxore Thebas, desponsâ quidem sibi; sed cui promisisset juratus, se priùs velle ulcisci cædem fratrum ipsius, quàm nuptiis ejus potiretur. Ii fuerant à Taphiis, qui & Teleboæ, interemti. Adversus hos profectus, quâ nocte, bello confecto, rediit; eâ concubuerat cum Alcumenâ Juppiter, de quo Hercules; concubitu autem viri, Iphicles conceptus fuit. Sed Plautus tempora & rem commiscuit, & fabulis involvit. Nam apud hunc decimo mense post nuptias revertitur Amphitruo, relictâ gravidâ domi uxore. Juppiter autem tribus noctibus in unam congestis, quâ nocte Thebanum solum attigit Amphitruo, eâdem ex Alcumenâ voluptatem capit, quam prægnantem fecisset mense antè septimo: atque ea uno posteà partu & humanum & Jovialem fœtum enisa fuit. Hæc autem habent insertas varias ac multiplices ludificationes & frustrationes & errores, quibus cum singulari festivitate dilatatur argumentum. Et est fabula hæc imprimis referta facetis dictis atq; jocis. Res agitur Thebis. *Prologus* est Mercurius, servili personâ ac habitu, quasi Sosia Amphitruonis. Quod nomen boni ominis à salute ac conservatione factum est: Σωσίας ἀπὸ τοῦ σώζεσθαι, ut Λυσίας ἀπὸ τοῦ λύεσθαι. Ἀμφιτρύων, à circumfluentiâ laborum, Ἀλκμήνη, quasi ἀλκιμήνη, de vi & vehementiâ fortitudinis facto nomine. βλεφάρων, à palpebris, παρωνύμως. *Bromia* à βρόμος, fremitus, &c. *Creo* est κρέων, id est, *regnator.*

ALIUD.

ALIUD.

Auctore Jano Parrhasio.

PERSEUS ex Andromedâ filios genuit quatuor, Alcæum, Sthenelum, Mestorem & Electryonem. Ex Alcæo natus est Amphitryon: ex Sthenelo, Eurystheus: ex Mestore, Hippothoë: ex Electryone, Alcmena, Stratobates, Gorgophonus, Philonomus, Celenopheus, aliique: & in iis Lycimnius ex Medeâ Phrygiâ concubinâ. Filia verò Mestoris Hippothoë à Neptuno compressa, peperit Taphium: qui τηλεβάς, id est, *longè proficiscens* à patriâ, potitus Echinadum, quæ sunt insulæ in orâ Acarnaniæ, earum incolas à suo nomine *Taphios*, ab eventuque *Teleboas* appellavit. Is Taphius habuit filium Pterelam, cui Neptunus avus concessit invictum fore, donec incolumis in ejus capite fatalis quidam staret crinis: hujus Pterelæ F. fuit Cymætho: mares autem liberi, Chromius, Tyrannus, Ampelus, Chersidamas, Mestor, Everes. Hi quum venissent Argos ad Electryonem, qui tum regnabat, ab eoque repetissent Hippothoæ proaviæ bona, repulsamque tulissent, ad vim conversi, quum boves abigerent, propugnantis Electryonis F. confertâ manu omnes utrinque ceciderunt, excepto Lycimnio: Teleboæ nihilominus abactos ab se boves apud Polyxenum Elidis in Arcadiâ regem deposuerunt: quos Amphitrion à Polyxeno receptos, Electryoni patruo restituit. Is avidus ultionis, Amphitryoni despondet Alcmenam in spem successionis in regnum, si per eum Teleboas in deditionem redigeret. Igitur Amphitryon quum boves ab Electryone ex sponsu reciperet, ac unam ab armento deerrantem misso telo cogere voluisset, frustrato ictu percussit interfecitque Electryonem. Quamobrem Argis ab Sthenelo pulsus, ad Creontem Thebarum regem confugit: à quo à cæde expiatus, impetravit auxilia: ascitisque in societatem militiæ Cephalo Dejonei, Panopeoque Phoci filiis, exercitum duxit in Teleboas, quos proditione Cymæthûs expugnavit: quippe quæ Cephali amore capta, Pterelæ patri fatalem capillum succidit: ut Ovidius etiam meminit in Ibin. Juppiter interea quum statuisset terrarum cælique vindicem producere, desiliit in Thebarum montem nomine Phicium, sumptâque Amphitryonis humanâ formâ, comite Mercurio, qui Sosiæ specimen gerebat, ad Alcmenam penetrat: tribusque noctibus in unam collatis, ampliore voluptate fruitur: unde mox editus est Hercules. Amphitryon autem quum partâ victoriâ reversus, in Eubœæ freto staret in anchoris, Sosiam servum præmisit, qui certiorem faceret Alcmenam de rebus ab se prosperè gestis, adventuq; suo. Sed is exclusus ab altero Sosiâ, id est, Mercurio, qui pro foribus excubabat, ad herum rediens, omnia quæ passus erat, indicavit. Amphitryon mentitum ratus, domum properat: ab Alcmenaq; conviciis exceptus, abiit ad naves. Interea Juppiter sub Amphitryonis imagine placat Alcmenam. Sed ecce tibi verus Amphitryo cum Blepharone arbitro supervenit: qui quum discernere nequiret, uter esset Amphitryo, alter alterum pro mœcho prehendere contendit. Interim misso tonitru quum

attonitus Amphitryo procidisset, Alcmena ex Jove enixa est Herculem, ex Amphitryone Iphiclum. Hæc ex Aspide Hesiodi, Lycophrone, Apollonio, eorumq; Interpretibb. Diod. Siculo, & aliis. *Hæc Parrhasius.*

Jul. Cæs. Scalig. lib. 1. Poët. cap. 7. FESTIVE *(ut solet) Plautus Amphitruonem suam Tragicocomœdiam appellavit: in quâ personarum dignitas atq; magnitudo Comœdiæ humilitati admista essent.*

Hadr. Turnebus Advers. lib. 30. cap. 34. AMPHITRUO *Plauti & genera loquendi & jocorum argutias habet, quæ tenebras offundere lectoribus possunt.*

L. Cælius Rhodig. AMPHITRUONEM Plauti à calumnia vindicat, Antiq. Lect. lib. 21. cap. 20.

DRAMATIS PERSONÆ.

SOSIA.	MERCURIUS.
JUPPITER.	ALCUMENA.
AMPHITRUO.	THESSALA.
BLEPHARO.	BROMIA, *ancilla.*

ARGUMENTUM.

IN FACIEM vorsus Amphitruonis Juppiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hostibus,
Alcmenam uxorem cepit usurariam.
Mercurius formam Sosiæ servi gerit
Absentis: his Alcmena decipitur dolis.
Postquam rediere veri, Amphitruo & Sosia,
Uterque luduntur dolis mirum in modum.
Hinc jurgium, tumultus, uxori & viro.
Donec cum tonitru voce missâ ex æthere,
Adulterum se Juppiter confessus est.

COMOEDIA à Sapientibus definita est, *ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχὴ, Privatæ civilisq; fortunæ sine periculo comprehensio.* Quam tamen communem sui carminis legem & Aristophanes & Plautus interdum migrant, cùm deos, heroas, reges in dramata sua admittunt. Etsi idem & alios è Græcis factitasse, ad Athenæum observat *Is. Casaubon. & Jul. Cæsar Bulengerus de Theatro.* Quanquam J. Cæs. Scaliger lib. 1. cap. 5. Poet. hanc definitionem *Comœdiæ* castigat, atque ita potiùs definit, quòd sit *Poëma dramaticum, negotiosum, exitu lætum, stilo populari.* Vide ibidem. Ciceroni, apud Donatum, *Comœdia est imitatio vitæ, speculum consuetudinis, imago veritatis.* D. Hieronymus Epist. ad Furiam: *Comici finis est, humanos mores nosse, atque describere.*

Hujus autem Comœdiæ Argumenta duo sunt, haud dubiè à posterioribus, ut & illa

illa reliquarum, composita. Et sunt, qui Priscianum auctorem censeant, eorum præsertim, quæ habent ἀκροστιχίδα nominis Fabulæ. ARGUMENTUM (*inquit J. C. Scaliger*) nova sanè res, neque necessaria; nisi in Fabulis, quarum Prologus aliud agit, neque in *Protasi* continetur. *Lib. 1. cap. 9. Poëtic.*

IN FACIEM VORSUS AMPHITRUONIS] In MS. Frising. quem comitate ampliss. viri *M. Velseri* habebam, notarat *Jo. Sambucus* legi; *In faciem Amphitrionis vers.* Et ubique scribi, *Amphitrio*: planè ut in MS. Camerarii.

JUPPITER] Ita ubique MSS. Camer. & Palat. quartus: alii verò omnes, *Jupiter* unicâ litterâ. *Grut.*

B

DUM BELLUM GERERET CUM TELEBOIS H.] Hæc clara sunt è prædictis Camer. & Parrhasii. Capreas Telebois habitas C. Tacitus tradit. 4. Annal. ubi & Lipsium vide, & Interpret. ad illud Virgilii 7. Æneid. *Teleboûm Capreas dum regna teneret.* unde Ausonius *Teleboas* pro *Capreis* posuit: *viridesq; resultant Teleboæ.*

V. 3. ALC. UXOREM CEPIT USURARIAM] *Uxor usuraria*, mulier ea est, quâ quis utitur; quamque accipit velut mutuaticiam: ut *pecunia usuraria*, quæ ad usum accipitur mutuo. Sic de Hebudibus Solinus: *Nulla datur*

A

fœmina propria (sc. Regi) *sed per vicissitudines in quâcunq; commotus fuerit, usurariam sumit, &c.* Turnebus Advers. lib. 3. cap. 12. Vide & B. Brisson. itemque Hotomanum, *de Ritu nuptiarum*: ubi de his accuratissimè disputant. *S. Ulr. Pistoris* allusum putat ad illud matrimonii contrahendi genus, quod *Usu* dicebatur. nam tribus modis uxor habebatur: *Usu, Confarreatione, & Coemptione.* Videatur Cic. 1. Topic. & ad eum Interpp. ut & Ulpianus tit. IX. sed & Lipsius ad IV. Annalem Taciti: Jam illud, quod *usu* tantùm erat, quam minimum vinculi conjugalis habebat. talis igitur uxor Alcumena Jovi fuerit.

CEPIT] Palat. MS. tert. hoc habet notabile, quòd *caepit* scribit & *cœpit*, habitâ ratione significationis diversæ. Prologo: *Is amare cœpit Alcumenam clam virum, Usuramq; ejus corporis cæpit sibi.* Gruterus.

8. TUMULTUS] J. Douza: Vulgò omnes existimant, Ciceronem hujus vocis originationem deducere à *timore multo.* mendosè. potiùs à *tumore* tumultum ab ipso derivatum, dejerare vel Jovem lapidem paratus sum. Sic Cic. lib. 14. Attic. 5. & 4. *tumorem rerum* iterat: item, *negotia tument.* Et, *tumet provincia.* Sic apud Propert. lib. 2. El. 16. *custodum tumor*, est densa corona & fretum illud turbæ. Facit hîc cum Douzâ *Vossius* Institut. Orator. lib. 4. cap. 1.

ALIUD.

AMORE captus Alcumenâs Juppiter,
Mutavit sese in ejus formam conjugis,
Pro patriâ Amphitruo dum cernit cum hostibus,
Habitu Mercurius ei subservit Sosiæ:
Is advententeis, servum ac dominum, frustra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo: atq; invicem
Raptant pro mœchia. Blepharo captus arbiter,
Uter sit non quit Amphitruo decernere.
Omnem rem noscunt: geminos Alcmena enititur.

ALCUMENAS] Genitivus antiquus, more Græcorum. Nævius: *- bicorpores gigantes Filii Terrâs.* Virgil. Æneid. 11. *- nihil ipsa nec aurâs Nec sonitus memor.* *Familiâs* hodieque durat.

V. 3. DUM CERNIT CUM HOSTIBUS] Ennius: *Ferro, non auro, vitam cernamus utriq.*

A

Lucret. lib. 4. *Nautæ cum ventis contractum cernere bellum.* Virgil. 12. Æneid. v. 709. *Inter se coiisse viros, & cernere ferro*, pro; *decernere*, ut Seneca epist. 58. explicat. *Cernit* autem *vitam*, qui constituit eam in dimicationem & discrimen adducere, & qui de eâ paratus est disceptare atque *decernere*, auctore Var. lib. 5.

A Et quod Latinis *Cernere* est, id Græcis κρίνειν: unde & origo ejus: quomodo *Crimen* & *Crines*. *Turneb*.lib.26.c.32. & *Scalig*.*in Conjectaneis*. Dousa *Cerno* frequentativum ʒ *Certo* esse suspicatur.

5. FRUSTRA HABET] i. frustratur. & ita *Membranæ septem*, quas excussit Gruterus: item primaria editio Georgii Merulæ Alexandrini. *J.Gul*. è membran. Bapt. Pii volebat, *flocco habet*. Sed hoc iterum explodit B *Acidalius*; & rectè. cùm hic non despectûs res sit, sed ludificationis tantùm.

6. INVICEM RAPTANT PRO MOECHIS] Sic, *Raptare pro scelesto*: &, *Raptare in crimina divos*, apud Propert. lib.3: 9. utrunque est idem, pro, *convitiari*, *mala ingerere*: Palmer. Spicileg. V.N. Milite act.2.6.

8. NON QUIT DECERNERE &c.] J. Meursius hæc ita constituit: *Uter sit Amphitruo, non quit dec*. vel (ut Douza l.) *discernere*. Concinnè autem (liceat hoc obiter addere) *Blepharonis* nomen factum est à *superciliis*: Judices enim debent esse *vultuosi*. Sic *frontem vultuosam* dixit Apul. ita Euripid. in Rheso: Λῦσον βλεφάρων γοργωπὸν ἕδραν. i. *Solve trucem sedem palpebrarum*. Etiam *supercilium* pro severitate ponitur, ut Martial.1. ad Cæsar. *Terrarum dominum pone supercilium*. Cicero in Pisonianâ: *Ut illo supercilio tanquam Rhadamantus ille niti videretur*.

9. OMNEM REM] κατ' ἐπισυναλοιφὴν spondeus, *Omnem rem*: Camer.

PROLOGUS.

MERCURIUS.

Ut vos in vostris voltis mercimoniis
Emundis vendundisq; me lætum lucris
Afficere, atq; adjuvare in rebus omnibus:
Et ut res, rationesq; vestrorum omnium
Bene expedire voltis, peregriq; & domi,
Bonoq; atq; amplo auctare perpetuo lucro,
Quasq; incœpistis res, quasq; incœptabitis:
Et uti bonis vos vostrosq; omnis nuntiis
Me afficere vultis: ea afferam, ea ut nuntiem,
Quæ maximè in rem vostram communem sient.
Nam vos quidem id jam scitis concessum & datum
Mihi esse ab diis aliis, nuntiis præsim & lucro.
Hæc ut me vultis approbare, annitier
Lucrum ut perenne vobis semper suppetat:
Ita huic facietis Fabulæ silentium,
Itaq; æqui & justi hic eritis omnes arbitri.
Nunc cujus jussu venio, & quamobrem venerim
Dicam: simulq; ipse eloquar nomen meum.
Jovis jussu venio: nomen Mercurii est mihi.
Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi pro imperio, vobis quod dictum foret,
Scibat facturos: quippe qui intellexerat
Vereri vos se & metuere, ita ut æquum est, Jovem:
Verùm profectò hoc petere me precariò
A vobis jussit leniter dictis bonis.

Etenim

Etenim ille, cujus huc jussu venio, Juppiter,
Non minus quàm vostrum quivis formidat malum;
Humanâ matre natus, humano patre,
Mirari non est æquum, sibi si prætimet.
Atq; ego quoq; etiam, qui Jovis sum filius,
Contagione mei patris metuo malum:
Propterea pace advenio, & pacem ad vos affero.
Justam rem & facilem esse oratum à vobis volo.
Nam justè ab justis justus sum orator datus.
» *Nam INIVSTA ab justis impetrari non decet:*
» *Iusta autem ab injustis petere, insipientia est:*
» *Quippe illi iniqui jus ignorant, neq; tenent.*
Nunc jam huc animum omnes ea quæ loquar advortite.
Debetis velle quæ velimus. meruimus
Et ego & pater de vobis & republicâ.
Nam quid ego memorem, ut alios in tragœdiis
Vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam,
Martem, Bellonam, commemorare quæ bona
Vobis fecissent? quis benefactis meus pater,
Deôrum regnator, architectus omnibus.
Sed mos nunquam illic fuit patri meo,
Vt exprobraret quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur esse id à vobis sibi,
Meritoq; vobis bona se facere quæ facit.
Nunc quam rem oratum huc veni, primùm proloquar,
Pòst argumentum hujus eloquar Tragœdiæ.
Quid contraxistis frontem? quia Tragœdiam
Dixi futuram hanc? Deus sum: commutavero
Eandem hanc, si voltis: faciam ex Tragœdiâ,
Comœdia ut sit, omnibus iisdem versibus.
Vtrum sit, an non, voltis? sed ego stultior,
Quasi nesciam vos velle, qui divus siem.
Teneo quid animi vostri super hâc re siet.
Faciam ut commixta sit Tragicocomœdia:
Nam me perpetuò facere ut sit Comœdia,
Reges quò veniant & dii, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic servus quoq; parteis habet,
Faciam sit, proinde ut dixi, Tragicocomœdia.
Nunc hoc me orare à vobis jussit Juppiter,
Vt conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caveam, spectatoribus.
Si cui fautores delegatos viderint,

Vti

Vti iis in caveâ pignus capiantur togæ.
Sive qui ambissent palmam histrionibus,
Seu cuiquam artifici, seu per scriptas literas,
Sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium,
Sive adeo ædiles perfidiosè quoi duint,
Sirempse legem jussit esse Juppiter;
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.
Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione, neq; perfidiâ. qui minus
Eadem histrioni sit lex, quæ summo viro?
„ *VIRTUTE ambire oportet, non favitoribus.*
„ *Sat habet favitorum semper, qui rectè facit:*
„ *Si illis fides est, quibus est ea res in manu.*
Hoc quoq; etiam mihi in mandatis dedit,
Vt conquisitores fierent histrionibus,
Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent;
Quive, quò placeret alter, fecissent, minus,
Eius ornamenta & corium uti conciderent.
Mirari nolim vos, quapropter Juppiter
Nunc histriones curet. ne miremini!
Ipse hanc acturu' st Juppiter Comœdiam.
Quid admirati estis? quasi verò novum
Nunc proferatur, Jovem facere histrioniam.
Etiam histriones annô cùm in proscenio hîc
Jovem invocârunt, venit: auxilio eis fuit.
Præterea certò prodit in Tragœdiâ.
Hanc Fabulam, inquam, hîc Juppiter hodie ipse aget,
Et ego unà cum illo. Nunc animum advortite,
Dum hujus argumentum eloquar Comœdiæ.
Hæc urbs est Thebæ! in illisce habitat ædibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,
Quîcum Alcumena est nupta Electri filia.
Is nunc Amphitruo præfectu' st legionibus.
Nam cum Teleboïs bellum est Thebano populo.
Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum,
Gravidam Alcumenam uxorem fecit suam.
Nam ego vos novisse credo jam ut sit pater meus;
Quàm liber harum rerum multarum siet:
Quantusq; amator siet, quod complacitum est semel.
Is amare occœpit Alcumenam clam virum,
Vsuramq; ejus corporis cepit sibi,
Et gravidam fecit is eam compressu suo.
Nunc, de Alcumenâ ut rem teneatis rectiùs,

Vtrinq; est gravida, & ex viro, & ex summo Iove.
Et meus pater nunc intus hîc cum illâ cubat:
Et hæc ob eam rem nox est facta longior,
Dum ille, quâcum volt, voluptatem capit.
Sed ita assimilavit se quasi Amphitruo siet.
Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quòd ego huc processi sic cum servili schemâ,
Veterem atq; antiquam rem novam ad vos proferam:
Propterea ornatus in novum incessi modum.
Nam meus pater intus nunc est, eccum, Iuppiter:
In Amphitruonis vortit sese imaginem,
Omnesq; eum esse censent servi, qui vident:
Ita versipellem se facit, quando lubet.
Ego servi sumpsi Sosiæ mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abiit hinc exercitum:
Vt præservire amanti meo possem patri:
Atq; ut ne, qui essem, familiares quærerent,
Versari crebrò hîc cùm viderent me domi.
Nunc cùm esse credent servum, & conservum suum,
Haud quisquam quæret qui siem, aut quid venerim.
Pater nunc intus suo animo morem gerit:
Cubat complexus, cujus cupiens maxumè est.
Quæ illi ad legionem facta sunt, memorat pater
Meus Alcumenæ. illa illum censet virum
Suum esse, quæ cum mœcho est. ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hostium ut fugaverit:
Quo pacto sit donis donatus plurimis.
Ea dona, quæ illic Amphitruoni sunt data,
Abstulimus: facilè meus pater quod volt facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,
Et servus, cujus ego hanc fero imaginem.
Nunc internosse ut nos possitis faciliùs,
Ego has habebo hîc usq; in petaso pinnulas.
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso: id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum familiarium
Videre poterit: verùm vos videbitis.
Sed Amphitruonis illic est servus Sosia,
A portu illic nunc cum laternâ advenit.
Abigam jam ego illum advenientem ab ædibus.
Adest: ferit: operæ pretium hîc spectantibus
Iovem atq; Mercurium facere histrioniam.

VOLTIS] Sic Palat. primus, tert. quintus. cæteri *Vultis*; ut & Camer. Adnotatque Palat. tertius: *Lingua Umbrorum vertit V in O: Hetrusca contra A in V.* Grut.

V. 2. ME LÆTVM LVCRIS AFFICERE] Viri docti, *inquit J. Gul.* aut mutant, *lætos lucris Efficere*: aut explicant, *lætum lucris* ἐρῶν τὴν φιλοκερδίαν. neutri benè: cùm *Læti dii*, sint propitii: ut, *omina & exta læta*, quæ *secunda*. contrà, *tristes dii*, irati, apud Propert. Unde patet, *lætum Mercurium* significari propitium, hoc est, bono publico lubentem, ac lætificantem suos Quirites: ab effectu scilicet. Et, *lucris afficere*, ita dictum, ut paulo inferiùs, *afficere præda*. Probat hoc *Janus Dousa*, ut & *Valentinus Acidalius*: luculentiùsq; explicat Matthias Klock JC. qui tamen pro *lætum* legit *fœtum*. Ut enim, inquit, fœneratoribus objicitur, contra naturam esse, nummum nummos parere, (hoc est enim τόκος) sic argutans Mercurius ait suis Mercatoribus: Etsi vir sum, tamen vultis me, converso naturæ ordine, vobis parere, & ex meo ventre lucra fundere. atq; hæc Lectio tanquam unio aliquis, in textum recepta à Pareo: ac quamvis coactus omittere editione secunda, tamen anxiè refert explicatque in notis, veluti nimis ægrè à se dimissam. Sed unicè verum quod vulgatur, *me lætum lucris Afficere*: idque multis probat Pistoris, è suis etiam JCtis, quos ita locutos ait, L. 5. D. Divort. *Si filia iccirco divertat, ut maritum lucro dotis afficiat, &c.* Nostrum, Bacchid. 4: 4. *Spoliis afficere*: & alibi passim.

4. ET VT RES RATIONESQ. V.] Per *Res*, negotia domestica & rem familiarem intelligit: per *Rationes*, nomina, & quæ in codicem Accepti & Expensi referuntur. Jam, *expeditæ rationes*, liquidæ sunt & minimè conturbatæ: contrà, *impeditæ*, ubi plus aliis debemus, quàm alii nobis; atque adeò solvendo non sumus. Cic. lib. 10. Famil. *expeditas rationes habere*: & lib. 16. ad Att. *Nomina expedire, & exsolvere*, dixit. Hæc ex ubertate Lambiniana. Porrò, quid sit, *Expedire rationes*, &, *Conturbare rationes*; &, *Conturbator aper*, apud Martial. docet etiam Turn. l. 4: 15.

5. PEREGRIQ. ET DOMI.] ita est in omnib. Edd. vetustioribus. atque ita legend. docet etiam è MSS. suis Gruterus: item è suis Edit. Meursius, allegans & illud Charisii: *Peregri, in loco; Peregrè, ad locum significat*; itemque

A Notas Cujacii & Hotom. in Institut. Vulgò, *peregrè*.

9. EA VT NVNTIEM] Sic MSS. & edd. vett. nam recentiores *eaq. ut nunt.*

12. NVNTIIS PRÆSIM ET LVCRO] Hæc Mercurii duo officia. Hor. 1. odâ 10: *Te canam magni Jovis & deorum Nuntium.* Vide Stichum, act. 3. sc. 1. Unde & ἕρμαιον dicebant, quod forte fortunâ lucri aut boni obtigerat. Et Persius Sat. V. *salivam Mercurialem* appellat cupiditatem illam devorandi lucri. Dicebatur & σὺν σοὶ ἑρμῆ. Sed &, Κοινὸς ἑρμῆς, partem è lucro fortè fortunâ oblato flagitantis vox erat. Vide *Des. Heraldi* Advers. lib. 2. c. 1. Quin & Augustæ Vindelicorum in ædibus *Peutingerorum*, imago est *Mercurii*, sinistrâ virgulam, dextrâ sacculum nummarium gestans, Vide Commentarios Rerum Augustan. Vindel. *M. Velseri*: item immensum illud Opus *Inscriptionum antiq. Orbis Romani* ab Jano Grutero meo nuper evulgatum: in quo eadem Imago repræsentatur, paginâ L I. Porro Pareus utraque editione auxit versum verbulo, *nuntiis ut præsim*; cum annotatione; Sic Vetus codex, & omnes pariter MSS. Palatini. & sic sanè, neque V. C. neque ullus de sex Palatinis: imò id *ut*, nulla agnoscit editio antiquior. ò fides! ò pudor!
B quo abiistis? & hic tamen alibi invocat fidelissimam suam αὐτοψίαν.

13. HÆC VT ME &c.] Artificiosè concludit inchoatam priùs obtestationem Mercurius: tribusque ferè verbis complectitur, quæ pluribus persecutus fuerat: ne pendeat videlicet, longioris hyperbati vitio, jam inde à principio deducta, porroque ad XVI. usque Senarium continuata sententia. Quale est in Epigrillo Catulli: *Cenabis benè, mi Fabulle, &c.* Dousa.

14. LVCRO VT PERENNE &c.] q. d. Hæc ut vultis me *approbare*, hoc est, vobis dare (nam quæ dii probant, nobis optabilia sunt) atque anniti, ut vobis eveniant; nempe ut perpetuum lucrum suppetat: ita huic facietis Fabulæ silentium. hic est ἀπόδοσις. *Lucri* autem duntaxat in hac collectione mentionem fecit, non etiam *nuntii*; quasi, cui lucrum perpetuum suppetat, ei non possint non boni quoque nuntii unâ eâdemq; operâ evenire, &c. *Ex Lamb.* P. Merula l. 1. Comment. Annal. Enni legit, *Hæc ut me v. approbare, adnuvere.* Adnuere enim dicti dii precanti-

cantibus. Goldastus malit, *adjuvere*. J. Meursius l. *Hac ut me vultis appropare:* pro, *appropenare.* nam veteres, inquit, dicebant, *Propo, Propero: Lambo, Lambero: Blato, Blatero, &c.* Parei editio prima, viva omnium ineptissimarum conjecturarum cloaca, obtrusit nobis; *Hac ut vultis me adprosperare ac nitier:* quomodo nec MS. ullus, nec editus. quæ licentia?

14. SVPPETAT] Sic quidem MS. Cam. sed Pall. tamen omnes *superet* vel *supperet*, item edd. vett. non absurdè.

16. ITAQVE ÆQ.] Luc. Fruterius *Conjectan. Verisimil.* lib. 3. cap. 2. pertendit Plautum scripsisse non *Itaque*, sed *Ita*. veteres enim sæpiculè Conjunctiones neglexisse. vel illo Catullum, *Cui dono lepidum, novum libellum? &c.*

ARBITRI] i. spectatores. V. N. Mil. act. 2: 2.

23. VERERI VOS SE ET METVERE] *Vereri*, ut patrem & beneficum: *Metuere*, ut max. & potentissimum. Donatus: *Veretur liber, metuit servus.* Ita Cic. pro P. Quinctio, *Vereri* & *Metuere* distinguit, statim in principio. V. N. infrà, act. 2: 2.

24. PRECARIÒ] Donatus: *Petimus precariò: poscimus pro imperio: postulamus jure.* B Seneca: *Homo est precarii spiritûs.* Alex. M. apud Curt. *Mori præstat, quàm precariò imperatorem esse.* Tacitus: *Animam precariam inter infensos trahere cogor.* Terent. Eunuch. 2. 3. *Seu vi, seu clam, seu precariò.*

26. ETENIM ILLE &c.] Jocus in ambiguo. *Jovem* hic innuit histrionem illum nequam, qui Jovem agebat, &c. itaq; ludit etiam in seq. Mercurius. Parei prima editio, *cujus jussu venio*, sine voce *huc*, quæ in MSS. & edd. omnibus. at secunda ejus transposuit voces, invitis omnibus libris cusis scriptisq;, *quojus jussu huc venio.* Et hic ille est qui seriò testatur Plautum ex solis MSS. codd. Palatinis pristinæ antiquitati suæ fideliter restitutum. imò insigniter sine ipsis depravavit.

29. SIBI SI PRÆTIMET] Ita omnes MSS. Seneca epist. 98. *Nihil est nec miserius, nec stultius, quàm prætimere.* Sic enim & ibi quinque MSS. Palat. quod valdè probo: probatq; & Stephan. l. 2. Prood. c. 10. *Pertimere* est valdè timere: *Prætimere* antè timere; quod hic facit Juppiter iste Scenicus. *Pertimet*, quod

A quidam hic intrusum cupiunt, nullo modo admittendum. *J. Grut.*

30. QVOQ. ETIAM] V. N. Epid. 4: 1.

31. MEI PATRIS] ita MSS. aliquot, *mei patris:* etsi vulgatæ lect. *meæ matris*, subsit nescio quid argutum, stentq; ab ea Pal. tert. sext. neque abludant pr. & quartus in quibus *mei matris*. ut fortè fuerit, *Maiæ matris*; fingatque se hic Mercurius veri illius Iovis filium, non histrionis hujus. In MS. Cam. & Frising. legitur *patris:* quod etiam *Schoppius* observavit, & rectum probavit; cùm de *matre* nihil antecesserit. quid multis? in Edit. Venetâ anni 1522. expressè legitur, *mei patris:* ut & in Colon. adhærent tamen alteri omnium primæ: hoc est derivatæ è libris scriptis.

31. METVO MALVM] *Malum*, hic utrobique *serviles pœnas* interpretatur Dousa: *ulmos* putà, *stimulos, laminas, crucesq, compedesq, nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas*, ac cætera de genere horum: (V. N. Truc. act. 4: 3.) uterque enim, Juppiter & Mercurius iste, servi: qui rem Scenicam ferè tractabant antiquitùs, &c. Quæ omnium uberrimè nos docet *J. Dousa.* Cent. Plaut. c. 1. & in *Præcidaneis* ad Petronium. Alludit & Seneca (Epist. 81. sub finem) ad servulos *histrioniam facere* adsuetos.

32. PACE ADVENIO] Sic. MS. Cam. interpreterque; advenio pacatis, sive tempore pacis, quo nullum vobis bellum cum hostibus. *pacis* enim ac *belli* mentio ferè in prologis Plautinis: *Gruterus.* At *Jac. Schegkius* in Præmess. Ep. 12. Sententiam, *inquit*, aptam si amas, mecum è vett. legas, *pacem advenio.* Dixerat, se metuere malum; ideoque & ad pacem se advenire, & pacem adferre. Sic Sall. *Adigit jusjurandum.* Cic. *abest officio.* Lambinus verò hic cum *bonâ suâ veniâ* haveat & valeat. *Acidal.* retinet *Pace*, adverbiali formâ. i. *per pacem*, ut loquitur Sc. seq. v. 232. Talia illa: *salute boria:* &c, *nostrûm salute socium:* apud Ciceron. *silentio*, prorsus ut Græci σιγῇ: neque minùs iidem εἰρήνῃ.

33. IVSTAM REM ET F. ESSE ORATVM &c.] Rectè, *oratum rem:* quod Grammatici, ut suis legibus repugnans, ejecerunt. Et alterum (*oratam*) videtur mihi triviis dignum, hoc theatro. *J. Gul.* Pl. Quæst. cap. 1. V. N. Cas. act. 3: 5. Certè in MS. Frising. & in Ed. Ald.

 alii-

aliisque nonnullis legitur *ortum*. Glossæ Palat. tertii: *Orotum Vbolo*, antiquus & Latinus sermo, quo nunc quoque uti possimus. MS. Cam. *orotam*, ut & Excerpta Palat.

NAM IVSTE] Acidalius mâlit: *Nam iustè ad justos justi sum or. datus.*

ORATOT DATVS] *Orare* hîc rogare est.

35. IMPETRARI] Rectum est *impetrare*, Dousæ, quoniam sequatur *petere*, non, *peti*. Atqui in omn. edd. item Pall. & in MS. Cam. legitur, *impetrari*. In MS. Frising. l. *Nam justa ab injustis impetrari non decet*. Gruterus inclinabat præterea rescribere, *Jam injusta*, quod initio fuerat in Pal. tertio.

37. QVIPPE ILLI INIQVI] Sic Pall. nam primitus cusi, *insipientia est Quippe illa: iniqui*: non ita prorsus insubide: at insubidissime nobis inculcat Pareus, ex Cam. MS. *Quippe nulli iniqui*, geminata, inquit negatione. ratio omnis loquendi istud spernit, nec patitur versus.

38. OMNES, QVÆ LOQ.] Ita MS. Cam. Fruter. lib. 2. c. 20. Verisim. legit, *Nunc j. h. animum ad ea, q. l. advort.* quod & in Pall. omnibus & edd. vett.

39. DEBETIS VELLE, QVÆ VELIMVS] V. N. Mostell. act. 3. sc. 2.

39. MERVIMVS] sc. ita. L. & D.

VT ALIOS] ita MSS. Cam. & Lamb. *ut*, ἄσπερ. *alios*, scil. deos. Meursio magis placet dispunctio, quæ & in editionibus notæ secundæ. *Nam quid ego memorem (ut alios in trag. Vidi N. V. V. M. B. com. q. bona Vobis fecissent) quis benefactis m. p.* alterum tamen restat in edd. primis & Pall.

44. QVIS BENEFACTIS &c.] i. Quorum tamen omnium beneficiorum (sententiâ Lambini ac Douzæ) pater meus Juppiter ille opt. max. auctor, dator & opifex est. *Dativo* pro *Generandi* casu posito: ut apud Cic. ex innominato Poetâ: *-qui est omnibus princeps.* Et Sall. IV. Histor. *Et uxori ejus frater erat.* Porrò Lamb. *architecton* hîc probat; sed Douza *architecto* potiùs Latinâ formâ, casu recto. Turnebo videtur jocari Plautus in eum histrionem, qui personam Jovis agit, qui pauper erat vilisque architectus, & *in superiore*, ut infrà loquitur, *cœnaculo habitabat*. Atque hoc, *quis benefactis meus pater*, idem

A sic dictum accipit, ut istud Virgil. 7. Æn. *Ipse Quirinali lituo*: (ubi me vide) & 6. Æn. *Melle saporatam & medicatam frugibus offam*. valeatque: quæ sine ejus beneficia in omnes, cùm omnium sit architectus, non tantùm Principum; & tam multa opera rectè & ratione sæpe architectatus sit, &c. Vide eund. lib. 9. cap. 10.

45. DEORVM REGNATOR] sic omnes MSS. omnes vett. edd. non *Deum*, quod est recentiorum.

46. SED MOS N. ILLIC.] Ita omnes MSS. nisi quod ii *illi*, ut & primitus cusi. Fruterius traiicit, *Sed ille mos nunquam.* Quod & admisit Pareus, contra omnes libros. MS. Lang. & v. c. —— *nunquam illi f.* quod nolim viri eruditi, ob numeros, transposuissent. *Nunquam*, id est, *nunquame*. ita vet. dicebant, pro, *nunquam*. Meursius.

47. QVOD BONIS FAC. BONI] Sic Cam. MS. & editio veterrima. Rectè. hinc illud hominum voluptariorum, *Multa bona mihi faciam*: Casinâ, 2: 8. Nam ut, *benè facere*; ita etiam in usu est, *bona facere*: J. Gul. In MS. Frising. est, *quot bonis faceret bona*. In B Pont. *quæ bonis faceret bona*. V. N. Capt. act. 2: 3. v. 56.

48. GRATVM ARBITRATVR] Sic Cam. & Douza. item edd. vett. cunctusque adeò Manuscriptorum Palatt. septenarius, notante Grut. hæretq; interpretatio ista ad oram tertii: *id est*, *Vos habere gratias sibi pro eo, quod Vobis præstitit*. Ad sextum verò appingitur: *Sententia talis est: Cùm Vobis aliquod beneficium facit, aliud à Vobis accipere Videtur: quia ita grati estis.* Hæc illi. Alii l. *datum*. Lambinus reponit, *gnatum*, pro, *natum*. Ch. Colerus l. *Ratum*. i. apud vos ratum firmumque esse novit. Cato: *Erga Remp. multa beneficia ratissima atque gratissima*. Infrà; *Quoniam bona quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.* Acidalius τὸ *datum* ita interpretatur, acsi Juppiter in bonos beneficia conferens, ipse sibi ab illis accipere videatur: juxta Mimum: *Beneficium dando accipit quod digno dedit.* Putat tamen aliud quid latere, quod non exputat.

50. NVNC

50. NVNCQVAM ORATVM] MS.Cam. inter lineas, ſed forte ab eadem manu, *quamobrem oratum*.

52. CONTRAX. FRONT.] V.N.Epid. act.5:1.

59. TRAGICOCOMOEDIA] Vide Jul. Cæſ. Scalig.Poet.lib.1. cap.7.

62. SERVVS QUOQ. PART. H.] Soſia. *Reges* autem & *dii* ſunt perſonæ Tragicæ.

63. FACIAM SIT] Haud aliter MSS. & edd.vett.nam recent. *faciam banc ut dixi tragicocomediam.* iidem tamen codd. reſpuunt ſupra vocem *habet*, præter MS. Cam. inchoantque verſum ab *ſit*. adſcriptum quoq; Pal. pr. alias legi, *ſervis*. malim potius, *ſervus quoque paret*.

65. CONQVISITORES SINGVLI IN S. EANT. P.T. CAVEAM, SPECTATORIBVS] Planiſſimè. Atque hoc opertum apertum fit in Petronio: *Neve plauſor in Scenâ ſedeat redemptus, Hiſtrioniæ addictus*. quibus illuſtrandis accedat illa item Comica Hiſtrici Imperatoris edictio è Pæn. Prol. *Quodque ad Ludorum curatores attinet, &c.* Douza. quem videas: ut & Frut. 2. Ver. c.3. Senſus eſt: Nunc hoc me Jup. à vobis petere juſſit; ut ſpeculatores & quaſi ὠτακουσταὶ & *auricularii* (ut Gloſſar. vertit) ſpectatoribus appoſiti in ſingula ſubſellia per totam *caveam* eant: ſi cui hiſtrioni fautores aſſignatos animadverterint, ut ab his togæ auferantur in pignus. Et notum eſt, hiſtriones invicem de victoriâ certaſſe; victoremque muneratum eſſe. Quæ victoria quia interdum non virtute ſed favore parabatur, laborat Mercurius, ne fiat id in hâc Comœdiâ. Porrò notat Torrent. in Sueton. Aug. c. 43. Plautum hîc *ſubſellia* pro cuneis dixiſſe. Parei prior editio hîc tota eſt ridicula, dum Fruterii veriſimiles lectiones ipſum in contextum admittit. *Singuli* contrahendum in duas ſyllabas, ſicut *vinculum*, & aliàs vel *conquiſitores* contrahendum, tanquam eſſet *conquæſtores*. certè *ſingula* nuſpiam extat in Pall. niſi, ab emendatore Omnibono Leoniceno in ſexto, qui præfert annum CIƆ CCCCLVI. Porrò idem Pareus in Electis tit. Ludorum ſcribit: In Amphitheatro ultimus locus in quo populus ſedebat *cavea* dicebatur, à forma, quia erat excavatus. At eâdem ratione cavea dicatur, & medius locus, & infimus. & quid Miſelle? nonne paſſim apud auctores obvia, *Ima, media, prima, ultima, ſumma, cavea*? hæc inſani ſunt.

67. SI CVI FAVTORES] MS. Cam. nec non Palat. ſec. & quint. *fautores*: alii quattuor, *favitores*, quod dicerem ortum à ſcripturâ priſcâ *fauctores*: quomodo etiam *auctores*: niſi Nonius *favitorem* agnoviſſet in Lucill.l.29. *Favitorem tibi me, amicum, amatorem putes*: Grut.

68. UT IIS] Douza legit, *Ut ab his in c.*

69. SIVE QVI] Sic MSS. omnes & edd. vett. *Luc. Frut.* Veriſ.lib.2:3. l. *Si verò qui ambiſſet p.* quod & arripuit Parei prima. mediæ ætatis edd. *Sive etiam qui*. at cur non potius conſulatur verſui, geminando? *Sive qui ambiiſſent*. nam nihil vulgatius Comico, quàm non elidere literam ante aſpirationem; imò eam producere; ut infra ſæpius monebimus. Sic hac ſcena verſu 146. *Ea ſigna nemo horum familiarium*. ubi ex ſupervacuo recentiores edunt, *horunce*.

70. SEV CVIQ. ARTIFICI] ſc.Scenico. videtur idem dicere. Hiſtriones enim *artifices* etiam dicti. Porrò modos aliquot enumerat, quibus palma ambitioſè quæri poſſit: per litteras, per internuncium, & cùm ipſi hiſtriones per ſe ex compacto palmam ad ſe derivant. *L.*

71 SIVE QVI IPSI] Frut. l. *Sive ipſe ambiſſit, ſeu p.* quod & in ſpeluncâ editionis ſuæ pr. etiam arripuit Pareus. nam ſecunda, contra omnes chirographarios publicatoſque, ejecit *qui*. ea enim vox extat in membranis omnibus, quamvis aliter cantent Notæ ipſius. MS. Cam. ſive qui ipſe ambiſſent. Pall. *ipſe ambiſſet*, quod & in edd. primæ proximis prima namque verſum totum omiſit.

CVI DVINT] i. *dederint*. Jurabant autem Ædiles, qui Ludis præerant, ſe illi, qui optimè egiſſe viſus eſſet, palmam daturos: *L.*

73. SIREMPSE LEGEM &c.] i. similem re ipsâ legem jussit esse Juppiter. *Siremps*, quasi, *Similis res ipsa*: Festus. Et est solemne verbum veteribus Rom. in Legibus scribendis. Charisius litterator, dupliciter tantùm inflecti ait, Nominandi casu *Siremps*, & Auferendi, ab hâc *Sirempse*. Et arbitratur *Lipsius* Antiq. Lect. l.1. c.1. Plautum auferendi casu hic scripsisse, *Sirempse in lege esse*, i. simili in lege esse, & perinde teneri. Sive etiam, *Sirempse legem*, spretâ Grammaticorum anxiâ observatione. *Douza*, ut & Grut. malunt; *Sirempse in legem*, &c. Sic Asin. act.1:3. *Sed in leges meas dabo, &c.* Vide, præter hos, etiam *Jos. Scalig.* in Festum, & *Luc. Fruter.* Veris. lib.2: 3. & in Epistol. Philologicis. Sensus est, (*ait Lamb.*) Quâ pœnâ afficiuntur, qui magistratum largitione & consimili pacto adipiscuntur: eadem pœnâ affici voluit Juppiter & eum histrionem, qui sibi palmam ambiverit, & eum spectatorem, qui histrioni palmam ambitione conciliârit.

75. VIRTUTE DIXIT] Alii leg. *duxit*. quod Grutero aures ferè titillat. sed ferè.

75. VIVERE] pro, *esse*. V.N. Trin.2:2. *Victores vivere*, est pro victoribus se gerere: victoriâ efferri, & quasi *vitulari*, ait *J. Gul.* quem vide. Edd. vett. & Pall. fere omnes, *virtute dixit victores innuere*.

79. SAT HABET FAVITORUM SEMPER, QUI RECTE FACIT] Si hic versus seorsim ab eo, qui sequitur, legatur, sententia est Stoica: significat enim, Virtutem nulli favere, nullâque adeò re externâ egere. Nam alioqui falsum est, homines homini semper ob virtutem favere: imò Virtutis comes plerunq; est Invidia. Hoc igitur dicit; eum, qui rectè facit, non egere fautoribus externis, sed satis fautorum habere, eo ipso, quòd Virtutem habeat. Verùm hic versus conjunctim legendus cum sequenti: ut sit sententia hypothetica, hoc modo: Satis habet fautorum, qui rectè facit, *si modò iis fides est, quibus est ea res in manu*, i. si fidi sunt, & integri alienæ Virtutis æstimatores ii, quorum est præmia & honores dare. Atq; hæc conditio necessariò addenda fuit. comperimus enim, locupletes eosdemque improbos plus fautorum habere plerunq;, quàm pauperes quantumvis probos. Porrò hinc intelligere licet, eos esse perfidos, qui honores & præmia indignis, præteritis dignioribus, decernunt, &c. *Lamb.*

SI ILLIS FIDES] Rectè. nec admittendum, *si in illis f.* quod obtrusit nobis Lamb. & ante eum Valla. *Grut.*

80. QUIBUS EST EA RES IN MANU] Sic Ter. Hec. act.3: 5. *Tibi id in manu est, ne fiat.* Germ. Dieses stehet in deinen Henden. Pal. pr. *ea ars.*

FAVITORUM] pro, *fautorum*. Sic *Cavitio*, pro *Cautio* Varroni. Charisius tamen lib.1. *Fautor*, inquit, *antiqui dixerunt: at Favitor nec auctoritate nec ratione dicitur.* Itaq; facile est, ut potiùs probem Codicum fidem, qui scribunt hic *fautorum*, *fautoribus*, & v. 67. *fautores*.

81. HOC QUOQUE ET. M.] Superiores conquisitores addendi sunt spectatoribus, ne quid gratiæ causâ tribuant histrionibus: hi verò histrionibus: ne qui histriones mandent certis spectatoribus ad eam rem datâ operâ hic & illic dispositis, ut sibi plaudant quasi palmâ dignis: aut malitiosis consiliis perficiant, quò minus alter histrio placeat. Et vult, ut conquisitores in horum uno deprehensum vestitu spolient, & *corium*, i. tergum loris discindant. Atq; hic sensus est horum quinque Senariorum. Vide mihi tamen & Rævard. ad ll. XII. tabb. c.15.

82. CONQUISITORES &c.] Cæl. Rhodig. lib.8. c. 8. docet, hoc nubilum illustrari illo Cicer. in Verr. Act. 1. *Ut in actoribus Græcis fieri videmus, sæpè illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, cùm possit aliquanto clarius dicere, quàm ipse primarum, multùm submittere, ut ille princeps quàm maximè excellat: sic faciet &c.* Idem l. 14. c. 7. *Corium*, inquit, accipiunt coriaceam personam: ipse mâlim fustigationem intelligere.

84. QUIVE, QUÒ PLACERET ALTER, F.] sic aliquot Pall. nam MS. & Edit. Cam. *Quive, q. placerent, alter fecisset minùs, Ejus or:* Taubmanno placuerat, *Eis ornamenta.* & nomini non placere debet, qui perspicuitati attendit. Pareus tamen heic in eum invehitur, tanquam si Plauti jugulum petiisset. At Misellus ille declamator, millies millecuplò absurdiora invexit in contextum; & ad illa sua facinora cæcus est, heic supra serpentem oculatus.

90. Hi-

90. HISTRIONIAM] Sic dictum, ut *Alimonia, Querimonia:* Cam.

91. ANNO] i. ante annum. (V. N. Menæch. act. 1. sc. 3.) Significat autem, in aliquâ Fab. singulariter Jovem fuisse invocatum, & fortasse eventu quopiam memorabili, idque ante annum. Res verò tum omnibus nimirum nota fuit: *Camer.* V. N. Truc. act. 2: 4. ubi hæc lectio stabilitur. Jo. Meursius eam nihilominus de fundo Plautino deturbandam clamitat; legendumque è vulg. edd. *Etiam histriones Nannio in proscenio hic &c. Nanion*, inquit, sive νάννιον meretrix fuit, quæ προσκήνιον cognominabatur: quòd splendidis se vestimentis ornaret. Athenæus lib. XIII. Antiphanes in Opere de scortis, *Proscenium vocatam fuisse tradit, quòd esset lepidâ facie, sumptuosisque aureis vestibus indueretur: exsuta verò maximè deformis.* Ita Suidas: Ἀντιφάνης δὲ ὁ νεώτερος ἐν τῷ περὶ τῶν ἑταιρῶν τὴν Νάνιόν φησι προσκήνιον ἐπονομάζεσθαι, διὰ τὸ ἔξωθεν δοκεῖν εὐμορφοτέραν εἶναι. Quæ totidē verbis habes apud Harpocrationem. Comicus noster eleganti conversione & festivâ, proscenio *Nannium* tanquam cognomen adjungit: cum priùs *Nannio* proscenium esset cognominis vicem. *Hæc ille.* inductus à Bern. Sarraceno, qui posuit istud *Nannio* inter emendationes, acceptum à Cælio Rhodigino, sive Fr. Philelpho; habuitque deinde editores qui id temerè amplecterentur. Sanè *anno* restat in editionibus vetustioribus ad unam omnibus: neque aliter exemplaria septem octo Pall. quæ excussit Gruterus.

93. CERTO] Sine controversiâ & sine cujusquam reprehensione. At hæc Fab. Tragicocomœdia est. *L.*

97. HÆC URBS EST THEBÆ. ita MS. Cam. & Palat. tert.

98. NATUS ARGIS] Sic *Cam.* & L. legunt, *natus Argis:* & ita uno consensu MSS. septem Palatt. τὸ Ἄργος. Græci: ut Horat. *Aptum dicet equis Argos.* Jam, *ex Argo patre*, i. Argivo, Nonins. *Argi*, sicut *Puteoli, Harpi*, ut Virg. ——*dulces reminiscitur Argos.*

99. QUICUM NUPTA EST] Etsi frequentius, fortè & rectius, dicitur, *Nupsit illi;* cùm mulier sola sit, quæ veletur viro: tamen olim ita etiam dicebatur. Sic Terent. in Hec. 4: 1. & 4. & Phorm. 1: 5. *Cum illo Nupta.* Noster sæpe, *Tecum nupta est.* Cic. l. 15. Fam. 3. *Quocum esset nupta soror regis.* Val. Max. l. 9. cap. 1. *Nuptiis inter se juncti.* Vide N. Cas. 5: 1.

A

ELECTRI F.] *Electryo* perhibetur fuisse pater Alcumenæ, i. ἠλεκτρύων: quod nomen nunc Plautus μετέπλασεν, & fecit ut esset ἤλεκτρος: Hæc *Cam.* quæ annotavit etiam Colvius: quanquam, *Electri* scribit: ut sic ἠλέκτριος. Ita Mostell. servum *Tranionem* vocat *Tranium, &c.*

NAM C. T. EST BELL.] ita voces ordinat MS. Cam. & Pal. sec.

POPLO] pro, *populo:* Cam.

103. GRAVIDAM ALC. UX. FECIT] ita in Palatt. omnibus. Et malit Gruterus, *Alcumenan*, quàm ut cum Fruct. aliisque transponatur vox: aut aliquid interseramus, sive adeò elisionem suspendamus cum Camerario. Parei prior editio Fruterianum admisit; secunda Gruterianum: adeo nunquam sibi constat homo inconstantissimus. Sic versu seq. in editiones recepit *Iam* pro *Nam*, contra omnes libros. & ita ejus in Notis meminit, ut nescias, probet improbetve.

UT SIT] i. qualis sit. Pseud. 1: 1. *ut voles me esse, ita ero.* Ter. *Sic sum. Sic ingenium est.* Phorm. 3: 2.

105. QUAM LIBER HARUM RERUM MULTARUM SIET] *Harum rerum*, δεικτικῶς adulteria & stupra significat. *multarum*, i. quæ vulgò fieri solent. Fruterius l. 3. cap. 20. Ver. volebat; *Quàm liberarum rerum, &c.* Quod Grut. ferè probaverit: cùm ejus meminerit, quod est in Merc. act. 4: 5. *Pol haud censebam istarum esse operarū patrem.* item Mil. act. 4: 2. *Cedo signum, si harunc Baccharum es.*

B

106. QUANTUSQUE AMATOR SIET, QUOD COMPLACITUM EST S.] Ita MS. Pall. nec non veterr. editiones. Primùm Aldus curiosè mutavit, *Quantusque amator, quom quid c.* quod editioni suæ intulit Pareus, ceu gemmulam.

106. QUOD COMPLACIT.] subaudiendum, *ejus, quod compl.* non, ut Lamb. *in eo, quod c.* aut Bosius. *Si quid c. &c.* Douza, & Popma de usu Antiq. Locut.

113. NOX EST FACTA LONGIOR] Hâc de re facetiss. Dialogus est Luciani. V. N. infrà act. 1: 1.

114. DUM ILLE, QUACUM] MSS. partim *ille*, partim *illa.* nihil verosimilius quàm repetendum vel versus caussa; *Dum ille illa quacum.*

144. TORVLVS] *Torus*, auctore Scaligero, est quivis funis ex loris retortus: unde nomen habet. quod autem toris lecti tenderentur, ab eo *toros* vocarunt. Et, *torulus* quidem legitur in MSS. Palat. tert. & sexto: in quint. *thorulus*. in MSS. Cam. & Frising. *torrulus*. Meursius verò corrigit, *tortulus*. Et hoc, inquit, ὑποκοριστικὸν τῦ *tortus*, à torquendo. Et *torti* sunt lora contorta; qui multiplicati & coagmentati *funes* dicuntur. Atque hanc suam sententiam exemplis longè plurimis stabilire satagit. Postea addit: Quem Varro lib. 4. *tortulum*, alibi lib. 6. *tutulum* nominat: *Matresfamiliâs crines convolutos ad verticem capitis, quos habebant elatos* (ita l. Scalig.) *dicunt tutulos*. Atque *Tutulus* omninò diminutivè à *tutus*. & nos Belgæ voce inde detortâ Tuten appellitamus, Græci ὄφιας: quòd serpentum modo in spiram essent convoluti. M. Capella lib. 2. Græcissans *dracones* vocat, &c. Jam ad *tortulum aureum* Amphitruonis quod attinet, vult dicere, eum Atheniensium more, capillum habere congestum in conum, & πεπλεγμένον φορεῖν, atque inde dignosci ab Amphitruone germano debere: qui cùm Thebanus esset, alio capitis ornatu incedebat. Athenienses autem, ut se αὐτόχθονας esse declararent, cicadas (ex auro ferè) crinium tortulis innectebant. Cicadas enim è terra procreari volunt. Virgil. in Ciri: *Aurea solemnè comptum quem* (scil. capillum Nisi) *fibula ritû Cecropiæ tereti nectebat dente cicada*. Censet tamen Gruterus, huic sententiæ adversari subserta Plauti verba. *Toruli* mentio est & apud Ammianum Marcellinum lib. 29. *toruloque capite circumflexo &c.* Etiam Turn. ad Varr. defendit *torulus*, idque vocabulum in linguâ Gallicâ retineri ait: atq; hâc mente Cic. in Oratore dixisse: *Aut addit aliquos, ut in coronâ, toros.*

149. CVM LATERNA ADVENIT] Ita MS. & omn. edd. excluso vulg. *huc*. Parmensis & Mediol. ut versum fulciant, leg. *A portu nunc ill.*

151. ADEST: FERIT: &c.] *Palm.* Spicileg. Nusquam adiit, *inquit*, ostium Sosia: ut res ipsa loquitur: antè enim à Mercurio vapulat. cum si fores ille feriisset; nondum erat inibi, ut posset: quippe qui non amplius quàm è portu nunc prodiret. Restituo igitur: *Adesse: erit operæ pretium sp. &c.* Citat animum auditorum: operæ pretium enim esse. Quæ conjectura & Douzæ placet: & probat Meursius, nisi quòd *Ferit* non mutandum censet: quasi ἀρχαϊσμὸς sit, pro *Fuerit*: qualia, *Attinero*, *Volero*, *Monero &c.* Palmerianum illud rapuit in nidum suæ pr. editionis Pareus. At Jos. Castalio Observat. Decade 2. cap. 2. cum vulgatam lect. omnes Vaticani MSS. sic constanter teneant, nihil mutandum censet: præsertim cum ad Sosiæ adventantis (ut ait) celeritatem & cupiditatem sese in ædes domini recipiendi exprimendum mirificè pertineant duo illa verba, *adest*, *ferit*. Licet enim nondum propius accesserit, neque fores pulsaverit, tamen Mercurio trepidanti ne quid tale accideret, adesse jam Sosia, & pulsare videbatur. Videantur his fere simila. apud Vincent. Contarenum cap. 15. Var. Lectionum. Mureto videbatur rectum: *Adest: erit* (vel, *fuerit*,) *operæ pr.*

ACTUS I. SCENA I.

SOSIA, MERCVRIVS.

QVI me alter est audacior homo? aut qui me confidentior?
Iuventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem compegerint?
Inde cras è promptariâ cellâ depromar ad flagrum:
Nec caussam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilii siet.

C Nec

Nec quisquam sit quin me omnes esse dignum deputent: ita
Quasi incudem me miserum homines octo validi cadant: ita
Peregrè adveniens hospitio publicitùs accipiar.
Hæc heri immodestia coëgit, me qui hoc
Noctis à portu ingratis excitavit.
Nónne idem hòc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc servitus dura est,
Hoc magis miser est divitis servos:
Noctesq; diesq; assiduo satis superq; est
Quo facto aut dicto adest opus, quietus ne sis.
Ipse dominus dives operis, & laboris expers,
Quodcunq; homini accidit libére, posse retur:
Æquom esse putat: non reputat laboris quid sit:
Nec, æquom ánne iniquom imperet, cogitabit.
,, Ergo IN SERVITUTE expetunt multa iniqua:
,, Habendum & ferendum hoc onus est cum labore.
ME. Satius est me queri illo modo servitutem, hodie
Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater
Servitutis: hic, qui verna natus est, queritur.
Sum verò verna verbero. SO. numerò mihi in mentem fuit,
Dîs advenientem gratias pro meritis agere, atq; alloqui.
Næ illi edepol, si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem allegent, qui mî advenienti os occillet probè:
Quoniam benè quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atq; irrita.
ME. Facit ille quod vulgò haud solent, ut quid se sit dignum sciat.
SO. Quod nunquam opinatus fui, neq; alius quisquam civium
Sibi eventurum, id contigit, ut salvi potiremur domum.
Victores victis hostibus legiones reveniunt domum,
Duello extincto maxumo, atq; internecatis hostibus,
Qui multa Thebano populo acerba objecit funera,
Id vi & virtute militum victum atq; expugnatum oppidum est,
Imperio atq; auspicio heri mei Amphitruonis maximè.
Prædâ atq; agro adoreâq; affecit populares suos,
Regiq; Thebano Creonti regnum stabilivit suum.
Me à portu præmisit domum, ut hæc nuntiem uxori suæ:
Ut gesserit rempublicam ductu, imperio, auspicio suo.
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quum illò advenero.
Si dixero mendacium, solens meo more fecero.
Nam quom pugnabant maxumè, ego fugiebam maxumè.
Verumtamen quasi affuerim simulabo, atq; audita eloquar.
Sed quo modo & verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipse mecum etiam volo hic meditari. sic hoc proloquar!

Principio

Principio ut illò advenimus, ubi primùm terram tetigimus,
Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes:
Eos legat: Teleboïs jubet sententiam ut dicant suam.
Si sine vi & sine bello velint rapta & raptores tradere,
Si quæ asportassent, redderent; se exercitum extemplò domum
Reducturum, abituros agro Argivos, pacem atq; ocium
Dare illis. sin aliter sient animati, neq; dent quæ petat:
Sese igitur summâ vi virisq; eorum oppidum expugnassere.
Hæc ubi Teleboïs ordine iterarunt quos præfecerat
Amphitruo: magnanimi viri freti virtute, & viribus
Superbi, nimis ferociter legatos nostros increpant.
Respondent, bello se & suos tutari posse: proinde uti
Properè de suis finibus exercitûs deducerent.
Hæc ubi legati pertulère, Amphitruo castris illicò
Producit omnem exercitum. contrà Teleboæ ex oppido
Legiones educunt suas, nimis pulchris armis præditas.
Postquam utrinq; exitum est maximâ copiâ,
Dispertiti viri, dispertiti ordines:
Nos nostras more nostro & modo instruximus Legiones:
Item hostes contrà legiones suas instruunt:
Deinde utriq; imperatores in medium exeunt
Extra turbam ordinum; colloquuntur simul.
Convenit; victi utri sint eo prælio,
Vrbem, agrum, aras, focos, seq; uti dederent.
Postquam id actum est, tubæ utrinq; canunt: conrtà
Consonat terra: clamorem utrinq; efferunt.
Imperator utrinq; hinc & illinc Jovi
Vota suscipere, hortari exercitum:
Pro se quisq; id quod quisq; potest & valet,
Edit; ferro ferit: tela frangunt: boat
Cœlum fremitu virûm: ex spiritu atq; anhelitu
Nebula constat: cadunt vulneris vi & virium.
Deniq;, ut voluimus, nostra superat manus:
Hostes crebri cadunt: nostri contrà ingruunt.
Vicimus, vi feroces.
Sed fugam in se tamen nemo convortitur,
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam omittunt, priusquam loco demigrent:
Quisq; uti steterat, jacet, obtinetq; ordinem.
Hoc ubi Amphitruo herus conspicatus est,
Illicò equites jubet dexterâ inducere.
Equites parent citi: ab dexterâ maxume

Principio

Cum clamore involant; impetu alacri
Fœdant & proterunt hostium copias jure injustas.
ME. Nunquam etiam quicquam adhuc verborum est prolocutus perperàm:
Nanque ego fui illic in re præsenti, & meus, quom pugnatum est, pater.
SO. Perduelles penetrant se in fugam. ibi nostris animus additus est:
Vortentibus Telebois telis complebantur corpora.
Ipsusque Amphitruo regem Pterelam suâ obtruncavit manu.
Hæc illic est pugnata pugna usque à mane ad vesperum.
Hoc adeò hoc commemini magis, quia illo die impransus fui.
Sed prælium id tandem diremit nox interventu suo.
Postridie in castra ex urbe ad nos veniunt flentes principes:
Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum:
Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem & liberos,
In ditionem atque in arbitratum, cuncti, Thebani poplo.
Pòst ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea est,
Quî Pterela potitare rex solitu' st. hæc sic dicam heræ.
Nunc pergam heri imperium exequi, & me domum capessere.
ME. Attat! illic huc iturus est: ibo ego illi obviam.
Neque ego hunc hominem hodie ad ædis has sinam unquam accedere.
Quando imago est hujus in me, certum est hominem eludere.
Et enim verò quoniam formam cepi hujus in me & statum,
Decet & factaque mores hujus habere me similes item.
Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum,
Atque hunc telo suo sibi, malitiâ à foribus pellere.
Sed quid illuc est? cælum aspectat: observabo quam rem agat.
SO. Certè edepol scio, si aliud quicquam est quod credam, aut certò sciam,
Credo ego hâc noctu Nocturnum obdormivisse ebrium.
Nam neque se Septemtriones quòquam in cælo commovent,
Neque se Luna quòquam mutat atque uti exorta est semel.
Nec Iugulæ, neque Vesperugo, neque Vergiliæ occidunt.
Ita statim stant signa: neque nox quòquam concedit die.
ME. I erge nox, ut occœpisti! gere patri morem meo:
Optimo optimè optimam operam das! datam pulchrè locas.
SO. Neque ego hâc nocte longiorem me vidisse censeo:
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque edepol etiam multo hæc vicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire Solem, atque appotum probè.
Mira sunt, nisi invitavit sese in cœnâ plusculum.
ME. Ain' verò verbero? deos esse tui similes putas?
Ego pol te istis tuis pro dictis & malefactis, furcifer,
Accipiam, modò sis veni huc: invenies infortunium.
SO. Vbi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?

Hac nox scita'st exercendo scorto conducto malè.
ME. Meus pater nunc pro hujus verbis rectè & sapienter facit,
Qui complexus cum Alcumenâ cubat amans, animo obsequens.
SO. Ibo, ut herus quod imperavit, Alcumenæ nuntiem.
Sed quis hic est homo? quem ante ædeis video hoc noctis? non placet.
ME. Nullus est hoc meticulosus æquè. SO. quem? in mentem venit,
Illic hoc homo denuò volt pallium detexere.
ME. Timet homo: deludam ego illum. SO. perii. dentes pruriunt.
Certè advenientem me hic hospitio pugnæ accepturus est.
Credo misericors est: nunc propterea quòd me meus herus
Fecit ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.
Oppidò interii. obsecro herclè quantus & quàm validus est!
ME. Clarè advorsum fabulabor. hic auscultet quæ loquar.
Igitur magis modum in majorem in sese concipiet metum.
Agite pugni, jam diu'st quòd ventri victum non datis:
Jam pridem videtur factum, heri quòd homines quatuor
In soporem collocastis nudos. SO. formido malè
Ne ego hic nomen meum commutem, & Quintus fiam è Sosiâ.
Quatuor viros sopori se dedisse hic autumat:
Metuo ne numerum augeam illum. ME. hem! nunc jam ergo: sic volo.
SO. Cingitur, certè expedit se. ME. non feret quin vapulet.
SO. Quis homo? ME. quisquis homo huc profectò venerit, pugnos edet.
SO. Apage, non placet me hoc noctis esse: cœnavi modò:
Proin tu istam cœnam largire, si sapis, esurientibus.
ME. Haud malum huic est pondus pugno. SO. perii, pugnos ponderat.
ME. Quid si ego illum tractim tangam ut dormiat? SO. servaveris:
Nam continuas has tris noctes pervigilavi. ME. pessumum est
Facinus! nequiter ferire malam malè discit manus.
Aliâ formâ esse oportet quem tu pugno legeris.
SO. Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuò.
ME. Exossatum os esse oportet, quem probè percusseris.
SO. Mirum ni hic me quasi murænam exossare cogitat.
Vltrò istunc qui exossat homines. perii, si me aspexerit.
ME. Olet homo quidam malo suo. SO. hei! numnam ego obolui?
ME. Atque haud longè abesse oportet. verùm longè hinc abfuit.
SO. Illic homo superstitiosus est. ME. gestiunt pugni mihi!
SO. Si in me exercituru's, quæso in parietem ut primùm domes.
ME. Vox mihi ad aures advolavit. SO. næ ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem gestito.
ME. Illic homo à me sibi malam rem arcessit jumento suo.
SO. Non equidem ullum habeo jumentum. ME. onerandus est pugnis probè.
SO. Lassus sum herclè è navi, ut vectus huc sum: etiam nunc nauseo.

image
not
available

Hoc quidem profectò certu' st, non est arbitrarium.
SO. Tuam fidem obsecro! ME. tun' te audes Sosiam esse dicere,
Qui ego sum? SO. perii! ME. parum etiam, præut futurum est, prædicas.
Quoius nunc es? SO. tuus. nam pugnis usufecisti tuum.
Pro fidi Thebani cives! ME. etiam clamas, carnifex?
Eloquere, quid venisti? SO. ut esset quem tu pugnis cæderes.
ME. Cujus es? SO. Amphitruonis inquam Sosia. ME. ergo istoc magis,
Quia vaniloquus, vapulabis: ego sum, non tu, Sosia.
SO. Ita dii faciant, ut tu potius sis, atq; ego te ut verberem.
ME. Etiam muttis? SO. jam tacebo. ME. quis tibi heru' st? SO. quem tu voles.
ME. Quid igitur? qui nunc vocâre? SO. nemo, nisi quem jusseris.
ME. Amphitruonis te esse ajebas Sosiam. SO. peccaveram:
Nam Amphitruonis socium næ me esse volui dicere.
ME. Sciebam equidem nullum esse nobis, nisi me, servum Sosiam.
Fugit te ratio. SO. utinam istuc pugni fecissent tui!
ME. Ego sum Sosia ille, quem tu dudum esse aiebas mihi.
SO. Obsecro ut per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.
ME. Imò induciæ parumper fiant, si quid vis loqui.
SO. Non loquar nisi pace factâ; quando pugnis plus vales.
ME. Dicito, si quid vis, non nocebo. SO. tuæ fidei credo? ME. meæ.
SO. Quid, si falles? ME. tum Mercurius Sosiæ iratus fiet!
SO. Animum advorte: nunc licet mihi liberè quidvis loqui.
Amphitruonis ego sum servus Sosia. ME. etiam denuò?
SO. Pacem feci, fœdus feci, vera dico. ME. vapula!
SO. Vt lubet, quid tibi lubet fac; quoniam pugnis plus vales.
Verùm, utut es facturus, hoc quidem herclè haud reticebo tamen.
ME. Tu me vivus hodie nunquam facies, quin sim Sosia.
SO. Certè edepol tu me alienabis nunquam quin noster siem.
Nec nobis præter med alius quisquam est servus Sosia,
Qui cum Amphitruone hinc unà iveram in exercitum.
ME. Hic homo sanus non est. SO. quod mihi prædicas vitium, id tibi est.
Quid, malùm? non sum ego servus Amphitronis Sosia?
Nonne hâc noctu nostra navis ex portu Persico
Venit, quæ me advexit? nonne me huc herus misit meus?
Nonne ego nunc hic sto ante ædes nostras? non mihi est laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? nonne hic homo modò me pugnis contudit?
Fecit herclè. nam etiam misero nunc malæ dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non intrò eo in nostram domum?
ME. Quid, domum vostram? SO. Ita enim verò. ME. quin quæ dixisti modò,
Omnia ementitus. equidem Sosia Amphitruonis sum.
Nam noctu hâc soluta est navis nostra è portu Persico:
Et ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus:

Et legiones Teleboarum vi pugnando cæpimus.
Et ipsus Amphitruo obtruncavit regem Pterelam in prælio.
SO. Egomet mihi non credo, quum illæc autumare illum audio.
Hic quidem certè, quæ illic sunt res gestæ, memorat memoriter.
Sed quid ais? quid Amphitruoni à Telebois datum est?
ME. Pterela rex quì potitare solitus est, patera aurea.
SO. Elocutus est. ubi patera nunc est? ME. in cistulâ
Amphitruonis obsignata signo est. SO. signi dic quid est?
ME. Cum quadrigis Sol exoriens. quid me captas, carnufex?
SO. Argumentis vincit: aliud nomen quærendum est mihi.
Nescio unde hæc hic spectavit. Iam ego hunc decipiam probè.
Nam quod egomet solus feci; nec quisquam alius affuit
In tabernaculo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Sosia es, legiones quum pugnabant maximè,
Quid in tabernaculo fecisti? victus sum, si dixeris.
ME. Cadus erat vini: inde implevi hirneam. SO. ingressu' st viam.
ME. Eam ego ut matre fuerat natum vini eduxi meri.
SO. Mira sunt, nisi latuit intus illic in illâc hirneâ!
Factum est illud, ut ego illic vini hirneam ebiberim meri.
ME. Quid nunc? vincon' argumentis te non esse Sosiam?
SO. Tu negas med esse? ME. Quid ego ni negem, qui egomet siem?
SO. Per Iovem juro med esse: neque me falsum dicere.
ME. At ego per Mercurium juro, tibi Iovem non credere:
Nam injurato scio plus credet mihi, quàm jurato tibi.
SO. Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? te interrogo.
ME. Vbi ego Sosia nolim esse, tu esto sanè Sosia:
Nunc quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis, ignobilis.
SO. Certè edepol quom illum contemplo, & formam cognosco meam,
Quemadmodum ego sum (sæpè in speculum inspexi) nimis similest mei.
Itidem habet petasum, ac vestitum: tam consimilest atque ego.
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, vel labra,
Malæ, mentum, barba, collum: totus! quid verbis opu' st?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc simili est similius.
Sed quom cogito; equidem certò idem sum qui semper fui.
Novi herum: novi ædis nostras; sanè sapio & sentio.
Non ego illi obtempero quod loquitur, pultabo foris.
ME. Quò agis te? SO. domum. ME. quadrigas si nunc inscendas Iovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.
SO. Nónne heræ meæ nunciare, quod herus meus jussit, licet?
ME. Tuæ si quid vis nunciare: hanc nostram, adire non sinam.
Nam si me irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes.
SO. Abeo potius, di immortales, obsecro vostram fidem!

Vbi

Vbi ego perii? ubi immutatus sum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui? si fortè oblitus fui.
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehac fuerat, possidet.
Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum, atque hæc uti sunt facta, hero dicam meo.
Nisi etiam is quoque me ignorabit; quod ille faciat Iuppiter!
Vt ego hodie raso capite calvus capiam pilleum.

QVI ME ALTER EST AVDACIOR &c.] Hoc ad grassationem nocturnam juventutis Atticæ referendum: quæ luxu perdita inficiebat publicam pacem, & in tenebris obvios malè interdum verberibus mulcare assolebat. Neque hinc alienum, quod Socrati accidisse narrat Ælianus lib. 9. Huc etiam pertinet locus Sticho, act. 4. sc. 2. & Trin. act. 2: 2. de quibus copiosè *P. Colvius* & *J. Douza* Cent. cap. 2. *Hoc noctis* autem *δεικτικῶς* est, nocte tam serâ atque intempestâ. V. N. Trin. act. 4: 3. So spat in die Nacht. Pareus hisce Lectis, retulit in Electis suis ad hunc versum Juventus Attica noctu solebat grassationibus suis turbare pacem publicam: quid absurdius, quàm inculcare pueris, tale quid elici posse, ex versu isto 2? Imò Thebis isthæc acta, non Athenis. ô acrimoniam Lavernionis!

V. 3. QVID F. NVNC, S.] Meurs. è Prisc. transponit, *Quid faciam, si nunc tr.*

SI TRES VIRI ME IN CARCEREM COMPEGERINT] sc. tanquam grassatorem nocturnum; sicarium putà, aut qui vecticulariam vitam colat, i. (ut alibi Plautus,) *parietum perfossorem*. Et fortasse ad legem aliquam Pop. R. jocus hic respicit, quâ cautum fuit, ne cui noctis conticinio per Vrbem iter facere liceret: præsertim Plautinis & Belli Punici secundi temporibus &c. De quibus ambitiosè noster *Douza*. Neque hoc insolens Plauto, à spaciis Palliati argumenti, Comicâ quâdam licentiâ, ad Togatam consuetudinem exorbitare: quod hic facit: cùm res agatur Thebis, non Romæ. Porrò *Tresviri* seu *Triumviri*, qui aliàs *Judices capitales*, prorsus idem Romæ, qui *Undecimviri* Athenis. Munus eorum præesse carceri, punire damnatos: itemque cognoscere de furtis admissisque servorum aut ejusmodi viliorum capitum ad Mæniam columnam. Alia de his habes apud Jacob. Revard. 2. Var. cap. 18. (quæ nos retulimus Rud. act. 3. sc. 6.) & Fabrum, A quæ non recoquam ego: *Lips. lib. 5. ad Tacit.* V. N. Asin. act. 1: 2.

4. CRAS È PROMPTARIA CELLA] Jocus servilis, quo carcerem cõparat penori. Nam *cella promptuaria* est, in quam penus aut utensilia conduntur, & unde ad usum familiarem promuntur. Ejusmodi cellæ qui præsunt, *promicondi* dicuntur: nam proprium in eâ re verbum, *promere*: J. Gul. Ita autem in MSS. Cam. & sex Palat. legi notat Gruterus: vel, *Inde cras è promptaria*: nec usquam comparere vulgatum illud, *quasi*: nisi in MS. Cam. inter vocem *cras* & *è* superscriptum sit; ab eâdem tamen, ut putat, manu. Certè etiam in Edd. vett. itemque in MSS. Frising. Samb. Lang. uno consensu, *cras*, legitur, omisso illo *quasi*: quamvis contra affirmet Pareus testis fidei Græcæ. Utraq; vox locum habere queat tali positu: *Inde quasi è promptaria cella cras depromar &c.*

5. NEC CAVSAM LICEAT DICERE MIHI] B Nec mihi liceat recusare aut verbis purgare, quò minus cædar: *Lamb.* aut in judicio defendere: *Long.* Etiam *J. Langleus JC. Ocii Semestr. l. 8. c. 10.* pluribus docet, Nocturnos errones carceri olim mancipatos, suppliciòque affectos esse. Alludit & Ausonius: *Pervigila ante fores: nocte capi metuo.*

NEC QVISQ.] *Lamb.* mâlit, *quicquam*. quod Pareus ascivit in editionem primam, contra libros idem secundam turpiter deformat, dum versus non observat, quos induxit Camerarius, optimumque senem contumeliosissimè excipit, tanquam qui miram in metro confixerit compagem. additq;: Curiosus lector, mea pace, consulat bella ista figmenta. Quid? te invito alios libros, alias editiones, adiri posse non putas? ô stolidam ignorantiam! ô asinum Cumanum!

7. QVASI INCVDEM &c.] εἰκὼν. ut incus malleis tunditur, ita ego virgis: & quidem ab hominibus octo, iisque robustis: ut & per

vices cædendo minùs fatigentur, & gravio- A res plagas infligant. *Lamb.& Palm.*

HOMINES OCTO] Octo enim lictores habebant Triumviri isti capitales, qui eorum jussu in damnatum animadvertebant. Ita & Asin. Act.3: 2. ad octonos hosce lictores alludit. Vide Fr. Hotom. De Magistrat.Rom. item J.Rosini Antiquit.l.7.cap.27.V.& N.Asin.Act.2: 2.

8. ITA PEREGRE ADVENIENS HOSP. P. ACCIPIAR.] Alludit ad eos, auctore Lamb. qui peregrè venientes honoris caussâ publicè accipiuntur hospitio: aut fortasse ad id, quòd civibus in patriam redeuntibus cæna dabatur. Sic, *In publico servari,* dicebantur, qui in phylacâ sive adeò custodiâ publicâ attinebantur: ut *Douza* annotat: & Ravardus ad ll.XII.Tab.c.5.

9. HÆC HERI &c.] *J.Gruterus:* Malè interpunxerunt, *Hæc heri immodestia coegit me, qui &c.* Utique cum interpretetur Lambinus; Heri immodestia coegit me ad hæc. cum hoc potius velit: Hæc omnia, quæ dixi, heri procuravit immodestia, qui me &c. Ineptè item Lamb. exponit *excitavit* scil. dormientem. Immò excitavit à portu, hoc est, portu exegit, nec ibi quietem ducere passus est. Unde B toties Martialis *excitari* eos facit à Lectio, ab Oceano, quorum res Legi non sufficiebat: qui, inquam, cogebantur surgere de Equestribus tempore Ludorum. Et apud Liv.l.9. Sp.Posthumius: *Haud sum ignarus,* inquit, *Coss. ignominiæ non honoris caussâ me primum excitatum.* Seneca lib. de tranquillitate c.14. *& illum quoque excitari juberet.* ubi malè id mutat Muretus. Frontinus lib.3.c.14. Exemplo 1. strateg. *Cornicularius vigiles quosdam excitavit:* malè conatur Stevvechius, *excivit.* Porrò & *J. Gulielmius* hic virgulam ponit post *coegit:* &, *Excitare,* ait, honestè & venustè hîc positum, pro, domo mittere, & exigere. ita Rudente act. 1: 5. *me huc foràs excitavit.* Martial.l.5. epigr.14. Cicero Attic.l.2.ep.1. *Si paullo plus furor Pulchelli progredi posset, valde ego te istinc excitarem.* & pari venustate Afranius, *explodere,* Suspectâ: *In Arpinos jam quantum pote hominem explodam, ut villicetur.*

10. INGRATIS] V.N.Epid.act.3:4. Meursius Ed. Ald. secutus & autoritatem Prisc. libro *De versib. Comicis,* hæc sic constituit:

Ita peregrè adveniens
Hospitio publicitùs accipiar,
Hæc heri immodestia coegit me,
Qui hoc noctis à portu
Ingratis excitavit.

Etiam Gruteri Notæ non hos tantum versus, sed & superiores aliter atque aliter distinctos adducunt è MSS. ipsius: quos si adscribere voluissem & heic & alibi; libri res fuisset.

11. NONNE IDEM HOC LUCI ME &c.] *Hôc,* adverb. est scripturâ priscâ, pro *huc.* nec auscultanda Lamb. interpretatio sic emendandum è MSS.Capt.3.1.versu 20. Merc.S.2.v.30. *Grut.* Meursius scribit è lib. suis, *hoc lucu.* Nam veteres, inquit, *Lucu* etiam dicebant, ut *Noctu.* Sic Merc.act.2:1. *abit manè cum lucu simul.* Cistel. 2: 1. *cum lucu primo cras &c.* ita enim in v.c. legi ait. Terent.Adelph.act.5:3. ——*rus cras cum filio Cum primo lucu.*

12. OPULENTO HOM.] *Servitus opulento homini,* est, servitus quam quis servit opulento. Casus verbi tribuitur nomini: ut notat *Turn.* lib.30:34. Sic Sallust.3.Hist. *facta consultaque Alexandri æmulus erat.*

HOC SERVITUS] *hoc,* notat, *ob hoc,* sive *ideò.* quare frustrà est Gulielmius, qui hos versùs in Senariorum legem reponit, illo ejecto, *Hoc magis miser est divitis servus.* nam certè non est interpretamentum antecedentis: quod magis liqueret, si adponeretur enclytica hoc modo: *Hocque magis.* Jam, *assiduo* illud capitur tanquam adverbium: non est. *Assiduus* enim idem cum opulento: ut notum ex illo Topic. Ciceronis: *Cum lex Ælia Sentia assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim est assiduus: appellatus ab ære dando.* item Agellio, lib.16.c.10. quem vide. ut & Not.Trin.act.1:2. Grut. Idem censent Douza, & Palmerius, qui sic ad hunc locum: *Assiduus,* sive dives, semper affluit: sed ei opus nunquam desit, servi quod faciant. Idque probant sequentia, &c. vide ibid. fol.208. Spicileg. Sed tamen & versûs, quos confusissimos & plenos mendorum ait Gulielmius, atque sic ab ipso concinnatos adjiciam: *Opulentod homini hoc servitus dura est magis, Noctesque diesque assiduo satis superque erit, Quo facto aut dicto est opu, quietus ne sies. Ipse dominus operis expers & laboribus, Quodcunque animum accidit libere, posce-*

re

re Æquom putat esse, non laboris quid siet Ve-putat, nec aquomne anne iniquom imperet, &c. *Opera*, pro *labore*. Sic Cic. *Mercenariorum operas non artes emimus. Expers*, cum auferendi casu, &c. τὸ *dives*, ex glossâ irrepsit, ad illud, *assiduus, &c.* Rationes reliquæ emendationis vide, si operæ est, lib. Verif. 2: cap. 6. Quæ tamen Gulielmii licentia Grutero, ut dixi, parùm hic probatur.

15. ADEST OPUS] Sic septem MSS. & omnes edd. præter Parei ultimam, qui secutus Gulielmium, intulit *dictod est opus*. annotavitque: Pal. sext. supra lineam habet, *adest*, *i.e. est*. unde apparet legendum *dictod est*. quis mortalis unquam sic argumentatus est? idem tamen Ardelio seriò professus est, se Plautum restituere auctoritate librorum Palatinorum.

15. QUIETUS NE SIS] Secunda persona pro tertiâ incertâ & non definitâ: quod Classicis auctoribus frequentissimum. Nostri tales indignabundi: Das du ja kein Ruh habest. Ita Pænulo: *An verò non justa caussa est quod curratur, ubi bibas, edas de alieno?* pro, ubi quis bibat, edat.

16. DIVES OPERIS] i. *servis*, sive *operariis*. Horat. 2. Serm. 7. *Accedes opera agro nona Sabino*: Douza. V.N. Asin. act. 1:3.

17. QUODCUNQUE HOMINI ACCIDIT LIBERE POSSE RETUR] Dives herus, quicquid in hominem cadit, id arbitratur sibi posse placere: *Bossius*, & *Lamb*. At, *J. Grut*. Malè, *inquit*, exponunt. benè *Ulricus Pistoris*, qui ait: Cùm *libére* aliàs fortuitum quid denotet, accedente verbo *accidit*, libidinem hominis extra omnem rationem caussamque ostendit. ut sit sensus: Quicquid accidit, ut homini allubescat, id retur se posse: nec reputat, quid laboris aliis afferat. Sed nec hîc mihi probatur Gul: licentia: *retur posse*, illud scilicet quod *libet*. Hæc ille. qui & in Schedis suis Palatt. distinguit: *Quodcunque homini accidat libére, posse retur*: ut repetatur ἀπὸ κοινοῦ *libére*. velut: Quicquid homini potest libére, hoc putat posse libére sibi, idque adeò æquum putat.

20. EXPETUNT] i. *accidunt*: Nonius.

23 EUM NUNC POTIVIT PATER SERVITUTIS.] Me, qui fuerim liber, pater pro suo jure compotem servitutis fecit. *Potivit*, in

A actione usurpavit: ut Capt. Sc. 1. in perpessione: Turn. lib. 30:34. V.N. Epid. 4:1. item Scip. Gentilis Parerg. l. 1. c. 42.

QUI VERNA NATUS EST] Viliores videlicet nati servi quàm facti. quod notavit *Lips*. ad illa Val. Max. l. 3. c. 4. *Vernam natum huic urbi regem dando*. Cicero de Prov. Consularibus: *Judæi & Syri nationes servituti natæ*. Adeò in miserrimam Israelitarum gentem expetiit maledictio, Deuteronomii XXVIII.

25. SUM V. VERNA VERBERO] Ita MS. Cam. atque vetustiss. quos Sarracenus laudat. quod & Turnebus lib. 30:34. præ altero (*verbo*) probat, & jocum esse ait in verberonem vernam: quasi non tantùm servus sit, sed etiam vapulet. Pallat. tamen sex, & vulg. l. *verbo*. Q.d. non re, sed titulo tantùm. sum enim Mercurius.

25. NUMERO] i. quidem MSS. & Edd. *nunc vero*: sed tamen Nonius leg. *numerò*, i. citò; idque Lambino ac Dousæ maximè probatum. V.N. Mil. act. 5:1.

IN MENTEM FUIT] Ita Bacch. 1:2. *ecquid in mentem est tibi?* Non est Solœcismus, B *inquit Agell. lib. 1. cap. 7.* locum hunc laudans, ut vulgus semidoctum putat, sed ratione dictum certâ & probâ, quâ & Græci utuntur. Tale est illud Cic. in Orat. de imperio Cn. Pomp. *Cùm vestros portùs in prædonum potestatem fuisse sciatis*. Sic pro Quinct. *In judicium haberet*, pro, in judicio. Idem: *Res cepit esse in vadimonium*. Sic P. Arbiter: *Res est in controversiam*. quod eleganter & Ciceronis in modum asserit dictum *Turnebus*. Sic Manil. lib. 5. *cùm venit in regione*. quod Scal. dictum ait, ut Cic. illud, *veni in Senatu*. Pl. Most. 1:2. *Argumenta in pectus institui*. Cas. act. 1:4. *Ubi in lustra jacuisti?* Epid. 2:2. *illum audivi in amorem hærere apud nescio quam fidicinam*. ita enim ibi MS. Camer. Pœn. 5:4. *facito in memoriam ut habeas*: ut idem MS. Cam. Etiàm H. Steph. in *De Plauti Latin.* illud, *in mentem fuit*, multis defendit, p. 385. Ita *Camerarius*, Præpostera sunt hæc, *inquit*, si ad regulas præceptionum exigantur, & tamen Latina: *Esse in amicitiam & ditionem alicujus*: *Ad judicem caussam labefactari*, pro, coram judice. *Deprehensus cum ferro ad senatum*. *Ubi videt me esse in tantùm*

honorem, Ter. Eun. 2:2. &c. Vide exactiss. ejus Comment. in Tusculan. item *Franciscum Juretum* Notis ad Senecam Philosophum. & Passeratium fine el. 9. lib. 3. Propertii. A

26. ALLOQVI] i. salutare deos, προσαγορεύειν, ut peregrè adveniens. ita Arnob. l. 6. *Affari deos* dixit, proprie; ut hic *Alloqui*. Ibid. *Cum Deo venerationum* (item *supplicationum* & *orationum*) *colloquia miscere*. Etiam Euripid. Herc. fur. θεοὺς προσειπεῖν dixit. *Notat Heraldus.*

28. OS OCCILLET] Os pugnis frangat & contundat: ab *occare*. Et hoc probum contendit Colerus. Nam (inquit) *occare* est βωλοκοπεῖν, βωλοστροφεῖν, Glossarium: βωλοκόπος. Venustissimâ igitur metaphorâ Plautus dixit *Occillare*. Ita Pomponius: *Numquis hic restat, qui nondum labeas lirarit mihi?* Camerarius non putat repudiandum *oscillet*, quod quibusdam placuit; neq; ab eo abhorret Gruterus. de oscillatione consulatur Turnebus 7. cap. 20. Quid si (inquit Douza) *Ossillet*, vocabulum ab *osse* potius quàm ab *ore* formatum rescribamus? i. sic quasi ossatim seu frustulatim totum caput comminuat seu concipilet mihi. Pareus exhibuit *oCillet*, tanquam ita esset in MS. Cam. & quatuor Pall. sed profectò imponit Lectori. codices enim ii. omnes *occillet*. primus verò & sec. *occilet*. aliter quàm & ipse laudat. B

29. BENE] ita MS. Cam. al. *bona*.

INGRATA H.] grato animo non accipi: *Turn.* lib. 3: 13. Asinar. act. 1: 2.

30. VT, QVID SE SIT DIGNVM, SCIAT.] Sosia scit se nequam esse, & malo dignum: quod pauci faciunt: cùm hoc sit difficillimum, & omnes sese ament. Desid. Heraldi MS. leg. *sciant*.

32. POTIREM VR DOMVM.] Ita MS. Cam. & quinque Pall. & MS. Frising. & ferè omnes l. *domum*: quod rectum censent. nam illud, *hostium*, nihil est. Et quanquam v. codd. ferè distinguunt, ——*salvi p. domi Victores: v.h.* malit tamen *Grut.* cum quinque Palat. hanc distinctionem, *s. p. domum. Victores v.*

34. INTERNECATIS H.] penitùs interfectis hostibus. Sic, *Bellum internecinum:* &, *Internecinum odium*, apud Liv. Die einander todt feind sind. &, *Internecinum morbi genus*, apud Agell. lib. 2. cap. 1. Sunt qui in talibus scribant, *Internecivum*; perperam. Nam Gr. Ὑπηρέκειον.

35. ACERBA F.] *Acerba*, crudâ & immatura, i. ante diem in Libitinæ censum relata: quippe cùm *Læti juvenes Argivæ robora pubis* (ut loquitur Catullus) huic bello patrando delecti essent. Virgil. Æn. 11. v. 28. *& funere mersit acerbo*. Eàdem metaphorâ à pomis Tibullo *mors immitis* dicitur. Ita & Lipsius 3. Annal. Tacit. Seneca lib. 3. c. 25. de Irâ: *æquiore animo filium in angulo flebit, qui vidit acerba funera etiam ex regiâ duci.* Aliud est *acerba virgo*, Græcis ἄωρος, μὴ ὡραία γάμου, *nondum matura viro.* Varro: *Majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.* Notat hoc D. Herald. Adverf. lib. 1: 1.

QVI M. TH. P. AC. OBIECIT] ita omnes MSS. & vetustè editi l. *objecit*. quod cur rejiciatur, caussam nullã videt Gruterus. Meurs. legendum docet, *Quod multa Thebano populo acerba objecit f.* Refertque ad sequens carmen.

36. VI ET VIRTVTE MILITVM] Sic Sall. *Vine corporis, an virtute animi? &c.* Id. *quorum omnis vis virtusque in linguâ sita est.* Ergò non semper *vim* ad corpus, *virtutem* ad animum referatis. Sic idem: *quanta animi vis fuisset in exercitu Catilinæ, &c.* Vide P. Ciaccon.

38. PRÆDA ATQVE AGRO ADOREAQVE &c.] Antiqui Rom. omnem ex agris proventum vocabant *Adoream*. Et postquam præmium militibus frumentum erat, partâ victoriâ, *Adorea* pro laude accipi cœpta est. Cur autem *Ador* in obliquis secundam nunc producat, nunc corripiat, in caussâ est, quòd veteres dicebant *Adus, aderis; & Ador, òris:* ut *Pignus, pigneris; decus, & decor, &c.* V. N. in Fest. & Conject. Scaligeri. Recent. vocem præmittunt, *Qui præda*. sed sic nulli scripti, nulli antiquitus impressi. quos potius sequi debuisset Pareus.

39. CREONTI] MS. Cam. *Creoni*.

40. VT HÆC NVNCIEM VXORI] Cur Romani peregrè redeuntes uxoribus nuntios de suo adventu præmiserint, docet Plut. de Rom. institutis.

41. VT GESSERIT REMP.] Propriè atque ex Formulâ. Sic Sall. *Ut sese & exercitum more majorum gereret.* Vide Barnab. Brissonium de Form. Sollemnib. lib. 2.

42. MEDITABOR] μελετήσω. Ter. Andr. 2: 3. *Venit meditatus alicunde ex solo loco.*

A 43. SI DIXERO MENDACIUM] Quid differant *Mentiri* & *Mendacium dicere*, docetur apud Agell. lib.& cap.11. *Vir bonus*, inquit ibi Nigidius, *præstare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat, &c.* Idem: *Qui mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur: qui mendacium dicit, ipse fallitur.*

43. SOLENS] ita ut soleo. Ter. Andr. 5: 4. *Quid tu Athenis insolens?* Ein seltzamer Gast.

45. VERUMTAMEN QUASI ADFUERIM] Pareus illud *tamen* negat extare in MS. Camerarii. minus verè. habet enim apertè, *Verum quasi adfuerim tamen.* quæ hæc est aut cæcitas, aut socordia? Idem quoq; ad versum sequentem notat in MS. Cam. & Pall. esse *decet.* falsò tamen. sic quidem in pr. sec. tert. sed quartus sanè, & quintus & sextus, & Camerarii codex disertè præferunt *deceat.* quæ vanitas! Hæcnè fides promissa?

46. FABULARIER] i. fari, μυθεῖσθαι.

49. PRIMORUM PRINCIPES] Alibi, *Delecti principes.* Virg. 3. Æn. *Delectos populi proceres.* Der Kern aus der Ritterschafft.

50. EOS LEGAT: TELEBOIS IUBET S.] Ita distinguit *Douza*, & rectè. Jam, *suam*, benè ad Amph. reciprocatur.

51. SI SINE VI ET SINE BELLO &c.] Romani, antequam bella susciperentur, Fetiales ad res repetendas mittebant: quæ quia clarâ voce fiebat Repetitio, dicta est *Clarigatio, &c.* De quibus copiosissimè Brisson. in Form. lib. 4. Formulam autem lib. 1. exponit Livius: *Legatus ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, &c.* Porrò & Belli indicendi formulam cognoscite apud Agell. lib. 16. cap. 4. & luculentiùs omnia apud Brisson. & alios.

EXTEMPLO] V.N. Epid. act. 5: 2.

53. ABITUROS AGRO ARGIVOS] Ita est in MSS. Cam. & Lang. non *Argos.* quam scripturam ideò etiam non improbare ait Camerarius, quòd Amphitruo, etsi Argivus, tunc tamen imperator fuit populi Thebani: & copias reduxisset Thebas, non Argos. Etiam Grut. è Palat. sexto & primoribus edit. reponit, *agro.* alii Pall. *agros.*

55. SESE IGITUR] *Igitur*, pro, *deinde*, explicat hîc Nonius: ut & Don. ad illud Ter. Eun. 1: 1. *Quid igitur faciam?* Et bona est reciprocatio, *Sese*, ad Amph. Turn. lib. 3: 12. V. & N. Most. act. 2: 1.

55. EXPUGNASSERE] i. expugnaturum esse. Infinitivus antiquus à futuro *expugnasso*, pro, *expugnavero.* Sic alibi, *impetrassere*: *reconciliassere*; *amassere*, pro, amaturum esse: *Turn.* l. 4: 15.

58. SUPERBI, NIMIS FEROCITER] ita Gruterus mallit, *viribus Superbi, nimis ferociter &c.* volentibus omnibus Pall. nam edd. & MS. Cam. *superbè.*

62. TELEBOÆ LEGIONES ED.] P. Ciaccon. ad *Columnam Rostrat. C. Duillii*, docet, *Legiones* non tantùm Romanorum, sed & aliarum gentium, atque adeò Carthaginensium ipsorum, à Latinis dici, exemplis Livii & Sallustii.

65. DISPERTITI VIRI, DISP. ORDINES.] ita MSS. omnes, & edd. vett. Palmerius è vet. cod. reponit, *Distributi viri, diribiti ordines.* *Diribere* valet *distribuere.* hinc *Diribitas tabellas: Diribit à suffragia*, apud Ciceronem. Def. Herald. l. è MS. suo, —— *dispositi ordines.* *Disponere*, inquit, & τάττειν hîc optimè ⊃ & sic versus bonus est. Parei editio pr. *distributi viri, dispositi ordines*, ex veteri inquit codice. quónam obsecro?

B MORE NOSTRO ET MODO] *Modo*, i. arbitratu nostro. Sic Sall. 3. Hist. *Gerunt habeantque suo modo imperia.* Sic Hor. Odâ 2. lib. 4. *apis more modoque &c.* V. N. Men. act. 2: 1.

68. IN MEDIUM EXEUNT] M. Goldastus è MSS. Lang. & Servii Fuldens. ita legit, & distinguit: *Deinde utrinque imp. imm. exeunt Extra t. ordinum, colloquutum simul. Conv.* Atque ibid. Servium *turbam*, pro multitudine accipere: *Multitudinem* verò dici *exercitum* apud Sallust. in Catil. ait idem. & istud statim editioni suæ pr. intulit Pareus, ejecitque altera. ô constantiam!

68. MEDIUM] i. inter utrumque exercitum. Proper. 2. el. 29. *Hic alter jubet in medium propellere.* ut scil. ab omnibus conspiciatur. *In medium*, est etiam in apertum. Apul. 10. *In medium procedit nuda veritas.* Virgilio aliud est, scil. in commune: *In medium quærebant.* Passerat.

71. DEDERENT] Propriè. hoc enim est *dedere*, ut notat Donatus. Deditio autem quâ verborum conceptione fieret, Livius lib. 1. docet. *REX*, ait, *interrogavit, Estisne vos legati oratoresque missi à populo Collatino, ut vos populumque Collatinum dederetis? Sumus. Estne pop. Collatinus in suâ potestate? Est. Dedi-*

 tisne vos,

tianébos, populumq; Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, divina humanaque omnia in meam populique Rom. ditionem? dedimus. Et ego recipio, &c. Hanc formam Plautus hîc, cum iis quæ versu 32. ab hinc leguntur, expressit.

73. CLAMOREM VTR. EFFERVNT] Sallust. Catilin. c. 60. *Maximo clamore, cum infestis signis concurrunt: pila omittunt: gladiis res geritur.*

75. VOTA SVSCIPERE] Vota utique plurimum in ipso pugnæ discrimine fieri, bene monuit Gutherius lib. 4. de jure Pontif. c. 13. exemplisque multis firmavit Brissonius l. 1. de Formulis &c.

76. PRO SE QVISQVE] Sic Virgilius Æneid. 12. *Pro se quisque viri summâ nituntur opum vi.* i. quantum quisque poterat. Etiam *Schop.* in arte Crit. observat, *Pro se quisque,* idem notare, quod studiosè, summâ ope omnique conatu. *Palm.* hos versûs ita legit & ordinat: *Pro se quisque fædit, ferit: tela fragunt: boat Cælum fr. &c. fædit,* valet, *fædat.* Prima enim & tertia conjugatio antiquitus eadem. *Fædare* autem & *fædum* propria in vulneribus ac stratâ acie: testes Livius & Virg. & hinc non longulè Plautus ipse. Jam, *fragunt,* pro, *frangunt:* ut *tago,* pro, *tango:* hinc Lucillii *tagax,* pro fure. *Fragere* ergo, est, cum fragore collidi & frangi. à *frago* enim *fragor.* Porrò illa verba, *quod quisque potest & valet,* è glossâ sunt. *Hæc ille.* Gifanius l. *Pro se quisque edit, ferro ferit: tela frang.* Et illud, *id quod quisque, &c.* interpretationem putat phraseos, *Pro se quisque.* Nos MS. Cam. expressimus, firmatum auctoritate Palatinorum librorum sex, omniumque adeò editionum consensu, excipiamus lutosam illam Parei, mirantis eos, qui nasum rhinocerotis præ se ferunt, non animadvertisse hanc glossam: quin & in textu, ut genuinam lectionem, expressisse. at miramur effrenem ipsius licentiam, audentis contra sæclorum omnium voluntatem corrumpere auctores classicos. Alii, cùm literam solùm mutant sensu volente, idem ille Ardelio eos arguit tanquam nimis illiberales, nimis audaces sacrilegos antiquitatis & similibus. Interim tantum abest, ut glossam resipiant istæc verba, ut mira eis insit emphasis; mira, eis solum videnda, cui oculus mentis.

76. EX SPIRITV] ita MS. Cam. & Pall. & Lamb. nostræque Edd. consensu. In C. Langii fuit *spiratu.* quod arripuit in editionis præsentinam Pareus.

77. FERRO FERIT] ita MS. Cam. & Lamb.

79. NEBVLA CONSTAT] constatur, erigitur. Virgil. 12. Æn. —— *sævus campis magis ac magis horror Crebrescit, propiusque malum est. jam pulvere cælum Stare vident. subeunt equites: & spicula castris Densa cadunt mediis. it tristis ad æthera clamor Bellantum juvenum, & durâ sub Morte cadentum.* Ibi Servius & Turn. l. 28. c. 32. *Stare* interpretantur, *pulvere oppletum esse.*

80. MANVS] pro exercitu. Cæsare 3. civil. *manu factâ irrumpere.* Cic. pro Cæc. *Qui manum fecerit, copias paraverit, multitudinem hominum coegerit &c.* ubi ter idem dixit. utuntur & I. C. hoc verbo. Proper. 1. Ep. 20: *Hic manus Heroum.* idem 4. El. 6. *Huc mundi coiere manus.* Passerat.

82. NOSTRI C. INGRVVNT VICIMVS] Grut. malebat, *ingruunt Vicinius, vi feroces.* nam eos nondum vicisse, vel ex sequenti oratione colligitur. unde & Lambinus malebat, *Vincimus. Ferox,* in laude poni diximus Curc. 4: 3. Jam hi versûs in omn. edd. aliter atque aliter leguntur & disponuntur. etiam MSS. priori attexunt. Libuit nobis sequi Camerarium. *Colerus* docet, *Ingruere* verbum militare esse, & significare, *clade afficere*: ut & Servius ad illud Virg. *Ingruit Æneas Italis.* Caussam affert elegantem ex *Joh. Sarisberiensi* lib. 2. cap. 13. *Grus semper adfert quod expedit: unde &* Gruere *verbum ambiguum: à quo* Congruere, *quod proficit: &* Ingruere *contrà, quod officit. Unde illud:* —— *vitibus ingruit horror.*

83. FVGAM IN SE TAMEN NEMO CONVORTITVR] i. fugam in se nemo conversam inclinatamque habet. Poeticè dictum, ut *Nuda genu, &c.* Turn. lib. 4: 15. Atque hanc interpretationem laudat Gruterus, in *Notis ad Statium Papinium.* lib. 9. Theb. v. 676. nondum editis; explosâ Lambini, & Palm. qui pro, *in se,* legit *ince*: ut *sice, quamde &c.* Douza Pronomen illud *Se,* non *In semetipsum,* verùm potius, *In suos* dictum accipit, Multitudinis, non Unitatis numero: ut alibi Plaut. *Eamus ad me,* pro, *domum meam.* Igitur, *In se,*

ſt, idem erit hîc, quod *in caſtra*, ſeu *poſt principia ſua*, fronti ſcilicet exercitûs in tergum obverſâ.

84. QVIN STATIM REM GERAT] *Statim*, priore ſyllaba productâ; *ἐπιμόνως*, *perſeveranter*, *æqualiter*, ut vult Nonius. infra, v. 120. Scaliger notavit ad editionem ſuam, *σταδιαίως*. *Rem gerat*, i. pugnet, hoſtem feriat: id agat quod expedit & quod oportet: *Sim. Boſius*. Ovid. 1. Faſt. *Remq; ferox ſaxis ſtipitibusq; geſſit*. Horat. 1. Od. 6. *Quam rem cunq; ferox navibus aut equis Miles te duce geſſerit*. Behot. 1. cap. 20. Apophor.

85. AN OMITTVNT] ita MSS. Cam. & Lang. & omn. edd. vett. non, *amittunt*.

86. QVISQ. VT STETERAT, IACET, OBTINETQ. ORDINEM] *ut*, pro, *ubi*: Douza. neq; aliter Scaliger, qui ex 5.1. producit verſum 11. *Ubi quisq; inſtiterat, concidit crepitu*. Ita Salluſt. Conjurat. Catil. cap. ult. *Nam ferè, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amiſſâ animâ, corpore tegebat*. Juſtin. 8. *Non tamen immemores priſtinæ gloriæ cecidêre, quippe adverſis vulneribus omnes, loca quæ tuenda à ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt*. Seneca: *Sanè tantæ curæ fuit in gradu conſtare, ut contenderint caſi eundem obtinere*. Ita Latinus Pacatus in Paneg. Theod. Aug. *Gladiatoriâ deſperatione pugnare: nec gradu cedere, ſed veſtigio ſtare vel cadere*.

88. EQVITES IVBET DEXTERA INDVCERE] Lambino, *invadere*: placet: qui & conjiciebat, *irruvere*, pro, *irruère*: ut, *fuvit*, pro, *fuit*. quod & P. Merulæ probatur. Palm. l. *equites jubet dextrâ inundere*, pro, *inundare*. Sanè eleganter, inquit: & ita *Inundationes* atque *Illuviones* barbarorum in Italiam legimus, & alioquin libenter à fluviis ac torrentibus præliorum ſimilitudines capiunt. *Fluctuantem aciem*, Livius; & Tacitus *fluitantem labentemque militem* dixit, &c. Teſtatur tamen *Gruterus*, omnes MSS. & edd. ante Aldum ſervare unâ quaſi conſpiratione *inducere*: ideoq; non temerè transformandum.

90. IMPETV ALACRI] Ita MSS. Pall. Cam. & Lang. & vett. editt. Cam. & Lamb. numeris, credo, fulciendis leg. *impetuque*. quâ fulturâ non eſt opus, ſi recipiamus MS. Pirckheimeri lectionem, *impetu volucri*: quam indicavit M. Piccartus.

91. FÆDANT] i. dilacerant & cruentant. *Fædum* enim tam apud Virgil. quàm Salluſt. non *turpe* ſignificat, ſed *crudele*. ut Æn. 11. *Pectora nunc fœdans pugnis nunc unguibus ora*. Et 2. Æn. *Sanguine fœdantem quos ipſe ſacraverat ignes*. Salluſtius: *Fædi oculi*. Servius Æneid. 2.

91. IVRE INIVSTAS] i. injuſtiſſimas, formâ veteri: *Gil. Long.* J. Meurſius ſuſpicatur, *juro invisas*: qui & totum hunc locum reſtituere ſatagit, in Exercitationibus ſuis criticis.

92. NVNQVAM ET.] Ab hoc v. omnes in hâc deinceps Scenâ ſunt troch. Archilochii, id eſt, tetram. catalect. *Cam.*

95. VORTENTIBVS] Schop. Pueriliter, inquit, *terga* ſubintelligi vult Lambinus. Ego *vertentibus* pro *verſis* dictum puto: ut Lucr. *Omnia commutat natura & vertere cogit*, pro, *verti & mutari*. Id. *Cancer ut vertat metas ad ſolſtitiales*. Sanè & Virgilio *verſi* pro *fugientibus* dicti: —— *aut verſi terga dedêre*. idem ſentit Paſſer. ad 1. Propert. el. 16. *Vox percuſſas dominæ vertat in auriculas*, ubi exempla plura.

98. HOC COMME.] *hoc*, i. ideò. D. Pareus in Electis titulo *Memoriæ*, ex iſtis verbis, tale excoxit ſebum: Memoria magis viget ante ſumptum ſuum. Hui! quam longe iſte ſua quærit. imò vult, ſtomachum latrantem in cauſſa fuiſſe, cur promptius meminerit: Sic Epid. 2. 2. v. 31. *Id adeo quàm maximè animum advorterim: pleræque hæ ſub veſtimentis ſecum habebant retia*. quod ibi *animadvortere*, hoc hic eſt *meminiſſe*.

DIREMIT NOX &c.] Videtur, inquit Merula, imitatus Ennium Plautus, vel (ut quidam nituntur probare) hunc ille: —— *bellum Æquis de manibus nox intempeſta diremit*. ita Liv. lib. 21. *Nox accenſum ingentibus animis prælium diremit*.

101. VELATIS MANIBVS ORANT] *Velati* dicebantur, *inquit Scalig. Conject.* qui caput cinctum licio laneo habebant. Virgil. 12. Æn. *Velati lino, & verbenu tempora cincti*. Livius lib. 1. *Legatus ubi ad f.* vide paulo Superius. Sic *ſupplicia* & *velamenta* dicebant τὰς ἱκετηρίας, quod nimirum filo laneo velatum erat caduceum. Itaque ab eo dixit Plautus, *Orare velatis manibus*. Turnebus lib. 4. 15. *Vel. m.* eſt, cum velamentis & vittis ui-

ut V. 2. Æn. *Præferimus manibus vittas, & verba precantum:* Æneid. 8. v. 664. *Lanigerosque apices &c.* vel ramis oleæ lanâ involutis, &c. lib. 5: 7. & lib. 8: 16. Historici & Poetæ *lanam* & *infulas* & *vittas* & *velamenta* seu *velamina*, item *velatam colum* appellant: Græci etiam στέμματα, i. *vellera*. Vide & Serv. 8. Æn. v. 28. —— *cui me fortuna precari Et vittâ comptos voluit prætendere ramos.* Tiraquell. ad Alexand. l. 4. c. 7. notat, esse, qui hic *vittatis manibus* legat.

IGNOSC. PECCATUM] V. N. Curc. extremâ.

102. DEDUNTQ. SE IN DIT. ATQUE IN ARBITRATUM] Ex formulâ & ritu quasi solemni dixit, *in arbitratum*. Polybius in Excerptis Legationum CXLII. interprete Is. Casaubono: *Qui populi R. ARBITRIO.* (ἐπιτροπῇ) *se suaque victi permittunt, ii agrum primò illis dant omnem quem habent, & urbes quæcunque sunt in illo: ad hæc viros pariter & fœminas, quotquot in agro fuerint; amnes, portus, sacra, monumenta deniq.: ita ut omnium domini fiant Romani.*

105. QUI] pro, *quâ*. Verùm cùm numeri versu isto sint innumeri, & potitare corripi nequeat syllaba prima, transponenda videntur: *Qui Pterela rex potitare solitus st.* videatur infra versus 263.

PTERELA] Aut heîc ἀποκοπὴ est, pro, *Pterelaus:* aut legendum, *Qui Pterelas.* dicebant enim, *Pterelaus*, *Pterelas*: sicut *Arcesilaus*, *Arcesilas.* & sic infrà bis térve rescribendum. *Meurs.*

108. NEQ. EGO HUNC HOM.] MS. Cam. 1. *huc.* alii tamen scripti, *hunc.* forte fuit, *hoc:* demonstrantis. Sic Mostell. act. 2: 1. *non hoc longè, Delphium.* Gruterus.

110. STATUM] Donatus Eun. act. 3: 5. *Statura* corpori adscribitur: *Status* ad habitum refertur. Ergo *Status* est σχῆμα, *Statura* longitudo corporis.

113. TELO SUO SIBI, MALITIA &c.] suo ipsius telo. *Malitia* autem *est versuta & fallax nocendi ratio:* ut Cic. 3. de N. Deor.

116. NOCTURNUM] Noctis deum: quem Varro in Satiris perpetuo sopore & ebrietate torpidum induxit. Jac. Durantius JC. Var. lib. 2: 14. l. *Nocturnium*, ex D. Hieronymo & M. Capellâ. Est & *Nocturnus*, Vesper, qui noctem ducit, *Luciferoque* opponitur à Statio 6. Theb. appellatusque à Catullo *Noctifer*.

A Vide Turn. lib. 24. c. 27. Et *J. Douzam F.* mihi audi. Dignum & illud (*inquit iste*) observatione: Horatium (lib. 2. Od. 9.) utramque *Veneris stellæ* appellationem sub *Vesperi* vocabulo confudisse, quum ait: —— *nec tibi Vespero Surgente decedunt amores, Nec rapidum fugiente Solem. Hesperus* enim hic etiam pro *Lucifero* accipitur, cujus rei haud scio an exemplum aliud extet: nisi quod Plautus in Amph. *Nocturnum* (quem non *Noctis deum*, ut vulgò capiunt, sed *Hesperum* esse mihi persuadeo) pro *Lucifero* sumpserit, &c. Valdè enim insulsus jocus fuerit, si Noctis deum, qui tunc, diei finibus in arctum redactis pomœria sua valdè extenderat; ac non potius Luciferum, quòd non exoreretur, velut sui muneris oblitum, in somnum profundiorem incidisse intelligat: præsertim cum Solem eandem ob caussam paullo pòst accuset, *Credo edepol &c.* Neque turbet aliquem, quòd statim Vesperuginis mentio fiat à Sosiâ. hæc enim decorè confunduntur in personâ servi, &c. Etiam P. Merula in Cosmograph. *Nocturnum*, i. *Hesperum* pro *Lucifero* accipit. Et Luctatius interpres Statii: *Lucifer & manè oritur & vesperè, sed equo mutato.* (mane scil. candido utens, vesperi fusco.) unde & *desultor* dicitur, &c. Vide Not. in Tibull. c. 3.

B 118. MUTAT] Rectè. nam *Muto* est à *Motu*, quasi *moto*. Habeat communia principia appellationum *Motus* & *Mutatio*: κινῶ. quomodo curiosè disputant Jul. Cæs. Scaliger in *Theophrast.* & Christian. Becmanus noster in *Originum* libris. Passerat. l. *motat* ut & Basil. Cod. quod in editionem primam invixit Pareus contra omnes MSS.

118. ATQ. UTI] i. quam ubi: D. Ald. editio, *statque uti &c.* sed illud rectius.

119. JUGULÆ] *Jugula stella est Orion: dicta, quod amplior sit cæteris quasi nux juglandis:* Festus. Sic *Vesperugo*, stella quam alio nomine *vesperum* & *vesperam* Latini, Græci ἕσπερον appellant. In v. codd. & in sex Palat. item in MS. Cam. legitur, *Jugulæ*: idque reducendum censuit Gruterus.

120. STATIM] i. fixè. suprà. v. 84. Val. Flaccus lib. 3. Arg. —— *neque enim igneæ cedunt Astra loco. lentus hæret nox conscia bigis.*

120. DIE] pro, *diei*. Virgil. 1. G. v. 208. *Libra die somniq. pares ubi fecerit horas.* Auson. in

in Rosâ: *Ad primi radios interitum die.* Salluſt. Jug. *Et jam die veſper erat.* Ovidius: *Utque fide pignus, dextras utrimq; popoſcit.* Horat. 3. Od. 7. *Conſtantis juvenem fide.* vide A. gell. lib. 9: 14.

122. OPERAM DAS] Sic omnes Pall. at MS. Cam. *des.*

123. HAC NOCTE LONGIOREM &c.] Teſtantur omnes Poetæ, noctem eam, quâ Hercules genitus eſt, fuiſſe omnium longiſſimam. Nam (ut Seneca, Agamemn. act. 4.) *Violentus ille Nocte non unâ potuit creari.* Unde & τρισέληνος, item τριέσπερος λέων, *leo trinox*, à Lycophrone: & τριέσπερος ἀλκείδης, à Juſtino Mart. dicitur. Statius lib. 12. *Ternoctem Herculeam* dixit. Alii tamen duas tantùm memorant. D. Hieronymus adverſ. Vigilantium: *Liberè proclamabis te eſſe aut Mercurium, propter nummorum cupiditatem, aut Nocturnum, juxta Plauti Amph. quo dormiente in Alcumenæ adulterio duas noctes Juppiter copulavit, ut magnæ fortitudinis Hercules naſceretur.* Vide Meurſ. ad Lycophr. Ovid. 1. Am. *Ipſe deûm genitor, ne te tam ſæpe videret, Commiſit noctes in ſua vota duas.* Propert. lib. 2. el. 16. *Juppiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos: Et cælum noctu bis ſine rege fuit.* Apud Arnob. lib. 4. etiam *novem noctes* leguntur, ſententiâ Clementis Alexandrini quoq;. Verba illius ſunt: *Juppiter pater noctibus vix novem unam potuit prolem extundere, concinnare, compingere. at Hercules Sanctus deus natas quinquaginta de Theſtio nocte unâ perdocuit & nomen virginitatis exponere, & genitricum pondera ſuſtinere.* Quanquam autem Jac. Durantius hæc interpolat, & pro *novem* reſcribit *duas*: Del-rio tamen ad Senecam, & Heraldus ad Arnob. videntur alterum potius probare.

124. PEPENDI] V. N. Aſin. act. 2: 2.

PERPETEM] i. perpetuam, jugem: *Feſtus.*

125. HÆC VICIT] Douza, *vincit.*

126. APPOTVM] i. ebrium: Meurſius. Ita Boſius, ad Attic. Cic. lib. 11. epiſt. 21. Majorem, inquit, vim habet *appotus.* quàm *potus.* Ita apud Cic. plus eſt *adnovitius*, quàm *novitius*: *admodeſtior*, quàm *modeſtior*: ita *apprimus, approbus* &c.

A 126. NISI INVITAVIT SESE IN COENA PLVSCVLVM] niſi meracius & plus æquo bibit. Sic Rud. & alibi. Lucill. *vino invitavit dapſilius ſe.* Salluſt. 4. Hiſt. *Cum ſe cibo vinoq; læti invitarent.*

130. MODO SIS VENI] *Sis*, pro, *ſi vis*, uſitatiſs. Comicis, atque aliis etiam: *Abi ſis: cave ſis: tace ſis: cedo ſis, &c.*

130. INVENIES INFORTVNIVM] comparabis, accerſibis. Virg. 2. Æn. *Ipſe manu mortem inveniam.* Propert. 2. el. 4: *Aſpice quid donis Eriphyla invenit amaris.* ibi Paſſerat.

131. SCORTATORES, QVI SOLI INVITI CVBANT?] Vett. edit. *qui ſoliti initi cubant.* Hinc M. Klock ſcribit uno verbo, *Solitimidi*, i. qui Solem & conſcientiam lucis fugiunt. Parei editio prima; *qui ſolitè invîſi cubant?* i. qui de more loca ea frequentant remota ab arbitris. *inviſus* ἀόρατος. V. N. Epid. act. 4: 1. adeo ſuſpiciones febriculoſiſſimas veritati præponit.

132. CONDVCTO MALE] i. carè, diſpendioſè, magno. V. N. Pſeud. act. 1: 2.

B 134. COMPLEXVS] *Douza*: Credo, *complexus*, iſtud participii paſſivi ſignificatu ſumendum, *à complecto*, cujus ſimplex eſt *plecto*: proinde uti ab *Implecto, Implexus.* neque multo ſanè aliter Lucret. *Quæ complexa viri corpus cum corpore jungit.* Et: *Implexus validis Veneris compagibus hæret, &c.* Itaq; errat Lamb. qui *eam* ſubintelligit. Etenim *cum* illud cum *complexus* conſtruendum eſt, &c.

137. NVLLVS EST HOC METICVLOSVS ÆQVE] valet; Nullus eſt hoc meticuloſior. *Turneb. l. 4: 15.* Pareus edidit *metuculoſus*, & ita aſſerit haberi in Cam. MS. item Pall. ſex, niſi quod quintus *metucol.* vaniſſimè. illud *metuculoſus* ſolùm viſitur in Cam. & Pal. quinto, ceteri omnes ſtant à vulgato, nullusque liber ſcriptus agnoſcit *metucoloſus*? Verum abſtinebo deinceps ab hujusmodi monitis. nam nullâ non paginâ falſò laudat ſcripturam Palatinorum. Exempli cauſſa ad verſum 147. notat Pall. omnes ſervare *primum*, non *pridem.* imò planè contra eſt. in nullo reſtat illud *primum.* nempe feſtinatio hunc ſemper habet eventum.

137. QVEM? IN MENTEM] Ita Meursius hæc dispungit & legit. *Quem?* supple; *video hoc noctis ante ædeis?* nam referendum ad priora verba, quæ, cum Mercurius interrupisset, eo modo resumit. Et ita leg Edd. vetr. item Camerarianus & Pall. sex: nisi quod pr. & sec. amplius, *quem mihi in mentem venit.* Camerarius finxit, *quom in m. v.* apposité.

138. VVLT PALLIVM DETEXERE.] Proinde, quasi hoc pallium meum textoris operâ adhuc indigeat: ille autem, ut textor, id sit perfecturus; eo me despoliare ac nudum statuere cogitat. Mercurius enim se ad pugnam componens brachia huc & illuc jactabat in morem textoris, *L.D.* Turn.lib.30.c.34. Hoc igitur jacit ut in spoliatorem ac grassatorem. Porrò Alciatus, *Neta*, inquit, *lana* dicitur, quæ tamen & *substamen* est: *Detexta* dicitur, cùm perfecta est, & à textrinis instrumentis detrahi potest: unde & *detexere*, auferre est. quapropter Virg. 10. Æn. v. 424. *dum texit Imaona Alesus.* i. dum spoliat & exsuvias legit & petit. quomodo & Turnebus hoc Virgilii explicat cum Servio, à quo & (in edit. quidem P. Danielis) Plautinum citatur: *Ego hunc hominem detexam pallio:* sed ex aliâ fortè Comœdiâ; si tamen ex ullâ. Videbatur enim noster *exteram* potius usurpaturus: uti Bacchid. *Extexam ego illum pulchrè.* Quid propriè *Detexere*, dictum Pseud.act.1: 4.

139. DENTES PRVRIVNT] V.N. Mil. act.2: 4.

140. ME HOSPITIO PVGNÆ ACCEPTVRVS EST] Jocus παρὰ προσδοκίαν. q. d. Accipiet me non adventitiâ cœnâ, sed pugnis. Douza l. *pugni.* neque improbat Gruterus, præsertim quòd in nullo MSS. legeretur *pugnæ*, sed *pugne.* Haud enim magnum esse discrimen inter *E.* & *I.* veterum, docere Virgilium illum antiquissimum, qui servatur in Bibliotheca Palatina à capite ad calcem majusculis exaratum litteris, quas *capitales* vocare solemus. Interim Poetam putat alludere mori veterum, imò verò & nostro; quo insigniuntur domûs & præcipuè hospitia publica picturis quibusdam. dicatque Sosia, se exceptum iri hospitio, cui præpicta *pugna*, sive adeò *pugnus.* De quib. Turnebus, & Torrentius ad Suetonium. Si hoc displicet, veniebat eidem Grutero in mentem, *hospitio pugneo;* utique cùm legatur Rudente act. 3: 4. *Jam herclè tibi messis in ore fiet mergus pugneis.* A facere autem suæ huic interpretationi putat locum Pœnuli act.1. sc.3. *Majorem partem in ore habitas meo.* Certè & Acidalio arrisit illud, *hospitio pugneo.* idque illicò editioni suæ pr. intulit Pareus: qui tamen turpiter contaminavit versum in altera, dum scribit acceptur'st. & talibus elisionibus centies deinde, peccavit & amplius. hic semel indicasse, sufficit. Sic ubi *is* occurrit fine versus idem nobis objicit I longum: quo ipso versum uno defraudat pede. sic infra hîc versu, 218. extremo habet *ingratIs*, pro *ingratiis.* absurdè.

142. VT VIGILAREM] Ita MSS. & Edd. vett. Parei editio pr. *ut vigilem*, non sine ruina versus.

145. IG. MAGIS MODVM] Acidal. l. *Igitur demum magis majorem in se se concipiet metum.* Frequentissimum nostro, *igitur demum.* infrà act. 1: 2. act. 3: 1. Mostell. Trin. alibi. & istud in editionem suam pr. rapuit Pareus. Meursius putat verius: *Igitur magis modò immaniorem in sese c. m.*

146. QVOD VENTRI VICTVM NON DATIS.] Significat se esse grassatorem ac præmiatorem nocturnum; & ex spoliis hominum pugnis à se contusorum vitam tolerare: igitur B minas velitares Plani ac spoliatoris imitatur: *Turneb.*

148. IN SOPOREM COLLOCASTIS] plagis malè mulcatos & ictibus sopitos, propèque exanimatos stravistis. Sic Martial. l.5.66. *collocat hastæ sues.* Turneb. l.4: 15. Jam *Mors* & *Somnus* sunt fratres germani. hinc illa, χάλκεος ὕπνος: τανηλεγὴς θάνατος, *mors in soporem longum collocans.* ὕπνος νήγρετος, *somnus unde nemo expergiscitur.* Vide Paus. Eliac.1. Ita Mars dicitur βροτολοιγός, quòd homines dormire facit. Vide *Lamb.* ad Horat. lib. 1. Odâ 24. *Nudi* autem, sunt vestimentis spoliati. *Paulus G.F.P.N. Merula* existimat allusum ad ritum antiquum, quo defunctum ex penitiori æde, albâ veste indutum in domûs vestibulum producebant, atque ibi lecto collocabant, cauto, ut corpus foràs spectaret, facie pedibusq; in publicum versis. quod Græcis προτίθεσθαι, Latinis *collocare.*

149. QVINTVS FIAM è SOSIA] Jocus in ambiguo. Nam & *Quintus* prænomen est Romanum: & *Quintus* est, qui sequitur quartum.

150. AVTV-

150. AUTUMAT] *Autumare, est dicere*: Nonius. Ita vulgus ad VVittebergam, Er meinet/pro, Er saget.

151. SIC COLO] ita Grut. è MSS. reponit, in quibus fere, ut & in edd. vett. *sicolo*. recentt: *sic volo*.

152. CINGITUR] pro, *accingitur*, aptatq; se pugnæ, i. gradum ad præliandum componit: *Si pugna est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum*: Douza.

153. QUISQUIS HUC PROFECTO VENERIT] Fortasse verius: *q. h. profectus venerit*. ut Rud. 3: 6. *Cum ad me profectus ires*. Et Sall. *Quò profectus intenderat*. D.

154. HOC NOCTIS ESSE] nocte tam serâ edere.

157. TRACTIM TANGAM, UT DORMIAT.] Perbellè videtur ludere, tralatione à nutriculis ductâ, quæ pusiones palmâ leniusculè demulcent, ut dormiant. Hinc in rem seriam detorto verbo, *tractim tangere*, palma ferire est: ut *ductim*, pugno. Unde Paulus JC. *pugnum servo ducere*, dixit: *J Gul.* Sisenna (referente Charisio lib. 2.) *tractim* hîc exponit *lentè*. Servius ad illud V. 4. G. de apibus morbidis, —— *tractimque susurrant*, notat: *sine intermissione, jugiter*. at Nonius, *diutinè, & longo tractu*. De v. *Tangere* V. N. Epid. 5: 2.

159. NEQUITER FERIRE &c.] Ita MSS. & Edd. omnes. Dousica: *nequiter f. m. malè discis, manus. Aliâ f. es. op. q. tu, pugne, legeris*. Douza F. *Nequiter* &, *Malè*, paria facere, ait, apud Plautum: ideoque legit; *Nequiter ferire malam (i. maxillam) malè discit manus*. Ita *malam manum* accepisse videtur infrà, act. 2: 1. *Huic h. nescio quid mali malâ est objectum manu*. respondet: *Fateor: nam sum obtusus pugnis pessimè*. & Persâ act. 2: 5. *Bosius* verb. *ferire*, ad *detexere*, quod suprà, referendum censet: quia *ferire* dicantur textores, cùm telam pectinis dentibus feriunt: Var. 4. de L. Lat. *Palm.* sic annotat: Sermocinatio est quasi lanistæ, qui gladiatorem erudiat. verùm restituo: —— *pessum ii: Facinust, nequiter ferire malam: malè discis, manus: Aliâ formâ e. o. q. tu, pugne, legeris*. Sunt verba Mercurii ad pugnum suum, quibus eum tãquam emendans increpat, quòd parùm benè discat colligere se, atque exercere in alios. *Pessum ii*, hoc videlicet, ut tractim tangat. & *ii*, valet i. Jam, *legeris*, hîc rectè. Sic Asin. *ex ædibus delegit*, act. 3: 3. Sic Propert. *Deligere astra manu*, lib. 2. eleg. 21. Ter. Ad. 1: 2. *exspectatum elegisset forâs*. Hæc & plura ibi *Palm.* Probat & Fr. Lindenbruch. *eligere*, pro, *ejicere*, apud Ter. ut & apud Auctorem Ætnæ: *Præcipiti delecta sono*. & *deligere* pro dejicere. V. N. Asin. 3: 3. *Janus* autem *Gruterus* adhuc adolescens, hæc in talem reformabat sententiæ habitum: —— *pessimum est Facinus, nequiter ferire malam maledicis. manus, Aliâ f. q. d.* Cùm prorsùs iniquum sit, maledicis hominibus leviter & leniter præcidere os; oportet, ô manûs, ut quemcunque tu composita in pugnum percusseris, formam totàm immutet. Id quemadmodum fieri soleat, sic explicat Juvenal. Sat. 15. v. 54. —— *Sic teli sævit nuda manus: paucæ sine vulnere malæ: Vix cuiquam aut nulli toto certamine nasus Integer. adspiceres jam cuncta per agmina vultus Dimidios, alias facies, & hiantia ruptis Ossa genis: plenos oculorum sanguine pugnos*. Cæterùm cur has comminationes sibi aptaret Sosia, magna caussa erat: diis siquidem clarè maledixerat jàm anteà; *Nocturno & Soli*. Ingeniosissimè ista Gruterus. Fortè tamen & vulgatam concinnior actio in sensum aliquem animadvertit. Interim Gruteri suspicionem ostentat in editionibus suis Pareus, idemq; versum sequentem integro pede defraudavit. dum è contextu ejecit vocem *esse*, quæ in omnibus libris, cusis scriptisque. quæ petulantia!

160. QUEM TU PUGNO LEGERIS.] Tralatio est à legulis uvarum & fructuum. ut enim illi manu uvas, oleas, fructûs legunt: ita vindemia & fructus grassatoris est, homines pugnis malè mulcatos, tanquam fructûs legere & spoliare. Sed & Grammatici, *legere*, pro *ferire* & *percutere*, à Plauto usurpatum, annotant: *Turnebus* lib. 30. c. 34. *Pugno legere*, ait Meursius, eleganter dictum: cui respondet nostrum Idiom: Met een Vuyst beleſen. Gruterus simpliciter capit *legere* pro *eligere*; ut alludatur illi —— *legitque virum vir*, apud Maronem.

161. ME INTERPOLABIT] *Interpolare, est immittere & interponere, & novam formam è vetere fingere. tractum ab arte fullonicâ, &c.* Nonius. Minus verò potius est, ut dicatur ductum à tectorio. Plinius lib. 35. cap. 16. *Terra chia lacte diluta tectoriorum albaria interpolan-*

 polan-

polantur. Gutherius lib. 2. c. 28. de jure manium, qui legatur. V.N. Mostell. 1: 3.

162. EXOSSATUM OS] Exos & edentatum ac contritum. Acidalius è vett. edit. l. *Exossatum oportet esse, q.* Neque enim *os* tantùm, sed totum hominem vult exossari: ut patet ex verbis subsequis. P. Colvius ad illud Apollinar. l. 3. epist. 13. *Ossuum ramosa compago,* notat, τὸ *Ossium* non ab *os*, sed *ossu*, formatum esse: & eâdem formâ hîc *exossuatum* legendum, ut alibi *exdorsuatum.* atque ita & versum velle.

163. QUASI MURENAM] De ea videatur Perf. 1. 3. v. 30. Ceterùm intellexi ex coquo Romæ Vincent. Contarenus, murenas spinis usque adeo subtilibus refertas, ut esui non sint, ni eximantur. eximendarum hanc esse rationem. principio bene cædi bacillo, deinde læva capite apprehenso, dextra à summo deducta ad imam caudam quam potest maximè comprimi; sic spinas omnes ad unam, in caudam contractas, unà cum ea resecari, & gustaturos liberari omni molestia. *Exossare* igitur ut *muraenam*, est fuste bene dolare, vel ossa usque eo comminuere, ut nullum eorum sit reliquum vestigium: omnino autem, ut suadet libido, aliquem vexare. hæc ille Variar. Lect. cap. 11. Porrò edd. vett. & MSS. plures servant *ne* pro *ni.* non male. in Pall. pr. videtur initio fuisse, *nei.*

164. ULTRO ISTUNC] i. procul à me absit. Ita Casinâ, *Ultrò te amator: apage te à me.* Capt. *Ultrò istum à me.* Ita Dousa, Bosius, & Gruterus è MSS. suis, in quibus omnibus *istuc* litterâ minus. At verò Meursius, *istic*, tenet: & valere vult, *istoc modo*, itaque à Plauto alibi & Apul. usurpari: & esse Græcismum ὅτως.

165. OLET HOMO Q. MALO SUO] hominis cujusdam odor ad nares meas pervenit, magnâ cum ipsius pœnâ. V.N. Asin. 1: 2.

165. QUIDAM] rectè. non, *quidem*, sic Græci suum τι & usurpant, cum aliquem perstringunt. Aristoph. in Ran. ἀγορεύω τινί, *alicui prædico*, i. tibi ipsi. Ita & mei, quando incalescunt, populares: Ich wils eim gesagt haben! cum neminem tamen certum intelligant. Vide Des. Heraldum ad Arnob. lib. 4. *Hylam nescio quis diligit*, i. Hercules. Ita & A- A *liquis.* Tertullian. Apologet. c. 12. *Videri est is, qui Senecam aliquem reprehendisti &c.*

165. HEI NUMNAM EGO OBOLUI] Sic alias legi notatum in MS. Cam. cùm prius fuisset *numquam*, quod & in Pall. & edd. vett. Monuit Camerarius, suspicari se veram esse lectionem, *Hei mihi, quia nam ego obolui?* i. Cur, aut quo pacto. ut, *Hei quia nam tanta cinxerunt æthera nimbi, &c.*

166. ATQ. HAUD LONGE ABESSE OPORTET] sc. eum, quem olfacio: *L.* Bosius ita: Atque haud longè ab eo malum abesse oportet: citò fiet, quod dico: ut mihi pœnas det. Sed suum Lamb. præfert.

VERUM LONGE HINC ABFUIT] Et hæc verba sunt Mercurii. Scit enim Mercurius, ut deus, Sosiam, qui nunc præstò est, longè hinc antea abfuisse. Et hoc probant sequentia.

167. SUPERSTITIOSUS EST] Hic homo est ariolus, qui sciat, me longè hinc abfuisse. Nam *Superstitiosus* etiam fatidicum. fanaticum, & vel futurorum augurem, vel præteritorum, quæ humanitùs scire non potuit, ariolum significat. quod genus hominum insanum & furiosum est. Atque hæc loci hujus sent. est, auctoribus Bosio & Lamb. V.N. B Curc. act. 3: 1.

168. DOMES] Si pugnos in me exercitu rus es, quæso ut eos prius contra parietem mollias, quàm me percutias: *L.*

169. VOX AD AURES ADVOLAVIT.] Horatius lib. 1. Ep. 18. v. 71. *Volat irrevocabile verbum.* & graviter Cicero pro Plancio: *Nihil est tam volucre quàm maledictum; nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur.* Rectè igitur Homerus ἔπεα πτερόεντα προσηύδα: verba enim velut pennata esse ait, quæ teli instar per aures celerrimè feruntur. Torrentius.

170. QUI NON ALAS INTERVELLI] Hoc eò muttit Sosia: quia Mercurius dixerat, *vocem sibi ad aures advolâsse*. ut persistat in metaphorâ: proinde acsi de bestiâ aliquâ volaticâ loqueretur, &c. *Douza.*

VOLUCREM VOCEM] pinnatam, πτερόεσσαν. Suidas ait, Mercurium pingi alatum, quod velocissimus deorum habeatur: nihil enim sermone, cujus typum gerit Mercurius, velocius. Et Apulejus (ut Turn. lib. 6: 18. notat

protat) verba, quæ Homerus solemni adjectione πτερόεντα appellat, *pinnis apta*, i. pennata dicit. Ita apud Cic. 3. Off. *Fides apta pinnis.*

171. MALAM REM ARCESSIT JUMENTO SUO] Hic plagas quærit & verbera, ductum ab oneribus, quæ jumentis imponimus: Turneb. l.30: 34. Sed melius est, *suo sibi jumento*, explicari, pro suo proprio jumento, id est, *sibi*: Id. l.4: 15. Sim. Ulricus Pistoris, *Suo*, inquit, *jumento sibi malum arcessere*, dicitur, qui suâ operâ suâque impensâ sibi malum quærit. Cæterum, *arcesso*, rectè scribitur; non *accerso*. ab *arcio*, pro *adcio* vel *accio*. nam veteres *ar* pro *ad* ponebant. Vide Priscian. lib. 1. Idque etiam *Grutero* probatur.

173. LASSUS SUM H. &c.] *Lassus sum è navi*, i. è navigatione. Bacchid. 1: 1. *Nam ut in navi vecta es, credo timida es.* Ita alibi: *lassus sum de viâ, &c.* Palmer.

176. NESCIO-QUEM LOQUI AUTUMAT &c.] Suspicio erat olim, Plautum, qui undiquaque jocum captare solet, illud *Nescio-quem*, ut nomen Personæ haberi voluisse: certè sequentia tale quid clamare videbantur. In Commentarium tamē ut referretur dignum non putâssem; nisi prorsùs eadem ad oram libri à *Joh. Hus-VVedelio* annotata, quinquēnio pòst; immò gemina germana in chartis *Acidalii* offendissem: monuissetque me *Gruterus* alludi ad οὔτις Homericum.

177. VOX AURES VERBERAT] Ita eleganter Lucr. *pontum ponto verberari*, dixit: item, *verbera ventorum, radiorum*. Magis mirè Q. Cicero, *verberavi te cogitationis tacito duntaxat convitio &c.*

181. COMMOVERE] Colerus l. *commonere*. Metus stupidos & immemores facit. quod contra MSS. & editos omnes in editionis suæ primæ latrinam invexit Pareus.

182. ILICET] V.N. Epid. 5: 2.

184. A ME UT] Versui officiunt *à me*: neque multum habent quod hic agant.

185. QUI VULCANUM IN CORNU CONCL. GERIS?] Qui ignem in laternâ corneâ clausum geris. Fiebant olim laternæ & ex cornu, & ex vesicâ: Martial. *Lemmate 62. l. 14.* Qui eandem alibi *ducem viæ* scitè vocat: & alius Poeta vetus, *noctilucam*. Tzetzis, Lycophronis interpres nobilis, tradit, Prometheum primum fuisse autorem laternarum è cornu factarum. De facibus, lychnuchis laternisque, quibus veteres in crebrâ illâ νυκτοπορίᾳ utebantur, itemque de materiâ formâque earundem, quæ etiam sint *laternæ surdæ*; scitu digna annotavit *Casaub.* ad Sueton. lib. 1.

187. UTCUNQUE] i. quomodocunque. Lamb. *utrumcunque*, legit: cùm duo sint posita, *Servus, Liber, &c.* & id statim traxit in editionis suæ pr. speluncam Pareus, sed emisit secunda. quæ mutabilitas!

188. M. VERBERO. S. MENTIRIS NUNC JAM] *Palmerius*: Cùm Mercurius hominem verberonem appellasset Sosiam: ille, tanquam si verbum esset, *verbero*; Mentiris, inquit: non enim verberas. Tum Mercur. At jam faciam, inquit, ut discas ac fatearis me non mentiri. atque inter hæc, parat se ad verberandum &c. Jam ergò apparet, quàm invitâ Minervâ Lambinus hæc mutârit. Eadem *S. Bosius*: qui & ipse jocum in ambiguo, *verbero*, esse probat: cui tamen Lambinus os verberabat.

189. UT V. DICAS DICERE.] Ita MS. Cam. Et, auctore etiam J. Gulielmio, aptissimè ad sensum Plauti. Verberonem servili convitio Sosiam Mercurius increpat. id ille aliò torquens, Mentiris, ait: neque enim verberas; vel potiùs, neque enim sum verbero, qui non verberor. nam *verberones* plagitribæ sunt, quorum costæ plagis & verberibus callent. Ad hoc Mercurius; Faciam, inquit, mox dicas, me verum dicere, & te esse verberonem, cùm contundere pugnis probè. Alii, *discas*.

192. SCELESTAM] ita Cam. & omnes edd. antiquæ; neque aliter Pal. tert. falsò enim affirmat Pareus, illos universos stare pro illo recentiorum, *sceleste*. quod non contentus recepisse, carpit editores qui alterum id male arripuerunt. quasi verò ipse noverit quid malum sit in auctoribus, quid bonum. prima editio, Camerario fuit loco manuscripti, & melior fere est ubique quàm liber ille ejus calamo exaratus. nam quod attinet ad Pall. omnes sunt scripturæ recentissimæ. omnes. quid opus probatione? Versu sequenti iidem sex ineptè præ se ferunt *argumentarier*, ubi editio antiqua bene habet *argutarier*. & id alioquin poscebat versus.

COMPRIMAM LINGVAM] Jocus ex ambiguo: & sent. est flagitiosa: ut patet ex responso Sosiæ.

196. QVIA NOS ERAMVS PEREGRI, TVTATVST DOMI.] Captavit manifestò ἀντίθεσιν, in *peregri* & *domi*. Et genus dicendi nimis quàm elegans est. Ter.Eu.act.4:7.*Solus Sannio servat domi.* sic enim hîc J. Gul. è MS. Lang.V.N.Mostell.2: 2. vulgati *domum*, quod quoque minus apposité in omn.Palatinis.

197. FAMILIARES] V.N.Epid.act.1:1. v.2. Heraldus è MS. l. *familiarem.* quippe Sosias solus domum præmissus erat, absq; socienno ullo. & verò istud, pro flosculo egregio in editiones suas retulit Pareus: invenuste? At est in Pall. tribus eo argumento non vincis. alterum enim restat item in ceteris tribus & præterea in Cam.servantq; id edd.vett.decetque confidentiam, quam hîc præ se fert Sosia, de uno se ut loquatur, tanquam si plures essent.

200. AT SCIN' QVOMODO?] scil. horum servus sis. *Scin' quomodo*, formula minantis est crebra Plauto. Rud. act. 3: 5. Pœn. act.1: 2. Aul. fine. ibid. act. 1: 1. Gruterus, & Acid. Inepta Lambini sunt.

201. FACIAM EGO TE H. SVPERBVM] Jocus ex ambiguo & παρὰ προσδοκίαν. *Superbi* videntur, qui sublimes sunt in equo aut curru, aut qui à servis in lecticâ aut sellâ portantur. Rursus, qui plagis ita sunt contusi, ut pedibus ambulare nequeant, auferantur sublimes necesse est: atque hâc ratione *superbi* dici possunt, &c. *Superbum* hîc *mortuum* interpretatur Nonius. neque repugnat Gutherius cap.17. lib.1. de jure Manium: vult enim eo nomine vocatos *superbos*, quod tunc potissimum splendidiore efferantur habitu, etiam pauperes. Gruterus capit de divite delicato, pedibus suis non ambulante. Titinnius Veliternâ: *Vende thensam atque mulos: sine eam pedibus grassari: confringe ejus superbiam.* ita & nos: Einem seinen Hochmuht brechen.

203. QVIN ME ESSE HVIVS] Sic MSS. o. & edd.vett.versus caussa Cam. reposuit, *Quin med hujus esse.* At malim supplere repetione, *Quin meme esse hujus.* Pareus in Notis imponit hominibus, sermone ambiguo. certè nullus Pall.aut MS.Cam. habent *med.*

205. POSTVLAS?] æquum censes? ἀξιοῖς, L. [illegible]

208. QVID NOMEN] ita MS. Cam. Men. act.2: 1. *quid nomen ei siet.* Pseud.2: 2. & 2: 4. Most.3: 1. v.131. Rud. 4: 4. *dic in ensiculo quid nomen est p. &c.* Ita enim in his etiam MS. Cam.non *quod*: testimonio Gruteri.

209. DAVO PROGNAT. P.] Monet hîc Meursius *Davi* personam nihil aliud esse, quàm quod *Vulpes* in Æsopi Fabulis: testemque producit Philostratum.

210. NE TV ISTIC] Douza l. *Istuc*, pro *istic.* id est, *huc.*

211. AVD. COLVMEN] V.N.Epid.2:2.versui subveniri posse notat Cam. rescribendo *audaciai.*

CONSVTIS DOLIS] *Adsuere*, inquit Palm. & *Consuere*, in fraude, dolis & lenociniis dicuntur. Unde *sutelæ*, *astutiæ dolosæ*, Festo. *Consuti doli* hîc, & Cas. 1. Pseud. Sic Terent. Ph.3: 2. ——*ne quid suo suat capiti.* Nannius 2. Miscel. ducit ab iis, qui assuendo aliquid capiti morbum simulant. Muretus. *Suere*, proverbiali metaphorâ significare idem, ait, quod Gr. ῥάπτειν, i. aliquid, quod alteri damnosum sit, struere: quod in structoris perniciem verti cùm optarunt, dixerunt; *Suo capiti.* Hæc ille. Sic Euripid. Andromachâ leguntur μηχανοῤῥάφοι κακῶν, *fraudulenti sutores malorum.*

213. CERTO PEDIBVS, NON TVNICIS VENIS.] Alter jocus, ex interpunctione natus: quasi dixerit conjunctim, *tunicis venio*: sicut prior ex nomine quæsitus est. Interim notandum, *tunicam* Plauti ævo communem Romæ servorum vestem fuisse: rusticorum item in coloniis & municipiis. At temporibus Imperatorum, non tunicæ amplius meræ, sed *penulæ* in usu servorum: perinde ut militum: ut Seneca prodit lib. 3: 28. de Benef. Vide mihi Herculeum illum laborem J. Gruteri in Senecâ: item Lipsium Elect. 1: 23.

216. CERTVM EST, NON EST ARBITRARIVM.] Spectavit differentiam *arbitrii* & *judicii*: quam Cic. pro Q.Rosc. Com.explicat. *Gruterus*, Cum personarum, *inquit*, adjectio non sit à Poetis, sed vel Interpretibus, vel librariis; nihil mirum, toties peccatum in earum dispositione. Trajecerim igitur hîc libens Personæ notam SOS. *Hoc quidem prof. c.est, n.e. arbitrarium. Tuam fidem obs.* ut sint verba Sosiæ quiritantis, quòd discat vocem illam *profectò*, de quâ argutabantur, non esse arbi-

arbitrariam, sed certam. Similis sent. Curc. 2:3. *Jam edes aliquid. CUR. nolo hercle aliquid: certum quàm aliquid mavolo.* Pœn. act. 3:5. *Eheu, quàm ego h. &c.* Sticho 3:2. *Nunc ego h. perii planè non obnoxiè.* Terent. An. 2:2. *PA. Non opinor. DA. Opinor, narras? Non rectè accipis? certa res est, &c.* hactenus Gruterus. cujus suspicionem admisit edd. suis Pareus. Differentiàm *Certi* & *Arbitrii* pensiculatè nos docuit magni Scaligeri magnus doctor Cujacius. Discrimen inter *certò* & *profectò* alibi discitur.

219. S. TVVS] Ut Euripid. Electra: *πάντας εἰμὶ σὴ, κρεῖττον τῷ εἶ.* Cam.

PVGNIS VSV FECISTI] *Douza* mâlit conjunctim, *usufecisti i.* quomodo dicitur *usucapio, usufructus, manufactus, manuductor, &c.* quamvis divisim etiam oppidò Latinè dicatur.

220. PRO FIDI THEB.] Ita MSS. septem Gruteri & meæ edit. omnes, præter Ald. Maluit tamen Palmerius, *Prò fidem, Thebani cives!* qualia sint; *Prò deûm atque hominum fidem!* & aliquando sine illo *Prò:* ut in Satiræ Varronianæ titulo; *Hercules tuam fidem!* Curcul. *Tuam fidem, Venus Noctuvigila.* Ita fidem Cæsaris implorabant, *Proh fidem Cæsaris!* aut, *Tuam fidem Cæsar!* P. Colvius rescribendum censet, PORRO FIDI THEBANI CIVES! MER. *Etiam clamat carnifex.* Et ostendit Briss. lib. 8. luculentissimè, hujusmodi etiam verbis factam fuisse implorationem: ut, *PORRO QUIRITES.* & hoc erat *Quiritare,* ait Varro, Quiritium fidem (*i. opem,*) clamans implorare. Meursius tamen cum Palm. defendit, *Proh fidem, Thebani cives.*

225. ETIAM MVTTIS?] ita MS. Cam. et geminatio. *J. Guliel.* Monebo semel, quod memineris semper. *Muttire* & *muttitionem* libri scripti præferunt hic omnes. probat idem τῆς ὀνοματοποιΐας ratio. postremò à *mu, mussare,* & eâdem ἀναλογίᾳ, *muttire.*

226. QVI] non, *qui.* Bacchid. 3:3. *Qua vocatur? Bacchus.* Terent. Adelph. 5:6. *Ob, qui vocare? Geta.* Acidal.

228. SOCIVM] Ita MS. Cam. *socium ne m.* neque aliter Pall. nisi quod duo omiserint *ne.* Camerarius eximiè bene reposuerat, *sociennum.* Meursius, Manifestò, inquit, captavit παρήχησιν, quæ minus pulchra est, si *sociennum* legamus; pulcherrima, si *socium,* quod in omnibus est, retineamus. Est præterea ἐπανόρθωσις. Quum enim Amphitruonis se esse *Sosiam* dixisset satis confidenter, resumit peccasse profitens, & voluisse dicere, Amphitruonis se esse *socium.* Et vero in omnibus edd. vett. etiam legitur, *Amph. socium ne me esse v. d.* verùm Gruterus negat affirmativam ita poni posse: quare adhærescit Camerarianæ, tanquam in ea voce consistat potissimum jocus, aut ejus verius explicatio. Erras, inquit Sosia: neque enim unquam dixi, certè dictum nolui, nomen mihi esse Sosiæ. dixi me Amphitruonis socium: hoc est (ne iterum vicinitate soni decipiaris) *sociennum.* Videntur autem prisci quoque extulisse literam c. eodem penè sono, quo S: aliàs frigidior foret jocus; utique iis quibus auris apertior.

230. VTINAM ISTVC PVGNI FECISSENT TVI!] Utinam me pugni ita fugissent tui, sicuti me rationem fugisse dicis! Sic Catullus: *Fugit me ratio.* ἀλογιστῶ. quæ locutio est ejus, qui aliud dixit, aliud dicere voluit: *Muretus.*

233. INDVTIÆ] *Indutiæ sunt belli feriæ,* inquit Varro. vel, *Pax castrensis paucorum dierum,* ut finit Agell. lib. 1:25. quem vide. Sic Apul. 2. Milesiar. *Prælium, quod sine feriali officio indixeras,* i. sine induciis: ut notat P. Colvius. Jam autem *Indutiæ* per *t,* non per *c,* scribend. probat Lambinus. & sic etiam MS.

240. QVID TIBI LVBET] Ita omnes ferè MSS. & Edd. vett. nam recentiorum nonnulli *quod.* non necessariò. alterum enim eodem redit. Male tamen Pareus, qui putat etiam legi posse, *quidquid,* nisi obstarent libri. imò sic legi nequit, quia respuat versus; cujus illi cura nulla; utpote pedûm ignarus.

242. VIVVS] Dein lebetag nicht.

243. ABALIENABIS ME N.] nunquam me, qui sum familiaris, alienum facies: *L.*

244. NEC NOBIS] ita MS. Cam. sed J. Gul. è MSS. suis l. *Nec Noster præt.* V. N. Asin. 2:3.

127. QVID, MALVM! NON &c.] Donatus: Eun. act. 4:7. *Malùm, per Parenthesin suaviter infertur. Et non interponitur, malùm, nisi oculis conversis ad eum, qui aliquid, quod reprehendimus, dixerit. Itaq. malùm, nunc Interjectio est.*

128. HAC NOCTV] Vide Macrob. lib. 1:4.

PORTV

PORTU PERS.] Mari Euboico. quòd in eo steterit classis Persarum, non procul à Thebis: *Fest.*

252. FECIT HERCLE] *Angelus Decembrius* Mediolanens. (qui vixit annis ab hinc præterpropter CLXX.) de Politiâ litterariâ l. 2. pag. 157. Plautus, *inquit*, hîc defecisse visus, qui *per Herculem* jurantem inducit, nondum nato Hercule, cujus paulò post in Alcumenæ partu nativitas ponitur; distractus scilicet temporis sui consuetudine, quâ per Herculem juraretur. Nempe veterum Poetarum est temporum confusione lætari; sed quæ tamen rerum opportunitati conformatur: ut de Didone & Æneâ, vel Æneâ & Mezentio: quibus figmentis nihil videtur verisimilius. V. N. infrà act. 3: 4.

252. MALÆ DOLENT] Sic MSS. omnes & Edd. vett. Versui supplendo recentiores addidere, *mihi*. quid tamen si exciderit potiùs vox similitudinis caussa quæ ei cum altera? *malæ dolent malè*. Sic & supra v. 248. intrûserunt editores posteriores *huc*. cùm ejus loco nihil agnoscant aut MSS. aut Edd. vett. forsan melius iteraretur, *navis, navis ex portu &c.*

154. QUID, DOMUM VOSTRAM.] ita MS. Cam. & Lambinus. Edd. *nostram?* quod in textu iterum recepit editione pr. Pareus, ejecit autem altera. Qualis Prometheus! imò qualis Epimetheus! nam certè *nostram* hic aptius est, servantque & meliores Palatini & Edd. primæ.

Q. QUÆ DIXISTI] ita MS. Cam. & L. at J. Gul. *quin quæque edixti.* uti infrà, *quemque hominem, &c.* quod non modo in contextum recepit Pareus, sed & ejecit eodem versu verbum *modò*, non sine peste versus. Scripsit, inquam, *Quin quæq. edixti?* pueriliter. quid enim hîc faciat interrogatio.

258. VI PUGNANDO] Vi & virtute, non pactione: κατὰ κράτος: *Bosius.* Menæch. act. 5: 8. Vatinius ad Cic. l. 5. Epist. *Sex opida vi pugnando cepimus.* In MS. Cam. scribitur. *VI. pugn. cœpimus*, ut videatur notare sex, hoc modo. *VI.* puncto utrinque è latere: *Grut.*

CEPIMUS] Alb. Gentilis JC. notat laxiùs à Plauto dici, *cepimus*; de hostibus victis fugatisque. Vide ad libr. 1. cap. 4. Macchabæorum.

263. QUI P.] i. *quâ p.*

PATERA AUREA] Regum more Persarum. Vopiscus Aureliano: *Data est ei præterea, cum legatus ad Persas isset, patera, qualis solet imperatoribus dari à Rege Persarum, in quâ insculptus erat Sol &c.* quâ diis suis libabant. Hæc cum legisset Pareus, posuit ad hunc Plauti versum, sequentia: In bello rem bene gerentibus, Rex Persarum pateram auream dono. ò varum acumen! ò argumentationem puerilem! Persæ regi adscribit, quod Teleboi fecere. deinde non militibus data ea patera, sed uni Imperatori.

264. SO. ELOCUTUS EST. UBI] In MS. Heraldi est: *SO. Eloquere: ubi p. n. est?* Sed alterum in Scenâ venustius. Pareo novitas illa placuit: retulitque in sterquilinium editionis suæ pr. Porrò cum versus non stet, fulciri queat immittendo *ea nunc est.*

266. CUM QUADRIG.] De hujusmodi annulorum scalpturâ vide Meurs. Exerc. Crit. Part. 2. c. 9. unde ista excerpsimus. Quamvis primùm nudæ duntaxat litterarum notæ haberentur, scalptura tamen multiplex postea in usu fuit; de qua Plin. l. 33. c. 1. Erant verò in ipsâ materiâ, non in gemmis, quas postea demum addere cœperunt; ut ex Macrob. lib. 7. c. 13. patet. Augente autem luxuriâ adscitis gemmis desitæ litteræ, & sculpi alia varia cœperunt; aut effigies alicujus de majoribus; Val. Maximus lib. 3. c. 5. aut de amicis; Ovid. l. 1. Trist. el. 6. immò & Cæsaris: sed eam latrinæ aut lupanari intulisse, capitale erat: Sueton. in Tiberio; Plin. l. 33. c. 3. Sed & Deorum; Plin. l. 2. c. 7. unde & Pythagoræ symbolum, ἐν δακτυλίῳ εἰκόνα θεοῦ μὴ περιφέρειν. Item animalium ab Ægyptiis inter deos cultorum. Sed tantùm gestabat muliebris sexus, usque ad Vespasianum: tum quoque virilis cœpit. Quin & bruta animalia insculpi solita. talis erat Augusti Sphinx. aut historia aliqua, vel fabula: talis iste Amphitruonis, cujus ænigma, Sol exoriens quadrijugis vectus. Immò res inanimatæ interdum: nam Plinius minor quadrigâ se usum ait, lib. 1. epist. 16. Porrò signaturas quandoque insculpebant convenientes sibi, vel ob eventum quempiam, vel artem quam factitarent; vel munus quod gererent. ita Therapontigonus Curcul. act. 3. insculptum habet militem clypeatum qui elephantem machærâ dissecaret. Quin & imaginem propriam habebant; Pseudol.

Pseudol.act.1: 1. Summâ, quisque quod vellet A ἀποσφράγισμα habebat. itaque necessariò eveniebat, ut aliquibus idem esset. Inde nimirum concessum, ut in testamenti signatione testes omnes uno, & eo quoque alieno, signare possent. Instit. Tit. de Testam. Ordin. §. *Possunt autem.* Ita Augustus initio Sphinge usus est, mox imagine Magni Alexandri; novissimè suâ.

266. QVID ME CAPTAS?] Quid per captiosas interrogationes à me veritatem exquiris? V. N. Epid. 2: 2.

267. VINCIT] ita Edd. primæ, item Pall. sex. idque etiam maluit Camerarius, quamvis offendisset in MS. suo *vicie.* at Pareo alia fuit sententia, obtrusitque nobis illud *vicit.*

270. IN TABERNACVLO] Pareus edidit, *In tabernaclo*, cum nota: Sic V. C. & Pall. nisi quod omnes *tabernaculo.* At nulla uspiam extat editio quæ non habeat alterum istud. quid igitur nota ea vis? prodere stultitiam tuam? omnino!

273. HIRNEAM] ita Scalig. in Catalect. *Hirnea*, vel potiùs *Irnea*, genus vasis est vinarii: antiquitùs *Erneum* vocabatur, παρὰ τὸ ὄρνεον, quòd avis figuram haberet. sic, quòd scarabæo similis, κάνθαρος, &c. nam ita legendum, pluribus etiam docet Meursius. *Irnella* ὑποκοριστικὸν est, apud Fest. Certè Pap. & Carpent. *hirneam* legunt; ut & MS. Cam. at Nonius *cirneam*, ut & Pall. aliquot restat tamen nostrum illud in edd. primis. B

-- INGRESSVS EST VIAM] Pseudolo: *Is leno viam.* Du bist uff'm rechten Weg. V. N. Asin. act. 1: 1.

274. VT MATRE FVERAT NATVM, VINI EDVXI MERI.] Significat, meracum vinum, non dilutum & limphis jugulatum se bibisse. Guliel. Quia in MSS. reperiri videbam, *vini eduxeram eri*, suspicabar leg. *vini eduxi eram meri.* ut fecerit *dominam* sive *heram vini*, lagenam vino differtam; pari venustate, quâ eidem vino *matrem* dedit; & ut nascuntur pueri matribus, atque educuntur: quâ in ambiguitate lusit verniliter: ita iidem, si vernæ sint, educuntur ab heris sive matribus familiâs. quam ipsam heram se *eduxisse* ludens ait: hoc est, ut è spectatoribus multi audiebant, *educasse*; ut ipse intelligi vult, *obbibisse, &c.* (quid sit *educere*, vide Mil. act. 3: 2.) *Filiorum & liberorum*, sicut & *parentum*, appellatio, apud Latinos quidem, ferè tantùm de genere humano recepta est: at Græci his vocabulis utuntur etiam de brutis. Sic in Oppiano μητέρες dicuntur vaccæ; item hirundines. Hebræi verò *filii* verbum etiam ad res inanimatas transtulerunt: ut cùm Jonas de *ricini frutice* ait, cap. 4. v. 10. *filius noctis exstitit, & filius noctis periit.* Significare vult, eum unâ nocte & crevisse & aruisse. quod observavit eruditiss. *I. Drusius* lib. 4. Observ. c. 2. Eique formulæ in Latio hoc simile esse ait, *Veritas filia temporis. Metamelos Inconstantiæ filius.* Sic Pindarus sæpe: ut Olymp. 2. ἁμέραν παῖδ᾽ ἀελίου dixit. Et Olymp. 7. ὀξειᾶν ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατήρ, est periphrasis Solis, cujus quasi filii sunt radii & dies. Sic *vinum* appellat *filium vitis*, Neme. 9. βιατὰν παῖδα ἀμπέλου: quomodo hîc Plautus *vini matrem*, vitem, vocat: ut sic *vinum* sit *filius vitis.* Sic Olymp. 8. *Nuntium* facit *filiam Mercurii*, ἀγγελίαν θυγατέρ᾽ Ἑρμᾶ. Idem Olymp. 11. ὕδατα ὄμβρια, παῖδας νεφέλης. *Aquæ* ergò *pluviæ* sunt *filiæ nubis.* Sic Pyth. 5. elegantissimè πρόφασιν vocat θυγατέρ᾽ Ἐπιμαθέος: *Excusatio & prætextus est filia Epimethei.* Id. Nem. 5. ὀπώραν vocat τέρειναν ματέρ᾽ οἰνάνθας: *Autumnitas est mater vitis floridæ.* Sic idem ὕδωρ κόρας ματέρα θρεψάντων dixit Olymp. 13. Sic Eurip. Hec. τὴν ἠχὼ vocat πέτρας ὀρείας παῖδα: *Echo est filia petræ montanæ.* Sic *Nox mater siderum*, apud Tibull. lib. 2. quo modo Euripid. νὺξ μέλαινα χρυσέων ἄστρων τροφός. Stellæ ergò Noctis sunt filiæ alumnæ. Sic *rorem filium Lunæ & Aeris* dixit Alcman apud Plutarch. & Macrob. Sic Pindaro (referente Plutarcho) ἀλαλὰ πολέμου θυγάτηρ: *Tumultuatio vociferatrix, filia belli est.* Sophocles Oedipo Tyranno, ὦ χρυσέας τέκνον ἐλπίδος ἄμβροτε φάμα: *Oraculum vocat aureæ spei subolem*: quòd spe bonâ pleni deorum oracula adire & consulere soleant. Sic Euripid. Hecubâ: ἀπιδανὸν τῶν καλλίστων ὑδάτων πατέρα vocat: *Apidanus ergò fluvius pater aquarum*: & *aquæ fluvii filiæ.* Et idem, Plutarcho citante, de solertiâ animalium, *Sortem* eleganter vocat *Fortunæ filiam*: ὁ τῆς τύχης παῖς κλῆρος ἐπὶ τούτῳ ἀγείς. Huc pertinent μητροπόλεις, quarum veluti filiæ sunt urbes minores. Sic Agathias *Mortem patrem quietis* appellat Anthol. 1. τὸν θάνατον τί φοβεῖσθε, τὸν ἡσυχίης γενετῆρα; *Quid mortem horrescis, matrem requietis amicæ?* Sic Palladas lib. 1. Anthol. χρυσὲ πάτερ κολάκων ὀδύνης καὶ φροντίδος υἱέ. i. *Palpantum genitrix subolesque*

lesque pecunia cura. Sic *Sapientia filia Usus & Memoriæ* dicitur apud Agellium. Sic Epicharmus apud Clement. Alex. lib. 6. Stromat. ἐγγύα : ἄδε θυγάτηρ ἐγγύας κἠ ζαμία. i. *Sponde : Noxa filia est sponsionis & damnum*. Vel, ἐγγύα : ἄτας δ' ἁ μάτηρ ἐγγύα κἠ ζαμίας, i. ut versu versus reddatur : *Ne fidejube ; nam noxæ genetrix sponsio est, &c.* Atque hæc e Comment. Rittershusii in Oppianum exscripsimus; spero litterarum candidatis nec injucunda nec inutilia. Vide etiam P. Victorium Var. Lect. lib. 23. c. 5. & Lips. Epist. Q. l. 3: 17. qui hoc, de *matre vini*, Euripidis inventum in Alcest. asserit. Denique & Gruterus hoc; *de matre*, interpretatur de vite; non, ut male alii, de vase: laudatque *Cineæ* illius à Pyrrho legati argutum dictum, quod Plin. lib. 14. c. 1. refert: *Miratum altitudinem vitium lusisse in austeriorem gustum vini, meritò matrem ejus pendere in tam alta cruce*. Ubi Dalechampius notat, ejusmodi atrum & asperum vinum à Lucill. *crucium* appellari, apud Festum. marter guter Wein.

276. FACTVM EST ILLVD] MS. Cam. hunc vers. præponit alteri; *Gruteri* auribus approbantibus. Sed & vulgatum constare sibi potest: ut priorem versum sibi quasi dicat, alterum spectaculo. certe positura nostra durat in omnibus plane omnium nationum edd. firmantque eam Pall. MSS. sex. insuave! inquit nostri sæculi Palæmon: tanquam si Asinus gustaret pro carduis placentam.

281. INIVRATO SCIO PLVS CREDET, QVAM IVRATO TIBI.] ita MS. Camerarii. Grut. ait restare in primis edd. & MSS. ferè *credere*. Cic. *Malo ei jurato suam, quàm injurato aliorum tabellas committere*. Id. pro Syl. *Hæc injuratus sum dicturus, quæ juratus in concione dixi*. V. N. Pæn. act. 3: 4.

282. QVIS EGO SVM SALTEM] τὸ ἔγχαδον. Don. ad id Ter. And. Act. 2: 1. *Ut aliquot saltem nuptiis prodat dies*; notat: *Saltem, desperatis rebus solam petentes salutem hoc verbo utimur*. Vox nata, ut in Adelph. Act. 2: 2. idem tradit, à captivis, qui nihil aliud, præter salutem à victore petunt.

283. SOSIA NOLIM ESSE] ita omn. MSS. & Edd. vett. intrusere posteriores *jam*. sed de suo. versus stabit si transponamus, *Sosia esse nolim*.

286. EGO SVM SÆPE IN &c.] vox *sum* exulat editionibus, sed injurie. conspicitur enim in Pall. omn. & MS. Cam. nec respuit eam versus.

287. TAM CONSIMILE EST ATQ. EGO] Notetur, *Tam atque*, vel &. Meursius, Ita, inquit, correxit Lambinus: cùm prius esset *simul est*: item, *consimil est*: quod ego utrumque retineo. Geminus locus postea. Sane casci illi non aliter efferebant. Sic *Debil*, apud Ennium: *Famil* sive *Famel*, apud Festum: *Subtil* pro *Subtilis*, apud Prisc. Sic *Mugil*, *Mugilis*: *Strigil*, *Strigilis*, recto casu, & alia ejusmodi. Meursio adstipulatur Auf. Popma. In Cam. MS. tamen & v. c. legitur expresse, *simile est*; &, *consimile est*, pro, *similist* extrita S. notâ illâ permutatione *I.* & *E.* ut prodit *Gruterus*. Vide mihi & Acidal.

288. TONSVS] In quarto ordine veteres dixisse *Tonsum*, probat Nonius, pro *tonsura*: Eine Kolben. ut & *Nasum*, in neutro gen. Palm. Spicil. legit: *Sura, pes, statura, ton, me oculi, nasum, bella labra*. Facit huc, quòd fere proprio epitheto *bella labella* vocantur. & dixisse hoc histrio poterit ad movendum risum. Vel ita: *Sura, pes, status, tonsus, oculi, nasum, tempus, labra*. Nam *tempus*, & singulum. dicitur. *Status* autem, habitus est & facies standi: ut Pseud. act. 1: 5. *Statum vide hominis quasi basilicum*. Et Eun. 3: 5. *Quis esset status? flabellum tenere te asinum tantum*. Pugilibus & athletis eo statu collocabantur statuæ, in quo vicissent. Benè autem Plautus, post *pedem* deinde *statum* commemoraverit: neque vetat relinqui, *statura*: ut rectum nihilominus sit, *tempus*.

NASVM VEL LABRA] ita MS. Cam. neque aliter Pall. quatuor, nisi quod ii *nasa*. certe nullus habet illud, quod Heraldus nobis venditat, tanquam veteris codicis, *Dens*. sed nec aliud servant Edd. vett. quàm *vel*, quod Passeratius explicat ad lib. 4. el. 2. Propertii: ut *vel* notet *et*, solutum pro conjuncto, ut Propert. 2. el. 8. versu pen. Paulus l. 53. de verb. sign: *Quod dedi aut donavi*. Idem, *Super pecunia tutelave rei suæ*.

289. COLLVM] Nonius, *Collus*.

290. CICATRICOSVM] Pareus notat in sex Pall. comparere *circatricosus*. plane contra verum. omnes agnoscunt alterum *cicatricosum*. solus sec. habet *cicatricosus*. Qui

ita

ita principio operis vel negligens fuit, vel mendax, quid de eo deinceps in progressu sperabimus? itaque desistam deinde vanitates ejus infideles persequi: contentus exemplari MS. Camerarii. supinitatis extremæ specimina aliquot vel una hæc dedit scena: & ea quidem, quæ non possit transferre in Typographum: qui miser, nulla non pagina vapulat in Notis hujus, dum fideliter sequitur editionis primæ scripturam, quam non mutarat ipsemet auctor: ut vel cæco appareat.

292. SANE SAPIO] *Sanè* hic *saniter* est, ut sani homines solent. nam qui sapit animo, & sentit sensibus, is sanus est: *J. Gul.*

294. QVADRIGAS SI NVNC INSCENDAS IOVIS, &c.] Credibile est Jovis quadrigas omnium esse celerrimas, ut quæ *alatæ* sint, auctore Platone in Phædro, & Luciano in Piscatore. Etiam Horat. 1. Od. 34. *volucrem currum Jovis* dixit, & Boetius lib. 4. Vide *J. Dousam F.* in Tibul. c. 7. & N. Asin. act. 2: 2.

300. VBI EGO PERII?] V. N. Mil. act. 3: 5.

301. AN EGOMET ME ILLIC &c.] *J. Gruterus*; Vellem aliquid ad hæc Lambinus: sed ne verbum quidem. Corrigere tentabam manuducente sententiâ, *An egomet me illic reliquisse fortè &c.* tali sensu: An fieri fortè potuit, ut egomet Sosia non iverim unà cum hero Amph. ad exercitum, sed illic domi restiterim: idque tamen nunc omninò dememinerim? Versus sequens profectò evincit, eum quid dixisse, quo dubitaverit, num ipsemet verus fuerit Sosia, nec ne. Et hanc suspicionem editionis suæ pr. timeto intulit Pareus, ejecitque sec. vera Inconstantiæ soboles!

ILLIC] *Pyl. Buccardus*; Si fortè me *illic*, in portu, oblitus fuissem.

303. VIVO FIT, QVOD NVNQVAM QVISQVAM MORTVO FACIET MIHI] Mihi, vel me vivo, imago mea præfertur, quod nunquam quisquam faciet me mortuo. Jocus ex *Imaginis* mentione & nomine quæsitus: & ad consuetudinem Rom. referendus. quo quoties uir clarus, ἐπιφανὴς ἀνὴρ decessisset, imago ejus majorumque præferebantur in funere. de quo multa Sigonius lib. 2. cap. 20. de antiq. jure. plura Lipsius 1. Elect. cap. 20. Rejicit tamen hanc Lamb. interpretationem *J. Kirchmannus* de Funeribus Rom. lib. 4. c. 8. & laudat *Janum Douzam*, qui ab ipso Autore potius germanam loci hujus explicationem arcessendam autumet. Mostell. act. 2: 1. *Ludos ego hodie vivo præsenti hic seni Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.* Scimus enim Ludos Funebres Romæ, hoc est, Gladiatorios in illustrium virorum funeribus sie quasi in luctu publico, ad rogum fieri consuevisse antiquitus. Ad quos respectans Sosia, per joculum & ludum inquit, argutè sanè & vernilem in modum: *Nunc mihi fiunt ludi*, hoc est, nunc ego ludificor probè, cui nullus posteà Ludos facere volet in morte. Eadem observârat ante annos centum Pylades. Gruterus tamen putat videri præter decorum, si mediocribus patribusfamilias *ludi* fiant *gladiatorii*: itaque his potiùs lucem conciliandam ab illo Suetonii cap. 19. Vespasiano: *Sed & in funere favo archimimus personam ejus ferens, imitansque (ut est mos) facta ac dicta vivi, interrogatis &c.* Gutherius cap. 21. lib. 1. de jure Manium in loci hujus interpretatione adhæret Lambino.

305. QVOD ILLE F.] *Ille*, pronunciandum sublato in cælum digito.

306. RASO CAPITE CALVVS CAPIAM PILLEVM] Cum servi manumittebantur, raso capite pilleum accipiebant: idque in templo *Feroniæ*, quæ libertorum dea; ut notat Servius. quam & Varro libertatum deam dicit, quasi *Fidoniam*. In eodem templo Tarracinæ sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: *BENE meriti servi sedeant: surgant liberi.* quod Scaliger è schedis vet. Servii notavit. Erat autem *Pilleus* insigne libertatis. Persius Satira 5. *Hæc mera libertas: hoc nobis pillea donant.* Hinc & illa locutio apud Sueton. Senecam epist. 47. & Liv. lib. 4. dec. 3. *Ad pilleum vocare*, i. ad libertatem, &c. Vide & Laz. Bayfium, de *Re vestiariâ*, lib. 20. Schottum ad cap. 69. Aur. Victoris, & alios; inprimis Not. Milite act. 4: 1.

ACTUS I. SCENA II.

MERCURIUS.

BENE prosperéque hoc hodie operis processit mihi.
Amovi à foribus maximam molestiam,
Patri ut liceret tutò illam amplexarier.
Iam ille illuc ad herum cùm Amphitruonem advenerit,
Narrabit servum hinc sese à foribus Sosiam
Amovisse. ille adeò illum mentiri sibi
Credet, neque credet huc profectum, ut jusserat.
Erroris ambo ego illos & dementiæ
Complebo, atque omnem Amphitruonis familiam.
Adeò, usque satietatem dum capiet pater
Illius quam amat. igitur demùm omnes scient,
Quæ facta. denique Alcumenam Iuppiter
Rediget antiquam in concordiam conjugis.
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque insimulabit eam probri. tum meus pater
Eam seditionem illi in tranquillum conferet.
Nunc de Alcumenâ, dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos;
Alter decumo pòst mense nascetur puer
Quàm seminatus; alter mense septimo.
Eorum Amphitruonis alter est; alter Iovis.
Verùm minori puero major est pater,
Minor majori. jámne hoc scitis quid siet?
Sed Alcumenæ hujus honoris gratiâ,
Pater curavit uno ut fœtu fieret;
Vno ut labore absolvat ærumnas duas,
Et ne in suspicione ponatur stupri,
Et clandestina ut celetur suspicio.
Quanquam, ut jam dudum dixi, rescìscet tamen
Amphitruo rem omnem. quid igitur? nemo id probro
Profectò ducet Alcumenæ. nam deum
Non par videtur facere, delictum suum
Suámque culpam expetere in mortalem ut sinat.
Orationem comprimam! crepuit foris.
Amphitruo subditivus, eccum, exit foras
Cum Alcumenâ uxore usurariâ.

HODIE] ita MS. Cam. Quidam hoc delent numerorum caussâ. Acidalius malit eo relicto copulam ejicere: & *Benè prosperè* interpretari, valdè prosperè.

V. 8. ERRORIS AMBO COMPLEBO] Cicer. 7. Verr. *Completus jam mercatorum carcer est.*

15. INSIMVLABIT EAM PROBRI] Probrum, *stuprum, flagitium*: Festus. Cæcil. in Davo: *Ea tum compressa parit huic puerum, sibi probrum.* Attius: *Qui, nisi probrum, omnia alia indelicta æstimant.* ἐδὲν κακὸν, εἰ μὴ αἰσχρόν: Stoicum est.

17. DVDVM QVOD DIXI MINVS] i. quod vobis de Alcumenâ nondum etiam edissertavi. Cui haud absimile Terentianum illud: *quod intellexistis minùs*: D.

19. ALTER DECVMO &c.] Confirmat Plautus hîc eorum sententiam, qui affirmant, & verè, mulierem superfœtari posse. Plinius lib. 7. cap. 11. ubi & hoc exemplum de Hercule & Iphiclo citat, inter alia refert, mulierem quandam septem mensium edito puerperio, insecutis mensibus, geminos enixam. Paullus quoque JC. scribit: Mulierem ab Alexandriâ perductam, ut Divo Hadriano ostenderetur cum quinque liberis, ex quibus quattuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post quadragesimum diem, &c. Vide *Ant. Guiberti Polyhistorem, c. 10.*

20. QVAM SEMINATVS] ἐσπαρμένος: in utero matris conceptus est.

22. MINORI PVERO MAIOR &c.] i. Herculi, qui minor, ratione sationis.

23. MAIORI] sc. Iphiclo.

24. HVIVS HONORIS] Suavius fuerit *hujusce*.

25. VNO VT FOETV FIERET.] uno onere, unâque (ut ita dicam) gravidatione & fœcundatione: *L.*

FIERET] vocali geminatâ scribendum, ut prima producatur. ut alibi, *fuverit*.

26. LABORE] vel gravidationis, vel partûs: L.

27. IN SVSPICIONE] *Suspicio*, secundâ productâ est: quod observant Camer. & Lamb. Et Douza in Mercat. annotat, Nunquam aliter in Plauto legi: & fortassè etiam in Ter. quod Lamb. videbatur. Idem censet & Jul. Cæs. Scalig. Poetic. lib. 7: 2. V. N. Merc. 4: 4.

28. CELETVR SVSPICIO] Ita in omnibus MSS. & vulgg. constanter legi, Grut. notat: negatque constare posse (*susceptio*) Lambini commentum: & si quid mutandum sit, mâlit cum S. Ulr. Pistoris legere, *Et clandestina ut celetur huc itio.* i. ut adventus huc noster clandestinus celetur. Eâ formâ ferè Ter. Phorm. *Haccine erant itiones in Lemnum?* Mostell. *Huc reditio.* Rud. *hinc abitio.* Trin. *huc accessio.* Truc. *huc ventio.* Meursius leg. *Suscipio*: ut sit pro verbali *susceptio.* quâ facie *Conspicio* in solemnibus verbis, quibus templum finiebatur, &c. Contarenus jure heic reprehendit Plauti caussam, cur esset Alcmena geminos paritura, cùm nemo non videat quæ deinde exoriantur turbæ, dum inquit Amphitr. *Pudicitiæ hujus vitium me hinc absente est additum*; Alcmena contra: *Durare nequeo in ædibus, ita me probri &c.* sed cavit fortè Jupiter, ne apud reliquos cives veniret Alcmena in stupri suspicionem, &c. adeatur cap. 15. Var. Lect.

ACTUS I. SCENA III.

JVPPITER, ALCVMENA, MERCVRIVS.

BENE vale Alcumena! cura rem communem, quod facis.
Atque imperce, quæso! menses jam tibi esse actos vides.
Mihi necesse est ire hinc: verùm quod erit natum, tollito.
AL. Quid istud est mi vir negotii, quòd tu tam subitò domo
Abeas? IVP. edepol, haud quòd tui me, neque domi distædeat:
„Sed VBI SVMMVS IMPERATOR non adest ad exercitum,

„ Citiùs

„ Citiùs quod non facto'st usus, fit, quàm quod facto'st opus.
ME. Nimis hic scitus est sycophanta, qui quidem meus sit pater.
Observatote, quàm blandè mulieri palpabitur.
AL. Ecastor, re experior, quanti facias uxorem tuam.
IVP. Satin' habes, si fœminarum nulla est quam æquè diligam?
ME. Edepol næ illa si istis rebus te sciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem esse mâlis, quàm Iovem.
AL. Experiri istuc mavellem me, quàm mi memorarier.
Prius abis quàm lectûs, ubi cubuisti, concaluit locus.
Herè venisti mediâ nocte, nunc abis: hoccine placet?
ME. Accedam, atque hanc appellabo, & supparasitabor patri.
Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam
Sic efflictim amare, proinde ut hic te efflictim deperit.
IVP. Carnifex! non ego te novi? abin' è conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?
Quoi ego jam hoc scipione. AL. ah noli! IVP. muttito modò.
ME. Nequiter penè expedivit prima parasitatio.
IVP. Verùm quod tu dicis, mea uxor, non te mihi irasci decet.
Clanculùm abii à legione: operam hanc surripui tibi:
Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam.
Ea tibi omnia enarravi. nisi te amarem plurimum,
Non facerem. ME. facitne ut dixi? timidam palpo percutit.
IVP. Nunc, ne legio persentiscat, clàm illuc redeundum est mihi,
Ne me uxorem prævertisse dicant præ republicâ.
AL. Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. IVP. mæ.
Ne corrumpe oculos, redibo actutum. AL. id actutum diu'st.
IVP. Nòn ego te hîc lubens relinquo, neque abeo abs te. AL. sentio.
Nam quâ nocte ad me venisti, eâdem abis. IVP. cur me tenes?
Tempu'st: exire ex urbe priusquam luciscat volo.
Nunc tibi hanc pateram, quæ dono mi illic ob virtutem data'st,
Pterela rex quî potitavit, quem ego meâ occidi manu,
Alcumena, tibi condono. AL. facis ut alias res soles.
Ecastor condignum donum, quali'st qui donum dedit.
ME. Imò sic condignum donum, quali'st cui dono datu'st.
IVP. Pergin' autem? nónne ego possum, furcifer, te perdere?
AL. Noli amabo, Amphitruo, irasci Sosiæ caussâ meâ.
IVP. Faciam ita ut vis. ME. ex amore hic admodum quàm sævus est!
IVP. Nunquid vis? AL. ut quum absim, me ames, me tuam absentem tamen.
ME. Eamus Amphitruo: luciscit hoc jam. IVP. abi præ, Sosia;
Iam ego sequar. nunquid vis? AL. etiam: ut actutum advenias. IVP. licet.
Prius tuâ opinione hîc adero: bonum animum habe!
Nunc te, nox, quæ me mansisti, mitto, uti cedas die,

Vt mortaleis illucìscas luce clarâ & candidâ.
51 *Atque quanto nox fuisti longior hâc proxumâ,*
Tanto brevior dies ut fiat faciam; ut æquè disparet,
Et dies è nocte accedat. ibo, & Mercurium subsequar.

CVRA REM COMMVNEM] Rem familiarem. Nam conjugum omnia sunt communia. : L. A

V. 2. ATQVE IMPERCE] Jubet partui vicinam parcere sibi, & labore abstinere. *Cam.*

3. QVOD ERIT NATVM, TOLLITO.] Infantes olim, simul ac nati forent, humi deponebantur: ab humo verò pater tollebat, & in sinum recipiebat. Statius: ——*meus ille, meus tellure cadentem Excepi, & vinctum genitali carmine fovi, &c.* Qui autem non tollebatur, pro abdicato & projectitio erat. quo respicit frequenter Terentius. Vide *J. Bernartium* ad Statium lib. 1. item Turneb. lib. 4. cap. 15. inprimis *Lipsium* Epist. 1. Centur. ad Belgas 85. ubi hæc de industria pertractavit. Et illam quidem sublationem patri ac matri communem fuisse, exemplis probat Lamb.

5. DOMI DISTÆDEAT] *J. Gul.* censet *domatis* scriptum fuisse, quasi *τᾶ δώματ@*: ut in Plin. *probata*, *τὰ πρόβατα*: in Cic. & Virgilio *acta*, *ἡ ἀκτή*. Grutero, & cui non? satisfacit vulgata editio, subnixa omnium MSS. auctoritate.

6. VBI SVMMVS IMPERATOR NON &c.] Livius: *Non satis feliciter procedunt, quæ oculis agis alienis.* Hinc fortè non longè & illa abeunt: *ὄμμα δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν.* *Lumen ædium puto esse heri præsentiam*, Æschyli in Persis. Et Apophtegma, quod refert Aristot. Oecon. lib. 1. c. 6. *Oculus domini est, qui maximè pinguefacit equum.* Plin. lib. 18. cap. 6. *Majores fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt.* Hæc & plura annotavit C. Rittershus. JC. ad *Affabulationem* illam Phædri; *Dominum videre plurimum in rebus suis.* Eaq; obsignat trochaicis Ennii, apud Agell. lib. 2. cap. 29. quod cordi & memoriæ habere operæ pretium est: *Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm, Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies.*

8. QVI QVIDEM SIT PATER] Simile Ovidii: *Quæ tua nequitia est, non his contenta fuisset.* Er ist ein Haaß / vnd wann er noch einmal mein Vater wer.

9. QVAM BLANDE MVLIERI PALPABITVR] *Palpari*, & *palpo percutere*, propriè est molli & blando manûs plausu tangere & contrectare, ac veluti poppysmo demulcere: ut de equis Virg. 3. G. *& plausæ sonitum cervicis amare.* Græcis *ψηλαφᾷν*: ut notat *Turneb.* lib. 4: 15. ita Merc. act. 1: 2. *Palpo percutis.* V. & N. Pseud. 4: 1. Hinc pro blandiri, assentari & *adulari* frequentatur; & tam cum Accusandi quàm Dandi casu constructum reperitur; atque adeò *ἐνεργητικῶς* & *παθητικῶς* usurpatum: quemadmodum illud *Adulari*, quod modo laudavimus. Cicero: *Ne sinas te adulari*, lib. Offic. Et, *Adulari fortunam alicujus*: de Div. J. Gul. c. 3. *Pl. Q.* numeros hujus versûs sollicitat: quem vide.

10. RE EXPERIOR] *εἰρωνικῶς.*

11. ED. NÆ ILLA] non Juno, sed Alcumena, Lambino judice *Acidalioq.*

12. SI ISTIS REBVS TE] ita MS. Cam. ac textus Camerarii, defenditq; Gruterus contra codices alios scribentes, *pol in ista furtis rebus.* Lambin. textus habet *si fictis*; sed ejus Comment. stant pro nostra. Meurs. è vulgatis leg: *Edepol nè si illa furtivis rebus*: per *furtivas res* clandestinos amores intelligens. Edd. omnes l. *furtivis*; unus, *furtis.* quomodo omnes Pall. quod natum ex *sistis* dum R sumitur pro S, & duplex iota coalescit in V. sed omnes tamen, *ni*, nullus, *si*. Hoc autem (addit ibi Meursius) nimis ineptum est, quod dicat Mercurius, Si Alcmena sciat Jovem cum aliis fœminis consuescere, facturum se ut Amphitruo esse mavellet, quàm Juppiter. conjicio scripsisse Comicum, *Ego paxim, te Amphit. &c.* ut sit *ἀρχαϊσμὸς*, pro *pepigerim*, id est, quovis pignore dato certaverim. Simile mendum Merc. act. 4: 6. *Ecastor faxim, si it.* nam legendum quoque, *Ecastor paxim.* item Truc. act. 1: 1. *Faxim lenonum & scort.* iterum scribo, *Paxim lenonum.* Arbitrium erit doctorum virorum. De voce *faxim.* V. N. Aul. act. 3: 5. *S. Ulr. Pist.* legit: *Edepol ni illa istis rebus te sciat operam dare, &c.* hoc sensu: Edepol, nisi Alcmena rescìscat te suppositìtium Amphitruonem esse, facile effecero, ut malis B

perpe-

perpetuò Amphitruo esse quàm Juppiter; quòd nimirum tranquilliore conjugio fruereris. Quanquam & alterum (*Edepol na illa st s[i]stis reb.*) defendi potest: si τὸ *illa* δεικτικῶς de Junone intelligatur. quod Grutero placet. Deniq; Val. Acidalius l. *Ego faxim te Amph. me esse mal. q. Jov.* hoc sensu: Si te talem Alcumena norit, ita profectò te accipiat, ut simulationis hujus pœniteat: ac mâlis Juppiter mansisse, quàm falsus Amphitruo venisse.

15. QVAM LECTVS] *Lectus*, quarto inclinandi ordine; pro, *lecti*: ut notat Prisc. lib. 6. Sed quì minus, *inquit Palm.* sit *lectus locus*, quàm *manubia machara*, Truc. aut *commeatus cibus*, Captivis? V. N. Asin. act. 1: 1. *Colvius* tamen ad lib. 9. Milesiarum Apul. illud probat. rectè. nam propriè id *lectus* cui incumbimus; initioque ei nomen à collectis foliis ad cubitandum, ut inquit Festus. Sic & *torus*, dictus ab herbis tortis Servio, ad illud Virgilii 5. Æn. *Proximus ut viridante toro consederat herbæ?* Meursius l. *quàm lectûs, ubi concubuisti, concaluit locus*, non sine detrimento versus.

HERE] pro, *heri*. V. N. Mil. act. 1: 1.

19. EFFLICTIM] i. *vehementer, usque donec effligatur*: Probus. Notat Grut. in MS. Cam. primùm fuisse *afflict.* deinde ab extraneo superscriptum *ecflictim*. J. Gul. *Effligere*, idem quod perdere, pessum dare. Et differunt *Affligere* & *Effligere*, ut *Afficere* & *Efficere*. alterum imminens exitium & jam jamque impendens significat, alterum præsens. Cic. ad Terentiam: *O me perditum! O me efflictum!* Ita Asinariâ, act. 4: 2. *effliges scio.* V. N. ibid.

21. QVID TIBI HANC CVRATIO EST REM?] V. N. Epid. 2: 2.

21. MVTTITIO] suprà, 1: 1.

22. QVOI EGO &c.] Ita restituit Grut. è MS. Cam. & vetustè editis, in quibus, *Quo lego*. recentior, *Quem pol ego jam scipione.*

23. NEQVITER PENE EXPEDIVIT &c.] Ita omn. vett. edd. legere, Gruterus observavit, primúmque Lambinum obtrusisse *expetivit*. Etiam Dousa alterum tuetur, & *Expedivit* interpretatur, *expedita est*, i. peracta est. ut & Meursius: qui, *nequiter expedivit*, interpretatur, parum utilis fuit prima parasitatio. qualia illa sint, *Malè sanus: Malè suadus*. Alias *Expetere*, notat J. Gul. ferè idem valere, quòd evenire, & in re malâ & supplicio inprimis usurpari: probatque exemplis nostri & Ciceronis, ad Mercat. c. 5. Scaliger quoque favebat aliquando illi *expetivit*. &, si non revocatur, *d* positum autumabimus pro *t*.

24. VERVM QVOD TV DICIS] Ad illud quod attinet, quòd dicis, me nimis citò abire, &c.

TIMIDAM] i. ægram, turbatam, commotam: ut exponit Acidal. è Donato ad Eunuch. act. 4: 2. Turbatur enim & dolet Alc. abitu viri. ita Bacchid. act. 1: 1. *Nam ut in navi vecta es, credo timida es.* Item Acidalius aliquando etiam *tumidam* legebat, i. iratam. *Tumere* enim & *turgere* atque *in fermento esse*, pro irasci, Plauti sunt.

30. NE ME VXOREM PRÆV.] Ne dicant, me uxorem pluris fecisse quàm Remp. *Prævortisse præ Rep.* dictum, pro, *Prævertisse Reip.* Nonius. Dousa F. *Ne mi ux.* quod statim in editionis suæ pr. theatrum intulit Pareus, contra omnes libros.

35. LVCISCAT] *priusquam nox in diem eat*; ut loquitur Apul. V. N. Mil. 3: 1. Ab antiq. *luci*, pro *luce*. Vulgò malè, *Lucescit*: G. Fabric.

B

36. NVNC TIBI HANC PATERAM &c.] Poculum, quod Juppiter pretium concubitûs Alcumenæ dedit, non *patera*, sed *carchesium* fuit; hoc est, poculum oblongum, & circa mediam partem compressum mediocriter, (*ita Casaub.*) ansatum, ansis à summo ad infimum pertinentibus: ut refert ex Athenæo Macrobius lib. 5. cap. 21. Tradit *Charon Lampsacenus*, etiamnum sæculo suo monstratum apud Lacedæmonios istud poculum. Vide Athen. lib. XI. pag. mihi. 475.

39. QVALI' EST, QVI DON. D.] Meursius utroque versu l. *cui est*: non, *quali' est*: quod inquit, Plautinum esse nunquam credam: etsi Lambinus impugnat malo jure Nonium. *Cui* veteres dicebant pro *Quale*, κατ' ἀποκοπὴν: ita *Simul, facul, procul*: pro *Simile, facile, procile*. quæ postea adverbialiter sumi cæperunt, &c. Quod autem Plautus Neutrum pro Masculino ponit, facit solens, & sine peccato: nam veteribus illis Comicis canonas Grammaticorum transilire nulla religio. Sic Aul. act. 2: 2. *Cocus ille nundinale est, in nonum d. &c.* Ita enim ex Festo lego, non, *nundinalis est*. Capt. act. 2: 3. *Fac fidele sis fideli.*

Sic

Sic habet vetus cod.& Nonius: qui tamen errat, cum pro *Fideliter* positũ existimat. Nam quòd, *Fidelis sis*, Camerarius, vir summus, propugnat, patietur sibi id à me eripi. Sic, *Cujum ager*, pro *Cujus*, Trinum.act.2:4.v.133. ita Mercat.act.5.sc.ult. *non utibile hic locus factus tuis*. ita enim è v.c.lego; non, *utibilis*. Hæc ille. Et sanè ad illud primum quod attinet, in Ald.& MS.Cam.legitur utrobiq; *quale est*: in Festo clarè, *cocus nundinale*. Capt. in Ald. & ejus traducibus edd. expresse, *Fac fidele sis f.* Mercat. MS. Cam. & omnes mei, *utibile hic locus*. Gruterus tamen putat, hæc talia omnia nata ex similitudine litterarum *I.* & *E*, obtritamq; tantùm *S*. Vide supra act.1. Sc.2. v.285. In quâ sententiâ etiam est Acidalius.

40. IMO SIC CONDIGN. DONUM, QUAL'ST, CUI DONO D.] Ita MS.Cam.& edd. pleræque; metro etiam clamante: & ferè, *cui dono d.* una Veneta, *donum*, quod in editione pr. Parei, ineptiarum omnium voragine luculentâ.

43. EX AMORE HIC ADMODUM QUAM SÆVUS EST!] Sic Douza. est enim non interrogantis, sed liquidò affirmãtis hoc modo: *Perquam sævus*, i. insignitè & oppidò iracundus animique perciti est ex amore. & quod alii, *Quamlibet impotens, immodestus*; Catullus *Quamvis* dixisset, ut ibi: *Quamvis sordida res & invenusta est*, i. impensè ac nimis sordida. V.N.Menæch. act.2:2. In MS. Cam. l. ——*adm. quàm suevus est?*

44. NUNQUID VIS?] Sermo discedentis, sexcenties à Pl. & Ter. usurpatus: item Hor. lib.1.Sat.9.Donatus ad illud Ter.Eun.act.2:3. *rogo, Nun-quid velis*, notat, Hoc est, significo me abire. nam abituri, ne id durè facerent, *Nunquid vis?* dicebant his, quibuscum constitissent.

44. ABSENTEM TAMEN] V. N. Mil.4: 8. *Tamen*, pro, *quàmvis*. In MS.Cam.l. *metuam te, abs.t.*

45. MER. EAMUS AMPHITRUO.] Observat Douza, *Dominum* hoc loco nomine *Amphitruonis* à servo suo compellari, satis pol familiariter: ut item Sosia multò etiam li...entiùs Alcumenam, non *Heram*, sed *Mulierem* vocitat, act.2:2. Ac si quis hodie servus hero dicat suo, Ein guten Morgen/Barthel. Sed & Servius Æn.12.ad v.652.notat, Contumeliam esse, superiorem nomine vocare: quem & vide 4. G. v.321. Martial. lib.2: 68. *Quod te nomine jam tuo saluto &c.* Nam salutare proprio nomine æqualium erat, vel superiorum, ad conciliandam, vel firmandam gratiam.

46. AL. ETIAM: UT ACTUTUM R.] Sic distinguit D. *etiam*, sc. volo, ut quamprimùm domum revenias.

47. AN. HABE. NUNC] Inculcarunt hîc, *modò*: quod in nullo MSS. aut vet. edito apparet.

49. UT MORTALEIS ILL.] MSS. Pall. at Langii ad unum omnes l. *Ut mortalibus illucescas*, quod cur non feramus? cùm sic etiam præferant Edd. universæ ac singulæ. Membranæ Cam. solùm, *Ut mortalis inlucescas*. quas cur unas sequamur?

49. ILLUCISCAS] Acidal. l. *illucescat*, scil. dies. nam qui nox (inquit) potest clarâ & candidâ luce lucere? Porrò existimat Passeratius, lucem diei *claram* & *candidam* dici; ut distinguatur à luce lunæ, quam V.6.Æn. *malignam* appellat.

51. FACIAM, UT ÆQUE DISPARET] Faciam, ut quantum accessit noctis prolixitati, tantum de die decedat: Turneb. l.4: 15. *Gruterus* suspicatur emendandum distinguendumq;, *ut fiat face jam: ut æquè disparet, Et dies è nocte accedat. face*: pro *fac*. & *dies* pro *dies*. Meursius in vet.ed.ait fuisse, *ut æquè dispar*. hinc fecit ille, *ut æquè dispare Et dies è nocte accedat*. ——*dispare*, pro *dispariter*: ut *alacrè, acrè, hilarè*. S. Ulr. Pistoris Lambini & Turnebi admodum coacta censet: locumq; minimâ correctione ita explanat: *Atq; quanto nox fuisti longior hâc proxumâ, Tanto brevior dies ut fiat faciam: ut æquè dispares Et dies & nox accidat* (vel etiam, *accedant*:) hoc sensu: Quia hæc nox longitudine suâ proximè præcedenti non respondet, faciam ut nec dies præcedenti diei respondeat: sed tanto superiore die brevior sit, quanto hæc nox præcedente nocte fuit longior. atq; ita fiet, ut æquè dispares hæc nox & instans dies à præcedentibus nocte & die evadant: & ratus ille dierum ac noctium ordo jam perturbatus, in pristinum statum restituatur, &c. Datâ enim inæqualitate noctium, danda etiam fuit inæqualitas dierum, ut sint æquè dispares, & dies & nox. Neq; res hic ἀκριβῶς atq; ex arte, sed ἀπλῶς æstimanda est. Vide & Acidal. Pareus prima editione, accedit Pistorio, sequenti ejus omnia rejicit, vel Fatuitatis, vel certè Metameliæ filius. quid enim esse queat tertium, nunc probanti quid, nunc improbanti?

ACTUS II. SCENA I.

AMPHITRVO, SOSIA.

AGE, i tu secundùm. SO. sequor, subsequor te.
AM. Scelestissimum te arbitror. SO. nam quamobrem?
AM. Quia id quod neque est, neque fuit, neque futurum est,
Mihi prædicas. SO. eccere! jam tuatim
Facis, ut tuis nulla apud te sit fides.
AM. Quid est? quo modo? jam quidem herclè ego tibi istam
Scelestam, scelus, linguam abscindam. SO. tuus sum:
Proinde ut commodum est & lubet, quidque facias:
Tamen, quin loquar hæc uti facta sunt hic,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.
AM. Scelestissime! audes mihi prædicare id,
Domi te esse nunc, qui hic ades? SO. vera dico.
AM. Malum! quod tibi dii dabunt, atque ego hodie dabo.
SO. Istuc tibi est in manu: nam tuus sum.
AM. Tun' me, verbero, audes herum ludificari?
Tun, id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac
Vidit, nec potest fieri; tempore uno
Homo idem duobus locis ut simul sit?
SO. Profectò, ut loquor, res ita est. AM. Iuppiter te perdat.
SO. Quid mali sum, here, tuâ ex re promeritus?
AM. Rogásne improbe etiam, qui ludos facis me?
SO. Meritò maledicas mihi, si id ita factum est.
Verùm haud mentior; resque uti facta, dico.
AM. Homo hic ebrius est, ut opinor. SO. utinam ita essem!
AM. Optas quæ facta. SO. egóne? AM. tu istic. ubi bibisti?
SO. Nusquam equidem bibi. AM. quid hoc sit hominis!
SO. Equidem decies dixi:
Domi ego sum, inquam,
(Ecquid audis?) & apud te assum Sosia idem.
Satin' hoc planè,
Satin' disertè, here, nunc videor tibi locutus
Esse? AM. vah! apage te à me. SO. quid est negotii?
AM. Pestis te tenet. SO. nam cur istuc dicis?
Equidem valeo, & salvus sum rectè, Amphitruo.
AM. At te ego faciam hodie, proinde ac meritus es,
Vt minus valeas, & miser sis,
Salvus domum si rediero. jam:

Sequere sis, herum qui ludificas dictis delirantibus:
Qui quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi,
Nunc venis etiam ultro irrisum dominum. quæ neque fieri
Possunt, neque fando unquam accepit quisquam, profers carnifex.
Quojus ego hodie in tergo faxo ista expetant mendacia.
» *SO. Amphitruo! MISERRIMA isthæc miseria est servo bono,*
» *Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.*
AM. Quo id, malum, pacto potest (nam mecum argumentis puta)
Fieri, nunc uti tu hic sis & domi? id dici volo.
SO. Sum perfectò & hic & illic. hoc cuivis mirari licet.
Neque tibi istuc mirum magis videtur, quàm mihi.
AM. Quo modo? SO. nihilo inquam mirum magis tibi istuc quàm mihi.
Neque, ita me dii ament, credebam primò mihimet Sosiæ,
Donec Sosia ille egomet fecit sibi uti crederem.
Ordine omne uti quidque actum est, dum apud hostes sedimus,
Edissertavit: tum formam unà abstulit cum nomine.
Neque lac lacti magis est simile, quàm ille ego similis est mei.
Nam ut dudum ante lucem à portu me præmisisti domum.
AM. Quid igitur? SO. prius multò ante ædis stabam quàm illò advenerum.
AM. Quas, malùm, nugas! satin' tu sanus es? SO. sic sum, ut vides.
AM. Huic homini nescio quid est mali malâ objectum manu,
Postquam à me abiit. SO. fateor. nam sum obtusus pugnis pessimè.
AM. Quis te verberavit? SO. egomet memet, qui nunc sum domi.
AM. Cave quicquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.
Omnium primum iste qui sit Sosia, hoc dici volo.
SO. Tuus est servus. AM. mihi quidem uno te plus etiam est quàm volo,
Neque postquam sum natus, habui nisi te servum Sosiam.
SO. At ego nunc, Amphitruo, dico; Sosiam servum tuum
Præter mè alterum, inquam, adveniens faciam ut offendas domi,
Davo prognatum; patre eodem quo ego sum: formâ, ætate item
Quà ego sum. quid opu'st verbis? geminus Sosia hic factu'st tibi.
AM. Nimia memoras mira. sed vidistin' uxorem meam?
SO. Quin introire in ædis nunquam licitum est. AM. quis te prohibuit?
SO. Sosia ille, quem jamdudum dico; is qui me contudit?
AM. Quis istic Sosia est? SO. ego, inquam! quoties dicendum est tibi?
AM. Sed quid ais? num obdormivisti dudum? SO. nusquam gentium.
AM. Ibi fortè istum si vidisses quendam in somnis Sosiam.
SO. Non soleo ego somniculosè heri imperia persequi.
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me jamdudum vigilans pugnis contudit.
AM. Quis homo? SO. Sosia, inquam, ego ille. quæso nonne intellegis?

AM. Qui, malùm! intelligere quisquam potis est? ita nugas blatis.
SO. Verùm actutum nosces. AM. quem? SO. illum nosces, servum Sosiam.
AM. Sequere hàc igitur me: nam mi istuc primùm exquisito est opus.
Sed vide ex navi efferantur, quæ jam imperavi omnia.
SO. Et memor sum & diligens, ut quæ imperes compareant.
Non ego cum vino simitu ebibi imperium tuum.
AM. Utinam di faxint, infecta dicta re eveniant tuâ!

VERSUS numeris sunt συγκεχυμένοι, usq; ad hunc, *Sequere*, à quo omnes deinceps in hâc Sc. sunt troch. Arch. ut notat *Joach. Camerarius*: cujus judicium in mensura versuum deinceps etiam annotabimus.

V. 1. AGE, TU SECUNDUM. SOS. SEQUOR, SUBSEQUOR TE.] Benè: aliud enim est *sequi*, aliud *subsequi*. sequitur quis eminùs, subsequitur cominùs. sic extat in MSS. vetustissimis. nam reliqui turbant, ut antiquitùs cusi: *Gruterus*. Certè & Palmerium turbarunt, qui vulgatum censuit supervacuum. Quorsum enim, *inquit*, repetitur? legitq; è V. libb. *Age i tu secundù sequor. SO. subsequor te.* Sequior valet *deterior, pejor, scelestior*: & factum est nomen à verbo *sequor*. Itaque captat gratiam, vocum allusione: *tu sequior sequere*. Sunt enim verba stomachantis heri. Ita *sequiorem sexum* vocat Apul. *muliebrem*. *Secundù*. autem & *secundò*, idem. *Hac ille*. V. N. Mil. act. 4: 8. v. 39. *Secundum ferre: secundum ire*. Nachtretten. Pareus in Lexico exprimit: *Age i tu: secundum sequor. SO. subsequor.* at editione ultima ostentat: *Age i tu secundum: sequor. SO. subsequor.* mera miracula! mera monstra!

2. NAM QUAMOBREM?] Parei editio pr. *ab quamobrem*. contra omnes MSS. & edd. vett.

4. ECCERE] V. N. Trin. act. 2: 2.

4. IAM TUATIM FACIS] Ita Lamb. & Gul. è Nonio & Vet. libris. itaq; est in MSS. Langii. *Tuatim*, i. tuo more, ita ut facere consuêsti. Cam. l. *Jam tu autem f.* quod & in edd. aliis ferè, & MSS. Pall.

13. MALUM! QUOD &c.] S. Bosius putat, *malùm* hic esse Interjectionem: & nihilominus tamen relativum, *quod*, ad eam vocem, proinde ac si nomen sit, referri. *J. Gul.* aliter: quem vide Asin. act. 1: 3.

A 13. ATQUE EGO H.] *Atque*, i. statim: *Colsius*. V. N. Epid. 2: 2.

18. SIMUL SIT] Sic Pall. omn. & edd. Lips. è MS. *simitu*. quod in contextum recepit Parei pr. ejecitque altera.

TUA EX RE PROMERITUS?] *Tuâ ex re*, i. quod in rem tuam esse possit: *Douza*. vel, ut Bosius, *à re tuâ*, i. ex tuo commodo. Nam utile tibi est, te servum habere, qui duobus in locis uno tempore esse possit. *Promeritus*, V. N. Men. act. 5: 6.

22. SI ID ITA FACIT.] nempe ut te ludificaverim. Vulgati cod. *si non ita id f.* Acidalius leg. *nisi id ita factum est*. scil. ut tibi narravi.

25. UBI BIBISTI] de ebrio Terent. *Postquam adbibit plus paullo*. Propert. 4. eleg. 9. *Sobria grata parum est: cum bibit, omne decet.* Passerat.

B 26. QUID HOC SIT HOMINIS!] Ey wie bist du ein seltzamer Kerls. per Genitivum, injuriosè dicitur; per Nominat. honorificè: *Donatus* Hecy. act. 4: 4.

27. EQUIDEM DECIES D.] Numeri mirè turbant in omnibus libris. An *decies* pro sæpius, incertus numerus pro certo? an ob præstantiam denarii numeri? nam ad decem usque tantum progredimur numerando; & decem decies centum; decies centena, mille; decies mille, myrias. Passerat ad Propert. 2. el. 4.

29. (ECQUID AUDIS?) ET] Sic omnes MSS. nisi quod ii ferè *& quid*. quod magis probet Pareus; quamvis ultimò ediderit, *Ecquid audisti?* etiam impressis omnibus invitis.

32. QUID EST NEGOTII?] Parei postrema, *Ecquid est neg.* nolentib. MSS. & Edd. vett.

37. SI REDIERO. IAM] Ita Meurs. è libr. suis interpungit.

41. NEQ. FANDO VNQVAM ACCEPIT QVISQVAM] Quod nemo altero dicente audivit. *Fando*, passivè accipiendum est: quod etiam observavit *Bosius*. Talia sunt illa apud Virg. —— *cantando rumpitur anguis*. Georg. 3. —— *uritq; videndo Fœmina*. Cic. pro Quinctio, & 1. de Nat. deor: *At verò ne fando quidem auditum est, Crocodilum aut Ibim aut felem ab Ægyptio violatum*. Virgil. 2. Æn. *Fando aliquid si fortè tuas pervenit ad aures*. i. dum dicitur. Ibidem tamen & activè legitur, *Quis talia fando Temperet à lacrimis?* i. dum ipse dicit: ut Serv. notat.

42. IN TERGO] Vulgati & MSS. Pall. *in tergo*. sed negat Acidalius exemplum hujus formæ inveniri. Vel enim, *in aliquem*, vel *alicui expetere aliquid*, dici. itaq; vel cum Lamb. *in tergum*, legendum: vel *in* expungendum.

44. VERA LOQVITVR] Pareus absurdè objicit nobis *verba*, quia consentiant MSS. quæ nugæ! quasi nobis pendendum sit ab analphabetariis librariis.

44. SI ID VERVM VINCITVR] Si dominus, qui potentior est, vi extorquet id verum. Mutavit numerum. L.

45. PVTA] i. dispnta: *Nonius*.

52. VTI QVIDQVE] Douza leg. *Quidque*, unumquodque. Sic enim ferè ubique Plautum uti ait; non *Quicquam*, vel *Quicquid*, ut edit Lambinus. & verò etiam MS. Cam. *quicque*.

52. SEDIMVS] i. desedimus, consedimus cum exercitu: propriè. unde composita illa: *Obsidere, Insidere*, tum *Præsidere*. Et quod Latinis, *Obsidium*, proavis nostris Besitzung dictum, hodie Belegerung. Plancus ad Cic: *Itaq; copias propè in aspectum Lepidi Antoniiq; adduxi, quadragintaq; millium passuum spacio relicto, consedi*. Cato: *hostium copiæ magnæ contra me sedebant*. Hæc & plura J. Dousa in *Centurionatu*. Ita Plin. in Panegyr. *hostibus assidere*. Virgil. in Ciri: *nostris qui mœnibus assidet hostis*. Sillius l. 9. —— *atq; assidet arces*. Id. l. 12. *Assessos Capuæ muros*. Val. Max. lib. 7. c. 4. *apud mœnia armato sedendum foret*. Quæ Acidal. observavit.

54. NEQVE LAC LACTI] Utitur & Men. act. 5: 9. & Mil. 2: 2. Meurs. è MS. Lang. l. *Neq; lacte lacti*. primo casu *lacte*. Cæcilius: *quæ non peperit, lacte non habet*. Colerus notat in Pyrckh. cod. legi. *Neq; lac lactis. m.*

55. PRÆMISISTI DOMVM:] Pendet sententia, interturbata ab irato.

56. ANTE ÆD. STABAM] *Heraldus* & quæd. Ed. *stabat*. quod tamen *Grutero* nimisquàm illepidum videtur. *Illò*, pro *illuc*: ut *hoc* pro *huc*, &c.

57. SIC SVM, VT VIDES.] Sermo est hominis nec laudantis se, nec vituperantis: & existimaverim fuisse formulam, quâ utebantur vulgò, cùm oculis suis quemque credere juberent; ita ut sui nihil præterea præstarent. Utitur & Aul. act. 2: 4. Rud. Prol. Nec divertit Ter. Ph. act. 3: 2. *Sic sum: si placeo, utere, &c.* Gruterus.

58. MALA OBIECTVM MANV] Nescio quis veneficus ejus mentem excantavit. nam in veneficiis non tantùm est carmini locus, sed etiam manui, i. iis, quæ fiunt manûs operâ: ut cùm adhibentur herbæ, medicamenta, mala venena, vincula. V. 7. Æn. *Spargere qui somnos cantuq; manuq; solebat*. Turn. lib. 4: 15. & S. Bosius.

59. SVM OBTVSVS PVGNIS P.] Jocatur in *malâ manu*: quam Amph. pro veneficâ sumit: Sosia pro pugnis sibi molestâ & onerosâ.

67. DAVO PROGNATVM; PATRE EOD.] ita Gruterus distinxit. nam Lamb. mutavit hic litteram; non necessario.

79. NVGAS BLATIS] V. N. Epid. 3: 1. v. 14. Pareus, ne abeat à MS. suo, exhibet nobis *blatis*. egregiè ad versum scilicet! qui jambum requirit. quæ ineptiæ!

NON EGO CVM VINO SIMITV EBIBI IMPERIVM T.] Sic in Persa, *Quanquam ego vinum bibo, at mandata non consuevi simul bibere*.

ACTUS II. SCENA II.

ALCUMENA, AMPHITRUO, SOSIA, THESSALA.

,, SATIN' *parva res est voluptatum in vitâ,*
,, *Atque in ætate agundâ,*
,, *Præ quàm quod molestum est! ita cuique comparatum*
,, *Est in ætate hominum:*
,, *Ita dis est placitum, voluptatem ut mæror comes consequatur:*
,, *Quin incommodi plus malique illicò assit, boni si obtigit quid.*
Nam ego id nunc experior domo, atque ipsa de me scio; cui voluptas
Parumper datu'st; dum viri mei mihi potestas videndi fuit
Noctem unam modò: atque is repentè abiit à me hinc ante lucem.
Sola hîc mihi nunc videor, quia ille hinc abest, quem ego amo præter omnes.
Plus ægri ex abitu viri, quàm ex adventu voluptatis cepi.
Sed hoc me beat saltem, quòd perduelles vicit, & domum
Laudis compos revenit: id solatio est. Absit; dummodò
Laude partâ domum recipiat se. feram & perferam usque
Abitum ejus animo forti atque obfirmato; id modò si mercedi
Datur mihi, ut meus victor vir belli clueat: satis
,, *Mihi esse ducam. VIRTUS præmium est optimum.*
,, *Virtus omnibus rebus anteit profectò.*
,, *Libertas, salus, vita, res, parentes,*
,, *Patria, & prognati tutantur, servantur:*
,, *Virtus omnia in se habet: omnia assunt bona, quem penes est virtus.*
AM. Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum,
Quæ me amat: quam contrà amo, præsertim re gestâ benè,
Victis hostibus, quos nemo posse superari ratu'st:
Eos auspicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus.
Certè enim me illi expectatum optatò venturum scio.
SO. Quid me non rere expectatum amicæ venturum meæ?
AL. Meus vir hic quidem est. AM. sequere hàc tu me. AL. nam quid ille rever-
Qui dudum properare sese ajebat! an ille me tentat sciens? (titur,
Atque id si vult experiri, suum abitum ut desiderem,
Ecastor meâ haud invitâ se domum recipit suam.
SO. Amphitruo, redire ad navem meliust nos. AM. quâ gratiâ?
SO. Quia domi daturus nemo est prandium advenientibus.
AM. Qui tibi nunc istuc in mentem venit? SO. quia enim serò advenimus.
AM. Qui? SO. quia Alcumenam ante ædis stare saturam intellego.

AM. Gra-

AM. Gravidam ego illanc hîc reliqui quom abeo. SO. hei perii miser!
AM. Quid tibi est? SO. ad aquam præbendam commodùm adveni domum,
Decumo pòst mense, ut rationem te dictare intellego.
AM. Bono animo es. SO. scin' quàm bono animo sim? si situlam cepero,
Nunquam edepol tu mihi divini quicquam creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero.
AM. Sequere hàc me modò. alium ego isti rei allegabo, ne time.
AL. Magis nunc meum officium facere; si huic eam adversum, arbitror.
AM. Amphitruo uxorem salutat lætus speratam suam,
Quam omnium Thebis vir unam esse optimam dijudicat,
Quamque adeò cives Thebani vero rumificant probam.
Valuistin' usque? expectatusne advenio? SO. haud vidi magis
Expectatum! eum salutat magis haud quisquam, quàm canem.
AM. Et cùm te gravidam, & cùm pulchrè plenam aspicio, gaudeo.
AL. Obsecro ecastor; quid tu me deridiculi gratiâ
Sic salutas, atque appellas quasi dudum non videris,
Quasique nunc primùm recipias te domum huc ex hostibus,
Atque me nunc proinde appellas, quasi multo pòst videris?
AM. Imò equidem te, nisi nunc, hodie nusquam vidi gentium.
„ *AL. Cur negas? AM. quia vera didici dicere. AL. HAUD ÆQUUM facit,*
„ *Qui quod didicit, id dediscit. an periclitamini*
Quid animi habeam? sed quid huc vos revortimini tam citò?
An te auspicium commoratum est? an tempestas continet?
Quî non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?
AM. Dudum! quàm dudum istuc factum est? AL. tentas. jamdudum, pridem,
AM. Quî istuc potis est fieri quæso, ut dicis, jamdudum, modò? (modò.
AL. Quid enim censes? te ut deludam contrà lusorem meum,
Qui nunc primum te advenisse dicas, modò qui hinc abieris?
AM. Hæc quidem deliramenta loquitur. SO. paulisper mane,
Dum edormiscat unum somnum. AM. quæ ne vigilans somniat.
AL. Equidem ecastor vigilo, & vigilans id quod factum est fabulor.
Nam dudum ante lucem & istunc & te vidi. AM. quo in loco?
AL. Hîc in ædibus, ubi tu habitas. AM. nunquam factum est. SO. non taces?
Quid si è portu navis huc nos dormientis detulit?
AM. Etiam tu quoque assentaris huic? SO. quid vis fieri?
„ *Non tu scis, BACCHÆ BACCHANTI si velis adversarier,*
„ *Ex insanâ insaniorem facies; feriet sæpius:*
„ *Si obsequare, unâ resolvas plagâ. AM. at pol quin certa res*
Hanc est objurgare, quæ me hodie advenientem domum
Noluerit salutare. SO. irritabis crabrones. AM. tace.
Alcumena, unum rogare te volo. AL. quid vis rogare? roga.

AM. Num

AM. Num tibi aut stultitia accessit, aut superat superbia?
AL. Quia salutare advenientem me solebas antidhac:
Appellare itidem ut pudicæ suos viros quæ sunt, solent.
Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.
AL. Ecastor equidem te certò heri advenientem illicò
Et salutavi, &, Valuissesne usque, exquisivi simul,
Mi vir: & manum prehendi, & osculum tetuli tibi.
SO. Tun' heri hunc salutavisti? AL. & te quoque etiam, Sosia.
SO. Amphitruo, speravi ego istam tibi pariturum filium:
Verùm non est puero gravida. AM. quid igitur? SO. insaniâ.
AL. Equidem sana sum, & deos quæso ut salva pariam filium.
Verùm tu magnum malum habebis, si hic suum officium facit:
Ob istuc omen, ominator, capies quod te condecet!
SO. Enimverò prægnanti oportet & malum & malum dari;
Vt quod obrodat sit, animo si malè esse occœperit.
AM. Tu me heri hic vidisti? AL. ego, inquam, si vis decies dicere.
AM. In somnis fortasse. AL. imò vigilans vigilantem. AM. væ misero mihi.
SO. Quid tibi est? AM. delirat uxor. SO. atrâ bili percita est.
Nulla res tam delirantis homines concinnat citò.
AM. Vbi primùm tibi sensisti, mulier, implicisciér?
AL. equidem ecastor sana & salva sum. AM. cur igitur prædicas,
Te heri me vidisse, qui hâc noctu in portum advecti sumus?
Ibi cœnavi, atque ibi quievi in navi noctem perpetem:
Neque meum pedem huc intuli etiam in ædis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teleboas hostis, eosque ut vicimus.
AL. Imò mecum cœnavisti, & mecum cubuisti. AM. quid id est?
AL. Vera dico. AM. non quidem hercle de hâc re; de aliis nescio.
AL. Primulo diluculo abivisti ad legiones. AM. quomodo?
SO. Rectè dicit, ut commeminit, somnium narrat tibi.
Sed, mulier, postquam experrecta es, prodigiali Iovi
Aut molâ salsâ hodie, aut ture comprecatam oportuit.
AL. Væ capiti tuo! SO. tuâ istuc refert, si curaveris.
AL. Iterum jam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo.
AM. Tace tu: tu dic. egóne abs te abii hinc hodie cum diluculo?
AL. Quis igitur nisi vos narravit mihi, illi ut fuerit prælium?
AM. An etiam id tu scis? AL. quippe quæ ex te audivi: ut urbem maximam
Expugnavisses, regemque Pterelam tute occideris.
AM. Egóne istuc dixi? AL. tute istic, etiam astante hoc Sosiâ.
AM. Audivistin' tu me narrare hoc hodie? SO. ubi ego audiverim?
AM. Hanc roga. SO. me quidem præsente nunquam factum est, quod sciam.
AL. Mirum quin te adversus dicat. AM. Sosia age! me huc aspice.

SO. Specto. AM. vem volo loqui te: nolo assentari mihi.
Audivistin' tu hodie me illi dicere ea, quæ illa autumat?
SO. Quæso edepol num tu quoque etiam insanis, cùm id me interrogas?
Qui ipsus equidem nunc primùm istanc tecum conspicio simul.
AM. Quin nunc, mulier, audin' illum? AL. ego verò, ac falsum dicere.
AM. Neque tu illi, neque mî viro ipsi credis. AL. eò fit, quia mihi
Plurimum credo, & scio ista hæc facta, proinde ut proloquor.
AM. Tun' me heri advenisse dicis? AL. tun' te abisse hodie hinc negas?
AM. Nego enimverò; & me advenire nunc primùm ajo ad te domum.
AL. Obsecro, etiámne hoc negabis, te auream pateram mihi
Dedisse dono hodie, quâ te illic donatum esse dixeras?
AM. Neque edepol dedi, neque dixi: verùm ita animatus fui,
Itaque nunc sum, ut eâ te paterâ donem. sed quis istuc tibi
Dixit? AL. ego quidem ex te audivi, & ex tuâ accepi manu
Pateram. AM. mane, mane obsecro te. nimis demiror, Sosia,
Quî illæc illic me donatum esse aureâ paterâ sciat,
Nisi tu dudum hanc convenisti, & narravisti hæc omnia.
SO. Neque edepol ego dixi, neque istam vidi, nisi tecum simul.
AM. Quid hoc sit hominis! AL. vin' proferri pateram? AM. proferri volo.
AL. Fiat! tu te Thessala intùs pateram proferto foras,
Quâ hodie meus vir donavit me. AM. secede huc tu Sosia.
Enimverò illud præter alia mira miror maximè,
Si hæc habet pateram illam. SO. an etiam id credis, quæ in hac cistellulâ
Tuo signo obsignata fertur? AM. salvum signum est? SO. inspice.
AM. Rectè, ita est ut obsignavi. SO. quæso quin tu istanc jubes
Pro cerritâ circumferri? AM. edepol quin facto est opus.
Nam hæc quidem edepol larŭarum plena est. AL. quid verbis opust'?
Hem tibi pateram! eccam. AM. cedò mihi. AL. age, aspice huc sis nunc jam
Tu, qui, quæ facta, inficiare: quem ego jam hîc convincam palàm.
Estne hæc patera, quâ donatus illi? AM. summe Iuppiter,
Quid ego video! hæc ea est profectò patera. perii, Sosia!
SO. Aut pol hæcce præstigiatrix mulier multò maxima est,
Aut pateram hîc inesse oportet. AM. agedum eam solve cistulam.
SO. Quid ego istam exolvam? obsignata st rectè: res gesta est benè!
Tu peperisti Amphitruonem; ego alium peperi Sosiam:
Nunc si pateram pateram peperit, omnes congeminavimus.
AM. Certum est aperire, atque inspicere. SO. vide sis signi quid siet:
Ne posteriùs in me culpam conferas. AM. aperi modò.
Nam hæc quidem nos delirantes facere dictis postulat.
AL. Vnde hæc igitur est nisi abs te, quæ mihi dono data est?
AM. Opus mî est istuc exquisito. SO. Iuppiter! proh Iuppiter!

AM. Quid tibi est? SO. hic patera nulla in cistula est. AM. quid ego audio?
SO. Id quod verum est. AM. at cum cruciatu jam, ni apparet, tuo.
AL. Hæc quidem apparet. AM. quis igitur tibi dedit? AL. qui me rogat.
SO. Me captas! quia tute ab navi clanculùm huc aliá viâ
Præcurristi: atque hinc pateram tute exemisti, atque eam
Huic dedisti, posthac rursum obsignasti clanculum.
AM. Hei mihi! jam tu quoque hujus adjuvas insaniam.
Ain' heri nos advenisse huc? AL. ajo, adveniensque illicò
Me salutavisti, & ego te, & osculum tetuli tibi.
AM. Iam illuc non placet principium de osculo. pergam exequi.
AL. Lavisti. AM. quid, postquam lavi? AL. accubuisti. SO. euge optimè!
Nunc exquire. AM. ne interpella! perge porrò dicere.
AL. Cœna apposita est: cœnavisti mecum: ego accubui simul.
AM. In eodem lecto? AL. in eodem. SO. hei! non placet convivium.
AM. Sine modò argumenta dicat. quid, postquam cœnavimus?
AL. Te dormitare ajebas. mensa ablata est. cubitum hinc abiimus.
AM. Vbi tu cubuisti? AL. in eodem lecto tecum unà in cubiculo.
AM. Perdidisti! SO. quid tibi est? AM. hæc me modò ad mortem dedit.
AL. Quid jam, amabo? AM. ne me appella. SO. quid tibi est? AM. perii miser!
Quia pudicitiæ hujus vitium me hic absente est additum.
AL. Obsecro ecastor, cur istuc, mi vir, ex te audio?
AM. Vir ego tuus sim? ne me appella falsò falso nomine.
SO. Hæret hæc res: siquidem hæc jam mulier facta'st ex viro.
AL. Quid ego feci, qua istæc propter dicta dicantur mihi?
AM. Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris?
AL. Quid ego tibi deliqui, si cui nupta sum, tecum fui?
AM. Tun' mecum fueris! quid illac impudente audacius?
Saltem tute si pudoris egeas, sumas mutuum.
AL. Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me impudicitiæ captas, non potes capere.
AM. Proh di immortales, cognoscin' tu me saltem Sosia?
SO. Propemodum. AM. cænavin' ego heri in navi in portu Persico?
AL. Mihi quoque assunt testes, qui illud quod ego dicam assentiant.
AM. Qui testes? AL. testes. AM. quid resticulâre? AL. enim uno sat est.
Nec nobis præsente aliquis nisi servus Sosia affuit.
SO. Nescio quid istuc negotii dicam, nisi si quispiam est
Amphitruo alius, qui fortè te hic absente tamen
Tuam rem curet, teque absente hic munus fungatur tuum.
Nanque de illo subditivo Sosia mirum nimis est.
Certè de istoc Amphitruone jam alterum mirum est magis.
Nescio quis præstigiator hanc frustratur mulierem.

AL. Per supremi regis regnum juro, & matremfamilias
Iunonem, quam me vereri & metuere est par maximè,
Ut, mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret. AM. vera isthæc velim!
,, *AL. VERA DICO, sed nèquiquam: quoniam non vis credere.*
,, *AM. Mulier es, audacter juras. AL. QUÆ non deliquit, decet*
,, *Audacem esse, confidenter pro se & protervè loqui.*
AM. Satis audacter. AL. ut pudicam decet. AM. tu verbis probas.
,, *AL. NON EGO illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur:*
,, *Sed pudicitiam & pudorem, & sedatum cupidinem,*
,, *Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam:*
,, *Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis.*
SO. Næ ista edepol, si hæc vera loquitur, examussim est optima.
AM. Delinitus sum profectò ita, ut me qui sim nesciam.
SO. Amphitruo es profecto! cavesis ne tu te usu perduis:
Ita nunc homines immutantur, postquam peregrè advenimus.
AM. Mulier, istam rem inquisitam certum est non amittere.
AL. Edepol me libente facies. AM. quid ais? responde mihi.
Quid si adduco tuum cognatum huc à navi Naucratem,
Qui mecum unà vectus est unà navi: atque is si denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquum est fieri?
Nunquid caussam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
AL. Si deliqui, nulla caussa est. AM. convenit! tu Sosia,
Duc hos intrò. ego huc ab navi mecum abducam Naucratem.
SO. Nunc quidem præter nos nemo est: dic mihi verum seriò,
Ecquis alius Sosia intu'st qui mei similis siet?
AL. Abin' hinc à me dignus domino servus. SO. abeo, si jubes.
AL. Nimis ecastor facinus mirum est, quî illi collibitum siet
Meo viro sic me insimulare falsum facinus tam malum.
Quicquid est, jam ex Naucrate cognato id cognoscam meo.

NIHIL polliceor de distinctione horum versuum, qui sunt ante illum in hâc scenâ. *Edepol me uxori.* Sunt autem plerique Quadrati, confusis pedibus. *Cam.* quid modestius? noluit scilicet vir prudentissimus abire ab editionibus primariis, in quibus tales lineæ. Pareus tamen, quamvis scire poterat nullum exinde Criticorum versibus istis movisse controversiam, quamvis nihil melius de suo afferre posset, quamvis & Lexicon suum, & Electa, & Phraseologiam isto facto redderet inutilia, utpote quæ adstrinxerat ad hos versus: Pareus, inquam de quatuor versibus duos fecit. cui bono? ut aliquid saltem novaret in Plauto. nam cùm versu duodecimo MS. idem aliter ordinaret quàm Camer: non tamen, inquit, libuit in nostra Editione ordinem permutare. ô libidinem variam!

V. 1. SATIN' PARVA RES EST VOLUPTATUM &c.] Hoc dicit: In vitâ hominum paucæ & raræ voluptates sunt, si cum molestiis comparentur. Jam, *res voluptatum*, pro ipsis voluptatibus dictum est, more Græcorum, qui dicerent, τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν. Sic Aristoph. principio Nubium, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν. Vide Muret. lib. 6: 9. Sic Oppian. lib. 1. Halieut. ἔργμα ἐλέγχων Poeticâ circuitione dixit ἐλέγχους. Ibid.

ἔργα Δίνης, pro Δίνης (ut *jucundas Veneris res*, pro Venere, dixit Lucret.) & lib.5. ἔργα πόντε, pro πόντος. Homerus: μέγα ἔργον ἄρηος, ut Virgil.8.Æn.*grave Martis opus*. Sic apud eundem, *ferri rigor*, pro ferrum: *robur aratri*, pro aratrum: ut apud Lucret. *robur saxi*, pro saxum: *rigor auri*, pro aurum. Sic Athen. μέγα χρῆμα γιγάντων. Xenoph. ἐλάφου μέγα καὶ καλὸν χρῆμα, &c. Tale est & illud ferè apud Classicos script. *Rationes rei*, pro re ipsâ. Et apud JCtos *caussa rei*, pro Re frequentatur: ut *Caussa proprietatis, possessionis*, pro proprietate vel possessione. Etiam Sacræ litteræ hoc genere loquendi utuntur. ut Psalm. 35. v. 20. *Verba fraudum*, i. fraudes. Esther cap.9. v.31. *Verba jejuniorum*, pro jejunia. De quibus J. Drusius 8. Obs. cap. 22. Hæc è Comment. *C.Rittershusii*, in lib.1. Halieut.Oppiani: ubi talium multò plura invenire est: ut & in Notis ipsius ad Phædri Fabb.ubi est; *res si qua esset cibi*. i.aliquis cibus. Similia apud Savaronem ad lib. 7. Epist. 16. Sidonii Apollinaris. Sic Val. Cato; *nomen agelli*, pro agello. Sic Dionys. Cato, lib.4. dist. 48. *Vitandum ducas inimicum nomen amici*. ubi, *nomen amici*, pro amico. Præterea, *inimicum nomen amici*, sive; *inimicus amicus*, est Hellenismus, φίλος ἄφιλος, qui videtur, & non est amicus. Atq; hoc postremum est è *Notis in disticha Catonis*, quibus magnus ille Scaliger aliquot horas de suo otio atque ingenio impendere non dedignatus est: ut ea & recenseret, & post *Planudem* Græcè verteret. I nunc, pædagogorum natio, & *Disticha illa Catonis*, fastidi! Sed peto veniam hujus excursûs.

3. ITA CUIQUE COMPARATUM EST &c.] Sumptum videtur à Comico veteri, Antiphane: καὶ τῷ ἡδονὰς οὐκ ἐπὶ σφῶν αὐτῶν ἐμπορεύονται, ἀλλ' ἀκολουθοῦσ' αὐταῖς λυπαὶ καὶ πόνοι. Lucr.4.——*medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat*.

5. VOLUPTATEM] Ita MSS.Cam.& Pall. & Eysth. fide Gruteri & Rittersh. Edd. vett. *Voluptati*, ut sit Græcismus, ἕπεσθαι τῇ ἡδονῇ: ut aliâs, *Decere alicui*, πρέπειν τινι. Cicero simili Græcismo, *comitari huic vitæ*. Similis sententia, Curc. act. 1: 3. item Merc. 1: 2. Manilius: *Et subtexta malis bona sunt: lacrimæque sequuntur Vota, nec in cunctis servat Fortuna tenorem*. Εἶα σύ σύ! Frisch auff! das Gott erbarm. Euripid. apud Plutarch. οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά. Ἀλλ' ἐστί τις σύγκρασις ὥστ' ἔχειν καλῶς. *Bonum à malo esse separatum non potest. Mixtura quædam si utrimque sit, bene est*: ut vertit C.Rittershusius. Vide Not. ejusdē ad Guntheri Ligurinū. item ad Phædri versus lib. 4. Fab. 73. *Parcè gaudere oportet, & sensim queri: Totam quia vitam miscet dolor & gaudium*. Ita Seneca in Thyeste: *Nulla sors longa est. Dolor & Voluptas Invicem cedunt: brevior Voluptas*.

7. NAM ID EXPERIOR DOMO,] ita Mur. Var. Lect. 10: 13. *domo*: οἴκοθεν. ut, οἴκοθεν ὁ μάρτυς, de eo, qui se ipse indicat; & οἰκεῖον, quod cujusq; proprium ac suum est. Et quidem, *domo*, legere etiam MSS. Sex Palat. & Cam.& Laug. & Sambuci; autoriq; ob id restituendum, monuit *Gruterus*. V.N.Mil.2: 1. Vulgati, *exper. de me*. unde Palmer. *domo*, i. domi. quod malit etiam Acidal.

12. QUOD PERD.] Sic edd. primæ nam quinque Pall.*qm*.cum linea superincumbente, quod explicat sextus *quoniam*. MS. Cam. *quam*. Pareus edidit *quòm*. cur non potius alterum? quia scilicet ita libet.

16 VICTOR VIR BELLI CLUEAT] Victor nominetur, & omnium sermone celebretur, ἀπὸ τοῦ κλύειν, ut notat Cam. *Belli* autem, pro, *in bello*, Adverbialiter. V.N. Epid. act.3:4. Sic Sallust. de Bello Jug. *belli domique*. In MSS. Lang. est, *Vir belli se reducat*. in vv. edd: *Vir belli reducat*: atque hæc vera lectio, auctore quidem Meursio, ut *Reducat*, posuerit παθητικῶς antiquè, pro *redux sit*. quomodo etiam τὸ *redux* passivam habeat significationem, cùm simplex ejus *dux* activam. *Reducat* quoque videri in Pall.quattuor Grut. notat: at in reliquis, ut & in Cam.extare, *Vir belli redeat*, ad oram verò *clueat*. quod verum esse ait; aut certè, *Vir belli re clueat*. Et notetur forma loquendi: *belli cluere*, quâ Scaliger versum hunc Culicis explanat: *At tu, cui meritis oritur fiducia castris &c*.

17. VIRTUS PRÆMIUM EST OPTIMUM.] Lambino videtur legendum, *opimum*. Quid sint *Opima spolia*, docet Festus, atque ad eum Scaliger.

18. VIRTUS OMNIBUS REBUS ANTEIT PROFECTO] *Ea enim hominem jungit Deo*, (inquit Cicero) *& ejus tanta vis est, ut omnia si ex alterâ parte ponantur, ne appareant quidem*.

Jambli-

Jamblichus Chalcidensis Sar. *Virtus, velut sacrosanctum delubrum.* A

20. PROGNATI] i.progeniti, posteri. *ἐπίγονοι*: L.

20. TUTANTUR] *παθητικῶς.*

21. VIRTUS OMNIA IN SE HABET] Sic Sallust. *Quæ homines arant, navigant, ædificant, Virtuti omnia parent.* Quâ dicendi figurâ notat Turn. l.6: 20. significari, terras, maria, urbes, omnia Virtuti parêre & in ejus ditione esse. *Vide P.Ciaccon.in Sallust.* Item Rittershus. Notas ad versum Phædri, *Cælo receptus propter virtutem Hercules.*

25. AUSPICIO MEO ATQ. DUCTU] *J. Lipsius* de Militiâ Rom.lib.2.Dialog.12. Supremus & communissimus, ut sic dicam, ducum ipse Imperator est: à quo cives, socii, equites, pedites, denique omnes omnia pendent. Ille est, qui nō ductum solùm, sed auspicia etiam habet. Distincta enim ista: & Suetonius benè de Augusto: *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam.* Ductu, cùm ipse interfuit: auspiciis, cùm illo mandante alius, & fortunam ac deos suos (loquamur cum priscis) commodante. Horatius pulchrè ad Augustum, de privignis, lib.4.Od.14. *Te copias, te consilium, & tuos Præbente divos.* Significat ipsos duxisse, hunc direxisse & jussisse. Item Ovidius lib.2. Trist. clarè de Tiberio, ad eundem: *Per quem bella geris: cujus nunc corpore pugnas: Auspicium cui das grande deósque tuos.* Sed & Curtius hoc loquendi genus ad res Græcanicas transtulit: & sic apud eum Alexander: *Quorum alia ductu meo, alia imperio auspiciòque perdomui.* Sumptum autem à more veteri, quo omnia gesta auspicatò, & præsertim in bellis, &c. Nec aliâ fini in castris ipsum *Augurale*, & juxta Prætorium situm. Atque hæc olim ita, & seriò servata: posteà non nisi imago & nomen mansit. Plura ibid. videas: ut & apud Torrent. Com. in Suet. Augusto, c.21. V.& N. act.1: 1.

25. ATQ. DUCTU] Gul. & Coler. è Lang. Cod. *atque inducto.* Pareus edidit *inductu* è MS. Cam. & duobus Pall. at nos adhærebimus Pall. quatuor & editionibus authenticis, *ductu*, vel formulæ causâ.

25. PRIMO COETU] *πρώτῃ συμβολῇ Cœtus & coitus.* idem Ter. Ph. *Prima coitio est acerrima.* Verbum utrumque militare. Eo significatu & Virgilius *coire* dixit. *Cam.* V.N. Cistell. act.2: 1.

26. OPTATO] vocalitatis causâ: pro, *optatè*: Donatus Andr. act.3: 2.

33. PRANDIUM] Rectè, *prandium*: nam domum veniunt manè. Solebat autem dari cœna peregrè venientibus. V.N. Epid. act.1: 1.

36. QUOM ABEO] Cur non recipitur quod est in MS. Cam. Pall. q; aliquot, *quàm habeo.* J.Gul.l. *quàm abeo.* nec aliter edd.vett. subintelligit, *priùs.* vel *ante*, quomodo notatum in Pal. pr. & quarto. & solens ea sermonis *ἀττικοῦ* Plauto.

37. AD AQUAM PRÆBENDAM COMMODUM ADVENI DOMUM] Nam à partu lavationibus multùm utebantur. Ter. Andr. *Fac istæc ut lavet.* *istæc* autem, inquit Donatus, *vel quæ ex puerperio sordent; vel ipsa puerpera.* Et nescio, an aliqua de *Aquariolis* & *Aquario munere* à Lipsio Ant. Lect. 1: 12. ad Aristippi lucernam potiùs quàm ad Cleanthis scripta (ut ipse autumat) huc trahere quis possit! item *Palm.* quæ retulimus Mil. act.3: 1.

37. DECUMO POST MENSE] scil. Lunari, qui menses nostris breviores. Vide Turneb. l.4: 15. Tertull. de Animâ, c.37. *Legitima nativitas fermè decimi mensis ingressus est.* B

38. UT RATIONEM TE DICTARE] i.computare. ratiocinari. Lamb.l. *ductare*, pro, ducere. Palm. *ut ration. dictare int.* omisso *te*.

39. SITULAM CEPERO] MSS. & Edd.vett. *situlam jam cep.* sed voculam *jam* rectè ejecit Camer. tanquam versui noxiam. Pareus iterum tanquam injustè exulem reddidit contextui. utri accedis Lector?

40. NUNQUAM EDEPOL TU MIHI DIVINI QUICQUAM CREDUIS] Constat, veteres sua non semper ad novarum harum aurium judicia exegisse. in quibus & hoc loquendi genus est, quod ad istam faciem in omnibus omnium ætatum codicibus remanet, *Credere duarum rerum.* Trucul. act.2: 2. V.N. ibid. & Bacch.3:4. *Divini credere:* & Asin.2: 4. *omnium rerum credere.* Jam, *creduis*, pro, *credideris.*

41. NI EGO ILLI PUTEO, SI OCCEPSO, ANIMAM OM. INTERTRAXERO] Jocus festivus. Nam aqua de puteo extrahitur, ut in Rudente. ita dixit *καθ' ὑπόνοιαν*, Nisi omnem aquam de puteo extraxero, & illū desiccâro:

quæ esset quasi exanimatio putei. Aqua enim A puteo, quod anima est animantibus. Non enim certè simpliciter *anima* hoc loco aquā significat, secundum notationem Nonii: *Camerarius*. Vide & P. Vict. Variar. l.4: 2.

42. ALLEGABO.] Non male Edd. vett. & MSS. aliquot, *alligabo*. sed venustius heic videtur alterum; quo usus Epid.3.3.45.

43. MAGIS NVNC M. OFFICIVM FACERE, SI] Sic. Cam. maluit, ut est in Pall. sec. nam ceteri *facerem*, quod & in edd. vett. at MS. Cam. *faceres huic*. Gul. leg. *Magis nunc quàm meum officium facere*. Deliberat cum animo suo Alcumena, obviamne eundo, an manendo magis officium suum factura sit. Et respondet ipsa sibi, magis convenire ut maneat, cùm vir suus non nunc primùm adveniat peregrè, sed modò digressus, domum tentandi sui, an quâ aliâ de caussa revertatur. Itaq; ne salutat quidem, aut osculum offert, quæ leviora: tantùm abest, ut obviam processerit. hoc verum esse, planè arbitror: & locum hunc ab istorum Interpretum nemine hactenus intellectum. A me facit, id etiam, quòd in Sambuci codice est, *facerem*. quadrat enim huic sententiæ, &c. Ita Gul. cujus interpretationi acquiescit Grut. sed malit Lectionem Dousæ haud etiam explicationem; legit enim *Magis nunc meo officio facere, si huic eam advorsum arbitror. Magis facere*, est, conducere, convenire arbitror magis officio meo. Quo significatu id verbi etiam Propertio acceptum: *Non faciet capiti dura corona meo*. Ita Dousa.

44. SPERATAM SVAM] Eæ puellæ propriè *Speratæ*, quæ in matrimonium destinatæ erant: ut postea interposito sponsu & pacto, *Pactæ* atque *Sponsæ*. Noster Astrabâ: *Sequere, sequere Polybadisce: meam spem te cupio consequi. POL. Sequor hercule quidem. nam lubenter, mea sperata, consequor*. Ubi præter hoc, quod dixi, admodum suaviter puella amatorem nominat, *spem suam*. Ut Rufinus in Epigrammatis, amicam: Ῥουφῖνος τῇ μῇ γλυκερωτάτῃ ἐλπίδι πολλὰ χαίρειν. εἰ χαίρειν χωρὶς ἐμῦ δύναμαι. Hæc J. Gul. *Sperata*, inquit *Scaliger Conject.* dicebatur ἡ μνηστευομένη. quanquam pro eâ, quæ jam denupta sit, Plautus hic acceperit, &c.

46. RVMIFICANT PROBAM] ἀνάλογον est ad *magnificare*, & similia. Nonius tamen legit, *rumiferant*: & dicit hoc esse, honestè rumoribus ferre. Sed omn. MSS. Lambini habent *rumificant*; ut & edd. vett. nec abeunt MSS. Cam. & C. Langii, in quibus est, *verorum mificant*: &, *verorum mirificant*. Læl. Bisciola è suis, ut ait, vetustiss. legit, *modo miro misicant*, i. miris laudibus extollunt. l.8. c.20. Hor. Succisiv. tomi primi. & ei Scripturæ etiam accedunt Palatini. sed quid tunc fiet Nonio?

47. HAVD VIDI MAGIS] Cùm Amphitruo salutasset uxorem, neque illa quicquam responderet; quòd virum à se paullò ante abiisse, seque ab illo illudi arbitraretur: jocans qui eis adstabat, servus Sosia inquit, ——*haud vidi magis Exspectatum!* quòd venustissimè dictum est; & ex contrario intelligendum. Sic Capt.3: 4. Merc.4: 3. Et simile illud Cic. pro Sextio: *Est enim homo iste populo R. deditus. Nihil vidi magis*. Muret. Var. Lection. lib.10: 13. V.N. Pœnulo, sc.1. At *Gruterus*, motus tribus illis aliis locis citatis, capitur distinguere; *Haud vidi magis. Exspectatum eum &c.* Q. d. Qui se adeò exspectatum arbitratur venire, eum nemo quisquam vel salute dignatur. itaque acerbius erit dictum. Placuit & Acidalio. cum absolutè poni amet illud: *Non vidi magis*.

B 49. PVLCHRE PLENAM] Sic Menand. apud Suidam, illam, quæ uterum gestat, καλῶς ὑπλήσην vocat: *D.*

52. QVASIQ. NVNC] Duo hi versûs planè otiosi videntur Mureto: nec reperiri ait in suo vet. cod. Var. Lect. l.10.13. At habent Pall. omn. habent edd. vett. itaq; caussæ non erant cur eos literis repræsentaret eis, quibus solet spuria, Pareus.

55. DIDICI DICERE] V.N. Curc. act.4: 3.

56. QVOD DIDICIT] scil. rectum.

58. AN TE AVSPICIVM] An tibi *omen* aliquod, vel (ut alibi dicit) *religio objecta est?* De *Ominibus*, eorumque superstitione, vide *I. Is. Pontanum* Macrob. in Somn. Scip. l.1: 12.

60. AM. DVDVM] QVAMDVDVM ISTVC] ita restituit è MS. Cam. & Pall. Gruterus. & ita est in vett. edd. idem putabat sine damno versus expungi posse *pridem*.

62. QVID ENIM CENSES?] sc. me ita respondere tibi. L.

64. DELIRAMENTA] *Lira* arationis genus est, (inquit Isid.) cùm agricolæ factâ semente dirigunt sulcos. inde *Delirus*, qui à recto ordine & quasi à sulco & lirâ Rationis

evaga-

evagatur. hinc *delirari* & *deliramenta*. Capt. 3: A 4. Men. 5: 5.

65. QVÆNE VIGILANS SOMNIAT] q. d. Quid opus est Alcumenæ somno, quæ vigilans jam somniat? *S. Bosius* putat jocum esse ex ambiguo in verbo *somniare*: quo *somniare* duo significet: & somnium in somnis videre, & inania ac futilia loqui: & profert locum Men. 2: 3. quem vide. Edd. vett. & pleri-que Pall. *somniet*, non improbem.

68. NVNQVAM FACTVM EST] *Palm.* leg. ex vv. cc. *nusquam f.* Sic Ter. Andr. act. 1: 3. *PAM. Nusquam faciam*: ita enim vetus Venetus habet: nimium benè. Adverbia namque *temporis* & *loci* mutuâ vice commeant ac vertuntur. neq; quòd ille jam hominum sermo desierit, me quicquam movet; dum constet desiisse. Sic ille. & verò Pall. servant illud *nusquam*. sed alterum tamen restat in Cam. MS. & edd. primogeniis.

70. ASSENTARIS HVIC] Tertull. Carthag. Presbyter l. 5. c. 14. adversus Marcionem, Pauli illud Rom. 12. v. 16. τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι, Latinè vertit: *humilibus adsentantes.* Ad quod *Fr. Junius* Theologus notat: Certè κυρολεκτῶς. Est enim *assentari* duplex: unum à *sensu* dictum, quod Græcis est κολακεύειν: alterum à *semita*, quasi *assemitari*, vel *assemtari* dixeris, quod Græcis est συναπάγεσθ. Nec aliud propriè sibi Plautus voluit, cum *assentari* & *adversari* opponeret in Amphit. &c. Hic enim idem sibi volunt *assentari* & *obsequi*.

73. VNA RESOLVAS PLAGA] Douza huc applicat Lucianicum illud ex *Fugitivis*: ὁ μὲν τὸ κιττὸν ἀπέδωκε μιᾷ πληγῇ, καὶ ὁ θεράπων ἐχώς. *S. Ulr. Pistoris*, Planè, *inquit*, contra mentem Plauti est Lambiniana expositio. Hoc enim vult: Si Bacchæ bacchanti & obvios quosque, ex more, thyrso percutienti velis resistere, tanto plures ab ea plagas accipies, quanto diutius adverseris. si cedis & obsequeris, semel tantùm feriet, non sæpius. unâ plagâ ipsi satisfiet. *Resolvere* eo significatu ponitur, quo Asin. act. 2: 4. Ut frustrà etiam videatur Muretus, lib. 10. Var. c. 13. reponens; *unâ te absolvas plagâ*. Schop. l. *Unâ te solvas plagâ*; eodem sensu. Opinatur *Pist.* legi etiam posse; *unâ rem solvas plagâ*. Ita Asin. 1: 3. *semel si sunt captæ, rem solvunt aucupi*: & 2: 2. *si tergo res solvenda est, rapere cupio*

publicitum. Sed alterum tamen melius censet. Vide Curcul. sc. ultimâ.

73. AM. AT POL. QVIN C.] in vet. cod. est: *AM. at pol qui certo.* quod si recipimus, erit tmesis, pro, *atqui.* Gruterus. At verò Lamb. dispungit: *ALC. at pol! AM. quin c.* Ut sit aposiopesis Alcumenæ iratæ, & malum servo minitantis.

75. IRRITABIS CRABRONES] Vide Adagium. Tale illud Suidæ: *Oclipedem excitabis*, sc. scorpium. Plin. lib. 11. cap. 21. *Crabronum silvestres in arborum cavernis degunt: hieme conduntur. bimatum non transit. ictus eorum haud temerè sine febri est. Autores sunt, ter novenis punctis interfici hominem.*

76. QVID VIS ROGARE? ROGA.] Ita è MSS. Pall. Cam. & Lang. & vv. codd. qui habent, *quid vis rogare, roga.* Hinc autem Meursius putat scripsisse Plautum, *quid vis roga, reroga.* Et, Videtur, *inquit*, esse Sabinismus. sic illi *Eloqui* ac *Veloqui* deos dicebant, cùm oracula redderent: Varro lib. 5. Etiam *Gruterus* consensu omnium membranarum inductus, reduxerit libens *roga, reroga*: sed id ita interpretetur, ut illud, *obsecro, resecro.*

B 77. SVPERAT SVPERBIA] i. superest, abunde. Virg. 1. Georg. *Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur.* 3. Georg: *Præterea superat gregibus dum læta juventus.* Propert. 3. el. 5: *Unde salo superent venti*, ibi Passerat.

78. IN MENTE EST TIBI] *J. Gul.* MSSti & Schop. legunt, *in mentem est tibi.* V. N. suprà, 1: 1. alterum restat in Pall. fere & MS. Cam. neque aliter edd. vett. itaque ratio non erat cur id mutaret Pareus. nam non sequitur, quia alibi ita locutus est, etiam & hic ita loqui debere Comicum.

81. EO MORE EXPERTEM] Asin. *expers sis metu.* Persâ: *Ea res domo me expertem facit.* Lucr. l. 6. *lumina somno expertia.* Est autem hoc vocabulum de numero illorum, quæ contrarias significationes admittunt. Vetus Glossar. *Expers* ἄπειρος, καὶ ἔμπειρος. de quibus Casaub. Sat. 6. Persii.

81. OFFENDI DOMI.] Edd. primæ, *domum.* prurit manus rescribere, *offendi modò*: Grut. Ad quæ Pareus: Talem, inquit, pruritum non amo, qui saniem scalpendo inducat. Gratiosè profectò, ac venustè. scias scripsisse, postquam virgis suis in ruborem dederat nates discipulorum.

84. MANVM

84. MANUM PREHENDI] Gestus est alteri gratulantis & benevolentiam erga eum suam declarantis: L. δεξιοῦσθαι.

84. OSCULUM TETULI TIBI] Ferre osculum solebant & uxores viris peregrè advenientibus; & filiæ matribus; & filiæ-maritæ patribus se invisentibus: L. V.N. act.5:2.

86. SPERAVI EGO &c.] *J.Jov.Pontanus*, hoc & falsum & lepidum,& cive etiam ingenuo dignum censet: lib. 1. de *Sermone*, cap.9. De *Lepidis,Festivis & Salsis*. ubi & illud Terentii *Salsum* vocat, etsi obscenius est: *Lepus tute es, & pulpamentum quæris.*

87. QUID IGITUR?] Lamb. l. *qui igitur? qui*, i. quâ re? sc. gravida sum: D. Ich meinet / sie gieng mit einem Kind / so gehet sie mit einem Narren schwanger.

90. OMINATOR] qui dicis, me insaniâ gravidam esse.

91. PRÆGNANTI OPORTET ET MALUM ET MALUM DARI] MS. Cam. & Lang. l. *Prægnati*. quod præfert Meursius: cum veteres *Prægnas, Infas, Animas, Damnas* dixerint; pro *Prægnans &c.* J. Gruterus, *Malum & malum*, inquit, duplici intellectu & effertur à Sosiâ, & arripitur à populo: ut videlicet opus habeat vel Punicis mâlis, quæ contra gravidarum malaciam in usu, Plinio & Dioscoride testibus: vel etiam ut eidem bina omninò conveniant mâla.(ita enim accipit *malum & malum*) sed qualibus amicæ suæ nimis quàm acceptus cultor quisque. *Hæc ille.* Videatur & Lipsius lib.3. Antiq.Lect. ubi docetur, *Legere poma, nuces, olera*, apud Virgil. Cic. Catull. verecundè ab hortis ad rem voluptatum tralata esse: & quod Theocrit. dixerit μηλοβολεῖν, id Virgilio esse: *Mâlo me Galathea petit*, i. ad Venerem sollicitavit &c. Vide & N. Epid.4:1. & Bacchid.act.5:2.

94. IN SOMNIS FORTASSE] V. N. Mostell.2:2.

96. CONCINNAT.] Sic Græci usurpant θεῖναι καὶ κλίσαι, ἀντὶ τοῦ ποιῆσαι. Utitur ita Capt. act.3. sc.4. ——*me insanum verbis concinnat suis*. act. 4. sc. 2. *qui concinnant liberis orbas oves:* Des.Heraldus.

97. IMPLICISCIER?] implicari, involvi istam atram bilem. L.

99. QUI HAC NOCTU.] Utraque Parei editio *quia*, contra cusos scriptosque codices omnes: imò contra rationem communem loquendi.

102. HINC PROFECTUS SUM] J.Gul. *Hinc prosecutus sum ad T. Prosequi* officiosum verbum: & in eodem significatu *producere* propriè de amicis, qui suos peregrè euntes ad portam usque comitantur, & in viam inducunt, boni ominis aut præsidii causâ. utrũque tamen etiam simplicis sui solam significationem sæpè habet. & alterum quidem hic scitè de Imperatore usurpatur. nam is ut servet incolumes milites, unà proficiscitur, &c. *Grutero* tamen potior est consensus omnium membranarum, *profectus sum:* nec putat alterum hèic ullo modo tolerandum.

103. AM. QUID ID EST?] ita MS. Cam.& Pall.& edd.primariæ. Vulgò, *quid est?* Sed alterum vehementius, & elegantius *Grutero* videtur. Hoc tamen etiam in tam gravi plagâ languere videtur Acidalio: itaq; leg. *quid? hem!* Meursius hic versum, qui est in mediis edd. restituit: *Nihil te pudet, scelesta, populi in conspectum ingredi? AL. Vera d.* In MS.Cam. tamen non apparet neque Pall. neque Edd. primis: & explodendum censet *Pistoris*, infrà.

104. NON Q. H. DE HAC RE] Scil. vera dicis. de aliis nescio, an dicas vera. *Acidal.*

106. UT COMMEMINIT] *Palmerius* l. *ut connivit somnium, narrat tibi.* Et, *connivit*, non ad, *narrat*, sed ad, *somnium*, referendum. *Somnium ut connivit*, est, quod somniavit, dum conniveret. Manifestum hoc legenti sequentia, nam, *experrecta es*, contenditur cum illo, *connivit:* & proprium hoc in somniantibus: minus enim ii, quàm dormiunt. J. Js. Pontanus: *Rectè dicit; ut connivet, som. n. ubi.*

107. PRODIGIALI IOVI] Prodigiorum depulsori, ἀποτροπαίῳ, περγασίῳ. *Turn.* l.7:15.

108. MOLA SALSA] Turn.l.7:13. *Molam salsam*, quâ ante sacrificia hostia conspergebatur, interpretantur ferè omnes fruges molitas. Atque ea est Festi sententia verissima. Græci tamen fruges integras nec fresas nec molitas aspergebant hostiis. argumento est, quod ὀλαὶ à Græcis & ὀλοχύται vocantur, quæ erant hordei integræ fruges cum sale mixtæ. Horat. expressit 3.Od.23. *Farre pio & saliente micâ:* quod est grano seu micâ salis, & farre, sed molito tamen. & Virg. 12. *Dant fruges manibus salsas.* Græci autem hordeo non molito in sacris, in priscæ memoriam vitæ, utebantur, in quâ homines nondum molere

molito in sacris, in priscæ memoriam vitæ, A utebantur, in quâ homines nondum molere fruges, sed solidis vesci solebant. Est igitur *mola salsa* tanquam *molitura salsa*; ut molæ, quâ frumenta franguntur, nomen molito farri tribuatur.

108. COMPRECATAM OPORTUIT] *Comprecari* quid sit copiosè *Douza* in Cent. lib. 3: 9. quæ nos magnam partem retulimus Milite act. 2:4. Porro, superstitionem veterum in expiandis somniis, festivè notat Mart. Epigr. l. 7. 53. *Semper mane mihi.* &c. Tib. l. 1. el. 5. *Ipse PROCURAVI, ne possent sæva* (Rittersh. l. *scæva*) *nocere Somnia, ter salsa* (Scal. l. *sancta*) *devenerata molâ.* Vide Notas Rittersh. ad Phædri Fabb. versu; *Si procurare vis portentum &c.* ubi docet *Procurandi* verbo sæpe usum in hâc significatione Livium: ut *Prodigia procurare: Majoribus hostiis procurare*, l. 31. l. 34. bis tervè l. 37. l. 38. l. 39. & alibi. Agell. l. 4. c. 6. &c. Inprimis *J. à Wowver.* Animadvers. in Petron. item. *Is. Casaubon.* ad Theoph. Charact.

109. TUA ISTUC REFERT, SI CURAVERIS.] Omnes MSS. *ait Grut.* & editi l. *Si curaveris:* ut mirer quos citet Lambinus, qui, *nisi curaveris.* cujus interpretatio etiam non placet. Quæsierim ferè, annon fuerit, *si curaberis*: ut illud v positum fuerit loco *b*, planâ sententiâ. Utut sit; simile est ei, quod legimus Curcul. act. 4. sc. 2. *Ecquid das qui benè sit? CA. malum. CU. tibi opus est hoc, qui te procures.* Certè & edd. Vett. omn. leg. *si*, nulla *nisi*. Palmerius jocum hîc quærit: de quo V. N. Mil. act. 2:3. cui tamen Acid. non assentitur: cùm servi dictum in heram inclementius, fuerit apertum, non tectum: quod ex responso patet. Is autem malit, *SO. tuo istuc erit, nisi curaveris.*

110. SINE MALO] i. impunè. *L.*

111. ABII H. H. CUM DILUCULO] Sic Cic. 3. Off. *cum primâ luce domum venisse dicitur.* Id. 4. Att. *Metellus cum primâ luce furtim in campum itineribus propè deviis currebat.* L.

113. QUIPPE QUÆ EX TE] Palm. l. *quippe qui* &c. *qui*, adverbialiter superfluit. Vide b. pag. 204. Spicil.

AL. TUTE ISTIC] Meurs. l. *Tute istuc.* sc. dixisti.

MIRUM QUIN] de hâc eleganti formâ V. N. Most. 2. 2.

118. ME HUC ASPICE] Formula parandæ attentioni, qualis & Græcis usitata, εἰς ἐμὲ βλέψον δεῦρο. Captivis: *Agedum aspice ad me.* Mostel. act. 5:1. *Quæso edepol huc me specta*, *& responde mihi.* Ibid. *Surge, ne nugare, aspice dum contra me.*

123. QUIN NUNC M.] Affirmantis est: pro, *Atque etiam.* Virgil. *Quin aspera Juno.*

123. EGO VERO] sc. audio: & hoc etiam audio, ipsum mentiri. Hæc è MS. sui margine redonavit auctori Camerarius. antea desiderabantur: neque extant in Pall.

AM. NEGO ENIMVERO.] ita est in meis, & Samb. & Lang. nec non MS. Cam. vulgo: *Ego enim.*

137. QUID HOC SIT HOMINIS] Hæc secum Amph. Das ist mir ein seltzams Weib!

139. INTUS PATERAM PROFERTO] Ex Hellenismi formâ interpretandum, quâ dicunt, τὸ ἔνδον ἐξενέγκατε: ut fiat, Proferto pateram eam, quæ intus est: *D.* Vide N. Persâ act. 2:4. Rectius tamen hic putat Acidal. *proferto intùs foras.* Bacchid. *argentum jubebo* B *intùs efferri foras.* Vel, dic, *Thessala intus*: ut in Mercat. *Mulier intus* i. domestica, & quæ intus est. quod illico in editionem primam, compegit Pareus, statimque post vers. 130. ejecit vocem *mira*, quæ tamen in MSS. & Edd. vett. omnibus; requirebatque versus.

142. SALVUM SIGNUM EST?] ita ex Ald. & Pall. cum interrogandi notulâ Gruterus reposuit. *Salvum* autem pro intacto atque incorrupto. Milite: *consilia salva sumes inde dem.* Liv. 1: *Quid salvi est mulieri amissa pudicitia?* proper. 2. el. 8. *Penelope potuit bis denos salva per annos vivere.* Passerat ibid.

144. PRO CERRITA CIRCUMFERRI] *Cerriti & Larvati*, inquit Nonius, *malè sani aut Cereris irâ & larvarum incursione animo vexati.* Horat. 2. Sat. 3. *Cerritus fuit: an commotæ crimine mentis Absolves hominem?* Menæchm. act. 5:4. *num larvatus est ille aut cerritus?* Cic. Attic. l. 8:5. *Nunquam autem cerritior fuit, quàm in hoc negotio*: ut quidem Lamb. & Simeo Bosius legendum pertendunt: id est, *insanior* J. Scal. Conject. *Cerritus* duplici *rr* scribitur: nã detritũ est ex *Cereritus*: unde Attici voca-

bant hujusmodi δημητριακούς: &, Δημήτηρ ἡ αὐτὴ τῇ ἑστίᾳ &c. *Circumferre* autem verbum pontificale est, pro, *lustrare*, & lustratione curare: ut notat Servius ad illud Virgil. 6. Æneid. *Idem ter socios purâ circumtulit undâ. circumtulit, i. purgavit. nam lustratio à circumlatione dicta est vel tædæ vel sulphuris.* Græci περιρραίνειν, περιαγνίζειν & περιθειοῦν, & περικαθαίρειν, & περιμάσσειν dicunt: ut observavit *Germ. Valens.* Vide & *Turn.* l.9:10. item l.4:15. similiter & agri & urbes lustrabantur, hostiis in orbem circumlatis. Atq; hinc est, quod τὸ περὶ ferè in vocibus eò pertinentibus reperitur: ut jam ostendimus. De quibus omnibus accuratissimè noster Casaubonus ad Charact. Theophrasti, & Persi Satiram 2.

144. QVIN FACTO EST OPVS] J. B. Pius leg. *ferto*: docetque *fertum* libi genus fuisse, itemque sacrificii, quod in lustrationibus adhiberetur: unde & *strufertarios* dictos, qui id ferebant. Vide Syllog. 3. cap. 148. *Facis Gruteriane.*

145. LARVARVM PL.] *Turneb.* l. 7:10. A Laribus larvæ: à larvis furiosi insanique vocantur. interim notandum laruarum esse quatuor syllabarum, quemadmodum in Priap. Epig. 32: —— *adfert Pallorem maciemque laruâlem.*

QVID VERBIS OP.] Sic hunc locum distinxit Gruterus ingeniosissimè, & ejecit vulgi illam *Thessalam* ancillam; nullo eam agnoscente scripto codice.

151. SOLVE CISTVLAM] V. N. Bacch. act. 4:4.

152. OBSIGNATA EST RECTE] *J. Grut.* ita distinguit: *Obsignata est. rectè! res g.* Nam rectè obsignatam hero jam satis constabat, qui eam modò inspexerat. tantùm miratur servus, cur eam resolvere jubeat, nisi velit signum rumpi, quod lini nodis superimpressum.

152. RES GESTA EST BENE] Hoc ad sequentia trahit Lamb. Q.d. Benè habet, quòd è simplis gemini sumus facti. Es gehet wol zu.

155. VIDE SIS SIGNI QVID SIT] de hoc more Bacch. 4:6.

156. CVLPAM CONFERAS.] ita Gruteri MSS. septem, *culpam conferas* edit. omnes, *transferas.*

157. POSTVLAT] ἀξιοῖ, æquum putat: L.

158. QVÆ MIHI D.] Meurs. l. *quoi mihi.* id est, *à quo*: phrasi aliis etiam usitatâ.

169. PERGAM EXEQVI] Muretus Var. Lect. l.10. c.13. ait legendum; *perge exsequi.* Est autem *exsequi*, narrare, διηγεῖσθαι: Ita Rittershus. ad illud Phædri, *Hæc exsecutus sum.* notat; ἐπεξελθεῖν, vel διεξελθεῖν: quo Plautus sæpe utitur, pro, narrationem institutam quasi protelo continuare.

170. POSTEAQVAM LAVI? AL. ACCVB.] Savaro ad lib. 1. Epist. 11. Sidonii, capit de lotione manuum, ut & locum Stichi 4:2. versu 28: *Quam mox cocta est cœna? impransus ego sum. EP. abi intro ad me & lava.* Gruterus accipit de lotione balneari.

175. DE DORMITARE] νυστάζειν, *Dormito* enim, desiderativum potius est, quàm frequentativum: qualia sunt *prenso, capto, vendito, ostento, munito,* pro munire cupio, apud Ciceronem: ut observat *Turn.* l. 25:15. V. N. Sticho, 2:1.

176. IN EODEM LECTO] Lecto diverso scilicet à triclinari illo, cujus antea modò meminerat: D.

181. VIR EGO TVVS SIM?] *Vir,* pro *Maritus*: absolutum pro relato: quod usitatissimum Plauto. Similiter, *Mulier alicujus,* pro uxore sępiùs. Sic Penelope ad procos de Ulyxe, in carmine libero: *Qui quoniam periit, modò vos intendite: qualem Esse virum scitero, vir sit ut ille meus.* Schop. in Phædr.

181. NE ME APPELLA FALSÒ] Ita quidem MS. Cam. Sed Douza mâlit: *Ne me appella falsa falso nomine. Falsa,* hoc est, aut mendaciloqua, aut imagine veri decepta atque à recta ratione evagans. Et hanc lect. probat etiam Meursius, admisitque in contextum ed. primæ suæ Pareus, sed ejecit secunda, quei omnibus constaret, non fortunam modò, verùm & ipsum in levitate suâ esse constitissimum.

182. HÆRET HÆC RES] πρᾶγμα ἄπορον καὶ ἀμήχανόν ἐστι.

182. SIQVIDEM HÆC IAM] Ita MS. Cam. & quinque Pal. —— *siquidem hæc jam mulier fact.* Lamb. primus reposuit: *siquidem hic jam mulier factus est ex viro*: quomodo fecisse etiam vett. Grammaticos innuit Pius: qui tamen asseverat, vetustos codices servare pertinaciter *hæc.* is autem Pius potiùs correxerit vocem ultimam, feceritque, *ex virâ.* Vira enim Festo conjux, ut sit sensus: Alcume-

nam

nam ex uxore factam esse mulierem. *Mulieri*: autem nomen inter contumeliosa fuisse, & insignis infamiæ, atque adeo synonyma esse, *Mulierem*, & *Impudicam*, *&c.* Etiam Pistoris τὸ *hæc* retinendum censet: quod constanter ita libri. ut Sosia de Amphitruone jam loquatur, tanquam de muliere: utpote qui se virum negaret, ex opinione quidem Sosiæ. Trucul. act. 1: 2. *Nunc mulier facta est ex viro.* Igitur τὸ *hæc* per jocum demonstrabit Amphitruonem. Illud verò Pii, *ex virâ*, contextum planè respuere ait Pistoris; & acutissimum Criticum dicis caussâ potiùs hoc chartæ suæ illevisse, quàm seriò ita censuisse: cùm per se nimis argutum sit, inter *mulierem* & *virum* ita distinguere. Pareus tamen, tanquàm Plauti geminum germanum, discipulis suis *Viræ* objecit in Lexico illo Plautino, & ita etiam conspicitur id vocis in editione ejus prima. quæ insania!

183. QVA ISTÆC PROPTER] pro, *Quapropter.*

TVTE EDICTAS] Non de nihilo est, quod in Scholiis Vallæ legitur *Tuo te*, id est *tu ipsa.* apparet enim habuisse hoc exemplar ejus scripturæ. At nostri MSS. nihil recedunt à vulgato.

185. QVID EGO TIBI DELIQVI?] τὸ *tibi* eleganter παρέλκει. Aliquot tamen vet. cod. leg. *ibi*, Acidal.

185. TECVM FVI] *Cum viro esse*, honestè & more Græcorum dictum, pro, *cum viro rem habere*: τῷ ἀνδρὶ συνεῖναι: hinc συνουσία & συνουσιάζειν. Sic, *cum muliere esse*, Plaut. Mercat. *Eâ nocte mecum, hospitis jussu, fuit.* Nec dissimile, quod dicunt mulieres, Cistell. *Viris cum suis prædicant nos solere*: ut observat *Scal.* conject. V. N. ibid.

187. SALTEM T. SI PVD. EG. SVMAS MVTVVM.] i. Etsi omnem jam pudorem fortasse deposueris: debebas saltem coram marito dissimulare, & mihi adscititio pudore imponere, eorum more, qui alienis opibus suam tegunt inopiam. Eâdem formâ, si quando in homine luxu perdito continentiam, in avaro liberalitatem, in inhumano affabilitatem notabimus, non illepidè addemus, *Ea mutuò sumpta esse*: H. Junij & *Giselinus.*

188. NOSTRO GENERI NON DECET] Imitatione Græcorum. sic infrà 3:4. *ornatum capiam, qui potis decet.* Terent. *vobis decet.* ubi notat Donatus; *Græcè dixit*, ὑμῖν πρέπει. Idem

A ad illud Adelph. act. 5. 8. *immò hercle ita nobis decet.* Antiqui si addebant statim verbum; *Nos decet facere*; *Nos decet dicere*, dicebant: Si non addebant; *Nobis decet.* Sic in libris Juris; *Decet enim tantæ majestati, eas servare leges, quibus ipse solutus videtur.* Sic Cistell. act. 1: 1. *Quando ita tibi jubat, vale, &c.* Ex Lamb. & Mureto Var. Lect. l. 10: 13. & Meursio.

189. TV SI ME IMPVDICITIÆ CAPTAS, NON POTES CAPERE] *Muretus* transponit: *capere non potes.* Hinc Acidal. numeris obsecutus fecit; *at cap. non p.* Notatq; alter verbum *capere* Græco more positum esse, pro eo quod est, coarguere ac convincere. ita enim illi ἁλίσκειν. Acidalianum visitur in Pareana prima. At quanto innocentius suspicemur fuisse in exemplari primo? *pud. citiai.* Pyl. Buccardus: *Captas impudicitiæ*, i. per captiones decipere conaris: cùm abeas & redeas, & id fecisse neges. *Auceps captat omnes aves*; *sed non omnes capit.* Et hujusmodi insidiatores pudicitiæ dicuntur à Val. Max. *Obsessores alieni matrimonii.*

193. *** AM. QVI TESTES?] *Scaliger* ad illud in Phallicis, *Magnis testibus ista res agetur*, notat: *Testis*, ὁ μάρτυς, ex antiquâ linguâ
B Græcâ θέστωρ: & μάρτυρες θεοῦ, τοὺς διδύμους verò (quos eleganter *Pares* vocat Plinius) ita nominarunt, quod & ipsi μάρτυρες τῆς ἀρρενότητος. idcircò ambiguè lusit Plautus. Nam, ut mos erat veterum, verbum formavit ex re, quam non intelligebat: ex *Teste*, *testiculari.* ut Aristoph. θερμοφορεαλίζεσθαι: ——χθὲς ἴφαζον κάρδαμα. Κλεων. τί καρδαμίζεις; At deditâ operâ *testiculari* dixit, pro eo, quod Græci ὀρχιπεδῆσαι. sicut & κλειτοριάζειν dicebant, à pudendo muliebri. quod Laberius, ut ego puto, *puellitari* interpretatus est: *Quanam vos dementia suppolitores facit Cum cano eugio puellitarier?* Nam *eugium* (quod & Græcum ipsum quoque est, εὐδιαῖον) est τὸ κλειτόριον. unde *colei Cliternini* Ciceroni, &c. *Janus Gruterus*, Nec versus, *inquit*, iste nec sequens conspicitur in MS. Cam. aut adeò ullo Palatinorum. imo nec in tribus illis quos Car. Langius contulit, comparet, aut in editionibus Merulæ. intulit primùm Plauto *Baptista Pius.* Cum enim tradidisset versus hos inventos in codice reverendæ fidei hâc formâ:

AM. Quid testes? AL. testes. AM. quid testicularis: uno sat est.

Nec nobis præsente aliquis nisi servus Africanus

In actione adest, si hunc absentem invenerit puer.

factum est, ut *Pii* istius sive autoritate sive adsertione, eos statim in contextum receperit Sarracenus, item editio Veneta, sed nonnullis immutatis. At vidit acutissimus Camerarius, versum ultimum finemque adeò penultimi translatum huc ex Nonio, voce, *Absente nobis* &c. itaque id omne resecuit; admisitque solum, *AM. Quid testes* &c. ubi de suo substituit, *Sosia affuit*; cùm esset in aliis ejus loco *Africanus*. Quapropter vix est ut non debeant ejici versus etiam priores. Nam quòd dicat *Pius* de codice venerandæ fidei; quei quæso id credam, cùm is apertè Plauto tribuat, quæ sunt Afranii, Nonioque adeò sit posterior? Præterea, benè monet *Pistoris meus*, nullum subesse sensum aut rationem versui isti, *Nec nobis* &c. Nam anteà quidem non viderat uxorem Amphitruo: quomodo igitur tanquam de præterito loquatur? Quod si ad præsens tempus referatur, falsum est, solum Sosiam adfuisse: adfuit enim & Thessala, adfuêre ministri alii, ut ipsamet fatetur, &c. *Hæc ille.* Et quidem ille ipse *Pistoris* alibi etiam demonstrat, hæc fragmenta à Grammatello quodam è Nonio huc inculcata: quemadmodum & istum versum superiùs; *Nihil te putet, scelesta, populi in conspectum ingredi?* Quem, *inquit*, alienissimum esse vel illud argumento est, quòd in totâ hâc Scenâ nullibi ferè tam acerbè compellat uxorem Amphitruo, atque in loco, nondum adhuc gliscente certamine. Quòd verò Lambinus in illis verbis, *enim uno sat est*, etiam mysterium quærit, quasi innuere voluerit Amphitruo, uni fæminæ unum virum satis esse, sariolatur.

194. NOBIS PRÆSENTE] *Præsente* & *absente nobis* dixerunt veteres, ut docet Nonius. Pomponius: *Quidam apud forum præsente testibus mihi vendidit.* Accius: *his præsente.* Fenestella: *præsente & absente suis.* Novius: *præsente omnibus.* Ter. Eun. act. 4: 3. *absente nobis.* ubi Donatus: cùm sic dicit, pro Præpositione ponit, *absente*: ac si diceret, *coram amicis.* Becmannus τὸ *præsente* adverbium esse censet. *præsente adesse*, ut *præstò esse*, quod à *præstus* exoleto. Neque infrequens Adverbia fieri à Casibus nominum ablativis; ut *raro, modo, assidue* &c. Sic apud Catull. *inspiranti nobis*: & Tibull. *nobis merenti*: quod notat Scalig. *⁎*

196. ABSENTE TAMEN] Versus ruit, Cam. addidit; *sic tamen*, sed id nuspiam visitur in libris transpositione verborum redintegretur, dummodò tamen nihil elidamus; *Amph. alius, qui forte hic absente te tamen.*

197. TVAM REM CVRET] Tale illud Epigrāmmatistæ: *Res non uxoris, res agit ille tuas.*

198. MIRVM NIMIS EST] Sine ullâ dubitatione legendum, *mirum ni minus*, censet Muret. lib. 10: 13. At dubitat tamen *Gruterus*; ita quidem, ut adhæreat vulgatæ, cui adstipulentur MSS. omnes ad unum, poscente insuper etiam sententiæ nexu. Acidalius ita: *mirum nimist. Ceterò d.*

200. FRVSTRATVR] *Frustratur*, propriè. nam frustrationes & ludificationes erroresque, caput cænæ in mimis & Comœdiis, quales sunt passim hîc in Amphitr. Ita in Phasmate act. 5. Sc. 2. v. 30. *Optimas frustrationes dederis.* Ductum à calvis mimis, qui omnibus in theatro frustratui erant. Vide Th. Marcilium ad LL. XII. tabb. ubi & illud citat quod per Gallicum triumphum à militibus in Jul Cæsarem jactatum fuit:

Urbani servate uxores: mœchum calvum adducimus.

Calvum, ut in mimo scilicet ridiculum sive mimicum. Moriones enim calvi sive rasi erant, prisco ritu. quò respexit anathematicus ille Anthol. cap. 3. lib. 2. μωρὸν ὁρᾷς φαλακρὸν &c. Ad lucem plurium locorum addam pluscula, ab Aul. Popmâ. *Frustror*, verbum commune utrumque significat, fallo & fallor. *Frustra sum*, est fallor & decipior. In quibus facetè lusit Ennius in Satiris: *Nam qui lepidè postulat alterum frustrari, Quem frustratur, frustrà eum dicit frustra esse. Nam qui sese frustrari quem frustra sentit, Qui frustratur, is frustra est: si non, ille est frustra.* Quorum sensus est: Qui studet alium lepidè fallere, non statim potest dicere eludi ac falli eum, quem ipse fallere vult.

vult. Nam ubi quis sentit frustra alium operam dare, ut se fallat: tum nisi fallitur is, cui fallacia tenditur, frustra est is ipse qui eum frustrari conabatur.

202. VERERI ET METVERE] *vereri*, ut matrem: *metuere*, ut dominam. V.N. suprà Prologo. Et Platon. in Euthyphr. ubi Socrates disputat adversus Poetam, qui dixit, ἵνα γὰρ δέος ἔνθα καὶ αἰδώς. L.

203. MORTALIS NEMO] Rectè addit, *mortalis*, alioqui pejeraret.

205. VERA DICO, SED] sic Papin. 2. Theb. ——*fata monentem Privavêre fide*. Proper. 3. el. 13. *Certa loquor, sed nulla fides: neq; enim Ilia quondam Verax Pergameis Mænas habenda malis*. Passerat.

206. MVLIER ES, AVDACTER IVRAS] Tibullus: *Nec jurare time: Veneris perjuria venti Irrita per terras & freta summa ferunt*. Propert. lib. 2. de puellis: *Quicquid jurarunt, ventus & unda rapit*. Diogen. *Mulieri ne credas; ne mortua quidem*. Vide Erasm. & Passerat. 2. el. 28. Propertii qui idem ad lib. 3. el. 24. bene monet, convicium fuisse gravissimum nomen *mulieris*. noster Casin. 2:2. v. 36. Ter. Heaut. 5: 3. *Pergin mulier esse?* Hecyr. 2:1. Egone? *Tu, inquam, mulier*.

206. QVÆ NON DELIQVIT, DECET AVDACT.] Similis locus Capt. act. 3: 5. & Pseud. 1: 5. Ita Phædrus lib. 4. *Excedit animus, quem proposuit, terminum. Sed difficulter continetur spiritus, Integritatis qui sinceræ conscius, A noxiorum premitur insolentiis*. Quo allusit ad sententiam versus Sophoclei: ξὺν τῷ δικαίῳ γὰρ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν, *Nam justa caussa spiritum attolli jubet*. C. Rittershus.

207. PRO SE] Colerus l. *prosè*, i. liberè. quod Pareus, non modò admisit in spurcissimam illam ed. suam primam, ostentavitq; in Lexico; sed etiam propugnat in secunda; tanquam subnixum auctoritate MS. Cam. in quo visatur junctim. ineptè. nam membranacei, perpetuò ferè præpositionibus adnexa habent nomina sua. & si tale verbum unquam fuit in rerum natura, cur nullus unquam Grammaticorum meminit? cur nullus Criticorum hujus superiorisque sæculi?

208. TV VERBIS PROBAS] q.d. non factis. *Gruterus* suspicabatur aliquando: *tu? verbis* A *proba es*. At nunc, inquit, desino. nam MSS ferè item edd. vett. *in verbis probas*. ut fuerit fortè: *in verbis proba es*: sed nec hoc placet. quoniam nondum adhuc suos habet pedes versus. an fuit? *decet AM. ain? verbis proba es*. Acidal. l. *ut te verbis probas*: quod Pareus ad editionis pr. excrementa adjecit, Gruterianum verò admisit sec. ô constantiam!

210. PVDICIT. ET PVDOR.] Lactant. lib. 2. *Pudorem extinxit, pudicitiam flagitavit. Pudicitia*, est continentia à libidine: *Pudor*, est ingenuus rerum turpium metus, &c.

214. DELINITVS SVM] *Delinitus* exponitur hic *mente alienatus*, à Nonio. Titinnius: *Dotibus deleniti ultrò etiam uxoribus ancillantur*. Sic θέλγειν, quod vulgò valet *delectare* seu εὐφραίνειν, interdum, ut apud Hom. significat *decipere*, & à rectâ ratione abalienare: L. Vide & Parerg. *Scip. Gentil*. lib. 1. cap. 30. ubi docet, etiam apud ICtos *delenimenta* & *delenifica dicta*, sumi pro incantationibus & venenis, quibus mens de suo statu dejicitur. V.N. Cist. 2: 1. Palat. pr. & sec. à prima manu præferunt, ut & à secunda, quartus, *Delira-* B *tus*. fallit enim Pareus lectores dum asserit id extare in omnibus. habent sanè illud nostrum: quod & in edd. vett.

215. CAVE SIS] Donatus Eun. act. 4: 7. *Quia Imperativa verba sunt contumeliosa, addebant veteres, Sis: quod significat, Si vis*.

215. NE TV TE VSV-PERDVIS] Quia si nescires, (ait vetus Interpres) quis esses, posset alius in tui locum succedere; & sic te privare te ipso. quia cùm per usum fuisset in possessione tui, ille te acquisivisset, & tu te perdidisses: ut in fundis contingit. Dictum autem *usuperdere*, ut *usucapere*; & suprà; *usufacere suum*. *Perduis* autem, *perdas*, est: L.

216. HOMINES IMMVT.] Schop. *Lomnes*, sc. qui hinc ad bellum iveramus.

217. REM INQVISITAM] i. non exquisitam, inexploratam, ἀνερεύνητον, ἀνεξέταστον: L. Vnerörtert.

221. QVID TIBI ÆQ.] Vetus quædam editio: *quid te ibi æq*. Non reiculum est. Talia sunt: *Quid me fiet? quid eo factum?* Jam, *ibi esset tum*. Notat Acidal.

FIERI] *Fieri*, primâ longâ: ut suprà, act.1: 2. & Trin.2: 4. & alibi. *Cam*.

222. NUNQUID CAUSSAM DICIS, QUIN] Nunquid contrà dicis, quin hoc matrimonium solvatur, & dotem amittas? *P. Buccard.* & *L.* Adi *J. Lipsium* ad lib. 4. C.Taciti: ubi contra *virum doctum* docet, Adulteras non domo solùm exactas & dote privatas fuisse, sed etiam necatas: ipsumque adeò Magistratum, præsertim Ædiles, adulteras interdum accusasse. Interim plus est quàm ridicula Parei nota in Electis, qua vult, Plautum hîc alludere ad pœnam illam posteriorum sæcu-

A lorum, qua adulteræ necabantur. quid enim absurdius quàm *multare matrimonio*, accipere pro *necare*? sed sic est. è Taubmannianis malè suppilcatis, & Lexicon suum finxit, & Electa.

223. CONVENIT] inter nos conventum est: L.

B 224. DUC HOS] captivos. L.

227. ABEO, SI JUBES] Jocus ex ambiguo. nam & qui manumittuntur, abire à dominis jubentur. L.

229. INSIMULARE FALSUM] Aul. act.2:4. *Non istud, quod tu insimulas.*

ACTUS III. SCENA I.

JUPPITER.

EGO sum ille Amphitruo, cui est servus Sosia,
Idem Mercurius qui fit, quando commodum'st,
In superiore qui habito cœnaculo,
Qui interdum fio Iuppiter, quando lubet.
Huc autem quom extemplò adventum apporto, illicò
Amphitruo fio, & vestitum immuto meum.
Nunc huc honoris vestri venio gratiâ,
Ne hanc inchoatam transigam Comœdiam,
Simul Alcumenæ, quam vir insontem probri
Amphitruo accusat, veni, ut auxilium feram:
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenæ innocenti expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occepi semel,
Esse assimilabo, atque in horum familiam
Frustrationem hodie injiciam maximam.
Pòst igitur demum faciam res fiat palàm:
Atque Alcumenæ in tempore auxilium feram.
Faciamque ut uno fœtu, & quod gravida est viro,
Et me quod gravida'st, pariat sine doloribus.
Mercurium jussi me continuò consequi,
Si quid vellem imperare. nunc hanc alloquar.

MERC. QUI FIT] ita MS. Cam. & Parisina Carpent. ed. Alii. *fit.*

V. 3. IN SUPERIORE QUI HABITO COENACULO] Ambiguum. Si ad verum Jovem refertur, *cælum* notatur Virgil. ——*tu*

A *das epulis accumbere divûm*: si ad histrionem; notat, se pauperem in alieno habitare, & quidem in ὑπερῴῳ, i. loco tegulis proximo. Ita & Turn. l.4: 15. Perlepidè, *inquit*, jocatur histrio, qui personam Jovis susceperat pro Amphitruo-

phitruone subditi: se enim pauperculum dicit cœnaculariũm, qui habitet in superiore domûs cœnaculo ad tegulas; non in primâ contignatione, sed in supremâ. Vide & lib. 13. c. 11. Seneca Epist. 80. *Diurnum accipit: in cænaculo dormit.* utpote tenuior & inops; ut addit Lipsius. Festus: *Cœnacula dicuntur, ad quæ scalis adscenditur.* Ad quod ultimus ille à Comite Scalenburgi Scaliger notat: Ea tantùm esse *Cœnacula*, quæ scalis adscenduntur, vel fidem fecerit Ennius, apud Tertullianum, qui dixit —— *cænacula maxima cæli*, Advers. Valent. c. 7. item Martialis, *Et scalis habito tribus, sed altis.* Nam & Juven. *rarus venit in cœnacula miles.* Cœnaculum veteres Glossæ interpretantur δίαιταν ὑπερῷον. Jam τὸ *qui* δισυλλάβως legit κατὰ διαίρεσιν Camerar. At verò Meursius è suis concinnat: *Superiore in cæli qui habito scenaculo.* Et *scenaculum* ait vocem Sabinorum esse: quis *Scena* fuerit, quæ *Cœna* Romanis: & *Scælum* pro *Cælum, &c.* In Ald. & Brix. est; *In sup. cæli qui h. cænaculo.* quos tamen omnes affirmat *Gruterus* incidisse in mangones. primam enim lectionem manere omninò in editione anni 1472. & MSS. adeò omnibus.

5. CUM EXTEMPLO ADV. APP.] simulatq; adveniõ. Sic Lucr. l. 4 —— *adfigere adhæsum*, pro adhærere: *L. D.* Acidalius malit: *Huc a. q. ext. advento, à portâ illicò Amph. fio.* In MS. Cam. est, *quo extemplò.*

8. NE HANC INCOATAM TRANSIGAM C.] Hoc dicit: Ne inter initia perficiam Fabulam, i. relinquam inabsolutam. Etsi, verum ut fatear, *incoatio* in linguâ Latinâ significare imperfectionem videtur: nam quod Græci ἀτελὲς, dixerunt, id Latinis est *incoatum*: Cam. *Lambinus* interpretatur: Ne hanc Comœd. modò inceptam finiam.

12. HUIC EXPETAT] V. N. act: 1. 3.

14. ASSIMULABO ATQ.] *O* inelisum retinendum est. *Cam.*

19. ET ME QUOD GRAVIDA EST] i. & quod ex me gr. est.

SINE DOLORIBUS] Reprehenditur heic Plautus, tanquam aliena ab istis tribuens Bromiæ ancillæ infra 5. 1. vers. 40. *Ibi utero exorti dolores &c.* de quo videatur Contaren. cap. 15. Var. Lect.

20. IMPERARE] Ita *J. Gul.* è MSS. C. Lang. *Si quid vellem imperare.* quomodo & MS. Cam. antea editi fere, *imperarem.*

ACTUS III. SCENA II.

ALCUMENA, JUPPITER.

DURARE nequeo in ædibus: ita me probri,
Stupri, dedecoris à viro argutam meo!
Ea quæ sunt facta, infecta refert, ac clamitat.
Quæ neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit:
Atque id me susque deque esse habituram putat.
Non edepol faciam; neque me perpetiar probri
Falsò insimulatam: quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mihi ille, atque adjuret insuper
Nolle esse dicta quæ in me insontem protulit.
JUP. Faciundum est mihi illud, fieri quod illæc postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere:
Quando ego quod feci, factum id Amphitruoni obfuit.
Atque ille dudum meus amor negotium
Insonti exhibuit: nunc autem insonti mihi
Illius ira in hanc & maledicta expetent.

AL. Et

AL. Et eccum video qui me miseram arguit
Stupri, dedecoris. IVP. Te volo, uxor, colloqui:
Quò te avertisti? AL. ita ingenium meum est,
Inimicos semper osa sum obtuerier.
IVP. Heja autem inimicos! AL. sic est. vera prædico,
Nisi etiam hoc falsò dici insimulaturus es.
IVP. Nimis verecunda es. AL. Potin' es ut abstineas manum?
Nam certò si sis sanus, aut sapias satis,
,, *QVAM TV impudicam esse arbitrere & prædices,*
,, *Cum eâ tu sermonem nec joco, nec serio*
,, *Tibi habeas, nisi si sis stultior stultissimo.*
IVP. Si dixi, nihilo magis es, neque ego esse arbitror.
Et id huc revorti, uti me purgarem tibi.
Nam nunquam quicquam meo animo fuit ægrius.
Quàm postquam audivi te esse iratam mihi.
Cur dixisti? inquies. ego expediam tibi.
Non edepol quò te esse impudicam crederem:
Verùm periclitatus animum sum tuum,
Quid faceres, & quo pacto id ferre induceres.
Equidem joco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi caussâ: vel hunc rogato Sosiam.
AL. Quin huc adducis meum cognatum Naucratem,
Testem quem dudum te adducturum dixeras
,, *Te huc non venisse? IVP. SI QVID dictum est per jocum,*
,, *Non æquum est id te seriò prævortier.*
AL. Ego illud scio quàm doluerit cordi meo.
IVP. Per dexteram tuam te Alcumena oro, obsecro,
Da mihi hanc veniam: ignosce; irata ne sies.
AL. Ego istæc feci verba virtute irrita:
Nunc quando factis me impudicis abstines,
Ab impudicis dictis avorti volo.
Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Juben' mi ire comites? IVP. sanan' es? AL. si non jubes,
Ibi egomet, comitem Pudicitiam duxero.
IVP. Mane, arbitratu tuo jusjurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te summe Iuppiter
Quæso, Amphitruoni ut semper iratus sies.
AL. Ah! propitius sit potius. IVP. confide fore.
Nam jusjurandum verum te adversum dedi.
Iam nunc irata non es? AL. non sum. IVP. benè facis.
,, *Nam IN HOMINVM ætate multa eveniunt hujusmodi:*

,, *Capiunt*

„ *Capiunt voluptates, capiunt rursum miserias.*
„ *Iræ interveniunt, redeunt rursum in gratiam.*
„ *Verùm iræ si quæ fortè eveniunt hujusmodi*
„ *Inter eos; rursum si reventum in gratiam est,*
„ *Bis tanto amici sunt inter se quàm prius.*
AL. Primùm cavisse oportuit ne diceres,
Verùm eadem si isdem purgas, mihi patiunda sunt.
IVP. Iube verò vasa pura adornari mihi,
Vt, quæ apud legionem vota vovi, si domum
Redissem salvus, ea ego exsolvam omnia.
AL. Ego istuc curabo. IVP. evocate huc Sosiam;
Gubernatorem qui in meâ navi fuit
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
Is adeò impransus ludificabitur:
Quum ego Amphitruonem collo hinc obstricto traham.
AL. Mirum quid solus secum secretò ille agat!
Atque aperiuntur ædes. exit Sosia.

DVRARE] Hoc verbum variæ significationis fuit apud Latinissimos. Vegetius l. 1. *Corpus, membra, ad laborem durare.* JCtus: *durare corpus in tormenta.* Cato: *Vinum si voles experiri duraturum sit nec ne.* Ob et datore. Vide Stevvech. ad Veget.

V. 1. PROBRI] *Probrum* & *opprobrium* propriè significare adulterium, docet *Scipio Gentilis* Parerg. lib. 1. c. 21. item I. L'angl. JC. lib. 13. c. 1. Otii Semestr. *Matronæ probri accusata,* apud Livium.

2. A VIRO ARGVTAM MEO?] scil. patiar: vel, par est. Ter. Andr. *Nihilne esse proprium cuiquam?*

3. EA QVÆ SVNT FACTA, INFECTA REFERT] ita Cam. ex conjecturâ. Sed *J. Gul.* ex Langii uno Cod. ubi est, *inf. re est at clam.* l. *infecta restat, clamitat.* *Restare*, selectum linguæ Latinæ verbum in pugnis, in litibus, in semitis habitat: ubique decentissimè. Tibul. lib. 3. el. 6. *Dum fugiunt Troes: dum restat barbarus Hector:* & apud Livium hoc sensu sexcentis locis. Cic. de Finib. *Nullam quærentes voluntatem Stoici restant*, hoc est, ἀντιλέγουσι, διερίζουσι: ut hic Plautus. Tamen *Gruterus* putat Camerarianam lectionem proximiorem vero. nám MS. ejus habebat *infecta re est. at clamitat.* Pall. vero, *infecta re ac clam.* vel, *ut accl.* Cæterùm non modò Langii MSS. sed & Edd. mirè variant.

5. ID ME SVSQ. DEQ. ESSE HABITVRAM PVTAT] Agellius lib. 16: 9. *Susque deque ferre, & Susque deque habere,* significat, æquo animo esse, & quod accidit, non magno pendere, atque interdum negligere & contemnere: & propemodum id valet, quod dicitur Græcè ἀδιαφορεῖν. Festus interpreatur, *plus minusque.* quod tamen Ant. Augustino non placet. Lucillius: *Verùm hic ludus, ibi susque omnia deque fuerunt: Susque & deque fuêre, inquam, omnia ludu' jocusque.*

8. AVT SATISFACIAT MIHI] Turn. l. 18: 25. Si quis quem re aut verbo læserat, interpositione jurisjurandi, quo eum, qui læsus erat, adjurabat indignum eâ injuriâ esse, & ei nolle factam, satisfaciebat atque purgabat. Vide Notas Rud. act. 5: 3. *P. Nānnius* Miscell. lib. 2. c. 7. ad locum Ter. Adelph. act. 2: 1. Olim jurabant se agnoscere, quòd indigno eam injuriam intulissent: eaque res vindicabat læsum ab infamiâ. Qui enim sine eâ satisfactione hujusmodi offensas condonabant, habebantur vel ignavi, quòd ultionem non audebant expetere; vel ita flagitiosi, ut in legibus & judiciis spem nullam vindictæ haberent, &c. *Palinodia* autem fiebat sine jurejurando. Videatur & *J. Langlæus JC.* Otio Sem. lib. 10. cap. 1. & Sc. Gentilis ad Apul. Apolog.

11. AD SE STUDEAM RECIPERE] i. Si cupio, mutuum ut mecum faciat Alcumena, & amet pariter. vel certè hoc modo: Si studeam illam recipere ad sese me amantem, hoc est, me qui ejus amore distineor. Sic Lucr. lib. 1. *Te sociam studeo scribundis versibus esse*: D.

16. ECCUM VIDEO] Alii *illum* addidere versus caussa: sed malim excidisse vocem similem, *eccum, eccum, video.*

19. OSA SUM OBTUERIER] odi contrà intueri: *Non.*

20. HEIA AUTEM INIMICOS!] ita MS. Cam. *Heia* & gestû animanda sunt. *Scipio Gentil.* Parerg. lib. 1. c. 21. monet, JCtos virum post divortium appellâsse *inimicum.*

22. NIMIS VERECUNDA ES] Usitatiss. veteribus elisio litteræ *s. Nimi ver.* Apparet inter hæc verba Jovem cæpisse blandiùs contrectare Alcumenam: atque ipsum repulsum ab eâ fuisse. Nonius tamen ad priora simpliciter respiciens, interpretatur *verecundam*, audacem & confidentem: *Cam.* At Nonii interpretatio Lambino planè absurda videtur: & conjicit leg. *iracunda.* Hanc tamen Lambini etiam conjecturam explodit *Schoppius* cum illâ Nonii strabâ interpretatione, illustratque sententiam Camerarii. Etiam Acidalius τὸ *verecunda* retinet, sensu plano. Inverecunda enim fuisset, si adversus illum humana: nunc per inhumanitatem verecunda est, ut matronam decet. etsi nimiam ille verecundiam ait, qui majorem in se velit comitatem. Fortè simile quid habet illud Senecæ patris in Controvers. ult. lib. 2. *Ferat jacentes in terram oculos: adversus officiosum salutatorem inhumana potiùs quàm inverecunda sit.*

28. ET ID] i. propter id. de quo Aus. Popma, De usu antiquæ locut. cap. ult.

28. UTI ME PURG.] Plenius quidem ed. Colon. *ut me de hoc purg.* sed sic quoque Aldino interpolata. sanè edd. primæ tale nihil habent, nedum MSS.

36. VEL HUNC ROGATO VOS.] *Cam.* In nostro liquidò scribitur; *vel h. rog.* idque sensum reddit acriorem: neque numeros turbat, si meminerimus *n* pro consonante apud veteres in *pronunciatione* plerunq; evanuisse.

40. SERIÒ PRÆVORTIER] seriò accipere & præoccupare. Im Ernst auffnemen.

41. EGO ILLUD] Ita edd. omn. & Pall. *illum* MS. Cam. perperam. sequitur tamen Pareus.

44. EGO ISTÆC FECI VERBA VIRTUTE IRRITA] Ego maledicta tua pudicitiâ meâ feci cassa & inania. Cic. pro Q. Rosc. *Nonne ut ignis in aquam conjectus continuò restinguitur & refrigeratur: sic falsum crimen in purissimam & castiss. vitam collatum, statim concidit & restinguitur? L.* Gellius 13. cap. 14. docet irritum esse verbum augurale, cùm ait: *Aves irritas habuit Remus.* nam & ratum facere, augurii est Tullio. Propert. 3. el. 13: *Expertus est veros irrita lingua Deos.* ibi Passerat.

45. ABSTINES] alienam ab iis confiteris: *L. D.* Sed Acidalio insolens hæc videtur explicatio & sine exemplo: proinde legit *abstineo:* quod incontinenti in editionem suam pr. contulit Pareus, nolentibus libris cusis scriptisque omnibus.

47. VALEAS: TIBI HABEAS RES TUAS] Verba, quibus utebantur, cùm solvebatur matrimonium. Lex XII. Tabb. *Si vir ab uxore divortit, uxori res suas sibi habere jubeto, eique claves adimito.* Cic. Philip. 2. *Mimam illam suam suas res sibi habere jussit: ex XII. tab. Claves ademit, exegit.* Vide N. Trin. 2: 1.

48. JUBEN MÎ IRE COMITES?] *Revard.* lib. 4: 17. docet, Moris fuisse, ut sine comite mater familiâs aut matrona non prodiret in publicum: & idcircò non levem injuriam eisdem fieri ab iis, qui comites earum abducunt, testatur Ulpianus. V. N. Cas. act. 2: 2. Revardi hæc, ut legit Pareus, generalissimum sibi hunc formavit locum in Electis tit. Comitatus: Mulieres, matresfamilias, virgines, sine comite foras prodire, impudicum erat. ô horribile mendacium! quid si pauperior erat? quid si non erat comes ad manum. quid? sed contra talem stuporem verba omnia frustra sunt. Adeat mihi potius Lector Declamationem Quintiliani 301: *Rapta à divite pro ancilla.* Idem Pareus tit. Gynæcei pueris suis persuadere cupit, honestiorum feminarum comitatum constitisse ferè è spadonibus. ô mendacium multo horribilius! Schop. è libr. Langianis l. *Juben' mihi comites? JUP. sanan' es? AL. sin; ibo ego. Mecum comitem mihi pud. d.* Illa (inquit) verba, *si non jubes,* glossema sunt & explicatio particulæ, *Sin.*

Jam

Jam, *mecum mihi*, elegans pleonasmus: sicut, *Meus mihi*, pro meus. *Suus sibi*, pro suus. *Sin*, concisè positum. Cic. lib. 10. Att. 6. *Si vir esse volet praeclara συωειδία: sin autem; erimus nos qui solemus.* Et ib. lib. 16. *Veruntamen si pares aequè inter se, quiescendum: sin; latius manabit, &c.* iterum Epist. Fam. lib. 12. 6. Manil. l. 4. *Incipimus si verba, piget: sin; gratia deerit.* Schoppiana haec illicò in editionis suae pr. Lavatrinam intulit Pareus.

49. COM. PVD. DVXERO] Ne trochaeus ingrediatur jambum, Acid. mutat: *Com. duxero pudicitiam.* ut tamen extremae syllabae in unam coalescant.

50. ARBITRATV TVO IVSIVRANDVM DABO] V.N. Rudente, act. 5:3. Jurabo, te dictante & verba mihi praeeunte. Jam *jusjurandum dare*, ita dictum, ut à Gunth. lib. 7. & lib. 8. *Sacramenta dare*, &, *juramenta dare*, i. jurare. Notat C. Rittersh.

52. TVM TE SVMME IVPPITER] Ridiculum. Jurat per Jovem, qui ipsus est. Tale illud Plinii in panegyr. *Quin etiam sedens praebuit jusjurandum, & ille juravit, expressit explanavitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, deorum irae consecraret.*

57. NAM IN HOMINVM AETATE MVLTA EVENIVNT &c.] Hunc Ter. in Andr. act. 3: 3. aemulatus est: & Plutarchus simili valdè eleganti declaravit. *Quemadmodum enim*, inquit, *cùm è nubibus exiit Sol, ac post caliginem denique ferventior est: ita amor, cùm intercessit ira aut suspicio, pace facta, reconciliatisque animis, jucundior est atque acrior*: P. Vict. lib. 4: 14. & lib. 5: 23. Menand. ὀργὴ φιλούντων μικρὸν ἰσχύει χρόνον. Quanquàm Plautus hìc in genere loquitur; & non tantùm de amantibus. itaque disputationi obnoxium fuerit. Exempla tamen eorum, qui in gratiam reducti, amicissimè deinceps vixerunt, sunt P. Africanus, & Tib. Gracchus: M. Aemil. Lepidus & Ful. Flaccus: Cael. Ruffu & Q. Pompejus: L. Cinna & Oct. Augustus: de quibus Cic. de Prov. Cons. Valer. Max. lib. 4. Seneca lib. 1. cap. 9. de Clementia.

62. BIS TANTO AMICI SVNT] Lamb. subintelligit, *magis*. Ter. Andr. *Amantium irae, amoris redintegratio est.*

63. PRIM. CAVISSE OP.] Lambini hìc sunt ridicula. Mens Alcumenae est: Etsi decuisset te priùs cavisse ne diceres: quia tamen tu idem eadem quae dixisti purgas, ea patiar necesse est. Deleatur igitur comma, quod est in editis à Lambinò post *eadem*. *Pistoris*, & Grut.

64. ISDEM] Sic MS. Cam. & alludunt Pall. ubi *iisdem*, item edd. vett. qui, *eisdem*, prius cusi *idem*.

65. VASA PVRA] *Vasa pura* sunt, quae in alio usu non fuerunt: *Albericus Gentilis, de Legation.* Sic *Vestis pura*, in sacris appellatur, inquit Servius in fragmentis, quae neque funesta sit, neque maculam habeat ex homine mortuo. Vide & Fest. & *Scalig. Notas* ad eund. item Aul. act. 2:3. Aliàs *vasa pura*, & *argentum purum* opponi emblematis caelato, notum est vel ex Turn. l. 29: 1.

71. LVDIFICABITVR] versus caudâ mutilus est: quem integritati restituens legit, *ludif. dolis*. J. Gul.

72. COLLO OBSTRICTO] *Obstringere* est vinculo arctè circumvincire: Aul. 1: 1. Curc. 5: 3. Aliud est, *collo obtorto*: L. Vide Not. Poen. act. 3: 5.

SECRETO] *χωρὶς*, seorsim: L.

73. QVID SOLVS] ita omn. MSS. & Edd. praeter Pareanam pr. eà voluit *qui*. ò novatricem!

ACTUS III. SCENA III.

SOSIA, JVPPITER, ALCVMENA.

AMPHITRVO, assum: si quid opus est, impera: imperium exequar.
IVP. Optimè advenis. SO. jam pax est inter vos duos?
Nam quia vos tranquillos video, gaudeo & volupe est mihi.
„ Atque ITA SERVVM par videtur frugi sese instituere;

„ Proinde heri ut sint, ipse item sit, vultum è vultu comparet:
„ Tristis sit, si heri sint tristes: hilarus sit, si gaudeant.
Sed agè responde. jam vos redistis in concordiam?
IVP. Derides! qui scis hæc jam dudum me dixisse per jocum.
SO. An id joco dixisti? equidem seriò ac verò ratus.
IVP. Habui expurgationem; facta pax est. SO. optimè est.
IVP. Ego rem divinam intus faciam, vota quæ sunt. SO. censeo.
IVP. Tu gubernatorem à navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, ut re divinâ factâ mecum prandeat.
SO. Iam hîc ero, cùm illîc censebis esse me. IVP. actutum huc redi.
AL. Nunquid vis quin abeam jam intrò, ut apparentur quibus opus?
IVP. I sanè! & quantum potest parata fac sint omnia.
AL. Quin venis quando vis intrò: faxo haud quicquam sit moræ.
IVP. Rectè loquere, & proinde diligentem ut uxorem decet.
Iam hi ambo & servus & hera frustrà sunt duo,
Qui me Amphitruonem rentur esse: errant probè.
Nunc tu divine huc fac assis Sosia.
Audis quæ dico, tametsi præsens non ades:
Fac Amphitruonem advenientem ab ædibus
Vt abigas quovis pacto, fac commentus sies.
Volo deludi illum, dum cum hâc usurariâ
Vxore nunc mihi morigero, hæc curata sint
Fac sis: proinde adeò, ut me velle intellegis,
Atque ut ministres mihi, cùm mihi sacrificem.

VERSVS hujus Sc. 18. sunt Troch. Arch. Reliqui Sen. Iamb. A

V. 1. OPTIME] Versus minutus est integro pede. Camer. addidit, *quæso*. sed quid si vocem arbitremur excidisse geminam alteri? sic: *optimo optimè adv. &c.*

4. SESE INSTITVERE] Par videtur, servum frugi ita se componere. Ter. Ad. *Vah, quemquamne hominem in animo instituere, &c.* L. Parei pr. editio habet *se instit.* contra omnes libros, & cum ruina versus, cujus numeris ludimagister ille numquam attendit.

5. HERI] herus & hera. D.

5. VVLTVM È VVLTV COMPARET] vultum suum è vultu heri fingat & conformet: L.

8. DERIDES] de mensurâ h. Versus vide *Cam.* nihil tamen opus foret contractione, si transponantur voces: *Derides! qui scis jam dudum me hæc dixisse per jocum.*

A 11. VOTA QVÆ SVNT] Mutat numerum, more solito: pro, *rem, quæ vota est.* id est, faciam intùs rem divinam, & quæ diis, si salvus redirem, à me vota sunt, ea persolvam: L. Veteres duplici de caussâ sacrificabant: vel quia votum, vel quia ab oraculo mandatum. Hæc sacrificia ἀπὸ τῆς μαντείας dicebantur, illa εὐκταῖα & χαριστήρια: Ovid. 9. Met. *sacra vota* appellat. Vide Cassandr. Meurs. p. 286. sed magis *Indices Inscriptionum Antiquarum*, quos publicavit pronuper *Gruterus meus* ad

B. miraculum doctus & industrius.

13. VT RE DIVINA FACTA, MECVM PRANDEAT] de extis reliquiisque aliis sacrificiorum domum secum asportatis cænabant olim: *P. Colvius*, de quo Mil. act 3: 1. & Sticho. 2: 1.

16. PARATA FAC SINT] MS. Cam. *q. potest parata facta sint.* quanquam in illo *potest*, erasum postea *t* fuit.

17. QVIN VENIS Q.] ita MS. & omn. A edd. vulgo, *veni*.

17. SIT MORÆ] Hic versum à Nonio citatum, de sententiâ Bosii, interposuit Lambinus, quem etiam reperi in Ald. & Brix. solis: nam in cæteris prioribus tempore (ut observat Grut.) non apparet: ut nec in MS. Cam. aut Pall. sex. Est autem talis, *Quando isthæc omnia exjurâsti te mihi dixe per jocum*.

18. DILIGENTEM] *Vel* propriè, amantem viri: *vel* tralatè, industriam: *L.*

19. FRVSTRA SVNT] V. N. Pseud. 2:3.

21. DIVINE SOSIA] i. Mercuri.

23. JAM ADVENIENT.] MSS. & edd. ante Aldum τὸ *jam*, ut & illud *huc* non habent. *Grut.*

24. FAC COMMENTUS SIES] i. fac callidè excogitaveris. Sic Epid. *te commentum nimis astutè intelligo*: Lamb. quem vide, si operæ est.

26. MORIGERO] i. morem gero: Genio meo obsequor: L.D.

ACTUS III. SCENA IV.

MERCURIUS.

CONCEDITE atque abscedite, omnes de viâ decedite,
Nec quisquam tam audax fuat homo, qui obviam obsistat mihi.
Nam mihi quidem hercle qui minus liceat deo minitarier
Populo, ni decedat mihi, quàm servulo in Comœdiis?
Ille navem salvam nunciat, aut irati adventum senis:
Ego sum Iovis dicto audiens, ejus jussu nunc huc me affero.
Quamobrem mi magis par est via decedere, & concedere.
Pater vocat me, eum sequor, ejus dicto imperio sum audiens:
Ut filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri.
Amanti supparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri volup' st, voluptas ea mihi multo maxima est.
Amat? sapit, rectè facit, animo quando obsequitur suo:
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem vult deludi meus pater. faxo probè!
Jam hic deludetur, spectatores, vobis spectantibus.
Capiam coronam mihi in caput; assimulabo me esse ebrium:
Atque illuc sursum escendero: inde optimè aspellam virum.
De supero, quum huc accesserit; faciam ut sit madidus sobrius.
Deinde illi actutum sufferet suus servus pœnas Sosia;
Eum fecisse ille hodie arguet, quæ ego fecero hic. quid id meâ?
Meo me æquum est morigerum patri, ejus studio servire addecet.
Sed eccum Amphitruonem! advenit. jam ille hic deludetur probè;
Siquidem vos vultis auscultando operam dare.
Ibo intro, ornatum capiam qui potius decet.
Dein sursum ascendam in tectum, ut illum hinc probibeam.

VErsûs hujus Sc. sunt terram. jamb. omnes: præter ultimos tres.

1. CONCEDITE] i. unà omnes secedite. tretter alle zusammen ab.

2. NEC QVISQ. TAM AVDAX FVAT HOMO] ita MS. Cam. At Palmer. è v. cod. leg. *Nec quisquam tanto ausu fuat homo. Ausus* & *ausum: auctus* & *auctum* aliaque talia dicebāt. *Fuat* i. sit. Terent. Hæc act. 4: 3. *Fors fuat pol.* i. Fortuna faveat: bona eveniat.

3. HERCLE] *Hercules* & hic & superiùs juratur nondum natus, nedum deus. Sunt, qui prolepsin faciant. sunt, qui ad Ægyptium illum, qui hoc nostro antiquior, referant: de quo etiam Vinc. Contarenus cap. 15. Var. Lect. Ego puto Comicum simpliciter cum vulgari usu sic locutum; aut more suo risum captasse. V. N. act. 1: 1.

5. ILLE NAVEM SALVAM NVNCIAT] Numeris fuerit melius transpositione, *Ille navem nuntiat salvam.*

5. IRATI SEN.] Acidal. l. *ingrati s.* Ingratus enim plerumque adventus senum: illi non semper irati. & istud fimeto editionis suæ pr. intulit Pareus.

6. HVC ME AFFERO] Ter. And. *haud auspicatò huc me attuli.*

13. DVM ID MODO FIAT BONO] dum ne quid fiat contra leges: *Lamb.* qui *modo* videtur capere pro adverbio: non rectè: *Gruterus.*

16. CAPIAM CORON.] V. N. Curcul. act. 1: 1.

17. ESCENDERO] V. N. Mil. 4, 4. 14.

17. CISPELLAM VIRVM] Palm. l. *Sic cispellam virum desuper.* V. N. Merc. act. 1: 2. quod commentum, pro saburrâ, editioni suæ pr. intulit Pareus. Turn. l. 4: 15. & 19. 13. *Cispellam*, pro, repellam: quòd qui repellitur, citrà regredi cogitur, non ultrà progredi permittitur.

18. FACIAM VT SIT MADIDVS SOBRIVS] Inepta est interpretatio Lambini, *ait Gruterus*: Faciam ut sit ebrius, qui sobrius est tamen: vestibus scilicet uvidus totus. Mihi, inquit S. Ulr. Pistoris, loci hujus sententia petenda videtur è versu quem ex Amph. Plauti citat Nonius in *Matellâ*: quamvis is hodie in hâc Comedia non reperiatur: *Ne tu postules matellam unam tibi aquæ infundi in caput.* Hoc igitur innuit se facturum Mercurius: ut Amphitruonem ab ædibus abigat. Et jocus est in ambiguitate vocis, *madidus*: quod ad exteriora & interiora refertur. Eodem modo explicanda videntur illa inferiùs: *MER. Pergin'. AM. pergo. MERC. accipe, &c.* Cum hoc enim verbo, *accipe*, Mercurium ex loco superiori in caput Amphitruonis impluisse existimo. Nec incongruum videtur versum illum, cum quibusdam, in eo loco inserere: *Si minusculo d. &c. Tuum d. c. ut c. d. l. excrees. Ne tu postules matellam unam tibi aquæ effundi in caput.* Q. d. Non est quod existimes tam leniter te tractatum iri, ut aquâ tantùm perfundaris: totas enim tegulas in te conjiciam. Insertionem tamen versûs illius hoc quidem in loco vetat Sc. sequens, in quâ Amphitruo à falso Sosiâ delusus in verum Sosiam ita invehitur: *Hem tectum, hem tegulas, hem conductas fores &c.* Nam si matulâ perfusus fuisset, utique non tacuisset. Quòd verò Lamb. ad illud, *accipe*, nihil aliud addit, quàm hoc esse verbum percutientis eminùs aut verberantis cominùs, nimis generale est & incertum. Pistori adstipulatur Acidalius.

24. QVI POTIVS DECET] Stephan. & Lipsius emendant, *Qui potis decet.* quippe jam antè dixerat: *Capiam coronam mi in caput, &c.* Pseud. act. 5: 2. v. 2. nec aliter citat Passeratius ad lib. 1. Eleg. 16. Propertii. Sciendum est, *inquit Muretus*, veteres floribus redimitos, unguentisque delibutos cœnitasse, ubi se liberaliùs invitare decreverant; tum voluptatis caussâ, tum quòd crederent, odoramentis ebrietatem impediri. Nonnunquam etiam, ut est apud Festum, aviculas quasdam (quæ ὑπολαΐδες dictæ) corollis suis alligabant; quarum & cantu assiduo, & crebris rostri unguiumque puncturis efficeretur, ne ipsi inter potandū obdormiscerent. Gruterus lectionem omnium librorum MSS. vetustæque editorum retinet, *qui potiùs decet*: cùm sensus ipsi subsit non incommodus; ut dicat, sumpturum se ornatum propriè convenientem personæ quam sustineat. applaudit tamen conjecturæ insigni.

25. DEIN SVRSVM] MS. Cam. *susum.* quod Pareus passim tota editione ubique nobis oggerit.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA I.

AMPHITRUO.

NAUCRATEM, quem convenire volui, in navi non erat.
Neque domi, neque in urbe invenio quenquam, qui illum viderit.
Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia & myropolia:
Apud emporium, atque in macello, in palæstrâ atque in foro,
In medicinis, in tonstrinis, apud omnis ædis sacras.
Sum defessus quæritando: nusquam invenio Naucratem.
Nunc domum ibo, atque ex uxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus suum stupri compleverit.
Nam me, quàm illam quæstionem inquisitam hodie amittere,
Mortuum satius est. sed ædis occluserunt. eugepæ!
Pariter hoc fit, atque ut alia facta sunt. feriam foris.
Aperite hoc. heus ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?

VErsus hujus itemque seq. Scenæ sunt A Troch. Archilochii.

1. NAUCRATEM, Q.] Accusativus pro Nominativo, more Græcorum. Terent. *Observes filium quid agat.* Cæsar lib. 1. B.G. *Rem frumentariam ut satis commodè supportari posset, timebant.*

3. GYMNASIA ET MYROPOLIA, &c.] V.N. Epid. 2: 2. Omisisse autem ideo *balnea*, quòd *gymnasii*, nomine veniant, notat G. Long.

4. IN PALÆSTRA] Acid. malit, *atque in macello, atque in palæstrâ, atque in foro:* venustissimâ, ut ait, repetitione: atque adeò & numeros sic pleniores fieri: eaque etiam credo in contextum recepit postremæ editionis Pareus, quamvis nullus ei adstipularetur Liber.

8. QUEM PR.] Appage Lambini interpretationem, *Propter quem*, id est, cujus gratiâ, à quo capta. Melius hoc Ter. Eun. 2: 3, declarat: *Cibum nonnunquam capiet cum eâ, interdum propter dormiet.* Schop.

ACTUS IV. SCENA II.

MERCURIUS, AMPHITRUO.

QUis ad fores est? AM. ego sum. ME. quid, ego sum? AM. ita loquor. ME. tibi Juppiter
Dique omnes irati certò sunt, qui sic frangas fores.
AM. Quo modo? ME. eo modo, ut profectò vivas ætatem miser.
AM. Sosia. ME. ita sum Sosia, nisi me esse oblitum existimas.
Quid nunc vis? AM. scelestè! at etiam quid velim, id tu me rogas.
ME. Ita rogo. penè effregisti, fatue, foribus cardines.
An foris censebas nobis publicitùs præberier?
Quid me aspectas stolide? quid nunc vis tibi? aut quis tu es homo?

AM. Vir-

AM. Verbero! etiam quis ego sim me rogitas? ulmorum acheruns!
Quem pol ego hodie ob isthæc dicta faciam ferventem flagris.
ME. Prodigum te fuisse oportet olim in adolescentiâ.
AM. Qui dum? ME. quia senectâ ætate à me mendicas malum.
AM. Cum cruciatu tuo isthæc hodie, verna, verba funditas.
ME. Sacrufico ego tibi. AM. qui? ME. quia enim te macto infortunio.

V. 6. FORIBUS CARDINES] *De foribus*, Milit. act. 2:1.

7. PUBL. PRÆBERIER?] ex ærario publico suppeditari?

9. ULMORUM ACHERUNS] in cujus tergo quasi moriuntur ulmi. Sic Capt. act. 3:4. *Væ miseris virgis, quæ hodie in tergo morientur meo!* cujus tergum ulmeas virgas vorat, quemadmodum animas Acheruns. Constat veteres dixisse in gen. fœminino *Acheruntem*: & Nonius annotavit. adducto loco de Captivis. Sed & *Aggerunta* dixerunt, adspiratione mutatâ, quam priscos Latinos non usurpasse scimus: in quo est & Aggestionis significatio. Cælius Rhodig. l. 10: c. 7. Proditum est (inquit) Aristotelicis monumentis, *Acherusiam* dici omne satum silvosum arborosumque. Ex quo eruditorum conjectatio est, ad hoc forsan Plautinum id referri oportere, ubi in Amph. *Ulmorum Acheruntem* dicit.

12. QUIA SENECIA ÆTATE] Inepte, *seni in ætate*. Retineatur avorum lectio; itemque MSS. *quia senectâ ætate*: nam ita loqui amat Plautus. (*V. N. Trin.* 1.2.) Porrò, *Mendicare malum*, carbunculus est orationis, quem ante oculos forsan habuit Prudent. cùm scriberet περὶ στεφάνων: *Istum libido fœtida Per scorta tractum publica Luto & cloacis inquinat, Dum spurca mendicat stupra.* Gruterus.

QUI] quâ re? quomodo? L.

14. QUIA ENIM TE MACIO INFORTUNIO] Jocus alius παρὰ προσδοκίαν. Sacrifico tibi, non quidem victimas, sed infortunium. *Mactare quē infortunio*, apud Plaut. solemne est. Arbitrabantur, *inquit Palm.* deos delectari, si sibi res divina multa fieret, & eà re felicitatem eorum augere. Itaque etiam verbis *augendi* & *mactandi*, itemque ab his *augmenti* & *magmenti* in sacrificiis utebantur; A atque ita loquebantur: *Augere deos victimis: mactare deos extis*: Cicero, &c. Vide Arnob. qui has ineptias refutavit.

CAMERARIUS, Post hunc, *inquit*, versum multa sanè desunt in nostro MS. libro & in vetustè excusis. De quibus quidam eruditi contendunt, Plautinàne sint ea, quæ nunc in libris impressis leguntur, an non sint. Quam quidem controversiam indecisam relinquimus. *J. Gruterus*: Post isthæc (*te macto infortunio*) statim sequuntur & in vet. codd. & in Palat. sex, *Vos inter vos p. &c.* nonnulla tamen deesse, res clamat: nisi fortè illa ipsa intùs acta dicamus, non coram populo; quod verius putaverim, estque personis convenientius. certè quæ vulgatis argumento pertexendo infarciuntur, minimè habeam pro Plautinis; adeò ampullata sunt, & suprà soccum nè an cothurnum: *Hæc ille*. Sanè in cæteris quidem meis ista invenio omnia: in sola Venet. anno M. CD. XCIX. & in Mediolanensi M. CD. XC. nihil horum apparet. QUANQUAM autem & Dictator ille seculi eruditi Jos. SCALIGER peculiari epistolâ me monuit, ut hæc atque ejusmodi alia ævi non quidem recentioris, sed tamen sequioris, in locum privatum conjicerem: tamen quia in illo Criticæ curiæ senatu plurimi etiam restant, qui calculum damnatorium suspendunt, & nostro Sarsinati omnia ex æquo nondum abjudicant; sed plusculа horum aut germana esse censent, aut talia quæ non facilè internoscas; possessionem eorum temerè sollicitare aut turbare nec ipse volui. Diversi tamen characteris NOTAM præsentibus imprimere visum est, ut cuivis appareret, ipsos aliquando in reos à Criticis relatos, licèt nondum peractos.

AMPH.

AMPH. Tun' me mactes, carnufex? nisi formam dii hodie meam perduint,
Faxo ut bubulis coriis onustus sis Saturni hostia.
Ita ego te certò cruce & cruciatu mactabo. exi foras
Mastigia. ME. larva umbratilis, tu me minis territas?
Nisi hinc actutum fugias: si denuò pultaveris:
Si minusculo digito increpuerint fores, hâc tegulâ
Tuum deminuam caput, ut cum dentibus linguam exscrees.
AM. Tun' furcifer meis me procul prohibessis ædibus?
Tun' meas pultare foreis? hasce illicò toto demoliar cardine.
ME. Pergin'? AM. pergo. ME. accipe. AM. scelestе, in herum? si te hodie apprehendero,
Ad id redigam miseriarum, ut semper sis miser.
ME. Bachanal te exercuisse oportuit, senex. AM. quî dum?
ME. Quando tu me tuum servom censes. AM. quid, censeo?
ME. Malum tibi: præter Amphitruonem, herum novi neminem.
AM. Num formam perdidi? mirum quin me norit Sosia.
Scrutabor: eho dic mihi, quis videor? Num satis Amphitruo?
ME. Amphitruo? sanúsne es? nónne tibi prædictum senex,
Bacchanal te exercuisse, quom qui sis, alium rogites?
Abscede; moneo: molestus ne sies, dum Amphitruo
Cum uxore modò ex hostibus adveniens voluptatem capit.
AM. Qua uxore? ME. Alcmenâ. AM. quis homo? ME. quotiens vis dictum? Amphitruo,
Herus meus: molestus ne sies. AM. qui cum cubat?
ME. Vide ne infortunium quæras, qui me sic ludifices?
AM. Dic quæso mi Sosia. ME. blandiùs cum Alcumenâ. AM. in eodémne
Cubiculo? ME. imò ut arbitror, corpore corpus incubat. AM. væ misero mihi!
ME. Lucri' st quod miseriam deputat. nam uxorem usurariam
Perinde est præbere, ac si agrum sterilem fodiendum loces.
AM. Sosia. ME. quid (malum) Sosia? AM. non me novisti, verbero?
ME. Novi te hominem molestum, quíne emas litigium. AM. adhuc
Amplius: Nonne ego herus sum tuus Amphitruo? ME. tu Bacchus es,
Haud Amphitro. quoties tibi dictum vis? num denuò?
Meus Amphitruo uno cubiculo Alcmenam complexu tenet.
Si pergas, eum hîc sistam, neque sine tuo magno malo.
AM. Cupio accersi. utinam ne pro benefactis hodie patriam,
Ædeis, uxorem, familiam, cum formâ unâ perduam!
ME. Accersam equidem: sed de foribus tu interea sis vide.
† Credo jam quæ volebat sacrificia ad epulum conduxit: †
Si molestus sis, evades nunquam quin te sacruficem.

BUBULIS CORIIS ONUSTUS SIS] i. Scuticis ex boum corio consutis cædaris.

SATURNI HOSTIA] CARTHAGINIENSES bello durissimè afflicti, dicebant, Saturnum sibi iratum esse: quòd priùs excellentiores è filiis sacrificarint: postea verò clam emptis infantibus & educatis liberorum loco immolant. Quod prodidit Diodorus Siculus lib. XX. pag. 756. Editionis Rhodomanicæ. Atque inde apparet, Plautum ad emptos illos & suppositios respicientem, Sosiam *Saturni hostiam* appellasse: veluti ad eum usum comparatus foret, ut mox A liberorum loco Saturno mactaretur. Vide Cæl. Rhodiginum lib. 13. Antiq. Lect. c. 23. & Monita Politica J. Lipsii, cap. 3.

4. LARVA UMBRATILIS] non homo, sed larvæ quædam umbra. Ita *sceletum* Apulejus *larvalem formam* appellat Glossæ: Σκελετὸς, *larva sceletus*. Etiam homines nihili, *larvæ*.

6. INCREPUERINT] Acid. *increpuerit f.*

10. ACCIPE] Da hast eins auffn Rump. V. N. act. 3: 4.

12. BACCHANAL TE EXERCUISSE OP.] Cùm delirare aliquem dicere vellent, *Bacchanal*

chanal exercere eum inquiebant. Nam *Luna*, A *Bacchus*, *Ceres* furoris præsides credebantur. unde *Lunatici*, *Bacchi*, *Ceriti*. ita mox, *tu Bacchus es*: μαινόμενος. Et Sc. seq. *Nec B. salutem hodie, nec Cererem*. Meurs.

17. AMPHITRVO] derisivè idem nomen repetit. Ey ein schöner Amphitruo! Sehet mirn doch an/das erbar Rüßla.

24. BLANDIVS CVM ALCVMENA] Istud, *blandiùs*, nihil meis blanditur auribus. Lego ex cod. Paris. *blandiris? cum Alcumenâ*. hoc sensu: Nihil eram tibi ultrà responsurus; sed quoniam adeò blandè me compellas, iterum repetam quæ dixi; *Cubat cum Alcumenâ. Mi*, autem blandientis esse, vel pueri norunt: *Gruterus*. Meursius Personas sic ordinat: AM *Dic quæso mi Sosia blandius: cum Alcumenâ? in eodémne cubiculo? ME. imò ut* &c. *Dic blandius*, non aliud est quàm ἀφίμει. Sed mihi tamen vulgatum abblanditur.

32. COMPLEXV T.] Fortè *complexus*: ad vitandum gemini ablativi concursum: *D. F.*

35. PERDVAM] Ita Acidalius: cùm in vulgatis versus etiam uno pede mancus sit.

36. DE FORIBVS TV INTEREA SIS VIDE] de foribus tu intereà, si vis, discedas vide: *L.*

37. CREDO IAM] Hunc de sacrificiis versum, ut turbatorem œconomiæ, ejicit *Acidal.*

AMPHITRUO, BLEPHARO, SOSIA.

Di vostram fidem! quæ intemperiæ nostram agunt familiam? quæ mira
Video, postquam advenio peregrè! nam veru' st, quod olim est auditum
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadiâ homines,
Et sævas belluas mansitasse, nec unquam denuò parentibus
Cognitos. BL. quid illud Sosia? magna sunt, quæ mira prædicas.
Ain' tu alterum te reperisse domi consimilem Sosiam?
SO. Ajo. sed heus tu, quum ego Sosiam, Amphitruonem Amphitruo; quid scis an
Tu fortè alium Blepharonem parias? ô di faciant, ut tu quoque
Concisus pugnis, & illisis dentibus, id impransus creduas.
Nam ego ille alter Sosia, qui illic sum, me malis mulcavit modis.
BL. Mira profectò. sed gradûs condecet grandire: nam ut video,
Exspectat Amphitruo, & vacuus mihi venter crepitat. AM. & quid aliena
Fabulor? in nostro olim Thebano genere plusquam mira memorant.
Martigenam ille aggressus belluam magnus Europæ quæstor, anguineo
Repentè hosteis peperit seminio: & pugnatâ illac pugnâ
Frater trudebat fratrem hastâ, & galeâ. & nostræ auctorem gentis
Cum Veneris filiâ anguis repsisse tellus Epirotica
Vidit. de summo summus Juppiter sic statuit, sic fatum habet.
Optumi omnes nostrates pro claris factis diris aguntur malis.
Fata istæc me premunt, pertolerarem vim tantam, cladesque
Exanclarem impatibiles. SO. Blepharo. BL. quid est? SO. nescio quid mali suspicor.
BL. Quid? SO. vide sis, herus salutator oppessulatas antè foreis graditur.
BL. Nihil est famem exspectat obambulans. SO. curiosè quidem: foreis enim
Clausit, ne prævorteretur foras. BL. oggannis. SO. nec gannio, nec latro.
Si me audias, observes. nescio quid secum solus, puto
Rationes colligit: quid memoret, hinc excipiam, ne propera.
AM. Ut metuo, ne victis hostibus dî partam expungant gloriam:
Totam miris modis nostam video turbatam familiam.
Tum verò uxor vitio, stupro, dedecore me plena enicat.
Sed de paterâ miru' st: erat tamen signum obsignatum probè.
Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta, & Pterelam oppugnatum,
Nostris occisum manibus fortiter. atat novi jam ludum!

Id

Id Sosiæ factust operâ, qui me hodie quoque præsentem ausic
Indignè prævortier. SO. de me locutus, & quæ velim minùs.
Hominem ne congrediamur quæso, priusquam stomachum detexerit.
BL. Ut lubet. AM. sin illum datur hodie mastigiam apprehendere, ostenda quid sit
Herum fallere, minis & dolis incessere. SO. audin' tu illum? BL. audio.
SO. Illæc machina meas onerat scapulas. compellemus sis hominem.
Scin' quid volgo dici solet? BL. quid dicturus sis, nescio:
Quid tibi patiundum, ferè hariolor. SO. vetu' st adagium, Fames & mora
Bilem in nasum conciunt. BL. verùm quidem è loco compellemus
Alacrè. Amphitruo. AM Blepharonem audio, mirum quid ad me veniat.
Opportunè tamen se offert, ut uxoris facta convincam turpia.
Quid huc ad me Blepharo? BL. oblitus tam citò, quàm diluculo
Misisti ad navim Sosiam, ut hodie tecum conviverem?
AM. Nusquam factum gentium. sed ubi illic scelestus? BL. quis? AM. Sosia.
BL. Eccum illum, AM. ubi? BL. ante oculos, non vides? AM. vix video præ irâ, adeò me
Hodie delirum fecit. ne te sacrificem, nunquam evades. (istic
Sine me Blepharo. BL. ausculta precor. AM. dic, ausculto. tu vapula.
SO. Quâ de re? num satis tempori? non ocyùs quivi, si me
Dædaleis tulissem remigiis. BL. abstine, quæso. non potuimus
Nostros grandiùs grandire gradûs. AM. sive gralatorius, sive
Testudineus fuerit, certum' st mihi hunc scelestum perdere.
En tectum! en tegulas! en obductas fores! en ludificatum herum!
En verborum scelus! BL. quid mali fecit tibi? AM. rogas? ex illo
Tecto exclusum foribus, me deturbavit ædibus. SO. egone?
AM. Tu. quid minitabas te facturum, si istas pepulissem fores?
Negas scelestè? SO. quin negem: en testis ampliter, quicum venio:
Missus sedulò, ut ad te vocatum ducerem. AM. quis te misit
Furcifer? SO. qui me rogat. AM. quando gentium? SO. dudum, jam pridem, modò,
Ubi cum uxore domi redisti in gratiam. AM. Bacchus te irritassit.
SO. Nec Bacchum salutem hodie, nec Cererem. tu purgari jusseras
Vasa, ut rem divinam faceres: & hunc me accersitum mittis,
Ut tecum prandeat. AM. Blepharo, dispeream, si aut intus adhuc fui,
Aut si hunc miserim. dic, ubi me liquisti? SO. domi cum Alcumenâ conjuge.
Ego à te abiens porrum versus volito, hunc tuis verbis voco.
Venimus, nec te nisi nunc video postea. AM. scelestum caput, cum uxore?
Nunquam abis, quin vapules. SO Blepharo. BL. Amphitruo, mitte hunc mea gratiâ;
Et me audias. AM. en mitto, quid vis, loquere. BL. istic jamdudum mihi
Maxuma memoravit mira, præstigiator fortè, aut veneficus
Hanc excantat tibi familiam: inquire aliunde, vide quid fiet.
Nec antè hunc excruciatum miserum facias, quàm rem intelligas.
AM. Rectè mones: eamus te advorsum uxori etiam advocatum volo.

NAM VER.] Acid. *Jam* &.

MVTATOS] De hâc re Plin. l. 8: 22.

5. MAGNA SVNT] Acid. ita ordinat: *magna mira sunt, quæ præd.*

6. AIN' TV &c.] Acid. *Ain' tu al. t. rep. modò cons. S. domi?* Aliis versus deficit.

9. ILLISIS] *Acid. elisis, vel elisus.*

14. MARTIGENAM ILLE &c.] Cadmus, qui Thebanus fuit, serpentem illũ interfecit: ex cujus dentibus disseminatis nati sunt homines armati. Vide Ovid. 3. Met. Fab. 2. & 3.

EVROPÆ QVÆSTOR] pro, *quæsitor*, i. qui ad Europam quærendam ab Agenore missus est. *L. D.*

ET NOSTRÆ AVTOREM G.] Et Cadmum Thebarum conditorem, cum Hermiona uxore suâ angueis ex hominibus factos tepsisse. Ovidius: *Serpentem spectas, & tu spectabere serpens.* Allegoriam hujus fabulæ

Erasmus habet in Dial. de Pronunciat. p. mihi 64.

22. SALVTATOR] tanquam ii, qui salutatum ibant potentiores: qui si non statim admittebantur, foris prodeambulabant. De hoc Togæ officio *Anteambulonum* & *Salutatorum*, ubertim Douza. Item Schop. Verisi. lib. 1. cap. 8.

23. FAMEM EXSPECTAT OBAMBULANS] Cic. 5. Tuscul. *Socratem ferunt, cum usque ad vesperam contentiùs ambularet, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se, quò meliùs cœnaret, obsonare ambulando famem.*

24. NE PRÆFORTERETUR] Jocus: nam fores clausit, ne fames egressa eum anteverteret: *L. D.*

NEC GANNIO, NEC LATRO.] illud vulpium, hoc canum esse dicunt. Lucr. tamen, de canibus; *gannitu vocis adulant*. D.

35. HOMINEM NE CONGREDIAMUR] Sic alibi, *Colloqui hominem*. Videntur Lambino superiora, usque adhunc locum, vendi posse pro Plautinis: quæ verò sequuntur, nòn item. Cùm multa ex eis aliunde sumpta, & pænè mendicata sint, nonnulla inconcinna & Plauto indigna.

STOMACHVM DETEXERIT] iram exsuerit: *G. Long.* At *D. F.* legit, *decoxerit*. Cicero ad Attic. *Ne in me stomachum erumpant, cum sint tibi irati.* Acidalius tamen existimat faciliùs Græcis quàm Latinis exemplis probari illud *decoxerit*. Crebrò enim legi πέψαι ὀργὴν, & Homer. χόλον θυμαλγέα πέσσει. Mâlit igitur hîc *dejecerit*, vel *rejecerit*.

37. HERVM FALLERE MINIS,] D. F. l. *Herum fallere dolis, & minis incessere*, vel *Herum fallere, minis & dolis incess.*

40. FAMES ET MORA BILEM IN NASVM CONCIVNT.] *Is. Casaubonus*; Veterum, *inquit*, opinio fuit, ut *frontem pudoris, risûs lienem*, sic & *iræ sedem esse nares*. Hinc Persius: *Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna*. Id inde, quòd in omni graviore commotione, maximè autem iræ, spiritus concitatus ac velut æstuans vehementiùs ebullit, naresque erumpendo dilatat. Cernas id maximè in brutorum generosissimis, equo, tauro, leone. Quin & Hebræi eidem voculæ & *narium* & *iræ* significationem tribuerunt. Vide Lect. Theocrit. cap. 1. ubi eruditissimè de hâc re disputavit. Ita Seneca de irâ lib. 3. c. 10. *Vetus dictū est*, A lasso rixam quæri: *æquè autem & ab esuriente, & à sitiente & ab omni homine quem aliqua res urit.* Etiam muliercula in Theocrito, de marito suo iracundo, -πείνατι γὰρ μυθίζοι' ἐπὶ ἐσθής, -*esurienti haud obvius esto*. Unde & adag. *Latrante stomacho omnis mora bilem movet*.

41. E LOCO] Alii, *& loco*. i. opportunè, suo tempore. *L. D.*

45. CONVIVEREM] convivium agitarem: *D.*

50. SIME DÆDALEIS IVLISSEM REMIGIIS] i. si volassem. Vict. l. 25: 23. hæc, ut Plautina, citat. Sic *Remigium alarum* μεταφορικῶς, à Virgil. dictum. Luc. l. 6. *Remigio oblita pennarum vela remittunt*.

52. GRANDIRE GRADVS] διαβῆναι. *L.*

SIVE GRALLATORIVS, SIVE TESTVDINEVS FUERIT] i. sive celerrimus sive tardissimus fuerit. V. N. Pœn. act. 3: 1.

54. EN TECT.] ubique pro, *En*, legendum *Hem* probat *D.*

58. QVIN NEGEM] Douza F. suspicatur: *quidni negem*? quod improbat Acid. cùm alterum idem significet.

62. NEC BACCHVM SALVTEM HODIE NEC CEREREM]. Lambini commentum explodit Schoppius: & legit, *Nec B. s. h. n. Cererem, ni purgari i*. Quasi dicat, Precor ut nec panem nec potum ori hodie meo admoveam, nisi tu jusseras, &c. *Salutare*, ridiculè, pro, ori admovere, quia *Salutare* & *Adorare deum*, rem unam notat. Jam autem *Adorare* propriè est, ad nos admovere. In deorum autem Salutatione (ut Lipsius admonuit 1. Elect. 6. & Muretus Var. lib. 10: 1.) multi eminùs stantes (quòd deos ore profano tangere verebantur) manus porrigebant, eamque statim ad os suum relatam suaviabantur. Idem tamen Sciopp. paulò pòst mutavit sententiam, inductus ab eruditiss. Christoph. *Pflugio* Eq. Misn. qui legebat. *Ut purgari jusseras Vasa, ut r. d. faceres, ad hunc me arc.* ejusque lectionis stabilimentū ex antecedentibus petebat. Quærit Amphitruo ex servo Sosiâ, quando gentium ipsum miserit accersitū Blepharonem: respondet servus, id jã, modò, pridem factum fuisse: & ut planiùs etiam loquatur, circumstantias addit; *Ubi*, inquit, *redisti cum uxore tuâ in gratiam*. Volebat alia addere

addere: interpellat herus, cui cùm, ut ferè A fit, concisè admodum respondisset, ad inchoatum sermonem revortitur; *ut*, vel, *ubi*, inquit, *purgari jusserat vasa*, ut rem divinam faceres, tunc me mittis hunc accersitum. Ergo verba ista, *Nec Bacchum &c.* clàm à Sosia proferuntur q. d. Si Bacchus me irritare debet, nolim ego vel Bacchum vel Cererem salutare. Uterque autem furorem hominibus immittere credebatur. * Porrò *B. Brisson. in Formul.* l. 1. p. 33. sub nomine Plauti hæc citat, atque ex eo ritu interpretatur, quo *DEOS SALVTARE* solebant ut Bacchid. act. 2. sc. ult. *Deos atque amicos iit SALVTATVM.*

JVPPITER, AMPHITRVO, SOSIA, BLEPHARO.

QVIS tam vasto impete has foreis toto convulsit cardine?
Quis ante ædeis tantas tamdiu turbas concitat? quem si compererom,
Telebois sacruficabo manibus. nihil est, ut dici solet,
Quod hodie bene succedat mihi. deserui Blepharonem, & Sosiam,
Vt cognatum Naucratem convenirem: hunc non reperi, illos perdidi.
Sed eos video: ibo advorsùm, ut si quid habent, sciscitar. SO. Blepharo, illic qui
Ex ædibus, herus est, hic verò veneficus. BL. proh Juppiter,
Quid intueor? hic non est, sed ille Amphitruo: istic si fuat,
Illum sanè non esse oportuit, nisi quidem sit geminus.
IVP. Eccum cum Blepharone Sosiam: compellabo hos prius. Sosia,
Tandem ad nos? esurio. SO. dixin' tibi hunc veneficum?
AM. Imò ego hunc, Thebani civès, qui domi uxorem meam
Impudicitiâ impetivit, per quem teneo thesaurum stupri.
SO. Here, si tu nunc esuris, ego satur pugnis ad te volito.
AM. Pergin' mastigia? SO. abi ad Acheruntem venefice. AM. men' veneficum?
Vapula. IVP. quæ hospes intemperiæ, ut tu meum verberes? AM. tuum? IVP. meum.
AM. Mentiris. IVP. Sosia, i intro: dum hunc sacrufico, fac paretur prandium.
SO. Ibo. Amphitruonem (arbitror) ita comiter Amphitruo
Accipiet, ut dudum memet ego ille alter Sosia Sosiam.
Interea dum isti certant, in popinam devortundum'st mihi:
Lances detergam omneis, omneisque trullas hauriam. IVP. tun' me
Mentiri ais? AM. mentiris inquam, meæ corruptor familiæ.
IVP. Ob istuc indignum dictum, te obstricto collo hâc arripiam.
AM. Væ misero mihi. IVP. at id præcavisse oportuit. AM. Blepharo suppetias mihi.
BLE. Consimiles sunt adeò, ut utri assim, nesciam: rixam tamen,
Vt potest, dirimam. Amphitruo noli Amphitruonem duello perdere.
Linque collum precor. IVP. hunc tu Amphitruonem dictitas?
BLE. Quid ni? unus olim, nunc verò partus est geminus.
Dum tu vis esse, alter quoque esse formâ non desinit.
Interea quæso collum linque. IVP. linquo: sed dic mihi, videtúrne tibi
Istic Amphitruo? BLE. uterque quidem. AM. proh summe Iuppiter! ubi hodie
Mihi formam adimis? pergo quærere: tun' Amphitruo? JVP. tu negas?
AM. Pernego, quando Thebis, præter me, nemo'st alter Amphitruo.
IVP. Imò, præter me, nemo; atque adeò tu Blepharo judex fies.
BLE. Faciam id si queo signis palàm. tu responde prius. AM. lubens.
BLE. Antequam cum Taphiis à te pugna sit inita, quid mandasti mihi?
AM. Parata navi clavo hæreres sedulò.
IVP. Vt si nostri fugam facerent, illuc me tutò reciperem.
AM. Item aliud. ut benè nummatum servaretur marsupium.
IVP. Quæ pecuniæ? BL. tace sis tu, meum'st quærere. scisti numerum?
IVP. Talenta quinquaginta Attica. BL. hic examussim rem enarrat, & tu

Quot Philippei? AM. duo milia. IVP. oboli verò bis totidem. SO. uterque
Rem tenet probè. intus in crumenâ clausum alterum esse oportuit.
IVP. Attende sis, hâc dexterâ (ut nosti) regem mactavi Pterelam,
Spolia ademi, & pateram, quâ ille potare solitus est, in cisteilâ
Pertuli: dono uxori meæ dedi, quîcum hodie lavi,
Sacrificavi, cubui. AM. hei mihi, quid audio? vix apud me sum:
Vigilans quippe dormio: vigilans somnio, vivus & sanus intereo.
Ego idem ille sum Amphitruo, Gorgophones nepos, imperator Thebanorum,
Et Creontis unicus, Teleboarum perduellis, qui Acarnanes
Et Taphios vi vici, & summâ regem virtute bellicâ.
Illisce præfeci Cephalum, magni Deionei filium.
IVP. Ego idem latrones hostes bello & virtute contudi.
Electryonem perdiderant, nostræ & germanos conjugis,
Achaiam, Ætoliam, Phocidem. per freta Ionium & Ægæum, & Creticum
Vagati, vi vortebant piraticâ. AM. di immortales, mihimet
Non credo. ita omnia, quæ facta illîc, examussim loquitur. vide
Blepharo. BL. unum superest: id si fuat, Amphitruones fitote gemini.
IVP. Quid dicas, novi: cicatricem in dextro musculo ex illoc volnere
Quod mihi impegit Pterela. BL. eam quidem. AM. apposite. IVP. viden? en aspice.
BL. Detegite, aspiciam. IVP. deteximus, vide. BL. supreme Iuppiter,
Quid intueor! utrique in musculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem apparet probè, ut primùm coivit cicatrix rufula,
Sublurida. Rationes jacent, judicium silet, quid agam nescio.

J. *Gulielmius*, Plaut. Quæst. cap. 7. Hanc Scenam Plauti germanam esse, vel Nonii auctoritate, pertendit, quomodo etiam ante sæculum Pylades Buccardus Thadæus Vgoletus & Franc. Marius Grapaldus. A

V. 3. TELEBOIS SACRVF. MANIBVS] Teleboarum interfectorum umbris mactabo: L.

12. UXOREM MEAM IMPVDICITIA IMPETIVIT] Douza emendat: *Imò ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam Impudicitiâ impedivit, teneo thesaurum stupri.* quorum verborum hæc œconomia: Imò ego *hunc*, ô cives Theb. manifestum teneo thesaurum stupri, qui uxorem m. *Thesaurum stupri*, per Appositionem dictum. Jam, *pessimæ quoque rei copiam, Thesaurum dici posse*, Nonius contendit: quomodo hîc & Mercat. *Thesaurum mali*, & Eurip. θησαυρὸν κακῶν dixerunt. Porrò illud *Impedivit*, interpretatur Nonius *sordidavit atque ad probrum duxit*. sed enim scribendum per *æ*: à *pædore*, i. illuvie & sordibus: unde & *pædidus*, quam vocem interpretatur Festus *sordidum atque obsoletum*, à Græco, ut apparet: quia παῖδες, i. pueri talis sint ætatis, ut à sordibus nesciant abstinere. hinc Hor. ——*sordidosque natos:* Martial. *Infante cinctum sordido.* Hæc è Douzæ Centur. coegimus. Eademque etiam probantur *Is. Pontano* Analect. l. 1. c. 16. *J. Gulielm.* c. 7. hic versum inserit è Nonio in *Vulgare*, hoc modo: ——*q. t. th. stupri, Cuique med absente corpus* (uxor) *vulgavit suum.* quod tamen Acidal. non probat: & contra Douzam etiam pervulgatum illud *impedivit* interpretatur *implicavit*, ut tanquam de præstigiatore simul & mœcho loquatur, suprà *implicisci* dixit. B

14. SATVR PVGNIS] ita apud Theocr. Idyl. 22. Amycus ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων, *plagis ebrius:* & supra modum venustè additur de sputo & quasi vomitu sanguinis, ἐκ δ' ἔπτυσεν αἷμα.

16. HOSPES] ita appellat, ut ignotum & noncivem: L.

21. TRVLLAS HAVRIAM] Turn. l. 22: 9. *Trulla*, vas potorium: *trua* vas aquarium, quo è culinâ aquam calefactam in lavatrinam, hoc est, domesticum balneum fundebant. Vide Non. & imprimis Conjectanea *J. Scalig. Trullarum* meminit & Scævola in L. *Sejæ. ff. de aur. & arg. leg.* & Juvenalis. Eas pateras vinarias interpretatur Alciatus, quæ profundiores & oblongiores naviculæ instar; lib. 7. Par. cap. 3. Illud quoq; poculum, quod Hercules à Sole donatum accepit, tan-

tæ quidem erat capacitatis, ut in eo tam navigare, quàm ex eo bibere posset, navis formâ erat effigiatum. Vide *H. Salmuthi Res memorab.* If. Casaub. Comment. Theophr. *Omnes trullas hauriam*, sic (inquit) interpretamur: ut *trullas omnes* accipiamus ἀντὶ τῶ πᾶσαν τρύταιναν, sive trullarum omne genus, neque ad οἰνήρυσιν tantùm referimus, sed etiam ad reliquas trullas: puta ἐτνηρύσεις, ζωμηρύσεις & alias, si quæ erant aliæ.

25. RIXAM] Propriè *Rixam* usurpat & Petronius: *A duobus lecticariis in mediam Rixam perfertur*, siquidem *Rixa est*, ex Juvenalis definitione; —— *ubi tu pulsas, ego vapulo tantùm*. D.

32. PERGO QVÆRERE] probat hoc Douza. alii *perge*: quod Acidalius: sed tali positu personarum: *IVP. perge quærere: AM. tum' Amphitruo?* Ita jocus esset in invocatione Jovis præsentis.

37. PARATA NAVI] Strenuum verò ductorem! qui suæ magis quàm communi securitati prospexerit in futurum. Sed Plautus, Theatralium plausuum captator, hoc Satiricè in palliatum Imperatorem torsisse videri potest. *Vide Cent. Douzæ.*

41. TALENTA QVINQVAGINTA ATTICA] i. vicena quina millia aureorum Ungaricorum, quadringentos quinquaginta quatuor, & dimidiato paullo plus. Tot etiam talentis mulctatus fuit Demosthenes convictus silentii Harpalo venundati.

42. VTERQVE REM T.] Hæc Acid. tribuit BLEPH. ex edit. Florent. ut arbitro aptiùs.

49. GORGOPHONES NEPOS] *Fratrum filii* an rectè *nepotes* appellentur, purè & Latinè loquentibus censet Gul. Ranchinus JC. & citat hunc etiam locum. cùm Gorgophone non avia, sed amita Amphitruonis fuerit.

50. PERDVELLIS] i. hostis. D.

63. COIVIT CICATRIX] Phædrus l. 5. *Ad sanitatem dum venit curatio.* Symmachus l. 1. epist. 94. & l. 2: 32. *Vulnus in cicatricem convenire, & cicatricem ducere*, dixit.

64. SVBLVRIDA] *Luridus color* à similitudine coloris *luræ*, i. utris coriacei, atque adeò à similitudine corii appellatus: Turneb. lib. 6: 17. Gr. ἀσκὸς, πήλιον, ἐντερικός. *Lura*, os culei, vel etiam utris: unde *Lurcones* capacis gulæ homines: *Festus*. Ausonio *Lora* etiam dicitur pro ipso utre, quod Homero ἀσκός: *Scaliger*.

RATIONES IACENT] conturbatæ sunt. NON Liq.

64. IVDICIVM SILET.] Cæl. Rhodiginus lib. 13. c. 19. *Silentium* in caussis judiciisq; intelligitur, cùm nulla prorsum promit se conjectura veritatis dispiciendæ, unde ferri possit sententia. Id quod Plautus hic indicat. Respicit autem ad *ampliationis* morem: cùm in tempus aliud judicium diffinitur, de quo Ascon. Pædianus.

ACTUS IV. SCENA III.

BLEPHARO, AMPHITRVO, JVPPITER.

VOS inter vos partite! ego abeo, mihi negotium est.
Neque ego unquam usquam tanta mira me vidisse censeo.
AM. Blepharo! quæso, ut advocatus mihi assis, neve abeas. BL. vale.
Quid opus me advocato, qui utri sim advocatus nescio?
IVP. Intrò ego hinc eo. Alcumena parturit. AM. Perii miser!
Quid ego? quem advocati jam atque amici deserunt.
Nunquam edepol me inultus istic ludificabit, quisquis est.
Nam jam ad regem rectà me ducam, résque ut facta est eloquar.
Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui perversè perturbavit familiæ mentem meæ.

Sed

Sed ubi ille est? intrò edepol abiit, credo ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miserior? quid nunc agam?
Quem omnis mortales ignorant, & ludificant, ut lubet.
Certum est, intrò rumpam in ædibus, ubi quemque hominem aspexero,
Sive ancillam, sive servum, sive uxorem, seu adulterum;
Seu patrem, sive avum videbo, obtruncabo in ædibus.
Neque me Iuppiter, neque di omnes id prohibebunt, si volent:
Quin sic faciam uti constitui: pergam in ædibus nunc jam.

VOS INTER VOS PARTITE] i. Hanc controversiam decidite. MS. Cam. l. *parcite.* quod Pareus textu dignum censuit: ita quidē ut mendosos putet Pall. sex in quibus alterum. At neque aliter omnis editio; omninòque id requirit versus; quibus ipse parum attendit: imò non internoscit quidem trochaicum ab iambo.

V.4. QVI VTRI SIM] J. Gulielm. malit è MSS. in quis erat, *quin utri*, vel cum apostrophi notâ, *quin utri, quine utri:* venustissimo (ut ait) sermonis genere. Ter. Adel. *Quine omnia sibi postputavit esse præ meo commodo?* ita enim v. c. Coloniens. Sic Rud. 3:6. *Quin' arrabonem à me accepisti?* ubi τὸ *ne* παρέλκει. nam quòd Lambinus corrigit, *qui*, Musis omnibus invitis factum. *Hæc ille.* V. etiam N. Epid. act. 5: 2. Atque post hunc versum inserit idem alium, quem Nonius in *Decernere*, ex Amph. citet; *Qui nequeo, vostrorum uter sit Amphitruo, decernere.*

5. AM. PERII MISER, QVID EGO?] ita MSS. Cam. & Langii, & quædam Edd. Sed J. Gul. Personis aliter collocatis sic scribit: *JUP. Intrò ego hinc eo. Alcumena parturit, perii miser. AM. Quid ego? quem advocati jam omnes atque amici deserunt.* Juppiter cum Amphitruonem egregiè confutasset, redire se intrò ait. tum inter eundum, tumultum & clamorem Alc. parturientis exaudiens; Alcumena, inquit, parturit: & addit; *Perii miser*, amicæ saluti præfimens. Neque mihi hoc quisquam objiciat, Jovi parùm cōvenire hanc formidinem. nam hæc ipsa simulatio scenam adjuvat & Amphitruonem ex subditivo propè germanum facit. Huic subjiciens Amphitruo: *Quid ego?* inquit. an non magis perii etiam, quem amici & noti omnes deserunt? Simillimum est huic illud Sticho, act. 2:3.——*PA. Salva sum. DI. At ego perii, cui medullam lassitudo perbibit. GE.* A *Quid ego? cui misero medullam ventris percipit fames.* Hæc ille. Gruterus versum supplebat. repetitione vocis pene similis: *Quid ego ago? quemq; advoc. &c.*

8. AD REGEM ME DVCAM] V. N. Bacch. 4: 2. Gruterus malebat abjici *Nam*, versus causâ. alii abjecerant *est.* quod æq; in omnibus libris; & numeros reddit suaviores.

9. THESSALVM VENEF.] Thessali veneficiis & magicis artibus infames: Propert. *Thessala saga.* Horat. 1. Od. 27. *Quæ saga, quis te solvere Thessalis Magus venenis, quis poterit deus?*

13. IGNORANT] pro, ignorare se simulant. Nam *ignorare*, aspernari est & cognoscere nolle: quasi ignotum & alienum negligere. Asin. act. 1: 2. Capt. act. 2: 3. Ter. Phor. *Quia egens relicta est misera, ignoratur parens.* J. Gul. V, N. Sticho, act. 2: 1.

14. INTRO RVMP. IN ÆDIB.] Ita Meursius B è v. c. & MS. Lang. l. *introrumpam in ædibus:* ut & hinc non longè; *pergam in ædibus.* Et rectissimè, inquit, ἀρχαϊσμὸς est: apparet enim veteres Præpositioni *In;* sive motum in loco, sive ad locum significarent, indifferenter accusativum & ablativum adjunxisse. Sanè in meis etiam omninò omnibus expresse ita legitur: itaque in sex Palat. & MS. Cam. utrobique planè legi, notaverat dudum *Gruterus* ille. Varro lib. 4: de L. L. *Quà in Cœlio monte itur.* V. & N. Aul. act. 3: 6. item Aus. Popmam, *de usu antiq. Locut.* l. 2. c. 7.

16. SIVE AVVM VIDEBO] ut furens loquitur. Sed *videbo* retinebit: ut versus subsistat: *Cam.* Acidal. numeris obsecutus l. *Seu patrem videbo, sive avum, obtr.*

18. QVIN] Hanc particulam censet Acidal. non ordiri novam velut sententiam, ut sit corrigentis vel hortantis: sed hærere priori: pro, *quo minus.*

ACTUS

ACTUS V. SCENA I.

BROMIA ancilla, AMPHITRUO.

SPES atque opes vitæ meæ jacent sepultæ in pectore,
Neque ulla'st confidentia jam meo in corde quin amiserim;
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cælum consequi,
Iam ut opprimar, ut enecer. me miseram! quid agam nescio.
Ita tanta mira in ædibus sunt facta. væ miseræ mihi!
Animo malè'st. aquam velim! corrupta sum atque absumpta sum.
Caput dolet, neque audio, neque oculis prospicio satis,
Nec me miserior fœmina est, neque ulla videatur magis.
Ita heræ meæ hodie contigit. nam ubi parturit, deos sibi invocat.
Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus: ut subitò, ut properè, ut validè tonuit!
Vbi quisque institerat, concidit crepitu. ibi nescio quis maximâ
Voce exclamat: Alcumena! adest auxilium, ne time:
Et tibi, & tuis propitius, cæli cultor advenit.
Exsurgite, inquit, qui terrore meo occidistis præ metu.
Vt jacui, exurgo. ardere censui ædis; ita tum confulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena: jam ea res me horrore afficit.
Herilis prævertit metus: ocyus accurro, ut sciscam quid velit:
Atque illam geminos filios pueros peperisse conspicor:
Neque nostrûm quisquam sensimus quum peperit: neque prævidimus.
Sed quid hoc? quis hic est senex,
Qui ante ædis nostras sic jacet? númnam hunc percussit Iuppiter?
Credo edepol! nam proh Iuppiter, sepultu'st, quasi sit mortuus.
Ibo & cognoscam quisquis est. Amphitruo hic quidem herus meus.
Amphitruo! AM. perii. BR. surge! AM. interii. BR. cedo manum! AM. quis me
BR. Tua Bromia ancilla. AM. totus timeo, ita me increpuit Iuppiter. (tenet?
Nec secus est, quàm si ab Acherunte veniam. sed quid tu foras
Egressa es? BR. eadem nos formido timidas terrore impulit:
In ædibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi. væ mihi
Amphitruo! ita mihi animus etiam nunc abest. AM. agedum expedi.
Scin' me tuum esse herum Amphitruonem? BR. scio. AM. vide etiam nunc?
AM. Hæc sola sanam mentem gestat meorum familiarium. (BR. scio!
BR. Imò omnes sani sunt profectò. AM. at me uxor insanum facit
Suis fœdis factis. BR. at ego faciam, tu idem ut aliter prædices
Amphitruo; piam & pudicam esse tuam uxorem ut scias.
De eâ re signa atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primùm Alcumena geminos peperit filios.
AM. Ain' tu geminos? BR. geminos. AM. di me servant. BR. sine me dicere,

M Vt

Vt ſcias tibi tuæq; uxori deos eſſe omnes propitios.
AM. Loquere. BRO. poſtquam parturire hodie uxor occœpit tua,
Ibi utero exorti dolores, ut ſolent puerperæ:
Invocat deos immortalis, ut ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. ibi continuò contonat
Sonitu maximo. ædes primò ruere rebamur tuas.
Ædes totæ confulgebant tuæ, quaſi eſſent aureæ.
AM. Quæſo abſolvito hinc me extemplò, quando ſatis deluſeris.
Quid fit deinde? BRO. dum hæc aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem, neque plorantem noſtrûm quiſquam audivimus,
Ita profectò ſine dolore peperit. AM. jam iſtuc gaudeo,
Vtut erga me eſt merita. BRO. iſtæc mitte, atque hæc quæ dicam accipe!
Poſtquam peperit pueros, lavere juſſit nos. occœpimus.
Sed puer ille quem ego lavi, ut magnus eſt, & multum valet?
Neque eum quiſquam colligare quivit incunabulis.
AM. Nimia mira memoras! ſi iſtæc vera ſunt, divinitus
Non metuo quin meæ uxori latæ ſuppetiæ ſient.
BRO. Magis jam faxo mira dices. poſtquam in cunas conditu'ſt,
Devolant angues jubati deorſum in impluvium duo
Maximi: continuò extollunt ambo capita. AM. hei mihi!
BRO. Ne pave. ſed angues oculis omnis circumviſere,
Poſtquam pueros conſpicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas receſſim rurſum vorſum trahere & ducere,
Metuens pueris, mihi formidans: tantoque angues acrius
Perſequi. poſtquam conſpexit angues ille alter puer,
Citus è cunis exilit, facit rectà in anguis impetum:
Alterum alterâ apprehendit eos manu perniciter.
AM. Mira memoras! nimis formidoloſum facinus prædicas!
Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porrò loquere. BRO. puer ambo angues enicat.
Dum hæc aguntur, voce clarâ exclamat uxorem tuam.
AM. Quis homo? BRO. ſummus imperator divûm atque hominum Iuppiter.
Is ſe dixit cum Alcumenâ clam conſuetum cubilibus,
Eumque filium ſuum eſſe qui illos angues vicerit:
Alterum tuum eſſe dixit puerum. AM. pol me haut pœnitet
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Iove.
Abi domum, jube vaſa pura actutum adornari mihi,
Vt Iovis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.
Ego Tireſiam conjectorem advocabo, & conſulam,
Quid faciendum cenſeat, ſimul hanc rem ut facta eſt eloquar.
Sed quid hoc? quàm validè tonuit! di obſecro veſtram fidem!

VERSVS

VERSUS sunt quadrati omnes, tetram. & Archilochii quidam, & clausula una δίμετρ☉.

V.2. CONFIDENTIA] pro, *fiducia*. Cic.3.Tusc. *Confidens mala consuetudine loquendi in vitio ponitur*. Vide Non. L.

3. CONSEQUI] in unum convenire & conspirare, ut opprimar. *vel*, meipsam sequi; ut mavult Passeratius. L.

6. ANIMO MALE EST.] *Animo male fieri* dicitur, cùm ictu alicujus mœroris perculsus animus, non sustinet corpus, sequiturq; ruina membrorum: *Donatus*.

6: AQUAM VELIM] V.N.Mil. act.4: 8. & Epid. 4: 1.

9. HODIE] Vocem eam frustra quæras in Pareanis editionibus, contra MSS.& Edd. reliquas. quæ impudentia!

9. DEOS SIBI INVOCAT] Fortè puerperis illud solemne dixit, *Juno Lucina fer opem*. V.N. Aul. act.4: 7.

10. TONUIT] *Cam*. malit, *tonit*.

11. UBI QUISQ. INSTITERAT] Sic Sallust. 3.Hist. *Locum nullum, nisi quo armati institissent*.

14. TERRORE MEO] pro mei. Propert.3 el.22: *E desiderio sit color ille meo*. Passerat.

15. UT JACUI] i. postquam. L.

15. CONFULGEBANT] versus Spondaicus, fortè, *confulserant*. Cam.

16. JAM EA R.] Acid. *jam*. Cum me inclamaret, jam inde statim inhorrescebam.

17. HERILIS PRÆVORTIT METUS] plus valet apud me Alcumenæ metus, quàm meus: L. Nonius: *Prævertit*, i. revocat.

17. UT SCISCAM] de v. *Sciscere* & *Rescire*, multa Palm. Spicil. fol.202.

19. PROVIDIMUS] Ita plerique MSS. nam Edd. *prævidimus*. Asin.2.4. ver. 44. *Non hercle te provideram*.

21. PERCUSSIT JUP.] Gravissimi est & lethalis vulneris verbum *percussit*. unde *percussores* dicti. dicitur etiam de fulmine. allusit Propert.2.el.13: *aper niveum quondam percussit Adonim*. dicitur enim aper habere fulmen in dentibus. unde *fulminei* passim poëtis. Passerat.

23. QUISQUIS EST. AMPHITRUO] Versum sustentarunt alii immittendo *est* ante *herus*. sed præter libros. verius est excidisse quod junctim poneretur. *quisquis est, est Amphitruo &c*.

25. INCREPUIT] id est crepitu fulminis perterruit. Passerat.

31. SANAM MENTEM GESTAT] Lamb. l. *sartam*, quod & Cam. & Douza probant: pro integrâ, sincerâ & sanâ. Vetus Auguralis locutionis formula est, *SANE SARTE QUE*. De quâ Douzâ: qui & *meorum* legit, non *mearum*: ut totam familiam comprehenderit. quod & Acidalio probatur. Turn. l.9: 10. leg. *sagam m.* id est, prudentem & sagacem. hinc *sagas anus*, quod multa sciant, vocari Cic. scribit. Putat Cam. &, *siccam* posse legi, i. firmam & sobriam. Gruterus, MS. inquit Cam. legit *saccam*: at MSS. Palat. sarcam omnes sex, quidquid oggänniat Pareus, qui vult plerosque præferre *saccam*. & idem tamen eo loco: quod typothetæ non assecuti essent manum notarii; vitium illud appellat grande omnino mendaciloquium, ipse totus talis. Qui *sanam* hic turbant, inquit Acidalius, non attendunt sequentem vers.

36. OMNIUM PRIMUM ALCMENA] ita MS. Sic supra: *Omnium primùm qui sit Sosia hoc dici volo*. item Mostellar. extremo: *Omnium primùm sodalemque esse scis gnato tuo*. vulgò, *primò*. Grut.

37. SERVANT] Sic MSS. & edd. præter Pareanam pr. ea nobis contulit *servent*, ignoratione formularum.

38. GEMINOS] Ex isto loco tale aurum format in Electis Pareus. Singularis Deorum benevolentiæ habebatur, & pietatis pudicitiæque puerperæ, si geminos peperisset. Si verum dicis: Impp. Regum, Principumq; conjuges, nec experiebantur Deorum benevolentiam; multo minus eisdem approbabant pietatem suam pudicitiamque. Disertè enim Tiberius apud Tacitum; *nulli Romanorum summi fastigii viro ante Drusum, geminam stirpem simel editam*. Sed quæ hæc est argumentandi scævitas? Quin Bromia non laudat Dominam a pietate, a pudicitia, multò minus à gemellis: laudat potius ideo, quod ipsi ita extra ordinem Jupiter faverit.

40. IBI VERO] ita MS. rectè. al. *Ubi*.

MANIBUS PURIS] *Puras manus* tam à sordibus & illuvie, quàm à cæde & sanguine, in sacris exigebant antiqui. Mimus: *Puras* Deus

Deus non plenas adspicit manus. Fiebantque eæ lavationes ferè in vivo flumine: ut monet J.Gul. immò & tribus locis Turnebus, ad id Virgil.2.Æn. —— *donec me flumine vivo Abluero.* Noster Aul. 3:6. *Ego eo lavatum, ut sacruficem.* Et ib.4:2. *Nunc lavabo, ut rem divinam faciam.* Notatque vetus Interpres ad Hor.2.Ser.3. deos precaturos manùs & pedes abluere solitos. Vide *B. Briss.* lib.1.Form.Sollemn.& Not.Rud.3:3.

42. CAPITE OPERTO] In salutandis & adorandis diis stantes capite operto, corpus dextroversum in orbem circumagebant, (V. N.Curc.1:1.)procumbebant etiam dextramque ori admoventes, osculum labris premebant. tum deinde sedebant. Curc. act. 3:1. *Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?* Nec à salutantibus modò & adorantibus, sed & à sacrificantibus deos (*Saturnum*, *Honorem & Herculem* excipias) capite operto,obvoluto, vesteque ad aures adductâ, coli consuevisse constat. Vide Briss. & Serv. ad illud 3. Æn. *Purpureo velare comas adopertus amictu.* Et mos hic purus Romanus fuit, Æneâ autore, &c. Consule etiam *Torrent.* in Sueton. Vitellio, c. 2. item *Is.Casaubonum* in Persium.

48. ITA PROFECTO] frustrâ sunt, qui hîc mutant. V.N. Curc. act. 3. & Pœn. act. 2:1. *Grut.*

VALET!] validus est! L.

INCUNABULIS] ita MS.Cam.& Turneb. l.9:10. uno verbo, *incunabulis:* & *incunabula* sunt fasciæ & panni, quibus pueri in cunis involvuntur, involucraque eorum, uno verbo, lanea & lintea. Nam in cunis pueri involuti incunabulis colligantur. Trucul.5:1. *Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis:* Pareus, ut & hîc aliquid novaret pro *quivit*, quod in edd.& mss. omnibus substituit in pr. *potuit.*

56. ANGUES IUBATI] Meminit & Plin. lib.35:9. Turneb. lib.29:4. *Jubæ*, inquit, anguibus & draconibus tribui solent, quæ quidem cristæ sunt in eorum capitibus eminentes. Valer.de Dracone Aureum vellus custodiente; *Iamque altæ cecidêre jubæ.* Id. de eodem: —— *ille suis hæc vibrat fulgura cristis.* Eodem modo illud 4. ad Heren. intelligas: *Iste quotidie per forum medium tanquam jubatus draco serpit, &c.*

57. HEI MIHI] Utraque Parei *Heu*, contra libros MSS. & edd. imò & contra naturam.

60. RECESSIM] retrò cessim. Cas. act. 2:8. *Recessim cedam ad parietem: imitabor nepam.* Meursius in Crit. Arnob. cap. 4. l. *Ego cunas vicissim rursum prorsum t.* Nam τὸ *recessim rursum* (inquit) sunt ταυτόλογα & inepta. *Prorsum*, pro, *versum*, restitui, ad Proverb. formulam Hecyrâ 3:1. *Rursum prorsum.* Ad quod Interpres: *Rursum, propriè retrò; Prorsum, antè significat.* Virg.3. G.v.138. *Rursus cum patrum cadere.* V.N. Epid.2:2. Sic Martian. Capella lib. 8. *Cessimque formidantes Abeunt pedes tremore*, retrò. Utitur hâc voce & Justinus, & Alphenus JC. bis, in Lege, *Si ex plagis:* sextâ à fine ff. ad l. Aquiliam. Glossar. *Cessim*, gradatim. Vide *Hugeium Grotium* ad M. Capellam.

RURSUM VORSUM] i. retrorsum. Qui volunt Passeratium legere *rursum prorsum*, injuriam eo faciunt. citat enim ista, ut & Turneb. 2.c.10. ad eam faciem ut vulgo heic habentur, ad lib.2.el.22.ver.19.sed & iniquius præterea ad marginem, Taubmannum Grotiumque laudat Pareus tanquam assertores illius *prorsus*; iniquissimè verò in Lexico suo ita producit tanquam Plauti genuinam vocem, cùm tamen in nullo extet cod. scripto publicatove. Itaque Lector ubi egis in Notis editionis ejus postremæ: Novitii Critici pro *vorsum* faciunt *prorsum*. ubi verò codicum MSS.consensus? Nobis non libet tam vanè esse ingeniosis. ubi Lector hæc legis, arbitraris alium quemvis perstringi, & sic edidisse, quàm Pareum. secus est: ipse unus unicusque sic edidit. quid de tali impostura jam sentis? MS. Cam. *recessum rursum vorsum.* Papiens. Ven. *recessum vorsum trah.* in aliis aliter.

64. ALTERUM ALTERA] unum dextrâ, alterum lævâ. Ovid. de Art. 1.

Parvus erat, manibusq; suis Tyrinthius angues
Pressit: & in cunis jam Jove dignus erat.

Verùm toti huic loco clarissimam lucem dat Idyllium 24.Theocriti.

EXCLAMAT] ita MS. & omn. edd. D. I. *inclamat.*

73. SCILICET BON.] In MS. Cam. est *Si licet b.* quomodo edi voluit Lambinus, sublato versus antecedentis puncto. Scilicet placet Passeratio ad 2. El. 34. Propertii. neque aliter Edd. Vett. aut Pall. quinque si solum sec. *licet*: aliter quàm indicavit Pareus.

73. CUM IOVE] Aliter Propertius: *Rivalem possum non ego ferre Jovem.* Plaut. Cas. *Negavi enim me ipsi concessurum Jovi, Si is mecum oraret.* Passerat.

74. VASA PURA] V. N. suprâ act. 3:2.

75. PACEM EXPETAM] *Jovis pacem expetere,* Jovem sibi propitium habere velle. Cic. *Illæ nationes in bellis gerendis, ab diis immortalibus pacem ac veniam petunt.* Liv. 6. *pacis deûm exposcendæ caussa lectisternium fuit.* Virgil. 3. Æn. *Sed votis precibusque jubent exposcere pacem.* Pl. Curc. 2:2. Merc. 4.1. Pœn. 1:1.

76. TIRESIAM] Species pro genere. *Tiresias* vates nobilis Thebanus: de quo Hom. De ejusdem prudentiâ, vivacitate septem ætatum, item quei vir & fæmina fuerit, vide Meurs. Cassandr. p. 245. Et rectè Plautus dicit, *Consulam.* aruspices enim *exta consulere*, propriè dicuntur, cùm inspiciunt: ut notat Serv. 4. Æneid. Et illustre hujusmodi consultationis exemplum est apud Senec. Oedipo, act. 2:2. quod observat Brissonius.

CONIECTOREM] μάντιν. *Conjectores,* sunt interpretes somniorum. V. N. Curc. act. 2:1.

78. QUAM VALDE TONUIT] De hâc machinâ scenicâ, & quo artificio tonitru ederetur olim, tractant *Cæl. Rhodig.* lib. 8. cap. 8. P. Crinitus lib. 2. cap. 10. J. Cæs. Bulenger, de Theatro.

ACTUS V. SCENA II.

JUPPITER.

BONO animo! assum auxilio, Amphitruo, tibi & tuis.
Nihil est quod timeas. hariolos, haruspices
Mitte omnis: quæ futura & quæ facta, eloquar.
Multo adeò melius, quàm illi; quum sim Juppiter.
Primùm omnium Alcumenæ usuram corporis
Cepi, & concubitu gravidam feci filio.
Tu gravidam item fecisti, quum in exercitum
Profectus. uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te immortali afficiet gloriâ.
Tu cùm Alcumenâ uxore antiquam in gratiam
Redi. haud promeruit, quamobrem vitio verteres.
Meâ vi subacta est facere. ego in cælum migro.

IUPPITER] Uguitio Gloss. *A juvo dicitur Jovis, hujus Jovis, & Jupiter Jupiteris vel Jupitris.* Ad quod M. Haiminsfeldus Goldastus Notis in Columban. Imperitè, à *juvo.* nam est ab Ebræorum יהוה *Jehova*: eâ crasi, quâ & *Josua* pro *Jehoschua* &c. Nec *Jupiter* est *juvans pater*, sed *Jovispater*, Ζεὺς πατὴρ ad quod exemplum est *Marspiter*, *Mars pater*; *Diespiter*, *Dispater*: nam perperàm *diespiter* scribitur. Veteres quidem Christiani, consideratâ nominis vi atque dynami, ab eo non abhorruére &c.

7. FECISTI, QUUM IN EXERC.] *Sti quum in*, confragosè sane cadunt in dactylum pedem. *Cam.*

VERSUS hujus Sc. sunt sen. jamb. tres autem ultimi, troch. Archilochii.

ACTUS V. SCENA III.

AMPHITRUO.

FACIAM ita ut jubes, & te oro promissa ut serves tua.
Ibo ad uxorem intrò. missum facio Tiresiam senem.
Nunc spectatores Jovis summi caussâ clare plaudite.

MISSUM FACIO] Ita MSS. Cam. & Lang. Alii, *faciam*.

3. PLAUDITE.] Sic Pall. & edd. vett. A at enim MS. Cam. *clara plaudite*. fortè *clarè applaudite*. tamen nec illud suggillat Gruterus. Vide Notas *Epidico extremâ*.

FINIS AMPHITRUONIS.

ASINARIA.

ARGUMENTUM.

HUJUS Comœdiæ & nomen & argumentum leve atque jocosum, & tota, quemadmodum in Prologo dicitur, ridicula res est. Sed ingens turpitudo & nefarium flagitium hâc fabulâ exponitur, societatis scelestæ, & eorum, quæ animadversione acerrimâ digna, non solùm impunita essent legibus; sed jocis etiam verborum vulgo celebrarentur. Atque hæc est horribilis ira Dei, quæ impietatem ita ulciscitur, ut in omnia pessima illam facinora ruere, & delicias facere in gravissimis delictis patiatur. Id quod debemus in his ludis diligenter cognoscere. ita in seria etiam illi ducent cum aliquâ utilitate nostrâ, &c. Ad rem. In hâc fabulâ, volente & jubente patre, argentum à se aufertur, quod detur filio amanti: eâ lege, ut filius patri apud amicam locum esse patiatur. Mirificè autem ludunt adolescentem servi, partâ prædâ. Et finis continet pudendam criminationem uxoris, educentis è lustro virum suum. PERSONÆ *sunt*, Libanus, *gentile Syriacum.* Demænetus, *de laude populari* δημαινετὸς. Argyrippus, *ut* χρύσιππος, *addente fine granditatẽ nomini.* Clexreta, *κλεαιρετὴ, de famæ electione seu consilio.* Leonida *est* λεωνίδης, *patronymicâ formâ à leone.* Phil. *Φιλαίνιον, à laudis studio, nisi fortè Φιλοίνιον est, à vino.* Diabolus, *calumniator, infamator, obtrectator. nisi fortè honestiore nomine* διαβό-λος

λ⊙ hic est, quasi διὸς βόλ⊙ : nam & διωβόλυ futilis *est significatio. Αρτεμόνει ab ἀρτέμων, quod in navi grandioris veli nomen, sicut ab ἡγεμὼν, ἡγεμόνη. ἀρτέμων etiam, ut, πολέμων, proprium cujusdam vel vitæ vel arte mirifici hominis. unde Proverb. ἀρτέμων περιφόρητ⊙. inde esset ἀρτεμώνη, ut ἀνεμώνη, &c.* Camerarius.

J. GVLIELMIVS: Festiva fabula est & ridiculæ varietatis plena Asinaria. Eam è Diphilo Plautus transtulit, ut alias aliquot; non, ut vulgarii libri errant, è Demophilo, (V. N. Prologo *) sic enim versus Prologi, qui hoc indicat, in libris scriptis concipitur:* Diphilus scripsit: Marcu' Attius vortit barbarè. *Rectè: & laudantur inter ejus Poetæ fragmenta quædam ἐκ τῆς ὀνηγῦ. &c.*

DRAMATIS PERSONÆ.

LIBANVS servus.
DEMÆNETVS senex.
AGYRIPPVS adolescens.
CLEÆRETA lena.
LEONIDA servus.
PHILENIVM meretrix.
DIABOLVS adolescens.
PARASITVS.
ARTEMONA uxor.
MERCATOR.
GREX.

ARGUMENTUM.

AMANTI argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens volt senex uxorio.
Itaque ob asinos relatum precium Saureæ
Numerarier jussit servolo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. cedit noctem filius.
Rivinus amens ob præreptam mulierem;
Is rem omnem uxori per Parasitum nuntiat.
Accurrit uxor, ac virum è lustris rapit.

SVB IMPERIO V.] Demænetus γυναικοκρατούμεν⊙. L.
3. OB ASIN.] i. pro asinis. V.N. Epid. 5: 2.
6. RIVINVS] ἀντίζηλ⊙, rivalis Diabolus: A ita L. & MS. Cam. & tria Pall. & edd. priscæ. Vulgo. *Rivalis.*
7. IS REM] ita MSS. & edd. Sed *J. Gul.* ut concinniùs scilicet inter se cohæreant, leg. *It, rem, omn.*

PROLOGUS.

HOC agite, sultis, spectatores; nunc jam,
Quæ quidem mihi atque vobis res vertat benè,
Gregique huic & dominis, atque conductoribus.
Face jam nunc tu præco omnem auritum poplum.
Age nunc reside! cave modò ne gratiis.

Nunc

Nunc quid processerim huc, & quid mihi voluerim,
Dicam; ut sciretis nomen hujus Fabulæ.
Nam quod ad argumentum attinet, sanè breve 'st.
Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huic nomen Græcè Onagos (Onagost) Fabulæ.
Demophilus scripsit, MARCUS vortit barbarè.
ASINARIAM volt esse, si per vos licet.
Inest lepos, ludusque in hac comediâ.
Ridicula res est, date benignè operam mihi,
Ut vos item aliàs, pariter nunc Mars adjuvet!

PROLOGUS non videtur integer esse, & Senariis compositus jambicis est.

1. HOC AGITE] *Hoc age*, utimur quoties in re seriâ attentionem imperamus. Vide *Brisson.* Form. lib. 1. & *Grut.* Animadvers. ad Senec lib. 1. de Clem. c. 12.

JAM] *jam διευλαβέως* legunt *Cam. & Lamb.* V. N. Rud. act. 2:4.

5. GREGIQ.] histrico, comœdis. *L.*

DOMINIS] ita restituit Grut. è MSS. & edd. ante Cam. qui *domino.* Ineptè Lamb. *Dominum* interpretatur Poetam.

CONDUCT.] Hoc quoque malè *Lamb.* accipit de iis, qui conduxerunt ornamenta, Ædilibus. immò verò de iis capiend. qui Ludos exhibent, quique histrionum operam conduxerunt: *Gruterus.*

4. FACE IAM T.] *J. Gul.* è v. Codd. & MSS. qui omnes *Ecce* habent, legit: *Exci.* Id enim verbum (inquit) præconio in munere propriè dici ostendunt ab eâdem origine verba, *excitare & suscitare*: quorum exempla passim in Martiali obvia. at *Gruterus* ostendit illud *Ecce*, propagatum à scripturâ vetustiss. cod. in quo *Eace*, pro *face*: quod inde mutatum aliis in *Ecce.* videatur *Pius.* Pergit Gulielmius: *Auritum facere*, pro attentionem movere alicujus; Latinum non arbitror. *Auritum* populum accipio, qui usu aurium non destituitur: ut in Hor. *Auritas quercus.* Jocus est, ut nonnulla Plauti, frigidior: auritis ut silentium imperet. nam surdos frustrâ inclamaturus erat. *Hæc ille.* Afranius ex Personâ Priapi: *-Nam quod vulgò prædicant Aurito me parente natum: non ita est.* Ad quod *J. Is. Pontan.* Notis Macrob. l. 6. cap. 5. Quod *aurito parente*, i. lepore genitum illũ Divum prædicabant, non puto temerarium. Petronius: *At illa gaudio exultans, vides, inquit, Chrysis mea, vides quòd aliis leporem excitavi.* Quid velit facilè capitur: & rectè adaptatur illud Nasonis: *Credula si fueris, aliæ tua gaudia carpent: Et lepus hic aliis exagitatus erit.* Nec abludit quod in V. Fastorum idem, ubi Salacem deam Floram poscit, cur ei caprearum potissimum leporumque venatus cesserit, scribat; *Est breve præterea*; &c. Porrò ex his lucem aliquam sperem loco isti Asinariæ Prologo: *Face jam tu præco omnem auritum poplum.* Nam non ita languidum, ut censuit olim juvenis doctus, si videlicet ex animalis, quod dixi, naturâ, *auritum poplum*, attentum & excitatum intelligamus. Immò tale est illud Comici Afri, *Arrige aures Pamphile*: De quo ita Diomedes, *Cacophaton est vitio compositionis inverecunda suspicio. ut arrige aures Pamphile*: Denique Afranii verba videtur Plautus respexisse illo loco. *Hæc Pontanus.*

5. CAVE MODO NE GR.] Cic. in Quintianâ, de Nævio Præcone: *Nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea, qua voce quæsierat, magno sibi quæstui fore putabat.* Rivius l. *cave meis ne ingratiis.* Passeratius, *cave modò ne γεύξῃς*, &c. sed neutrum probum. Vulgatum firmat similis locus Pœnuli Prologo: *Exsurge præco &c.* Martial. l. 9. in magistrum Ludi: *-Vis garrule, quantum Accipis, ut clames; accipere; ut taceas?* Ita notum est illud de tibicine Arabio: Δερχμῆς μὲν αὐλεῖ, πεντέρων δὲ παύσεται. *Acidal.* hæc notaverat. Gifan. l. *graxis.* à *graxo* præterit. *graxit ab ἔκραξα.* Lucret. lib. 5. *Aut morbo delirantes prograxe feruntur*, i. quasi palàm garrisse. Lamb. *procraxe*: quod idem est. Sed tamen vulgatum rectius.

5. GRATIIS] V. N. Epid. act. 3:4. MS. Cam. L. *gratis.*

10. ONA-

10. ONAGOS] ita Turn. lib. 14:7. ὄναγος vel ὀνηγὸς, i. *asinorum ductor: asinarius*. Probat & Gul. Canterus l. 4. c. 18. Novar. Lect. & H. Stephanus, *de Plauti Latinitate*, p. 384. Sed, *inquit hic*, cùm ὀνηγὸς sonet *Asinarius*: cur *Asinaria* vocatur Comœdia? R. subauditur, *fabula*. ut perinde sit, acsi diceretur; *Fabula de asinario mercatore*.

11. DEMOPHILUS] ita omn. MSS. non *Diphilus*, etsi id Pio & Guliel. placet: *Gruterus*.

MARCUS] *Grut.* è MSS. Pall. qui *Marcus*, *Macrus*, *Maccus* & *Macus* habent, suspicatur legend. *M. Accius*: cùm Pronomine aliquid disignare, incertum sit nimis. & istud, ceu germanum Auctoris, rapuit in barathrum editionum suarum Pareus.

BARBARE] i. Latinè. V. N. Prol. Trin.

15. MARS ADIUV.] Sic MSS. omnes V. N. Prol. Pœnuli. ita Pacuvius: *Pro imperio sic Salisubsalus* (i. Mars) *vestro accubet*. Quod adhoc exemplum è fine cujusdam Prologi esse, Scaliger ad Catull. notat. Guil. Canterus Nov. Lect. lib. 2: 20: l. *pariter nunc me ars adjuvet*. sed invitis Lamb. & Grutero, atque arte ipsâ. τὸ *ut*, adjurantis esse particulam, sive obtestantis, ut *sic*, docet Jos. Castalio Observat. Decad. 2. c. 1. ubi itidem contra Canterum de hoc loco ambitiosè disputat.

ACTUS I. SCENA I.

LIBANUS servus, DEMÆNETUS senex.

SICUT tuum vis unicum gnatum tuæ
Superesse vitæ, sospitem & superstitem!
Ita te obtestor, per senectutem tuam,
Perque illam quam tu metuis uxorem tuam;
Si quid med erga tu hodie falsum dixeris,
Ut tibi superstes uxor ætatem siet:
Atque illâ vivâ vivus ut pestem oppetas!
DE. Per deum Fidium quæris: jurato mihi
Video necesse esse eloqui, quicquid roges,
Ita me obstinatè aggressus, ut non audeam
Profectò, percunctanti quin promam omnia.
Proinde actutum istud quid sit, quod scire expetis,
Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.
LI. Dic obsecro hercle seriò, quod te rogem.
Cave mihi mendacii quicquam. DE. quin tu ergo rogas?
LI. Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit?
DE. Quid istuc est? aut ubi est istuc terrarum loci?
LI. Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.
DE. Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere.
Ubi flent nequam homines, qui polentam pransitant.
LI. Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Ubi vivos homines mortui incursant boves.
DE Modò pol percepi, Libane, quid istuc sit loci:
Ubi fit polenta, te fortasse dicere. LI. ah!
Neque herclè ego istuc dico, nec dictum volo.

Teque obsecro herclè, ut quæ locutus, despuas.
DE. Fiat! geratur mos tibi. LI. age age usque exscrea.
DE. Etiamne? LI. quæso herclè usque ex penitis faucibus.
Etiam amplius. DE. nam quousque? LI. usque ad mortem volo.
DE. Cavesis malam rem. LI. uxoris dicó, non tuam.
DE. Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.
LI. Dî tibi dent quæcunque optes. DE. redde operam mihi:
Cur hoc ego ex te quæram? aut cur miniter tibi,
Propterea quòd me non scientem feceris?
Aut cur postremò filio succenseam,
Patres ut faciunt cæteri? LI. quid istuc novi est?
DE. Equidem scio jam filius quòd amet meus
Istanc meretricem è proximo Philenium.
Estne hoc ut dico, Libane? LI. rectam instas viam.
Ea res est. sed eum morbus invasit gravis.
DE. Quid morbi est? LI. quia non suppetunt dictis data.
DE. Tune es adjutor nunc amanti filio?
LI. Sum verò, & alter noster est Leonida.
DE. Benè herclè facitis; & à me initis gratiam.
Verùm meam uxorem Libane nescis qualis siet.
LI. Tu primus sentis, nos tamen prænoscimus.
DE. Fateor eam esse importunam atque incommodam.
LI. Posterius istuc dicis, quàm credo tibi.
DE. Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mihi auscultabunt, facient obsequelam jam:
Quippe qui mage amico utantur gnato & benevolo:
Atque ego me id facere studeo. volo amari à meis,
Volo me patris mei similem: qui caussâ meâ
Nauclero ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam abduxit ab lenone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis sycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum suum sibi.
Eos me decretum est persequi mores patris.
Nam me hodie oravit argyrippus filius,
Uti sibi amanti facerem argenti copiam:
Et id ego percupio obsequi gnato meo.
Volo amori obsecutum illius, volo amet me patrem.
Quamquam illum mater arctè contenteq́; habet,
Patres ut consueverunt: ego mitto omnia hæc.
Præsertim quum is me dignum, quoi concrederet,
Habuit, me habere honorem ejus ingenio decet:
Quum me adiit, ut pudentem gnatum æquum est, patrem;
Cupio esse amicæ quod det argentum suæ. *LI. De-*

LI. Demiror quid sit, & quò evadat, sum in metu.
DE. Equidem scio jam filius quòd amet meus.
LI. Cupis id, quod cupere te nequiquam intellego.
Dotalem servum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu sit quàm tibi.
DE. ARGENTVM accepi, dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti jam usu' st filio argenti minis.
Face id ut paratum jam sit. LI. unde gentium?
DE. Me defraudato. LI. maximas nugas agis.
Nudo detrahere vestimenta me jubes.
Defrudem te ego? age sis tu sine pennis vola.
Téne ego defrudem, cui ipsi nihil est in manu?
Nisi quid tu porrò uxorem defraudaveris.
DE. Quà me, quà uxorem, quà tu servum Sauream
Potes, circumduce, aufer. promitto tibi
Non offuturum, si id hodie effeceris.
LI. Jubeas unâ operâ me piscari in aere,
Venari autem rete jaculo in medio mari.
DE. Tibi optionem sumito Leonidam,
Fabricare quidvis, quidvis comminiscere.
Perficito argentum hodie ut habeat filius,
Amicæ quod det. LI. quid agis tu Demænete?
Quid si fortè in insidias devenero?
Tu redimes me, si me hostes interceperint?
DE. Redimam. LI. tum tu igitur aliud cura quid lubet.
DE. Ego eo ad forum, nisi quid vis? LI. i, etiámne ambulas?
DE. Atque audin' etiam? LI. ecce. DE. si quid te volam, ubi eris?
LI. Vbicunque libitum erit animo meo.
Profectò nemo est, quem jam dehinc metuam mihi,
Ne quid nocere possit: cùm mihi tuâ
Oratione omnem animum ostendisti tuum.
Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro.
Pergam quò occœpi, atque ibi consilia exordiar.
DE. Audin' tu? apud Archibulum ego ero argentarium.
LI. Nempe in foro? DE. ibi. si quid opus fuerit. LI. meminero.
DE. Non esse servus pejor hoc quisquam potest.
Nec magis versutus, nec quo ab caveas ægrius.
Eidem homini, si quid rectè curatum velis,
Mandes. moriri sese miserè mavolet,
Quàm non perfectum reddat quod promiserit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio

Scio esse, quàm me hunc scipionem contui.
Sed quid ego cesso ire ad forum, quod inceperam?
Atque ibi manebo apud argentarium.

SICUT TUUM V.] His verbis inquit Turn. lib.18.25. herum ita obstrinxit servus, ut si per *Dium fidium*, quod sacramentum sanctissimum erat, rogasset, non magis obstringere herum potuerit. Itaque respondet herus: *Per Dium fidium quaeris: jurato mihi V. &c.* Atque ut formulae res caras (ut hic *filium*) inserebant: ita odiosas & invisas adjiciebant: quod veterator servus facit: *Haec ille.* Gruterus, Non temere est, inquit, quòd herum sic aggreditur: *Sicut tuum* &c. Nihil enim magis parentibus in voto, quàm relinquere suos sibi heredes, hoc est, liberos superstites. Unde Cicero 2. de Nat. Deor. *Qui totos dies precabantur & immolabant, ut sui liberi sibi superstites essent; superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit.* Et maximum illud votum. Mart. lib.7: 95. *Sic ad Lethaeas, nisi Nestore serior, undas Non eat, optabis quem SUPERESSE tibi* (vid. Gell. lib.1. cap.12:). Item querela parentis apud Quintil. Declam. corporis projecti: *Ille est filius noster, cujus spes ipsas amavimus: quem apud omnia templa & sitrdos Deos superstitem precati sumus: à quo sepeliri optavimus.* Et optio apud Senec. lib.9. Contr. 4 *Ita oculos meos filii manus operiant, ut ego inter liberos meos fortiter steti, &c.* Plutarch. in Cat. Maj. mihi p.340. Cato de quodā inimico suo, qui turpiter vivebat Ἡ τούτου μήτηρ inquit, κατάραν οὐκ εὐχὴν ἡγεῖται τὸ τοῦτον ὑπὲρ γῆς λιπεῖν. i. *Hujus mater pro exsecratione, non voto, putat ipsum superstitem relinquere.* Immò, invenitur nefas fuisse ipsis liberis optare parentes sibi superstites. Seneca de Consolat. ad Marciam: *Non est ignotum, qualem te in persona patris tui gesseris: quē non minus quàm liberos dilexisti: excepto eo, quod non optabas superstitē. nec scio an & optaveris. permittit n. sibi quaedam & contrā bonū morem, magna pietas.* Quintil. declam.1. *Inter infelices alius est ordo votorū. Caecus filius optat superstitem patrē.* Sed quae ad hunc mortalitatis ordinem pertinent, plurima & pulcherrima collegit. J. Grut. *in Suspicion.* l.4.c.1.

4. QUAM TU METUIS] Pareus ad isthaec notavit in Electis suis: Mariti magnam curam gerunt uxorum: adeo ut plurimum eas metuant, si quid minus dextrè agant, quae balbuties! quae confusio rerum! curam gerere uxorum, tale quid est, ut ei affine esse nequeat alterum; *eas ut etiam metuant.* Deinde quem respicit illud? si *quid minus dextrè agant.* maritum ne an uxorem. Legimus certè de Sulla apud Sallustium: *de uxore ejus honestius potuit consuli.* incutiuntq; profectò peccata uxorum ruborem maritis.

5. MED ERGA] ἀντιστροφή. *erga me*, i. adversum me: apud me: *L.* Vid. N. Epid.3:3.

ÆTATEM] V. N. act.2:2.

7. PESTEM] id est, pessum, funditus. *pestis* enim vel à παίειν, vel à pessum, quod à Graeco βυσσόν. Meurs. docet, *Pestem*, etiam pro morte poni: sicut *febrim* pro quocunque morbo. inde *pestifera auspicia* quae mortem portenderent. V. N. Capt. act.4:3.

8. PER DEUM FID. QUAERIS.] Ita Gruterus è MSS. *Per deum Fidium quaeris; jurato &c.* Obtestaris me, inquit, per deum Fidium: cujus numen cùm verear fallere, necesse est omnia tibi dicam tanquam juratus. Sic quoque video placuisse Turn. 8:25. Gulielmius malo auspicio hîc aliquid tentavit, lib. 2:20. Verisim. *Dius* autem *Fidius* est Jovis filius, i. Hercules. Διὸς υἱὸς ἡρακλῆς. Vide Fest. & Not. Cap. act.4:2.

16. LAPIS LAPID.] Turn. ad versûs Lucr. lib.1. *Conveniebat n. fruges &c.* notat, duas rationes molendi indicari à Poetâ: unam, cùm suspensâ molâ fruges frangimus, ut in fabâ fresâ, & in polentâ crassiusculâ: alterum, cum molae non suspenduntur, sed lapis lapidem terit, id est, mola molam; cùm tenuior farina & minutior elicitur. Atq; hinc Comicâ quâdam lasciviâ & lusu servum circumloqui *pistrinū* ex genere moliturae, &c. Sic apud Ennium: *Quo nunc me ducis? N, ubi molarum strepitum audibis maximum.* Hoc notat *J. Gul.* è Nonio.

18. PRANSITANT] i. prandere cupiunt. Ita leg. MSS. Pallat. item Turn. lib. 4:13. & Lamb. & Bosius: quòd in omnibus melioribus libris sit. Erat autem, ut ex Polluce iidem observarunt, machina quaedam, παυσικάπη Graecis dicta, quae collo molentium servorum inserebatur, ne inter molendum polentam

tam comesse, nevé manûs ori admovere possent. Ovid. 5. Met. Fab. 16. *Dulce dedit, tostâ* (alii *testâ*) *quod coxerat antè Polentâ*, i. Anus dedit Cereri *dulce*, (i. dulcem potum) quod anteà coxerat *polentâ*, i. hordeo vel hordeaceâ farinâ: (V. N. Curc. 2: 3.) ut hunc versum rectè interpretatur Raph. Regius, & Despauter. Etiam MS. Cam. in priori v. *pransitant*: sed superscriptum al. legi *pinsitant*. in posteriori. idem MS. *pinsitant*. quod placuit Camerario, neque displicere potest Grutero, præsertim cùm alterum nullâ ratione se tueatur quam multitudine exemplar.

19. QVID ISTHUC] *Quid isthuc*, ∪ ∪ - anapæstus. *J. C. Scalig.* Porro totus hic versus, & alter sequens, nusquam comparet hîc in postrema Parei editione; posuit scilicet post versum 33. gloriaturque adeò jure quasi quodam postliminio suis restitutos sedilibus; dictantibus, volentibus, lubentibus omnibus chirographis, & editione prima nondum satis est! accusat-ur nimiæ audaciæ homines, inq; Antiquitatem injurios qui transposuerunt. Et cur, inquit, hîc locum idoneum non habeant, sensu optimo, ego pervidere nondum potui. Itáne? id ergo fit, quia cæcæ mentis es. Sanè viderunt non suo positos loco Sarracenus, Mulingus, Manutius, Stephanus, Longolius alii. Imò Camerarius post examen MS. sui, adhæsit tamen Editoribus primoribus, eique acquievere Lambinus, Dousa, Gruterus, Taubmannus. túne post ipsos hiscere audes? At libri antiqui tecum stant. At cum aliis ratio. neq; quidquam frequentius, quàm hic Scribarum error. Sic Amphitr. 5: 1. versus 63. in scriptis omnibus edd. q; antiquioribus postponitur 64. verùm ut, sive Brix. sive Aldina, ordinem invertit, omnes hodie eum retinemus. quare? quia lux veri, nulli non apparet, nisi Bubonibus!

21. FVSTITVD.] J. Grut. ita ait legi in V. C. *fustitudinas ferricrepinas ins.* Hinc Seneca lib. 3. Controv. servos ita compeditos *sonantia laxi ruris ergastula* nuncupat. Talia autem finxit Plautus, ridiculi causâ etiam in Persa, act. 4: 6. & alibi. Notat *Des. Heraldus* ad Arnob. lib. 1. hoc βωμολόχευμα à Græco quodam Comico sumptum, quod exagitet Aristophan. in *Pace*.

22. MORTVI BOV.] i. lora ex pellibus bubulis facta i. ubi servi loris cæduntur. *Vivos bom. & mortui boves*, antithesis: L.

A INCVRSANT] verbum perquàm conveniens. ἐπιζυγάζειν Græcis.

24. VBI FIT POLENTA] Sic omnes hactenus edd. si excipiamus Pareanam, quæ ex MSS. nobis depromsit, *fit*. ineptè tamen. tale quid etiam reduxisset Camerarius, Gruterus, alii, nisi animadvertissent minus hîc convenire.

26. DESPVAS] Despuebant veteres, quæ abominabantur, ne evenirent: L.

27. PENITIS] imis. Prisc. lib. 3. Sic Catull. in Nupt. Juliæ, *flammam penitam* dixit. Persa: *Arabiam penitissimam*. Vocabant *penitum* veteres, quod intimum esset: unde & *Penum* & *Penates* dixerunt: *Muretus*. Pareus hîc iterum insanit cum MS. istumq; versum ponit post quadragesimum, infra. accusat is quidem tyrannidis Criticos id facere ausos pugnante sacrosanctâ auctoritate omnium Membranarum Pall. at iidem si viverent, etiam in ipsum usurparent tyrannidem; ac pro furioso raperent, in medicinam.

29. ETIAM AMPLIVS] Ex Ald. & Lugd. edd. Meursius distinguit: *DE. Etiam? LIB. amplius. DE. namq.* alterum est in MSS. & Edd. primis.

B 31. EXPERS SIS METV] *Expers*, cum sexto casu, more veterum. Sic alibi: *Ea res me expertem domo facit*. Catullus: *omnibus expers*: Muretus.

32. DII TIBI] Horat. Sat. 2. —— *tibi dii, quæcunq; preceris, Commoda dent*. V. N. Epid. act. 1: 1.

REDDE OP.] sc. auscultando: L.

36. QVID ISTVC NOVI EST] Vix mihi dubium fit, quin post hæc ponendus sit versus 69. *Demiror quid &c.* nihil tamen juvant MSS. adversus ordine 70. delendus: *Grut.*

37. SCIO, IAM FILIVS] ita MSS. omn. Pallat. Nec causam scio, cur mâlit Lamb. *scio jam filium quòd amet meum*. Grut.

39. RECTAM INSTAS VIAM] Du bist auffm rechten Weg. Pareus edidit: *rectam ut instas viam*: nescio quo tibicine suffultus. sic nullus MS. nullus, quod viderim, editus. patientiam experitur puto lectorum. Ita Cas. *In rectam redis semitam*. Amph. act. 1: 1. *ingressus est viam*. Propert. 3. el. 4: *Recta animi primum debuit esse via*. contra error mentis. Horat: *Et demptus per vim mentis gratissimus error*. inde *animus rectus*. Albinovan. *Quid tenuisse animum contra sua sæcula rectum?* Passerat.

Non svp.] non habet, unde promissum solvat: L

44. Initis gr.] mihi gratum facitis. V.N. Curc. act. 3: 1. *Inibis à me solidam & grandem gratiam*, i. gratiss. mihi facies: L.

45. Qvalis siet.] Non male Camerariana, *qualis sit*. neque enim opus altero ad versum. revocavimus tamen quod extaret in MSS. & Edd. prioribus. neque aliter supra Amph. 3: 3. v. 24. infraque Asin. 2: 2. v. 20.

46. Tv primvs S.] Tu omnium primus experiris importunitatem uxoris tuæ, sed nos ante omnes scimus: *Lambinus*. Conantur omnes, *inquit Palmerius*; etiam Camerarius: sed conantur tantùm. Langii v. c. *Nos tamen in pretio sumus*, Scribo: *Nos tamen in primo sumus*. Tu quidem, *inquit*, sentis primus, nos tamen in illo ipso primo sumus. Ridiculè ait, Demænetum ipsum sentire primum uxoris importunitatem & duritiem, se tamen in illo ipso primo esse. nam non abesse, quoties ea fervere incipiat, quin ipsi loris cædantur, cùm maritus verba sola audiat. Hæc sententia est: quæ vel ita conficitur, ut intelligamus, servorum fortunam cum heri ipsius conjunctam esse: vel hoc dicere Libanum, Nihil esse, quod queritur senex, se reverà sentire, quid mulieris ille uxorem habeat. Atque hanc veram lect. opinor. Hæc ille. *Camer.* putabat, rectius edi posse; *Nos tamen inde noscimus*. Pius notat in probis exempll. legi, *ponoscimus*: quod ei placet, pro, *post noscimus*, ut dicitur *Pomeridianum* & *Pomærium*. quot annotat Grut. At verò *S. Ulr. Pistoris* retinet, *Prænoscimus*: hoc sensu: Tu potissimum & inprimis sentis ac reipsâ experiris malitiam uxoris tuæ: nos autem nudâ quidem cognitione, sed tamen longè antè animadvertimus, quid tibi ab eâ immineat. Atque ita conveniet quod mox subjicit: *Posterius isthæc dicis, quàm credo tibi*. h. e. quemadmodum ea quæ tu experiris, nos longe antè prævidemus: ita quæ dicis, longè antè credidi, & ita se habere scivi. ut in eàdem loquendi formà perseveret Libanus. Edd. vett. *pranoscimus*, quod & in Pall. quinque. nam sextus *pronoscimus*. MS. Camer. Langianum ostentat, quod Pareus revocavit, ne non esset scilicet suæ Antiquitati reverentia. *Pranoscimus*, & maledictis & verberibus ma-

A le mulctati. V.N. Epid. 1. 2. v. 44. facitque huc Iuvenalis Sat. 6. v. 468.

Posterivs] Priùs istud, quod dicis, credo tibi, quàm dixeris: L.

50. Fac. obseq.] obsequenter, indulgebunt. *jam*, διουκαλὸν: L. Gruterus cùm non invenerit in MSS. illud *jam*, sed verò *obsequellam*: suspicatur sólummodò restitui posse, *facient obsequetiam*, pro, *obsequentiam*. Acidalius malit, *obsequelam eam*. vel: *fac obsequelam. L I. itan? D E. Quip.* Pareus, qui numeros tantum curat quantum Sus amararum redhibuit *obsequellam*. Jos. Scaliger ad oram libri sui notavit etiam *obsequentiam*.

52. Me id F. St.] antiquè. V.N. Aul. act. 5.

54. Navclerio] MSS. omnes, *Nauclerio*. V.N. Mil. act: 4. 4.

57. Me emere] devincire. Virg. 9. Æn. *& istum, Qui vità benè credat emi, quo tendit honorem?* L.

59. Argyrippvs] MSS. omnes *Argirippus*. quod cùm sensum opt. habeat, Gruterus eis non acquiescit, qui ex MSS. Langii reponunt *Agyrippus*. Etiam Acidalius acerrimè
B pertendit, nec rem nec modulum syllabæ primæ, quæ longa esse prorsus ubique debet, ferre illud Gulielmii *Agyripp.* ἀπὸ τοῦ ἀγυρεῖν τὸν ἵππον.

61. Et id] ἐν τούτῳ, in eo: L.

62. Obsecvtvm] sc. esse: παθητικῶς, pro, obsecundatum: L.

63. Arcte cont.] i. *parcè* & *continenter*, Nonius: *angustè*, γλισχρῶς tractat, Lambinus. *Habere*, colere & gerere, hîc est: ut Men. act. 1: 2. *Nimium ego te habui delicatum*: Palmer.

64. Patres vt C.] Seneca: *Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari jubent liberos ad studia obeunda maturè: feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis & interdum lacrimas excutiunt. At matres fovere in sinu, continere in umbrà volunt.*

66. Hab. hon.] morem ipsi gerere. L.

69. Evadat.] i. exeat, tendat: *Non*.

70. Eqvidem scio] Hunc versum dispungendum censet *Gruterus*: cùm suprà, v. 37. locum suum habeat, hîcque tantùm turbet. Quem videas in *Schedi: Pallus*. ubi de toto hoc loco multùm disputat; ut & Acidalius.

lius. Schop. tamen lib. 5. Epist. 15. omnes retinet, & ita ordinat: *Cum me adiit, ut pudentem gnatum æquum est, patrem. LIB. Demiror quid sit, & quò evadat; sum in metu. DE. Equidem scio jam filius quòd amet meus. Cupio esse amicæ quod det argentũ suæ. LIB. Cupis id &c.* Pareus prim. editione ostentat suspicionem Grut. at in secunda, transformationum ista somnia, contra decretorium consensum membranarum, flocci non facit. A

71. DOTALEM] *Dotalis servus*, idem prorsus qui Agellio lib. 17: 6. *Receptitius*: quem vide. Qui quidem servus in mariti potestate non erat, ut reliqui; sed matronæ peculiaris: quippe *exceptus* cum reliquâ pecunia, nec datus doti: quam pecuniam illa pro libitu tractabat, vel invito marito. Ita enim malo cum Douzâ & Tito Popmâ, quàm cum Spiegelio & Jac. Curtio εἰκαστῶν lib. 1: 39. sentire. Ex quo genere videtur etiam *Chalinus* fuisse in Casinâ. Claudian. 1. in Eutropium: *Jaff antemq; suos tot jam per lustra labores, Dotalem genero, nutritoremq; puellæ tradidit.* Apul. 2. Metam. *emancipato quodam dotali servulo. &c.* Quern. Egregio 2. cap. 2.

73. ADDVXIT] positum ait Douza pro *obduxit*. V. N. Prol. Mercat.

74. ARGENTVM] Vide Ant. Nebrissens. & Not. Aul. act. 3: 5.

76. VIGINTI] Miratur *Ant. Muretus*, qui senex scire potuerit filio opus esse viginti minis: cum multò pòst (*Scena 3.*) lena super illis cum adolescente paciscatur. Vide Variar. Lect. lib. 10: 5.

80. TV SINE P.] χῦμα Proverb. Pœnolo, 4: 2.

81. DEFRVDEM] Nonius: *Defrudare, est fructum minuere*, vel, *per fraudem aliquid eximere.* Paulus JC. lib. 4. Quæst. *Ne commodo dotis defrudetur.* Popma De usu Antiquæ Locutionis.

83. QVA ME, QVA] Sic omn. MSS. At ineptè Lamb. interpretatur, *quacunque viâ.* cum potius *quâ* significet *partim*: uti in Mil. *quà mares quà feminas.* V. C. leg. *quà me arte, quà &c.* de quo alii viderint: *Gruterus.* Ego τὸ *arte* glossema puto.

85. NON OFF.] Vulgati præponunt *tibi*: quod tamen abest à vett. Ed. ut & MS. Camerarii; qui illud è versu priori repetiit: *Grut.*

86. PISCARI] *Piscari in aëre*: &, *venari in mari*, habent formam Proverb. de quibus Erasmus.

87. VENARI AVTEM] Heinsius leg. *Venari avem r*, quod statim editioni pr. intulit Pareus.

87. RETE IACVLO] *rete*, pro *reti*. Est autem *rete jaculum*, retis genus dictum à jaciendo, quod & *funda* appellatur, à *fundendo*, vel à *fundo*: βόλος Græcis; ut docet Serv. 1. Georg. *Atque alius latum fundâ cùm verberat amnem.* Et dicitur *rete jaculum*, ad differentiam *verriculi*, quod non jacitur, sed verritur, i. trahitur. Utitur & Trucul. act. 1: 1. Idem Plaut. apud Isid. *jaculatorem* pro piscatore dixit. Ex Turneb. lib. 18: 26. & Lambino. Jos. Scalig. in Catalectis, *Rete jaculum* dici ait, ut *metra verba*, Virgilio: *Pallium peristroma*, Ulpiano: *arvus ager*; *laniena taberna*, Varroni apud Nonium: *ancile scutum*; *lapidem silicem*, *tibicini modi*, *pœna mulcta*, apud Cic. *fidicinæ fides*, *ventus turbo*, apud Plaut. & *manubia machara* Trucul. act. 5: 1. Ita legitur, *marmora monumenta*. Sic (inquit *Is. Casaubonus*) dixit, *Arcadium magistrum*, Virgilius; & *laticem Lyæum*: pro Arcadico & Lyæio. B Hor. *Stertinium acumen*, & *Sulpitia horrea*: Persius *juvenes curas*, & *heroas sensus*: quod affine est illi propè παρακεκινδυνευμένῳ dicto veteris Scriptoris apud Eustath. ἀνθρώπων ἦθος. Sic *machara Hispania*, apud Senec. de benef. lib. 5. cap. 24. quod notat *J. Grut.* Superaddam quæ à Meursio ad Lycophr. notata: *Adrium mare*, Hor. *sexum marem* pro masculino, Arnob. lib. 4. Tertull. de pallio lib. 3. idem, *Audaciam Græciam*. *Horatia pila*; Propert. *Lucinas horas*, Prud. *Libyam palæstram*, Martialis: *Oceanas aquas*, Venantius in Phœnice: *Græciam juventutem*, Vellejus.

88. OPTIONEM] Festus: *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur Accensus. is adjutor dabatur Centurioni à Tribuno militum, &c.* Veget. lib. 2. c. 7. *Optiones ab optando appellati: quòd antecedentibus ægritudine præpeditus, hi, tanquam adoptati eorum atque vicarii, solent universa curare.* Vide notas God. Stevvechii ad hunc locum. Livius *Adjutorem*, item *Subcenturionem* vocat. Hadr. Junius *Optionem* ex Suetonio interpretatur, *qui excubiarum negotium oblit per oculatos inspectores, ipse excubiis præfectus*. Vide & *J. Langl. JC.* Otio Sem. l. 7. cap. 4.

94. QVID

94. QVID SI FORTE] Versus iste non visitur à prima manu in ullo Palatinorum: agnoscunt tamen Edd. vett. & MS. Cam.

94. ALIVD CVRA] tu de hâc re sis securus, ego videro.

95. I, ETIAMNE AMB.] quin ambulas? Curc. *etiam tu taces?* i. quin tu taces? L. Lectio autem istæc est à Camer. nam priores, *fietne? ambula.* antiquiores, *Fiet ne ambula.* quod etiam in omn. MSS. Pall. eoque revocavit Pareus. Suspicabatur Gruterus fuisse initio, *Ei, ei; ne ambula.* hoc est; *I, i; ne ambula* ut respexerit ad dictum senis *Eo;* jubeatque porro ire, neque ambulare. minus enim est, imò verò & aliud *ambulare*, quàm *ire*: consulatur Popma lib. 1. de verb. differen. Lepor autem in eo, quod senex scipioni inniteretur, ideoque itioni minus aptus. Corn. Fronto: *Ambulare incipiunt infantes, Inambulant homines.*

97. LIBIT. ERIT] Ante Camerarianam legebatur *lib. erit*, quomodo & MSS. omnes. fingebat Acid. *fuberit*: ut Amph. act. 1:2. & 2:1. *fijeret*, metri caussâ. at Gruterus deruebat voculas binas de versu priore, ibidem alioquin superfluas: *Ubi eris? L. I. ubicunq; &c.*

101. QVIN TE] Pareana utraque, disertè contra MSS. atque edd. *Quia.* vellem scire, quare.

103. ARGENTARIVM] *Argentarii*, trapezitæ erant seu *mensarii*, apud quos depositæ erant ab iis pecuniæ, qui eas occupare & exercere volebant. inde enim fœnori sumebantur. Eorum officium, *ut ait JC.* publicam habet caussam: iique rationes conficiunt. nam ad eorum tabernas auctiones fiebant: A & ut cuique res addicta erat, ei argentarii pecuniam expensam referebant: & ferè de mensâ solvebant, qui alicui debebant. Atque hæc in codice Bosii ad hunc locum scripta reperisse, annotat *Lamb.* J. Cujacius Comment. de pactis, officium argentariorum ita describit: Fuit, *inquit*, olim in civitatibus certum corpus sive σύστημα argentariorum, quorum erat publicum officium. Tabernas & mensas cum ære in foro positas habebant. Apud mensas pecuniæ deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur: quod Latinè est *cambire*, Græcè ἀνταμείβεσθαι. per eos plerique pecuniam credebant & fœnori occupabant, emebant, vendebant, auctionem & omnia negotia exercebant: deque his omnibus rationes conficiebant. Ex eorum scripturâ nascebatur obligatio nominum sine B stipulatione. Usuræ eis debentur ex solâ præscriptione, & quidem besses. Eorum munia quæ varia sunt, variis quoque appellationibus designantur. nam & *Mensarii* dicuntur sive *Mensularii*, & *Nummularii*, & *Argentarii*, & *argentariæ mensæ exercitores*, & ἀργυροπρᾶται sive *argenti distractores: Collybistæ, Cermatistæ, Coactores* sive *Collectarii &c.*

104. SI QVID OP.] Hoc de sollemnibus Romanæ antiquitatis Formulis depromptum, teste Cic. ad Attic. *Erat enim, si meministi in consulatûs petitione per te mihi pollicitus, SI QUID OPUS ESSET.* Unde etiam claret, quid Mart. lib. 7. 21. voluerit: *Si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum &c.* Douza.

112. QVOD INCEP. ATQ.] ita MSS. Pall. & ferè omn. edd.

ACTUS I. SCENA II.

ARGYRIPPUS adolescens.

SICCINE hoc fit? foras ædibus me ejici?
Promerenti optumè hoccine precii redditur?
Benè merenti mala es, malè merenti bona es.
At malo cum tuo! nam jam ex hoc loco
Ibo ego ad Tresviros, vestraque ibi nomina
Faxo erunt: capitis te perdam ego & filiam,
Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium.

Nam

Nam mare haud est mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi, hîc elavi bonis.
Ingrata atque irrita esse omnia intellego
Quæ dedi, & quod beneseci: at posthac tibi,
Malè quod potero facere, faciam; meritoque id faciam tuo.
Ego pol te redigam eòdem unde orta es, ad egestatis terminos.
Ego edepol te faciam, ut quæ sis nunc, & quæ fueris, scias.
Quæ priusquam istam adii, atque amans ego animum meum isti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis inopia. † †
Atque ea si erant, magnas habebas omnibus dîs gratias.
Eadem nunc, quum est melius, me, cujus opera est, ignoras, mala.
Reddam ego te ex ferâ, fame mansuetem. me specta modo!
Nam isti quod succenseam ipsi, nihil est: nihil quicquam meret.
Tuo facit jussu, tuo imperio paret; mater tu, eadem hera es.
Te ego ulciscar, te ego ut digna es, perdam, atque ut de me meres.
At scelesta viden' ut ne id quidem me dignum esse existumat;
Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato supplicet.
Atque eccam, illecebra exit. tandem opinor hîc ante ostium
Meo modo loquar quæ volam, quoniam intùs non licitum est mihi.

[H]ujus Scenæ versûs ab initio undecim
[s]unt confusi numeris, & habent κα[τα-]
[λ]ήξεις. Sequentes omnes sunt troch.
[MS].*Cam.* Acidalius tamen omnes ad eos-
[dem n]umeros reduxit.
.. AT MALO CVM T.] ita MS. Cam.
[Lan]g. membr. *At malo tuo.* Veteres enim
[com]inarentur, aut significarent, quod quis
[dixisset] aut faceret, impune non habiturum,
[malo] ejus futurum ajebant, & ferè hâc for-
[mula, M]alo tuo. Ennius: *Malo hercle suo ma-*
[...]ibat, *sine modo.* Amph. 1: 1. *Olet homo*
malo suo. Infrà, 2: 4. *Malo hercle jam*
Neque nego, etiam rectè dici, *cum*
, quod in Rud. est: verum MSS. me
[i]lle confirmo. *J. Gul.*
[...] H. LOCO] i. è vêstigio: L.
[...]RESVIROS] qui etiam sacramenta
[...] judicabantque. Cætera diximus
[...]. & Rud. 3: 6.
[N]OMINA] Solebant enim rei nomen
[mag]istratum ante accusationem datis
[de]ferre. D.
[CA]PITIS] Lamb. *capitis*, ad superiora
[c]ontra Gul. & Douza ad *perdam*.
[...]s. Porrò J. Langlæus JC. l. 8. c. 6.
[...]tr. notat apud Aremoricos suos,

A illecebras fæminarum, quibus juventus permulceri solet, latâ lege cohibitas esse: idque ab antiquitate originem habere, hinc colligit: itemque illis Trucul. act. 4: 2. *Adversum legem accepisti à plurimis pecuniam, &c.*

7. PERLECEBRÆ &c.] J. Gul. è Nonio leg. *Pellecebris, perniciis adolescentum exitium.* Ex his, inquit, multo venustior & augustior sententia exit. nam meretricula ætati nostræ exitium est duabus rebus potissimum, blandimentis sermonum, & exorabulis munerum: illa animum sauciant; hæc fortunas lancinant: illa capiunt captosque retinent;
B hæc exhauriunt, & exhaustos perdunt. *Pellecebræ* igitur delinimẽta sunt meretricia blandidicis dictis & suaviludiis imperitos juvenum animos irretientia: unde ipsæ meretrices *Pellices*. Cistell. *Pellices suas esse ajunt.* nam errant scientes prudentes Grammatici veteres, qui *pellicis* ἔτυμον aliundè anquirunt. *Pellicere* amatorium verbum nihil aliud est quàm in amorem sive (ut Festus ait) *in fraudem sensim perducere:* ab eo *pellices* olim quidem alienos viros quæ ad sese pellicerent; posteà omnia scorta dicta. *Pernicies* damna graviora significat, & quæ exitium secum ferunt.

runt. unde Plautus servum nequam *perniciem herilem* alibi vocat. *Hæc ille.*

8. NAM MARE] Sic Horat.lib.1.Od.33.de quàdam:——*fretis acrior Adriæ.* idem Od. 27: *ah miser, Quanta laboras in Charybdi.* Cic. 3. de Orat. *Syrtis patrimonii & Charybdis bonorum*, ubi dura illi videtur translatio. alludit Propert. 3. el. 23: *Trajecta Syrtes; anchora jacta mari est.* θάλασσα, καὶ πῦρ, καὶ γυνὴ, κακὰ τρία.

9. IN MARI] i. in mercaturâ faciendâ. *L. D.*

ELAVI] *Eluere*, est decoquere, substantiam lancinare; ut Rud. act. 2: 7. Sic *Proluere* quoque. itaque *Proluvium*, pro immoderatâ & effusâ largitate. Tacitus, *Proluere opes, &c.* V.N. Rud. Sic Trin. *Comesum, expotum, exunctum, elotum in balneis.* Sticho, *eluamus hodie peregrina omnia*, i.absumamus,in cinerem vertamus: *Palm. & Lamb.* Parei Electa hoc ex loco talem formarunt clausulam: In balneis luxu lavandi rem profligabant. hoc est, rem acu tangere!

11. AT POSTHAC] Ita Meursii & 4.è meis Codd. probatque ex Pallat. Gruterus. restare tamen alterum ait (*ac*) in V. C. Cam.

16. SORDIDO V. OBL. P.] *Sordidum panem* Lambinus interpretatur panem cibarium, qui servis dabatur. Sed putat Colerus viliorem fuisse: nimirum illum, quem jusculo superfuso canibus præberi solitum scribit vetus Scholiastes Juvenalis ad illud Sat.5.
——*& farris sordes mordere canini.* Ergò & *panis caninus* dici possit. Porro & Terent. Eun. Panem sordidum *sordes* videtur nominare: *Harum videre ingluviem, sordes, inopiam, Quàm inhonestæ* (vel, *mœstæ*) *sint domi, atque avidæ cibi: Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent.* Ubi & *atrum panem* vocat sordidum istum, &c.

16. IN PANNIS] *Lips.* lib.5. Antiq.Lect.13. Iunitá voce, *Inpannis, inopia.* vocat *inpan-* A *nem*, quia caret pannis: *inopiam*, pro, *inopem*. Ita vetus Poeta apud Non. dixit, *depannibus, &c.* Sed putat Acidalius hanc lect. sententiæ plurimùm officere: idque vel illa docere: *Atque ea fierent &c.* censetque defectum hîc esse vel plurium vel certè unius versûs.

18. IGNORAS] ignorare simulas: agnoscere non cupis. Propert.l.2:2. *Juppiter, ignoro pristina furta tua.* ita Cic. pro Rosc. Am. *Quorum ego neq; benevolentiam erga me ignorare, &c. D.* Vide N. Amph.4:4.

19. MANSVETEM] ita Nonius *mansuetem*, à nomine *mansues*, i. χειροήθης, quasi adsuetus ad manum accedere, &, ut ait Maro, *manum patiens.* Atque hæc certiss. ratio domandi feras, ut Plin. narrat: significatq; Cicero pro Cluent. *Etiam bestiæ fame domitæ plærunque ad eum locum, ubi pastæ aliquando sunt, revertuntur.* MSS.tamen aliquot Pall.& Cam.& Lang.l. *mansuetam.* Pareus, loci hu- B jus vim veneremq; parum cepit, dum in Lexico pueris suis præponit: *Fames fera.* puerililter. fera enim merè est substantivum, opponitur *mansueti.*

20. ISTI QVOD] scil.Philenio.

25. ATQ. ECCAM] ita *Grut.* distinguit. Vel ita: *Atq; eccam, illecebra exit tandem opinor. hic ante ostium Meo modo &c.* infrà act.2: 4. v.41. est: *tandem opinor conticuit.* quod ultimum in edd. suas transtulit Pareus, veluti vix quicquam esse posset rectius. ô calculum Minervæ! Acidal. *exit tandem. Opin. h. a. ostium Meo m.*

26. MODO] i. arbitratu. Ter.And. *sine me meo vivere interea modo.*

26. VOLAM] Sic MSS. Pall. sic edd. vett. Auson. Popma agnoscit *volim*, antiquâ scripturâ: ut in Capt. *Me fuisse quàm esse nimio mavolim:* quem vide *De usu antiq. locut.* lib.1: 1.

ACTUS I. SCENA III.

LENA Cleæreta, ARGYRIPPUS adolescens.

VNUM QVODQVE istorum verbûm nummis Philippeis aureis
Non potest auferre hinc à me, si quis emptor venerit.
Nec rectè quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum'st.
Fixus hic apud nos est animus tuus clavo Cupidinis.

Remigio

Remigio veloque quantum poteris, festina & fuge.
Quàm magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.
AR. Ego pol istum portitorem privabo portorio.
Ego te dehinc, ut merita es de me & meâ re, tractare exequar:
Quom tu me ut meritus sum, non tractas, quæ ejicis domo.
LE. Magis istuc percipimus linguâ dici, quàm factis fore.
AR. Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli:
Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.
LE. Solus ductato, si semper solus quæ poscam dabis.
Semper tibi promissum habeto hâc lege, dum superes datis.
AR. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.
Modò quod accepisti, haud multò post aliquid quod poscas, paras.
LE. Quid modi'st? ductando, amando, nunquámne expleri potes?
Modò remisisti, continuò jam ut remittam ad te rogas.
AR. Dedi equidem quod mecum egisti. LE. & tibi ego misi mulierem.
Par pari datum hostimentu'st; opera pro pecuniâ.
AR. Malè agis mecum! LE. quid me accusas, si facio officium meum?
„ *Nam NEQVE fictum usquam, neque pictum, neque scriptum in poematis,*
„ *Vbi lena benè agat cum quiquam amante, quæ frugi esse volt.*
AR. Mihi quidem de parcere æquum est tandem, ut tibi durem diu.
LE. Non tu scis, quæ amanti parcet, eâdem sibi parcet parum.
Quasi piscis, itidem est amator lenæ: nequam est nisi recens.
Is habet succum; is suavitatem; eum quovis pacto condias;
Vel patinarium vel assum: verses quo pacto lubet.
Is dare volt, is se aliquid posci. nam ubi de pleno promitur,
Neque ille scit quid det, quid damni faciat; illi rei studet:
Volt placere sese amicæ, volt mihi, volt pedissequæ,
Volt famulis, volt etiam ancillis: & quoque catulo meo
Subblanditur novus amator, se ut quum videat, gaudeat.
„ *Vera dico. AD SVVM quemq; hominem quæstum esse æquum est callidum.*
AR. Perdidici isthæc esse vera, damno cum magno meo.
LE. Si ecastor nunc habeas quod des, alia verba perhibeas:
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas.
AR. Non meum est. LE. nec meum quidem edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verùm ætatis atque honoris gratiâ hoc fiet tui:
Quia nobis lucro fuisti potius, quàm décori tibi.
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris caussâ gratiis dono dabo.
AR. Quid, si non est? LE. tibi non esse credam. illa aliò ibit tamen.
AR. Vbi illæc quæ dedi antè? LE. abusa. nam si ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te? nunquam quicquam poscerem.
Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo:

Cætera quæque volumus uti, Græcâ mercamur fide.
Quum à pistore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem. eâdem nos disciplinâ utimur.
Semper oculatæ manus sunt nostræ, credunt quod vident.
Vetus est, Nihili cocio est: scis cujus? non dico amplius.
AR. Aliam nunc mihi orationem despoliato prædicas:
Longè aliam inquam, præbes, nunc atque olim quom dabam:
Aliam atque olim quom illiciebas me ad te blandè ac benedicè:
Tum mihi ædes quoque arridebant, cùm ad te veniebam, tuæ.
Me unicè unum ex omnibus te, atque illam amare, ajebas mihi.
Ubi quid dederam, quasi columbæ pulli in ore ambæ meo
Usque eratis: meo de studio studia erant vestra omnia.
Usque adhærebatis: quod ego jusseram, quod volueram
Faciebatis: quod nolebam ac vetueram, de industriâ
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni, pessumæ.
LE. Non tu scis? hic noster quæstus aucupii simillimu'st.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum:
,, *Aves assuescunt. NECESSE est facere sumptum, qui quærit lucrum.*
,, *Sæpe edunt: semel si captæ sunt, rem solvunt aucupi:*
,, *Itidem hîc apud nos. ædis nobis area est; auceps sum ego;*
,, *Esca est meretrix; lectus illix est; amatores aves:*
Benè salutando consuescunt, compellando blanditer,
Osculando, oratione vinnulâ venustulâ.
Si papillam pertractavit; haud est ab re aucupis.
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.
Haccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tamdiu?
AR. Tua ista culpa est, quæ discipulum semidoctum abs te amoves.
LE. Remeato audacter, mercedem si eris nactus: nunc abi.
AR. Mane, mane, audi! dic quid me æquum censes pro illâ tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio sit. LE. téne? viginti minas.
Atque eâ lege, si alius ad me priùs attulerit, tu vale.
AR. At ego: est etiam, priusquam abis, quod volo loqui. LE. dic quod lubet.
AR. Non omnino jam perii: est reliquum quo peream magis.
Habeo, unde istuc tibi quod poscis dem: sed in leges meas
Dabo, ut scire possis perpetuum annum hunc mihi uti serviat,
Nec quenquam interea alium admittat prorsus, quàm me, ad se virum.
LE. Quin si tu voles, domi servi qui sunt castrabo viros.
Postremò ut voles nos esse, syngrapham facito afferas:
Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modò tecum unà argentum afferto; facilè patiar cætera.
,, *PORTITORUM simillimæ sunt januæ lenoniæ:*

„ *Si affers, tum patent: si non est quod des, ædes non patent.*
AR. Interii, si non invenio ego illas viginti minas.
Et profectò, nisi illud perdo argentum, pereundum est mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copiâ:
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro:
Dignos, indignos adire, atque experiri certum est mihi.
Nam si mutuas non potero, certum est sumam fœnore.

VERSUS sunt tetrametri troch. catalectici: quales & Scen. 2. seqq. Bella autem mehercule est lenæ & adolescentis velitatio: & nisi de meo animo erro, haud paulo efficacior ad continendam adolescentiam nostram, quàm multæ & longæ Philosophorum scholæ. *J. Gulielmius.*

1. PHILIPPEIS] Sciendum, nummos *Philippeos* fuisse quondam aureos, insignes imagine *Philippi*, regis Macedonum. Sed iidem sunt apud Plaut. *Philippi*, ut & apud Horat. ... seu ... *Cam.*

3. NEC RECT.] i. malè dicit. V. N. Most. 1: 3.

3. AURUM MERUM EST] unde meretrices luteâ veste introductæ; quia color auro, cujus illæ cupientes maximè sunt, similis. vide J. C. Scalig. Poet. lib. 1. c. 13.

4. CLAVO CUPID.] planè adamantino. Horat. 1. Od. 33. *Sic visum Veneri, cui placet impares, Formas, atque animos sub juga ahenea, Sævo mittere cum joco.* Pareì Electa eliciunt ex isto versu; Amor facit, ut sæpe disparis formæ, ætatis, &c. copulentur. quis alius hoc ullis inde fidiculis extorsisset?

5. REMIGIO] Notatur summa & celeritas & conatus. Cic. Epist. 12. Fam. *Ventis remisque in patriam omni festinatione properavi.* Horat. 1. Epist. 11. *navibus atque Quadrigis petimus bene vivere.* Cic. *Tetra res est, omni contentione velis (ut ita dicam) remisque fugienda.* Idem: *Cum Epicureis pro hac sententiâ velis equisq. decertandum est.* Infrà act. 2. 2.

5. QUANTUM POTERIS] Notat Mercerus Nonii mss. disertè exprimere, *potest.* an fuit? *potis es.*

6. QUAM M.] Propriè. Sic enim vadati vinctique amore attinemur, ut Veneres nostras in oculis semper habere capiamur. Jam, *Quàm magis*, & *Tam magis*, usitatum bonis scriptoribus Lucr. 1. *Et quàm quæque magis cohibet res intùs inane, Tam magis &c.* V. N. Menæchm. act. 1: 1.

6. IN ALTUM] i. mare.

CAPESSIS] i. immittis. *Non.*

ÆSTUS] Propriè est maris incerta commotio crescentis & decrescentis. unde *æstuaria*, Serv. XI. Æn. *æstu revoluta resorbens &c.*

6. IN PORTUM] ita MS. Cam. & vet. edit. V. N. Capt. act. 3: 5.

7. PORTORIO] quæstum significat meretricium. *Portorium*, φόρετρον, ναῦλον, *vectura*, sive pretium vecturæ. Ciceroni *Portitor*, publicanus est: & *Portorium*, vectigal quod ipse exigit.

8. EXEQUAR] i. pergam *L. D.*

11. SOL. EGO] te & sociatam & divitem feci.

12. DUCTEM] propriè V. N. Most. act. 3: 2.

14. SUPERES] sc. alios: vel, *superes*, i. abundes datis, ut vult *Bosius*. Virgil. 1. G. *Si superant fœtus.* sed simplicius est prius, sic Ausonius: *Vince datis ambas.* Videatur Plaut. Merc. 1. 3. ver. 95. & seqq.

16. MODO QUOD AC.] Vulgati; *quidem.* sed attendas, *inquit J. Gul.* animum, & senties suboffendere istud, *quidem.* In membranis est: *Modò quod accepisti:* non malè. Certè enim, *quod*, accessio sermonis interdum est, præter vehementiam sermoni nihil afferens. Amph. *Malum quod tibi dii dabunt, atque ego hodie dabo.* act. 2: 1. Mostell. *Malum quod isti dii deæque omnes duint*, quem versum Terentius Phorm. totum exscripsit, non imitatus est, act. 5: 6. Dixit ergo Plautus fortasse, *modò quod*, eâdem formâ, quâ Cic. *tantum quod.* de quo multi monuerunt. Et verò, *modo quod*, invenisse in sex MSS. testatur item Gruterus.

17. QUID MODI'ST D.] ita MS. Cam. Sed J. Gul. *Quid modi'st ductandi?* ut responde-

ant hæc illis, *Qui modus dandi?* Nam amator dum ductandi scortum modum non facit, ne dandi quidem facere potest. Infrà, *Quid modi, pater, amplexandi facies?*

20. PAR PARI D.] Neuter habet quod alteri exprobret. Tu filiam meam amabas, missa est: ego pecuniam; tu dedisti.

20. HOSTIMENTVM] Festus: *Hostimentum est beneficii pensatio.* Ennius. *Audi, atque auditus hostimentum adjungito.* Idem Festus: *Redhostire, est gratiam referre: nam & hostire pro æquare posuerunt.* Nonius: *Hostimentum est æquamentum, unde hostes dicti, qui ex æquâ causâ pugnam ineunt.* Bosius notat, *hostimentum* à Græcis *ἀντιπόνκωον* dici: *ἀντιπονκέω*, quasi ad æquilibrium rependo. Ita Ulpian. JC. *Pretium operæ artis est velamentum: & contrà, operæ pretii.* quod notat *Scipio Gentil.* Hoc etam addo, quod in Schedis MSS. Servii Fuldens. Æn. 2. legi. *Hostia*, victima est: & dicta, quod dii per illam *ostientur*, i. æqui & propitii reddantur: inde *hostimentum*, æquatio.

OPERA] *Opera*, gen. fæminino, num. sing. (autore Nonio) est, opus vel labor pro sumptâ mercede; ut hoc loco: vel occasio & facultas, ut Aul. 2:2. *Da mihi operam parum, si opera est Euclio.* *Opus*, est id, quod operâ perficitur. Terent. Heaut. *Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ*: Servius *Operæ* interpretatur actionẽ; *Operas* homines mercede conductos. Sed hæc confunduntur. Censet tamen Aus. Popma lib. 3. De diff. verb. *Operam* & *Operas* rectius dici de actione; de personis *Operas* tantùm.

22. FICTVM] effigiatum, formatum, factum. *Nonius* sic citat, totidemq; apicibus editiones omnium primæ, agnoscuntque Pall. à manu recensoris tres, hæretque à prima in sexto. At quia, non invenit id Pareus in MS. Cam. pro spurio habet cum voce adsita, neque, quæ stultitia, ad unius testimonium alligare membranas totius Europæ?

23. QVÆ FRVG.] quæ suis rationibus consulit: *L.*

25. QVÆ AMANT.] quæ amantem timidè posceret, eâ sibi erit damnosa: *L.*

26. QVASI PISCIS, IT.] Piscis convivæ est inutilis; amator lenoni; nisi recens est. Proverb. citat *Scal.* in Conject: *οὐδεὶς σαπρὸς μέγας ἰχθύς, Omnis piscis, quantumvis magnus, nullus est, si putidus.* Vide Not. *Conr. Rittershusii* JC. ad Oppiani Halieut. Contrà *J. Brodæus* Miscel. lib. 7. cap. 6. docet, reperiri in Galliâ, qui pisces longâ vecturâ tenerescere existiment: adeò, ut ganeones maritimi equis impositos, celerrimo cursu agitari imperent: quasi motu isto sapidior succus elaboretur. Sed cum Plauto facit Sen. Q. Nat: 3. *Quò pervenère delitiæ? is pro putrido jam piscis affertur, qui non hodie eductus, hodie occisus est.*

28. PATINARIVM] *piscis pat.* est, qui non assatur, nec elixatur, sed in patinâ cum jure apponitur: *Turn.* 6. 24. & l. 2. c. 15.

28. VERSES] amatorem, ut piscem, dum assatur. V. N. Persâ, 5. 2. & Curc. 4. 1. v. 23. Cic. in Lælio ex Cæcil. *Hodie me ante omnes Comicos stultos senes Versaris.* Etiam Tvrneb. lib. 11. cap. 7. & lib. 26. cap. 29. docet, *Versare*, esse assare; tractumque à piscibus. Acidal. hæc ita distinguit, *eum quovis pacto condias vel patinarium, vel assum verses quo p. lubet.* Neque enim patinarios versari vel assos condiri, quod discrimen tamen vulgatâ lectione confundi ait.

DE PLENO] cùm amator nondum exhaustus est: *L.*

32. VOLT ETIAM ANC. ET QVOQVE CAT. MEO.] ita pertinaciter MSS. omn. & edd. teste Grutero. veniebatque huic in mentem; *etiam ancillis; & coquo & catulo meo subbl.* quod Pareus, in notis veluti Novitii critici suis, figmentum, parum profectò ex fide citat. Gulielmius volebat; *& quoque etiam Cat. m.*

34. AD SVVM Q.] Eadem sent. Trucul. act. 2: 4. & act. 5. Atque eòdem pertinet, quod hic sequitur, *Nihili cocio est, si cæcus est*, i. si non videt, quod è re suâ est: *L.*

36. PERHIB.] Douza notat alios legere *præhibeas* seu *præbeas*, nec aliter citat Passerat. ad 3. el. 13. Propert. Pall. omn. *prohibeas*. nos MSS. C. & Langii sequuti sumus, ut v. seq. *maled. te eam.* J. Gul. legit, *ductare meam p.* Ter. Phor. 3: 2. *ut phaleratis dictis ducas me, & meam ducties gratiis.* quod Pareus in editionis pr. suæ gurgitem rapuit, ejecitque secunda.

40. QVAM DECORI] utraque Parei editio fœdissimè nobis hic propinat *dedecori*, non modò contra alios editos scripto que, sed etiam rationem ipsam, ne dicam, vocaliter

liter id etiam respuere versum. & tamen hæc vomica, Plauti audit Sospitator. O seclum insipiens & inficetum!

41. NUMERATA IN] Vide Turn. lib. 4: 11. ubi explicat illud Cic. 2. Philip. *in manum latio.*

43. CREDAM ILLA?] ita interpungunt MSS. Cam & Lang.

44. ABUSA.] utendo, vel in usum consumpta: *Nonius & Turn. l.* 22: 5. Sic, *operam abuti,* Terent. dixit in Prol. Andr. pro consumere. Propriissimè, *inquit Donatus*, hoc verbo Plautus utitur: sc. in vino, unguentis, pigmẽtis &c. nam id significat *abuti.* Unnützlich anwerden.

45. N. Q. POSCERE] Putat *Acidalius* sententiarum ἀκολουθίαν postulare, ut interlocutus sit aliquid Argyrippus ante ista: *Dicam, aq.*

47. GRECA M. FIDE.] Turneb. lib. 4: 13. *Græcâ mercari fide*, hic est optimâ & repræsentatâ pecunia mercari: ut in palliatâ atque adeò Atticâ Comœdiâ: quasi Græci nunquam fallerent, sed nec coactore opus esset ad redigendam pecuniam, ut in Italiâ, quam præsentem persolverent. Græci Græcis favent, & benè de gente suâ & existimant & prædicant: quod in palliatâ servatum à Plauto est. nam Græcos si vituperasset, eorumque fidem fluxam dixisset, à decoro recessisset. Vide ib. lib. 12: 18. Non minus venustè (*inquit J. Gul.*) Pomponius apud Nonium in *Occupare*, *Græcâ mercede curare*: cùm in emptione repræsentatur pecunia, non in diem est. Quem locum tamen castigare Acidalius conatur. *Scalig.* ad versus Ausonii: *Nobiscum invenies, κατηνώμα, si libet uti. Non Pœnâ sed Græcâ fide*; notat: Apud nos quidem invenies, inquit, liberos; sed eâ lege, ut κατηνώμιον utare, i. ut non Pœnâ sed Græcâ fide utaris. *Græcâ fide* dicitur *solvi*, quod præsenti pecuniâ solvitur. Quare illa apud Plautum, quæ dicit, *manus suas oculatas esse, & credere, quod vident*, postulat, ut sibi *Græcâ fide* καὶ ὠνήμιον solvatur. Videatur & *Casaub.* ad Theophr. Charact. c. περὶ ἀπιστίας. ubi docet, Græcorum tale ingenium fuisse, ut illi ægrè suas merces cuiquam absque præsenti pecuniâ crederent. Hinc Proverb. *mercari Græcâ fide.*

A 49. SI ÆS HAB.] Sic Cato: *Vendat oleum, si precium habeat*, i. si præsentem pecuniam quis ei offerat. Sic Lucianus in Gallo, ἐπτὰ ὀβολοὺς τὸν μισθὸν ἔχειν, ἐπαναστὰς περὶ δείλην ὀψίαν. *Turn.* lib. 28: 47. & *Douza.* Ad isthæc annotat in Electis Pareus: Nihil non nisi pecunia emitur. bellam sane paraphrasin.

50. SEMPER OCUL.] Sic Trucul. 5: 1. *Manus vetat, priusquam penes se habeat, quicquam credere.* Scal. ad versus Propert. lib. 1. 9. *Cui non antè patet, donec manus attigit, offa*; notat: Romani *bolum* & *offam*, pro prædâ, quæ manibus tenetur usurpabant. unde (Ter. Heaut. 4. 1.) *Dole hunc bolum mihi ereptum è faucibus*: &; *Inter os & offam.* Enunciatum Proverbium ad illius exemplum, *Manus nostræ oculatæ sunt, credunt quod vident.* Ergò, *cui non antè patet, donec manus attigit*, erit, Qui manûs oculatas habet, quæ nihil credunt, nisi quod vident. Elegantiss. mihi videtur Proverb. *Hæc Scal.* V. N. etiam Pseud. 1. 3. ad illud, *oculatâ die*, &c. Acid. ait, numeros postulare transpositionem: *manus nostræ sunt*. vel, *nostræ man. sunt.*

51. NIHILI COCIO] Locus olim apertissimus. quippe, ut videtur, etiam proverbio tritus. nunc nihil aliud quàm caligo aut

B ariolatio mera. In Glossariis invenio: σιτεία, ἡ σίτευσις. *sagina, coccio.* Ibid. *Cocio* μεταβολὴ, μεταπολος, μεταπολος, *Dardanarius, cociator, arillator.* μεταβράτης *cocio.* μεταβράσις *cocinatura. Sib.* Muretus Var. Lect. lib. 9. 11. l. *Cotio*, antiquâ ratione scribendi, pro, *cautio*, ut *ollam* dicebant *aulam.* Proinde acsi dicat lena: Vetus dictum esse, Nihili esse cautionem sive syngrapham aut chirographum, multoque tutiùs ac cautiùs agere eos, qui numeratam pecuniam sibi in manum dari volunt. Erasmum, Alciatum, Camer. hic nihil sani habere ait. *Jos. Scalig.* in Fest. ad vocem *Arilator*, notat: Meliùs scriberetur *arrilator*: non enim ab *ara*, sed ab *arra* dictus. Est enim, qui empturiens datâ arrâ postulat sibi credi. unde à cunctãdò *Cunctio* sed *Cuctio* dictus: nam veteres *cuctum*, quod posteà *cunctum*. Glossarii autor sequitur vulgarẽ scripturam, *Arilator*, ἐψίτης, βωμοφέρος, πραγματευτής. Idem, *Arilator*, μεταβολος, ἀρχαϊκῶς. Glossæ Isidori; *Arilator, Cocio*, μεταβολεύς. Ibidem: Rectè definit Festus, *Cociones dici à cunctatione: quod in emendis vendendisq;*

mercibus

mercibus tardè perveniant ad justi precii finem. A Gallis vocantur *Barguigneurs.* Quare autem Gellius reprehendat Laberium, qui pervulgatè dixerit *Cocionem*, cum veteres dicerent *Arulatorem*, non video. Plautus enim usus est: itaque non est pervulgatum, neque ut ipse Gellius loquitur, proculcatum vocabulum. *Hæc Scaliger* approbante Jano Rutgersio Lib. 2. Var. Lect. cap. 19. quæ tamen alicubi conatur in ordinem cogere Meursius, cap. 34. Auct. Philolog. quæ etiam videre operæ pretium est. quando & *cocionem* interpretatur *cocum*: ut *cocus* & *cocio* priscis dictum sit quemadmodum *Pusus, pusio*, &c. Jam versus illos Laberii apud Agell. lib. 16. 7. *Duas uxores? hoc hercle plus negotii est, inquit Cocio. sed ædiles viderint*; abs se ita restitutos annotat Lipsius: Duasne uxores ille habet? inquit. hercle satis negotiosum negotium homini; ut ait Cocio. verùm id Ædiles viderint, quorum hæc cura. Idem amplius: Proverbiali formâ est, *Hoc plus negoti est, inquit Cocto.* Et Cociones sæpe in vulgi dicto veniebant; ut Plauti illud; *Vetus est, Nihili cocio.* Hæc ille ad Tac. 2. Annal. Lxv. Torrentius in Comm. ad Sueton. Vesp. cap. 1. legit: *Vetus est, nihili coactio.* (quomodo & Turneb. leg.) Præsentem enim, inquit, pecuniam lena postulat: odit quod in diem promittitur. Respexit ad Coactores qui & publicanis & argentariis ministrabant. Cujusmodi fuisse patrem suum testatur Horat. 1. Sat. 6. Hinc *Coactiones argentariæ* Suetonio.

51. Scis cujus?] Lamb. legit: *Nihili cocio est, si est cæcus.* Negotiator inutilis est, si cæcus est, &c. ut respectum sit ad illud, *Manus nostræ oculatæ sunt.* Aptè ad sensum, sed quo libro auctore? Parei tamen editio pr. illâ gemmâ micat: & tanquam si Plautinum cælum ruiturum esset subducto ipso Atlante in varias se vertit formas. ô satageum! In MS. Cam. est *coaetio.* sed tamen ita, ut τὸ *e* vergat in *c.* & possit esse *coactio.* quomodo edd. ferè. aliæ tamen *coaxatio.*

52. Despoliato] Sic Martial. lib. 11. ep. 50. *Nulla est hora tibi, quâ non me, Phylli, rogatum Despolies: tantâ calliditate rapis.*

53. Aliam inquam præbes] ita vett. edd. & Pall. Lamb. *aliam te præbes*: licenter, suo more. eo tamen editio Parei prima exornatur. Versui forte melius esset, admisso: *Longè aliam mihi, inquam, præbes.* vel potius, *longè, longè aliam inq. pr.*

54. Benedice] εὐφήμως, bonis & lenibus verbis. L.

55. Arridebant] veluti risu, ob adventum meum, diffundebantur. Sic Cic. 3. Verr. de ædibus Nobilium Verri parentibus: *Huic homini si cujus domus patet, utrum ea patere an hiare, an poscere aliquid videtur?* L.

57. Quasi columbæ] Nota est columborum in osculando improbitas. Catull. Carm. 65. *Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo Compar, quæ multo dicitur improbius Oscula mordenti semper decerpere rostro.* Propert. lib. 2. el. 12. *Exemplo junctæ sic sint in amore columbæ Masculus & totum femina conjugium.* Mateus: *Columbatimque labra conferens labris.* L.

63. Hic noster q.] De lenoniâ arte, ut de aucupio, libenter Poetæ loquuntur; ut hìc lena disertè: & Ovid. quoque hâc de re. *Incidit in casses præda petita meos.* V. N. Trucul. 4: 2.

65. Necesse est facere sumptus, qui quærit lucrum] Ludovicus XII. Rex Gall. hoc maximè probabat. cùm tamen non sequeretur: identidem illud jactitans; *Qui homo maturè quæsivit pecuniam; Nisi eam maturè parsit, maturè esurit*: (Curcul. 3.) auctore Arn. Ferrono Burdigal. De rebus gestis Gallorum lib. 3.

68. Esca] τὸ δέλεαρ. piscatus verbum, Gallicè *amorce*, etiam aucupii. unde *inescare*, Passerat.

68. Illix est] metaphora ab aucupum avibus, quæ alias illiciunt: vocanturque à Græcis παλεύτριαι: Turneb. lib. 24: 38. & *Scal.* in Ceirin. Nonius: *Illix & illex sic discernuntur. ab illiciendo fit illix: illex verò est, à quo lex non servatur.*

69. Salutando] i. dum salutantur.

70. Osculando] Cur hic de osculo; de quo post demum? *Suavium si s.* Legend. *Oscultando* (antiquâ scripturâ pro *auscultando*) *orationi vennulæ, venustulæ.* Nam hic gradus illius illicii, Salutari, compellari, auscultare, tractare, osculari. *Acidal.* Sed quadriformem in uno versu correctionem sine ullo libro quis probet? Pareus unus, qui sic nobis exhibet editione prima: neque mutavit secunda; nisi quod publicarit, *Osculan-*

Osculando: *oratione vin.* fatue utrobique. nam veteres *ausculari* scribebant pro *osculari*: quod cum minus scirent librarii, formarunt sibi notius vocabulum, *ausculari.* At de osculo sequitur! nihil minus. longe enim aliud *osculum*, aliud savium.

70. VINNULA] ita MS. Camer. ut & C. Langii, duplici *nn.* At Lamb. & Turnebus agnoscunt *vinula*, q.d. sensiloquâ, illecebrosâ, & ad sensûs permanante, ut vinum in venas. Hanc autem vocem Bosius Ciceroni etiam restituit ad Attic. lib. 4: 16. & interpretatur *rem vinulam*, rem lepidam & elegantem, quæ ad se videndam & tractandam quemvis alliciat. At *J. Douza* ex Non o rectiùs, opinor, rescribit *vinnula*, geminato *nn.* qui exponit sensiloquum, illecebrum. Ita Isidorus lib. 2. Origin. *Vinnulata vox, est lenis & mollis atque flexibilis*: *& vinnulata dicta à vinno, i. cincinno molliter flexo.* Unde nunc primùm, inquit Douza, discimus, *vocem vinnulam*, sive *vinnulatam*, ad fractas & concisas illas effæminatissimis modis in concentu Musico flexiones propriè pertinere, quod modulationis genus *Chroma* indigitat Poethius, quasi tu *corolatam vocum compositionem* interpretere, *minuritioni* citandæ uniter accommodatam. & festivè Plautus qui ab hâc formâ *Vinnulam orationem* appellet blanditias meretricias chromaticæ illius Musicæ in modum flexuosas cincinnatasque, nec nisi affectibus commovendis excogitatas, hoc est, dicta infracta & quasi modulatâ voce labiis tenus modò, non autem è pectore penitissimo enunciata; notâ meritricularum arte. Superaddam & Festi, an Pauli sententiam. Ille igitur: *Vinulus*(nico *n*) *dicitur molliter se gerens & minimè quid viriliter faciens*: citans hunc locum. Glossarium Scaligeri: *Vinulus*, νωχελής.

71. AB RE AUCUP.] Aliter hoc accipio, quàm vulgus interpretum. Nam ii explicant, *haud id est ab re aucupis*, non est sine fructu, sine commodo & lucro aucupis. Ego verò dissentio planè, quod dicitur, δὶς διὰ πασῶν. nam si quid sentio, *haud id est ab re*, significat, non est rei familiari aucupis damnosum; non imminuit rem familiarem. nam ita Latinè id efferebant, *ab re est.* Captiv. 2:2. *Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam.* Ter. Adelph. *At enim metuas, ne ab re sint tamen Omissiores.* (vide tamen Not. Rud. 4: 4.) Illi respondet & è regione repugnat, *e re*. Pseud. *E re tuâ non est, ut ego emoriar.* J. Gulielm. Cæterùm τὸ *id* nec in MS. Cam. nec in vett. edd. est.

72. SINE RETIBUS] habere eum licet spontaneum, non coactum. *Pylad.*

75. MERCEDEM SI] ita in MSS. est, *mercedem si er.* quod qui murârunt in *ubi*, næ illi imperiti Latinæ linguæ fuerunt. *Si*, pro *cum, postquam, simulatque*, poni amat. Capt. *Jam ego revortar intro, si ex his quæ volo, exquisivero.* Ter. Phor. *Non si redisset pater, ei veniam daret.* J. Gul.

80. QUO PEREAM] ita MSS. Cam. & Lang. & editi. In nonnullis tamen, *quod peream m.* Ita oratio quasi Græcisset: ut in aliis multis: *Quid me vis? id genus.* Q.d. Aliquid mihi réstat, quod perdam, i. tibi dem.

81. HABEO] ἐξήγησις præcedentium.

IN LEG. MEAS] i. meis conditionibus & pactis. V. N. Prol. Amph. *Sirempse in legem jussit &c.* quam phrasin huic simillimam esse *Douza* ait. J. Gul. l. *sed in leges eas.* quia sequatur, *uti scire possis*, habeantque MSS. Langii eam Lectionem. Quod tamen Grut. non probat: cum, *meas*, clarè propugnent omnes MSS. septem, & editi. Ter. Heaut. act. 5. 2. *Tam facilè patris pacem in leges conficiet suas,*

82. UT SCIRE P.] Quæ te mihi præstare velim. Alii l. *Possim.*

84. CASTRABO VIROS] *Vir*, pro genitali membro: ut apud Catull. *Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro*: item Arnob. aliquoties: ut notat *Meursius.* sed id heic durius arbitratur Gruterus, Pareus tamen eam interpretationem, tanquam cui contradicere nulli liceat, pueris obtrusit in Lexico.

87. CÆTERA. PORT.] ita Lambinus Person. ordinat.

92. OPIBUS] Palm. legit, *experiar opibus omnibus copiam. Experiri copiam*, fallor? an valet, sollicitare aliorum benignitatem; ut tibi copiam faciant? *Omnibus opibus*, h. e. accuratissimis precibus. Nam verba plus minus nihil valent, quàm hoc, *diligentissimè.* Sic ille; quæ in pr. editionis haram recepit Pareus: invitis omn. Libris.

EXOBSECRABO] exquisitè obsecrabo. *L.*

94. DIGNOS, INDIG.] Genus loquendi bonis scriptoribus usitatum: cùm per contrariorum complexionem omnes & omnia intelliguntur. Sic Curc. 2: 3. *Date viam mihi noti atque*

P *atque*

atq; ignoti. Ter. Andr. *Quo jure quâque injuriâ.* Eunuch. *præsente absente* : ubi Donatus, Proverbiale est, inquit: ut, *sursum, deorsum*, *ultrò citrò*. Cic. ad Q. Fratr. lib. 3. *Omnia, minima maxima.* Græc. ἄνω κάτω. *Terrâ, mari: Factis dictis* : *Dextra, sinistra:* Vide N. Cap. act. 2:1.

94. EXPERIRI] i. adire cum periculo repulsæ in incertum eventum. Virgili 4. Æn. *rursúsne procos irrisa priores Experiar* Ovid. 4. fast. *Magna fides avium est experiamur aves.* Passerat.

95. MVTVAS] Sic etiam Nonius, sed MS. A non modò in Libris Merceri, sed & Bibliothecæ Palatinæ. Et ita pervenustè *mutuum* opponitur *senori*. *Mutuum* (inquit ille) *sine usuris: Fœnus cum usuris sumitur, & est accepti fœtus: unde & fœnus dictum est: ut Græci* τόκος, *quasi partus mutui sumpti. Unde honestius mutuum est, quod sub amico affectu fiat meum tuum, usu temporis necessarii.* Cic. lib. 2. ad Attic. 1: *non habebam te in tocullionibus.* Ἀ τόκος fit τοκύλλιον: ab hoc τοκυλλίων i. *fæneratorculus*: ut à σκίμπερος fit σκιμπέριον, Rudente &c. Turn. lib. 17:3.

ACTUS II. SCENA I.

LIBANUS. servus.

HERCLE verò, Libane, nunc te meliust' expergiscier,
Atque argento comparando fingere fallaciam.
Jam diu est factum quom discesti ab hero, atque abiisti ad forum,
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam.
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.
Quin tu abs te socordiam omnem reice, & segnitiem amove,
Atque ad ingenium vetus versutum te recipis tuum!
Serva herum! cave tu idem faxis, alii quod servi solent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt.
Unde sumam? quem intervortam? quò hanc celocem conferam?
Impetritum, inauguratum'st, quôvis admittunt aves.
Picus & cornix est ab lævâ; corvus porrò ab dexterâ.
Consuadent! certum hercle est vestram consequi sententiam.
Sed quid hoc, quòd picus ulmum tundit? non temerarium'st:
Certè hercle ego quantum ex augurio auspicii intellego,
Aut mihi in mundo sunt virgæ, aut atriensi Saureæ.
Sed quid illuc, quòd exanimatus currit huc Leonida?
Metuo, quod illic obscævavit meæ falsæ fallaciæ.

IGITVR] i. idcircò, eâ gratiâ.

6. SOCORD. ET SEGNIT.] *Segnitia* est tarditas; *Socordia*, remissio: illa corporis, hæc animi. Terent. Andriâ: *Nihil loci est segnitiæ atque socordiæ.* Ad quod Donatus: *Segnitiæ*, ad agendum: *Socordiæ*, ad considerandum.

6. REICE] Ita MSS. & editt. omnes. ne itaque admittamus, quod obtrusit Lambinus, *reicis*, & *amoves*. Grut.

B 7. TE RECIPIS] Pronomen abjecit Parei editio pr. contra omnes libros scriptos impressosque.

8. ALII QVOD SERVI SOLENT.] Haud aliter MSS. & edd. præter Pareanas, quæ *aliunt servi*, contra prosodiam; cujus Ludimagister ille ignarissimus est. putabat enim *cave* habere ultimam longam; quod apud comicos secus est.

10. CELOCEM] Quò mea consilia referam. V. N. Mil. 4:1. ver. 40.

11. IMPETRITVM] Vocabulum augurale: Consule Notas Lamb. ad de Divin. Cic. ubi *impetrire* legendum docet. Quod & Pighius valde probat ad illa Val. Max. lib. 1. c. 1. *Prisco etiam instituto rebus divinis opera datur. Cùm aliquid commendandum est, precatione: cùm exposcendum, voto: cùm solvendum, gratulatione; cùm inquirendum vel extis vel sortibus, impetrito: cùm solenni ritu peragendum, sacrificio. quo etiam ostentorum ac fulgurum denunciationes procurantur.* Quidam, ut & *Jac. Delechamp.* ad similem Plin. locum, lib. 28. 2. *Impetritum* dici volunt, quasi *impetratum*, i. firmum ac securum, immò stabile, ceu in petrâ fixum. Vide & Turn. lib. 23:11. & lib. 5:18. Glossarium: *Impetratus* ϑυσία. Ad quod Scaliger; Non planè inquit, explicavit: sed si dixisset, καλλιέρησις. In sacrificiis quod *litare* est, id in auspiciis *impetrire*. Nihil autem aliud est, quàm *impetrare*. Sic dicebant *Artitum* pro artato: *dolitum* pro dolato. Hæc Scalig.

11. INAVGVRATVM] Augurium actum & consultum est. Vocabular. Latino-Gr. *inauguratus*, δεδιωνισθείς. *L.*

11. QVOVIS ADMIT.] In quamvis partem admittunt seu addicunt aves, & consilium suo garritu aut volatu ratum faciunt. *Admittere*, ut & *Addicere*, item *Impetrire*, auguralia verba sunt: ut notat Lips. Antiq. lib. 1. 7. & Muret. ad Tibull. lib. 1: 4. item Turnebus. Ita Livius: *Aves semel atque iterum non addixerunt.* Tacitus: *Auctus omine, addicentibus auspiciis vocat concionem.* Unde (auctore Festo) *Aves admissivæ dicebantur ab auguribus, quæ consulentem juvarent*: (vel, ut alii l. *juberent.*) MS. Cam. l. *amittunt*: at Pallat. sex, ut & Lang. & vett. edd. *admittunt*; ut appareat scriptum fuisse *ammittunt*.

12. ET CORNIX] V. N. Aul. act. 4: 3.

PORRO] ita Pall. sex, & edd. vett. item MSS. & Lamb. & Samb. & Langii, & Cam. licet à secundâ manu Camerariana scriptura sit mutata in *parra*. Jā Plinio, lib. 11: 37. *Parræ* avi in capite corniculatus est apex; ut Phasianis; inauspicatusque: quæ Sirio oriente ipso die non apparet, donec occidat: lib. 18. 29. Dicta autem *parra* ab antiquo verbo *parreo*, pro *pareo*, i. appareo. ea namque avis suo cantu sæpius prætereuntes ad se cogit adspicere: quare sæpius apparere dicitur. Videatur Cruquius ad Horat. 3, Od. 27. *Impios parræ recinentis omen Ducat: Parra* placuit Camerario, item Lamb. Nobis displicuit, ob ea quæ de ipsa dixit Plin. & Hor. Pareus tamen, heic notat: Male *porrò*. duæ namque aves ab lævâ; duæ item ab dextrâ. quod alii Editores non potuerant capere, quando expressere, *porrò*, contra auctoritatē V. C. membranacei Pal. sic ille. ad quæ, quis teneat risum? quid enim absurdius quàm opponere duodecim pluribusve MSS. fidem unius libri, qui emendatus tamen à nescio quo; priusque pro nobis stabat? Deinde quis duas aves à dextra positas, duas à sinistra demonstrabit? Hæc Asinum Cumanum resipiunt; nihil præterea.

14. VLMVM] Unde virgæ fiebant.

NON TEMER.] οὐκ εἰκῇ ἀλόγως. *L.* Nonius præfert, *haud tem.* & prætulerim ego quoque.

15. EX AVGVRIO AVSPICII] P. Merula suspicatur leg. *Quantum ex auguriod auspicioq; intellego*: ut sit Octonarius acatalect. quam licentiam minimè admiserit Gruterus, non addicentibus libris scriptis editisve. Si tamen vulgatū videtur insolentius, fiat facilè literula detracta, *augurio auspici*, ut sit, *auguriū auspex.*

16. IN MVNDO] i. paratæ sunt: in expedito sunt: *Charisius.* V. N. Epid. 5: 1.

16. ATRIENSI] *Atrienses servos* inter lautiores etiam Cicero & noster numerat, V. Paradox. & Pseud. act. 2. 2. & hîc Sc. seq. v. 84. Observabant atrium, ubi cænabant veteres: & supellectilem ædium aut villæ exponebant, & ut omnia munda & integra præstarentur, curabant. Ad hos respexit Virgil. 1. Æn. *Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant Atria.* ubi etiam pecuniæ & pretiosa quæque reponebantur. Et quia honoratiores adhibebantur, Apulejo 2. De Asin. *Servus ad limina* dictus pro atriensi. Virgil. 9. Æn. *fidusque ad limina custos.* Ad quod Servius: *Æditimus fuit. quod apud majores ingenti honore fuit. illic enim epulabantur: & deos colebant: census etiam omnis illic servabatur. quod & Plautus docet Asin. in quâ inducit Sauream in totâ familiâ plurimum posse.* Erant & *Atriarii*: sed alios ab Atriensibus & viliores fuisse, censent Pet. Faber JC. & Titus Popma.

EXANIMATVS] i. perturbatus, perterritus. ita semper Donatus.

18. OBSCÆVAVIT] i. malam scævam sive omen obtulit: *Nonius.* V. N. Pseud. act. 4: 7. v. 30. & ibid. Prologo. Gul. l. *Ecquo nunc illic*

obscævabit. Ecquâ, inquit, ille re mihi fallaciarum comitia vitiavit? *illic*, pro *ille*, antiquè. Etiam Grut. è Pall. quart. *obscævabit*, leg. etiamsi Cam. *obscœnabit* ediderit. & pius defendat; itemque Colvius ad Apollinarem, l.2, epist. 9. *Obscenæ volucres* sunt A apud Virgil. 3. & 12. Æn. quæ adversa canendo significant, auctore Servio. Arnob. lib. 1. *Nec adversus spes bonas mali ominis obscænitate traducor.* V. N. infrà act. 3:3.

ACTUS II. SCENA II.

LEONIDA, LIBANUS, servi.

VBI ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium?
Vti ego illos lubentiores faciam, quàm Lubentia st?
Maximam prædam & triumphum eis adfero adventu meo.
Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent,
Hanc quidem quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
LI. Illic homo ædis compilavit, more si fecit suo.
Væ illi, qui tam indiligenter observavit januam.
LE. Ætatem velim servire, Libanum ut conveniam modo!
LI. Meâ quidem hercle operâ liber nunquam fies ocyùs.
LE. Etiam de tergo ducentas plagas prægnantis dabo.
LI. Largitur peculium: omnem in tergo thesaurum gerit.
LE. Nam si huic occasioni tempus sese subterduxerit,
Nuncquam edepol quadrigis albis indipiscet postea.
Herum in obsidione linquet, inimicûm animos auxerit.
Sed si mecum occasionem opprimere hanc, quæ obvenit, studet,
Maximas opimitates gaudio effertissimas
Suis heris ille unà mecum pariet, gnatoque & patri:
Adeò ut ætatem ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Nostro devincti beneficio. LI. vinctos nescio quos ait.
Non placet. metuo, in commune ne quam fraudem frausus siet.
LE. Perii ego oppidò, nisi Libanum invenio jam, ubi ubi est gentium.
LI Illic homo socium ad malam rem quærit, quem adjungat sibi.
Non placet. pro monstro extemplo est, quando qui sudat tremit.
LE. Sed quid ego hîc properans concesso pedibus, linguâ largior?
Quin ego hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?
LI. Edepol hominem infelicem, qui patronam comprimat!
Nam si quid scelestè fecit, lingua pro illo pejerat.
LE. Approperabo, ne post tempus prædæ præsidium parem.
LI. Quæ illæc præda est? ibo advorsum atque electabo quicquid est.
Jubeo te salvere voce summâ, quoad vires valent.

LE. Gy-

LE. Gymnasium flagri, salveto. LI. quid agis, custos carceris?
LE. O catenarum colone. LI. ô virgarum lascivia.
LE. Quot pondo ted esse censes nudum? LI. non edepol scio.
LE. Scibam ego te nescire: at pol ego qui te expendi scio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.
LI. Quo argumento istuc? LE. ego dicam, quo argumento & quo modo.
Ad pedes quando alligatus es æquum centupondium,
Ubi manus manicæ complexæ sunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque sis.
LI. Væ tibi! LE. hoc testamento Servitus legat tibi.
LI. Verbis velitationem fieri compendi volo.
Quid istuc negotii est? LE. certum est credere? LI. audacter licet.
LE. Sis amanti subvenire familiari filio,
Tantum adest boni improviso, verùm commixtum malo;
Omnes de nobis carnificum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audaciâ usus est nobis inventâ & dolis.
Tantum facinus modò inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissimi esse, quò cruciatûs confluant.
LI. Ergo mirabar, quòd dudum scapulæ gestibant mihi,
Hariolari quæ occœperunt sibi esse in mundo malum.
Quicquid est eloquere. LE. magna est præda cum magno malo.
LI. Siquidem omnes conjurati cruciamenta conferant,
Habeo opinor familiarem tergum, ne quæram foris.
LE. Si istam firmitudinem animi obtines, salvi sumus.
LI. Quin si tergo res solvenda est, rapere cupio publicum.
Pernegabo atque obdurabo, perjurabo denique.
„ *LE. Hem! ISTA VIRTUS est, quando usu'st, qui malum fert fortiter.*
„ *Fortiter malum qui patitur, idem pòst patitur bonum.*
LI. Quin rem actutum edisseris? cupio malum nanciscier,
LE. Placidè ergo unumquidque derogita, ut acquiescam. non vides
Me ex cursurâ anhelitum etiam ducere? LI. age, age, mansero
Tuo arbitratu, vel adeò usque dum peris. LE. ubi nam est herus?
LI. Major apud forum'st, minor hîc est intus. LE. jam satis est mihi.
LI. Tum igitur tu dives es factus? LE. mitte ridicularia.
LI. Mitto. istud quod affers aures exspectant meæ.
LE. Animum adverte, ut æquè mecum hæc scias. LI. taceo. LE. beas.
Meministin' asinos Arcadicos mercatori Pelleo
Nostrum vendere atriensem? LI. memini. quid tum postea?
LE. Hem! ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureæ
Pro asinis. adolescens venit modò, qui id argentum attulit.
LI. Ubi is homo'st? LE. jam devorandum censes, si conspexeris.
LI. Ita enim verò. sed tamen tu nempe eos asinos prædicas

 Vetulos,

Vetulos, claudos, quibus subtritæ ad femina jam erant ungulæ.
LE. Ipsos, qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas.
LI. Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus. LE. memores probè.
Verùm in tonstrinâ ut sedebam, me infit percontarier;
Ecquem filium Stratonis noverim Demænetum?
Dico me novisse extemplò, & me ejus servum prædico
Esse, & ædis demonstravi nostras. LI. quid tum postea?
LE. Ait se ob asinos ferre argentum atriensi Saureæ,
Viginti minas. sed cum sese non novisse hominem qui siet:
Ipsum verò se novisse callidè Demænetum:
Quoniam ille elocutus hæc sic. LI. quid tum? LE. ausculta ergo, scies.
Extemplò facio facetum me, atque magnificum virum,
Dico me esse atriensem. sic hoc respondit mihi:
Ego pol Sauream non novi, neque quâ facie sit scio:
Te non æquum est succensere. si herum vis Demænetum,
Quem ego novi, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adducturum, & me domi præstò fore;
Ille in balineas iturus est, inde huc veniet postea.
Quid nunc consilii captandum censes? dic. LI. hem istuc ago,
Quomodo argentum intervortam, & adventorem, & Sauream.
Iam hoc opus est exasciatum. nam si ille argentum prius
Hospes huc adfert, continuò nos ambo exclusi sumus.
Nam me hodie senex seduxit solum, seorsum ab ædibus,
Mihi, tibique interminatu'st, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo essent viginti argenti minæ.
Iussit vel nos atriensem, vel nos uxorem suam
Defraudare: dixit sese operam promissam dare.
Nunc tu abi ad forum ad herum, & narra, hæc ut nos acturi sumus:
Te ex Leonidâ futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum afferat Mercator pro asinis. LE. faciam uti jubes.
LI. Ego illum interea hîc oblectabo, prius si fortè advenerit.
LE. Quid ais? LI. quid vis? LE. pugno malam si tibi percussero,
Mox cum Sauream imitabor, caveto ne succenseas.
LI. Hercle verò tu cavebis, ne me attigas. si me tagis,
Næ hodie malo cum auspicio nomen commutaveris.
LE. Quæso æquo animo patitor. LI. patitor tu item, cùm ego te referiam.
LE. Dico ut usus fieri. LI. dico hercle ego quoque ut facturus sum.
LE. Ne nega. LI. quin promitto inquam hostire contra, ut merueris.
LE. Ego abeo. tu jam scio patiere. sed quis hic est? is est,
Ille est ipsus. jam ego recurro huc. tu hunc interea hîc tene.
Volo seni narrare. LI. quin tuum officium facis ergo, ac fugis?

QUOD in lenâ & amatore fecit Poeta, ut utriusque ἦθη examussim expressa in Scenâ ostenderet; idem accuratè servat, ut in pari illo improbo nequam servorum audaciam, malitiam, astutiam servilem politissimis versibus tanquam penicillo effingat.

V. 2. LUBENTIORES] V. N. Persâ act. 5: 1.

6. COMPILAVIT] V. N. Menæch. 4: 1.

7. OBSERVAVIT] Impensè probat Grut. è MSS. (qui consulatur Notis lib. 3. cap. 6. in Florum) & editt. itemque *Gulielmius*; præ illo, *obsernabit*. Custodes, servitii pars erant. eorum munus *observatio:* & ipsi illi, cum ædium custodiæ diligenter & ex officio suo præsunt, *observare* dicuntur, aut *servare*. Milite: *Certum est observationi dare operam*. ibid. *observare ostium*. Hinc *observari* dicuntur, qui agere aut conari nihil sine arbitris possunt. Andr. Ter. *Observes filium, Quid agat*. Aul. 1: 2. *Redi nunc jam intrò, atque intùs serva*. Cistell. 1: 1. item Ter. Eun. *Solus sannio servat domi*. V. N. Mostell. 2: 2.

8. ÆTATEM] pro, *diutissimè* sive *æternum*, adverbialiter positum: *Nonius*. Sic Lucillius in aureâ illâ, & vel homine Christiano dignâ sententiâ: *Ut multos mensesq; diesque, Non tamen ætatem tempestate hac scelerosi Latentur*. Casaubonus in Athen. lib. 7. c. 1. *Ætatem* interpretatur, per omnem ætatem: ut Gr. dicunt, διὰ βίου, pro, δι' ὅλου βίου, & ut Hesychius διὰ παντὸς ἀεί. Marcellus Donatus Dilucidat. libro, observat, *ætatem* apud Asconium sumi pro eâ, quam Græci αἰῶνα dicunt, i. universum vitæ humanæ tempus. Ammianus Marcellinus l. 31. *fide ætatem retinendæ salutis acceptâ*, i. quoad vixerint. Ter. Hecyrâ, act. 5: 1. *Nam neque ille hoc animo erit ætatem*, ad quod Donatus: *Ætatem*, pro, *tamdiu quam longa est ætas*. Hinc illa Cic. *Agere ætatem in litteris*. *Agere ætatem cum aliquo*.

MODO] H. Steph. (in De Latinitate suspectâ, pag. 278.) *modò* pro *nunc* positum affirmat; sed parum ex Poetæ sententiâ, teste *Douzâ*.

9. OCIUS] V. N. Rud. act. 4: 3.

10. PRÆGNANTEIS] i. eminentes ac protuberantes, ut prægnantium uteri solent. Varro: *Excitatum verberibus corpus*. Et est jocus, quasi magnum quid largiturus sit. MS. C. *prægnatis*.

11. LARG. PECULIUM. OMNEM IN] ita Grut. è MSS. Cam. & Car. Langii.

13. QUADRIGIS ALBIS] Sic MSS. & Lamb. & Turn. lib. 24: 31. ubi *quadrigas albas* interpretantur *Jovis quadrigas*, quæ celerrimo per cælum ferri curriculo censeantur. At *Lipsius* in his *quadrigis albis* hæret. nam eas, inquit, honoris tantùm insigne fuisse scio: atq; ita Platonem à Dionysio Tyranno quadrigis albis exceptum, in Plinio legimus: & in altero Poetâ: *equis præcurreret albis*. At hic aliquid de celeritate sententia postulat. In Roveriano Codice margini adscriptum erat, *quadrigis argis*. In Langii, *quadr. albis*. Mihi suspicio est ne scribendum sit, *quadrigis si abit*. *Quadrigis abire: curriculo fugere*, & similia, valent Proverbiali sermone, numero & celeriter abire, fugere. Plaut. Pæn. *Nisi ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi*. Aul. *Quod herus jubeat, citis quadrigis citius properet persequi*. Amph. 2: 1. *Quadrigas si nunc inscendas Jovis, nunquam effugies infortunium*. Hæc ille. Palmer. l. *quadrigis Argis*. Argæ autem quadrigæ eædem, quæ *Argivæ*. Amph. *natus; Argis ex Argo patre*. Jam *Argivæ quadrigæ* omnium scriptis eximiæ. Unde illud; *Aptum equis Argos:* propemodum ita dictum ab Horatio, ut à Varr: *Ubi locus opacus teneris fruticibus aptus:* & Ennio: *cælum stellis fulgentibus aptum*. Copiam enim & pulchritudinem duo hæc significant. Quamobrem non est nobis hic V. C. Roveriani scriptura damnanda, quando omnibus in ore est, *Argos ἱππίον καὶ ἱππόβοτον*. *Hactenus, Palm*. At verò Grut. censet illud, *albis*, non mutandum: cùm MSS. & vett. edit. omnes ita habeant. Etiam J. B. Pius *albis* retinet, & exponit veloces: putatque allusum ad equos Rhesi: de quibus Catullus: *Nec Rhesi niveæ citæque bigæ*. Quin & J. VVovver pertendit, Plautum *quadrigas albas* Græcâ locutione dixisse. cum ἀργὸς *citum* & *album* notet. atque ita *quadrigas albas* dixerit, quas alibi in re simili *quadrigas Jovis*. Jovis enim & Solis quadrigæ albæ, Liv. lib. 5. Quicquid sit, omninò Plauti locus de quadrigis factionum explicandus est.

13. INDIPISCET] *adsequetur; adipiscetur:* Festus.

14. Hi-

14. HERVM] Aut, *Herum in*, dactylus erit: aut in *obsidione* τὸ *si* producetur: aut alia quavis ratione fulcientur numeri. *Cam.* Parei ultima præfert, *Herum in subsidione*, planè contra MSS. & Edd. omnes. interim hujus mutationis nulla mentio in Notis. quæ fraus!

14. OPPRIMERE] occupare, & ita subitò arripere, ut elabi non possit. Quidam *urgere* interpretantur; quod minus probatur Lambino.

15. QVÆ OBVENIT] Sic MSS.Eddq; omn. præter Parei pr. qui obtrusit *quà*.

16. OPIMITATES] Capt. 4: 1.

EFFERTISS.] i. refertissimas: L. Capt.4: 1.

18. OBNOXII] V. N. Sticho act.3: 2.

20. IN COMMVNE] mihi & illi.

20. FRAVD. FRAVS.] i. *fraudem commiserit*. Festus. Livius lib. 23. *Qui capitalem fraudem fausi, quique pecuniæ judicati in vinculis essent*.

23. PRO MONSTRO] portenti loco est, ἀντὶ τέρατος. Val. Max. lib. 4. cap.3. *pro monstro eam vocem accepit*. Petronius: *Mirari tam discordem libidinem cœpi, atq; inter monstra numerare*. Ter. Eun. 2: 3. *Eho, nonne hoc monstri simile est?* Juven. Sat. 13. *bimembri Hoc monstrum puero*. J. Grut.

23. EXTEMPLO EST] Ita M.Cam. & Edd. vett. item Pal.pr.quart.quint. nam aliis deest, vel præferunt *exemplo*. & verò *exemplum* habent Langiani: quod Gulielmius unicè probat; *pro monstro exemplum est*. Neque id aliud, inquit, quàm si dixisset, *monstri simile est*. nam *exemplum*, ἀντίτυπον, ὑπόδειγμα Glossis veteribus: & hinc ea Comicorum; *hoc exemplo: ad hoc exemplum*. Scenâ seq.& Pseud.1: 2. Pareus Gulielmianum recepit in contextum editionis pr. mutavitque altera.

23. QVI SVDAT, TREMIT] Hippocrat. ἐπὶ ἰδῶν φέλκη, ὡ χονσὸν. De hujusmodi *Sudore frigido* æstuantis animi indicio, copiosè Cæl.Rhodig.lib.6. cap.4. Simile in Propertio lib. 2. el. 16. *Quæ si fortè aliquid vultu mihi dura negavit, Frigida de totâ fronte cadebat aqua*. ubi ineptè è cod. Posthii mavult Palmerius, *calebat*. neque enim calent tales, sed frigent, ut quotidiana satis testatur experientia: fit enim sub animi deliquium: itaque nihil erat caussæ cur *calebat* istud Electorum vomitor præferret vulgato, quo alioquin stat Passeratius, rectèq; monet allusum Plauto ad *sudiculum*, flagelli genus dictum Festo, quod vapulantes sudantes facit.

24. CONCESSO] i. cesso. Bosius l. *sedq. e. b. properans, cum cesso ped. &c.* i. Cur linguâ largus sum, cùm interea pedibus meis parco? *Largior* aùtem & nomen esse potest, & verbum; auctore Lambino: quanquam hoc malit. Grut.notat in MSS. septem l.*concesso p.* in quarto tamen emendatum, *cum cesso pedibus*. emendatum, inquam; licet id strenuè neget Pareus: qui dum alios carpit, ipse in eadem hæret culpa multo graviore, mille & mille locis. nam supra versu 23. negat videri *extemplo* in Pal. quarto ac quinto, cùm tamen omnibus ibidem conspiciatur apicibus.

25. LACERAT] ita Casinâ, *contrivi diem*.

26. PATRONAM] Sic Menander γλωσσάσπιδας. servos vocat: quòd linguâ se, tanquam scuto, defendant.

26. COMPRIMAT] Jocus in ambiguo, *comprimere*. V.N.Rud.4: 4.

29. ELECTABO] i. *eliciam*: Festus. Her aus locken.

31. GYNNASIVM] V.N.Aul.3: 1.

QVID AGIS?] ita quidem sex MSS.Pall. Editio tamen *Pii* & reliquæ servant, *quid ais?* quod & in margine MS.Cam. notatum.

31. CVSTOS CARC.] qui toties in carcerem compingeris, ut custos ejus videri possis. L.

32. CAT. COLONE] V.N. Pseud. act.4: 6.

32. VIRG. LASC.] in cujus tergo lascivire & exsultare solent virgæ. L.

33. QVOD PONDO TED.] Pareus notat: Sic est in cunctis MSS. Novitii addidere, *Quot virgarum pondo*. consului editiones recentiores, quei scirem tam ridiculi additamenti auctorem, a quo alioquin omnino abhorreret versus. quid dicam? ubique frustra eram, dum venirem ad Pareanam. ibi erat emblema illud elegans. itàne Magister! non sufficit tibi exercere virgas in nates discipulorum, nisi etiam Auctoribus inferas.

34. EXPENDI] libravi, heri jussû. Servi autem pendentes vapulabant. V. N. Amph. act.1: 1.

35. CENTVM PONDO ES] Usitata hominis statura erat pedum ferè sex; pondus Romanarum librarum centum plus minus. Vide *Is. Casaub.* in Suet.

35. PER

35. PER PEDES] in pedes: ita ut pedes terræ appropinquent. L. A

36. QVO MODO] ita J. Gul. *quo modo*, divisâ voce. nam utrumque pollicetur, quo argumento id fiat, & præterea quonam modo.

37. ALLIGATVS ES] In MSS. Pall. Cam. & Lang. & omnibus Edd. vett. legitur, *Ad pedes quando alligatus es* (unus MS. Cam. *est*) *æquum centum pondium* itaque revocavimus scripturam veterem; præcipuè cùm sic quoque emendasset ad oram hujus loci Joseph. Scaliger. recentiores maluerunt *alligatum est*.

37. ÆQVVM CENT.] *Æquum centupondium* est justum & æquum centum librarum pondus, *ait Turn. lib. 7: 24.* Alligabatur autem ad pedes servorum pendentium pondus aliquod: ne inter vapulandum calcitrarent, neve pedibus aut calcibus eos, à quibus verberabantur, peterent: *S. Bosius.* Et docet Meursius, adeò crudele à servis sumtum supplicium, ut totam sæpe noctem pendentes flagris exagitati fuerint. Amph. act. 1: 1. *Neque ego hac nocte longiorem &c.* vel etiam diem: Milit. act. 2: 6. *Nisi mihi supplicium virgarum de te &c.* Et quidem lictores aut carnifices, qui tantæ sævitiæ & tam diutinæ partes essent, lectos fuisse octo: Amph. act. 1: 1. v. 7. item infrà act. 3: 2. v. 18. & 28. ubi & *lentas* virgas observa: quia totam noctem aut diem verberabant. Sed & certa elegisse tempora ad servilia ista supplicia, quæ propriè *Carnificum dies* appellata sint: ut hinc non longè. eosque *celebrare* dictos carnifices, cùm munieri suo vacarent.

38. MANICÆ] *Vincula, quibus manus vinciuntur*: Nonius.

39. NEC DEPENDIS NEC PROPENDIS] ita MSS. & Editt. ante Aldum omnes legere, Gruterus observavit: non, *dependes*, & *propendes*. de hac ἰσοῤῥοπίᾳ egregiè multa Passeratius in Panegyrico Tibulli ad Messallam vers. 41: *Justa pari premitur veluti cum pondere libra.* Turnebus in 1. Orat. Rull: *Dependere* interdum est non satis pendere, nec pondus æquare. *Propendere* plus pendere. Hinc illa Cicero. 1. de Legib. *Ego animi pendeo.* i. mihi molestum est. Terentius: *pendebit animi.* i. cruciabitur.

39. NEQVAM] i. *inutilis*: Caper Grammat.

40. HOC TESTAM.] Servitus tibi *ve*, i. miseriam, tanquam legatum quoddam testamento reliquit: L. Notat Grut. in nullo MSS. vel cuso legi, *hocce*; sed *hoc*.

41. VERBIS-VELITAT.] Festus: *Advelitatio, jactatio quædam verborum: figurata ab hastis velitaribus.* Sensus est: *Verbis-velitationem*, i. hanc ipsam velitationem & contentionem nostram, quæ fit verbis, volo compendi fieri, id est, volo lucrifieri: quod valet, volo non usurpari: volo nos desinere verbis velitari. *Verbis* autem cohæret cum *velitationem*: ut intelligamus, *verbis-velitationem* dictum, pro verborum velitationem, quam λογομαχίαν Græci appellant. Sic loquitur Mostell. *Orationis operam compendi face.* Turnebus perobscurè sententiam suam indicavit, lib. 4: 13. *Lamb.* Meursius opinatur Plautum scripsisse *verbivelitationem*: quomodo alia multa lepidè composuit: ut respondeat Græco λογομαχίᾳ. Quod tamen in textum recipi nec ipse auctor, sat scio, velit quantumvis ingeniosum; cùm alterum disertè restet apud Nonium. fecit id tamen Pareus. B

43. LE. SIS] ita MSS. Grut. omnes. *Sis*, est, si vis, neque aliter edd. vett. nam recent. *Si vis.*

49. ERGO] i. certè. D.

SCAPVLÆ G.] V. N. Pseud. act. 1: 1.

52. CONIVRATI] VIR doctus l. *conjuntim*: & ita, *inquit*, vehementius fuerit & confidentiæ Libani aptius. nec exulat veteribus impressis Aldinorum hoc adverbium, & ita Pius jussit emendaretur. idque hic unicè, pol, facit. Quid enim magnum dicit, si nemo in ipsum conjurasset? Etiam *Grut.* rectum hoc diceret: nisi obstarent MSS. & olim editi omnes. recepit id tamen in contextum Pareus.

53. H. FAMILIAREM T.] i. domi habeo tergum, ne mihi quærendum sit foris. quod valet: paratus sum ad verbera. si quod facinus audax fecero. *Tergus* autem, mascul. genere veteres dixisse, hinc probat *Nonius.* MS. Cam. l. *familiare*: & numerorum quidem ratio utramque formam admittit.

53. NE QVÆR. FOR.] V. N. Mil. 2: 2.

55. PVBLICVM] pecuniam publicam. L.

57. HEM ISTA VIRTVS] Sic ferè Cicero Philip. 11. sed in re seriâ: *Sapientis est, quicquid homini accidere possit, id præmeditari ferendum modicè esse, si advenerit. Majoris omninò est consilii, providere ne quid tale accidat: sed animi non minoris, fortiter ferre, si venerit.* Sic Pittacus: συνετῶν ἀνδρῶν ἐστὶ, πρὶν γενέσθαι τὰ δυσχερῆ, προνοῆσαι, μὴ γένηται: ἀνδρείων δὲ, γενόμενα εὖ θέσθαι: *Intelligentium virorum est priusquam eveniunt incommoda, providere, ne eveniant: fortium, si evenerint, compositè & moderatè ferre.* L.

58. POST PATITVR] ita MS. Cam. *patitur:* ut & edd. Ven. & Paris. itemque tres MSS. Pall. Et docet *Grut.* primum reposuisse Pium *potitur:* quod tamen & tres Pall. reliqui agnoscant. sibi verò non placere; cùm, *pati bonum*, dici possit eleganter. Pœn. 3. v. 82: *Siquidem potes esse pati te in lepido loco &c.*

59. EDISSERIS] Langiani, *edisseras.* hinc *J. Gul.* facit, *edissertas.* quod tamen Grutero displicet: cùm MSS. omnes quasi conjuratim habeant, *edisseris.*

60. DEROGITA] ita *Lips.* è Vaticano, *derogita:* ut *dememorare*, apud alium Poetam. Quin & MS. Cam. l. *derogita:* item Pallat. nisi quod sec. & quint. *derogitato:* ut notat Grut. Quanquam J. Guliel. è Lang. qui & ipsi habent *derogita*, malebat *erogita:* ut Capt. 5. 1: & id postulat versus.

61. EX CVRSVRA ANHELITVM DVCERE] Petron. *ex cursu fatigatus.* ita Cic. *fessus de via.* Ovid. Metam. *Aridus è lasso veniebat anhelitus ore.*

61. AGE AGE, MANSERO TVO ARB.] ita disting. Grut. à MSS. & vett. edit.

63. MAIOR.] *Majores & Minores* inter cognomina. Ita filii cum essent sui heredes, haberentque dominium in spe, *Minores heri* appellabantur; Patres autem *Majores.* id vel hinc liquet. Pari modo in sexu sequiore: Truc. act. 4: 3. Sed & filias, quæ ætate diversæ essent, hoc nomine distinctas fuisse docet *Meurs.* & *Scalig.*

64. TVM T. L. ES DIVES] Jocus ex eo, quòd dixerat Leonidas, sibi jam *satis esse &c.*

A Nam alter satis *verborum* intelligit, alter satis *bonorum* fortunæ; quæ quibus contingunt, ii divites sunt. L.

65. MITTO. ISTVC QVOD] Pes versui deest. an fuit: *Mitto istæc: istuc quod.* ut exciderit propter similitudinem.

67. PELLEO] Ex *Pellâ*, urbe Macedoniæ; in quâ natus Alexander M. Unde *Pellæus ductor*, à Lucano, & *Pellæus juvenis*, à Juvenal. dicitur. Plautus hic τῇ συναλοιφῇ *Pelleo fecit*, ut fieret dictio dactylica, quam numeri postulabant: *Cam.* sed Acidal. transponit verba: *mercatori vendere Pellæo nostr. atr.* Scaliger ad marginem scripserat *Pellaio.*

71. IAM DEVORAND.] Obsceno sensu capit hæc Acidalius: ut illud Catulli, *Grandia te medii tenta vorare viri.* Contra Lambinus & Gruterus. Vide N. Pseud. 4: 7.

73. AD FEMINA] ὑποβολικῶς. Libri Dousæ vetustiores præferunt *flemina.* V. N. Epid. 5: 2.

81. VIGINTI MINAS] Meurs. l. *vig. mnas*, numeris obsecutus. Veteres dicebant *mna*, B *mina*: ut *lamna, lamina.* Ita Curc. 2: 3. *Triginta mnis.* Pœnulo, act. 5: 5. *Si ego mnam non, &c.* Est autem inflexio Græca. Probat Popma, De usu antiq. locut.

82. N. CALLIDE] pernovisse: quasi percallere. Sic Ter. Andr. act. 1: 2. *Quid hoc? intellextin'? D. imò callidè.* Merc. Prol. *callidè facundus.* Menæch. *Catè novisse.* Ita Tacit. 4. Annal. & 2. Hist. dixit *callidos temporum*, & *rei militaris.*

83. QVONIAM] Lamb. l. *Quom jam ille.* Pistoris è Ven. probat: *Cum ille elocutus hæc sit.* Hos autem versus ita Gruterus ordinavit, adstipulante Acidalio. MSS. enim omnes, nec non prius cusi versum antecedentem isti postpositum habet. quam formam cur non servaverit Pareus, consensum sacrosanctæ Antiquitatis ubique sequi solitus, jure miraremur, nisi eum haberet morem ut ea maximè faciat, quæ in aliis maximè reprehendit.

84. FACIO ME] fingo. Milite: *Magnum me faciam nunc.* V. N. Mil. 1: 1. & Pseud. 2: 3.

88. ADDV-

88. ADDUCE] *D. F.* legit, *adducere*. A quod contra libros in ed. suam pr. rapuit Pareus.

89. DIXERAM] Acid. l. *dixi herum*. intulitque statim editionis suæ pr. fimeto Pareus; libris omnibus repugnantibus.

92. ARGENTO] Restat *argentum* in Cam. ed. & Pall. MSS. præter quart. qui leg. *Argento:* quomodo, & v. cod. Pareus hic data opera calumniatorem agit, dum vult perperam produxisse Taubmannum scripturam Palatinorum. Ita & J. Palm. l. *Quomodo argento intervortam & adv.* quomodo, *inquit*, utrumque argento circumducam atq; evortam. Sic Petron. *Sic hercle intervortissent pecuniâ vos.*

92. ADVENTOREM] i. hospitem. V.N. Trucul. act. 2: 7. Pallatt. sex l. *advectorem*, sc. argenti, ut annotat quartus: quomodo correctum volebat Pius. sed alterum restat in Edd. vett. *Grut.*

93. EST EXASCIAT.] Significat, hoc negotium jam inceptum esse: & quamvis rude adhuc sit, tamen inibi esse, ut mox perfici & perpoliri possit. *Exasciare* est asciâ sive securi parare, & rudiore quasi operâ præparare: L. Beschlagen. Negat tamen Acid. hanc vim propriam huic verbo esse. Videantur & *Inscriptiones Antiquæ Gruteri.* in Indice; SUB ASCIA DEDICARE. Acidal. legit (sententia, ut ait, postulante) *exasciandum*, vel certè, *exasciato.* Velle enim, ut hoc ipso momento fabrica parata sit. & verò Pareus statim contra omnes libros intulit editioni suæ pr. *exasciandum*. Gutherius lib. 2. Manium cap. 18. *exasciatum opus*, sumit pro perfecto, ab albario translatione sumpta, quod ascia perpolitur & perficitur. qui consulatur.

95. SEDUXIT] Haud aliter omnes edd. & MSS. præter Parei primam, quæ *abduxit.* quæ petulantia!

96. FUT. ULMEOS] nos virgis ulmeis opertum iri, usque adeò, ut toti ulmei esse videamur. L.

98. PROMISSAM] filio scilicet. & hoc à se factum supra indicavit Demænetus. Palm. & I. Gul. leg. *Promiscam*, quod valet *Promiscuè.* Pseud. 4: 5. Sive, *inquit*, uxorem, sive atriensem defraudare institerimus, se promiscuè operam daturum. pro altero tamen stant mss. edd. q; Pareus conjectaneum textu donavit.

102. OBLECTABO] ψάλξω, blandis verbis lactabo & retinebo. L.

103. QUID AIS?] Ita MSS. & edd. vett. nam recent. *Sed quid.* transitum significat ad aliam rem ab eâ quæ agebatur: *Donatus* Phorm. 1: 4. Bacchid. *Et pol ego scio, quid metuo. sed quid ais?* infra 3: 3.

105. HERCLE VERO &c.] ita Grut. ductu MSS. Pal. & Vet. cod. & ed. Pii restituit. At J. Gul. l. *Hercle verò tu cavebis, me attigas: si me taxis, Ne hodie m.* ut, *ne*, adfirmet, uti apud Græcos ναὶ. nam qui illud sine provocabulo negant poni, falluntur. *A taxis* autem fit *tax.* Persâ: *erit tergo meo tax tax, &c.* MSS. & edd. vett. *attingas, si me sapis.* quod Pareus retinet, & τὸ *me* vult Parelcon. probet pueris B suis in Schola! & desinat interim calumniari. neque enim injuria fit Palatinis libris, si quis eorum ductu divinat. multo minus ut falsitatis argui posset; uti placet Sycophantæ illi.

106. NOMEN COMMUTAVERIS] ex Leonidâ factus sis Saurea. ita ego simpliciter intellexerim. C. Colerus, meus olim Heilsbrunæ in his studiis consecraneus, putabat allusum ad vocem *Taurea*, quæ loreum etiam flagellum significet, quod Pseud. act. 1: 2. *terginum* appellet, ὠμοβύρσινον. Tertullianus: *Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt.*

107. TU ITEM] ita MS. Cam. & Lang. & Edd.

109. HOSTIRE] Suprà 1: 3.

112. QUIN TUUM OFFIC.] Sic edd. primæ. nam MSS. tu off. de servis FUGITIVIS accuratè Tit. Popma, in *De Operis servorum*.

ACTUS II. SCENA III.

MERCATOR, LIBANUS.

VT demonstratæ sunt mihi, hasce ædis esse oportet,
Demænetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta,
Atque atriensem Sauream, si est intus, evocato huc.
LI. Quis nostras sic frangit fores? Ohe! inquam, si quid audis.
ME. Nemo etiam tetigit: sanúsne es? LI. at censebam attigisse,
Propterea, huc quia habebas iter. nolo ego fores conservas meas
A te verberarier: sanè ego sum amicus nostris ædibus.
ME. Pol haud periculum est, cardines ne foribus effringantur,
Si istoc exemplo tu omnibus qui quærunt respondebis.
LI. Ita hæc morata est janua: extemplò janitorem
Clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem.
Sed quid venis? quid quæritas? ME. Demænetum volebam.
LI. Si sit domi, dicam tibi. ME. quid? ejus atriensis?
LI. Nihilo mage intus est. ME. ubi est? LI. ad tonsorem ire dixit.
ME. Quum venisset, post non rediit? LI. non edepol. quid volebas?
ME. Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.
LI. Qui pro istuc? ME. asinos vendidit Pellæo mercatori
Mercatu. LI. scio. tu id nunc refers. jam hîc credo eum affuturum.
ME. Quâ facie vester Saurea est? si is est, jam scire potero.
LI. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, commodâ staturâ, tristi fronte.
ME. Non potuit pictor rectius describere ejus formam.
Atque hercle ipsum adeò contuor, quassanti capite incedit.
LI. Quisque obviam huic occesserit irato, vapulabit.
Siquidem hercle Æacidinis minis animisque expletus incedit,
Si me iratus tetigerit, iratus vapulabit.

MERCATOR] Notat J. Gul. libros membran. (etiam MS.Cam.) CHLAMYDATVS præferre: haud paullo rectius, V.N.Pseud.act.4:2. VERSVS autem sunt jambici tetram. catalectici, qui vocantur Hipponactei & septenarii.

V.6. CONSERVAS] Lepidè fores domûs herilis, *Conservas* suas appellat. Sic Ovid. *Duraque conservæ ligna valete fores*: ita enim legendum, non, *consertæ*. Curcul. 1:1. *ædes scelestam servitutem serviunt*: Douza. De servis Ostiariis vide Tit. Popmam.

A 7. AMICVS NOSTRIS ÆD.] *J. Jul.* Furcillis, *inquit*, expello illud, *ædibus*: quod huc inferserunt ii, qui non animadverterent *Nostros* dixisse veteres de iis, qui in eâdem secum familiâ, hoc est, familiares essent; ut cæteros, *Alienos*. apparet manifestò ex Amphit.1:1. B *Certè edepol tu me alienabis nunquam quin noster siem. Nec noster præter med alius quisquam est servus Sosia.* Latiùs hæc tamen postea accepta: & *Noster* sive *Familiaris* quemvis amicum arctiore usu & propè cotidiano cepit significare; *Alienus*, eum qui nullo nos usu attingeret. Lepidè igitur servus

de

de januâ ut de familiarium aliquo loquitur. Etiam Grutero non displicet illud, *ædibus*, expungi: licet MSS. & edit. omnes agnoscant: interim putat non inepté quoque retineri. Acidal. numeris utriusque versûs obsequutus ita l. - *nolo e f. conserbas Meas à te berb. sané e. f. am. nostris. ME. Pol h.* Aptissimé: si Grutero etiam meo persuaderi posset.

13. SI SIT DOMI, D.] i. dicerem tibi, si domi esset. Most. 3. 1. *Dicam, si confessus sit.* Quod genus loquendi *Douza* observat.

15. QVVM VENISSET] ita MSS. & edit. vetustiores, teste Grutero, omnes. idque Valla interpretatur, scil. *ad tonsorem.* Primùm Aldina invexit, *Cum ibisset.* Numeros autem sic vacillantes Acidal. fulcire conatur: *LI. non edepol. ME. non? LI. quidb.*

17. QVI PRO] pro, *pro quo, L.*

18. MERCATV] *Mercatus locus est, in quo agitur mercatura:* Nonius.

19. QVA FACIE] V. N. Pœn. act. 5: 2.

VESTER] ita MSS. Cam. & Palat.

21. TRVC. OC.] βλακουρωπὸς, βλοσυρώπης. ita autem Acidalius ordinatiùs è vett. *Tr. pr. oc. fr. com. st.*

21. COMMODA] i. mediocri. *L. D. Justa statura*, æstimatione Romanâ, senum pedum circiter fuit: qui excederent, erant proceritate notabiles: quare etiam qui septimum pedem implebant, gigantum loco habebantur. Sidonius lib. 8. *Hic Burgundio septipes &c* Idem ad Catulinum: *Spernit senipedem stilum Thalia, Ex quo septipedes videt patronos.* Ubi de pede Romano sensit Poeta: nam aliarum gentium pes brevior. Et auctores sunt Varro, Agellius, & Solinus, summum modum adolescendi humani corporis esse septem pedes ergò infra hos justa statura. De quâ totâ re accuratissimé egit *Is. Casaubo-*

A *nus* l. 3. Animadver. in Sueton. Ita *Godesc. Stebbechius* Comment. Veget. lib. 1. cap. 5. docet, *staturam* sive *proceritatem commodam*, classiis autoribus dici etiam *mediam*, item *militarem.* Et hanc quæ superaret, dictam *staturam proceram*, item *prolixam* Spartiano: *Eminentem* Suetonio: *Eximiam* Livio. Qui minores; *exiles, brebes, & brebi staturâ* dictos, &c. Vid. ibid. item Not. Rud. act. 2: 2. J. Brod. Misc. lib. 4. c. 19. annotat, à Celso lib. 2. & Columb. l. 7. *Corpus quadratum* dici, quæ hîc *commoda statura.*

23. QVASSANTI C.] *Casanti*, pro *quassanti* supposuit Lambinus, inficetissime, ac præter Comici mentem, qui sauream istum suppositium non *casabundo*, i. demisso ac dejecto vultu, uti Lambino placet, verùm *quassanti* potius, quem minitantium ac stomachantium habitum esse scimus, capite ince-
B dentem in Scenā induxerat: *Dousa.* MS. Cam. *quansanti.* Activum verbum absolute aliquando capi. V. N. Merc. act. 2: 4.

24. QVISQ. OBV.] MS. Cam. & Pall. plærique: *quisque obbiam huic accesserit.* Et rectè *Quisque, ait* Grut. Neque erat, cur Lamb. ambitiosè nimis reciperet *Quiqui* illud, quod veniebat Camerario in mentem, &c.

25. ÆACIDINIS] i. Etiamsi *Pelidæ stomacho* (uti apud Horat. est) *cedere nescio*, fastuque & iracundiâ Achilleâ plenus ac sufflatus ambulet. Sic Mamercus Æmilius de Sullâ apud Sallust. *Quare igitur tanto agmine atque animis incedit?* Douza.

25. MINIS ANIMISQVE EXPLET.] Sic Pallat. & vett. edit. passim hæc ordinare Grut. ait.

INCEDIT] vel legendum, *incedat*: vel ita capiendum: ut *edit*, pro *edat.* Acid.

ACTUS II. SCENA IV.

LEONIDA, MERCATOR, LIBANUS.

QVID hoc est negotii? neminem meum dictum magnifacere.
Libanum in tonstrinam ut jusseram venire, is nullus venit.
Næ ille edepol tergo & cruribus consuluit haud decorè.
ME. Nimis imperiosus est. LI. væ mihi hodie! LE. salvere jussi
Libanum libertum! jam manu emissus? LI. obsecro te!

LE. Næ tu hercle cum magno malo mihi obviam occeßisti.
Cur non venisti, ut jusseram, in tonstrinam? LI. hic me moratu'st.
LE. Siquidem hercle nunc summum Jovem te dicas detinuisse,
Atque is precator aßiet, malam rem effugies nunquam.
Tu verbero, imperium meum contemsisti? LI. perii, hospes!
ME. Quæso hercle noli, Saurea, meâ caussâ hunc verberare.
LE. Vtinam nunc stimulus in manu mihi sit! ME. quiesce quæso.
LE. Quî latera conteram tua, quæ occalluêre plagis.
Abscede, & sine me hunc perdere, qui semper me irâ incendit,
Cui nunquam unam rem me licet semel præcipere furi,
Quin centies eadem imperem, atque ogganniam: itaque jam hercle
Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.
Jußin' sceleste, ab januâ hoc stercus hinc auferri?
Jußin' columnis dejici operas aranearum?
Jußin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Nihil est: tanquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum.
Quia triduum hoc unum modò foro operam aßiduam dedi,
Dum reperiam qui quæritet argentum in fœnus, hic vos
Dormitis interea domi: atque herus in harâ, haud ædibus habitat.
Hem ergo hoc tibi! LI. hospes te obsecro defende! ME. Saurea, oro
Meâ caussâ ut mittas. LE. eho, ecquis pro vecturâ olivi
Resolvit? LI. resolvit. LE. cui datum est? LI. Sticho vicario ipsi
Tuo. LE. vah! delenire apparas. scio mihi vicarium esse,
Neque eo esse servom in ædibus heri, qui sit pluris, quàm ille sit.
Sed vina quæ heri vendidi vinario Exaerambo,
Jam pro iis satisfecit Sticho? LI. fecisse satis opinor:
Nam vidi huc ipsum adducere trapezitam Exaerambum.
LE. Sic dedero. priùs quam credidi, vix anno pòst exegi.
Nunc satagit: adducit domum etiam ultrò, & scribit nummos.
Dromo mercedem rettulit? LI. dimidio minus opinor.
LE. Quid reliquom? LI. ajebat reddere quàm extemplò redditum esset:
Nam retineri, ut quod sit sibi operis locatum efficeret.
LE. Scyphos quos utendos dedi Philodamo, rettulitne?
LI. Non etiam. LE. hem! non? si velis, da, commoda homini amico.
ME. Perii hercle. jam hic me abegerit suo odio. LI. heus! jam satis tu.
Audin' quæ loquitur? LE. audio, & quiesco. ME. tandem opinor
Conticuit. nunc adeam optimum est, priusquam incipit tinnire.
Quàm mox mihi operam das? LE. ehem, optume: quamdudum tu advenisti?
Non hercle te provideram. quæso, ne vitio vertas,
Ita iracundia obstitit oculis. ME. non mirum factum est.
Sed si domi est, Demænetum volebam. LE. negat esse intus.
Verùm istuc argentum tamen mihi si vis denumerare,

Repromittam istoc nomine solutam rem futuram.
ME. Sic potius, ut Demæneto tibi hero præsente reddam.
LI. Herus istunc novit, atque herum hic. ME. hero huic præsente reddam.
LI. Da modò meo periculo, rem salvam ego exhibebo:
Nam si sciat noster senex fidem non esse huic habitam,
Succenseat, cui omnium rerum ipsus semper credit.
LE. Non magni pendo! ne duit, si non vult. sic sine astet.
LI. Da, inquam! vah formido miser, ne hic me tibi arbitretur
Suasisse, sibi ne crederes. da quæso, ac ne formida!
Salvum hercle erit. ME. credam fore, dum quidem ipse in manu habeo.
Peregrinus ego sum; Sauream non novi. LI. at nosce sanè.
ME. Sit, non sit; non edepol scio. si is est, eum esse oportet.
Ego certè me incerto scio hoc daturum nemini homini.
LE. Hercle istum di omnes perduint! verbo cave supplicassis.
Ferox est, viginti minas meas tractare sese.
Nemo accipit! aufer te domum; abscede hinc; molestus ne sis.
ME. Nimis iracundè. NON DECET superbum esse hominem servum.
LE. Malo hercle jam magno tuo nunc isti nec rectè dicis:
LI. Impure, nihili, non vides irasci? LE. perge porrò!
LI. Flagitium hominis! LE. da obsecrò argentum huic, ne malè loquatur.
ME. Malum hercle vobis quæritis: LE. crura hercle diffringentur,
Ni istum impudicum percies. LI. perii hercle! age impudice,
Scelestè, non audes mihi scelesto subvenire?
LE. Pergin' precari pessimo? ME. quæ res? tun' libero homini
Malè servus loquere? LE. vapula. ME. id quidem tibi hercle fiet,
Ut vapules; Demænetum simulac conspexero hodie.
In jus voco te. LE. non eo. ME. non is? memento! LE. memini.
ME. Dabitur pol supplicium mihi de tergo vestro. LE. væ! te.
Tibi quidem supplicium carnifex de nobis detur? ME. atque et jam
Pro vestris dictis maledictis pœnæ pendentur mihi hodie.
LE. Quid, verbero; ain? tu furcifer, herum nosmet fugitare censes?
I nunc jam ad herum, quò vocas jamdudum, quò volebas.
ME. Nunc demum? tamen nunquam hinc feres argenti nummum, nisi me
Dare jusserit Demænetus. LE. ita facito. age ambula ergo.
„ *Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?*
Tam ego homo sum, quàm tu. ME. scilicet ita res est. LE. sequere hàc ergo.
Præfiscini hoc nunc dixerim, nemo etiam me accusavit
Merito meo; neque me Athenis est alter hodie quisquam,
Cui credi rectè æquè putent. ME. fortassis! sed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
„ *LUPUS est homo homini, non homo, quom qualis sit non novit.*
LE. Jam nunc secunda mihi facis. scibam huic te capitulo hodie

Factu-

Facturum satis pro injuriâ. quanquam ego sum sordidatus,
Frugi tamen sum, nec potest peculium enumerari.
ME. Fortasse! LE. etiam nunc dico: Periphanes Rhodo mercator
Dives, absente hero solus mihi talentum argenti
Soli annumeravit, & mihi credidit, neque deceptus in eo.
ME. Fortasse! LE. atque etiam tu quoque ipse si esses percunctatus
Me ex aliis, scio pol crederes nunc quod fers. ME. haud negassim.

VERSUS hujus Scenæ similiter sunt Hipponactei. (A)

1. NEMINEM MEUM] ὑπερβολὴ usitata. Tale est hoc, *Nusquam tuta fides.* Id quod ad unum statim Libanum adstringit. Estque hæc figura sermonis, querelarum animique perturbati propria. *Camer. in Joan.*

2. NULLUS V.] Sic Cicero lib. 11. Epist. 24. ad Attic. *Philotimus nullus venit.* ib. lib. 15: 23. *Sextus ab armis nullus discedit.* item lib. 14:3. Sic noster Bacchid. *Nullus affueris.* Terent. *Nullus mones*, &c ubique pro *Non*, eleganter & antiquè, ut annotant Donatus & P. Manutius. Ita Virgil. in Ceiri: *Nulla colum novit*-i. Scyllà colum non novit.

4. SALV. JUSSI] Acidal. l. *jussim*, pro, *jusserim.* Q. d. Tu mihi nunc pro liberto salutandus fueris scilicet. Probabunt hoc, quibus acetum acrius in pectore. & Pareus quidem statim id intulit editioni suæ pr. sed invitis omnibus libris.

5. J. MANU EMISS.] ita Grut. è MSS.

6. OCCESSISTI] Hinc apparet, ubicunque ferè, *Obviam accessit*, habes in Plauto; *occessit*, reponendum. Et *occedamus*, pro, *contrà cedamus*, Plautum dixisse, notat Festus. Tametsi non nesciam, *Ad* pro *Ob*, & contrà *Ob* pro *Ad*, operas, inter se mutuas tradere, &c. *Douza.*

9. MAL. REM] Acidal. ex Ald. fingit: *ita mal.* ex formulâ locutionis Plauto frequenti. Amph. act. 1: 1, v. 294. Epid. act. 5: 1. vers. 5.

13. QUÆ OCCALLUERE] Grut. notat MSS. rescribere, *occaLuère*, litterâ majusculâ, quæ duas valeat.

14. INCENDIT IRA] Cic. & Ter. *incendor irâ.*

17. SUPPED.] ἐπαρκεῖν, par esse. *L.*

18. HOC STERC.] Colerus; *hocce sterc.* metri caussâ. quod dignum putavit Pareus edd. suarum splendore. at si mihi pedes ulli cogniti sunt, enclyticum illud vitiat versum: nec extat in ullo libro. *Servi Scoparii* infimum genus: quorum officium erat sordentia quæque purgare, &c.

19. OPERAS AR.] Catullus vocat *situs amnearum.* V. N. Aul. 1:2. & Stich. 2:3.

20. BULLAS] *Bulla*, Cicero VI. Ver pro capite clavi umbellato, in bullæ modum fastigato, quo superbarum ædium fores configi solent, interdum deaurato: *H. Junius*; & *Germ. Valens* ad Virgil. 12. Æn. Notat & Meursius veteres Romanos studiosè fores suas ornasse sigillis deorum, vel fictilibus, vel æneis, vel inauratis: ut ex Livio, Vitruvioque ostendit Scaliger ad *Antefixa.* Sed & *Bullas* ad ornatum adhibitas. Hinc Persium Sat. 5. *bullatas nugas*, i. bullis exornatas ad forium instar, dixisse. Eaque ornamenta *Antifixa* & *Antepagmenta* appellari &c. Denique *Joan. à VVouweren* ad illud (B) Petronii: *Et qui dies boni, quique incommodi essent, distinguente bullà notabantur*: Bullatos, inquit, clavos intelligit, quibus portæ configuntur: unde *Bullæ ostiorum*, apud Plautum. *Clavis* autem in ostio fixis annos & dies notari solitos, testis observatio antiquitatis de Dictatoribus clavo pangendo creandis.

21. FORO OPER.] V. N. Pers. 3:3. & Sigonium, *De antiq. jur. civium c.* 11.

21. DEDI: DUM] ita MSS. Pall. Cam. & Lang. & vett. edd. recentiores, *dedi absens*: *Dum.*

25. HEM ERGO] *Hem*, verberantis est.

QUO ILLE SIT.] ita MSS. Pall. & Lang. & edd. veteres. est recentt. quod Pareus retinet; quia, inquit, ista duo sæpe permutantur in membranis vetustis. si illa ratio valet, nihil certi erit in libris.

30. VINA-

30. VINARIO] Ita & Suet. in Claud. c. 40. *lanios* & *vinarios* dixit, quos Græci κρεωπώλας & οἰνοπώλας. Utitur & Lamprid. Alex. Eâdemque ratione in vetustis marmoribus leguntur *Pomarij* & *Olearii*, pro his qui poma aut oleum vendunt: & videre est in *Inscriptionibus Gruterianis* pag. DCXLVI. 8,9, 10. DCLII. 11. Notat Torrentius, Ulpianum *vinarios servos* vocare vino deditos.

30. EXÆRAMBO] Casaub. ad Athen. lib. 3. cap. 28. se non meminisse ait hanc viri appellationem usquam apud Græcos legere, ut forsasse *Sammbo* scripserint & Plautus & Græcus, quem Plautus sequitur auctorem.

32. NAM VIDI HVC IPSVM ADDVCERE TRAPEZ.] ita MSS. Pall. excluso illo *ad*, quod infarsere recentiores. Pareus excludit ultimâ suâ particulam *huc*. quæ in MS. Cam. ejusque loco Pall. & edd. vett. *hunc*. & verò sine ea ruit versus manifestariò.

33. SIC DEDERO PRIVS QVAM CRED.] Hui! inquit Leonida: tam citò venarius solvit? heri quæ vina vendidi, pro iis jam hodie Sticho satisfecit? Equidem sic lubeat semper deinceps vendi vena, statim scilicet repræsentato pretio. nam ante hac sanè lentum ille nomen: atque olim quæ credidi, vix anno ipso pôst exigi potuerunt. nunc verò mirè quàm facilis est, & quæ debere vix cœperat, resolvit. qui tamen *quam*, mutabat in *quæ*, ut referatur ad vinum. quod & in utraque Pareana, minus rectè. quippe *quam* notat *pecuniam* pro vino. neque aliter omnes mss. & edd. vett. Passeratius heic anastrophen esse putat, ad lib. 2. el. 18. Proper. ut velit, *anno postquam credidi vix recepi*.

34. SCRIBIT N.] Grut. probat, omnes MSS. & Edd. ante Cam. habere *scribit*, nō, *rescribit*. Turn. l. 4. 13. *Scribere nūmos*, est nummos nō præsentes solvere, sed pro his in certum diem solvendis apud trapezitam se obligare, & per argentarium in certam diem cavere redditum iri nummos qui debeantur. Itaque apud Ter. Phorm. act. 5: 7. *Illud mihi argentum jube rursum rescribi*. valet, Cave mihi à mensâ redditum iri. Sic ibid. *Perscribere*. Hinc *Perscriptores*, qui perscriptiones pecuniarias accepti & expensi conficiunt. Vide Interpretem ad illud Adelph. *Ego ad forum ibo, ut hunc absolvam*: ubi notat; *Tunc in foro & de Mensa scripturâ magis, quàm ex Arcâ domoque numerabatur pecunia, &c.* VERUM enim verò totius loci vulgatam lectionem Pistoris noster omnium optimè visus est explicare. Gloriatur, *inquit ille*, Leonida, se Exærambum eò prioribus suis flagitationibus perduxisse, & adeò sollicitum effecisse in maturandâ solutione, ut quamvis id quod antea ei crediderat, toto demum anno pôst exigere ab eo potuerit, nunc tamen Exærambus ille de maturandâ solutione magis sollicitus sit, (hoc enim est illud, *Nunc satagit*:) adeò ut non necesse fuerit ipsum sequi ad trapezitam in forum, sed ipsemet ultrò trapezitam domum adduxerit, & per eum nummos *rescripserit*, id est, effecerit ut trapezita nomine Exærambi se soluturum constituerit, idque in tabulas suas retulerit. *Rescribendi* autem verbum ita hîc locum habere potest, ut intelligamus, trapezitam pecuniam, quam Exærambo debebat, mutato nomine & factâ delegatione rescripsisse Sticho aut Saureæ. Atq; hoc sensu amplector etiam id quod Gruterus noster in præced. versu observavit, abesse τὸ *ad* a MSS. Ita enim omnia constant. Nec potuit Libanus aliter dicere se vidisse trapezitam; nisi domum adductus fuisset ab Exærambo. Fingit enim Libanus, se domi semper fuisse, ideò ad forum (ut Lamb. opinatur) adduci non potuit. Cæterùm notetur hîc & usus proprius verbi *Satisfacere*: quod generale esse Icti notant; & non tantùm solutionem, quæ nummis fit præsentibus, sed delegationem & quemvis alium modum expediendi debiti denotare, &c. Itaque dum quærit Leonida, an satisfecerit Exærambus: rectè respondet Libanus, se id opinari: cum viderit intervenisse trapezitam. Hi enim solebant adhiberi, quando pecunia numerata non solvebatur. Si quæsivisset Leonida, an solvisset, negandum fuisset id Libano. Rectè igitur excipit sermonem Leonidæ, ut tanto magis verisimilia omnia videantur. *Hæc Pistoris.* Nec tamen ego nescio, quid ingeniosiss. Acidalius hîc moliatur, qui consensum omnium Codd. in suam opinionem transformat & corrigit; & pro, *adducere* legit *abducere*: pro, *adducis domum*, leg. *abducis domo*. dum necessarium prorsus existimat, ut ex ædibus Demæneti servum abduxerit Exærambus ad argentarium, non hunc ipsum illuc: & quæ alia curiosè disputat; sed solâ conjecturâ, nullis libris confisus. Etiam Meursius noster

ster aliam lect.laudat: quam tamen non explicavit.

36. EXT.REDDIT.] i.Acidal. è Florent.legebat, *ext.sibi redd.* versûs caussâ.id in textum recepit Parei utraque, contra consensum MSS.& Edd.vett.quid?quod metro officit.

37. RETINERI] impediri, ut efficeret quod operis sibi sit locatum. Vide Lamb. Comment. SED hanc Lambini. expositionem falsam esse;contra alteram, quam domi habet,verissimam,Pistoris perdocuit. ut dicat,Dromonem excusasse se, quod reliquum non reddat: eò,quod is, cui operæ Dromonis à Saureâ locatæ essent,totam mercedem non priùs solvere velit, quàm opus locatum sit perfectum. *Retineri*,scil.mercedem, vel reliquum.Nos diceremus. Er wolle den Rest zahlen/wann er bezahlet werde. Mann halt es jhm aber an/ biß er fertig mache/was jhm verdinget.Loquitur manifestè de servo(est enim *Dromo* servile nomen:) cujus operæ foràs locatæ erant. Atque ita magnificum se facit Leonida, quasi qui aliorum servorum operas locet.

39. SI VELIS,DA] ironia.Also gehets:Leibe einer nur etwas weg! Grut.suspicatur: *si velis,adcommoda h.am.* Ut *ad* temerè mutatum fuerit in *da.* & verò *accommoda* visitur in Pal.pr.sec.tert.quinto,item edd.vett. Acidal.numeros & sensum ita animat: *LI.Non etiam.LE.non?hem! si vel.*Ita Ter. Andr act.1:2. *DA,Non hercle intelligo.S.non? hem! DA. non Davus sum,non OEdipus.*

40. SVO ODIO] odiosâ loquendi importunitate.Ter.Hec. *Tundendo atque odio deniq. effecit senex.* L.

40. HEVS JAM S.] Videntur hæc, Mercatore non audiente, sibi mutuo insusurrare.

42. TINNIRE] V.N.Prol.Pœn.

45. OBSTITIT OCVLIS] Meurs.è schedis Lang.l. *obstit oculis.*Dicebant,inquit, *Obstire, Obstare.* sicut, *Artire,artare: Impetrire, impetrare: Negire, negare.* Hinc *Negibundus* & *Obstitus* apud Festum: ut *Artitum, Impetritum.* Sic *Abstit* dixit Ovidius XI.Met. -*& quæ pars admonet,abstit.* ita enim Prisc.citat: quanquam perperam pro *Abstitit* positum ait.Sic *Prostire* dixerunt: unde *Prostibulum:* & *Stire* pro *Stare*, unde *Vestibulum*, quasi grande stabulum.ita *Metiri* & *Metari*: hinc rectè Pseud.4:4.*metimur.*

A

46. NEGAT ESSE INTVS] Ambiguum quomodo nos solemus: Er sagte/er sey nicht daheim.

REPROMITTAM]Repromittam tibi neminem amplius isto nomine petiturum,teque omni obligatione liberum præstabo:*L.*Vide. N.Curc.5:2. Et Leon. Malæspinam Epist. ad Attic.lib.5.1.p.137.

50. H.HVIC]Ita edd.vett.item Pall.nam Lang. *ego hoc præsente reddam.* V.C. habet à manu emendatrice: *hero huic præsente te reddam:* quod stupor Parei in editionem suam retulit,reclamantibus & numeris & sententia.

51. DA MODO MEO PERICVLO] Destruxerim potius: *Da modò! meo periculo rem.* V.N. Capt.2.2.v.99. Pareus, qui *periclo* expressit cum MS. Cam. ostendit tantum ignorantiam suam. Sic sanè scribi nequit sine ruina versûs.

53. CVI OMNIVM R.] *Omnium rerum*, i.quod ad res omnes attinet. Sic *Cæterarum, Aliarum rerum* dici Ciceroni & aliis, Hotomanus in Observat. Intelligitur autem hîc *servus Actor*: διοικητὴς πάσης οὐσίας: quibus rerum omnium summa commissa: quique villicis rebus & rationibus domesticis præpositi. Suetonius *Actores summarum* vocat. Ab *Actore* tamen differt *servus Procurator*, & *Dispensator.* Videatur,præter Tit. Popmam, Rævardus Var.Lect.lib.5:20. item *Haiminsfeldus* in Dositheum, & *VVouverius* Animadv.in Petron.V.N.suprà, 2:1. Etiam *Gruterus* unicè probat lectionem istam, cui alludunt.MSS. Cam.& om. Pallatini veteresque edd. *cui omnium rerum ipsius semper credit,* (ita & Turn lib.18:25.) extritâ voce illâ, *summam*,quæ in postea vulgatis.V.N.Amph. 2:2. *Credere duarum rerum.* Pareus dum Literam abire non vult à chirographis, in quibus *credidit*, metrum longius facit quàm natura ejus patitur.

B

56. AC NE FORMIDA] *J.Gul.*mâlit, *ah, ne form.*ita Servi malè sibi metuentis verba fuerint.& sic illicò in contextum ed.pr.suæ retulit Pareus,repugnantibus omnibus libris.

57. IN MANV HABEO]ita MS.Cam & vett. Edd.Alii,*habebo.*

60. ME INCERTO]dum incertus ero. *L.*

61. HERCLE ISTVM]Hæc omnia sine ullo judicio,tribuit Libano, utraque editio Parei, cùm Leonidæ esse, res ipsa clamet.idem quoque

que in ultima, pueriliter versum 64. adhuc relinquit Libano. esse Chlamidati; stultus quilibet intellexerit.

62. FEROX EST] Wie macht er sich mit ander Leuth Geld so petzig.

64. NIMIS IRACUNDE] *J. Gul.* totum hunc locum ita restituit è Langianis: *CHL. Nimis iracundè, non decet superb. esse hom. servum. LE. Malo hercle jam magno tuo, ni isti ne-rectè dicis. LIB. Impure, nihili, non vides irasci? LE. perge porrò. LIB. Flagitium hominis. LE. da obsecro argentum huic, ne male loquatur. CHL. Malum hercle vobis quæritis. LE. crura hercle diffringentur. Ni istum impudicum perties. LIB. perii hercle, agè impudice, Scelestè, non &c.* Cùm Leonida magnificè à se rejecisset Chlamidatum, & ille diceret, non decere superbiam servum: conversus ille ad Libanum, Malum tibi, inquit, nisi in istum (Chlamydatum innuens) mala multa verba congesseris. Cui alter paret sanè diligenter; & tamen instat, ut pergat hic: & qui speraret conviciis aliquid profectum, numerari sibi argentum jubet modestius: ita finem maledicentiæ fore. sed strenuè *Chlamydatus* sustinet hæc omnia: quod non fert contumax scurra Leonida, & quasi parum fecisset Libanus, impudicitiam præterea peregrino exprobari jubet: quod convicium homini libero gravissimum; & adjicit, nisi ita faciat, vapulaturum: & simul ad verberandum gestu se parat, quem metuens scilicet Libanus, auxilium se petere ab hospite simulat, adspersis interim flagitiorum istis nominibus, &c. *Hactenus J. Gul.* cujus quidem distinctioni accedere ferè MSS. suos Gruterus testatur, nisi quod ii ultimò ordinent. LE. *crura h. diff. Age impudice, nisi istum impud.* quod & *in edd.* primis.

64. SERVUM HOMINEM] Talia sunt, *mulier ancilla*, apud Sallust. ἀνὴρ ἁλιεὺς, apud Herodot. in Thalia: βυλῃφόροι ἄνδρες ἀνθρωπῳ οἰκοδεσπότῃ, apud B. Matthæum Evangelist. cap. 20.

65. NEC-RECTE] Palm. l. *nerectè.* ut & Meurs. ex Ald. cod. ita Sallust. *nejure*, i. non jure, injuriâ. sed utrumque veteribus usurpatum, *nec-rectè* & *nerectè.* V. N. Mostell. 1:3.

68. DIFFRINGENTUR] *Crurifragium* sive *Crurifrangium*, σκελοκοπία, ut *Crux* ipsa, servorum peculiare quasi supplicium fuit. Ratio autem & modus frangendi crura talis erat; ut incus cum malleo vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi apponerent, validis ictibus sic frangendas. Vide J. Lips. *De Cruce* lib. 2. c. 14. & nos Pœn. 4:2.

69. PERCIES] Cave cum Lamb. aut mutes in *percuties*, aut in obscenum sensum trahas. Vult impudicum saltem clarâ voce proclamari: quod significat *perciere*. Sic Bacch. act. 3:3. *-quod herum tam ciet?* malè enim ibi *accusat* exponitur. Tac. l. 3. Hist. *principes auctoresque belli ciebat.* In his & plurib. locis aliis valet tantùm *vocare, nominare* Acidal.

70. NON AUDES] οὐχ ὑπομένεις, οὐ τολμᾷς; *L.*

70. MIHI SCELESTO] mihi infelici, cui dii sunt irati, ut scelesto: *L.* Sed ego simpliciter accipio. q. d. ut nos solemus: Es ist ein Schelm wie der ander.

72. VAPULA] V. N. Persa. 1:3.

74. IN JUS VOCO] *Ant. Goveanus JC.* Var. Lect. lib. 1:47. *In jus vocare* est, non *adjournare*, ut Galli loquuntur; sed in jus ad magistratum manu ducere, &c. *Citari* autem (quo verbo hodie abutimur) est voce præconis vocari coram magistratu. Vide Juris Interpp.

74. MEMENTO] Alludere videtur ad formulam *antestandi*: Vide N. 4:9. Persâ.

77. PRO VESTRIS DICTIS MALEDICTIS] ita MSS. Pall. & Cam. & Edd. ante Aldũ. MSS. Lang. *pro dictis vestris maledicis.* Pareus versum verè horrendum concinnavit nobis, dum libris omnibus abnuentibus, eodem trahit de præcedenti metro, *atque etiam.*

78. QUID VERBERO? AIN'? T. F. H.] ita Grut. interpunxit.

79. I NUNC] ita Pall. & edd. nisi quod V. C. cum prius fuisset *Ei*, emendatum habeat, *L. i nunc.* Sed non inelegans est distinctio Paris. & Arg. edd. *MER. quò vocas? L. E. jamdudum quò volebas. MER Nunc &c.*

80. NUNC DEMUM T.] ita MS. Cam. & vett. edd. J. Douza è Parmensi & Brix. distinguit, *Nunc demum?* sc. ad herum te venire velle.

82. TU CONTUMEL.] Duo sunt, *Contumeliam facere* & *Contumeliam dicere.* hoc in verbo, illud in facto positum. Contumeliosus a. facto est, qui liberum verberat: *L.* Antonius dixerat, *Facere contumeliam*, pro afficì contumeliâ; ut, *facere damnum, jacturam*: quam phrasin Cicero Philip. 3. reprehendit. non tanquã nemo unquam sic locutus fuerit, sed quod tũc ita nemo loqueretur.

nam alioqui Cato pro se contra Cassium: *in hac contumelia, quæ mihi per hujusce petulantiam factum itur.* adeatur Oratio Julii Cæs. Scaligeri pro Tullio contra Erasmum. taceat autem miser ille Lexicographus, qui Ciceronem heic ferulæ suæ subjicere cupit: taceat. Vide Commentar. Cam. in 1. Tuscul. Quæst. Ter. Phorm. *Benedictus si certasset, audisset bene.* Item: *Si mihi pergit, quæ vult, dicere, quæ non vult, audiet.* D. Hieron. *Nihil super hoc audies, nisi illud è trivio: Quum dixeris, quæ vis; audies, quæ non vis.* Apud Quintil. *Nec malè respondit, malè nam prior ille rogârat.*

84. Præfiscini] *Scal.* ad Varronis verba; *Quòd pueris turpicula res in collo quædam suspenditur,* notat; *Fascinus* vel *fascinum* dicitur *veretrum.* Horat. 8. Epod. *minusve languet fascinum.* Videtur ita dictum, quòd depelleret fascinationes. Itaque pro amuleto è collo pueris suspendebatur. Hinc *præfiscini, ἀβασκάντως.* Titinn. *Paula mea, amabo, pol tu ad laudem addito præfiscini.* Ne scilicet (ut addit Charisius) puella fascinetur. *Muretus Var. Lect.* lib. 9:3. Vetus erat opinio, periculum esse aliquod à fascino, ubi quis impensius aut laudaret ipse se, aut præsens ab alio laudaretur. Et ex ea opinione receptum erat, ut in laudando plærunque adderent vocem *præfiscinè* aut *præfiscini.* quâ invidiam & fascinum à se amolirentur ac deprecarentur. Quale est, quòd etiam hodie utimur, *Dicto absit invidia.* Est autem *præfiscini* idem quod μὴ προβασκανίω, &c. Vide Scalig. Fest. in *Prosperu.* Turneb. l. 14. c. 31. Agell. lib. 10:24. item J. Gul. Verisim. l. 2. 14. Schop. Verisl. l. 1. 17. ad illa Symmachi l. 1. epist. 7. *nullo fascino felicitas publica mordeatur,* notat: *Fascino morderi,* est invidiâ lacerari, & ut ait Horat. *invideri* ac fascinari. Nimiam enim prosperitatē ab invidiâ fascinari credebant. Propert. lib. 1. el. 10. *Olim gratus eram* &c. Et Virgil. *Aut si ultra placitum laudârit,* &c. Cum igitur hic magnificè de se loqui vellet Leonides quasi invidiam à se amoliri cupiens, ait: *Præfiscini hoc nunc dixerim*: Ohne ruhm zumelden. Oder: Gott gebe/ das ichs zu einer guten Stund rede.

88. Lupus est] ita Seneca Epist. 103: *Ab homine homini quotidianum periculum.* Huic adsidet illud Anacharsidis Scythæ, qui interrogatus, τί ἐστι τὸ πολέμιον ἀνθρώποις; Αὐτοὶ, ἔφη, ἑαυτοῖς: *Quid homini maximè infestum esset? Ipsi, inquit, sibi ipsis.* Contrarium illi Cæcilianō, apud Symmachum: *Homo homini Deus est: si suum officium sciat.* Vide Ritterh. Oppian. l. 2. Hal. & Tiraquell. de Nobilitat. cap. 32. & J. N. Leonsem Miscell. l. 7, 19.

89. Secunda mihi F.] i. succidanea sc. *hostiâ*: Auferendi casu positum. Virg. *Cum faciam vitulâ*; i. cum sacrificavero. Ironia urbana est. Etiam MS. Camer. l. *secunda*: ut & Pall. codd. vett. sex. & antiquitus cusi. Lipsius Ant. Lect. l. 5:13 leg. *Secundas mihi facis.* Quid sit, *Secundas facere,* aut, *Secundas agere,* docet Seneca, 3. de Irâ: *Optimum judicavit, quicquid dixisset sequi, & secundas agere. Non tulit. Cælius assentientem,* &c. Tractum à Comœdis primis & secundis, sive primarum partium, & secundarum. Hi autem submittebant, & patiebantur illos excellere: ideoque *secundas* (scil. *partes*) *agere,* demittere & blandiri. Hæc Lips. ad Senecam. Palm. l. *Jam nunc secundas mihi agis*: vel: *secunda mihi jacis,* ita *jacis,* pro, *dicis*; quod notissimum. Quando Mercator, quicquid diceret Leonidas, identidem fateretur; (& apparet id ipsius responsionibus: *scilicet: ita res est: fortassè: non negassim*) jam nunc, inquit Leonidas, mihi agis secundas, hoc est, adsentaris, neque contrà tendis: Seneca lib. 3. de Ira: *Optimum jud.* Qui hoc in Scenâ faceret, *subdigam* vocant Glossæ veteres, & interpretantur ὑποκριτήν. *De secundariis* quidem & *tertiariis*, nota res. Hor. 1. epist. 18. *-sic nutum divitis horret, Sic iterat voces, & verba cadentia tollit: ut puerum credas sævo dictata magistro Reddere, vel partes mimum tractare secundas.* Sic ergò, *secundas agere* hic Plautus dixerit. Etiam Acidal. in alio, *secundas mihi acis,* i. agis, præ illo *facis*: cùm *agendi* verbum in Scenâ habitet, non *faciendi.* Sed tamen & *secundas facere,* in Appollinari est, l. 1. ep. 2. De Theodorico rege Gothorum: *Secundas fastidit vel timere vel facere.*

89. Huic capitulo] quasi de semi libero. servi enim in jure caput non habent, ideo nec capite minui possunt. Propert. 2. el. 8. *-an usque in nostrum jacies verba superba caput?* i. in nos liberos. *Passerat.*

91. Nec pot. P. enim.] ἀμφιβολία. Nam quod *nihil* est, numerari non potest: & quod *nimis multum*; ægrè potest: L. Ex Is. Casauboni Theoc. lect. scitu digna, etsi huc fortassè non pertinētia, annotabo: ἀριθματὸς pro *paucis* eleganter Theocr. usurpat; cum ait, ἀριθματοὶ ἀπὸ πολλῶν. Horat. *numerabilis, ut pote parvus.* alii

alii Græci, *ἀρίθμητος*. Sed omnium elegantissimè Hebræi, qui paucitatem indicaturi, dicunt; *erat numerus*: ut Gen. 34. & Is. 10.

91. PECVLIVM] quod servo herus permisit, veluti proprium. Ita Grut. simpliciter, neglectis Lambinianis. Pareus in Electis talem format gnomam ex versu hoc: Divi-

A tiæ rarò cum virtute conjunctæ. Quid alienius à mente dicentis? vult: Non est quod me æstimes ex vilitate vestis. tantum enim fideli frugalitate consecutus sum peculii, ut eo nemini cedam.

92. P. RHODO] V. N. Bacchid. 2: 2. & Merc. 5: 2.

ACTUS III. SCENA I.

CLEÆRETA lena, PHILENIUM meretrix.

NEQVEON' ego te interdictis facere mansuetam meis?
An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies?
PH. Vbi piem Pietatem, si isto more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?
CL. An decorum est adversari meis te præceptis? PH. quid est?
„ *CL. HOCCINE EST pietatem colere, matris imperium minuere?*
PH. Neque quæ rectè faciunt culpo, neque quæ delinquunt amo.
CL. Satis dicaculæ es amatrix. PH. mater, is quæstu'st mihi:
Lingua poscit, corpus quærit, animus orat, res monet.
CL. Ego te volui castigare, tu mî accusatrix ades.
PH. Neque edepol te accuso, neque id me facere fas existimo.
Verùm ego meas queror fortunas, quum illo quem amo prohibeor.
CL. Ergo una pars orationis de die dabitur mihi.
PH. Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi.
Ad loquendum, atque ad tacendum tûte habeas portisculum.
Quin pol si reposivi remum, sola ego in casteriâ
Vbi quiesco, omnis familiæ caussa consistit tibi.
CL. Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audacissimam?
Quoties te vetui Argyrippum filium Demæneti
Compellare, aut contrectare, colloquive aut contui?
Quid dedit? quid deportari jussit ad nos? an tu tibi
Verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro datis?
Vltrò amas, ultrò expetessis, ultrò ad te arcessi jubes.
Illos qui dant, eos derides: qui deludunt, deperis.
An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si moriatur mater sua?
Ecastor nobis periculum magnum & familiæ portenditur,
Dum ejus exspectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeò nisi mihi huc argenti affert viginti minas,
Næ ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies summu'st apud mè inopiæ excusatio.

PH. Patiar, si cibo carere me jubeas, mater mea.
CL. Non veto ted amare, qui dant quâ amentur gratiâ.
PH. Quid si hic animus occupatu'st, mater, quid faciam? mone. CL. hem!
Meum caput contemples, si quidem ex re consultas tuâ.
PH. Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas ovis,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam.
Sine me amare unum Argyrippum animi caussâ, quem volo.
CL. Intrò abi! nam te quidem edepol nihil est impudentius.
PH. Audientem dicto mater produxisti filiam.

VERSVS troch. tetram. catalectici.

V. 1. NEQVEON' EGO TE] Lamb. l. *ted interd.* Cam. *te* retinendum διαιρέσει censet: ut mox, *Et meam p. loquendi*, non elidetur litera *i.*

2. VT QVI] pro, *ut qua.* L.

3. PIEM P.] i. colam: *Nonius.*

5. AN DECORVM] *J. Gul.* è Lang. l. *An decorum est adversari meis te praceptis quidem? Hoccine.* Et apparet sanè, *inquit*, hæc omnia continuanda sub personâ Matris. Jam, *quidem*, ita sæpè traducit Plautus. Capt. *Vin te fortunatum faciam? HEG. Mâlim quàm miserum quidem.*

7. QVÆ DELINQ.] i. in quibus. ut ad *Parentes* referatur: *Douza.*

8. IS QVÆSTVS MIHI EST] Arnob. lib. 4. *Cujus fuerit conditionis Venus, cujus opera, cujus quaestus.* Omnia significantissimè. De *conditione* V. N. Aul. act. 3: 5. *Operæ* quoque propriè. sic ἐργάζεσθαι dicunt: & meretrices vocantur ἐργάστριαι: atque earum ἐμπολὴ ac *quaestus*, ἐργασία.

9. ANIMVS ORAT] Malit Acid. quod alibi vidisse ait, *an hortat.*

13. DE DIE] Parei Lexicon perperam explicat, à prima parte diei: neque id patitur Latinè loquentium ratio. V. N. infra 4. 2. v. 16.

13. DABITVR MIHI.] ita MS. Cam. & vett. edd. Sed *Pistori* lectio Veneta probatur, cum notâ interrogationis. ut indignabunda hæc dicat Læna: Tandem ego etiam hoc die loqui potero? Werd ich dann heut auch einmal zu wort kommen?

15. AD LOQVEND.] idem dicit aliis verbis. Tu ipsa jus habeas & orationis imperandæ, & silentii indicendi.

15. PORTISCVLVM] *Scal.* ad Festum: Glossæ, *Portisculus*, κελευστής. Qui est *praeco* aliàs, is in nave *portisculus.* præco audientiam faciebat in Comitiis; in Sacris & Spectaculis faventiam: portisculus modum remigibus dabat. Douza, *Portisculum*, inquit, plerique omnes pro remigum hortatore sive etiam *Pausario* (ut Seneca Epist. LVI. appellat) eoque qui perticam, sive, ut aliis placet, malleum sibi cognominem manu tenens, *requiemque modumque* (ut apud Ovid. est) *voce dabat remis*, accipiunt. Ego perticam ipsam, non autem perticæ gestorem designari autumo. Ea enim (Festo ac Nonio superstitibus) *portisculus* dicebatur, &c. Et quæ Statianus interpres de *Casteriâ* tradit, ea ad portisculum referri omnia debent. At verò Daniel Heinsius ad istos Silii versus, VI. *mediæ stat margine puppis, Qui voce alternos nautarum temperet ictus, Et remis dictet sonitum, pariterque relatis Ad numerum plaudat resonantia cærula tonsis*: docet, *Portisculum* sive *Celeusten* & locum seu pergulam significare, & eos qui in eâ. Atque in hanc rem illa Nonii sic emendat: *Portisculus propriè est hortator remigum, id est, qui eandem pergulam tenet, quæ portisculus dicitur, in quâ excursum & exhortamenta moderatur.* Vid. ibid. Sed & Comment. P. Merulæ ad l. 7. Annal. Enni: à quo (ut ibi ait) *Portisculus* dicitur *Hortator*: item *Jussor* Glossographo: unde *Jussa* apud Sallust. ut & *Hortamenta* apud Nonium (ita enim è MS. leg. ibid. non *Exhortamenta*) Ascon. in Divin. Cic. *Cani remigibus κέλευσμα per symphoniacos solebat & per assam vocem, id est, ore prolatam, & interdum, ut in Argo navi, per citharam.*

16. CASTERIA] Nonius: *Casteria, locus, ubi, cùm navigatio conquiescit, remi & gubernacula*

nacula conquiescunt. Vide & Turn.l.4: 13. qui *scbasteria* legit. G. Colerus notat in MS. Birckheim.legi, *cisteria*: hocque statim hi-tulentæ primæ ingessit Pareus, contra eunti-bus MSS.Pall. & editionibus omnibus.

17. CONSISTIT TIBI] i. in te sita est: *Donza.* Pistoris censet singularem illam vocis *caussa* significationem hinc erui posse, cujus in Jure non obscurus usus est, cum dicimus: *rem alicui restituendam esse cum suâ caussâ*, i. cum omni emolumento, quod ex re habere potuisset. Ita ergò, *omnis caussa familiæ tibi consistit*, esset, omne emolumentum, quod ex familiâ capis, cessat & impeditur. Ut mirum sit, Alciatum JC. id mutasse. *Val. Acidalius*, Etsi, inquit, *caussam* interpretari licet *rem & rationem*, ut Lamb. cepit: tamen quia insolentior est locutio, suspiceris legend. *omnis familia cassa consistit tibi.* Ubi ego vaco, vacat & esurit mecum tota familia. hoc enim est, *Consistit tibi*: non, in te sita est. *tibi*, velut abundat, ut sæpè. & *consistit*, valet, unà simul sistit pariterque quiescit. sic *constare*, simul stare, Curc. act. 2: 3. Tacitus 4. Hist. *Quo discreta virtus manifestius spectaretur, sibi quæque gens consistunt.* unde apud Fest. *Constitutus* (f. *Constitus* i. simul statio) *hominum, à consistentium multitudine appellatur*, Sic Aeid. cujus commento, unctius fecit editionis primæ cœnum Pareus. interim in secunda factum istud novitiis criticis imputat: adeo peccatum suum tegi posse putat dum aliis impingit, non sibi.

22. DICTA DOCTA] lepida, urbana. Ennius: *Haud doctis dictis certantes, sed maledictis. L.*

24. ILLOS QVI DANT, EOS DERIDES: Q. DEL.] ita MSS. Pall. & edd. vett. sed Cam. à manu emendatrice; ut forte prius fuerit, *Illos qui datant, derides*, vel potius, *qui danunt.* Scaliger notavit, *Illis qui dant &c.*

26. SI MORIATVR] MSS. & vett. edd. *si moritur.*

26. MATER SVA] ut *suus pater*, in duodecim tabulis, & apud Ciceronem identidem. Terent. Hec. 4. 4: *Mater quod suasit sua adolescens mulier fecit*, ubi Donatus, *sua* pro *ejus*. malè. est n. cognationis ea appellatio, ut *suus heres*. Plaut. Mil. 2. 1: *Conjicit illam in navem clam matrem suam.* Proper. 3. el. 10: *Increpet absumptum nec sua mater Ityn.* ibi Passerat.

28. DVM EIVS] Heraldi Cod. habet. *Demeneti si exp.* quomodo jam in Frising. hærere, ætas est quod prodidit Sambucus: nec mora, Pareus id invexit editioni pr. invitis Pall. & edd. omnibus.

30. LARGVS LACR.] qui nihil largitur præter lacrimas. Virgil. *Largus opum.* Talia sunt, *Prodigus animæ, æris*, Horatio: &, *alieni appetens, sui profusus*, Sallust. L.

31. HIC DIES SVM.] Sic v. c. Qui negat se nobis quicquam dare posse propter inopiam, is mihi quodammodo mortem denunciat. *Alii sic*: Qui mihi inopiam excusat, ei hic dies postremus erit, quo me conveniat: L. Pall. sex & edd. vett. *summa est inop. &c.*

33. QVA AMENT GRATIA] qui dant ea, propter quæ digni sunt, ut amentur. *L.* Colerus l. *quâque amentur gratiâ.* quod & statim avertit in cloacam suam ed. pr. Pareus.

34. OCCVPATVS] amore Argyrippi.

35. CAPVT] quod jam canum est.

35. CONTEMPLES] pro, *Contemplexis.* Vide Agell. l. 18: 12. Pareus isto ex loco auream elicuit in Electis sententiam: Canities parentum debet liberis stimulus esse ad virtutes! Quàm acutè! quàm appositè! tale quid, vix hinc eruisset Apollo Pythius.

37. PECVLIAR.] *Peculatorias oves* hoc genus indigetat Varro, quæ nimirum servis aut filiisfamiliâs sunt in peculio.

39. PRODVXISTI] ἀμφιβολία. nam scorta *producunt* lenones: hinc *productores* dicuntur, προαγωγεῖς. & *producunt* parentes liberos, qui suscipiunt &c. & *producitur*, qui foràs aut in medium ducitur. *Producere* Marcello, Donato & Parrhasio, h. l. est prostituere, προαγωγεύειν, non προάγειν. Gruterus *produxisti* simpliciter hìc accipit pro, educasti, instituisti.

ACTVS

ACTUS III. SCENA II.

LEONIDA, LIBANVS: servi duo.

PERFIDIÆ laudes gratiasque habemus meritò magnas,
Quum nostris sycophantiis, dolis, astutiisque,
Scapularum confidentiâ, virtute ulmorum freti,
Qui advorsum stimulos, laminas, crucesque, compedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Indoctoresque acerrimos, gnarosque nostri tergi,
Qui sæpe antè in nostras scapulas cicatrices indiderunt:
Eæ nunc legiones, copiæ, exercitusque eorum,
Vi pugnando perjuriis nostris, euge, potiti.
Id virtute hujus collegæ, meâque comitate
Factum est. LI. qui me vir fortior est ad sufferendas plagas?
LE. Edepol virtutes qui tuas nunc possis collaudare,
Sicut ego possim, quæ domi duellique malè fecisti.
Næ illa edepol pro merito nunc tuo memorari multa possunt:
Vbi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris,
Vbi verbis conceptis sciens libenter perjuraris,
Vbi parietes perfoderis, in furto ubi sis prehensus,
Vbi sæpe caussam dixeris pendens adversus octo
Astutos, audacis viros, valentis virgatores.
LI. Fateor profectò ut prædicas, Leonida, esse vera.
Verùm edepol næ etiam tua quoque malefacta iterari multa
Et vero possunt. ubi sciens fideli infidus fueris:
Vbi prensus in furto sies, & manifestò verberatus,
Vbi perjuraris, ubi sacro manus sis admolitus,
Vbi heris damno, molestiæ, & dedecori sæpe fueris,
Vbi creditum quod sit, tibi datum esse pernegaris,
Vbi amicæ, quàm amico tuo fueris magis fidelis,
Vbi sæpe ad languorem tuâ duritiâ dederis octo
Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis.
Num malè relata est gratia? ut collegam collaudavi!
LE. Vt méque téque maximè atque ingenio nostro decuit.
LI. Iam omitte ista, atque hoc quod rogo responde. LE. rogita quod vis.
Argenti viginti minas habésne? LE. ariolare.
Edepol senem Demænetum lepidum fuisse nobis.
Vt assimulabat Sauream med esse, quàm facetè!
Nimis ægrè risum continui, ubi hospitem inclamavit,
Quòd se se absente mihi fidem habere noluisset.

Vt memoriter me Sauream vocabat atriensem!
LI. Manedum. LE. quid est? LI. Philenium estne hæc quæ intus exit?
Atque Argyrippus unà. LE. opprime os: is est. subauscultemus.
Lacrimantem laciniâ tenet lacrimans. quid nam esse dicam?
Tacitè auscultemus. LI. attate! modò herclè in mentem venit.
Nimis vellem habere perticam. LE. quoi rei? LI. qui verberarem
Asinos, si fortè occœperint clamare hinc ex cruminâ.

VERSUS sunt rursus Hipponactei: quales & seq. Scenæ.

V. 3. SCAPUL. CONFIDENTIA] i. *duritiâ & patientiâ*: Nonius.

3. VIRTUTE ULMORUM] Hanc lectionem, quam constanter omnes vett. cod. & MSS. Cam. referunt, Douza tuetur, contra Lamb. & Bosium: qui legunt, *virtute humerorum*, sive *armorum*; ab *armus*. Quanquam nec hoc postremum planè spernit. Dousæ accedit optio Gruterus: ac miratur, quid sibi velit, qui contra omnium manuscriptorum codicum auctoritatem, omnem etiam vernilitatem, nunc quoque nescio quæ sua somnia amplexetur.

4. QUI ADVORS.] Lamb. l. *Quom*: vel, *Qui*, accipiendum ait, pro, *quo modo*: ut & Bosio videbatur. Acidal. hoc ἀνακόλουθον sanare conatur hac lectione: *virt. ulm. freti, Advostium stimulos, lam.* & cui (inquit) aliàs τὸ *eorum* versu 8. accommodabitur? *Advostem* (in vulgat. Cod. est *Advoses*) Festus exponit *adversarium*. Glossar. *Advores*, ἐναντίοι. (ita & Scaliger citat.) Aut si hoc cascum, *inquit*, magistelli concoquere non possunt, retineant *adversum*, pro *adversorum* sive *adversariorum*. Sanè τὸ *Qui* apparet in vett. editionibus plerisque melioribus, itemque in MS. Cam.

4. LAMINAS] Cicero: *Quid, cùm ignes candentesque laminæ cæterique cruciatùs admovebantur?* Lucr. *Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.* Vide Brodæi Miscell. lib. 2. cap. 10.

5. BOIAS] V. N. Capt. 4: 2.

6. INDOCTORESQUE] ita & edd. vett. & MS. Cam. & Pall. sex. Lamb. l. *In doctoresque*. Turn. lib. 24: 31. *Doctores*, inquit, interpretor virgatores & lorarios, quos jocans Comicè *doctores* appellat: propterea quòd doctores discipulos cædere virgis soleant, præsertim qui sunt plagosi. Ab simili tralatione statim etiam dixit *artitos viros &c.* Camerarius existimat, Plautum finxisse *incloctores*, de sonitu verberum: ut illud; *tax tax tergo erit meo.* nam κλωγμὸν πεποιημένως strepitum & sonitum Græci appellârunt: ut in jocoso oraculo Luciani, μόνον ἐπεγκλωσεῖ κλωγμῷ. Palmerius, *Inductores*, inquit, Plautus dixit, pro ductoribus: quòd exercitum ulmorum in terga & scapulas inducerent: adde compedes & manicas quoque. Glossarium *inductorem* interpretatur ἐμβιβαστήν. Probat hoc *Colerus*, & interpretatur *duces*. atque verbum prorsus militare esse, *Inducere*. Glossar. εἰσακτής, *Inductor, &c.* Probat & Acid. totumque hunc locum variè sollicitat.

8. EXERCITUSQUE EORUM] ita Cam. edidit. Cum tamen in MS. sit *forum*, ut & in vett. edd. aut certè *furum*: quomodo etiam *forum* illud interpretantur, quasi φώρων. J. If. Pontanus suspicatur leg. *exercitûsque lorum*. Servos flagrorum sive lororum gymnasia esse, notum.

9. VI PUGN.] Rectè Acidal. hæc ita junctim legit: *Vi pugnando perjuriis nostr.* quasi vi, i. fortiter perjuriis pugnârint.

9. POTITI] sc. sumus. i. expugnavimus & cepimus: *D.* At J. Palm. l. *Eæ nunc legiones, copiæ, exercitusq; herorum Vi pugnando, p. &c.* Parârat uxor Demæneti exercitum. cum Leonidas commemorat, stimulos, laminas, & quæ porrò addit: ac ne quid justo bello deesset, ductores etiam præfecerat, Sauream atriensem, hunc primum: deinde servos lorarios. Ob id nunc triumphat Leonidas & Libanus, eas legiones & copias herorum suorum potitas: quam victoriam ii suis perjuriis debeant. Vide & Not. Epid. 4: 1.

14. NÆ ILLA] Lamb. l. *Ne ille ed. pro m. nunc t. memorare m. possit?* Ne sit oratio anacoluthos scilicet. quæ tamen sic etiam cohæret.

VERBIS CONCEPT.] V.N.Pseud. act.1: 3.

16. PAR. PERFODERIS] hoc Græcis est τειχωρυχεῖν. V.N. Pseud.4.3.

18. ADVERSVS OCTO] V.N.Amph. act. 1: 1.

19. ASTVTOS, AVDACIS] Sic MS. Cam.& codd. antiquitùs excusi: nam Pall. *audaces*, quod idem est. Turneb. lib. 24: 31. l. *artitos*. atque ita, *inquit*, loquitur, quasi se in judicio defenderit adversus disertos & eloquentes viros: sed tamen, præter opinionem, *virgatores* jecit, exspectationem fallens. *Artitus* autem à Festo explicatur, & à vetere Critico exponitur, πάντεχν@, δαίδαλ@. Festus: *Artitus, i. bonis artibus* (Douza l. *artubus*) *instructus*. Gifanius tamen ex Scauro pertendit, *artibus* per *i* olim & scriptum & scribendum: sive ab *arte* descendat, sive ab *artibus*, i. membris. J. Gruterus, in Schedis Pallat. ad illud *Astutos* notat: Venit fortè ab *astu*, i. urbe: lateatque ambiguitas in voce: ut cùm sentiat de virgatoribus, velit tamen inducere auditores, priusquam reliqua audierint, putent aliquid subsecuturum de octoviris. Sed quid vetat etiam *Taubmanni* somnium audire? ARS, primâ suâ origine robur corporis ac fortitudinem designavit. (Græca enim omnia ἄρης ἀρετὴ, εὐάρετ@. Inde *Quinquertio*, qui *artes* istas & quincuplex quasi robur cestu, pugnâ, luctâ, pugillatu & cursu experiebatur victor: πένταθλ@ Græcis. An non ergò verisimile sit, festivum Comicum ejusmodi *artitos virgatores*, & non tam πεντάθλους & *quinquertiones* in virgidemiâ, quàm σταυπάθλους *artitos* & *robustos* innuisse?

19. VIRGATORES] i. lorarios: *Turneb.*

21. ITERARI] memorari, antiquè.

22. FIDELI] *Fidelem* hìc arbitror, qui tibi fidebat. quod sic effert Mostell.2: 2. ——*per fidem deceptus sum*. Grut.

26. DAT. EXPERNEG.] Sall. *adiurabat creditum*.

28. TVA DVRITIA] σῇ καρτερίᾳ, ut dicam ὁμηρικῶς. L.

29. AFFECTOS L.] ita MS. Cam. & vett. Cod. instructos flexilibus virgis. Virgil. 7 *lentum flagellum* dixit. Bosius l. *affectus*, i. cæsus. Ad hunc porrò locum facit illud convicium in flagitribas, Titinnl: *Lassitudo conservum, redubiæ flagri*. i. qui delassare consuetus valentiss. virgatores conservos tuos. Solebant enim Servi olim inter se flagellare. *Reduviæ flagri* addit: quasi circa illum flagra se resolvant, tergi firmitudine scilicet contritâ ac dissipatâ. Unde & *Reluvium* ἀπὸ τοῦ *luo*, i. solvo. Quæ Douza copiosè tractat Centur. l. 1. c.7. Notum est & illud Cic. pro Rosc. Amer. *Cum capiti mederi debeas, reduviam curas*: παρωνυχίαν. Cujus usus est, cum quis leviss. malis quærit remedium, dissimulans majora.

31. ATQ. INGENIO] Lambini molitiones vide apud ipsum, si tanti.

33. ARIOLARE] divinas; ariolus es. Du hasts errahten.

34. EDEPOL. SEN.] *Edepol* cum Infinitivo: sicut *scilicet*, *fortassis*, *nimirum*. Vide Palm. Spicil. & Notas Pœn. act. 5: 2. & Sticho 4: 1.

36. INCLAMAVIT] *Conviciis & maledictis insectatus est*: Festus.

37. NOLVISSET] Acidal. vers. ita explet: *noluisset tamen*. De particulâ *tamen*. Mil.4: 8.

38. MEMORITER] Palmerius: Id est *memoriter facere*, ut ne compecto & composito, nec tanquam præmeditatus; sed ex tempore dicere facereque videaris. talem Mysidem postulabat Davus, ne Chremeti de fuco suboleret: Andr. act.4:3. ——*Mysis, nunc opus est tua Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia*. *Memoria* enim est, non id, quod errant interpretes, ad retinenda mandata: nam quid ineptius? sed dexteritas agendi, & in ciendo jurgii simulacro ad verum peritia. Ita sæpè Afer, & Plautus: *Hem istuc si potes memoriter meminisse*. Hoc enim dicit: si ita potes istud assimulare, ut ne ille suspicari possit, nobis de eo antè convenisse. Eunucho: *Cognoscitne signa? CH. ac memoriter*. Eodem sensu hic, *Ut memoriter me Sauream vocabat!*

40. ETIAM SVB.] ita Grut. ex Argentinensi antiquo. *Etiam*, pro, *etiamnum*. Nisi si fuit, inquit, *clam subauscult.* ut infrà; *tacitè subauscultemus*.

41. LACINIA] Vide Turneb. l. 21: 14. inprimis P. Manut. ad illud Ciceronis Filii lib. 16. ep. 21. *Videor enim videre te in laciniâ servantem semina*. i. in vestimenti parte. Pro linteolo, aut sudario quadrato aut oblongo accepisse idem censet nostrum in Mercat. act. 1: 2. quod tamen Grutero non probatur. Vide & P. Colv. ad 1. Metam. Apul. ubi docet, *Lacinias* esse flexus, meatus, ambages cujus-

que

que rei: ut ibi, *laciniosa convallis*: *Sermo laciniosus*, Tertulliano. A

41. QVIDNAM ESSE D.] Vir doctus malit, *quid idnam esse d?* quod vehementius esset.

ATTAT] MS. Cam.

QVI] i. quâ. L.

44. ASINOS] urbane viginti minas pro asinis acceptas vocat *asinos*: ut Trucul. 3: 1. *Oves*. V.N.ibid.& Persâ act. 2: 3. & 5.

44. CRVMINA] ita MS.Cam. & Pall. plerique: ut & vett. edit. ante Pium habebant *crumina*: quod & Festus confirmat: *Grut*. V.N. Sc.seq.

ACTUS III. SCENA III.

ARGYRIPPVS, PHILENIVM, LIBANVS, LEONIDA.

CVR me retentas? PH. quia tui amans abeuntis egeo.
AR. Vale. PH. aliquanto amplius valerem, si hîc maneres!
AR. Salve. PH. salvere me jubes, quoi tu abiens affers morbum.
AR. Mater supremum mihi tua dixit, domum ire jussit.
PH. Acerbum funus filiæ faciet, si te carendum est.
LI. Homo hercle hinc exclusu'st foras. LE. ita res est. AR. mitte quæso.
PH. Quò nunc abis? quin tu hîc manes? AR. nox si voles manebo.
LI. Audin' hunc? operâ ut largus est nocturnâ? nunc enim est
Negotiosus interdius. videlicet Solon est,
Leges ut conscribat, quibus se populus teneat. gerræ.
Qui sese parêre áppárent hujus legibus, profectò
Nunquam bonæ frugi sient, dies noctesque potent.
LE. Næ iste hercle ab istâ non pedem discedat, si liceat,
Qui nunc festinat, atque ab hac minatur sese abire.
LI. Sermoni jam finem face tuo: hujus sermonem accipiam.
AR. Vale. PH. quò properas? AR. bene vale: apud Orcum te videbo.
Nam equidem me, jam quantum potest, à vitâ abjudicabo.
PH. Cur tu, obsecro, immerito meo me morti dédere optas?
AR. Ego te? quam si intellegam deficere vitâ, jam ipse
Vitam meam tibi largiar, & de meâ ad tuam addam.
PH. Cur ergo minitaris, tibi te vitam esse amissurum?
Nam quid me facturam putas, si istuc quod dicis, faxis?
Mihi certum est, efficere in me omnia eadem quæ tu in te faxis.
AR. O melle dulci dulcior mihi tu es! PH. certè enim tu vita es
Mihi. complectere! AR. facio lubens. PH. utinam sic efferamur!
,,LE. O Libane, VT MISER est homo qui amat! LI. imò hercle verò
Qui pendet, multò est miserior. LE. scio, qui periculum feci.
Circumsistamus! alter hinc, hinc alter appellemus.
LI. Here salve. sed num fumus est hæc mulier quam amplexare?

AR. Qui dum? LI. quia oculi sunt tibi lacrimantes, eò rogavi.
AR. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.
LI. Equidem hercle nullum perdidi, ideo, quia nunquam ullum habui.
LE. Philenium, salve. PH. dabunt di, quæ velitis, vobis.
LI. Noctem tuam & vini cadum velim, si optata fiant.
AR. Verbum cave faxis verbero. LI. tibi equidem, non mihi opto.
AR. Tum tu igitur loquere quod lubet. LI. hunc hercle verberare.
LE. Quisnam istuc accredat tibi, cinæde calamistrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?
AR. Vt vestræ fortunæ meis præcedunt Libane longè,
Qui hodie nunquam ad vesperum vivam! LI. quapropter quæso?
AR. Quia ego hanc amo, & hæc me amat: huic quod dem, nusquam quic-
Hinc med amantem ex ædibus delegit hujus mater. (quam est.
Argenti viginti minæ me ad mortem appulerunt,
Quas hodie adolescens Diabolus ipsi daturus dixit:
Vt hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se hunc annum totum.
Videtin' viginti minæ quid pollent, quidve possunt?
Ille, qui illas perdit, salvus est: ego, qui non perdo, pereo.
LI. Iam dedit argentum? AR. non dedit. LI. bono animo es, ne formida.
LE. Secede huc Libane, te volo. LI. si quid vis. AR. obsecro vos!
Eadem istac operà suavius est complexos fabulari.
,, *LI. NON OMNIA eadem æquè omnibus, here, suavia esse scito:*
Vobis est suave amantibus complexos fabulari:
Ego complexum hujus nihil moror. LE. meum autem hæc aspernatur.
Proinde istud facias ipse, quod faciamus, nobis suades.
AR. Ego verò, & quidem edepol lubens. interea si videtur,
Concedite istuc. LE. vin' herum deludi? LI. dignu'st sanè.
LE. Vin' faciam ut me Philenium præsente hoc amplexetur?
LI. Cupio hercle. LE. sequere hàc. AR. ecquid est salutis? satis locuti.
LE. Auscultate, atque operam date, & mea dicta devorate.
Primum omnium servos tuos nos esse non negamus:
Sed si tibi viginti minæ argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? AR. libertos. LE. non patronos?
AR. Id potius. LE. viginti minæ hic insunt in crumina.
Has ego, si vis, tibi dabo. AR. di te servassint semper,
Custos herilis, decus populi, thesaurus copiarum,
Salus interioris hominis, amorisque imperator:
Hic ponè, hic istam colloca cruminam in collo planè.
LE. Nolo ego te, qui herus sis mihi, onus istuc sustinere.
AR. Quin tu labore liberas te, atque istam imponis in me.
LE. Ego bajulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.
AR. Quid nunc? quid est? quin tradis huc cruminam pressatum herum?

LE. Hanc

LE. Hanc, cui daturus hanc, jube petere atque orare mecum.
Nam istuc proclive est, quod jubes, me planè collocare.
PHI. Da meus ocellus! mea rosa! mi anime! mea voluptas,
Leonida, argentum mihi! ne nos dejunge amantis.
LE. Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum; hœdillum me tuum dic esse, vel vitellum:
Prehende auriculis, compara labella cum labellis.
AR. Ten' osculetur, verbero? LE. quàm verò indignum visum est!
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.
,, *AR. QVIDVIS egestas imperat! fricentur. da nunc quòd oro.*
PHI. Age mi Leonida, obsecro fer amanti hero salutem.
Redime istoc beneficio te ab hoc, & tibi eme hunc isto argento.
LE. Nimis bella es atque amabilis: & si hoc esset meum, hodie
Nunquam me orares quin darem: illum te orare meliu'st:
Illic hanc mihi servandam dedit. i sanè bella bellè!
Cape hoc sis Libane. AR. furcifer etiam me delusisti?
LE. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.
Age sis tu in partem nunc jam hunc delude, atque amplexare hanc.
LI. Taceas, me spectes. AR. quin ad hunc Philenium aggredimur.
Virum quidem pol optimum, & non similem furis hujus.
LI. Inambulandum est: nunc mihi vicissim supplicabunt.
AR. Quæso hercle Libane, sis herum tuis factis sospitari,
Da mihi istas viginti minas. vides me amantem egere.
LI. Videbitur, factum volo. redito huc conticinio,
Nunc istanc tantisper jube sis petere atque orare mecum.
PHI. Amandóne exorarier vis te, an osculando?
LI. Enim verò utrunque. PHI. ego obsecro te, & tu utrunque nostrum serva.
AR. O Libane, mi patrone! mihi trade istuc. magis decorum'st
Libertum potius quàm patronum onus in viá portare.
PHI. Mi Libane! ocellus aureus, donum decusque amoris,
Amabo, faciam quod voles, da istuc argentum nobis.
LI. Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.
Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam.
Circumdatoque me brachiis: meum collum circumplecte.
AR. Ten' complectatur, carnifex? LI. quàm verò indignus videor!
Ne istuc nequiquam dixeris tam indignum dictum in me:
Vehes pol hodie me; siquidem hoc argentum ferre speres.
AR. Ten' ego veham? LI. tun' hoc feras argentum hinc aliter à me?
AR. Perii hercle: si verum quidem est decorum, herum vehere servom,
Inscende. LI. sic isti solent superbi subdomari.
Asta igitur, ut consuetus es puer olim. scin' ut dicam?

Hem sic! abi: laudo! nec te equo magis est equus ullus sapiens.
AR. Inscende actutum. LI. ego fecero. hem! quid istuc est? ut tu incedis?
Demam hercle jam hordeo, tolutim ni badizas.
AR. Amabo Libane, jam sat est. LI. nunquam hercle hodie exorabis.
Nam jam calcari quadrupedem agitabo advorsum clivum,
Postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.
Asta, ut descendam nunc jam in proclivi, quanquam nequam es.
AR. Quid nunc? quoniam ambo, ut est libitum, nos ambo *delusistis,*
Datisne argentum? LI. siquidem mihi statuam & aram statuis,
Atque ut Deo mihi hic immolas bovem: nam ego tibi Salus sum.
LE. Etiam tu, here, istunc amoves abs te, atque ipse me aggredire?
Atque illa sibi quæ hic jusserat, mihi statuis, supplicasque.
AR. Quem te autem deum nominem? LE. Fortunam, atque Obsequentem.
AR. Jam istoc es melior. LI. an quid est olim homini salute melius?
AR. Licet laudem Fortunam, tamen ut ne Salutem culpem.
PHI. Ecastor ambæ sunt bonæ. AR. sciam, ubi boni quid dederint.
LE. Opta id quod ut contingat tibi vis. AR. quid si optaro? LE. eveniet.
AR. Opto annum hunc perpetuum mihi hujus operas. LE. impetrasti.
AR. Ain verò? LE. certè inquam. LI. ad me adi vicissim atque experire.
Exopta id quodvis maximè tibi evenire, fiet.
AR. Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud cujus inopia'st,
Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri?
LI. Dabuntur: animo sis bono face: exoptata obtingent.
„ *AR. VT CONSVEVERE, homines salus frustratur & fortuna.*
LE. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
LI. Ego pes fui. AR. quin nec caput, nec pes sermonum apparet.
Nec quid dicatis, nec me cur ludatis scire possum.
LI. Satis jam delusum censeo: nunc rem ut est eloquamur.
Animum, Argyrippe, advorte sis! pater nos ferre hoc jussit
Argentum ad te. AR. ut tempore, opportunéque attulistis!
LI. Hic inerunt viginti minæ bonæ malâ operà partæ:
Has tibi nos pactis legibus dare jussit. AR. quid id est quæso?
LI. Noctem hujus & cœnam sibi ut dares. AR. jube advenire quæso.
Meritissimo ejus quæ volet faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos compulit. LE. patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuum? AR. hæc facilè faciet ut patiar.
Leonida curre obsecro, patrem huc orato ut veniat.
LI. Jamdudum est intus. AR. hâc quidem non venit. LI. angiporto
Illac per hortum circuit clam, ne quis se videret
Huc ire familiarium: ne uxor rescriscat, metuit.
De argento si mater tua sciat ut sit factum. AR. heia!
Benedicite. ite intrò citò, valete. LE. & vos amate.

A LIQVANTO AMPL.] Ita MSS. & edd. antiquiores. Grutero etiam allubescit, quod est in Ald. & Parm. *Ah, quanto amplius v.* Et fuerit lamentum puellæ ex animo lacrimantis proprium.

3. OFFERS MORBVM] ita MSS. Pal. tert. Cam. & Lang. Alii *affers*, aut *effers*.

4. SVPREMVM M. D.] ita MSS. Pall. Cam. & Lang. & ita Lamb. & omnes quos vidi codd. Turnebus tamen lib. 3:12. Quicquid, inquit, argutum est in Poetis, ferè ignoratâ antiquitate nesciri necesse est. id adeò venit in mentem mihi ex hoc versu, in quo cōdimentum illud Romani saporis desideratur, vetustatis inscitiâ. Legitur *supremum*: cum legendum, *supremam*: idque è Judiciorum consuetudine à Comico dictum est. Nam postquam præco *supremam* dixerat, dimittebatur judicum consessus; ut à Donato annotatum est. quod hîc Plautus imitatur. Mater, inquit, *supremam* dixit tempestatem, & *ilicet* pronunciavit, domumque ire jussit: *Hæc Turnebus.* Contrà *Jac. Schegkius JC.* in Præmess. epist. 9. tuetur vulgatam lectionem, *supremum*; & existimat Comicum potiùs alludere ad ritûs funerum. Nam cadavere, *inquit*, ustulato, cæterisque omnibus ritè peractis, præfica altâ voce pronunciabat, *Ilicet*: quod Virgil. 6. Æn. Servio teste, hoc versu, *Lustravitque viros, dixitque novissima verba*, nominat *novissima verba*. quibus prolatis, tum demum cuncti, qui comitati funus ad se rediturі extremum *Vale* clamabant. Virgilius *supremum* vocat, lib. 11. Æn. *Condimus, & magnâ supremum voce ciemus.* Huc respexisse Plautum affirmo. nam cum ait, *supremum dixit*, quid aliud intelligit, quàm cum Virgil. *extremum vale*? cùm, *domum ire jussit*, quàm, *Ilicet*? *ilicet* enim est, *ire licet*: verbum solemne funerum, non Judiciorum solùm. Et unice firmat subsequens Philenii responsio; *Acerbum funus filia faciet, &c.* Hæc Schegkius: cui & J. Douza Notis ad Catull. subscribit. Quibus etsi Acidalius adversatur: tamen Gruterus assentitur, producitque omnem supellectilem membranaceam confirmantem illud *supremum*. Quintil. Declamat. 8. *Vidimus frequenter ad vitam post conclamata suprema redeuntes.* Videatur etiam Jac. Gutherius lib. 1. cap. 11. de jure manium, ubi propugnat vulgatam contra Turnebum, vultq; constare ex illo *Salve* ac *Vale*, quo anus ipsum tanquam mortuum ac sepultum ab hac vita abjudicat.

5. ACERBVM] V. N Amph. 11. Scripsi autem *faciet* cum omnib. MSS. & edd. vett. *facit* recentiores; etiam Pareus, illa oculea talpa.

6. EXCLVSVST.] ita omn. MSS. edd. & quotquot vidi. Contrà tamen ex merâ opinione Lamb. l. *extrusust. f.*

7. NOX] i. noctu. ita restituit Lipsius Antiq. Lect. lib. 2. cap. 7. subscribitque Jos. Scaliger ad oram libri. Nam, inquit, adolescentem aliquid de nocte dixisse, patet statim ex sequenti versu. vide Indicem lib. 8. c. 1. Agellii. vulgati *mox* quod unicè sapit labris Parei; qui hîc voci suæ non parcit, invectus in audaciam eorum qui pertinacem ac sacrosanctum consensum librorum, absque omni necessitate respuunt. certè, Tyrianthinæ vesti non convenire bardocucullum. ridésne lector, an miseraris?

9. NEGOTIOSVS] q. d. Interdiu est occupatus in conscribendis legibus: noctu tantum vocat. Ironia est. *L.*

9. VIDELICET SOLON EST] Plerique MSS. Gruteri habent *Solonem*: quod non contemptim dimitti debet. Immo parum abfuit quin in contextum reciperem: cùm tam clarè scriberetur in V. C. sed tenui me, quod edd. vett. starent pro altero, quarum etiam auctorem Camerarius præposuit MS. suo.

10. GERRÆ] *Guliel.* sic interpungit: *-quibus se populus teneat. gerræ. Qui sese p.* Neque enim, inquit, hic *gerræ* sunt nugæ & affaniæ, ut Lambinus credit, sed *gerrones.* Glossarium, *Gerra, ἀδκυιῶνες*, & ita veteres accepisse, præter hunc locum, probat ab hac composita vox, *congerra.* Lucillius: *Tapullam rident legem congerræ Opimi.* (Scal. ad Fest. & Persâ, 1: 3.) qui versus verbis Plauti illustrandis aptissimus est. nam iisdem de legibus conviviorum agit hîc Plautus: quas ita ab Argyrippo ait remissè & prolixè scriptum iri, ut gerræ sive compotores, qui iis pariturі sint, noctes & dies ebrii sint futuri.

15. SEMI.

15. SERM. ACCIP.] Grut.l.*aucupem*: ab *aucupando*.quod subitò rapuit in Orchestram editionis suæ pr. Pareus ostentat,que in Lexico,ac si comici germanum foret.

17. ABIVDICABO] separabo. Tralatio à judicum sententiis, qui reos à vitâ abjudicant,& morti adjudicant.*G.Long.*

18. IMMERITO MEO] Sic dictum,ut *injussu,incultu* &c.L.

19. DEFICERE V.] λειποψυχεῖν. Atque hoc genus loquendi in magni amoris significatione veteres usos docet Muretus Var. lib. 9.1. Seneca,de brevit. Vitæ, cap. 8. *Dicere solent eis,quos validissimè diligunt,paratos se partem annorum suorum dare.*

Tibullus:

Vive diu mi, dulcis anus.proprios ego tecum,
Sit modò fas,annos contribuisse velim.

Statius:

Pars animæ victura meæ: cui linquere possim
O utinam, quos dura mihi rapit Atropos,annos.

Hinc & triumphantibus Imperatoribus occinebatur:

De nostris annis tibi Juppiter augeat annos &c.

22. NAM Q. M. FACTVRAM] ita Gruterus.nam Cam.contra omnes undique libros edidit *facturum*.Nisi tamen sphalma sit typographi.

25. UTINAM SIC EFFERR.]Ter.Andr.*Effertur: imus*.Propert.lib.2:15.

Atque utinam hærentes sic nos vincire catenâ
Velles, ut nunquam solveret ulla dies?

Ovid.

Nos duo concordes animâ moriemur in unâ. L.

26. O LIBANE] MSS.Pall.& Lang. non repetunt,ut nec edd. vett. ideo nos semel tantum posuimus *Libane*; quod tamen negat impudenter ad modum in Notis Pareus.

29. H. SALVE. SED NVM F.]ita Ven. ed. quod valdè probat Pistoris. cùm usitatum sit Plauto,post salutationem statim per particulam *SED* aliud aliquid subjungere. Imo sic etiam in MSS.C.Langii est. V.N. Asin.2:2.

30. LACRVMANTES] Jocus. Hor. 1. Sat. 5.

—lacrimoso non sine fumo.

EO ROGAVI.]ità MSS. Cam. & Douza.

32. HABVI]Cam.l.*habivi,ut posivi*.idque in contextum posuit Pareus, ac si petitum foret è MSS.quod cõtra est.Lamb.*habuvi;*ne claudicet versus scilicet. sed vel absque tali tibicine rectus est.

36. VERBERARE] sc.lubet;velim.L.D.

40. QVAPROPTER] Parei editio, *qui propter*. inepte: certe contra omn. libros.

42. EX ÆDIB. DELEGIT] ita vet. libros habere,testantur Lamb.& Camerarius.idque temerè mutandum non putant: cùm *Deligere* & *Diligere* significet distractionem & divisionem, autore Nonio,adducente locum Curc. *Clupeatus elephantum ubi machærâ diligit*.Ita hîc legendum, probat etiam Palmerius. Ter.Adelphis: *ubi exspectatum elegisset forâs*.Quod enim, *inquit*,excuditur, *ejecisset*, minus placet.quamvis non ignorem, *ejectos* aliquando, elatos dici & defunctos: & ejus sermonis rationem quærere Turnebum. sed *elegisset* eam vim habet, quam Lucillii apud Nonium, in *Eligere*: *Corrumpat prorsus, ac nervos eligat omnes*. Est enim versus magnus. Propert.lib.2:21.

Altaque mortali deligere astra manu.

Lucr.6.

Inde sonus sequitur, qui tardius alligit aures:

non, *accidit*: nam de immenso illô sono, qui propè eligit vel alligit aures, suo loco hîc rectè ponitur. Sic apud Terent.multo designatius hoc est, *Deligere forâs*, quam *dejicere*. Vide N.Amph.1:1.versu 159.Frid.Lindenbruch. in Ætnam,l.*Hinc me clamore* (i.convitio) *ex ædibus delegit h.m.* Sic Pacuvius:

Me miserum quianam clamore eliminat?

sed illud *clamore* inventum est typographorum alterius seculi; cùm occurrisset in libris nonnullis, *me clamantem*.

44. IPSI DATVRVS] ita *Lipsius* è Vat. & Cod.Lang.*diabolus ipsi daturus dixit*: ut sit Hellenismus. Sic Propert.l.3.4.*Me &c.*

Jurabo bis sex integer esse dies.

Horatius.

Vir bonus & sapiens dignis ait esse paratus.

V. N. Bacchid. act.1: 1.Et sanè MS. Cam. & Pall. plerique omnes planè l. *ipsi daturus dixit.*

46.QVID

46. QUID POLLEN.] Sticho: *Videte quæso quid potest pecunia!* Aul. *Dii immortales, obsecro, auram quid valet!* Aristoph. in Ranis. φεῦ! ὡς μέγα δύναμαι πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ. D.

50. COMPLEXOS] sc. vos. Hoc eò dixit, quod collatis capitibus colloquebantur. L.

53. COMPL. HUIUS] sc. Leonidæ.

53. HÆC ASPERN.] ita J. Gul. è MSS. *hæc*, sc. Philenium. Ita autem & *Gruterus* in Schedis, Cod. inquit, Cam. & MSS. Pall. omnes legunt: *Ego complexum hujus nihil moror. LEO. meum autem hæc aspernatur.* Et verò Personæ absunt vett. editis, sed ii tamen uno ore, *hæc*. primùm Aldus fecit, *hic*: quod & retinuit Cam. & seqq. non rectè. certè Pal. quart. ad ista notat: Serviliter penitùs & irrisivè, culpam & caussam separationis suæ in Philenium retorquens. Et non video, quo modo non argutè dicat Servus: hunc Leonidam non libet amplexari, illam tuam Philenium non licet.

58. ECQUID EST SAL.?] ita MS. Cam. & Lamb. Sed Acid. ex vett. (ut ait) edd. finxit: *AR. satu locuti jam? ecquid est salutis?* bono sensu, ex affectu Amatoris. & verò figmentum istud in contextum ed. pr. intulit Pareus. Pall. fere: *Equidem salutis satis elocuti.* Edd. vett. *ecquid salutis locuti?* Parei ultima *Ecquid est sal? satis loquuti jam.* quod *jam* præterquam quod versum corrumpat, nusquam visitur in libris.

59. AUSCULTATE] Adeo captat Pareus exoletam antiquitatem, ut contra omnes libros expresserit, *osculitate*, tanquam ita extaret in Pal. sec., sed falsò. habet enim *Ausculate*.

59. DEVORATE] Pœnulo: *Orationem aures devorant* &c. Meursius emendat: *ausculato, a. o. dato, & m. d. devorato.* Quia ad unum Agyrippum ei sermo fit.

63. CRUMINA] Nonius: *Bulga est folliculus omnis, quam & cruminam veteres appellarunt: & est sacculus è brachio pendens.* Ex his verbis licet dicere, *cruminam*, ἀπὸ τοῦ κρεμᾶν, i. pendere, dictum esse: L. & Bosius. V. N. suprà, act. 3:2.

65. CUSTOS HERILIS] i. heri. Ita Varro Attacinus: *Humano major Cato*, i. homine. Lucr. l. 3.

——*mortis formidine, vitæ*
Percipit humanos odium lucisque videndæ.

Sic Varro Margopoli: *Naturâ humanis omnia sunt parta.* Vide Rittershus. ad 2. Hal. Opp.

66. INTERIOR HOMINIS] i. animæ ac vitæ: *L. D.* In MS. Cam. clarè legitur, *Salus interioris hominis*; pro insulso illo, *corporis*, quod tamen in Pall. sex.

67. HIC PONE] Ita Grut. è MS. Cam. & suadente sententiâ legit; *Hic ponè hic ist.* ut *ponè* sit adverbium. Crumenam enim fuisse in tergo, satis indicare ait illud Pseudoli: *Ipræ puere: ne quis crumenam pertundat cautio est.* V. N. Truc. act. 3.1. Douza autem Præcidan. in Catull. verba numerosiùs sic collocavit: *Hic p. h. ist. crum. coll. in collo planè.* Atque hoc videtur expressisse Catullus Carm. 10. *In collo sibi collocare posset.*

70. EGO BAIULABO] *Bajulare* dicuntur, qui corpore proprio ferũt. Cajus lib. 3. ad leg. XII. tabb. *Ferri dicimus, quæ quis suo corpore bajulat: Portari ea quæ quis jumento secum ducit: Agi ea, quæ animalia sunt.* Stevvich. l. 1. c. 19. in Veget. plura Savaro ad Sidonii 4. Ep. 21.

71. PRESSATUM HERUM] MS. summi Musarum Consulti Camerarii habet, *pressatum erum*. Lamb. è Lang. MS. ut & Meursius, transpositis tantùm verbis l. *ære pressatam*, i. effertam nummis & distentam. Palm. l. *ære impressatam*, i. ære gravidam. Passeratius Propert. 3. el. 17. citat: *Q. t. hac crumena pressatum herum*, vultque positum *pressatum* pro *pressantem*. an fuit, *Quin tradis huc?* cruminâ herum pressandum. Jos. Scaliger notavit ad oram. *ærum pressatum.* (κοιλιόδεσμος, φοῦνδα) dicta.

72. HANC] sc. Philenium.

72. C. D. HANC] s. cruminam,

72. MECUM] pro, *me*, D.

73. PROCLIVE] Jocus in v. *proclivè & planè*. Jubes, inquit, me planè collocare hanc crumenam in collo tuo. atqui collum tuum non est planum, sed *proclivè*, i. pronum & propensum: L. & Cam. Vide N. Mil. 4:2. At Sim. Ulr. *Pistoris*, Longè, inquit, aliam hujus versûs sententiam video, quæ hæc est. Quin tu potiùs, inquit servus, Philenium ipsam, cui daturus es argentum quod à me petis, mecum agere jubes? nam quod petis, ut argentum hoc in collum tuum, tanquam in locum planum collocem, nihil est. *istuc* enim, i. ad

i, ad Phhilenium (adverbium enim hîc loci est, non pronomen) proclive est, & decidit omne, quod in te collocatur. Notum autem est, quæ in proclivi posita sunt, in loco non manere: quæ in plano, consistere. Innuit igitur, quicquid ad Argyrippum pervenit, id omne ad Philenium ferri, non secus ac si in loco aliquo proclivi positum sit. *Vel.* Quin tu potius Philenium mecum agere jubes, cui daturus sum, quæ à me impetrabit. Nam eò jamdudum propendet ac fertur, quod tu in te tanquam in locum planum collocari volebas.

75. DEIVNGE] i. dejuga. Scaliger ad illud Propert. lib. 2. el. 13. *Quàm prius abjunctos sedula labit equos*, notat: *Abjungere* equos, & *dejungere*, idem. Paulò diversius *Interjungere*, hoc est, dejungere equos, donec cibo recreati sint. *Abjugassere* quoque est idem quod *Abjungere*; ἀποζεῦξαι, Glossario. Martialis lib. 3. 67.

—— hora lassos
Interjungit equos meridiana.

77. VITELLVM] à *vitulo*: ut ab anulo *anellus* fit. Cam.

78. PREH. AVRICVL.] V. N. Pæn. act. 1:2. Turneb. 29:31. ad vers. Tibull. lib. 2:5. *Oscula compressis* (pro, *comprensis*, ut *Coss* pro *Consul.* Scalig.) *auribus eripiet*, notat: Solebant sic veteres osculari, ut prehensis ejus, quem cariss. habebant, auribus oscula libarent. Ib. lib. 30: 27.

80. NI GENVA C.] i. nisi mihi genua attrectans supplicaveris. D.

81. QVIDVIS EG.] ita Gruterus è MS. Cam. & quart. Pallat. magis argutè legit continuo ductu; *Quidvis egestas imperat. fricentur.* Ut excuset se dominus, & dicat: Fricabo igitur servi mei genua, cùm egestas fas juxta atque nefas imperare soleat: quòd omninò vult Horat. 3. Od. 24.

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere & pati:
Virtutisque viam deserit arduæ.

Merc. 1:2. Rud. 5:2.

81. DA NVNC) Sic quidem edd. vett. & Pall. sed *nunc* est supra versum. V. C. *dant.* forte *dàne quodvrol* pro *dasne*. Grut.

83. TIBI EME] obnoxium tibi redde. Sic suprà: *Et beneficiis me emere suum gnatum sibi.* L.

85. ME ORAR.] Benè, alii l. *morarer*, quod unde natum sit, pluribus docuit in *Schedis* suis Grut.

88. NVNQVAM H. F.] nunquam hercle te deluderem, nisi mihi tam remissè & languidè genua fricares. L.

86. AGE SIS] Hæc pressâ voce loquitur. *L.*

89. IN PARTEM] pro tuâ parte. κατὰ μέρος. *Bosius.*

89. ME SPECT.] Darffst nicht sorgen: siehe nur zu / wie fein ichs machen will. Merc. extr. *Me vide.*

92. SUPPLICABVNT] Argyrippus & Philen.

93. SIS HERVM] Frustrà versat se Lambinus: cùm omnia sint plana, si *sis* pro *si vis* accipiamus, hoc sensu: Si vis comitari tuæ salutē acceptum feram, trade huc mihi, quas habes XX. minas. Sic act. 2:2. *Sis amanti subven. &c.*

CONTICINIO] *Conticinium*, prima pars noctis. secunda vigilia, νυκτὸς ἀρχή. Der erste Schlaff. Libri scripti editique versum hunc ferē tribuunt Libano. utraque Pareana dedit Philenio, una cum duobus seqq. contra omnem rationem & chacterismum.

96. JVBE SIS] ita J. Gul. Et est ea accessio ad sententiam non multa ad ornatum plurima. Vulg. *jube pet.* MSS, Pall. *jubes pet.* quomodo & Langiani. Pareus hîc invehitur in Saxon. editorem qui abiit à consensu MSS. at idem ne ipse quidem eis adhæret, exprimendo *jube*, quod in nullo eorum. pauloque post ver. 98. retinuit *ergo*, cum esset in MSS. *ego*, qualis carptor!

98. ENIM VERO] ita MS. Cam & probat Grut. è vett. cod. Vulg. *Imò vero utr.*

OCELLVS AVREVS] Conjunxit duas res omnium carissimas, *oculum* & *aurum*.

103. DIC IGITVR ME ANAT.] Sic V. C. & Excerpta Pal. Vulgati, *me tibi anatic.* Sed monet Gruterus, omnes MSS. destitui illō *tibi*. at illud *me te*, unde doctiss. Juveni fictum illud *meptè*, ne extare quidem in aliis edit. quæ posteriores Aldinâ; sed verò, *Dic igitur mibi te*, quomodo item ferè Pall.

104. MONEDVLAM] *Scal.* ad Tibulli v. *Huc venias natalis avis*; notat: Avis est *Cornix*, quam concordiæ symbolum in nuptiis veteres invocabant. *Natalis ea* est Juno, quæ & *Nuptialis*; cujus ea ales in tutelâ est. unde &

Monetula

Monetula congenera ejus avis dicitur, quia Juno *Moneta* cognominatur, &c. Lipsius Ant.lect.l.5.c.13.notat in Vatic legi, *Monerulam*, antiquâ scripturâ: ut *arsines*, *arsari* &c. de quibus Priscian. nec aliter V.C. & Pal.quartus, item excerpta. Ideò autem (*inquit Lamb.*) hæ aves hic commemorantur, tanquam delicatæ, quia istæ & aliæ id genus pueris patriciis in delitiis erant. V. N. Capt.5:3.

104. PUTILLUM,] Hoc *putillum* Cam. & Lamb. inducendum censent. Immò ego utrâque manu tenendum censeo. cùm ipse etiam Camer. fateatur in suo MS. legi, & editiones meæ, atque adeò MSS. Lang. omnes constanter exhibeant: nullæ contrà illud, *pusillum*, agnoscant; ne Scaliger quidem. itaque hoc potius induxi. Sed de voce *putillus* audiatur Scaliger, in Catalectis. *Putus*, inquit, seu *putus*, ὑποκόρισμα nutricum est. In vett. Glossario: *Putus*, μικρός. *puti*, μικροί. Etiam puerum hodie ita vocant in Italiâ: & Galli pusillum vocant, *petitum*, detortâ voce à *putito*. Lascivia inest, ut & in usu vocis, ita & in etymo. *Puta* enim πόσθη: argumento *præputium*, quasi προπόσθιον, non à *præputando*. nam & syllabæ modulus refragatur: & prius ei parti id nomen imposuerunt Romani, quàm scirent à Judæis eam præsecari solitam. sed sigma inde extritum est, ut à πυστὸς, *putus* primâ correptâ: *aurum putum*. πύθειν enim seu πυθίζειν est aurum explorare. --χρυσὸν πυθίζαι ἀμείβοι: Theocrit. Ergo πόσθη, *puta*, προπόσθιον *præputium*: ut πυστὸς *putus*, *putum aurum*. Ergò lascivia in Græcis nutricibus παρὰ τὴν πόσθην pueros πόσθωνας vocare, eadē & in Romanis à puta *putos* seu *potos*. unde & hodie pars in muliere, quæ honestè nominari non potest, vulgò in Italiâ eo nomine nota est. Sic ὑποκόρισμα nutricum imitatus est Catullus, cum Calvum *salaputium* vocavit. Plus est enim, quàm si pusillum aut puerum. erat enim brevis staturæ, &c. Sic & Augustus, ut ait Suetonius, Horatium inter alia blandimenta *putissimum penem* vocat, hoc est, ut ipsemet interpretatur, *homuncionem lepidissimum*: quod Græcè nihil aliud esset, quàm πόσθων. ergò similiter Catullus Calvum, *salaputium*: hoc est, πόσθωνα, ficto à *puta*, hoc est, πόσθῃ, & salacitate nomine. Apud Plaut. quoque blandimenta mulierum sunt-*dic me tuam Hirundinem, monedulam,*

A *passerculum, putillum. Putillus*, ποσθάριον, πόσθων: non *pusillum*, ut perperam immutârunt. Apud Horat. vetus lectio asserenda est: *Putam & putillam appellet.* nam *puta* & *putilla*, ὑποκόρισμα in puellas. è parte scilicet quâ puellæ fœminæ sunt: quæ, ut dixi, ab Italis ita hodieque vocatur. *Putillam* Græcæ nutrices dicebant χοιρίον. nam χοῖρος ea pars in puellis, de qua jam dixi, & annotaverat M. Varro. Non igitur mirum, si Catullus, quem exiguum voluit vocare, eum *salaputii* nomine insigniat, more nutricum, salsè nimis, & nequiter: quasi non ἀδρὸς, sed παιδάριον esset, &c. Hæc excerpsi è Commentar. *Joseph. Scaligeri* in Catalecta. Turnebus lib.27: 26. *Pitillus*, inquit, apud Plaut. *parvus* est: voce, ut opinor, deductâ à μίνυλλος, quod Doribus πίτιον, i. *parvum*: nisi potius à πτύλον, &c. Meus etiam Ald. & Basil. leg. *pitillum pass.* Vide N. Bacch. act.1:1.

105. FAC PROSERP. BEST.] genus osculi vocatur à Græcis καταγλώττισμα. unde & infrà 4:1. - *ne sic tussiat, Ut cuiquam linguam intussiendo proferat.* Ne quem scilicet osculari velle videatur: sequitur enim mox., *Potiùs*
B *quàm cuiquam savium faciat palàm.* Jam *proserpens bestia*, nihil est aliud quàm *serpens*. Pœn. act.5:2. Sticho.

105. DUPLICEM UT H.L.] Pœnulo vocat *bisulcilinguam*. Aristoteles quidem lib. 2. de part. animal. c. ult. *bisulcam linguam* serpentibus tribuit; Plinius lib. 11. cap. 37. *trisulcam*. Sic Virg. *linguis micat ore trisulcis.* In MSS. Cam. & Lang. expressè est, *eduplicem*. Cogita.

108 NECQUICQ.] i. impune: *L.D.*

111. PERII H.] *J. Gul.* è MS. Aug. Busbequii huc collocat talem versum: *Perii. illic habebit flocco jam homo lumbos meos.* Probat & Acidalius, sed numeris restitutum: *Perii. jam illicet homo meos hic lumbos flocco habebit*: vel, ut Carrio l. *defloccabit*. medio Pareus consecravit editionem suam pr. contra Pall. omnes, atque edd.

111. SI VERUM. Q.] Sic V.C. sic Pall. sex, sic edd. vett. nam posteriores, *si verum q. & decorum.* Quæ hic profert de scriptura Palatinorū Pareus, omnia ac singula sunt vanissima. Lamb. l. *Verùm siquidē est d.* At Palm. illud, *decorū*, glossema censet, & interpretationem illius *verum*. Horat. *Metiri se quemq. suo modulo ac pede*

ac pede verum est, i. decorum recepit & istud A in contextum Pareus, fœdè mutilato versu.

113. ASTA IGIT.] Hunc versum omiserat Camer. quem tamen legi in MS. ejus notat Gruterus: credo turpitudinem aversatus. reduxit ex vett. edd. & pluteariis codd. Lambinus. Palmerius genus libidinis notat, quod *Equus* nominabatur. Martial. l. 11. Epigr. 105.

Hectoreo quoties sederat uxor equo:

Alludit & Petronius: *Nunquam nisi in equestribus sedeo*, &c. Colero tamen hîc nihil obsceni. Vult, ut quadrupes fiat; quo modo pueri tenelli solent grassari.

114. HEM SIC ABI:] Carrio l. *sic age*. quia nondum inscenderit. At hoc malè, inquit Acidalius. saltim Terent. illius meminisse: *Laudo Ctesipho: patrissas: abi, &c.* Exclamatio laudantis est utrobique *Abi*; non discedere jubentis inclamatio. V. N. Truc. act. 2: 1.

115. VT TV INCEDIS!] In edd. primis est, *at tu vide is*, hinc Meursius f. *ut tumidè is*. & hanc veram esse lect. abundè sequentem versum fidem facere ait. Ego, si quid mutandum, malim, *timidè*: cui opponatur *tolutim* illud, &c. sed nihil mutandum.

116. IAM DE HORDEO] Recentiores edd. *jam tibi de hordeo*. sustentando versui, sed præter mss. editosque antiquitus. Versum enim fulcit aspiratio, quæ veteribus loco Literæ: itaque & productionem facit, & impedit synalœpham. Turpil. -*ignoscere Istbic solétne has minores noxias*? Virg. *Ille latus niveum molli fultus hyacintho*. Iuvenalis: *Vivendum rectè est, tum propter plurima, tum his præcipue caussis*. Mercerus ad Nonii *Tolutim*.

116. TOLVTIM] quasi *volutim*, *& glomeratim*: Nonius. Tale illud Virgil. 3. Georg.

Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

116. BADIZAS] Bis idem dicit nam βαδίζειν proprium gradarii ac tolutarii equi. Glossæ: *Βαδιστής, Tolutarius*. Mercerus.

118. QVAD. AGITABO] Virgil. 11. Æn.

Spumantemque agitabat equum.

Georg. 1. -*agitator aselli*, i. verberator: ut Servius annotat. Pareus heic nobis bellum monastrum invexit in contextum, suasu MSS. *calcari quadrupedo agit*: eò quidē magis, quia, inquit, optime constet sensus. cur enim eum sensum non explicat, solitus descendere ad mille modis pueriliora?

119. POSTRA AD PISTOR.] i. in pristinum versui medeamur *Postilla*. alii præmiserant *tum* præter libros.

124. ETIAM] pro, *Quin* D.

124. AGGREDIRE] pro, *aggrederis*: ut *mori*, pro *moris*. L. D. Vterque autem versus claudicat: quos restitues, si huic demas *nunc*, quod nec Veneta nec Colon. vetus habet: priori, *ipse*: aut retine vulgatum-*atque me ipse aggredere*. Acid.

126. FORT. ATQVE OBSEQVENT.] Eleganter. Servus vocari se *Fortunam* vult, & quidem, quia obsequebatur amori & voluntati heri sui, cognomento *Obsequentem*. Colebatur autem *Fortuna Obsequens* Romæ, eoque allusum est. Et hanc lect. notat Lipsius in Vatic. Colerus in Lang. & Pyrckhaimeri esse: immò in omnibus MSS. suis Gruterus. Adolescens Doctus legebat: *LEO. Fortunam. AG. at quam? LE. Obsequentem*. Non unis siquidem appellationibus colebatur ea impotens diva Romanis. & hanc suspicionem statim in contextum editionis primæ ingessit Pareus. cùm tamen altera lectio idem dicat quod istæc.

127. AN QVID EST OLIM] ita est in MSS. Cam. & Lang. itemque in MSS. Pall. septem Gruterus. V. N. Mil. 1: 1.

128. LICET L. F.] Ita mihi laudare Fortunam licet, ut tamen Salutem non vituperem: L.

131. HVIVS OPERAS] Philenii noctes. L.

135. COMMODAS] Vide N. Merc. 2: 3.

135. QVAS D.] *D. F.* ex antiquitus excusis (Aldin. & Basil.) leg. *qui dem*.

136. AN. S. BONO FACE:] ita *Grut.* è Cam. & Lang. codd. *animo sis bono face*: *exoptata obting*. At Lipsius pignus in omnes fortunas suas dare paratus est, Plautum scripsisse, *faciem exopt*. Veteres *faciem*, *dicem*; pro *faciam*, *dicam* scripsisse auctor est & Quintil. & verò istud voraciter arripuit editio Parei prior. at ultima farue distruxit: *an. . s. bono: face exo. e.*

138. EGO CAPVT] Donatus ad illud Ter. *hem ille est huic rei caput*, notat: *Caput, origo & summa uniuscujusque rei est*. ut *caput aquæ*. Propert 2. el. 24: *Non ego nequitia dicerer esse caput*. i. dux, signifer, princeps, hominum nequam. sic *caput cenæ*, *caput conjurationis*. V. Pseud. 1. 5. v. 2. Passerat.

PES] Jocus. Scaliger: *Pes, quod vus fundamentum.*

139. NEC CAPVT] Olet Proverbium. Nec principium nec finis sermonum apparet. Cic. lib. 7. epist. Fam. *nec caput nec pedes.* Capt. *Garriet, quo neque per usquam neque caput compareat.* Hor. in Arte:

—— ut nec pes nec caput uni
Reddatur form. , &c. L. Editio v. l. *sermonis paret.*

146. NOCTEM HVIVS &c.] Hic verum est, quod ait Lucilius. lib. 28. *In medium Chremes, in summum ire Dæmenetus.* q.d. Chremes ille in filio indulgendo medium tenuit: Dæmenetus Plauti medium excessit. *Lips. l. 3. Epist. Q. 14.*

147. MERITISSIMO] *Meritissimum* igitur Substantivum sit necesse est, quando patrius casus ei subjungitur. Ter. Phorm.

Jamdudum te omnes nos accusare audio
Immeritò, & me omnium horum immeritissimò!

Hic Adverb. est; auctore *Lambino.*

148. DISPVLSOS COMPVL.] Bella antithesis. Cic. ad Attic. *Quid ergò, inquis, acturus es? idem quod pecudes, quæ dispulsæ sui generis sequuntur greges, &c.* Idem: *omni pecore compulso.*

149. HÆC F.] sc. *crumena, δεικτικῶς.* nam manu eam identidem tractabat ac vibrabat, &c. *Douza.*

151. HAC QVIDEM &c.] Hæc omnia usq; ad tres ultimas voces scenæ, Pareus utrâque editione attribuit Argyrippo; insulsè, stultè, fatuè. certè plusquàm pueriliter. idq; tanto indignius, quod hujus distinctionis faciat auctorem Acidalium; qui longè tamen aliter cantarat apud se.

154. HEIA, BENED.] Cum Libanus aliquid mali ominis esset additurus, interpellans Argyrippus, *Eja,* inquit, *εὐφημεῖτε.* Sic enim solebant veteres mala nomina vitare & aversari: L. Ita Casaub. Comm. Theophr. *Benedicere* est *εὐφημεῖν*, vel *εὔχεσθαι μετ' εὐφημίας.* Et *τὸ βλασφημεῖν* ibid. (act. 2:1.) *obscœnare* dicitur; quod in Casin. act. 2: 6. *omen alicui vituperare.* V. N. Mil. 4: 8. Tunc autem plurimum videntur existimata nocere verba malè ominata, quando à Cognatis pronunciarentur. ita Germani: Vatter und Mutter fluch/ die haben ein nachdruck. Pareus statim in Electis notat, Imprecationes Parentum, ominis aliquid habent; quàm ineptè. additum oportebat ominis mali. & habent profectò non aliquid tantum mali ominis, sed plurimum, plurimum.

ACTUS IV. SCENA I.

DIABOLUS adolescens, PARASITUS.

AGEDUM, istum ostende quem conscripsti syngraphum
Inter me & amicam & lenam. leges perlege.
Nam tu Poeta es prorsus ad eam rem unicus.
PA. Horrescet saxo lena, leges quum audiet.
DI. Age quæso mî hercle translege. PA. audin'? DI. audio.
PA. Diabolus Glauci filius Clearetæ
Lenæ dedit dono argenti viginti minas,
Philenium ut secum esset noctes & dies
Hunc annum totum. DI. neque cum quîquam alio quidem.
PA. Addone? DI. adde: & scribas, vide, planè & probè.
PA. Alienum hominem intromittat neminem.
Quòd illa aut amicum aut patronum. DI. neminem.
PA. Aut quòd illa amicæ suæ amatorem prædicet:
Fores occlusæ omnibus sient, nisi tibi.

In foribus scribat, OCCUPATAM ESSE SE.
Aut quòd illa dicat peregrè allatam epistolam,
Ne epistola quidem ulla sit in ædibus,
Nec cerata adeò tabula: & si qua inutilis
Pictum sit, eam vendat. ni quatriduo
Abalienarit, quo abs te argentum acceperit,
Tuus arbitratus sit, comburas, si velis.
Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.
Vocet convivam neminem illa; tu voces:
Ad eorum ne quem oculos adjiciat suos.
Si quem alium aspexit, cæca continuò siet.
Tecum una postea æquè pocula potitet.
Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.
Ne illa minus, aut plus quàm tu, sapiat. DI. satis placet.
PA. Suspiciones omnes abs se segreget,
Neque illæc ulli pede pedem homini premat.
Cùm surgat, neque in lectum inscendat proximum,
Neque cùm descendat, inde det cuiquam manum:
Spectandum ne cui annulum det, neque roget.
Talos ne cuiquam homini admoveat, nisi tibi.
Cùm jaciat, Te, ne dicat: nomen nominet.
Deam invocet sibi quam libebit propitiam,
Deum nullum. si magis religiosa fuerit,
Tibi dicat: tu pro illa ores, ut sit propitius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.
Post, si lucerna extincta est, ne quid sui
Membri commoveat quicquam in tenebris. DI. optimum est.
Ita scilicet facturam. verùm in cubiculo
Deme istuc; equidem illam moveri gestio.
Nolo habere illam caussam, & votitam dicere.
PA. Scio, captiones metuis. DI. verum. PA. ergo ut jubes,
Tollam. DI. quid ni? PA. audi reliqua. DI. loquere, audio.
PA. Neque ullum verbum faciat perplexabile,
Neque ullà linguâ sciat loqui nisi Atticâ.
Fortè si tussire occœpsit, ne sic tussiat,
Ut cuiquam linguam in tussiendo proferat.
Quòd illa autem simulet quasi gravedo profluat,
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
Potiùs, quàm cuiquam savium faciat palàm.
Nec mater lena ad vinum accedat interim,
Nec ulli verbo malè dicat. si dixerit,
Hæc multa esto: vino viginti dies

Ut careat. DI. pulchrè scripsti: scitum syngraphum!
PA. Tum si coronas, serta, unguenta jusserit,
Ancillam ferre Veneri aut Cupidini,
Tuus servus servet, Venerine eas det an viro.
Si fortè purè velle habere dixerit,
Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit.
Hæc sunt non nugæ: non enim mortualia.
DI. Placent profectò leges. sequere intrò. PA. sequor.

VERSUS hujus Scenæ omnes sunt Senarii Jambici.

PARASITUS] *Parasitus* caret Latinâ appellatione. Jul. C. Scalig. in Comœdiâ *Ceparum* posuit nomen novum *Cœnaturionis*. Mensarum asseclam legimus ad eam significationem in Orat. contra Sallustium. utramque tamen personam in unâ invenias: ita ut Parasitus idem sit *Colax*, i adulator. Artes sanè, ac plusquam artes: non enim solùm docent agere, sed etiam pati. Parasitica sine assentatione nulla profectò. *Gnatones* quoque dicti, à maxillarum officio, &c. Vide lib. 1. cap. 14. Poet. ubi etiam docetur, Parasiti nomen apud veteres Gallos in honore fuisse: suos enim Poetas sic appellasse: quemadmodum σύσσιτος & συσσιτία voces sint minimè contumeliosæ. Priscos verò Græcos cum ita vocasse, cui sacrarum epularum eligendarum cura publicè mandata fuerit, &c. V. N. & Capt. 1: 1.

V. 1. SYNGRAPHUM] *Chirographum* est privata scriptura, manu cujusque subscripta. *Syngraphum*, quod simul plures subscripserunt. in illo, tantum quæ gesta sunt, continentur: in hoc etiam pactiones veniunt, ut in hoc nostri. *Ans. Popma.*

3. POETA] artifex: L.

3. UNICUS] Gifanius ad illud Afranii: *Quis tam sagaci corde atque ingenio unico?* alterumque Cic. de Senect. *In quem illud elogium unicum, PLURIMÆ CONS. &c.* notat: *Unicum* veteribus video idem sonare ac valere, quod egregium, præclarum, ac singulare. Turpilius: *Homo unicâ est naturâ & singulariâ.* Festus: *Sardanapalus rex Assyriorum fuit unica luxuria &c.*

5. QUÆSO MI HERCLE] Grutero non satisfacit illud *hercle*, mutatum ibat in *basce*, aut *clare*, aut aliud quid.

A 11. ALIEN. HOM.] ita MSS. C. & Lang. & edd.

11. HOMINEM] Videtur Acidalio appellatione *Hominis* pro solo masculo hic abuti. V. N. Cist. 4: 2.

12. QUOD ILLA] De antiquâ hâc locutione vide Not. Mil. 2: 2.

12. AMICUM AUT PATR. DI. NEMINEM. PA.] ita hæc Gruterus ope MSS. & vett. ed. suique judicii, restituit. Rationes habet in *Excerptis Pallat.* Etiam Valla agnoscit illud, *neminem*, interpretaturque, tanquam si exaggerandi causâ repetatur. Simile quid etiam J. Gul. eruebat. Nam solet istis subiculis inter se benè convenire: undè captiones metuens Diabolus, ne amatorem amicæ dicat, quem rivalem sibi ob oculos duxerit, disertè marem hominem neminem in ædes intromitti sciscit.

18. NEC CERATA] V. N. Bacchid. 4: 4. Douza Iconicum ex cerâ picturæ genus intelligit,

B *Quæcunque alterius sexus imitata figuram est:*
Unde Propert. lib. 2: 8.
Me juvenem facies picta, me numina lædunt:
sic enim malit; non, *nomina*: ut ad deorum simulacra referatur. De cereâ autem *picturâ* hic agi, docent sequentia. Solebant, inquit *Fr. Modius in Novantiq. Epist. 28.* heroinæ virorum seu quos pro viris haberent, effigies ex cerâ domi habere. hinc Ovidius 2. Remed.
Si potes & ceras remove: quid imagine mutâ
Carperis? hoc periit Laodamia modo.
Meminit & Virgilius, Didonem Sichæi viri sui imaginem quoque domi habuisse. Ex istis lectis, Pareus in Electis suis tit. Picturæ, tale quid finxit: Amantes tabellas cōficiebant ex cera, in quibus picturam, & imaginem depingebant, quos amabant. quid falsius? quid stultius, quid absurdius? ò germen Arcadicum!

18. INUTI-

18. INVTILIS] qualis inquit Lambinus, illa Ter. Eun. act. 4: 5.

Suspectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc; Jovem
Quo pacto, Danaæ misisse ajunt quondam imbrem aureum.

At enim tales potissimum expetebant & adolescentes & meretriculæ, non tam libidinis excitandæ caussa, quàm etiam ut peccarent excusatius. *inutilem* censet quæ nihil habeat in se quo locum ornet &c. itaque non erat cur Pareus Lambini absurdum commentum Lexico suo dignaretur. cùm aliquid dicitur non res modo respici debet, sed magis persona quæ dicit, imò & locus ubi dicitur. quid enim ineptius, quàm exigere lupanarium cellis tabellas obscenas, quas & suo ævo in templis collocat Propertius 2. eleg. 6?

19. NI QVADRID.] MSS. Cam. & Lang. *nî in quadriduo.*

20. AES TE] ita *J. Douza* è Cod. Lang. *abs te.* neq; enim, *Ex aliquo pecuniam accipere*, Latinum putat. Acidal. retinet *ex*, & delet *te*. ut sit præpositionis ἀναστροφὴ, pro, *ex quo.*

21. NE ILLI CERA] Ne illa pictura materiam scortillo suppeditet, unde tantum ceræ abradat, in quâ litteras ad amatorem perscribat: D.

22. FACERE P. LIT.] V. N. Aul. 1: 1. & Turn. l. 24: 31.

23. NEMINEM ILLA; TV V.] Ita sincerius è MSS. legi, Grut. & Gulielm. & Douza annotant.

24. AD EORVM] Douza è Lang. libris probat *sorum*, autoritate etiam Festi scribentis: *Sos pro eos antiqui dicebant.* Ennius:
Constitit inde loci propter sos dia dearum, &c.
Sorum ergò pro *ipsorum*. Gruterus ait in omnib. MSS. suis extare *forum*, idque putat deinde degenerasse in *sorum*, cùm potius debuisset in *eorum*. veteri enim scriptura *E* parum distare ab *F*.

26. TECVM VNA POSTEA] Malim, *Tecum unà poscat: æquè pocula potitet &c.* Multa sunt, in quibus delitias sibi faciunt amantes in potu. Simul poscere: simul bibere: invicem sibi porrigere: propinare, & hæc talia. Singula caveri vult zelotypus amator. *Poscere* autem in conviviis simpliciter de potu dici, exemplo est illud, quod apud optimos Scriptores legitur: *poscere majoribus*, subauditur, *potum*, vel *bibere*. Quod si id nimis insolens videbitur, potest etiam ita construi: *tecum unà poscat pocula, & tecum æquè potitet.* ut τὸ *pocula* ad utrumque referatur. Notum est illud, convivia veterum ita plærunque instituta fuisse, ut quilibet potum necesse habuerit poscere, nec semper cantharum prope accubarint. Inde sæpè legitur: *Da puer bibere:* & similia. *Sim. Ulr. Pistoris.*

26. ÆQVE POCVLA P.] Sancit primùm æqualitatem poculorum, &c. Sed enim sententiæ nexus hunc ordinem versuum postulat: *Tecum &c. Ne illam m. PA. Abs ted. acc. Suspiciones &c.* Acid.

29. SVSPICION.] *spi* producitur: L. Vide N. Merc. act. 4: 4.

30. PEDEM] Ovid. de Arte: *Velle latus digitis, & pede tange pedem.* Pareus putat se sensum versus hujus belle reddere in Electis, his verbis: Amantes solent insistere plantam pedum. quæ barbaries istud intelligat?

31. CVM SVRGAT] è lecto discubitorio seu triclinari. Vide N. Sticho, 5: 4.

33. SPECTAND.] i. inspiciendum, *Nonius*. Tibullus lib. 1. el. 7.

Sæpe, velut gemmas ejus signumque probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum. L.

34. TALOS] V. N. Capt. act. 1: 1. Persâ, 5: 1.

35. TE, NE DIC.] Cum jacit, ne dicat *TE*, nullo certo nomine edito: sed nominatim te nominet, hoc modo: *Te, Diabole.* Atque ita est in MS. Cam. & omnibus edd. meis. Sed Meursius conjunctim vult, *tene dicat.*

37. DEVM NVLL.] Propert. lib. 2. eleg. 23. *Rivalem possum non ego ferre Jovem.*

37. SI MAGIS REL.] Si plus nimio religiosa fuerit, ut putet non tantùm deas fæminas, sed & deos mares sibi invocandos & propitiandos, ne ipsa faciat, sed te vicarium supponat. L. & H. Steph. *de Plauti Latinitate*, p. 370.

39. NVTET, N. AN.] *Nutare* capitis; *Nictare* oculorum; *Innuere* narium, labiorum, superciliorum significantiam esse, decreverunt veteres. Nonius; *Innuere*, est facie significare: *Annuere* concedere. Apud Plaut. Asin. positum est *annuere* pro *innuere*. At Lamb. mâlit hîc legi, *innuat.* quod tamen Gruterus non admittit: cum in nullo extet MSS. præterquam uno, omnium recentissimè scripto.

cripto. Per signa autem locutos olim amantes, notum est. Ovid. 1. de Arte:

Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris:
Nec tibi per nutus accipienda nota est.

42. SCILICET F.] V.N.Pœn. act. 5: 3.

[illegible]

44. NOLO H. ILL. CAVSS.] Nolo habere illam hunc prætextum, cur non moveatur ἐν συνουσίᾳ: ut dicat, se *votitam*, i. religione aliqua prohibitam; ut Nonius explicat, & Camer. probat. Gutherius de loco hoc sic scribit lib. 4. c. 6. de jure Pontif. *Caussam habere*, & *caussam dicere*, idem sunt. Plaut. Amphitr: *Non caussam dico.* Mercatore: *Vxor viro si clam egressa est foras, viro fit caussa. Caussa* est controversia. Seneca Præfat. lib. 1. Controv. Græcis ἐν αἰτίᾳ ποιεῖσθαι. *crimen objicere, criminose deferre* & αἰτίαν ἔχειν, *reum postulare, controversiam movere*. Vult ergo; nolo ut illa de me conqueratur, quod nimis eam pudice habeam, ut ne quidem se movere possit. moveri illam gestio, cùm sit meretrix; *nec votitam dicere*, id est, quasi uxorem habere, quæ verecunde, & non intemperanter amet. nempe à votis uxor dicta est *votita*. Primum hujus probo, alterum non. Passeratius ad Propert. 2. el. 32. ubi est, *Cùm videt accensis devotam currere tædis*, scribit, *votitam* Plautus vocat, quàm hic *devotam*, Ovidius verò in Fastis, *votipotentem*. videatur. *Lambinus* & *Acid.* malint ex V.C. *Vetitam*: quòd & sententia & numeri hoc postulare videantur. rectè: nam MSS. sæpe o usurpant loco e? sed quid fiet tunc Nonio?

45. CAPTIONES] *Captiones* in verbis sunt. Hinc *captiones Dialecticæ*, & *captiosum genus interrogationis*, apud Ciceron. L. Vide Epid. 2: 2.

47. FACIAT PERPLEXAB.] i. *figuratum, quod aliud audiatur, aliud sentiatur*, Nonius. Terent. *perplexè loqui*. Sticho: *perplexim lacessam oratione*. Virgil. 9. Æn.

——*perplexum iter omne revolvens*
Fallacis silvæ.

In Vocabulario MSS. Latinogr. Cl. Puteani ita scriptum est: *Perplexus*, πεπλεγμένος. *J. Gul.* ex antiquiss. libris l. *perplexabile audeat*. Et ostendit, *inquit*, hoc verbum, meretriculæ metum, ne offendat amatorem, ut suprà 1: 3. *quod nolebam, ac vetueram; de industriâ fugiebatis. neque conari id facere audebatis prius*. At J. Palm. l. *jaciat perplex.* De obscurè enim & perplexè dictis, tùm si quæ obliquè vibrantur, ita Latini, ut dicant, *jaci*. Cic. Attic. *Sed illud scire cupio, quod jacis obscurè*. Sallust. *Jugurtha inter alias res jacit, &c.* Lucretius perspicuè:

Aut quod in ambiguo verbum jaculata reliquit.

Jacere sermones; Tacitus: quod Virgil. *spargere voces In vulgum ambiguas*. Grut. in MSS. suis legi notat *perplexibile*, per *i*, neque aliter Edd. primæ.

50. TVSSIENDO PROFERAT.] Ne linguâ prolatâ videatur aliquem ad basiandum invitare. V. N. suprà 3: 3. *fac me proserpentem bestiam*. L. & Turn. At *Schop.* l. è MS. Cam. *proserat*: quo verbo & Lucanum usum esse ait; & Livium dixisse, *Exserere linguam*. Eadem de caussâ placuit & Grutero: cui præterea erat in mentem *bestia proserpens*.

51. QVOD ILLA] V.N. Mil. 2: 2.

51. GRAVEDO] Catullus Carmine 41.

Hic me gravedo frigida, & frequens tussis
Quassavit usque.

apud Cicer. *gravedinosus*.

53. Q. CVIQ. SAVIVM] i. quàm sic os comparet, & formet ut ad basiandum aliquem invitet: *Turn.* l. 4: 13. & 1: 15. J. Palm. l. *quàm cuiquam illa salivium faciat*. Nota, *inquit*, veterum oscula: solitos transdere linguam, ac *proserpentem bestiam* facere, & invicem salivas oris miscere. Itaque eleganter Catullus Carm. 73.

Sed nunc id doleo, quòd puræ pura puellæ
Savia comminxit spurca saliva tua.

& osculantes, ut sunt ineptiæ amantum, rogabant amicam, *salivium sibi faceret*. J. Douza, *Savium*, inquit, hic longè diversum à communi usu significare autumo; & *salivam* expono, quam suspiciosus amator aliorum oculis prodi aut palam fieri non vult. quo sensu & Catullus: *Sed nunc id doleo &c.* Et Lucret. lib. 4.

——*Junguntque salivas*
Oris, & inspirant pressantes dentibus ora.

Tametsi non ignorem *Savium* pro ore ipso, quemadmodum & *Osculum*, haud rarò à Poetis acceptari: ut Milite, *Majorem partem videas valgis suaviis*, nec non Rud. act. 2: 4. *Tum quæ indoles in suavio est!* Et Virgil. in Jambico: *Os usque lambis suaviis*. item illo Agell. lib. 19. c. 11.

V

Dum semihiulco suavio
Meum puellum suavior:
Dulcemque florem spiritûs
Duco ex aperto tramite.

Hæc ille. Vid. Not. Mil. act. 2: 1. *Heraldus*; Cod. meus, *inquit*, habet *Salibim*; vel pro *Salibam*, vel pro *Salibium*. Et audacter ille, qui *Suavium*, pro *Salibâ* καὶ ἐν ταύτῃ τῇ σημειώσει nobis obtrudere conatur. Gruterus notat in MS. Cam. legi, *sabium*: indeque nata illa aliorum MSS. quos excussit, & *salibum*; & *saliburn*, & *salibium*, & *salium*. nam illud *saliba*, inquit, est à Pio Correctore.

54. AD VINVM] ad mensam: ad pocula. Cicero: *nonnunquam etiam ad vinum diserti sint.* Terent. Heaut. *vel herè in vino quàm immodestus fuisti!* L. Catullus: *Marrucine Asini, manu sinistra Non bellè uteris in joco atque vino.* Muret.

56. HÆC MVLTA] Hæc verba de Judiciariis Legum Formulis adumbrata sunt. Sic in ludicro testamento, quod Sergio Polensi parasito ascribitur: *Qui non paruerit, HÆC MULTA EI ESTO: Teste altero careat:* Douza. V.N. Truc. act. 4: 3.

59. VENERI AVT] Ut milites exauctorati arma sua ad Martis, gladiatores rude donati ad Herculis ponebant: ita arbitror & Comessatores, & Puellas etiam illas quæ Veneri militarent, languidas corollas demptas suo capiti, deo cuipiam in munus dedisse. Hoc quoque servasse meretriculas puto, ut quoties pensum absolvissent, aut ut Propert. loquitur, quod itinera nocte unà confecissent, tot corollas ludicro cuipiam & minorum gentium deo, donarent, puta Trephallo. Marsyæ, Hermæ, talibus. Lipsius *Antiq. Lect. lib. 3.* Vide & Casaub. ad Pers. Sat. 2.

Veneri donatæ à virgine pupæ.

ubi docet, in omni mutatione, insignia vel instrumenta vitæ anteactæ diis consecrare, moris fuisse. Pupas à virginibus pubertatem consecutis aut nupturis Veneri: ab ephebis bullas, &c. Grutero hæc minus placent, tanquam repugnantia tempori illi ac loco; ut ipsimet versus, & qui præcedunt & sequuntur, ultrò clamant. accommodat potius religioni veterum, qui diebus festis Deos suos sibi propitios honorabant non coronis modò, sed & unguentis. in eadem est sententia Jac. Gutherius; qui videatur lib. 1, cap. 5. A de Manium jure, ubi exemplis cæremoniam istam illustrat.

60. SERVET] i. observet: L. D.

60. VIRO] alicui amatori.

61. SI FORTE PVRE] Douza l. *Se f.* In *Castoaut Pervigilio Isidis* votivas decem noctes matronis & meretricibus secubandum erat: neque aliter rem divinam facere sine piaculo poterant. quod & Livius notat. id Latini *Purè habere*, Græci ἁγνεύειν, ἁγνῶς ἔχειν dicebant. Tibull. lib. 1: 3.

——*& puro secubuisse toro.*

Propert. l. b. 2: 22.

Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis:
Cynthia jam noctes est operata decem.

Idem 2: 19.

Votivas nocteis & mihi redde decem.

Vide Scalig. ad ista Poetarum: item Spicil. *Palm.* pag. 103. sed & Lamb. & Bosium: *Douzam* etiam ad Petronium; alios.

62. TOT NOCTES R. SPVRCAS] Tot noctes tecum cubet; quot abs te seorsim cubuerit. Alii *noctes* subintelligunt. uti aliâs concreta pro abstractis dicimus. Sic *Ferum*: sic *Numidicas*: sic *Africanas*: sic & *Corinthia*, pro vasis Corinthiis, & similia. Ita autem hic versus B scribitur in MSS. C. & Lang. & Edd. *Qui noctes* omittunt, ii leg. *habuverit*, productionis caussâ: ut *pluvit*; *fluvida*, pro *fluida*, apud Lucret. & *liquuida*, pro *liquida &c.* Pareus nullius metri gnarus, & recepit *noctes* & tenuit *habuverit*. Prosodiâ cachinnante.

63. NON NVGÆ] Scal. in Conjectan. *Nugæ*, inquit, etiam erant propriè quæ canebantur in mortuorum laudem. Pl: *Hæc sunt non nugæ, &c.* Etiam origo id declarat: nam *nuga* Hebraicum & Syriacum vocabulum: id sonat mærorem: sicut *nenia* (νηνία) planctum, eâdem linguâ. In Plauto *nugæ* & *mortualia* vocantur carmina præficarum. Vide ibid. Scaligerum copiosius quàm solet, de *Neniis* & *Præficis Nugisque* disputantem: item Cæsarem Scaligerum Poetices lib. 1. cap. 50. Etiam Turn. lib. 23: 8. & *J. Kirchman.* de Funerib. Rom. lib. 2. cap. 6. Notat Meursius in MS. Lang. esse, *mortalia*. utrumque rectè: illud à *mortuis*, hoc à *morte*. item in v.c. fuisse, *mortuaria*: idque perinde esse veteri scripturâ. Agellius lib. 8. *Vos Philosophi mera estis, ut Cato ait, mortuaria glossaria.* Talia sunt, ait, *praliales* & *praliares*. *Palilia* & *Parilia*.

Hæc

Hâc facie *Pulchralia* dixit Cato: *magnalia* Cyprianus, quod sumsit à Tertulliano. Sed ad *mortualia* quod attinet, eadem omninò sunt *nequalia*, quæ Festus *detrimenta* interpretatur: quia nugæ non aliud quàm sermonis detrimenta: & inde facta translatio. Nævius *Mortualia* appellat vestimenta, quæ in luctu sumebantur: *Pallis, petagiis; crocotis, malacis, mortualibus.*

ACTUS IV. SCENA II.

DIABOLVS, PARASITVS.

SEQVERE hàc! egon' hæc patiar? aut taceam? emori
Me malim, quàm hæc non ejus uxori indicem.
Ain' tu? apud amicam munus adolescentuli
Fungare? uxori excuses te, & dicas senem?
Præripias scortum amanti, atque argentum obicias
Lenæ? suppiles clam domi uxorem tuam?
Suspendas potius me, quàm tacita tu hæc auferas.
Iam quidem hercle ad illam hinc ibo, quam tu propediem,
Nisi quidem illa antè occupassit te, effliges scio,
Luxuriæ sumtûs suppeditare ut possies.
PA. Ego sic faciundum censeo. me honestiu' st
Quàm te palàm hanc rem facere, ne illa existimet
Amoris caussâ percitum id fecisse te
Magis quàm suâ caussâ. DI. at pol qui dixti rectiùs.
Tu ergo fac ut illi turbas, lites concias,
Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
Potare, illam expilare jam. PA. ne me mone.
Ego istud curabo. DI. at ego te opperiar domi.

MErcerus ad Nonii *Arbitrium*, egregie notat scenam hanc applicari actui priori. non enim convenit ut statim atq; leges legerunt, exieruntque è scena, nullo spatio interjecto, prodeant rursus in scenam cognita pactione Argyrippi. Ergo hinc sit exordium actus quinti. quippe dum canunt tibicines, satis temporis fuit adolescenti ac parasito, ut rescisceretnt eam pactionem, de qua questi, in scena, excedunt; & tum aperitur siparium, ut decumbentes aspici possint à populo.

V. 3. AIN' TV?] H. Stephanus: Vis hujus formæ, *Ain' tu?* est, q. d. Ain' tu talia tibi debere permitti? vel, Talia debere dissimulari?

3. APVD AMIC.] ἀποστροφὴ ad Senem.

5. AMANTI?] Argyrippo, vel potius mihi? L.

6. SVPPILES] Grut. è MS. Pall. l. *suppeiles.* ita & MSS. Lang.

7. TACITA] quàm hæc à me taceantur. Cic. 2. Att. 3. *Cetera si reprehenderis, non feres tacitum.* Famil. lib. 3: 18. *Prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi relinquenda sunt.* Hic *tacita* passivè. aliàs activè: Cic. pro Rosc. *tacita corporis figura.*

9. ANTE OCCVPAS.] Pleonasmus: nam *occupare*, per se est antevertere. Quanquam *ante occupare*, & *præoccupare*, Cicero & alii etiam dixêre.

9. EFFLIGES] Ita Edd. vulg. itemque MSS. Cam. & Pall. sex. quod & J. Gulielm. & *Pistoris* probant, hoc sensu: Tu quidem uxorem tuam nimis parcam certo scio, occides tandem, ut sumtûs ad luxuriam habere possis: nisi illa te prævenit: ut tibi inferat, quod à te exspectat. Cic. l. 9. Attic. ult. *filium misit ad effligendum Pompejum.* ita enim leg. Lamb. & S. Bosius. V. N. Amphitr. 1:3. & Cistell. 2: 1.

11. EGO SIC FAC. CENS.] Parei ultima valde indecorè mutat MSS. & Edd. priorum personas; hæcque quatuor verba adhuc tribuit Adolescenti; cùm sint Parasiti. At sic putat rectius! At eadem etiam ratione cucullus cantum suum anteponat modis lusciniolæ. Sensus communis cui desit, præponendus non erat scenis auctorum quibus suus est character. Parasitus pudēter hic subvenit iræ adolescentis, perire potius cupientis quam ut istæc non divulget: Quid ergo minus convenit tam excandescenti, quàm sedatorum usurpare sermonem?

14. AT POL.] sc. ego ipse rem facere palàm volo. Sequitur tamen correctio; Immò verò dixisti rectius, &c. L. Acidal. *epol, quin dixti rectius.* vel: *at pol quin d.* utrumque enim solet Plautus conjungere.

16. UNAM] ita MS. Cam. Alii, *una*.

16. DE DIE] i. dum adhuc dies quasi regnum obtinet, neque vergit in vesperam. Cic. *Vigilas tu de nocte*. Horat. 1. Epist. 2. *Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones*: ubi, *de nocte* Cruquius exponit, per noctem: Gualt. Chabotius, διὰ νυκτός. Laur. Ramirez Hispan. ad Martial. l. 4: 8. Qui de die convivabantur, malè audiebant ob intemperantiam, non exspectato legitimo cœnæ tempore. Catullus epigr. 48. *Vos convivia lauta sumptuosè De die facitis.* Horat. 1. Od. 1. *Solidum diem* vocat eas horas, quæ erant ante cœnam rebus agendis destinatæ. *demere* igitur *partem de solido die*, ibi est, aliquid subtrahere justis occupationibus, idque conviviis dare. quod 2. Od. 7. appellat, *frangere diem mero*. Sic Sueton. cap. 21. de Domitiano: *Etiam lavabat de die*, i. non legitimo lotionis tempore, sed iis horis, quibus necessariis occupationibus vacare debuisset. Livius de Hannibale: *Cœperunt epulare de die*, &c. Hinc septem illas octove horas ante decimam *majorem*, item *meliorem diei partem* vocabant. Vide me ad Virgil. 9. Æn. v. 157. Sed plusculа ad hanc rem etiam è *Lipsii* Comm. ad 14. Annal. Taciti, annotare, ex usu juventutis arbitror. Tempus (inquit ille) ut tardè aliquando juventus nostra discat, quid *Tempestiva convivia*, quid *Intempestiva*. Discat, & dedìscat illa quæ nuper hausit à magnis magistris. Ajunt, *Convivium tempestivum* esse, quod tempore celebretur: verbo reque honestum: nec in vitio poni unquam nisi in libris vitiatis. Ecce alii, qui *Tempestivum* nihilum differre dicant ab *Intempestivo*: & in culpâ habitum utrunque. Tertium vidi, qui *convivia tempestiva* vellet esse, quæ statis certisq; temporibus præberent Sacerdotes. Inducunt, & seducunt. Audite me, juvenes, & cum bono Mercurio, inite viam rectam. Legitima convivii hora apud Romanos priscos, Sol occasus. Itaque quia vesperè cœna; ideò proverbii forma in Plauto (Mil. act. 4. 2.) *de vespere suo vivere*. Postea autem decima haberi cœpta: ut clarè patet ex Cornificio ad Herenn. lib. 4. *Eamus inquit hospites* &c. Et ab eâ mente Horat. lib. 1. Epist. 7. *Post nonam venies.* Immò actuosi homines & forenses post Decimam sæpè. At labente imperio moribusque, octava hora balnei haberi cœpta, nona ipsa cœnæ. Mart. (lib. 4. Epigr. 8.) *Imperat exstructos frangere nona toros.* (i. toris insidere, vel accumbere.) Hanc horam qui præveniebant, *tempestivè epulari* dicebantur & præmaturè, & convivia eorum *Tempestiva*. qui in longum trahebant, inque noctem intempestam, jure eorum epulæ *Intempestivæ*. Qui de multo die, inquam, epulari incipiebant, in eos gulones hæc nota & nomen. Plautus probrosè in senem: *Cum suo sibi gnato unà ad amicā de die Potare.* Hinc apud Catull. *dictu, herè illic De medio potare die.* Suetonius de Nerone: *Epulas à medio die ad mediam noctem protrahebat.* Cicero de Pisone: *Qui nunquam Solem orientem aut occidentem viderit*: culpatque eum vitii utriusque. Hæc tempestiva convivia sæpe usurpari solita diebus lætis festisque. Saturnalibus item vulgò convivia ordiebantur à multâ luce, &c. Diurnum ergo convivium (intelligo à meridie, aut circiter) *Tempestivum*, quia initium

initum temperi nimis: nocturnum contrà, *Intempestivum.* Describit Propert. (lib. 4. el. 6.)

Sic noctem paterâ, sic ducam carmine; donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Hæc Lipsius: quorum singula argumentis firmat solidissimis, quæ brevitatis caussâ hîc omisi.

17. EXPILARE JAM] J. Gul. suspicatur leg. *clam.* Suprà, *Suppiles clam domi uxorem tuã.* V. N. Men. 5, 2. quod scenæ suæ applicuit

A Pareus editione prima act. 5:2. V. C. habet, *expilare jam emone.* neque aliter edd. primæ, aut MSS. Pall. nisi quod unus & alter, *jam emori.* Lectio hæc nostra est à Camerario: cui non acquiescit Pareus, sed ita hunc locum (si modo ipsi creditur) primus, quà lectionem, quà distinctionem ex V. C. & cunctis Pall. restituit: *expilare, jã memor es.* Mi lector; cujus cortinæ accedis? non ne & personæ, & membranis convenientiora proponit Veteranus ille dux; quàm hic noster catula?

ACTUS V. SCENA I.

ARGYRIPPUS adolescens.
DEMÆNETUS senex.

AGEDUM, decumbamus sis, pater. DE. ut jusseris,
Mi gnate, ita fiet. AR. pueri, mensam apponite.
DE. Nunquid nam tibi molestum est, gnate mi, si hæc mecum accubat?
AR. Pietas pater oculis dolorem prohibet. quanquam ego istanc amo,
Possum equidem animum inducere, ne ægrè patiar, quia tecum accubat?
,, DE. DECET verecundum esse adolescentem, Argyrippe. AR. edepol pater,
Merito tuo facere possum. DE. agè ergo, hoc agitemus convivium
Vino & sermone suavi. nolo ego metui, amari mavolo
Mi gnate me abs te. AR. pol ego utrunque facio, ut æquum est filium.
DE. Credam istuc, si esse te hilarum videro. AR. an tu esse me tristem putas?
DE. Putem ego? quem videam æquè esse mæstum, ut quasi dies si dicta sit.
AR. Ne dixis istuc. DE. ne sic fueris, illicò ego non dixero.
AR. Hem! aspecta: rideo. DE. utinam malè qui mihi volunt sic rideant!
AR. Scio equidem quamobrem me, pater, tu tristem credas nunc tibi;
Quia istæc est tecum. atque ego quidem hercle, ut verum tibi dicam, pater,
Ea res malè habet: ac non eò, quin tibi non cupiam quæ velis:
Verùm istam amo. aliam tecum esse equidem facilè possim perpeti.
DE. At ego hanc volo. AR. ergo sunt quæ exoptas. mihi quæ ego exoptem volo.
DE. Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi potestatem dedi,
Cum hâc annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam.
AR. Hem istoc me facto tibi devinxti. DE. quin te ergo hilarum das mihi.

PRIMI versus duo sunt jambici trimetri, reliqui tetrametri acatalect.

1. DECUM] *Decumbere*, aliàs ægrotorum est, ut *Discumbere* convivarum. Verum & Terent. ita usurpat Phorm. 2:2. *Prior bibas, prior decumbas*, &c. L. Huc pertinet Scena 1. act. 5. Persâ.

3. SI HÆC MECUM] Cod. Langg. *si hæc mecum unà accubat*, quod recepit in editionem primam Pareus. at secunda aucupata est alteram adhuc vocem, ut versus fieret egregiè monstrosus, *si hæc nunc mecum unà accubat*. nostra lectio visitur in edd. vett. & MSS. Pall. ad unum omnibus. falsum enim est, quod notat Pareus scripturam editionis suæ confirmari Pall. sex. nullus eorum agnoscit, aut *nunc*, aut *unà*. V. C. præfert quidem *nunc*, sed abnuit, *unà*. & quisquam imposuit provinciam restituendi Plautum homini nullius fidei, homini qui pedes nescit alicujus scenæ?

4. OCULIS DOL.] Sic Ter. Phorm. act. 5:9.

Vin' facere, quod tuo viro oculi doleant?

Cicero 8. Epist. fam. 14: *Nunquam oculi tui doluissent, si in repulsa vultum Domitii vidisses.* Propert. 2. el. 25: *Quantum sic cruciat lumina vestra dolor.* Nota vox Alexandri apud Plutarch. ὡς εἰσὶν ἀλγηδόνες ὀμμάτων αἱ Περσίδες. & Eustath. *in* 3. Iliad. eleganter inquit ἀλγηδόνας ὀφθαλμῶν εἶναι τὰς κόρας. nimirum *oculi* dicuntur *vulnerari*, ac *dolere*, ut & *aures*, atque est, ἀσύμφορος Proverbialis molestiæ & indignationis. Vide *P. Vict.* lib. 1. Var. Lect. 5 & Passer.

5. INDUCERE AN.] Ter. Hec. 1:2.

——quod ego nunquam credidi
Fore, ut hàc ille vivâ posset animum inducere
Uxorem habere. ubi Donatus: *quasi in rem durum & immanem.*

11. PUTEM EGO] q. d. Nihil hic opus est putare; cum res ipsa loquatur, te tristem esse. *L.*

11. UT QUASI] Lamb. delet, *ut*, sensum & numeros, ut ait, corrumpens. Sed Acidal. neutrum ait verum esse; si quis rectè metiatur. deinde, *ut quasi si*, probam esse locutionem. Casin. Prol. *Quasi si esset ex se nata.*

16. EA RES MALE H.] ita Cam. & Douza: nam Edd. Lambini, & cæteræ, *Ea res malè h.* quod & in Pall. sed spernit versus. pertinaciter tamen retinet Pareus: qui scilicet numero gaudet, nec quidquam patitur perire analectorum.

16. QUIN TIBI N.] Acid. l. *quiat.*

17. ESSE EQUIDEM] Parei utraque ejecit verbum *equidem*, sine quo metrum nullum est; quid quod extabat in MSS. atque Edd. omnibus. hoc non est prostituere fidem Antiquitatis, quia fit à Pareo. alius si fecisset, crimen majestatis fuisset.

ACTUS V. SCENA II.

ARTEMONA mulier, PARASITUS, DEMÆNETUS, ARGYRIPPUS, PHILENIUM meretrix.

AIN' tu, meum virum hìc potare, obsecro, cum filio?
Et ad amicam detulisse argenti viginti minas?
Meoque filio sciente id facere flagitium patrem?
PA. Neque divini, neque mî humani posthac quicquam accreduas,
Artemona, si hujus rei me esse mendacem inveneris.
ART. At scelesta ego, præter alios meum virum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maximè.
PA. At nunc dehinc scito illum ante omnes minimi mortalem preti,
Madidum, nihili, incontinentem, atque osorem uxoris suæ.
ART. Pol ni vera ista essent, nunquam faceret ea quæ nunc facit.

PA. Ego

PA. Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus.
Verum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum filio
Potet unà, atque unà amicam ductet decrepitus senex.
ART. Hoc ecastor est, quod ille it ad cœnam cotidie.
Ait sese ire ad Archidemum, Chaream, Cherestratum,
Chiniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem;
Is apud scortum corruptelæ & liberis lustris studet.
PA. Quin tu illum jubes ancillas rapere sublimem domum?
ART. Tace modò. næ illum ecastor miserum habebo! PA. ego istuc scio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris. ART. ego censeo
Eum etiam hominem in senatu dare operam, aut clientibus:
Ibi labore delassatum noctem totam stertere.
Ille opere foris faciendo lassus noctu advenit:
Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.
Is etiam corruptus, porrò suum corrumpit filium.
PA. Sequere hàc me modò, jam faxo ipsum hominem manifestò opprimas.
ART. Nihil ecastor est quod facere mavelim. PA. manedum. ART. quid est?
PA. Possis, si fortè accubantem tuum virum conspexeris,
Cum coronâ amplexum amicam, si videas, cognoscere?
ART. Possum ecastor. PAR. hem tibi hominem. ART. perii. PAR. paulisper mane.
Aucupemus ex insidiis clanculum quam rem gerunt.
AR. Quid modi pater amplexandi facies! DE. fateor, gnate mi.
AR. Quid fatere? DE. me ex amore hujus corruptum oppidò.
PA. Audin' quid ait? ART. audio. DE. egon' ut non domo uxori meæ
Surripiam in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?
Non edepol conduci possum vitâ uxoris annuâ.
PA. Censen' tu illum hodie primum ire assuetum esse in ganeum?
ART. Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
Suspicabar; atque insontis miseras cruciabam. AR. pater!
Jube dare vinum: jam dudum factum est, quum primùm bibi.
DE. Da puere ab summo. age tu interibi ab infimo da suavium.
ART. Perii misera: ut osculatur carnufex, capuli decus.
DE. Edepol animam suaviorem aliquantò quàm uxoris meæ.
PHI. Dic amabo, an fœtet anima uxoris tuæ? DE. nauteam
Bibere malim, si necessum est, quàm illam oscularier.
ART. Miser ecastor es! PA. mecastor dignus est. AR. quid ais pater?
ART. Ain' tandem? edepol næ tu istuc cum malo magno tuo
Dixisti in me: sine! venias modò domum, faxo ut scias
Quid pericli sit dotatæ uxori vitium dicere.
AR. Ecquid matrem amas? DE. egone? illam nunc amo, quia non adest.
AR. Quid, cum adest? DE. periisse cupio. PA. amat homo hic te, ut prædicat.
ART. Næ ille ecastor fœnerato funditat! nam si domum

Redieris

Redierit hodie, osculando ego ulciscar potissimum.
AR. Jace pater talos, ut porrò nos jaciamus. DE. maximè.
Te Philenium mihi, atque uxori mortem. hoc Venerium est.
Pueri plaudite, & mihi ob jactum canthare mulsum date.
ART. Non queo durare. PA. si non didicisti fullonicam,
Non mirandum est. in oculos invadi nunc est optimum.
ART. Ego pol vivam, & tu isthac hodie cum tuo magno malo
Invocavisti. PA. ecquis currit pollinctorem arcessere?
AR. Mater salve. ART. sat saluti st. PA. mortuu st Demænetus.
Tempus est subducere hinc me! pulchrè hoc gliscit prælium.
Ibo ad Diabolum, mandata dicam facta, ut voluerit.
Atque interea ut decumbamus suadebo, hi dum litigant.
Post eum demum huc cras adducam ad lenam, ut viginti minas
Et det, in parte hàc amanti ut liceat ei potirier.
Argyrippus exorari spero poterit, ut sinat
Sese alternas cum illo noctes hàc frui. nam ni impetro,
Regem perdidi: ex amore tantum est homini incendium.
ART. Quid tibi huc receptio ad te est meum virum? PH. pol me quidem
Miseram odio enicavit. ART. surge amator! i domum!
DE. Nullus sum. ART. imò es, ne nega; omnium pol nequissimus.
At etiam cubat cucúlus. surge amator! i domum!
DE. Væ mihi! ART. vera ariolare. surge amator! i domum!
DE. Abscede ergo paululum istuc. ART. surge amator! i domum!
DE. Jam obsecro uxor! ART. nunc uxorem me esse meministi tuam!
Modò, quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram.
TE. Totus perii. ART. quid tandem, anima fœtetne uxoris tuæ?
DE. Murrham olet. ART. jam surripuisti pallam, quam scorto dares?
AR. Ecastor quin surrepturum pallam promisit tibi.
DE. Non taces? AR. ego dissuadebam, mater. ART. bellum filium!
Istoscine patrem æquum mores est liberis largirier?
Nihil ne te putet? DE. pol si aliud nihil sit, tui me uxor pudet.
ART. Cano capite te cucúlum uxor ex lustris rapit.
DE. Non licet manere (cœna coquitur) dum cœnem modò?
ART. Ecastor cœnabis hodie, ut dignum est, magnum malum.
DE. Malè cubandum est: judicatum me uxor adducit domum.
AR. Dicebam pater tibi, ne matri consuleres malè.
PHI. De palla memento, amabo. DE. Juben hanc hinc abscedere?
PHI. Imò intus potiùs: sequere hàc me, mi anime. DE. ego verò sequor.
ART. I domum. PHI. da savium etiam priùs quàm abis. DE. i in crucem.

VERSUS

VERSUS hujus Scenæ & deinceps ad finem usque hujus Fabulæ omnes sunt trochaici Archilochii.

4. NEQ. DIVINI] V. N. Amph. act. 2: 2. Porro utraque Parei editio versus hujus antepenultimam vocem *posthac* turpiter ejecit, præter libros, & metri numeros.

5. ARTEMONA] Acidal. numeros ita salvat: *me mendacem esse* ut v. 40. metri caussâ malit, *Jube dari* &. Aldina τὸ *me* planè non habet. Cæteræ ferè, *rei me esse mend. in* &. quod & in V.C. & Pall. tribus. ceteri, *rei mendacem me esse inven.* adeò ut vanitatem nimis suam prodat Pareus, dum affirmat legi in omnibus MSS. Pal. *Art. si hujus rei me mendacem esse inveneris.*

6. PRÆTER ALIOS] ita *J. Gul.* è Lang. & Douza, *præter alios*, μάλιστα τῶν ἄλλων. Cic. Cat. Majore; *Qui & diutissimè senex fuisset, & in ipsâ senectute præter cæteros floruisset.* Verùm hæc lectio, quamvis reperta in Edd. vett. quoque & V. C. non placet Pareo, qui cum Pall. sex reposuit, *præter alias*; ineptè, invenustè, sordidè. quid enim cæteris feminis cum moribus mariti alterius? Et alioquin instantia Parasiti, vocaliter scripturam aliam propugnat: *At nunc dehinc scito illum ante omnes.*

8. MORTALEM] ita *J. Gul.* è Lang. & ita MS. Pall. & edd. vett. non *mortales*, ut vulg.

13. DUCTET] V.N. Epid. 3: 2.

13. DECREPITUS] opponitur *crudo seni.* τύμβογέρων, κρόνος, ἰαπετός, βεκκεσέληνος &c. L. Vid. N. Epid. 5: 2.

17. LIBERIS LUSTRIS] Quæ sunt *libera lustra*? Scribo: *Is apud scortum corruptelæ est liberis; lustris studet.* Nam cum filio apud meretricem desidebat: *Heinsius.* quam conjecturam statim arripuit Harpax ille novitatum, editione sua pr. Pareus, abjecitque altera.

21. INSENATU] ἐν βουλευτηρίῳ. V. ed. habet, *senatui.*

23. OPERE FORIS F.] Nihil frequentiùs nostris, quàm agriculturæ vocabula transferre ad rem voluptatum. Sic Curcul. 1: 1. *Dum me per fundum septum facias semitam* &c. Eandem rem & *Horto* & *Agello* designari, notatum est multis; Lipsio imprimis & Grutero. In Carm. libero:

Quod meus hortus habet, sumas impune licebit,
Si dederis nobis, quod tuus hortus habet.

Martial. lib. 7. epigr. 101.

Milo domi non est: peregrè Milone profecto
Arva vacant: uxor non minùs inde parit.
Cur sit ager sterilis, cur uxor lactitet, edam:
Quo fodiatur ager non habet, uxor habet.

Tales JCtis dicti ferè, *alienarum nuptiarum temeratores, & sacrilegi nuptiarum.* Sic Sophocles Antig. v. 579. Ἀρώσιμοι γὰρ χἀτέρων εἰσὶν γύαι. i. *Arari & subigi possunt aliarum feminarum arva* seu *jugera*, &c. V. N. Trucul. act. 2: 6. inprimis Epid. act. 4. sc. 1. Porrò Colerus pro *incultum*, malit *incultu*, quod & exhibuit statim spectatoribus suis Pareus editione prima, subduxitque secunda.

25. FILIUM] Post hunc versum existimat *J. Gul.* istum è Nonio locum habere: *Quin etiam me miseram famosam facit flagitiis suis.*

26. MANIFESTO OP.] V.N. Menæch. act. 4: 1.

30. POSSUM] Lamb. l. *possim*, sed malè: *Grut.*

30. HEM] Lamb. *en.* quod invitis MSS. & edd. vett. in editionem. pr. recepit Pareus.

31. AUCUPEMUS] V.N. Mil. 4: 1.

33. CORRUPTUM] Omnes MSS. & cusi ante Cam. *corruptum opp.* Lipsius è Vatic. l. *correptum.* quod minimè neglexit editio Parei. Verùm quod idem affirmat, abesse septem MSS. verbulū *hujus*, iisdem insignitè est injurius. habent enim id ad unum omnes; item edd. vett. sic & v. 35. asserit in V.C. extare *suprupiam*; falsò. retinet *subripiam.*

36. VITA UXORIS AN.] *Sensus est*: Si quis mihi ita dicat: Demænete, si pallam uxori tuæ, quam in deliciis illa habet, non surripies, neque ad Philenium deferes, hanc tibi ejus rei mercedem promitto, quòd tua uxor non plus anno victura est; conditionem non accipiam: etsi morte ipsius nihil mihi cariùs. Pomponius: *More sit, moriri suam quisque uxorem ut velit.* è Lamb. V. N. Epid. act. 2: 1. & Trin. 1: 2.

37. GANEUM] Donatus Adelph. act. 3: 3. A *Veteres ganeum tabernam meritoriam dixerunt: ἀπὸ τῆς γῆς, τοῦτ' ἐστὶ γῆς: quòd ea sint in terrâ; non, ut cænacula, suprà.* J. C. Scaliger Exercit. 317. Sect. 2. negat, à subterraneis cryptis dici *Ganeum*: sed à γάνυσθαι. Turnebo lib. 20:33. *Ganeum* dicitur fornix, γύπειον.

39. SUSPICABAR] sc. facere. *L.*

41. DA PUERE, AB S.] *Ab summo*, inquit Douza, nempe ab Argyrippo filio; qui summam lecti convivalis partem premebat: haud quidem in Biclinio (uti Bacchidibus) multò minus Triclinio: quando singularis Lectisternii modò mentionem hîc fieri videmus, in quo senex ipse medius (ut æquum erat patrem) loco puta honoratiore; Philenium *interior* porrò, hoc est, in gremio capularis amasii sui ima accubaret, more amantibus solemni: qui locus item legitimis uxoribus debitus illis temporibus. quâ de re adeundus Lipsius ad X I. Annalem Taciti Commentario. Unde, *suavium ab infimo dari sibi*, postulat Demænetus, ab eâ scilicet parte, atque ex eo loco, ubi basiatura decumbebat. Huic consimile illud Persâ, act. 5: 1. *Agè puere, à summo septenis cyathis committe hos ludos*: hoc est, in orbem fac cyathisses, initium faciens à summo, & (quod Varro ait) *circumfer potionem*: & ib. 5: 2. *Agè circumfer mulsum, puere, da usque plenis cantharis*, id est, quod Græci dicunt, ἐν κύκλῳ πίνειν, ab eo convivâ scilicet, qui summus accumbit ad imum. Quem morem in omni convivio lautiori solemnem fuisse notat *Lipsius* Antiq. Lect. lib. 3. Cui adjectes hoc à Mostell. exemplum: *Agè tu interim da ab Delphio citò cantharum circum.* Nam & ibi, ut & hîc, ad puerum pocillatorem directus est sermo. *Hæc Douza.* Vide & Turn. l. 6: 21. & lib. 13: 6.

41. AGE TU INTERIBI] tu Philénium, intereà &c. L.

42. CAPULI DECUS] Ejus ornamentum. *senex capularis*, ut est Mil. 3. 1. v. 33. *Acheronticus*, ut ibid. & Mercat. 2. 1. v. 19. τυμβογέρων. *capulus à capiendo*, inquit Nonius. *nam sarcophagum, id est, sepulcrum veteres capulum dici voluerunt, quod corpora capiat.* Festus: *capulum & manubrium gladii vocatur, & id quo mortui efferuntur. utrunque à capiendo dictum. sane à capulo sit capulari.* Vult igitur huic seni convenire magis capulum, id est, sepulcrum, aut pheretrum, quam lustra seu ganeum. Lamb. at Gutherius putat alludi ad morem, quo senior lecto defuncti proximus custodem ejus agebat, in ipso ædium vestibulo. Virgil. 11. Æn. *-recipitque ad limina gressum, Corpus ubi exanimi positum Pallantis Arates Servabat senior.* inde *capularis* capula proximus, & *capuli decus*, qui propter ætatem longævam capulo assideret, corpusque mortui adservaret, morti proximus. decus autem pro honesto semper accipitur. Sic Guth. cap. 18. lib. 1. de jure Manium: acutius quàm verius. certè Passeratius ad lib. 2. el. 2. Propertii, ipso fine, *decus* hic capit in partem malam.

44. AN FOETET ANIMA] i. halitus. Titinnius: *Intereà fœtida anima nasum oppugnat.* Virgil. 2. G. v. 134. *animas & olentia ora*, δυσωδίαν circumscribit.

NAUTEAM] Nonius: *Nautea est aqua de sentinâ; à nautis dicta.* Festus: *Nautea, herba granis nigris, quâ coriarii utuntur: dicta, quasi nausea, permutatione T in S.* Etiam Junius *nauteam* esse eandem cum *bryoniâ* sive *vite nigrâ* censet, quâ Coriarii utantur ad depsenda pilisque spolianda coria. B Curcul. act. 1: 2. *Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea est*: & Casinâ extremâ.

PAR MECASTOR] Nota, virum (nisi non vir est Parasitus) *mecastor* dicere, ut & inferiùs Argyrippum: item Cas. act. 2: 6. quod Agellius lib. 11: 6. apud idoneos Scriptores inveniri negat. Sed *Acidalius* hoc sermonis flagitium declinat, quando & versûs plusculos & personas transponit, bono sensu:

----q. ill. oscularier.
ART. Ain tand. &c. convit. dicere.
PHI. Miser ecast. es. ART. mecastor dignus est.
AR. quid ais pater? Ecquid matr.

SINE VEN.] *Sine*, minantis est. Komm mir nur heim! Ich wil dir den Grind schmieren.

VITIUM] ita J. Grut. è Lang. l. *vitium d.* Propriè admodum, & ad versûs mensuram accommodatè. Non tamen (ait porrò) diffiteor, *convitium* & hîc posse tolerari; sed tolerari tantùm: utique cùm ad alterum respicio: quod nec Terentium fefellit, suæque Hecyræ

cyræ

ξυγæ act.1.sc.2.inseruit: *Reddi patri autem, cui tu nihil dicas vitii, superbum est*: hoc est, exigere uxorem ædibus, nec caussam divortii palàm facere, &c. Vide plura, *Mercat. act.* 4: 6. Etiam Acidal. qui Gruteri judicium hic laudat, præfert *vitium*, vetustâ locutione, *Vitium alicui dicere*, pro vitii aliquam insimulare, accusare, damnare. Glossar. H. Steph. *Vitium furi dico*, καταγινώσκω τοῦ κλέπτου. Pareus ex istis collectaneis, notavit in Electis: Uxor dotata, honesta, indicta caussa non poterat repudiari. Asin. 5.2.v.49: *Faxo ut scias, Quid periculi sit dotatæ uxori vitium dicere*: hoc est, exigere uxorem ædibus, nec caussam palam facere &c. O Hercules Alexicace! libera nos ab insano isto Orbilio.

ARG. ECQVID M.] Rectè personas hic ordinatas à Douza, res loquitur.

52. ART. NÆ ILLE] Douza l. *illæc*, sc. verba. Sic Amph. *Cum cruciatu tuo isthæc hodie verna verba funditas*. Pœnulo: *Tantula tanta verba funditat*. Cæterùm quòd ait, *Feneratò funditat*, explicatur ab eo, quod paulo priùs eadem Artemona effudit: *Edepol næ tu istuc cum magno malo tuo dixisti in me*. Geminum germanum huic est illud Menæch. *Næ illam* (pallam) *mecastor fæneratò abstulisti!* Sed Acidal. nolit *ille* mutari in *illæc*: potiùs velit rescribi è vet. cod. *Næ ille ec. fæn. hæc f.* quod statim excepit Pareus editionis pr. stabulo, nolentibus tamen MSS. Lamb. malè: *-fundit hæc*. Scire tamen velim quibus vett. libris hic usus sit Acidalius. Certè in meis nec *illæc* nec *hæc* usquam apparent.

OSCVLANDO] Referendum ad illud, quod paullo prius dixit, se nauteam bibere malle, quàm uxorem osculari.

IACE, PATER, TALOS] V. N. Persâ, act. 5:1.

MORTEM] sc. opto, voco. V. N. Capt. act. 1:1.

55. VENEREVM EST] V. N. act. 5:1. & Curc. 2:3.

56. OB IACTVM] Sic MSS. & Edd. ante Pareum, utraque enim ejus, *objectum*. interim Notæ mussant, quid est corrumpere libros, si istud non est?

57. NON QVEO DVRARE] καρτερεῖν. Ich kan mich nicht lenger enthalten.

57. SI NONDID. FVLLONICAM] Jocus in v. *durare*. Q. d. Non est mirum, te non diu posse durare, quia fullonicam artem ignorans te non interpolas, i. novam formam è vetere tibi non fingis: quod si faceres diu durare posses: *L.* quem videas licet. item Not. Rud. act. 3:6. *J. Gul.* Verisl. lib. 2: 8. Fulloniam mihi, *inquit*, hoc capite demereri lubet, eodemque elegantem locum Plauti illustrare, primore Pœnulo: *Placet consilium. MI. immo etiam ubi expolivero, Magis hoc tum demum dices: nunc etiam rude est*. Duo olim fullonum officia erant: vestem eluere & cogere, unum; alterum, eandem cretâ cādefacere: illud *consiliari* dicebant; & ipsam actionem, quod insultu multo pedum fieret, *consilium*; hoc, *expolire*. Varro de L. Lat. lib. 5. *A cogitatione concilium, unde consilium. quod, ut vestimentum apud fullonem cum cogitur, consiliari dicitur: sic reminisci, cùm ea, quæ tenuit mens ac memoria, cogitantur & cogitando repetuntur*. Quem locum ut obiter explicem, à paucis perceptum: *cogitare*, inquit, est crebrò cogere, unde *concilium*, quia cogitur: & hinc *consilium*, in re fulloniâ, quòd vestimentum cogat; in animo humano, quod cogitet, id est, multum diuque cogat ea quæ memoria tenuit. Hæc igitur urbanissimi joci mens est. Ait adolescens placere sibi consilium, intelligens inventum servi de subornando villico: at ille ita accepit, quasi de veste elautâ & coactâ loqueretur: immò, inquit, nihil est præ ut mox opus meum tibi probabo, cum addidero politias cæteras: nam ut nunc res est, consilium quidem est; sed rude & sine politiis. Notum autem est, mercenarios opus approbare solitos dominis. Apul. 6. *Singulisque granis ritè dispositis atque sejugatis ante istam vesperam opus expeditum approbato mihi*. Mil. act. 4:4. *-Satin est tibi, si meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas?* ad quem morem etiam respexit. Porrò *durandi* quoque verbum fullonum proprium erat, quod vestis coacta & incretata durescat. Absque hoc sit, Sibyllæ folium erit versus, Asinariâ: *Nequeo durare &c.* Ubi malè afflictamur, ibi nos *durare posse*, venusto loquendi genere, negamus. Terent. *Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest*. Miseriam ergò suam & dolorem animi mulierculâ cum significaret, para-

parasitus per deridiculum aliò detorquet. *Ha-ctenus* *J.Gul.* Et digna etiam observatu notavit *de follonibus* Colerus Parerg. cap. 34. Denique *J. Douza* cum *Gul.* hîc leg. *fullonicam*, ut *histrioniam* in Amph. Sed mei tamen omnes, *fullonicam*. A

19. ISTHÆC] sc. *Philenium* tibi, & mihi *mortem*. At Acid. malit, *isthanc*, scil. Philenium.

60 POLLINCT.] V. N. Pœn. Prol.

64. DECVMB.] alii, *discumb.*

65. POST EVM DEMVM HVC] Diabolum. Sic autem restitui ex sex Pall. nam V.C. *Poste demum huc*. ineptè enim editio Parei ultima; *Post eum demum hunc*. & tanto quidem periculosius inepta, quod velit ita exstare in Pall. omne cum sit in nullo. Edd. pr. *Post demum huc cras*. recentt. *Postea demum hunc cras*.

EI] lænæ.

66. AMANTI] Diabolo. *L.*

IN PARTE] Lamb. l. *in partem*: *cù ušpes.* sed quâ auctoritate? alterum hæret in libb. om.

69. REGEM] V. N. Capt. 1: 1.

71. ODIO] odiosis dictis & factis. *L.*

ENECAVIT] Heraldus malit *enecabit*, è suo Codice, quod nihildum mali ab Artemonâ passa sit Philenium. Gruterus censet illud *enecabit* respicere non Artemonam, sed verò Demænetum: ut velit Philenium; imò rectè factum, quòd capularem istum excitas, qui mihi supra omne odium odiosus. Rectè. Si versui quidpiam deest, tunc nullo negotio repetatur; *Miserè miseram odio en.*

71. SVRGE] Cùm nulli vett. cod. *age* habeant, sed versui fulciendo sit intrusum, qui tamen sic etiam labat: & in Colon. ed. sit *hodie*, pro, *odio*: Acidal. utrunque retinens, versum ita scribit: *miseram odio enicabit hodie. ART. surge am.* minus rectè. nam *odio* mutatum in *hodie* ab eis qui minus assequebantur vim dotemque ejus vocis. sed & metro nihil desit, si abstinemus ab elisionibus.

75. NVLLVS SVM] perii funditùs: *L.*

73. CVBAT] i. in cubitum se componit. *D.*

73. CVCVLVS] *Cuculi* etiam dicebantur olim in re parum honestâ deprehensi. Vide Erasmi Adag. & Interprett. ad Hor. 1. Serm. 7.

——magnâ compellans voce cuculum.

præcipuè verò Torrentium adeat, qui de avis istius moribus omnia scire desiderat. ubi obiter etiam nota, mediam in *cuculo* produci: & ita debere Erasmus pertendit, & vel ille, qui *Calepini* lexicon reformavit; atque adeò unico l scribendum non geminato. immò *Th. Freigius JC.* Notis ad Colloquia *Vivis*, eos, qui corripiunt, attendere jubet, cujus avis cantum referant. Ego certe in nullo adhuc primæ classis auctore mediâ correptam legere memini Nam versus, quem Calepinus sub nomine Martialis citat, illius nunquam fuit. Vide etiam. Not. *Jac. Dalechampii* ad Plin. lib. 10. cap. 9. & lib. 18. cap. 26. *Lamb.* ubique l. *cucullus*: & ita scribit etiam Scalig. quem vide ad Ætnam.

75. SVRGE AMATOR] Ita consensu MSS. & edd. si excipiamus Pareanam pr. ea objecit, *surge arilator*. ô pestiferam omnia innovandi licentiam!

79. MVRRHAM] Sic MSS. Pall. *Palmer.* è lib. vet. l. *smyrnam*. Sic enim veteres, *inquit*, myrrham vocârunt. Etiam *C. Helvius Cinna* poemation suum *Smyrnam* inscripsit, quod de Myrrhæ incesto condiderat. Lucr. lib. 2. in vet. editis & MSS. B

Es contemptus odor smyrnæ mellisque sapores, &c. Propert. lib. 3: 8.

Et crocino nares murrheus ungat onyx.

80. ARG. ECASTOR QVIN SVRR.] Ut hoc flagitium declinetur, virum nempe *per Castorem* jurare; legit Acid. *Edepol.* q. sed sic nulli libri edd. scriptive, in quibus ferè etiam *qui.*

PROMISIT] minatus est, seu palàm dixit. De simili captione vide Menæch. act. 4: 2.

82. LARGIRIER?] largè suppeditare? *L.*

84. UXOR EX LVSTRIS RAPIT] Vox, *dormum* quam vulg. hîc inculcant, in nullo MSS. apparet. sed nec in ullâ edit. vetustiorum. nata est in officina recentioris, arbitrantis mediam *cuculli* correptam.

86. COENABIS &c.] Horat. 2. Sat. 2. *Nos cœnamus abies.* Epist. 2: 2. *Emtum cœnat olus.* Mediæ ætatis correctores interposuerant *te*: quod ejeci, quoniam in nullo esset MSS. aut ed. vet. forsan fuit, *ut dignus es.*

87. JVDI-

87. IVDICATVM] i. manifestò deprehensum, convictum, & damnatum: Lamb. & Douza. In quatt. meis est, *indicatum*: quod Fr. Polletus in hist. Fori Rom. l. 4. c. 11. respexit. quem vide. Nonii nenias non capio. A

87. ADDVCIT] Douza l. *abducit d.* Vide N. Pæn. 3:3.

I IN CRVCEM.] ita in omnib. edd. est & probat Grut. è MSS. suis. At MSS. Langii, *D E. crucem*. Vulgo: *D E. malam crucem*. scil. dabo.

91. EGO VERO SEQVOR.] ita MSS. Pall. & Langii, & edd. vett. mediæ enim omiserant vocem *verò*.

GREX.

Hic senex, si quid, clam uxorem, suo animo fecit volup,
Neque novum, neque mirum fecit, nec secus quàm alii solent.
,, NEC QVISQVAM est tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
,, Quin ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat benè.
Nunc si vultis deprecari huic seni ne vapulet,
Remur impetrari posse, si plausum sic clarum datis.

GREGEM histricum, hoc est, *Chorum* & *Catervam* histrioniam facientium elegantibus versiculis designat Petron. Arbiter: B

Grex agit in scenâ mimum: Pater ille vocatur,
Filius hic: nomen Divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
Vera redit facies, adsimulata perit.

VOLVP] Nonius & vulg. *volup.* Sed in MSS. Cam. & omnib. sept. Pall. itemque in editis ante pium clarè legi *voluptatis*, monuit *Gruterus*. ex quibus liquet quantum præsidii nobis sit in membranaceis. quis enim non accedat Marcello, vel versus caussa?

PLAVS. SIC CLARVM D.] ita MSS. Cam. & Lang. ut scilicet gestu adhibito cæteris plausum quasi præivisse existimetur. Vide Notas extremâ Truculento.

FINIS ASINARIÆ.

AVLVLARIA.

ARGUMENTUM.

Nomen Fabulæ inditum à re, quæ negotium & variat, & reddit copiosiorem expositionem. Ea est olla plena auri, reperta ab Euclione in domo paternâ. Hujus senis avarissimi & parcissimi filiam vi noctu adolescens Lyconides compresserat. Itaque instante partu, cum puellam amaret, & avunculo desponsam esse cognovisset, rem omnem matri indicat, & per hanc impe-

impetrat, illa sibi ut nubat. Intereà senex de auri custodia delitias facere, & illud tamen amittere. hinc illæ turbæ querelarum, & error confessionis, factæ injuriæ. Tandem adolescens de servo suo cognoscit, quid de olla sit factum. Atque hactenus Plautina ad nos pervenerunt. Ex proposito autem argumento intelligi potest, tum & aurum redditum seni, & illum animo mutatum fuisse, & dotatam filiam tradidisse Lyconidi. Hæc *Codrum* persecutum esse accepimus expositione suâ, & illius versûs esse, qui vulgò feruntur. Noster quidem *Fabricius* indicavit quædam Romæ reperta, quibus supplerentur hæc deficientia: sed ne illa quidem satis Plautina, neque caussa, cur adjici vellemus, visa fuit. PROPONITVR imago sordidæ parsimoniæ & morositatis in Euclione. Nam & hoc vitium senile est. Quo ipso quoque indicatur, unà cum ætate intelligentiam animi minui. Perversè enim certè fit, ut tum maximè studeatur rei, cum minimè ad usum longi temporis spes relinquitur. NOMINA FABVLAE sunt *Lar* familiaris, id est, domesticus Genius seu δαίμων. Hi duo à veteribus perhibebantur. Ovid. 2. Fast. de his: —*qui compita servant, Et vigilant nostrâ semper in æde Lares.* Hoc est προταλικὸν πρόσωπον, adsumptum Prologi explicandi caussa: EVCLIO qui sit, sanè me fateor ignorare, nisi fortè est εὐκλίων, ut ἠγίων; vel εὐκλέων, vel εὐκλύων: quorum alterum bonæ famæ, alterum benè audiendi significationem habet. σταφυλὴ, uva. σταφύλη autem Homero Il. β. *amussis.* εὔνομία, *legum servans.* μεγάδωρος, *munificus.* στρόβιλος, *turbo venti,* & puerilis ludicri. (Auson. Popma, Conjectaneis: *Strobilus nomen habet à Cochleæ naturâ, quam στρόβιλον vocant; aut à deformitate corporis. στρόβιλον enim Græci σκολιὸν, καμπυλὸν pravum & incurvum dicunt.*) Est autem & Megadori & Lyconidis servus Strobilus. Etsi aliqui fecerunt servum Lyconidis στρόφιλον, ἀπὸ τῶν στροφῶν, id est, *versutiis;* sine quidem caussa. ἄνθραξ, *carbo. Congrio,* γογγρίων, ἀπὸ τοῦ γόγγρου ἰχθύος. πυθόδικος, *de jure percunctans*, aut *certior factus.* aliqui maluerunt πιθόδικον, à *dolio.* λυκονίδης, forma Patronymica, ἀπὸ τοῦ λύκωνος, denominatum hoc ἀπὸ τοῦ λύκου. Virginis nomen erit Φαίδρα, id est, *bilaris.* fit & *Phrygiæ* mentio in fabulâ, quod est gentile nomen. item ἐλευσίς, ab adventando: cui simile Glycerium & Leontium. ἀντίμαχος autem est *repugnator.*

I. Douza, Centurionat. sui lib. I. cap. 10. ITA ME dii deæque omnes, *inquit,* amaverint: ut quidem ego Plauti Aulularium maximi feci semper: eamq; adeò præ cæteris dignam censui, quam non modò

modò juventus hæc nostra, verùm etiam ætas omnis studiosissimè expeteret; nec unquam de manibus deponeret. Neque id adeò injuriâ. nam præter dictionis genus verè Romanum, tota Ethica esse, & ad pudicos (unum alterumve locum excipias modò) honestosq; mores facta videri potest. Qui enim aliter, obsecro, induci possim, quàm diu in animo habeo tot singularias sententias, tantum exemplorum denique ad vitam rectè atque ordine instituendam conducentium? Atque utinam sarta tecta, ac proinde uti in Scenam Romanam à Poetâ introducta fuit, in manûs porrò nostras pervenisset! Hoc ita si foret, faxim leviore aliquanto invidiâ Plautus utatur, quàm utitur, minoreque adeò fastidio à plerisque lectitetur, &c.

DRAMATIS PERSONÆ.

LAR, Prologus.
EVCLIO Senex.
STAPHYLA Anus.
EVNOMIA Mulier,
MEGADORVS Senex.
STROBILVS Geminus servus.
ANTHRAX Coquus.
CONGRIO Coquus.
PYTHODICVS Servus.
LYCONIDES Adolescens.
PHÆDRA Puella.

ARGUMENTUM.

SENEX avarus vix sibi credens Euclio,
Domi suæ defossam multis cum opibus
Aulam invenit, rursumque penitùs conditam
Exsanguis, amens, servat. ejus filiam
Lyconides vitiarat. interea senex
Megadorus, à sorore suasus ducere
Vxorem, avari gnatam deposcit sibi.
Durus senex vix promittit: atque aulæ timens,
Domo sublatam variis abstrudit locis.
Insidias servos facit hujus Lyconidis,
Qui virginem vitiarat; atque ipse obsecrat
Avunculum Megadorum sibimet cedere
Vxorem amanti. per dolum mox Euclio
Quum perdidisset, aulam insperatò invenit,
Lætusque natam collocat Lyconidi.

AVLAM]

AULAM] Festus: *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas. quia nullam litteram geminabant, &c.*

V.4. EXSANGVIS] ob metum amittendi, & curam servandi; L.

7. DEPOSCIT] *Prorsus vehementer etiam atque etiam poscit ac petit*, ut Cicero loqui amat. hoc enim τὸ *de* valet: ut in *deamo, deparvus, demagis, &c.* V.N. Epid.Sc.1. Er helt hart vnd fest drumb an. Propriè; *poscere uxorem.* A Procorum enim est poscere: qui à *procando*, id est, poscendo dicti.

8. DVRVS] Ter. Heaut. act.2: 4.
——*ut patrem tuum vidi esse habitum,* (i. affectum) *duras dabit.*

15. COLLOCAT] absolutè: pro nuptui, sive nuptum, aut in matrimonium collocat. sic Græci, ἐκδιδόασιν, ἀντὶ τοῦ, πρὸς γάμον διδόασιν. *Siberus.*

ALIVD.

AVLAM repertam auri plenam Euclio
Vi summâ servat, miseris affectus modis.
Lyconides istius vitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere.
Lubensque ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Auro formidat Euclio; abstrudit foris.
Re omni inspectâ, compressoris servulus
Id surpit. illic Euclioni rem refert.
Ab eo donatur auro, uxore, & filio.

V.8. SVRPIT] pro, *surripit*. Horat.4.Od.13. B *Quæ me surpuerat mihi.* Id.2.Serm.3. *surpite.*

8. ILLIC] *ille*, Lyconides compressor filiæ Euclionis.

LAR familiaris, PROLOGUS.

NE QVIS miretur qui sim; paucis eloquar.
Ego Lar sum familiaris; ex hâc familiâ,
Vnde exeuntem me aspexistis. hanc domum
Jam multos annos est cùm possideo, & colo
Patri avoque jam hujus qui nunc hîc habet:
Sed mihi avus hujus obsecrans concredidit
Thesaurum auri clàm omnis: in medio foco
Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
Is quoniam moritur, (ita avido ingenio fuit)
Nunquam indicare id filio voluit suo:
Inopemque optavit potiùs eum relinquere,
Quàm eum thesaurum commonstraret filio.
Agri reliquit eij non magnum modum,
Quo cum labore magno, & miserè viveret.
Vbi is obijt mortem, qui mihi id aurum credidit,
Cœpi observare, ecqui majorem filius
Mihi honorem haberet, quàm ejus habuisset pater.

Atque ille verò minus minusque impendio
Curare, minusque me impartire honoribus.
Item à me contrà factum est: nam item obiit diem.
Is ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avusque hujus fuit.
Huic filia una est: ea mihi cottidie
Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat:
Dat mihi coronas. ejus honoris gratiâ
Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quò eam facilius nuptum, si vellet, daret.
Nam compressit eam de summo adolescens loco.
Is scit adolescens quæ sit, quam compresserit:
Illa illum nescit, neque compressam autem pater.
Eam ego hodiè faciam, ut hic senex de proximo
Sibi uxorem poscat. id eâ faciam gratiâ,
Quò ille eam facilius ducat, qui compresserat,
Et hic qui poscet eam sibi uxorem senex,
Is adolescentis illius est avunculus,
Qui illam stupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic senex jam clamat intus, ut solet.
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo aurum inspicere vult, ne surreptum siet.

MIRETVR] Donatus ad illud Ter. And. act. 4. sc. 4. *miror unde sit*, notat: *Veteres* Miror *cum* unde, *pro* Nescio *ponebant. nam admiratio ab ignorantiâ descendit:* & laudat hunc locum. Etiam *J. Fruterius*, Verisimil. lib. 1. cap. 8. ait, *Mirari* heic pro ignorare positum.

V. 2. LAR] Auctor Vocabularii Latino-Græci, *Lares*, θεοὶ κατοικίδιοι. V. N. Bacchid. act. 2: 1. Adhibetur autem hîc deus: quia quæ à Lare dicuntur, non nisi à deo sciri poterant. Quod cùm accidit, auctore Aristotele, licet deum in Tragœdiâ maximè adhibere, sed interdum etiam in Comœdiâ. Horat. in arte Poet. *Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit.* Lares autem non solùm ædibus, sed & vicis integris, atq; itineribus præsidere existimabantur. Vide Herald. Adv. l. 1. cap. 7.

4. JAM MVLTOS AN. EST] Hoc mirè ad aures nostras, ad Grammaticorum autem etiam insolenter. Sed habet hoc lingua Latina, ut istorum magistrorum canones interdum perrumpat, & liberiore campo excurrat: quod qui indignè ferunt exotici homines, malè sanè de bonis scriptoribus merentur. Ad hoc tamen exemplum illud etiam dictum est in Persâ: 1: 3. —— *hic leno nondum sex menses Megaribus Huc est cum commigravit.* Itaque torsisse se hîc frustrà magna ingenia, nollem factum. *Hæc J. Guliel.* quem & ad illud in Persâ consulito. *Lambinus* ait Plautum duas loquendi formas diversas cōfudisse: Unam, *Jam multi anni sunt, cùm ego hanc domum possideo:* alteram; *Jam multos annos ego hanc domum possideo.* Sic Cic. ad Q. Fratr. lib. 2. *Hæc me ut confidam faciunt.* Amph. 1: 1. *fecit me ut vigilarem, &c.* Sed hæc ἀπροσδιόνυσα sunt. Bosius l. *Jam multus annus est:* pro, multi sunt anni. V. Not. Epid. act. 4: 2. & Persâ, act. 5: 1.

CVM POSS.] Nonius l. *ut poss.*

4. COLO] *Colere*, & vivere, & habitare significat. V. N. Mil. 3: 1.

5. PATRIQ. AVOQ.] Lambini nugas *Gruterus* reijcit: cùm Lar familiaris rectè dicatur possessor cultorque domûs, cui præest, & quam

quam tuetur. Acidalius, l. *cum possideo, & color Patrique &c.* Quomodo, *inquit*, aliàs hos vers. connectes? Ait Lar, annos jam multos se domum eam possidere, & à Patre avoque hodierni domini pro Lare cultum. Nec repugnat, quod infrà ait, se non *impendio* ab illis cultum. Utcunque cultus fuerit, Lar tamen ipsorum cultus & habitus fuit. A

7. CLAM OMNES] *Clam*, & Accusandi & Auferendi casui servire, docet Donatus. Ter. Adel. act. 1:1. *alii clanculum patres quæ faciunt.*

8. VENERANS] orans. Horat. 2. S. 2.
Ac venerata (i. orata) *Ceres, ut culmo surgeret alto.*

9. QVONIAM] pro, *postquam*: Donatus Prol. Adelph. & Popma. & Gutherius lib. 1. cap. 8. de jure Manium. Editi tamen antè Cam. & Pall. quinque leg. *quando*. MS. Cam. *qm*. Mei certè omnes, *quando*. scias non satis intellexisse alterum: quod alioqui non incommodè mutemus in *quom jam*. B

11. OPTAVIT] i. maluit, elegit, προήλετο.

12. COMMONSTRARET] Lamb. omninò malit, *commonstrare*: itaque suos vett. Codices legere ait. quos ego quidem cujusmodi fuerint, sæpe miror. Mei certè quasi de compacto omnes habet, *commonstraret.*

13. AGRI] Latinissimè: *Agri modus*. Hor. 2. Sat. 6.
Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus.
Pandect. lib. XI. *Si mensor falsum modum dixerit.* i. mensuram. L.

14. LABORE M.] ταλαιπωρῶν καὶ κακοπαθῶν, *laboriosè & ærumnosè*. L. Davon er sich kümmerlich vnd mit aller Noht erhielte.

15. CREDIDIT] servandum commendavit: *Non*.

16. ECQVI] Rectius ita è membranis. sequitur enim inferiùs paullo, —— *ea mihi c. Aut vino, aut ture, aut aliqui semper supplicat.* Pusillum hoc: sed doctis etiam perpusilla elegantia svavis est. *J. Gul.* Etiam Grut. è MS. Pall. sec. ac tert. l. *ecqui*. MS. Cam. *& qui*. Vulgo. *ecquid.*

17. HONOREM] *Honos* hîc pro culturâ & observantiâ. Sacrificium quoque & litatio esse potest. Vide Non. Ita Virg. 3. Æn. v. 178.
—— *perfecto lætus honore &c.*
i. sacrificio, quo dii honorantur.

19. MINVSQ. IMP.] i. minus multo curabat: *Nonius*.

20. ITEM] Wer Gott ehrt/ den ehrt er wieder. V.C. unusque & alter Pall. *dic*. quod, ob novitatem credo, Pareus in contextum recepit. alterum est in cæteris Pall. & Edd. omnibus.

22. PARITER] similiter: uno modo. *Serv. XI. Æn. & 1. Georg.*

24. AVT TVRE AVT VINO SVPPLICAT] Solemne, ita *supplicare* (proprio verbo) apud minores deos, aut heroas. Sallust. *Tum venienti* (Metello) *ture quasi deo, supplicant.* Seneca l. 3. de irâ, c. 18. *Mario ture & vino supplicabant.* ubi & Lips. vide.

25. CORON.] Vel meo capiti imponit: *vel*, ut Cato autumat, c. 143. in focum indit. Coronas autem, quæ Laribus suspensæ, inusitatâ magnitudine fuisse, docet Meurs. ad Caton. V.N. infra act. 2: 8.

30. NEQ. C. AVTEM P.] H. Putschius legit *autumat p.* versu non volente. id tamen illicò editioni suæ pr. intulit Pareus.

36. CERERIS V.] τοῖς θεσμοφορίοις. Sacra enim hæc à mulieribus jejunantibus nocturna celebrabantur. Et deæ appellabantur θεσμοφόρω, Ceres & Proserpina. *Cam.*

39. NE SVRREPT.] pro, *surreptum ne siet*. anastrophe usitata. Capt. act. 1: 2.

ACTUS I. SCENA I.

EVCLIO, Senex. STAPHYLA Anus.

EXI, inquam. age exi! exeundum hercle tibi hinc est foras,
Circumspectatrix cum oculis emissitiis.
ST. Nam cur me miseram verberas? EV. ut misera sis,
Atque ut te dignam mala malam ætatem exigas.

ST. Nam

ST. Nam quâ me nunc causâ extrusisti ex ædibus?
EV. Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio! illuc sis! vide, ut
Incedit. at scin' quo modo tibi res se habet?
Si hodie hercle fustem cepero, aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum.
ST. Utinam me divi adaxint ad suspendium
Potiùs quidem, quàm hoc pacto apud te serviam.
EV. At ut scelesta sola secum murmurat.
Oculos hercle ego istos improba effodiam tibi.
Ne me observare possis, quid rerum geram.
Abscede: etiam nunc: etiam nunc: etiam. obe!
Istic adstato. si hercle tu ex istoc loco
Digitum transversum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te jussero,
Continuò hercle ego te dedam discipulam cruci.
Scelestiorem me hâc anu certè scio
Vidisse nunquam: nimisque ego hanc metuo malè,
Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum:
Quæ in occipitio quoque habet oculos pessima.
Nunc ibo ut visam, est ne ita aurum ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.
ST. Nec nunc mecastor quid hero ego dicam meo
Malæ rei evenisse, quàmve insaniam,
Queo comminisci: ita miseram me ad hunc modum
Decies die uno sæpe extrudit ædibus.
Nescio pol quæ illunc hominem intemperiæ tenent:
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius
Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.
Neque jam quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminisci: neque quicquam melius est mihi,
Ut opinor, quàm ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero.

V. 1.

OCVLIS EMISS.] *Oculi emissitii* sunt, qui huc atque illuc excurrunt, omnia curiosè observitantes. Alii eminentes & quasi foràs porrectos interpretantur: quod minùs placet. Ita Tertul. de Pallio, cap. 3. *Circumspectu emissitii ocelli, imò luminis puncta vertiginant, &c.* Sententiam expressit Apulejus lib. 2. Milef. *Cuncta curiosis oculis arbitrabar.* Petronius: *Quartilla per rimam applicuerat oculum curiosum.* Tali formâ inflexionis noster Pœn. act. 5: 5. dixit *tunicas demissitias.* Seneca epist. 104. *Socratem perpessitium senem:* παθητόν, πολυτλήμονα.

NAM CVR.] Ter. And. *Nam quid ego in de patre?* Ad quæ Donat. vide.

VERBERAS] Nonii ſcholion hîc à Cam. Lamb. meritò exploditur.

4. MALAM ÆT.] *Mala ætas*, pro ſenectute crebrò & argutè ponitur. Menæch. *Ut ætas mala mala merx eſt tergo!* V.N.Rud.2:3. Contrà, *Ætas bona* pro juventâ. *J.Gul.*

5. NAM C. ME] Ita aliquot Pall. ceteri *nunc* non agnoſcunt: quod tamen in edd. vett. excluſo illo *me*. Metatheſis, pro *quânam cauſſâ*. Terent. *Nam quæ hæc eſt anus?* pro, *quænam anus.* Id. Andr. *DA. ah, ne tu omnia?* pro, *tûne omnia?* quod notat Donatus. Vide *J.Gul.Plaut. Quæſt.*

6. STIMVLOR. SEG.] i. digna in cujus corpore ſtimuli perpetuo ſati & defixi ſtent, ut in ſegete ſpicæ: L. Boſius; In cujus tergo ſerere oporteat ſtimulos. quam explicationem & acutam & ſuæ conſentaneam prædicat Lambinus. Turnebo lib:24: 23. *ſtimulorum ſeges* eſſe videtur, in quâ velut ſegete ſe ſtimuli cædendâ & verberandâ, ut in ſegete ſe meſſores, exercent. Quæ tamen obſcura & incongrua videntur Lamb. Sic Prudentius ἁμαρτιγ. *Scelerum ſeges.* Arnob. *criminum ſeges.*

7. AB OSTIO: ILLVC SIS. VIB.] ita Editio Aldi, item MSS. omnes interpungunt. At J. Gul. *Illuc regredere ab oſtio, illuc. ſis vide, ut Incedis.* nam quò eam retrò abire velit, iteratione adverbii magis ſignificat: & ea ſententia geſtu adjuvanda eſt, ut plurimæ Comicorum. *Sis vide*, pro, *vide ſis.* Ita & Auſ. Popma.

10. GRANDIBO] efficiam ut majora in gradiendo ſpacia facias. Noſtri, Ich wil dir Füß machen. Pareus ut admirabiliorem faceret editionem ſuam poſtremam, ei intulit ſcripturam V.C. *gradibo.*

11. ADAXINT] pro, *adigant*, Nonius. Turn. l.23: 18. pro *adegerint*. Feſtus: *Axitioſi, factioſi dicebantur; cum plures unà quid agerent, facerentque. Axit autem antiquos dixiſſe, pro egerit, manifeſtum eſt. Unde Axites mulieres ſive dii dicebantur, unà agentes.* Gloſſarium: *Axites*, συνπλισμαπκοὶ ita enim Scal. legit. Vide & Turneb. In v. c. leg. *dibi adaſſint.*

14. OCVLOS] ſic Trin. *Oculum tibi effodiam, ſi verbum addideris.* Capt.act.3: 1. & alibi: ſic Græci dicunt, ὀφθαλμοὺς ἐξορύσσειν, &c. Vide Deſ. Heraldi Adverſ. lib.2.

17. ISTIC ADSTATO.] ita Grut. è MSS. reſtituit. Etiam Schop. leg. *adſtato.* C. Nepos, & Autor Priap. etiam *Adſtare* dixerunt, pro, *ſtare.* Sic Virg. Prop. Ovid. *Adorare*, pro, *orare*. Lucr. *Adeſſe*, pro *eſſe*, &c. Veriſim. lib.3: 4.

18. DIGITVM TRANSVER.] Cato: *Terram cribro incernito altam digitum transverſum.* Ita enim vocat digiti latitudinem vel craſſitudinem. (Ein zwären Finger.) Turn. l.6:23. Sic Moſt.2: 2. *pedem latum.*

20. DISCIP. CRVCI] Turn.lib.24: 21. Cùm ſimilitudinem, *inquit*, litteræ præ ſe ferat, qui pendet, ideò dixit, *Dedam te diſcipulam cruci.* quod eſt, ſuſpendam te, faciamque ut crux diſcipulam te ſcribere doceat, & longam unam litteram facere. Sic Mil. 2: 2. *omnes crucibus contubernales dari vult.* Cæl. Rhod. l. 10. c. 8. *Cruciarios* facetiſſimè Plautus *diſcipulos crucis* appellat, qui & *Patibulati* dicuntur. S. Ulr. Piſt. ſimpliciter exponit: Ego te dedam in diſciplinam Cruci: quæ nimirum te doceat modeſtiorem eſſe. Sive, ut *Siberus*, in crucem agam te tanquam ſub diſciplinam & magiſterium quoddam, ubi diſcas oculos iſtos emiſſitios non continere, ſed claudere.

23. DVIT] dederit.

24. UBI EST] V.N. act.3: 6. v.22.

26. ESTNE ITA] ſic MSS. Cam. & Lang & vett. Edd. Vulgo, *ſit.*

27. MISERVM MODIS.] Poſt hunc verſum inſerit è Nonio talem J. Gul. *Nec noctu, nec diu quietus unquam eam.* infarcitque editionibus ſuis Pareus. qua certitudine?

28. NEC NVNC] J.Gul. è membranis Langii legit. *Non enim ecaſtor.* Belle enim ordiuntur ſermonem, *Non enim: Nunc enim: Ut enim.* Edd. vett. noſtrum habent: quod & in Pall. aut verò, *Nec numen ecaſtor.* At V.C. *Noe nunc me caſtor:* ſuperſcriptumque voci primæ, *pro Non.*

31. INTEMPERIÆ] ab *intemperantia*. i. à tota mente & ratione defectio. Turneb. in Cicer. Academ.

33. INTERDIVS] interdiu, μεθ' ἡμέραν. L.

34. CLAV-

34. CLAVDVS SVTOR] Electa Parei persuadere volunt nobis, sutores plerunque fuisse claudos. quis credat, nisi mente claudus?

36. APPETIT] Plin. *Appetebat judicii dies*, Liv. *Vejorum fata appetebant*, &c.

38. LITERAM LONGAM] Lambinus, & Turnebus lib. 24:31. existimant omnem litteram *longam* esse, quæ majuscula est: & proinde dixisse, *unam*. *Facere* autem *litteras*, scribere est: ut Asin. 4:1. Cæl. Rhodig. lib. 10. c. 8. ad litteram *T* refert, quod Cruciarius sive suspendiosus eam imaginem reddat. Et scitum, inquit, est adagium in eos qui præpostere commoriuntur, præcluso spiritu, cui quæreretur exitus. J.C. Scalig. De caus. L. Lat. l. I. c. 40. per hanc litteram longam *I* intelligit. Ita Lipsius, De rectâ pronunc. Lat. L. cap. 8. Litteræ *I* sonum triplicem, *inquit*, deprehendo, primum ejus longæ, & verè longæ: quia non, ut cæteræ, geminatur, aut apice insignitur: sed productior fit, & longitudine velut duplâ, exempli caussa, PIso. VIvus. ÆDILIS. QUINQUENNALIS. ideò κατ' ἐξοχὴν, inter omnes litteras hæc propriè dicta *longa*. Plautus scivit: & jocum captavit in personâ Staphylæ. Apage enim vulgus interpretum, qui de littera *L*. capiunt, quia longiuscula ea in nostrâ scriptione. apage & Lambinianam facem, qui ad quamvis grandiorem litteram vult aptari. Certò mecum Plautus cepit de istâ: quæ sola inter grandes & Romanas illas A litteras (nam hæ minutæ olim ignotæ) super cæteras eminuit, & formâ ipsâ pensilem prætulit ac porrectam. Hâc eâdem mente Ausonius (epigr. 120.) in ligurritorem Eunum scripsit: *Quid imperite, P, putas ibi scriptum; Ubi locari Iota convenit longum?* Nam suspendio censet eum dignum &c. Jos. Castalio tamen lib. 2. cap. 9. Observat. hoc de primâ liquidâ *L*. (quomodo olim P. Valla) accipit. quod ita in Virgilianis Codd. quæ in Vatic. sunt bibliothecâ, τὸ *L*. altius cæteris litteris passim erigatur: ut ILIA, ILLIVS, ILICET. Vide ipsum. At verò J. Gruterus, Lectio, inquit, MSS. Cam. & omnium Pall. est, *faciam litteram: Longum laqueo collum q.* Et verò scio quæ de litterâ longâ dicuntur, nec displicent omnia: sed tamen cur nullus MSS. ita habet? B Deinde quid est quòd anus, & anus quidem serva, arguetur de re, doctis tantùm cognitâ? nec eis quidem omnibus? Certè & MSS. Langiani post τὸ *literam* distinguunt, & *Longum* legunt. Denique J. Palmer. olim etiam legebat, *quàm ex me ut uvam faciam, aut litteram Longam &c.* ut ad nomen σταφυλὴ sit allusum. Ita *uvam pensilem ex se facere*, esset, laqueum sibi nectere: Poenulo 1:2. Id ridiculum commentum visas in Pareana editione, quæ venenorũ omnium pyxis Pandoræ altera. Suidas: Μακρὰ γραμμὴ ἡ καταδικάζουσα. ἡ δ' ἀπολύων, βραχεῖαν ἐσημειοῦτο: *Longa litera est, quæ condemnat, qui autem absolvebat, brevem signabat.*

ACTUS I. SCENA II.

EUCLIO senex, STAPHYLA anus.

NUNC defæcato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi salva esse intus omnia.
Redi nunc jam intrò: atque intus serva. STA. quippini
Ego intus servem: an ne quis ædes auferat?
Nam hîc apud nos nihil est aliud quæsti furibus:
Ita inaniis sunt oppletæ atque araneis.
EV. Mirum quin tuâ nunc me caussâ faciat Juppiter
Philippum regem, aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas servari volo.
,, Pauper sum, fateor, patior! QUOD di dant fero.

Abi intrò, occlude januam. jam ego hîc ero.
Cave quenquam alienum in ædis intromiseris.
Quòd quispiam ignem quærat, extingui volo.
Ne caussæ quid sit, quòd te quisquam quæritet.
Nam si ignis vivet, tu extinguére extempulò.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum, mortarium,
Quæ utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse, atque abstulisse dicito.
Profectò in ædes meas me absente neminem
Volo intromitti atque etiam hoc prædico tibi,
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiseris.
STA. Pòl ea ipsa credo ne intromittatur cavet:
Nam ad ædis nostras nusquam adiit, quanquam propè est.
EV. Tace, atque ibi intro. STA. taceo, atque abeo: EV. occlude sis
Fores ambobus pessulis. jam ego hîc ero.
Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi.
Nimis hercle invitus abeo: sed quid agam, scio.
Nam noster nostræ qui est magister Curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id si relinquo, ac non peto, omnes illicò
Me suspicentur, credo, habere aurum domi.
„ *Nam NON EST verisimile, hominem pauperem*
„ *Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.*
Nam nunc quum celo sedulò omnes, ne sciant,
Omnes videntur scire, & me benigniùs
Omnes saluta[illegible]
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras:
Rogitant me; ut valeam; quid agam; quid rerum geram.
Nunc quò profectus sum ibo, postidea domum
Me rursum quantum potero, tantum recipiam.

V.1.

DEFÆCATO] i. liquido, minimeque turbido, i. hilari: *Cam.* V.N. Epid. 5:1. Most. 2:1. Pseud. *Nunc liquet, nunc defæcatum est.* A

3. INTUS SERVA] Bene, *serva*, quantivis enim pretii verbum *servare*, pro, custodire, &c, ut Nonii censura vult, *sollicitè ac suspiciosè observare*. Bach. *da aliquem, qui me servet*: J. Grut. V.N. Most. 2:2.

3. QUIPPINI EGO] quamobrem ego intùs non servem? q.d. magna verò caussa est, quare ego intùs servem! Ironia. *L.*

4. AN NE QUIS ÆDES AUFERAT?] de quæstione, *An ædium & fundi furtum committatur*, vide Scip. Gentil. *libro singul. Origin.* Nostri: Huy! das jemands Hauß wegtrug.

5. QUÆSTI] pro, *quæstûs*. Ter. Hecyrâ.

6. INANIIS] *inaniæ, æ*, i. inanitas: *Nonius*. Jam verò quæ vacua sunt etiam *aranearum plena* esse dicimus. Catullus: *Plenus sacculus est aranearum*. Afran. *Tamne arcula tua plena est aranearum?* Notavit Muretus; alii. V. & N. Capt. act. 3:1.

7. MIRUM

7. MIRUM QUIN] V.N.Rud.5:3.& Most. 1:2.

8. TRIVENEFICA] Obiter notate, mulieres ejusmodi veneficas olim & *Sagas*, & *Simulatrices*, & *μορφωτρίας*; & *Fictrices*, item *Ventrices*: nostris Warsägerinnen. de quibus Scalig. in Ciri.

9. ARANEAS M. E.IL. SERVARI VOLO] Quin Euclio hoc ex superstitione paganicâ, respiciens ad omen aliquod, dixerit, non dubito. Sarisberiensis lib.1.cap.ult. *Aranea, dum à superioribus filum ducit; spem venturæ pecuniæ videtur afferre.* Captantur & alia ex araneis omina: de quibus vide Plin. lib. 11. cap. 24. Censet tamen *Gruterus*, nihil isto quàm insignitas suas sordes publicatum ire Euclionem.

10. PATIOR] Magni animi vox, modò ex animi sententiâ loquatur senex. quis enim non laudet *patientiâ* (ut ait Cic.) *paupertatis ornatos*? Seneca Epist. 2. *Cui cum paupertate benè convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Modus divitiarum primus est, habere quod necesse est*: (quod natura requirit: & ut vivere possis) *proximus, quod sat est*. i. quod humanitas requirit, & ut commodè possis vivere.

10. QUOD DII D:] Hesiodus: Μηδέ ποτ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ τέτλαθ' ὀνειδίζειν; μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων, i. *Ne cui pauperiem sævam pestemque animorum Objicito ut proprium: namque est donum illa deorum.*

13. QUOD QUISP.] Sic optimus ille noster codex: nam quod extat in reliquis, item vetustè cusis, paraphrasis est: *Grut*. V.N.Mil.2:2. Meursius tamen potiùs probat Lang. membranæ lectionem: *STA. Quid si quispiam ignem quærit? EV. extingui volo.* (*quærit*, à *quærimr*: sicut, *edim*, pro, *edam*) *Ne c.q.s quo te q.q.* Convenientior sextus casus, *quo*, pro, *quamobrem*.

15. IGNIS VIV.] eleganter, *Vita ignis*. Hor. 3. Od.21. *vivæque producent lucernæ, &c.* Lucr. 1. *--& vivant labentes ætheris ignes.* Lepidius etiam Aristoph. Lysistrate, *Vigilare*, & *vivere*, ταυτὶ τὸ πῦρ ἐγρήγορεν ἔνδον καὶ ζῇ. Virg. 5. Æn. v.743. *-sopitos suscitat ignes.* ibid. *-udo sub robore vivit Stuppa vomens tardum fumum.* Ita Petron. *ignem modò convalescentem extinguit.* Videre etiam licet quæ Plutarchus disputat, lib.7.cap.4. Symposiac. super quæst. *Cur veteres Lychnum nunquam exstinxerint.*

15. TU EXTINGUERE EXT.] Ita & Codd. mei. Solus Carpent. *tu extingue extemplò.* quomodo & Lambinus videri potest sensisse, dum explicat: tu extinguito continuò. Alterum tamen Plautinius, id est, elegantius putaverim. ac si dicat Euclio: si ignis vivet, hoc est, si abs te non extinguetur; tu vitâ quàm mox extinguêris. Pari metaphorâ Terent. Adelph. *seni animam primùm extinguerē ipsi.*

16. AUFUG.] effluxisse. Sic. Lucr. 6.

——vina repente
Diffugiant. ita *fugiens vinum* dicitur.

PETET] Putaverit hîc aliquis incautus, verbum *quærendi* & *petendi* pro eodem esse usurpatum: quod non est. nam qui *petit*, vult obtinere: qui *quærit*, vult scire, aut invenire. Sic igitur hoc loco cùm dicitur quis *ignem quærere*, intelligendus est ignem reperire cupere; cum *petere*, obtinere. Et hanc differentiam doctis probasse peculiari oratione Parisiis Lambinus gloriatur. De igni è viciniâ petendo, vide Not. Trin. act.3:2.

21. BONA FORT.] Lambinus nodum in scirpo quærit: cùm simplicissimè accipiendum: ut innuat Staphyla, Heram illam *Respicientem* & *Largitricem* ne id quidem Euclione dignum habere cujus domum non dico introire, sed neque adi[re] saltem semel sustineat: sæpe etiam, quanquam propè sit, ipsam tamen oculo irretorto & curiculo domum Euclionis prætervolitare semper. Cæterùm cur *Bonam Fortunam* potiùs, quam aliam dearum quampiam nominârit Euclio, ad prisci illius sæculi consuetudinem, ac publicam loquendi formulam detorquendum. Eam, inquio, quam ex Diomedis sanctuariis eruisse videor mihi, ita *Charientismi* figuram definientis: *Charientismos est, quo dum dicta gratiùs proferuntur. ut interrogantibus nobis; Nunquis nos quæsierit? responsum detur; Bona Fortuna. exinde intelligitur, neminem nos quæsivisse*: Douza. quæ valdè probat *J. Gruterus*: & ab hisce fænerandam lucem ait Tullio 4. Verrinâ: *Hæc omnia, quæ dixi signa, Judices, ab Heio, de sacrario Verres abstulit. nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud ullum tamen, præter unum pervetus ligneum, Bonam Fortunam, ut opinor. eam iste domi suæ habere noluit.* Contrarium huic illud Rud. act. 2:6. ubi leno Charmidi hospiti: *Malam Fortunam in ædes te adduxi meas, &c.*

24. PROPR.

24. PROPE EST] ita MS. Cam.

AMBOBVS] supero & infero: totidem enim pessuli, quot limina: D. Casaub. ad Æneam Tacticum, pag. 54. Apud Comicos, inqui, cum dicitur *foribus* vel *ostio obdi pessulus*, non satis scio, utrum βάλανος intelligatur, an μοχλὸς parvus, & obex: cui propriè verb. *Obdere* videtur convenire. Sanè ut in Aul. *fores occludũtur amb. p.* sic apud Polyb. lib. 15. αἱ θύραι ἀποκλείονται διττοῖς μοχλοῖς. Latini autem βάλανον *pessulum* quasi parvum πατὸν dixerunt; non à *pede* &c.

28 SED QVID AG. SCIO] Ita è vv. edd. & Pall. Grut. & Douza. Ait invitissimum se domo egredi: ob nimiam curam scilicet pro Aulâ illâ suâ: cæterùm scire se quid agat, neque temerarium aut de nihilo esse, quòd in publicum subinde prodiens conspiciatur à legitimo Tribûs suæ divisore (quem *Diribitorem* perhibet Cicero) unâ cum reliquis Curialibus nummulum petiturus: quo ab se omnes videlicet suspiciones de thesauro reperto quâm longissimè segreget. Vulgati: *si quid*, de quo *Gulielmium* vide act. 3:6. Gulielmii geminus, *Casp. Barthius* suspicabatur, *st! quid fac. scio.*

29. MAG. CVRIÆ] *Magister Curiæ*, cum sit Comœdia palliata, detur esse, quem Græci τριττυάρχην appellant. ut enim Curia pars est Tribûs Romanis; sic & Græcis τριττύς. Græca ad consuetudinem Romanam traducta sunt, & ut pagorum erant magistri, sic & curiarum: Turneb. l. 24. 23. Cui adsentitur etiam Cam. & Lamb. V. N. inferius, act. 2:2.

30 IN VIROS] Viritim, κατ' ἄνδρα.

35. NAM NVNC] *Paupertas paucos amicos invenit; divitiæ multos.*

36. BENIGNIVS] i. blandius. infrà 2. 2. ver. 8. me salutat blandius. Propert. 3. el. 13. *Præbebat vestris verba benigna focis.* Passerat.

38. COPVLANTVR] τὰς δεξιὰς ἐμοὶ ἐμβάλλουσι. *Copulantur*, pro, *copulant*. L. D.

40 NVNC QVO] Nunc, quò proficisci intenderam, ibo. V. N. Truc. act. 1:2.

40. POSTID.] pro *posteà*. Notat *Gruterus* in MS. Cam. & plerisq; Pall. voce dispretâ legi; *post idem*. Sed & Meursius observat, in Lang. & v. edd. *post idem*. quod conjungit, ad faciem *indidem*, *identidem*: admisitque in contextum Pareus, miraturque cur Saxonica editio prætulerit alterum. Cui respondemus; factum reverentiæ, quam debemus Camerario; præcipuæ cùm Lambinus, cùm Dousæ; quibus ad manum erant alii edd. à Camerario discedendum sibi non arbitrabantur.

ACTUS II. SCENA I.

EUNOMIA, MEGADORUS senex

VELIM te arbitrari me hæc verba, frater,
Meæ fidei, tuæque rei hoc caussâ
Facere, ut æquum est germanam sororem.
Quanquam haud falsa sum, nos odiosas haberi.
,, Nam MVLTVM loquaces meritò omnes habemur,
,, Nec mutam profectò repertam ullam esse
,, Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.
Verùm hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proximam me, mihique item esse te.
Vt æquum est, quod in rem esse utrique arbitremur,
Et mihi te, & tibi me consulere & monere:
Neque occultum id haberi, neque per metum mussari,
Quin participem pariter ego te, & tu me ut facias.
Eò nunc ego secretò te huc foras seduxi,

Vt tuam

Ut tuam rem ego tecum hîc loquerer familiarem.
ME. Da mihi optuma fœmina manum. EV. ubi ea est? quis ea
Est nam optuma? ME. tu. EV. tûne ais? ME. si negas,
Nego. EV. decet te equidem vera proloqui.
,, *Nam OPTUMA nulla potest eligi: alia aliâ*
Pejor, frater, est. ME. idem ego arbitror, nec tibi
Adversari certum est de istac re unquam, soror.
EV. Da mihi operam amabo. ME. tua est, utere
Atque impera, si quid vis. EV. id quod in rem tuam
Optumum esse arbitror, te id admonitum advento.
ME. Soror, more tuo facis. EV. facta volo. ME. quid est id,
Soror? EV. Quod tibi sempiternum salutare
Sit procreandis liberis. ME. ita di faxint!
EV. Volo te uxorem domum ducere. ME. hei óccidi!
EV. Quid ita? ME. quia mihi misero cerebrum excutiunt
Tua dicta, soror! lapides loqueris. EV. heia! hoc face
Quod te jubet soror. ME. si lubeat, faciam. EV. in rem
Hoc tuam est. ME. ut quidem emoriar, priusquam ducam.
Sed his legibus, si quam dare vis, ducam: quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, soror.
His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna.
EV. Quàm maximâ possum tibi, frater, dare dote:
Sed est grandior natu. media est mulieris ætas,
Eam si jubes, frater, tibi me poscere, poscam.
ME. Num non vis me interrogare te? EV. imò si quid vis, roga.
,, *ME. POST MEDIAM ætatem, qui mediam ducit uxorem domum;*
,, *Si eam senex anum prægnantem fortuitu fecerit,*
,, *Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?*
Nunc ego istum, soror, laborem degam, & diminuam tibi.
Ego virtute deûm & majorum nostrorum dives sum satis:
Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror; quæ in servitutem sumtibus redigunt viros.
EV. Dic mihi quæso, quis ea est, quam vis ducere uxorem? ME. eloquar.
Nostin' hunc senem Euclionem ex proximo pauperculum?
EV. Novi, hominem haud malum mecastor! ME. ejus cupio filiam
Virginem mihi desponderi. verba ne facias, soror!
Scio quid dicturu es: hanc esse pauperem. hæc pauper placet.
EV. Dî benè vertant. ME. idem ego spero. EV. quid! me nunc quid vis? ME. vale.
EV. Et tu frater. ME. ego conveniam Euclionem, si domi
Est. sed eccum, nescio unde sese homo recipit domum.

VERSVS sunt Catalectici, plerique trimetri, numeris confusis, usque ad illum : *Num non vis, &c.* à quo deinceps quadrati trochaici decurrunt. Vide & P. Victor. lib. 24. cap. 22.

4. HAVD FAL.] haud me fugit. L.

5. MVLTVM LOQ.] Vir doctus è MS. legit, *multiloquaces*, dictione unicâ, non ignotâ Lexico vet. Græcolatino: πολυλάλος, *multiloquax, verbosus*. Idem etiam conciune: ἀληθινὸς, *veriloquax, veridicus*. Quod nec *Gruterus* improbat, & addit, Ammianum lib. 22. dicere etiam *multilaudum*, pro eo, qui laude multorum dignus est. Pareus istud secutus est in editione prima ; iterumque recepit vulgatum secunda, Proteo mutabilior.

6. MVTAM REP.] Ego tamen, (*inquit Lamb.*) qui, cùm hæc scriberem, annum ætatis agebam 56. duas mutas mulieres vidi. Quasi verò, mi Lambine, pro monstro sit muta mulier. Atqui ego cum ista publicè Auditorio explicarem, annos natus 29. non duas modò, sed aliquot mutas videre memini. Sciamus ergò, Plautum hoc quoque in sexum sequiorem jecisse, risumque è summâ caveâ more suo captasse, licet in oratione seriâ. Tale illud nostratium: Hastu jemals einen stummen Schwaben gesehen?

10. UT ÆQVVM EST] Positum *est* pro *sit*. ut supra. 1. 1. v. 24: *Non persentiscat aurum ubi est absconditum.* Bach. 4. 8. v. 60: *I vise, est ne ibi.* V. N. Capt. 2. 1. v. 12. Alii malunt, *Et æquum esse*. Ita fuerit ordo verborum explication. *Cam.* sed contrà libb. posteriores invexere *Ita æquum*;

12. MVSSARI] Nonius: *Mussare est hominum occultè & depressâ voce loquentium; quod celatum velint.* Festus etiam *tacere* interpretatur. Ennius: *Namque decet mussare bonos*, ita enim Scal. legit. V. N. Mil. 3: 1.

14. SECRETO] χωρὶς.

15. FAMILIAREM] Edd. primæ, item Pall. plures *familiariter*.

16. QVIS EA EST NAM?] pro, *quisnam*. Ita enim noster sæpe dividit. infrà. 3: 2. *Sed in ædibus quid tibi meis nam erat negotii?* Persa: *Quando hæc innata est nam tibi?*

17. AIS?] adseveras? Integrum est, *ajis, ajit*, &c. Sed Poetæ detrahunt alterum *i*, ut corripiatur, *L*.

18. DECET TE EQVID.] ita omnes ferè MSS. & edd. *equidem* junctum personæ tertiæ.

TVA EST OP.] V. N. Stich. act. 4. 2.

25. FACTA VOLO] ita MSS. Pall. & Lang. & edd. vett. sed MS. C. *facto*.

QVOD TIBI S.] Sic solebant initio rei gerendæ profari, benè ominandi caussâ. Vide Formul. QVOD BONVM, FAVSTVM FELIXQ. SIT.

27. SIT PR. LIBERIS. ME ITA D. FAXINT! EV. VOLO TE UX.] Des. Heraldus lib. 7. ad Arnobium. addebat vocem *faxint*, *inquito*. attribuebatque eam verborum quadrigam sorori. absurdè enim illa, *Ita dii faxint*, Megadoro tribui; qui à nuptiis tãtopere abhorreret. Verum est. sed dictio *inquito*, in nullo extat Pall. aut Lang. aut Samb. MS. in nullo etiam edito, nec sequitur, quoniam abhorret ab uxore frater; non potuisse vel joci caussa interfari: tanquam scilicet etiam liberos procreare liceret ex alia re quàm fœminis: respexeritque ad illa Euripides in Hippolyto versu 616: Ὦ Ζεῦ, τί δὴ κίβδηλον ἀνθρώποις κακὸν &c. Lambino autem hic locus ita videbatur legendus: *quod t. f. f. Sit. ME. ita dii faxint. EV. liberis procreandis Volo te &c.* quæ distinctio quoque tolerabilis, si uspiam ita inveniretur.

28. DOMVM DVC.] Mos erat Rom. in domum mariti novas nuptas, & quidem velatas traducere. quod fiebat vespere tædis ac facibus præeuntibus. noctu enim nubebant. Augustinus lib. 6 de Civit. DEI, cap. 9. *Sed domum ducenda est, quæ nubit: adhibetur deus Domiducus*: sic enim eum deum, qui ei solemni deductioni præerat, appellabant. Et ab hoc more manavit, quòd dicimus; *uxorem ducere*: nam id præcisè dicitur. etenim cum dicimus, *Uxorem ducere*, deest, *domum*. Plenè autem & perfectè sic enunciatur, *uxorem domum ducere*. Terent. *uxorem deducit domum*. infrà act. 3: 5. *Et indotatas ducunt uxores domum &c.* Pleni sunt hujus formæ JC. libri. Ita & Græci, ἄγεσθαι γυναῖκα. imminutè dicunt: quibus & illa deductio in usu fuit. Ab hac etiam consuetudine notat Nonius, *Innubere* à veteribus dictum pro *transire*: quòd nubentes ad maritorum domus transirent, &c. Hæc è Select. Antiquit. Juris C. L. 1. cap. 18. Brissonii excerpsimus.

29. MIHI CEREBR. EXCUTIUNT TUA D.] A Tale illud Virgil. 8. Æn. *-gravior ne nuntius aures Vulneret.* Propriè de auditu ingratis. Lactantius: *Vulnerant aures eorum præcepta continentiæ.*

30. LAPIDES LOQUERIS.] Durus & asper tuus sermo est: qui me quasi lapidibus impetit. Contrà Aristophanes, Ῥόδα μ' εἴρηκας, *Rosas mihi locutus es.*

31. SI LUBEAT, F.] Ita Schop. è MSS. Lang. libris 4:3. Suspect. & Grut. è Camer. MS. Nam inepta vulgata lectio, *si jubeat f.* Atqui illa jubet, & ei rei argumenta dicit. Pareus quamvis prius admisisset *lubeat*, repetiit deinde *jubeat.* quasi L. in membranis positum fuisset pro I. additque in Notis: Ex ignorantia hujus archaismi, quidam alterum ineptum judicarunt: sed ineptum judicium non moramur. masculè! sed unde didicit ipse, quid ineptum sit, quid non?

34. FORAS, F.] Hipponact. Δύ' ἡμέραι γυναικὸς εἰσὶν ἥδισται, Ὅταν γαμῇ τις, κἀκφέρῃ τεθνηκυῖαν. *Dies duo sunt conjugis suavissimi: Quo nubit illa, quòque fertur in rogum.* Chæremon: γυναῖκα θάπτειν κρεῖσσόν ἐστιν, ἢ γαμεῖν. *Sepelire præstat uxorem, quàm ducere. Foràs ferre,* est efferre, ἐκφέρειν. Terentius: *Effertur imus,* ubi Donatus: *Efferri propriè dicuntur cadavera mortuorum: & IRE, propriè ad exsequias.* Exsequiæ, ἐκφορά. Vide Heraldi Advers. lib. 1. cap. 6. B

36. QUAM MAX.] Gruterus: Ego ferè pro *Quam* reposuerim *Cum*, hoc sensu: Possem quidem tibi dare uxorem admodum dotatam: sed ea grandior natu est. Convenit autem tibi uxor ætatis mediæ: itaque si talem cupis mediocri dote, dabo. interpretatio Lambini hîc mihi non placet. Pareus Gruteri commentum in utramque editionem recepit, omnibus libris invitis. nam nostra extat in V.C. Pall. au. em & Edd. vet. *quam maximam poss. t. f. d. dotem.* quod quoque recipi queat.

40. MEDIA] Cic. in Cat. *Ea jam constans requirit ætas, quæ dicitur media.* Eleganter *mediam ætatem* descripsit Seneca in Oedipo, hoc enim interrogante: *Qua spacia moriens Lajus vita tulit? Primonè in ævo viridis, an fracto occidit?* Respondet Jocasta: *inter senem juvenemque, sed propior seni.*

41. FORTUITU] Ita MSS. Cam. & Lang. vulgò, *fortuitò*: & ita etiam Festus, in *Postumus.* Camer tamen edidit *fortuitu*: quod Aus. Popma laudat. Porrò, fallunt & falluntur, *inquit Douza*, qui persuasum habent, tertiam syllabam in verbis hoc exemplo conformatis brevem esse: produci enim debent, *pituita, gratuitum, fortuitum &c.* Hor. 2. Odar. 16. *Nec fortuitum spernere cespitem.* Vide Præcidan. ejusdem lib. 2. cap. 16. Sed fortasse etiam exempla in contrarium dari possunt, quale est Statii ille Phaleucus: *Largis gratuitum cadit rapinis.*

42. POSTUMUS] Ita consensu omnes edd. sed Festus l. *Postumi.* Scribendum autem sine *h.* est enim à *post*, quia post patrem mortuum nascitur postumus: non à *post* & *humo*, quasi post patrem humatum nascatur. Sic Curtii filius adoptatus à Rabirio, *Rabirius postumus* est vocatus. *Postumus* tamen censetur etiam, qui post factum testamentum natus est, etiam vivo patrefamiliás: sed & qui post alios liberos ultimusque gignitur. ut 6. Æn. *tua postuma proles* &c. Vide Turn. l. 18: 1. & lib. 10. cap. 23. Agell. l. 2: 16.

DEGAM] Cam. & Lamb. MSS. omnes, *demam.* Sed edd. primæ, & Pal. tert. à manu prima, item pr. & quartus à secunda, denique & Nonius l. *degam*, i. detraham. Epid. 1: 1. *Degetur corium de tergo meo.* V. N. ibid.

44. VIRTUTE DEUM] V. N. Trin. 2: 2. & Mil. 3: 1.

44. NOSTRORUM DIVES] Versus caussa rescribendum nostrûm, aut verò *dis*, pro *dives.*

45. FACTION.] *opulentiam & nobilitatem*: Nonius.

41. DAPSILES] V. N. Most. 4: 2. & Ps. 1: 4. Notat Mercerus ad Nonii *Factio*, mss. præferre *dapsilas*, ut forte veteres extranea verba amaverint efferre specie suorum.

48. DIC MIHI QUÆSO] Prisc. lib. 13. legit: *Dic mihi sodes, quis ea est?* ubi docet, *Quis* esse gen. Communis: τίς. Veteres Glossæ ad illud Persii Sat. 3. *inspice, sodes: Sodes*, inquit, antiquæ affectationis est: adeo ut solutè quidam eo usi sint, ut Plaut. *Dic mihi, si audes, quæ est, q.* V. N. Trinum. 2. 1. v. 17.

 51. Scio

52. SCIO QVID] ita MS. Cam. sed Schop. l. *Scio, quòd d.* pro, scio te dicturam. Cic, Att. lib. 10:4. *Cum scripsisset, quod cuperet, me ad urbem venire, &c.* Suspect. l. 4:9.

53. QVID ME N.] Schop. l. *quid? me nunquid* A *vis?* Comica phrasis est, *Vello aliquem*: ut illud, *Paucis te volo. Numquid vis?* sermo abeuntis. V. N. Amph. act. 1: 3. & istud recepit in contextum Pareus, contradicentibus MSS. & Edd. omn. in quibus *nunc quid.*

ACTUS II. SCENA II.

EUCLIO. MEGADORUS, senex.

PRÆSAGIBAT mihi animus, frustra me ire, quum exibam domo.
Itaque abibam invitus. nam neque quisquam curialium
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet sum hic, animus domi est.
ME. Salvus atque fortunatus Euclio semper sies!
EV. Di te ament, Megadore! ME. quid tu? recten' atque ut vis vales?
„ *EV. NON temerarium est, ubi dives blandè appellat pauperem.*
Jam illic homo aurum me scit habere, eò me salutat blandiùs.
ME. Ain' tu, te valere? EV. pol ego haud à pecuniâ perbenè.
„ *ME. Pol SI est ANIMUS æquus tibi, satis habes, qui bene vitam colas.*
EV. Anus hercle huic indicium fecit de auro: perspicuè palàm est!
Cui ego jam linguam præcidam, atque oculos effodiam domi.
ME. Quid tu solus tecum loquere? EV. meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem,
Neque eam queo locare cuiquam. ME. tace. bonum habe animum, Euclio!
Dabitur, adjuvabere à me: dic si quid opus est, impera!
EV. Nunc petit, quum pollicetur: inhiat aurum ut devoret.
„ *ALTERA manu fert lapidem, panem ostentat alterâ.*
„ *Nemini credo, qui largè blandu'st dives pauperi.*
„ *Ubi manum injicit benignè, ibi onerat aliquam zamiam.*
Ego istos novi polypos, qui sibi quicquid tetigerint, tenent.
ME. Da mihi operam parumper. paucis, Euclio, est quod te volo
De communi re appellare meâ & tuâ. EV. hei misero mihi!
Aurum mihi intus harpagatum est. nunc hic eam rem volt, scio,
Mecum adire ad pactionem. verùm intervisam domum.
ME. Quò abis? EV. jam ad te revortar: námque est quod visam domum.
ME. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filiâ,
Mihi ut despondeat, sese à me derideri rebitur.
Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.
EV. Di me servant. salva res est! salvum est, si quid non perit.
Nimis male timui: priusquam intrò redii, exanimatus fui.
Redeo ad te Megadore, si quid me vis. ME. habeo gratiam.

Quæso

Quæso quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
EV. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
ME. Dic mihi, quali me arbitrare genere prognatum? EV. bono.
ME. Quid fide? EV. bona. ME. quid factis? EV. neque malis, neque improbis.
ME. Ætatem meam scis? EV. scio esse grandem, itidem ut pecuniam.
ME. Certè edepol equidem te civem sine malâ omni malitiâ
Semper sum arbitratus, & nunc arbitror. EV. aurum huic olet.
Quid nunc me vis? ME. quoniam tu me, & ego te qualis sis scio:
Quæ res rectè vortat, mihique, tibique, tuæque filiæ!
Filiam tuam mihi uxorem posco. promitte hoc fore.
EV. Heia Megadore! haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium, abs te atque abs tuis, me irrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres quod facis.
ME. Neque edepol ego te derisum venio, neque derideo:
Neque dignum arbitror. EV. cur igitur poscis meam gnatam tibi?
ME. Ut propter me tibi sit melius, mihique propter te & tuos.
EV. Venit hoc mihi Megadore in mentem: te esse hominem divitem,
Factiosum; me item esse hominem pauperum pauperrimum:
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, & me esse asellum. ubi tecum conjunctus siem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto:
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem.
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat.
Asini me mordicibus scindant, boves incursent cornibus.
„ *HOC MAGNUM est periculum, me ab asinis ad boves transcendere.*
„ *ME. QUAM ad probos propinquitate proximè te adjunxeris,*
Tam optimum est. tu conditionem hanc accipe! ausculta mihi,
Atque eam desponde mihi. EV. at nihil est dotis quod dem. ME. ne duas.
„ *DUMMODO morata rectè veniat, dotata est satis.*
EV. Eò dico, ne me thesauros reperisse censeas.
ME. Novi, ne doceas! desponde. EV. fiat. sed prò Iuppiter!
Non ego disperii? ME. quid tibi est? EV. quid crepuit, quasi ferrum, modò?
ME. Hic apud me hortum confodere jussi. sed ubi hic est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei.
Quia videt me suam amicitiam velle, more hominum facit:
Nam si opulentius it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi. per metum malè rem gerit.
Idem quando illæc occasio periit, post serò cupit.
EV. Si hercle ego te non elinguandam dederò usque ab radicibus,
Impero auctorque sum, ut tu me cuivis castrandum loces.
ME. Video hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,

Quem senectâ ætate ludos facias, haud merito meo.
EV. Neque edepol Megadore facio: neque si cupiam, copia est.
ME. Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? EV. illis legibus,
Cum illâ dote, quam tibi dixi. ME. sponden' ergo? EV. spondeo.
Istuc di benè vortant. ME. ita di faxint. EV. illud facito ut memineris
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
ME. Memini. EV. at scio, quo vos soleatis pacto perplexarier.
,, *PACTVM non pactum est; non pactum pactum est, quod vobis lubet.*
ME. Nulla controversia mihi tecum erit. sed nuptias
Hodie quin faciamus num quæ caussa est? EV. imò edepol optuma.
ME. Ibo igitur, parabo. nunquid me vis? EV. istuc. ME. fiet. vale.
Heus Strobile, sequere properè me ad macellum strenuè.
,, *EV. Illic hinc abiit. di immortales, obsecro, AVRVM quid valet!*
Credo ego illum jam inaudiisse, mihi esse thesaurum domi:
Id inhiat, eâ affinitatem hanc obstinavit gratiâ.

SUNT & hi versus generis quadrati, numeris plerique τροχαΐζοντες. A

V. 1. PRÆSAGIBAT] Cic. 1. De divin. laudat hunc versum: & addit: *Sagire, sentire acutè est. ex quo sagæ anus, quia multa scire volunt: & sagaces dicti canes. Is igitur, qui antè sagit, quàm oblata res est, dicitur præsagire, id est, futura antè sentire. Inest igitur in animis præsagitio extrinsecus injecta, atque inclusa divinitus, &c.* Festus: *Præsagire est prædivinare, præsipere, &c.*

3. MAGISTER] Romæ singulas Tribus suos divisores habuisse docet Ascon. Actione 2. in Verrem: qui pecuniam populo viritim dividebant, singuli in suâ Tribu: & alio nomine *Magistri Curiarum* appellantur, Ciceroni *Curiones.* Vide Ræuard. Var. 2: 16. & Brodæum Miscell. lib. 6. cap. 11. Gutherium denique lib. 2. de jure Manium cap. 10.

9. A PECVNIA] quod ad pecuniam attinet: L.

10. POL, SI AN] Lucret. lib. 5. *Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè Æquo animo. Animus æquus* hîc est moderatus & tolerans & minimè querulus in adversis. Cic. de Senect. *Quid quod sapientissimus quisque animo æquissimo moritur, stultissimus iniquissimo?* Id. in Pison. *æquitatem* absolutè ita dixit, &c. Vide Budæum Annot. pr. in Pand.

10. SATIS HABES] Ex hoc verbo suspicatur Euclio, istum de auro aliquid resciviſſe.

11. LING. PRÆCID.] quia indicavit.

A OCVL. EFFOD.] quia vidit. L.

14. CASSAM] i. carentem. *Cassum* enim, ut *caritum*, à careo. Prisc. lib. 9. ἀστέρικον, *indotatam.* Pacuv. apud Cic. 2. divin. *Tardigradam, herbigenam, domiportam, sanguine cassam.* Turn. l. 29. 34.

14. ILLOCABIL.] Virgo illocabilis est ἀνεκδότισμος, quæ omnino nuptui collocari nequit, non autem ἀνέκδοτος, ut visum est Lambino & Camerario. ea enim est, quæ nondum elocata est, ὕπω ἐκδεδομένη. *Siberus.*

17. INHIAT] V. N. Trin. 1:2. & Men. 3:1.

18. ALTERA M.] Proverb. olet. & dicetur in eos, qui coràm blandiuntur, clàm obtrectantes: qui hìc prosunt, illic obsunt. B Translatum ab iis; qui canes ostentato pane pelliciunt, deinde accedentibus saxum illidunt: *Erasmus.*

20. M. INIICIT] manum cum manu copulat. L.

20. ONERAT AB. ZAM.] pro onerat (ἐπιβάλλει) pauperem zamiâ: ut sit hypallage. Bosius l. *ornat*, pro, adornat, instruit. Ter. Eun. *fugam ornare.* Jam ζημία, Doricè, ζαμία, *mulcta, damnum, pœna* est: Turn. l. 14: 5. Plinius in pinu nominat zamiam, lib. 16: 26. *Quæ se in arbore ipsâ divisêre, vocantur zamiæ, læduntque cæteras, nisi detrahantur.* Quâ significatione vocabulum nunc accipi non alienum fortasse alicui videatur. Æschylus: γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προστρίβεται, *Stolidâ sibi ipsi linguâ maximè noces.* Cam. Passerat. ad

4. Prop.

4. Prop. el. 5. interpretatur, imponit damnum. sic Mostel. 3. 2. *Vehere clitellas* & *homines clitellarios* senes vocat Tranio. & alibi: *Plus justo vehit.*

21. POLYPOS] *Polypus*, piscis quicquid suis fibris & branchiis amplexus est, firmissime tenet. Per hos significat rapaces & tenaces: L. vid. Ælian. Var. Hist. lib. 1. c. 1.

21. QVI SIBI QVICQVID TETIG. T.] ita ex ingenio & MSS. Gruterus: robusto prorsus sensu. Locutio ferè par Novio: *Vertit sese in omnes bestias: comest quicquid tetigit tantùm.* Effert localiter Plautus Persâ: 4:6. *Quod semel arripides, nunquam posteà eripides.* Edd. primæ, qui ibi *quicquid*, nec aliter Pall. nisi quod ii, vel *quin ibi*, vel *quin ubi*. est etiam qui præferat *qui quidquid teg.* sine particula. V. C. qui *jubi* aut *vibi quidquid teg.* unde edidit Camerarius, *qui ubi quid tetig.* Pareus nulla habita ratione numerorum, quorum dotem sanè ignorat, obtrusit nobis, *qui ubi vibi*; h. e. *vibi*. nulla emphasi.

22. DA MIHI OP.] Colv. & Palm. è Non. l. *Da mihi op. p. si opera est, Euclio, id quod &c.* Jam, *Opera est*; &, *opera est*, inquit Colvius, usitatè dicitur etiam in Plauto: pro, si commodum est, & potes. in quo non temerè hoc vel illud loco movendum, quod quidam (*Jan. Guliel.*) faciunt. Mercat. *Sed ea ut sim implicitus dicam, si opera est auribus.* Cas. *est operæ auribus* (mea facta) *percipere.* Mil. *Occupata est, opera non est.* Apul. *Non est opera diis superis ad hæc descendere.* Id. *Sed non est operæ, diem in istis terere.*

OPERAM] V. N. Asin. act. 1: 3.

24. EAM REM] i: ob eam rem. L. D.

25. ADIRE AD P.] Veterum more dictum. Nam ii præpositiones iterare, in ornatu ponebant. Tale est illud in nostris libris: *adire ad Prætorem.* J. Gul.

25. INTERVISAM DOMVM] ita plerique MSS. Pall. At vulgati cod. l. *intervisam domi.* quod præfert Meursius. Pareus ad hunc locum notat: *inquiram in domum.* Jch will jhm sein Hauß außsuchen. plus quàm pueriliter: ideoque virga expiandum. legantur modò seqq.

26. QVO AE.] versum sanat Acid. è vet. qui habent, *Quonunc*, reponendo *Quonam.* verum in MSS. aut edd. non comparet *nunc*, & versus habet sic suos pedes, si cessat elisio, ut mille aliis locis.

EST QVOD] i. propter quod. L.

27. MENTIONEM] de sponsalibus futuris loquitur; ideo aptis illi rei verbis utitur, *ubi mentionem fecero.* Nam qui poscit, *Mentionem facere* dicitur; qui respondet, *Repromittere*, sive tantùm, *Promittere*; ut hîc paulò inferiùs, *promitte hoc fore.* Itaque stipulatûs hujus uxorii duæ partes, *Mentio* & *Repromissio*: quas eâ caussâ in Sponsalium definitione ambas ponit ingeniosè & peritè, ut solet, Florentinus JC. *Sponsalia*, inquit, *sunt mentio & repromissio nuptiarum futurarum.* *Mentio*, appellatio est, &, ut Cælii verbo paullo duriore utar, *verbificatio. meminisse*, loqui interdum, &, quod ab hoc fonte defluxit, *memorare*, *&c.* J. Gulielmius, Græcis, μνηστὺς seu μνηστεία.

29. EX PAVP.] i. ex ordine seu numero pauperum: ut, *Ex nobilitate.* Cam.

30. SALVVM EST, SI QVID NON PERIT] At Catullus, *Tu quod vides perisse, perditum ducas.* Sib.

36. QVID FIDE?] me arbitrare? Vide & Palm. fol. 207. Spicileg.

38. MALA O. MALIT.] Nonius: *Malitiam veteres, ut Dolum, mediam ponendam esse duxerunt: quasi sit & Bona.* Adeoque *improbum* postposuerit *malo*, quod gravius putetur. Ita Cic. lib. 13. Ep. *bonam benevolentiam hominum* dixit.

41. QVÆ RES] Præfatio veterum benè ominandi gratiâ. Das Gott Glück vff beyden theilen darzu geben wolle. act. 4:10.

44. INNOX. ABS TE] qui nec tibi nec tuis nocuit. *Vel: Qui* innocens, quod ad te atque ad tuos attinet. L.

49. TE ESSE H. D.] Ut numeri constent, Acid. scribit, *tedess.* ut versu 55. *ted & med.* & v. 70. *congrediri.* quæ postrema tria editionibus suis confidenter intulit Pareus, prohibentibus & MSS. omnibus & cusis. At inquit, facit ad versum. Ergò omnia ad versus facientia impunè in contextum admittenda! cur ergò frontispicium Plauti tui cõtrarium pollicetur? nihil novatũ nisi auctoritate Pall.

50. FACTIOSVM] opibus & bonis fortunæ affluentem. L. D.

54. GNATVS] pro *natus.* Plus est autem, *Nunquam natum esse*, quàm, *mortuum esse*: L. At Schop. è Langian. *gnatus quàm nunquam siem*: τῷ *si* eleganter omisso. Sed MSS. Cam. ambo, *quasi.*

57. MORDI-

57. MORDICIBUS] i. morsibus, δήγμασι. Atque hanc lectionem adserunt Douza, autoritate etiam Nonii, Gulielmius, Stevvechius, Colvius ad illud Apul. *mordicibus appetens*. Gruterus tamen suspicatur *mordicitus*. Contra Turnebus & Lamb. *mordicus*, pertinacissimè defendunt. quippe quibus MSS. omnes, editique ante Ald. (ut ajunt) adstipulentur. Pall. quoq; *mordicus* habent, nisi quod pr. sec. sextus *morsibus*. Ceterùm *mordicus* respuit ratio versus; nec ineptè *mordicibus* Sibero dictum videtur non quidem pro morsibus, sed pro ipsis dentibus; quemadmodum Catullus *nutrices* dixit pro mammis: ut Plauto *mordices* nihil aliud sint, quàm dentes: & *dentes* idem quod oblocutiones atque cavillationes: sicut *cornua* sunt injuriæ, & oppressiones. Sic Germani infantum dentes per lusum vocamus, die beisergen.

58. PERICULUM, ME AB ASINIS AD B.] i. implicari inconveniente necessitudine. Vide Camer. ad cap. 13. quod in hanc sententiam multa proponit, Siracidæ. Hanc autem lectionem ex omn. MSS. & vet. edit. præstat Gruterus.

59. QVAM AD &c.] *Quam, tam.* Sic Bacch. & Pœn. *Quàm magis; tam magis.* V.N. Menæch. 1: 1.

61. QVOD DEM] Repererunt in suis MSS. viri docti, —— *nihil est dotis, qui dem*, quod illi pro ridiculo neglexerunt: ego amplexor, ut probum & valdè Plautinum. *Qui* enim huic nostro τελικὸν αἴτιον designat: & valet hoc loco, *qui dem*, ut dare possim, & eam tibi collocare. nam dos eo fine est, ut eâ collocentur filiæ. Sic infrà, 3: 5. —— *vehicula*, *qui vehar*. i. ut vehar. nam viri docti frustrà mutant: ut iidem sine caussa æstuant Capti vis, act. 5: 4. —— *advenienti upupa, qui me delectet, data est*. Ait, *qui me delectet*, ἵνα τέρπωμαι ἐκείνῃ. Asin. *Viginti a. c. minas, hujus qui dem matri*. J. Gul. Sed V.N. etiam Trin. Prologo. v. 15. Pall. ferè quidem unica dictione. sed *quod dem* restat tamen in V. C. Camerarii, habetq; Aldina & traduces, ut & Camer. editoresque posteriores præter Pareum, nihil intactum relinquere solitum, quod doctis pluribus placeret.

61. DVAS] In MS. Lang. unâ voce plus est, *ne duis*, *ne*. ita honestè, ut hâc tam bella iteratione tota Scena mihi collustrari videatur: *J. Gulielm.* & verò syllabam eam inseruit statim editionum suarum latifundiis Pareus, non modò versus manifesto detrimento, sed contra Pall. septem editosq; ad unum omnes, qui tamen ferè ut & edd. vett. *duas*.

63. THESAVROS] ita Cod. Lamb. & MSS. octo Gruteriani. Homo suspiciosus celare non potest, quod tantopere cupit celatum.

HIC] domi meæ. L.

66. SED VBI HIC] ita Pall. & Edd. omn. *Grut.* notat in MS. Cam. l. *hinc est homo.* & ita etiam est in MSS. Lang.) unde suspicatur fuisse, *hinc eit homo*, pro, *it.* quod Pareus illicò rapuit in utriusque editionis suæ Camarinam. deridet tamen lectores, ubi asserit in V. C. non expressè scribi E, ut aliàs, sed cum lineola parvula ad latus. imò habet *e* cum virgula superjacente, ut aliis mille locis.

67. FASTID MEI] V.N. Stich. 2: 3. Lucillius:

Tristes, difficiles sumu', fastidimu' bonorum.

69. IT PETITUM] V.N. Persâ, act. 1: 2.

70. CONGREDI. PER METUM] Labantibus numeris subveniendum putabat Cam. *congredier, & per m.* sed concinnius Acid. *congrediri.*

72. ELINGVAND.] unde *Elinguatio*, γλωττοτομία. quod Scal. notat ad Fest.

73. AVCTORQ. S.] V.N. Epid. 3: 2.

CASTR. LOCES] mercede pactâ tradas. Pacuvius: *ut esset aliquis, qui linguam ejus castraret.*

SENECTA] V.N. Trin. 2.

COPIA EST] possum. L. Interim alludit ad ludos, neque atque tam divitem se, ut pecuniam profundere possit in ludicra illa publica.

77. QVID NVNC? ET. DESP.] Ita Acidal. distinguit. Itaque fieri vult Bacch. act. 4: 8. *Quid nunc? scelestus t.* Solemnem autem stipulationis formulam in Sponsalibus hic Plautus expressit. Et *Sponsa* dicebatur, non quòd sponderet, sed quod (ut ait Servius) sponderetur, à patre videlicet vel à quocunque alio. Lege enim cautum fuerat, ne quis uxorem duceret, priusquam aliquis sibi eam despondisset. Vide tamen & Agell. lib. 4: 4. unde planum erit, non satis verum esse, quod Donatus & Servius asserunt, Sponsum non spondere, sed à patre desponderi. quorum sententiæ perscriptæ sunt in Andr. Ter. act. 1. Heaut. 4: 5. & 4: 7. Virg. 10. Æn. &c. quod obser-

observavit *Hotomannus* De vet. nupt. riti- A bus, cap. 9. Vide & B. Brisson. libro sing. *De ritu nuptiarum.* ubi & locum Curcul. act.5:2. & Trin. act.5: 2. laudat.

79. ITA DI FAXINT. EV. IL.] Acid. è Florent. & Colon. ita constituit Personas. *ME. Istuc di bene vertant. EV. Ita di faxint. tu ill.* quod statim invasit Pareana pr. nimis licèter. nam illud *tu* in nullo comparet libro, vel MS, vel antiquitus cuso. Lectio è MSS. Pall. & Lang. est. nisi quod V. C. à manu prima, *scito* pro *facito:* quod Pareus, ceu carbunculum editioni suæ intulit.

81. PERPLEXARIER] perplexè agere & captiosè. D.

82. PACTVM NON P.] Meurs. notat in v.c. leg. *pectum non p.* unde censet Plautum toto isto carmine non aliter exarâsse: pro *pactum:* unde *compectò, depectò.*

84. QVIN FACIAMVS] ita MSS. Cam. & Pall. sex, *quin faciamus.*

OPTIMA] ita MSS. Cam. & Pall. quinq; & edd. antiquæ Grut. item MSS. Lang.

85. ISTVC. ME. FIET.] Acid. personas ita ordinavit. Abit enim Megadorus: Euclio manet in Scenâ. illi igitur convenit valedictio.

87. AVRVM Q. VALET] V.N. Asin. act. 3: 3.

89. ID INHIAT] Notat Nonius, *thesaurum* neutri gen. hîc esse. En cor Zenodoti! *Id* poni amat pro *ideò*. Amph. *Id huc reverti, uti me purgarem tibi.* *Inhiare* verbum absolutè, ut vocant, est appetere cupidè, & tanquam ore aperto captare: à belluarum hiatu ducta tralatione. V. N. Trin. 1: 2. *J. Guliel.* Pro Nonio tamen facit scenæ hujus versus 17: *inhiat aurum, ut devoret.* nec unq. usurpat noster nisi casu quarto.

89. OBSTINAVIT] i. *obfirmato & perseveranti animo expetivit:* ut ferè Festus. Ter. Andr. *Itáne obstinatè operam dat?* ita, *Obstinatam mentem* Catull. Carm. 8. dixit: *Obstinatam frontem* Firmicus l. 8.

ACTUS II. SCENA III.

EVCLIO Senex, STAPHYLA Anus.

VBI tu es, quæ deblaterasti jam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturum dotem? heus Staphyla! te voco:
Ecquid audis? vascula intus purè propera atque elue.
Filiam despondi hodie: ego nuptum huic Megadoro dabo.
ST. Di benè vortant! verùm ecastor non potest: subitum est nimis.
EV. Tace atque abi! curata fac sint quum à foro redeam domum.
Atque occlude ædes: jam ego hîc adero. ST. quid ego nunc agam?
Nunc nobis propè adest exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam probrum atque partitudo propè adest, ut fiat palàm.
Quòd celatum est, atque occultatum usque adhuc, nunc non potest.
Ibo intrò, ut herus quæ imperavit, facta, cùm veniat, sient.
Nam ecastor malum mœrorem metuo ne mistum bibam.

VERSVS similiter, ut superioris Scenæ B quadrati, plerique tetram. catalectici trochaici.

V.1. DEBLATERASTI] *De*, hîc auget. MSS. Cam. & Langii, *deblatuvisti*, falsò enim prodidit Pareus in Cam. scripturam ita ambiguam ut etiam esse possit, *deblattravisti*, imò repugnat naturæ, cùm vacuum desit ei literæ recipiendæ. V.N. Epid. act. 3: 1.

2. Staphyla, te voco] dictum è consuetudine vocantium. Curcul. —— *heus Curculio, te volo.* Eâdem, *Heus tu leno, te volo.* J. Gul.

3. Pure pr.] Festus: *Purè lautum*, est *aquâ purâ lavatum.* Lambinus sic: Fac, ut citò pura, munda & lota sint. Alii sic: Vasa pura & lota properè expedi, ac depromе. Turnebus lib. 24: 23. sic: Tu ipsa antè purè lauta, vasa properè expedi & elue. J. Palm. leg. *Vascula intùs pura propera, atque elue.* Et, *propera pura*, inquit, est properè fac pura. Virgil.

——*pulchram properet per vulnera mortem.*

Cas. act. 2: 8. *Abi, atque obsonia propera:* ita enim V. C. & Langii liber quoque habent. (V. N. Pœn. 3: 1.) Vel sic: *Vascula intùs pura properè.* nam *purare*, verbum, pro purgare, quo utitur Varro & alii. tametsi hoc posterius auctori melius placet: utrumque Acidalio. Meursius è Paris. ubi, *purè prapara*, erat, affirmat Plautum scripsisse, *purè prapera.* Nam veteres *praperare* & *praparare* dixisse, &c. Agell. lib. 10. 11. *in præparatu rei rusticæ, &c.* Talia esse, *Resecrare, Obsecrare, Exsecrare*, hodieque in usu. Porrò veteribus ante nuptias sacrificare moris fuisse; & quidem Junoni, Veneri, & Gratiis, multis firmat idem Meursius Comment. in Cassandr. Lycophron.

3. Propera atque elve] *Propera atque elue, est* propera eluere: *Casaub. ad Persium.* Sat. 3.

6. Qvvm a foro] Utraque Parei nobis exhibet, contra omnes planè libros, *quam à foro*, pro *antequam.* rationem mutationis sic promit: In omnibus MSS. legitur *cùm.* at scriptum fuit *quàm*, inde *quom*, postea *cum* factum. Argumentum, vel vatis, vel freneтici!

9. Prope ad.] D. F. concinniùs ait legi, ——*propè abest ut f.*

12. Malvm moer.] ita Pall. sex & edd. vett. Allegoria ducta ab iis, qui potionem ali- A quam mistam minus jucundam, aut etiam letalem bibere jubentur. Ejusdem generis sunt & illa, *devorare & exsorbere molestiam.* Sic Ter. Ph. *Tute hoc intristi: tibi omne est exedendum.* Pl. Cas. *Ut senex eodem poculo, quo ego bibi, biberet:* Lambinus. Vir doctus legit: *ne mustim bibam*, hoc est, ne bibam mærorem adhuc musteum, nec satis defæcatum. ut alludat ad *merum*, quod exauditur in illo *mœrorem.* V. N. Capt. 2: 1. S. *Ulric. Pistoris* vulgatam probat, hoc sensu: ut non tantùm anus in allusione *mœroris* & *meri misti* jocetur: verùm etiam reverà mœrorem mistum intelligat geminatum. primum, ob probrum herilis filiæ: alterum, quòd id per nuptias jam palàm fieret. Olim etiam legebat: *ne amystin bibam*, hoc est, *amystide.* Est autem *amystis* potio, quâ affatim hauriebant: in hauriendo optimâ fide non respirantes, ut Plinius describit. sic dicta παρὰ τὸ μὴ μύειν, quòd non-commissis labris affatim biberent. θρᾳκία πρόποσις Polluci. ἢ ἀπνευστὶ πόσις. Horat. 1. Odar. 36. *Threiciam amystidem* dixit. Hinc & *Amystin* vel *amystide bibere*, obducere, educere: ἀμυστίζειν, ἄμυστιν ἑλκύειν. Eur. σκυθιστὶ πίνειν. Anac. B ὅτι ζωρὸν χανδὸν ἀμύστητον δέχεται πότον. Trincken wie ein Kuh. quemadmodum explicantur ab *H. Junio.* Schop. l. *malum meracum metuo ne mistum bibam.* & elegans, inquit, jocus in re minimè jocosâ. Metuo ne bibitura sim merum seu meracum malum: ut ita non bibam mistum vel dilutum, sed erit malum meracissimum, nullo planè bono dilutum. vel temperatum. V. N. Rud. 3: 6. *Gruterus* sensu volente, & illicientibus ferè litteris MS. Cam. leg. *malum mærorem metuo ne immixtim* (vel *immixtum*) *bibam.* ut dicat, se merum mœrorem bibituram. sanè in Libro illo est *nimixtum.* Et verò Pareus Grut. conjecturam editionibus suis invexit.

ACTUS II. SCENA IV.

STROBILVS servus. ANTHRAX,
CONGRIO, Coci.

POSTQVAM obsonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinasque hasce apud forum; edixit mihi,
Vt dispartirem obsonium hîc bifariam.
CON. Me quidem hercle, dicam palàm, non divides.
Si quò tu totum me ire vis, operam dabo.
AN. Bellum & pudicum verò prostibulum popli.
Pòst si quis vellet te, haud non velles dividi?
CON. Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
Non istuc quod tu insimulas. ST. sed herus nuptias
Meus hodie faciet. COC. cujus ducit filiam?
ST. Vicini hujus Euclionis è proximo.
Ei adeò obsonii hinc dimidium jussit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
COC. Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi!
ST. Nempe sicut dicis. COC. quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiæ in nuptijs?
ST. Vah! COC. quid negotij est? ST. quid negotij sit rogas?
Pumex non æquè est aridus, atque hic est senex.
COC. Ain' tandem ita esse ut dicis? ST. tute existima.
Quin divûm atque hominum clamat continuò fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier;
De suo tigillo fumus si quà exit foràs.
Quin cùm it dormitum, follem obstringit ob gulam.
COC. Cur? ST. ne quid animæ fortè amittat dormiens.
COC. Etiámne obturat inferiorem gutturem
Ne quid animæ fortè amittat dormiens?
ST. Hæc mihi te, ut tibi me æquum est credere.
COC. Imò equidem credo. ST. at scin' etiam quomodo?
Aquam herclè plorat, quum lavat, profundere.
COC. Censen' talentum magnum exorari potesse
Ab istoc sene, ut det, quî fiamus liberi?
ST. Famem hercle utendam si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor ungues demserat;
Collegit, omnia abstulit præsegmina.
COC. Edepol mortalem parcè parcum prædicas!

Censen' verò adeò esse parcum & miserè vivere?
ST. Pulmentum pridem ei eripuit milüus:
Homo ad prætorem deplorabundus venit:
Infit ibi postulare plorans, ejulans,
Ut sibi liceret milüum vadarier.
Sexcenta sunt quæ memorem, si sit otium.
Sed uter vestrûm est celerior? memora mihi.
CON. Ego, ut multo melior. STR. cocum ego non furem rogo.
CON. Cocum ego dico. STR. quid tu ais? AN. sic sum, ut vides.
CON. Cocus ille nundinalis est, in nonum diem
Solet ire coctum. AN. tun' trium literarum homo
Me vituperas? fur, etiam fur trifurcifer.

IN MS. Cam. adduntur, Phrygium: Ex- A
flesium, tibicinæ II. Scenæ hujus versûs sunt jamb. trim. acatalectici. Extat autem in hâc Scenâ elegantissimus, amænissimusq; & χαφικάζατος character hominis tenacis & σμικρολόγου. videatur Casaub. in Theophr. Charact. cap. περὶ μικρολογίας, i. de sordidâ parsimoniâ.

V. 1. Obsonavit] *Obsonare*, & *Obsonari* dicitur. Apulejus Apol. *A cupediariis obsonavit. Obsonatorem* Græci vocab. ἀγοραστήν.

1. Cond. coqvos] Privatæ personæ, quæ cocos sive *Coctores* (ut Petron. appellat) non habebant familiares, in foro conducebant.

4. Me q. h.] *Me quidem hercle, dicam palàm, non d.* Ita MS. Cam. & Pall. & edd. ante Cam. At Lips. Epist. Quæst. lib. 5: 14. l. *Me tu quidem hercle hîc tam palàm non divides. Si quoi* (cui) *totum me teii* (rei) *vis, operam dabo.* Ubi notandum. *Partiendi* verbum obscenum esse, ut *dividere*. Atque hoc quidem admittit Gruterus, sed ei non placet etiam correctio; tanquam quæ repugnet responso. *Dicam palàm*, extulit; ut notet vocem *dividere* capi etiam posse sensu turpi, quique aures palàm offendat; cùm interim innuere videretur, sese palàm eidem refragari in illâ re. Porrò notat J. Drusius *De Quæsit. per epist.* CXIV. Ebræos etiam verbum habere, Hos. 4: 14.) quod verbo *dividere* respondeat in obsceno hoc sensu.

5. Si qvo tv tot.] Rectè. nam obsonii pars erat dividenda simul; & ei præponendus item divisim uterque coquus. *Grut.*

6. Prostib. Popli.] ita Lipsius. De prostibulo V. N. Sticho, 5: 6. Parei ultima versum hunc ac sequentem Anthraci tribuit; plus quàm fatuè. & id tamen propugnat in Notis, sed nulla tamen ratione nisi Pareana, hoc est; αὐτὸς ἔφα.

7. Post si] Lips. l. *Pòst si quis vellet, hau, non velles dividi? Hau*, interjectio Comica. At *Grutero* placet nihil mutare. Nam, *inquit*, aut iterum corruptus est auctor; aut duabus negativis vocibus iterum negat. Bacchid. act. 4: 9. *Neque ego haud committam, ut si quid peccatum siet, fecisse dicas de meâ sententiâ.* Pius legere se ait ex opt. libris: *at non velles dividi?* interrogativè.

12. Dimidivm] Cur non *dimidiatum obsonium* dixerit, vide Agell. lib. 3: 14.

13. Alteram tibicinam] Sic solùm
B Pall. & edd. vett. at utraque Pareana magnificè adhuc pedem supra versum ostentat, *alteram tibi tibicinam.* quæ patiuntur ludibria à petulanti Ludimagistro! tantò intolerabiliora, quod de tali corruptela Notæ ejus muttiant.

14. Dicis] Alii l. *ducis: πέμπεις*, quasi pompam: itaque omnes codd. suos habere, non, *dicis*, Lambinus affirmat: cui Douza & Acid. adstipulantur. & sic Pall. sex, editioque Merulæ prima, sed non etiam secundâ. Ita Casinâ act. 3: 5. *Redit eccum obsonatu: pompam ducit.* scil. coquorum. At MSS. Pall. & Lang. & cusi ante Cam. planè, *dicis*: & hoc responsum sequens postulare ait Gruterus. Ut vehementer mirer quos libros citet Lambinus.

14. Dimi-

24. DIMIDIVM DOMI!] Ergo, *domi*, etiam ad locum significat. ita Donatus, Trinummo: *Pol quanquam domi cupio, opperiar.* sic enim manifestò ibi legit: & rectè. Variè enim Adverbiis loci veteres usi, vel (ut nobis videtur) abusi sunt, de quibus accuratè Aus. Popma in elegantiss. Tract. *De usu Antiq. Locut.* lib. 2. c. 7. Sudat hîc Acidalius.

14. NEMPE SICVT D.] Cam. omisit voculam *Nempe*: in quâ tamen lepida energ a: extatque alioquin in edit. & MSS. omnibus: *Grut.*

16. SENEX OBSON.] Acidal. ex antiq. cod. fulcit versum, immittendo *Senex suæ obs.* sed sic nullus Pall. nulla editio vetus. præstaret reponi, *filiai*, ut τὸ *filiæ* sit dissyllab.

18. PVMEX] Spongia dicitur Vitruvio, quod fistulosus sit spongiæ modo. unde in Persâ, 1:1. *nam tu aquam è pumice postulas, Qui ipsus sitiat.* Olet proverbium. Pseud. 1:1. In Priapeio:

Quæ succo caret, atque petra pumex.

Eleganter, *petra pumex.* & illud *atque* dictum, ut, *Amo te atque fratrem germanum.* Vide Scalig.

18. ARIDVS] Senes præparci, dicuntur aridi. Ter. Heaut. *Sed habet patrem quendam avidum, miserum atque aridum.* Cic. pro Sex. R. *In rusticis moribus, in victu arido, in hâc horridâ incultâque vitâ.* Id. pro Quinct. *Vita horrida atque arida mihi cordi est.*

19. AIN TANDEM ITA ESSE VT DICIS. ST. TVTE] Sic Pall. sex, sic edd. omnes, postulatque ratio. Pareus tamen maluit, *Ain tandem? St. ita esi ut dicis. tute ex,* hoc ideo, quia Strobili persona extaret in V. C. At enim si illa sententia valet, debebat præterea auctoritate ejusdem codicis, coci personam præmittere illi, *tute ex*, deinde, quæ licentia est reponere *est*, ubi liber præfert *esse*? ô medicinam carnificina dignam!

20. QVIN DIVVM ATQ.] Ita J. Gul. ordinavit, clariore profectò sententiâ. quod & Douzæ probavit, & Taubmanno: minimè tamen Pareo, qui hujus transpositionis ergò, censores neotericos, ipse enim jam vetus est, palam arguit.

21. ERADICARIER] radicitus extirpari, hoc est, fortunis omnibus penitùs everti. *Sib.* Er verderbe im Grund und Boden.

22. TIGILLO] ita MSS. Cam. & sex Pall. & Lang. omnesque edd. At Turn. lib. 6: 24. Lamb. & Bosius, *tigillum*, planè rejiciunt, leguntque *ligillum*, à ligno: ut *sigillum*, à signo. Q. d. Jacturam se facere existimat, non solùm si vel tantillum ligni in foco uratur, sed etiam si fumus ex eo in auras dissipetur. Hyperbole plus quàm Poetica. Nonius l. *ligellum*, & interpretatur *tuguriolum*, perperam: nisi fortè in Nonio legendum, *tegillum*: ut sit diminut. à *tegulo*, *tegmen*, *tectum*, &c. quod Lambino videtur: vel *tigillum*: quod Douzæ, à tigno formatum, pro tecti genere exiguiore. Tibullus tamen pro perticis sive longuriis sumpsit:

Illic compositis primùm docuère tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

Catullus pro hyperthyro, quod Plauto *limen superum* dictum, &c. Vide ejusdem Præcidan. ad Petron. lib. 2:16. super istos versiculos.

Præterea quæ fumoso suspensa tigillo
Conservabat opes humilis casa.

Posset etiam pro *Transtillo*, i. longurio transverso sumi, unde lardū, succidias, tomacula suspendere solemus: nisi de sordidiss. Euclione sermo hîc esset. Quærit Lambinus, quomodo de tigillo exire queat fumus? respondet Gruterus; per caminum. *Tignum* enim & *tigillum* omne notare quod est è ligno. Dicit enim Euclio, cupere se fumum nullum exire ædiculas. Probat hoc & Rigaltius. Glossæ Philoxeni: *Tignum*, ξύλον, δοκός. Parei prima, dum *suo* ejicit editione sua pr. versum fœdè pede mutilat.

23. FOLLEM OBSTR.] Incredibile est memoratu, quàm frustrà fuerint interpretes, & præ cæteris Lambinus. Ait Comicus; Euclionem ita prodigiosè parcum ac sordidum vivere; ut, priusquam cubitum eat, follem sive *fundam* (ut Macrob. appellat) hoc est, sacculi genus ex alutâ confecti, sibimet ipsius obstringat ob gulam; suam, non follis. Notandum etiam hîc per *Inferiorem gutturem*, eâdem ferè metaphorâ, quamvis impropriè, anum sive podicem designari, quâ apud Caton. *Superiorem alvum dejicere*, i. stomachum sive adeò ventriculum nauseâ gravem vomitu exonerare, scriptum reperimus. *Superiorem* enim ad discrimen *Alvi inferioris*, qui propriè *venter*, positum. quemadmodum contrà, *Inferiorem gutturem*, hoc loco ad differentiam

rentiam *superioris*. Id quod ambitiosissimè docuit J.Douza. Porrò H. Mercurialis è Festo & Glossario leg. *tolem obst*. Est autem *toles, tumor in faucibus, quæ per diminutionem tonsillæ dicuntur*, autore Festo. Ad quem Scaliger è Glossis notat: *Tola, tolia, tonsilla, παρίσθμια*. ab eo *tolarius*, πλευροτρόφος. Cogitet lector de hâc Medici ab Italiâ curâ: & legat quæ *Lal. Bisciola* congessit tomi primi lib.3.cap.9.Hor. Subcesivar. item Isidorum lib.11.cap.1. Etiam Serenus medicus tonsillas nominavit *tolles* &c. Pareus in Electis hinc eruit, Avaros etiam saccos seu folles occludere ne spiritus evolet. intelligis'ne Lector, quid innuat?

25. GVTTVREM TVM, NE] Ita Douza lectionem Camerarii interpungit.

26. NE QVID AN.] Sic MSS. & edd.vett. nam præposuere. *Tum* recentiores. quid si potius rescribatur? *Ne quid animai forte*, ita enim versui consulatur minus violenter.

27. HÆC TE MIHI, SICVT] Jocus latet civilior. Innuit enim neutri ab altero credendum. Ita Pœn.act.2:1. *An hæc mihi non credis?* urbanè Leno respondet, *Credo, ut mihi æquum est credier*. lenoni verò parùm fides habetur. Mirè hîc satagit Acidalius.

29. PLORAT] Hor.3.Od.10.

——me tamen asperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Vide Adag. H. Junii: *Aquam plorat, cum lavat, profundere.*

30. POTESSE] Versus hyperm. de quo Lamb. in cujus duob. MSS. ita restabat: neque aliter Pal. sextus à prima aut tert. à secunda manu.

32. FAMEM] Alia hyperbole, quæ videtur superari nō posse. Nam quis unquam famem utendam rogavit, aut cum ab alio rogatus esset, negavit? L.

33. TONSOR] Ita MSS. Suspicabatur adolescens *Gruterus*, aliquanto argutius & personæ Euclionis accommodatius legi posse cum Parisino vetere Carpentarii: *tonsori ungues dempserat*. nam ut ille triparcus senex, qui famem nemini utendam daret, aliquid erogaverit tonsori, ob ungues decurtandos, non fit vero simile. utque id ei officium gratis præstiterit quis, nugæ. quin immò ipse Euclio ultrò potiùs addiit tonsoris proximā officinam, eique ungues resecuit: vel ideò forsan ut præsegmina (nihil enim avaritiæ parvum) domum referret, &c. Idem in *Suspic.* suis, de *Tonsoribus* doctissimè disserit. V. & N. Trucul.act.4:1.

A

PRÆSEGMINA] Propriè, auctore Nonio, Plautus *præsegmina* ea dici voluit, quæ unguibus eminulis præsecantur. Lex Græcolat. ἀπονυχίσματα interpretatur. Horat ad Pison. *Præsectum decies non castigavit ad unguem*. L.

35. PARCE PARCVM] ita Pall. & edd.vett. Sic Cistell. *homines misere miseri*. In Persâ dixit *Triparcum*. Sueton. *sordidum & deparcum*. Apul. *sordem infimam*. Juven. Sat.14. *minimas sordes*. Cic. τὸν μικρολόγον vertit *parcum & restrictum*. At J. Meursius mendum hîc esse putat. Quid enim, *inquit*, est aliud *parcè parcus*, quàm non liberalis quidem, sed nec planè tamen parcus? at hîc valdè parcum designare vult Comicus. Veriss. lectio est, *mortalem perseparcum prædicas*: pro, perparcum. nam *per se* pro *per*, ut *Persefacul*, pro, *perfacul* dicebant: ut patet ex Festo. Hæc ille. In Brix. & Parm. est, *mortalem præparcum pr.* Pareus Meursianum recepit in voraginem editionis suæ pr. rejecit verò secunda. qualis charybdis!

B

36. ESSE PARCVM] Odiosè sanè iteratur hîc *parcum*: & frigidè rogat, censeátne ita parcum esse, de quo dixit modò; *Edepol mortalem parcè parcum prædicas &c.* Fuit, cum corrigerem, *Censen' verò adeò esse arctum? Homines arti*, attenti & restricti in re familiari: quibus opponuntur *dissoluti*. hinc, *artè habere*, Asinariâ: *Mater illam artè contenteque habet.* Sed nunc impensè probat se mihi secunda conjectura mea; *Censen' verò adeò esse parum, & misere vivere?* An tu, inquit, etiam censes eum parum edere & Genium suum defraudare? Et mehercule convenit admodum, ut qui avidissimam parsimoniam senis audisset in fumo, aquâ, præsegminibus; idem sciscitetur, quas cænas esitet, & quâ in victu sit miseriâ. cujus rei insigne exemplum subjicit alter in Pulmento. *Miserè vivere*, est victu arido vitam colere. contrà, *benè vivere*, lautè & delicatè ætatulam curare. Cic.2.de Fin. de elegantiæ & lautitiæ exquisitæ lurconibus: *Hos ego, ait, asotos benè quidem vivere, at beatè nunquam dixerim.* Plautus utrumque conjunxit Mostell. *Me victitare pulchrè, te miseris modis*;

modis: act.1:1. J.Gulielm. *istac*: cujus emendationem arripuit Pareus prima, ejecit verò secunda: sed tamen in margine retinuit glossam primæ editioni propriam. quæ socordia!

37. PVLM. PR. EID. ERIP.] In Langianis est, *ei eripuit*. Arbitratur J.Gul. fuisse olim, *ei deripuit*. Glossæ vet. *Deripit*, ὑφαρπάζει. *deripere*, ὑφαρπάσαι. infrà 4:10. *Luce claro deripiamus aurum matronis palàm.*

38. DEPLORABVNDVS VENIT] ita Nonius planè docet suâ ætate libros habuisse, *deplorabundus venit*: & melius est. *Venire ad Prætorem, & deploratum calamitatem*; aut *injuriam suam venire*, sæpè legimus. & aliter si scribas, gratiam non habeat versu sequenti, *plorans, ejulans*: J.Gulielmius. Vulgata, *plorabundus devenit*, quomodo ferè etiam Pall. nisi quod quart: *deplorab.* sext. *plorabundus evenit*. V.C. *plorabundus devenit*. Pareus indignatur abitum à vulgata Taubmanno, & Cur, inquit, non præferremus consensum Antiquitatis figmento unius Grammatici? scias loqui cum ferula apud pueros suos, quorum nullus Orbilio suo audet obloqui.

PVLMENTVM] Inde *Pulmentarium* συγφάγιον sive προσόψημα & ἐπόψησις ac παρόψημα. Belgæ propriè *toespyse* appellant.

39. POSTVLARE] Nam Prætor actionem & judices dabat. Qui actionem habebat, ex quâ cum alio experiretur, hostem in jus vocaturus, primùm à Prætore petebat, ut liceret eum, quem libello descripserat, vadari. Prætor libello subscribebat. Plin. lib.1. Epist. *Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas.* *Vadari* autem, vel *convadari*, est in jus citare die dictâ. Hor.1.Sat.9.

——& casu tunc respondere vadato
Debebat.

i. adversario, qui eum in jus vocaverat. Curcul. act.1:3. *ubi tu es, qui me libello Ven. & c.*

40. MILVVS] ita omnes libri veteres *Lamb.* (ut ipse ait) quorum octo, habent *miliüs*. legendum enim τετρασυλλάβως *miliüs*, per διαίρεσιν. Idem dicit de suis & Lang. exempll. Gruterus. Et *Gifanius* in Indice Lucret. ostentat, *milvius* non dici, sed *milius*. Ter.Ph. act.2:2. *quia non rete accipitri tenditur neque miliüo*: sic vett. libr. & Donatus. Ovid.2. Met. in v. c. optimo: *Ut volucris visis rapidissima* A *miliüus extis*. Horat. epod.16. *Adulteretur ut columba miliüo*: sic enim ubique vett. libr. *Hac Gif.* Clangor autem miluorum (ut obiter dicam) *jugitus* dicitur, & verbum ipsum *jugere*: Gr. ἰγγίζειν, ἰγγισμὸς. Vide Scalig. ad Manil. & ad Fest.

40. MILŪVM VADARIER] à miluo vades postulare, qui illum certæ pecuniæ sponsione vadimonium obiturum præstarent. *Sib.* V. N. Curc.1.3. Persâ, 2:4.

42. CELERIOR] Furum manûs *celeres* vulgò dicuntur. quò Plautus alludit. Vide J. Gul. Pl. Quæst. in Miscellis.

44. COCVM EGO DICO] Absurdè Pareus istæc tribuit Anthraci. & tamen, qua est, aut impudentia, aut fatuitate, notare audet: Personas sic distinxi ad sensum. nam aliter distingui non posse aut debere, existimo: quidquid alii somnient. considera lector! sic ille. miseret me hominis; miseret!

43. SIC SVM, VT V.] Sumpto à Theocrito, Idyll.22. Ἄγγελος εἰ, πρὸς πάντα παλίγκοτος, ἠδ' ἀλαζὼν ὑπερόπτης. Amyc. Τοιός δ' οἷος ὁρᾷς: *J. Gruterus*. V, N. Amph. act.2:1.

45. NVNDINALIS] Quædam hic paullò altiùs advocanda, & quidem è Comm. *J. Lipsii* in lib.6. C. Taciti. Mortuis, ritu Romano, B non ante diem nonum parentabatur. Tunc iis justa, ludi, epulæ, inscriptio, & funeri finis. Donatus Phorm. *Innuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* Poeta alludit:

Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Et ab eâ mente Justinianus in Novellâ quâdam scripsit, *in nonum diem fieri μνήμας defunctorum*. Glossæ: *Novemdialia*, ἐννεάτα ἐπὶ νεκρῷ ἀγόμενα, &c. Nono ergo illo die, præter alia, cæna funebris, epulæque, &c. Eam vocat Apul. *Cœnam feralem*: item Juvenalis. Et certos quosdam cibos proprios fuisse huic mortuali cænæ, docet etiam Xiphilinus. Hancque cœnam *Silicernium* vocatam docent Nonius, Festus, Tertullianus. (V. N. Ps. 1.3.) Atque hunc morem ad Christianos etiam transiisse, Augustinus narrat, & leviter excusat, de Civ. D. lib. 9. cap.ult. &c. Plura vide apud Lipsium, qui *Cocum nundinalem* ex istis cum Festo interpretatur *feralem novemdialemq*, & *qui mortuis tantùm paret in cœnam*. Ita & *J. Douza*; His, inquit, verbis Lambi-

Lambinus quidem non tarditatem *Coci*, sed A verò ignobilitatem ejus & imperitiam sugillari existimat, ut qui Nundinis solis, cum rustici ad Leges cognoscendas & ad mercatum in urbem conveniebant; ob pretii vilitatem conducatur. Promptè quidem, & ad mentem etiam Alciati. Cæterum argutiorem sententiam subesse arbitror: ut, tametsi eò allusum videatur; rectè tamen & quasi per transennam Congrionem istum Bustuarii ordinis coquum esse, intelligi velit: quem nos *Semiresum ustorem* cum Catullo indigitare possumus, qui mortuis & jam ad rogum elatis cœnam coqueret illam feralem, quod *Silicernium* vocarunt. Quod quoniam nono die fiebat, (unde & *novendiales pulveres* apud Horat. Epod.17.) caussam joci Comico præbuit, ut *Cocum nundinalem* diceret Congrionem, quem insubidum prorsus atque imperitum, & ad visceratione illas Novendiales, & inconditas Ustrinæ sive Culinæ mortualis struices escarias, quàm ad ingeniosæ gulæ genium sapientiorem esse judicaverit. Ein Sudelkoch/Ein Sewkoch. Sententiâ coincidit cum Lipsii & Scal. in Festo. Interpretamentum unicum hujus loci est illud, Pseud.act.3:2. *Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit, Ut esset hîc, qui mortuis cœnam coquat, &c.* Porrò de *Silicernio* copiosissimè agit ibid. J. Douza, Centur.lib.1:11. quæ legere operæ pretium est, ut & *J. Kirchmanni* de Funerib.Rom.lib.4.c.5.& Jac. Gutherii c.26.lib.1.de jure Manium. V.N. Pseud. act. 1:3,

46. TRIUM LIT.] i. Fur. ut ipse Plautus explicat. Aliàs per ironiam ita dicti sunt olim, qui ingenui videri affectabant: quòd hi *Nomen, Prænomen*, & *Agnomen* tribus literis notabant: ut pro, Quinto Val. Maximo, Q. V.M. Inde Auson.in Grypho: *Tres Equitum turmæ: tria nomina Nobiliorum.* Et Juven. Sat.5. *Tanquam habeas tria nomina.*

47. ME VIT. FUR, ET.] ita Personas aptissimè disposuerunt Grut. & Acid. Atque illa postrema continuè Anthracis esse, etiam illud docet, quòd Sc. seq. desinere tandem convitium jubetur.

ACTUS II. SCENA .V

STROBILUS, ANTHRAX, CONGRIO.

TACE nunc jam tu: atque agnûm horum uter est pinguior.
COC. Licet. ST. tu Congrio eum sume, atque abi
Intrò illuc: & vos illum sequimini.
Vos cæteri illuc ad nos. ANT. hercle injuriâ
Dispertivisti: pinguiorem agnum isti habent.
STR. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I sanè cum illo Phrygia. tu autem Eleusium
Huc intrò abi ad nos. CON. ô Strobile subdole,
Huccine detrusisti me ad senem parcissimum?
Ubi si quid poscam, usque ad ravim poscam, prius
Quàm quicquam detur. ST. stultus & sine gratiâ es!
Tibi rectè facere, quando quod facias perit?
CON. Qui verò? STR. rogitas? jam principio in ædibus
Turba istic nullâ tibi erit: si qui uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poscere.

Hic

Hic apud nos magna turba, ac magna familia est,
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea:
Ibi si perierit quippiam (quod te scio
Facilè abstinere posse, si nihil obviam est)
Dicant; coci abstulerunt; comprehendite;
Vincite; verberate; in puteum condite.
Horum tibi istìc nihil eveniet: quippe qui
Ubi quid surripias, nihil est. sequere hàc me. CON. sequor.

V.I.

TACE] In quibusdam libris hæc Scena priori conjungitur.

1. PINGVIOR,] sc.dic. *L.D.* & ita legitur in vett. edd. & Pal. sexto. namque quar. *agnum hunc horum uter.* Cæteri, *agnum hunc uter.* At *Gruterus* putat hæc adhuc pendere ab eis quæ sequuntur versu proximo, *tu Congrio eum sume*: ideoque illud Coci, *licet*, sic veluti per parenthesin dictum, accipiendum. Idem non veretur rescribere suasu V. C. Cam: *atque agnum hinc uter est pinguior* &c. sensu liquido, si jungantur seqq.

2. LICET] i. facile est mihi: possum, sc. vel tacere, vel dicere uter agnorum sit pinguior, L. At verò *Meursius*, Hactenus, *inquit*, non intellectus locus. Sciendum, *licet*, antiquâ scribendi ratione *liquet* significare. Monet Anthracem, ut à conviciis sibi temperet, rogatque uter agnorum esset pinguior. ad quod ille respondet, *liquet*. Habetque plus stomachi ea vox, quàm si dixisset, *iste*, vel *ille*. Vult enim dicere, Quid, malùm, me id rogas? ipse facilè potes videre. Nos quoque eodem cum affectu dicimus, Dat siet ghy wol. *Grutero* tamen hoc minimè omnium liquet, nescio an aliis. mihi tamen, ut verum fatear, non planè displicet. Acidalius legit: *ANT. Hic est. STR. tu Congr.*

2. SVME, ATQVE ABI] versuum caussa mediæ ætatis editores interjecerant, *sume actutum tibi.* sed sic nullus liber vetustior.

6. PINGVIOR TIBIC.] Tibicines enim, quia sacrificiis frequenter adhibiti, pingues fiebant. Hinc & Virgil. 2. G. v. 193.

Inflavit quum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras &c.

ubi Serv. notat, *Pinguis*, scilicet victimarum carnibus: & hunc locum citat. Eadem & Junius Philargyrus.

7. PHRYG.] Tibicinæ aptum nomen, nam tibiæ in Phrygiâ inventæ. Tibul. -*nam*

A *turba jocosa Obstrepit, & Phrygio tibia curva sono.* L.

8. ABI] V. Ed. habent, *abidum ad n.* quod Lambinus rejicit: J. Gul. contrà adserit.

AD NOS] ædes Megadori: L.

10. POSCAM VSQVE AD RAVIM POSCAM PRIVS] Ita constanter duobus Locis Nonii, neque recedunt ejus mss. Lang. tamen & Edd. v. *poscamus ad rabim poscamus*, sicque Pall. quoque. sed id versui nocet. Videatur Mercerus. qui affirmat nostram illam lectionem agnoscere lacunas Festi. sicque dudum conjecerat apud Taubmannum in editione prima Gruterus, ex ductu literarum V. C. qui, *ubi si quid poscamus qua ad arabim poscamus.*

RAVIM] Nonius: *Rabis, est raucitas.* Glossæ, χόρυζα. Isid. *Rabit, i. raucè loquitur.* Lucill. *Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste*: Scal. Festo. V. N. Pœn. 3. 5.

11. STVLT. ET S. GR.] i. stultus es, & ingratus: Cam. At J. Gul. l. *stultu's, & sine gratiâ est*
B *Tibi r. f. &c.* Stultus es, inquit; & frustrà est beneficium in te conferre, qui id neque intelligas, neque referre scias. Quanquam sententia γελοιωτέρα sit futura, & aliquanto illustrior, si scribemus. -*sine gratia est Ibi r. f. &c.* At Acidalius leg. *stultum est. & sine gratiâ, Te ibi r. f.* Atque ita numeri etiam integriores. D.F. leg. *stultum & sine gratia est.* Atque ita in Pall. quinto ac sexto esse, & reponendum, monet *Grut.* Nisi, inquit, malimus sentire cum cæteris liberis adjiciendâ tantùm interrogationis notâ (quæ in 5. meis clara est) sic: *stultus & sine gratiâ es: Tibi rectè facere, quando quod facias perit?* & eam quidem quoque libro suo appinxerat Jos. Scaliger.

12. TIBI R. FACERE] scil. aliquis debeat? &c. Cam.

14. SI QVI] omn. MSS. & edd. ante Cam. *si quid*: sed versui officit, retinuit tamen Pareus,

5. CERERINE] Miris se modis hîc torquet Lambinus, propter illud Caton. cap. 134. *Exta Cereri & vinum dato.* Sed hunc nodum incidit Servius ad illud Georg. 1. v. 343. *Cuncta tibi Cererem pubes &c.* sic annotans: *Superfluum est, quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Virgilium, licere Cereri de vino sacrificari. Pontificales namque hoc non vetant libri. Quod autem ait Pl. in Aul cujus ipsi utuntur exemplo*: Cererin' nuptias facturi estis? quia temeti allatum nihil intelligo: *non est huic loco contrarium. nam aliud est Sacrificium, aliud Nuptias celebrare, in quibus reverà Vinum adhiberi nefas erat, quæ Orci nuptiæ dicebantur, quas præsentiâ suâ Pontifices ingenti solemnitate celebrabant.* Non igitur festum illud annuũ Ambarvaliorum amœnissimum confundatur cum nocturnis istis θεσμοφορίοις: quæ solemnitates prorsus erant abstemiæ ac sine temeto. ex quâ θυσίαι νηφάλιοι Græcis dictæ: ad quas hîc Plautus respexit. *Hæc è Douzæ Centur. excerpsimus*, ubi doctissimè totam hanc rem explanat, ac Macrobii & Lamb. hallucinationes detegit. Ad locum Macrobii lib. 2. c. 2. quod attinet, eum Meursius ita restituit: *Cereri deæ vinum libari nefas erat in nuptiis.* Monetque apud eundem l. 3. c. 11. hunc v. ita legi, *Cererin, mi Strobile, hi sunt facturi nuptias?* Et veram esse lectionem: quòd Plautini codices tum temporis longè emẽdatiores. Et certè in Parmensi; expressè ita legitur. Vide & Alexand. ab Alexand. l. 6. c. 19. Genial. dierum, & in eum Not. Tiraquelli.

HAS FACT.] ita fere MSS. omnes, & primæ editiones: *Cererin, Strobile, has f. n.* Adspiratio producit ultimam in *Strobile*. Palm. legit *estis facturi nuptias?* Sed nihili correctio; quemadmodum & illa altera à Meursio prodita, inque textum recepta à Pareo. nam edd. illæ in quibus talis scriptura, passæ mangonium: iisque Macrobii editores usi, tanquam castigatissimis.

6. TEMETI] Rara decôri observatio, quam nusquam (Invidiâ gemente hoc dicam) temere Plautus neglexit; nedum in persona anili: quod genus ille multibibum ferè ac merobibum inducere amat: *Douza*. Produxit primam & sec. in *Temetum* Horat. 2. ep. 2. Jos. Scaliger, Melissus, alii. ut mirer quid cogitarit accuratissimus aliàs Muretus, qui in *Galliambo* contrarium ausus sit; certè perperàm.

8. CO, SVNT ASSERES? &c.] Ita *Personas* ingeniosissimè restituit Pistoris. Et vidit etiam Acidalius vulgatum minus convenire. Lambini hallucinationes, & Douzæ argutias omittamus. Nam unde hic sciat, ex coqui mercede partem vendicasse Strobilum? omnino melius Coquo tribuuntur illa, *Sunt asseres?* &, *sunt ig. ligna.* planè ex disciplinâ coquorum, qui undiquaque alimenta suo igni corripiunt.

10. QVANQ. VVI. C.] Significat, tantas ejus impuritas esse, ut ne ignis quidem, cujus vi solidissimorum quoque corporum metalla defæcatiora redduntur, illis purgandis unquam sufficiat, tametsi eum (ignem) in præfecturâ suâ focariæ provinciæ semper colat ac tractet. *e Douzæ Cent.* Sed nimis subtiliter. Lambinianæ interpretationes simpliciores sunt.

11. CÆNÆNE] MSS. Cam. & Lang. & Edd. quædam vett: *Cœnæne*, minus venustè.

11. TVÆ MERCEDIS] manupretii, hoc est, nummi illius binos circiter aureos nostrates pendentis, quâ Coci antea à Megadoro conducti fuerant. *D.*

ACTUS II. SCENA VII.

PYTHODICUS servus.

CURATE. ego intervisam quid faciant coqui:
Quos pol ut ego hodie servem, cura maxima est.
Nisi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant.
Inde coctam sursum subducemus corbulis.

Si autem deorsum comedent, si quid coxerint,
Superi incœnati sunt, & cœnati inferi.
Sed verba hîc facio, quasi negotii nihil siêt,
Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus.

V.3.

NISI UNUM H.] V.N. Sticho act. 2.1.
3. IN PUTEO] V.N. suprà, 2.5.
5. DEORSUM] *Deorsum*, heic non motum, sed quietem significat. Varro: *Qui colunt deorsum, magis æstate laborent; qui sursum, magis hieme*, L.D.
6. INCOENATI SUNT] ita MSS. Cam. & Lang. & Edd. vulgò, *sint*.
SED VERB.] ita Grut. ex V.C. ubi fet ea abbreviatione, quæ etiam non attendentibus exhibeat, *Si* unde Pall. *Sic* ut & prius cusi.
8. RAPACID.] *Rapacidas* extulit pro rapacibus, patronymici more ludens: ut pro *Scipionibus* dicuntur *Scipiadæ*: & jocando fecit, ut furacissimum genus coquorum putemus, quasi familia sit *Rapacidarum*, ut *Æacidarum* aut *Pelopidarum*: Turn. l. 24,23.

ACTUS II. SCENA IIX.

EUCLIO, CONGRIO.

VOLUI animum tandem confirmare hodie meum,
Ut benè haberem filiæ nuptiis.
Venio ad macellum, rogito pisces. indicant
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eò fuerunt cariora, æs non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil est qui emam.
Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
„ *Occœpi: FESTO die si quid prodegeris,*
„ *Profesto egere liceat, nisi peperceris.*
Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Accessit animus ad meam sententiam;
Quàm minimo sumtu filiam ut nuptum darem.
Nunc tusculum emi, & hasce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco nostro Lari.
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædis nostras conspicor?
Et strepitus est intus? numnam ego compilor miser?
CON. Aulam majorem si potes, vicinia
Pete: hæc est parva, capere non quit. EV. hei mihi,
Perii herclè! aurum rapitur, aula quæritur.
Nimirum occidor, nisi ego intrò huc properè propero currere.
Apollo, quæso subveni mihi, atque adjuva:
Confige sagittis fures thesaurarios:
Cui in re tali jam subvenisti antidhac.
Sed cesso priùs, quàm prorsus perii, currere?

UT

VT BENE HABEREM FILIÆ NVPTIIS] ita consensu omnium. MSS. & edd. vett. nisi quod V. C. lineas scriptum habeat, *habere me filiæ*. recentiores intulere de suo, *Vt bene haberem meæ me filiæ in nuptiis*. Simplicior forsan fuerit medicina; *Vti bene haberem filiai nuptiis*.

V. 3. INDICANT] V.N. Persâ, 4: 4.

7. QVI EMAM] i. unde emerem. L.D.

8. ADII MAN.] V.N. Pœn. act. 2.

9. INTER VIAS] valet μεταξὺ πορευόμενος. (unterwegen) ut *inter cœnam*, μεταξὺ δειπνῶν. Ita apud Sueton. *Inter vicos*, &, *inter vias*, est, in viis urbis, & ad urbem. *Casaubon*. V. N. Pœn. act. 5: 3.

10. PRODEGERIS] profuderis. *Prodigitas*, Livio; *Prodigentia*, Tacito est profusio.

15. NVNC TVSCVLVM] observat decorum in sene triparco. Ita nostrates Euclones dicunt, Man muß die Hesterichen zu raht halten: si vel sint massæ argenti. Jam, ad hunc ritum quod attinet, docuit *J. Meursius*, Pilumnum (ut rem paulò altius repetam) cum Romulo Quirino, Picumnum verò cum Marte Silvano domestico eundem esse: eosque deos conjugales habitos: lectos iis stratos, & vota facta. Picumnum *Præstitem Larium*, & *Larem* κατ' ἐξοχὴν appellatum; (ut Plutonem Manium, Jovem deorum, Janum Geniorum) Parentesque eo nomine liberos in matrimonium elocaturos, ut benè nuptiæ cederent, sacra ei fecisse: ut hîc Euclionem. Nec alium debere intelligi in illis Mercat. act. 5: 1. *Dii penates meûm parentum, &c.* Pilumnum verò eundem cum Genio maritorum esse, & custodem puerperarum, &c. Porrò, Lares in nuptiis coronari, felicis eventûs caussâ, docet etiam *Jac. Durantius*, Var. lib. 1. cap. 19.

16. NOSTRO LARI] Penatum & larium sedes in privatis ædibus non una. Colebantur maximè in foco: item in cubiculo: sæpe in parte aliquâ atrii; puta in compluvio, vel in porticu compluvio adjunctâ. De quo *Casaub. 2. ad Suet.* Cur autem Lar dicatur *Noster*, vide Bacchid. act. 2: 1.

20. SI POTES,] ita MS. Cam. & editi ante Pium, *si potes, viciniâ Pete*. ita & Basil. & Veneta mea. alii MSS. habent, *viciniam*: (ita & Carp. & Brix.) quomodò sanè Pall. omnes; non malè etiam, *Grutero* auctore. Immò, si me audis, unicè rectum. Omnes autem universi libri, *potes*; nullus, *pote*, aut, *pote ex*: quomodo Douza edidit secutus Lambinum. Cæterùm de *potis* & *pote*, V.N. Pœnulo, 1: 2.

21. CAP. NON QVIT.] quod coquendum est. οὐ δύναται χωρεῖν. L.

22. PERII H.] *J. Gul.* è Brix. in quâ est, *hodie*, facit, *Pery, ô dy! aur*. Et servit illa exclamatio summo dolori, &c.

23. NIM. OCCIDOR.] In MS. Herald. est, *occidi*, ut & aliquot Pall.

23. PROPERE PROPERO C.] ita MSS. Cam. & Langii. quod & J. Gul. notat. Et addit, Plautum senariis jambicis admiscuisse septenar. trochaicum, ut properationem senis carmine ipso concitatiore exprimeret. At *Meursius* ex iisd. Lang. constituit octonarium;

—— *huc properè properè cucurrero.*

Sanè & Popma *properè properè* agnoscit. Pall. tamen & edd. vett. *Nimirum occidor, nisi ego intrò propero currere.* & videtur sanè germanius.

24. APOLLO] Apollinem invocat, ut ἀλεξίκακον & malorum depulsorem. Ita Macrob. l. 1: 17. Saturn. & Meursius docent, Apollinem dictum antiquitùs *Apellinem*, *quasi mala apellentem*.

25. CONFICE SAG.] Est enim jaculator Apollo: Græcis, ἑκηβόλος, ἑκατηβελέτης, & ἕκατος. ἑκάεργος &c. ita Horat. 1. Satirâ 9. *Si me servavit Apollo.* vide & Turn. l. 6: 24.

ACTUS II. SCENA IX.

ANTHRAX.

DROMO, desquama piscis: tu Machærio
Congrum, murænam exdorsua, quantum potes:
Atque omnia, dum absum hinc, *exossata fac sient.*

Ita me miserum & meos discipulos fustibus malè contuderunt.
Totus doleo, atque oppidò perij, ita me iste habuit senex gymnasium.
Attat, perij hercle ego miser. aperit Bacchanal. adest!
Sequitur! scio quam rem geram: hoc ipsus magister me docuit.
Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulchriùs:
Itaque omnis exegit foras, me atque hos onustos fustibus.

VERSUS quadrati, recidentes ad formam Hipponacteorum: quam & sequentis Scenæ versus referunt. Sunt tamen in his confusi numeri, & plerique βραχυκατάληκτοι.

V. 1. OPTATI] *Optati cives* sunt vocati & implorati: *Populares* autem, quos δημότας Græci appellant. Turn. 24:23. *Populares* in Glossar. sunt etiam στρατιῶται, à populando. *Herald.*

2. DATE VIAM] Hâc voce monebant Lictores populum Magistratibus viâ decedere, DATE VIAM CONSULI. Curcul. act. 1. sc. ult.

3. BACCHANAL] ita Prudentio dicitur *Virginal*, ὁ παρθενών, locus in quo virgines versantur.

3. COQUINAT.] V. N. Pseud. 3:2. Festus videtur legisse, *Coquitatum.*

5. GYMNASIUM] ita senex sese in me verberando exercuit. *Vel:* ita ego isti seni pro gymnasio fui, in quo se exerceret: L. Asin. 2:2. *gymnasium flagri.*

6. ME MISERUM] Pronomen *me* exclusit editione postrema Pareus, contra scriptos impressosque, imò numeris invitis.

6. APERIT B.] Ita omn. MSS. Gruteriani, item Sambuci: quod omninò probat & Meursius: ut sit ὀργιασμός. Idem in MS. Lang. utrobique hic legi notat *Bacchinal*: sicut *Fontanalia* & *Fontinalia*, dicebãt. Etiam Grut. monuit, in sex suis restare, *Bachanal*, in duob. *Bacchinal.* Palmerius emendabat: *Attat p. h. miser. ab perij: Bacch.*

7. IPSUS MAG.] quid agere debeam, docuit me ipse Euclio, fustibus nos insectans & verberans. Versuum ordinem Acidal. sic disposuit, planiss. sententiâ. Gymnasium. Neque ligna &c. Itaque. &. Attat. &c. Sequitur &c.

8. NEQ. EGO LIG.] Jocus ex ambiguo. q. d. Anteà ligna ad ravim usque poscebam: sed advenit tandem senex, qui *pulchrè*, i. largiter præbuit ligna, non quidem ad obsonium coquendum; sed fustes, quibus capita mihi meisque contunderet. *Ex L.*

8. PRÆBERI] *Præbere ligna*, dictum, ut *præbere salem, oleum &c.* παρέχειν, ex quo πάροχοι: Horat. 1. Sat. 5.

Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & parochi, quæ debent, ligna salemq;.

Sic Cic. de suâ continentiâ in Provinciâ, ad Att. lib. 5: *Scito, non modò nos fœnum, aut quod lege Juliâ dari solet, non accipere; sed ne ligna quidem, &c.* Ad quod, mirum est, ni à Plauto allusum sit hoc loco. *Donza.* Ergo qui præbet, etiam debuit. Capt. *præbere populo fœtidos pisces.* Cic. Piso: *catervam Imperatori suo novam præbere.* Proper. 2. el. 7: *Unde mihi patrijs natos præbere triumphis?* debemus enim reipubl. natos. ibi Passerat.

ACTUS III. SCENA II.

EUCLIO senex, CONGRIO.

REDI. quò fugis nunc? tene! tene! CON. quid stolide clamas?
EU. Quia ad Tresviros jam ego deferam tuum nomen. CON. quamobrem?
EU. Quia cultrum habes. CON. cocum decet. EU. quid, comminatus
Mihi? CON. istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
EU. Homo nullus est te scelestior qui vivat hodie,

Neque

16. TUTOR.] quasi puero impuberi. L.

17. HIC COENAM] Parei editiones abjecere *hic*. nolentibus libris omnibus, & gemente versu.

19. UTINAM M.] Hic versus Camerario mutilus videtur. non etiam Pareo; cùm non egatur aliter in omnibus MSS. & sensus optimè constet. quæ argumentatio!

20. ME HAUD P.] i. me, aut meis bonis contentus vivo. Cam. suspicatur leg. *meùm*, pro *meorum*. Matth. Klock JC. l. *Mea haud æsus est, ne tua expetam.* vel cum Interrogationis notâ: *Mea haud æsus est, tuáne expetam?* i. Quid mihi frivola tua optem, cùm amplissima mea abuti non possim? Sed audacior videtur correctio, præsertim libris destituta.

22. SEQUIUS] Vestigia veteris scripturæ in V.C.Cam. erant: *sequi usquam velles.* hinc Grut. & Ritt. *sequius quàm v.*

24. PERVIAM F.] Adverb. est: ut, *obviam.* Turn. l. 14: 5. Sed tamen MS. Cam. & omnes edd. ante Lamb. leg. *pervium.* licet in tribus Pall. MSS. etiam sit *perviam*. Grut.

28. HUC ACCESSER.] J. Gul. l. *hoc*: & δεικτικῶς à sene dictum censet, *hoc propiùs*: ut Mostell. *Abeamus hinc nos. TR. non hoc longè.*

29. MORTALIS] ita Editt. priscæ & MSS. omnes, *miserrimus mortalis uti sis*. Grut.

31. LAVERNA] Invocat deam furum, subindicans Cocos esse fures. L. adeantur fragmenta Plauti, in Cornicularia.

32. PIPULO D.] i. *convitio, declinatum à pipatu pullorum*: Varro lib. 6. Ad quod Scaliger: πιππακύειν dixit Aristophanes, *Equitibus*. fictum & ipsum à cantu gallorum, ut & illud à pipatu pullorum. *Pipare* Osci dicebant, pro eo quod est ejulabundè conqueri. Ab eo Cocus iste, *Pipulo differre* dixit: pro quo erat in XII. Tabb. *obvagulari*. V.N. Merc. 2: 3. *Differre*, inquit Non. *etiam est dif*A*famare.* Lucillius: *Et maledicendo multis sermonibus differs.* Germ. Einen außtragen / außschreyen. In MSS. tamen Cam. & Lang. *populo* legitur: bono itidem sensu. Sed tamen Pall. aliquot, item antiquitus cusi alterum tuentur. Porrò *Revard.* ad L. XII. tabb. c. 11. Olim, *inquit*, cui testimonium deerat, hoc est, qui suam intentionem nullo poterat testimonio confirmare, is die tertio *ad ædes adversarij obvagulatum ibat*, id est; adversario justum, testibus adhibitis, convicium faciebat. Veluti; si quid esse in tuis ædibus contenderem, quod cùm verè ad me pertineret, tamen apud te esse nullo testimonio poteram demonstrare, illudque mihi restituere uno & altero die rogatus omninò recusares, permisêre Decemviri, quandoquidem deficiente testimonio, inutiliter jure aut lege ageretur, tertio die ad ædes venire, ibiq; ante tuas ædes rem meam repetere cum convicio: sive, ut utar Plauti verbis, *te pipulo ante* B *ædes differre.* Nam planè idem est, *ob portum* (i. *ad domum*; Festus,) *obvagulare*, vel *obvagulatum ire*, in lege Decemvirali; &, *pipulo aliquem ante ædes differre*. Lege vel totum caput. Vide tamen etiam quæ de pipulo Becmannus in Origg. L. L..

32. TE IAM &c. TE ANTE] *Te, te*, iteratum: quod veteres solebant. Ita Captivis: *Hinc alio pacto abire hinc non potes.* Ulpianus D. De extraordinariis cognit. *Si imprecatus est; si, ut vulgari verbo impostorum utar, si exorcizavit.* Vide Auf. Popmam, *De usu antiq. locut. lib. 2. c. 9.*

33. NE EGO ED.] Lamb. ut & Grut. è vett. edit. & MSS.

34. NUMMO] non sestertio, sed aureo, qui valebat paulo plus duobus aureis nostris: ut ego & *Cl. Tenevinus*, qui mihi aliquot ostendit, ex pondere existimavimus: *Lamb.* V.N. Pseud. act. 3: 2.

ACTUS III. SCENA III.

EUCLIO, CONGRIO.

HOC quidem hercle, quoquò ibo, mecum erit, mecum feram:
Neque istuc in tantis periclis unquam committam ut siet.
Ite sanè nunc jam intrò omnes, & coqui, & tibicinæ.

 Etiam

Etiam introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc jam quantum lubet.
CON. Temperi: postquam implevisti fustibus istorum caput.
EV. Intrò abi. opera huc conducta est vestra, non oratio.
CON. Heu senex! pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.
EV. Lege agito mecum, molestus ne sis: i & cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. CON. abi tu modò.

RVrsum manifestum versuum genus τετραμέτρων καταληκτικῶν τροχαϊκῶν.

V. 2. VI SIET] Requirit istud omninò ratio versus, neque aliter etiam MSS. aut Edd. vett. Parei tamen utraque præfert, *ut stet.* quæ protervitas!

4. VENALIVM] servorum, qui plerique fures. L.

6. IMPLEVISTI] Versus iste debitus Camerario. Palm. l. *Postquam impluisti fustibus istorum in caput.* Sic Most. 4: 1. *Malum cùm* A *impluit cæteris, non impluit mihi.* Quod non admittit *Gruterus*, cùm habeamus disertè Casinæ, 1: 1. *implebo flagris.* Hæret idem tamen circa lectionem vulgatam. nam Pall. sex, hujus versus nihil habent, præterquam, *Hem perij.* at vero V. C. Cam. repræsentat eum ad oram manu eàdem quá priora scripta erant hanc formam: *Temperi, postquam implevisti fustisissorum caput.* & sanè *fustisissores* isti nonnulli forsan haud displicebunt.

LEGE AG.] V. N. Mil. 2: 5.

ACTUS III. SCENA IV.

EVCLIO.

ILLIC hinc abijt. Di immortales, FACINVS audax incipit,
„ Qui cum opulento pauper homine cœpit rem habere, aut negotium.
Veluti me Megadorus tentat omnibus miserum modis:
Qui simulavit, mei honoris mittere huc caussâ coquos,
Is eâ caussâ misit, hoc qui surriperent misero mihi.
Condignè etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penissimè.
Vbi erat hæc defossa, occœpit ibi scalpurire ungulis
Circumcirca. quid opus est verbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.
Credo ego edepol illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palàm fecisset. exemi ex manu manubrium.
Quid opus est verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus meus affinis eccum incedit à foro.
Jam hunc non ausim præterire, quin consistam & colloquar.

COEPIT REM HABERE AVT NEGOT.] Ita B MSS. Pall. omnes & edd. vett. sed enim cùm metrum sit justo longius, suspicer *habere* à glossa. certè Pal. quart. initio habuit *agere*, ut videatur, ut dixi, adjectum à Librariis. Cujacius Comment. ad titul. D. de

de in integr. restit. Dubitatum, *inquit*, olim A fuit inter prudentes, utrum *rem* an *litem* dici oporteret &c. *Negotium* aut res apud Plaut. legitur. *Vide ibid.*

V. 3. ME] Alio positu vox ea extat in omnibus MSS. & edd. solùm Pareus exclusit, versus detrimento insigni.

7. PECVLIARIS] in peculio ancillæ Staphylæ. Asin. 3: 1.

7. PÆNISSIME] i. pænè nihil abfuit, quin me perderet. à *pænè* formatum: ut docet Lips. Epist. Quæst. lib. 3: 12. infrà act. 4: 6. V.C. habet, *penissimè*.

8. SCALPVRIRE] Acid. *Scalpturrire*.

9. PERACVIT] peracre seu peracidum factum est. i. irâ acerrimâ incensum. à *peracesco*: L. Bacchid. *Hoc, hoc est, quod peracescit &c.* Apulejus *inacesco*, paullo aliter, lib. 5. Met. *Ac si tibi etiam, ut par est, inacuit nostra contumelia &c.*

12. EXEMI.] furibus occasionem inveniendi thesaurum præripui. Vide Erasmi Adag. Notat *Meurs.* in v. c. legi, *manubium.* quo nihil, ut ait, melius est. quomodo *menda* & *mendum*: *testa*, *testum* dicebant: ita *manubia*, *manubium*, &c.

AFFINIS] i. gener. L.

ACTUS III. SCENA V.

MEGADORUS, EUCLIO.

NARRAVI amicis multis consilium meum
De conditione hâc. Euclionis filiam
Laudant. sapienter factum & consilio bono!
Nam, meo quidem animo, si idem faciant cæteri,
„ OPULENTIORES pauperiorum filias
„ Ut indotatas ducant uxores domum;
„ Et multò fiat civitas concordior,
„ Et invidiâ nos minore utamur quàm utimur;
„ Et illæ malam rem metuant, quàm metuunt, magis.
„ Et nos minore sumtu simus, quàm sumus.
„ In maximam illuc populi partem est optimum.
„ In pauciores avidos altercatio est;
„ Quorum animis avidis, atque insatietatibus
„ Neque lex, neque tutor capere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat; Quo illæ nubent divites
Dotatæ, si istud jus pauperibus ponitur?
Quò lubeat nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent pro dote quos ferant, quàm nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sient viliores Gallicis canteriis.
EV. Ita me di amabunt, ut ego hunc ausculto lubens.

Nimis lepidè fecit verba ad parcimoniam.
ME. Nulla igitur dicat; Equidem dotem ad te attuli
Majorem multò, quàm tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquum est purpuram atque aurum dari;
Ancillas; mulos; muliones; pedissequos:
Salutigerulos pueros; vehicula quî vehar.
EV. Vt matronarum hic facta pernovit probè!
Moribus præfectum mulierum hunc factum velim.
ME. Nunc quoquò venias, plus plaustrorum in ædibus
Videas, quàm ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum est, præ quàm ubi sumptus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;
Caupones patagiarij, indusiarij,
Flammearij, violarij, carinarij,
Aut manulearij, aut murrobathrarij,
Propolæ, linteones, calceolarij,
Sedentarij sutores, diabathrarij,
Solearij astant, astant molochinarij,
Petunt follones, sarcinatores petunt,
Strophiarij astant, astant semizonarij.
Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt.
Treceni cùm stant phylacistæ in atrijs,
Textores, limbolarij, arcularij ducuntur: datur
Æs. jam hosce absolutos censeas,
Cùm incedunt infectores crocotarij,
Aut aliqua mala crux semper est quæ aliquid petat.
EV. Compellarem ego illum, ni metuam ne desinat
Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.
ME. Vbi nugigerulis res soluta est omnibus,
Ibi ad postremum cedit miles, æs petit.
Itur, putatur ratio cum argentario.
Impransus miles astat, æs censet dari.
Vbi disputata est ratio cum argentario,
Etiam plus ipsus ultrò debet argentario.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæc sunt atque aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, sumtúsque intolerabiles.
„ *Nam QVÆ INDOTATA est; ea in potestate est viri.*
„ *Dotatæ mactant & malo & damno viros.*
Sed eccum affinem ante ædes! quid ais Euclio?

VERSUS sunt Trim. jamb. acatalect.

DE COND.] C. Rittershus. l. *De conditione hâc Euclionis filiæ. Laudant*: *s*. In Pall. MS. quinto, & à correctoris manu pr. est, *De conditione ac Euclionis filiâ.* quòd vix est, ut non probet *Gruterus*. Ego MS. Cam. exhibui. nisi quod post vocem *hâc* nulla ibi interpunctio est. Jam *Conditionem* pro conjunctione spônsaliorum & nuptiarum dici, multi notarunt, inprimis Barnab. Brissonius. Festus: *Conventa conditio dicebatur, cum primus sermo de nuptiis & earum conditione habebatur.* Id etiam simpliciter, ait Scalig. *Conditio* dicebatur: unde formula Repudii; *Conditione tuâ non utor.* Et quod dicebatur; *Parentes liberis suis conditiones quærere.* Ita pro hac ipsa pactione nuptiarum, auctore Sibero, accipiendum vocabulum *Conditionis* Lælio Ciceronis: & nihil erit ibid. turbæ. V. N. Sticho act. 1:2.

5. OPULENTIORES] Hanc sententiam è Plat. lib. VI. de Repub. expressam, notat P. Victor. lib. 24: 22. & P. Colv. ad illa Apul. de Philosophiâ: *Quare & dites inferiores nuptias non recusent, & locupletium consortium inopes consequantur, &c.*

8. M. IN. VTAMUR] minus invidiosi simus: L.

9. MAL. REM] quasvis malas artes, ad quas se mulieres applicant, Pistoris intelligit. Et Pronomen *illæ* non ad pauperes tantùm, sed generaliter ad omnes mulieres refert: quæ si indotatæ nuberent, semper magis obsequentes essent viris, minusque arrogantes, & minori etiam sumptui.

9. Q. METUUNT, MAGIS.] *Gruterus* notat in omnibus Palat. Codd. ut & Cam. legi, *magis*: quomodo & in suis extare affirmat Lamb. excepto uno, qui leg. *minùs*: quod & explicare conatur: sed minus bellè. nam fœminæ magis metuunt malam rem, hoc est, supplicium; ac, per consequens, magis abstinent à peccando, ubi minus ipsis licet: ubi non audent animos sumere à crimine: ut porrò Grut. explanat.

11. IN MAX.] Illud nempe, divites indotatas uxores ducere, maximæ pòpuli parti est utilissimum. quia scilicet multò ferè plures sunt in omni civitate pauperes, quàm divites. L.

A 12. IN PAUC.] Sententia est: Non est dubium, quin si fiat, quod dico, major pars populi probatura sit. Restant nunc pauci locupletes & avari, quibuscum controversia mihi futura est, qui hoc non probabunt. L.

17. INSATIETATIBUS] Tale est Trin. *inconsultu meo.* Lucr. 1. *Tactus corporibus cunctis, intactus inani.* Sall. *incultus*, iis tale illud, *injussu meo.* L.

14. CAPERE] i. concipere, seu constituere: D. Palm. l. *cápere*: (quod & Meursio placet. quanquam & *pacere* leg. censet: ut Hor. dixit, *Figere modum*, item Arnob.) hoc enim propriè Legum & ICtorum ac tutorum. Itaque Cic. pro Mur. ICtos appellat *formularum cautores.* Et tertiâ inflectione hoc verbo usos veteres, docet etiam Scalig. ad Tibull. lib. 1: 4.

15. NAMQUE HOC] Meursius corrigit, ——*Quoi illæ n. d.* Deinde, *Quoi lubeat n. d. d. ne fuat comes.* Nam *fuo* pro *sum* etiam alibi, sed & Terent. uti ait. At *Grutero* nihil videtur sincerius lectione Cam. vulgatâ: si modò *Qui* capiant homines pro *Quis*, & facilioris intellectûs caussâ, subintelligant voculam, *ut*: ut hoc modo: Namque ut hoc quis dicat, *quò illæ nubent &c.* Itaq; non est cum Lamb.

B edamus: *Nam quod qui d.*

17. QUO LUBEAT] Sinceritas hujus loci debetur Camerario. ante eum legebatur, *Quo jubeant.* quod & in MSS. Pall. nisi quod V. C. à manu prima, *lubeant.* sed meritò istud improbar..nt Lambinus, Dousa, alii. Parei tamen palato magis sapuit alterum, revocavitque scripturam jam sexaginta annis jure suo damnatam; totius sententiæ malo. quid enim hîc facit *jubeant*?

17. COMES] q. d. dotatæ uxores, dote fretæ, viris imperare volunt, &c.

20. EGO FAXIM] Prisca quidem, non injucunda tamen, nec inamæna loquendi ratio, *Faxim sit vilior*, pro, fiet, eveniet ut sit vilior. Persâ, act. 1:2: Prol. Capt. *-ego faciam, ut p. &c.* Turn. lib. 6: 26. & l. 14: 7. V. N. Cas. act. 5: 2.

20. MULI] Mulis mulabusque plurimùm usi sunt veteres, ad carrucas trahendas, quibus plerunque insidebant honestiores matronæ: ut & hodie moris est. Scævola: *Quæsitum est, an carruca dormitoria cum mulis, cum semper uxor usa sit, debeatur. Respondit, si ejus usûs caussâ habita esset, deberi.* Et idem

 Multo-

Muliones de urbano ministerio, Paullo L.99. de Legat.lib.3. Martal.lib.3:62.

Aurea quòd fundi pretio carruca paratur:
Quod pluris mula est, quàm domus empta tibi.

21. GALLIC. CANT.] *Equi Gallici* haud magni tum erant pretii. multò igitur viliores cantherii: cum equi semper sint meliores & animosiores: L. Festus: *Cantherius hoc distat ab equo, quod majalis à verre, capus à gallo, vervex ab ariete.*

23. FACIT V. AD PARSIM.] Ita Symmach. 4. epist.56. *postquam vos ad virtutem verba fecistis.* Noster Capt. extr. *ad pudicos mores facta hæc fabula est.*

24. NULLA IGIT.] Repete ἀπὸ κοινοῦ: *Hoc si ita fiat.* Notat Grut. in MSS. omnibus legi, *Nulla igitur d.* & Pall. quart. adjicere, *Igitur* notare *postea*, neque malè.

27. PEDISEQUOS] ita rectius è MSS. Cam. & quatuor Pall. Grut. Vulg. *pedisequas.*

28. SALUTIGERUL.] Ita rectè legi, probat Lipsius, & Tit. Popma. Glossar. *Salutigerulus*, ἐπισκέπτης. Apul. *Qui ultrò citroque portant hinc petitiones, inde suppetias: ceu quidam utrinque interpretes & salutigeri.* At *Douza* pertendit legendum *sandaligerulos.* In MS. Cam. est *salutigerrulos*, quasi à gerris. V.N. Trin. act.2: 1.

QUI VEH.] V.N. Trin. Prol. & suprà act. 2: 2.

30. MORIBUS PR.] Sequitur Plautus Græcam consuetudinem. ab iis enim creari soliti sunt Magistratûs, qui mulierum ornatui præessent. Numero erant XX. γυναικονόμοι dicti. Cic. 4. de Repud. *Nec verò mulieribus præfectus præponatur, qui apud Græcos creari solet: sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus.* P. Victorius lib.21:6.

30. FACTUM] Hoc verbum, quod in MS. Lang. nusquam visatur, sententiamque pro superfluo contaminet, exturbat *VIR doctus*: addens Cic. lib.9. Epist. *Quamdiu sic erit noster hic præfectus moribus, parebo autoritati tuæ. cùm verò abierit, ad fungos me tuos conferam.* Et verò Parei editio pr. vocem eam expunxit contra Pall. & edd. omnes.

33. PRÆ QUAM] i. præ eo, quod fit, cùm creditores aut artifices pecuniam sibi petunt. L.

34. LANARIUS] qui lanam conficit, ἐριουργός. MS. Cam. à primâ manu *linarius.* quod non displicet Grutero, quia major luxus in lino, quàm lana. Pall. tamen & Edd. vett. propugnant alterum.

35. CAUPON] *Caupones* heic vocat καπήλους & παλιγκαπήλους: L. Vörkauffer / Höcker / Hacken. Turn. lib.14.5. *Caupones* non sunt, qui vinum vendunt, sed nomen habent generale à copiis; ut sunt mercatores & institores patagiorum, indusiorum, flammeorum, violacei panni, & cerini. Itaque sic ista interpretor, ut dicantur *caupones patagiarii, caupones indusiarii.* Turnebo adstipulatur Gruterus: miraturque esse qui scripturam omnium MSS. in dubium vocent, imò omnium editionum ante Aldinam, ejusdemque traduces. *Meursius* è vulg. edit. retinet *Cinislones.* Hor. 1. Sat. 2. *Custodes, lectica, cinislones, parasiti.* Dicti *Cinislones* ab eo, quòd in cinerem flant ad ferrum calefaciendum, quo capillos crispabant. iidem & *Cinerarii.* Vide Mostell. act.1.3.

PATAG.] V.N. Epid. 2:2.

36. FLAMMEARII] H. Junius *Flammearium* hîc interpretatur, qui flammeo colore vestes tingit, Rothferber. Nonius: *Flameum est luteum tegmen, quo matronæ* (alii, *novæ nuptæ*) *velabantur*, atque adducit hunc locum. Interpres vetus Juvenalis, Sat.2. *Flameum*, inquit, *vestis pudori similis: quam & propter pudorem accipiebant.* Hinc videre est fuisse rubri coloris hoc vestimenti genus: nam talis est vultus pudore suffusorum. Idem Comment. Ad Sat.6. *Flameum genus amicti quo se cooperiunt mulieres die nuptiarum. Est enim sanguineum, propter ruborem custodiendum.* Vide Commentar: Arnobian. *J. Meursii.* item Stewech. in Veget. lib. 2. c.1. Verùm, Grutero teste Edd. vett. & MSS. Cam. & Pall. omnes, *Flammarii*: quidam *Flamarii.*

36. VIOLARII] qui vestes violæ colore inficiunt. L.

36. CARINARII] ita omnes MSS. qui cerino colore pannum inficiunt. nam *Cera* Doricè καρὸς dicitur, quæ aliàs κηρὸς: Turn. lib. 14:5. At Bapt. Pius & Lamb. l. *cerinarii*, eodem sensu Ovid. 3. de Art. *Et sua velleribus nomina cera dedit.* Horum sententias *Douza* nō improbat; reponi tamen velit (quod Lamb. in uno MS. legi ait) *caltularii*; à caltulæ nimirum

rum colore : adductus etiam illo Epidici, 2: 2, *Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam.* Vide ibid.

37. MANVL.] qui *manuleas*, i. tunicarum manicas vendunt. *Manuleata tunica*, Pseud. & *manicata*, Cic. 2. Catil. *manicatis ac talaribus tunicis*. L. Suspicatur *Grut.* à ductu MSS. litterarum *mantiliarii*. quod statim Pareus utraque dignatus editione; prætereaque perperam ejecit alterum *aut* quod in MSS. & Edd: omnibus.

37. MYRROBATHRARII] vel, *myrobathrarii:* hi calceamenta muliebria unguentis, odoribus, & suffimentis imbuebant, ut docet Turn. in Notis ad Theophrast. qui tamen sui oblitus lib. 6, 24. Advers. legendum suspicabatur, *aromatarii*, qui aromata vendunt. Hæc observat Lambinus, qui etiam legendum aliquando putavit *malobathrarii*, i. unguentarii, qui malobathrum vendunt. Horat. 2. Od. 7. *-coronatus nitenteis Malobathro Syrio capillos.* Quam etiam postremam lectionem *Palm.* unam probavit. *Meursius* vett. editionum lect. retinet, *myrobrecharii*. quam vocem, inquit, intelligent qui Græcè sciunt. In MSS. Cam. & quinque Pall. *murobatharii.*

38. PROPOLÆ] *Scal.* in Cul. Virgil. Multi putant, inquit, *Elogium* Græcum esse. ego verò contrà putem: quemadmodum plerisque nominibus Græcis Latini præpositiones suas anteponebant; ita etiam *Elogium* ex Græcâ voce, & Latinâ præpositione conflatum: ut in *Prologo*, & *Prologio*, & *Antilogio* videmus factum: quæ qui merè Græca dixerit, is magnas nugas egerit. Sic etiam *Propola* ex Græco πωλεῖν. sed præpositio Latina est, ut *Prologus:* producitur enim: (Andriâ Terent.) quod non esset, si Græca. Si enim esset προπώλης, hoc est, προξενητὴς & *Pararius* Senecæ, ut nonnulli annotant ex Polluce; neque primam produceret, neque eam significationem haberet, quam nunc. Dictus enim, quòd primus vendat merces: quas in portu primus anticipat: & ut Persius ait,

——*Primus tollit piper è sitiente camelo*,

Ut prior vendat, quod manifestò innuit Lucill.

Sicuti quum ficus primus propola recentes
Attulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

A Nam quò minus credam doctiss. viro, qui censet *propalam* dicendum, facit, quòd ea non est scriptura etymologiæ, sed pravæ librariorum consuetudinis. Si enim, quod unus, aut alter *propala* scripserit, verum esset, eam rectam esse scripturam: quidni & ego quoque contenderem *Propula* dicendum esse, qui in opt. Glossario scriptum invenerim, *Propula*, πωλεύς? Deinde, quare multis partibus plures libri habent *propola*, quam *propala*? Quid caussæ est, cur quæ usitatior scriptura, ea ut verior non sit? quare ego puto *Propolam* esse Græcum cum Latinâ Præpositione: quæ tamen item valet, quod Græca πρό. Nam eadem est in πρόλογος, quæ in *Prologus*. Sic Græci Latina vocabula cum Græcâ præpositione Latio abstulerunt, & sua fecerunt. ut ἐπιτόγιον. Sic Arabes addito articulo suo *Al* pleraque Græca ad morem suum interpolarunt: ut liber Ptolemæi est *Almageste*. est enim ἡ μεγίστη πραγματεία. Sic *Alchymia*, χυμεία, & *Alchymista*, χυμιστής. Sic *Almanac*, Kalendarium, μανακὸς à Lunâ & mensibus, unde circulus lunaris apud Vitruv. μανακὸς. Sic *Alembic* à Gr. ἄμβιξ, apud Dioscoridem. Itaque, ut dixi, eo modò *propola*. ita & de *elogio*, &c. Hactenus Scaliger. Contrà Turn. Ad-

B vers. lib. 1: 1. pertendit, *propalam* legendum, qui merces propalam velut ante palum, aut de palo pendentes habeat & vendat, &c.

38. LINTEONES] *Linteones*, qui lintea texerent; *Lintearii*, qui venderent. Vide Godesc. Stevvech. lib. 1: 7. ad Veget. item Auson. Popmam *De differentiis verborum* lib. 3. sed & Casaub. ad Fl. Vopiscum, ubi notatur *linteo*, *linifio*, *linifarius* Græcis esse λινυφός. Glossæ: *Lintearius*, ὀθονιακός. alibi, ὀθονιοπώλης.

39. SEDENTARII SVTOR.] nam sutorum ars sedentaria est. Quædam MSS. habent, *sedentarii sutates*, inde quidem faciunt, *sutantes*: à *suto, as*, quod valet assiduè suo. flicken / näen. Verùm id natum ait Grut. ex scripturâ vetustiore *sutares*, quomodo initio erat in V. C. Cam. *Pius* reponendum putabat *sutellates*, i. qui sutellas texunt.

39. DIABATHR.] Festus: *Diabathra genus solearum Græcanicarum*: Turn. lib. 23. 17. hinc *diabathrarii* qui eas faciunt & divendunt. MSS. Cam. & Pall. *diobathrarii.*

40. MOLO-

40. MOLOCHIN.] qui colorem tingit ad purpuram inclinantem; qualis in malvæ flore spectatur. Et *malva* quidem, ut docet Cam. μαλάχη & μολόχη, dicitur. Vide Athen. lib. 2. mihi p. 58. στρεψύπερ⊗ ἔγωγε μολόχης, *Ego equidem Moloche mitior*, Proverb. V. N. Bacch. 1: 1.

41. SARCINATORES] J. Phil. Pareus exponit, qui sarcinas compingunt: Ballenbacker.

42. STROPHIARII] Nonius: *Strophium fascia brevis, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet.* Catullus: *Non tereti strophio lactenteis vincta papillas.* Cicero: *P. Clodius à crocotâ, à mitrâ, à muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, à strophio, à psaltrio, à flagitio, à stupro est factus repente popularis.* Hinc *strophiarii*, earum fasciarum opifices. V. N. Epid. 2:2.

42. SEMIZON.] qui zonulas minus dimidio latas quàm justa zona est, faciunt: quæ *semicinctia* dicuntur: Turn. lib. 14: 5. Pænul. act. 5: 5. *Sarapis semicinctium.* Isid. Origin. lib. 19. c. 33. *Cinctus, est lata zona: & minus lata Semicinctium, & utrisque minima Cingulum.* Petronius: *Inclusus ego suspendio vitam finire constitui: & jam semicinctio stanti ad parietem spondæ me vinxeram, cervicesque nodo condebam:* In Actis Apostolorum cap. 19. v. 12. leguntur ad ægrotos *semicinctia* (σιμικίνθια) Pauli delata. *semicinctium* à doctiss. interpretibus explicari video, quod partem hominis anteriorem à cingulo & lumbis ad pedes usque præcingit. cujusmodi ferè mechanici, ut pistores, fabri ferrarii, doliarii, & qui similium sunt operarum; & fæminæ apud nos vulgò omnes utuntur. Ein Vorfell / Schürtzen. Ludit in hoc Martialis lib. 14. epigr. 153.

Det tunicam dives: ego te præcingere possum.
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Ein Böhemisch Schürtzlin. V. & Not. Pœnul. act. 5: 1.

43. CEDVNT, PETVNT] Si tollerentur hæ duæ voces, nulla hîc esset obscuritas: sic n. sententia procederet: Jam hosce absolutos censeas, cùm trecenti alii, quasi custodes carceris, seu potius flagitatores molesti, stant in atriis pecuniam petentes, &c. L. Molitur etiam aliquid Acid.

44. PHYLACISTÆ] *Phylacistæ* sunt, qui servos in custodia & ergastulo servabant: ut Capt. act. 3. 5. Hic, per translationem, artifices intelliguntur, qui manupretium vel mercis mercedem flagitant: qui quid in atriis diutiùs exspectant, custodes & phylacistæ appositi videntur. Turn. lib. 14: 5. & 24: 23.

45. LIMBOLAR.] *Limbus*, ora vestimenti, instita, κράσπεδον. Nonius l. *Textores limbolarii*. quod & Douza observat: & J. Gulielmo arridet: ut à *limbo* & *ora* deductum sit: & sanè, inquit, nihil aliud sunt limborarii, quàm qui limbo oras vestium pingunt sive prætexunt. V. C. *Linbuary*. Pall *limbuarij*.

45. AR. DVCVNTVR: DATVR ÆS] MSS. Cam. & Pall. quinque: *ducuntur: datur* &c. Itaque miror Lambinum dicere, se restituere scripturæ vet. vestigia secutum, *bis datur Æs*, ejecto illo, *ducuntur*: quod tamen in omnibus retrò editis apparet. vitiat tamen versum; unde id induxit recensor in Pal. sexto.

47. INF. CROCOTAR] *Crocota, genus vestis crocei coloris*, Nonius. V. N. Epid. 2: 2.

CRVX] V. N. Men. Prol.

51. NVGIGERVLIS] ita MS. Cam. & 4. Pall. nec non prima editio Merulæ. Et sic vocat omnes jam recensitos. Sed Lambino magis probatur altera lectio, *nugivendis*: quam & Nonius agnoscit, dum ait, *Nugivendos Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendant. nam: omnia, quibus matronæ utuntur, Nugas voluit appellari.* Nec aliter Merulæ altera, ceteræque edd. vett. itemque tertius & quint. MSS. Pall. Scaliger: Toti χλιδῶνες muliebres, quæ vulgo *Jocalia* vocamus, veteribus dicebantur *Nugæ muliebres.* Plaut. *Ubi nugivendis r, &c.* Pollux lib. 5. καὶ ἄλλως δὲ ἴδιως κόσμους ὀνομάζουσιν οἱ κωμῳδιδάσκαλοι λῆροι ὄχθοιβον, σκέλληθραν. Etiam λῆροι, inquit Hesych. τὰ περὶ τοῖς γυναικείοις χιτῶσι κεχρυσωμένα, &c. Narrenwerck.

52. CEDIT] pro, *incedit*, accedit, venit. *Turneb.*

52. MILES] Mirari quis possit, quidnam cum dotatis matronis negotii intercedat homini militari, nisi planum fecisset Varro lib. 4. de L. Lat. sub finem ita scribens: *Tributum dictum à tribubus, quòd ea pecunia, quæ à populo imperata erat, tributim à singulis pro proportione census exigebatur. Ab hoc ea, quæ adsignata*

adsignata erat, Adtributum dictum. Ab eo quoque, quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni ærari dicti. Id quod attributum erat, æs militare: hoc est, quod ait Plautus, Cedit miles, æs petit. Patet idem ex Epid. 2.2. *Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias. At tributus cùm imperatus est, potesse pendi negant.* Liv. lib. 1. Dec. 1. *Ad equos emendos dena millia æris ex publico data. & qui equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos singulos penderent. Hæc omnia in dites à pauperibus inclinata onera, &c.* Quòd autem Lambinus hanc pecuniæ attributionem ad maritum dotatæ uxoris pertinere arbitratur, ridiculè nugatur. *E Centur. Douzæ.*

53. PVTATVR RATIO] *Putare*, inquit Var. lib. 5. *valet purum facere.* ideò antiqui *purum* appellarunt *putum*. Sic *Ratio putari* dicitur, in quâ summâ fit pura. *Rationem putare* Plutarcho est ἐκκαθᾶραι λογισμόν, interprete Scalig. in Conjectan.

55. DISPVT. EST R.] liquidâ factâ, ut nihil confusum sit. *B. Vualtherus* Miscel. lib. 1. 27. legit, *Ubi dispuncta est ratio c.* Nam *dispungere rationes*, inquit, est conferre accepta & data. *L. Cognoscere, ff. de verb. signif. &c.* Et hoc quidem probum quis neget? improbè tamen in possessionem alterius venerit.

56. ETIAM PLVS IPSVS] Ita versus iste extat in MSS. Cam. & quinque Pall. & editis ante Cam. qui eum non delevit, uti dicit Lambinus, sed qui omissus à typographo, ob similitudinem, quæ ei cum priori. Interim Lamb. perperàm excludit voculam *plus* respectu membranaceorum, benè autem; habita ratione versus. Non autem abit diversum illud Lucill. Sat. 29. *Age nunc summam sumptûs ducat sui æris simul atque alieni.* nec Senecæ Epist. 88. *Cùm ad patrimonium ventum est, diligentissimi computatores sic rationem ponitis singulorum, quibus aut pecuniam credituri estis, aut beneficia. nam hæc quoque jam expensa fertis. Latè possidet, sed multum debet. habet domum formosam, sed alienis nummis paratam. familiam nemo citò formosiorē producit, sed nominibus non respondet. Si creditoribus solverit, nihil ei supererit. Idem in reliquis quoque facere debebitis; excutere quantum proprii quisque habeat.* Hæc omnia J. Grut. ad illud Curc. act. 3. *Beatus sum &c.* Post hunc autem versum *J. Gul.* è Nonio talem inserit, *Pro illis crocotis, strophiis, sumptu uxorio.* Quâ accessione (inquit) sententia perspicuè juvatur. ait enim post absolutos nugivendos istos & mundi muliebris instructores, tandem ut sua quoque nomina militi expediat, adire trapezitam: at ratione ductâ, etiam ultrò æs alienum apud eum situm reperire, quod conflarint nomina exsoluta pro crocotiis, strophiis, cæteris uxoris suæ ornamentis. ideò necessariò militi diem differri, cùm illis repræsentata sit. Sed Acid. malit post vers. 51. poni: *soluta est omnibus, Pro illis &c. Ibi adp.*

61. MACTANT] i. magis augent (servatâ propriâ verbi significatione) viros malo & damno: *malo*, quia viros in servitutem redigunt: *damno*, quia sunt sumptuosæ. Jam, *augere damno*, Latinè dicitur. Ter. Heaut: *herus damno auctus est:* Lamb. V. N. Asin. 1. 1. ad illud, *Argentum accepi; dote imperium vendidi:*

QVID AIS EVCL.] Vett. edd. *quid agitur.*

ACTUS III. SCENA VI.

EUCLIO, MEGADORUS.

NIMIUM libenter edi sermonem tuum.
ME. Ain? audivisti? EV. usque à principio omnia. ME. tamen,
E meo quidem animo, aliquanto facias rectius,
Si nitidior sis filiæ nuptiis.
„EV. PRO RE nitorem, & gloriam pro copiâ.

Dd „Qui

„ *Qui habent, meminerint sese unde oriundi sient.*
Neque pol Megadore mihi, neque cuiquam pauperi,
Opinione melius res structa est domi.
ME. Imò est, & dij faciant uti siet,
Plus plusque istuc sospitent quod nunc habes.
EV. Illud mihi verbum non placet; Quod nunc habes.
Tam hoc scit me habere, quàm egomet. anus fecit palàm.
ME. Quid tu te solus è senatu sevocas?
EV. Pol ego te ut accusem meritò meditabar. ME. quid est?
EV. Quid sit, me rogitas? qui mihi omnis angulos
Furum implevisti in ædibus misero mihi:
Qui mihi intromisisti in ædibus quingentos coquos,
Cum senis manibus, genere Geryonaceo:
Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ióni Iuno custodem addidit,
Is nunquam servet. præterea tibicinam,
Quæ mihi interbibere sola, si vino scatet
Corinthiensem fontem Pirenem potest.
Tum obsonium autem! ME. pol vel legioni sat est.
Etiam agnum misi. EV. quo quidem agno sat scio
Magis curiosam nusquam esse ullam belluam.
ME. Volo ego ex te scire qui sit agnus curio.
EV. Qui ossa atque pellis totus est, ita curâ macet.
Quin exta inspicere in Sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet quasi laterna Punica:
ME. Cædundum illum ego conduxi. EV. tum tu idem optimum est
Loces efferendum: nam jam, credo, mortuus est.
ME. Potare ego hodie Euclio tecum volo.
EV. Non potem ego quidem hercle. ME. at ego jussero
Cadum unum vini veteris à me afferrier.
EV. Nolo hercle. nam mihi bibere decretum est aquam.
ME. Ego te hodie reddam madidum, sed vino, probè,
Tibi cui decretum est bibere aquam. EV. scio quam rem agat:
Vt me deponat vino, eam affectat viam:
Pôst hoc quod habeo ut commutet coloniam.
Ego id cavebo, nam alicubi abstrudam foris.
Ego faxo, & operam & vinum perdiderit simul.
ME. Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem.
EV. Edepol næ tu Aula multos inimicos habes,
Atque istuc aurum quod tibi concreditum est.
Nunc hoc mihi factum est optumum, ut te auferam

Aulam

Aulam in Fideiphanum: ibi abstrudam probè.
Fides, novisti me, & ego te! cave sis tibi,
Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tuâ, Fides, fiduciâ.

EDI SERM.] Ita restituit ex MS. Cod. princeps Camerarius. Et ita Nonius; docens non solùm cibos gutture, sed vocem auribus etiam devorari. Sic Aristoph. in Batrach. μάλλα γ' ἐποπτεύειν δοκῶ, ὅταν καταράσωμαι λάθρᾳ τῷ δεσπότῃ. i. ut ex Cistellar. interpretatur Douza, *Istuc cibus mihi est*, sive, *id habeo pro cibo, hero absenti convitium facere*. Germ. Ich wolt nicht darvor Essen. Sic Most. 5.1. *gustare sermonem*. Asinariâ, *dicta devorare*. Ita Aristoph. in Gerytade, φαγεῖν ῥήματα: & τὰ λεγόμενα καταπίνειν, apud Galen. notat Casaubonus. V.N. Pœn. act. 5:4. infinitasque talis locutionis formulas congessit ad lib. 3: el. 6. Propertii Passeratius. Meursius tamen antiquâ scribendi ratione *odi sermonem*: atque hoc pro *audii*: ut illa, *Plostrum, Clostrum, &c.* Neque abnuit Acid. quando Megadorus eodem illo verbo excipit. Contrà Mel Haiminsfeldius *edi* illud defendit: aitque dictum more vetustissimi sæculi, quod indiciis minimè quidem raris agnoscat matrem & suam & omnium Linguarum Hebræam. Jerem. cap. 15. v. 16. *Inventi sunt sermones tui, & comedi eos &c.*

2. AIN? AVDIVISTI?] ita Grut. è V. C. Cam. quamvis nec alterum improbet.

2. TAMEN E MEO] Ita cum L. constituit *Douza*. ut, *Meo*, monosyllabon reddatur: &, *tamen*, priorem v. claudat. Sequentem deinde ita legit numerorum caussâ: *Si nitidior sis filiai in n.* quod necessarium tamen minimè fuisse, ait Acidal. si *filia* sit dissyllabon, ut supra.

3. E MEO Q. AN.] V.N. Men. 2:1. J. Gul. negat Latinos dicere, *E meo animo*, additâ Præposit. Acidal. cum in vet. ed. reperisset *et*, hæc ita transfert: *ME, & tamen Meo q.*

5. PRO RE NITOREM] Schoppius, Sensus, inquit, postulat, ut scribamus: *Præ re nitorem & gloriam præ c.* Q. d. Non est quòd me hominem ex pauperibus oriundum hortaris, ut nitidus in nuptiis filiæ esse velim. nam homines pauperes, quasi ego sum, qui nitorem & splendorem magis curant, quàm ipsam rem familiarem, suam egestatem, illi recordari debent, rem suam familiarem malè domi structam esse. Quæ Lambinus hîc somniavit, cassâ nuce non emam. ita ille. Grutero magis arrident Lambiniana. Schoppianum istud in textum retulit Pareus editionis pr. contra omnes libros. tamen eidem marginalia prioris ed. transtulit ad secundam, in qua *Pro re*. quæ ineptiæ!

5. NITOREM] *Nitorem* eâpse metaphorâ accipiendum, quâ apud Tibull. ad Messallam: *Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret, &c.* Et Horat. *Res ubi magna nitet domino sene.* Douza.

8. RES STRVCTA] *Douza* ad illud Hor. 2. Od. 3.

——*& exstructis in altum.*
Divitiis potietur hæres:

Acervos & struices argentarias intelligit, à voce *struere*, pro, *augere*, positâ antiquitus, teste Festo. unde Persius, *Rem struere exoptas cæso bove.* V.N. Men. 1.1.

9. IMO EST] Gruterus sibi persuadet, repetendum, *Imo est, imo est; & D.* quo ipso consulitur versui, alioquin minus integro. nam illud *diu* quod adjecerunt recentt. non extat in ullo libro vetere.

10. PLVS PLVSQVE] Veteres geminabant voces intendendæ rei caussâ. Prologo: *minus minusque impendio &c.* Catull.

Et magis magis in dies & horas
Irascor tibi.

Ovid. in Epist.

Ausus es, ô nimium nimiumque oblite tuorum. vide Popmam, De usu A.L.

11. NON PLACET Q. N. H.] Ita *Gruterus* ex MSS. omnibus, itemque ante Camerarium & Lamb. editis; quamvis contrarium, asseveret Pareus, qui sibi restitutionem hujus afferere velle videtur, lepidâ sententiolâ. Cùm Megadorus optaret sospitari, quæ jam haberet Euclio; ille suspiciosus, ita ultima illa interpretatus est, tanquam si ei jam de aulâ auri plenâ constaret. minimè autem novum iterari aliquot voculas. Mercat. act. 2:4.

Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. EUT. enicas. A

Jam istuc, aliquid fiet, metuo.

Aul. act. 4:7.

Ut istuc, quod me oras, efficiam tibi:

Uti istuc quod me oras, impetratum ab eo auferam;

& alibi. sic Gruterus. quod factum unicè probat Acidalius. At ita in omn. etiam legitur editionibus. Porrò MS. Cam. & Brix. l. *Tam hoc scit, &c.* non, *hic*, ut edd. vett.

13. E. SENATU] de cœtu seducis?

14. UT ACCUSEM] Notat Pareus V. C. habere *accussem*. at cur non etiam recepit in contextum? cùm Cassiodori Cornutus disertè scribat veteres *accussare* exprimere solitos duplici S. certè tolerabilius erat istud, quàm *Voto* passim revocare è Saturni podice, pro *Veto*.

17. Q. M. INTROMISISTI] ita & MSS. Pall. & Lang. & vett. edd. V. N. Amph. act. 4: 3. Parei pr. editio *Qui mihi immisisti in ædes*, de conjectura Dousæ F. Gruterus illud *in ædibus* suspectum habet, tanquam malè repetitum de versu præcedenti.

GERYONACEO] *Geryon*, rex Hispaniarum, fingitur à Poetis tricorpor, habens terna capita, sex manus, totidemque pedes.

18. OCULEUS] Non vocatur forsan *oculeus*, quòd totus, quantus erat, ex oculis constaret; sed quia plures ei oculi. Inde Ovidii illud de Famâ, 12. Metam. *tota est ex ære sonanti*, planè improbaverim, præ illo, quod reperi in vet. Genealogiâ Bocatii, *ex ore sonanti*: ut indicet, tantùm non constitisse ex oribus. *J. Gruterus.*

20. JONI] *Jo, Jónis, Jóni.* De hâc inflexione vide Prisc. lib. 6. Fabula verò hæc de Argo & Jóne narratur ab Ovidio lib. 1. Metam. Fab. 15. & seqq. *Argus oculatus*, πανόπτης.

20. ADDIDIT] Hor. 3. Od. 4. *Nequitiæ additus custos.* Sic Capt. *Cui me custodem addiderat herus, &c.* Cic. *Custodem Tullio me appono.* Servius ille P. Danielis, non vulgaris iste, ad illud Virg. 6. Æn. v. 90. *nec Teucris addita Juno Usquam aberit*, notat: *Addita, i. inimica. & est verbum Lucilii & antiquorum: ut Plautus: Argus, Quem quond.* planissimè ut nunc legitur. Frustra igitur est Palmerius. Nonius citat: *Hic quidem pervicus custodem addidit.* Ad quod Palmerius: Ergò, *addere*, hic est, malum dare. Sed & in verberibus propriè dicitur. Livius de supplicio Taureæ Campani: *Adde virgas viro forti.* Jos. tamen Scaliger in *Cirin*, opinatur Servium memoriâ lapsum esse. Sed & ipse, uti Palmerius, vulgato Servio usus est, qui nihil hic sani. Atque ut obiter addam illud-*Teucris addita Juno*, exponitur, affixa; & per hoc infesta, etiam à Jul. C. Scaligero, l. 4. c. 16. Poet.

21. SERVET] suprà act. 1: 2.

21. TIBICINAM] Tibicinam & apud Romanos, & apud alios in nuptiis adhiberi solitam, docet Tiraquellus ad Alex.

22. INTERBIB.] i. totum ebibere. Sic, *Interstinguere*; Apul. planè & penitùs exstinguere. Sic Amph. *Internecare*: item, *Intertrahere.* Ter. Andr. *Interturbare.* Tale illud Eunuch. act. 1: 1. Thais *fundi nostri calamitas hæc intercipit*, i. totum capit: *Donatus.*

22. SCATET] Sic MSS. Cam. & duo Pall. At Lamb. *scatat*, Turneb. *Scatit*, ut *edim* &c. lib. 3, 12. At non opus fuerat, *inquit J. Gul.* hoc *scatet*, quod in vulgatis est, mutare in *scatat*, aut *scatit.* Indicandi enim modus pro quovis alio sæpè ponitur. Suprà, act. 1: 2. *Nimis hercle invitus abeo, si quid agam scio.* non libenter, inquit, domo exeo, si sciam quâ ratione fieri possit, ut domi maneam: nunc ita res nata est; exeundum est. quam sententiam non capit Lambinus. Et Sc. 1. *Ne persentiscat, aurum ubi est absconditum.* Asinar. *nauteam Bibere malim, si necessum est, quàm &c.* Laudat hoc etiam Acid. Pareus tamen *scatit* arripuit ultima editione: prima *scatat.* adeò omnia ei placent, qui in libros juravit, quàm fides librorum. B

23. CORINTH.] Hæc tibicina adeò vinosa est, ut Pirenem fontem Corinthium, si is vino scateat, sola exhaurire bibendo possit. Et versûs hujus restitutio est à Turnebo, lib. 14: 15. licet dissimulet Lambinus, approbavitque in Plauto suo Scaliger. Sed & edd. Brix & Ald. ita legunt. Est autem *Pirene* fons Musis consecratus: quem *Probus* quidem in Helicone collocat: *Strabo* autem sub Acrocorintho cum omnibus Geographicis, ut hic Plautus. Sed vide mihi Casaubon. ad Prolog. Persii. MSS. ferè, *Cor. fontem & Pireneum.* neque aliter Merulæ altera. prima tamen, *Cor. fontem Pyrenea potest.*

24. TUM OBS. A.] sc. misisti. Acidal. hæc omnia continenter dat Euclioni:

Tum

Tum obsonium autem pol vel legioni sat est.
Etiam agnum misi, (misisti) quo quid.

Et hoc omninò velle seriem orationis pertendit. Mihi tamen homo quamvis ingeniosus nondum persuasit.

24. LEGIONI] Ironia. q.d. Quid tu obsonium exaggeras? atqui vilem duntaxat agnum misi. Vetustiores tamen edit. ut & MSS. Pall. & Lang. disertè habent *leoni*. Et cur non præ illo in textum recipio? Gruterus mallet hæc adhuc dici ab Euclione, legique sequentia: *Eia jam! agnum &c.* tale aliquid certe requirit ratio.

25. ETIAM AGN. M.] Germ. dicunt: Ich main / es ist ein Handel: Hab eben ein gantzen Schöps gschickt.

26. CVRIOSAM] Ex responso Megadori videtur Douzæ legendum *Curionem*. *Curiosi*, inquit J. Gul. vulgi dicterium erat in graciles & macilentos: quasi ii curis semet conficerent & macerarent. Festus: *Curionem agnum Plautus pro macro dixit, quasi curâ macruisset.* Vide Fr. Polletum in Historiâ fori R. c. 4. Ita contrà Luc. Fruterius Verisl. lib. 2. c. 17. notat, *Agnum incuriosum* Apulejo dici pinguem & habitiorem, &c.

28. QVI OSSA] Vetus verbum fuit, quod παροιμιωδῶς jactatum est in macilentos, *Ossa atque pellis est*. V.N. Capt. 1: 2. Virgilius: *Vix ossibus hærent*. Er ist nur Haut und Bein. Scalig. ad illud Priap.

Cujus viscera non aperta Tuscus
Per pellem poterit videre haruspex,

notat. A Plauto hoc accepit. *Aperta viscera* intelligit, quum apertus est venter. Nam alioqui rimari exta, hoc est, θυοσκοπεῖν, vocabant *fissiculare*, à fisso jecoris: ut à misso *missiculare*. utitur Apul. & Martianus. Porrò *fissiculare* Gr. vocarunt καρδιουλκεῖν: & καρδιουλκίαν *fissiculationem*. Is. Casaub. in Lect. Theocr. notat, non uno loco Theocriti imitationem vel potius συνέμπτωσιν in dicta paria & similia deprehendi apud Plautum. ut h. l. extulit illud —— αὐτὰ δὲ λοιπὰ ὀστέ' ἐντὶ καὶ δέρμα: & Idyl. 4. τᾶς πόρτιος αὐτὰ λελείπται τὰ ὀστέα. Veteres Latini *scutilum* dixerunt, qui totus esset ossa & pellis, ut docet Festus.

28. CVRA MACET] Paréus emendat *crura*, cum tali glossemate: συνεκδοχικῶς, circum crura ita macilentus est. Erubui, cùm legi, & mecū Venus & omnes Musæ, sat scio.

A Et tamē hanc cacatā emendationem in Phraseologia sua, sub titulo *Macies*, omnibus viribus ridiculosè nimis tuetur, præmisso: Ad eam lectionem à me inibi expressam, erubuit Saxonicus consarcinator Notarum Plautinarum, in novissima sua editione. Salva igitur res est! O Musæ ridetis, an erubescitis & vos ad hominis inscitiam? Quasi verò ἀκυρώτη hoc esset! nunquid enim macritudo potissimum circa crura? &c. quæ ibidem sequuntur, prorsus stolida & insana. omnis enim ratio suadet ut *curionem agnum*; *belluamque curiosam* derivemus à *cura*, non à *cruribus*. & cui unquam agno crura non fuere macerrima? nullus opilio est quin ad eam notam, necesse habeat comprimere ventrem præ risu. At ecce in Lexico, etiam illæ ineptiæ comparent inter adagia. imò in editione secunda, ita adhuc homini adblandiuntur, ut nulla proles tam cara possit esse parenti suæ, quam hæc vomica ejus. ratio ipsum non revocat ab illa, sed consensus librorum. quasi verò libris debeatur assensus destitutis ratione.

MACET] *macie confectus est:*

B 28. EXTA INSPICERE IN SOLE:] Simile quid habemus in Cedreno, ubi scribit Leonem Imp. *quoties in matulam desidebat, sive ante, sive post eum ignis esset, per ventrem ejus ac dorsum pelluxisse*. Porrò cùm V.C. habeat *solee vivo*. Pall. vero *& vivo*, videtur reponendum, *sole ei vivo*.

30. PVNICA] Laternæ enim Africanæ supra cæteras erant pellucidæ. De corneâ laternâ intelligi, notat Scalig. in Carm. Libero.

31. CONDVXI] i. emi; ut Nonius explicat. *Lamb.* pertendit legendum *locavi*, &c.

32. LUCES EFFEREND.] Propriè. Cic. Verr: *Non palam vivorum funera locabantur*. Colvius ad illud Apul. 3. Florid. *Funus ingens locatum*, sc. efferendum, & urendum à Libitinariis. Sen. ep. 99. *Quàm multis cum maximè funus locatur? quàm multis vitalia eruuntur? quàm multi post luctum suum lugent?* Val. Antias, lib. 75. *Deinde, funere locato, ad forum descendit.* Hæc ille. Apud veteres enim cadaver, post efflatam animam; cubiculo efferebant, & ablutum, unctum, coronatum, in vestibulo ædium ad januam ipsam collocabant: ita ut pedes in viam spectarent; hoc situ abitionem illam postremam significan-

res: idque proprio verbo dicebatur *Collocatio*, εἶδος νεκρῶ. De quo ritu accuratè *Lipsius* Elect. l.1.c.6. & *J.Kirchmanus* De Fun.Rom. lib.1. c.9. qui tamen hunc Plauti locum ex alio verbi *locare* sensu illustrat; eo nimirum, quo veteres solebant cum iis, qui Libitinam exercebant, certo pretio contrahere, ut omnem funeris apparatum suis sumptibus præstarent. testes laudat Val. Max. lib.5. c.2. Plin.lib.6.c.52. Senec. de Tranq.c.11.

34. NON POTEM] non ausim, non possim, nolim potare: L.

37. MADIDVM] potum, uvidum, βεβρεγμένον. Ita Ammianus lib. 14. *Poculis amplioribus madefacti.* Lucian. in Deor. Dialogo: ἐν τῷ συμποσίῳ ἱκανῶς ὑποβεβρεγμένοι.

37. MADIDVM, SED VINO, PROBE] In Parisinâ clarè *vino* legitur: bonis etiam numeris. Juvat Francus in Arte Critica, ubi è Langianis MSS. tribus similiter emendat. Et venustè *vinum* & *aqua* toties sibi in velitatione opponuntur. In vulgg. & MS. Cam. est, *si vivo, probe: Tibi cui d.* Ad quod tamen Gruterus notat, illud *vivo* à manu secundâ scriptum fuisse; ut & revera est; patetque ex atramenti discrimine, quidquid oggannîat fatuitas Pareana; quæ non contenta pueriliter prorsus heic insultasse mortuo Taubmanno in vulgatissimis suis Electis, titulo *Ebrietatis:* eandem ferociam iterat in Notis editionis secundæ, & ecce tandem, homo pudentissimus, iterum erubuit ut has ineptias legit, unaque cum eo, (si modò de se sibi creditur ipsi) & Venus & omnes Musæ. Bone Deus! quis non putet ipsum ubique adhæsisse robusto consensui msſ? at idem mille locis in prima editione, nullius libri subnixus fide; secutus scævitatem ignorantiæ suæ, optimis exturbatis lectionibus invexit deteriorem miserrimi alicujus criticastri. *Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?* Si mica in eo esset cerebri, ostendere debebat lectionem alteram nihil facere ad sensum. ei enim rei non sufficit deblaterare, considera lector filum ac contextum loci totius, & mecum quoque erubesces ad Criticam hanc Taubmanni sapientiam. Ita scurræ sua defendunt.

A 39. DEPONAT V.] *Vino deponere*, est καθίζειν οἰνωμένον, interprete Casaub. ad Lect. Theocr.cap.1. Turn. lib.24:23. & lib. 18:27. *Deponere vino*, est ebrium amissis sensibus humi sternere: ab oneribus, quæ deponuntur ductâ translatione: ut Curc. act.2:3.

—— *ille ebibit, Caput deponit*, i. vino ebrius caput inclinavit & dormiit, & velut capitis onus deponit. Lambinus censet ductum à mortuis, qui *depositi* dicuntur. Lucill. Sat. 3.

Symmachu' præterea jam tum depostu' bubulcus
Exhalans animam pulmonibus æger agebat.

Virgil.12. Æn.

Ille ut depositi proferret fata parentis.

Cic. *Itaque mihi videor, judices, magnam & maximè ægram, & propè depositam Reipub. partem suscepisse.* ubi notat Asconius; *depositam*, desperatæ salutis. Nonius *alienare* interpretatur. Gruterus ita: Me vino cupit eò deducere, ut nihil differam à deposito, & vix animam ducente. eâdem metaphorâ Propertius lib.3. el.9.

Dixit, & assiduo lingua sepulta mero.

nec aliud fortè sibi vult illud Ciceronis lib. 9. Epist. fam.20. *Eum quem tu solitus es promul-*
B *side conficere, integram famem ad ovum affero.* Denique, *deponere vino*, Siberus ex Athenæo interpretatur κατασείειν, lib.10. Κατασείειν δὲ ἔλεγον ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς πότοις ὑποπιπτόντων. τὴν μεταφορὰν λαμβάνοντες ἀπὸ τῶν τοὺς καρποὺς κατασειόντων.

39. AFF. VIAM] Germ. Darauff gehet er vmb. Ter. *gladiatorio animo ad me affectant viam.* ubi notat Don. *Affectant viam;* plenum, quod nos dicimus ἰδιωτικῶς, *affectant.* Menæch. *Ut me defraudes: ad eam rem affectas viam.* Cic. *quò iter affectet, videtis, &c. L.*

40. COLON.] locum. Tralatio à Coloniarum deducendarum consuetudine. L.

42. OPERAM] Alludit ad Proverb. *Oleum & operam perdere. L.*

43. LAVATVM] V.N. Amph.5:1. Servius 3.Æn. *Apud veteres neque uxor duci, neque ager arari sine sacrificiis peractis poterat.*

44. INI-

44. INIMICOS H.] Diogenes interrogatus, cur aurum palleret: Respondit: quia multos habet insidiatores. A

47. AVLAM IN FIDEI] ita omnes MSS. Gruteri. Meursius metri caussâ leg. *Fideii.*

49. NE TV IN] ne fias in me infidelis: ut tibi pro *Fidei* nomine, *Perfidiæ* aut *Infidelitatis* nomen sit imponendum: Legit Acidalius: *ne tu immutass.* versu puriore.

ACTUS IV. SCENA I.

STROBILVS, servus Lyconidis.

HOC est servi facinus frugi, facere quod ego persequor.
Nec moræ molestiæque imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententiâ servire servus postulat,
In herum matura, in se sera condecet capessere.
Sin dormitet, ita dormitet, servum sese ut cogitet.
Nam qui amanti hero servitutem servit, quasi ego servio,
,, *Si herum videt superare amorem, HOC SERVI esse officium reor,*
,, *Retinere ad salutem: non eum, quo incumbat, eò impellere.*
,, *Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis,*
,, *Qui laborent minus, facilius ut nent, & moveant manus:*
Eodem modo servum ratem esse amanti hero æquum censeo,
Vt toleret, ne pessum abeat, tanquam * *
Herile imperium ediscat, ut quod frons velit, oculi sciant.
Quod jubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubulâ.
Nec suâ operâ rediget unquam in splendorem compedes.
Nunc herus meus amat filiam hujus Euclionis pauperis:
Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Megadoro dari.
Is speculatum huc misit me, ut quæ fierent, fieret particeps.
Nunc sine omni suspicione, in arâ hic assidam sacrâ.
Hinc ego & huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier.

VERSVS sunt Tetram. Catalect. troch.

V. 1. QVOD EGO PERSEQVOR.] Sic MSS. ferè, & edd. Pareo tamen editione pr. placuit prosequor.

4. MATVRA.] Decet eum servum in negotiis herilibus maturare, in suis potiùs cunctari: L.

4. CAPESSERE.] i. perficere. Virgil. 1. Æn. —— *mihi jussa capessere fas est.* Non.

5. SIN DORM.] Si quando sit negligentior, ita fit, ut meminerit, ea facienda esse majori diligentiâ, quæ neglecta sunt. L.

B 6. QVASI] quemadmodum: quo pacto: ut paulo pôst: *Quasi pueris &c.* L.

8. QVO INCVMBAT] non adjuvare ejus amentiam. Tralatio est à casabundis, &c. Cicero: *Satis est homines imprudentiâ lapsos non erigere: urgere verò jacentes, aut præcipitantes impellere, certè est inhumanum.* L.

9. Q. PVERI] Omn. ferè MSS. & edd. vett. *pueri.* recentt. *pueris.*

9. SCIRPEA] MS. Cam. *sirpea.* *Ratem* hanc *scirpeam* notat Hor. 1. Sat. 4. —— *nabis sine cortice*, i. subere. *Scirpus* junci genus enode. inde Proverb. natū in eas res, quæ nullius sunt.

sunt impedimenti: *In scirpo nodum quærere.* Ennius: A

Quærunt in scirpo, soliti quod dicere, nodum.

9. INDVITVR.] ita Nonius & Donatus, ut & MS. Camer. à manu tamen secundâ: & Faernus. Reliqui cod. *inducitur.* Meursius; In Festo, inquit, legitur; *scirpo inductur ratis.* quod genuinum censeo. nam vet. *Induco* dicebant. Deinde *Ratis scirpo,* pro, è scirpo.

10. QVI] i. ut.

10. VT NENT] ita MSS. Cam. & Pall.

12. TOLERET.] pessùm euntem sustineat. L.D.

12. PESSVM] V.N. Most. extremâ.

12. TANQVAM] Lamb. verissimâ (ut ait) conjecturâ ductus hanc lacunam ita explet: ——*tanquam catapirates maris.* vel, *tanquam catapirateria.* Est autem, teste Isidoro, *Catapirates* (καταπειρητὴρ) linea cum massâ plumbeâ, quâ maris altitudo tentatur. tale instrumentum est & *Catapirateria.* Herodot. καταπειρητηρίην ἐς βυσσὸν ἱέναι, &c. βολίδα nominant Græci. Lucillius: *Hanc catapiratem puer eôdem defer & uncum.* Sed non injuria quærit *Gruterus,* quis Apollo dixerit Lambino, id heic excidisse: cùm in omnibus MSS. nihil hoc loco appareat, ut nec in edd. vett.

13. FRONS] *Frons* pro vultu: *Grut.*

13. OCVLI S C.] De priscis beatulorum deliciis, qui solo nutu, vel digitorum certè crepitu, si quid vellent, poscebant ac significabant, vide Præcidan. lib. 1: 13. J. Douzæ.

14. CITIS Q.] Turn. lib. 6: 24. *Citas,* opinor, *quadrigas* Plautum appellare, ut quæ cursitabant in spacio Circi maximâ concitatione curriculi, &c. V.N. Asin. act. 2: 2.

15. CENSIONE B.] *Censionem bubulam* festivè vocavit verbera lori bubuli, cujus censurâ in servos animadvertitur: Turn. l. 24: 23. V.N. Most. 4: 1. Item P. Victor. lib. 15: 21. Itaque *censio* quæ propriè est æstimatio, τίμησις, heic est animadversio, τιμωρία.

B

16. IN SPLEND.] nunquam vincietur. Ex consequente intelligendum antecedens. L.

20. IN ARA] Erant aræ non publicæ tantum in templis, sed & in plateis, viisq; Mostel. 5. 1. *aram in via Tranio occupat.* ita & Curcul. 1. 1. *ara Veneris ante ædes Lenonis,* etiam Mercat. 4. 1: *Aliquid cedo quei hanc vicini nostri aram augeam.* Proper. 3. el. 10. *Publica vicinæ perstrepat ara viæ.* ibi Passerat.

21. ET HVC ET] ita omnes MSS. Grut.

21. ARBITR.] Prospicere ac speculari. Nam *arbiter* etiam speculatorem; *arbitrium,* prospectum; & *arbitrari,* prospicere significat. Horat. 1. Epist. ult. *Non locus effusi latè maris arbiter aufert, &c.* L. Vide N. Mil. 2: 2.

ACTUS IV. SCENA II.

EVCLIO senex, STROBILVS servus.

TV modò cave cuiquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides.
Non metuo ne quisquam inveniat: ita probè in latebris situm est.
Edepol næ illic pulchram prædam agat, si quis illam invenerit
Aulam onustam auri! verùm id te quæso ut prohibessis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi arcessat me, meam extemplò filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam.
Tuæ fidei concredidi aurum: in tuo luco & fano modò est situm.
STR. Dí immortales, quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano. Fides,
Cave tu illi fidelis, quæso, potius fueris, quàm mihi.
Atque hic pater est, ut ego opinor, hujus, herus meus *quam amat.*

Ibo

Ibo hinc intrò, perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
Aurum, dum hic est occupatus. sed si repperero, ô Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeò tibi faciam: verùm ego mihi bibam, ubi id fecero.

SIMILITER & hi versûs sunt quadrati τρο- A χαΐζοντες.

V. 1. CAVE C. INDICASS.] Hinc Fidei manu panno velatâ sacrificabatur: quia fides tecta esse debet & velata. Vide Serv. Daniel. 8. Æneid.

3. PRÆDAM AG.] Cæsar lib. 6. *Præda ex omnibus locis agitur.*

7. VIDE] *de*, hic corripitur: ut aliàs, *cave, &c*, L.

8. IN TVO LVCO &c.] Proverb. olet. i. in tuâ potestate, manu, tutelâ est. Sic, *Intra suas præsepes*; Casinâ. Cicero: *In meis castris præsidiisque versaris.*

8. MODO EST S.] ita MSS. & Ed. veteriores omnes. posset tamen abesse *modo*, per versum.

10. IN FANO. FIDES,] ita è vet. ed. Parm. S. Ulr. Pistoris. venustè & perspicuè. MSS. tamen & Edd. plerique, *in fano Fidei.*

12. VT EGO OPINOR] Parei editio utraq; dissimulanter exclusit pronomen *ego* quod in MSS. & Edd. vett. ac sine quo versus ruit.

15. CONGIAL.] *Congius* capit sextarios sex. *Fidelia* autem, *Samium vas est ad usus plurimos*: Nonius.

FACIAM] i. sacrificabo: suprà.

ACTUS IV. SCENA III.

EVCLIO.

NON temerè est, quòd corvos cantat mihi nunc ab lævâ manu.
Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat suâ.
Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare. sed ego cesso currere.

AB LÆVA] Vanitas augurum auspicia B corvorum fausta à dextrâ; à lævâ, infausta jactabat. itaq; cum partes Mundi ab ortu auguribus Romanis lævæ essent, Horat. scripsit, 3. Od. 27.

Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

ut scilicet cantu suo iter institutum dirimat. A dextrâ autem suadebat corvus, ut Asin. act. 2: 1. *Picus & cornix est ab lævâ, corvus porrò* (al. *parra*) *ab dexterâ: Consuadent.* Hinc apparet, Contrariam in cornice fuisse observationem. quod & à Cic. scriptum est, 1. De divinat. *Cur à dextrâ corvus, à sinistrâ cornix faciat ratum?* Sinistra tamen cornix Maroni inauspicata est: *Sæpe sinistra cavâ prædixit ab ilice cornix.* ubi augurium malum etiam adjuvat arboris vitium. Hæc Turn. lib. 6: 26. V. etiam N. Epid. 2: 2.

V. 2. SEMEL.] ita MSS. Cam. & quinque Pall. item vett. quædam edit. Vulgat. *Simul.*

2. CROCIBAT] *Crocitum*, vocem corvorum esse, docet Nonius. Vett. Ed. l. *crocitabat.* MS. Cam. *grocchibat.* Pal. sec. *crochinabat*, Lang. *crocciubat*: alii aliter.

3. ARTEM F. L.] cœpit palpitare & micare. nam histriones gestum agunt & moventur: Turneb. lib. 14: 5. & lib. 19: 22. item Brodæus Misc. lib. 3. cap. 27. Eodem pænè modo Æschylus: λίγγις ἄτ. ὀρχεῖται ϑ καρδία φόβῳ.

4. EMICARE] i. erigi.

ACTUS IV. SCENA IV.

EUCLIO, STROBILUS.

FORAS, foras, *lumbrice, qui sub terrâ erepsisti modò,*
Qui modò nusquam comparebas: nunc, quum compares, peris.
Ego edepol te, præstigiator, miseris jam accipiam modis.
ST. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum est commercij, senex?
Quid me afflictas? quid me raptas? quâ me caussa verberas?
EV. Verberabilissime, etiam rogitas? non fur, sed trifur.
ST. Quid tibi surripui? EV. redde huc sis. ST. quid tibi vis reddam? EV. ro-
ST. Nihil equidem tibi abstuli. EV. at illud quod tibi abstuleras cedò. (gitas?
ST. Hem, quid agis? EV. quid agam? auferre non potes. ST. quid vis tibi?
EV. Pone. ST. equidem, pol, te datare credo consuetum, senex.
EV. Pone hoc sis: aufer cavillam! non ego nunc nugas ago.
ST. Quid ego ponam? quin tu eloquere, quicquid est, suo nomine.
Non hercle equidem quicquam sumsi, nec tetigi. EV. ostende huc manûs.
ST. Hem tibi! EV. ostende. ST. eccas. EV. video. age ostende etiam tertiam.
ST. Larvæ hunc atque intemperiæ insaniæque agitant senem.
Facisne injuriam mihi, an non? EV. fateor, quia non pendes, maximam.
Atque id quoque jam fiet, nisi fatére. ST. quid fatear tibi?
EV. Quid abstúlisti hinc? ST. di me perdant, si ego tui quicquam abstuli.
EV. Nive adeô abstúlisse vellem? agedum, excutedum pallium.
ST. Tuo arbitratu. EV. ne inter tunicas habeas. ST. tenta quà lubet.
EV. Vah, scelestus quàm benignè! ut ne abstulisse intellegam.
Novi sycophantias. age! rursum, ostende huc manum
Dexteram. ST. hem! EV. nunc lævam ostende. ST. quin equidem ambas pro-
EV. Jam scrutari mitto: redde huc. ST. quid reddam? EV. ah! nugas agis. (fero.
Certè habes. ST. habeo ego? quid habeo? EV. non dico: audire expetis.
Id meum quicquid habès, redde. ST. insanis: perscrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam invenisti penes.
EV. Mane, mane! quis illic est, qui hic intus alter erat tecum simul?
Perij hercle! ille nunc intus turbat. hunc si amitto, hic abierit.
Postremò jam hunc perscrutavi. hic nihil habet. abi quò lubet.
Iuppiter te dique perdant! ST. haud malè agit gratias.
EV. Ibo hinc intrò, atque illi socienno tuo jam interstringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc, an non? ST. abeo. EV. caveris te videam.

ET hi versûs sunt tetrametri catalect. troch. A

V. 1. FORAS] Lamb. l. *I forâs:* ut constet vers. troch. Nullus tamen MSS. vel olim editorum geminat illud *forâs*, teste Grutero: requiritur tamen ad versum; ut vidit prudentissima mens Camerarii. Critici posteriores non admisere, quod ignorarent foras, utranque syllabam habere brevem: ut liquet vel ex Pœn. 5. 5. v. 4. Stich. 4. 2. v. 1. & 4. 4. v. 55.

1. LUMBRICE] ἔντερον γῆς. *Lumbrici* etiam dicebantur, qui ex imis sordibus ad summas dignitates erant evecti: geminâ ratione, *Terræ filii.* Casaub. ad Pers. Sat. 5.

3. PRÆSTIGIATOR] MS. Cam. *præstrigiator,* Videtur Grutero verum: à *præstringendo.*

5. AFFLICTAS?] Is. Casaubonus ad Sueton. *Affligere* est προσουδίζειν, ad terram dare.

QUID ME RAPTAS?] *Raptare*, est convitiari. Vide N. Mil. act. 2: 6. & Amph. Argument. 2.

6. VERBERABILISSIME] μαστίγων ἀξιώτατε. *Verberabilis* est μαστιγώσιμος, verberibus dignus. B

7. ROGITAS?] ita MSS. & editt. vett. vulg. *rogas?*

8. QUOD TIBI] Homo suspiciosiss. putat servulum tricari in voce, *tibi.* q. d. At illud redde, quod usûs tui gratiâ abstuleras: L. Sic & nos Germani captamus, Jch hab Dir nichts gestolen/q. d. Mir/vel, in meum usum. V. N. Menæch. 4: 2. Acidalius Personas ita ordinat: —— *abst. cedò. Hem quid agis? STR. quid agam? EV. auferre non p. STR.* quod totum in gestu est. Fortè Strobilus manûs ita commovebat, ut magis illud inter tunicas, quicquid esset occultare videretur: vel pedem struere, ut fugam meditari videretur.

9. HEM, QUID] Ita bene Cam. cùm invenisset in V. C. *Hæc quid.* prius legebatur. *Ecquid.* minus vivide. at id tamen Pareus nobis restituit. Langiani etiam, *He equid.*

10. EV. PONE. STR. ID] *J. Grut.* è MSS. Cam. & Pall. itemque editt. antiquis hunc versum reposuit. Hoc certè est, *inquit:* credo Senex, te datare solitum. Cùm enim cavillatio aliqua præcesserit, vel ipso sene teste, fieri non potest, quin iste versus omninò requiratur. nam absque eo nihil tale dici possit. Sensus autem obscenior: latetque ambiguitas in *pone:* quod, ut verbum, usurpat Euclio: at adverbialiter accipit servus nequam; proque eo quod à tergo est: ut in Pœn. act. 3: 2. & Trin. 3: 2. Eundem observavit *C. Rittersh.* in Notis ad Guntherum: & addit: Cavillatio, quam auferri jubet Euclio, hæc erat, quòd ludebat Strobilus verbis *ponendi & dandi seu datandi,* quæ sunt interdum amatoria & Venerea. V. N. Trucul. Etiam Acid. hoc luto ludit ambitiosè. sed non tango ipse. Pareus utraque hîc editione turpiter omisit vocem *credo*, versuum omnium profectò ignarus. unde statim v. seq. *ergo* textui indidit non admittentibus numeris, pro *ego.*

11. CAVILLAM] Festus: *Cavillatio est jocosa calumniatio. Cavillare est à cavendo,* ὑποκοριστικῶς: propriumque est leguleiorum; ut JCtorum, *Cavere.* Tertull. *omnibus modis cavillandum,* i. cavendum, (παντοίως περιεργαστέον.) Non ergò obscurum, quare in vitium verterit hoc verbum: cùm genus hoc hominum malè semper audierit. Glossar. *Cavillatio,* [illegible], ἀπάτη, παρεγχείρησις. *Hæc ex Scal.* B Jam in MSS. Cam. & omnib. Pall. & Lang. & vett. edit. legi *cavillam,* Gruterus notat: primumque Camer. edidisse *cavillum.* Sic dicebant, *Menda, mendum: Testa, testum, &c.*

14. HEM TIBI. EV. OSTENDE. STR. Ec.] ita Gruterus indiciis MS. Cam. distinxit. & tale quid requirit diffidentia senis. Pareus hîc, post Roscium, nescio quæ molitur.

14. TERTIAM] Ridiculum. Ostendit autem Plautus, quàm miser sit avarus, qui auri & servandi curâ, & amittendi metu perturbatus, ne oculis quidem suis credit. L.

16. EV. FATEOR] D. F. cum videret Euclionis responsum cum quæsito Strobili minimè convenire, emendabat; *EV. facio;* sc. injuriam, quia non pendes, maximam. quod in editionem suam primam recepit Pareus, contra omnes libros.

19. EV. NIVE ADEO ABST.] ita MSS. Cam. & Pall. omnes à primâ manu: *EV. Nive adeò abstulisse vellem. Agedum &c.* Nec absurdè. ut nimirum Euclio addiderit de suo, quod à servo adhuc dici volebat. Et alioquin, etsi

etsi servilia ingenia irreligiosa ferè sunt; haud putarim, id ipsum ultrò ausum dicere Strobilum. *Grut.*

19. EXCUTE DUM] ita Sueton. in Claudio: *Neque ægrum quenquam visitavit, nisi explorato prius cubiculo, culcitrisque & stragulis prætentatis & excussis*, i. diligenter contrectatis & diventilatis &c. Cicero: *Non excutio te, si quid fortè ferri habuisti, non scrutor.* Plinius: *A janitore semper excussa, ne quid inferret cibi.* Notas exquisitiores hujus verbi alias vide apud Budæum, Pand. prior.

20. NE INTER TUN.] Debent hæc connecti cum illis, *agedum exc. pallium.* Et notate, Euclionem *tunicas* dicere, non *tunicam*. Jam *Pallium*, vestis Græcorum exterior; *tunica*, interior: illud ἱμάτιον, hæc χιτὼν dicta, &c. L.

20. TENTA] Attrecta, scrutare. nam à *teneo tento*, ut à *sustineo sustento, retineo retento. tentare venas* dixit Suet. cap. 72. Tiberii. Virg. 3. Georg. *invisos si quis tentarat amictus.* Albinovan. ad Liviam: *tentasq. manu.* Propert: *Subiecto leviter positam tentare lacerto.* hæc ibi Passerat.: aliquantò sanè efficacius, quàm Lexicon Parei, cui *tentare* heic est, facere periculum. quæ nugæ?

21. QUAM BEN.] quàm liberaliter potestatem facit perscrutandi & excutiendi: ut ne abstulisse eum intelligam. L.

23. QUIN EQUID.] ita omnes MSS. & olim ed. *quin equidem*. quam voculam, versus fortè caussâ omisit Cam. at sic tamen nihil peccatur in legem Pediam: *Gruterus.*

28. QUIS ILLIC] Quis ille, &c. Nemo erat omnino, præter Strobilum: sed homo avarissimus tuta etiam timet, &c. L.

29. SI AMITTO] ita MSS. & omn. meæ editt. non, *omitto.* V.N. Capt. 2:2. v. 89.

30. JUPPITER TE] Nihil heic mutant Pall. sed non absurdè tamen Personas sic transposuit MS. Cam. *STR. Jupiter te diq. om. perdant. EV. haud malè agit gratias.* Grut.

32. IBO HINC INTRO] Sic omnes MSS. & ed. ante Aldum, qui omisit *hinc*, ut & seqq. malè. *Grut.*

SOCIEN.] V. N. Mil. 4:2. & Amph. 1:1.

ACTUS IV. SCENA V.

STROBILUS.

EMORTUUM ego me mavelim leto malo,
Quam non egó illi dem hodie insidias seni.
Nam hic jam non audebit aurum abstrudere.
Credo referet jam secum, & mutabit locum.
Attat! foris crepuit. senex eccum aurum effert foras.
Tantisper hic ego ad januam concessero.

VERSUS sunt Senarii jambici, ut & seqq. trium Scenarum.

V. 4. REFERET IAM] In MS. Cam. est, *hæc feret*: in Lang. & Pall. *hoc fer.* fortè *ecferet.*

5. FORIS CREP.] V.N. Mil. 2:1.

5. SENEX EC. AUR. EFFERT F.] ita consensu omnes libri. Nolim ergò Pareum in contextum recepisse Nonii frustum, *crepuit; & sano egreditur foras;* secutus timidissimam Schoppii suspicionem.

6. TANTISP. HIC] Ter. Heaut. *concedas aliquò ab eorum ore aliquantisper.* Acidal. leg. *Tantisp. hinc ego ab januâ c.* re ipsâ, ut ait, clamante. Denique Schoppius è Nonio adtexit hunc versum: *hinc ex occulto sermones satos sublegam.* Suspect. lib. 1:10. hunc item in barathrum editionis suæ pr. conjecit Pareus. Et quisquam adhuc negabit multis versibus Plautum fecisse auctiorem. fecit profectò. sed infeliciter, sed Auctore invito, sed Musis plorantibus.

ACTUS IV. SCENA VI.

EUCLIO, STROBILUS.

FIDEI censebam maximam multò fidem
Esse. ea sublevit os mihi pænissimè.
Ni subvenisset corvus, periissem miser.
Nimis hercle ego, illum corvum ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit; ut ego illi aliquid boni
Dicam. nam quod edit, tam duim, quàm perduim.
Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Silvani lucus extra murum est avius,
Crebro salicto oppletus; ibi sumam locum.
Certum est, Silvano potius credam, quàm Fidei.
STR. Euge, euge! dii me salvum & servatum volunt.
Jam ego illuc præcurram, atque inscendam aliquam in arborem,
Indeque observabo, aurum ubi abstrudat senex.
Quanquam hîc manere herus me sese jusserat,
Certum est, malam rem potiùs quæram cum lucro.

FIDEI] *Meursius* & *Popma* è Charis. l. *Fide*, Ἀρχαϊκῶς. qualia erant *die*, *facie*. Horat, 3. Carm. 7.

Constantis juvenem fide.

Ovid. 3. Met.

Prima fide vocisque datæ certamina sumsit.

Vide Agell. lib. 9:14. & Me, ad illud 1. Georg.

Libra die somnique pares ubi fecerat horas.

2. PÆNISSIME] suprà, 3:4.

6. DICAM] Nota, senem non dicere, *donem*, aut *largiar*; sed *dicam* aliquid boni: hoc enim fit absque sumptû: L. & ante ipsum J.B. Pius. quæ sunt in *Face Grut.* Tom. I. cap. 203.

6. NAM QVOD] Sentit Senex, non daturum quicquam illi corvo quod edat, non quidem magis, quàm perdere aliquid velit. Tria autem ista verba Subjectionis, sunt veteribus usurpata, pro *edam*, *dem*, *perdam*: ut ait Turn. qui lib. 6:24. hunc locum post *Cam.* sanavit.

7. SOLVM L.] ἔρημον. Sic Most. 4. 3. *terras solas* dixit: ut & Ter. Phorm. Virg. 12. Æn. *solos montes.* Rud. *in solo abstrusi loco.* Lucr. 4. *loca sola.*

8. SYLVANI [LVCVS] In MS. Cam. est *lacus*. quod mihi blanditur quidem propter illud, *crebro salicto oppletus*; sed tamen syllaba brevis repugnat versui.

8. EXTRA MVRVM] in suburbio.

11. EVGE] in MSS. & omn. edd. est, *Fuge, fuge.*

ACTUS IV. SCENA VII.

LYCONIDES adolescens. EUNOMIA mulier. PHÆDRIA, virgo.

DIXI tibi, mater: juxtà rem mecum tenes,
Super Euclionis filià. nunc te obsecro
Fac mentionem cum avunculo, mater mea:
Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram.
EV. Scis tute, facta velle me, quæ tu velis.
Et istuc confido à fratre me impetrassere.
Et caussa justa est, siquidem ita est ut prædicas,
Te eam compressisse vinolentum, virginem.
LY. Egóne ut te advorsum mentiar, mater mea?
VIR Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet.
JUNO LUCINA TUAM FIDEM! LY. hem! mater mea
Tibi rem potiorem video. clamat, parturit.
EV. I hàc intrò mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
† Vt istuc quod tu me oras, efficiam tibi, †
Vt istuc quod me oras, impetratum ab eo auferam.
LY. I, jam sequor te, mater. sed servum meum
Strobilum miror ubi sit, quem ego me jusseram
Hic opperiri. nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi irasci injurium est.
Ibo intrò, ubi de capite meo sunt comitia.

IVXTA R.] i. *æquè, similiter*: Nonius. Persâ: *Juxta tecum, si tu nescis, nescio.* i. æquè atque tu nescio. Ibidem: *juxta tecum æquè scio.* Sallust. Catil. *Quo in loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intelligitis.* Vide Godescalc. Stevvech. De Particulis Lat. linguæ.

3. FAC MENT.] V. N. act. 1:2.

4. RESECROQ.] religione jusjurandi solvo. Obtestatus erat matrem Lyconides, ne eorum, quæ ipsi de Euclionis filiâ aliquando dixerat, apud avunculum mentionem faceret: nunc obsecrationis religione eam absolvit, rogatque, ut cum avunculo de amicâ colloquatur: *P. Pithæus*, Adversl. lib. 1. cap. 10. V. N. Persâ, 1:1. MS. Pall. quintus & MS. Langii 1, *Reobsecroque.*

5. FACTA V.] Horat. 1. Sat. 9. *-cupio omnia, quæ vis.* Sic autem editi ab Aldo. prius erat A *Scis tute facta velle æque tu velis.* at Pall. *vellem æque tu velis*; nisi quod quint. *vellem æque quæ tu velis.* unde Pareus nob. obtrusit, *Scis tute facta velle me æquè, quæ tu velis.* ineptè contra numeros. cur non sequebatur potius alios sex in quorum literis scriptura nostra omninò latitat?

6. FRATRE.] V. C. non habet *a*, ut nec editio prima. falsò enim Pareus notat in eisdem membranis hærere *fratri.* sic solum unus alterque Pal. à manu prima. ceteri, *fratre, aut à fratre.*

6. IMPETRASSERE] Meursius corrigit, *impetrascere.* Dicebant, *Impetro, impetrasco: labo, labasco: amo, amasco: hio, hiasco.* Imò (inquit Siberus) *impetrassere* dictum est ἀρχαϊκῶς pro impetrare sive obtinere. nam *labasco,*

basco, amasco, biasco, non est *labor, amo, bio*, sed incipio labare, amare, hiare, &c.

9. TE ADVERSUM MENTIAR] sic alibi: *& med erga falsum dixeris*: ita & Proper.2.el.26: *Et quæcunque in me fueras mentita fateri*. Passerat.

10. UTERUM D.] Neutro & Masc. usurpabant; autore Nonio. In MS. Cam. *uterum* etiam legitur: sed superscriptum; al. *uterus*. In MSS. Lang. est, *uterum doleo*.

11. JUNO L.] Mirantur eruditi, quòd in Comœdiâ palliatâ invocetur à puerperâ *Juno Lucina*. sed injuria mirantur, & multò iniquius Terentium reprehendunt. utitur enim sermone Latino, sed qui Græcam deam *Ilithyiam* exprimat. Itaque ab Hor. Carm. Sæcul. scribitur; *Lenis Ilithyia tuere matres*, ex consuetudine Romanâ: & ex eâdem à Catul. Carm. 31. *Tu Lucina dolentibus Juno dicta puerperis*. *Juno* autem *Lucina*, Diana est: Turn. lib. 20: 31. *Lucina* verò dicta, quòd ejus operâ partûs in lucem prodeant, & lumen Solis intueri incipiant. Ter. Andr. act. 3:1. *Juno Lucina, fer opem: serva me, obsecro*. ubi notat Donatus: *Juno Lucina, Junonis filia, Græcè εἰλείθυια dicitur*. Latinè *Juno* à juvando dicta: *Lucina* ab eo, quod in lucem producat. Et gemina vota sunt: ut & partus & pariens servetur. nam, *fer opem*, propter partum; *serva me*, propter parientem dicitur. Vide & Fest. in *Supercilia*. L.

11. TUAM FIDEM] V. N. Amph. I:I.

12. REM POT.] q. d. Non esse, ut argumentis multis matrem doceat, stuprâsse se filiam, cùm ipsa inibi sit, ut reverà ostendat se vitiatam. *Grut*.

† UT ISTUC, QUOD TU ME ORAS, EFFIC. T.] *Schop.* contra Lambinum docet hunc versum esse spurium, & glossema; cum *Impetratum auferre*, nihil sit aliud, quàm *efficere*: ut alibi: *Incipere multo, quàm impetrare facilius*. Gruterus; Editt. inquit, vet. & MSS. Cam. & Pall. tert. quart. quint. sext. planè legunt: *Ut istuc, quod me oras, efficiam tibi; impetratum ab eo auferam*. nisi quòd iidem omnes uno versu cuncta includant. At Pall. pr. & sec. non habent illa, *Impetratum ab eo auferam*. Camerarianus tamen adhuc omnia illa servat quæ comparent in vulgg. quæ certè supervacua sunt. *Hæc ille*. In Paris. ed. est, & uno quidem versu: *Ut istuc quod me oras officium tibi impetratum ab eo auferam*. quomodo & Pius legisse ait in MSS. Et sic uno ductu scribuntur etiam in MS. Cam. nisi quod pro *officium* exaratum est *efficiam*. Pareus hîc ridiculè miratur quid aliis Editoribus in mentem fuerit, cùm spurium illum versum inculcant. certè, inquit, merum ac putidum est glossema versus 14. Quis id negat Batte? At enim is ne inculcat versum, qui repertum in MSS. receptumque tot sæculis, uncis insignit tanquàm minus legitimum? non puto sanè. Sed sic est. carpendi rimam nactus, Palæmonitatem tuam discipulis tuis ostendas. Interim in alios tam procax, quid præstas? egregium desultorem. prima editione visimus horribilem versum *Ut istuc quòd tu me oras impetratum ab eo avertam*. ad oram verò insignem vanitatem: Ita MSS. Cam. & Pall. quatuor. at secunda expressit æquè monstrosis numeris: *Ut istuc, quod me oras, efficiam tibi; impetratum ab eo auferam*. idque ex iisdem MSS. quis unquam talem audiit bilinguitatem?

16. I, JAM SEQUOR] Sic Camer. ex. V. C. correcto. Pareus maluit versum fœdum in modum ruere, excluso I, quàm sequi eum cui acquierunt Lambinus, Sambucus, Dousa, alii.

18. HIC OPPER.] ita MSS. Cam. & Lang.

SUNT COM.] ubi de famâ & salute meâ agitur. Tractum à P. R. Comitiis. V. N. Pseud. 4.7. & Rævard. cap. 16. Protrib.

ACTUS IV. SCENA VIII.

STROBILUS.

PICI divitiis, qui aureos montes colunt,
Ego solus supero. nam istos reges cæteros
Memorare nolo, hominum mendicabula:
Ego sum ille rex Philippus. ô lepidum diem!

Nam

Nam ut dudum hinc abii, multò illuc adveni prior,
Multoque priùs me collocavi in arborem:
Indeque exspectabam ubi aurum abstrudebat senex.
Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore,
Effodio aulam auri plenam. inde ex eo loco
Video recipere se senem. ille me non videt.
Nam ego modò declinavi paulum me extra viam,
Attat! eccum ipsum. ibo, ut hoc condam, domum.

PICI] Gryphos intelligit. MS. Cam. *Picis d.* Sed editt. omn. vett. *Pici d.* quomodo item mutatum in Pall. quarto & sexto; & probat se antiquo gustu *Grutero*, atque inprimis Scaligero lib. 12. cap. ult. de Causs. L. L. Et caussa, *inquit*, hujus orationis fuit, aliorsum intentus animus; deinde deflexus filus loquutionis: ut & Capt. Prol. *Hos quos videtis &c.* Dicturus enim aliud videbatur alio verbo, quum subjunxit festivè contrarium. Nam veteres nimis multa sibi licere voluére. Nonius: *Picos, veteres esse voluerunt, quos Gr. γρῦπας appellant.* Et hi ex montibus Hyperboreis aurum effodere creduntur. Herodotus etiam γρῦπας χρυσοφύλακας memorat apud Arimaspos gentem Scythicam. Vide Turneb. lib. 23. 26. & l. 24. 23. & Not. ad Varron. A

5. MENDICAB.] ita Apulejus Apol. *mendicabula animi*, dixit: ut noster, *mendicabula regum.* (sic enim Scip. Gentilis ibi leg. contra Casaub.) idem Florid. li. 1. *Quædam palliolata mendicabula obambulant.* Nonius *mendicationem* interpretatur. B

4. PHILIPP.] Alexandri M. Pater: à quo *aurum Philippeum.* *Ille*, dictum ἐμφατικῶς. Ordo autem est: *Ego sum ille &c. nam istos r, &c.* Ratio scilicet ante propositionem ponitur. *L.*

6. COLL. IN ARBOREM] ita Cato de Re rust. *In arborem relinquito.* Ibid. cap. 88. *In patinas in Sole ponito.* cap. 156. *In aquam macerare oportet, &c.* Vide Agell. lib. I. c. 7. & *Aus. Popmam.*

7. EXSPECTAB.] ita MS. Cam. & 4. Pall. atque alii. tertius & quintus Pall. *Indeque spectab.* Etiam *L.* legit *spectabam.* J. Gul. & H. Steph. *Inde aspectabam.* *Aspectare* pro despicere, vel potiùs, è longinquo videre. Ita usurpat Virgil. 10. Æn. versû 4. Acidal. & Meursius l. *Indeque esspectabam*, pro, *aspectabam*, ἀρχαϊσμῷ. Langii MS. *aspectab.*

8. UBI ILLE] In provocabulo *Ille* alterum l. exteritur. L.

8. DUCO], i. *descendo, demitto me sensim*: Nonius. Curcul. *Deduco pedes de lecto clam.* Schop. l. *duo de arb.* i. do. ut illa, *dare se ex ædibus: dare se ad parietem.* V. N. Bacch. 4. 2.

9. EFFODIO &c.] J. Gul. emendat: *Effodio aulam auri plenam. inde exeo. illicò Video recipere se senem.* Et corrumpendo loco ait fuisse ignorationem antiquæ scriptionis, *elocò*, pro *ilicò*, *&c.* Lambini & Bosii (qui legit, *inde ex quo loco*) disputationes hîc consultò omittimus. Porrò P. Ciaccon. ad *Columnam Rostr.* legit, *Exfodio*: ut apud Fest. *Exfundo.* non enim, inquit, semivocales geminabant antiqui.

11. MODO DECL. P. ME] Si excludamus pronomen *me*, pulcrè consuleretur versui, sed enim cùm id restet in omnibus MSS. & *modo* absit omnibus Pall. ac quidam nihil ejus loco habeant, quidam *non*; posset abjici.

12. ATTAT ECCUM IPS.] ita MSS. & Edd. omisso vulg. illo *senem.*

ACTUS

ACTUS IV. SCENA IX.

EUCLIO senex. LYCONIDES adolescens.

PERII, interii, óccidi! quò curram? quò non curram?
Tene, tene? quem? quis? nescio, nihil video, cæcus eo, atque
Equidem quò eam, aut ubi sim, aut qui sim, nequeo cum animo
Certum investigare. obsecro vos ego, mihi auxilio
Oro, obtestor, sitis; & hominem demonstretis, qui eam abstulerit.
Qui vestitu & cretâ occultant sese, atque sedent quasi sint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum est. nam esse bonum è vultu cognosco.
Quid est? quid ridetis? novi omnes. scio fures esse hic complures.
Hem! nemo habet horum. occidisti. dic igitur, quis habet? nescis!
Heu me miserum! miserum! perii malè perditus: pessimè ornatus eo.
Tantum gemiti & malæ mæstitiæ hic dies mihi obtulit,
Famem & pauperiem: perditissimus ego sum omnium in terrâ.
Nam quid mihi opus est vitâ, qui tantum auri perdidi?
Quod custodivi sedulò. egomet me defraudavi,
Animumque meúm, geniumque meum. nunc eo alii lætificantur,
Meo malo & damno: pati nequeo.
LY. Quinam homo hic ante ædis nostras ejulans conqueritur mærens?
Atque hic quidem Euclio est, est, opinor. oppidò ego interii. palàm est res.
Scit peperisse jam, ut ego opinor, filiam suam. nunc mihi incertum est, (scio!
Quid agam? abeam an maneam? an adeam, an fugiam? quid agam edepol ne-

HUius Sc. versus in dolore tumultuante A Sene numeris sunt confusi. Sunt autem catalectici, trimetri, tetrametri, & brachicatalectici, & hypercatalectici.

1. PERII, INT.] V. N. Capt. act. 3:5.

2. TENE T.] Furem insequentes clamabant etiam, PREHENDE FVREM. *Briss.*

5. ORO, OBTESTOR &c.] *Carolus Piso Lotharing.* & *Acidalius* versus ita ordinant, certissimâ conjecturâ, & sensu (ut ajunt) liquidissimo. *Oro, obt. &c. Quid est? q. &c. Qui vestitu &c. Quid ais tu &c. Hem, nemo &c.* Quibus ego quidem facilè adsentirer; nisi probabilius videretur, risum spectatorum tunc demum esse excitatum, cùm Euclio ad unum illum in turbâ conversum dixisset: *Quid ais tu? &c.* Nihil igitur innovare placuit cum Pareo, aucupatore novitatis.

6. ET CRETA] i. eleganti nitidoque & mundo vestitu cretatoque. nam cretâ sordes vestium extergebantur & eluebantur: quod Plin. docet lib. 35. 15. & 17. Turneb. lib. 24. 23. & J. Gruterus. Lipsius Elect. lib. 1. 13. Color, inquit, principio in omni togâ niveus: habendo sordes trahebat & squallorem. quod in vulgatâ togâ ferebant; non ferebant per dies festos. More planè gemino moribus nostris. Inde est quòd per Ludos apud Martialem & alios *Candidati* leguntur. Inde, quod apud Plautum scribitur: *Qui vestitu & cretâ &c.* in homines, nisi fallor, tenuiores: quibus cùm copia mutandæ togæ non esset; tamen ut nitidi & melioris fortunæ apparerent; sub dies Ludorum togulam suam incretabant. Potest & referri ad servos: qui ut liberos mentirentur, fortasse cretam addebant in vestem, ut in caveâ fallerent permixti. quod ultimum

Lipsii, planèque dubium, Pareus transtulit in Electa sua, tanquã certissimum; moremq; denique facit communem, neque ulli adstringit loco; sic: *Servi ut liberos mentirentur cretam addebant in vestem, ut fallerent aliis permixti.* qualis judicii sinisteritas!

8. QVID EST? QVID R.] MS. Cam. *Quid est quod rid.*

8. NOVI OMNES] Mirum, *ait J. Gul.* si novit ille omnes in caveâ. sin quid reconditi joci est, fateor me ignorare. opinor tamen veriùs esse, *novi homines.* Ea formula est, cùm significamus, nihil fieri præter hominum morem, & præter solitum. Trucul. *Novi ego hominum mores, &c.* Probatur & *Grutero*, qui haud ideo tamen temerè ejecerit vulgatam scripturam.

10. ME MISER.] *Me miserum!* Ploratus sono verbi expressus. nam *me* & *mi* particulæ sunt flebiles: ut indicat Aristoph. in Equitibus. Ita Virgil. 2. Æn. *-quid jam misero mihi denique restat?* Parrhas. in Orat. Cic. pro Mil. Cæterùm hic versus ita scribitur in MS. Cam. & omn. Pall. atque Edd. Nam licet in illo superscriptum sit, *miserè*: tamen *miserum* in contextu geminatur.

11. GEMITI ET MALÆ M.] ita Prisc. *Tantum gemiti & malæ mæstitiæ h.* quod & MS. Lang. & Edd. vett. agnoscũt, & unicum probat Meursius. J. Bernartius ad illa libr. 1. Silvar. Statii,

A *——insigni geminat Concordia tedâ*;

notat: *Geminat*, i. firmat. robusta enim firmaque dici *gemina*, notum est: ut apud Virgil. 1. Georg.

——duplici dentalia ferro.

Cogitemus, num hinc firmari possit variè concussus locus Plauti: hoc scil. modo: *Tantum geminique mali, molestiæque h.* Nonius vulgatus, *Tantum gemitique mali molestiæque h.* quod Cam. secutus est. at Mercerus è MSS. suis redonavit Marcello, *Tantum gemiti mali, & mæstitia mihi hic d. ob. Gemiti*, pro *gemitus*: ut *senati* &c.

14. QVOD CVSTOD.] MS. Cam. *Quod concustodivi.*

EO] sc. auro. Rectè. Ein Spahrer muß ein Verzehrer haben.

B 15. LÆTIFICANTVR] ita Cic. 2. De nat. deor. *Sol terram lætificat.* Eâ formâ est *Magnificare*, in nostro, ut & Ter. Hecyrâ. *Pacificare*, item *Turpificare* lib. 3. Offic. Cic. de quibus H. Steph. in *De Latinitate falsò suspectâ.*

16. PATI NEQVEO] Meurs. l. *patiri nequeo*, versûs caussâ. quâ facie, *gradiri*, *moriri.*

17. EIVLANS] Cic. Tusc. lib. 2. *Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque rarò: ejulare ne mulieri quidem &c.* Et hanc lugubrem ejulationem vocarunt LL. XII. tabb. *lessum.* Horat. 10. Epod. *Et illa non-virilis ejulatio.* L.

ACTUS IV. SCENA X.

EUCLIO senex. LYCONIDES adolescens.

QUIS homo hîc loquitur? LY. ego sum. EV. imò ego sum miser, & miserè perditus,
Cui tanta mala, mæstitudoque obtigit. LY. animo bono es.
EV. Quo obsecro pacto esse possum? LY. quia istuc facinus quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, & fateor. EV. quid ego ex te audio?
LY. Id quod verum est. EV. quid ego emerui adolescens mali,
Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?
LY. Deus impulsor mihi fuit, is me ad illam illexit. EV. quo modo?
LY. Fateor peccavisse; & me culpam commeritum scio.
Id adeò te oratum advenio, ut animo æquo ignoscas mihi.
EV. Cur id ausus facere, ut id quod non tuum esset tangeres?
„ *LY. Quid vis fieri? factum est illud FIERI infectum non potest.*
Deos credo voluisse: nam ni vellent, non fieret scio.

EV. At

EV. At ego deos credo voluisse, ut apud te me in nervo enicem.
LY. Ne istuc dixis. EV. quid tibi ergo meam me invito tactio est?
LY. Quia vini vitio atque amoris feci. EV. homo audacissime!
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, impudens?
Nam si istuc jus est, ut tu istuc excusare possies,
Luce claro deripiamus aurum matronis palàm;
Pòst id, si prehensi simus, excusemus ebrios
Nos fecisse amoris caussâ. nimis vile'st vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impunè facere, quod lubeat, licet.
LY. Quin tibi ultrò supplicatum venio ob stultitiam meam.
„ EV. NON MIHI homines placent, qui, quando malefecerunt, purgitant.
Tu illam scibas non tuam esse: non attactam oportuit.
LY. Ergo quia sum tangere ausus, haud caussificor quin eam
Ego habeam potissimùm. EV. tun' habeas me invito meam?
LY. Haud te invito postulo. sed meam esse oportere arbitror.
Quin tu eam invenies, inquam, meam illam esse oportere, Euclio.
EV. Nisi refers. LY. quid tibi ego referam? EV. quod surripuisti meum.
Jam quidem hercle te ad prætorem rapiam, & tibi scribam dicam.
LY. Surripio ego tuum? unde? aut quid id est? EV. ita te amabit Juppiter,
Ut tu nescis? LY. nisi quidem tu mihi, quid quæras dixeris.
EV. Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi
Te abstulisse. LY. neque edepol ego dixi, neque feci. EV. negas?
LY. Pernego imò. nam neque ego aurum, neque istæc aula quæ siet
Scio, nec novi. EV. illam, ex Silvani luco quam abstuleras, cedò.
I refer! dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es, molestus non ero. i verò, refer!
LY. Sanus tu non es, qui furem me voces. ego tè Euclio
De aliâ re rescivisse censui. quod ad me attinet,
Magna est res, quam ego tecum otiosè, si otium est, cupio loqui.
EV. Dic bonâ fide: tu id aurum non surripuisti? LY. bonâ.
EV. Neque scis quis abstulerit? LY. istuc quoque bonâ. EV. atque id si scies,
Qui abstulerit, mihi indicabis? LY. faciam. EV. neque partem tibi
Ab eo, quiqui est, inde posces: neque furem excipies? LY. ita.
EV. Quid si fallis? LY. tum me faciat quod volt magnus Juppiter!
EV. Sat habeo. age nunc loquere quid vis. LY. si me novisti minus,
Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus avonculus:
Meus fuit pater Antimachus: ego vocor Lyconides:
Mater est Eunomia. EV. novi genus. nunc quid vis? id volo
Noscere. LY. filiam ex te tu habes. EV. imò eccillam domi.
LY. Eam tu despondisti, opinor, meo avunculo. EV. omnem rem tenes.
LY. Is me nunc renunciare repudium jussit tibi.
EV. Repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptiis?

Vt illum di immortales omnes deæque, quantum est, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi infelix miser.
LY. Bono animo es, & benedice, nunc, quæ res tibi & gnatæ tuæ
Benè feliciterque vortat. ita di faxint! inquito.
EV. Ita di faciant. LY. & mihi ita di faciant! audi nunc jam.
Qui homo culpam admisit in se, nullus est tam parvi preti,
Quin pudeat, quin purget sese. nunc te obtestor, Euclio,
Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,
Vt mihi ignoscas, eamque uxorem mihi des, ut leges jubent:
Ego me injuriam fecisse filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis per vinum, atque impulsu adolescentiæ.
EV. Hei mihi! quod facinus ex te ego audio? LY. cur ejulas?
Quem ego avum feci jam ut esses filiæ nuptiis:
Nam tua gnata peperit, decumo mense post: numerum cape.
Eâ re repudium remisit avunculus caussâ meâ.
I intrò, exquire sit ne ita, ut ego prædico. EV. perii oppidò,
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ se agglutinant.
Ibo intrò, ut quid hujus veri sit, sciam. LY. jam te sequor.
Hæc propemodum jam esse in vado salutis res videtur.
Nunc servum esse ubi dicam meum Strobilium, non reperio:
Nisi etiam hîc operiar tamen paulisper, postea intrò
Hunc subsequar. nunc interim spacium ei dabo exquirendi
Meum factum ex gnatæ pedisequâ nutrice anu. ea rem novit.

VERSUS sunt tetrametri catal. trochaici, præter ultimos quinque Hipponacteos septenarios.

2. CUI TANTA M. &c.] Ed. Ald. & Basil. *Quoi tanta mala mæstitudo obtigit*: non, *mæstitudoque*. quod Plautinius videtur Meursio. Nos MS. Cam. & veteriores Edd. expressimus. Ita in præcedenti versu mutila sunt, inquit idem, verba Lyconidæ. Scrib. *LY. ego sum miser*. Et ita est in vulgg. nec aliter potest: apparet ex responsione Euclionis, cùm dicit, se potiùs *miserum* esse, cui tanta mala obtigissent: *Hæc ille*. Cui adstipulatur seriò etiam Acidalius. Sed tamen *Gruterus* millecuplo plus Venerum subesse putat, si excludamus illud *miser*, quod nulli agnoscant MSS. neque adeò vett. Edd.

5. QUID EGO EMERUI] ita consensu ferè MSS. Pall. & Lang. & vet. Edd. alii supplendo versu fecerunt, *quid ego de te merui*. quod statim in editionis suæ lutosum pelagus rapuit Pareus. sed quid si geminata vox excidit? *Id quod verum est. EV. verum? quid ego em.*

6. PERDITUM IRES] V. N. Persâ, 1.2.

9. ID] propter id. L.

13. APUD TE ME IN N.] *Gruterus* retinendum censet, quod omnes MSS. & editi habent: ut nimirum perturbatissimus præ lætitia senex, contrarium ejus dicat quàm dictum oportuerat, quemadmodum Casin. 3.5. v.38: Me *occidit*? PA. *an quidquam ad te attinet*? ST. *peccavi illuc dicere villicum volebam*. Tamen & Pistoris cum Meursio verba transponit, *ut apud me te in n.* nimirum mihi addictum & condemnatum, ob furtum tam grande aulæ quadrilibris auro plenæ. Aliter enim satisfieri sibi senex non posse innuit, quàm per addictionem.

13 NERVO] Glossar. *Nervus*, *ξυλοπέδη*. Simpliciter Attici veteres *Nervum* vocabant *ξύλον*, i. *lignum*, &c. unde qui ex lege *Nexi* erant, dicebantur *ἐγκαλοσκελεῖς* in Legibus Atheniensium. Terent. *In nervum potius ibit*, &c. Scalig.

14. TACTIO

14. TACTIO EST] V. N. ... id. 2:2. Est autem ambiguitas in *tangere*, quo & furari, (unde *tagaces* pro furibus) & cum ... uliere rem habere significat. Horat. 1. Sat. 2. *... nam nullam ego tango.* Passerat. ad 2. El. ... Propertii.

14. MEAM] sc. *ollam*, ut quidem Euclio sentit: *filiam*, ut Lyconides. L.

15. CVM ISTACIN'] Sic V. C. & Ed. prima, sed divisim, *Cum istac in te.* prius cusi, *Cum istacne te.*

18. LVCE CLARO.] Sic legendum; non, *clarâ*: quod & Nonius tutatur. Cic. 3. Offic. *luce claro in foro saltet*: L. Etiam *Grut.* hoc retinet, autoritate Nonii qui tamen præterea ostērat *Luci:* quamvis MSS. Pall. etiam Lang. omnes, & editt. *clarâ*. V. N. Cist. 2. 1. Pareus serio miratur, quomodo contra omnem catervam MSS. istud retineri debeat. interim sine vir. is dimittimur, addito: Fruantur sua libidine! quasi scilicet ipse is esset, cui quispiam reddere debeat facti sui rationem. Grammatico tali credendum circa hujusmodi monitum, contra legionem MSS. codicum. auctoritas ejus est pro mille testibus.

19. PREHENSI.] Pareus *prensi*, cum ruina versus.

20. NIMIS VILE] i. Non potest satis magno emi vinum atque amor, siquidem vinum ebrio, amor amanti dant omnium facinorum licentiam & impunitatem: L. At meus ille *Dan. Heinsius* aliquando volebat, *Nimis utile est vin. atque am.* quod statim in editionis suæ primæ barathrum intulit Pareus; sed iterum ejecit secundæ. qualem Epimethea!

22. SVPPLIC. VENIO] ita omnes septem MSS. Grut. ut & Langii, non, *advenio*.

24. NON ATTACTAM OP.] Meursius è MS. Lang. L. *non tactum*, sc. esse. Est autem præteritum infinitivi passivi. Talia sunt illa apud Agell. lib. 1. cap. 7. V. N. Prologo Amphitr.

25. HAVD CAVSSIFIC.] non recuso, οὐ προφασίζομαι. L.

28. QVIN TV EAM] Qui civem Romanam vitiârat, aut eam indotatam ducere, aut si hoc recusaret, capitis argui consuevit. nec intererat, filiusne familiâs esset, an paterfamiliâs. testatur expressè Terent. Adelph. *Ravard lib. 4: 15.*

29. NISI REFERS.] ἀνταπόδοσις. sc. pœnas de te meritas sumam: L. Acid. versus transponit: *EV. Jam quidem ad &c. Nisi ref.* Ita nulla esset ἀνταπόδοσις.

30. RAPIAM] dixit, ut perturbatus. nam ad Prætorem *ducere*, & in jus *vocare* licebat; *Lyc.* non licebat, nisi ei, qui antestatus esset. V. N. Persâ. 4: 9.

30. SCRIB. DICAM] καὶ σοὶ γράφω δίκην. i. tibi lit... intendam. proinde po... Ter. Phor. *sexcentas* Pœn. 3: 6. *...ribito jam mihi dicas.* V. N.

31. SVRRIPIO] ... *surripui*. magis ad ... V. C. & ed. pr. ceteræque etiam retinuit Par... vulgi scilicet: ideo-

31. ITA TE AMAB.] ... formulam Lyconidi præscri... jurisjurandi eam juret, se nescire quid Euc... clio, ut per ... sit surreptum: L.

35. PERNEGO IMO.] Sic *Grut.* sua ... & Acidal. è conjecturâ. itaque planè ... MSS. Lang.

38. MOLEST. NON ERO. I VERO, REFER.] Heral. leg. è MS. *Molestus non ero furi: refer.* & sic quoque Pall. item edd. Camerario priores. is enim è V. C. emendato à recensoribus istud nostrum substituit; quod mille modis venustius priore. quod tamen Pareus revocavit, ut lactucam labris suis sapidiorem. Falsò tamen idem notat, in eo codice initio fuisse *furi*, atq; ex interpolatura factum *iuero*, sive *fuero*. imò illud *uero* totum est sine mangonio, solum prima litera scalpellum passa est: adeò ut verosimile fiat fuisse initio *Fuero*, quomodo erat in Langianis. at quid frequentius quam I migrare in F?

39. FVREM ME VOCAS.] Pareus in Electis notavit ad versum istum: Furti nemo accusari potest, nisi manifestò deprehensus. Sic adolescens se à furto liberat coram Euclione. Quàm falsò, quàm absurdè, quàm præter ipsam rem!

40. CENSVI. QVOD AD] ita Grut. è MSS. distinxit. In MS. Heral. est, *quæ ad me attineat*.

42. DIC BONA F.] Jurabant &, *Per fidem*, simpliciter. Petron. *Et, Per fidem, inquam, pater, cujus hæc navis est, aut quosvehat, dicere potes?* Et, *Per fidem*, i. dic per fidem. Sanctissimum erat jusjurandum; *Per fidem.* Plutarch. in *Numâ*. Dion. Halicar. lib. 9.

lib. 9. & 11: *Notat Herald.* MSS. variè hîc turbātur. tranquillavit Camerarius: cui acquiescere Pareum, monstrum est.

45. AB EO QVIQVI ES] Ita Camer. proximè veteres libros Pall. in quibus, *Ab eo cuique est;* nisi quod tertius, *ab eo cui sit.* quint. *cuicunq. est.* V. C. *ab eo cuiquam est.* vett. edd. *ab eo cui est.* Pareus gloriatur restituisse locum rescribendo, *Ab eo quicunq. est.* at quid tunc fit versui? quæ restitutio! si quid libet mutare, recipiamus; *cui est*, cum edd. antiquitatis ultimæ.

45. INDE POSC.] ita MSS. Pall. aliquot, & Non. in *Excipere.* Vulgati cod. *indipisces.*

45. EXCIPIES] *i. excusabis*, vel *celabis*, inquit Nonius; nescio an satis propriè malim respici ad Festi *excipuum.*

46. QVID SI FALLIS?] Vett. edd. *id fallis.* neque aliter Pall. fere, mutatumq; in quibusdam *id si fall.* Vet. cod. *it fallis?*

46. ME FACIAT] So thue mir Gott dies vnd das. Luc. Fruterius hîc & alibi in similibus exemplis, contendit *me* pro *mi* scriptum antiquitùs: & probat hanc formam loquendi illo etiam ex Bacchid. *Quid mihi fiet?* lib. 1: 16. Verisimil. Contrà *J. Douza* hîc & alibi auferendi casu talia accipienda docet. Vide Notas Milit. act. 4: 1.

51. ECCILLAM] V. N. Mil. act. 3: 1.

53. RENVNC. REP.] Hoc ex loco intelligimus, cur, *Nuncium remittere*, pro repudiare, Cic. in Top. dixerit. Nam per nuncium sæpe renunciabant repudium. ubi *Remittere*, est, auctore Nonio, mittere. Turn. lib. 14: 5.

57. BENEDICE] εὐφήμει. L.

QVÆ RES T.] Formula precandi solemnis, quâ utebantur initio rei cujuslibet gerendæ.

QVOD BONVM, FAVSTVM FELIXQ. SIT.] Vide Briss. Form.

62. SI QVID EGO ERGO.] Ita Camerarius, cùm reperisset in V. C. *Vt si quid ego erga.*

A nam Pall. non agnoscunt *si*, & variant. Edd. vett: *Vt quod ego erga.* Pareus non contentus repræsentasse lectionem veteris codicis; verbo initiali adhuc literam addidit, *Vti*, quo ipso exoritur versus sine numeris, sine lege. Misellus ille, qui post Camerarium, post Taubmannum, ingenii sui, judicii sui scævitatem explorare ausus in Plauto! hoc est, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν.

63. LEGES IVB.] Jubent enim leges eum, qui virginem vitiavit, eam aut dotare, aut uxorem ducere. *L.*

66. FACINVS EX TE EGO AVDIO?] Pareus dum reponit nobis nullo subnixus libro scripto editove (Notæ enim ejus planè mentiuntur) *tedego*; ubi versui se consulere arbitratur, eum ipsum turpiter corrumpit. ô veram Æsculapii prolem!

67. QVEM HOD. EGO] Genus loquendi permixtum. V. N. Epid. 4: 2.

68. NVM. CAPE.] i. accipe. *Nonius.* Rechne von der zeit an / sc. à Θεσμοφορίοις.

B

70. EXQVIRE] ita MS. Cam. At Prisc. lib. 1. & vett. cod. l. *exquære.* & præfert L. Fruter. Conject. l. 3. item Meursius. Capt. 2: 2.

72. HVIVS VERI S.] ita MS. Cam. At v. codd. *quid hujus rei sit sc.*

73. IN VADO] in salute explorata & certà. Sic Ter. Andr. act. 5: 2. *Omnis res est jam in vado.* ubi Donatus, *In vado, i. in securitate. nam ut in profundo periculum est, ita in vado securitas.*

ANV] Staphylâ. Pareus ex V. C. huic versui invexit novam vocem: *Meum gnatum factum ex gnatæ pedisiqua nutrice anu.* quo ipso sensus corrumpitur, versusque ita excrescit, ut metiendus veniat hastâ longiore. At enim idem cùm videret, vocem illam punctis subnotatam; scire debebat esse ab exerratione librarii. nam ita eis mos erat, ne devenustaretur scriptura paginarum, nunquam atramento inducebant verba inducenda: punctis tantum insigniebant.

ACTVS

ACTUS V.

STROBILUS, LYCONIDES.

DI immortales, quibus & quantis me donatis gaudijs!
Quadrilibrem aulam auro onustam habeo. quis me est divitior?
Quis me Athenis nunc magis quisquam est homo, cui di sint propitij?
LY. Certò enim ego vocem hic loquētis modò me audire visus sum. ST. Hem?
Herumne ego aspicio meum? LY. video ego hunc Strobilum, servum meum?
ST. Ipsus est. LY. haud aliud est. ST. congrediar. LY. contollam gradum.
Credo ego illum, ut jussi, eampse anum adisse, hujus nutricem virginis.
ST. Quin ego illi me invenisse dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo ut manu me mittat. ibo atque eloquar.
Repperi. LY. quid repperisti? ST. non quod pueri clamitant
In fabâ se repperisse. LY. jamne autem, ut soles, deludis?
ST. Here mane, eloquar. jam ausculta. LY. age ergo loquere. ST. repperi hodie,
Here, divitias nimias. LY. ubi nam? ST. quadrilibrem inquam aulam auri (plenam.
LY. Quod ego facinus audio ex te? ST. Euclioni huic seni surripui.
LY. Ubi id est aurum? ST. in arcâ apud me. nunc volo me emitti manu.
LY. Egone te emittam manu, scelerum cumulatissime? ST. abi here, scio
Quam rem geras, lepidè hercle animum tuum tentavi. jam
Ut eriperes apparabas. quid faceres, si repperissem?
LY. Non potes probasse nugas. i redde aurum. ST. reddam ego aurum?
LY. Redde inquam, ut huic reddatur. ST. ah, unde? LY. quod modò fassus es (esse
In arcâ. ST. soleo hercle ego garrire nugas, ita loquor. LY. at scin'
Quomodo? ST. vel hercle enica, nunquam hinc feres à me.

IMPERFECTA FABULA.

VERSUS sunt tetrametri, troch. & Hipponactei: & alii quidem admisti breviores. sed de distinctione nihil affirmat Camerarius.

V. 1. DONATIS GAUDIIS!] Acidalius negat hoc Plautinum, legit itaque, ——*quibus med oneratis g.* Ita Capt. *onerare lætitiâ senem.* Milit. *onera te hilaritudine.* Sticho: *onustum pectus porto lætitiâ.* Ib. *oneremus nos invicem voluptatibus.* id ita amplexus est Pareus, ut perennem habere sedem voluerit in editione sua cloacaria: nec satis: etiam in Phraseologia, tit. *Dandis,* notat, insulsè vulgatam retineri à Taubmanno. Quis enim, inquit, aut Latinum, adeoque Plautinum, illud credat? A At enim si licuit dicere Tibullo, *donare salute,* Statio, *donare honoribus;* non video, cur *donare gaudijs,* sapiat barbarismum: præcipuè cum restet in edd. & mss. omnibus,

3. QUIS ME &c.] *Quis,* & *quisquam,* Pleonasmus: L. At VIR doct. l. *usquam* pro *quisquam.*

4. ME AND.] Tritum est in vulgo; Solitos sæpe veteres accusandi casum pro nominativo ponere: quale illud Ter. Heaut. *Illum ut vivat optant,* pro, *ille ut vivat;* & quod Brissonius libro Parergon singulari ex l. 8. D. de liber. leg. adducit: *Non solum nostrum debitorem, sed & hæredis nostri, ut liberetur, legare possumus.* Sic rursum Ter. *Si quisquam*

est, qui placere se studeat bonis. Sallust. *Omnes homines, qui sese student præstare cæteris, &c.* Lucr. *Quippe etenim quammulta tibi me fingere possim.* Plautus Asin. sc. 1. *Atque ego id facere me studeo.* Ib. *id velim me scire.* Sc. 3. *Vult placere sese amicæ.* Menæch. *ad sese me ut irem.* Mostell. *id scire me expeto.* Trin. *Res quædam est, quam ego volo me abs te exorare.* Epid. 1: 2. *Operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.* Cas. Sc. 1. *quod te postules gustare quicquam.* Ibid. *Ne tu te mihi respondere postules.* Capt. 4: 2. *faciam, ut te cupias facere sumptum, &c.* Hæc, & plura *Gasper Schoppius* collegit lib. 4. Epist. 19. Suspectar. Lect. Item Obert. Gifanius *Indice Lucr.* Sed vide mihi & Aus. Popmam *De usu Antiq. locut.*

4. ST. HEM.] Ita MS. Cam. & Pal. pr. sec. tert. ejus loco ceteri *heri*, annectuntque prioribus. minus rectè.

6. CONTOLLAM] *contollere*, valet, conferre: ut *protollere*, proferre. L.

8. QVIN EGO ILLI] Moribus receptum, (*inquit Lipsius lib. 14. ad Tacit.*) ut servus interdum cum domino quasi pacisceretur in certum pretium, quod si exsolvisset, liber esset. Id pretium è peculio servi, vel adventitio lucro. Sen. Epist. 80. *Mancipia quoque conditionis extremæ & in his sordibus nata omni modo exsuere conantur servitutem: peculium suum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Virgilius eò respicit: *Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.* Et vetus sanè mos, cujus vestigia plura in Plauto. ut Aulul. Strobilus reperto thesauro, *Quin ego illi &c.* Gripus servus, Rudente, act. 4: 2. Et clarius in Casinâ: act. 2: 5. *Quid istâ tu me libert. &c.* quod non aliter intellegendum, quàm ut cum hero jam antè pactus fuerit in libram, &c. *J. Grut.* in Suspic. eadem ferè: sed adjicit, Frugi servos rarò serviisse ultrà quinquennium; teste ipso Tullio Philippicâ 8. *Etenim P. C. cum non in spem libertatis sexennio pòst simus ingressi, diutiusque servitutem perpessi, quàm captivi frugi, & diligentes solent, quas vigilias, quas solicitudines, quot labores, liberandi populi R. caussâ, recusare debemus?* Immò & apud Turcas obtinet, ut mancipium recens emptum, herum cogat, vel ut præscribat certum servitutis terminum, vel pretium statuat, quo soluto, liber abeat. Vide & Ræuard. ad L. 19. tit. de Reg. Jur. item Brisson. lib. 6. Form.

9. IBO ATQVE ELOQVAR] Sic Edd. primæ & Pal. sec. & sex. ceteri *iboq. atq.* quod Pareus perperam recepit in contextum; certè invito versu: qui tamen magis adhuc migrabat leges, recepta divinatione ipsius: *ibo quin atq. el.* sed bene quod neque ille ipsam magni facit. prodidit tamen ingenii dexteritatem.

9. IN FABA] ne existimes rem nihili, puta vermiculum, quem *midam* vocant, me reperisse; sed quiddam pretiosum. : L.

20. AH VNDE] Qui negat se aliquid habere sic loqui solet, *Vnde mihi? A quo accepi? Quis dedit?* Propert. 2. el. 7: *Vnde mihi patriis natos præbere triumphis?* Pseudolo 4. 6: *Bona fide istuc dicis? Vnde ea sit mihi?* Passerat. ceterùm istud *ab* solùm extat in edd. vett. Palatini nulli habent.

21. AT SCIN QVOMODO?] V. N. Amphitr. act. 1: 1.

22. FERES à ME] Et hîc finiunt cum MS. Cam. etiam sex Pallatini, teste *Grutero*.

FINIS AVLVLARIÆ.

CAPTEIVEI.

ARGVMENTUM.

FABVLÆ huic nomen CAPTIVI DVO. Inter Plautinas omnes hæc & argumento & expositione optima est & elegantissima. Ipse etiam Poeta hanc commendat ut publicè scriptam. Multæque bonæ Sententiæ in hâc insunt, & eximiæ fidei exemplum

servi

ſervi erga herilem filium. Cum enim bellum eſſet inter Ætolos & Elienſes, capitur Philopolemus Ætolus Hegionis filius, itemque Elienſis Philocrates. Hunc Hegio unà cum ſervo Tyndaro emit, quod ſperaret, poſſe aliquâ permutatione captivorum recuperare ſe filium ſuum. Sed inter dominum & ſervum convenit, ut ſervus ſe dominum eſſe ſimularet. Ita dimiſſus æſtimatus Philocrates ut ſervus, rediit in patriam. Fraude detectâ per alterum captivum Ariſtophontem, vehementiſsimè iraſcitur Senex, & Tyndarum compeditum in lapidicinas conjicit. Hic erat filius ipſius, furto ſurreptus ætate puerili à ſervo. Interea revertitur Philocrates, & adducit filium Hegionis, & ſervum etiam illum furem. Itaque agnitus Tyndarus in libertatem & familiam ſuam reſtituitur.

PERSONÆ Fabulæ ſunt ἡγίων, à *ductu & principatu*. Φιλοκράτης, à *ſtudio victoriæ & potentiæ*, quod eſt κράτος. τύνδαρος, antiquum nomen Laconicum: qui & τυνδάρεος, & pater Helenæ, quæ & τυνδαρὶς ἀρισοφόντης, ut ἀργειφόντης, à *cæde optimatum*. Φιλοπόλεμος *bellicæ rei*, vel *ipſius belli ſtudioſus*. σάλαγμος à *ſtillicidijs* ſeu *guttis*. ἐργάσιλος eſt ἀπὸ τῆς ἐργασίας, id eſt, *ab opere*. Fit & horum mentio: μυράρχου, quo *virium & animoſitatis principatus* ſignificatur. θεοδωρομήδους, in quo ſignificatio eſt *divini doni & intelligentiæ*. κολάφου ab *alapâ*. χορδαλίωνος qui eſt Cordalio, abjecta adſpiratione, à *fidiculis*. κόρακος, *corvi*. itemque ἱππολύτου, facti à *diſtractione* vel *ſolutione equorum*. χορδάλου, qui eſt & ipſe ſine adſpiratione Cordalus, à *nervis* vel *fidiculis*. ARGVMENTVM ita eſt ſumtum quaſi res geratur in Ætolia: *Camerarius*. Erit igitur ἡγίων ductor, ſive prætor, quaſi ἡγεμὼν, παρὰ τὸ ἡγεῖσθαι. Φιλοκράτης, victorioſus. Φιλοπόλεμος, bellax, bellicoſus. ἀρισοφόντης, optimaticida. ἐργάσιλος, operarius. σαλαγμὸς, homuncio ſtiriæ magnitudine. hoc enim nomine Athenienſes per ludibrium apellabant homuncionem perexigui corporis, σμικρὸν παντελῶς ἄνθρωπον, ut eſt apud Euſtathium. apud Athen. σαγόνιον nomen meretricis legas: *Siberus*.

J. Douza: QVOTIESCVNQVE manum Plauti Captivis injectare libet, me ſibi prorſus conſimilem, hoc eſt, *captivum* reddunt; eâdem opinor ratione, quâ olim *Græcia capta ferum victorem cepit*; ut Horatius cecinit: & ſic, ut iis ultrò vinciendum me præbeam, faveamque ipſe ſervituti meæ: neque adeò, ſi liceat, aufugere velim: *Ita iſthæc nimis lenta* (ut meo more Plautiſſem) *vincla ſunt litteraria: Quò magis intendas, tantò adſtringunt arctius*: ratione multò meliore utique, quàm *Eſcaria illa* & Paraſitica, quibus *ſibi apud menſam plenam roſtrum deligari* exoptat Peniculus Plautinus.

DRAMATIS PERSONÆ.

HEGIO ſenex.	ARISTOPHONTES.
LORARIVS.	HEGIONIS Puer.
PHILOCRATES. } Captivi.	PHILOPOLEMVS.
TYNDARVS. } Captivi.	STALAGMVS.

GREX.

ARGVMENTUM.

CAPTVS est in pugnâ Hegionis filius,
Alium quadrimum fugiens servus vendidit.
Pater captivos commercatur Alios,
Tantùm studens, uti natum recuperet.
Et in ibus emit olim amissum filium.
Is suo cum domino veste versâ ac nomine,
Vt amittatur fecit: ipsus plectitur.
Et is reduxit captum & fugitivum simul,
Indicio cujus alium agnoscit filium.

ALIVM QVADR.] i. alterum Hegionis filium, Pægnium: qui postea dictus est Tyndarus. *Alius*, pro, *alter*. Ita Apul. lib. 5. Milesiar. de colloquio duarum Sororum: *Suscipit alia*. i. altera respondet. Idem l. 4. *Namque ille alius asinus divinato & antè capto meo cogitatu &c.* Ita vicissim à Phædro Fab. 18. *Alter*, pro alio quovis dicitur: *Schoppius*. Etiam Casaub. in August. Histor. notat. *alium* pro *altero* sæpè in Plauto poni. V. N. Truc. act. 1: 2. A

V. 2. SERVVS V.] Stalagmus vendidit Theodoromedi.

3. COMMERC. ALIOS] i. Elios, ab urbe Elide. nam Elienses (vel *Eleos* bellum gessisse cum *Ætolis*, cognoscimus ex Polybio. *Aulida* ergò, & *Aulidenses* nihil huc faciunt. vide Turn. lib. 23: 14. V. C. habet *Aleos*.

4. VTI NAT. RECVP.] ita Cam. & plerique libri. Lamb. l. *nat. suum rec.* & μονοσυλλάβως *suum* pronunciat.

4. NATVM] Philopolemum. nam de altero nulla spes erat.

4. RECVPERET] *Recuperari* dicuntur amissa. Cic. l. 13. Epist. *Ego si hominem per te recuperavero, &c.*

5. ET IN IBVS EM.] Vulg. *Et interibi em.* Sed J. Gul. item Grut. ex MS. L. *Et in ibus emit*. Emit, inquit, captivos *Alios* multos, & in iis filium suum, quem puerum amiserat. Curcul. *parissumi estis ibus, &c.* In MS. Cam. à manu secundâ, & in Pall. Lang. est, *Et inibi e.* quod in contextum admisit Pareus, ea caussa, quia erat in MSS. conveniátne an non; haud curat validus ille virgator. B

6. Is] Tyndarus, qui servit Philocrati.

7. AMITTATVR] i. dimittatur. D.

8. ET IS RED.] Philocrates Pseudotyndarus reduxit & Philopolemum & Stalagmum, qui olim Philocratis patri vendiderat Pægnium: L.

9. ALIVM] Tyndarum; eundemque Pægnium, quem putabat esse servum.

PROLOGVS.

HOs quos videtis stare hîc captivos duos,
Illi qui astant, hi stant ambo, non sedent.
Vos vos mihi testes estis, me verum loqui.
Senex qui hîc habitat, Hegio est hujus pater.
Sed is quo pacto serviat suo sibi patri,
Id ego hîc apud vos proloquar, si operam datis.
Seni huic fuerunt filij nati duo,
Alterum quadrimum puerum servus surpuit,
Eumque hinc profugiens vendidit in Alide
Patri hujusce. Jam hoc tenetis? optimum est.

Negat

Negat hercle ille ultimus. accedito.
Si non ubi sedeas locus est, est ubi ambules,
Quando histrionem cogis mendicarier.
Ego me tuâ caussa, ne erres, non rupturus sum.
Vos qui potestis ope vestrâ censerier,
Accipite reliquom: alieno uti nihil moror.
Fugitivus ille, ut dixeram antè, hujus patri,
Domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.
Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo
Peculiarem: quia quasi una ætas erat.
Hic nunc domi servit suo patri, nec scit pater.
,, *Enimverò DI NOS QVASI pilas homines habent.*
Rationem habetis, quomodo unum amiserit.
Postquam belligerant Aëtoli cum Alijs,
Vt fit in bello, capitur alter filius.
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Cœpit captivos commercari hic Alios,
Si quem reperire posset, cum quo mutet suum
Illum captivum. hunc suum esse nescit, qui domi est.
Et quoniam heri inde audivit de summo loco
Summoque genere captum esse equitem Aleum,
Nihil pretio parsit, filio dum parceret:
Reconciliare ut faciliùs posset domum,
Emit hosce de prædâ ambos de Quæstoribus.
Hice autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto hic servus suum herum hinc amittat domum.
Itáque inter se commutant vestem & nomina.
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus.
Hujus illic, hic illius hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc doctè fallaciam,
Et suum herum faciet libertatis compotem.
Eodémque pacto fratrem servabit suum,
Reducémque faciet liberum in patriam ad patrem
Imprudens: itidem ut sæpe jam in multis locis
,, *PLVS insciens quis fecit, quàm prudens boni.*
Sed inscientes suâ sibi fallaciâ
Ita compararunt & confinxerunt dolum:
Itaque hi commenti de suâ sententiâ,
Vt in servitute hic ad suum maneat patrem.
Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.
,, *HOMVNCVLI quanti sunt! cùm recogito,*
Hæc Res agetur nobis, vobis Fabula.

Sed etiam est paucis, vos quod monitos voluerim.
Profectò expediet Fabulæ huic operam dare.
Non pertractatè facta est, neque item ut cæteræ.
Neque spurcidici insunt versus immemorabiles,
Hic neque perjurus leno est, nec meretrix mala,
Neque miles gloriosus. Ne vereamini,
Quia bellum Aetolis esse dixi cum Aliјs.
Foris illic extra scenam fient prælia.
Nam hoc pæne iniquum est Comico choragio,
Conari desubitò nos agere Tragœdiam.
Proin si quis pugnam exspectat, lites contrahat:
Valentiorem nactus adversarium
Si erit, ego faciam ut pugnam inspectet non bonam.
Adeò ut spectare postea omneis oderit.
Abeo. Valete, judices justissimi
Domi; bellique duellatores optumi.

A HOS QVOS] Constructio est, qualis illa Ter. *Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit!* Item Amphitr. act. 4: 1. *Naucratem quem convenire volui, in navi non erat.* Et infrà, 1: 2. *Istos captivos &c. His indito &c.* vide loci hujus explicationem Sticho, act. 1: 2. item Aul. act. 4: 8. Porrò ridiculum hoc est Mureto. at non aliter quoque Cicero. De quo Quintil. lib. 5. c. 10. *Hæc illud adjicere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur, quod Conjugatum vocant: ut, Eos qui rem justam faciant, justè facere. quod certè non eget probatione, &c.* Grut.

V. 2. ILLI] pro, *illic.*

3. VOS VOS M. T.] ita Pallat. omnes. at MS. Cam. *Hoc vos m. testu e.* prius scripserat *Hos vos*, quod & in Ed. prima.

4. EST HVIVS] Tyndari.

8. ALTERVM Q.] Acid. è Perioche l. *Alium.* quod *alterum* tamen interpretatur. istudque illicò arripuit in editionis suæ pr. lacum Pareus, contra MSS. & edd. vett.

9. ALIDE] pro, *Elide. Elis* Achaiæ oppidum. Sic autem restituit Turnebus: quod porrigendum est ad omnes locos, in quibus legitur *Alide &c.* V. N. infrà; act. 2: 2.

10. HVIVSCE] Philocratis.

10. TENETIS?] ita Grut. distinguit.

11. NEGAT H.] ἀποστροφὴ ad quendam obstrepentem Prologo de ultimâ caveâ. *Cam.*

13. MENDICARIER.] Histrio, cui obstrepitur, vocem plerunque obtundit clamando: ravi autem contractâ, exsibilatur. atque ita arte histrionicâ deserta cogitur mendicare. Sic Ter. *Ille ad famem hunc ab studio studuit rejicere.* Nonius: *Mendicarier*, pro, *mendicare.* Plaut. Vidulariâ.
Malim moriri meos quàm mendicarier: L. At J. Palm. l. ——*cogis mendice ravier*, aut, *cogis mendicè ravere.* Est autem *ravere* vel *ravi*, raucescere, ad ravim clamare: ut in Pœn. 3: 5. v. 33. Atque hanc scripturam veram esse, aut proximè veram, affirmant sequentia: *Ego me t. &c.* Quando tu, inquit, qui te negas

B tenere, & histrionem cogis ravere, mendicus es, non sum tuâ caussâ rupturus ramices, at vos, qui assidui cives estis, & locupletes, ac vestris opibus potestis censeri, audite reliquum. *Hæc Palm.* Quæ tamen tanti non facio, ut propterea consensum librorum damnem, ut facit Pareus, qui Palmerianum secuturus, monstrosè edidit, *mene ravi.*

14. TVA CAVSSA] Ineptè Lamb. exponit; propter strepitum tuum. Potius enim hoc vult: Ego eâ de caussâ, ut tu, qui in extremâ scenâ stas, Fabulæ argumentum intelligas, me rupturus non sum. *Pistoris.*

14. NON

14. NON RVPT.] ramices rumpuntur, opinione vulgi; nunc vocis contentione, ut heic, & apud Varronem in Nonio Ramices, sic & legimus. Cic. lib. 7. Epist. *Dirupi panè me in judicio Galli Caninii.* Apulejus lib. 8. *Tunc præco diruptis faucibus & rauca voce saucius in meas fortunas ridiculos construebat jocos.* Hor. 1. Epist. 19.

Rupit Hiarbitam Timagenis æmula lingua, &c.

nunc cursus intentione. Plaut. Mercat. 1, 2. v. 27: *Tuâ caussa rupi ramices.* nunc majoris conatus impetu. Varro: *Rapta à nescio quo mulione raptoris ramices rupit*, Mercerus, qui videatur.

15. OPE VESTRA] i. opibus vestris. Intelligit Quirites, quibus quinto quoque anno in lustrum ac censum Civium R. nomina sua referre jus erat.

16. RELIQVVM] scil. Argumenti.

16. ALIENO VII &c.] Referendum ad id, quod alibi (*Cistellaria*) item Prologum fabulantem inducit:

Nunc, quod reliquum restat, volo persolvere:
Ut expungatur nomen, ne quid debeam.

Idem enim hic apertissimè significat: nihil se morari alieno in ære esse debitorem, cui præsertim in promptu sit, unde nomen creditoribus dissolvere vel numerato possit. Lambinus in his plane frustra est. *Douza.*

18. DOMINVM] Domini sui Hegionis filium, Pægnium. L.

19. HIC] Theodoromedes, Philocratis pater. L.

20. PECVLIAR.] *Peculiares servos*, nuncupatos esse *servos vicarios*, docet Tit. Popma: quem vide.

21. HIC NVNC] Tyndarus.

22. QVASI PILAS] versant nos, & ut ipsis commodum est, malè habent: *P. Victor lib. 23: 18.* Sic Græci, θεῶν παίγνια ἄνθρωποι. Sapienter etiam Herod. lib. 1. ἡ ἀνθρωπηΐη εὐδαιμονίη οὐδαμᾶ ἐν τωὐτῷ μένει. Et ob id Plato homines esse dicebat θεῶν ἀθύρματα. Æsopum etiam Phrygem interrogatum quid ageret Juppiter, respondisse ajunt, τὰ μὲν οἰκοδομεῖν, τὰ δὲ καταβάλλειν. *De miserâ rerum humanarum conditione* disputat copiosè Muretus lib. XVI. c. XV. Var. lect. Qui idem & in 1. de Repub. Plat. hic respectum putat ad illud, quo Plato hominem quasi oblectamentum quoddam deorum censuit, tali quodam artificio effectum, quali erant icunculæ puerorum; in quîs si funiculum tractares, earum aliqua pars corporis moveretur. Θαύματα Græcis dicta: & qui tales icunculas lucelli caussâ circumferebant νευροσπάσται audiebant. Sed tamen & Douza audiatur. Is igitur, Sententia, *inquit*, multo argutissima, sed notionis reconditæ, & cujus explicationem non aliunde quàm ab illa vetusti moris observatione, quam habes in Festo, totam dependere judicio: *Pilæ & effigies viriles & muliebres ex lanâ Compitalibus suspendebantur in compitis, quòd hunc diem festum esse deorum inferorum, quos vocant Lares, putarent; quibus tot pilæ, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur; ut vivis parcerent, & essent his pilis & simulacris contenti, &c.* Atque hoc illud esse arbitror, quòd etiamnum in superstitibus Romanæ antiquitatis monumentis Lares Penatesque cum *pilis* depicti spectantur: quas in manibus gestantes versent quo pacto lubet, eoque haud dubiè à callentissimo Poetâ allusum. *Hæc Douza.* qui & lib. 1. Rerum Hollandic. pulchrè huc alludit:

Non secus atque pilas homines (Francus ne sit an Sax,
Nil refert) raptor Norvegianus habet.

24. CVM ALIIS] Meurs. l. *Cume Aliis.* ne versus fit hiulcus. Ita Sc. seq. *Ita n. b. Æt. cume Aliis.* V. N. Rud. act. 2: 4. MSS. Pall. cum Aulidis. V. C. Alidis.

28. CVM QVO MVT.] ita MSS. & omn. libri, etiam Arg. tamen Gifanius τὸ *cum* glossam censet: qui & Sc. 1. l. *suum qui mutet*, extrito *cum.* ut loquitur sc. 2. *Hoc illum me mutare confido fore.* Etiam Acidalius negat Latinè dici, *Mutare quid cum aliquô*: quantumvis Ivonis Carcinoma istud tueri utrunque conetur. Pareus notat, reperisse in Pal. sec. *qui mutet*, sed profectò abutitur auribus nostris. habet enim disertè *qui commutet*, quod eodem redit; *qui cum mutet.* Si alius ita laudasset MS. audiret illicò profanator Antiquitatis, & in membranas Pall. nimium quantum injurius.

30. INDE] ex Elide: L. At J. Gul. *inaudibit*: rectissimè, ut visum *Douzæ* & Gruteo. V. N. infra, 3: 5. Pareus tamen, tanquam necessariò ita legi debeat, in editiones suas conjecturam illam recepit.

 31. CAPIVM

31. CAPTVM ESSE EQ. ALEVM] ita Grut. è MS.Cam. vulgati: *capt. etiam eq. alterum.* Acidalio suspectum est *equitem:* & trepidat legere, *etiamque item alterum.* ut duos dicat, summo quendam genere, itemque alterum non ita nobilem, certè paulo post de duobus loquitur.

32. F. D. PARCERET] dummodò filio suo consuleret, eumque in libertatem vindicaret. L.

33. RECONCILIARE] recuperare.

34. DE QVÆSTORIBVS] Urbanis scilicet, qui ærarium curabant. Ii & manubias hostium prædesque vendebant.

35. HICE] Cam.l. *Hisce*, pro, *isti*. ut *Hisce hoc munere suam esse Thaidem arbitrantur.*

44. ITIDEM.] V.C. *itidemque.* sed nocet versui, restatque alterum in Pall.

45. QVAM PRVDENS BONI.] ita legit ex MS.Grut. Ter. Hæc. extremâ:

——equidem plus hodie boni
Feci imprudens, quàm sciens ante hunc diem unquam.

46. SVA SIBI] suâ ipsorum. L.

DE SVA S.] nullis aliis in consilium adhibitis. Sic loquuntur boni scriptores. *de consilii sententia: de amicorum sententia.* L.

B

48. HÆC RES] μεσεσμὸς. Hoc vobis, ut rem gestam exponemus, cùm sit fabula: quæ tamen ad vos pertinere videatur, mutatis nominibus, &c. Horat. *mutato nomine de te Fabula narratur.* L.

55. NON PERTRACTATE] Q.d. Novo & singulari & exquisito quodam modo hæc Fabula facta est; non, quo modo aliæ tractari fierique solent. Quæ *pertractantur*, i. valdè & ab omnibus tractantur, non sunt nova, neque nitida, sed obsoleta & inquinata. Et additur ἐπεξήγησις: *neque item, ut cæteræ:* nam idem dicit. Hæc Lambinus. *Pertractatè facere*, inquit Alciatus, est rem vulgatam tractare. Vetustior Interpres: *pertractatè*, est pervulgatè. tractum à meretricibus prostitutis, quarum corpora pertractantur; & vulgò nota sunt. Hoc etiam noto: Jo. Petrum Vallam, in edit. anni 1499. legere, *Nam pertractatè f.* explicare vero *diligenter.* Meursius, Quid? *inquit*, An hæc Fabula minus elaborata, quàm cæteræ; herclè non est. Scribo, *Non prætextatè*, id est, scurrilitas nulla inest,

A

quod & sequenti versu dicit nam *prætextatum* pro obsceno veteres ponebant. Agellius lib.9.cap.10. *Non prætextatis, sed puris honestisque verbis venerandum illud concubii pudici secretum neminem quenquam alium dixisse.* Macrobius Saturn.l.2.c.1. *Hæc nobis sit litterata læticia, & docta cavillatio; vice planipedis, & Sabulonis impudica ac prætextata verba jacientis.* Ex Festi tamen Fragmētis cognoscimus, quosdam etiam pro *pudico* usurpasse: quia *Prætextatis obscena verba loqui nefas erat.* Potest etiam *parectatè* legendum videri. id erit, *juveniliter lasciviens.* quod eòdem recidit. nam *parectati* olim juvenes nuncupantur: ut est apud Nonium. Lucillius:

Inde parectato chlamides ac barbula prima.

Idem: *Tum ephebum quendam, quem vocant parectaton.* Hæc Meurs. cujus *prætextatè* in editionem suam protinus retulit Pareus, idque vocis, tanquam à matre ac patre Plautinum, in Lexico bellissimè nobis proponit.

56. IMMEMORAB.] memoratu indigni, infandi: nullâ memoriâ digni. V. N. Cistell. act.2:1.

58. GLOR. NE VER.] ita est in MSS. Pall. & Langianis; rectè: excluso vulg. *etiam.*

60. FORIS ILLIC] Parei utraque contra MSS. & Edd. omnes, *illic:* secutus sphalma typothetarum Saxonicorum.

61. COMICO CHOR.] i. Comico *instrumento & apparatu Scenarum*: Festus. Tragœdiæ enim aguntur choragio tragico; Comediæ, Comico. *Lamb.* V.N. Trin.4.2.

65. FACIAM] D.l. *faxim.* V. N. Aul. 3: 5. quod & expressit statim, invitis omnibus libris, Pareana pr.

65. INSPECT.] ita omnes libri. Ex conjecturâ tamen S. Bosius l. *cernat.* ut sit jocus ex ambiguo quæsitus in *cernat*, quod & spectare & committere pugnam significat. & istud arripuit ead. Pareana.

68. BELLIQ.] Lamb. suspicatur legendum, *duellique*, idque nec Palmerio displicet. Sic Ennius:

Hos pestis necuit, pars occidit illa duelli.

Cic. 4. de Repub. *Periclem, cum jam civitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli præfuisset* &c. Sallust. bello Jug. *Paucorum arbitrio belli domique agitabatur.* Idem: *Animus*

Animus belli ingens, domi modicus, &c. Vide A. C. Rittersh. ad Gunth. & Not. Epid. act. 3: 4. Acidalius & Siberus disting. ---*jud. justissimi Domi, bell.* ut velit, domi eos esse justiss. judices; & militiæ optimos bellatores. *Domi* autem *bellique*, idem id quod Terentio *domi militiæque*, Demostheni ἐν οἰκίᾳ καὶ ἐν πολέμῳ.

ACTUS I. SCENA I.

ERGASILUS Parasitus.

IUVENTUS nomen indidit scorto mihi,
Eò quia invocatus soleo esse in convivio.
Scio absurdè dictum hoc derisores dicere,
At ego aio rectè. nam in convivio sibi
Amator, talos cùm jacit, scortum invocat.
Estne invocatum, annon? planissimè.
Verùm hercle, verùm nos Parasiti planiùs;
Quos nunquam quisquam neque vocat neque invocat:
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatæ sunt, cùm rus homines eunt;
Simul prolatæ res sunt nostris dentibus.
Quasi cùm caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo sibi succo vivunt, ros si non cadit:
Item Parasiti rebus prolatis latent
In occulto, miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines quos ligurriant.
Prolatis rebus Parasiti venatici
Sumus: quando res redierunt, Molossici
Odiosicique, & multum incommodistici.
Et hic quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis Parasitus, frangique aulas in caput,
Vel ire extra portam trigeminam ad saccum licet.
Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est.
Nam postquam meus rex est potitus hostium,
Ita nunc belligerant Aëtoli cum Aliis.
Nam Aëtolia hæc est: illìc captu'st in Alide
Philopolemus hujus Hegionis filius
Senis, qui hìc habitat: quæ ædes lamentariæ
Mihi sunt: quas quotiescunque conspicio, fleo.
Nunc hic occœpit quæstum hunc filii gratiâ
Inhonestum, maxumè alienum ingenio suo.
Homines captivos commercatur, si queat

Aliquem invenire, suum quîcum mutet filium.
Nunc ad eum pergam. sed aperitur ostium,
Vnde saturitate sæpe ego exii ebrius.

NOMEN INDIDIT] Ita Parasitus quidam apud Phrynichum Ζωμὸς dicebatur, *Ius* sive *Juscnlum*. Ita idem ineptum musicum, μυσῶν σκελετὸν, πλύτνιος ὕμνον vocabat. Ita Damasippus apud Horat. lib. 2. Sat. 3. qui jactabat, solum se nihil sine lucro emere solere, ἕρμαιον dici cæpit à vulgo, festiviss. nominum è re impositore, hoc est, *Mercuriale*. Latinè *Lucrum* aut *Lucellum* dicas. Vide D. Heinsium.

1. SCORTO MIHI] In conviviis quum more Græco solerent talis sortire vices bibendi, talos mittentes scorta invocabant suasque amicas, fausti ominis caussâ. ab illa invocatione Parasiti *scorta* appellari cœpêre, ut hic scurratur: sed aliorsum; quia *invocati*, id est, non vocati venire in convivium solebant; cùm essent patinarum affectatores. Itaque Trucul. act. 3. 2. cum dixisset Truculentus adolescens, *vel amare possum, vel etiam scortum ducere:* respondet Astaphium; *Lepidè mecastor nuncias: sed dic mihi; Ain' te Parasitum posse ducere?* Qui versus satis indicat, Parasitos *scorta* vocatos fuisse: Turn. lib. 23. 24. Is. Casaubonus in Athen. l. 8. c. 7. ubi docet Myconios solitos ad convivia venire invocatos; addit, Fuisse eundem morem & iis, qui corpore merebant, testari Plautinum parasitum his versibus.

3. DERISORES] i. Parasitos & palpones: Nannius, l. 1. Miscell. cap. 8. ubi exemplis Terent. & Hor. docet, *Ridere* & *Irridere* veteribus pro *adulari* positum: triplexque genus Parasitorum fuisse, *Derisores, Plagipatidas* sive *Lacones*, & *Adulatores*, &c. Vide & Not. Asin. act. 4.

5. TALOS CVM] V. N. Persâ act. 5. 1. Mil. 2: 8. Asin. 5: 2.

6. NON? PLANISSIME] Sic MSS. & Edd. vett. recentiores enim, *non est? est plan.* ne numeri labarent. an fuit? *planè planissimè*. Grut.

7. PLANIVS] sc. sumus invocati, i. non vocati: quia neque ad cænam vocamur, neque in talorum jactu invocamur, &c. Ludit in ambiguo: nam, *invocatus*, est etiam ἄκλητος, non-vocatus, & qui αὐτόματος καὶ αὐτόκλητος comparet. Ter. Eun. 5: 9.

——Ut tua mihi domus
Te præsente, absente pateat; invocato ut
sit locus semper.

Nostris Berngäst / Suchetrünck. Lamb. autem in hoc oratione somniat παραλογισμὸν. Sibero ἀστεισμὸς sive γελοιασμὸς est conveniens personæ Parasiti, qui locutorem agit, non Logicum.

8. VOCAT] V. N. Sticho 2. 1. Meursius hæc luxata & transposita ait: quem videas.

9. QVASI MVRES] Sidon. Apollin. lib. 3. ep. 13. ubi hoc genus Gnathonum graphicè pingit, inter alia: *Osor jejuniorum, sectator epularum, laudabilem proferens non de benè vivente, sed de benè pascente sententiam. Inter hac tamen ipse avarissimus quemq; non pascit; tam panis bonus, quàm panis alienus; hoc solum comedens domi, si quid è raptis inter alaparum procellas præmisit obsoniis &c.* V. N. Persâ, act. 1: 2.

10. RES PROLATÆ] Et pro Muræna, *rebus prolatis*: & ad Attic. lib. 7. *rerum prolatio*, apud Cic. significatur negotiorum suspensio, & jurisdictionis silentium, vel justitio indicto belli temporibus, vel feriis & vacationibus: *Cam.* Lucan. in Pison.

——si quando judice fesso
Turbida prolatis tacuerunt jurgia rebus.

M. Minucius Felix: *Sanè ad vindemiam feriæ judiciariam curam relaxaverant.* Glossarium: *Cum res agitatur,* ὅτι ἡ ἀγορά ἐστι. Nam ut *prolata res* dicuntur, quando justitium est, sic *Agi res*, quando, ut loquitur Demosthen. αἱ δίκαι εἰσί. Hinc apud Suet. *Rerum actus*. Casaub. ad Theophrast. Charact. & J. VVover. ad Octavium Min. Felicis.

12. CALETVR] dictum, ut *statur, sudatur*. Cochlea autem alia est à testudine, *limax* etiam dicta nonnullis. Cic. 2. De divin. *-ut sumus Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam &c. Cochleam.* Porrò de cochleis (quod Gruter. observat) eâdem similitudine utitur *Symmachus* lib. 1. epist.

27. item *Hieronymus* & *Plutarchus*. Vide *Varr.* lib.3.cap.14.de Re rust. & *Ammianum* lib.23. in fine.

15. IN OCCULTO MIS.] *In occul.* anapestus est. *Jul. C. Scal.* At Meurs. è v. l. *In occulto miseri victitant succo suo.* Et hoc, inquit, numeri poscunt. Dicebant, *victo*, *victito*. quomodo *dicto*, *dictito*. etsi *victito* usitatius. Ita est in Ald. Basil. In seq. v. l. *ligurriant* : ut & MS. Cam.

16. RURANT] *Rurare*, inquit J. Gul. interpretantur *rusticari* : ego, opus ruri facere, rus colere : ut *arare*, arvum colere. hinc, *Rurationis dii*, apud Apul. qui operi rustico faciundo præsunt. Varro apud Non. *Dum in agro studiosus ruror*, i. agrum colo : non autem ruri ago. Aliud enim *Rurari*, aliud *Rusticari*. quod & Scip. Gentilis monuit.

17. VENATICI] graciles, macri, ad cibum quærendum expediti. In MS. Pall. & Edd. vett. additur vox *canes*: quam tamen Pareus nō admisit, quod in versu, sicuti loquitur, abundat. At cur idem, aliis robustum venerandarum membranarum consensum objectat, ubi potiori de caussa recedunt à scriptis?

18. Q. RES RED.] Quemadmodum feriis *res prolatæ*; ita iis exactis, *rediisse* dicebantur. notat *Sicama* de judicio Centumv. l.2.cap.1.

19. MOLOSSICI] sic, *odiosici* & *incommodistici*, non sunt Latina nomina, sed à Plauto sub personâ Parasiti, risûs movendi caussâ, à *Molosso*, *odio*, & *incommodo*, ita producta. Nonnulli legunt, *odiosidicique*: Lamb. Palmerius in Spicil. ubi docet, veteres *sico* dixisse pro *seco*, annotat : Jocum hunc aliter non esse intelligere, nisi legatur *-molossici odiosicique, & multum incommodestici* : vel, ut in v. c. Langii est, *incommodestici*. ut quæsitus sit joco risus in verbis sicandi & edendi. Parasiti, inquit, *sicando* atque *edendo*, odio atque incommodo sumus. Alciat. l. *incomedestici*, à comedendo. & verò V. C. habet *incomodestici*. Notat Gruterus esse qui legi maluerit, *odorisequiq;*, ut alluserit ei rei Apulejus in Apologia 1. ubi nescio quem *omnus odoris gnarum* facit.

20. NISI QUI COL. Quinctil. major: *Parasitorum vita est contumelias in quæstu habere, & injuriâ pasci.* Meursius, Parasiti, inquit, etsi non servi, maximè tamen serviles erant, qui libertatem offâ venalem habebant, ejusque gratiâ præter irrisum, dicteria, colaphos, etiam ollas sibi in caput confringi permittebant. quod hinc discimus. Insuper hæ ollæ cinere erant repletæ : ut nimirum eo per totum corpus effuso majorem risum Præbitoribus suis exhiberent. Ostendit locus Curcul. act.3. ubi ad hoc Parasitorum ludibrium alluditur, quod in conviviis frequens. ——*nam quid id refert meâ, An aulâ quassâ cum cinere effossus* (oculus) *siet* ? Vide N. Persâ 1: 2.

22. P. TRIGEMINAM] ita dicta à tergeminis Horatiis & Curiatiis ; quæ eadem & *Ostiensis* : quòd per eam iretur *Ostiam*. ibi autem stipem rogasse in sacculum egentes, vel ex Plinio lib.34.cap.5. intelligere est, inquit Lamb. idque confestim arripit pro vero Pareus, Locumque Plinii laudat in Electis tit. Romæ, nimis insulsè. Loquitur enim scriptor de stipe unciaria, honoris caussa à populo Rom. tributa ad statuam extra eam portam P. Minucii. Ludimagister noster scire debebat, stipem dari, non mendicis modò, sed viris illustribus, sed Impp. sed Numinibus ipsis.

22. AD SACCUM] Sic solum V. C. nam & Edd. vett. & Pall. *sacculum* nisi quod set. *saculum*. quod esse poterat *sagulum*.

24. NAM] Lamb. l. *Nunc*: & conjungit cum fine superioris versus ; sensu scilicet & constructione; non item scripturâ : quòd incogitanter & ridiculè putavit Novitius Editor è Vangionibus; qui nobis exhibuit;

——*periculum est. Nunc postquam meus.*

Quid enim vel numeris sic faciet?

24. Rex] qui me alit, Hor. 1. Epist. 17.

——*equus me portet, alat rex.*

Asin. *Ni impetro, regem perdidi.* Tralatitium etiam est, *Reges* à priscis appellari potentiores amicos. Plenus talium est Martialis. V. N. Pers. 5.1. Jac. Durantius *Regem* interpretatur *Dominum*. *Regis* enim significatio, sicut *Domini* in salutationes concessit. Mart. lib.2.68.

Quòd te Nomine jam tuo saluto,
Quem Regem & Dominum prius vocabam,
Ne me dixeris esse contumacem.

24. POTITUS] ab hostibus captus est. Hic in perpessione posuit. Amph. sc. 1. in actione : *Pater potivit servitutis* : Turnebus V. N. Epid. act. 4.1. Jul. C. Scalig. *De causs. ling.*

Lat.l.5.cap.125.Nos istam asperitatem in meliorem receptam legem emollivimus, & interpretamur verbum *Potitus est*, passivè: subintelligimus, *vi* aut *opera*: sicut χάριν subintelligunt Græci, & Sallustius, &c.

33. SVVM QVICVM] ita MS. Pall. & omn. edd. vett. etiam Camerar. & Lambini, præter Argentinensem, quæ τὸ *cum* non habet. hocque unicè rectum opinatur Acidalius. V. N. suprà, Prologo. Et verò Pareus in prima sua sequitur Acid. at secunda habet *qui conmutet*; fortè quod Pall. tres a prima manu sic connectant: cùm tamen ceteri tres & v. ille c. alterum servent. id ipsum nihilominus nemo hauserit ex mendosissimisnè, an mendacissimis, ejus Notis.

35. S. EBRIVS.] *Saturitate ebrius.* ita Horat. 1. Odâ 37. de Cleopatrâ: *fortuna dulci ebria.* Ita Lucr. *homines curis ebrios* dixit. Vide Muret. Var. Lect. l.5. cap.16. Sic Demosthenes 1. Philip. dixit, ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων, *illum rerum gestarum magnitudine ebrium esse*: &, *gladium latrociniis ebrium*, Tertullianus, qui idem (ut obiter d.) libro de jejuniis, cap.9. eleganter *ebriamen* vertit Græcorum μέθυσμα.

ACTUS I. SCENA II.

HEGIO senex, LORARIUS, ERGASILUS Parasitus.

ADVORTE animum sis tu: istos captivos duos
Herè quos emi de prædâ, de quæstoribus,
His indito catenas singularias:
Istas majores, quibus sunt vincti, demito.
Sinito ambulare, si foris, si intus volent:
Sed uti asserventur magnâ diligentiâ.
,, LIBER captivus avis feræ consimilis est:
,, Semel fugiendi si data est occasio,
,, Satis est: nunquàm pòst illam possis prendere.
,, LOR. OMNES profectò liberi lubentius
,, Sumus, quàm servimus. HE. non videre ita tu quidem.
LOR. Si non est quod dem, méne vis dem ipse in pedes?
HEG. Si dederis, erit extemplò mihi, quod dem tibi.
LOR. Avis me feræ consimilem faciam, ut prædicas.
HEG. Ita ut dicis! nam si faxis, te in caveam dabo.
Sed satis verborum est! cura quæ jussi, atque abi.
PAR. Quod ego quidem nimis quàm cupio, ut impetret:
Nam ni illum recipit, nihil est quò me recipiam.
Nulla juventutis est spes, sese omnes amant.
Ille demum antiquis est adolescens moribus:
Cujus nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condignè est pater ejus moratus moribus.
HEG. Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos:
Visam ne nocte hac quippiam turbaverint.
Inde me continuò recipiam rursum domum.

PAR. Ægrè est mihi, hunc facere quæstum carcerarium,
Propter sui gnati miseriam, miserum senem.
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest,
Vel carnificinam hunc facere, possum perpeti.
HEG. Quis hic loquitur? PAR. ego, qui tuo mærore maceror,
Macesco, consenesco, & tabesco miser.
Ossa atque pellis sum miserâ macritudine.
Neque unquam quicquam me juvat quod edo domi:
Foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat.
HEG. Ergasile salve. PAR. di te bene ament, Hegio.
HEG. Ne fle. PAR. egóne illum non fleam? egóne non defleam
Talem adolescentem? HEG. semper sensi filio
Meo te esse amicum; & illum intellexi tibi.
,, PAR. TUM DENIQUE homines nostra intelligimus bona,
,, Cùm quæ in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego, postquam gnatus tuus potitu'st hostium,
Expertus quanti fuerit: nunc desidero.
HEG. Alienus cùm ejus incommodum tam ægrè feras,
Quid me patrem par facere est, cui ille est unicus?
PAR. Alienus ego? alienus ille? ha, Hegio!
Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille unicu'st; mihi, etiam unico magis unicus.
,, HEG. Laudo, MALUM cùm amici tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum. PA. eheu! HEG. huic illud dolet,
Quia nunc remissus est edendi exercitus.
Nullumné interea nactus, qui posset tibi
Remissum, quem dixti, imperare exercitum?
PAR. Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,
Quoi obtigerat; postquam captu'st Philopolemus tuus.
HEG. Non pol mirandum est fugitare hanc provinciam.
Multis & multigeneribus opus est tibi
Militibus primum-dum opus est pistoriensibus:
Eorum sunt genera aliquot pistoriensium.
Opus paniceis, opus placentinis quoque,
Opus turdetanis, opus est ficedulensibus:
Jam maritumi omnes milites opus sunt tibi.
,, PAR. UT SÆPE summa ingenia in occulto latent!
Hic qualis imperator, nunc privatus est!
HEG. Habe modò bonum animum. nam illum confido domum
In his diebus me reconciliassere.
Nam eccum hic captivum adolescentem Alium,
Prognatum genere summo, & summis divitiis:

Hoc illum me mutare confido fore.
PAR. Ita di deæque faxint. HEG. sed num quò foras
Vocatus ad cœnam? PAR. nusquam, quod sciam.
Sed quid tu id quæris? HEG. quia mihi est natalis dies.
Propterea te vocari ad cœnam volo.
PAR. Facetè dictum. HEG. sed si pauxillum potes
Contentus esse. PAR. næ perpauxillum modò.
Nam istoc me assiduo victu delecto domi.
HEG. Age sis roga. PAR. emin' tu? HEG. nisi qui meliorem afferet.
PAR. Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis?
Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus.
HEG. Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.
Sed si venturus, tempori. PAR. hem! vel jam otium est.
HEG. I modò, venare leporem: nunc Cirim tenes.
Nam meus scruposam victus commeat viam.
PAR. Nunquam istoc vinces me Hegio, ne postules:
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
HEG. Asper meus victus sanè est. PAR. sentisne esitas?
HEG. Terrestris cœna est. PAR. sus, terrestris bestia est.
HEG. Multis oleribus. PAR. curato ægrotos domi.
Nunquid vis? HEG. venias tempori. PAR. memorem mones.
HEG. Ibo intrò, atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam siet.
Ad fratrem, quò ire dixeram, mox ivero.

CATENAS SINGVL.] quæ sunt singularum librarum. Sic *ballistæ centenariæ*, quæ saxa centum pondo jaciebant: *talentariæ*, quæ talenti pondo, &c. *Turn.* l. 23. 24. Lambinus *singularias* interpretatur singulares, id est, simplices, minoresque: atque has oppositas majoribus, patere ait ex sequenti, *Istas majores* &c. Alii interpretantur *singulas*: q. d. non binas, sed singulis singulas, de quo Passerat. ad 4. el. 9. Propertii sine.

5. SI FORIS] i. sive f. *Schop.* V. N. Mer. 2: 2.

7. AVIS FERÆ] MS. Cam. & Edd. vet. *ferè*. quod & in Pall. aliquot, sed duo tamen ex iis, item MSS. Lang. & Turnebus l. *feræ*. avis enim fera è caveâ libenter evolat, neque postea redit. lib. 23, 24. & istud requirit responsio versus 14.

9. SATIS EST.] Scalig. ad illud in Catalect. *-dum moriorque satis*; notat: τὸ *satis*, conclamatum est: adducitque hunc locum. Eo istis aus.

9. POST ILLAM] ita MS. Cam. & Edd. Arg. Mediolan. & Ven. cæteræ, *postillà*, quod & Scaliger annotarat.

11. NON VID.] non videris malle liber esse; quàm servire, nam si ita esset, tu te à me, dato pretio redimeres. *L.*

13. SI DEDERIS] sc. te in pedes. Sic Cas. *dare se in fugam*, &c.

13. DEM TIBI] sc. magnum malum. Est autem mirus lepos in verbo *dare* toties iterato. L.

14. AVIS ME F.] i. aufugiam, avolabo. L.

14. VT PRÆDICAS] ita benè Cam. cùm invenisset in MS. suo *prædicisti*. nam antea cusi scriptique *prædixisti*, aut *prædixti*.

15. NAM SI FAX.] ita Acid. & edd. meæ omnes. Lamb. l. *nam ne f.*

15. CAVEAM] manet in metaphorâ, intelligit compedes, custodiam. L.

17. QVOD EGO] Referendum ad illa superiora, ubi dixit, Hegionem homines captivos commercari, si forte queat aliquem invenire, quo filium suum permutet, *Quod ego quidem*, inquit, &c. L. & Pyl. Buccardus. Sed Acid. hos sex seq. versus illi praecedentis Sc. *aliquem invenire &c.* non sensu quidem, sed ipsa scriptura, continue subjungit. Quam tamen insolentem trajectionem mirer ego potius quam imiter: praesertim in consensu tam pertinaci omnis aevi Codicum. fortiter id tamen ausus editione pr. Pareus heros. rediit tamen ad se, secunda.

20. ANTIQVIS MORIBVS] Antiqua, & quae ab aureo illo saeculo, habita sunt omnia meliora nostris: quia scilicet recentia a Deis, propius etiam ad ipsos accedebant. Ita noster Trin. 2:2. *antiquis vivito moribus.* Sic Virg. Prisca & cana fides. Terent. Adelph. 3:3. *Homo antiqua virtute & fide.* Cic. pro Rosc. Amer. *Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent.* Idem: *In qua muliere vestigia antiqui officii remanent.* Tacitus Annal. 17. *Piso vultu habituque moris antiqui & aestimatione recta severus.* Ennius ille tricordis:

MORIBUS ANTIQUIS res stat Romana
virisque.

B Quod postremum *Justus Lipsius*, amicus noster & homo vere antiquis moribus & doctrina pro Scito & Symbolo usurpavit, & Imagini etiam suae praescribi passus est, quam ego quidem nunquam sine interiore animi motu adspicio.

21. CVIVS] alii l. *Quoi.* i. nunquam exhilaravi illum absque praemio aut mercede. *gratiis*, i. gratis. *Cam.*

22. CONDIGNE] Pater similibus est moribus. L.

23. AD ALIOS C.] ita omnes MSS. infra, 2:3.

24. NE HAC NO. Q. TVRB.] pro, *turbaverintne.* Sic Prol. Aul. *ne surreptum*, dixit, pro, *surreptumne.* Pseud. 1:2. —— *ne illi audeant Id facere?* pro, *illine.* quod parum considerate nonnemo mutavit. *J. Gul.*

26. Q. CARCER.] quaestum ex captivis in carcerem conjectis. L.

29. CARNIFICIN.] homines excarnificare, & quaestum ex carnificina illa quaerere. L.

32. OSSA ATQ.] Proverbialis hyperbole de macilentia. *Guntherus* in *Ligurino* (circa A annum Christi M.C.LIII.) lib. 8. de Reb. Frid. Barbarossae:

—— *miserandos possidet artus*
Foeda situ macies: pressis cutis arida membris
Insidet &c. ὀστέα δ' ὀστέα μοῦνον ῥινὸς ἴεν, ut ait Q. Smyrnaeus. V. N. act. 3: 6. Aul.

32. SVM MISERA] J. Gul. l. *sum miser a macritud.* quomodo a manu prima V. C. sed ita ut nomini jungeret praepositionem, *miser amacritudine.* nec aliter ad oram libri sui Scaliger. Pareus Electa sua insignivit quasi elencho, dum ex isto loco eruit: Macies, seu macritudo proprie circa ossa. Itane? at improprie circa quae erat? oracula haec sunt, non verba & voces.

33. ME IVVAT] mihi prodest: μὲ ὄνησιν: hinc cibus ὄνειαρ appellatur a Graecis, eo quod juvet: L. Es schmeckt mir kein Bissen daheim/ gedeyet mir auch nicht.

33. QVOD EDO D.] V. N. Pers. 1:3.

39. TVM D. HOM.] Elegans sententia Sophoclea illa quidem Ajace, etsi Plautus γενικώτερον hanc pronunciavit: Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν Ἔχοντες, οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ. Sic Horat. 3. Od. 23.

Virtutem incolumem odimus:
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.

44. VNICVS] ita Salomon Proverb. c. 4. *Cum tener essem & unicus coram matre mea.* i. unice dilectus. nam plures fuerunt filii Davidis ex eadem matre. itaque *unicum* Graeci ἀγαπητὸν dicunt. Ita unicum Hectoris filiolum. Ἑκτορίδην ἀγαπητὸν dixit Homerus. Et Philosophus in Rhetoricorum libris, ubi quaerit, cur qui luscum privat oculo, graviore supplicio afficiatur, caussam hanc reddit, ὅτι τὸν ἀγαπητὸν ἀφῄρηται. Sic *Unicum amicum* Romani dicunt, quem plus amant caeteris.

45. HA, HEGIO] ita Grut.

47. MIHI ETIAM VNICO] ita Grut. e MS. Cam. & edd. antiq. *mihi etiam unico.* quod magis conveniens.

50. REMISSVS EST ED.] Allegoria a re militari. q. d. Nunc dimissus est ille prior epularum apparatus. dentibus enim, non manibus haec pugna pugnatur. Alii *exercitum* hic sumunt pro exercitatione: quod tamen sequentia refutant, autore quidem Lambino.

52. QVEM DIXTI] ita Pall. ferè & omn. editt. at MS. Cam. *dixit*. fortè leg. *duxit*. i. quem duxit filius meus. quod Pareus arripuit ultima editione; contra mensuram versus. Lamb. reposuit *dixi*, Grutero & Musis invitis; quibus scilicet allubescit *duxti*. ut & Sibero; hoc est, duxisti ac rexisti. quis enim dux auspicatior Parasito ad victûs vincendos, & bellaria debellanda? itaque & sequitur, *opus est tibi militibus*, sc. tanquam ductori.

52. IMPERARE] i. tanquam imperator cogere & parare. Vide Alciat. Parerg. lib.7: 13. Palmerius leg.

——*qui posset tibi*
Remissum, quem duxti, reparare exercitum?
PA. Quid credis? f. o. h. provinciam,
Cui obtigit, postq. captust Philopolemus.

Dixti, corrupte in omnibus, pro *duxti*, abstulerat sententiam. In edendo autem quia facilè primus erat Parasitus, ducem eum exercitus illius facit. *Omnes cui obtigit*, pro, ut cuique obtigit, Comica & antiquæ notæ oratio est. Sic autem fuisse etiam in vet. libris Lambini, ex ejus verbis conjicias. *Hæc Palmerius*. At *J. Gulielmius* vulgatum retinet. Hegio cum videret afflictatem se Parasitum, primùm affectum illum humanitatis putabat: deinde in rectam semitam cogitatione reductus; scilicet illud erat, inquit, quod hunc animi excruciat, quia edendi exercitus remissus est: hoc est, ut explico, quoniam cænationes & prandia, quæ exercitii vicem Parasitis sunt, filio hinc absente conquiescunt. *Exercitus* enim haud dubio exercitium significat versû primo: ut Rudente, *Pro exercitû gymnastico & palæstrico hoc habemus*. Fl. Vegetius certè lib. 2. c. 1. *Exercitus ex re ipsâ atque opere exercitii nomen accepit: ut ei nunquam liceret oblivisci, quod vocabatur*. Hâc vocabuli πολυσημασίᾳ ludens Hegio & conversus ad Parasitum, quasi de copiis militaribus locutus esset: tibi verò, inquit, nemo est qui imperet exercitum, quem remissum tibi paullò antè dixi. Solebant scilicet Imperatores & Proconsules provincialibus imperare milites, quos ἀνάγκης vocat exercitum: & iisdem, si ita meriti viderentur, cum alia, tùm hoc onus militum mittendorum, remittere. Quia ergò, quod ad Philopol. attinebat, remissus Ergasilo erat exercitus, neque necesse habebat cottidie domum Hegionis vocatus venire, & ibi cum militibus non quidem à se adductis, sed isthic repertis rem gerere, patinasque valli in modum exstructas expugnare; ideò rogat, facetus in calamitate sua senex, nullumne interea regem alium nactus sit, qui ipsi exercitum imperaret, hoc est, exercitum eum diripiendis placentis, turdis, ficedulis, & hujusmodi delicatis hostibus aliis haberet. Sic enim, *exercitum imperare*, pro, *exercitum & occupatum habere*, dixit etiam Cistell. *Noli, obsecro, lacrimis tuis mi exercitum imperare*. Hæc ille.

54. POSTQVAM] ita è MS. suo collegit Camer. hanc lectionem: *provinciam, Cui obtigerat, postq. &c.* Cuicunque ait, obvenisset epulandi provincia, eum illam recusare ac fugere. Insigni autem numerorum vitio, verba illa, *Cui obtigerat*, priori versui attexuit *Nobitius è speculâ Vangionum Editor*. sed versuum pedibus operam non impendit tantus Æsculapius. id enim esset reduviarum agere curam. Porrò hanc scripturam & Lamb. agnovit, etsi non secutus est. In MS. Cam. & Edd. vett. est, *Quod obtigerat*. neq; aliter fere Pall.

57. PRIMVM D.] Meurs. è v. c. l. *primodùm*, pro, *primò*. sicut *Ebo, Ebodum*.

57. PISTORIENS.] MS. Cam. & Pall. & editt. ante Aldum, *Pistorensib.* teste Grutero. *Pistorium*, opidum est Italiæ. Hæc autem nomina populorum ad esculenta per jocum transfert. Sanè *Pistorenses* hìc etiam *Coquos* complecti videmus. nam *Coquum* & *Pistorem* apud aliquos eundem fuisse monet Festus. Hinc *pistrinæ*, tabernæ pistorum: & *pistrinarum opera*, genera pistorii operis dicuntur Plinio. Videatur J. VVovver. Notis in Min. Felic. Octavium.

59. PANIC.] Populi à *Panâ* urbe Samnitium denominati. videatur Strabo lib. 5.

59. PLACENT.] Alludit ad eos, qui placentas conficiunt. Glossæ: πλακουντοποιός, *Placentarius, Dulciarius*. Firmicus Astron. lib. 8. *Faciet Pistores dulciarios, conditores*. In MS. Lang. est *Palentinis*. Hinc C. Colerus fecit, *Polentinis*: ut sit lepida allusio ad polentam. *De Polentinis* autem populis consule Plin. & Ptolemæum. sed nihil mutandum contra septem Pall. & Edd. vett. *placentaque* profectò potior Parasito quàm *polenta*: itaq; stolidè

ſolidè id ultimum in contextum editionis ſuæ pr. admiſit Pareus.

60. TVRDETI.] Significat eos, qui turdos vendunt. Vide mihi Strabon.l.3.& Comment. Iſ. Caſauboni, qui de *Turdetaniâ* ſive Boeticâ, quæ Hiſpaniæ regio, accuratè ſcribit, pag.96.

60. FICEDVLENS.] *Ficedula*, vicus Romanus. Alludit ad ficedularum venditores.

61. MARITIMI] piſcatores, qui ſunt multorum generum. L.

62. VT SÆPE] Sicut hîc Plautus convivatorem comparat cum Imperatore; ſic & Horat. 2.Sat.ult.

Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ: L.

63. PRIVATVS] ἰδιώτης. Imperatorem oppoſuit privato: ut Horatius *regem*, 1.Sat.3.

Privatusne magis vivam te rege beatus. L.

65. RECONCILIASSERE] reducem facturum. Eſt autem infinit.modi antiqui, futuri temporis. Sic Ampli. *expugnaſſere*, Aul. *impetraſſere*: Lamb. At Meurſ. l. *reconciliaſcere*: ut *biaſcere*, *labaſcere*. Atque ita eſt in Brix. & ſequacibus.

66. AD AL.] Grut.è MSS. *Nam eccum hîc captivum adoleſcentem Alium*: ejecto *habeo*. quùm *eccum* notet etiam aliquid quod non videtur. V. N. Mil. act. 3:1. ſic quoque reſtat in edd.vett.recentis eſt, additamentum illud. ita etiam verſu 70. intruſum *equidem* parentum ævo, verſui ſuffulciendo, quod tamen in nullis MSS. aut Edd. vett.

71. SED QVID TV ID] ita MS. Cam. At Giphan: *Quidum id q.* In Ald. eſt, *quiddam*. Carp. *quidum*, Pap. *quicdum*, Vulg. *quid tam*. Brix. & Baſil. *quiddum*: atque hoc probat Meurſius: quòd Comici τῷ *dum* explendi metri utantur.

73. SED SI PAVXILLVM P.] Ita *Cam*. & omnes quotquot vidi. At Lamb. l. *pauxillo*: credo, ſolâ ingenii fiduciâ, & quia ſic lubuit. Nam quod Lambinus libros ſuos teſtes laudat, domeſticum eſt teſtimonium: vix credo. Moroſos libros! qui ſic ab omnibus ſeorſim ſentiunt.

73. PAVXILLVM CONTENTVS ESSE] paullulum quid edere, pro re ita contentus, ἀρκούμενος.

74. NÆ PERPAVXIL.] *Næ*, adverb. affirmandi. Cic. in Catil. *Næ illi vehementer errant*. At Lamb. *ne*. Q.d. dum modò ne nimis pauxillum apponas. MSS. neutri addicunt; quia diphthongis rarius utantur: ſanè non hîc.

75. NAM ISTOC] Planiſſimè & hæc Paraſiti ſunt, non Hegionis. Præcipuas autem turbas huic loco dedit illud *emtum*, quod in MSS. & vulgatis eſt. quod Acidalius decentiſſimè in *emin' tu* mutavit, locumque ita refinxit, uti exhibui. non quia hanc conjecturam omninò veram præſtare auſim: ſed quia veriſimilior viſa, & cæteris expeditior. Nihilominus tamen, quid quisque è ſenatu litteratorum in pertricosâ hâc cauſsâ cenſuerit, ordine, ut quidem ſe quisque prior obtulerit, exponam. Sic igitur Lambinus. Hegio jocans pro *ſtipulationis* formula, quæ ex interrogatione & reſponſione conſtat, *emtionis* uſurpat: & ſe quidem emtorem, Paraſitum verò venditorem facit. Solebat autem emtor in auctionibus (V.N.Menæch. extr.) cùm ex præcone rei venalis pretium audiſſet, clarè pronunciare, *Emtum; niſi quis meliorem conditionem afferet*. Quæ formula ſimile quiddam habet *Addictioni in diem*: quæ, ut ait Paulus JC. ita fiebat: *Ille fundus centum eſto tibi emtus: niſi ſi quis intrà Kalend. Januarias proximas meliorem conditionem* (i. majus pretium) *fecerit, quo res à domino abeat*. Itaque licet hæc etiam referre ad morem & formulam *Addictionum in diem*, &c. Sed mavult tamen priore modo. Douza verò (ut & *Turn*. lib.14:7.) poſteriore videtur malle: ut dicat Hegio: Voco te ad cœnam, niſi quis te ad lautiorem vocabit, &c. Notat hæc & B. Briſſon. Formul. Solem. lib.6. *Camerarius* hæc ita παραφράζει: Voca, inquit Paraſitus, me, ſi videtur. Niſi, inquit ſenex, alia melior conditio offeratur. Imò hæc, inquit Paraſitus, maximè placet. At ego, inquit Senex, certis legibus te voco, perinde ac ſi fundum vendam. immò tu, exultabundus Paraſitus inquit, *Profundum vendis*, id eſt, plus quàm fundum. Sed ſenex hæc concludens, Abi modò, inquit, & lautius aliquid ſequere, nunc rem tenes. Huic autem, *Nunc i, rem tenes*, ſimile quodammodo eſt Horatianum illud. *Nunc i, rem ſtrenuus auge*. Sed, *aſper victus*, is eſt quem Græci ἀκατάθυτον vocarunt; *Hæc Cam*. Paraſitum.

inquit Turnebus, gurgitem & voraginem, A *profundum* eleganter, ad fundum alludens vocat: quasi mare quoddam sit, quo omnia sorbeantur & hauriantur. Et *Scaliger* ad illud in Ætnâ, ——*ignoti ventris profundi*, notat: ἀχ-χειῶς, *profundi*, ἐκ βάθη. Unde *profundus* apud veteres dicebatur *venter*. Caper Grammaticus: *In profundum nummi vel in arcam conduntur*. quod ænigmaticè dixit, Aut prodigi aut parci pecuniam. Notat & *P.Colvius* ad illa Apul. *Ventri tam profundo serviens*. Et: *Insatiabilem profundumque ventrem semper esitando distendit*. J.Palmerius; In equuleo, inquit, tortos olim memorant. nugas maximas fuisse opinor, præ ut quomodo in his versibus emaculandis plerique omnes afflictarunt. Non fallor, & profectò aut vera est restitutio, aut proximè veram:

PAR. Age, sis, roga emtum: nisi qui meliorem feret,
Quæ mihi atq; amicis placeat conditio magis;
Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus.
HEG. Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.
Sed si venturus temperi. PA. hem. olis jam otium est.
HEG. I modò, venare leporem; jam erim tenes:
Nam meus scruposam victus commetat viam.

Solebant in contrahendo & obligando rogationibus uti: quarum rerum formulas condebant JC. Varro in *De re Rust.* Cicero in eâ pro *Murenâ*: JC. multis Digest. locis. Hoc est ergò *emptum, conductum, mutuum rogare*. Et ex suâ personâ concinnè hæc Parasitus: ut alter ille Sticho (act.2.1.) auctionem facit. *Ferre conditionem*, quod post dehinc est, aptissimè; aptius etiam verbis Hegionis illa; *profundum vendis*. nam *profundum* significare *ventrem*, magister nobis Caper est: & per hunc porrò noster *Parasitum* anfractu notat: quod Comicis usitatum. Parcam addere, alii hîc quàm multis verbis, quàm nihil dicant: qui nec, *emptum*, respicere illud *roga*; nec *ferre*, spectare hoc, *conditio*, vident: & verba ista, *meis me addicam legibus*, trahunt, quò neque mens Plauti, neque jus Latinitatis patitur. Quoniam autem, *addicere in servitutem*, sermonibus vulgatur; atq; hoc in emtionibus verbum domi est, itemque *addicere* & *condicere ad cœnam*; in orationibus doctorum multa sunt: ob id voce eâ, opinor, lusit. Iis verbis, *olis jam otium est*, *olis* valet *illis*: ita enim veteres: ——*Risit pater optimus olli*. Et totum in gestu est. His, inquit, dentibus meis vel jam nunc operæ est. Postea: *Venare leporem: nunc erim tenes*, potui, ut Camerarius, ille Musarum animus: *I, rem tenes*. sed & quod præcessit, *leporem*, & quæ deinceps sunt, Camerarii illam conjecturam damnant. Asperum enim quid nominasse, indicio sunt: atque id vivum crudumque, ostendit verbum *venare*. Accepi autem & nostratium venatorum querelas, in erinaceos se incidere, dum lepores sectantur: & habere eos nescio quid ἑλκυστικὸν: ut ultrò canes vestigiis leporum desistant, si præsagierint ericium. Quæ de *icti* Erasmus, de *Phasiano* & *Carduelí*, alii; gerræ. De Turnebo libenter sileo. Quæ enim hîc errat, cæteris ejus in Remp. litterariam meritis condonanda sunt. Quî enim minus potuit Plautus, quàm ab ipso sentire: qui & continuo *asperum victum* iteret disertè: & *calceatos dentes* loquatur? B ——*redibo huc ad senem ad cœnam asperam*. Huic autem rei unicus est *Eres*. Horat. Epod. 5. *Horret capillis ut marinus asperis Echinus*. Contrà leporum ac cuniculorum mollities proverbium sustulit. Catullus: ——*mollior cuniculi capillo*. Licuit mihi probare, *cirim*: & libuit, *Venare leporem: nunc cirim tenes*: atque ita credere, ex apologo esse: ut haliæetus, qui cirim teneat, missam hanc accipiatur facere, & leporem consectari: sed quod mihi videretur magis, sequutus sum. *Hactenus* Palm. Deniq; J. Is. Pontanus legit, *HEG. Age sis, rogo. PAR. emptum nisi qui*. Ita Mostell. *Hic apud nos hodie cœnes, te rogo*. Vide not. ejusdem ad Macrob. l.5. c.7. Pareus nobis obtrusit, contra legem versus, ex V. C. *Aiesis*.

78. MEIS ME ADD. LEG.] meo modo & conditione utar. nam *addicere* verbum est augurale. Nonius: *Addictum, est quasi devotum & obnoxium*. Cic.2. Tuscul. *certis quibusdam destinatisq; sententiis addicti, consecrati sunt*. Passerat. ad 3. el. 11. Propertii. Acid. *eis*: nimis dilutè, & contra consensum codd. eo tamen variegatur Parei pr.

SED

SED SI VENTVR.] si venturus cœnatum es ad me, veni tempestivè & maturè: *Turn*. lib.14: 7. V.N. Persâ, 5: 1.

80. VEL IAM OT.] ita V.C. nam Pall. ferè, ut & edd. vete. *æmulis jam ot*. quod Lambinus rejicit: licet Turnebus explicare conetur. Et vidi (inquit idem Turneb.) qui, *bem mulis*, legeret, hoc sensu: meis jam jumentis otium est, nec ullo occupatus sum opere. qui, medius fidius, sensus non indignus est Plautino sale; ut Parasitus de se quasi mulione loquatur. itaque ne discedebat quidem: ac eum propè, ut discedat, cogit senex dicens: *Imò venare leporem, &c.* vide pluscula ibid.

81. NVNC CIRIM TENES.] Camer. leg. *nunc i, rem tenes*. Turnebus, *nunc irim t*. quod probat Lamb. maximè. Q. d. I modò, & capta unctiorem cœnam: nunc habes tibi minimè sumptuosam. *vel sic:* nunc habes cœnæ condimentum. (*Iris*, herba est odorata & aromatica ad cibum commendandum utilis:) *vel:* condimentaria mea cæna est, cùm sit hortensis tota ex olusculis & helvellis: unde addit: *Non meus scruposam victus commetat viam*. i. parabilis & facilis est mea cœna, nec scrupeâ & asperâ captatur viâ; ut cœna, in quâ venatio est. At Scaliger *Cirim* retinet, ad illud in Ceiri, *Fecit & in terris Haliæetus ales ut esset*, hæc annotans: *Haliæetum* Poeta eandem & *Nisum* facit. Ferè omnes invasit opinio, *Cirin* esse alaudam nostram, uno cristæ argumento: *Nisum* verò accipitrem. Haliæetus, ut ipsum nomen indicat, marinas & palustres aves venatur. at alauda non est marina avis, &c. Quare cum parente meo (Exercitatione Exotericâ CCXXXIII. Vide & Ulyss. Aldrovandum Ornithologiâ l.18.c.10.) puto *Cirim* eam esse, quam *egrettam* vulgò vocamus. Egrettam venatur Falco: nam accipitris congressus impar. Ergò *haliæetus* Virgilii est *Falco* noster: nam alius est Aristoteli. Egrettarum cùm sint duo genera, alterum cum apice in capite, alterum careat: hoc quod caret, est Aristotelis λευκερωδιὸς: alterum, κῆρις. Apud Plautum; *I nunc, venare leporem, nunc Cirim tenes*, manifestò ostenditur; (est autem allusum ex apologo quodam) eum, qui Cirim venari potest, posse & leporem: quod sanè non faceret Accipiter. At Falco & leporem & Agrettam seu A Egrettam capit, &c. Hactenus *Scaliger*. In MS. Cam. est, *nunc irim tenes. Non m.* cui alludunt Pall. in quibus *itim, yrim, retim*. etiam primitus cusi *itym*.

82. N. MEVS SCRVPOS.] Alludit ad Proverb. *Terere saxosam viam*, pro eo quod est, in difficultatibus versari. *Scal. ad Propert. lib.4.*

83. COMMEAT V.] vett.cod. ut MSS. Cam. & Pal. pr.sec. quart. *commetat v*. quod magis probum Acidalio. Sed nec Lælii Bisciolæ commentum omittam. Is pro *irim* aut *Cirim*, legit *ictim*. Et est illi *ictis* mustelæ species, quæ *viverra* dicatur, & lepusculis infesta. Atque venatores hoc animal habere in hunc usum, ut lepores facilius capiant. Et si nil capiant, viverram ipsam comedere. Etiam in cæteris curiosus est, quæ vide lib.13. c. 2. Horar. Subsecivarum, tomi primi.

84. CVM CALCEATIS DENTIBVS VEN. TAMEN.] *Calceatos dentes* Lamb. interpretatur paratos ad lauta obsonia edenda. planè contra mentem Plauti. Sed decepit eum Camerarii & Turnebi auctoritas, qui priorem versum malè mutarunt: cùm antea rectissimè B legeretur: *Nam meus scruposam victus commetat viam*. quo idem significatur, quod paulò post dicit Senex: *Asper meus victus sanè est*. Et quod act. 3: 1. legitur: *redibo huc ad senem ad cœnam asperam*. Ex quo jam liquet, quid sint *dentes calceati*. Hoc enim vult Parasitus: Quamvis dicis victum tuum asperum & scruposum esse, non deterrebis tamen, quin veniam, & quidem cum *dentibus calceatis*, id est, ita munitis, ut viam illam scruposam facilè conficere possint. Metaphora ducta à viatoribus, qui per saxa & scrupos ituri calceis se diligentius muniunt: cum in locis planis nudis sæpè pedibus incedant: *Sim. Ulr. Pistoris*. At verò MS. Cam. & Pall sex, leg. *Non m.* quomodo & MS. Frising. & edit. vulgatę. sed Brix. & Ven. & Carp. & vetus Colon. & Basil. *Nam:* quod & Acid. tenet, placuitq; Scaligero, qui sic adscripserat ad Plauti sui marginem.

85. SENTESNE] Jocus ex voce, *asper*, natus. Frist du denn Dörner?

86. TERRESTRIS C.] Interpretatur, quod obscurius dixerat, Hegio. Est autem *terrestris cœna*, quæ nihil nisi terrâ natum habet:

 quam

quam Horatius egregiè *cœnam sine sanguine* dixit, imitatione Græca. Diphilus: δεῖπνον, ἀλλ' οὐδ' αἷμα ἔχει. Pet. Victor. lib. 7:16. Lamb. Lipsius, alii.

86. SVS TERR.] Hoc quoque *de terrestri cœna* aliorsum trahit Parasitus.

87. MVLT. OLER.] Nunc demum planè se explicat Hegio: ut cavillationi amplius non sit locus. Nihil autem inimicius esse oleribus Parasito, & hîc & alibi apud Græcos Comicos declaratur, & notatur à *P. Victorio*. Meursius; Ægrotos, inquit, oleribus curatos olim fuisse, vel ex uno isto Plauti loco facilè apparet. Et huc pertinet Plinii Nat. Hist. liber vigesimus. Inde *Heluones* antiquitùs propriè appellati. Nam *Helus* veteres pro *Holus* dicebant. Quia verò ægroti nauseabundi valdè sunt, fastidiosique & delicati ciborum arbitri, hinc postea translata ea vox ad homines delicatos opiparosque, qui magnas pecunias in dapes profunderent: non in voraces: quòd hactenus tamen ab omnibus falsò existimatum est. *Hæc ille*. Facetè, ait If. Pontanus, *olera* capit Parasitus omne genus herbarum, quibus medemur. Apostoli locus non absimilis 14. ad Rom. ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει.

67. CVRATO] si istam cœnam parare cogitas, eam ægrotis apponito, qui tenui victu alendi sunt: L.

89. SUBDVCAM RAT.] *subducere rationem*, est digitis seorsum & secretò putare rationem, ut appareat, quid nobis debeatur, quid nos aliis. Curcul. 3: 1.

90. TRAPEZIT.] Duobus modis apud nummularios deponi pecuniæ solebant: nimirum aut custodiæ aut fœnoris gratiâ. De priore modo hîc legimus: de posteriore, Mostell. act. 3: 1. Vide Rævard. Var. lib. 1: 15.

ACTUS II. SCENA I.

LORARII, PHILOCRATES, TYNDARVS, Captivi.

SI dij immortales id voluêre vos hanc ærumnam exsequi,
Decet id pati animo æquo. si id facietis, levior labos erit.
Domi fuistis, credo, liberi.
Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonu'st,
Eamque herili imperio ingenijs vestris lenem reddere.
„ *INDIGNA digna habenda sunt, herus quæ facit. CAP. oh! oh! oh!*
LO. Ejulatione haud opus est. oculis multam miseriam additis.
„ *IN RE MALA animo si bono utare, adjuvat.*
CAP. At nos pudet, quia cum catenis sumus. LO. at pigeat postea
Nostrum herum, si vos eximat vinculis,
Aut solutos sinat, quos argento emerit.
CAP. Quid à nobis metuit? scimus nos
Nostrum officium quod est, si solutos sinat.
LO. At fugam fingitis. sentio quam rem agitis.
CAP. Nos fugiamus? quò fugiamus? LO. in patriam. CAP. apage! haud nos
Fugitivos imitari. LO. imò edepol, si erit occasio, haud dehortor. (id deceat
CAP. Vnum exorare vos sinite nos. LO. quidnam id est? CAP. ut sine his arbitris
Atque vobis, nobis detis locum loquendi.

LO. Fiat.

LO. Fiat, abscedite hinc: nos concedamus huc. sed brevem orationem incipesse.
PHI. Hem istuc mihi certum erat. concede huc. LO. abite ab istis. TYN. obnoxii (ambo
Vobis sumus propter hanc rem; cùm, quæ volumus nos,
Copia est; ea facitis nos compotes.
PH. Secede huc nunc jam, si videtur, procul;
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant:
Neve permânet palàm hæc nostra fallacia.
„ Nam DOLI NON doli sunt, nisi astu colas,
Sed malum maximum, si id palàm provenit.
Nam si herus mihi es tu, atque ego me tuum esse servum assimulo,
Tamen viso opu'st, cauto est opus, ut hoc sobriè, sineq; arbitris,
Accuratè hoc agatur, doctè & diligenter.
Tanta incepta res est: haud somniculosè hoc
Agendum est. TYN. ero, ut me voles esse. PHI. spero.
Nam tu nunc vides pro tuo caro capite
Carum offerre meum caput vilitati.
TY. Scio! PH. at scire memento, quando id, quod voles, habebis.
„ Nam FERE MAXIMA pars morem hunc homines habent: quod sibi volunt,
„ Dum id impetrant, boni sunt: sed id ubi jam penes sese habent,
„ Ex bonis pessumi & fraudulentissimi
Sunt. nunc ut te mihi volo esse, esse autumo.
TYN. Quod tibi suadeam, suadeam meo patri.
PHI. Pol ego te, si audeam, meum patrem nominem:
Nam secundum patrem tu es pater proximus.
TYN. Audio. PHI. & propterea sæpius te, ut memineris moneo.
Non ego herus tibi, sed servus sum. nunc obsecro te hoc unum,
Quoniam nobis di immortales animum ostenderunt suum,
Vt qui herum me tibi fuisse, atque esse nunc conservum velint;
Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conservitium commune, quod hosticâ evenit manu,
Ne me secus honore honestes quàm ego te, cùm servibas mihi.
Atque ut qui fueris, & qui nunc sis, meminisse ut memineris.
TYN. Scio quidem me te esse nunc, & te esse me. PHI. hem! istuc si potes
Memoriter meminisse, inest spes nobis in hâc astutiâ.

RATIO versuum hujus Scenæ est inexplorata. A

V. 2. LEVIOR L.] Horat. 1. Od. 24.
Durum, sed levius fit patentiâ,
Quicquid corrigere est nefas. Videantur plura apud Passeratium ad lib. 2. el. 5. Propertii.

4. EVENIT] propriè. nam servitus, libertas, divitiæ &c. à Lucret. lib. 1. appellantur *Eventa,*
Servitium contrà, libertas, divitiæque,
Paupertas, bellum, concordia; cætera, quorum

Adventu manet incolumis natura abituque:
Hæc soliti sumus, ut par est, Eventa vocare.

4. MOS BONVS EST] καλόν ἐστι ἦθος. hoc est, πρὸς ἀνδρός ἐστι ἤθη καλὰ ἔχοντος: *bené moratos decet*. Non minus differunt Latinis *Mos* & *Mores*, quam Græcis ἔθος & ἦθος, quæ & necessariò à sapientibus distinguuntur. *Is. Casaub.* in Spartian.

5. EAMQ. HERILI IMP.] Mos bonus est, lenire servitutem ingeniis vestris (*Dandi casu*) herili imperio, i. per herile imperium, hâc sententiâ: æquum est, vos efficere bené serviendo, ut herus vester clementem se ingeniis vestris, vel in vos præbeat. Ita Lambinus. cui tamen hic locus de vitio omninò suspectus est. MS. Cam. item Pall. & Edd. vett. l: *Eamque & herili*. hinc Gruterus, *Eamque ex herili imperio*. quod Pareus in primæ editionis suæ sentinam intulit. Acidalius leg. *Feramque herili imperio ing*. Servitus herili imperio dura, placidis servientium ingeniis mitigatur. vel; *Feramque ingenio ing*. A quo non dissidet illud Curtii lib. 7. *Regum Ducumque clementia non in ipsorum modò, sed etiam in illorum, qui parent, ingeniis sita est. Obsequio mitigantur imperia.*

6. INDIGNA] Scal. ad illud in Ceiri: *Omnia me potius digna atque indigna laborum Millia visuram, &c.* notat: *Digna indigna*, ut Terent. *justa injusta me facturum*. quæ omnia παροιμιώδη. cujusmodi Proverbium non animadversum apud interpretem Æschyli, δῶλαι δεσποτῶν ἄκοντα καὶ δίκαια χἀδικα. quò Plautus allusit. V. N. Asin. 1:3.

6. OH OH OH] ita Grut. non, *ohoho*. ex Edd. vett. & aliquot Pall.

7. M. MISERIAM ADDITIS] ita Cam. ex conjecturâ: proximè ad V. C. in quo *multa oculis multa miraclitis*. nam Pall. ferè, *multa oculis multa mira cuditis*, aut *miseria*. Editio prima, haud opus est multa oculis multâ mira dicis. quæ scriptura etiam in Pal. sec. Vulg. & Paris. & Brix. *oculis multa misera cuditis*. Ven. & Basil. *editis*. Gul. legit, *oculis multam miseri accuditis*, hâc sententiâ: illos dum lacrimando se affligerent, præter eam quam ipsa miseria fert, aliam quoque calamitatem oculis importare, & malo multam accudere novam. *Cudendi* verbum in malâ

A re poni docet illud jam pæné Proverb. *Inter isthæc cudetur faba*. (quod quidem Terentianum cum nemo, quod sciam rectè explicarit, ex hoc vet. MS. Persii scholio planum fiat. *Scutica*, inquit, *erat quædam corrigia habens in summitate nodos quosdam in modum fabæ, similes ferè castnum: de qua Terentius, Hæc faba cudetur in me. Et erat pœna servorum.* Vide & Lœl. Bisciolam tomi primi l. 5: 22. J. Douza l. *oculis multam miseriam cuditis*, vel certè, *accuditis*. interpretatione sumtâ à loco illo Mostell. act. 4: 2. v. 10. Tamen ibi junctim de dolore oculorum agitur, & nummorum cusione. Acidal. l. *coadditis*. Pareus hîc inter cæcos etiam experitur ingenium, divinatque: *multas oculos multâ Heraclitei*. imò id, ceu verissimum, textui intulit. bellè profectò! neque uspiam toto Plauto minus recessit ab albo Conjectorum. ergo excipiatur risu Democriti: nisi potius & ipsum jubeamus flere, qui tanti fecit excrementum suum, ut adorandum putarit ab Orbe toto.

9. CVM CATENIS S.] Grut. è MS. in quo est, *cum catenatis sumus*, conjicit, *quia concatenati sumus*. At ego ipsum MS. teneam: B quamvis Parei utraque editio præferat alteram. Pall. habent vulgatum.

13. OFFIC. QVOD EST] *est*, pro *sit*, more Plautino. Acid. *off. quoque, etsi s. Officium* autem hîc *fuga* est. Asin. *Quin tu tuum officium facis, ac fugis? Pœnulo: Fugio. MI. meum est istuc magis officium*. Pareus illud *quoque*, in editionis suæ pr. scenam introduxit, sed contra MSS. & edd. vett.

14. FINGITIS] Non vulgariter dictum, *fugam fingere*, pro moliri & struere fugam: sed honestè inprimis, & antiquâ ratione loquendi. Lucill. *Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus*. J. Gul. Sic autem habet V. C. & Edd. vett. Scaliger adnotavit ad librum suum, ceu potius, *fugitis*. & ità sanè Pall. sex, tres Lang. & Samb. MSS.

17. ARBITRIS] sc. captivis aliis.

19. INCIPESSE] ita MS. *incipesse*. Veteres dicebant *Incipio, incipesso*, sicut *Lacio, lacesso*; *Facio, facesso*: *Capio, capesso*: Meurs.

21. QVÆ VOLVMVS ET] ita V. C. & Pall. nec non edd. vett. Scaliger notavit, *Copiæ istæ*. Τροχαϊκῶς.

25. N. PER-

25. N. PERMANET] Das es nicht auskomme. vox, *palàm*, delēda est; utpote sensum & versum corrumpens. Ab illo enim, *Copia est &c.* usque ad illum, *Sed malum &c.* constant versus pedibus Creticis. Tales sunt & quinque inferiores, ab hoc: *Ex bonis p. &c.* Lambinus. sed ei contradicunt omnes MSS.

26. NISI ASTV COL.] nisi callidè tractentur.

29. SOBRIE] νηφαλίως. consideratè. *L.D.*

34. VILITATI] vitam ac salutem meam vilem & quasi venalem habere, minimique æstimare. *Carum caput*, Græcorum more φίλη κεφαλὴ, vel τιμία κεφαλή. *L.D.*

35. SCIRE MEM.] Vet. edit. l. *scire tum mem.*

36. NAM FERE] Nihil hâc sententiâ verius. *Maxima pars, homines*, i. plerique homines. Ejusmodi autem homines Cic. pro Mur. *astutos & ingratos* nominat. Tale illud Catulli in epital. Pelei:

> *Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,*
> *Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.*
> *Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,*
> *Dicta nihil metuêre; nihil perjuria curãt.*

Sic Calimachus: πρὶν τι λαβεῖν, φιλέουσι· ἀτὰρ συγχέουσι λαβόντες. Phalaris Epist. 63. ait ejusmodi homines imitari mores Chameleontis, qui pro ingenio temporum colores mutat.

37. D. IMPETR.] dum impetrare conantur. L.

39. TE MIHI VOLO ESSE, ESSE AVT.] ita ferè Lamb. i. cujusmodi te mihi esse opto & volo, ejusmodi esse credo: tu ne opinionem meam fallas vide. Debet bis scribi *Esse*.

A Idem postea J. Gul. seriò admonuit: nec displicet Grutero, qui arbitratur sic initio fuisse in V.C.

40. MEO P.] *meo*, μονοσυλλάβως, ut in sequenti *meum*: &, *audeam*, δισυλλάβως, ob versum. L.

41. EGO TE, SI AVD.] ita Gruterus. quanquam vulg. editt. & omnes MSS. *si te audeam.*

45. Q. NOBIS D.] ita MSS. & Edd.

46 ESSE NVNC CONSERV.] ita MSS. & vett. ed. Grut.

47. TE ORO] ita MSS. *te oro.*

47. PER PREC.] Quid est? *orare per precem!* utrum orare precando vel prece, ut Horat. dixit, *Oratus multâ prece*: An, *orare per Precem*, tanquam Jovis filiam? nam Homerus Λιτὰς, i. *Preces* Jovis filias facit. Solebant autem veteres orare per deos, per sacra, per liberos, denique per res carissimas: L.

48. TE ERGA] Meurs. *tederga*, ut alibi,
B *mederga*. quod admisit in editionem pr. Pareus libris invitis.

50. QVAM EGO TE, CVM SERVIB.] ita Pontan. è cod. Angl. *quàm ego te, cùm s.* nequè aliter, aut Edd. vett. aut Pal. quart. & sextus. suo enim more Pareus negat ullum è sex Pall. ita habere. præposuerim tamen alterum.

51. MEM. VT MEM.] Pareus hîc sibi os batuit: nam expressâ lectione vulgatâ, subnotat: qui lectionem hanc innovant, mutant quadrata rotundis. At enim ipsemet in prima edidit, *sis, ego meminisse ut memineris istuc.* Phy! phy! merito tacere non poterat istud: adeo fœtebat.

53. MEMOR. MEM.] Sic Afran. *memoriter memini.* Sed vim horum non sensit Lambinus. Vide tu mihi Not. Asin. act. 3:2.

ACTUS II. SCENA II.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS.

IAM ego revertar intus, si ex his quæ volo exquisivero.
Ubi sunt isti, quos ante ædis jussi huc produci foras?
PHI. Edepol tibi ne quæstioni essemus, cautum intellego,
Ita vinclis custodiisque circummœniti sumus.
,, HEG. QUI CAVET ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet.

„ *Etiam cùm cavisse ratus est, sæpe is cautor captus est.*
An verò non justa caussa est, ut nos servem sedulò,
Quos tam grandi sim mercatus præsenti pecuniâ?
PHI. Neque pol tibi nos, quia nos servas, æquom est vitio vortere:
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.
HEG. Vt vos hîc, itidem illìc apud vos meus servatur filius.
PHI. Captus est? HEG. ita. PHI. non igitur nos soli ignavi fuimus.
HEG. Secede hûc. nam sunt ex te quæ solo scitari volo,
Quorum rerum te falsiloquum mihi esse nolo. PHI. non ero,
Quod sciam. si quid nescivi, id nescium tradam tibi.
TYN. Nunc senex est in tonstrinâ: nunc jam cultros attinet.
NE id quidem involúcre injicere voluit, vestem ut ne inquinet.
Sed utrum strictimné attonsurum dicam esse, an per pectinem,
Nescio: verùm si frugi est, usque admutilabit probè.
HEG. Quid tu? servusne esse, an liber mavelis? memorá mihi.
PHI. Proximum quod sit bono, quodque à malo longißimè,
Id volo. quanquam non multum fuit molesta servitus:
Nec mi secus erat, quàm si essem familiaris filius.
TYN. Eugepæ! Thalem talento non emam Milesium.
Nam ad sapientiam hujus nimius nugator fuit.
Vt facetè orationem ad servitutem contulit!
HEG. Quo de genere natu'st illic Philocrates? PHI. Polyplusio.
Quod genus illic est unum pollens atque honoratißimum.
HEG. Quid ipsius hic? quo honore est illic? PHI. summo, atq; ab summis viris.
HEG. Tum igitur ei, cum in Aleis tanta gratia est, ut prædicas,
Quid divitiæ, suntne opimæ? PHI. unde excoquat sevum senex.
HEG. Quid pater? vivitne? PHI. vivum, cum inde abiimus, liquimus.
Nunc, vivat, nec ne, id Orcum scire oportet scilicet.
TYN. Salva res est philosophatur quoque jam, non mendax modò est.
HEG. Quod erat ei nomen. PHI. Thesaurochrysonicochrysides.
HEG. Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est.
PHI. Imò edepol propter avaritiam ipsius, atque audaciam.
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.
HEG. Quid tu ais? tenax ne pater ejus est? PHI. imò edepol pertinax.
Quin etiam ut magis noscas: Genio suo ubi quando sacruficat,
Ad rem divinam quibus est opus Samiis vasis utitur,
Ne ipse Genius surripiat. proinde aliis ut credat vide.
HEG. Sequere hàc me igitur. eâdem ego ex hoc quæ volo exquæsivero.
Philocrates hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit.
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis, scio: hic fassu'st mihi.
Hæc tu eadem si confiteri vis, tuâ re feceris:
Quæ tamen scito scire me ex hoc. TY. fecit officium hic suum,

Cùm

Cùm tibi est confessus verum. quanquam volui sedulò
Meam nobilitatem occultare, & genus, & divitias meas
Hegio. nunc quando patriam & libertatem perdidi,
Non ego istunc me potiùs, quàm te metuere, æquum censeo.
Vis hostilis cum istoc fecit meas opes æquabiles.
Memini, cùm dicto haud audebat, facto nunc lædat licet.
„ Sed viden'? FORTUNA humana fingit artatque ut lubet:
Me, qui liber fueram, servum fecit: è summo infimum.
Qui imperare insueveram, nunc alterius imperio obsequor.
Et quidem, si proinde ut ipse fui imperator familiæ,
Habeam dominum, non verear ne injustè aut graviter mihi imperet.
Hegio, hoc te monitum, nisi fortè ipse non vis, volueram.
HEG. Loquere audacter. TY. tam ego fui antè liber, quàm gnatus tuus.
Tam mihi, quàm illi libertatem hostilis eripuit manus.
Tam ille apud nos servit, quàm ego nunc hic apud te servio.
„EST PROFECTO Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit.
„BENE MERENTI benè profuerit, malè merenti par erit.
Quàm tu filium tuum, tam pater me meus desiderat.
HEG. Memini ego istoc. sed faterin' eadem quæ hic fassus est mihi?
TY. Ego patri meo esse fateor summas divitias domi,
Meque summo genere gnatum. sed te obtestor, Hegio,
Ne tuum animum avariorem faxint divitiæ meæ:
Ne patri, tametsi unicus sum, decere videatur magis
Me saturum servire apud te sumtu & vestitu tuo,
Potius quàm illi, ubi minimè honestum est, mendicantem vivere.
HEG. Ego virtute deûm & majorum nostrûm dives sum satis.
„NON EGO OMNINO lucrum omne esse utile homini existimo.
„ Scio ego; multos jam lucrum luculentos homines reddidit.
„ EST ETIAM, ubi profectò damnum præstet facere, quàm lucrum.
„ Odi ego aurum! multa multis sæpe suasit perperam.
Nunc hoc animum advortito, ut ea quæ sentio, pariter scias.
Filius meus illic apud vos servit captus Alide.
Eum si reddis mihi, præterea unum nummum ne duis.
Et te & hunc amittam hinc. alio pacto abire non potes.
TY. Optumum atque æquissimum oras, optimusque hominum homo es.
Sed is privatam servitutem servit illi, an publicam?
HEG. Privatam medici Menarchi. TYN. pol hic quidem hujus est cliens.
Tam hoc quidem tibi in proclivi, quàm imber est, quando pluit.
HEG. Fac is homo ut redimatur. TY. faciam. sed te id oro, Hegio.
HEG. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. TY. ausculta dum, scies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo.

Verùm

Verùm, te quæso, ut æstimatum hunc mihi des, quem mittam ad patrem,
Vt is homo redimatur illi. HEG. imò alium potiùs misero
Hinc, ubi erunt induciæ, illuc tuum qui conveniat patrem:
Qui tua quæ tu miseris mandata, ita ut velis, perferat.
TY. At nihil est, ignotum ad illum mittere: operam luseris.
Hunc mitte, hic omne transactum reddet, si illuc venerit.
Nec quenquam fideliorem, neque cui plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui magis sit servos ex sententiâ:
Neque adeò quoi tuum concredat filium hodie audaciùs.
Ne vereare: meo periculo hujus ego experiar fidem,
Fretus ingenio ejus, quod me esse scit erga se benevolum.
HEG. Mittam equidem istunc æstimatum tuâ fide, si vis. TY. volo,
, *Quàm citissimè potest, tam hoc cedere ad factum volo.*
HEG. Num quæ caussa est, quin si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? TY. optima imò. HEG. solvite istum nunc jam,
Atque utrunque. TY. dî tibi omnes omnia optata afferant,
Cùm me tanto honore honestas, cúmque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud molestum est jam, quòd collus collariâ caret.
,, *HEG. QVOD bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis.*
Nunc tu illum si illò es missurus, dice, demonstra, præcipe,
Quæ ad patrem vis nunciari. vin' vocem huc ad te? TY. voca.

VERSVS sunt tetrametri catalect. trochaici.

REVERTAR INTVS] ita Cam. & Lamb. Cæteri ferè, *intrò*, quomodo & Cam. MSS. Pall.

1. EXQVISIVERO] ita MSS. Pall. & Lang. & omn. Lambiniani. Cam. *inquisivero* edidit.

3. NE QVÆSTIONI.] ita Rittersh. probat è MSS. Lang. neque aliter Edd. vett. Cæteri: *ne in quæstione ess.* In MS. Cam. quidem nunc est, *ne in quæstione &c.* sed priùs fuit, *ne quæstioni*, absque *in*: quod superscribitur, sed ab eàdem, ut videtur, manu. V. N. Cistell. 2.3.

4. CIRCVM MOEN.] pro, *muniti*. sic *mœri*, pro *muri*, & alia, L.

7. VT VOS] Lamb. edidit, *cur v.* sine ullius cod. autoritate, tantùm, quia ipsi ita lubuit. Sed an non hoc est decimam Musam in ordinem redigere? Pœn. 3.1. *An verò non justa caussa est, quò c. d.* Lambinum secuta est prima Parei editio, Critici puris ac veneni cloaca maxima. unde statim versu sequenti habet eadem, *Quos tam grandi sim mercatus pecunia*, mutilo prorsus versu, & contra omnes libros cusos scriptosque. item tamen in Notis secundæ ita ponit: τὸ *præsenti* reperi in V. C. & Pall. sex, nolui itaque omittere. Quis non putaret istis lectis, *præsenti* exulare ceteris editionibus? contra est: omnes habent præter Pareanam. ita solent falsarii sua involvere.

12. IGNAVI F.] Muretus Var. lect. lib. 14. cap. 18. Fortium, *inquit*, virorum videtur in prœliis aut vincere aut mori: qui enim capiuntur, vix interdum effugiunt ignaviæ aut certè φιλοψυχίας notam. Atque hoc significavit *Philocrates Plautinus &c.* Sed tamen Lacedæmonius quidam ex iis, qui ab Atheniensibus capti sunt in Pylo, urbanè à se ignaviæ notam amolitus dicitur. Cum enim Atheniensis quidam ei per ludibrium dixisset, *Ex vestris videlicet optimi ac fortissimi quique ceciderunt: Magni*, inquit, *faciendus esset fusus, si viros fortes dignoscere ac discernere ab ignavis posset.* Fusum autem Lacedæmoniorum more, vocabat sagittam: & significabat, non fortissimos quosque mortuos esse, sed eos, qui casu sagittis icti fuissent: ut

qui

qui hostium potiti erant, non propterea minus fortes habendi essent, quàm qui ceciderant. Eminus enim cum illis præliati erant Athenienses *Thucydid.* A

15. SI QVID NESCIVI] Pist. & Acidal existimant scriptum fuisse, *nescivo*, pro *nescibo*, inde factum *nescivi*. Et verò id statim Pareus editionibus suis intermiscuit, sed ore scurrili asserit in Notis ultimæ, ita sanè scriptum fuisse in Archetypo libro: posteaque mutatum in V.C. ab imperito Antiquitatis, *si quid nescivi*. unde enim id nosse potuit? nam V.C. profectò scalpellum nō sensit. Pal. sec. servat. *nescim*, quod examinabunt otiosiores. V.N. hujus scenæ vers.92. Ceterùm non abludit ab hâc formâ illud Asin.Sc.1. *Ut ipse scibo, te faciam ut scias*: & Pseud.act.1:5. *Quod scibo, Delphis responsum dicito*. ita ergò hic, *si quid nescibo*.

15. IN NESCIVM] Scal. ad illud Ceiri:

Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum,

notat: Hic, *inscia*, λανθάνουσα: ut 4. Æneid. ——*liquitque volatile ferrum Nescius*. Plaut. *Si quid &c.* Agellius lib. 19:1, *aut repentinus nescius periculi nuntius*. V.N. Rud.1:5. *Quæ in locis nesciis nescia spe sumus*.

16. NVNC SENEX] Significat senem inibi esse, ut propè decipiatur. Ostrofranci mei in re simili dicunt, Er schiertn ybern Kamp. B

16. ATTINET.] ita MS. Pall. admotos tenet: sc. Philocrates. eâdem ferè formâ Menæchm.act.5:1. *Nunc eandem ante oculos attines*. Ita alibi noster, *abstinere*, pro remotum tenere.

17. INVOLVCRE] ita omn. codd. Sed ex conjecturâ, opinor, Turn. lib.28.3 & l. *involucrum*, quod interpretatur linteum illud, quo tonsores solent humeros tondendorum involvere, ne vestis capilli tonsi lapsu inquinetur, ὠμόλινον vocat Plutarchus. Observat idem & Casaub. ad Athen. lib. 3. cap. 19. ubi & ridicula periphrasis pectinis notatur, ὀδοντωτὴ ξύστρα, i. *dentata strigil*. Significat, Philocratem sine ullâ accuratâ curâ, & sine ullo pudore aut metu Hegionem decepturum.

18. STRICTIM] Turneb. lib.14:7. *strictim tondere*, est tondere ad cutem, ἐν χρῷ κείρειν, *per pectinem*, est paullò longius à cute interposito pectine tondere. Sic Græcis duo tondendi genera sunt, ξυρᾶσθαι & κείρεσθαι: illud strictim, hoc secus. Hæc ille. Seneca: *Pressius tondent atque abradunt*. Ita *J.C. Scaliger*, quòd solus strictim tonderet, *Tonsus* in Italiâ vocabatur.

24. EVGEPÆ!] ita J.Gul. è Lang. emendat, *Eugepæ!* quæ gestientis lætitiâ interjectio. infrà, act.4:2. *Eugepæ!* editiones ed. Etiam Grut. in MSS. *Eugepæ Talem t.* legi notat.

24. THALEM T.] Thalem, qui unus è septē Sapientibus, præ hoc contemnam, & eum talento mihi addictum emere nolim: quia Philocrates scilicet multò est sapientior. *L.*

25. AD SAP.] *Ad*, comparationem etiam notat: ut hic, & apud Cic.2. de Orat. *Nihil ad Persium*. Terent. *At nihil ad nostram hanc*. Lamb. Editores recent. interposuerant *illæ*; sed sine libris. an potius iterandum? *nimius nimius nugator*. sed non. rescribendum tantum, *hujusce*; ne numeri labant.

27. ILLIC PHIL.] Sic eum appellat errans, cum sit Tyndarus. *L.*

27. POLYPLVS.] πολύπλουτος, valdè dives. *L.*

29. ATQ. E SVM.] Sic Hector, apud Nævium: *Lætus sum, laudari me abs te, pater, laudato viro*. D.

30. CVM IN ALEIS] ita MS. Cam. at Pal. sec. *Auleis*. Cum, ait, tam gratiosus ille sit in Civitate suâ, ecquid in re benè unctâ est? Dixerat autem falsu: ille Tyndarus, Philocratis familiam atque ipsum adeò & pollere illic plurimum, & coli maximè ab Aliis. Verùm, quid caussæ arbitramur, cur hic noster *Alios* semper & *Alidem* nominet, cùm omnes cæteri Latini scriptores *Eleos* & *Elidem*? An, quòd ea nomina ita elata minus nova essent Romanis hominibus rudibus adhuc & imperitis rerum Græcarum? equidem censeo. nam neque *Alliâ* fluvio Latinum, neque *Alliensi die* fasti clarius quicquam habent: *J. Gul.*

31. SVNTNE OPIMÆ?] ita leg. cum Lipsio Lambino, Scaligero, non, *optumæ*. q.d. Ita sunt opimæ & pingues Philocrati divitiæ, ut ejus pater ex eis coctis multum sebum exprimere queat: *Hæc Lambinus*: qui quidem de *sebo* rectè; de *patre* Philocratis non item. Quid enim? de Philocratis ipsius censu, non autem de paternâ opulentiâ, aut divitiis, quæsierat Senex. Cujus interrogationi ut Pseudotyndari responsum conveniat propius, dubium mihi non est, quin ita disjungendæ personæ:

PHI. Unde excoquat sebum. HEG. senex Quid pateri bibitne? &c. J. Douza. & hanc distinctionem secutus est utraque editione Pareus : stultè tamen in ultimam iterum recepit à Senatu critico damnatum illud *optuma*, quod nec versus admittit, nec responsio subsequẽs. quæ judicii scævitas! Gruterus, quod invenisset in Pal. sec. versu 39. *senex* loco *tenax*, arbitrabatur eam vocem hîc reponi posse. *unde excoquat sebum tenax.* Cum autem *sebum*, ut Nonius ait, *fiat ex adipe ruminantium*, opinantur quidam, Philocratis patris divitias fuisse in re pecuaria.

33. ORCVM SCIRE] Nam quicquid mortuum est, apud Orcum est. *L.*

34. SALVA R.] Fortasse alludit ad illud: *Salbares est: saltat senex.* de quo Servius 8. Æneid. Pareus dũ ejicit *jã*, versum mutilavit.

35. THESAVR.] Lusit, more veteris Comœdiæ, in mirificâ nominis compositione. Est autem hujus significatio, *thesauri*, & *auri*, & *bictoriæ*. Si autem scribatur *Thesaurochrysonychochrysides*, *unguis* erit significatio in nomine: *Camerarius*. At Heraldus leg. *Thesaurocrypsonicochrysides.* Quæ dicuntur (inquit) à Philocr. meam confirmant sententiam: *Imò edepol propter avaritiam &c.* Nam avari est κρύπτειν τοὺς θησαυρούς : audacis & factiosi, κινεῖν ὄνυχα τῷ χρυσῷ. Erit ergo senex ille aut θησαυροχρυσονικοχρυσίδης, aut potius θησαυροκρυψονυχοχρυσίδης, quasi qui ungulis, iisque tantùm non omnibus, auri sui thesaurum abscondat. nam, *omnibus ungulis*, idem est quod omnibus nervis ac viribus. Cic. 2. Tuscul. hæc ille; cujus commentum thesauro editionis suæ primæ intulit Pareus. fatuè tamen. nam nomen istud compositum est à Thesauro, & duobus nominibus usitatis, quibus inerat aurum, Chrysonico scilicet & Chryside.

37. ATQ. AVDACIAM] Quid huc *audaciæ*? an legend. *tenaciam*? hoc certè Hegio quasi excipiens subjicit: *tenaxne pater ejus est?* Acid. cujus hariolationem illicò recepit in editionis suæ pr. Orcum Pareus. at quid si fuit *abentiam*. sed non *audacia* hic est aviditas audacter invadens alienum. Turn. 3, in Rullũ.

39. PERTINAX] i. valdè tenax. Scal. Conject. *Pertendere* est τὸ ὑπερδιατείνεσθαι, ad verbũ. Propert. *Pertendens animo.* Plautus more suo allusit ad etymologiam veram. non enim à *pertendendo*, sed à *pertinendo*.

40. QVANDO] non est ea vox in MS. Lang. sed in Edd. vett. & Pall. quatuor. nam reliqui, *quandoq.* genuinum tamen esse, monet Acid. Quippe innui, ipsum raro sacrificare: & si tamen aliquando, Samiis tum vasis uti. Pareus, prima editione istud exclusit, non sine ruina metri: ad secundæ invexit *quandoq;* non sine ejusdem lumbifragio. ò semper carnifices manus!

41. SAMIIS] V. N. Menæch. 1:2. v. 65. & inprimis Alex. ab Alexandr. atq; inibi Tiraquell.

SVRRIPIAT.] sc. vasa: si non Samiis, sed aliis pretiosioribus utatur. quo ipso apparet nullã fuisse familiam paulò locupletiorem, in qua nõ essent sacrorum vasa, quibus uterentur ad rem divinam, sumptuosiora. Gutherius lib. 4. de jure Pontific. ca. 24.

43. EADEM] sc. operâ.

43. EXQVÆS.] MS. Cam. l. *exquæsibero.* V. N. Aul. 4:10.

44. OPORTVIT] Parei pr. *oporteat*, contra MSS. & edd.

47. SCITO SCIRE] MS. Cam. *scio scire*, quod in contextum Pareus temerè recepit. nam alterum visitur in Edd. omnibus & Pall. neque officit versui. nã *Quæ tamen*, faciunt dactylũ.

54. HVMANA] i. res humanas. *Fortunam*, ait Sallust. *plerasq. res ex libidine suâ agitare.* Et secundum Plin. *Fortuna utramq. paginam facit.* Vide egregium locum Pseud. act. 2: 3.

54. FINGIT AR FATQ.] Meursius malit, *fingit aptatq.* nam *fingit* hîc valet πλάττει. nec mora: Pareus id desubitò sterquilinio editionis suæ pr. serio commendavit: libris contraeuntibus omnibus.

63. EST PROFECTO] Sophocles, Electra: ἔτι μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεύς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει. Item: ἔστι δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ. Homerus: Ζεὺς πάντα ἰδὼν, καὶ πάντ' ἐπακούων. Juvencus lib. hist. Evangelicæ:

Nil absente Deo loquimur: nil abdita clausum
Pectoris antra tegunt. Cernit DEUS omnia præsens. Sillius lib. 15.
Idem justitiæ cultor: quæcunque capesses,
Testes factorum stare arbitrabere divos.

Adscribit huic Brissonius formulam olim receptam, quã, *DEOS ESSE*, exclamabant. Livius lib. 3. *Dum pro se quisque, DEOS ESSE, & nõ negligere humana, fremunt.* Ib. lib. 8. Manlius ait Torq. *EST CÆLESTE NUMEN: ES MAGNE JUPPITER.* Nec inspector solùm, sed judex idem est, & vindex. *Namq. mihi*, inquit, Sallust. ad Cæsarẽ, *pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi: neq.*

bonum

bonum neq; malū facinus cujusq; pro nihilo haberi, sed ex naturâ diversa præmia bonos malosque sequi.

76. SCIO EGO, MULT. L. L. LUCRI.] V. cod. & Palat. quidam legunt *lutulentos*: quidā horum, *loculentos*: quidā etiam, *luculentos*: quod postremū etiam Frising. MS. agnoscit, & editt. mex Basil. Brix. Veneta & Parasina, & omnes (ut ipse ait) Lābiniani codd. idq; Gruterus tenet, ut duo opponat Hegio: Scio quidē multos avaritiâ suā ditatos: sed & hoc scio, eos qui lucrum in loco neglexére, rem fecisse.

78. MULTA MULTIS SÆPE &c.] Huc fortassis illa Phædri lib. 5. Fab. 55. faciunt:

Periculosum semper reputavi lucrum.
Sed dicis: qui rapuere divitias, habent.
Numeremus agedū, qui deprehēsi perierint:
Majorem turbam punitorum reperies.

Ad quod Rittersh. notat: At hoc de lucris injustis intelligas: de quibus Hesiodum illud,

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι.

Ne male lucreris: mala lucra æqualia dānis. &c.

77. EST ETIAM, UBI] Est etiam tempus vel locus &c. Sic Ter. Adelph. 2.2.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum est lucrum.

Bene sententiam castigat: *in loco: interdum.*

82. AMITTAM] Suum hoc sibi quodammodo Plautus habet, ut *amittere*, pro, à se dimittere usurpet. ita Ter. Heaut. act. 3.1.--*prius*

Pecuniam omnē, quam abs te amittas filiū.

Item Phorm. act. 3.2. Ita Virgil. 2. Æn.

Quisquis es, amissos hinc jā obliviscere Grajos.

84. PRIVATAM SERV.] P. Faber lib. 2. Semestrium: Servitus quædam *privata*; quædā *publica*. Isti servi, latè sumto vocabulo, *publici* nominantur: qui, licet servitute liberati manuque missi fuerint, ministerium tamen publicū, aut magistratibus aut sacerdotibus exhibent: qui ex libertinorum corpore plerunque sumebantur, &c. Lips. Elect. lib. 1. 22. Romanis mos fuit (sed & Græcis) ut ex gente captivâ plerunque servos quosdam Respublica sibi seligeret atque seponeret, ad varios usus. *Vide ibid.* Indicesque præterea *Inscriptionum Antiquarum Grut.*

85. MEDICI MENARCHI.] Hariolatur Bisciola, medicum Mænarchum appellari, quasi insaniæ principem: vel potius à subeundo periculo in ægrotis curandis.

85. PHI. POL HIC QUIDEM &c.] In hoc loco explicando curiose satagit *S. Ulr. Pistoris*. dum

A hæc verba non Philocratis, sed Tyndari esse perrēdit, tribus argumentis. Primū quod Senex duos illos Captivos separatim & quasi secretò interroget. Qui igitur fiat, ut Philocrates hic interloquatur? Deinde quod in fine Scenæ, senex Philocratē, tanquam longè absentē, vocet. Tertio quod in seq. Scenâ Senex prolixè narret Philocrati, quid egerit cum Tyndaro, quo opus non fuisset, si anteà adstitisset. Et *τὸ hujus* non ad Philocratem, sed ad patrem ipsius refert: de quo paulo ante.

86. TAM HOC Q. T. I. PROCLIVI] Hyperbole. quid enim proclivius esse potest imbri decidente? Sic Sallust. Orat. 2. ad C. Cæsar. *alia omnia in proclivi erunt.*

87. FAC IS H.] ita Pal. sextus & lib. Samb. *Facis*, Schop. *Fac sis &c.*

88. DUM ABRE NE QUID ORES] contra Honestum & Usum. ita Trin. *ab re consulit*, i. frustra. Vide & Not. ad illud Asin. act. 1. 3. *haud id est ab re aucupis.*

88. AUSCULTA DUM,] ita Grut. & J. Gul. è MSS. Lang. invita Parei censura, negātis quidquā mutandum contra mss. Pall. quare obsecro? ii enim habent, *ausculta, tum scies.* at ubi tunc venus, ubi gratia?

B 90. ÆSTIMATUM] ut, si non redieris, solvam ipse tibi, quanti fuerit æstimatus.

92. CONVENIAT] Schop. è MS. Cam. legit, *cōvenit*; pro *conveniat*: ut *edim*, pro *edā*. *Convenit* autem putat dixisse veteres pro *conveniat*; hoc, pro *conveniat*. &c. Susp. Lect. lib. 5. Epist. 11. Ita *cōvenat* legit Muret. Curc. act. 1. 1.

98. QUOI TUUM CUNCR.] ita *J. Gul.* è MS. Langii, *tuum*. quod & in tribus Pall. non *suum*. Nam Hegioni filium significat. quod & *Is. Pont.* è suo probat.

99. FIDEM] MS. Cam. ut & Langii, *experiar vice fidem.* Hinc, ait *Grut.* putare quis posset, legendū *hujus ego experiar vix fidē*. quam suspiciunculā utraq; editione sua splendide ostētat Pareus: sed ineptè. nā illud *vice* natum est ab librariis, cū in autographis quibusdā invenissēt, *vice*, in aliis *fidē*. certe Pal. pr. in textu servat *fidē*, margo verò præfert, alias *fide*. & vero Edd. vett. utrunq; tenment *experiar vicē fidē*. minus rectè. vocē n. cum respuit versus, absq; illa integer. dispiciant tamen acutiores, locumne hic habere debeat *vicem*.

100. QUOD ME FUIT] J. Gul. *quod med esse scio erga benivolum.* Nam caussam mittendi habere debeat alterius in se benevolentiam,

lentiam, non suam in alterum. Parei prior A editio nitet illo commento. abjecit verò secunda. adeo quorundam amnium more mox ea evomit quæ devoraverat. Si attendemus versui, reponendum videtur, me expuncto: *quod offe scit erga sese ben.* certe sese visas in Pall. sex.

102. Hoc cedere ad F.] Non ausim mutare: velim tamen despiciant alii, num fuerit, *occidere ad factum volo.* i. jam cupiat aggredi & suscipere negotium. Pistor.

104. Optima imo.] ita MS. Cam. & rectum censet Gruterus: & respicere illud *caussa*: quomodo & alibi locutus. Cam. *Optima. imò.* Lamb. *optimè. imò.* quomodò habent Pall. sex & edd. retrò: & censet Lamb. plura dicturum fuisse Tyndarum, nisi interpellasset Hegio: ut fieri soleat in Comœdiis. Sed hîc caussam nullam fuisse ait Gulielm. itaque putat verisimiliter hæc perperam inversa, & rescribendum, *imò optimè.* ut Aul.

——sed nuptias
Hodie quin facimus, num quæ caussa est? EV. imò edepol optimè.

107. Collus] *Collus* & *collum* dixisse veteres, docet Nonius.

107. Collaria] *Collaria*, sive *collare*, vinculi genus, quo collum adstringitur. Lucillius: lib. 29: *Cum manicu, catulo collareque, ut fugitivum, De Portem.* Nonius.

108. Quod bonis B.] Douzæ non placet explicatio Lambini, sed ista potiùs, cui consentit loci illius simplicitas è Persâ, act. 4. sc. 5. *Si quid bonis boni fit, esse idem & grave & gratum solet*: interpretatione ab ipso. auctore quæsitâ. V. N. Cistell. 1:1. v. 87.

108. Gravida] i. grata: *D.* Pareus in editionem priorem invexit, *gratia ac gravida*, nolentibus libris. quæ petulantia!

109. Nunc] ita MS. Pall. & omnes mei: V. C. *hunc*.

110. Demonstra] ita MSS. Pall. & Lang. & vet. edd. vulgo, *monstra*.

ACTUS II. SCENA III.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS.

QVÆ res benè vortat mihi meoque filio,
Vobisque! vult te novus herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te æstumatum huic dedi viginti minis,
Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium: mutatio
Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.
PHI. Vtroque vorsum rectum est ingenium meum.
Ad te, adq; illum, pro rota me uti licet.
Vel ego huc vel illuc vortar, quà imperabitis.
HEG. Tute tibi eâ tuopte ingenio prodes plurimum,
Cùm servitutem ita fers, uti ferri decet.
Sequere! hem tibi hominem. TYN. gratiam habeo tibi,
Quom copiam istam mihi & potestatem facis:
Vt ego ad parentes hunc remittam nuncium,
Qui me quid rerum hîc agitem, & quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita convénit inter me atque hunc, Tyndare,

Vt te

Vt te æstimatum in Alidem mittam ad patrem.
Si non rebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te. PHI. rectè convenisse sentio.
Nam pater exspectat aut me, aut aliquem nuncium,
Qui hinc ad se veniat. TYN. ergo animum advortas volo,
Quæ nunciare hinc te volo in patriam ad patrem.
PHI. Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulò,
Vt potissimum quod in rem rectè conducat tuam,
Id petam, id persequarque corde & animo atque viribus.
TYN. Facis ita, ut te facere oportet. nunc animum advortas volo:
Omnium primùm salutem dicito matri & patri,
Et cognatis, & si quem alium benevolentem videris.
Me hîc valere & servitutem servire huic homini optumo,
Qui me honore honestiorem semper fecit & facit.
PHI. Istuc ne præcipias: facilè memoriâ memini tamen.
TYN. Nam quidem, nisi quòd custodem habeo, liberum me esse arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit
De hujus filio. PHI. quæ memini, mora mera est monerier.
TYN. Vt eum redimat, & remittat nostrum huc amborum vicem.
PHI. Meminero. HE. at quamprimum poteris, istuc in rem utrique est ma-
PHI. Non tuum tu magis videre, quàm ille suum gnatum cupit. (xumè.
„ HE. Meus mihi, SVVS cuique est carus. PHI. nunquid aliud vis patri
Nunciari? TYN. me hîc valere, & tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili:
Neque te commeruisse culpam, neque me advorsatum tibi.
Beneque hero gessisse morem in tantis ærumnis tamen.
Neque med unquam deseruisse te, neque factis, neque fide,
Rebus in dubiis, egenis. hæc pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suum gnatum atque se,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratiis emittat manu.
Et meâ operâ, si hinc rebito, faciam ut faciat faciliùs.
Nam tuâ operâ & comitate & virtute & sapientiâ
Fecisti, ut redire liceat ad parentes denuò,
Cum apud hunc confessus es & genus & divitias meas.
Quo pacto emisisti è vinclis tuum herum, tuâ sapientiâ.
PHI. Feci ego ista ut commemoras; & te meminisse id gratum est mihi.
Meritò tibi ea evenerunt à me. nam nunc, Philocrates,
Si ego item memorem quæ me erga multa fecisti benè,
Nox diem adimat: nam si servus meus esses, nihilo seciùs
Mihi obsequiosus semper fuisti. HE. di vostram fidem,
Hominum ingenium liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!

Videas corde amare inter se. quantis laudibus suum herum
Servus collaudavit! PHI. istic pol haud me centesimam
Partem laudat, quàm ipse meritus est, ut laudetur laudibus.
HE. Ergo cùm optimè fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.
PHI. Magis non factum possum velle, quàm operâ experiar persequi:
Id ut scias, Jovem supremum testem laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati. HE. probus es homo.
PHI. Nec me secus unquam ei facturum quicquam, quàm memet mihi.
TYN. Istæc dicta te experiri & operis & factis volo.
Et quò minus dixi, quàm volui de te, animum advortas volo.
Atque horunc verborum caussâ caveto mihi iratus fuas.
Sed te quæso, cogitato, hinc meâ fide mitti domum
Te æstimatum, & meam esse vitam hîc pro te positam pignori.
Ne tu me ignores, cùm extemplò meo è conspectu abscesseris.
Quom me servom in servitute pro te hîc reliqueris,
Tuque te pro libero esse ducas, pignus deseras:
Neque des operam, pro me ut hujus reducem facias filium.
Scito te hinc minis viginti æstimatum mittier;
Fac fidelis sis fideli: cave fidem fluxam geras.
Nam pater, scio, faciet, quæ illum facere oportet, omnia.
Serva in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inventum inveni.
Hæc per dexteram tuam te dexterâ retinens manu,
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego sum tibi.
Tu hoc age! tu mihi herus nunc es, tu patronus, tu pater:
Tibi commendo spes opesque meas. PHI. mandavisti satis.
Satin' habes, mandata quæ sunt, facta si refero? TYN. satis.
PHI. Et tuâ & tua huc ornatus reveniam ex sententiâ.
Nunquid aliud? TYN. ut quamprimum possis, redeas. PHI. res monet.
HE. Sequere me, viaticum ut dem à trapezitâ tibi:
Eâdem operâ à Prætore sumam syngraphum. TYN. quem syngraphum?
HE. Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intrò abi. TYN. bene ambulato! PHI. bene vale! HE. edepol rem meam
Constabilivi, cùm illos emi de prædâ à quæstoribus.
Expedivi ex servitute filium, si dis placet.
At etiam dubitavi hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate istum sultis intus, servi: ne quóquam pedem
Efferat sine custode. egò apparebo domi.
Ad fratrem modò captivos alios inviso meos.
Eàdem percontabor, ecquis hunc adolescentem noverit.
Sequere tu, te ut amittam, ei rei primùm prævorti volo.

VERSUS

VERSUS sunt ab initio hujus Scenæ XXIV. senarii jambici: reliqui ad finem usque terram. catalect. trochaici. A

V. 8. VTROQ. V.] Citat hoc Prisc. lib. 15. V. N. Epid. act. 3: 2. *Versutior es, quàm rota figularis.*

9. ADQ. ILL.] MSS. C. & Lang. *atq; illum.* non *atq; ad illum.* In illo quidem *ad* apparet, si de manu Camerarii. Malit Rittersh. è MSS. *adque ill.*

EA] sc. ratione.

11. TVOPTE] Dandi casus est. L. D.

12. VTI FERRI.] Parei editio *ferre*, non sine dispendio versus, & præter omnes libros.

QVI ME] Hellenismus. *Lamb.*

25. VT POTISSIMVM] Palm. l. *ut potissunt: quod &c.* Ut possim, inquit, faciam, quod in rem tuam sit. Quod tamen rectè *Grut.* improbat: quum altero vel millies sit usus noster, & mutatio illa vitiet versum. quem etiam pede mutilat Pareus, dum adjicit *rectè*, librorum omnium inquilinam. Idem etiam ridiculè prodit se priore versu retinere verbum *Philocrates*, ob auctoritatem V.C. tanquam scilicet non id etiam posceret ratio metri: quam bucco sanè iste non capit. B

27. PERSEQVARQVE CORDE ET ANIMO ATQVE VIRIBVS.] Hæc tria etiam Spiritus Domini ita conjunxit, Luc. 10. Ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου. In MSS. Cam. & Lang. est *animo atque auribus.* In omnibus etiam vett. Edd. *et persequarque.*

FACILE MEM.] J. Gul. è MSS. l. *facili memoriâ m.*

QVIDEM] L. leg. *equidem.*

38. AT QVAMPR. POTERIS, ISTVC IN] ita Grut. è MS. Cam. docetque Lambinum commento suo & falli & fallere.

40. MEVS MIHI] Cic. ad Att. lib. 15. *Quin sua cuique sponsa placet, mihi mea: suus cuique amor, mihi meus.*

48. GRATVS] ita veteres edit. & huc vergit etiam MS. Cam. falsò enim prodidit Pareus ibi legi *gratis.* Cæteri *gratis*, vel *gratys.*

53. QVO PACTO EMISISTI] pro, *emisisti.* Lamb. l. *Quo facto eximisti* è V. quod Pareo ita placuit ut retulerit in editionem pr. invitis tamen libris.

MEDERGA] pro, *erga me.*

56. FECISTI BENE] *Is. Pont.* è cod. Angl. *fecisti bona.* Casinâ: *mihi bona multa faciam.* Amph. Prol. *quæ bonis faceret bona*: ita enim cod. scriptus.

60. VID. CORDE] τῇ καρδίᾳ. Vom grund jhres Hertzens.

60. INTER SE] Ter. Adelph. *Inter se amare*; ubi Donatus *invicem.* & noster sup. vers. 42. *Inter nos fuisse ingenio haud discordabili.* Prop. 1. el. 19. *inter nos lætemur amantes.* ibi Passerat.

66. TESTEM LAVDO.] i. *nomino*: Nonius, qui hunc locum profert. Agell. lib. 2: 6. *Laudare significat priscâ linguâ nominare, appellareque.* Vide ibid. super illud Virg. 3. Georg.

Aut illaudati nescit Busiridis aras?

Ed. vet. & Pall. nostri omnes *do Hegio*, nisi quod alterum restet in pr. ac quasi à manu recensoris.

69. EXPEDIRE] ita & MSS. Cam. VIR doctus olim volebat, *expedire.*

70. Q. VOLVI ME TE.] ita MSS. vulg. *de te quàm volui.*

74. IGNORES] i. adsperneris, & quasi ignotum negligas. Sic Amph. 4: 4. *Quem omnes mortales ignorant & ludificant.* D.

74. CVM EXTEMP.] simulatque. L.

76. PRO L. M.] V. N. Sticho, act. 4: 1.

77. FAC FIDELIS] ita legi in omnibus MSS. Pall. & Edd. vett. notat *Grut.* ut forsan Nonius ad versum istum non respexerit. sanè tantum habet: *Fac fidele; cave fluxam fidem feras.* Obiter nota, quod Casaub. observat: posterioris ævi Scriptores *Fideles* substantivè servos suos vocasse: ut *homo* in Pandectis est servus. Lampridius: *per fideles suos quæsivit.* V. & N. Amph. act. 1: 3.

79. FLVXAM] instabilem. *Fluxum propriè fluens*, i. quod naturâ fluit. Hinc *belli fortuna fluxa*, apud Cic. Sic Sallust. *divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis.* L.

81. INVENI.] invenito, & parato tibi Hegionem amicum jam paratum & quæsitum, si officium tuum facies: L. At Pistori magis placet, ut ita interpungatur: *Serva in perpetuum tibi amicum me atq; hunc inventum inveni.* Et, *inventum inveni*, intelligit de filio Hegionis: qui eatenus quidem inventus erat, quod sciebat Pater, ubi serviret, sed nondum receperat. Q. d. Inveni eum, qui jam ex

gnate

parte inventus est. Poterat etiam esse, inquit A idem: *atque huic inventum inveni*, i. filium hujus ex parte inventum plene inveni. Utrumvis melius est, quàm vulgatum. Et haut scio an hùc pertineat Ovidianũ illud, Grammaticis vexatissimum: ——*tu non inventa reperta es*, de eâ, quæ ex parte inventa, sed non ita tamen, ut satisfaceret quærenti. ita sanè omnino censet Gruterus; nisi quod aliter adhuc distinguat, hoc scilicet modo, *repertâ Lullus eras levior*. id est, minus te lugerem si non reperissem, quàm nunc ubi inveni quidem, sed mutatam in feram. quam interpunctionem, jam à triginta ferè annis publicam, quanta circumspectione suam nitatur facere Pareus, videre licet in Lexico ejus Plautino, titulo *verborum differentia*.

84. HOC AGE] Q. d. Erecto & intento animo in eam curam unicè incumbe: nec perfunctoriè aut oscitanter age quod agis.

87. ET TUA ET] Et tuâ Hegionis, & tuâ Philocratis.

90. SYNGRAPHUM] *Diploma*, per quod liceat Pseudotyndaro, belli tempore, ire in Elidem: L. Paßporten.

94. SI DIIS PL.] si dii approbarit: diis volentibus. Interdum εἰρωνικῶς usurpatur. L.

97. SINE CUSTODE. EGO] Sic MSS. & Edd. vett. sine *jam*, additamento recentiorum. an fuit? *sine custodela*.

97. APPAREBO] Comparebo domi. hinc *Apparitores*, qui semper apparent. sive *apparituram faciunt* (ut loquitur Sueton.) magistratibus. Unde *Apparitores* in vett. Glossis exponuntur ἀποδεικταί: εἰσὶ δὲ ὑπηρέται τοῖς ἄρχουσι παρεδρεύοντες ἐκβιβασταί. Vide P. Fabri Semestr. lib. 2: 24.

98. CAPTIVOS ALIOS] Parei editiones, *captivos illos*, prorsus insulsè, & contra omnes libros.

99. EADEM] sc. operâ.

99. PERCONTABOR] MS. C. *percunctabor*.

ACTUS III. SCENA I.

ERGASILUS Parasitus.

MISER homo est, qui ipse sibi quod edit quærit, & id ægrè invenit:
Sed ille est miserior, qui & ægrè quærit, & nihil invenit.
Ille miserrimus est, qui cùm esse cupit, quod edit non habet.
Nam hercle ego huic diei, si liceat, oculos effodiam libens,
Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi.
Neque jejuniosiorem, neque magis effertum fame
Vidi: nec qui minus procedat, quicquid facere occeperit.
Itaque venter gutturque resident esuriales ferias.
Ilicet parasiticæ arti maximam in malam crucem!
Ita juventus jam ridiculos inopesque ab se segregat.
Nihil morantur jam Laconas imi subsellij viros,
Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu & pecuniâ.
Eos requirunt, qui, libenter cùm ederint, reddant domi.
Ipsi obsonant; quæ Parasitorum antè erat provincia.
Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quàm in tribu aperto capite sontes condemnant reos.
Neque ridiculos jam teruncij faciunt. sese omnes amant.
Nam ut dudum hinc abij, accessi ad adolescentes in foro:

Salvete,

Salvete, inquam! Quò imus unà, inquam, ad prandium? atque illi tacent.
Quis ait? hoc. aut, quis profitetur? inquam. quasi muti silent:
Neque me rident. Ubi cœnamus? inquam. atque illi abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus solebam menstruales epulas antè adipiscier.
Nemo ridet. scivi extemplò rem de compacto geri.
Ne canem quidem irritatam voluit quisquam imitarier.
Saltem, si non arriderent, dentes ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam video me sic ludificarier.
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una res.
Omnes compacto rem agunt, quasi in velabro olearij.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alij Parasiti frustra obambulabant in foro.
Nunc barbaricâ lege certum est jus meum omne persequi.
Qui concilium iniêre, quo nos victu & vitâ prohibeant,
His diem dicam: irrogabo multam: ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, cùm cara annona sit. sic egero.
Nunc ibo ad portum hinc. est illic mihi una spes cœnatica:
Si ea decollabit, redibo huc ad senem, ad cœnam asperam.

QUADRATI. versus ἀκατάληκτοι & καταληκτικοὶ τετράμετροι.

V. 1. EDIT.] pro, *edat*: ab *edim*. V. N. Trin. act. 1: 2.

4. OCUL. EFFOD.] lucem eripiam. tralatio est. L.

6. IEIUNIOSIOREM] magis jejuniosum, seu majore jejunitate tenuem atque inopem. vocabulum risus gratia usurpatum. quâ de caussa *Sib.* statim legit *effarctum* fame, non *effractum*: quomodo tamen etiam Robertus Steph. laudat, & Fontanus suspicatur ex Anglicano cod. in quo, *effratum*. MS. Cam. *refertum*: quod est *effertum*. Ut autem hîc hominem à cibo inanem denotans ridiculè *fame effertum* dicit: ita Aul. act. 1: 2. cum totas ædes inanes significare vult, ait *plenas esse inanitate*.

7. NEC CUI M.] Schop. è V. C. l. *Nec qui m. p. q. f. occeperis. Qui*, pro, *quo*. Sic Casin. *In eum diem qui quod amet in mundo siet.* sed nostrum extat in Edd. omnibus, firmatq; sex Pall. estque concinnius.

8. RESIDENT ESUR.] *Residere* & *sedere*, interdum est quiescere, & à rebus agendis supersedere: quod feriis & festis diebus li- A cebat. hinc *Resides*, &c. *Resident* igitur *esuriales ferias*, dixit Plautus, pro eo quod est, agitant ferias, quæ Esuritioni sunt dicatæ: quod nihil aliud est, quàm quiescunt & cessant ab edendo & bibendo. *Esuriales* autem ferias dixit, ficto ab *esurire* vocabulo: Turnebus Comment. lib. 1. de Legibus. *Gruterus*; Ita *inquit*, leg. MSS. & edd. omnes: nisi quòd plerique tamen periodum ponant post *resident*, & annectant *esuriales ferias* voci *Ilicet*. MS. Cam. tamen omni caret distinctione. Pius *esuriales ferias* putat dictum epiphonemate per exclamationem: aut adeò subintelligendum *patiar*. Denique Lev. Torrent. B Comment. Suet. in Cæs. cap. 4. *Desidere*, inquit, eleganter dixit Tranquillus, pro remisso esse animo, atque otiosè agere. unde *deses* & *desidia* appellata est. Sic enim & *sedendi* verbo non semel usus est Cicero. item Virg. 3. Georg. *Et meliora deos sedet omina poscens.* Hinc verbum etiam in luctu usitatum, de iis qui mortuis feriabantur. Tib. l. 3. el. 7.

Illius ad tumulum fugiam supplexque sedebo.

Virg. 9. Æn. *sacratâ valle sedebat*. neque aliter intelligendum illud è lib. 6. Æn.

——sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus.

peccati enim pœnitentiâ lugentem describit: ut & Athamantem Plinius l.4:14. ubi *Residere pœnitentiam* dixit, ut Plautus *venter gutturque resident esuriales ferias*, pro, sedendo agunt. Et Cic. 2. de Leg. *denicales ferias* appellat, *quibus residentur mortui*: quòd sedendo scilicet mortuis feriarentur, &c. Valent. Acidalius, ut versui consulatur, legit: *sedent esur f.* ut Epid. act. 3: 4. *Tuas post sedebit mul. saxo ferias.* sic enim & hæc legenda pertendit. *Ferias sedere*, utrobique est, otiosè feriari. nec alia in Epid. sententia, nisi ista: Numeratis mihi LX. minis, mulier tuis unius rebus tota vacabit, aliis aliorum omnibus soluta. Hæc ille. *Palmerius* ad illud Cæcilii:

Tu jam callebis: ille festum desidet;

notat: *Desidere festum*, est festum agere. Plaut. Capt. &c. & Epidico: 3: 4. *Tuas sedebit mulier saxo ferias.* (ita enim leg.) *Tuas ferias sedebit*, i. tibi serviet: tua erit.

9. ILICET P.] imperfecta oratio. In crucem ire jam licet arti, *inquit*, nostræ: *Cam.* Heinsius l. *Ilicet* (vel; *i licet*) *parasitica ars in max. m. cr.* V.N. Epid.5: 2. & hanc conjecturam statim intulit pr. editioni suæ Parens, contra omnes libros.

9. MAX. IN] Vox *in* abest edd. vett. & mss. omnibus.

10. RIDICVLOS] *Ridiculus*, γελωτοποιὸς, qui risum captat: *Nannius Miscel. 1.* Ter. Eun.2: 1.

At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. Menæch.2: 2.

10. INOPES Q.] *J. Gul.* è MS. l. *ridiculos inopes ab se s. Inopes*, sine ope, destituti auxilio.

11. LACONAS] Jocatur de solemni verberatione puerorum Laconicorum: *Cam.* Vide interprett. ad illud Horat. 1. Od. 7. *Nec me tam patiens Lacedæmon &c.*

11. IMI SVBS.] *Viri imi subsellii* sunt, qui sedent in imâ parte subsellii, non primâ. Apud Cic. 3. Epist. 9. *res longi subsellii* dicitur, quæ multis indiget, qui deliberent. possunt enim in longo subsellio multi sedere: Turn. l. 14: 7. V. N. Sticho, 3: 2. item Interprett. ad Hor. 1. Epist. 18.

Alter in obsequium plus æquo pronus, & imi Derisor lecti. i. scutra, parasitus &c.

11. PLAGIPATIDAS] à plagarum patientiâ. Atq; huc pertinet illud apud Arbitrum: *Ego quidem tres plagas Spartanâ nobilitate concoxi.*

12. QVIBVS SVNT V.] Proverb. olet. Est autem *penus* omne id, quo vescuntur homines, & quod intùs reconditur. unde *penitus*, *penitrare*, *penates*, i. dii interiores, & qui in adito penitissimo coluntur. unde & *penetrales* dicti. Vide & Agell. lib. 4: 1. Adag. *Verba sine penu & pecuniâ.* Viel Geschrey/ wenig Wollen.

13. REQVIRVNT] esum vocant.

13. QVI LIBENTER] qui, cum jucundè comederint, revocent eos, à quibus benè accepti sunt. Cic. 2. de Finib. *Negat eum benè cœnare, qui omnia ponat in voluptate: & tamen non negat libenter unquam cœnasse Gallonium: (mentiretur enim) sed benè. Ita graviter & severè voluptatem secernit à bono. Ex quo illud efficitur, qui benè cœnent, omnes libenter cœnare; qui libenter, non continuò benè. Semper Lælius benè. Quid benè? dicet Lucillius:* Cocto, condito: *sed cedò caput cœnæ*, sermone bono: *quid ex eo:* si quæri libenter.

15. APERTO C.] i. sine pudore; confidenter. Contrà, *operto capite*, ἐγκαλυψάμενος. V.N. Most.2: 1. Et benè, *inquit Grut.* dixit, *aperto capite.* talia enim loca probrosa: operiebaturque caput. Divus Chrysostomus Homil. XI. ad Thessal. *Fur & latro &c.* Vide Græcolatinum pag. 1478. Quare non rectè noster Douza hic substituit *laniones*, neque (ut mox etiam dicetur) tam probrosum sanè adire macellum. Sed ringitur Parasitus, quòd jam omnia per se agant adolescentes: neglectâ ipsorum operâ. *Hæc ille.* Notat & *Casaub.* ad Theophr. Charact. *Obsonari* officium fuisse aliàs servorum ἀγοραστῶν sive *obsonatorum*, quorum Sen. epist. 47. & Athen. lib. 4. meminerunt: aliàs *Adulatorum* ac *Parasitorum.* Hinc & Gnatho Terentianus se carũ esse ait cupediariis, coquis, laneis, &c. quia suo regi obsonans illis sæpè profuisset. atque hinc etiam parasito *Phormioni* nomen. nam φορμὶς vas est vimineum, ut sportula, quod, ad macellum & forum cum irent, secum ferebant: quale est quod Galli vocant *cabas &c.*

15. Ap.

15. AD LENON.] *Douza:* Quid cum lenonibus homini (obsecro) Parasito? an, quò alienæ libidinis internuncius, & quasi sequester apud lenones existat scilicet? ut Diabolo in Asinariâ; Phædromo Curculione; aliis alii. quod munus ipsosmet jam amatores adolescentulos, famam ac verecundiam post avaritiam suam habentes, fungi atque exsequi lamentatur Ergasilus. quò? nisi ut conciliatoris faciant compendium? Scita quidem hæc explicatio, nisi illa scitior, quam nos aucupati sumus modò, *lenones* in *laniones* commutando: genus utique majori usui Parasitico ordini futurum, quàm quæstus ille lenonius. De *laniis* certè (unde Sosipat. *laniones* diminutivum deducit) idem quoque Ergasilus infrà, act. 4: 2. & 3. item Pseud. 1: 3. & act. 1: 2. &c. *Hæc Dousa.* Sed tamen *Gruterus* (ut dictum) mavult cum MS. Cam. & & Pallatt. sex, itemque vulgat. *lenones.* Nam priore versu macellum & piscarium forum designavit: isto amores arcessendos signat. Neque alioqui tam turpe ad macellum ire, quàm ad lenones. unde & apud Petron. Ascyltus caput operuit, ut se vidit in lupanar deductum.

15. DE FORO] Pareus in Electis notat ad verbum istud: Amatores in foro stabant. ô selectum electum! an sedisse magis oportebat?

16. QVAM IN TRIBV AP.] Ita MSS. & omnes vett. edit. alii: *in trivio quàm.*

19. ATQ. ILLI] *atque* i. statim. V. N. Epid. 2: 2.

20. QVIS AIT? HOC.] ita Grut. è MSS. & vett. edd. item Aus. Popma, & J. Gulielm. & legunt & interpungunt: *Quis ait? hoc.* quod est, *huc.* Dixerat Parasitus: Quò imus unà ad prandium? ideò tacentibus illis, quos rogarat, adjicit; Ecquis audet dicere, *Huc:* i. ad me eamus? Usitata in illâ re adverbia, *huc,* aut *hic.* Menæch. *numero huc advenis ad prandium.* Mostell. *Hic apud nos hodie cænes. Profiteri prandium,* promittere est. nam ea hinc verbo notio etiam apud Cic. Philip. 2. *Ut igitur intelligeretis, qualem ipse Consul profiteretur, objecit mihi consulatum meum.*

21. NEQ. ME RIDENT.] Scal. ad Catull. Carm. 57. *Dulce rideat ad patrem Semihiante labello:* Virg. 4. Ecl. *qui non risêre parentes &c.* contra interprett. curiosissime explicans, *Ridere,* inquit, *parentes,* est ridere ad parentes; ut infantes, quibus blandiuntur nutrices. Eodem modo Plautus, *Neque me rident, προσγελῶσιν ἐμοί.* Stat. 1. Theb. ——— *umbræque petunt & nubila latrant, προσυλακτοῦσι.* ita Tertull. advers. Marc. l. 2. c. 5. *Canes Deum veritatis latrantes.*

21. ATQ. ILLI ABN.] Continuò nutu capitis significant, se nusquam cœnatum ire. L.

22. DICTVM] *Dicta* sunt joci. Lucan. in Paneg. ——— *patiuntur dicta jocorum.* Varro *dicteria* vocavit. Parei editio pr. præfert *unicum.* repugnante versu, & contra omnes libros. quæ procacitas?

23. QVIBVS] in Basil. & Brix. *qui.* quod pr. editio Parei palam intulit in contextum sub nomine Dousæ, contra MSS. & Edd. vett.

23. MENSTR.] quæ mihi in mensem satis essent. L.

24. DE COMPACTO] *Compactum, est pactum inter plures factum:* Sosipater Palm. l. *compecto:* ut inferius, & Pseud. *Aut de compecto faciunt, consutis dolis.* Et Sueton. in Aug. *compecto eum ad arma isse.* A *paciscor, depeciscor, compeciscor:* inde *compectum,* ut à *fatiscor, defetiscor, &c.* Lips. Elect. lib. 1: 12. *Compacto,* (vel *compecto,* scribendi ratione tunc tralatitiâ, à *compeciscor*) ex [illegible] merum Latium. Usus Livius lib. 5. & Cicero ipse ad Atticum. Glossæ veteres, *Conclusio, compactum, συνθεσμός.*

25. IRRITATAM] *irritare* non ab ira, ut quidam putant simplici scribentes litera, sed venit ab *irrire,* quod canum est, cùm ringi incipiunt. V. Nonius & Donatus in Andr. & Adelp. Passeratius ad lib. 2. El. 1. Propertii.

26. RESTRINGEB.] *Turneb.* ad v. Lucret. ——— *Si as restringere nostris,* notat: Pereleganter *restringere* est aperire, & quod constrictum erat, laxare: ut & apud Plaut. *restringere dentes:* quod irritati canes, dum ringuntur, faciunt. V. N. Prol. Cas. Ita & *Casaub.* ad Sueton. notat, τὸ *re* in multis esse modo [illegible], modò [illegible]. in Suetonio, *retegere pedes,* i. benè diligenterque tegere: *recondere* apud Propert. [illegible], promere; cum aliàs sit [illegible]. item apud eundem lib. 2. el. ult. *impressa ubera,* pro non pressis, rectè à Scalig. exponi. *Expertem* etiam Latinè dici [illegible]. Ejusmodi voces ancipites & contrariæ notionis

 sunt,

ſunt, *inauratus, edurus, egelidus, enodis, infractus*, item *exarmare, exoſſare &c.* ita *inſertum* & τὸ ἄσπορον & τὸ κατασπαρεῖν eſt: ita *immixtum*, ἀμιγὲς καὶ μικτὸν eſt. *invalidus*, valdè etiam validus, apud Serv. ad Virgil. 6. Æneid. *Impotens*, qui & multum & nihil poteſt, &c. quæ obſervarunt Caſaub. & Scaliger.

29. VELABRO OL.] ſicut ii, qui oleum vendunt communi pacto & pretio id vendunt. *Velabrum* locus Romæ juxta Aventinum montem, ubi tabernæ oleariorum. Vide Scalig. Conject. & Interpret. ad Hor. 2. Sat. 3.

——*cum Velabro omne macellum:*

item Lipſ. ad illud Taciti. lib. 15. *Per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur.*

32. BARBARICA] i. Romanâ. V. N. Prol. Trin. Innuit autem eam, quæ à Q. Vario lata eſt in eos, qui in Remp. conſpiraſſent, conſilio inito, quò populum Rom. vitâ & victu prohiberent. Alciatus: Cam. Lamb. Jac. Capellus: Turneb.

34. IRROGABO MVLTAM] Si honeſtior eſſet perſona, quàm ut eam rapi in jus conveniret, diem ei dicebat, eamque promiſsâ pœna, quam *multam* Plautus appellat; datisve, ni prædia poſſideret, vadibus vel pignore dimittebat. Vide *Revard.* ad L. XII. tab. c. 5.

37. DECOLLABIT] i. *fallet, deficiet*, Diomedes. Turn. lib. 29: 22. *Decollare*, eſt in collo non eſſe, periiſſe, deeſſe. Solebant enim veteres de collo ſibi crumenam ſuſpendere: quæ decollabat, cum in collo nusquam erat. Nonius exponit, *De collo deponere.* Planiſſimè Scaliger: *Decollare*, ſignificat excidere; tanquam onus quod ſuccollatum eſt, & poſtea excutitur è collo. Aliud verò eſt, cùm in Nunneſii ad Eclogam Porphyrii dictionum Atticarum Notis legitur; κεφαλοτομεῖν, *decollare*: nempe τραχηλοκοπεῖν, & *caput cervicibus abſcindere*. quod doctiſſ. Hœſchelius mihi ſuggeſſit. Cæterum, ut noſter *Decollare*; ita Suetonius dixit *Succollare*, in collum tollere, & humeris quaſi ſubire. Germ. auffhucken. V. N. Trucul. act. 3: 1. Tradit Lambinus, quosdam putare translatum à liquoribus; & ſcribere uno *l. decolabit*. Caſin. 2: 4. *Si ſors autem decolâſſit*, deſtituerit, defluxerit, evanuerit, &c. Germ. Seine Hoffnung iſt zu Waſſer worden. Sed in altero auctoritas robuſtior.

37. REDIBO] Planè ita loquitur & Pompon. *Cœnam quæritat: ſi eum nemo vocat, revortit mœſtus ad menam miſer.* Eſt autem *mena*, vilis & plebejus piſcis: itaq; Cic. 2. de Fin. *Qui enim voluptates ipſas contemnunt, eis licet dicere, ſe acipenſerem menæ non anteponere.* Palm.

ACTUS III. SCENA II.

HEGIO.

QVID eſt ſuavius, quàm benè rem gerere bono publico? ſicut ego feci heri,
Cùm emi hoſce homines. ubi quisque vident, eunt obviam,
Gratulanturque eam rem. ita me miſerum reſtitando,
Retinendoque laſſum reddiderunt.
Vix ex gratulando miſer jam eminebam;
Tandem abij ad Prætorem: ibi vix requievi: rogo ſyngraphum:
Datur mihi: illicò dedi Tyndaro. ille abijt domum.
Inde illicò revortor domum. poſtquam id actum eſt, eo:
Protinus ad fratrem inde abij, mei ubi ſunt alij captivi.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium noverit?
Tandem hic exclamat, eum ſibi eſſe ſodalem. dico eſſe eum
Apud me. hic extemplò orat obſecratque, eum ſibi ut liceat
Videre. juſſi illico hunc exſolvi. nunc tu ſequere me,
Vt quod me oraviſti, impetres, eum hominem ut convenias.

VERSUS sunt confusi numeris, & fortasse A minus exquisitè distincti: habent autem crebras ἐπανάληψεις. Etiam Acidalius in totâ hâc Scenâ de numeris desperat.

1. BENE REM G.] ita Horat. 1. Epist. 8. *Celso gaudere & bene rem gerere Albinovano Musa rogata refer.* Salutationis enim genere expressit Græcum modum χαίρειν καὶ εὖ πράττειν.

2. BONO P.] Hoc eo dicit, quia audierat, Philocratem summo loco natum: & iccircò non solum sua sed etiam Reipub. interesse, eum suis reddi. L.

3. RESISTANDO] dum ipsi crebrò consistunt. Ter. And. *Dave, ades, resiste.* Casin. 3. 6. *Dabo μέγα κακόν, nisi resistis.*

5. EX GRATUL.] ex gratulantium concursu.

5. EMINEBAM] Vix videri poteram; ita me pœnè obrutum & sepultum quasi detinebant. Palm. è MS. Cod. restituit, *etumebam. Tumor*, inquit, est densa corona & fretum illud turbæ. V. N. Amph. Perioch. MS. Cam. & Pall. quinque, *enumebam*, at quintus *eximebam*.

6. TAND. ABII] Pist. mavult, *alii*. quod adeo avidè arripuit Pareus, ut tantum expresserit in editione sua pro *alii*.

8. REVORTOR.] Sic V. C. sed Pall. quinque *præverter*, neque aliter edd. vett. examinari meretur ab otiosiore me.

9. EO: PROTINUS] ita Grut. è MS. Cam. & vett. edit. distinguit, meliori sensu. sed & seqq. versus aliter ordinat. Etiam Acidal. ambitiosissimè docet, aut Plautum sui hic oblitum leges œconomiæ migrâsse: aut illa duo esse additamenta audaciss. nebulonum: *Inde illico revortor domum, & inde abii*. cùm in nullis etiam edit. appareant. Legit itaque: *rogo syngraphum.*

Datur mihi. illico dedi Tyndaro. ille abiit domum.

Postquam id actum est, eo

Protinus ad fratrem, mei ubi sunt alii captivi.

quæ singula copiosissimè explicat.

10. PHIL. EX ALIIS] Dictum ut illud Ter. Andr. 5. 1. *hinc illæ &c.* Ovid. lib. 2. el. 6. ——*alii ab Indis.*

ACTUS III. SCENA III.

TYNDARUS.

NUNC illud est, cùm me fuisse quàm esse nimio mavelim:
Nunc spes, opes auxiliaque à me segregant spernuntque se.
Hic ille est dies, cùm nulla vitæ meæ salus sperabilis est:
Neque exilium exitio est; neque adeò spes, quæ mihi hunc aspellat metum:
Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis.
Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est.
Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est.
Nec confidentiæ usquam hospitium est, nec diverticulum dolis.
Operta quæ fuere, aperta sunt: patent præstigiæ.
Omnis res palàm est: neque de hac re negotium est, quin male
Occidam, oppetamque pestem, heri vicem meamque.
Perdidit me Aristophontes hic, qui intrò venit modò:
Is me novit: is sodalis Philocrati & cognatus est.
Neque jam Salus servare, si volt, me potest: nec copia est:
Nisi si aliquam corde machinor astutiam.
Quam, malùm! quid machiner? quid comminiscar? maximas
Nugas ineptiasque incipisso. hæreo.

VERSVS hujus Sc. quadrati sunt, plerique ἀκατάληκτοι.

1. CVM ME FVISSE.] Quem auctores εὐφημοῦντες volebant dicere *mortuum*, dicebant, *vixit*. Ut Cicero de Conjuratis; *vixerunt*. Plaut. Bach. 1: 2. *Vixisse nimio satius est, quàm vivere*. Pseud. 1: 3. *mortuus est, qui fuit; qui est, vivus est*. Persâ: *Omne ego pro nihilo esse duxo, quod fuit, quando fuit*. Truc. *Ita tibi penè fuit Phronesium*. Virg. 2. Æn. ——*fuimus Troes, fuit Ilium*. Id. 4. *Vixi: & quem d. &c.* plura videre est apud Passerat. ad 2. el. 8. Propertii.

2. SPERNVNTQ. SE.] Hanc lect. Douza multis probat. Milite: *Ille illas spernit segregatque ab se omnes extrà te unam*. Ubi, *segregat*, subsequi fecit, velut interpretamentum verbi præcedentis. Cui adstipulatur & J. Gul. veris. lib. 3. 3. *Spernere*, inquiens, disiungere & segregare est. Ennnius:

Melius est Virtute jus. nam sæpè virtutem mali:
Nanciscuntur. jus atque æquum se à malis Spernit procul.

Aurea planè sententia. *Virtute* autem intelligit robur & vires corporis. Glossar. vetus: *Virtus*, ἀρετὴ, ἀνδρεία, ἰσχὺς, δύναμις. aut certè animi inconsultam. verocitatem. (*Luc. Frut.* Veris. lib. 1: 4 versus hosce in quadratos troch. catalect. lubente Douzâ, transformavit.) Quin & *Grutero* placet *spernuntque se*: licet MS. Cam. & Pallat. omnes, itemque olim editi habeant *me*.

4. NEQ. EXILIVM EXITIO EST] Camerarius omisit vocem *exitio*: quam Lambinus in omnib. (ut ait) V. Codd. repertam restituit. Q. d. Neque ullus locus est, quò profugiens possim exitium declinare. Paullo post *fugam* dixit, quod hic *exilium*. Sed & *Grut.* notat ita legi in MS. Cam. & Pallat. sex, nec non editis ante Cam. qui putarit illud *exitio* esse interpretationem vocis *exilium*. Is. Pontanus è v. c. leg. *Neque exitium exitio est*. ferè ad exemplum illius, *Nec salus saluti*, & talium. Ita & Acidal. legit, & explicat ex ingenio illius Virgil.

Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit,

ut *exitio* sit ad formam istorum, *abitio*, *initio*, *reditio*. modus autem loquendi similis istis, Truc. *quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est?*

4. ASPELLAT] ita consensu omnes libri, etiam MSS. Cam. & Langii. nec temerè spreverim. Quidni enim *aspello* sit *depello*: sicut *asporto* pro *deporto*, apud Virgil. 2. Æn. Servius exponit: & talia ad hanc faciem? cùm præsertim hoc verbum & Mercat. act. 1. 2. clarè ita legatur, & usurpetur. Nec aliter Cicero 2. Tuscul. ipse in versu usus sit: *Amore mortis terminum inquiro mali: Sed longè à letho numine aspellor Jovis.* Videat igitur *Nobilius editor*, quâ fronte *cispellat* Palmerii & Acidalii in contextum receperit. nam dum in Notis secundis asserit à manu prima ita fuisse in Pal. pr. & sext. injuriam facit ipsis libris, a nullum scalpellum sensit, sed litera sequens, quæ in uno videtur fuisse *d*, in altero *p*. At verò V. C. mangonium passus, ex quo eum comparavit cum editionibus Gruterus.

5. NEC MEND.] Lamb. è v. c. Joh. Tilii. l. *Nec subdolis mendaciis usquam mihi integumentum est meis*. Sed mihi hoc *integument*. glossema olet.

5. MANTELLVM] Scaliger ad illud Varr. *Mantelium, quasi manuterium*; notat: χειρόμακτρον. Etiam apud Athenæum χειρόμακτρον est genus velamenti. Sic Latinè *mantelium*, & *mantile* ad tergendas manús: itemque genus pallii, aut velamenti. Plautus: *Neque fall. ul. est mantelum meis.* Utrumque Hesychius, χειρόμακτρον, ἢ χειρόμακτρον, Μανδύλιον: *Hæc Scalig.* Gemina Casaubonus quoque observavit ad Athen. lib. 9. cap. 16. Et nostri in eâdem re dicunt: Ein ding bemänteln. Vide & Serv. ad illud 1. Æn.

——*tonsisque ferunt mantilia villis.*
Lucillius:
——*evertit mappas, mantella, merumque.*

14. NEQ. JAM SERV. S.] Ter. Adelph. 4: 7. *Ipsa si cupiat Salus, servare prorsus non potest hanc familiam.*

17. INCEPISSO] ita Cam. edidit. Sed in MS. est, *incipisse*, ut & in Langii. Edd. olim. *incepisse*, *hareo*. Pareus ex Pal. A sexto oggessit nobis *incipisse horreo*; cùm tamen restaret in reliquis quinque *hareo*, etiam in V. C. quæ novitatis prurigo?

ACTUS III. SCENA IV.

HEGIO, TYNDARUS, ARISTOPHONTES.

QVO illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex ædibus?
TY. Nunc enim verò ego occidi: eunt ad te hostes, Tyndare. quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto sita est. quid rebus confidam meis?
Vtinam te di prius perderent, quàm periisti è patriâ tuâ,
Aristophontes, qui ex paratâ re imparatam omnem facis.
Occisa est hæc res, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam.
HE. Sequere. hem! tibi hominē. adi, atq; alloquere. TY. quis homo est me homi- (nū miserior?
AR. Quid istuc est, quòd meos te dicā fugitare oculos, Tyndare?
Proque ignoto me aspernari, quasi me nunquam noveris?
Equidem tam sum servus, quàm tu: etsi ego domi liber fui,
Tu usque à puero servitutem servivisti in Alide.
HE. Edepol minimè miror, si te fugitat, aut oculos tuos,
Aut si te odit, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.
TY. Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide.
Ne tu, quod istic fabuletur, auris immittas tuas.
Nam istic hastis insectatus est domi matrem & patrem.
Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.
Proin tu ab istoc procul recedas. HE. ultrò istum à me. AR. ain' verbero
Me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier?
HE. Ne verere: multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuit. TY. atque Aliis profuit. (num esse me
AR. Quid tu autem, etiam huic credis? HE. quid ego credam huic? AR. insa-
TY. Viden' tu hunc, quàm inimico voltu intuetur? concedi optumum est.
Hegio! fit quod tibi ego dixi: gliscit rabies. cave tibi.
HE. Credidi esse insanum extemplò, ubi te appellavit Tyndarum.
TY. Quin suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit qui siet.
HE. At etiam te suum sodalem esse ajebat. TY. haud vidi magis.

Et

Et quidem Alcmaeo atque Orestes & Lycurgus postea
Unâ operâ mihi sunt sodales, quâ iste. AR. at etiam, furcifer,
Malè mihi loqui audes? non ego te novi? HE. pol planum id quidem est
Non novisse, qui istum appelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.
AR. Imò iste eum sese ait, qui non est, esse: & qui verò est, negat.
TY. Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio!
AR. Pol ego, ut rem video, tu inventus, vera vanitudine
Qui convincas. sed quaeso hercle agedum aspice ad me. TY. hem! AR. dic modò.
Te negas Tyndarum esse? TY. nego inquam. AR. Tun' te Philocratem esse ais?
TY. Ego inquam. AR. túne huic credis? HE. plus quidem, quàm tibi aut mihi.
Nam ille quidem, quem tu hunc memores esse, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem hujus. AR. quem patrem, qui servus est? TY. & tu quidem
Servus, & liber fuisti, & ego me confido fore,
Si hujus huc reconciliasso in libertatem filium.
AR. Quid ais, furcifer? tun' te gnatum memoras liberum?
TY. Non equidem me Liberum, sed Philocratem esse ajo. AR. quid est?
Ut scelestus, Hegio, nunc iste ludos facit!
Nam is est servus ipse, neque praeter se unquam ei servus fuit.
TY. Quia tute ipse eges in patriâ, nec tibi, qui vivas, domi est,
Omnis inveniri similes tibi vis. non mirum facis.
,, *EST MISERORUM, ut malevolentes sint atque invideant bonis.*
AR. Hegio vide sis, ne quid tu huic temerè insistas credere.
Atque ut perspicio, profectò jam aliquid pugnae edidit.
Filium tuum quòd redimere se ait, id neutiquam mihi placet.
TY. Scio te id nolle fieri: efficiam tamen ego id, si dî adjuvant.
Illum restituam huic; hic autem in Alidem me meo patri.
Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum. AR. quin tute is es:
Neque praeter te in Alide ullus servus istoc nomine est.
TY. Pergin' servum me exprobrare esse, id quod vi hostili obtigit?
AR. Enimverò jam nequeo contineri. TY. heus! audin' quid ait? quin fugis?
Jam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illunc jubes
Comprehendi. AR. crucior. TY. ardent oculi. fune opu'st, Hegio.
Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem. AR. at pol te, si hic sapiat senex,
Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat.
TY. Jam deliramenta loquitur: larvae stimulant virum.
HE. Hercle! quid si hunc comprehendi jusserim? TY. sapias magis.
AR. Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiae
Cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis.
TY. Audin' lapidem quaeritare? AR. solus te solum volo,
Hegio. HE. istinc loquere, si quid vis; procul tamen audiam.

TY. Nam-

TY. Namque edepol si adbites propiùs, os denasabit tibi
Mordicus. AR. neque pol me insanum, Hegio, esse creduis,
Neque fuisse unquam, neque esse morbum quem istic autumat.
Verùm si quid metuis a me, jube me vinciri: volo,
Dum istic itidem vinciatur. TY. imò enimverò, Hegio,
Istic, qui volt, vinciatur. AR. tace modo: ego te, Philocrates
Falsè, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus.
Quid mi abnutas? TY. tibi ego abnuto? quid agat, si absis longiùs?
HE. Quid ais? quid si adeam hunc insanum? TY. nugas ludificabitur.
Garriet quod neque pes unquam, neque caput compareat.
Ornamenta absunt; Ajacem, hunc cùm vides, ipsum vides.
HE. Nihili facio, tamen adibo. TY. nunc ego omnino occidi.
„ *Nunc ego INTER sacrum saxumque sto; nec, quid faciam, scio.*
HE. Do tibi operam Aristophontes, si quid est quod me velis.
AR. Ex me audibis vera, quæ nunc falsa opinare, Hegio.
Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me insaniam
Neque tenere, neque mi esse ullum morbum, nisi quòd servio.
At ita me rex deorum atque hominum faxit patriæ compotem,
Ut istic Philocrates non magis est, quàm aut ego aut tu. HE. eho dic mihi,
Quis illic igitur est? AR. quem dudum dixi à principio tibi.
Hoc si secus reperies, nullam caussam dico, quin mihi
Et parentum & libertatis apud te deliquio siet.
HE. Quid tu ais? TY. me tuum esse servum, & te meum herum. HE. haut istuc (rogo.
Fuistin' liber? TY. fui. AR. enimverò non fuit: nugas agit.
TY. Qui tu scis? an tu fortasse fuisti meæ matri obstetrix,
Qui id tam audacter dicere audes? AR. puerum te vidi puer.
TY. At ego te video major majorem. hem rursum tibi.
Meam rem non cures, si rectè facias. num ego curo tuam?
HE. Fuitne huic pater Thesaurochrysonicochrysides?
AR. Non fuit. neque ego istuc nomen unquam audivi ante hunc diem.
Philocrati Theodoromedes fuit pater. TY. pereo probè.
Quin quiescis dierectum cor meum! i, ac suspende te.
Tu sussultas, ego miser vix asto præ formidine.
HE. Satin' istuc mihi exquisitum est fuisse hunc servum in Alide?
Neque esse hunc Philocratem? AR. tam satis, quàm nunquam hoc invenies secus.
Sed ubi is nunc est? HE. ubi ego minimè, atque ipsus se volt maximè.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus sum miser
Hujus scelesti technis; qui me, ut lubitum est, ductavit dolis.
Sed vide sis. AR. quin exploratum dico & provisum hoc tibi.
HE. Certon'? AR. quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates jam inde usque amicus fuit mihi à puero puer.

HE. Sed quâ facie eſt tuus ſodalis Philocrates? AR. dicam tibi.
Macilento ore, naſo acuto, corpore albo, & oculis nigris,
Subrufus aliquantum, criſpus, cincinnatus. HE. convenit.
TY. Vt quidem hercle in medium ego hodie peſſimè proceſſerim.
Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.
HE. Verba mihi dari eſſe video. TY. quid ceſſatis compedes
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos cuſtodiam?
HE. Satin' me illi hodie ſceleſti capti ceperunt dolo?
Illic ſervum ſe aſſimulabat, hic ſeſe autem liberum.
Nucleum amiſi, reliquit pigneri putamina.
Ita mihi ſtolido ſurſum vorſum os ſublevêre offuciis.
Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Cordalio, Corax,
Ite iſtinc, atque efferte lora. LO. num lignatum mittimur?

VErsus quadrati: ſed plerique catalect. troch.

5. QVAM PERIISTI E PATRIA TVA] Utinam priùs vitam perdidiſſes quàm patriam, & in hoſtium non manûs, ſed gladios potiùs ipſos incidiſſes: *Siberus*. Etiam JCti dicunt eos periiſſe patriæ, qui capti ſunt, vel exules.

6. QVI EX P. RE. IMPARATAM. O.] ita MS. Cam?

7. OCCISA EST H. RES] Menæchi. act. 3:2.

7. ATROCEM] Feſtus: *Atroces appellantur ex Græco: quia illi ἄτρωκτα appellant, quæ cruda ſunt. ſive Atrox dicitur ab eo, quod nihil timeat. τρέσαι enim Gr. dicunt timere.* Gloſſæ: *Atrox*, δεινὸς, σχετλιὸς, ἀπηνὴς. Nævius: *atrocia exta*, i. cruda. Immò *Atrox* purum putum Græc. eſt, auctore Scaligero. ἄτραξ, ἄπεπτος, quod nondum maturum eſui.

18. ET ILLIC ISTI] Parei editio pr. contra omnes mſſ. & edd. abjecit *iſti*, ſine quo tamen numeri deficiunt. quæ protervia! quæ ignorantia!

18. QVI SPVTATVR] Comitialis ſeu Herculaneus; qui & Morbus ſacer, & Major, & Caducus; ἐπιληψία. Hier. Mercurialis, Medicus, Var. Lect. lib. 5. cap. 11. *Morbus qui inſputatur*, à Plauto omnium primo ſic appellatus, quis eſſet apud veteres, in controverſiam poſuerunt eruditiſſimi viri: & extiterunt, qui *herpetem miliarem*, aliàs *volaticam* nuncupatam fuiſſe conſtituerent, eâ ratione adducti, quod hujuſmodi genus ulcerum non modò contagioſum ſit, quale ſuum fecit Plautus, verùm etiam à vulgaribus atque medicis, frequentiſſimè ſputo curetur. Veruntamen horum ſententiam ſatis Plinii auctoritas refellere videtur, qui libro 10. cap. 23. & lib. 28. cap. 3. diſertiſſimis verbis monſtrat, *epilepſiam* eum fuiſſe morbum, qui inſputabatur. Sed incertum eſt adhuc, quis fuerit inſputandi modus: cùm à nemine ita explicatum inveniatur; quin ſemper dubitandi relinquatur occaſio. At ſum ego ejus ſententiæ, id feciſſe priſcos hâc in re, quòd faciunt hodie in pleriſque regionibus, ut ubi epilepticus vel occurrit, vel morbus nominatur, ſputum emittatur, tanquam hujuſcemodi conſpuitio ad avertendam à ſeſe morbi perniciem conferat. Neque verò ſimile videtur, vel in ægrotantis faciem, vel alio pacto adverſus ipſum conſpuitionem faciendi conſuetudinem extitiſſe. *Is. Caſaub.* in Comment. ad Charact. Theophr. illud Samuel. c. 21. huc accommodat; ubi rex *Akis* Davidem inſaniam ſimulantem procul à domo ſuâ arcebat. *Vide ibidem.* Nam etſi nimis docta ſunt illa, quia tamen nimis etiam multa; nolui huc transferre. Vide etiam *J. à VVouvveren* Animadv. in Petron. ubi docet, Non tantùm ad faſcinum arcendum, ſed etiam omina *exſpuere*, familiare fuiſſe: immò ad omnia quoque dira, horribilia aut averſanda: ut ſi rabioſum, ſi comitiali morbo correptum vidiſſent. allegatque hoc Plauti, & illud Plinii lib. 28. cap. 4. *Deſpuimus Comitiales morbos, hoc eſt, contagia regerimus.* Vide & Scip. Gentilem, Commentario in Apulei Apolog.

19. ULTRO] V. N. Amph. act. 1:1.

23. QVIBVS INSPVTARI SAL.] Hæc verba

occiſa

occisa sunt in vulgatis, nisi hoc modo animentur: —— *saluti fuit. TYND. atque Aliis profuit.* Scilicet argutatione suâ usque adeò Hegioni persuaserat Tyndarus, Aristophontem comitiali morbo laborare, ut ille jam bono animo Aristophontem esse juberet; posse eum solâ insputatione sanari: ad quæ verba servus: Benè loqueris, inquit, & verum est, quòd hic sputo curentur homines caduci: nam & æquè apud nos in Aulide idem est eidem morbo remedium. *Aliis*, dixit pro, *Aliensibus*, ut & suprà. Non absimilis argumentatio extat Casinæ prologo:

Atque ego ajo hoc fieri in Graciâ & Carthagini
Et hic in nostrâ terrâ & in Apuliâ.

Ad insputationem eorum, quibus Comitialis morbus, traxerim Apuleii hæc Apolog. I. *Immò enim, si audire verum velis, Æmiliane, tu potius caducus, qui jam tot calumniis cecidisti. Neque enim gravius est, corpore, quam corde collabi; pede potiùs, quàm mente corruere; in cubiculo despui, quam in isto splendidissimo cœtu detestari.* Sed latius de hoc, ut & ejus remedio, disputat Plinius, Natural. histor. & ad eum medici. Vide etiam Senecam lib. 3. cap. 10. *De Irâ.* Hæc Gruterus. E cujus *Schedis* & hoc notabo, vett. edit. *atque iis profuit*, disertim retinere; ut & Pall. tertium: reliquos, *his*.

25. CONCEDI] cedère. L.

26. GLISCIT] i. augescit, ignescit: ut Serv. & Nonius exp. Asinar. act. 5:2. *Pulchrè hoc gliscit prælium.* Lucr. 4. *Inque dies gliscit furor. Glisco* est à Græco γλίχεσθαι, i. *appetere.* Signatissimè apud Poetam 12. Æn.

—— *accenso gliscit violentia Turno.*

quia crescebat & præceps ferebatur. γλίχεται, ἐπιθυμεῖ, ut explicat J. C. Scaliger.

28. QUIN] ita Douzæ vetus Codex. appositè, Pontan., è cod. Anglic. *Quid suum ips.* Pall. & edd. vett. *Quia.*

28. HAUD VIDI] V. N. Amph. 2:2.

30. ALCMÆO] Tres insanos nobilissimos commemorat: quos eodem modo sibi dicit sodales esse, atque istum. At illi nullo modo fuerunt: neque igitur iste. de quibus Lamb. V. C. *Alcumeus.* Pall. Ferè *Alcinous*, quod & in vett. edd.

35. VERO EST] i. verè: D. sic & Schopp. qui etiam affert illa Asin. act. 3:2. *Tua quoque malefacta iterare multa & vero possunt:* & Most. 1:3. *Ebo mavis vituperari falso quàm vero extolli?* pro, *verè*.

36. TU ENIM REP.] Sententia est: *Philocratis* ἐτυμολογία seu veriloquium est, *potentia amore adfectus*, seu *potentia studiosus*. *Aristophontis* veriloquium est, *optimi viri interfector*. Tu igitur Aristophontes tuis factis tuo nomini respondes, & me virum opt. occidis: & ita tu factis & re magis es Aristophontes, quàm Philocrates: *Hæc Lamb.* Quæ Pistoriu ut ridicula meritò traducit: cùm sensus sit planissimus.

37. VERA] i. qui ea quæ vera sunt, convincas vanitate ac mendaciis tuis. *L. D.*

42. QUEM PATREM?] Idem sonat, atque si scriptum esset, *Patrem non habet.* additur ratio: quia servus est. Vide Mercerii Opinion. lib. 2. capit. 18.

45. TE GNATUM] versui nihil deerit, si geminetur *te.* alii *esse* interposuerant.

46. NON EQUIDEM ME LIBERUM] Jocatur & ludit ambiguitate vocabuli *Liberi*: ut hoc *patrem Liberum*, illo vi igatam notionem designet. Liquet manifestò ex alterius responsione: *Ut scelestus, Hegio, nunc iste ludos hic facit!* Is. Pontan. Analect. lib. 1. cap. 13.

46. UT SCEL. HEGIO, N.] Camer. *ludos hic f.* sed præter libros. Douza F. l. *Ut scelestus Hegioni huic iste lud.* ut hæc secum loquatur Aristoph. ad vitandam ambiguitatem. Gruterus versui succurrebat, & ambiguitati, repetito, *iste te lud.*

48. NEQUE PRÆTER SE UNQUAM EI.] Ita V. C. at Pall. & edd. vett. *neque præter eum quisquam ei.* Pareus verò mirificè monstrosum versum nobis dedit, dum & *unquam* retinet, & *quisquam*; sic: *neque præter se unquam ei quisquam servos fuit.* hoc est emendare auctores. scilicet! Acidal. leg.

—— *esse ajo. HEG. quid est? ARG. ut &c.*

50. SIMILES] servos & egentes. *L. D.*

51. EST MISEROR.] ὁ φθόνος οἰκτιρμοῦ κακὸν πλέον ἐστὶν, ἐστὶ ……

51. BONIS] i. Divitibus & beatis. *L. D.* Vid. N. Trin. act. 2. 4.

53. ALIQVID P. ED.] ita MSS. Aliquid jam machinatus est. Schop. L. *dedit*. Sic Pseud. act. 1: 5. &c.

59. EXPROBRARE] ὀνειδίζειν. Etsi pari jure habebantur servi bello capti, atque ii qui vernæ essent: hoc illis tamen quasi miseriæ suæ solatium ac levamen erat, quòd exprobrare servitutem non liceret: cùm idipsum minimè honestum existimarent, *Meursius*.

67. ARDENI OC.] Nam, ut ira is, ita & insanis ardere oculi solent. nec mirum: cum *ira* sit *furor brevis*. Virgil. 12. Æn.

Ardentes oculorum orbes ad mænia torsit
Turbidus. Menæch. act. 5:2.

62. FVNE OPV'SI] J. Gruterus, Primæ, inquit, ætatis exemplaribus, item pluteatis Codicibus Langii & Sambuci adhæreas, quæ habent, *fune opus, Hegio*. Nam mentis impotes habitos in vinculis, vel ex Plaut. Menæch. act. 5:2. & Cic. liquet in Pisone: *Si familiā tuam dim.* &c. Philip. 2. *Tu mentis es compos? tu non constringendus?* De Divin. 2. *Quòd si ita naturâ paratum esset* &c. Quanquam & vulgatum illud *fit opus*, (quod etiam in MS. Cam. est) ferri potest: ut respiciat ad illud, quod suprà dixit: *Hegio, fit quod ego tibi dixi: gliscit rabies; cave tibi*. Hæc Gruterus Sed & *Jacob. Dalechamp.* ad Plin. lib. 11. cap. 37. *fune opus* itemque Meursii & omn. editi mei: neque aliter quatt. MSS Pall. a manu prima. tam & sic quoque à secunda pr. at vero sec. *si opus*, quomodo etiam initio videtur fuisse in primo, auctore eodem Grutero.

64. ATRA B.] Vide Men. act. 5:2.

65. ATRA PIX] V. N Mercat. act. 3: 4.

66. DELIRAM.] V. N Amphit. 2. 2.

67. HERCLE] QVID SI] Secutus sum Edd. vett. & Pall. sex, in quibus ita erat; requirebatque versus V. C. *Quid? quid si* &c neque venustè; & numeris labantibus. Porrò priore versu lariæ trisyllabum est.

ADBITES] V. N. Epid. 3:2.

73. MORDICVS] *Viro Docto* non displicet, quod in Basil. & Brix. est. servatque Pal. secundus, *mordicibus*: ut & Aul. 2:2. *Asini me mordicibus scindant*.

75. VINCIRI] V. C. *Vincire*, quod Pareus insulsè nobis oggerit; Pall. sex & edd. omnibus pro altero stantibus.

79. ABSIS] sc. Hegio.

80. NVGAS LVD.] i. nugator ludos te faciet. V. V. Trin. act 3. 3. Acidalius: scio, *nugas* capi posse *nugax*: malim tamen *nugas* seorsim poni, ut sub intelligatur, *egeris*. ita Mostell. *TR. nugas: nunquam dabis*.

81. QVOD] ita MS. Cam. & omn. meæ edd. Tamen Lamb. *quo*, i. in quo. Acidal. *quos*.

81. NEQ. PES] Asin. act. 3:3. German. Es hat weder Hand noch Fuß.

82. ORNAMENTA ABS.] sc. Scenica: hoc est, arma, clypeus, vestitus absunt: cæterum hic merus est Ajax, i. fuerit. Douza L. *Orn. adsint*. Vett. Edit. hab. *Armenta absunt*, quod Meursio placet. nam profectò, *inquit*, Ajax *abigens* fuit, & pecora abegit. de quo apud Lycophron. Duinque Aristophontem Ajaci comparat Plautus, ostendit herois illius furorem manasse ex melancholiâ. nam antè de Aristophonte dixerat Tyndarus, *Viden' tu illi* &c. In eâdem mente Celsus invenitur, qui lib. 6. cap. 18. sic ait: *Quidam imaginibus, non mente falluntur: qualem insanientem Ajacem vel Orestem Poëtarum fabulæ ferunt*. Etiam id *armenta* propugnat, è fabellâ, quâ fertur Ajax Ulyssem in armentis persecutus, atque ea occidisse; cum putaret ipsum, insanus ex irâ &c. Grut. tamen retinet *Ornamenta absunt*, opt. sensu, ac violente versu, qui rursus amisso altero Pall. servant. *hortamenta*.

84. INTER SACR. SAX.] Proverb. à victimis, nempè porcis, quæ in sanciendis fœderibus a Sacerdote saxo feriebantur. Unde *ferire, percutere, icere fœdus*, &c. Tale illud: *Inter malleum & incudem*.

93. DELIQVIO] dictum, ut *contagio, onis*, i. ἔκλειψις. *L. D.* At J. Gul. leg. *deliquium*: & *deliquio* dici Latinè non arbitratur. Etiam *Grutero* videtur leg. *deliquiom*, pro *deliquium*. aut *deliquio* sit nominativi casus, & generis fœminini. *Rob. Stephanus* in tertio casu accepit: & retinendum putabat *Sibernus*, dictum videlicet ut i la.... *Est mihi bono, fraudi, exitio*. Sed mihi (Collegæ dixerim) ὑπερχοδιανόον hic quidem videtur. In MS. Cam. prius fuit, *deinquio fiet*.

95. FVI] Verum dicit imprudens. est enim Hegionis Filius. *L.* Parei pr. editio stat m... ejicit

ejicit *non*, & sententia nolente, & versu contraque omnes MSS. atque Edd. quæ in ania l

99. SI RELICTUP.] Sic Cic. pro Rosc. Amer. dixit, *si relictus*, pro, si officio fungatur, &c. L.

103. QVIN QVIESCIS] ita MS. Cam. & olim editi. Lamb. l. *Quin quiesce tu directe*. At J.Gul. leg. *Quin quiescis: i directum*, i. ad crucem actum, quasi ad diem erectum. V. N. Trin. actu: 4. Muretus Var. lib. 19. cap. 9. *Saltare*, non hilaritatis modò est, sed immodicæ & profusæ cujusdam hilaritatis. *Salire* autem ac *palpitare* videtur *Cor*, in maximo ac vehementissimo motu. Itaque venustè Tyndarus cor suum hic objurgat, quod in tanto periculo saltitet. Et videntur hi versùs è vet. Comico Anaxandride, apud Athen. l. 15. efficti:

—— ὦ πονηρὰ καρδία,

Ἐπιχαιρέκακος εἶ μόνον τῶν σώματος.

Ὀρχῇ γὰρ εὐθὺς, ἂν ἴδῃς ἐπταικότα.

—— ô Cor improbissimum,

Ut corpore ex toto unicum gaudes malis.

Salis enim, simulac timentem videris.

103. I, AC SVSP.] ita in emendatis libris esse, testatur Muretus. abest tamen Pall.

104. TVSVSSVLTAS] ita Sophocl. *καρδίαν χορεύειν*: quod Anaxandrid. *ὀρχεῖσθαι*. *ψυχῆς δ' ἐν καρδίᾳ χορεύειν θυρέβους θεράπη*. i. *In animo meo jam non amplius saltas Pastoris filia*, i. trepidatio: *ὁ πηδῶν τῆς καρδίας*, ut Plato aliique loquuntur. vide *Casaub.* lib. 15. cap. 11. ad Athen.

108. DERVNCINATVS] ita MSS. Turnebi, à *runcina*, quæ serræ genus est, ut censent Critici; (*ῥυκάνη* Græcis:) verbo non inscitâ translatione sed verè Comicâ usurpato: Turneb. lib. 14:7. V. N. Mil. act. 3:1. & 4:5. v. 6. Pall. habent omnes vulgatum *ærumnatus*, quod Pareus revocavit, non sine pernicie versus.

108. DEARTVATVS] i. *per artus concisus*: Nonius. Bosius, *διαμελισθείς*.

110. VIDE SIS] sitne hoc certum & exquisitum: L.

111. Q. NIHIL, INQ.] ita Grut. suasu omnium MSS. primus restituit. sic Scenâ ult. *Quin inquam mitis est*. Vulgati, *Quin unquam*.

A 114. NASO ACVTO] Lucr. 6. —— *nasi primoris acumen.* ——

115. ALIQVANTVM, CRISP.] ita quidem è Pall. MSS. ut & Cam. disting. *subrufus aliquantum: crisp.* Atque ita citavit & Rob. Stephanus. Et *subrufus aliquantum*, dictum, ut apud Ter. *subtristis visus est esse aliquantulum*. nam *subrufus* satis poterat esse sine adjectione, Græcis *ὑπόπυῤῥος*.

117. MORIENTVR] Hæc satis explicat, cur *ulmorum Acheruntem* dixerit Amph. 4:2. quasi virgarum Orcum & necem: Turn. l. 14:7. Aristophan. *τῶν σχοίνων τῶν κρεμαμένων*, pro *κολάστων*.

119. VIVIS CVST.] à contrario sensu: ut, *custos carceris*, Asin.

120. CAPTIVI C.] simile Horat. lib. 2. Epist. 1. *Græcia capta ferum victorem cepit*. D.

122. NVCLEVM] *Scal.* ad vers. Propert. lib. 1:6. *Osculaq; opposito dicat sibi debita* (Palmidianus) *vento*, notat: Proverbium nuspiam à me animadversum, *Rem abstulit, reliquit ventum pigneri*: simillimum illi *Nucleum amisit, reliquit pigneri putamina*. In MS. Pall. leg. *Nuculeum*. atque ita in *Lang.* etiam. quod *Meursius* valde probat. Nam, inquit, vett. dicebant *nuculeus*, *nucleus*: *tempulum*, *templum*: quâ facie, *periculum*, *periclum*, &c. ita

B Curc. Sc. 1. exd. memb. *Qui è nuce nuculeum esse vult, frangit nucem*.

122. RELIQVIT] Quidam MSS. ut & Cam. *reliqui*, quod Pareus admisit in contextum. quo sensu?

123. SVRSVM VERS.] *ἄνω, κάτω* J. Gul. è libris Lang. qui habent *vorsus sublevere os obfucys*, legit, *vorsum os sublevere offuciis*. V. N. Epid. Argum. *sublevere* etiam Pall. & edd. vett. sed mutatum in V. à manu secundâ.

125. ITE ISTINC] ita MSS. & Edd. vulgo, *istuc*

125. LIGNATVM] Senex castigando Tyndaro lora clamat: (nam servis puniendis lora poscebantur) illi autem joco, quasi ambigentes, ad lignationem referunt: nam & lignatum ituri ferebant securim & lora: Lips. Epist. Quæst. lib. 1:13. Cato 1. Orig. *Quum aquatum, ut lignatum, jubentur ire. securim atque loram ferunt.*

ACTUS III. SCENA V.

HEGIO, TYNDARUS, ARISTOPHONTES.

INIICITE huic manicas mastigia.
TY. Quid hoc est negotij? quid ego deliqui? HE. rogas?
Sator sartorque scelerum, & messor maxume.
TY. Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant prius, quàm sarriunt rustici.
HE. At ut confidenter mihi contrâ astitit!
TY. Decet innocentem servum atque innoxium
Confidentem esse, suum apud herum potissimùm.
HE. Astringite isti sultis vehementer manus.
TY. Tuus sum: tuas quidem vel præcidi jube.
Sed quid negotij est, quamobrem succenses mihi?
HE. Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis scelestis falsidicis fallacijs
Delaceravisti, deartuavistique opes.
Confecisti omnes res ac rationes meas.
Ita mî exemisti Philocratem fallacijs.
Illum esse servom credidi, te liberum.
Ita vosmet ajebatis, itaque nomina
Inter vos permutastis. TY. fateor, omnia
Facta esse ita, ut tu dicis, & fallacijs
Abijsse eum abs te, meâ operâ atque astutiâ.
An, obsecro hercle te, id nunc succenses mihi?
HE. At cum cruciatu maximo id factum est tuo.
„ *TY. DUM NE ob malefacta peream, parvi æstimo.*
Si ego hîc peribo, ast ille, ut dixit, non redit:
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile;
Meum herum captum ex servitute atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem,
Meumque potius me caput periculo
Præoptavisse, quàm is periret, ponere.
HE. Facito ergo ut Acherunti clueas gloria.
„ *TY. QUI PER Virtutem peritat, non interit.*
HE. Quando ego te exemplis excruciavero pessumis,
Atque ob sutelas tuas te morti misero,
Vel te interiisse, vel periisse prædicent,
Dum pereas, nihil interduo, dicant vivere.

TY. Pol

TY. Pol si istuc faxis, haud sine pœnâ feceris,
Si ille huc redibit, sicut confido affore.
AR. Prò di immortales! nunc ego teneo, nunc scio
Quid sit hoc negotij. meus sodalis Philocrates
In libertate est ad patrem, in patriâ. benè est!
Nec quisquam est mihi, æquè melius cui velim.
Sed hoc mihi ægrè est, me huic dedisse operam malam,
Qui nunc propter me, meaque verba vinctus est.
HE. Vetuin' te quicquam mihi hodie falsum proloqui?
TY. Vetuisti. HE. cur es ausus mentiri mihi?
TY. Quia vera obessent illi, cui operam dabam:
Nunc falsa prosunt. HE. at tibi oberunt. TY. optimè est.
At herum servavi, quem servatum gaudeo:
Cui me custodem addiderat herus major meus.
Sed malè ne id arbitrare factum? HE. pessumè.
TY. At ego ajo rectè, qui abs te seorsum sentio.
Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo
Tuus servus faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne, nec ne, eum servum manu?
Essétne apud te is servus acceptissimus?
Responde. HE. opinor. TY. cur ergo iratus mihi es?
HE. Quia illi fuisti, quàm mihi, fidelior.
TY. Quid? tu unâ nocte postulavisti & die,
Recens captum hominem, nuperum & novitium,
Te perdocere, ut meliùs consulerem tibi
Quàm illi, quicum unà à puero ætatem exegeram?
HE. Ergo ab eo petito gratiam istam! ducite,
Vbi ponderosas, crassas capiat compedes.
Inde ibis porrò in latomias lapidarias.
Ibi quom alij octonos lapides effodiunt,
Nisi cotidianus sesqui opus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.
AR. Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio,
Ne tu istunc hominem perduis. HE. curabitur.
Nam noctu nervo vinctus custodibitur,
Interdius sub terrâ lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non uno absolvam die.
AR. Certúmne est tibi istuc? HE. non moriri certiùs.
Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum,
Iubete huic crassas compedes impingier:
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum,
In lapicidinas facite deductus siet:

Atque

Atque hunc ita me velle, dicite, curarier,
Ne quî deterius huic sit, quàm cui pessumè est.
TY. Cur ego te invito me esse salvum postulem?
Periculum vitæ meæ tuo stat periculo.
„ *POST MORTEM in morte nihil est, quod metuam mali.*
„ *ETSI per vivo usque ad summam ætatem, tamen*
„ *Breve spacium est perferundi, quæ minitas mihi.*
Vale atque salve! etsi aliter ut dicam, meres.
Tu Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale!
Nam mihi propter te hoc obtigit. HE. abducite.
TY. At unum hoc quæso, si huc rebitet Philocrates,
Vt mihi ejus facias conveniundi copiam.
HE. Perijstis, nisi hunc jam è conspectu abducitis.
TY. Vis hæc quidem hercle est, & trahi & trudi simul.
HE. Illic est abductus rectà in phylacam, ut dignus est.
Ego illis captivis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat.
Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palàm,
Vsque offrenatum suis me ductarent dolis.
Nunc certum est nulli post hac quicquam credere.
Satis sum semel deceptus. speravi miser
Ex servitute me exemisse filium.
Ea spes elapsa est. perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi servus surpuit:
Neque eum servum unquam repperi, neque filium.
Major potitus hostium est. quod hoc est scelus!
Quasi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hâc: reducam te ubi fuisti. neminis
Misereri certum est, quia mei miseret neminem.
AR. Exauspicavi ex vinclis. nunc intellego
Redauspicandum esse in catenas denuò.

VERSVS sunt trim. acatalect. jambici. A

V. 1. HVIC MANICAS] Vulgo interserunt, *astutum*. Verùm enim verò hoc verb. in nullo MSS. aut edd. ante Aldum legi. In Brix. quidem apparet. sed homo confidentissimus Pylades addit; addendum fuisse metri caussâ. Quasi verò hoc Critici munus sit, & non è trivio pædagogi. verosimilius est excidisse vocem ejusdem similitudinis: *Injicite, injicite huic m.*

3. SARTORQ.] *Sartores* non modò à *sarciendo*, sed & à *sarriendo* dictos, hoc exemplo docet Nonius.

4. NON OCCAT.] Jocus è re rustica. Est autem *occare*, glebas comminuere; Egen. sicut *sarrire*, sarculo herbas segetibus noxias evellere atque exherbare. Jätten.

4. AVDEBAS] ita MS. Cam. MSS. Lang. *debebas*.

7. DECET IN.] Similia sunt Amph. 2: 2. ubi Not. vide: & Pseud. act. 1: 5.

10. TVAS QVIDEM] Giphan. l. *tu has q.* idque probum etiam *Is. Pontanus* censet è cod. Anglic. nec aliter vett. edd. itemque sex

Pall.

Pall. quod notat *Grut.* Vulgati tamen & MS. Cam. *suas quidem.* quod ego germanum censeo, qui sciam Comicum nostrum frequenter jocum ex ambiguo & παρὰ προσδοκίαν sic capere.

14. DEARTVAVISTI] in articulos dissecuisti: διηρθρώσας. *Bosius*, qui hoc verbo & Ciceronem probavit usum, ad Attic. lib. 7: 2. —— *fecit palam te exlibratum, me exartuatum &c.* Vide Notas Bosii ibid.

15. CONFEC.] ita, *conficere argentum*, Terent. dixit: & *patrimonium conficere*, Cicero: i. perdere decoquere, lacerare, consumere. videatur exemplorum copia apud Passeratium ad Epig. Catulli 66.

24. PARVI ÆST.] ita MSS. Cam. & L. & Edd. J. Gul. l. *parvid æstimo.* Sic suprà Prol. *inaudivit.* Insertum est *d* syllabæ sustinendæ. Notat & Grut. τὸ *id* in nullis libris reperiri.

25. AST ILLE] ita MSS. & editi ante Cam. *ast ille.*

27. CAPTVM] ita MSS. & Edd. vett. ut sc. præced. v. 121. *capti.*

30. PONERE] pro, *exponere.* D.

31. ACHERVNTI] Adverbium; ut *Kartagini*: L. J. *Palmerius*, Grammatici, inquit, sanciunt; duo ne propria nomina, *rus* & *domus*, Præpositionem repudiare: atque ea sola. qui profectò non hic tantum legibus suis frangere, ut ait ille, cervices possunt, ut nihil nimis faciant. ita Casinâ: *Certum est, hunc Acheruntem præmittam priùs.* Et Asin. act. 1: 3. —— *tam æstus te portum refert*, sic enim e V. Cod. Langii scribendum: non, *in port.* Et Accius: *Jussit proficisci exsilium quovis gentium: ut, proficisci domum.* Hæc Palmerius. Sententia est: Facito ergò tu, ut apud Acheruntem celebreris laudibus.

32. QVI PER VIRT. PERITAT.] Ita omnes MSS. & edd. legunt, testib. Grutero & Gifanio: bene. Etiam Cam. in suo MS. ita legi ait, & censet numeros salvari, si *Qui* fiat *dissyllabum.* Idem tamen *perbitat* legendum suspicatus: & *Scaliger* pro certo habuit, in Conject. V. N. Epid. act. 1: 2. Colvius: *Interbitere*, interire est: ut *Perbitere*, perire, apud Plaut. Mostell. 5: 1. & Capt. & Apul. 7. Milesiar. Nonius: *Perire, lector res est, & inventionis spem habet, & non omnium rerum finem.* Trucul. act. 4: 1. *Salvus sum, quia pereo: si non peream, planè interream.* Alciatus Parerg. lib. 8: 14. ad illud Martial. *Interjungit equos*, notat: Erit ergò *interjungere*, separare equos à curru. Cic. *Filium vitâ interfecerat*, i. à vita separaverat. Pl. Capt. *Qui per virtutem perit, is non interit*, i. non separatur prorsus a vivis, sed remanet in famâ hominum. Habet enim dictio *inter* vim separationis. *Hæc Alciatus.* Sall. Catilin. *Nonne mori per virtutem præstat?* Ita Justinianus: *Qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.*

34. SVTELAS] V. N. Amph. 1: 1. Glossar. *Sutela*, κακομηχανία. *Sutellosus*, δολομήχανος. *Sutellosi*, πανοῦργοι.

35. VEL TE INTERISSE] *Interire*, est ex quâcunque caussâ occidere & emori: *Perire*, casu vel infortunio: ut igni, fame, naufragio. Itaque *Interire* generalius est, & majorem vim habet, quam *Perire*, quod aliquando significat evanescere & extenuari, spe decidere. Terent. *Peri, interii &c.* Vide Aus. Popmam de Differ. verb. lib. 3. In Symbolis Petron. *perire* hic exponitur *mori*, sed morte violentâ.

36. INTERDVO] MS. Pall. & omn. Edd. *interdico.* Tamen *interduo* censet legendum Douza, & Lipsius, & Scaliger ad oram Plauti sui: requiritque versus. *J. Gul.* Verif. lib. 3: 1. *Nihil interdare*, susque deque facere est, οὐδὲν ἀδιαφορεῖν. sic idem Pl. *ciccum, floccum non interdare*, in eâdem significatione usurpat, Rud. 1: 7. & Trin. 4: 2. &c. Sed tamen & *interdico* Scal. in Conject. interpretatur οὐδὲν διάφορον ποιοῦμαι, ἀδιαφορῶ, &c. Arnobius lib. 1: *Quidquid virium continet fremor ille verborum atque adjuncta carminum necessitates, non invidemus, adjiciant: non interdicimus, colligant.* Elmenhorstius.

42. ÆQVE MELIVS] Comparativum pro absoluto. Terent. Heautom. *Cui æque audivisti commodius quicquam evenisse?* Act. 4: 1. v. 47.

45. VETVIN' TE] In MS. Cam. l. *Votuin' te*: & seq. versu, *votavisti.* atque ita etiam fere Lang. in quo *votuint.* Hinc *Meursius* facit, *voluin' te*: &, *voluisti*: quod statim in editionem suam primam rapuit Pareus. pessimè. nam *votus* veteri lingua *vetui* est. quod tamen non erat cur idem noster Dictator

 perpe-

perpetuò reponeret loco scripturæ usitatioris: nisi amet eruere omnes Saturnini podicis fæces. ridiculè ergo hîc comparet, non modò primum *botuit*, sed & sequens *botabit*. Nobis libuit stare ab Edd. honestioribus.

CVSTODEM] i. pædagogum. Hor. 1. Sat. 4. *Dum custodis eges.* Quid *pædagogus* & *præceptor* differant, vide Pseud. 1: 5.

57. CVR ERGO IRATVS M.] ita omn. vett. editt. etiam MS. Cam. & Pal. pr. sec. sed *Is. Pont.* è cod. Oxon. probat, *Cur ergò ingratus mihi es:* verumque arguit ex præcedentibus, & illo quod sequitur, *Ergo ab eo petito gratiam istam*. & verò *ingratus* restat etiam in Pall. quatuor. sed præposuerim alterum.

60. NOVITIVM] Cic. in Pis. *Syrorum nescio quem de grege novitiorum.* Ita qui hîc *homo nuperus & novitius*, Ciceroni lib. 12. ad Atticum, fuerit *adnovitius*. Ein gar junger Welß. In MS. Cam. est, *hominem nuper & novitium*. Mercerus ad Nonium malit cum Nonio, *nuperum, novicium*, sine conjunctione.

61. PERDOCERE] i. persuadere. L. D.

62. VNA à P.] ita J. Gul. Sic Sc. extremâ: *nam is mecum à puero puer Bene pudicéque educatus est.*

63. GRATIAM ISTAM] Gratia, ἡ χάρις, beneficium cujus gratia comes. Ter. Hecyr. 3. 3. *Hanc gratiam sibi ut des rogat.* Tibull. 1. el. 4. *Gratia magna Jovi.* Propert. 2. el. 20: *Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui.* Passerat.

64. CRASSAS] i. duplices, non singularias. L. D.

65. PORRO] Parei editio pr. vocem hanc exturbavit, contra libros, & mensuram versus. quæ confidentia ignorantiæ!

65. LATOMIAS] i. lapicidinas: quæ alioqui sine adjectione, carcerem significant: à latomiis Syracusanis: Turn. l. 14: 7. Et *latomijs* quidem, non *lautumijs*, exaratum est in omnibus edd. meis, itemque MSS. Cam. & sex-septem illis Palatinis. Sed vide tu mihi tamen *Notas* Pœnulo act. 4: 2.

66. EFFODINT] pro, *effoderint*. Cam. At hoc inquit *Meursius*, nullâ analogiâ potest A defendi: scribo, *effodent*. Veteres *fodare* pro *fodere* extulisse testatur Festus. Pall. & Edd. vett. *effodiunt*.

67. COTIDIANVS] Lips. ad Tacit. l. *Cottidianò*. Solens, inquit, priscis sine additione dicere, *Hesternò, Cottidianò, Annò, Hornò, Posterò*: & verè adverbiorum in morem. Tacitus: *Posterò, cum ad eosdem cruciatus retraheretur.* Sic Cic. lib. 4. ad Att. *Anniversariò*, item *Voluntariò, Commodò*, & plura. *Hesternò* etiam eâdem ratione legitur. Eadem probat J. Gul. & adjicit *Matutino*, ex Apul. πρωΐ, *primâ cum luce*. In MS. Cam. est, *cotidianos*, pro *us*, positum. itaque non opus interpolatione ullâ, *Grutero* quidem judice.

67. SESQVIOPVS C.] i. octonos & quaternos lapides effoderis. Est enim hic numerus ἡμιόλιος, id est, sesqui ad 8. *Cam.* Ita apud Tacit. XV. Annal. *caput Flavij sesquiplagâ amputatum legitur.* ita *sesquiopera* apud Columell. & alia. ita *Sesquiulysses*, titulus erat Satiræ Varronianæ: qui sit homo calidiss. & astutiss. anderthalb Schalck. Vide Budæum de Asse, pag. 1. In MSS. est *sesqueopus*, per *e* litteram.

B

70. PERDVIS] sententia aperta. At Hegio aliovorsum hoc verbum accipiens, obtestationem Aristophontis eludit responso ex ambiguitate, quæ verbo *Perdideris* subest, jocum aucupatus &c. Tale est & illud Epid. act. 5: 1. *ST. Ego te servabo. EP. Edepol me illi melius, si nacti fuant.* Vide Not. ibid. *Douza*.

74. CERTVMNE TIBI ISTVC.] Pareus dissimulanter in editione pr. jugulavit ejecitque *tibi*, quod tamen & versus postulat, servantque libri scripti cusique omnes. ô licentiam!

78. LAPICIDINAS] ita Brix. Ven. & Parisina. Vide tamen Not. infrà act. 5: 1.

78. DEDVCTVS] V. C. *diductus*: quod arripuit Pareus.

TVO P.] Servus enim cum damno & periculo domini moritur. L.

84. PERVIVO] V. C. *superbibo*. alterum tamen in Pall. & Edd. omnibus.

85. MINITAS] pro, *minitaris*.

86. VALE ATQVE S.] Hæc conjungebant veteres, discedentes ab iis, quos nunquam visuri

visuri essent. Curc. Cist. Merc. alibi. Quin ita *Salvere* & *Valere* mortuos jubebant. Virg. 11. Æn.

Salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque vale,

ubi Servium vide. ita Bucol. 8. *vivite silvæ*, i. valete nunquam videndæ. χαίρετε. ubi τὸ *vivite*. Servius etiam interpretatur, *perite*.

92. VIS H.] Veteres cùm vehementiùs & violentius vel arctiùs tenebantur, pellebantur, trudebantur, exclamare solebant: *Hæc vis est.* Sic C. Jul. Cæsar peti se videns pugionibus, *Ista quidem vis est*, clamat. Turneb. lib. 17: 4. V. N. Truc. act. 4:2.

93. PHYLAC.] φυλακὴ, carcer. V. N. Aul. 3:5.

94. DOCVMENT. D.] Sic loquitur & Cic. pro Mil. Vide Agell. lib. 6:14.

96. QVOD ABSQ.] pro, *Quod si absque.* V. N. Menæch. 5:7.

97. OFFRENATVM] ita J. Gulielm. Veris. lib. 3. cap. 1. è Lang. libris. *Offrenati dolis* sunt, qui veluti capistro ori injecto dolis devincti quolibet ductantur. Sic Apul. lib. 6. *Hunc* (de Cerbero loquens) *offrenatum unius offulæ prædâ facilè præteribis.* Idem in Apologiâ: *Novæ nuptæ illecebris offrenatum suo arbitratu de vi.i deflexit.* Etiam *Grut.* è vestigiis MS. Cam. in quo est *oferenatum*, eruit *offrenatum*. & unicè probat Acidalius. Vulg. *Usque offerre natum &c.*

105. QVASI IN ORB.] Sic mihi omnes liberi pereunt, quasi eos produxerim, non ut liberis essem auctior, sed ut orbus viverem. L.

106. NEMINIS MISERERI] Lucill. *Neminis ingenio quenquam confidere oportet.*

108. EXAVSPICAVI] Jocus ab auspiciis tractus. Auspicium itineris huc faciundi mihi e vinculis ductum est: & ita malo auspicio huc veni. quare ad vincula meritò redeundum est: L. Di potius, allusum ad disciplinam R. ubi domi repetebantur à Ducibus auspicia, si quid malè cessisset publicè. Et hoc *redauspicari* dicebant, Græci μεταιωνίσασθαι. de quo dixi ad Virgil. Æneid. 2. v. 178.

ACTUS IV. SCENA I.

ERGASILUS Parasitus.

IVPPITER supreme, servas me, measque auges opes.
Maximas opimitates opiparasque offers mihi:
Laudem, lucrum, ludum, jocum, festivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium.
Nec cuiquam homini supplicare me nunc certum est mihi.
Nam vel prodesse amico possum, vel inimicum perdere.
Ita hic me amœnitate amœnâ amœnus onerâvit dies.
Sine sacris hereditatem sum aptus effertissimam.
Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem, cui boni
Tantum affero, quantum ipse à dijs optat, atque etiam amplius.
Nunc res certa est, eodem pacto ut Comici servi solent,
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.
Speroque me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.

VERSVS sunt tetrametri, plerique catalect. troch.

V. 2. OPIPARASQ.] Festus: *Opiparum, magnarum opum apparatum*. Pœn. act. 1: 1.

5. SVPPLICARE ME] Sic ferè Pall. nam pronomen neglectum aliis, non sine dispendio metri.

6. NAM VEL PROD.] Potentis hominis est facere utrumque. Notum est illud: *Servare potui; perdere an possim, rogas?* L.

7. AMOENIT. AM.] Non est hoc invenustum. Amph. 1: 1. *Optimè optimo optimam operam das, &c.* L. Vide N. Men. act. 2: 2.

8. SINE SACRIS] i. sine sumtu. Sacra enim familiaria, quæ pecuniam, id est, heredem sequebantur, aliquo cum sumtu fieri necesse erat. V. N. Trin. 2: 4. *Auson. Popma* ad Caton. notat: Soli cives Rom. habebant sacra hæreditaria ex lege XII. Tab. SACRA PRIVATA PERPETVA MANENTO. quâ cavebatur, ut pater filiusque hæres eadem sacra colerent. Unde cum de potestate filius exibat, non amplius paternis sacris astringebatur. Ex eo Pl. Capt. *Sine s. &c.* Videndus Cic. 2. de Leg. *De sacris autem &c.* J. Lipsius ad illud C. Plinii Panegyric. —— *quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique sobrietate meruissent &c.* notat: Sacra sua privata familiis erant: atque ea pro notâ, & vinculo. Inde; *Transire in gentem & Sacra*: itemque, *Hereditas cum Sacris*, aut A *sine Sacris*, in Plauto. *Sine*, inquam: cum in gentem adoptione non transitur.

8. APTVS] i. adeptus. ab *apiscor*. L. D. Vide N. Epid. act. 5: 2.

8. EFFERTISS.] uberrimam. Asin. 2: 1.

10. A DIIS OPTAT] ita *J. Grut.* è MSS. Pall. & libris exoletis. & ita etiam est in MS. Frising. & omn. meis Edd. A diis enim optatur, quicquid humanâ ope vix speratur. Pessimè nuperi quidam, *adipisci*. V. N. Sticho, act. 2: 2.

11. COMICI S.] Qui sint *Comici servi*, & *Comici senes*, & *Comici testes*, item *Scenicæ mulieres*, docet P. Victor. lib. 8: 12.

12. CONIICIAM IN COLLVM] Sc. seq. dixit B pro eodem, *Colligere pallium*. Veteres Græci & Romani subligaculis, uti nos hodie, extra stadium aut scenam non utebantur. itaque illi pallium, hi togam ad calceos demittebant. Quòd si quid illis, qui navi & actuosi haberi volebant, diligentius faciendum esset; vel pallium ponebant, vel in humeros rejiciebant. Atque hic est ferè servorum habitus in Comœdiis. Sic Epidicus act. 2: 2. sic Geta properans apud Terent. *humerum sibi onerat pallio*. Pallium sanè Græci hanc ipsam ob caussam, ut expeditiores essent, belli tempore deponebant; ut Romani togam, &c. Videatur Casaub. Comment. ad Theoph. Charact. Ethicos: item Not. Epid. 2: 2.

ACTUS IV. SCENA II.

HEGIO senex, ERGASILVS parasitus.

QVANTO in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tantò mihi ægritudo auctior est in animo.
Ad illum modum sublitum os esse
Hodie mihi? neque id perspicere quivi?
Quod cum scibitur, per urbem irridebor.
Cum extemplò ad forum advenero, omnes loquentur:
Hic ille est senex ductus, quoi verba data sunt.
Sed Ergasilus estne hic, procul quem video?
Collecto quidem est pallio. quidnam acturu'st!
ER. Move abs te moram, atque Ergasile age hanc rem.

Eminor

Eminor interminorque, ne quis mi obstiterit obviam:
Nisi qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur.
Nam qui obstiterit, ore sistet. HE. hic homo pugilatum incipit.
ER. Facere certum est. proinde ut omnes itinera insistant sua,
Ne quis in hac plateâ negoti conferat quicquam sui.
Nam meus est ballista pugnus, cubitus catapulta est mihi,
Humerus aries. tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo.
Dentilegos omnes mortales faciam, quemque offendero.
HE. Quæ illæc eminatio est? nam nequeo mirari satis.
ER. Faciam ut ejus diei, locique, meique semper meminerit:
Qui mihi in cursu obstiterit, faxo vitæ is extemplò obstiterit suæ.
HE. Quid hic homo tantum incipiscit facere cum tantis minis?
ER. Priùs edico, ne quis propter culpam capiatur suam.
Continete vos domi, prohibete à vobis vim meam.
HE. Mira edepol sunt, ni hic in ventrem sumpsit confidentiam.
Væ misero illi, cujus cibo iste factus est impensior.
ER. Tum pistores scrophipasci, qui alunt furfure sues,
Quarum odore præterire nemo pistrinum potest:
Eorum si quojusquam scropham in publico conspexero,
Ex ipsis dominis meis pugnis exculcabo furfures.
HE. Basilicas edictiones atque imperiosas habet.
Satur homo est: habet profectò in ventre confidentiam.
ER. Tum piscatores, qui præbent populo pisces fœtidos,
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio:
Quorum odos subbasilicanos omnes abigit in forum,
Eis ego ora verberabo surpiculis piscariis:
Ut sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam danunt,
Qui petroni nomen indunt verveci sectario;
Eum ego si in viâ petronem publicâ conspexero,
Et petronem & dominum reddam mortales miserrimos.
HE. Eugepæ! edictiones ædilitias hic habet quidem:
Mirumque adeò est, ni hunc fecêre sibi Ætoli agoranomum.
ER. Non ego nunc Parasitus sum, sed regum rex regalior:
Tantus ventri commeatus meo adest in portu cibûs.
Sed ego cesso hunc Hegionem onerare lætitiâ senem,
Qui homine adæquè nemo vivit fortunatior.
HE. Quæ illæc est lætitia, quam illic lætus largitur mihi?
ER. Heus, ubi estis? ecquis hoc aperit hostium?
HE. Hic homo ad cœnam recipit se ad me. ER. aperite hasce ambas fores,
Priusquam pultando vel assulatim foribus exitium affero.

HE. Perlubet hunc hominem colloqui. Ergasile. ER. Ergasilum qui vocat?
HE. Respice. ER. Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet
Hoc me jubes. sed qui est? HE. respice ad me, Hegio sum. ER. oh mihi
Quantum est hominum optumorum optume, in tempore advenis.
HE. Nescio quem ad portum nactus es, ubi cœnes, eo fastidis. (HE. tene.
ER. Cedò manum. HE. manum? ER. manum, inquam, cedo tuam actutum.
ER. Gaude. HE. quid ego gaudeam? ER. quia ego impero. age gaude modò.
HE. Pol. mœrores mi antevortunt gaudiis. ER. noli irascier,
Jam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi.
Gaude audacter. HE. gaudeo, etsi nil scio, quod gaudeam.
ER. Bene facis. jube. HE. quid jubeam? ER. ignem ingentem fieri.
HE. Ignem ingentem? ER. ita dico, magnus ut sit. HE. quid? me, volturi,
Tuàn' caussà aedeis incensurum censes? ER. noli irascier.
Juben' an non jubes astitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?
Alium pisces præstinatum abire? HE. hic vigilans somniat.
ER. Alium porcinam, atque agninam, & pullos gallinaceos?
HE. Scis benè esse, si sit unde. ER. pernam atque ophthalmia,
Horaeum, scombrum, & trigonum, & cetum, & mollem caseum.
HE. Nominandi istorum tibi erit magis quàm edundi copia
Hic apud me, Ergasile. ER. meàn' me caussà hoc censes dicere?
HE. Nec nihil hodie, nec multò plus tu hîc edes, ne frustra sis.
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.
ER. Quin ita faciam, ut te cupias facere sumtum, etsi ego vetem.
HE. Egone? ER. tute. HE. tum tu mi igitur herus es. ER. imò bene volens.
Vin te faciam fortunatum? HE. malim, quàm miserum quidem.
ER. Cedo manum. HE. hem manum. ER. di te omnes adjuvant. HE. nihil sen-
ER. non enim es in senticeto, eò non sentis. sed jube (tio.
Vasa tibi pura apparari ad rem divinam citò,
Atque agnum afferri proprium, pinguem. HE. cur? ER. ut sacrufices.
HE. Cui deorum? ER. mihi herclè. nam ego tibi nunc sum summus Juppiter.
Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Lætitia, Gaudium.
Proin tu deum huncce saturitate facias tranquillum tibi.
HE. Esurire mihi vidère. ER. mihi quidem esurio, non tibi.
HE. Tu arbitratu facilè patior. ER. credo, consuetus puer.
HE. Juppiter te dique perdant. ER. te herclè mi aequum est gratias
Agere ob nuncium: tantum ego nunc porto à portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. HE. abi stultus, serò post tempus venis.
ER. Igitur olim si advenissem, magis tu tum istuc diceres.
Nunc hanc lætitiam accipe à me quam fero, nam filium
Tuum modò in portu Philopolemum vivum, salvum, & sospitem
Vidi in publica celoce, ibidemque illum adolescentulum

Alium

Alium, unà & tuum Stalagmum servum, qui aufugit domo,
Qui tibi surripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
HE. Abi in malam rem: ludis me. ER. ita me amabit sancta Saturitas,
Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine,
Ut ego vidi. HE. meum gnatum? ER. tuum gnatum, & Genium meum.
HE. Et captivum illum Alidensem? ER. μὰ τὸν Ἀπόλλω. HE. & servolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum surripuit? ER. νὴ τὰν Κόραν.
HE. Jam diu? ER. νὴ τὰν Πραινέστην. HE. venit? ER. νὴ τὰν Σιγνίαν.
HE. Certon? ER. νὴ τὰν Φρουσινῶνα. HE. vide sis. ER. νὴ τὸ Ἀλάτριον.
HE. Quid tu per barbaricas urbes juras? ER. quia enim item aspera
Sunt, ut tuum victum autumabas esse. HE. væ ætati tuæ.
ER. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico sedulò.
Sed Stalagmus quojus erat tunc nationis, cùm hinc abiit?
HE. Siculus. ER. at nunc Siculus non est: Bojus est, Bojam terit.
Liberorum quærundorum caussâ ei, credo, uxor data 'st.
HE. Dic, bonân' fide tu mihi istæc verba dixisti? ER. bonâ.
HE. Di immortales, iterum gnatus videor, si vera autumas.
ER. An tu dubium habebis etiam sanctè cum jurem tibi?
Postremo, Hegio, si parva jurijurando 'st fides,
Vise ad portum. HE. facere certum 'st. tu intus cura quod opus est.
Sume, posce, prome quidvis. te facio cellarium.
ER. Nam herclè nisi mantiscinatus probè ero, fusti pectito.
HE. Æternum tibi dapinabo victum, si vera autumas.
ER. Unde id? HE. a me meoque gnato. ER. Sponden' tu istud? HE. spondeo.
ER. At ego tuum tibi advenisse filium, respondeo.
HE. Cura quàm optumè potes. ER. benè ambula & redambula.

HUjus Sc. versus à principio decem mistis pedibus jambicis & trochaicis, trimetri catal. sunt reliqui quadrati acatal. & catal. trochaici. A

7. SENEX DUCITUR] ita edd. & MSS. Cam. & Pall. *Ducitur* enim qui decipitur: qui alterius ad libidinem huc illuc circumducitur: *Grut.* At Douza cum iis facit, qui legunt, *doctus.* V. N. Persa, 4. 4.

13. ORE SISTET.] *Sistet*, absoluté. ita Curcul. act. 2. 3. *capite sistet.* ita Manil. lib. 4. *Judex sistet*, pro *erit.* Idem:

Tempora quod sistunt propriis parentia caussis.

Est enim verbum substantivum; qualia τυγχάνειν, πέλειν, ὑπάρχειν: ut notat ibid. *Scalig.*

13. PUGIL LAT.] brachia jactat, quasi pugillatu certaturus.

16. BALLISTA] Duplex instrumentum prisci, quo in hostes emitterent, & jacularentur: altero, tela vel grandiores sagittas, altero lapides & saxa. Id prius *Catapultam* dixere veteres, quibus cautus & electus sermo fuit: etiam alii posteà confudêre hoc posterius *Ballistam.* Polybius ὀξυβελεῖς vocat *Catapultas*, quia acutum ferrum telumque emittunt, aliter quàm *Ballista*, quæ lapidem obtusum. Plautus hoc ipsum discrimen palàm hic ingerit. *Pugnum* enim suum, qui rotundus, cum lapide ballistario comparat; *Cubitum*, qui longior, cum telo Catapultæ. ita dico, *telo.* nec aliter in his versibus utraque vox capienda, quam pro eo quod Catapultâ emittitur, aut Ballistâ. Ita Pœn. act. 1. 1. &c.

&c. Hæc *Lipsius*, lib. 3. *Poliorceticω̃n*, Dial. 2. ubi accuratissimè hæc pertractat: ut & de *Ariete*, Dial. 1.

17. TVM GENV AD QVEMQVE JECERO] ita MSS. Cam. & Pall. & omn. mei, præter Parisinum. Notat vetus Interpres, posse etiam legi, *tum genu ut quemque icero*, quod & expressit Camerarius: sed alterum omnes habere Codices. Gruterus conjiciebat, *ut quemque Legero*. sic & Amph. 1:1. v. 160: *Alia forma oportet esse, quem tu pugno legeris*. Parei editio prior: *Tum genu ut quemque juro*. sec. *ad quemcumque jecero*. quæ inconstantia!

18. DENTILEGOS] Alludit ad *dentilegium mortuorum*: de quo Mart. lib. 8. 57. *Tres habuit dentes, &c.*

18. QVEMQVE] Parei editio prior, *quemquem*, cum nota, ita esse in MS. Cam. & Pall. item Editis ante Lambinum. quot verba, tot mendacia. membranæ enim omnes, aut *nostrum* habent, aut *quemcunque*. tantumque abest ut editi ante Lambinum libri exhibeant *quemquem*, ut contra omnes servent *quemque*; Lambinus verò ipse nobis primum *quemquem* obtruserit.

23. PRIVS EDICO] Parei editio pr. *Prius dico*. contra omnes libros vett. editos scriptosque, imò & contra versum.

25. IN VENTR. S.] Huic simile quadamtenùs illud Clementis Alexandrini, 2. Pædag. cap. 1. ubi voraces, & eos qui mentem in ventre infodiunt, assimilari ait asino pisci, quem Aristot. solum ex aliis animantibus in ventre dicit cor habere. de quo Mercurialis lib. 4. Var. dictum autem, *sumere confidentiam in ventrem*, quomodo Propert. 2. el. 17: *Sumere & in nostras trita venena manus*. Cicero 2. Tuscul. *Epicurum & Metrodorum nemo ferè præter suos in manum sumit*. Passerat.

25. IMPENSIOR] ita Pall. & omn. edd. vet.; item MS. Frising. & quibus usus est *Palm.* Spicil. ubi docet qui sint *impensi homines*: itemque cod. *Meursii*, & membr. *Langii*, quasi de compacto legunt, *impensior*. Quod profectò (inquit Meurs.) longe rectissimum. *Impensus* enim heic valet, farctus: quomodo *Impensa*, farctura. Arnob. lib. 7. *Quid cum libus*, &c. (citavimus Mil. act. 1: 1.) Idem est quod postea dicit, *Sacur homo est: habet profectò in ventre confidentiam*. Jos. Scaliger ad illa Varr. lib. 4. de Ling. Lat. *Qui acceperant majorem numerum, non in arcâ ponebant; sed in aliquâ cellâ stipabant. à stipando Stipem dicere cœperunt*; notat: Hanc pecuniam sic repositam in cellâ dei, Festus ait *Impensam* vocatam fuisse: quòd nondum esset pensa, sed tantùm stipata. Unde factum, ut quævis stipatio & farctura diceretur *impensa*. Quod sæpius usurpavit Apitius: ut, *Indes Impensam præscriptam*, i. farcturam. Palladius lib. 1. *Impensâ pumiceâ farciri muros*, i. stipari acerato ex pumice tuso. Hæc illi. MS. Cam. 1. *imperiosior*. sed cum rasura, & à manu recenti; adeo ut vero sit simile initio etiam ibi fuisse, *impensior*: quod sine ulla ratione, editione secunda ejecit Pareus; contra omnium librorum consensum, doctorumque vota. quid talibus precemur; nisi bonam mentem?

27. FVRFVRI] pro, *furfure*. In versû Cic. *parti miscetur in unâ*; mutato *e* in *i* longum: *Cam.* V. N. Men. act. 2:3.

30. EX IPSIS DOM.] Sic MS. Cam. & Pall. & ed. omnes. Lepidè minatur, se id facturû dominis, quod juxta nexum orationis facturum quis putaret suibus: *Grut.* Sed J. Palm. *Ex ipso abdomine meus p.* invitâ Venere: & cujus sententia, opinor, non plus sapiat quàm occisa sus: quod noster ait. Pareus Moriæ blanditur, ubi in Electis sic loquitur de istoc joco: Parasiti avidum genus hominum, nescium satiari, ut etiam furfures subus excutere gestiant.

31. BASILICAS] Quicquid splendidum, magnificum, & imperiosum erat, Græci βασιλικὸν dicebant. βασιλικῶς, Stugerisch. Vide Epid. 1:1.

34. QVADRVP.] Turn. lib. 26: 29. *Quadrupedare*, inquit, de quadrupedibus dicitur: laudans hunc versum, & alterum Virgil.

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

34. CRVCIANTI CANT.] *Crucians canterius* Ausonio dicitur *caballus tripes*, & *claudicans*, & *ærumnosus*, & *ruptus terga verbere*: quales sunt plerunque, qui ad machinas molarias damnantur. idem ait, *Dactylum vehi crucianti canterio*, &c. Scalig. quem ibi vide lib. 2:8. C. Rhodig. lib. 10. cap. 8. *Cruciantes equi* Poetis creduntur ferè, qui Grammaticis *tortores*, Lucillio *succussarii*. Germ. Valens leg. *cruciatis*, quod in nullo inventum MSS.

MSS. (testor de Cam. & Pall. sex) in textum recepit impudentia Parei. Falsò sanè laudat pro se Pal. tertium consulatur, linea invenietur supra a satis longa.

35. SUBBASILICANOS] dictum ut *subrostrani* à Cælio ad Cic. lib. 8. ep. 1. *Te ad IX. Kal. Jun. subrostrani (quod illorum capiti sit) dissipârunt periisse.* Festivè. Sub *Rostris* enim vel spaciari vel desidiabula sua habere consueti homines Murciæ an Vacunæ sacris operati: rumorum alienorum aucupes, sive architectones potius, quos proletario convicio *Calepinos* hodie indigetamus. Hinc intelligendum illud Horat. 2. Sat. 6. *Frigidus a Rostris manat per compita rumor*: Douza. Casaubonus in Theophr. Character. Homo ἀγόραιος est, qui totos dies forum conterit: quemque Oratores & Comici appellant ἀγορᾶς περίτριμμα: Latini veteres *Hominem ordinarium*, teste Festo: vel *subrostranum*, ut Cic. vel *subbasilicanum*. Glossarii autor paulò aliter: *Basilicarius*, ματαιολάλος, ἀγόραιος. Notum est in Basilicis judicia Romæ, præsertim centumviralia, celebrata fuisse, &c. V. N. Curc. act. 4. 11.

36. SURPICULI.] Sic MS. Cam. & Pall. edd. denique omnes, usque ad Lambinum; qui reposuit *sirpiculis*, contra antiquitatem & consensum librorum, à quibus magis recessit Pareus, qui *scirpiculis*, ideo tantum credo, ut exerceret quam sibi ipsi sumpsit Dictaturam. *u* & *i.* promiscua veteribus. hinc Varronis *irpices* dicuntur *urpices* Catoni. hinc *recipero* pro *recupero*, *manipretium* pro *manupretium*, aliaque innumera. *Surpicula* vel *Surpiculum*, canistri genus, à sirpando, i. ligando dictum. Scal. *Sirpare*, inquit, à sirpo, γρίπω, ex quo omne πλέγμα fiebat: unde quæstiones obscuræ *sirpi* olim Latinis, Græcis vero γρῖφοι dicebantur: quod ut γρῖφοι erant πλέγματα ἁλιευτικὰ ex sirpo. Ita etiam ex sirpis nassæ piscatoriæ, dicebantur *sirpiculæ*. itaque improbè fecerunt, qui apud Agell. ex *sirpus* fecerunt *scirpos*. Hæc Scal. in Conject.

38. QUI CONC. LIB.:] qui oves reddunt orbas *liberis*, id est, agnis. *L. D.* Passerat. ad Propert. 2. el. 18. v. 6. Ita loquitur & Varro lib. 4. de L. Lat. Gruterus arbitratur interpretandum, qui oves vetulas jam recentesque à nutriendis agnis suis, ideoque macras omnino aptant venditioni, id enim *concinnare* inter alia significare, doceri nos passim è Plauto & Catone.

39. DUPL. AGN. D.] *Agninam* veteres despicatui habebant, & vilissimam ducebant. hinc stomachatur Parasitus à laniis vendi agninam pro arietinâ: atque arguit eorum dolum, quod pro unâ arietinâ offâ duplam venderent clam suppositam pro eâ fallaciter agninam: aut potius, quod apertè agninam venderent, & rursus pro arietinâ agninam supponerent: *Turn.* lib. 6. cap. 25. At *Palmerius* Turnebo non adsentiens, ad illud Lucilii: *Cum in stadio, in gymnasio, & duplici corpus siccassem pilâ*; ita annotat: *Duplex pila*, pro crassiore; ut *duplices ficus*, *duplex pannus*. Contrà,

—— *quem duplici panno Patientia velat*:

ubi certe non *duplicem*, se *vestem pinguem* (ut Sueton. vocat) significat, &c. atque ut hæc *duplicia*; sic *duplam agninam* vocabant, si grandiores jam agni & ablactati essent. nam *subrumorum* carnes, delicatiores sunt, &c. Gruterus de *duplo* idem sentit cum Palmerio; sed *agninam duplam* accipit pro ovilla illa carne exsucca, pro maris, inquam, carne, non agnorum ejus. sicut senes dicuntur *bis pueri*, ita & heic *duplex agnina* vocatur, vetula caro. idem negat, uspiam male audisse agninam: sed ab Horatio *vilem* vocari, quod passim obvia esset, nec precii majoris; eaque propter contemneretur à gulæ proceribus, non secus atque omasum, quod tamen inter priscorum delicias recenset Plinius lib. 8. cap. 45. ipso medio.

40. PETRONI] *Petrones*, rustici à petrarum asperitate: qui & *rupices*; item *Varrones*, à *varris*, qui stipites sunt non dolati, prædurí ac enodes: *Festus* & *Scalig*. *Sectarius* autem *vervex*, qui sectis est testibus, carnis sapore commendabilis est: vulgò *multonem* vocant: cum contrà *petro* sive *aries* sit illiberalis & graveolens: Alciatus. De *vervece sectario* vide me ad 1. Bucol. Virg. At Gruterus heic quoque dissentit ab superioribus. autumat enim *sectarii* epitethon aptandum non *vervecí*, sed *petroni*. Idem negat *sectarium* uspiam reperiri pro eo cui ablati testes. esse potius admissarium qui gregem init, qui femellas passim sectatur, veluti Miles Plauti dicitur *consectari qua mares quà feminas*, eademque fabula finguntur feminæ sectari Pyrgopolynicem 2. 1. v. 13. & 3. 1. v. 18.

43. EVGEPE] ita MS.Cam.

43. EDICT. ÆDILIT. Vide Histor.Fori Rom. Fr.Polleti, lib.3: cap.2.

44. AGORANOM.] V.N.Rud.act.2.3.

46. CIBVS] Genitivus, pro, *cibi*: ut *lectûs* pro *lecti*, Amph.act.1:3. Prisc.lib.6. Sed qui minus, *inquit Palm.* sit ibi *lectus locus*, quàm *manubia macharm*, in Trucul. aut *commeatus cibus* in Capt. &c. Et, *cibus commeatus*, quia alius etiam *cibus non-commeatus*: & quidam *commeatus non cibus*. Magnificè autem & militariter, quia se magnum fecerat, *commeatum* appellat; illud, *cibus*, ut Parasitus.

47. ONERARE] i. implere. Propert. 3. el.18. *Candida laxatis onerabo colla corymbis.* potest & notare ornare. Prop.el.9. *onerare domum per arma*. Passerat. ibid.

48. QVI HOMINE ADÆQVE. N.] ita MS. Camer & vett. edd. Ipse q idem Cam. suâ manu addidit, *hominum*. MSS. Lang. *Quo homine adæq.* quomodo Pylades τὸ *qui* accipiebat. Gruterus consulendum putabat versui, repetendo *nemo, nemo*.

48. ADTQVE FORTVNATIOR] Junxit adverb. *adæquè* cum Comparativo, ut suprà, act. 3:5.

50. HEVS VBI ESTIS] Sic Mss. & edd. vett. sine *Vos*, Grutero dubium non sit, bis iterû scrib: *Heus ubi estis? heus ubi estis? ecq.* sanè; *Hic homo*, in iisdem mss. applicatur versui sequenti.

52. VEL ASSVLATIM] i. *minutatim*: Nonius. V.N. Men.act.5:2. A manu alia est *assultatum* in MS. Cam. & Pall. quod Pareus stultissimè recepit in contextum. Gruterus, versus caussa mallet, *ass. for. ibus erit* exclusio *Vel*, quomodo est in ed. principe. quippe *Vel* illud, natum à correctoribus, qui indicare volebant legi *assulatim*; vel *assultatim*.

54. FORTVNA Q.] Ludit in verbo ambiguo, *Respicere*: quod & post se respicere significat, quomodo vult Hegio accipi: & quasi retrò aspiciendo favere ac opitulari. Alludit autem ad ædem *Fortunæ Respicientis*, quæ Romæ juxtà templum Jovis Victoris erat: quam Cic.2. de Legg. commemorat, & Plutarchus. Bacchid. act. 4, 3.

Tace modò: deus respiciet nos aliquis.

Virgil.1.Bucol.

Libertas, quæ sera, tamen respexit inertem, &c.

A Jubes, inquit Parasitus, me ad te respicere, quod Fortuna tibi non facit. nam tibi, qui me properantem moraris, certè irata est: quia pugnis, cubito, humeris, caput tibi comminuam, dentesque excutiam, &c. Vide & Pœn. act.1.2. Hujus autem sententiæ arguria videtur Douzæ F. ex Euripid Phæniss. sumpta: μένον. τί φεύγεις; Τ. ἡ τύχη σ' ἀλλ' οὐκ ἐγώ.

55. OH, MIHI] Douza ita interpunxit. neque aliter MSS.

57. FASTIDIS] V.N. extremâ Trucul.

60. ERG. NOLI IRASCIER.] Acidal. hæc delet, utpote quinto ab hinc versu huc traducta.

61. EXIGAM] Ita MSS. o. & edd. at J. Gul. l. *eluam* quod & *D.* probat. Eluuntur propriè è veste maculæ: inde ad animum transtulit etiam Pœn. act.1.1. Quia autem morbi animorum (*ait Lamb.*) ad corpora interdum trameant, ut macescant, pallescant, &c. ideò, *ex corpore*, dixit; non, *ex animo*. Joh. Hoffmanus Turnavio Francus, elegantiss. ingenii & doctrinæ juvenis, opinatur, si maximè cum Gul. & Douza illud *exigam* hinc exigendum sit, rectiùs substitui *eximam*. quomodo Sue- B ton. in Aug. c.94 *maculam è corpore eximi*, dixerit: ubi tamen in mss. duob. Torrentii *exigi*. rectè. nec ferenda Parei arrogantia qui illud *eximam* in contextum admisit, ejecto altero.

63. INGENTEM] *Ingens* valet immensus: περιμέγεθος: & plus est quàm *Magnus*. Luc. lib.6.

Maxima quæ vidit quisque, hæc ingentia dicit.

Terent. Eunucho, act.3.1,

Magnas verò agere gratias Thais mihi?
GN. Ingentes.

Ad quod Cic. in Lælio: *Satis erat respondere, Magnas. Ingentes, inquit. Semper auget assentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum.*

64. GAVDE] Gaudere jubet, qui aliquid boni, vel pollicetur vel nunciat. Cicero 7. ep. fam.2: *Valde jubeo gaudere te.* Propert. 2. el. 24. *quod me gaudere jubebas.* ibi Passerat.

64. QVID ME, VVLT.] Sic MS. Cam. & Pall. & edd. vett. proxime Palmarianis; Illa verba, inquit, *in eo*, inculcata sunt: neque enim in vetustis edit. reperiuntur, emendo = -quid

quid vulturis, Tuan' caussâ me ades incensurum censes? vocat *vulturium* Parasitum edacem. Sic Palmerius. Pareus in prima habet, *quid? me vult uriere?* ultima, *quid! me voles uri.* utraque insulsè, ut decet hominem judicii sequioris, imò nullius.

67. EPULAS F.] H. Barbarus in Corolar. suis *Lebulas.*

67. FOCULIS] ita probat *Grut.* è MSS. Cam. & Pall. Lamb. velit hic non foculos significari, sed *focula*, quæ sunt (ut Non. docet) *nutrimenta*. Pl. Persâ: *-intùs fumant focula.* Omnium tamen maximè velit legi, *coculis*: & vascula ænea ad coquendum apta intelligi. Omnia enim vasa coquendi caussâ parata *Cocula* dicuntur, teste Isidoro & Festo. Plautus: *Æneis coculis mihi excocta est omnis misericordia.*

68. PRÆSTINATUM] i. emtum. V. N. Epid. 2:2.

68. VIGIL. SOM.] Lucr. 3. *Et vigilans stertis.* Ter. Andr. *Num ille somniat, quæ vigilans volvit?*

70. SCIS B. ESSE] Scis lautè te accipere, si habeas, unde sumtum facias. *Esse*, ab *edo*. Hor. 2. Serm. 1. *Quinquennes oleas est.* V. N. Most. 3:2. & Men. 3:1.

70. PERNA] De salsurâ pernarum vide Catonem: de coquendi ratione, Apicium lib. 7. c. 9. Elegans est *Ænigma* Symposii Poetæ veteris, de PERNA:

Nobile duco genus magni de gente Catonis:
Una mihi soror est, plures licet esse putentur.
De fumo facies, sapientia de mare nata est.

Sapientia, pro *sapore*. quanquam Pithœus legit,

De fumo facies mihi, de mare gustus inhæsit.

Sed hæc obiter, in gratiam Saxonum, quibus Perna cerebrum Jovis est, ut mihi Caseus, aut halec: si quidem ille vetus, hæc recens.

70. OPHTHALM.] *Ophthalmia*, piscis ab oculorum magnitudine sic dictus. Plinius *oculatam* vocat; alii (in quis Ritters h. qui & μελανόγραμμοι Aristot. dici annotat) *melanurum*. At Turn. lib. 4:19. carnem oculis vicinam oculosque interpretatur, quo modo carnem capitis Lucillius dixerit *Cephaleam*, Jac. Dalechamp. ad Plin. lib. 11:37. opinatus *ophthalmiam* hic vocari *sinciput*.

71. HORÆUM] salsamenti genus ex pelamide pisce. Vide Apicium lib. 10:5. Dicuntur a. *horæa*, non à tempestivitate, sed à Veris tempore: quòd tum salsamentum istud fieret: *Turn.* lib. 2. 23. Vide Athen. lib. 3. Gr. ὡραῖον vel ὥραιον.

71. SCOMBR.] Ex scombro pisce garum optimum fiebat.

71. TRYGONUM] τρυγὼν, piscis, qui Latinis *pastinaca marina* dicitur: *L. Meurs.* retinet lectionem v. codd. *trygona*. at ita nullus codex ante editionem Aldi.

71. CETUM] majores pisces *cete* sive *cetos* appellant & Græci & Latini. Versus Homeri est. Οὐκ ἀπ' ἐμῶ σκεδάσεις ὄχλον θαλασσίοις πρέσβυ, ubi facetè ὄχλον vocat pisciculos & minutos & viles, qui Græcis ἀφύαι. at vocabulo πρέσβυ innuitur æquè facetè salsamentum factum è grandibus cetis, iisque à capturâ vetulis. Vide Casaub. ad Athen.

71. MOLL. CAS.] recentem vel pinguem. L.

72. NOMINANDI] pro, *nominandorum istorum*, & *edendorum*: seu, *nominandi ista* &c. Sic sæpè Lucr. 5.

Panarum grave sit solvendi tempus adactum.

ubi magnam vim similium colligit *Lamb.* è Cicer. Terent. Suetonio &c. Et notat *Lips.* ad lib. 3. Taciti, *Mercerum* ibid. legere, *incitandi calibum pænis*, antiquâ phrasi, ut in Pl. *nominandi istorum*: in Agell. *docendi aliorum*. & talia. Sic Prol. Heaut. *—date crescendi copiam*

Novarum, qui spectandi faciunt copiam &c.

Parei utraque, *Nominandi tibi istorum*, contra omnes MSS. & Edd. cum corruptela metri.

NEC NIHIL H.] Germ. Du solt wol etwas zu essen kriegen/doch auch nicht viel ubrigs.

75. VICTI] pro *victûs*: Prisc. lib. 6. Affer ad me ventrem non fastidiosum, sed victu quotidiano contentum. L.

76. VETEM] Sic Pall. sex, sic V. C. & edd. omnes. Libuit tamen Pareo editioni suæ indere, *votem*. ad quem modum toto illo libro exhibuit istud vocis. quid non feremus, si talia ferimus?

77. TVTE] MSS. & edd. ante Camerarium, *tune*; ut videatur rescribendum cum Pal. tert. *tu, næ!*

79. NIHIL SENTIO] V. N. Epid. 4: 1.

80. SENTICETO] Non est mirum, te nihil sentire: non enim es in loco sentibus obsito. Jocus. L.

81. VASA P.] V. N. Aul. act. 2: 3.

82. PROPR.] i. tuum. nam aliena diis immolare nefas. vel sacris accommodum: ut habeat scil. omnia insignia hostiæ necessaria: *Pius.*

84. SALVS] sic Cic. 5. Accusat. *me suam Salutem appellans, te suum carnificem nominans,* &c.

84. LVX] Cic. 14. Epist. *Hem mea lux, meum desiderium,* &c.

85. FAC TRANQ.] i. propities, places tibi. L.

87. HE. TVO ARBITR.] ita MS. Cam. & ludere ait Grut. Parasitum ambiguitate verbi *patior. mulieres* enim *pati natas* Seneca ait. Hunc autem versum, quem omnes vett. edd. & MSS. etiam agnoscunt, ob turpitudinem hinc rejecerat Camerarius, non male tamen & præpostere, ut visum Pareo.

88. ERG. TE HERC.] Palm. I. *ER. te hercl.* videtur dicere: *æquum est te mihi gratias agere*: revera autem post *te* subjiciendum est punctum, ut sit sententia: *te potius dii perdant.* V. N. Mil. 2: 3. & Epid. 1: 1.

90. PLACES] i. placeris, seu incipias placari & reconciliari mihi: *Douza.* Quæ tamen glossa Acidalio ridicula maxime visa: qui vett. edit. jussu (ut ait) hæc ita reformat: *HEG. Non tu mihi places, abi st. post. t. advenis.* Formulæ, *Non places: Nunc places*: hæc approbandi, illa rejiciendi. Sed mei tamen omn. *Nunc t.* &c. item, *sero post t. venis.* Parei pr. editio, Acidalianum illud nobis objecit. altera *Nunc tu mihi placeas*; cum nota: ita V. C. & omnes Pall. plane contra verum! omnes retinent *places.*

90. POST TEMP.] At ego jusseram te venire *tempori*: act. 1. 2, v. 81.

94. CELOCE] Fulgent. *Celox, genus naviculæ modicum, quod bamplum dicimus.* Apul. de Repub. *Qui celocem regere nequit, onerariam petit.*

95. ALIVM] i. *Eleum*, I. Pareus, ut palam faceret potestatem licentiæ suæ, in prima editione abstulit hic primam syllabam ab *aufugit*; in secunda vero vocem *una* ejecit: contra omnes libros, & rationem carminis. ô carnificem librorum, non Medicum!

97. SATVR.] *Saturitas* Parasito edaci omnium deorum est instar. *L.*

98. ITAQ.] & ita me semper faciat saturum. *L.* Imo faciat, ut dici possim *Saturio*, qualis Parasitus ille in Plauti Persa.

99. MEVM GNATVM?] ἦθος incredulitatis in gaudio inopinato. Hunc affectum dubitandi in maximo gaudio, quasi quod fidem superet, pinxit etiam Terentius Heaut. act. 3. 1.

MENED. Num quid de gnato meo audivisti, Chreme?
CHR. Valet, atque vivit. ME. ubinam est, quæso? CH. apud me domi.
ME. Meus gnatus! CH. sic est. ME. venit! CH. certe. ME. Clinia
Meus venit! CH. dixi. ME. eamus. duc me ad eum, obsecro.

Ita ibidem act. 2: 3.

BACCH. Quisnam hic adolescens est, qui intuitur nos? ANT. ah! retine me, obsecro.
BA. Amabo, quid tibi est? AN. disperii. BA. perii misera: quid stupes,
Antiphila? AN. Videon' Cliniam, an non? BA. quem vides?
CL. Salve, anime mi. AN. ô mi Clinia salve, &c.

99. ET GENIVM MEVM] Parasiti, divites sub quorum clientela essent, *Genios suos* nominabant: *Meurs.*

100. ALIDENS.] Polycratem. *L.*

Μὰ τὸν] per Apollinem. Quod Græci jurantes, Μὰ, νὴ, præponunt, id Romani erat *ME* & *E.* Mecastor: Medius fidius: Mehercule: Ejuno: Equirine: Ecere: Epol: Ecastor. *Scal. ad Fest.* V. N. Trin. act. 2: 2.

101. Σόραν] *Sora*, colonia Populi R. in Campania. Basil. codex habet κοράν: (ut & mei, & membr. Langii.) Ergo juramentum erit per Proserpinam: sicut antea dixit, Μὰ τὸν ἀπόλλω. Sed & colonia esse potest, qualem Livius lib. 2, eo nomine nuncupat. Unde etiam *Comni* Plinio lib. 3, cap. 5. ut annotavit Meursius. M S. Cam. I. *neidnconia* . quod

quod tamen notat *Sonem*, ut puto quasi videlicet codex unde descriptus est habuerit sigma per semilunulam.

102. Πραινέστη] per *Prænefte*, quod Campaniæ opidum: à quo *sortes Prænestinæ*.

102. Σιγνίαν] *Signini* etiam in Campaniâ sunt.

103. Φρυσινῶνα] per Frusinonem. *Frusinates* memorat Plin. lib. 3: 5. Juvenal. Sat. 3.

——*aut Frusinone paratur &c.*

103. ἀλάτριον] Lamb. l. ἀλέτριον, *Aletrinum* Campaniæ opidum, unde *Aletrinates* Plin. lib. 5: 5. & *Aletrum*, cap. 11. Quæ etsi Meursius non improbat: tamen rectius putat, ἐς τὸ ἀλάτριον: quod est in v. cod. & membr. Lang. Frontinus quoque lib. de Coloniis: *Alatrium muro ducta Colonia populus deduxit, &c.* hinc *Aletrinates* apud Livium lib. 9.

104. BARBAR.] i. Italicas. V. N. Trin. Prol.

105. AVTVMAT.] dicebat. L. D.

106. SEDVLO] i. *sine dolo: bonâ fide*: Nonius.

108. BOIVS EST] Scal. ad Fest. *Boia* propriè collare. Glossæ, κλοιὸς. *boja, ecnleum.* Errat *Brodæus*, (Miscell. lib. 2. cap. 10.) qui bojam eandem facit cum *taurea*: cum taurea sit Teutica. Allusit Plautus, *Boius bojam terit.* nam bojam accipiendum pro collari: cum tamen, qui hoc dixit, vellet accipi, tanquam si dixisset, ipsum Gallum cum Gallâ cubare. Notum enim Bojos esse Gallos. Glossar. *boi*, βῶς: *Boi*, ἔθνος ἐν γάλλοις. *Hæc Scal.* Est etiam in verbo *terit*. αἰσχρολογία. Propert. lib. 3: 11. de Cleopatrâ:

Et famulos inter femina trita suos.

Sic Petron.

——*mutuis libidinibus attriti.*

109. LIBERORVM Q.] Auspicum etiam curæ erant. Nubentes profiteri, *se liberorum procreandorum caussâ convenire, &c.* vide Hotom. *De Ritib. Nupt.* cap. 3. & Des. Herald. ad illud Arnobii lib. 7. *Gignendis conveniunt liberis.* ἐπὶ παίδων γνησίων σπόρῳ. *Liberûm quærendorum caussâ.*

110. BONA FIDE.] Erat etiam affirmatio & jusjurandum, *Bonâ fide*. Nos tamen hodie, nisi appellato Numine, sacramentum non putamus: nam sequitur mox: *sanctè mihi juras tibi?* Turneb. lib. 18: 25.

111. [illegible] Antiqui vocarunt *natales* omnes dies propter aliquam lætitiam

A insignem sibi solemnes. Vide Casaub. in Hist. Augustam.

113. AIN' TV DVB.] J. Gulie. Lang. l. *Ain' tu? dub. h.* quod & in Pall. plerisq; sed minus aptum hoc loco, quamvis id utraq; sua editione ostentet Parei vanitas. pro nobis sane stat editionum omnium consensus, quibus sui etiam fuerant MSS.

15. MANTISCIN.] Lambinus à Græco Μάντις, i. vates, & *cano* derivat, ad exemplum v. *fascinatus*; hoc sensu: Nisi compereris me vera tibi vaticinatum, etiam fuste castigato. ita tamen, ut ambiguè ad *manticam*, i. ventrem suum alludat, &c. At *P. Colvius*, Assentior, inquit, iis, qui legunt *manticulatus*. hinc *manticularius*, procul dubio etiam is, qui aliena libentius contrectat, quam sua, apud Tertul. in Apologetico. Festus: *Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro seculo fuit: unde manticulari dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant.* Subjicit deinde exempla ex Pacuvio, quibus docet, *Manticulari* pro dolosè, captioseq; agere, & furari positum esse. quomodo & *Langlæus JC.* lib. 8. cap. 4. Ocii Semestr. exponit. Sed enim *J. Grut.* affirmat, hoc ne per somnium quidem voluisse Auctorem: & fatuè a Colvio substitui *manticulatus*. Meursius *manticinatus* omnium rectissimum censet: ut lusum [illegible] in voce semigræcâ: acti a Μάντις deducat *manticinari*: ut à *fates fatiscinari*. Certe mira in his varietas. MS. Cam. l. *mantiscinatus*: ut & Frising. Sambuci. at MSS. Lang. *mantissinatus*, & *mantiscinatus*. Ven. & Par. *manticinatus*: Brix. & Ald. & vulg. *manticulatus*. Argentin. *manticinatus probè hero fuisti &c.*

116. FVERE] pro, *fuisse*.

PECTITO] ita MSS. Cam. & Langii, quod unicè probat. J. Gul. Ver. lib. 3: 3. Menæch. *pectite os pugnis*: & hinc, *depexum dare*, Terentio, malè multare, est.

117. DAPINABO VICTVM] MS. Cam. & Langii, & edit. Ven. & Paris. & Argent. & Basil. *dapinabo victum*, quod propugnat in *Schedis* suis Gruterus. Brix. & Ald. *dapinato victum*. MS. Samb. *tibi dabo victum*.

118. SPONDEN'] Ex formulâ stipulationum. V. C. *Spondes tu*.

119. RESPONDEO.] Jocus ex ambiguitate verbi.

ACTUS IV. SCENA III.

ERGASILVS.

ILLIC hinc abijt: mihi rem summam credidit cibariam.
Di immortales, jam ut ego collos prætruncabo tergoribus!
Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido!
Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas!
Quanta lanijs lassitudo! quanta porcinarijs!
Nam si alia memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora est.
Nunc ibo ad præfecturam, & jus dicam larido,
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram.

VERSVS hujus & seq. Scenæ similes sunt superioris.

V. 1. REM SVM. C. CIB.] ita dixit, ut sæpè Cic. *rem summam publicam*. L.

2. COLLOS] *Collus*, in mascul. gen. dicebant veteres. Cæcilius: *Ad restim res redit: immò collus, non res; nam ille argentum habet.* Amph. 1: 1. v. 289. tribuit Nonius, apud quem exempla plura.

2. TERGORIBVS] Turn. lib. 22: 6. l. *tegoribus*. & ita est in Paris. nam apparet veteres non tantùm *tergus*, sed & *tegus* dixisse. Quia verò neque sic loci difficultas tollitur, Lambin. suspicatur legi posse, *pecoribus*. Videas ipsius declamationem, si operæ est. cui item adversatur Gutherius lib. 1. cap. 26. de jure vet. Pontif. propugnatque *callos prætr. tergorio*, tanquam dignum Plauti vetustate ac venustate. at enim illud, Gruteri opinione, planè invenustum; cùm *calli* statim meminerit infra, versu 4. sed & *collos*, & *tergoribus*, disertè comparet in mss. editionibusque vetustioribus.

3. PERNIS] Hinc apud Catull. Carm. 17. *subpernare*. quod idem ferè ac *suffraginare*. ἀγκυλοκοπεῖν. notum est anatomicæ peritis quid sit ἀγκύλη. Septuag. Interprett. hoc vocant ὑπονευρίζειν. Ex Scal. & Mureto ad v.
——*velut alnus In fossâ Liguri jacet subpernata securi*. Sed hoc obiter.

3. PESTIS] Muretus: *Pestem* παρὰ τὸ πεσεῖν, à quo fonte etiam est antiqua vox *pessum*, *perniciem* verò à *pernecando* dictam puto. itaque *pestem* vocabant, quicquid rem aliquam sive inanimam pessundaret, quasiq; prosterneret. Sallust. *Et, si pestis certa adesset, mansurum potius, &c.* Cic. 13. Phil. *Nimirum rectè beneficium appellas, à quo tibi præsentem pestem vides comparatam.* Virgil. Æn. 5.
——*lentusque carinas*
Est vapor, & toto descendit corpore pestis:
i. flamma.

4. ABSVMEDO] vocem finxit ab *absumo*, non multum à *sumine* discrepantem, in paronomasiâ leporem quærens: L. *Sumen* autem contendunt dici quasi *sugimen*: ac propriè in suibus, quo suilla ubera continentur. Jam delitias & ganeam à suibus peti solitas. Plautus etiam in *Carbonariâ* memorat: *Esto pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia.* ubi *spectile*, Scal. interpretatur carnem sub umbilico, τὸ ἦτρον, ὑποχοίλιον. vide & Dalech. ad Plin. lib. 11: 37.

4. CALLO] *Hieron. Mercurial.* Var. Lect. lib. 2: 22. *Apri* à veteribus in conviviis æstimabantur. Et Martialis vix unquam cœnas aut nobiles escas memorat, quin inter ipsas apro nobiliorem propè locum tradat: quem sicuti hodie variis juribus ac delicatis liquoribus condiunt coqui, ut ejus silvestrem odorem occultent: ita quoque majores nostros non minus gulæ studiosos factitasse intelliget, quicunque Apicii illius opsodædali varias apri condituras examinaverit. Apri *lumbus* omnibus aliis partibus ejus præponebatur. hunc Plautus & Cato *aprugnum* vocavêre, cujus tenera durities commendata ipsi etiam *Calli* nomen dedit. Propter quod etiam Hora-

Horatius *longa obs* extollens *callosa* nuncupavit, lib. 2. Sat. 4.) tanquam compacta illa teneritudo in omnibus ciborum generibus & dentibus & palato valdè grata sit. *Hæc Mercur.* Guther. d. loco, vult *callum aprugnum* propriè fuisse abdomen legibus censoriis interdictum, laudatque verba Plinii non longe à fine cap. 37. lib. 11. & ut nescit an nobilius fuerit media illa parte, quæ lumbus aprugnus appellata, ita scit callum tandem pro duriore apr. qualibet parte usurpatū &c. Et docet *Lipsius* lib. 4. Poliorcet. dial. 1. Apros etiam totos solidosque in unam cœnam apposuisse veteres. Juven.

—— quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros; animal propter convivia natum?

Et quidem binos ternosque simul: immò etiam septem aut octo, teste Plutarcho: quin immò *singulis convivis singulos* appositos in convivio cujusdam Carani, apud Athenæum: neque exiguos, sed *Erymanthæos &c.* Hæc & plura in hanc rem nostro seculo vix credenda ex bonis fidisque auctoribus ibi Lipsius, quæ in transcursu placuit attingere.

5. PORCINARIIS] iis, qui porcinæ carni præfecti sunt: L.

6. AD PRÆFECT.] solebant enim Præfecti in suis præfecturis jus dicere. Vide Fr. Polleti Hist. fori R. lib. 3. cap. 1.

7. ET IUS D.] ita MS. Pall. & vett. Edd: non *ut*, quod in mediæ ætatis recensoribus iidem tamen libri ferè habent, *Ibo ut præfecturam*. quintus tamen & sextus *ad*. forsan adhuc deest aliquid versus caussa, *ad meam præf.* uti placebat Camer. aut potius *ad præf. meam*.

8. INDEMNATÆ] Pergit jocari. Quasi verò non providendi in posterum alimenti penorisque, sed pœnæ gratiâ, ut malefici, suspenderentur pernæ. sic Trin. act. 4:3. queritur servus, *Leges ad parietem fixas esse clavis ferreis, ubi malos mores affigi æquius fuerit.* cum tamen Leges non pœnæ nomine, sed ut publicè legi possint, affigantur, &c. *Ex L.*

ACTUS IV. SCENA IV.

PUER HEGIONIS.

DIESPITER te dique, Ergasile, perdant & ventrem tuum;
Parasitosque omnes, & qui posthac cœnam Parasitis dabit.
Clades calamitasque, intemperies modò in nostram advenit domum.
Quasi lupus esuriens, metui ne in me faceret impetum.
Nimisque hercle ego illum malè formidabam: ita frendebat dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium.
Arripuit gladium, prætruncat tribus tergoribus glandia.
Aulas, calicesque omnes confregit, nisi quæ modiales erant.
Cocum percontabatur, possentne seria fervescere.
Cellas refregit omnes intus, reclusitque armarium.
Asservate istunc sultis servi. ego ibo ut conveniam senem.
Dicam ut sibi penum aliud ornet, siquidem sese uti volet.
Nam hic quidem ut adornat, aut jam nihil est, aut jam nihil erit.

VERSUS hujus scenæ sunt jambei, tetrametri; non trochaici; ut alii existimant. *Lamb.*

4. QUASI LUPUS ESUR. &c.] Admonet me hic locus versuum è sexto Satirarum Ennii, quos, ob elegantiam, adscribam, ex emendatione Mureti lib. 19. c. 7. Var.

Quippe sine curâ, lætus, lautus cum advenis,
Exfertis malis, expedito brachio,
Celsus, alacer, lupino exspectans impetu,

Quam mox alterius obligurrias bona. A
Quid censes domino esse animi? prò divum fidem!
Dum ille cibum tristis servat, tu ridens voras.

6. DETVRBAVIT] Numeri requirunt συναλοιφὴν, ut fiat *deturbat*. Camer. At; *deturbabit*, inquit Palm. non convenit: & mutaturus eram, etiam sine veteri codice fuisset, *decribrabit*: quod valdè placet. Mostell. 1: 1. *Carnificinum cribrum* est, quem crebri per vias forant. *Concribrari* multimodis confici, &c. Mei tamen omn. *deturbabit*. Pareo ita adblandiebatur *decribrabit*, ut id in editionis pr. suæ textum receperit, ejecto altero, quod erat in MSS. universis. B

7. TERGORIBVS] Turn. l. *tegoribus*: Lamb. *pecoribus*. sed præter MSS: itaq; causa non erat cur Pareana pr. insigniretur illo, *pecoribus*.

7. GLANDIA] Plin. lib. 11, cap. 37. *Tonsillæ in homine, in sue glandulæ*: quæ & *glandia* dicuntur, sive *glandula*. Intelligas autem ex parte totum. L.

8. MODIALES] ventriosæ & modii unius capaces: *Pius*.

9. COCVM] in v. *Cocum* eliditur *m*. L.

9. POSSENTNE SER.] Non satis habebat carnes in seriis conditas depromere, & cocis coquendas dare; sed ipsa. quoque serias, i. vasa fictilia, in quibus carnes salsæ conditæ servabantur, pæne dicam coqui & fervescere volebat: L. Quæ *Douza* laudat, & venustius pingit in Centur. suo. Ac si quis *orcas*, inquit, nostrates, i. *cados salsamentarios* (Fleisch-Tunnen) ad focum admoveri postulet; quasi integrum bovem pariter, Herculis βουφάγα in morem, primo velut pedatu absumturus, &c.

10. ARMARIVM] Turn. lib. 7:23. *Armarium* hic interpretatur promptuarium, è quo promitur cibus: at *Lambinus* locum, in quo nummi reconduntur. V. N. Epid. 2: 3.

12. SESE VTI] sc. *pene*, antiquè. *Vel*: siquidem velit uti seipso, i. sibi esse utibilis: nam qui nullum habet penum, sibi & aliis est inutilis. L.

ACTUS V. SCENA I.

HEGIO, PHILOPOLEMVS, PHILOCRATES.

IOVI dijsque ago gratias meritò magnas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miserijs plurimis me exemerunt,
Quæ adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam:
Quomque hunc conspicio in potestate nostrâ,
Quomque hæc reperta est fides firma nobis.
Satis jam dolui ex animo, & curâ me satis
Et lacrumis maceravi. hoc! satis jam audivi
Tuas ærumnas, ad portum mihi quas memoristi.
Hoc agamus. PHILOC. quid nunc, quoniam tecum servavi fidem,
Tibique hunc reducem in libertatem feci? HE. fecisti, ut tibi,
Philocrates, nunquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritus de me & filio. PHILOP. imò potes,
Pater, & poteris, & ego potero: & di eam potestatem dabunt,
Vt beneficium benemerenti nostro meritò muneres.
Sicut tu huic potes, pater mi, facere meritò maxumè.
HE. Quid opu'st verbis? lingua nulla est, quâ negem quicquid roges.

PHILOC.

PHILOC. Postulo abs te, ut mihi illum reddas servom, quem hic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior, quàm sibi semper fuit:
Pro benefactis ejus uti pretium possim reddere.
HE. Quod benefecisti, referetur gratia, id quod postulas.
Et id, & aliud, quod me orabis, impetrabis. atque te
Nolim succensere, quòd ego iratus ei feci malè.
PHILOC. Quid fecisti? HE. in lapidicinas compeditum condidi,
Ubi rescivi mihi data esse verba. PHILOC. væ misero mihi!
Propter meum caput labores homini evenisse optumo.
HE. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.
Gratis à me, ut sit liber, abducito. PHILOC. edepol, Hegio,
Facis benignè. sed quæso, hominem ut jubeas arcessi. HE. licet.
Ubi estis vos? ite actutum, Tyndarum huc arcessite.
Vos ite intrò. interibi ego ex hâc statuâ verbereâ volo
Erogitare, meo minore quid sit factum filio.
Vos lavate interibi. PHILOP. sequere hàc, Philocrates, me intrò.
(PHILOP. sequor.

VERSUS duodecim ab initio sunt numeris A permistis iambicis & trochaicis, trimetri catalectici. reliqui tetram. catal. trochaici. itidem ut mox sequentis scenæ.

V. 4. QUÆ] *Quæ*, referendum ad totam orationem: L. Sed Acidal. hunc versum, ut indignum Plauto, aut delendum censet; aut ita emendandum: *Quas, dum te carendum hic fuit, sustentabam.* & verò sic nobis statim ingessit Pareus editione pr. nisi B quod reliquerit *Quæ.* contra libros.

5. CUMQ. HUNC] *Stalagmum.*

8. MACERAVI. HOC! SATIS] Distinctio à Grutero est. lectio verò à V.C. & Pall. quinq; & edd. vett. solum sec. præfert, *hic.* annectunt autem ii prioribus; ego sequentibus; ut voluerit addere *agamus*, quod sequitur versu tertio; nisi impeditus à filio fuisset gestu ei obstrepens, aut actione qualicunque.

10. TECUM] i. tibi. L. D.

24. LAPICIDINAS] ita MS. Cam. etsi tamen prius videbatur habuisse *lapidicinas*: quomodo adhuc servant Pall. 4. priores, ut notat *Gruterus.* Ita Heraldus contendit perpetuò legend. *Lapidicinas.* Glossar. *Lapidicina,* λατομία. *Lapidarius,* λατόμος.

27. LIBELL.] Libellam argenti, i. assem. Cic. Accus. 1. *si unam libellam argenti dedisset.* Id. pro Rosc. dixit, *ad libellam debere*: quod Horatius, *ad assem*, 1. Epist. 2. Quando minimam pecuniam significare volebant, *assem* & *libellam* dicebant. V.N. Pseud. act. 1: 1.

28. ABDUC] Lamb. è. vet. MS. l. *secum abd.* quæ vox in nullo Pall. MS. Cam. *aducito.*

31. INTERIBI E.] Interea ex hoc verberone Stalagmo volo *erogitare*, i. rogando extorquere. Etiam MS. Cam. l. *erogitare.*

ACTUS V. SCENA II.

HEGIO, STALAGMUS.

AGE tu! illuc procede, bone vir, lepidum mancupium meum.
STA. Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bona,

Neque ero unquam: ne tu spem ponas me bona frugi fore.
HE. Propemodum ubi loci fortuna tuæ sint, facilè intellegis.
Si eris verax, tuâ ex re facies; ex malâ meliusculam.
Recta & vera loquere: sed neque verè, neque rectè adhuc
Fecisti unquam. STA. quod ego fatear, credin' pudeat, cùm autumes?
HE. At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.
STA. Eia! credo ego, imperito plagas minitaris mihi.
Tandem ista aufer, dicque quid fers, ut feras hinc quod petis.
HE. Satis facundu's. sed jam fieri dictis compendium volo.
STA. Vt vis, fiat. HE. bene morigerus fuit puer: nunc non decet.
Hoc agamus. jam animum advorte, ac mihi quæ dicam, edissere.
Si eris verax, tuis rebus feceris meliusculas.
STA. Nugæ istæc sunt. non me censes scire quid dignus siem?
HE. At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.
STA. Pauca effugiam scio. nam multa evenient, & merito meo.
Quia & fugi, & tibi surripui filium, & eum vendidi.
HE. Cui homini? STA. Theodoromedi in Alide Polyplusio
Sex minis. HE. prò di immortales! is quidem hujus est pater
Philocratis. STA. quin melius novi, quàm te, & vidi sæpius.
HE. Serva Iuppiter supreme & me & meum gnatum mihi.
Philocrates, per tuum te ingenium obsecro, exi: te volo.

AGE TV ILLVC] Gruteri omnes MSS. & olim cusi hinc alteram ordiuntur Scenam. A

V. 2. FALSVM AVTVMAS] Dan. Heinsius l. *ubi tu tal. vir falsum autumas?* nam *falsus*, inquit, & *lepidus* idem est. Vocârat eum Hegio *eiρωνικῶς lepidum.* respondet ille: qualem me esse oportet, cùm tu talis vir me falsum voces? Et sequitur: *Fui ego bellus, lepidus: bonus vir nunquam.* & verò conjectaneum istud, licet in contextum recepit Pareus primæ editionis, exturbavit verò secunda, ô judicii scævitatem! ô chameleonte variabiliorem!

2. TV TALIS VIR] Sallust. *Tamen ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat.* Sic suprà, 1: 2. *Hic qualis imperator nunc privatus est!* D.

3. NEQ. FRVGI BONÆ] Rittershus. è MS. Bystadiensi, quem cum Fr. Modio contulit, versum hic inserit talem: *Atque ubi ego fui in lapicidinis bonus vir, neque bona frugi: Neque ero. &c.*

4. NE TV SPEM PON.] Acidalio placet, quod in vet. edit. reperisse ait: *ne tu in spe ponas.* Epidico: *Ne quid tibi hinc in spem ponas.* nec mora, Pareus id intulit editioni illi suæ pr. ejecit verò ultimæ, vomitorem egregium!

7. QVOD EGO F.] Credisne fore, ut me ejus pudeat, quod fatear, sc. me rectè nunquam quicquam fecisse: cum tu id dicas? L.

9. IN RVBOREM] Jocus. Quos pudet, rubore suffunduntur; & qui loris cæduntur, B etiam rubent sanguine, &c. Quòd Lipsius 4. Annali Tac. *robur* legit; ne quæso, attendatur, Lipsii caussâ. plura ad hujus loci confirmationem invenies cap. 3. Egregiorum And. Quernei.

11. QVID FERS] quid in animo habeas. L. D. Camer. *quod* addidit versus caussa præter libros, tamen concinnè, nisi malimus *dice quid.*

13. BENE MORIG.] V. N. Cistell. act. 4: 1.

15. TVIS REBVS r.] Ita MSS. Cam. & Pii & Sarraceni, & Mediol. & Ven. Edd. Vulgatæ, *res tuas fec.* Camerarius suo Codici adscripserat *é*. A

17. POTIS ES] Ita insigniter Camerarius, cum veteri editione. nam V.C. ejus *potisses*, quomodo tamen Pal. nullus adhærentes vulgato nostro. Pareo arrisit *potisses*, idq; immisit editionis suæ chao; contra expressam legem versus.

18. PAVCA EFFVD.] *ἀπροσδόκητον* servilis joci in periculo.

24. PER TVVM TE INGEN.] ita *Grut.* è MSS. Pall. trib. restituit. Eleganter sanè ex sententiâ præcedentium in Fabulâ. Vulg. *Genium.*

ACTUS V. SCENA III.

PHILOCRATES, HEGIO, STALAGMVS.

HEGIO, assum: si quid me vis, impera. HE. hic gnatum meum
Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.
PHI. Quàm diu id factum est? STA. hic annus incipit vicesimus.
PHI. Falsa memorat. STA. aut ego, aut tu. nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvulum puero dedit.
PHI. Quid erat ei nomen? si vera dicis, memora dum mihi!
STA. Pægnium vocitatu'st: pòst vos indidistis Tyndaro.
„ *PHI. Cur ego te non novi? STA. quia MOS EST oblivisci hominibus,*
„ *Neque novisse, cujus nihili sit faciunda gratia.*
PHI. Dic mihi: isné istic fuit, quem vendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est, hujus filius?
HE. Vivitne is homo? STA. argentum accepi, nihil curavi caterum.
HE. Quid tu ais? PHI. quin istic ipsu'st Tyndarus tuus filius;
Vt quidem hic argumenta loquitur. nam is mecum à puero puer
Bene pudicéque educatu'st usque ad adolescentiam.
HE. Et miser sum, & fortunatus, si vos vera dicitis:
Eò miser sum, quia male illi feci, si gnatus meu'st.
Eheu! cur ego plus minusque feci, quàm æquom fuit!
Quod malè feci, crucior modò, si infectum fieri possiet.
Sed eccum, incedit huc, ornatus haud ex suis virtutibus.

PECVLIAREM] V.N. Asin. 3: 1. & Scenâ hic seq. B

V. 7. VOCITATVST] Parei prima; *Vocatust*, etiam secunda; cum nota, sic extare in V.C. & Pall. insigni vanitate. nam *Vocitatus est*, vlsamus in V. C. neque aliter Pal. pr. aut sec. quid credamus mentienti tam gratuito?

8. CVR EGO TE NON NOVI] Pareus *te* exclusit utraque editione. sed in ultima tamen meminit, magnis ejus ingratiis id omisisse cum vulgatis editionibus Typographum. ubi iterum nobis imponit. nam nulla alia editio destituitur illo pronomine quàm Pareana: nulla, inquam, quæ in ore famæ. nam omnes excutere, tanti non est.

9. CVIVS NIHIL SIT] Versus caussa malit Gruterus *nibili*; sententia etiam dilucidiore, neque aliter Edd. vett.

18. EHEV CVR] MSS. & omn. edd. *quom*, nulla, *cur*. & poterat revocari.

18. PLVS M.] Hæc fuerunt in mente Pœno illi, ait Gul. cum scriberet Phorm. *Ne quid plus minusve faxit, quod nos pigeat postea.* Plus minus, πλεῖον ἢ ἔλαττον. in quibus rebus omne vitium intelligitur.

20. ORNATVS HAVD EX S.] ita Muretus, Lipf. & Acidalius: ex mente Hegionis, qui filium suum non proinde, ut meritus esset, acceptum indicat. Placet & Grutero: quamvis legat MS. Cam. *audax suis virtutibus*: & olim cusi, & Pallat. *audax suis viribus*. Terent. Adel.

Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.

Milite:

Bene ut hospes te virtute ex tua accipiam.

Item:

Virtute formæ evenit tibi.

Ibidem:

Sicut merci pretium statui, pro virtute ut veneat.

Pœnulo:

Cumque è virtute vobis fortuna obtigit.

In quibus omnibus *Virtus* pro merito & dignitate. Pareus qui se Tiresiam æstimat, existimatque circa haram suam Scholasticam, hîc notat: *Ornatus haud ex suis virt*: Ita edidi, ductu V.C. & Pall. quinque; ubi, *audax suis virt.* quod jam alii quoque subodorati sunt. sic ille, quasi se velit naso esse adeò sagaci, ut omnia eruat, ad quæ alii cæcutiunt: quasi conjectores alii minimi maximi, ab Orbilio isto consilium petant. At quid ille unquam invenit? quid unquam interpretatus est? quid scripsit, non antea vulgo proditum?

ACTUS V. SCENA IV.

TYNDARVS, HEGIO, PHILOCRATES, STALAGMVS.

VIDI ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta: verùm enim verò nulla adæquè est Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapidicinis. illic ibi demum est locus,
Ubi labore lassitudo omnis est exigunda ex corpore.
Nam ubi illò adveni, quasi patriciis pueris aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent,
Itidem hæc mihi advenienti upupa, quî me delectet, data est.
Sed herus eccum ante ostium, & herus alter eccum ex Alide
Rediit. HE. salve exoptate gnate mi. TY. hem! quid, gnate mi?
Attat! scio cur te patrem assimules esse, & me filium:
Quia mihi, item ut parentes, lucis das tuendæ copiam.
PHI. Salve Tyndare. TY. & tu, quojus caussâ hanc ærumnam exigo.
PHI. At nunc liber in divitias faxo venies. nam tibi
Pater hic est; hic servus, qui te huic hinc quadrimum surpuit.
Vendidit patri meo te sex minis. is te mihi
Parvulum peculiarem parvulo puero dedit.
Illic indicium fecit. nam hunc ex Alide huc reducimus.
TY. Quid, hujus filium? PHI. intus eccum fratrem germanum tuum.

TY. Quid

TY. Quid tu ais? adduxtin illum hujus captivum filium?
PHI. Quin, inquam, intus hic est. TY. fecisti edepol & rectè & benè.
PHI. Nunc tibi pater hic est: hic fur est tuus, qui parvum hinc te abstulit.
TY. At ego hunc grandis grandem natu, ob furtum, ad carnificem dabo.
PHI. Meritus est. TY. ergo edepol meritam mercedem dabo.
Sed dic oro: Pater meus túne es? HE. ego sum, gnate mi.
TY. Nunc demum in memoriam redeo, cùm mecum cogito,
Nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me
Quasi per nebulam Hegionem patrem meum vocarier.
HE. Ego sum. PHI. compedibus quæso ut tibi sit levior filius,
Atque hic gravior servus. HE. certum est principium id prævortier.
Eamus intrò, ut arcessatur faber: ut istas compedes
Tibi adimam, huic dem. ST. cui peculii nihil est, rectè feceris.

ACHERONTI] Turn. l. 7: 12. V. N. act. 3: 5. Veteres, ut melius in officio continerentur homines, & à sceleribus absterrentur, cruciatûs infernales, quos imminere iis credebant, in tabulis depingebant, ut quasi præsentes intuerentur. *Meurs.*

2. NULLA ACH.] ita Nonius.

3. FUI IN LAPICIDINIS] MS. Cam. *fui in lapricidinas.* Vide Popmam De usu Antiq. locutionis.

3. ILLIC IBI] ita MSS. Pall. & omn. Edd. vett. & nihilominus Pareus exclusit libris suis voculam *ibi* non sine versus præsentanea peste.

5. QUASI PATRIC.] Oblectamenta puerilia: pulli, passeres, anseres, & id genus alia. Arnob. lib. 7. *Ut parbuli pusiones, quo lacrimis parcant* (alii, *animos pascant*) *abstineantque ploratibus, passerculos, pupulos, eculeos, panes accipiunt, quibus se avocare possint.* Plin. lib. 4. Epist. 2. *Habeat puer mannulos multos, junctos* (alii, *vinctos*) *& solutos habebat canes majores minoresque: habebat luscinias, psittacos, merulas.* Hinc blanditiæ istæ, Casinâ: *Meus pullus passer, mea columba, mi lepus.* P. Colvius.

5. MONEDULÆ] A. Popma notat antiquam scripturam *monerulæ* fuisse: R pro D. itaque est in MSS. Cam. & Lang. & Pall. alterum tamen præferunt edd. primæ.

6. ANATES.] MSS. & Edd. vett. *anites.*

6. COTURNICES] vide *Lamb.* si operæ est.

7. UPUPA] Malleum à formæ similitudine urbanè *upupam* appellat. Rostrum

A enim & crista capite commissa malleum repræsentant.

7. QUI ME DELECTET] ita MS. Cam. nam alii omnes interpolati sunt, teste Grutero. At Lambinus, Vel spectavit, *inquit*, rem significatam, sc. *malleum*: vel legend. *qui me delectem*, i. quâ re. quod *Dousa* amplexus est: & illud *qui*, omnibus gen. ἀδιαφόρως accommodari posse probavit: quod notavimus Trin Prol & Aul. 2: 2. Etiam Robertus Titius Assert. lib. 2. cap. 15. docet, Veteres interdum genera variare consuevisse; hoc Plauti & illud Varr. de Re R. lib. 1. citans; *Sin cogare secundum flumen ædificare, curandum ne adversum eum ponas*: ut Plautus ad *malleum*, Varro ad *fluvium* respexerit, &c. Vide ibid. & alia, quæ ex Ind. Lucr. Gifanii sibi transcripsit Titius.

B 11. QUIA MIHI] J. Isacius Pontanus, Analect. lib. 1. cap. 13. Video controversum id apud eruditos. Lambinus ita implicatè loquitur, ut aut semet aut omninò sententiam non intellexerit. alii (ut Dousa) εἰρωνικῶς prolatum autumant: quod vix potest. Voluit Plautus, Tyndarum, cum de laborioso illo ac tenebroso latomiarum antro protraheretur, ita innuisse Hegionem sibi patrem, se filium, quomodo parientes prodentesque de materno sinu in hanc lucem liberos, *parentes* dicimus. Unde etiam *parientes* hic exaratum non temerè quis existimet. Verum vocem *parentes* velut *parientes* dici, & propriè de genetricibus sumi, ex Plauti hoc loco notem. Suetonius quoque de Liviâ: *Quare non PARENTEM PATRIÆ, nec*

ullum insignem honorem recipere publicè passus est. Deniquе totum hoc venustius sic fuerit: A

——TT. *Hem quid gnate mi?*

At at scio cur? te patrem assimulas esse, & me filium:

Quia mihi item, &c. Hæc ille. quæ statim in editionem suam pr. contulit Pareus. *Sim. Ulr.* *Pistoris* simpliciter ad lapicidinas refert, quæ sub terrâ erant tenebrosæ: unde fit productus & quasi denuò in lucem operâ Hegionis editus. Sub terrâ autem fuisse, docet ille versus suprà: *Interdius sub terrâ lapides eximet.* Quò pertinet illud Cassiodori, ubi de miserabili illorum vitâ qui in metallum damnantur, loquitur: *Intrant homines caligines profundas: vivunt sine superis: exulant à Sole &c.* Nec placet eidem illa *Pontani* distinctio: sed uno contextu legit: *At at scio cur te patr.*

11. TUENDÆ] MSS. Cam. & L. *tuendi c.*

16. PECULIAR.] Ut adolescentulis servuli custodes dabantur, ita puellis servulæ, quæ in lanificio unà essent, eas sectarentur & curarent. ii eæque, ut JC. loquuntur, *peculiares* illis plerunque erant, hoc est, in peculio. Et verò quæ curabant puellam, aut in lanificio unà erant servolæ, Latinè *Circa illam esse*, dicuntur. (vmb Sie seyn) Tibull. lib. 1. 3. & Ter. Eun. &c. *J. Gul. Verisim.*

17. REDUCIMUS] Sic V. C. & Edd. vett. & Pall tres, nam pr. & sec. *adduximus*. recentissimi solùm *reduximus*, quibus & adhæsit Pareus, contra libros suos, quos minimè excutit ille Lynceus, nisi cùm ei operæpretium est alios carpere.

13. EDEPOL MERITAM] Fulciendis numeris Cam. interseruerat, *huic*. at quid si exciderit? *edepol merito meritam mercedem.* ita certè scribere debuit Plautus, si non scripsit.

25. CUM MECUM COGITO] Versus requirit *recogito.*

AUDISSE ME QUASI] Namque & per nebulam, si ea crassior sit, obtusius audimus; uti in strepitu. Alii tralationem esse dicunt à sensu videndi ad sensum audiendi: propter similitudinem, quã inter se habeant. Cic. ad Attic. *In strepitu exaudisse videor.* itẽ: *per caliginẽ videre*, &c. Vide & P. Victor. lib. 13: 14. Var. Lect.

26. VOCARIER] ita MSS. Cam. & L. & vett. Ed. omnes, non *nominarier*, ut recentt.

29. PRINCIPIUM ID.] ita & omnes MSS. Malè igitur Lamb. *principio.* Grut.

GREX.

SPECTATORES, ad pudicos mores facta hæc Fabula est.
Neque in hàc subigitationes sunt, neque ulla amatio,
Nec pueri suppositio, nec argenti circumductio:
Neque ubi amans adolescens scortum liberet clàm suum patrem.
Hujusmodi paucas Poetæ reperiunt Comœdias,
Vbi boni meliores fiant. nunc vos, si vobis placet,
Et, si placuimus, neque odio fuimus, signum hoc mittite:
Qui pudicitiæ esse voltis præmium, plausum date.

GREX] MSS. Cam. & Pallat. & Lang. item olim cusi leg. *CATERVA.* In Argent. ed. cui *Mulingus* quidam præfuit, legitur *RECITATOR:* quemadmodum & Asinariâ, Casinâ, Cistell. Epidico, Bacchid.

2. SUBIGITATIONES] *Subagitare mulierem* est lasciviùs eam attrectare. V. N. Milite, B act. 3: 1. V. C. habuit ut scripsi: & sic fuisse in authenticis membranis, inde colligamus, quod Pall. & Vett. Edd. præferant, *subitæ cogitationes.*

7. SIGNUM HOC] Douzæ videtur hoc gestu expressum fuisse signum: quod spectatores suo exemplo *Grex* imitari postulet.

FINIS CAPTEIVORUM.

CURCU-

CURCULIO.

ARGUMENTUM.

HUIUS Comœdiæ argumentum eſt tenue ac ſimplex, in ſolâ Paraſiti fraude fortuitâ paulò plenius. Nam introducitur adoleſcens amans puellam à lenone avaro, quam ille quidem redimeret, niſi pecunia deeſſet. Hanc in Caria ſe poſſe mutuò ſumere ſperans, mittit illò Paraſitum ſuum, qui petat. Is pecuniam quidem, quam mutuò accipiat, reperit nullam: ſed annulum in potu ſuffuratur Militis, à quo fuerat ad cœnam invitatus. Atque ut de eodem cognoverat, quod emiſſet puellam à Lenone, & pecuniam ſitam eſſe apud Trapezitam, conſignat annulo Militis litteras; eaſque Trapezitæ reddit, atque operâ hujus mulierem abducit, tanquam à Milite miſſus. Venit poſtea Miles, & ſe circumventum, inque irâ & indignatione mulierem illam ſororem eſſe ſuam cognoſcit. Itaque petenti hæc datur Phædromo: & à Lenone XXX. minæ exiguntur. Res geritur Epidauri.

PERSONARUM Dramatis nomina ſunt: *Palinurus* ſervus: quod nomen fortè à cuſtodiâ deductum eſt: οὖροι enim cuſtodes ſunt. Martialis luſit in ambigua etymologia: fecit enim à *mejendo*. urinam autem τὸ οὖρον dixerunt. lib. 3. epigr. 78.

Minixiſti, Pauline, ſemel currente carinâ:
Mingere vis iterum: mox Palinurus eris.

Phædromus adoleſcens, *ab hilaritate*, i. τοῦ φαιδροῦ, non uſitatâ derivatione: vel ἀπὸ τοῦ δρόμου, potiùs, cum initiali ſyllaba *Phæ*, quaſi Φαίδρομος, non enim video, quæ hujus nominis alia ratio ſit. *Planeſium* ἀπὸ τῆς πλάνης uſitatè factum. *Cappadox*, gentili nomine dictus. *Curculio*, ridiculè vel de gutture, cujus illa eſt appellatio, propriè ea parte, quâ λάρυγξ eminet, quam in comedendo moveri cernimus: vel de vermiculis, qui in frumentis naſcuntur. In hoc nomine mutuatum etiam fuit *c* in *g*, ut *Gurgulio* fieret. *Lyco*, παρωνύμως à lupo, qui eſt λύκος. *Choragus* ſolebat ea præbere, quibus opus eſſet ad actionem Fabularum. penes hunc enim erat ſuppellex Scenica, & inſtrumentum Ludorum. *Therapontigonus*, ſicut Antigonus, περιπολύγονος. Poſtea fit etiam glorioſius nomen *Therapontigonoplatagidori*, cujus ſignificationes exquirere nihil attinet. Sunt tamen θεράποντος & γόνυ, & πλαταγίσματος, & δῶρον. *Camerarius.*

DRAMA-

DRAMATIS PERSONÆ.

PALINURUS servos.
PHÆDROMUS adolescens.
LENA anus.
PLANESIUM virgo.
CAPPADOX leno.
COQUUS.
CURCULIO parasitus.
LYCO trapezita.
CHORAGUS.
THERAPONTIGONUS miles.

ARGUMENTUM.

CURCULIO missus Phædromi it Cariam,
Ut petat argentum. ibi ille eludit annulo
Rivalem. scribit atque obsignat literas.
Cognoscit signum Lyco, ubi vidit, militis:
Ut amicam mittat, precium lenoni dedit.
Lyconem miles ac lenonem in jus rapit.
Ipsius sororem, quam peribat, repperit:
Oratu cujus Phædromo nuptum locat.

CURCULIO MISSUS PHÆDROMI IT CARIAM] Ita MSS. Cam. & Lang. & omn. Pall. & cusi ante Aldum. *Missus* autem ponitur pro legato: ut annotat Palat. tertius. *it* resolvendum in *iit*, sive *ibit*, ut duas statuat syllabas. Gruterus. At J.Gulielmius: *Curc. missu Phædromi it in Car. Missu, ut jussu, ductu &c.* Jam de illo, *it Cariam*, V. N. infrà act. 2. 3. v. 60. Sed hæc Caria quæ sit, aut ubi terrarum sita, quærit Camerarius, quò ille, undéque redire potuerit quatriduò. Nam in Cariam Joniæ, Epidauro navi veniendum fuit: neque tam brevis trajectus esse potuit. A Cæterùm hæc prima est Fabularum, quæ *Prologo* caret: qui quidem, ut externum requisitum, actioni Dramaticæ utplurimum solet præmitti. De quâ re, præter alios, Illustriss. & (ô rarum hodiè!) Erudinissimus Hassorum Princeps *MAURITIUS*, libri 2. cap. 8. *Poëtices methodicè conformatæ* tractavit. quam vide, Lector: & vel hinc ingenium Principis æstima. Quanquam illam, ut Ipse mihi dixit, cùm Tychobyrgi super hâc re sermo nobis esset, multo accuratiorem cum tempore daturus est. Fiat, fiat!

ACTUS I. SCENA I.

PALINURUS servus, PHÆDROMUS adolescens.

QUO ted hoc noctis dicam proficisci foras
Cum isthoc ornatu, cumque hac pompâ, Phædrome?
PH. Quò Venus Cupidoque imperat, suadetque Amor.
Si media nox est, sive est prima vespera:
Si status condictus cum hoste intercedit dies,
Tamen est eundum, quò imperant, ingratiis.
PA. At tandem tandem. PH. tandem es odiosus mihi.
PA. Istuc quidem nec bellum est, nec memorabile:

Unte

Tute tibi puer es lautus, luces cereum.
PH. Egon' apicularum operâ congestum non feram,
Ex dulci oriundum, melliculo dulci meo?
PA. Nam quò te dicam ego ire? PH. si tu me roges,
Dicam, ut scias. PA. si rogitem, quid respondeas?
PH. Hoc Æsculapi fanum est. PA. plus jam anno scio.
PH. Huic proximum illud ostium occlusissimum.
Salve: valuistin' usque, ostium occlusissimum?
PA. Caruitne febris te heri, vel nudiustertius?
Et heri cœnavistiné? PH. deridésne me?
PA. Quid tu ergo insane rogitas, valeátne ostium?
PH. Bellissimum hercle vidi, & taciturnissimum.
Nunquam ullum verbum muttit: cùm aperitur, tacet:
Cùm illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
PA. Nunquid tu, quod te aut genere indignum sit tuo
Facis, aut inceptas facinus facere, Phædrome?
Num tu pudicæ cuipiam insidias locas?
Aut quam pudicam oportet esse? PH. nemini.
Nec me ille sinit Juppiter. PA. ego item volo.
Ita tuum conferto amare semper, si sapis,
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
Semper curato ne sis intestabilis.
Quod amas, amato testibus præsentibus.
PH. Quid istuc est verbi? PA. cautè ut incedas viâ.
PH. Quin leno hic habitat. PA. nemo hinc prohibet nec vetat,
Quin quod palàm est venale, si argentum est, emas.
„NEMO IRE quenquam publicâ prohibet viâ.
„Dum ne per fundum septum facias semitam,
„Dum tete abstineas nuptâ, viduâ, virgine,
„Juventute, & pueris liberis; ama quid lubet.
PH. Lenonis hæ sunt ædes. PA. malè istis eveniat.
PH. Qui? PA. quia scelestam servitutem serviunt.
PH. Obloquere. PA. fiat maximè. PH. etiam taces?
PA. Nempe obloqui me jusseras. PH. at nunc veto.
Id uti occœpi dicere; ei ancillula est.
PA. Nempe huic lenoni, qui hîc habitat? PH. rectè tenes.
PA. Minus formidabo ne exedat. PH. odiosus es.
Eam volt meretricem facere: ea me deperit.
Ego autem cum illâ facere nolo mutuum.
PA. Quid ita? PH. quia proprium facio: amo pariter simul.
„PA. MALUS clandestinus est amor, damnum 'st merum.
PH. Est hercle ita ut tu dicis. PA. jámne ea fert jugum?

PH.Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit: niſi
Si eſt oſculando quippiam impudicior.
„ PA.Semper tu ſcito, FLAMMA fumo eſt proxima.
„ Fumo comburi nihil poteſt, flammâ poteſt.
„ QVI è NVCE nucleum eſſe volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pandit ſaltum ſaviis.
PH.At illa eſt pudica, neque dum cubitat cum viris.
PA.Credam, pudor ſi cuipiam Lenoni ſiet.
PH.Imo, ut illam cenſes? ut quæque illi occaſio eſt
Surripere ſe ad me, ubi ſavium oppegit, fugit.
Id eò fit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æſculapii fano. is me excruciat. PA.quid eſt?
PH.Aliàs me poſcit pro illâ triginta minas,
Aliàs talentum magnum. neque quicquam queo
Æqui bonique ab eo impetrare. PA.injurium eſt:
Qui, quod lenoni nulli ſit, id ab eo petas.
PH. Nunc hinc Paraſitum in Cariam miſi meum,
Petitum argentum à meo ſodali mutuum:
Quod ſi non affert, quò me vortam neſcio.
PA.Si deos ſalutas, dextrovorſum cenſeo.
PH.Nunc ara Veneris hæc eſt ante horunc fores.
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.
PA. Quid? an te pones Veneri à jentaculo?
PH. Me, te, atque hoſce omnes. PA.tum tu Venerem vomere vis?
PH.Cedò, puere, ſinum. PA.quid facturus? PH.jam ſcies.
Anus hîc ſolet cubitare cuſtos, janitrix,
Nomen ei eſt lena, multibiba atque merobiba.
PA.Quaſi tu lagenam dicas, ubi vinum ſolet
Chium eſſe. PH. quid opu'ſt verbis? vinoſiſſima eſt.
Eaque extemplò ubi vino has conſperſi fores,
De odore adeſſe me ſcit, aperit illicò.
PA. Eine hic cum vino ſinus fertur? PH.niſi nevis.
PA.Nolo herclè. nam iſtunc qui fert, afflictum velim.
Ego nobis afferri cenſui. PH. quin tu taces?
Si quid ſuper illi fuerit, id nobis ſat eſt.
„ PA. QVISNAM ISTIC fluvius eſt, quem non recipiat mare?
PH. Sequere hàc, Palinure, me ad fores: ſi mi obſequens.
PA.Ita faciam. PH.agite, bibite, feſtivæ fores,
Potate, fite mihi volentes propitiæ.
PA. Voltiſne olivas, aut pulpamentum, aut capparim?
PH.Exuſcitate voſtram huc cuſtodem mihi.
PA.Profundis vinum. quæ te res agitant? PH.ſine.

Viden'

Viden' ut aperiuntur ædes festivissimæ?
Num mutit? cardo est lepidus. PA. quin das savium.
PH. Tace: occultemus lumen & vocem. PA. licet.

HOC NOCTIS] Sic Edd. vett. & Pal. pr. ac sextus. nocte tam serâ. V. N. Amphit. 1:1. MS. Cam. & ceteri Pall. *hâc noctis*, quod Pareus in contextum rapuit, novitatis ergo.

2. ORNATU] cum cereo funali in manu, & cætero instrumento amatorum proprio. Est enim & amatorum ornatus, ut peregrinorum, nautarum, potorum. *L.* Pareus in Electis citat hunc locum, quo probet amatores amasse nocturnas grassationes. putidè. imò amatores Phædromo similes nihil minus amant.

10. POMPA] cum aliis servis, qui vinum & jentaculum Veneris gerunt. *L.*

2. PHÆDROME] Annotabo quædam non cuivis è vulgo nota, è Lect. Auson. *Jos. Scaligeri* l. 2. cap. 25. In Græcis, *inquit ille*, nominibus non quantitatē, sed accentum spectabant: quia (ut etiam Servius notat, in libello *De accentibus*) Latini eundem accentum, quem Græci habent, efferunt in Græcis nominibus. Verbi gratiâ, quia Græcis vox hæc εἴδωλα habet accentum in primâ, Latini eodem accentu extulêre *idola*. quæ quidem B vox semper est dactylus apud Prudentium. Græcis ὀρχήστρα: eodem accentu Latini semper extulerunt. propterea penultimam producit Sidonius, non quantitatem sed accentum Latinum secutus:

Orchestram quatit alter Euripidis.

Idem Græci dicunt Μαρσύας: propterea secundam producit idem:

Marsyaque timet manum ac rudentem.

Iidem Græci pronunciant Ἄρατος, nomen ejus, qui scripsit Φαινόμενα. Sidonius contra veterum Latinorum morem, qui mediam semper produxerunt, corripit: *Diversas Arato vias cucurrit.* Denique inspice totum Sidonium, totum Prudentium, & alios: invenies semper, eos non syllabas Græcas, sed accentum Græcorum esse secutos. Sic Ausonius in voce τρίγωνος facit: quia accentus non est in media, quæ longa est, propterea eam corripit: *Per totidem partes triganorum regula currit.* Quis audebit dicere, Ausoni- A um ignoratione Græcarum literarum hoc commisisse? nemo sanè quidē, ut puto. sed iis temporibus stultè videbatur non ibi producere syllabam, ubi accentus esset: quia is est mos linguæ Latinæ, adeò ut Plautus in hoc secutus sit judicium vulgi: quia nō cum doctis, sed cum plebe rem sibi esse videret. nam semper apud illum *Phædromus* est dactylus, qui Græci Φαίδρομος. item, quia Φίλιππος dicitur accentu in primâ, eodem modo mediam corripit. & nunquam aliter invenies apud Plautum, quin mediam in nomine *Philippus* corripuerit: quod mirum est in positione. Sed quærenti causam, accentum semper prætexet. Talia multa sunt apud Plautum, quæ studiosos per se, quàm operâ meâ cognoscere mâlim. Contra, ætate Plauti, ut in antiquitate syllabarum: sic & in declinationibus Latinismos admittebant. Dicebant n. *Nestôrem*, *Hectôrem*, quomodo *Rectorem*, *Mensôrem*, & similia. *Hæc Scaliger.*

3. QUO VENUS] Nonius: *Cupido & Amor idem significare videntur: sed est diversitas. Cupido enim inconsiderata est necessitatis: Amor judicii. Plautus in Curcul. discrevit, & vim ejusdē diversitatis expressit.* Bacchid. *Cupido te conficit, anne amor?* Afranius: *Amabit sapiens, cupient cæteri.* Cæterùm MSS. Langii & Camer. & Pall. quatuor & omn. Vett. edd. l. *Quò Venus cupido imperat.* quod probaret Gruterus, nec versum curaret, nisi obstaret auctoritas Marcelli, & alioquin *Cupidoq.* restat in Pal. sexto, castigatissimo codice: *cupido* autem dandi casus fuerit.

4. SI MED.] *Si* pro *sive*. V. N. Mercat. 2:2. Sponsionum (*inquit J. Guliel.*) & stipulationum formulas certis verbis concipiebant, & ferè ordiebantur à *si*, *sive*, *ni*, *nisi*. Plaut. Rud. 3:4. —*ergò dato &c. Si tuas esse oportet, nisi* &c. Et clarius etiam Pseud. 4:6. *Roga, me viginti minas, si illo hodie illā sit potitus,* &c. Ab hisdem formulis in communem usum loquendi receptum, ut *SI* interdum poneretur pro *SIVE*. Ennius: *Si vivimus, sive morimur.* Plautus: *Si media nox est,* &c.

5. STATVS] *Status dies vocatur, qui judicii causâ est constitutus cum hoste*, i. *peregrino. Eius enim generis ab antiquis Hostes appellabantur; quod erant pari jure cum populo Romano: atq; hostire ponebatur pro æquare.* Hæc Festus, hunc locum citans. V. N. Trin. act. 1. Sc. 2.

5. CONDICTVS] *Condicere*, inquiunt JC. *denunciare est priscâ linguâ*. L.

5. INTERCEDIT] Sub voce hac nescio quid reconditæ nationis lateat: & si mei arbitrii res sit, putem *ad Tribunicias intercessiones* allusum a Comico. *Dousa*.

7. TANDEM] sc. intelligo, te amare. *Vel dic*: At tandem desine insanire; ac resipisce. *L.*

9. LAVTVS] ita MS. Cam. *Lautos pueros*, inquit Palm. appellatos etiam, opinor, qui novæ nuptæ cereum lucerent: quòd antè nimis quàm lavarent. V. N. Mil. act. 3: 1. Jos. Scal. Conject. l. *daucus*. Primum enim, inquit, *daucus*: quod detritum ex δᾳδοῦχος, deinde *laucus*: ut *dautia, lautia: dacrimæ, lacrimæ*. Posset tamen non ineptè legi, *Tute tibi, puer es, lautus luces cereum*. Tu ille lautus & magnificus tibi δᾳδουχεῖς, neque puerum habes. Vel, Tute lotus ex balneo tibi facem gestas. Simile est, quanquam non idem, ἀυτολήκυθος, qui suam sibi lucernam præfert absque puero. Et forsan hæc posterior conjectura vera est. Sic Græcis eodem modo, ἀυτοκάβδαλοι, ἀυτόληπτοι, ἀυτοβαλανευον. *Hæc ille*. quæ Pareo, gerræ sunt. Similia habet Is. Casaub. Notis ad libr. 10. Athen. pag. 414. J. Gruterus, Suspicabar, *inquit*, innuere hic Palinurum idem quod Thrasonem Eunucho Ter. *Tute lepus es, & pulpamentum quæris*. Quorsum enim præcedat tam ambitiosè? *Istuc quidem nec bellum est, nec memorabile*. Jam, *cereum lucere*, quorum esset, facile odoror ex Tibulli Elegis. sed nec bonæ fuisse famæ δᾳδοῦχος, docet me Luciani Lexiphanes. torquet me tantùm illud, *lautum*: nec expedior. *Hæc ille*. quæ Pareo, nugæ sunt. Tandem Acidalius omnes ordine flagellat, qui non viderint, unâ distinctiunculâ rem planiss. fieri: *Tute tibi puer es: lautus luces cereum*. Q. d. Non decere, ut puer ipse sit Phædromus: & homo tam lautæ rei servimoniis in lucendo cereo fungatur, &c. & hoc Pareo Palladium est, cælo demissum. At Marcilius ad librum Persii quintum, inpro-

A bat hanc distinctionem, & vult carpi Phædromum, quia peccaret in ritus nuptiales. esse enim pueri patrimi & matrimi munus, non autem sponsi portare cereum: Deinde, inquit, ante sponsam cereus, non autem sponsum: quæ si Pareus legisset, jam etiam Acidalius, nugo esset: adeo ei is placet, qui postremo loquitur.

9. LVCES CEREVM] i. præfers tibi lucentem cereum: ut si, *lucem lucere*, diceremus. Sic, *prælucere bonam spem*, apud Cic. de Amic. erit, velut bonam spem prælucentem & præfulgentem gerere & ostendere: Turn. lib. 13: 7. Sic Casin. 1: 1. *lucebis novæ nuptæ facē*. Martial. lib. 12. epigr. 42. *Præluxere faces*: ut quidem J. Langlæus JC. hoc advocat.

10. APIC. OP: CONG.] Non tantum mel antiquis in deliciis, sed & *apum* jucunda & dulcis, ob mellificium, erat memoria. V. N. Pœn. 1: 2. Turneb. lib. 8: 8.

11. MELLICVLO] Planesio, amoribus meis: contra mentem Lambini: D.

15. OSTIVM OCCLVSISSIMVM] Ita Cam. è suo MS. Turnebus lib. 11. cap. 7. autore Festo, leg. *oculissimum*. i. carissimum: quod oculorum usu nihil carius, nihilque jucundius nobis sit. Cui adstipulatur & *H. Stephanus*, B in *De Plauti Latinitate*, item J. Dousa, qui perperam à Lambino *beuleissimum*, ob versum modulatiorem, legi adfirmat. Sed & Muret. Var. Lect. l. 16: 13. ipsum inprimis flagellat, quòd *oculissimum* ausus fuerit mutare in *oculeissimum*. Verùm enim verò, post Camerarium observavit etiam Gruterus, non solùm in MSS illis, inque V. C. nonnullis, sed in omnibus MSS. Palat. expressè legi *occlusissimum*: uno excepto, qui *occulissimum* præferat; deinde tamen mutatum: illudque versum, ait, postulare; non *oculissimum*. In meis, sola Brix. habet *oculissimum*: cæteræ omnes *occlulissimum*. quod ego quidem germanum omninò censeo: ob tam pertinacem vett. lib. consensum: & quia fores verè tales erant, h. e. *occlusissimæ*: & quia in Menæch. ab amicâ exclusus, simili formatione se *exclusissimum* lamentatur. nec nocent quæ ex Festo proferunt. ficta enim sunt. videatur modò editio Augustiniana: adeo enim ea mutila est, ut minimè appareat sententia Grammatici: certe citare ipsum scenæ hujus aliquid. nam *oculissimum* illud extat sane infra 1. 2. v. 25.

6. SAL.

16. SALVE. VALVISTIN' VSQVE OSTIVM] ita Muretus è cod. v. Et certè erat hæc consuetudo interrogandi eos, quos ex intervallo videbant: non, ut ita simpliciter dicerent, *Valuistin?* sed hoc modo: *Valuistin' usque?* aut *perpetuóne valuisti?* Sic Epidico: *quid agis? perpetuóne valuisti?* Bacchid. Senex de filio interrogat: *Benéne usque valuit?* Most. *Usque valuisti?*

17. CARVISTINE] J.C. Scal. lib. 6. Poet. sub finem notat, hanc formam esse nimis antiquam. Jam Muretus (lib. 6. cap. 13. Var.) illa omnia, quæ Dionysius hic affert, ἀπροσδιόνυσα judicat. Et, quoniam, inquit, homines ex febre aut ex longo jejunio delirare interdum, & mentis errore adfici solent, idcircò interrogat iterum servus, caruerítne febre proximum biduum, & num vespere cœnaverit? Videbatur enim ei delirare, qui talibus verbis ostio blandiretur. Itaque tantundem tribus verbis dicere poterat: *Satin' sanus es?* quæ & S. Ulr. Pistoris diu ante Mureti hoc postumum Augustæ editum, planissime ita explicavit. Porrò & in Cic. lib. 7. Fam. legitur, *quia febrim non haberem*: & ad Tiron. *ut nunciabis te planè febri carere*. item ad Att. *quartanâ carere*: &, *quartanam decessisse, &c.* Vide 1. Tuscul. Cic. & H. Stephani *De Lat. susp.* At enim Palm. hîc l. *Ingens febris te* pro, corripuit, percepit: ut Persâ 1:2.

17. HERI] ita Cam. & Lamb. MSS. al. *here*. V. N. Mil. 1:1.

20. TACITVRNIS] votum amatorum, qui difficiles sectantur Veneres, ut januæ sine stridore pateant. Tibullus. lib. 1:2. *Nec furtim verso cardine aperta fores*. L.

21. MVTTIT] Tibul. 1. El. 6: *cardine tunc tacito vertere posse fores*. Proper. 1. el. 16. *nunquam Respondes tacitus mutua cardinibus*. Fabius declam. 1. *Tu non cogitas quemadmodum suspensa manu sonantem blandè cardinem flectat*. Passerat. Pall. & Edd. vett. *mittit*.

26. AVT QVAM] etiamsi non sit. Virgo-FVIT.

27. SINIT] ita MS. Cam. *sinit*, pro *sinat*, antiquâ formâ verbi: ita Virgil. in Ceiri: *quod nec sinit Adrastia!* Sic apud Horat. *edit*, pro *edat*. Atque hoc etiam *Grutero* placet: cum ita omnes MSS. legant. At J. Gul. è Lang. MS. & Muretus Var. lib. 6:13. leg. *sirit*, pro *siverit*.

5. EGO ITPEAI VOLO] Hoc eo sumitur intellectu, quo Trin. 2:4. *Py sunt nimium vestra consilia*. I.E. *Ita volo*. Nec secius Cicero lib. 15. Epist. Fam. *Eum honorem tibi deos fortunare volo*. Turnebus & Gruterus.

28. TVVM TE AMARE] ita MS. Cam. quod amplexi sunt & Lamb. & Douza. *tuum amare*, i. tuas amationes. Sic Græcis τὸ ἐρᾶν, pro τὸ ἔρως, &c. Sic Plaut. Bacch. *hic vereri perdidit*, i. τὸ αἰδεῖσθαι, τὴν αἰδῶ, pudorem. Lucret. 4. *meminisse iacet*, i. memoria. Muretus in suis Codd. legi ait, *amorem*: ut & in omnibus meis. Sed rectè pro glossa alterius habet Grut.

29. TIBI SIT PROBRO] Facit huc Horatianum 1. Od. 27. ——— *quæ te cunque domat Venus, Non erubescendis adurit Ignibus, ingenuoque semper Amore peccas*. Torrent.

30. INTESTABILIS] Jocus ex ambiguo. nam constat, sæpe *partes*, ut vocabant, *necessarias* ferro demessas esse istis, qui Venerem legibus vetitam sectarentur. Vide N. Mil. extremæ, item Langlæi *Otium Semest*. lib. 8. cap. 7.

31. AMATO] MS. & omn. Edd. v. *ama*.

31. TESTIB. PRÆSENTIBVS] Etiam hoc ambiguè dictum. Sic in Phallicis, *Magnis testibus ista res agetur*. superiora tamen satis evincunt quid velit. Passeratius nihilominus videtur adstringere ad amorem conjugalem, dum comparat cum Catulliano: *Bona te Venus juverit, quoniam palam quod cupis capis, & bonum non abscondis amorem*.

32. CAVE IS INCED.] In V. C. Mureti est, *cautè ut incedas via*.

33. HINC] Est in vett. edd. omnibus, *hinc*: ut & in MS. Frising. & Mureti. Nemo, *inquit*, prohibet te amare *hinc*, i. à lenone: nec vetat, quin emas, quod palàm venale est. V. C. *hoc*. sed alterum restat in Pall. cunctis, nisi quod sextus, *hanc*.

33. PROHIBET] *Prohibere* est avertere & impedire, ne quid fiat: unde *Prohibitoria edicta* Prætorum. *Vetare* est dictis resistere.

35. PVBLICA VIA] τῇ λεωφόρῳ. Lucret. 4. *Volgivagâque vagus Venere ante recentia cures, &c.*

Notat Grut. Artemidorum *lupanar* hinc vocare *locum publicum*, lib. 1. cap. 80. ac hujus rei infinita colligit in *Susp.* Videatur etiam Passeratius ad illud Propertii: *Nec tibi nobis vacui ter faciamus iter*. Pareus, ne communis incedat via, loco *prohibet*, edidit *vetat*, omnibus libris vetantibus.

36. FVNDVM] Agricolationis vocabula ad rem voluptatum crebro translata, dictum Asin. act. 5:2. Vide & Palm. Spicil. p.202. ubi locum Terentii contra Muretum explicat, huncque obiter attingit.

36. SEPTVM] Continuat allegoriam. Qui verò sepiantur legum autoritate, ipse hic recenset.

38. IVVEN. ET PVERIS LIB.] ita omn. fere vet. libri. alii, *Juv. pueris, lib.* quomodo & Pal. sext. nam sec. *& paucis liberis.*

39. MALE ISTIS EVENIAT] Muretus legit; *evenat.* V.N. Capt. act.2:2.

41. OBLOQVERE] ambiguum. Phædromus accipit ut Indicativum, pro *obloqueris:* Servus ut Imperativum, quasi obloqui jubeatur. L.

43. ID VTI OCC.] J. Gul. è Samb. V.C. conjicit: *Inde ut jam occ.* Acidal. legit: *Ita uti jam occepi dicere: ey anc.* quomodò ferè & Lamb. olim. Sic enim, inquit, de integro ordiuntur interruptam narrationem pertexturi. Pœn. act. 2:1. *Ita ut occepi dicere, Lenulle, &c.* Sticho: *Ita uti occepi narrare vobis, &c.*

45. MINVS FORMIDABO NE EXEDAT] ita Gruterus hunc locum, fidejubentibus MSS. Cam.& Lang. restituit; cum hâc notâ: Phædromus inquiebat, ei ancilla est: quærit servus, cui? an lenoni? subjicit dominus; *rectè tenes.* quod aliò torquens servus, infert: Si rectè teneo ancillam, minus metuam, ne eam exedat leno. *Tenere*, rei Venereæ accommodavit, ut & *exedere.* de quo omnium apertissimè Apul. lib. 8. Met. *Sed postquam non cervam pro virgine, sed asinum pro homine succidaneum videre, nare detortâ, magistrum suum variè cavillantur: non enim servum, sed maritum illum scilicet sibi perduxisse. Et heus, ajunt, cave, ne solus exedas tam bellum scilicet pullulum; sed nobis quoque tuis palumbulis nonnunquam impertias.* Lambini declamationem non itero: cùm præsertim Muretus ea, ut nimis multa, ut flagitiosa, ut inepta prorsus & aliena, atque etiam homine sexagenario, uxorem & liberos habente indigna clamitet: & jocum hunc totum in verbo *EST* consistere pronunciet. Nam, *inquit*, cum adolescens dixisset, *ei ancillula est:* cavillans servus, quasi verbum *EST* non à verbo *SUM*, sed ab *Edo* ductum esset: metuere se ait, ne non edat tantùm, sed etiam exedat. MS. Pallat. tert. l. *Nimis formido, ne excadat:* cæteri, *Nimis formidabo, ne exedat.* At Lipsius Antiq. Lect. l. 1:21. *Nimis formido ne excidat,* cum enim herus diceret, *Rectè tenes:* Servus ludificans in verbo *tenendi*, Nimirum, inquit, metuo, ne elabatur. J. Gul. è Lang. l. *Minus formidabo, ne excidat;* concinnâ (ut ait) sententiâ. Dixerat Phædromus; *rectè tenes:* hoc aliò torquens servus, Si ita est, *inquit*, ut dicis, non erit periculum, ne excidere de manibus possit: utpote quod firmiter & strenuè prehenderim. Non dissimile est apud Cicer. pro Sestio, *Rem manibus tenere*, de eo, quod ita statutum deliberatumque habeas, ut id eripi tibi non passurus sis. Colvius l. *Nimis formido, ne exedat;* scil. leno te lautum puerum.

47. FAC. NOLO MVTVVM] Sim. Ulr. Pistoris, Ineptit, inquit, Lambinus. Vide an aliquid lucis adferat locus Ciceronis lib.5.ep. Fam. 2. *Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio: equidem hoc arbitror, cum par voluntas accipitur & redditur.* Omne acumen in eo consistit, quòd, qui mutuum facit, ab alio prius acceperit: nec de suo det. Negat ergò adolescens, se ideò amare Planesium, quòd ipsa eum amet: sed suum proprium amorem ultro se eò contulisse. *Hæc ille.* Quin & Fr. Hotoman. lib.3.Instit.comment. locum Plauti ex hoc Ciceronis illustrat. Rittershusius ad illa Queroli Sc.6. *Furta omnes* (amantes) *facimus: fraudem tamen nemo patitur: quoniam totum hoc mutuum est;* notat: id est, quod acceptum est, reddimus, nec proprium facimus, sed alienum semper remanet, &c.

50. FERT IVGVM] Est, quod inferius dicit; *cubátne cum viris?* Horatius 2. Od. 5. simili utitur, in re tali, metaphorâ. Ita *jugum Veneris* dicit matrimonium Oppian. Hal. lib.4. Servius & Isiod. memorant, jugum dicis caussâ imponi consuevisse sponsis, ut societatis individuæ admonerentur hoc symbolo. Et *Junonis Juga* nomen inde esse, monet Rittershusius. Græcis est κόρη νεόδμητος recens domita, ἡ νεοδάμαστος. νεόζυγος, nova nupta. ἄζυγας γάμων, nuptiale jugum nondum expertæ.

51. A ME] quod ad me attinet.

51. PVDE-

51. PUDICA EST] *Pudicas* virgines vocabant, quarum nemo pudicitiam delibasset: *Muretus*. Et Scaliger ad illud in Priap. *Licebit ipsâ sis pudicior Vestâ*, notat: *Pudica matrona*, quæ marito contenta est. at hic *pudica*, quæ omninò virum ignorat. Plaut. *Tam à me, &c.* Et *signatam virginem* in eum sensum dixit Lucilius illæsam, inviolatam. Terentius *integram à viro*. cui respondet contrarium, *imminuta virgo*. *Imminuere virginem*, διαπαρθενεύειν. Apulejus: *Coràm virginem imminuisse parum constantiæ*. Et Plautus, *imminuere pudorem*. Utitur & Arnobius. *Hæc Scaliger*.

51. QUASI SOR.] Sic MS. Cam. & Edd. vett. bene. At H. Steph. l. *quàm si*. atque ita quidem sex Pall. nec improbandum, tanquam minus Latinum; sed tanquam tale, quod Plauto obtrudi non debeat. *Gruterus*.

52. OSCUL. QUIPPIAM] Acidal. l. *quipiam*, casu auferendi.

53. FLAMMA FUMO] Significat, osculis concubitum esse proximum. L.

55. NUCL. ESSE V.] Meursius in Not. ad Caton. c. 119. legit: *Qui è nuce nucleum ejicere vult, frangat nucem*: probatque autoritate Catonis, qui *Nucleos eycito* dixit: simulque refutat Isacium, qui *itere* emendabat è cod. Angl. in quo *ejicere*.

55. FRANGIT NUCEM] Vide Adag. item Fr. Hotom. Observat. ad veter. ritus nuptiarum, cap. 11. Ovidius:

Oscula qui sumsit, si non & cætera sumsit,
Hoc quoque, quod sumsit, perdere dignus erit.

Quæsitum est, *Utrum ea, quæ osculum præbuit, dotem amittat. Oscula* certè *adulterii præmium* existimarunt: eaque *libidinis quadam antecœnia* Angelus JC. vocat. Huc & vers. pertinent ab Accursio & Hostiensi olim usurpati:

Visus & Alloquium, Tactus, post Oscula Factum:
Ni fugias tactus, vix evitabitur actus.

56. QUI VOLT] ἐπεξήγησις præcedentium. Vide mihi Alberic. Gentilem lib. 7. cap. 9. de Nupt.

56. PANDIT SALTUM SAVIIS] ita Palmer. è MSS. Langii. neque sententia patitur aliud. Qui, *inquit*, nucleum esse vult, frangit nucem: ita, qui potiri muliere, saviando aperit saltum. Et, *pandendi* verbum ita propriè. Gruterus; In MS. Cam. planè est, *pandit saltum saviis*: cùm in hactenus excusis leg. *pangit saltem suavium*, nimis illepidè. certe contra Pall. in quibus omnibus *pandit saltem*: nisi quod sec. *prandit*. etiam Lang. *pandit saltum suaviis*. *Saltus* ita etiam usurpatur Casinâ act. 5: 2. *Ubi illum saltum video obseptum, rogo, ut alterò sinat ire*. qui locus huic unicè est interpretando. Nam ut arvum illud muliebre *Hortum* vocabant: ita & *Saltum*. Vide etiam N. Amph. 1: 2.

59. IMO, UT ILLAM CENSES?] ita Gruterus legit & disting. suasu MSS. Camerarii & Pallat. nec non olim cus. Similè ferè ei, quod habemus Trin. 3: 3. *Dici tempus non vides? quid illum putas? Naturâ illâ atque ingenio, jam dudum ebriust*. ita enim distinguendum vett. codd. suasu. Etiam Acidalius vulgatum dilaudat: *Imò, ut illam censes?* & confert illud Bacchid. act. 2: 2. ita emendatum: PI. *Imò ut eam credis?* Formulam, *inquit*, est mirum aliquid & inopinatum de aliquo narrare parantium. Bacchid. ergò valet, Quomodo Bacchidem erga Mnesilochum esse credis? Curculione; Qui Planesium affectum, & quid facere censes? quasi dicat utrobiq;, Vix fidem mihi habiturus es de eo, quod verè sum dicturus. Docti viri in his ineptè falsi sunt. Adumbratam similitudinem habet illud Ter. Andr. act. 5. sc. 2. *CH. Quid illum censes? cum illa litigat &c.* item Adelph. act. 4: 5. *quid ajunt? MI. quid illas censes? nihil*. Multò similius hoc Mercat. act. 2: 3. ——*quemadmodum existimet me?* Lamb. *Imò quid censes?* ineptè.

60. SUAV. OPPEGIT] ori meo contra affixit. L. Pangenti suavium, oppingitur suavium. Passerat.

61. ID EO FIT, QUIA] Pronunciandum, *qüia*, τετρασυλλάβως, ut Capt. 3: 5. *Qui per virtutem perit, non interit*: ubi *Qui* δισυλλάβως. Cam.

62. ÆSCUL. FANO] Qui à diis aliquid petere cogitabant, cubabant in eorum, quorum ope indigebant, fanis: tanquam responsa ab iis vel vigilantes vel in somnis accepturi. Notat Servius ad illud Virgil. 7. Æn.

——*cæsarum ovium sub nocte silenti*
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.

Sic igitur ægroti in templo Æsculapii incubabant, ad remedia per somnium accipienda. de quâ ἐγκοιμήσει Turn. lib. 11: 7.

65. INTE-

65. INIVRIVM] Cam. edidit, *injurin's*, i. injurius es: *συνωνυμῶς*. Tamen in MS. Camer. *injurium est, Qui quod len.* Sed prius videtur fuisse, *Quid, quod.* quomodo extat in omnibus Pall. item in olim-cusis: nisi quod Pii, *injurium est. Quid? quod.* nam alii: *injurium est. PH. Quid? PA. quod &c.* forsan non malè. certè sententiâ clariore. *Hæc Grut.*

66. ID AD] sc. Æquum & Bonum. L.

70. DEXTROVORSVM] Nam in salutandis & precandis diis dextrovorsum se vertere solebant: Turnebus lib.1. cap.17. & lib.21: 23. Vide Plin. lib. 28: 2. Plutarch. in Numa & Camillo, Lucret. lib.5. Ovid.3. Fast. Propert. l. el.16. v.43. Suet. Vitell. cap.2. Stat. 5. Theb. & inprimis P. Pithœi Adversar. l.1:7. Hinc festivè in verbo *vertere* ex ambiguo hic ludit Palinurus. Vide & B. Brisson. Form. lib.1. Jam *salutare* dixit pro *adorare*, sive *venerari*: ut in Phorm. *Salutare Solem orientem.* Et apud Tacit. *adorare vulgum*, pro salutare: & apud Afran. *Adorare suaviter*: quia *salutare* & *adorare* eadem. *Palm.* Spicil.

71. HORVM] lenonis, lenæ, & puellæ. L.

72. VEN. VOVI I. IENT.] Vovi, me Veneri primâ luce sacra facturum, quo tempore jentacula venduntur; ut Martialis canit:
Surgite, jam vendit pueris jentacula pistor:
Cristatæque sonant undique lucis aves.
Vel: vovi, me ante omnes sacra Veneri facturum, quæ sint ei pro jentaculo. *Lamb.* & *Bosius.* H. Mercurialis Var. lib.4. cap.17. Notum est, inquit, à Latinis autoribus, pueros ferè solos jentaculo usos: perinde ut hodie ubique ferè gentium hoc usurpatum est, ut pueri summo mane semper aliquid cibi capiant. Ea propter in Curc. Plautus facit Phædromum adolescentulum Veneri jentaculum vovere, &c.

73. VENERI à IENTACVLO?] ita cusi & Pall. omnes teste Grutero. Turnebus lib. 11: 7. l. *Venerio, jentaculo?* Lamb. *Veneri pro jentaculo?* V.N. Men.2: 2. Sim. Ulc. Pistoris, Interpretatio, inquit, Lambini nimis coacta: videntur potius illa, *Me te atque hos omnes,* verba esse delirantis amatoris: qualis in totâ hac scenâ fingitur Phædromus. Verùm J. Isac. Pontanus ex cod. Angl. germanum, ut ait, sanumque verum eruit hoc modo: *Quid? an te pones Veneri jentaculo?* Dixerat antè

A Phædromus: *Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.* Palinurus excitatus novitate dicti, Quid, inquit, an temet Veneri dabis in jentaculum? & applicant joculariter statim: *PHÆ. Me te, atque hos omnes. PA. tum tu Venerem vomere vis?* Passeratius ad lib. 4. el. 2. Propert. *Libatum agricolæ ponitur ante Deo,* producit, *Quid ante pones Veneri in jentaculo?*

74. VOMERE] Cogetur enim nos revomere. L.D.

75. SINVM] Vasis genus sinuosum: primâ productâ. V. N. Rud. 5: 2. & Turneb. l. 1: 16.

75. PVERE] *Vir doctus* è libris obsoletis l. *pure.* Lucret. 4.
Puri sæpe locum propter se ac dolia curta, &c.
inde & dimin. *pullus.* scribitque Censorinus ex Varr. *primo gradu usque ad annum XV. pueros esse dictos, quod puri sint atque impuberes.* Mea Ven. & Parisina l. *pure.*

78. QVASI TV LAGÆNAM] Alludit ad id, quòd Latini scriptores solebant corpus humanum appellare *utrem* & *follem*. Arnob. l.2. Lucil. alii, *corticem.* Varro, *Sic invitata anima corporeum corticem facilè relinquit:* vel

B *saccum*, ut Seneca Epist. 78. Eleganter etiam Græci de homine, qui se cibo vinoque ingurgitet; *Est merus ἀσκός* & *merus θύλακος.* Isocrates quoque, & ex eo Theophylactus θύλακον δέρμα τινὸς, & ἀσκὸν πώλητον vocant hominem. addit Gruterus ex Vopisci Bonoso: *Laqueo vitam finivit. tum quidem jocus extitit, Amphoram pendere, non hominem.*

83. CHIVM] Jocatur ex eo, quòd, cùm vino Græco ferè aqua maris admixta esset, Chio tamen non addebatur, sed meracum erat. Horat. 2. Sat. 8. *Alcon Chium maris expers:* Turneb. lib. 11:7. & lib. 20: 34.

AFFLICTVM] ad terram datum. V. N. Aul. 4: 3.

86. ISTIC FL. V.] cum mari anum; cum fluvio vinum comparat. Vide Lucret. lib. 6. Lucan. lib. 5. v. 355.

87. FI] Horat. 2. Sat. 5.
——si cognitor ipse.

88. BIBITE F.] Morem hunc amantium fuisse spargendi mero, & ornandi floribus amicarum fores, notat Muretus ad Tibull. Vide & Lips. Epist. Quæst. lib. 4: 22. & infrà, act. 1: 3. & Marcil. ad 5. Persii Sat.

89. VOLEN-

89. VOLENTES PROPITII] hoc non pertractatè dictum, sed ex religione priscâ, & communi sacrificantium formulâ petitum. Exemplo fuerint concepta illa & solemnia precationum verba apud Catonem: *Mars pater, te precor quæsoque, uti sies volens propitius mihi, domo, familiæque nostræ, &c.* Dousa: cujus *Succidanea* vide ad Horat. A

90. VULTISNE OLIV.] urbanè herum ridet. Muretus l. *Vultisne olivas? pulpamentum? capparin?* ut sit Senarius.

90. PULPAMENTUM] V. N. Sticho act. 5: 4. Scaliger ad oram libri adscripsit *pulmentum*, benè ad versum. nisi Camerario obsecuti pronunciemus, *olivas*, quasi *oleas*, aut *διασυλλαβῶς*: quod verius videtur.

90. CAPPARIN] Vide Dioscor. lib. 2. cap. 204.

94. NUM MUTTIT? CARDO] ita MSS. Cam. & Lang.

94. QUIN DAS] Cardini.

ACTUS I. SCENA II.

LENA anus, PHÆDROMUS adolescens, PALINURUS servus.

FLOS veteris vini meis naribus objectus est.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi ubi est, propè me est. evax habeo. Salve anime mi,
Liberi lepos. ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentûm odor præ tuo, nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocinum & casia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed quum adhuc naso odos obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum. ubi est ipsus? ipsum expeto
Tangere! invergere in me liquores tuos
Sino ductim. sed hàc abiit, hàc persequar.
PH. Sitit hæc anus. PA. quantillum sitit? PH. modica est,
Capit quadrantal. PA. pol, ut tu prædicas,
Vindemia hæc huic anui non satis est soli.
Canem esse hanc quidem magis par fuit: sagax
Nasum habet. AN. amabo, cuja vox sonat procul?
PH. Censeo hanc appellandam anum. adibo. redi,
Et respice huc ad me, lena. AN. imperator quis est?
PH. Vini pollens, lepidus Liber,
Tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ
Affert potionem, & te sedatum it.
AN. Quàm longè à me abest? PH. lumen hoc vide.
AN. Grandiorem gradum ergo fac ad me, obsecro.
PH. Salve. AN. egon' salva sim, quæ siti sicca sum?
PH. At jam bibes. AN. diu fit. PH. hem tibi anus lepida.
AN. Salve oculissime homo. PA. age effunde hoc citò

In barathrum: properè prolue cloacam. PH. tace,
Nolo huic maledici. PA. faciam igitur malè potiùs.
AN. Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo,
Haud lubenter. nam tibi amantes propinantes,
Vinum potantes dant omnes: mihi haud sæpè
Eveniunt tales hæreditates. PA. hoc vide ut
Ingurgitat impura in se merum avariter,
Faucibus plenis! PH. perij hercle: huic quid primùm dicam?
Nescio. PA. hem istuc, quod mihi dixti. PH. quid id est?
PA. Perijsse ut te dicas. PH. malè tibi dî faciant!
PA. Dic isti. AN. ah! PA. quid est? ecquid lubet? AN. lubet.
PA. Etiam mihi quoque stimulo fodere lubet te.
PH. Tace, noli. PA. taceo. ecce autem bibit arcus. pluet
Credo hercle hodie. PH. jámne ego huic dico? PA. quid dices?
PH. Me perijsse. PA. agè dice. PH. anus audi. hoc volo
Scire te, perditus sum miser. AN. at pol ego oppidò
Servata. sed quid est, quid lubet perditum
Dicere te esse? PH. quia id, quod amo, careo.
AN. Phædrome mi, ne plora, amabo. tu me
Curato ne sitiam, ego tibi, quod amas, jam huc adducam.
PH. Tibi næ ego, si fidem servas mecum,
Vineam pro aureâ statuâ statuam, quæ tuo
Gutturi sit monimentum. qui me in terrâ æquè
Fortunatus erit, si illa ad me bitet,
Palinure? PA. edepol, QVI AMAT, si eget, miserâ afficitur
Ærumnâ. PH. non ita res est. nam confido
Parasitum hodie adventurum cum argento ad me.
PA. Magnum inceptas, si id exspectas, quod nusquam 'st.
PH. Quid si adeam ad fores, atque occentem? PA. si lubet,
Neque veto, neque jubeo: quando ego te video
Immutatis moribus esse, here, atque ingenio.
PH. Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obsecro,
Gerite amanti mihi morem amœnissimi:
Fite caussâ meâ Lydi barbari,
Suffilite obsecro, & mittite istanc foràs,
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc vide ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec meâ gratiâ commovent se ocjùs.
Respicio nihili meam vos gratiam facere.
Sed tace, tace. PA. taceo hercle. quid est? PH. sentio sonitum.
Tandem edepol mihi morigeri pessuli fiunt.

ELOS.

FLOS V. VINI] ἀνϑοσμίας οἶνος: ut & apud Lucret. *Bacchi flos*, odor est & fragrantia vini. Sic Cistell. 1:2. *ubi linguam percussit flore Liberi*, i. optimo vino: nam tale est jucundissimi odoris. V. N. ibidem. *Flos vini* aliàs etiam dicitur, cùm vinum in summo tenuem quandam habet spumam, &c. *Camer.* & *Turneb.* lib. 29:34. Ita legitur & apud Lucret. *Flos nardi*, pro nardi odore suavissimo: *Flos ævi*, vel *ætatis*, qui Terentio *vigor* est, ἀκμή. *Flos flammæ*; item, *florentia lumina flammis*, *&c.* de quibus Gifanius. Cato: *inde flos salis fiet*, i. salis pars optima, vel candidissimum sal. Ita eleganter *florem cœnæ* dixit delicatissimam cœnam seu delitias, Agellius lib. 15. cap. 8. V. N. Persâ, 1:3. item Scalig. ad Propert. lib. 4. el. 2. Proverb. est apud Lucill. *Anus ad armillum*, id est, vas vinarium. de quo Festus: item Casaubon. ad Athenæum lib. 11. cap. 5. Vide Phædrum Fab. *Anus ad amphoram*: & Prov. *Boni vini etiam feces bona sunt.* Denique Heinsius ad 13. Silii *Bacchique & lactis honorem*, docet, *florem vini veteris*, hîc simpliciter esse vinum vetus: & *florem*, ut apud Græcos ἄνϑος, sæpe vacare. ita Eurip. ἄνϑος ἥβης. &c. Cum quo & *Modius* facit Notis ad Justin. lib. 1. & rectè. Vide etiam L. Bisciolam l. 6:18.

V. 2. AMOS] antiquè; ut *colos*, *vapos*, *nidos*, *&c.* sed MS. Cam. l. *amor*. Censet Acidal. hâc unâ de causâ Plautum dixisse *amos*, *odos*, *lepos*; ut exprimeret sermonem anûs blæsulæ.

2. PROLICIT] Scaliger ad illud Propert. l. 4:7. ——*pallida vina bibi*, notat: Ita *vinum inferium* vocat, quod Gr. χοάς: Euripid. νεκρῶν ἀγωγὰς. Vini enim illius odore putabant elici animas ad bibendum, ut illa bibula anus Plautina facit, cujus nares flos meracli Libyci percutit.

4. LIBERI LEPOS] Bacchi suavitas. Elegantes & suaves sunt versiculi, digni cyathis & poculis non modò libris inscribi: de moderato vini usu, Varronis:

Vino nihil jucundius quicquam cluet.
(Gifan. l. *vino nihil j. quicquam bibit.*)
Hoc continet coagulum convivia.
Hoc hilaritatis dulce seminarium:
Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt.

Ita Aristoph. apud Athenæum, *Vinum lac Veneris* appellat. Jul. Cæs. Scalig. *animam convi-*

A *viorum*. Apulejo etiam dicitur *Liber Veneris hortator & armiger*.

4. VETERIS VETUSTI] *Vetus*, quod habet ætatem: *Vetustum*, quod hominum memoriam etiam excedit. Franci mei de vino veterrimo: Es ist ein alter alter Wein!

NAUTEA] MSS. Cam. & Sarraceni, item Edd. Med. & Paris. *nausea*. V. N. Asin. act. 5:2.

6. STACTE] στακτὴ, Theophr. latex oleûmve è cinnamomo & myrrhâ incisâ sudans.

6. CINNAMOM.] κιννάμωμον, aroma fragrantissimum: cujus in locum successit nobis Casia: *H. Jun.* Vulg. edit. l. *cinamum*. MS. Cam. & tres Pall. *cinnamum*: Grut.

7. CROCINUM] ita J. Guliel. è Lang. *Crocinum* est croci unguentum, ut ab amaraco *amaracinum*. lib. 3. el. 10. Propert: *Et crocino nares murreus ungat onyx.* Etiam MSS. Cam. & omnes Pall. *crocinum* leg. neq; aliter laudat ad Umbrum illum poëtam Passeratius.

7. CASIA] κασσία σύριγξ, Galenus. Zimetrinde.

B 7. BDELLIUM] Vide Plin. lib. 12:9. & Comment. ejusdem Jac. Dalechampium: qui accensum bdellium unguis odorati modo olere ait. Colerus cum Rob. Titio quidem *bdellium* reprobat: *megalion* tamen, quod ille substituit, minimè admittit. edd. vett. *petalium*. Pall. & Langg. *ptellium &c.* hinc emendat, *telinum*. Unguenti genus celeberrimum hoc fuisse docet Plinius lib. 13. c. 1. Isid. lib. 4. cap. 12. *Unguenta autem quædam dicuntur à locis, ut telinum. cujus J. Cæsar meminit, dicens: Corpus suavi telino unguimus &c.* Tertull. de Pallio: *quod apud Omphalon balsamo aut telino spero factum.* quæ omnia etiam *Gifanio* se probasse ait Colerus. In MS. Cam. est, *telinum*: ad oram leg. *pdellium*.

9. OBSEC. ES] ita Douza; *es*, quomodo in sec. Pal. & Ald. legi, & sibi placere *Grut.* notat. Pareus *subsecutus* nobis ingessit utraque editione; & ut figmento suo auctoritatem induat, persuadere nititur, sic comparere in Pal. sec. tert. quar. quinto: asseritq; probius esse altero. De probitate, non est quod ipse aliquid cuiquam præscribat. at Palatinos sic eum traducere, non est profecto

valde bellum. nam primùm Palatinus quintus desiit in captivis; comœdiæq; hujus nullam habet literam. deinde quinque cęteri, omnes disertè præferunt *obsecutus est*, præter sec. in quo *es.* hoc est testari fidelissimam suam *ἀυτοψίαν*? phy!

11. N. AGO TECVM] sc. ὁ odor. nihil te moror: nisi & vinum bibam.

11. IPSVS?] flos Liberi.

12. INVERGERE] i. infundere. Virg. 6. Æn. v. 244. ——*frontiq; invergit vina sacerdos*, i. deorsum fundit. de quo Servius. Diomedes, *sensim illabi & influere*, exponit. ita Ovid. 7. Met.

Tum super invergens liquidi carchesia vini,
Alterumque invergens tepidi carchesia lactis.

Gutherius lib. 4. cap. 8. de jure Pontificio, vult peritè heic docere aniculam capularem, *invergere* proprium esse inferorum Deorum, ubi agitur de cor. sacris.

13. SINO] i. e sino. Douza malit legere: ——*invergere* (vel, *invergier*) *in me liquores tuos sine ductim.* ut sit anilis apostrophe ad lepidiss. illum Liberi florem: quod videas apertè in Pareana utraque: & ita quidem tanquam ei lectioni adstipuletur & V.C. & Pall. Quid dicam? nullus ex illis sic habet. *sino* extat in singulis.

13. DVCTIM] adverb. hoc Prisc. interpretatus est *ἀπνευστί*, quod significat in bibendo aviditatem & copiam: *Cam.*

14. QVANTILLVM SITIT?] ita MSS. Cam. & Pall. & Lang. edd. priores *quantulum.*

15. QVADRANTAL.] *Quadrantal*, vas pedis quadrati, octo & quadraginta capit sextarios: *amphora* Græcis: *Festus.*

16. VINDEMIA] hæc vini copia. L.

17. SAGAX NASVM] *Nasum* genere neutro observat etiam Nonius. Ita Menæch. act. 1: 2. *Spurcatur nasum odore.* Jam, canes naturâ sagaces sunt. Virg.

——*odora canum vis.*

Livius Andron. *Odorisequi canes, &c.*

20. QVIS EST?] Pall. ferè & edd. primæ, *es*, non *est.* bene: nisi obstaret infrà v. 24.

21. VINI POLL.] vini copiâ instructus, sc. Bacchus ipse. Sic Licinius Calvus apud Serv. 2. Æn. & Macrob. 3: 8. *Pollentemque deum Venerem.* sic enim ibi Douza legit, ἀντὶ τῦ *deorum.* ut illa, *pollens animi, opum &c.* Et

A *polleo* est à Gr. πολλός. unde *pollex* digitus, quòd præ cæteris polleat usû & viribus &c. Seneca Thyeste: *pollens incliti Pelopis domus.* V.C. vacuum habet literarum octo, initio versus hujus.

22. SICCÆ] V. N. Mil. act. 3: 1.

23. ET TE SEDATVM IT] ita clarè non modò Parilinus, sed edd. vett. omnes. ut velit: affertur, quod te screatu, siccitate & insomniâ liberet. certè, *sitim* in nullo Pall. conspicitur, & ad MS. Cam. alienâ manu adnexum est. MSS. tamen iidem non agnoscunt, *te.*

25. AN. GRANDIOREM] ita personas ordinant Brix. & Bas. aptè. immò ita MS. Cam.

27. HEM] ita MSS. Cam. & omnes Pall. Ne igitur admittatur Lambini, *en tibi.* Grut.

28. OCVLISS.] Muretus ad versum Catulli:

Ambobus mihi quæ carior est oculis,

notat: Oculorum sensus nobis omnium est carissimus, ut præclarè disputat Aristoteles lib. 1. de Sapientia. Ideò oculorum in exprimendâ vi amoris crebra fit mentio. Plautus quidem *oculitus amare*, pro eo, quod est, singulariter amare; & *oculissimum ostium, oculissimum hominem*, pro carissimo dixit.
B V. N. Sc. præced.

29. BARATHRVM] Phædrus lib. 4. Fab. 64. ——*quos avidis dentibus Capacis alvi mersit tartareo specu.* Et simili ferè grandiloquentiâ & δεινότητι. Oppianus ceto tribuit γαστρὸς χάος, lib. 5. Halieut. v. 52. Festus: *Barathrum Gr. appellant locum præcipitem, unde emergi non possit. dictum ab eo quod est βαθύς.* unde & Horat. 1. epist. 15. *barathrum macelli* vocat helluonem, qui vorat quicquid in macello prostat.

29. CLOACAM] ventrem. Virg. 3. Georg. ——*fœdissima ventris Proluvies.*

31. VENVS DE P.] Exprimit anus ritum libandi. De poculo enim pleno, quod erat potatura, paulum Veneri libat, i. in honorē Veneris leviter defundit. Sic enim libare solebant, quod vel in aram faciebant, vel in mensam, quæ aræ loco erat, vel in focum, qui sacer habebatur, vel in mare, in honorem deorum marinorum; vel in quemcunq; locum pro re natâ. Virg. 5. Æn.

——*extaque salsos*
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Turn-

Turn. lib. 11: cap. 7. Vide Lipſ. Antiq. Lect. lib. 3. Porrò uſitatum erat in hac libatione, ut capiti coronas imponerent, etiam in menſa. V. 7. Æn. *Nunc pateras libate Jovi, &c.* Et 8. Æn. *Cingite fronde comas &c.* Unde patet errorem eorum, qui putant, coronam in menſa ſumere, ebriorum tantum fuiſſe: quia ebrii cum coronâ paſſim in Comœdiis introducuntur. Amphit. act. 3: 4: Imò non è poeu modò, ſed è cibis aliquid libare, & in focum ipſa libamenta deferre, ſedem ſcilicet Larium; & quidem in patellâ, auctor Scholiaſtes vetus, ad illud Perſii, *cultrixque foci ſecura patella.* Unde Lares *patellarii dii* dicti Plauto Ciſtell. act. 2: 1. Conſule Homerum Il. ι. in convivio Achillis: Livium lib. 39. & Plutarch. de Fort. Rom. itemque J. Bernart. ad lib. 1. Theb. Statii.

34. EVENIVNT] *Eveniunt* hæreditates, minus Plautinum putat J. Guliel. corrigit ergò, *mihi haud ſæpè veniunt tales hæreditates.* quomodo ſæpe ſit in libris Pandect. Cauſam tamen Gruterus nullam fuiſſe putat, cur mutaretur: cùm omnes MSS. habeant, *Eveniunt tales hær.* Etiam noſter Trin. act. 1: 1.

—— *Ut nobis hæc habitatio*

Bona, fauſta, felix fortunataque eveniat.

Sticho: *Damna eveniunt maxima mihi.* Menæchm. Prol. *Illi tùm divitiæ evenêre maximæ.* Etiam Acidal. acerrimè propugnat illud *Eveniunt.*

35. INGVRG. MERVM] Arnob. lib. 5: *Tandem ſe poculis ingurgitaviſſe fallacibus.*

40 STIMVLO FOD.] Cic. Philipp. 2. *Num exſpectas, dum te ſtimulis fodiam?*

41. BIBIT ARCVS] Credidit vetuſtas, iridem demiſſis in terram cornibus aquam è fontibus haurire, hinc illud Virgilii 1. Georg. v. 380.

—— *Et bibit ingens*

Arcus. Propert. lib. 3: *Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.* Vitruvius. lib. 9: 4. *Per calorem videmus non minùs aquæ vapores à fontibus ad nubes per arcus excitari:* Turneb. lib. 22: 23. & lib. 29: 31. Martial.

Caſuras altè ſic rapit Iris aquas.

Vide & Cælium lib. 21: 29. Incredibile dictu eſt, quàm graphicè J. Douza Centur.

A lib. 1. cap. 31. ſtatum ſinuoſum & cernuantem incurvicervicæ hujus anûs, quâ poſſilena aut ſigma potius, quàm longa illa littera Plautina fieri poſſet, depinxerit: dum oſtendit, (quod à Lambino & aliis omiſſum,) non ad bibacitatem, ſed ad arcuatam Iridis curvaturam potiſſimùm reſpicere Comicum.

45. EST, QUID LUX.] ita Grut. è MS. Cam. probat: ſublatâ interrogandi notâ intermediâ. *quid* valet *quod;* aut potius ita etiam reſcribendum cum Pall. & Edd. vett. omnibus.

TIBI NÆ EGO] Formula ex antiquo dedicationem ritu deſumta. ita infra, act. 5: 1. v. 69. *Ibi nunc ſtatuam vult dare &c.* nec non Rud. act. 4: 2. Douza. Meurſius, In V. edit. (ut & in meâ Pariſ.) inquit, erat *munimentum:* quod non reiculum. ut ſit ſenſus: Vineam tibi pro ſtatua ſtatuam, quam ingurgites. Eſt verò metaphora à cibo; nam veteres *munire* uſurpabant pro *mandere cibum.* Atque hinc eſt, quod in Feſto legitur: *Munitio, mortificatio ciborum.* antiquis enim *mortare* erat conterere: unde *mortarium* vas ei uſui deſtinatum.

B 57. OCCENTEM] V. N. Mercat. act. 2: 3.

60. PESSVL, HEVS PESS.] Iſ. Caſaubon. ad illud Perſii Sat. 5. —— *dum Chryſidis udas Ebrius ante fores extinctâ cum face canto:* Græci hoc vocant (Plutarchus Ἐρωτικῷ) ᾄδειν τὸ παρακλαυσίθυρον. Qui ibant comeſſatum, funalia ac faces geſtabant: ſed quas extinguebant, cum ad fores erat ventum. Exemplum canticorum ejusmodi, quæ ante fores cantabant, habes hic venuſtiſſimum: item apud Horat. 3. Od. 10. In Perſâ, *Occentare oſtium,* hoc dicitur.

63. LVDI] Vide N. Pœnulo, act. 5. ſc. 3. Turnebus lib. 19: 10. modulo verſus adductus, qui Cretico pede canticum quoddam ſaltat, *ludii barbari* legit, i. ludii Romani. nam in omnibus, inquit, pompis ludisque Circenſibus juvenes ibant, in numerum ſaltantes & ſubſilientes: qui *ludii & ludiones* dicebantur. V. N. Aul. act. 2: 9. Joſ. Scal. ad illud Catul. carm. 28.

Vorque ludiæ lacus nuda,

notat: *Ludius* propriè est ὀρχηστής. Ovidius: A
Ludius æquatam ter pede pulsat humum. Prudens.

Saltat tonantem tauricornem ludius.

Statius lib.1.Silv.

Hoc plaudunt grege ludiæ tumentes.

Turnebus ad hoc Statii graviter peccat, &c. Nam *ludius*, ut dixi, saltatorem significat: unde eo nomine *Luperci* dicti, quòd per totam urbem discurrerent saltitando. auctor Tertullianus. hinc Plautus dixit:

Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens.
Fite caussâ meâ ludii barbari,
Subsilite.

Varro rerum Rustic.3. *Quum insulas ludiano ritu choreusas vidisses*, hoc est, ὀρχηστῶν δίκην χορευούσας, Hinc duæ stellæ in cauda Cynosuræ, quæ præcedunt ultimam, dicuntur Græcè χορευταὶ: quia circa ultimam moventur: B
Ludentes autem ab interprete Germanici. Igitur *ludiæ undæ* dictæ, quæ perpetuo motu agitantur & *Ludens* ὀρχηστής, χορευτής. Glossæ, συντελεστὴς ὁ σκηνικὸς, *Ludio*, &c. Hæc Scalig.

25. EBIBIT SANGVINEM] Ita apud Theocr. Id.2. puella:

Αἰ αἰ ἔρως ἀνιηρὲ. τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα,
Εμφὺς, ὡς λιμνᾶτις ἅπαν ἐκ βδέλλα πέπωκας!

Hei mihi tristis Amor: quàm mihi atrum è corpore sanguinem,
Veluti palustris hirudo inhærens omnem exsuxisti!

66. DORMIVNT] V. N. Mostell. act.3:2. Pareus in editione pr. ostendit dominatus sui potentiam, ejiciendo vocem *pessuli*, quæ in MSS. & edd. omnibus.

68. RESPICIO] ita in Cam. edit. itaque omnes habent MSS. & olim cusi. ejiciatur ergò Lambini *perspicio*. Grut.

69. SED TACE] ita quidem omnes, etiam MSS. non tamen displicet *Grutero* Lambini *st! tace, tace*. V. N. Epid.2:2. ad quod Pareus: Sed contra libros MSS. aliquid mutare, est hominis præposterè curiosi, & temerariè audacis. Hæc qui legunt, p. tant in Lambinum dici ac Gruterum: minus rectè, neque enim ii tale quid receperunt in contextum. Pareus est qui hoc fecit, in editione sua prima. Pareus est ille homo præposterè curiosus, ille temerariè audax. Ita scilicet Adrasteia cogit improbos, ut ipsi semet deferant; quamque in alios dicere volunt, in se ferant sententiam.

69. SENTIO SON.] Lucret. lib. 4. & 6. ——*sentire sonorem*. Cæterùm Muretus Var. Lect. lib.6. cap.14. totam hanc Scenam in suos, (Muretine an Plauti?) cogit numeros. quam huc etiam sic transferre animatus eram. sed quærebat ex me *Vir magnus* in his literis, cur ille non eâdem operâ omnium Scen. versûs ad hanc faciem interpolârit. Satis habebam. Tu igitur alibi ista legas.

ACTUS I. SCENA III.

ANUS, PLANESIUM virgo, PHÆDROMUS, PALINURUS.

PLACIDE egredere, & sonitum prohibe forum, & crepitum cardinum:
Ne quod hîc agimus, herus percipiat fieri, mea Planesium.
Mane, suffundam aquulam. PA. viden', ut anus tremula medicinâ facit.
Eapse merum condidicit bibere, foribus dat aquam quam bibant.
PLA. Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citavisti? ecce me.
Sisto ego tibi me, & mihi contrà itidem te ut sistas suadeo.
PHÆ. Assum. nam si absim, haud recusem quin mihi malè sit mel meum.
PLA. Anime mi, procul amantem abesse haud consentaneum est.

PHÆ.

PHÆ. Palinure, Palinure. PA. eloquere, quid est, quod Palinurum voces?
PH. Est lepida. PA. nimis lepida. PH. sum deus. PA. imo homo haud magni
PH. Quid vidisti, aut quid videbis magis diis æquiparabile? (preti.
PA. Malè valere te, quod mihi ægrè est. PH. malè mihi morigerus, tace.
„ *PA. IPSUS SE excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potitur dum licet.*
PH. Rectè objurgat. sanè haud quicquam'st, magis quod cupiam tamdiu.
PL. Tene me, amplectere ergo. PH. hoc etiam est, quamobrem cupiam vivere.
Quia te prohibet herus, clam hero potior. PL. prohibet, nec prohibere quit.
Nec prohibebit, nisi mors meum animum abs te abalienaverit.
PA. Enimverò nequeo durare, quin ego herum accusem meum:
„ *Nam BONUM est, pauxillum amare sanè; insanè, non bonum est.*
Verùm totum insanum amare, hoc est, quod meus herus facit.
PH. Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites:
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia;
Dum mihi abstineant invidere, sibi quisque habeant quod suum est.
PA. Quid? tu Venerin' pervigilare te vovisti, Phædrome?
Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit. PH. tace.
PA. Quid taceam? quin tu is dormitum? PH. dormio; ne occlamites!
PA. Tu quidem vigilas. PH. at meo more dormio: hic somnu'st mihi.
„ *PA. Heus tu mulier! MALE MERERI de immerente inscitia est.*
PL. Irascère, si te edentem hic à cibo abigat. PA. ilicet.
Pariter hos perire amando video, uterque insaniunt:
Viden', ut miserè moliuntur! nequeunt complecti satis.
„ *Etiam dispertimini? PL. NULLI EST homini perpetuum bonum.*
Jam huic voluptati hoc adjunctum est odium. PA. quid ais propudium?
Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas?
Ebriola, persolla: nugæ. PH. tun' meam Venerem vituperas?
Quod quidem mihi polluctus virgis servus sermonem serat.
At næ tu hercle cum cruciatu magno dixisti id tuo.
Hem tibi maledictis pro istis: dictis moderari ut queas.
PA. Tuam fidem, Venus noctuvigila. PH. pergin' etiam verbero?
PL. Noli amabo verberare lapidem, ne perdas manum.
PA. Flagitium probrumque magnum, Phædrome, expergefacis:
Bene monstrantem pugnis cædis, hanc amas: nugas meras.
Hoccine fieri, ut immodestis te hic moderère moribus?
PH. AURO CONTRA cedò modestum amatorem. à me aurum accipe.
PA. Cedò mihi contra aurichalco, cui ego sano serviam.
PL. Bene vale, ocule mi! nam sonitum & crepitum claustrorum audio:
Æditum aperire fanum. quousque, quæso, ad hunc modum
Inter nos amore ut imur semper surreptitio?
PH. Minimè. nam Parasitum misi nudiusquartus Cariam:

Petere

Petere argentum: is hodie hic aderit. PL. nimium consultas diu.
PH. Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum nunquam sinam
In domo esse istâc, quin ego te liberalem liberem.
PL. Facito ut memineris. tene etiam, priusquam hinc abeo, savium:
PH. Siquidem hercle mihi regnum detur, nunquam id potius persequar.
Quando ego te videbo? PL. hem! istoc verbo vindictam para.
Si amas, eme: ne rogites; facito ut precio pervincas tuo.
Bene vale. PH. jámne ego relinquor? pulchrè Palinure occidi.
PA. Ego quidem, qui & vapulando & somno pereo. PH. sequere me.

QVATTVOR primi versus sunt tetrametri confusioribus numeris: sed post illos, omnes usque ad finem trochaici, tetram. catalectici, ratione manifestâ.

1. FORVM] ab ablativo *fore*: Cam. Basil. ed. *forium*: ita meri essent anapæsti.

3. MED. FAC.] sc. cardinibus. Suprà act. 1. 1. *Vino has conspersi fores*: item: *bibite, festivæ fores*. in quibus morem Græcorum tangit, apud quos amatores illâ perfusione uti solent. Hæc verò suffusio longè alia est. Et fallendis maritis ad januæ cardines aquam mulierculæ affundebant, ut streperent. Vide Lips. Epist. Quæst. lib. 4: 22.

5. CONVADATVS] Qui quasi vadibus à me acceptis me in jus vocas. Activè etiam *vadato* dixit Hor. 1. Sat. 9. Noster, *vadatum amore*, passivè, Bacchid. act. 2: 2. Lamb. Quomodo autem in Jure dici vadimonium soleat, docet præter alios Rævardus in Protrib. c. 9. V. N. Aul. act. 2: 4.

5. VBI TV ES, QVI ME LIBELLO] Hic versus in Codice vetere non extat: nescio an ibi librarii negligentiâ omissus, an in editis libris ab aliquo inculcatus: sed illud magis puto, negligentiâ omissum esse: *Cam.* Sed enim, inquit Gruterus, cùm idem ille versus sic concipiatur in olim editis: *Ubi tu es, qui me libello Venerio citâsti? ecce me sisto: ades contra*: nec tamen in ullo extet Palatinorum, nisi in sexto, qui omnium recentissimus est, recensitus scilicet ab *Omnibono Leoniceno*, anno. 1456. scribaturque tantùm Pal. primo ac tertio ad marginem; reliquis verò planè absit, pro spurio habuerim, aut certè pro tali, qui aliunde similitudinis caussâ, huc arcessitus.

6. LIBELLO] quia etiam edicto publicè adfixo latitantes citabantur, &c. *Ra-*

A *vardus*, item *Cujac.* Comment. *De in integ. restit.*

7. SISTO ME.] Verbum juris in obeundo vadimonio. de quo Cicero sæpe pro Quintio. Propert. 3. el. 17: *Tu modo servitio vacuum me siste superbo.* ubi videndus Passeratius.

11. SVM DEVS] Propert. 2. el. 12.
Si dabit hac multas, fiam immortalis in illis,
Nocte unâ quivis vel deus esse potest.

13. MALE VALERE TE, QVOD] Lamb. è tribus MSS. l. *Malè valere te quidem, mihi ægrè est.* Quæ summa est concionis Dionysiacæ. Gruterus tamen miratur, quos libros citet Lambin. cum omnes MSS. editi habeant, *quod mihi ægrè st.*

15. TAMDIV] J. Gulicl. & Dousa l. *jamdiu*: quod in editionem pr. suam admisit Pareus; evomuit autem secunda, nauseator insignis.

B 17. PL. PROHIBET] Omnibus suis interpretationibus hîc supersedere potuisset Lambinus, si retinuisset interrogationem, quæ est in vett. libris: *PL. Prohibet? nec prohibere quit. Nec prohibebit.* Quia enim Phædromus dixerat, lenonem prohibere conventus istos; negat Planesium, eum prohibere. Est autem ambiguitas in verbo *Prohibere*: quod cum effectu accipit Planesium: *Sim. Ulr. Pistoris*, atque ita in Colon. & Basil.

20. SANE] ita, ut homines sani solent.

20. INSANE] sc. quantumvis pauxillum. *L. D.*

21. INSANVM] pro, *insanè*. Plautus in Nervol. *Insanum valde uterque deamat*, i. insanè. *L. D.* Vide N. Trin. 3: 2.

22. SIBI

22. SIBI HABEANT] Cicero ad Atticum: *Sibi habeant arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clavam & pilam, ſibi natationes atq; curſus,* &c. item pro Sulla: *Sibi haberent honores, ſibi imperia, ſibi provincias, ſibi triumphos, ſibi alia præclare laudis inſignia: mihi liceret ejus urbis, quam conſervaſſem, conſpectu tranquillo animo & quieto frui.* Douza & Gruterus. A

19. PERVIGILARE] Alluſum ad *Pervigilia Cereris, Veneris,* & ſacra nocturna. Martial. l. 9: 70.

Nam vigilare leve eſt, pervigilare grave eſt.

26. NAM HOC] ἐσυπνιᾶς, cælum.

28. TUQ. VIGILANS] Lepidius fuerit: *Tum quidem vigilans.* Ita ludit & D. Hieronymus adverſus Vigilantium. *Iſ. Pontanus.*

28. DORMIO] ſc. tibi, non meæ Planeſio. D.

28. HIC SOMNUS T] Douſa l. *hæc.* ſcil. Planeſium. idque etiam ſtatim arripuit Pareus, immiſitque editioni pr. contra mſſ. & edd.

29. INSCITIA EST] i. *ſtultitia:* Feſtus V. N. Moſtell. act. 1: 3.

30. IRASCERE] ita MSS. omn. & Edd. vett. Camerarius emendavit, *iraſcaris.* B

30. ILICET] actum eſt. V. N. Epid. act. 5: 2.

32. UT MISERE MOLIUNTUR] De hac amancium rabie Lucret. lib. 4.

——etenim potiundi tempore in ipſo
Fluctuat incertis erroribus ardor amantum,
Nec conſtat, quid primum oculis manibuſque fruatur, &c.

32. NEQUEUNT] ita ſcripſit, ita diſtinxit, autoritate MS. Cam. Gruterus. ceteri *neque queunt.*

34. PROPUDIUM] Non dubium, quæ Græcis [illegible], ea Latinis *propudia* dicta. Inde homines ſceleratos, ut Græci [illegible], Romani eoſdem *Propudia* vocarunt. *Scal. ad Feſtum.* hinc occurrit *contubernium ancillæ propudioliſſima,* apud Sidonium lib. 9. Ep. 6.

35. CUM NOCTUINIS] ſic placet & Camerario & Gruterianis ſchedis, verſus etiam cauſſa: tum quod ſic MS. vet. legat. Turneb. lib. &c. 27. *Glaucos,* inquit, *oculos* Romani non perinde amabant: nigros autem magnificiebant. Itaque ad ludibrium, cujus erant oculi glauci, ea *noctuinos oculos* habere hic dicitur: de avis inauſpicatæ, cujus tales oculi ſunt, nomine petita illuſione. Eos oculos *virides* vulgò dicimus. Ac æque amaro joco per Comicam laſciviam *herbeos* Poeta vocavit, ſcenâ ſequ. eoſdem & *felineos* appellabant, &c. Idem tamen ſui quaſi oblitus, lib. 11: 7. *nocturnis* hic legit, (ut in Pall. eſt & Edd. primis) & explicat, *deformibus.* de quo Pœnulo act. 1: 2. Lambinus præfert nihilominus *noctuinis:* multiſque diſputat, cur *noctuini oculi* hîc in vitio ſint, cum Pallas ab Homero, laudis cauſſa, γλαυκῶπις ſere appelletur. Certè & Pariſ. meus & Brix *noctuinis.* & Valla interpres notat in quibuſdam vett. ſic legi.

36. PERSOLLA] *M. Haiminsfeldus* notat, in MS. Cam. legi, *perſolla.* Hinc ille: *Perſolla, nugæ.* cum in Gloſſario etiam ſuo MS. ſit: *Perſolla, perſona minor. Nugæ* dictum, ſicut infra: *hanc amas, nugas meras.* Placet profectò acumen Melioris mei: cùm præſertim meminerim, *perſolatam* herbæ genus, προσωπεῖον Gr. dictam, derivari à *perſona;* & hinc, auctore Gramat. Placido, *perſolam.* Dictum à *perſona, perſolla,* ut a *corona corolla.* Vulgati, ac plerique Pall *perſola nugæ,* i. meræ nugæ, ut Turneb. exponit. V. N. Menæch. act. 1. 2. Ita ergo fuerit *perſolla* convitium, quomodo noſtri dicunt: Du kleine vnnütze Kröth. Du kleiner Antefurz.

37. QUOD QUID.] ita MS. & editio. Cam. *Quod quidem* &c. Lambinus è duobus MSS, ut ait, ſubſtituit, *Quem quid,* atque hunc verſum *Planeſio* etiam attribuit, non *Phædromo:* meo animo, malè. puto enim dici à Phædromo hoc ſenſu: Ergone feram, ut ſervus plagipatida hic mihi argutias ferat? Hæcque ita ſunt enuncianda, ut ſtatim manum allevet, & pugnos impingat. Certè Pall. omnes reſpuunt hic perſonam Planeſii, &c. *Grut.* Quin & in omnibus meis olim cuſis leg. *Quod q.* adhuc ſub perſona *Phædromi.* Et Iſ. Pontanus, *Quod quidem,* inquit eſt, *quoad quidem,* veteri dicendi ratione. Ita Apul. *Quod me ad iſtam faciem bona uxor & mala fortuna perduxit.*

37. POLLUCTUS] *Polluctum virgis* dicit accumulatum verberibus, ut ara Herculis, cum referta eſſet iis, quæ imponi de ritu religionis priſcæ ſolebant, tum *polluctum* illud dicebatur, quaſi projectum, ut Varro interpretatur: *Camerarius.* Vide & Turneb. lib. 11: 7. & N. Sticho. act. 2: 1. v. 50.

37. SERM. SERAT] *Sermo* enim à *ferendo*. A Varro lib.5. Turnebus lib.2: 29.

39. HEM TIBI] *Hem* verberantis est. V. N. Mil.5:1. & ita legunt MSS. Cam. & omn. Pall. nec non editi ante Cam. idque unice rectum ait *Gruterus*. recentt. *heus tibi*.

40. TVAM FIDEM] V. N. Amphit. act. 1: 1.

40. NOCTVVIGILA] Scal. Conject. *Noctilucam* Horatius 4. Odâ 6. eandem cum *Luna* facit: *Ritè crescentem face noctilucam*. Levinus verò, vetustissimus auctor, videtur eam Venerem nominare: *Venerem igitur almam adorans, sive fœmina, sive mas est, ita uti alma Noctiluca est*. Quare ab eadem ratione dicitur *noctuvigila* à Plauto, hoc est, νυκτιλαμπής. Dicitur etiam hoc nomine *Lucerna*. Varro Bimarco: *Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, animâ revivifcit*. Hæc ille. *J. Gulielmius*, Valdè proprium, *inquit*, ἐπίθετον Veneris videtur *Noctuvigila*. Amat enim hæc inprimis dea crebra pervilia: & otiosos dies, negotiosas noctes sacris suis agundis habet. eâ re antiquissimus Poeta Lævius (al. Levinus) *Noctilucam* eandem Venerem indigitat. Et is, qui Prologum Casinæ scitè & eleganter prætexuit, ipsam palæstram ejusdem *excubias*, tametsi non hanc tantùm ob causam, vocat. De sene in puellâ clam uxorem suam pruriente loquitur: *is sperat, si ei sit data, sibi fore paratas clam Uxorem excubias foris*. Notat & J. Isac. Pontanus lib.1. cap.3. in Somn. Scip. Macrob. *Noctuvigilam* eâ flectione formatum, quâ apud Senecam epist. 83. legatur, *brevissimo somno utor, & quasi intervigilo*. ubi *somnus intervigilus* dicatur levis & veluti insomnis. ut vetus P. *canum levisomna corda* dixerit, &c. quanquam Gruterus ibi *intervigilo* habet pro *verbo*, non pro nomine: & Lipf. leg. *interjungo*, metaphorâ ab aurigis. Turneb. lib.11:8. divisim l. *Venus noctu vigila*: ad illud exemplum: *Mars vigila*, quod in bellum exituri duces Marti dicebant. Vide & Briss. Form. lib.1. & Serv. 8. Æn.

42. PROBRVMQ.] Vide Not. Mercat. act.1:1.

45. AVRO CONTRA] i. date mihi pari & æquo auri pondere repensum: ego tantundem auri dederim. Turn. lib.11.7. V. N. Epid.3: 3.

46. CEDO M. C. AVRICHALCO] ita omn. MSS. Pallat. V. N. Pseud. act.2:3. Sententia germana est, autore *S. Pistore*: Orichalco comparem dominum sanum mihi. *Vel*: Si sano servirem domino, orichalco contra non esset. Scal. ad Festum, Cum Græci dicant ὀρείχαλκον, tamen Latini scripserunt *Aurichalcum*, quod putarent, id ex *auro* & *ære* componi, additâ Cadmeâ terrâ: ut *electrum* ex *auro* & *argento*. de quo intellexit Martialis lib.8. epigr.51. *Pallida sic niveo radians electra metallo: Et niveum felix pustula vincit ebur*: intelligit enim de illâ materiâ compositâ, non de succino. Igitur ex vitio pronunciationis nata est falsa illa de compositione auri & æris opinio. Quare & auctor Glossari rectè dixit: *Aurochalcum*, χρυσοχαλκόν. quod putarent esse auri & chalci, seu æris κρᾶμά τι, & compositionem quandam. Non nego ex auro & ære præstantissimum æs fieri, ut prodiderunt veteres de Corinthio ære: sed id ὀρείχαλκον esse, id verò pernego. Aristotelem enim habeo autorem, qui apud interpretem Apollonii negat, ὀρείχαλκον esse in rerum naturâ. Hesychius: ὀρείχαλκον τῶν εἰκῇ διαδεδομένων τὸ ὄνομα. οἱ δὲ χαλκὸς ὀνομάζουσιν αὐτόν. ἔστι δὲ χροιὰν ὅμοιον χαλκῷ. Sane χαλκὸν ὅμοιον χαλκῷ vulgò vocamus *Letonum*. Et de eo intellexit Horatius: B

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta ——

Sed illud commentitium aurichalcum tanti fuit apud veteres, ut cum nusquam esset, tamen, quasi esset, etiam auro excellentius haberetur. Id quod ex Plauto cognoscimus, qui aurichalcum pluris facit, quàm talentum auri. Quod & non prætermittit Servius in Virgil. XII. v.87. *Hæc ille*.

48. ÆDIT. AP. FAN.] Imperfecta verbis locutio, ut mox: *Item alios deos facturos scilicet*. Cam. Sed vide tamen Not. Pœn. act.5:3.

49. AMORE VTIMVR] versus jucundius flueret, reposito, *utemur*.

50. MINIME.] Acid. *minimo*, scil. temporis spacio.

53. LIBERALEM] i. quæ in me tam liberalis es. *Vel*, quæ tam liberali facie & ingenio es: L. Haiminsfeldus l. *liberali liberem*. *Liberali*, sc. caussâ. ita act.5:2. *Si quisquam hanc liberali asseruisset manu*. *Liberali*, sc. caussâ. item act.5:3. nam *asserere manu*, est vindicare in liber-

libertatem. & verò ecce ineptum illud commentum, Pareus adlevit editioni suæ pr. contra mss. & edd. omnes.

54. TENE] Gruterus: MSS. leg. *tene*. Et miror, cur pro minus-Latino habeat Lambinus, repositumque malit, *tolle*: quod hercle mihi contra minus Latinum videtur: præ altero certè merum rus, immò pus. Ita & Pistoris: qui addit: *Suavium tenere*, non significat osculari, sed osculum accipere, Et sunt verba osculari volentis.

56. VINDICTAM] tanquam Prætor, i. vim reperi, quâ me liberes: L. Vide N. Mil. 4. 1. Immò (auctore Pist.) hoc dicit: Age igitur

A istoc verbo i. cum dicto, jam statim, vindictam para, i. libera me.

57. PERVINCAS] quemvis alium empeorem pretio ut pervincas facito: ne opus sit rogitare, quando me visurus es: L. Cic. 4. Verr. *Fit ut pretio novos vincat*, &c. idem 2. ad Attic: *Restitit ac pervicit Cato*. Liv. lib. 42: *Pervicerat Rhodios*. Prop. 1. el. 17: *domina pervincere mores*. inde *pervicaces* dicti. *Passerat*.

59. EGO QUID.] sc. occidi.

59. SOMNO] quo urgeor.

59. PH. SEQVERE ME.] Hæc non sunt in MS. Cam. sed in Pall. & Edd. vett.

ACTUS II. SCENA I.

CAPPADOX leno, PALINURUS servus.

MIGRARE certu'st jam nunc è fano foras,
Quando Æsculapi ita sentio sententiam:
Ut qui me nihili faciat, nec salvom velit.
Valetudo decrescit, accrescit labor.
Nam jam, quasi zonâ, liene cinctus ambulo.
Geminos in ventre habere videor filios.
Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.
PA. Si rectè facias, Phædrome, auscultes mihi,
Atque istam exturbes ex animo ægritudinem.
Paves, Parasitus quia non rediit Cariâ?
Afferre argentum credo. nam si non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet se huc esum ad præsepim suam.
CA. Quis hic est, qui loquitur? PA. quoiam vocem ego audio?
CA. Est ne hic Palinurus Phædromi? PA. qui hic est homo,
Cum collativo ventre, atque oculis herbeis?
De formâ novi, de colore non queo
Novisse. jam jam novi! leno est Cappadox.
Congrediar. CA. salve Palinure. PA. ò scelerum caput,
Salveto. quid agis? CA. vivo. PA. nempe ut dignus es.
Sed quid tibi est? CA. lien necat, renes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur,
Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.
PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
„ *CA. FACILE est miserum irridere. PA. quin tu aliquot dies*
Perduras, dum intestina exputescunt tibi,

Nunc dum salsura sat bona'st. si id feceris;
Vænire poteris intestinis vilius.
CA. Lien dierectu'st. PA. ambula, id lieni optumum'st.
CA. Aufer istæc quæso, atque hoc responde quod rogo.
Potin conjecturam facere, si narrem tibi,
Hac nocte quod ego somniavi dormiens?
PA. Vah! solus hic homo'st, qui sciat divinitus.
Quin Conjectores à me consilium petunt:
Quod eis respondi, eâ omnes stant sententiâ.

MIGRARE] V.N. supra act.1: 1. ver. 61. & Arnob. l. 1. item Joan. à VVovveren ad illud Petronii: *medicinam somno petit: jussaque sic vos perquirere.* Meminit hujus *Incubationis* & Prudent. in *Hamartig.* ut quæ ad suum usque tempus duraverit. Immò hodieque in Italiâ durare, fidem facit G. Fabricius. Ait enim se Patavii vidisse, adolescentes & puellas rusticanas in cœnobio D. Antonii certâ nocte incubare. Etiam apud Strabon. lib. 11, legitur: μαντεῖον ἐγκοιμωμένων, i. *oraculum incubantium.* Ad quæ vide ibid. p. 350. Casaub. Sed neque neglige *Indices Inscriptionum Gruterianarum.*

4. LABOR] anthithesis perfecta: *Valetudo, labor.* Sic & Græcis interdũ πόνος *dolorem* significat. hinc & *laborare* pro *ægrotare*. L. D.

GEMINOS] Significat, se lienosum esse. L.

11. AFFERRE] i. allaturum: D. Vett. quædam edit. *At ferre.* quod rectum puto.

12. TORMENTO] catenâ ferreâ, quali solent magnæ moles à catapultis torqueri. Vide Lamb.

13. ESUM] Sic Men. act. 3. 1. *Qui neque esum vocantur, neque vocant.* Sticho, *Nulli negare soleo, qui esum me vocat.* hanc enim scripturam retinet Dousa, temerariè (ut ait) sollicitatam à Mureto. Vide act. 2: 1. v. 29. Sticho. Mercerus ad Nonium quod invenisset in mss. suis *cessum*, rescripsit *cessim*, damnabo. illo *esum.*

13. PRÆSEPIM] V.N. Rud. act. 4: 3. Elegans locus Scal. in Conject. quem adnotabo, in aliquot locis Plauti illustrandis. Limaces meretrices, *inquit*, dictæ à *limace*, quæ folia plantarum & olera corrodit. Ejusmodi sunt meretrices, quæ miseros amantes καταφαγῶσι. A quo illa apud Menandr. meretrix dicitur Αἲξ ἐπικαλεῖται δι. Αἴξ, ὅτι αἴγας κατέφαγε τὸν ἐραστὴν ποτὲ ἐμβαλών. vel potius à *limando.* Nam Græci quoque τὸ φάτνῃ in eadem significatione usurpant: Ælianus: καὶ ὁ μὲν τὸ Μενάνδρου Θήρων (nomen est parasiti) μέγα φρονεῖ, ὅτι φάτνην ἀνθρώπους, φασὶ, αὐτοὺς ἐκείνους εἶχεν. Ubi etiam eleganter, περὶ τῆς φάτνης. à quo dixit Plautus de Parasito, *recepit se in præsepim suam.* Hæc ille. V.N. Bacchid. act. 3. 1. vers. 5. In MS. Cam. legitur, ut & in Edd. ante Ald. omnibus, *ad præsepe suum.* quamvis Nonius citet, *præsepim suam*: quod idem tamen in pluribus mss. reperit Lambinus. Pal. pr. quart. sext. habent *præsepem suum.* cæterùm ridiculus valde est Pareus, qui & in Lexico & in Electis docere nos vult ex loco isto & Æliani, *præsepim* dici de meretrice, ubi scilicet pabulum adolescentium; prorsus contra mentem auctorũ. imo illis locis, *præsepe* est parasitorũ. ac scurrarum, quibus cura veneris solum; non etiam quæ infra eum: unde & Horat. 1, Epist. 15. v. 28: *Scurra vagus*, non qui certum præsepe teneret &c.

16. COLLATIVO V.] i. *magno & turgido: quia in eum omnia edulia conferantur*: Festus.

16. HERBEIS] V.N. supra act. 1: 3. & Capt 3 4.

17. DE COLORE] quia colore est lurido. L.

20. VIVO] q.d. vivo tantùm, non item valeo. L.

22. PULM. DISTRAHUNTUR] Varro: *Dibidia à dividendo dicta: quod divisio est & distractio doloris. itaque in Curc. ait Plautus, lienes necant, renes dolent, pulmones distrahuntur.* lib. 6. de L. Lat.

23. RADICES C.] Cor musculosum est naturâ, & pulmonibus annexum. His ergò distractis, cor quasi radicitus perit. *Vel*: Cor non habet, quo contineatur, aut cui adhæreant: L.

23. HIRÆ] Ita restituit Lu. Fruterius lib. 1: 3. Verisimil. & Turnebus lib. 11. 7. probantque

bantque Lamb. & Douza. Festus: *Hira, quæ deminutivè dicitur hilla, quam Græci dicunt νῆστιν, intestinum est, quod Jejunum vocant.* Glossæ: Hira, ἀπευθυσμένον νῆστιν. Arnobius lib. 7: *Non similiter fendicas, quæ & ipsæ sunt hira.* Pro aliis tamen etiam intestinis sumi, docet Nonius. unde *hillæ* apud Horat. 2. Satir. 4. Glossar. *Illum* sine aspirat. κόλον τὸ ἔντερον. & hoc hic probat Scal. ad Festum. Sed MS. Cam. l. *chira*: quod & ad oram Pal. pr. notatum.

24. HEPATARIUS] MSS. Camer. & Lang. & Pall. sec. & sextus; item pr. à manu secunda l. *spattarius*: etiam quibus usus est P. Valla. & eo verbi monstro editionis suæ caveam bellè adornavit Pareus.

25. EXPUTESCUNT] ita MS. Cam. Verbum hoc significat fœtorem putredinis. Cic. lib. 5. de Finibus: *Ut non inscitè illud dictum videatur in sue, animum illi pecudi datum pro sale, ne putisceret.* Est autem dictum Chrysippi. Turnebus theatrali dictum censet petulantia. Planè enim, inquit, Poeta lascivit quâdam gari & liquaminis imagine, quæ ex intestinis piscium putridis quâdam tabe & Stilitis fiebant, careque venum ibant:

27. SI ID FECERIS] si perduraveris usque dum intestina exputrescant: iis è ventre detractis, vendi tamen poteris tantò minoris, quanti essent intestina tua, si cum reliquo corpore integra venderentur. Vide Lamb. qui tamen hoc loco, non quid Plautus, sed nec quid ipse diceret, intellexisse creditus est Acidalio, qui hos versus ita constituit.

——— *quin tu aliquot dies*
Duradum, ut intestina putrescant tibi.
Nondum salsura sat bona est. ni id feceris,
Venire poteris intestinis vilius.

Pro conjecturâ tamen hoc auctor ipse haberi vult, non pro oraculo. at pro tali tamen, in contextum admisit ed. pr. suæ Pareus. quo quid à scriptura veterum librorum remotius? quid remotius ab auctoris mente? Vult enim, perdurandum Lenoni, donec ei intestina tabescant; utiq; cùm sit ea anni tẽpestas, quâ salsura solitò carius veneat. eo facto, futurũ ut intestina sola æquè care distrahantur, si non carius, quàm ipsemet homo totus. h. e. vix tantum feres pretii à te toto, quantum ex solis intestinis.

29. DIRRECTUS] V. N. Trin. act. 2: 4. V. C. *dieructus*. Pall. atque Edd. vett. *disruptus*, aut *diruptus*, aut simile quid.

29. AMBULA, ID L.] Celsus lib. 4. cap. 9. scribit, vitium lienis quiete augeri, exercitatione & labore minui. Vide historiam de Laomedonte apud Plutarch. in Demosthene. Etiam J. *Guliel*. cap. 3. Plaut. Quæst. de lienosis aliquid turbat.

31. CONIECTURAM] Hinc *conjectores* dicti interpretes somniorum. Vide N. Mil. act. 3: 1.

33. HIC HOMO] δεικτικῶς se ipsum significat.

33. SCIAT DIVINITUS.] *Divinus*, substantive (ut Grammatici loquuntur) μάντις est, sive vates. Horatius lib. 3. Odâ 27.

Imbrium divina avis imminentium.

i. προμάντις: cornix *aquæ augur*, ut ibid. Odâ 17. appellat. Id. in Arte: ——— *divina futuri*. Martialis, l. 3: 71.

Non sum divinus: sed scio quid facias.

i. non sum vates. Cicero de Fato: *falli sperat Chaldæos cæterosque divinos*. Inde Victruvius lib. 4. *astrorum divinitates* fortasse vocat *conscia fatisidera*, ut Virgilius, & ex eo Ausonius autumat.

ACTUS II. SCENA II.

COQUUS, CAPPADOX, PALINURUS, PHÆDROMUS.

PALINURE, quid stas? quin depromuntur mihi,
Quæ opus sunt: Parasito ut sit paratum prandium,
Quom veniat. PA. mane sis, dum huic conjicio somnium.
CO. Tute ipse, si quid somniasti, ad me refers.

 PA. Fa-

PA. Fateor. CO. abi! deprome. PA. age, tu interea huic somnium
Narra. meliorem, quàm ego sum, suppono tibi.
Nam quod scio, omne ex hoc scio. CA. operam ut det. PA. dabit.
CA. Facit hic quod pauci, ut sit magistro obsequens.
Da mihi igitur operam. CO. tametsi non novi, dabo.
CA. Hâc nocte in somnis visus sum viderier,
Procul sedere longè à me Æsculapium,
Neque eum ad me adire, neque me magnipendere
Visu'st. CO. item alios deos facturos scilicet.
Sanè illi inter se congruunt concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nihil sit tibi:
Nanque incubare satius te fuerat Iovi,
Qui tibi auxilium in jurejurando fuit.
CA. Siquidem incubare velim, qui perjuraverint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.
CO. Hoc animum advorte! pacem ab Æsculapio
Petas, ne fortè tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum'st. CA. benè facis.
Ibo atque orabo. CO. quæ res malè vortat tibi.
PA. Prò di immortales, quem conspicio! qui illic est?
Estne hic Parasitus, qui missu'st in Cariam?
Heus Phædrome! exi! exi! exi, inquam, ocyus!
PH. Qui istic clamorem tollis? PA. Parasitum tuum
Vide occurrentem, ellum usque in plateâ ultimâ.
Hinc auscultemus quid agat. PH. sanè censeo.

AD ME REFERS] Cic. 1. de divin. *Parere quadam matrona cupiens, dubitans, essetne prægnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam. ad conjectorem retulit.*

A

V. 6. SOMNIVM NARRA] narrat somnium qui id defert ad conjectorem. Amphitr. 2. 2: *Ut commeminit, somnium narrat tibi.* Cicero 2. divinat. *Somniasse se narrat ovum pendere è fascia.* Proper. 2. el. 29. *Ibat & in casta narratum somnia veste.* Passerat.

6. SVPPONO T.] i. vicarium do. D.

7. OPERAM VT DET.] Q. d. Supponis mihi alium: sed vereor, ne mihi operam non det. *Vel:* dummodò operam mihi det, i. auscultet. Cui convenit responsum Palinuri, *dabit.* Pistoris.

9. NON NOVI] ita Cam. Lamb. & omnes mei: & rectè probat Gulielmius. Videtur hoc respondere Cocus; Etsi te non novi, tamen dabo operam, & auscultabo tibi. Et sic accipit Cappadox. Verùm ille ambiguitatem sermonis de industria captans significat, somniorum monita suam intelligentiam fugere, neque se conjectorem esse. At Douza malebat, *tametsi non vovi, dabo.* nam *vovere*, inquit, idem quod *promittere*, seu *addicere* significat. Idem monuerat H. Steph. in *De Plauti Latinitate.* Sed alterum Plautinius

B

mihi: non etiam Pareo, qui *vovi* recepit in contextum, ejecto omnium librorum cive, *novi.*

10. VISVS SVM VIDERIER] i. per quietem tale mihi est visum oblatum. Omnes MSS. Cam. & Pall. & editi ante Lamb. habent, *viderier*, teste Grutero. Et sæpè ita loquitur noster. Malè ergo substituunt, *tuerier.*

13. VISVST] pro *visum est*: Acid.

13. SCILICET] V. N. Pœn. act. 5: 3.

16. IOVI]

16. IOVI] in Iovis templo. Vide N. suprà, act.III. & act.2:1. quid sit *Alicui deo incubare*.

17. QVI TIBI AVX.] qui tibi in perjuriis propitius fuit, neque te fulmine percussit. MS. Cam. *Qui tibi auxilium injurejurando fuit*. MS. Lang. *auxilio in jurejurando fuit*. neque aliter Pall.

19. IN CAPITOLIO] Nugator Claud. Verderius in sua *Censione* hæc suggillat, sed imperitè: quòd Parasitum hæc ita loqui faciat, qui tamen sit Epidauri: tanquam si nuspiam esset Capitolium nisi Romæ. imò sic vocabant qualiacunque templa grandia primoribus dicata Deis, etiam extra Italiam, ut pluribus ostendit Grut. in Suspicionum libellis. Idem & illud incogitanter carpit, quod in Amph. deus juret per deum: nec attendit, A deum ibi gerere se pro homine: itaque ut hominem loqui.

20. PACEM] i. veniam. V. N. Amph. act. 5:2.

24. PA. PRO DI] Ita *Pistoris* ex edit. Aldinâ. planissimè. alii reliquerunt Coco.

25. HIC PARAS.] Sic V.C.& Edd. primæ. falsò enim asserit Pareus nullum librum agnoscere τὸ *hic*.

28. VIDE OCCVRRENTEM] ita MSS. Cam. & Pallat. omnes, nec non edd. ante Camer. *Vide occurrentem*. recentt. *video*.

28. ELLVM] V. N. Mil. act.3:1.

28. VSQ. IN PL.] Lamb. malit, *usque à plateâ*: & affirmat tamen omnes MSS. & editos alterum præferre. Ego caussam comminisci non possum, cur hoc Lamb. malit.

ACTUS II. SCENA III.

CURCULIO, PHÆDROMUS, PALINURUS servus.

DATE viam mihi, noti atque ignoti, dum ego hic officium meum
Facio: fugite omnes, abite, & de viâ secedite:
Ne quem in cursu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut genu.
Ita nunc subitò, properè, & celerè objectum'st mihi negotium.
Nec quisquam sit tam opulentus, qui mihi obsistat in viâ,
Nec strategus, nec tyrannus quisquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tantâ gloriâ,
Quin cadat, quin capite sistat in viâ de semitâ.
Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter sese drapetæ:
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis,
Quos semper videas bibentes esse in Thermopolio:
Ubi quid surripuêre, operto capitulo calidum bibunt,
Tristes atque ebrioli incedunt: eos ego si offendero,
Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium.
Tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in viâ,
Et datores, & factores omnis subdam sub solum.
Proinde se domi contineant; vitent infortunio.
PH. Rectè hic monstrat, si imperare possit. nam ita nunc mos viget;
Ita nunc servitium'st: profectò modus haberi non potest.
CU. Ecquis est, qui mihi commonstret Phædromum, genium meum?

Ita

Ita res subita est: celeriter mihi hoc homine convento est opus.
PA. Te ille quærit. PH. quid si adeamus? heus Curculio! te volo.
CV. Quis vocat? quis nominat me? PH. qui te conventum cupit.
CV. Haud magis cupis, quàm ego te cupio. PH. ô mea opportunitas!
Curculio exoptate; salve! CV. salve! PH. salvum gaudeo
Te advenire. cedo tuam mihi dextram. ubi sunt spes meæ?
Eloquere obsecro hercle. CV. eloquere, te obsecro, ubi sunt spes meæ?
PH. Quid tibi est? CV. tenebræ oboriuntur, genua inedia succidunt.
PH. Lassitudine hercle credo. CV. retine retine me, obsecro.
PH. Viden' ut expalluit! datin' isti sellam, ubi assidat, citò,
Et aqualem cum aquâ? properatin' ocyus? CV. animo malè est.
PH. Vin' aquam? CV. si frustulenta est, da obsecro hercle, obsorbeam.
PH. Væ capiti tuo. CV. obsecro hercle, facite ventum ut gaudeam.
PH. Maximè. CV. quid facitis quæso? PA. ventum. CV. nolo equidem mihi
Fieri ventulum. PH. quid igitur vis? CV. esse, ut ventum gaudeam.
PH. Iuppiter te dîque perdant. CV. perij, prospicio parum,
Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame,
Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.
PH. Iam edes aliquid. CV. nolo hercle aliquid: certum quàm aliquid mavolo.
PH. Imò si scias, reliquiæ quæ sint. CV. scire nimis lubet
Vbi sient. nam illis conventis sanè opus est meis dentibus.
PH. Pernam, abdomen, sumen, suis glandium. CV. ain' tu omnia hæc?
In carnario fortasse dicis. PH. imò in lancibus:
Quæ tibi sunt parata, postquam scijmus venturum. CV. vide,
Ne me ludas. PH. ita me amabit, quam ego amo, ut ego haud mentior.
Sed quò te misi, nihilo sum certior. CV. nihil attuli.
PH. Perdidisti me. CV. invenire possim, si mihi operam datis.
Postquam tuo jussu profectus sum, perveni in Cariam.
Video tuum sodalem: argenti rogo uti faciat copiam.
Scires velle gratiam tuam; noluit frustrarier:
Vt decet velle hominem amicum amico, atque opitularier:
Respondit mihi paucis verbis, atque adeò fideliter;
Quod tibi est, item sibi esse magnam argenti inopiam.
PH. Perdis me tuis dictis. CV. imò servo, & servatum volo.
Postquam mihi responsum est, abeo ab illo mæstus ad forum
Me illò frustrà advenisse. fortè aspicio militem.
Aggredior hominem: saluto adveniens. Salve, inquit mihi,
Prehendit dextram, seducit, rogat quid veniam Cariam.
Dico me illò advenisse animi caussa. ibi me interrogat,
Ecquem in Epidauro Lyconem trapezitam noverim?
Dico me novisse. quid lenonem Cappadocem? annuo
Visitasse. sed quid eum vis? quia de illo emi virginem

Trigin-

Triginta minis, vestem, aurum: & pro iis decem coaccedunt minæ.
Dedisti tu argentum? inquam. imò apud trapezitam situm est,
Illum quem dixi Lyconem: atque ei mandavi, qui annulo
Meo tabellas obsignatas attulisset, ut daret
Operam, ut mulierem à lenone cum auro & veste abduceret.
Postquam hoc mihi narravit, abeo ab illo. revocat me illicò,
Vocat ad cœnam. religio fuit: denegare nolui.
Quid si adeamus, ac decumbamus? inquit. consilium placet.
Neque diem decet me morari, neque nocti nocerier.
Omnis res parata'st: & nos, quibus paratum est, assumus.
Postquam cœnati atque appoti, talos poscit sibi in manum.
Provocat me in aleam, ut ego ludam: pono pallium.
Ille suum anulum opposivit. invocat Planesium.
PH. Meósne amores? CV. tace parumper! jacit volsorios quatuor.
Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem.
Jacto basilicum. propino magnum poculum. ille ebibit:
Caput deponit: condormiscit. ego ei subduco anulum.
Deduco pedes de lecto clàm, ne miles sentiat.
Rogant me servi, quò eam? me dico ire quò saturi solent.
Ostium ubi conspexi, exinde me illico protinam dedi.
PH. Laudo. CV. laudato, quando illud quod cupis, effecero.
Eamus nunc intrò, ut tabellas consignemus. PH. num moror?
CV. Atque aliquid prius obtrudamus, pernam, sumen, glandium.
Hæc sunt ventri stabilimenta, panem & assa bubula,
Poculum grande, aula magna: ut satis consilia suppetant.
Tu tabellas consignato: hic ministrabit: ego edam.
Dicam quemadmodum conscribas, sequere me hàc intrò. PH. sequor.

VERSUS sunt trochaici tetrametri catalectici.

V. 1. NOTI ATQ. IGNOTI] V. N. Asin. act. 1: 3.

3. IN CURSU] MSS. Cam. & Pall. quart. *incursu*. forsan non malè. *Grut.*

6. STRATEGUS] i. Imperator exercitus. Æmil. Probus appellat *Prætorem*. L.

6. AGORANOMUS] V. N. Capt. act. 4: 2.

7. DEMARCHUS] Tribunus plebis: L. Apud Dorienses vocantur *demiurgi*. Vide Turneb. lib. 14: 11.

7. COMARCH.] vici magister. L.

8. CAPITE SISTAT] i. Quin in caput præceps à me detur, atque ita sistatur humi prostratus in via, quam ita arctam reddebat, ut *semitam faceret*: nam locum ruinâ apertiam, & laxabo, & de semita *viam* faciam: Turneb. lib. 27: 27. & lib. 11: 7. Sim. Ulr. Pistoris, Melius, inquit, videtur ita explicari posse; si dicamus, *semitam* hoc in loco esse spatium illud angustum, quod plerunque ab hominibus, quamvis via latissima sit, teritur. rarò enim tota platea, quàm lata est, æquè ad eundum commoda est, sed plerunque superior, quæ prope ædes est, pars magis idonea habetur. Dicit igitur Parasitus, eos, qui ipsi obstiterint, in viam è semita se projecturum, i. se deturbaturum eos ex loco, quem ipse elegerat, ad cursuram apto in viam, ubi minus commodum sit ire. Videtur etiam *semita* rectè dici posse spatium illud, quod aliquis per plateam rectà cursurus sibi proponit uno impetu & quasi ad lineam permetiendum. Quo significatu accipi posse videtur, quod Cas. Scena 1. legitur: *Dabitur tibi amphora*

una, & una semita, i. ostendetur tibi iter, quo semper tibi eundum erit. Quo sensu diceret Parasitus, se, quemcunque offenderit sibi in semitâ seu tramite illo obstantem, in viam deturbaturum. Utraque certè expositio concinnior & verbis aptior, quàm Lambiniana. Simili formâ legitur Merc. act. 1: 2.

Simul autem planissimè eos qui adversum eunt, aspellito:

Detrude, deturba in viam. Hæc Pistoris. Lipsius Scholiis ad Senecæ lib. 5. de benefic. c. 1. vult, *capite sistere*, opponi *capite agere.*

8. CAPITE SISTAT.] *Capite sistere*, est quod Laberius dixit, *Tollere in catomium.* ita in Martyrologio, *Catomo suspendi*, est cervice deorsum suspendi, quod idem dixit, *Capite sorsum suspendi.* Græcis, *κατωκάρα κρίμασθ.* Vide *Jos. Scalig.* ad Manil. lib. 5. idem ad Plautum suum, notavit locum Capt. 4. 2. v. 13: *ore sistet.* qui videatur.

10. CAP. OPERTO] Lipsius Amph. c. 20. & Elect. lib. 1. c. 23. argumentis probat, ut & Ant. Guibertus JC. in Polyhist. Romanos (immò plerasque olim gentes) capite nudo fuisse, neque pileo usos, nisi in certis casibus quos ibidem accuratè annotat. Et objectionibus pro pileo remotis; docet præterea, qui mos Romanis fuerit, in capite aperiẽdo & operiendo. Laciniam nẽpe togæ in caput sæpe rejecisse contra æstum; aut ventũ: eamq; detraxisse, quando opus: interdũ & palliolum; sed ab ægris id factum aut delicatis. Atque huc, inquit, Plauti versum ausim trahere:

Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant.

Scenicè enim tangit delicatos & molles istos: quod etiam aliâs solet per occasionem. V. N. Epid. act. 1: 1. & act. 2: 2.

10. SVFFARCINATI] V. N. Pseud. act. 2: 2. *Suffarcinatus*, inquit Lamb. vox Latina non est: neque ejus origo aut ratio explicari potest. neque enim à *farcio*, neque à *farcimine*, oriri dicere licebit. *Farcinare* porrò, aut *farcina* non sunt Latina. Legendum itaque *subsarcinati*, i. pannis obliti, & vestibus quasi sarcinis suffercti atque onusti. Terent. And. 4: 4. *Verùm vidi Cantharam subsarcinatam*: sic enim & hìc legendum. Est autem *sarcina*, ut docet Fronto, propriè hominum; ut *onus* navium. hinc *sarcinatus*; & *subsarcinatus*, occultâ sarcinâ onustus. Hæc ille. Sed tamen

A & Eugraphius Comment. Terentian. à *farcio* deducit *farcinor*. nec Frid. Lindebruch. in Observat. suis Terent. quicquam mutat. Certè à *sarcio* fit *sarcino*. Cur non & à *farcio, farcino*? Alia argumenta contra Lambini opinionem, vide apud *Christian. Becmanum* meum in *Originibus*.

11. CONSTANT.] i. simul stant.

11. DRAPETÆ] i. fugitivi. Sed cur Græcos *fugitivos* appellat? an tanquam servos ab iis, quibus mercenarias operas dabant, fugitivos? an sectæ, quam initio probabant, desertores? L.

13. BIBENTES] Lipsii cod. habet *lubentes.* quod probat Acidalius, recipitq; contra consensum librorum in contextum Pareus, laudatque adeo pro genuino auctoris in Lexico. V. N. Persâ act. 5: 1.

13. THERMOPOLIO] sic solùm Pal. tert. nam ceteri tres *hermopolo.* sextus verò *hermopolio*; quod & in V. C. *In Hermopolio*, inquit Camer. manifestè in nostro libro veteri scribitur tam hìc quàm in Trinum. Etsi autem de hoc verbo non habeo, quod præterea cõmemorem, tamen est conjectura in promptu, significari tabernam seu cauponam B lautitiarum, ac cibi ac potus exquisitioris: quia Mercurii quondam numen mercimoniorum habitum fuit: etenim *ἐμπολαῖος* & *Cauponarius* ille inter alia nomina vocatus est: & fortasse ante illas tabernas etiam simulacrum illius positum fuit. *Hæc ille.* Porrò J. Lipsius argumentis vincit, non in usu solùm antiquitùs *Calidam*, sed, quod miremur, in delitiis fuisse. Inde & apud Plautum fieri mentionem *Thermopolii*, cùm hilarior invitatio describatur, aut solutior luxus: ut hìc de ebriosis. V. N. Trin. 4: 3.

14. VBI QVID SVRRIPVERE] *Acid.* Græcos furacitatis hìc liberat, atque ita legit: *Ubi quum sorbuêre calidum, operto capitulo bibunt: Trist.* quod ipsum priore parte in editionis suæ voraginem recepit, partim non, Pareus; retento scilicet *bibunt.* absurdè. & contra omnes libros.

14. CAPITVLO] ita dicit ad contemptum Græcorum, quos levitatis infamiâ laborasse notum est: L. Pius *capitulum* sumit pro parvo capitio, i. capitis regmine: quem ridiculè sequitur in Lexico suo Pareus. videatur modò Asinar. 2, 4. v. 89.

14. CALI-

14. CALIDUM E.] J. Lipsius Elect. lib. 1. c. 4. *Calida* olim bibebatur & solitaria, & infusa vino: atque hæc gulonibus expetita maximè, & laudata. quam mixtionem, præter cæteros, probat clarissimè Plautus, qui vinum ita mixtum intelligens, *Calidi* nomine uti, non *Calidæ* hîc voluit. Et in Mil. act.3: 2. eleganter potionem illam exprimit Puer ebrius: *Neque equidem heminas octo &c.* Vide ibidem: item Not. Trin. act.4: 3. A

15. TRISTES] demisso capite. *Ebrioli* autem, i. aliquantum ebrii: vel quasi dixisset, *Graculi ebrij*, per contemptum: ut versu præcedente, *Capitulo operto*: L.

16. EXCIAM EX.] ita MSS.Cam.& Lang. quod probissimum videtur Meursio. Pall. omnes & edd.vett. habent, *eyciam*; nullus *excutiam*, quod in recente.

16. CREPITUM] i. *peditum*, Charisius lib. 2. & J.Gul. Petronius honestâ locutione πορδῆς *strepitum obscœnum* vocat. nam πορδὴ est, si cum sonitu fit: βδεσμὸς, si nares potius quàm aures feriat: quod Latinis *Visium*: nam βδεῖν, *Visire*. Vide Scalig.ad Catulli vers.

Subtile ac leve peditum Libonis.

Meursius plusculà in hanc rem congessit Exercit. Crit. lib.2. c.5. Part.2. interque cætera docuit, crepitum ventris interdum etiam metu emitti. quemadmodum hîc Curculio minatur Philosophis, ita se eos pugnis excepturum, ut præ anxietate & metu emissuri sint polentarium. Das er vor angst möcht ein Hosenjuchtzer thun. B

16. POLENTARIUM] Ex polentà comestâ natum: Vel, qui polentam oleat. L. *Polentam* Græci ἄλφιτα vocant. quam describit Plin. lib.18.cap.7. Sed inter *Polentam* sive ἄλφιτα, & *farinam hordei* hoc discrimen erat; quòd ἄλφιτα torrebantur, ut idem docet lib.22. c.25. Nec fuit panis Græcanicus, ut quidam scribunt: Romana enim & res est & dictio: sed quia polentam esitabant, qui tenuiter vivebant, ut Philosophi &c. Vide *Casaub. ad Pers. Sat. 3.* item Not. Asin. act. 1:1. Vocat autem Philosophorum Stoicorum crepitum *polentarium* eleganter & facetè: quia ipsorum cibus polenta erat. Ex istis, Pareus nobis concinnavit in Electis suis titulo Hominis: Crepitus ventris cibum comestum redolere solet. Vanitas plusquam manifesta! & næ Medici multo mox auro onerarent Pareum, si naris sui sagacitate tale quid eis certò indicare posset, ubi hærent circa pueros puellasque quidvis edere solitos, neque id tamen fatentes. ubi. Sed præ risu fere dirumpor.

17. TUM ISTI] J. Gul. è MS. Langii L. *istos*: quod in suis editionibus expressit Pareus, invitis & V.C.& Pall.& Edd.omnibus. dictum enim ut illud Aulul. 4. 8. 1. *Picis divitijs qui aureos montes colunt, Ego solus supero.*

17. DATATIM] Turneb.lib.7: 4. *Datatim ludere*, erat pilà ludere: propterea quòd dabatur. undè quidam *datores* dicebantur in lusu pilæ, qui pilam dabant: alii autem *factores*, qui faciebant, id est, qui feriebant & ludebant, quique in factiones erant divisi, id est, ut dicimus in consuetudine, *in partes*. atque inde illa translatio Ennii apud Isidor. lib.1. Etymol.cap.25. de muliere, quæ sui copiam faciebat, cum etiam alioqui mulieres impudicæ *dare* dicerentur:

—— quasi in choro pilà
Ludens datatim dat se, & communem facit:
Alium tenet: alij nutat: alibi manus est occupata.

Pomponius Adelph. *cum datatim in lecto tecum lusi.* Genera autem ludendi fuisse videntur *Datatim, Raptim, Expulsim.* Novius apud Nonium: *In molis ludunt raptim pilà, datatim morso.* lepidè indicat, servos solere inter molendum de polentà rapere, & invicem alii alium dare: raptim autem ludi in harpasto solet. Varro apud Non. *Videbis Romæ in foro ante lanienas pueros pilà expulsim ludere.* MS. Cam. *datatim.*

18. FACTORES] *Factores* propriè in ludo pilæ dicebantur, & *Factiones*: Græcis αἱρέσεις, πράξεις. Vide *Scalig. ad Manil.* lib.1. & 5. item *Nomenclatorem* H. Junii.

19. SOLUM] *Solum*, pro solea calceamentorum. *Lamb.* V. N. Trin.4: 3.

19. VIT. INFORTUNIO] Sic Truculact.2:2. *Vitare malo*, eleganter. Petronius: *Cum deinde vultu atque ipsà trepidatione mendacium prodidissem, ponere jussit arma & malo cavere.* Palm.& Acid. ex antiq.ed.item Aus.Popma, & ad oram Plauti sui Jos. Scaliger. MSS. tamen & edd. primæ *infortunia*.

20. Si imperare] i. imperando assequi possit, ut quod monstrat, fiat. Douza, Lambini Glossa explosâ, legit: *Rectè hic monstrat, se imperare posse*, h. e. satis verbis ostendit, qualis factis & quàm impotens demum futurus sit, siquidem Imperator evadat scilicet. Nisi si quis, *inquit*, vulgariam lectionem tueri mâlit, & interpretari hoc modo: ut significet Phædromus; Facilè ex hujus verbis est conjectare, si imperandi jus habeat, utrum parem se imperio præstare possit, an secus: sententiâ à priore illâ non nimium abhorrente. Cui respondet jocus ille in Capt. act.1: 2. *Hic qualis Imperator, nunc privatus est?* J. Is. Pontanus Notis ad Macrob. lib.1. c.7. legit: *Rectè hic monstrat, si impetrare possit*: & hanc sententiam ait poscere sequentia: *Nam ita nunc mos viget, Ita nunc &c.* Ita Cas. act.2: 3. *Nolo ames. ST. Non potest impetrari.* Formularem enim locutionem fuisse priscis; *Si impetrari possit: Non impetrari potest*; ab auspiciis ductum: in quibus *impetrare* sive *impetrire*, id fuerit, quod in Sacrificiis *litare*.

Ita nvnc servit.] i. tales nunc servi sunt. L.

22. Genivm] V.N. Bacchid. & Capt. 4: 2.

26. Opportvnitas] qui deâ ipsâ Opportunitate mihi magis opportunus es: Pseud. act.2: 3.

28. Meæ] sc. spes cibariæ. L.

30. Svccidvnt] Lucret. lib. 3. *Caligare oculos, sonere aures, succidere artus.*

33. Aqvalem] ut quasi exanimato aquam offundat. V.N. Mil. 4: 8. Trucul. *ah, aspersisti aquam. Jam redit animus.*

34. Frvstvlenta] i. frustis carnium efferta. Parei editio pr. dissimulatè recepit *absorbeam*, contradicentibus & mss. & edd. omnibus.

35. Ventvm vt] Ambiguè dictum est. vel, facite ventum sive *ventulum*: vel facite ut gaudeam ventum, i. me venisse. Cistel. act. 1. 1. *ventum gaudeo ad te ecastor.* itaque mox subjicit, *ut ventum gaudeam*: Turneb. lib.11: 7. Scaliger in Conjectaneis ad illa Varronis: *Venilia à veniendo, ac vento illo, quem Plautus dicit* (Cistell. act.1. 1.)
Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est, Tranquillo mare ventum gaudeo; notat: Etymon *Veniliæ* deducit Varro ab eo genere loquendi, quo advenientem aliquem excipiebant: cum dicebant, *ventum gaudeo*: quod usurpat Plautus in versu à Varr. adducto. ad quod idem allusit facetissimè in Curcul. *CV. Obsecro herclè quid fac. &c.* Nam τὸ ῥιπίζειν dicebant *facere ventum*. C. Licinius Imbrex, vetus Comicus:

Resupina, obstito capitulo: sibi ventum facere tuniculâ.

Quanquam melius & frequentius dicerent, *Facere ventulum*: ut Parasitus correxerit imperitum juvenem, ob insolentiam loquendi. Ter. Eun. *Cape hoc flabellum, & ventulum sic facito.*

37. Esse] i. comedere.

38. Prospicio] suprà, *tenebræ oboriuntur.*

39. Os amarvm h.] felle scil. è vase, quod κύστιν χοληδόχον appellant Græci, effuso propter inediam: L. Cælius Rhodig. lib.13. cap.24. Medicæ artis, inquit, placita velut aliud agens lepidissimus Poeta inseruit. de quibus ibid. copiosè.

39. Dent. plenos] Vulgata scriptura est, *plenos*. Ad quam Joh. Meursius; Cimmeriæ, inquit, tenebræ hîc Lambino, quas fugabo. *Pleni* dentes sunt, quos Ovidius *scabros rubigine*; Petronius *æratos scabrâ rubigine* appellat: quosque ita sordes infestant, ut muccus nares. Sic *plenæ* numero plur. substantivè pro sordibus apud Arnob. lib.6. *Non hirundines &c.* Est verò *plenus* idem, quod *blennus*: quia vet. B. & P. inter se commutabant: nec consonantes geminabant. Lucilius: *Deblaterat plenus, bonu' rusticu' concinit unà.* Præterea est Græcanicum. Etymologici autor: Βλέννα, μύξα &c. Ita & J. V. Vowerius *blennos dentes* exponit jejunio fœtentes. quem vide ad epist. 13. lib.3. Sid. Apollinaris. Placidus in Glossis: *Blennones, putidi, hircones.* Idem, *Blennus, stultus, hircosus, impudicus.* Nam *hircosus* & ille est, cui anima & os illuvie fœtet, non modò cui alæ. Immò J. Gruterus olim & adhuc adolescens leg. *dentes blennos*: & hanc lectionem probatum iri confidebat iis, quibus ad saporem vetustatis non obbrutuisset palatum. Si, *inquit ille*, Parasitus dicere voluit, dentes sibi stupidos, rubiginosos, & tanquam muccosâ illuvie obsitos, verbum magis efficax haud facilè invenisset. Βλέννα enim *muccus*. Βλεννὸς *stultus, fatuus, pædidus*: quo usus noster Bacchid. act.5.

act.3:1. Ad quem locum Festi Abbreviator: *blennos stultos esse Plautus indicat.* Assentior non aliter scilicet, quàm eosdem stultos, fatuos vocamus, i. insipidos & insulsos. Martial. lib.13. epigr.13.

Ut sapiant fatua, fabrorum prandia, betæ:
O quam sæpe petet vina piperque cocus.

Hæc olim in Suspp. Idem in *Schedis* postea ad me missis, De *dentibus blennis*, inquit, adhuc non muto: tantùm addo, videri posse excidisse Ciceroni lib.2. de Natur. Deor. *Quibusdam regionibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia, propter cæli pleniorem naturam* &c. forte *blenniorem*. Ut & isti loco Martialis, lib.7. Ep.45.

———o asperiòm munera blenna dato.

nam MSS. *plena*; non, *pexa*. Quin etiam ubi legitur Propert. lib.1. el.16. *me sidera plena jacentem*, cum pronunciet Scaliger, hic illud esse ineptum, parum abest, quin refingam, *lideta blenna*: ita dico; mutanda in *blennum*; aut verò *plenum* idem significare atque *blennum*: quod suspicari quid vetat? *Hæc Gruterus*: qui de hac re plura Notis posterioribus ad Martialem.

39. LIPPIVNT] Jocosâ & audaci translatione famelici *fauces* dicit *lippire*: ex eo, credo, quòd, cum in fame os amat escas, saliva que concretior reddatur, & hærescat faucibus, dentibus, palato; & arenosa etiam quædam ore patente fila lentore suo deducat; lippitudinem oculorum imitari videtur. *Turneb. lib.& cap.27.* ST. Claverius Gallus ad Persium, suspicatur leg. *Pippiunt*.

40. LAXIS LACTIBVS] Perperam scribitur, *lassis lactibus*: vel potius accipitur perperam, non scribitur. nam *lactibus lassis* declarantur, defatigatis; at debebant, inanibus, nam *lassis* & *laxis* promiscua veterum scriptura est: ut iidem *adassint* & *adaxint*. Ut autem distenduntur saturitate, ita vacuitate laxantur intestina, non lassantur: J. Gul. Sed tamen Grut. probat *laxis*. quamvis MSS. Cam. & omn. Pall. *lassis lactibus*.

41. ALIQVID] *Aliquid*, incertum est: *Quiddam*, certum: L. Alcidalius annotat; Terentium hinc duxisse, ut *aliquid nihil esse* diceret.

43. ILLIS CONVENTIS] Conventionem, quam sermoni tribuere solemus, ad dentes suos denticntes per ridiculum accommodat, festo pol parasitice. Et alludit ad id, quod supra dixerat *PH. Qui te conventum cupio*. Douza.

44. GLANDIVM] V. N. Menæch. act.1:2.

45. LANCIBVS] In sacris vasibus Lances. Auson. *Turribula & patera, quæ tertia vasa Deûm Lanx.* Virg.12. Æn. *Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.* Propert. 2. el.13. *Desit, odoriferis ordo mihi lancibus.* Sed & Lances in profanis usu. Horat. *rotundas curvat aper Lances.* Passerat.

49. INVENIRE P.] Quod Lamb. de argento dictum videri cupit, ego de ipso Phædromo interpretor. At Parasitus in diversum sensum objectionem illam retorquens, quasi Phædromus dixisset: *Amisisti me*: (ambiguitas enim in verbo *perdidisti*) *possum*, inquit, *invenire te, si mihi operam addere volueris*. non aliovorsum, quàm ad perditarum rerum, quibus recipiendis satagere solemus, fortuitam recuperationem respiciens. Quo etiam referenda, quæ sequuntur: *PH. Perdis me tuis dictis. CUR. Imò servo & servatum volo.* Douza. quæ probata etiam *Grutero*.

49. OPERAM DATIS] J. Gruterus suspicatur, *dato*. nam Phædromo uno opus erat. *Dato*: inde supra *alicitim*. Et hoc in textum recepit Pareus, quamvis omnes MSS. & Edd. propugnent alterum. cur obsecro? quia, inquit, depravati sunt. At unde hoc ei constare potest? Deinde ubi jam est reverentia erga concordem Antiquitatis consensum, quam plenis buccis defensam it, cùm alius quis contra ipsam velificatur, usus ratione ac similitudine veri?

52. SCIRES VELLE GRATIAM TVAM] Ita MS. Cam. & Lamb. quam scripturam probat & Douza: & *Gratiam* pro amicitiâ studioque seu favention positam cum Lambino accipit. nisi si quis, inquit, *Grates* malit interpretari. Ei enim Gratiæ merito debentur, qui egentem amicum Gallâ credulitate lactare noluerit, sed more majorum simpliciterque responderit, sibi voluntatem quidem suppetere, sed copiis destitui. At J. Lipsius legit, *scires velle gratiâ tuâ: noluit sr.* id est, scires facile eum omnia tuâ caussâ velle, sed non posse. idque docere ait sequentia. Imò & Lamb. ita legend. suspicabatur: quomodo Cic. ad Att. lib. 13: 47. *Sed & Phamea caussâ volebam.* item lib. 9. Fam. 13. *Volo ipsorum caussâ*: quanquam hoc suspensis verbis affirmabat, ut dixi. Acidal. vulgatum præfert: & de-

& dicit elegantem hunc loquendi modum A usurpare nos posse, cum amici favorem aut spernere ipsi nolumus videri; aut nostrum illi, ne spernatur, ultrò commendamus.

57. MOESTVS] Ordo est: Mœstus, me illo frustra devenisse: L.

59. ADVENISSE] ita omn. MSS. Grut. & Lang.

60. PREH. DEXTR.] Comitatis & benevolentiæ signum, maximè apud Græcos: L.

60. VENIAM CARIAM.] pro, in Cariam. Persa: *Etreriam misit*. Papinianus JC. *Cum Asiam venisset*. Apulejus 1. Met. *Macedoniam profectus*.

64. VISITASSE] i. sæpe vidisse.

65. PRO IIS] veste & auro: L.

67. QVI ANNVLO] Hic finem versus collocat Gruterus, & sic trochaicos tres ordine sanat, in hunc usque diem vitiosissimos, *tabellas* retinent Pall. omnes editionesque usq; ad Camerarianam, qui è V. C. *tabulas* substituit, nimis religiosus: ideoque coactus tertio versui applicare de suo *ille*,

71. RELIGIO FVIT] Facetè. nam quæ major famelico Parasito religio objectari potuit, quàm spes cœnatica? Jan. Guliel. aliter interpungit: sed eam distinct. Grut. aversissimam ait esse à mente Plauti: laudatque lectionem vulgatam, quæ omnium MSS. Cam. & Pallat. est, quamque Budæus Annon. in Pand. prioribus explicans, Verba sunt, inquit, Parasiti significantis *se*, (ut vulgi verbis utar) *conscientiam fecisse*, si homo ipse parasitus ad cœnam vocatus non iret. V. N. Merc. act. 5: 2. ad illud *Religionem illic objecit*. Is. Pontanus mallet, *Vocat ad cœnam: religio fuit denegare; volui* &c. In religionem suam ac conscientiam peccaturum se credidit Parasitus, si quod unicè exoptabat, excusasset. Terent. *Nam nihil esse mihi, religio est dicere*.

71. DENEGARI] V. N. Sticho, act. 1:1.

73. ME MORARE] Dicit Parasitus, facilè se consensisse, ut illicò cœna committeretur, etiamsi adhuc nimis tempori esset. Non enim Parasiticæ disciplinæ professorem decere, ut diem moretur, seu ut patiatur sibi moram afferri à die, quo minus luce cœnet. Nec decere etiam, ut nimis tardè cœnando nocti noceatur, atque ita somno decedat. L.

73. NOCTI NOCER.] *Nocti nocet*, qui non recipit se domum ante noctem, ut cœnet. cui opponitur, *Cedere*, aut, *decedere nocti*: Virg. ——*nec sera meminit decedere nocti*: & 3. Georg. ——*seræ solam decedere nocti*. Cœnabant autem veteres sub vesperam: L.

75. TALOS POSCIT] J. Douza docet, *aleæ* nomine universa istiusmodi ludorum genera indifferenter comprehensa antiquitus.

76. PONO PALLIVM] Quàm feliciter istæc intellexerit Pareus testantur Electa ejus, ubi notat titulo conviviorum: Accubituri deposuerunt pallia, & annulos signatorios. ô stupiditatis incredibilem amentiam!

77. ANVLVM] Hæc adducit *Brisson*. in Form. lib. 6. ubi probat, obsignatas olim fuisse tabulas anulis signatoriis. V. N. Bacchid. 4:4.

77. OPPOSVIT] ita MS. Cam. & Edd.

77. INVOCAT PL.] V. N. Capt. 1:1. Et Asin. 4:1.

79. NVTRICEM HERCVLEM] J. Lipsius Antiq. lect. 1. c. 2. & lib. 3. Quis iste *Hercules Basilicus*? An, ut Turnebus censet talorum species in qua Hercules sculptus sive pictus cultu regio? logi. Nam quis Herculem unquam B ut regem pinxit? & non potius cum clavâ & pelle leoninâ? Arbitror ipse vitiatum ab interpunctione locum esse, & sic distinguendum:

——*invoco almam meam nutricem Herculem*:

Jacto Basilicum. Cum enim in more esset, ut qui talis luderent, deum aliquem propitium invocarent, ut exempli caussa, milites Martem, amatores Venerem; aut pro Venere amicam: Plautus egregiè in Parasito τὸ πρέπον servans, facit ab eo Herculem invocari, ab hac caussa. Veteribus, cum decimas Herculi pollucerent, (*V. N. Stich. 2, 1. & Rud. 5:3.*) epulum publicè præbere solemne fuit. Ad id epulum inprimis Parasitos advocari, tanquam peculiares ejus dei servos, leges Græciæ sanxerant. Athenæus lib. 6. &c. Simile apud Romanos obtinuisse, ex Possidonii verbis apud Athen. & ex Plutarchi Crasso licet colligere. Itaque cum plerunque usu veniret, ut Parasiti in templo Herculis ex ejus decimis pulchrè acciperentur: quis non fateatur ab homine porco, & uni ventri dedito

rectè

rectè & facetè Herculem invocavit, cum cognomento *nutricis*, quòd ab eo sæpe nutriretur? Tantum est de *Hercule nutrice*. Sed quis *Basilicus jactus*? me judice, idem, qui *Venerius*. Cum enim Græci *magistrum* vulgo βασιλέα dicerent: (*V.N. Persâ act.5:1.& Mil.2:1.*) quid caussæ est, quin jactum illum proprium regi creando, *Basilicum* rectè vocarit? Quis *Vulturius jactus*? idem cum *Cane*. Quòd enim is jactus (qui fiebat, cum quattuor tali pari situ in dorsum subsilirent) infelix esset, & rapax, videntur ei nomina quædam infausta & mali ominis indidisse animalium rapacium, ut *Canis*, *Vulturus*. Hæc ille. Cælius Rhodig. lib 8. cap. 18. Quia *Vultur*, inquit, cadavera summè affectat, ideò Apulejus Caussidicos & Oratores forenses incessens, quòd *eis*, ut ait Columella, *concessum sit in medio foro latrocinium*, *togatos Vulturios* nominavit: ut quibus sanguinariâ rapacitate homines excarnificare moris sit. Sicut Cicero *Vulturios paludatos* appellavit Gabinium & Pisonem Imperatores, qui pretio nundinarentur omnia. Eâdem ratione salibus suis Plautus infernit *Vulturios* pro *talis*, in Curculione. Ut enim Vultures sunt carnivori, & rapto vivunt: sic tali voratores ita sunt, ut dispolient ex toto aleatorem. Porrò Meursius, Etsi illa, inquit, Lipsii de *nutrice Hercule* speciosa videntur: non tamen explodendum existimo, quod est in Cod. Ald. & aliis, *nutricem Herem*. Vult enim significare, se adiisse hæreditatem: nam ii *Herem* colebant. Festus: *Herem Martiam antiqui accepta hæreditate colebant, quæ à nomine appellabatur hæredum. & esse una ex Martis comitibus putabatur*. Immò comes & pedissequa erat non *Martis*, sed *Nerienis*, uxoris ejus, &c. Vide ibid. plura ad rem illam: *Exerc. Crit. Part. sec. lib. 3. cap. 6.* Atque in hâc sententiâ fuit Pius: etsi initio retulit quoque *Herculem* ad *nutricem*. MS. Cam. leg. *almam meam nutricem Herculem*, sed nullâ post ultimam vocem distinctione; ut notat Grut. qui miratur virum dici *almam nutricem*, cum masculina extet terminatio. defendit tamen locum contra Pii *Herem*, nudâ nixam conjecturâ. MSS. Langii, *Herculeam*. Pall. fere omnes & Edd. Vett. *Herculem*. L. Bisciola l. 6. 15. leg. *Heram*, & intelligit Junonem Lucinam, quæ altrix hominum habita, &c. Denique de *Talis* & *Tesseris* copiosissi-

A mè tractavit M. Ant. Delrio, Commentario in Hercul. fur. Senecæ: & inter cætera etiam probas, quod Turnebus volnit, talos imagunculis quibusdam insignitos fuisse, at omnem accuratissimè Is. Casaubonus Animadversionibus in Suet. Augusto, cap. 71. ad illa verba: *Inter cœnam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quisque Canem aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat: quos tollebat universos, qui Venerem jecerat*, &c. Jactum autem, qui talos omnes diversâ figurâ ostendebat, *Venerem* vocabant.

80. PROPINO] ut victor victo. nam ita solebant.

81. C. DEPONIT] V. N. Aul. act. 3:6.

81. SUBDUCO ANULUM] Mart. l. 12. epig. 29. *Subduxit mappas quattuor Hermogenes*. Ita Germ. Einem etwas ausführen.

82. DEDUCO PEDES] Pareus in Electis hinc firmat: In tricliniis decumbebant una cum pedibus! O Risus! si Crassus modo viveret, tuus foret.

83. QUO SATURAI] Locus his Græcis est ἄφεδρος, *secessus*. (ita nostri in re eadem, Einen abtrit nemen) Sic Varro *sellas familiaricas* τὰς ἀφεδρῶνας dixit. Et *sellas* simpliciter Marcellus Empiricus: *Per vomitum & sellas*. Idem ponit *sedere* pro *niti*. Unde verbum *Adsellare* creberrimum in Vegetio, hoc est, ἀποπατεῖν. Sic Varro apud Non. *Retrimenta cibi, quæ exierunt per posticam vallem, sert*. Intelligit, quæ ἀποπάτημα Gr. appellant. Cicero *reliquias cibi* appellavit, in re parum honestâ, non-obscœnâ voce usus. *Reliquias* etiam, nihil addens, quandoque idem vocavit. de quibus *Scalig. in Coniect.* & P. Victorius *Explic. in Varr.* Ita & à Lucretio lib. 4. *Urina* honestè & venustè *saccatus corporis humor* dicitur: quod per corpus quasi sacco percoletur. Sed hæc obiter.

B

85. CUPIS] *u*, producitur. Lucr. 1. *Portarum claustra cuperet*: L.

85. EFFECERO] Acid. l. *exeffecero*: ne versus ruat. quo verbo & alibi utitur, & plenum effectum notat.

86. UT TABELLAS] Sic iterum Pall. & Edd. vett. versumq; corrumpunt qui obsecuti V. C. reposuere *tabulas*.

86. Num

86. NUM MOROR?] ita MS. Cam. & J. Gul. A cum Grutero. Ineptè alii, *non moror*.

87. ALIQ. OBTRUDAMUS] Ita Pall. & Edd. vett. Lamb. l. *obstrudamus*. V. N. Stich. act. 4:2. Parcus non modò heic abit à Palatinis suis MSS. quod *obstrundamus* ostentet, verùm etiam ineptè reposuit *aliud* pro *aliquid*, invitis libris universis, ipsaque adeò sententia.

88. STABILIMENTA] i. fulcimenta, firmamenta. Franci mei: Das helt Leib und Seel zusammen. Non dissimiliter Horat. 2. Sat. 3.

Deficient inopem venæ te: ni cibus, atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.

Ita Sacra Scriptura in Annalibus Critarum cap. 19:5. *Fulci cor tuum buccellâ panis*. de Levitâ Bethlechem.

88. PANEM] Sic Pall. omnes & edd. vett. L. mavult, *pane*, in genere Neut. ut & Meursius: qui veteres & *Panis* & *Pane* extulisse probat. Certè in Brix: & Paris. & MS. Frising. legitur *Pane*. In Ald. *Panis*, in Venetâ *panem*. Camerarius, *Panem*, inquit, liquidò exaratum in nostro lib. reperimus. Et sanè ordo verborum Nominativum exigere videtur. Atque haud scio, an de scripturâ antiquâ Nonius putarit genus fuisse mutatum; quemadmodum & alibi similia errata deprehenduntur. est enim *Panis* &, συναλοιφῇ καὶ ἐκθλίψει, *Pane*. Sed consideretur sanè hoc diligentiùs, etsi ita esse mihi propemodum videtur. Hæc ille. in curis secundis editionis suæ, ineditis.

90. HIC M.] Puer.

ACTUS III.

LYCO, CURCULIO, LENO.

BEATUS videor: subduxi ratiunculam,
Quantum æris mihi sit, quantumque alieni siet:
Dives sum, si non reddo eis, quibus debeo:
Si reddo illis quibus debeo, plus alieni est.
Verùm hercle verò cum bellè recogito,
Si magis me instabunt, ad Prætorem sufferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, reddant nemini:
Pugnis rem solvant, si quis poscat clarius.
„QUI HOMO maturè quæsivit pecuniam,
„Nisi eam maturè parsit, maturè esurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius
Nunc mihi quæratur. usus est pecunia.
CU. Nil tu me saturum monueris: memini & scio.
Ego hoc effectum lepidè tibi tradam: tace.
Edepol næ ego hîc me intus explevi probè,
Et equidem reliqui in ventre cellæ uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hîc est, qui operto capite Æsculapium
Salutat? attat quem quærebam! sequere me.
Simulabo quasi non noverim. heus tu! te volo.
LY. Unocule, salve! CU. quæso, deridésne me?

LY. De

LY. De Coelitum prosapiâ te esse arbitror:
Nam ii sunt unoculi. CV. catapultâ hoc ictum est mihi
Apud Sicyonem. LY. nam quid id refert meâ,
An aulâ quassâ cum cinere effossus siet?
CV. Superstitiosus hic quidem est: vera prædicat:
Nam illæc catapultæ ad me crebrò commeant.
Adolescens, ob Rempublicam hoc intus mihi
Quod insigne habeo, quæso, ne me incomities.
LY. Licétne informare, si incomitiare non licet?
CV. Non informabis me quidem: nec mihi placent
Tuum profectò nec forum, nec comitium.
Sed hunc, quem quæro, commonstrare si potes,
Inibis à me solidam & grandem gratiam.
Lyconem quæro trapezitam. LY. dic mihi
Quid eum nunc quæris? aut cujatis? CV. eloquar.
Ab Therapontigono Platagidoro milite.
LY. Novi edepol nomen: nam mihi istoc nomine,
Dum scribo, explevi totas ceras quattuor.
Sed quid Lyconem quæris? CV. mandatum'st mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem. LY. quis tu homo es?
CV. Libertus illius, quem omnes Summanum vocant.
LY. Summane, salve. qui? Summanus? fac sciam.
CV. Quia vestimenta, ubi obdormivi ebrius,
Summano. ob eam rem me omnes Summanum vocant.
LY. Alibi te melius'st quærere hospitium tibi,
Apud me profectò nihil est Summano loci.
Sed istum quem quæris, ego sum. CV. quæso tune is es
Lyco trapezita? LY. ego sum. CV. multam me tibi
Salutem jussit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me jussit. LY. mihin'? CV. ita.
Cape, signum nosce. nostin'? LY. quid ni noverim?
Clypeatus elephantum ubi machærâ dissicit.
CV. Quod istic scriptum est, id te orare jusserat,
Profectò ut faceres, suam si velles gratiam.
LY. Concede, inspiciam quid sit scriptum. CV. maximè,
Tuo arbitratu, dum auferam abs te id quod peto.
LY. Miles Lyconi in Epidauro hospiti suo
Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit. CV. meus hic est: hamum vorat.
LY. Tecum oro, & quæso, qui has tabellas afferet
Tibi, ut ei detur, quam istic emi virginem,

Quod te præsente istic egi, teque interprete,
Et aurum, & vestem: jam scis, ut convenerit.
Argentum des lenoni. huic des virginem.
LY. Ubi ipsus? cur non venit? CU. ego dicam tibi:
Quia nudiusquartus venimus in Cariam
Ex Indiâ: ibi nunc statuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quæ fiet
Septempedalis: Factis monumentum suis.
LY. Quamobrem istuc? CU. dicam: quia enim Persas, Paphlagonas,
Synopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam & Perbibesiam,
Centauromachiam, & Classiam Unomammiam,
Libyamque oram omnem Conterobromiam,
Dimidiam partem nationum usque omnium
Subegit solus intra viginti dies.
LY. Vah! CU. quid mirare? LY. quia enim in caveâ si forent
Conclusi, itidem uti pulli gallinacei,
Ita non potuêre uno anno circumirier.
Credo hercle te esse ab illo: nam ita nugas blatis.
CU. Imò etiam porrò, si vis, dicam. LY. nihil moror.
Sequere hâc: ted absolvam, quâ advenisti gratiâ.
Atque eccum video. Leno salve! LE. di te ament.
LY. Quid hoc, quod ad te venio? LE. dicas quid velis.
LY. Argentum accipias, cum illo mittas virginem,
LE. Quid quod juratus sum? LY. quid id refert tuâ,
„ *Dúm argentum accipias? LE. QUI MONET, quasi adjuvat.*
Sequimini. CU. Leno, cave in te sit mihi mora.

VErsus omnes sunt jambici senarii.

1. BEATUS] i. dives. V. N. Pænulo act. 1:1. Credibiliter, atque ad exemplum, ut videtur, Timoclei illius: Δημοσθένης τάλαντα πεντήκοντ' ἔχει, Μακάριος, εἴπερ μεταδίδωσι μηδενὶ &c. *Douza.* Parissimum huic, inquit Grut. videri possit illud Lucillii Sat. 29. *Age nunc summam sumptûs ducat sui æris simul atque alieni.* Quod Douza illustrat illo Ulpiani lib. 213. ff. de verb. signif. *Æs alienum est quod nos aliis debemus: æs suum est quod nobis alii debent.* Nec abit diversum Seneca, epist. 88. *Cum ad patrimonium &c.* quæ notavimus ad illud Aul. act. 3:5. *Itur, putatur ratio cum argentario, &c.*

1. SUBDUXI RAT.] Capt. act. 1:2.

4. EST.] Omn. MSS. Cam. & Pall. & omn. meæ Edd. *est*: non, *inest*.

5. C. BELLE RECOGITO] In Langianis fuit, *cum belle rec.* quod J. Gul. vitiosâ illâ scribendi ratione babet pro *bellè*. Bellum esse videtur avaro trapezitæ, non reddere, quod debeat, nisi in jure coactum. Monuit etiam Grut. in MS. Cam. esse *belle*: & sumend. pro *bellè*. Sed quid si MSS. consensum, *cùm belle recogito*, teneamus? & τὸ *belle* voluntatem & consilii destinationem interpretemur? considera.

6. ME INSTAB.] *mi* malit. leg. Cam. nec improbat Lamb. sed Acidal. omni vi alterum defendit. ita Pœn. *tantum eum instat exitii.* Terent. Andr. act. 1:1. *Ille instat factum.* ad

quod

quod Donatus: *Venustè, id est, instat dicere factum esse.* A

6. SVFFERAM] scil. trahi, rapi: *L. D.*

9. POSCAT CLARIVS] Ita MSS. Camer. & Langii; non, *durius*. Profectò verè, auctorib. Guliel. & Grut. Nam, *poscere clarius*, in nominibus appellandis, propriè & Latinè si loquare, *flagitare est*. Glossæ vet. *flagitaverit*, μετὰ βοῆς ἀπαιτήσῃ. Eædem alibi, Ἀπαιτῶ βιαίως, *Flagito, efflagito, profligo*. Pseud. act. 1:5. *Clamore magno & multum flagitabere.* hic Fab. inferiùs: *Postquam nihil fit, clamore hominem posco: ille in jus me vocat.* quæ verba mirè hunc locum confirmant, in eâdem re & homine præsertim posita. Hinc *flagitatores*, qui nomine tumultuosius & instantius appellant. Et *flagitium*, appellatio clamosa, & cum verborum contumeliâ. Epid. 3:4. *Flagitio cum majore post reddes tamen.* V. N. Mercat. act. 2:3.

10. QVI HOMO MAT.] Hunc locum Charisius lib. 2. ita explicat: Qui homo tardè, i. vix & ægrè quæsiit pecuniam, nisi ei citò pepercerit, citò esurit. Ait enim: *Maturè duo significat, citò & tardè.* Itaque ex sententiâ Charisii, *maturè quæsiit*, valet, tarde quæsiit, *maturè parsit*; & *mature esurit*, valet, citò pepercit, & citò esurit: *Lamb.* Porrò, *Eam parsit*, antiquè dictum. ut Virg. 10. Æn. *-talenta gnatis parce tuis.* Symmachus lib. 1. epist. 33. *Istius muneris operam non reparcam.* B

12. VSVRARIVS] *Puer usurarius* est, catamitus. V. N. Amph. Argum. Turneb. lib. 3:12.

14. NIL TV ME SAT.] q. d. Si satur non essem, me monere deberes: nunc autem cum satur sum, &c. L.

19. OPERTO CAP.] V. N. Amph. act. 5:1. ver. 42.

22. VNOCVLE] Notat Grut. omn. MSS. & Cam. & Pall. Editionesque Vet. habere, *uno oculo*. Etsi iidem MSS. mox v. 24. *Unoculi* repræsentent. MSS. Lang. utrobique, *Uniocul.*

23. DE COCLITVM] i. Cyclopum. Non de Romanorum Coclitum familiâ, inquit Turnebus, lib. 23. 26. itemque ad Varr. sed de Arimaspis dictum intelligo, qui Riphæos montes incolebant & erant, ut fama ferebat, Unoculi; Varr. lib. 6. *Cocles quasi ocles, qui unum haberet oculum, &c.* Plin. lib. 11: 37. *Qui altero lumine orbi nascerentur, Coclites vocabantur: qui parvis utrinque, Ocellæ.* (alii; *Ocelli*) *&c.*

24. CATAPVLTA] Hic locus, in quo erat alter oculus; Catapultâ mihi percussus est, & ita oculus corruptus, catapultâ repertâ dixit Laco, ἀπώλετο δ' ἀνδρῶν ἀρετά: *periit virorum virtus.* Quid nunc diceres, mi Laco? ubi Tormenta illa ænea & bombardas, πυριβόλα, sive πυροβόλους nostros videres? V. N. Captiv. act. 4. 1.

25. SICYONEM] *Sicyon* Urbs vetustissima in Peloponeso, non procul à Corintho.

26. AX AVLA QVASSA] V. N. Capt. act. 1: 1. Simili argumento apud Athenæum lib. XIII. cùm verbero quidam cui tergum cicatricosum erat, assevéraret sibi puero affusum jusculum fervens instar meretriculæ; *sanè*, inquit, *sed vitulinum.*

27. SVPERSTITIOSVS] i. divinus seu vates, & ariolus: ἔνθεος καὶ θεοφόρητος. *Scal.* V. N. Amphit. act. 1. 1. Hinc apud Ciceronem lib. 1. de divinatione, *Superstitiosæ ariolationes*, vaticinationes sunt divinæ & fatiloquæ. *Turneb. lib.* 5. 21.

28. CATAPVLTÆ] Ergò *Catapulta* non solùm tormentum, sed etiam telum est: ut infrà, act. 5. 3. *Turneb. lib.* 15. 1.

29. HOC INTVS MIHI] Grut. MSS. omnes, inquit, legunt: —— *hoc intus mihi Quod insigne habeo.* At nondum reperi tamen, qui mihi illud *intus* explicaret. aliquando suspicabar, *hoc incussum est mihi.* Illud, ait, dehonestamentum oris, quod vitio vertis, vi contigit hostili, dum pro patria strenuè pugno: non etiam dum contumelias perfero, ut in nuis, coquorúmne an ebriorum adolescentum. & istud in editionis suæ pr. profundum admisit Pareus. Acidal. l *ictus*. Insigne ictus, vestigium capit vulneris catapultâ icti. Ob id virtutis pro Rep. acceptum insigne tibi, inquit, calamitati meæ insultare.

30. NE ME INCOMITIES] Festus: *Incomitiare significat tale convitium facere, pro quo necesse sit in comitium, hoc est, in conventum venire.*

32. NON INFORABIS] Jocus ex ambiguo, alludens ad *Forum* & *Comitium*. Etiam Scaliger in Priap. monuit, *Perforare* ... flagitiosum verbum esse. V. N. Rud. act. 2: 4. Et. Poleuus in Histor. F. R. cap. 2. *Incomitiare & forare*, inquit, à Pl. non minus felici & festivâ, quàm audaci analogiâ dictum,

pro eo, quod est, experiundi gratiâ in jus vocare, aut trahere.

32. NEC MIHI PLACENT] ita MSS. Cam. & omn. Pall. nisi quod ii *placens*, recentt. *non mihi placet*. Grut.

35. INIBIS à ME] *Gratiam ab aliquo inire*, est dato beneficio alicujus gratiam & amicitiam mereri. Vide Donat. ad illud Eunuch. act. 3:5, *ab eo gratiam hanc inibo*.

37. CVLATIS] V. N. Menæch. act. 2:2.

40. DVM SCRIBO] dum ei per Syngrapham, ob acceptam pecuniam caveo. Horat. 2. Sat. 3. *Scribe, decem à Nerio*: Bosius. *De ceratis tabellis* V. N. Asin. 4.1. & alibi. Item Jos. Mercerum Opin. lib. 1. 12. ubi etiam docet, quid *Prima*, quid *Ultima* cera sit.

45. OBDORMIVIT] ebrius aliquis, ita quidem Lambinus.

46. SVMMANO] Turneb. lib. 11:7. *Summanus* deus est Manium summus, (unde & dictus) id est, *Pluto*, qui omnes avarissimè rapit in suum thesaurum. inde *summanare*, pro avidè rapere & furari, Summani more, finxit lepidus Poeta. Utitur eo Marc. Capella lib. 2. Arnob. lib. 5. Plin. lib. 2:52. & lib. 29:4. Cic. 1. de Divinat. ut annotat Lambinus. Putat Meursius, *Summanare* dixisse Plautum propter euphoniam, pro *submanare*, id est, ὑποχεῖσθαι ποιεῖν: & ludere voluisse in alliteratione. V. N. Stich. act. 5.2. In omnibus, MSS. & Cam. & Pall. legitur, *ubi obdormivi ebrius*: itemque cusis ante Camerarium; is interposuit, *ubi obdormivi ibi ebrius*. At Lamb. *ubi obdormivit ebrius*: quod & Scaliger ad oram editionis Plauti sui notarat. Invenitur in Glossario vet. *Summanus* σεμνηθεός.

QVEM OMNES] Suspicatur Grut. quem *homines Summ.* sed suspicatur tantùm.

53. SIGNVM NOSCE] V. N. Bacchid. 4:6. inprimis Amphitr. act. 1.1.

54. CLYPEATVM] Festus antiquâ scripturâ, *Clupeatum*.

54. DISSICIT] Haud aliter MSS. Pall. & Edd. vett. à vet. verbo *dissico, cas, cit*: pro *disseco, cas, cat*. Ita Lamb. è sex suis vet. Codd. atque ex Adversariis *Cl. Puteani*. quanquam rectè etiam legi censet, *desicit* pro *desecat*, ex scripturâ Cam. quæ est *dissicit*. Festus: *Dirigere apud Plautum invenitur pro discindere*. ubi hunc locum intelligi ait Scaliger: & *dirigere elephantem* dici, ut Nigidio, *cultro gallinam dirigere*. De *dissicere* V. N. Rud. 1:2. Martianus Capella:

Aurora primo convenustans halitu,
Surgens fenestras dissicaret lumine.

Nonius hîc in Plauto legit, *diligit*. de quo Amph. act. 1:1. Asin. act. 3:3. Meursius leg. *machærâ diribit*: adducitque eundem locum Festi, ita tamen ab se emendatum: *Diribere apud Plautum: invenitur pro discidere*. Et *discidere*, inquit, sicut *concidere*, &c.

56. PROFECTO] i. cum profectu, & sine frustratione. Vide N. Pœnul. 2:1. vim vocis, non assequuntur qui substitutum cupiunt *Perfectum*. quod an Latinè dicatur, Pareus viderit; cui id tam valde placet.

57. CONCEDE] secede: *L.*

61. MEVS HIC EST] V. N. Pseud. act. 1:1.

61. HAMVM VORAT.] Tabellis, quas legit, capietur, ut hamo pisces: *L.* Simillimum hoc illi putat Longolius Bacchid. act. 4: 6. *Nunc ab transennâ hic turdus lumbricum petit*. V. N. Truc. act. 1:1.

69. DARE] i. dedicare. Ex formulâ solemni. *D.*

71. FACTIS] rerum à se gestarum. *D.*

73. ARABAS] alii, *Arabos*. alii *Arabes*.

74. PEREDIAM] Festus: *Perediam & Bibesiam Plautus cum dixit, intelligi voluit cupiditatem edendi & bibendi*. Venustè, inquit, Turneb. lib. & cap. 27. ut nihil suprà, *Perediam & Perbibesiam*, ut Provinciarum nomina commentus est: ita ut prius *Peredia* nomen referat, & esca tamen comitem continuò potionem, quæ *Perbibesia* nomine exprimatur, attrahat. *Classis* verò *Unimammia* figurâ Comicâ & fictione exercitum Amazonum significat: cum & *classis* exercitum declaret: & constet, ferramento candente alterutram sibi adussisse mammam Amazones, ut una tantùm eis reliqua esset. Sed tantùm exercitū pro terrâ Amazonum audiri vult, & regionum terminatione formavit. Quin & *Centauromachia* jlocaliter hîc Thessaliam significat, cujus olim partem tenuisse Centauros è Poetis notissimum est. Et, *Libyamque omnem omnem Conterebromiam*, cum dicit, jocatur novato verbo, significans omnem illam terram, quam Liber Pater exercitu lustravit, quamque obeundo contritus & fatigatus est. *Hæc ille*. Etiā Servius, Æn. 11. notat Amazones à Tatiano *Unimammas* vocari. Alii (Cam. Lāb. & Dou-

& Douza) scribunt *Unomammiam*: notatq; Grut. in MS. Cam. legi, *& Classiam, Unomammiam*: plerosq; tamen Pall. conjungere *Classiam Unom.* quartum praeterea notare, aliàs legi: *& Classem Unomammiam.* Sed ad *Contericbromiam* quod attinet; putat (inquit idem Gruterus) anima illa renascentis Antiquitatis Turnebus, eum jocari novato vocabulo, dum significat omnem illam terram, quam Bacchus exercitu lustravit, quamq; obeundo contritus & fatigatus est. Verùm ego (ignoscant mihi beatissimi manes) arbitror designari hic Libyam illam, quae vini est ferax, eamq; vocari ideo *Conterebromiam*, quòd Bromium, hoc est, uvas sive vinum conterat. Vindemiam celebrantibus satis dixi. Inde & absolutè Cas. act. 3:5. *nisi hac meraclo se usquam percussit flore Libyco.* quem versum diviné enucleat summus ille Criticorum. Advers. lib. 8: 11. Ab hâc causâ non semel *conterere* ponitur bonis autoribus pro vincere & superare habere subjectum. Propert. lib. 3. el. 11. ubi agit de munerum impotenti potentiâ:

Haec etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quaeque terunt fastûs, Icarioti, tuos.

Scio quomodo candidissimus ille Gallorum haec explicet: sed ego conjicio legend. *Conque terunt fastum &c.* Ut velit Poeta Umber, opibus illis non tantùm quamlibet pudicam ad libidines provolvi, sed & ipsam expressam Pudicitiae imaginem; Penelopen, inquam, ad harum flammeum splendorem superciliosum submissuram pudorem, suique copiam facturam cupientibus. Sic Curcul. act. 4: 4.

Meaque pugna praeliares plurimae
Obtritae jacent. Haec Gruterus. & verò nulli MSS. Pall. aut Edd. vett. agnoscunt copulam *et*, quam Turnebus ponet post *Lybiamq.*

82. AB ILLO: NAM] ita omn. MSS. ait *Gruterus.* nec opus mutare cum J. Gulielmio, *te esse ab illo jam. ita enim &c.* J. Palmer. *Video te esse ab illo*, valet *esse illius servum*: ut Ter. Andr. *ab Andriâ haec est*, valet, est ancilla Andriae.

83. BLATIS] V.N. Epid. 3: 1. MS. Cam. & Pallat. *blatis.*

88. IVRATVS SVM] sc. me virginem Phaedromo traditurum. L.D.

89. QVI MONET] In hâc Comoediâ, & hoc presertim actu tertio, existimat *Gul. Canterus* aliquot Scenas desiderari: Nov. Lect. lib. 4. cap. 10.

90. MIHI MORA] V. C. *mora mihi.* Pall. & Edd. vett. *monori mihi.*

ACTUS IV. SCENA I.

CHORAGUS.

EDEPOL nugatorem lepidum lepidè hunc nactu'st Phaedromus.
Halophantam an sycophantam hunc magis esse dicam nescio.
Ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere.
Quanquam cum istoc mihi negoti nihil est: ipsi Phaedromo
Credidi. tamen asservabo. sed dum hic egreditur foràs,
Commonstrabo, quo in quemque hominem facilè inveniatis loco.
Ne nimio opere sumat operam, siquem conventum velit,
Vel vitiosum, vel sine vitio: vel probum, vel improbum.
Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in Comitium.
Qui mendacem & gloriosum, apud Cloacinae sacrum.
Ditis damnosos maritos sub Basilicâ quaerito.
Ibidem erunt scorta exoleta, quique stipulari solent.
Symbolarum collatores apud forum piscarium.
In foro infimo boni homines, atque dites ambulant.

In medio propter Canalem, ibi ostentatores meri,
Confidentes, garrulique, & malevoli suprà Lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipsi sat habent, quod in se possit verè dicier.
Sub Veteribus, ibi sunt qui dant, quique accipiunt fœnore.
Ponè ædem Castoris, ibi sunt, subitò quibus credas malè:
In Tusco vico, ibi sunt homines, qui ipsi sese venditant.
In Velabro vel pistorem, vel lanium, vel aruspicem,
Vel qui ipsi vortant, vel qui aliis ut versentur præbeant.
Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.
Sed interim fores crepuêre. lingua moderandum est mihi.

J. C. SCALIG. Poetices l. 1. c. 9. CHORVS, *inquit*, est pars inter actum & actum; vel potius post actum, introducta cum concentu, &c. Fuit autem per initia Chorus monoprosopus in Fabulis. Unus enim quispiam prodibat, civium vitia recensens; idque sine cantu. Talis est apud Plautum *Choragus* in Gurgulione. deinde alter additus, ut interrogationibus & responsionibus explerent animos varietate. Summa enim laus in Poeticà, novitas, &c. *Is. Casaubonus*: Choragos, inquit, vocant hodie eos, qui pecuniâ suâ chorum conducunt & instruunt: ac primitus χορηγὸς dicebatur is, qui erat verè ἡγεμὼν τῦ χορῦ: cujus erat officium, videre ne imperitiâ chori aut lasciviâ vetus Musica corrumperetur, sed pura atq; sincera servaretur. Vide & Not. Trin. act. 4: 2. Habet autem hæc Scena versus Trochaicos Archiloch. A

V. 2. HALOPHANTAM] Festus: *Halapanta significat omnia mentientem*: ἀπὸ τῆς ἅλης, ἤ. πλάνης & ἀπάτης. Ad quod *Scaliger*: Ego suspicior, inquit, Plautum scripsisse *Halopantam* per *O*: ut παρὰ τὴν ἅλα simile faceret, ut παρὰ τὸ σῦκον factum est *Sycophanta*. Nihil significat *Halopanta*, sed Comicè & tempore lusum est, propter habitum marinum. & rectè hodie in Codicib. Plautinis legitur per o. *Halophantam an sycophantam hunc magis esse dicam, nescio.* Hæc ille. J. Palm. ἅλς, *inquit*, contumeliæ verbum est, (ut, *febris, senium, vomitus, pus*) hinc Curculione *Halophanta*: & Pœnulo, *halagoras*, seu, ἅλς agoras. Camerarius putat lusisse Plautum, ficto nomine de *sale*; re & ipsâ vili; ut alterum fictum esset de *ficis*, cui adstipulatur Gruterus: B quasi velit, *Sycophantam* dicere hic propriè *non* possum, sed *halophantam*; ubi scilicet ficorum furta non puniuntur, sed si quis salis vectigal intervertit. Sal sanè ubiq; venditum publicè: pretiumque constitutum indicantibus privatim id distrahentes, damno mancipum salinarum. videatur Livius lib. 29. cap. 37. Plin. lib. 31. cap. 7. aliiq;. Alciatus lib. 11. cap. 4. παρέργ. l. *Kalophantam* (ut & MSS. Camer. & Pall.) & interpretatur χρηστολόγον, i. qui honesta quidem loquitur, sed cujus facta ab oratione discrepant, &c. Turneb. leg. *Holophantam*, q. d. in omni re impostorem, vel qui omnia mentitur, &c. Vide lib. 11. c. 5. Gul. Canterus Nov. lect. lib. 4: 10. quum Festi & Nonii sententias flagellasset, & Camerarii examinasset, subjungit: Existimo ego, Curculionem Parasitum habitu nautico seu marino (quandoquidem è Cariâ per mare Epidaurum appulerat) ad Lyconem venisse, ut patet ex verbis Choragi, *Ornamenta quæ locavi &c.* Dubitat igitur, utrum hunc *halophantam* potiùs an *sycophantam* dicere debeat. Nam sive ad habitum ejus nauticum respiceret, transmarinus quidam, non urbanus impostor apparebat: sive ipsum hominem contemplaretur, nihil aliud, quàm permagnum ardelionem comperibat, &c. Atque hanc solam sententiam vero, i. suæ interpretationi proximam esse, pertendit Lambinus: de quâ & fusissimè tractat: ac vocem quidem & ipse ab ἅλς, i. *mare*, & φαίνω, *ostendo*, derivat: ut *Halophanta* appelletur, quòd vestitum coloris marini gerat: *Sycophanta* verò, quod Lyconi fucum faciat. Versum autem, quem alicubi adhærescere dixerat Camer. sic expedit: *Haloph. hunc an Sycoph. esse magis*

magis d. n. Vel sic: *Hunc bal. an sycoph. esse m. d. n.* Mi Lector candide, probare tibi industriam meam volui, dum nullius viri docti sententiam omisi. Tu nunc elige ex istâ copiâ, quod vero putaveris proximum. M. N. L.

2. HUNC MAGIS] ita solùm Pal. sec. MS. Cam. & Pal. ferè, item olim cusi: *hunc magis hoc esse*: Grut.

3. METUO UT POSSIM] V.C. *metuo huad.* Pall. & Edd. *metuo haud poss.* quod non omninò rejecerim ob consensum.

6. QUO IN] pro, *in quo.* dignumq; animadversione, similium morum homines aliis in locis urbis reperiri solitos, non Romæ modò sed & Athenis. videatur Theophrastus περὶ διηγήσεως, & ibid. Casaub.

9. MITTO IN COM.] Sic omn. MSS. videtur tamen Grutero legendum, *ito in Comitium.* imo versus caussa, *hominem* præterea expungi posse putabat; vel certe eo retento abiici *mitto*; ut pendeant istæc à *quærito* versus tertii seq.

9. COMITIUM] i. ad puteal Libonis: quod ara fuisse videtur in comitio, in gradibus ipsis ad lævam Curiæ sita, in quam jurari solebat. Vide Ræyard. JC. Var. Lect. lib. 5: 8. Turnebus, Non sine caussâ, inquit, perjuros dicit in comitio esse. nam in comitio, ubi jus dicebatur, erant litigiosi. Et *comitiales homines*, qui religionem jurisjurandi parum colere noverant. V.N. Pœn. act. 3: 2.

10. CLOACINÆ SACRUM] Turneb. lib. 8. cap. 27. *Mendacem & gloriosum apud Cloacinæ sacrum* esse narrat: quod, ut suspicor, quamvis *Cluacina* à purgando, ut Plinius lib. 15. cap. 29. refert, dicta sit; tamen etiam in *cluendi* nomine, unde ejus proficiscitur veriloquium, inest celebritatis sensus: cum *cluere* sit nominari, celebrari. Non igitur abs re, qui gloriæ studebant, apud deæ illius sacrum sæpe erant. Hæc ille. J. Dalechamp. ad illum Plinii locum notat: *Luere* est purgare. *Lua mater*, dea quæ purgabat. Ei nonnunquam, ad lustrandum hostium cædem arma & spolia incendebantur. *Cluacina Venus*, quasi, *luacina*, à purgatione est dicta. quamvis Tertullianus à *Cloacâ* Cloacinam dictam contendat. Vide & Romam G. *Fabricij* cap. 10.

11. DITIS DAMN. MARITOS] V.N. Epid. act. 2: 3. Alciatus leg. *dictis damnosos maritos.* quem vide, si hic tanti, lib. 11. c. 10.

11. SUB BASILICA] Unde *subbasilicani.* V.N. Capt. act. 4: 2. Glossarium: *Basilicarius*, παλαιστής, ἀγοραῖος: ubi fortè legend. *Basilicarius*: nisi si fuit *Basilicanus*. Grut.

12. SC. EXOLETA] Festus: *Exoletus, qui olescere, i. crescere desiit.* Glossarius: *Exoletus*, ὑπέργηρος, καὶ ἔξωρος. Idem: *Exoletus*, πρόβαιος.

12. STIPULARI] ita Pall. & Edd. vett. Passeratius l. *quique adstipulari solent*, &c. In MSS. Lang. est, *exstipulari*, quod & ad oram Plauti sui notavit Scaliger.

13. SYMBOLARUM] Hos *Symbolarum collatores* non malè *Symbolones* dici posse arbitratur *Gruterus*. De Symbolis V.N. Epid. act. 1: 2.

14. IN FORO INFIMO] i. in infimâ fori parte. Sic apud Horat. 1. Epist. 1. *Janus summus.* sic, *ima cena*, &c. Vide N. Persâ 3: 5. & extr. Cistell.

14. BONI HOM.] scil. in speciem. Divites, boni viri videntur: & eos ita sæpè appellat Cicero ad Atticū. Ac nota, hic dici, quod rariusculum est, *boni homines*. L. gute leut.

15. CANALEM] Festus: *Canalicolæ forenses, homines pauperes dicti: quòd circa canalem fori consisterent.* Ad quod Scaliger: *Canalicolas forenses* vocat, ut etiam Græci ἀγοραίους, hoc est, χυδαίους. Et Lips. Elect. 2: 3. in Agellio lib. 4: 20. leg. *Qui jurabat, cavillator quidam, & canalicola & nimis ridicularius fuit.* Et addit, ita dictos olim homines forenses, dicaces, ἀγοραίους: quia circa Canalem crebri.

16. LACUM] sc. Lucrinum, vel Servilium: L. D. Alii etiam *Curtium* interpretati sunt; qui tamen Plauti tempore nullus erat: ut docuit *P. Merula* in suâ Cosmographiâ, qui *Lacum Juturnæ* hic unicè designari ait, quem P. Victor in Foro ponit.

17. DE NIHILO] V.N. Mostell. act. 3: 2.

18. QUOD IN SE IT.] in Lang. & Cam. Codd. l. *quod in se possit*. Elegantius est, *in aliquem dicere.* Sic Mostell. *Si quid tu in illum benè voles loqui, id loqui licebit* &c. Grut. *quod ipsis poss.* Pall. & edd. vetr.

19. SUB VETERIBUS] sc. tabernis: L. & Rævardus Var. lib. 3: 15. Sic apud Terent. Eun. *Non cognosco vestrum tam superbum*: ἀντὶ τοῦ νοῦν, animum, morem, ingenium, aut insti-

ſtitutum ſubaudiri, rectè cenſet Donatus. Sic Cic.2.de Orat.dixit, *ſub-novis*. Varro lib. 5. De LL. *Sub-novis dicta pars in foro ædificiorum.* ita Livius lib. 44. *Pone Veteres ad Vortumni ſignum.* Vide Lipſ.ad Annalem Taciti, & Briſſ. lib.12. Antiq. c.12. item Carol. Sigon. lib.2.de Antiquitate JurisR. cap.11.

20. PONE ÆDEM CASTORIS] Vox *ædem* officit verſui, & videri poſſit adjecta ab ignorantia librarii. *Grut.*

20. SVBITO Q. CR.] ibi ſunt decoctores, & inficiatores lenti, quibus ſi quid mutuò des, fruſtra repetas. L.

21. TVSCO VICO] V. N. Ciſtell. act.2: 3.

21. VENDITANT] lenones & ſcorta. Horat. *Tuſci turba impia vici*: L. Quidam *auctoratos* hic intelligit, de quis Gloſſarium: *Auctoratus*, ἀνθρώπος εἰς δοῦλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ Μονόμαχος. Manil.lib.4.

Nunc caput in mortem vendunt, & funus arenæ,
Atque hoſtem ſibi quiſque parat.

Sed rejicit hanc interpretationem Gruterus, utpote cui adverſetur & ſæculum, & locus. Plauti enim ævo tale nihil in uſu. Et cur in vico Tuſco illi homines potiſſimùm agerēt? nugæ! Rævardus lib.1.cap.8. Conject. docet, in Tuſco vico homines liberos conſiſtere ſolitos, qui ſe venales poſtularent. illudq; Horat. 2. Sa. 3. *Tuſci turba impia vici*, contra interpretes huc trahit: cum fæneratores non in Tuſco vico, ſed ſub *Veteribus* aſſidui fuerint. Pareus in Theſauro ſuo carbonum, tit. *Adulterii* notat adulteros hic deſignari, valde ſtulte. ubiq; adulteri amant, non in vico Tuſco tantum.

22. VELABRO] V.N.Capt.act.3.1.verſ.29.

VEL PISTOREM &c.] Omnes verſu iſto ac ſequenti comprehenſos, Gutherius 4. cap.6. de jure Pontif. accipit pro iis qui ſe ad rem divinam privatam conductos cuperent, inter-

A eaq; ibidem ſtarent otioſi. *Piſtorem*, vel *fictorem* putat, qui pararet fictas hoſtias humilioribus.

23. Q. ALIIS, VT VERSENTVR, P.] ita Lipſius, unâ litterulâ abiens à MSS. Cam. & quinq; Pall. & olim cuſis, *Vel qui ipſi vortant, vel qui alij ſubverſentur præbeant.* Turnebus lib.11: 7. leg. *vel qui alios ſubverſandos pr.* & ſic explicat: Qui vel ipſi fallant, vel qui alios fallendos præbeant. Et putat eſſe ductum à piſcibus, qui dum aſſantur, verſantur. Lamb. ab illo diſſentit: & *vertere* poſitum eſſe ait, pro *evertere*, h. e. per translationem, *bonis evertere*. quem vide, ſi operæ eſt. Ei adverſatur Guther. dixiſſe enim Virgilium, *animum partes verſabat in omnes*, & *verſare oves*, pro pecus huc illuc agere. *Vortere* ergo & *ſubvortere*, inquit, ad aruſpicem pertinet, qui & ceremonias, ſacrificantes edocebat, & victimarum exta conſiderabat, homoq; alioqui nul-

B lius precii, per interpoſitas perſonas plerumque ſubvertebat, id eſt deludebat, & ad ea ſe vertebat quæ uſus poſceret. &c.

24. LEVCADIAM OP.] Turneb.lib.& c.27. & lib.11:7. *Leucadiam Oppiam* cum dicit, opinor, domū intelligit Libertæ Oppiorum, quæ *Leucadia* vocabatur, in foroque habitabat: ad quam damnoſi & nequam mariti plerunque divertebant. Certè in illâ Urbis regione erat Oppiorum domus: cum ænigmaticè *Oppios de Veliâ* nominet Cic.lib.7.ad Att.13.(*Vide N. ib. P. Manutii & Boſii*) Sed in antiquis voluminibus, *operiam* (ut ſit, expectabo) ſcribitur: ut non dubitem pronunciare, *Leucadiam* fuiſſe Leucadiorum in foro ſtationem; ut *Græcoſtaſin*, quæ à Græcis nomen habebat. Hæc ille. Hunc verſum, ut alienum, delent Lambinus & Alciatus: qui tamen eſt in MSS. Cam.& Pallat.atque in horum ſexto legi, *Lecadiam Opiam*, ſuperſcriptumque, *Sepulcrum Opia de Leucadiâ*, notat Gruterus.

ACTUS IV. SCENA II.

CVRCVLIO, CAPPADOX, LYCO.

Tu præ, virgo! non queo, quod ponè me eſt, ſervare.
Et aurum, & veſtem omnem ſuam eſſe ajebat, quicquid hæc haberet.
CA. Nemo it inficias. CVR. attamen meliuſculum eſt monere:
LY. Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberali

Cauſâ

Caussâ manu assereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. CA. meminero! de istoc quietus esto.
Et nunc idem dico. CVR. & commeminisse ego hæc volam te.
CA. Memini, & mancipio tibi dabo. CVR. egon' ab lenone quicquam
Mancipio accipiam? quibus sui nihil est, nisi una lingua
Qui abjurant, si quid creditum est. alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alienisque imperatis.
Nec vobis auctor ullus est, nec vosmet estis ulli.
Item genus est lenonium inter homines, meo quidem animo,
Uti muscæ, culicesque, pedesque, pulicesque.
Odio & malo & molestiæ; bono usui estis nulli.
Nec vobiscum quisquam in foro frugi consistere audet.
Qui constitit; culpant eum, conspuitur, vituperatur:
Eum rem fidemque perdere, tametsi nihil fecit, ajunt.
LY. Edepol Lenones, meo animo, novisti, lusce, lepidè.
CVR. Eodem hercle vos pono & paro. parissimi estis ijbus.
Hi saltem in occultis locis prostant, vos in foro ipso.
Vos fœnore, hi malè suadendo, & lustris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus scivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam.
Quasi aquam ferventem, frigidam esse, ita vos putatis leges.
LY. Tacuisse mavellem. CAP. au! malè meditate malè dicax es.
„ CVR. INDIGNIS si malè dicitur, maledictum id esse dico:
„ Verùm si dignis dicitur, benedictum'st, meo quidem animo.
Ego mancipem te nihil moror, nec lenonem alium quemquam.
Lyco, nunquid vis? LY. bene vale. CVR. vale. CA. heus tu! tibi ego dico.
CVR. Eloquere, quid vis? CA. quæso ut hanc cures, bene ut sit isti.
Bene ego istam eduxi mea domi & pudicè. CVR. si hujus miseret,
Ecquid das, qui benè sit? CA. malum. CVR. tibi opus est hoc, qui te procures.
CA. Quid stulta ploras? ne time, bene hercle vendidi ego te.
Fac sis bona frugi sies. sequere istum bella bellè!
LY. Summane, nunquid nunc jam me vis? CVR. vale atque salve,
Nam & operam & pecuniam benignè præbuisti.
LY. Salutem multam dicito patrono. CVR. nunciabo.
LY. Nunquid vis, Leno? CA. istas minas decem, qui me procurem,
Dum melius sit mihi, des. LY. dabuntur. cras peti jubeto.
CA. Quando bene gessi rem, volo hic in fano supplicare.
Nam illam minis olim decem puellam parvolam emi.
Sed eum qui mihi illam vendidit, nunquam postillà vidi:
Periisse credo. quid id meâ refert? ego argentum habeo.
„ Quoi homini dei sunt propitij, lucrum ei profectò objiciunt.
Nunc rei divinæ operam dabo: certum est bene me curare.

VERSVS hujus scenæ sunt Hipponactei. A

V. 1. I TV PRÆ V.] ita omnes Pallat. & sic videtur versus requirere. sed in MS. Cam. est, *Ei tu prode virgo*. Grut. Pareus prodit in notis, Pall. omnes non habere *præ*. quid ergo habent? aut vanus est, ut solet, aut captio subest. sane exstat in eis omnibus *pra*, sed absque diphthongo.

1. PONE ME] i. à tergo. ibi enim oculatus non sum. D.

2. QVICQVID HÆC HABERET] Versus pedes habet plures quam requirit. V. C. habet, non *cuiq.*, ut ex scripsit Pareus, sed *cuiquam*. forte fuit, *ajebat quàm hæc haberet*.

3. CA. NEMO II INFICIAS] Ita *Pist.* è Ven. Personas digerit. Illud, *Et commeminisse hoc ego volam te*, est, q. d. Illud, quod jam Lyco te admonuit, idem & ego te volo monitum. Ita ferè & Acidalius personas ordinat: arripuitque utraque editione sua Pareus. Sed quòd iidem admonitionem istam de evictione promissâ, non Lyconi, sed Curculioni tribuunt, eâ ratione, quasi nihil ad Lyconem attineret; in eo Pistoris ipsis minimè adsentitur. Nam unde Curculio scire poterat hanc stipulationem interpositam fuisse? Certè si à Milite audivisset, non tacuisset id superius, B cum Phædromo omnia, quæ cum Milite egerat, aperit. Deinde, quomodo dicere potest Curculio, *Mihi omne argentum redditum iri*. Quid ipsi promissum erat? Neque adeò ipsi, sed Militi reddendum fuisset argentum. Sed hoc potiùs est: Stipulatio illa à Milite facta fuerat præsente Lycone, ut apparet infrà act.5: 3. Et quia Lyco pecuniam nomine Militis numerare debebat, ideò stipulatus fuerat Miles, si virgo manû adsereretur, Lenonem aut sibi aut Lyconi tanquam Militis negotiorum gestori, pecuniam reddere debere. Fuit itaque Lyco tanquam *adjectus* solutioni, ut JCti loquuntur. Ideo rectè & cautè loquitur Lyco. Non dicit SIBI promissum, sed in genere *promissum* (scil. Militi stipulanti,) pecuniam *mihi* (tanquam adjecto) redditum iri. Et ideò ait, *sibi redditum iri*: quia numeraverat. quod de Curcul. dici non potest. Hic planiss. sensus est: & ita rectè sequitur id, quod Curculio subjungit, *Et meminisse hæc ego volam te*. Quibus verbis Curculio id, quod quidem anteà ignoravit, callidè tamen arripit quasi pro Milite sollicitus, cùm suum ipse potiùs negotium gerat.

6. MEMINERO. DE ISTOC] Sic ratio distinguit. à qua longè admodum recedit Pareus, dum rus ac pus V. C. ubique eruit, interpungitque, *Meminero de istoc quietus esto*. hoc est venerem locutioni auferre ac gratias; cui Musæ quidem sæpiunt. neque aliter usurpare amat auctor: cùm dicere vult; quod ad illud attinet.

8. MANCVPIO T. D.] i. periculum evictionis in me recipiam: *Bosius*. P. Faber JC. ad Tit. *De diversis Reg. Jur. antiq.* Qui alteri, *inquit*, quicquam mancupio tradit, ita dat quasi suum: ut accipientis illico faciat, dominiumque transferat purè atque in perpetuum, hoc est, sine diei atque conditionis adjectione: cum sit *mancipatio* actus legitimus: atque adeò cum auctor sit, de evictione teneatur auctoritatis nomine, qui rem accipientis non fecerit. Unde explicari debent ista Plauti, quæ alioquin à vulgaribus Grammaticis minimè omnium agnosci queunt. Nam in Persâ act.4: 3. Dorpalus quidam: *At suo periculo is emat, qui &c.* Vide ibid. Cui respondet Dorpalus paullò pòst:——*nihil mihi opus est Litibus neque trochis: quamobrem &c.* Item Curcul. *CA. Memini, & mancupio tibi dabo &c.* Vide ejusdem *Semestria* lib. 2. cap. 23. Item Ræuard. ad *ll. 12. tab.* cap. 16. & Not. Merc. 2: 3.

9. ACCIPIAM] V.C. & cum aliquot Pall. Ed. vetus *occipiam*. nimis antiquè. Pareus tamē tali Smaragdo inoculavit editionē suam. Idem etiam stolidè è V. C. intulit in editionem *testis*; cum *estis* restet in Pall. atque Edd. omnibus, & id requirat elegantia sermonis, quæ tota in hac oppositione. nam falsissimum alioqui, lenones testimonium suum negare omnibus. Imò nulli non oggerunt, dum modò ipsis expediat. sed quid lyra hæc ad asinum?

9. VNA LINGVA] Etiam suprà, Asin. 2: 2. linguam servuli, *patronam* appellat, *quæ pro ipso pejerat*. & Persâ 3: 3. L.

10. QVI ABIVR.] *Qui*, i. quâ linguâ. V. Not. Prol. Trinum.

10. ABIVRANT] *Abjurare*, est rem alienam perjurio negare; ait Servius ad illud 8. Æn.——*abjurataque rapinæ*. Quanquam hujus explicatio huic potius loco convenit quàm Virgiliano.

10. SI:

10. SI QVID CRED.] MS. Cam. *Si qui creditum est.* Pall. & hactenus editi, *si quid cred.* malè. *Grut.*

10. AVCTOR] *Auctor* is est, qui rem suo periculo venditat: unde *Auctoritas* pro evictione apud Venulejum & Paullũ JC. *Bosim.*

12. ESTIS VLLI] MS. Cam. *testis.*

LENONIVM] ita Schopp. è MS. Cam. quales illi genitivi, *ervitatium, judicium, carnificium, &c.* Gruterus tamen capit pro adjectivo.

13. VTI MVSCÆ QVE] MSS. C. & L. *Ut muscæ, culices, p.*

19. LVSCE] i. Unocule, sive Cocles, act. 3: 1. L. D.

20. VOS] trapezitas.

20. EODEM PONO ET P.] V. N. Trin. act. 2: 4.

20. PARISSIMI ESTIS] Gellius lib. 10. c. 1: *Verum est talionem parissimum fieri difficillimè.* ubi editur *rarissimum.* Mercerus.

20. IIBVS] i. iis. Mil. act. 1: 1. MS. Cam. *hibus.*

23. ROGATIONES] i. Tribunitias leges: seu *Plebiscita. L. D.*

24. ROGATAS] i. confirmatus rogationibus. Cic. Philipp. 2. *ego leges perniciosas rogavi.* Vide Agell. lib. 10: 20.

25. QVASI AQ.] Ut enim aquam ferventem, quamdiu fervet, nemo tangere audet: ubi refrixit, nemo tangere dubitat. ita leges, primùm latæ, valent & metuuntur; cùm tempore obsolescunt, & negliguntur: L.

26. AV! MALE M.] i. qui in maledicendo exercitatus es *vel*, qui maledicta meditatus es, odiosè & contumeliosè dicax es. Sunt enim nonnulli dicaces, sed sine contumelia. *au*, interjectio est increpantis, auctore Charisio: L. At Douza, Ausim ego, *inquit*, adseverare, non *meditatè* sed *meditato*, dandi casu legendum, ut subaudiatur, *mihi*: utque hoc significet Cappadox: Curculionem *malè*, i. non rectè dicacem & contumeliosum esse in se, qui parùm paratus instructusque (hoc enim *malè-meditatus est*) ad decertandum cum eo maledictis venerit. Omnis proinde argutia in ambiguâ significatione [illegible] *male* posita fuerit. *Meditatum* porrò haud aliter sane à Pl. usurpari, notum est: verbi gratiâ, *Meditatum probè duco, &c.* Scaliger in Carm. libero legit, *haud malè meditate male locutus es*: ad exem-

A plum Tibulli, *Huc venias hodierne*: pro *hodiernum.* Auson. *Distinctas interne vias mirere domorum*, hoc est, *internum.* Propert. *Sic mihi te referas levis*: nam *levem* dicere debuit. In vulg. cod. l. *Haud in malè meditantem malè dicassis.* Quod optimum censet Meursius. *dicassis*, pro *dixeris.* Is. Pont. è Cod. Oxon. *Heu in malè meditantem malè dicax es.* Pius notat corrigend. è vett. libr. *haud in malè meditantem malè dicax es.* quod secutus est Sarracenus, servantque fere Pall. neque displicet. MS. Cam. *au! malè meditate maledicax es.* quod cum Lamb. tenuimus.

27. ID ESSE DICO] ita omn. MSS. & respicit ad illa, *dicax, dicitur, dictum.* Malè igitur Lamb. *duco.* Grut.

28. VERVM ET DIGN.] Vide Turneb. lib. 17. cap. 19. ubi etiam docet, parum candidè exagitari à Cicerone Philipp. 2. Antonium, quòd dixisset, *facere contumeliam*: cum & Terentius Phorm. act. 5. sc. 7. idem dixerit, &c.

29. MANCIPEM] i. prædem, seu fidejussorem.

31. VT SIT IBI] Lamb. *istî* pro *istic* positum ait. MSS. aut Edd. vett. non agnoscunt

B illud *ut.*

32. EDVXI] Ter. Adelph. *Eduxi à parvulo, habui, amavi pro meo.* Andriâ; *Benè & pudicè ejus doctum atque eductum sinam Coactum egestate ingenium immutarier?* Noster Men. act. 1: 1. *Nam illic homo homines non alit, verùm educat.* Hinc probat Lamb. *Educare* ad Corpus; *Educere*, ad Ingenium pertinere.

33. OPVS EST HOC] Parei ultima *hic.* expressè contra MSS. & Edd.

34. BENE H.] i. caré: L. Vide N. Pseud. act. 1: 2.

39. DECEM MINAS] Minas triginta dederat Lyco Lenoni pro virgine, restabant decem pro auro & veste. L.

DVM MELIVS] dum convaluero. L. D.

40. FIT] ita Grut. è MS. Cam. & pluribus Pall *fit.* vulgo *sit.*

40. LY. DABVNTVR. CRAS P.] Rectè Pistoris cùm V. C. Lyco hæc dat. ab eo enim argentum stipulatur Leno. nec est quòd de eo aut cum Curcul. agat, aut is quicquam in crastinum promittat, qui jamjam erat discessurus. Et decem minas, Sc. ult. solvit Lyco. Idem observavit Acidal. & insuper adduxit illa Scenâ 4. act. 4. v. 3.

 45. Pro-

45. PROFECTO OB.] Vocis, *profectò*, vis quæ sit h. l. docet J. Grut. quæ nos retulimus Pœn. act. 1: 2. At J. Palmerius sacramento quinquagenario contendit, hunc locum corruptum esse, & ita legend. *Quoi homini dii sunt propitii, lucrum est profectò optimum.* cujus disputationem vide in *Spicileg.*

A

45. OBIICIVNT] MS. Cam. & quatt. Pall. *obiciunt*; scripturâ solemni. *Grut.*

46. CVRARE] nempe parte extorũ & libatis dapibus: *Douza.* V. N. Amph. 3: 3. & Mil. 3: 1.

ACTUS IV. SCENA III.

THERAPONTIGONUS miles.
LYCO trapezita.

NON ego nunc mediocri incedo iratus iracundiâ,
Sed eapse illâ, quâ excidionem facere condidici oppidis.
Nunc nisi tu mihi properas dare jam triginta minas,
Quas ego apud te deposivi, vitam propem ponere.
LY. Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio.
Sed eopse illo, quo mactare soleo, quoi nihil debeo.
TH. Ne te mihi facias ferocem, aut supplicare censeas.
LY. Nec tu me quidem unquam subiges, redditum ut reddam tibi,
Nec daturus sum. TH. idem ego istuc quum credebam, credidi
Te nihil esse redditurum. LY. cur nunc à me igitur petis?
TH. Scire volo quoi reddidisti. LY. Lusco liberto tuo,
Is Summanum se vocari dixit. ei reddidi,
Qui has tabellas obsignatas attulit. TH. quas tu mihi tabulas,
Quos tu mihi Luscos libertos, quos Summanos somnias?
Nec mihi quidem libertus ullus st. LY. facis sapientius,
Quàm pars latronum; libertos qui habent, & eos deserunt.
TH. Quid fecisti? LY. quod mandasti, feci tui honoris gratiâ;
Tuum qui signum ad me attulisset, nuncium ne spernerem.
TH. Stultior stulto fuisti, qui iis tabellis crederes.
LY. Queîs res publica & privata geritur, nonne iis crederem?
Ego abeo. tibi res soluta st rectè. bellator vale!
TH. Quid, valeam? LY. at tu ægrota, si lubet, per me, ætatem quidem.
TH. Quid ego nunc faciam? quid refert me fecisse regibus,
Ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit?

VERSVS hujus Scenæ sunt trochaici Archilochii, ut & Scenæ sequentis.

V. 1. IRATVS IRACVNDIA] Sic Cato: *Laudant me maximis laudibus*, apud Charis. ita noster, Capt. *ut laudetur laudibus.*

2. EXCIDIONEM] ita MS. Cam. sine litt. *s.* ne cui nimis placeat Lambini *exscidionem*: Jam, *Excidionem facere condidici*, dictum ut

B illud Græcorum, Μάθον εἶναι, *didicerant esse*, pro *erant*: vel *solebant esse*. Amph. act. 2: 2. *bene didici dicere.* Idem: *Non didici hariolari gratis.* Vide Casaub. ad Athen. lib. 10. c. 6.

3. DEPOSIVI] pro, *deposui.* utitur & Catullus.

4. VITAM P. PON.] Cic. lib. 9. Ep. Fam. 24. *Ut si mihi vita ponenda sit*, &c.

7. NE.

7. NETE] ita MSS. Pall. Vulg. *Nec.*

FACIAS FEROCEM] V.N. Mostell. act. 4: 2. *Ferocem facis* &c. Non longè, inquit Palm. discedit hoc ab illis, Cic. Fam. lib. 15: 18. *Itaque facio me alias res agere.* Idem de Nat. Deor. 1. *Plato facit mundum ædificari à Deo.* Idem de Opt. gen. Orat. *Isocratē Plato in Phædro laudari facit à Socrate.* Sedigitus: *Post insequi Licinium facio Attilium.*

7. FEROCEM] superbum, magni animi. Sic apud Hor. *ferox Hector*: Et. *ferox Latium.* Livium, *feroces juvenes.* Vide Lamb. ad Hor. 1. Odâ 15. ubi refutat eos, qui opinantur, *ferocem* esse *crudelem.* Sed V.N. etiam Mostell. act. 4: 2.

7. SUPPLICARE C.] me tibi. V.N. Epid. 5. 2.

CUM CREDERE. CR.] cùm tuæ fidei committebam, persuasum habui, te nihil redditurum. L.D.

13. TABULAS] *Camerarius*: Si vera est scriptura, de quo dubito, pronunciandum τῷ συγκοπὴ, *tablas.* De quâ scripturâ, etsi alias etiam facio conjecturas, hæc tamen est præcipua: *tabellas* aliquem adscripsisse explentem sensum: Plautum autem fecisse κατ' ἀποσιώπησιν, *quas tu mihi?* nimirum *tabellas.* Mox autem *Qui habent*, pronunciandum, *qui* διὰ συναλοιφὴν.

14. QUÆSTUM.] Lyco usus erat numero singulari. Miles autem eadem nomina ponit in plurali. Notat hoc Donatus ad id Ter. Adelph. *turbas, lampadas, tibicinas*, his verbis: *Bene totum pluraliter; ut qui reprehendit.* Sic Plautus multa, *Quas tu mihi* &c. Lamb. Ita Cic. 1. de Orat. *Quem tu (inquit mihi Mutius) Stasseam, quē Peripateticū narras?* V.N. Men. 2. 3. *quam tu nūc mihi nabē narras?*

14. SOMNIAS] i. nugaris & blatteras? *Turneb.* V.N. Menæch. 2: 3.

16. LATRONUM] Dousa, *latronum*, i. militum V.N. Mil. act. 1: 1. Cum quo & Lambinus in sententiâ facit, qui leg. *militum*: siquidem nullus sermo hic lenonis est, &c. de quo Cent. lib. 1. cap. 14. Et licet omn. MSS. & edit. *lenonum* habeant: laudat tamen verisimilem Dousæ conjecturam *Gruterus*: quam etiam in contextum admisit Pareus contra fidem toties testatam.

17. M. QUID FEC.] Cam. & Lang. MSS. desierunt. *Quid feci? quod.*

17. GRATIA] Ms. Cam. *gratiam.*

21. RES SOLUTE] V.N. Asin. 2. 4, ex Turn. lib. 10. cap. 18. At Pareus notat optimè legi in Pall. *Ego habeo tibi res solutas.* rectè bell. qui stupor!

21. RECTE] bonâ fide: ita ut leges jubent. L.D.

22. SI LUBET] Pareus nobis delicias facit, atque è V.C. retulit in contextum *Infet*, ἀμαρτίας, inquit, pro *lubet*, ut scilicet I positum sit pro L. atque V pro B. Ita & Scena sequenti versu 17. notat V.C. scribere *lacent* antique L pro I cùm velit intelligi *jacent*: quæ insania! qui furor! ô Bona Mens, quam non eadem es omnibus! quantò erat honestius, dicere Scribam linguæ Latinæ ignarum expressisse L loco I. præsertim cum in antiquioribus membranis eadem prorsus forma utraque scribatur, neque discrimen ullum agnoscat nisi bene doctus literas.

24. UMBRATICUS] homo in umbrâ educatus, & ignavus; nō sub dio, & strenuus. Trucul. dicitur *Umbraticola.* V.N. ibid. 2: 7.

ACTUS IV. SCENA IV.

CAPPADOX leno, MILES.

QUOI homini dii sunt propitii, ei non esse iratos puto.
Postquam rem divinam feci, venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam:
Ut ego potius comedim, quàm ille. MI. jusseram salvere te.
CA. Therapontigonoplatagidore, salve! salvus quum advenis

In Epidaurum, hîc hodie apud me nunquam delinges salem.
MI. Bene vocas. verùm vocata res est, ut malè sit tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te? CA. nihil apud me quidem.
Ne facias testis: neque equidem debeo quidquam. MI. quid est?
CA. Quod fui juratus, feci. MI. reddin', an non, virginem,
Priusquam te huic meæ machæræ objicio, mastigia?
CA. Vapulare ego te vehementer jubeo. ne me territes.
Illa abducta est: tu auferêre hinc à me, si perges mihi
Malè loqui profectò: cui ego, nisi malum, nihil debeo.
MI. Mihin' malum minitare? CA. atque edepol non minitabor, sed dabo,
Mihi si pergis molestus esse. MI. Leno minitatur mihi?
Meæque pugnæ præliares plurimæ obtritæ jacent?
At ita me machæra & clypeus
Bene juvent pugnantem in acie, nisi mihi virgo redditur,
Jam ego te faciam ut hîc formicæ frustillatim differant.
CA. At ita me volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum
Bene me amassint, meaq; axicia, linteumque extersum,
Vt ego tua magnifica verba, neque istas tuas magnas minas
Non pluris facio, quàm ancillam meam, quæ latrinam lavat.
Ego illam reddidi, qui argentum à te attulit. MI. quis is est homo?
CA. Tuum libertum sese ajebat esse Summanum. MI. meum?
Attat! Curculio hercle verba mihi dedit, quom cogito.
Is mihi anulum surripuit. CA. perdidistin' tu anulum?
Miles pulchrè centuriatus est expuncto in manipulo.
MI. Vbi nunc Curculionem inveniam? CA. in tritico facillimè
Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperias.
Ego abeo. vale atque salve. MI. malè vale; malè sit tibi.
Quid ego faciam? maneam an abeam? siccine mihi esse os oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi sit, commonstret mihi.

QUOI HOMINI] J. Gruterus, in *Florilegio* suo *Ethicopolitico*, Opere verè aureo, p. 680. Poterit, *inquit*, versus hic usurpari, cùm suspicamur ne Princeps bonâ fide se nobis amicum præstat: vultu inquam & voce; sed corde aliud volutat. V. & N. Sticho, act. 1. Sc. 2. sed dicis caussâ.

4. JUSSERAM] Acidal. malit, *jusserim*. tum, quia non jusserat sanè; tum, quia pulchrè id exprimat fastidiosum aut iratum salutatorem. ita mâlit & Asin. *Jussò salvere Libanum libertum* vel etiam, *jussim*. Acidalianum in contextum recepit Pareus, contra omnes libros scriptos editosque.

6. DELINGES SALEM] nedum ut *cœna adventitia* tibi detur. quod Lamb. annotat. V. N. Epid. act. 1:1. Jam *salem lingere*, dicuntur, qui perquàm tenuiter victitant. Nam apud veteres in tenuiorum cœnis, salem loco cibi fuisse notum est. Sali acetum noster addit in Rud. 4:2. Vide Adag. & Lamb. ad Horat. 2. Od. 16.

Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in mensâ tenui salinum, &c.

Meursius ad Cassandr. è Plutarcho & Heliod. notat, fuisse morem veteribus salem in mensâ hospitibus apponere, eo concordiam inter se mutuò optantes; ut ex aquâ & terrâ ille constat. Vid. ibid. item Is. Hortibonum Notis ad illud Diogen. Laert. ἅλας λείχειν

7. VOCA-

7. VOCATA RES EST] Sic Sticho, act. 3:2. *Vocata est opera.* V.N.ibid.

8. QUID AGIS] Ita MSS. & Edd. omnes, vultque ipsa ratio. Parei tamen editio pr. *ait.*

9. NE FACIAS TESTES] Dico tibi liquido, nihil tuum esse apud me, ne dicerem puellam eam apud me esse, testibus, qui hoc audissent, me oppugnares. *Lamb.* V.N. Persa 4:9.

12. VAPULANDO] Festus: *Vapula Papiria, in Proverbio antiquis fuit. De quo Sinnius Capito refert: tum dici solitum esse, cum vellent minantibus significare, se eos negligere & non curare, fretos jure libertatis. Plautus in Fœneratrice:*

Heus tu: in Barbaria quod dixisse dicitur
Liberta suæ patronæ, id ego dico tibi:
Liberta salve. Vapula Papiria.

Alius hoc loco Vapula *positum esse ait pro* dole: Varro *pro* peri, *teste Terent.* (in Phor. act. 5. sc. 6.) ——*non manes? Vapula. id quidem tibi jam fiet, nisi resistis, verbero. Pl. Curcul. Reddin' annon &c.* Hactenus Festus ex emendatione quidem *Scaligeri*: qui addit: Latinos hoc verbo uti, pro quo Græci οἰμωζειν, κλαίειν μακρὰ, et κελεύω: & similia. V.N. Persa act. 2:3. MSS. & Edd. vett. *jubebo*; sed alterum est à Camerario, requiritque tum versus, tum ipsa res: neque exinde inventus qui ei moverit controversiam, nisi nunc Pareus. is eo conturbato in possessionem reduxit *jubibo.* annon hoc est urticam præferre melissæ?

13. AUFERERE] non abducere, item ut illa: Q.d. Ita te mulcabo, ut sublimem auferri te necesse sit. Sic Amph. act. 1:1. *Auferere, non abibis, si ego fustem sumpsero.*

14. NISI MALUM, NIHIL DEBEO] Qui accepit malum, & redditurus est alteri, debere dicitur, donec persolverit. Sic Salust. in orat. Lepidi, dixit *solvere injuriam*, pro ulcisci. Virg. 2. Æn. *Persolvant grates dignas, & præmia reddant.* Prop. 1. 18. *multa tibi dolor hic meus aspera debet.* Passerat. ibi.

15. NON MINITABOR] ita Pall. & V.C. & Edd. quæcunque vidi, etiam Coloniensis anni 1538. à Gilb. Longolio denuo castigata. Pareus tamen non sine insigni injuria metri obtrusit nobis utraque editione, *non minitor.* quod neque loquendi ratio probet. Et hic Blantum nobis corriget; qui tam aperte incestat triam &, *sed dabo*, trajicit adversum sequentem; cum adhuc debeatur isti, ut manifesto appareat Agyrtam illum nescire quot & quales pedes requirat sibi trochæus.

16. SI PERGES] ita MS. Cam.

17. PUGNÆ PRÆLIARES] Vocat gloriose *pugnas præliares*, inquit Cam. Sed Lambino suspecta est hæc lectio. *Pylades* dictas ait *pugnas præliares*, quod etiam sint pugnæ verborum. Etiam Grut. putat opponi *velitationibus*, verissime.

17. OBTRITÆ] V.N. Stich. act. 3. 1.

20. FRUSTULATIM] V.N. Bacch. act. 4. 8.

21. VOLSELLAM] *Volsella* sive *Vulsella* instrumentum, quo pilos radicitus è corpore exstirpant: τριχολαβίς. V. N. Pœnulo act. 4:2.

21. CALAMISTRUM] Acus major, quâ crispatur in annulos capillitium Juvenal. *acum* vocat. *Calamistro crispare comam*: & *Comam in gradus frangere*, dixit Plinius Junior: *Vibrare ferro crines*, Virgilius: *Ustulare crines candente ferro*, Pacuvius, πλέκειν τὴν κεφαλὴν, Phocyl. Cic. in Orat. masculinè dixit *Calamistros.* Et Varro *hunc calamistrum*, sed & *Calamistra*: quod annotat Charisius.

22. BENE ME] Sic quidem Pall. sed cum MS. Cam. inter lineas habeat, *me*, & atramento recentiori, fere sustulerit *Gruterus.*

22. AXICIA] Sic V.C. & plures Pall. & Edd. Vett. forfex, quo secantur capilli: quasi *exicia*, ab *exicando.* nam *exicare*, pro *exsecare* dicebant: Turneb. lib. & cap. 27. V.N. supra. Veneta & Colon. leg. *exicia.* Lamb. legit *excussa*, & interpretatur parvas scopas quibus excutitur pulvis è vestibus. Rebrunst.

22. LINTEUMQ. EXTERSUM] ita omn. Codd. MSS. & Edit. Captivis vehiculum, nominatur *involucre.* Lamb. mavult interpretari mantile, χειρόμακτρον. J. Palm. Specil. leg. *linteumque extersui*, i. linteum ad extergendum comparatum: (quam emendationem *D.F.* ait verissimam) ita Sallust. *Et alia, aqua portanda, conquiri jubet. Aquæ portandæ*, ut illud; *Quæ postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit, facta belli patrandi*, sunt quibus bellum finiri potest. sic enim boni libri & prisc. legunt. Ita in Catil. n...

Vescendi

vescendi terrâ marique anquirere. Rectè, A *anquirere vescendi*. nam *vescendi* sunt res victui, seu quæ palato faciunt. Sic Livio, *ea quæ restinguendo igni forent*, sunt, quibus ignis exstingui possit. Varro lib.4.de L. L. *Prius induti aut amictui quæ sunt, tangam.* Tacitus: *Potui humor ex ordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corruptus.* Ibidem: *victui herba, vestitui pelles, cubili humus &c.* Sed nimis sunt multa, ais. quid tum? nimis etiam sunt rara, & multis locis dant lucem.

24. LATRINAM LAVAT] *Latrinam lavare*, est in latrinam sive balneum privatum aquam ferre. quod ministerium erat vilissimum: Turneb. lib.21. 20. De *Latrina* sive *Lavatrinâ*, i. balneo, vide Meurs. ad Cassand. At Lamb. eam hîc dici ait, quæ excremento, quod est in latrinâ, tollendo præsit. Quod & ego magis probo. Ita & *Culina* ambiguum est: illud vulgò notum; & sella familiarica. Glossæ Isidori: *Culina, latrina, secessum.* Glossarium: *Culina*, λάπατος. item: *Conclavis, & culina*, ἀφεδρών. Petronius: *Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quàm benè olere qui in culina habitant.* Vide Scal. ad Fest. & Savaron. in Sidonium l.8.11.

29. CENTVRIATVS EST] Ita omn. Pal. lat. at MS. Cam. *pulchere centuriatus*; quod nescio quid sibi velit; nisi fortè scribendum, uti Douzæ placebat, *Miles pulchrè excenturiatus est.* Porrò Ald. & Colon. & Paris. habent, *centuriatus es*: nec malè: *Grut.*

29. EXPVNCTO IN M.] Quemadmodum *lecti milites* in tabulas & codices (vocant *Pittacia, Breves, Laterculum, Matriculam*) referebantur & scribebantur: ita delebantur *non-milites & rejecti.* quo respexit Plautus. Et explicavit Scholiastes vetus in B hoc Persii: *Proximus expungam. Tractum à militibus, qui expuncti dicuntur, dum foràs à militiâ emittuntur.* Solebant & mortuos ibi notare, & *Theta* suum affigere. Vide *Analecta* J. Lipsii ad *De Milit. Romanâ.*

30. IN TRITICO] Alludit ad *curculionem*, quæ vermis est, frumenta exinaniens, ut Varro ait, Græcis κις. Virg. 1. Georg.

—*populatque ingentem farris acervum*
Curculio.

31. FAXO REPERIAS] Alii, *reperies.* utrunque rectè. V. N. Aulul. 3:5.

ACTUS V. SCENA I.

CURCULIO Parasitus.

ANTIQVOM Poëtam audivi scripsisse in Tragœdiâ,
MVLIERES duas pejores esse, quàm unam. res ita est.
Verùm mulierem pejorem, quàm hæc amica est Phædromi,
Non vidi, neque audivi, neque pol dici, nec fingi potest
Pejor, quàm hæc est: quæ ubi me habere hunc conspicata est anulum,
Rogat unde habeam. quid id tu quæris? quia mihi quæsito 'st opus.
Nego me dicere. ut eum eriperet, manum arripuit mordicùs.
Vix foras me abripui, atque effugi. apage istanc caniculam!

1. POETAM] Quis ille fuerit, multis disputat Lamb. quæ hîc omitto.

7. CANICVLAM] instar canis mordacem. B Vide N. Cas. Prol. Plutarch. in Alcibid. *Mordes ut fæmina.* Propert. 4. el. 9: *Imponitque notam collo, morsuq. cruentat.* ib. Passerat.

ACTUS

ACTUS V. SCENA II.

PLANESIUM virgo, PHÆDROMUS adolescens,
CURCULIO, MILES.

PHÆDROME, propera! PH. quid properem? PLA. Parasitum ne amiseris.
Magna res est! PH. nulla est mihi: nam quam habui absumpsi celeriter.
PLA. Tene. PH. quid negotii est? PLA. rogita, unde istunc habeat anulũ:
Pater istum meus gestitavit. CU. at mea matertera.
PLA. Mater ei utendum dederat. CU. pater tuus rursum tibi.
PLA. Nugas garris. CU. soleo. nam propter eas vivo facilius.
Quid nunc? PLA. obsecro, parentes ne meos mihi prohibeas!
CU. Quid? ego sub gemmâ abstrusos habeo tuam matrem & patrem?
PLA. Libera ego sum nata. CU. & alii multi, qui nunc serviunt.
PLA. Enimverò irascor. CU. dixi equidem tibi, unde ad me hic pervenerit.
Quoties dicendum est? elusi militem, inquam, in aleà.
MI. Salvos sum! eccum, quem quærebam. quid agis, bone vir? CU. audio.
Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. MI. quin tu is in malam crucem
Cum boletis, cum bulbis! redde etiam argentum, aut virginem.
PH. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem
Me reposcis? MI. quàm ab Lenone abduxti hodie, scelus viri.
PH. Nullam abduxi. MI. certè eccistam, video. PH. virgo hæc libera est.
MI. Mean' ancilla libera ut sit? quam ego nunquam emisi manu.
PH. Quis tibi hanc dedit mancipio? aut unde emisti? fac sciam.
MI. Ego quidem pro istâc rem solvi ab trapezità meo.
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te & Lenone auferam.
PH. Qui scias mercari furtivas atque ingenuas virgines,
Ambula in jus. MI. non eo. PH licet te antestari? MI. non licet.
PH. Juppiter te te male perdat! intestatus vivito.
CU. At ego, quem licet, te. PH. accede huc. MI. servum antestari? vide.
CU. Hem! ut scias me liberum esse. MI. ergo ambula in jus. hem tibi!
CU. O cives, cives! MI. quid clamas? PH. quid istum tibi tactio est?
MI. Quia mihi libitum est. PH. accede huc tu: ego illum tibi dedam, tace!
CU. Phædrome, obsecro serva me. PH. tanquam me, & Genium meum.
Miles, quæso ut mihi dicas, unde illunc habeas anulum,
Quem Parasitus hic te elusit. PLA. per tua genua te obsecro,
Ut nos facias certiores. MI. quid istuc ad vos attinet?
Quæratis chlamydem & machæram hanc, unde ad me pervenerit.
CU. Ut fastidit gloriosus! MI. mitte istum: ego dicam omnia.
CU. Nihil est, quicquid ille dicit. PLA. fac me certiorem obsecro.
MI. Ego dicam: surge! hanc rem agite, atque animum advortite.

 Pater

Pater meus habuit Periphanes. PLA. Periphanes?
MI. Is, priusquam moritur, mihi dedit tanquam suo,
Vt æquum fuerat, filio. PLA. prò Juppiter!
„ MI. Et iste me heredem fecit. PLA. PIETAS mea,
„ Serva me, quando ego te servavi sedulò.
Frater mi, salve? MI. qui credam istuc ego? cedò,
Si vera memoras: quæ fuit mater tua?
PLA. Cleobula. MI. nutrix quæ fuit? PLA. Archestrata.
Ea me spectatum tulerat per Dionysia.
Postquam illò ventum est, jam ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo: spectacula ibi ruunt:
Ego pertimesco: tum ibi me nescio quis arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam, nec mortuam.
Nec, quo me pacto abstulerit, possum dicere.
MI. Meministin' hanc turbam fieri! sed tu dic mihi,
Vbi is est homo, qui te surripuit? PLA. nescio.
Verùm hunc servavi semper mecum unà anulum.
Cum hoc olim perii. MI. cedo ut inspiciam. CV. sanan' es,
Quæ isti committas? PLA. sine modò! MI. prò Juppiter!
Hic est quem ego tibi misi natali die.
Tam facilè novi, quàm me. salve, mea soror!
PLA. Frater mi, salve! PH. deos volo bene vortere
Istam rem vobis. CV. & ego nobis omnibus;
Tu ut hodie adveniens cœnam des sororiam:
Hic nuptialem cras dabit. PH. promittimus.
MI. Tace tu. CV. non taceo, quando res vortit bene.
Tu istanc desponde huic, Miles! ego dotem dabo.
PH. Quid dotis? CV. egòne? ut semper, dum vivat, me alat.
MI. Verum hercle dico; me lubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas.
PH. Quamobrem istuc? MI. quia ille ita repromisit mihi:
Si quisquam hanc liberali asseruisset manu,
Sine controversiâ omne argentum redderet.
PH. Nunc eamus ad Lenonem. MI. laudo. PH. hoc prius volo,
Meam rem agere. MI. quid id est? PH. ut mihi hanc despondeas.
CV. Quid cessas, Miles, hanc huic uxorem dare?
MI. Si hæc vult. PLA. mi frater, cupio. MI. fiat. CV. bene facis.
PH. Spondésne Miles mihi hanc uxorem? MI. spondeo.
CV. Et ego hoc idem unum spondeo. MI. lepidè facis!
Sed eccum lenonem, incedit, thesaurum meum.

VERSUS.

VERSUS hujus Scenæ 35. sunt ... reliqui usque ad finem Senarii jambici.

1. NULLA EST] Jocus ex ambiguo, in voce *RES*, quam illa negotium magni momenti interpretatur, hic fortunas & rem familiarem. *Ex L.*

2. CELERITER] Acid. malit: *PLA. celeriter Tene. PH. q.*

4. GESTITAVIT] ita *Grut.* è MS. Cam. & Lang. *gestitavit.*

4. AT M. MATERTERA.] Hic versus & sequens de mendis suspecti sunt Camerario. Brix. autem & Bas. edd. *At pol mea m.* quod in nullo Pall. aut edd. primis.

5. PATER TUUS RURSUM TIBI] Sic Pall. nam vett. edd. *tuos.* V. C. *Pater vo is rusum t.* Paris. ed. *pater meus*: quod & in edd. Pareanis. si quid mutandum, mallem: *pater tuus rursum mibi.* Palm. l. *Pater meos rusum tibi.* *Meos* pro *meus.* Ennius: *Rusus prosus reciprocat fluctus feram*: pro, *rursus prorsus.* Cave Mureto credas, qui *prosam orationem* Latine dici negat. Libenter enim r extrito effugiebant, ne *birrirent*, ut ait Poeta quidam apud Diomed. Sic *prosus* adverb. pro, *recta.* Plaut. Mil.

Ille jubebit me ire cum illa ad portum; ego adeò, ut tu scias,
Prosus Athenas protinus abibo tecum.

Et Persa: *Simulato quasi eas prosum in navem.* Et *prosus*, nomen pro *erectus*, apud Varronem, &c. Vide ibidem fol. 153. & seqq.

6. VIVO FACILIUS] Nihil verius, inquit Douza. *Nugarum* enim tractatio propria Parasitorum provincia. Meritò ergo propter eas ipsas *facilius*, id est, lautius atque ex sententiâ se victitare gloriatur Curculio. V. N. Epid. act. 2:2.

11. ELUSI] *Eludere*, inquit Donatus, gladiatorium est, cùm vicerunt, & ludo finem imposuere. Hor. 1. Sat. ult. *Davoque Chremeta Eludente senem.* Propert. 2. el. 2. *Sic à Dulichio juvene est elusa Calypso.* Passerat.

13. TRIBUS BOLIS] i. talorum jactibus. V. N. Rud. 2:3.

13. VEL] V. N. Mil. act. 1:1.

13. IN CHLAMYD.] sc. paratus sum sudere. *L. D.*

14. CUM BOLET.] Jocus stomachantis Militis ex annominatione. Est autem *boletus*, species fungi, solus innocuus: *βωλίτης.* *Bulbus*, radix rotunda, tunicata.

14. REDDE ET.] Douza leg. *reddin' etiam argentum aut virginem?* quod ad contextum recepit Pareus, contra MSS. eddq;.

15. TRICAS] Notandum, ... *tricis*, haud *Triconibus argentariis*, modò, verùm etiam *Tricosis*, nomen inditum; idem significantibus. Lucillius,

Hic tricosu', bovinatorque ore improbu' duro, &c.

Douza.

20. REM SOLVI] D. l. *resolvi*. quod & occupavit statim Pareus; contra libb.

21. QUADRUPLICEM] actione furti manifesti, quâ persequimur quadruplici pœnam. L.

23. AMBULA IN JUS] i. locum judiciorum *μετωνυμικῶς*. *Donat.*

23. TE ANTESTARI?] Grut. ita cum MSS. Cam. & Pallatt. omnibus. V. N. Persâ, act. 4: 9.

23. NON LICET.] quia nemo liber adsit, qui testis esse possit. L.

24. INTESTATUS] V. N. Mil. act. 5. & hic Sc. sequenti.

25. CUR, AT EGO, Q. &c.] Ita Personas restituit J. Robertus JC. Sent. Jur. lib. 3. cap. 1. Et consimilem huic illum locum ait esse Pœn. act. 5. 4. docetque contra omnes; Non licuisse veterum more, in jus vocatum invitum quoque modo in jus ducere. nec eam vis inferendæ rixæque concitandæ, quoties in jus vocatio à privatis fieret, occasionem veteres aut probasse aut admisisse. Argumenta huc transferre non placuit: cum nimis multa sint.

29. HEM!] verberantis est.

27. O CIVES, CIVES!] Revard. ad Leg. XII. c. 3. Solebat is, cui vis aliqua fiebat, si quidem ruri ageret, *jubilare*: sin verò in Romanâ civitate, & civis esset, *quiritare*. quò spectat hoc Plauti. Vide Donat. ad illud Terent. Adelph. *Obsecro populares, ferte misero atque innocenti auxilium* &c.

28. ACCEDE] sc. tu Miles, & auriculam mihi prehende, si audes, L.

28. TACE] sc. Curculio.

29. TANQAM ME ET GEN.] Ita MSS. Cam. & Lang. Pareus maluit, *t. met. Gen.*

 29. GENI-

29. GENIUM M.] ita suprà act.4:2. *Ecquis est qui mihi commonstret Phædromum, Genium meum?* Bacchid. *Teneo dextrâ Genium* &c.

31. QUEM PARASIT.] quem tibi dormienti & eluso ademit. Notat Grut. omnes MSS. & Edd. vett. habere. *Quem.*

34. FASTIDII] V. N. Sticho act.5:4. & extremâ Truc.

34. MITTE ISTUM] sc. Curculionem: quem retinebat Phædromus, ne à Milite vapularet. L.D.

36. SURGE] incumbebat enim in genua Militis Planesium. L.D.

37. PL. PERIPHANES? MI. Js] ita Personas restituit Acidalius, idque ita lepidum ait, ut tota Scena eo collustretur. Rem cogita, quæ tota in gestu est posita; & probabis.

41. SERVAVI] i. observavi, colui. L.D.

47. VENTUS TURBO] Apuleius: *Turbo dicitur, qui repentinis flatibus prosilit, & omnia turbat.* à Lucret. *ventus versabundus* dicitur. V. N. Truc. act.5.1.

47. SPECTACULA] aulæa & cætera instrumenta scenica. Theod. Marcilius censet *Spectaculum* hic dici cum Servio 5. Æn. *Theatrum*, sive *Visorium*, ut Cassiodorus vocat. Ludi autem Scenici in Theatro edebantur; in Amphitheatro Gladiatorii ac Venatorii: illudque Veneri sacrum, hoc Marti. Gruterus jubet nos adire Suetonium Aug. cap. 43. & Taciti Annales.

49. NEC VIVAM] i. semianimem. Vide Muret. V. ar. lib.17. c.13. & Victor. l.31. c.21.

51. MEMINISTIN'] Mirum, inquit Gulielm. ni meminerit turbam fieri, quæ etiam multis verbis eam, ut facta est, explicarit. itaque oraculum putato, non conjecturam, *Memini istanc turbam fieri.* nam de suâ memoriâ loqui Militem, non Planesii, manifestum est. Idque nec *Grutero* displicet. Ego tamen vulgatum non damnem. sed ut admirantis sit, non interrogantis. quomodo & nos in re tali solemus.

53. UNA ANULUM] alium ab eo, quem Parasitus Militi surripuerat. *L. D.* Atque ita hic locus salvandus est, qui alioquin à J. Cæs. Scal. in Hypercritico cap.3. vapulat.

54. CU. SANAN' ES?] ita Acidal. magis ex decoro tribui ista Curculioni censet, non Phædromo, qui tacitè affinem sibi jam sperabat Militem.

56. NATALI DIE] Nam die natali ejusmodi munera invicem mittitabant amici & clientes. Vide Casaub. ad Persii Satir. 1. de *natalitiâ Sardoniche.*

60. TU] repete ἀπὸ κοινοῦ *volo*, ut nobis omn. cœnam des sororiam.

60 SORORIAM] ob repertam sororem. V. N. Epid. 1:1. De *nuptiali* autem *cœna*, vide P. Fabri JC. Semestria, lib.1. cap.6.

63. TU ISTANC] Rectè hic rogatur Miles, ut sororem suam viro despondeat, nam patre mortuo frater sororis pupillæ legitimus tutor est. *L. D.*

65. CU. VERUM HERCLE] ita Pistoris hunc versum Parasito dat: qui per ridiculum asseveret, se seriò planè dotem illam constituere: & velle, ut Miles ea conditione sororem despondeat. Simile Sticho act. 3: 2. Neque enim hîc consentire potest Phædr. qui infrà demum deliberet, & è sorore exquirat, utrum velit &c. Sequentem v. Militis ita leg. *MIL Sed hic leno d.* Mihi tamen & vulgatum satisfacit.

65. ME LUBENTE] Ita ratione ductus Camerarius, cùm esset antea, *jubente*, tam in Edd. quam MSS. nec quisquam huic scripturæ contradixit unquam. Pareus solùm exortus modo qui *jubente* illud carceræ suo eruit; & quidem ut idem valeat quod *iubente*; tanquam si I & L. inter se permutentur. quæ intemperiæ!

66. EI LENO HIC] Sic MSS. sic editi ante Pareanas. ex nobis oggessere *sed hic leno.* quare? nisi ne quicquam suo relinquat loco; omnia turbet, omnia inquinet, ut solet hiulcæ nationis ardelio quivis.

67. REPROMISIT] *Repromittere* est stipulanti promittere, hoc modo: Spondes? Spondeo. Promittis? promitto. Sup Asin. 2:4.

68. LIBERALI] sc. *caussâ* Vide N. supra act.1:3. & Pœn.4:2.

69. REDDERE] *Reddere*, i. redditurum: ut ad *repromisit* referatur. sic alibi, *Dic dare.* Et Aulul. *dividere dixit*, pro, divisurum se promisit. Et notat Grut. in MS. Cam. & tribus Pallatinis legi, *redderet*: in duobus *redderet*: nec sibi displicere, quod Douzæ videat placuisse.

70. HOC PRIUS] ita *Grut.* è MSS. omn. *hoc prius.*

73. CUPIO] *Cupio* plus est, quàm *volo* L. D.

74 SPON-

74. SPONDESNE] V.N. Aulul. act. 2:3. A

75. ET EGO H. IDEM] Acidal. ita: *PH. Et ego huic cibum unà spondeo* ut respexerit ad superiorem cibi perpetui flagitationem Curculionis. Sed sine veteri autoritate nolim hoc audere. quid refert? Pareus id fecit editione pr.

76. THESAVR. M.] Lambinus *thesaurum meum* interpretatur, vel apud quem deposui 30. minas: vel, unde tanquam ex thesauro depromam nummorum quantum volam. Sic Bacchid. act. 4:3. *Tuam copiam eccum Chrysalum video.* At J. Palm. e Lang. l. *Sed eccum lenonem, incudem, thesaurum meum. Incudem*; militariter: quem ille verberibus habiturus sit ut incudem, atque unde multos nummos procudat. B Ingeniose quidem ista dicuntur: sed, si quid sapio, non pro ingenio Poetæ, nunc quidem. Itaque miror Nobilium Editorem è Varg. etiam hanc conjecturam, in contextum recipere ausum. Sed parum id fuit eandem adhuc sic prosequitur in Lexico suo. Miratur novitius criticus, me Palmerium secutum esse. quasi verò unius Palmerii judicium mihi pluris non sit, quam centum aliorum. Bone Deus! quid speremus de tali censore? percacaturum scilicet omnia, ut quæque contigerit. quid? ut judicium unius anteponatur? & unius adolescentis qui nunquam admissus fuit inter Senatores criticos? ut unius, inquam, judicium anteponatur aliorum centum? phy phy! hæc insaniam resipiunt, & vincla Hippocratis requirunt. At tu melior juventus adhære Lipsio potius, cujus istud est de Palmerio legitimum quasi testimonium, Centuriæ 1. Epistola 15: Melleri Spicilegia edita, acutissimi ingenii juvenis: utinam rectissimi, verè addam! Sed profectò aut fallor in hac omni literatura; aut ille valde in censendo & scribendo. Quales pleræque ex conjectura? quam non callidæ solum, sed calidæ? imò quam audaces? Mihi crede corrumpendis ista, sive perdendis potius, libris literisque sunt; si dimanat hæc labes. & diminabit. ita juventutem hanc video: & tantum ingenii specie blanditur hic calor. &c. Videsis lector cetera apud Lipsium, vatem profectò hac in re super Tyresiam. nam Parei impudentia hæc ipsamet exuperat omnia.

ACTUS V. SCENA III.

LENO Cappadox, MILES, PHÆDROMUS, PLANESIUM.

ARGENTARIIS malè credi qui ajunt, nugas prædicant.
Nam & benè & malè credi dico: id adeò hodie ego expertus sum.
Non malè creditur, qui nunquam reddunt, sed prorsum perit.
Velut decem minas dum hic solvit, omnis mensis transiit.
Postquam nihil fit, clamore hominem posco. ille in jus me vocat.
Pessimè metui, ne mihi hodie apud Prætorem solveret.
Verùm amici compulerunt, reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum'st. MI. heus tu Leno, te volo.
PH. Et ego te volo. CA. at ego vos nolo ambos. MI. sta sis illico,
Atque argentum properè propera vomere. CA. quid mecum est tibi?
Aut tecum? aut? MI. quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium:
Atque ita te nervo torquebo, itidem uti catapultæ solent.
PH. Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes,
Ferreo ego dico. CA. at ego vos ambo in robusto carcere
Ut pereatis. MI. collum obstringe, abduce istum in malam crucem.
PH. Quid, quid est? ipse ibit potius. CA. prò deûm atque hominum fidem.

Hoccine pacto indemnatum atque intestatum me arripi?
Obsecro, Planesium, & te, Phædrome, auxilium ut feras.
PL. Frater, obsecro te, noli hunc condemnatum perdere.
Benè & pudicè me domi habuit. MI. haud voluntate id suâ:
Æsculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam.
Nam si is valuisset, jampridem, quoquo posset, mitteret.
PH. Animum advortite, si potissum hoc inter vos componere.
Mitte istunc. accede huc Leno. dicam meam sententiam:
Siquidem vultis, quod decreto, facere. CA. tibi permittimus:
Dum quidem hercle ita judices, ne quisquam à me argentum auferat.
MI. Quódne promisti? CA. quî promisi? PH. linguâ. CA. eâdem nunc nego.
Dicendi, non rem perdendi gratiâ hæc nata est mihi.
MI. Nihil agit! collum obstringe homini. CA. jam jam faciam ut jusseris.
MI. Quando vir bonus es, responde, quod rogo. CA. roga quod lubet.
MI. Promistin', si liberali quisquam hanc assereret manu,
Te omne argentum redditurum? CA. non commemini dicere.
MI. Quid? negas? CA. nego hercle verò. quo præsente? quo in loco?
MI. Meipso præsente, & Lycone trapezitâ. CA. non taces?
MI. Non taceo. CA. non ego te floccifacio, ne me territes.
MI. Meipso præsente, & Lycone factum est. PH. satis credo tibi.
Nunc adeò, ut tu scire possis, Leno, meam sententiam:
Libera hæc est, hic hujus frater est, hæc autem illius soror.
Hæc mihi nubet: tu huic argentum redde. hoc judicium meum est.
MI. Tu autem in nervo jam jacebis, nisi mihi argentum redditur.
CA. Hercle istam rem judicasti perfidiosè, Phædrome.
Et tibi oberit: & te, Miles, di deæque perduint!
Tu me sequere. MI. quò sequar ego te? CA. ad trapezitam meum,
Ad Prætorem. nam inde rem solvo omnibus, quibus debeo.
MI. Ego te in nervom, haud ad Prætorem hinc rapiam, ni argentum refers.
CA. Ego te vehementer perire cupio, ne tu me nescias.
MI. Itáne verò? CA. ita hercle verò. MI. novi ego hos pugnos meos.
CA. Quid tum? MI. quid tum? rogitas? hisce ego, si tu me irritaveris,
Placidum ted hodie reddam. CA. age ergo recipe actutum. MI. licet.
PH. Tu miles apud me cœnabis. hodie fient nuptiæ.
MI. Quæ res bene vortat mihi & vobis. spectatores, plaudite.

VERSUS hujus Scenæ sunt trochaici Archilochici.

V. 2. NAM ET BENE] Sententia lectionem Lambino talem videtur postulare: *Nam nec benè nec malè &c.* Sed alteram propugnant MSS. omnes; & rectè: *Grutero* auctore.

3. NON MALE CRED.] Sic V.C. & Pall. omnes à manu pr. quippe vett. edd. *Nam.* sed argumentum alteram requirit scripturam; quod si agnovisset Pareus, numquam exturbasset nostrum? admisso *Nam.* Creduntur propriè nummi qui redduntur. quemadmodum contra propriè debentur, quæ deinde solvuntur. inde argutia Martialis 2. Epig. 3. *Sexte nihil debes; nil debes, Sexte fatemur.*

Debet

Debet enim quisquis solvere, Sexte potest. Tornorupæus ad Sat. 5. Persij.

4. VELUT DEC.] ita *Grut.* è MSS. *Velut dec.* & ita est in omnibus edd. Lambinus ediderat. *Vel decem minas dum hic solvit:* Sed præter libros, qui quoque nulli habent *hic.*

4. OMNIS MENS.] sc. aliorum argentariorum, ex quibus has decem minas corrogavit. L.D.

6. APUD PRÆTOREM] per cessionem bonorum. L.D.

7. AMICI COMPULERUNT] Is. Casaub. Com. in Charact. Theophr. leg. *contulerunt.* Mos, inquit, fuit pulcherrimus & vere pius apud Græcos sublevandi amicos pauperes. Erant enim sodalitates, quæ habebant communem arcam, in quam quot mensibus certum quid à singulis penderetur, ut esset unde juvari possent, qui ex illâ sodalitate fortunam adversam aliquo modo essent experti. Tales itaq; accipiebant ab istis amicis & sodalibus pecuniæ aliquam summam eâ lege, ut si Deus aliquando meliora daret, quantum esset erogatum, tantundem ipsi restituerent. Et hanc stipem collaticiam vocabant ἔρανον, & factum ipsum ἐρανίζειν &c. Nec raro accidebat, ut importuni exactores debitorem adorirentur, cùm ille ab amicis *eranum* istud, i. pecuniam erani nomine collectam auferret. Atque eòdem censet Casaub. hunc locum Plauti referendum. Quem ibid. vide, ubi copiosissimè de hoc ritu tractavit. Gruterus, MSS. inquit, omn. *compulerunt.* non malè tamen Casaub. *contulerunt*, nisi obstarent sequentia; *reddit argentum domo.* Nam *domo reddit*, qui promit de arcâ propriâ, quod antea ibi repositum habebat. ut ita collaticiâ pecuniâ amici eum non juverint. Interim mirificè variant MSS. in illo *reddit*, quod extat in V. C. nam pr. & sec. Pal. *reddet* sine voce *domo.* tert. *redde arg. domo.* quart. *reddet arg. domo.* sext. *redderet arg.* absque *domo*, etiam.

9. AT E. V. NOLO AMBOS] Ita & V.C. & Pall. & Edd. vett. perperam Dousa *volo.* imò *nolo*, quod & Acidalius unice laudat. Nolebat enim Leno, metuens quod futurum erat. atque ideò stare mox à Milite jubetur.

10. VOMERE] Tralatio est à ventriculo, qui cibi impatiens eum revomit. Dignus homine militari sermo.

11. AUT TECUM? AUT? MI.] ita Pall. & Lamb. & vett. edd. Additurus erat, *mihi:* sed Miles interrumpit. Acidal. ita distinguit: *aut tecum? MI. aut? quin ex te hodie fac.* autoritate, ut ait, vett. edit. *Hodie*, Comicè additur, & abundat in ornatum. ut statim: *delicatum e. te hodie faciam.* Ter. Phorm. *An quicquam hodie est factum indignius?* Sanè τὸ *hodie* in omnibus legitur: nusquam tamen ita distinctum.

11. PILUM CATAP.] i. jaculum, quod è catapultâ mittitur. V.N. sup. act. 3: 1. Pareus in Electis tit. *Captivitatis*, pueros suos docet ad hunc locum, compingi solitos servos in pila catapultaria. quæ stoliditas!

12. NERVO] In Fl. Vegetio lib. 4. c. 9. leguntur *funes nervini*, i. ex nervis torti. Sic Vitru. lib. 10. cap. 15. *Per quæ tenduntur nervi torti, qui brachia continere catapultarum debent.* Vide Godesch. Stewech. Comment.

13. DELICATUM] Quis non videt multò ita elegantius hæc Phædromum dicere, quasi succinentem Militi? Hic quidem è re militari de catapultâ exemplum ducens, Phædromus autem, ut delicatus & amatorius adolescens, de delitiis. Certè Lenonem ab utroque irritatum, ostendit responsum ejus: *At ego vos ambo &c.* Pist.

13. CATELLO] ambiguum. Festus: *Catulus genus quoddam vinculi, qui interdum Canis appellatur.* Lucilius:

Cum manicis, catulo, collarique ut fugitivum
Deportem.

14. FERREO] Jocus παρὰ προσδοκίαν. Homines delicati habent catulos, quales sunt *Melitæi*, quos secum cubare faciunt: non autem ferreos, &c. Vise Torrentium ad Horatii 2. Sat. 3. versu 259. item lib. 1. Epist. 17. v. 55.

14. AMBO] pro, *ambos.*

14. IN ROBUSTO CARCERE] i. in robore. Nam in arcas è robore factas servi includebantur pœnæ causâ. Et talia ferè dolia fuisse illa, suspicatur Sc. Gentilis, quæ Rex Ludovicus XI. excogitavit, nimis servili timore, in summos etiam viros. quæ Ph. Cominæus ut posteà descripsit, sic anteà incoluit per biennium. Plura vide Pœn. act. 5: 3. vers. 34.

15. COLLUMI

15. COLLVM OBSTRINGE] V.N.Amph.3:2.

17. ATQ. INTESTAT.] *Atque τριουλλάβως*: ut numeri serventur. Cam. sane sic servant omnes MSS. Pall. & V. C. & Edd. Merulæ. P. Nannius lib.10. Misc. c.1. l. *inattestatum*. VIR doctus, Etsi, inquit, JC. doctissimis *intestatum* probari video: ego tamen magis laudaverim, quod est in Sarracenica, *inattestatum*, præsertim cùm huc unicè faciant illa Sc. præcedenti, *intestatus vivito*. Cavè tamen illud, *intestatus vivito*, sic interpreteris, quasi dicere voluerit, *vivito inattestatus*: non. Jocum captat: & rei Venereæ ineptum optat. tantum eo extulit verbo, quod auditorum minus attentis auribus imponeret; atq; si testimonii ei adimeret dictionem. Planè illud vult Milite Sc. ult. *Et si intestatus non abeo hinc &c.* Apertius paullò Sergius ille Polensis in suo sibi Testamento: *Qui non paruerit, hæc mulcta illi esto: teste altero careat.* Ergò si *inantestatus* hîc retinemus, sciendum triplici venire significatu: Et pro eo cujus auris testimonii ergo apprehenditur: item eo qui in jus vocat, & qui vocatur. Pro primo facit illud Horat.1. Sat.9.

——casu venit obvius illi
Adversarius: &; licet antestari? ego verò
Oppono auriculam. rapit in jus &c.

Et ibid. Acron & Porphyrius interpretes. Pro secundo Prisc. lib.8, qui ex Livio disertum affirmat, *impuberem libripendem esse non posse, neque antestari*. Ubi *antestari* passive accipitur, & signat, ut idem ait, προδιαμαρτυρηθῆναι. nec aliter accipit Cajus lib. 1. Inst. c.6. ut mecum sentit Ant. Augustinus. Tertio modo usurpat hîc Plautus, & Pœn. act.5:4. *Antestare me, atque duce &c.* Istic siquidem Antestatilis jubet aurem sibi velli, & deinde duci in jus. Sed hæc à me dicta sunto, non tanquam à legitimo Senatore Criticæ Curiæ, verùm prætextato aliquo eorum è classe, qui cum parentibus unà intrabant &c. Hæc ille.

17. ARRIPI] *Arripitur* vel homo, vel res. homo ad pœnam; res ad rapinam. Plaut. Persa: *Quod semel arripides, numquam postea eripides.* Amphitr. *Arripiam hunc obtorto collo.* Horat. *Quem semel arripuit, tenet occiditq. legendo.* Propert. 2. el. 29. *Arripite hunc inquit &c.* Passerat.

19. INDEMNATVM] Edd. primæ Veneta & Paris. *condemnatum*, ut & Pall. omn. MS. Cam. *condempnatum*. q. d. Noli facere, ut à

A Prætore condemnatus multetur. aut potius, noli de facto ita cum eo procedere sicuti cum condemnato. At Brix. edit. & Ald. & MS. Frising. aliæque l. *indemnatum*. quod retinendum censet Meursius ob præcedentia.

21. QVOM PVDICA ES,] ita Grut. è MSS. omnibus, phrasi meliori, quàm hactenus vulgabatur: *quod pud.*

23. ANIMVM ADVORTITE] ita Grut. è MSS. Et ita ferè in meis. vulg. *animadvortite*.

25. TIBI PERMITT.] te Judicem sumimus.

27. QVODNE PROMISISTI] Non auferatur argentum abs te quod promisisti? Douza. l. *promisti*: ut Trochaici constent numeri. MS. Cam. *promisisti*.

27. QVI PROM.] ita omnes MSS. & cusi ante Aldum. Eodem hoc loquendi genere utitur Mercat. *CH. Qui potuit eam videre? AC. oculis. CH. Quo pacto? AC. hiantibus, &c.*

28. DICENDI] i. loquendi; L. Acid. suspicabatur, *dicandi rem, non p.* contra libros tamen.

B 28. GRATIA HÆC] ita MS. Cam. rectè. *Grut.*

29. CA. IAM IAM F.] Rectè hæc Acid. è vett. ed. Lenoni dat, ut qui minaciis perterrefactus, supplex nunc quodammodo fit, & facturum omnia pollicetur.

31. PROMISTIN] MS. Cam. & versus postulant, *promistin*. Grut. & Acid.

31. LIBERALI] scil. caussâ. ne ad *manu* referas. V.N. Sc. præced.

40. IN NERVO] Hoc totum ad illud referendum, de quo Agellius ex ll. 12. Tab. disputat lib.20. c.1. *Nervo* autem leg. omn. MSS. & Edd. vett.

43. AD PRÆTOREM] *q. d.* A Prætore solvo, tanquam à trapezitâ. quia in jus vocatus, i. ad Prætorem, cedo bonis. Cessio autem bonorum erat juris Prætorij. Sic suprà: *Pessimè metui, ne mihi apud Prætorem solveret:* Bosius. At Sim. Ulr. Pistoris, Quoties, inquit, bonis cedendum fuisset Lenoni, si omnibus, quibus debebat, ita satisfecisset? Potius est, ut ad perjurium hæc referantur; ut dicat Leno, se omnes creditores suos ad Prætorem vocare solere, atque ibi jurejurando affirmare, se nihil ipsis debere. Quò pertinet, quod suprà ei objicit Cocus:

Nam-

Namque incubare te satius fuerat Jovi,
Qui tibi auxilio in jurejurando fuit. A

Et infames fuisse perjuriis Lenones notissimum est. Eodem referendum videtur, quod suprà hâc Sc. legitur: *Pessimè metui, ne mihi hodie apud Praetorem solveret.* quamvis & hoc ad bonorum cessionem pertinere videatur Lambino.

43. TU ME SEQUERE] Pareus editio prima heic & versus transposuit, & alia quoq; mutavit; planè contra libros, obsecutus libidini Acidalianae. B

44. INDE REM SOLVO] S. Ulr. Pist. censet, hîc etiam reponi posse, quod Dousa, Sc. praecedenti: *inde rem resolvo omnibus.* vel: *inde resolvo omn.* Quod clarè legitur Epid. Sc. 2. v. 39. & act. 3: 2. & Menaech. act. 5: 5. *quando resolvi argentum, quibus debeo.*

A 46. NE TU ME NESCIAS] Doctissimus Batavus hîc quaedam mutabat. Verùm Grut. vetat quicquam heic mutari: nisi amemus reddere Lenonis sermonem betâ languidiorem: praesertim cùm ei etiam mox alludat Miles: *Novi ego hos pugnos meos* scilicet, non te, ô Cappadox.

49. PLACIDUM] Sic Mil. act. 5. *Mitis sum equidem fustibus.*

B 50. MI. LICET. PH. TU] ita Acid. & Pist. è Ven. & Col. edd. Personas ordinant. Illud enim, *licet*, verbum est accipientis pecuniam praesentem, quam paullo ante à Lycone extortam secum portabat Leno.

51. PLAUDITE] MSS. Cam. & Pallat. sec. & sext. item vett. edit. iterant *plaudite, plaudite.* Sed tamen verba illa, *MIL. Quae res bene.* praecedenti versui annectunt.

FINIS CURCULIONIS.

CASINA.

ARGUMENTUM.

HUIUS Fabulae argumentum ut est festivum atque bellum, itaadmodum etiam turpe & obscenum, &c. Sed ab hâc spurticiâ avertamus oculos & mentes nostras, & utilia atque bona, quasi margaritas de stercore, legamus è talibus scriptis, &c. INTRODUCITUR quidam ridiculus amator Senex, & illius Sodalis quasi receptor flagitiosi vicini. Horum facinora deprehenduntur à mulieribus; & variè Senibus illuditur. *Sortitio* etiam inest, ut in Graecâ fuisse apparet de nomine. nam κληρουμένην illam appellatam in Prologo dicitur, nimirum de aliquâ, quâ de sortitio fieret. CASINA idem, nisi fallor, significat quod *scortillum*: nam κάσαν *scortum* interpretantur: inde est κασῖνα, & duplicato νν, κασίννα, sicut κόρη, κορίνα & κορίννα. *Chalinus* servus, à verbo χαλῶ, ut puto: unde χαλινὸς, *frenum* seu *habena*. (*I. Meursius* mâlit legi *Charinus*, quod ita scripserit Priscian. lib. 8. citans illa act. 5. sc. 1. *Lubet Charinum quid agat scire*: quódque in Mercat. & Ter. Andriâ hodie ita legatur.) In MSS. tamen Cam. est *Calinus*. in iisdem *Cassina* exaratur: ut & in priscis edd. nonnullis. Ὀλυμπίων, ab Olympo παρωνύμως. Κλεοστράτη, facto nomine de *gloria militari*. *Pardalisca*, à *pardali*, ferâ variâ,

diversicolore. *Murrina*, μυῤῥίνα, ἀπὸ τῆς μύῤῥας, quam *murrum* dixerunt. *Stalino* quid sit, aut unde factus, fateor me ignorare, &c. *Alcesimus*, ἀλκήσιμος, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς. *Euthynicus* significationem habet *expeditæ victoriæ*.

DRAMATIS PERSONÆ.

PROLOGVS.
CHALINVS servus.
OLYMPIO villicus.
CLEOSTRATA uxor.
PARDALISCA ancilla.
MVRRINA mulier.
STALINO senex.
ALCESIMVS senex.
COQVVS.
ANCILLÆ.

GREX.

ARGVMENTUM.

CONSERVAM uxorem conservi duo expetunt.
Alium senex allegat, alium filius.
Sors adjuvat senem: verùm decipitur dolis.
Ita ei subjicitur pro puella servulus
Nequam, qui dominum mulcat atque villicum.
Adolescens ducit civem Casinam cognitam.

CONSERVAM] Casinam.
V. 1. CONS. DVO] Chalinus & Olympio.
2. SENEX] Stalino.
3. FILIVS] Euthynicus, κωφὸν πρόσωπον.
5. MVLCAT] V.N. Trin. 4: 2. MS. Cam. & quinque Pall. & Lang. & cusi ante Aldum, *mulgat*. bene: nam *mulgat* est *mulcat*; quod hîc proprium: *Grut*. & tali phalera editiones suas compsit Pareus.
6. ADOLESCENS] Euthynicus. Pareus ne non abeat à ceteris, loco *civem*, edidit *uxorem*, contra MSS. editosque omnes, imo contra versum.

PROLOGVS.

SALVERE jubeo spectatores optumos,
Fidem qui maximi facitis; & vos Fides.
Si verum dixi, signum clarum date mihi,
Vt vos mihi esse æquos jam inde à principio sciam.
„QVI VTVNTVR vino vetere, sapientes puto,
„Et qui libenter veteres spectant Fabulas.
Antiqua opera & verba quum vobis placent,
Æquum placere est antè veteres Fabulas.
„Nam, NVNC NOVÆ quæ prodeunt, Comœdiæ,
„Multò sunt nequiores, quàm nummi novi.

No.

Nos postquam populi rumorem intelleximus,
Studiosè expetere vos PLAVTINAS FABVLAS:
Antiquam ejus edimus Comœdiam,
Quam vos probastis, qui estis in senioribus:
Nam juniorum qui sunt, non norunt, scio.
Verùm ut cognoscant, dabimus operam sedulò.
Hæc quum primùm acta est, vicit omnes Fabulas.
Eâ tempestate flos Poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.
Sed absentes tamen prosunt præsentibus.
Vos omnes opere magno esse oratos volo,
Benignè ut operam detis ad nostrum gregem.
Ejicite ex animo curam atque alienum æs:
Ne quis formidet flagitatorem suum.
Ludi sunt. ludus datus est argentarijs.
Tranquillum est: Alcedonia sunt circum forum.
Ratione utuntur, ludis poscunt neminem,
Secundum ludos reddunt autem nemini.
Aures vacivæ si sunt, animum advortite:
Comœdiæ nomen dare vobis volo.
CLERVMENOE vocatur hæc Comœdia
Græcè, Latinè SORTIENTES. Diphilus
Hanc Græcè scripsit, pòst id rursum denuò
Latinè PLAVTVS cum latranti nomine.
Senex hic maritus habitat: ei est filius.
Is unà cum patre in illisce habitat ædibus.
Est ei quidam servus, qui in morbo cubat,
Imò hercle verò in lecto, ne quid mentiar.
Is servos, sed abhinc annos factum est sedecim,
Quum conspicatus est primo crepusculo
Puellam exponi. adit extemplo ad mulierem,
Quæ illam exponebat: orat, ut eam det sibi:
Exorat, aufert, detulit rectà domum:
Dat heræ suæ, orat ut eam curet, éducet.
Hera facit, educavit magnâ industriâ,
Quasi si esset ex se nata, non multò secus.
Posteaquam adolevit ad eam ætatem, uti viris
Placere posset, amare puellam eam hic senex
Efflictim occipit; ut item hujus *contrà filius.*
Sibi nunc uterque contrà legiones parat,
*Pater*que, *filiusque, clàm alter alterum.*

Pater allegavit villicum, qui posceret
Sibi istam uxorem: is sperat, si ei sit data,
Sibi fore paratas, clam uxorem, excubias foris.
Filius autem armigerum allegavit suum,
Qui sibi eam uxorem poscat. scit, si id impetret,
Futurum, quod amat, intra præsepis suas.
Vxor senis sensit virum amori operam dare,
Propterea ea unà consentit cum filio.
Ille autem postquam sensit filium suum
Eandem illam amare, & esse impedimento sibi,
Hinc adolescentem peregrè ablegavit pater.
Sciens ejus mater ei dat operam, absenti tamen.
Is, ne exspectetis, hodie in hâc Comœdiâ
In urbem non redibit: PLAVTVS noluit:
Pontem interrupit, qui erat ei in itinere.
Sunt hîc, quos credo nunc inter se dicere:
Quæso hercle quid istuc est: serviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent, aut poscent sibi?
Novum attulerunt, quod fit nusquam gentium.
At ego ajo hoc fieri in Græciâ & Carthagini,
Et hîc in nostrâ terrâ in Apuliâ.
Majoreque operâ ibi serviles nuptiæ,
Quàm liberales etiam curari solent.
Id ni fit, mecum pignus, si quis volt, dato
In urnam mulsi, Pœnus dum judex siet,
Vel Græcus adeò, vel meà caussâ Apulus.
Quid nunc? nihil agitis, sentio: nemo sitit.
Revortor ad illam puellam expostitiam,
Quam servi summâ vi sibi uxorem expetunt.
Ea invenietur & pudica & libera,
Ingenua Atheniensis: neque quicquam stupri
Faciet profectò in hâc quidem Comœdiâ.
Mox hercle verò, transactâ fabulâ,
Argentum si quis dederit, ut ego suspicor,
Vltrò ibit nuptum, non manebit auspices.
Tantum est. valete, bene rem gerite, & vincite
Virtute verâ, quod fecistis antidhac.

IVST. Lipsius, Elect. 1. cap. 11. PROLOGVS *Casinæ, non Plauti sed Plauto dignus.* Valent. Acidalius: *PLAUTI quidem hic Prologus non est, sed mehercule talis, cujus nec pudere ipsum possit.* Alciatus Parerg. lib. 6:16. *Hunc*

A. *Prologum* ait *Apulum aliquem Comœdum Plautinæ Fabulæ præfixisse.* In MS. Cam. ante argumentum Prologus positus est: ut & in Argent. ed. & Parisinâ.

V. 2. FID-

2. FID. Q. M. F. AT VOS F.] Ita Cam. & Brix. editio. Lambinus *quos* nobis somniavit ἀντὶ τοῦ *vos*. MS. Cam. & vett. ed. omnes hac verborum positurâ: ——*qui facitis maxumi, & vos Fidem* ut putet Grut. legendum, *utque vos F.* scil. *facit*. Hæc enim mens Gruteri est: non quam ex editione meâ priori ab operis corruptâ perperam auctori transcripsit Pareus: qui & numeros sic corrupit: *Fidem qui facitis maximi, utque vos facit fides.* nimirum rem *curat*, non verba noster imi subsellij Orbilius.

5. QVI VIVVNTVR V.] Horatius epistolâ ad Augustum, luculentis versibus docet, non, ut vina, sic & poemata, quæ sint antiquissima, esse optima. Pindarus recentissimum quodque carmen ait esse laudabile, αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων, i. *Lauda vinum quidem vetus, flores autem hymnorum recentiorum*, &.

7. ANTIQVA OP.] *antiqua*, παλαιὰ [illegible]: *Cam.* Editio Ald. omisit hunc versum, qui tamen in omnibus MSS. & textu cusis: *Grut.* sed Acidal. numeris ita consulit: *Antiqua verba & opera quum v.*

8. ANTE VET. F.] *ante*, i. prius, magis, potius. sed Acid. malit, *autem v.* & copiosè de elegantiâ vocis hujus disputat. V. N. Mer. act. 1. 2. & verò *autem* posuit in edd. Pareus, ejecto *ante*, quod in cusis scriptisque omnibus.

10. QVAM NVMMI NOVI] Huic loco fortean lucis aliquid allucebunt Gruterus & Lipsius, ad illud Senecæ Epist. 19. *Nec voles quod debeo, nisi in aspero & probo accipere.*

11. RVMOREM] ita omnes MSS. solus Pal. tertius leg. cum Ald. *rumore.*

14. QVI ESTIS IN SENIORIBVS] Hanc phrasin Græcorum Hebræorumque propriam esse, docet Lal. Bisciola Jesuita l. 8. cap. 20. Hor. Succisiv.

17. CVM PRIMVM ACTA] Haiminsfeldius è MS. Pirchk. l. *Hæc quum primatim a.* quod pro ambrosia, Pareo; eaque propter locum ei dedit in editione sua prima. verùm ejecit secunda, tanquam redoleret licentiam. quid ni? cùm & versum incestet.

18. FLOS POET.] ἄνθος ἀοιδῶν, Sophocl. Cicero: *Flos equitum Romanorum: flos legatorum: flos populi, &c.* Curcul. 1. 2.

19. COMMVN. LOC.] Orcum, vel terram. Lucretius: *Omnipotens, eadem rerum commune sepulchrum.* Des. Heraldus, Comicus, inquit, hic ἀφανισμόν. nam & *Abire*, & *Communis locus*, est ἀφανισμός. *Communis locus* est ille, *unde negant redire quenquam.* Sic ἀφανισμὸν τῆς *sepulchretum* dicebant πολυάνδριον: & πλείονας, *mortuos.* Eustach. Od. α. ὡς δὲ καὶ [illegible] ἀφανισμὸν [illegible], Οἱ πολλοί, καὶ τὸ, οἱ πλείονες, δηλοῖ ὁ εἰπὼν τό. Ἀπελεύσομαι παρὰ τοὺς πλείονας, ὅ ἐστι, θανοῦμαι: πλείονες γὰρ τοὺς τεθνεῶτας ὁ λόγος ἔφη. Plaut. Trin. act. 2. 2. (Vide Not. ibidem) *i. e. ad plures penetravi.* Sed & *mortui μακαρῖται* dicebantur, διὰ τὸν ἀφανισμόν: Theocr. id. 2. Æschyl. in Pers. Ubi Scholiastes malè notat, μακαρῖται dici τοὺς τεθνεῶτας, μάκαρας δὲ τοὺς ζῶντας. neque enim hoc perpetuum. nam & οἱ μάκαρες dicuntur eodem sensu, quo μακαρῖται, &c. sic & *Felix* Latinis.

Horatius:

Omnes composui felices: nunc ego resto:
Confice.

Sic enim Scaliger hanc vocem ibi accipit. Sic Nemesianus:

Felix ò Melibœe vale.

Eadem religione dicunt Græc. ἀπαλλάττειν τὸ χρεών: & ἀπαλλάττειν simpliciter. Pro eodem dicunt κατέλειπεν τὸν ἄνθρωπον. Ea cautione dixit etiam Plaut. in Pœnulo:

Eum fecisse ajunt, sibi quod faciundum
fuit.

Ibidem:

——*si quid de me fuat, &c.*

Meursius, Exercit. Crit. lib. 3. Sepulcra Romanos, sed & Græcos, juxta vias in finibus agrorum habuisse, satis constat omnibus. Primitùs tamen in ædibus ea constituebant. Isidorus Orig. 15. cap. 11. *Sepulchrum à sepulto dictum est. Prius autem in domo suâ quisque sepeliebatur.* Inde Lares coli cœperunt. Servius Æneid. 6. *Apud majores omnes homines in suis domibus sepeliebantur. Unde ortum est ut Lares colerentur in ædibus.* Atque erant cellæ isti usui, quæ postea translatæ etiam extra urbem. Sciendum autem, sepulcra aut fuisse privis hominibus facta, vel conjugibus, aut omni familiæ posterisque. Privorum conjugumque appellabantur *Requietoria*, aut *Loci.* Augustin. de Civit. Dei lib. 1. cap. 1. *Testantur hoc martyrum loca, & basilicæ Apostolorum.* idemque videre est in Jure & Inscriptionibus, &c. aut etiam *Ossuaria*: immò & *Cineraria, &c.* Jam omni familiæ posterisque facta esse sepulcra, docent

cent præter alia, antiquæ Inscriptiones, FECIT, SIBI, POSTERISQ. SUIS. &c. (de quâ re videantur electa multa in *Indicibus Inscriptionum Gruterianarum.*) Et hæc intelligit Ovidius lib. 13. Metamorph.

At, puto, funeribus dotabere regia virgo:
Condeturque tuum monimentis corpus avitis, &c.

Ea autem dicebantur *Loci Communes.* Artemidorus lib. 1. cap. 80. Κοινὸς ὁ τόπος ... καλεῖται, ὁ τοὺς νεκροὺς δεχόμενος. Et Prologo Casinæ &c. Cicero 6. Verr. *Dico nihil istum ejusmodi rerum in Provinciâ reliquisse &c. nihil in ædibus cujusquam, ne in oppidis quidem, nihil in Locis communibus, ne in fanis quidem, &c.* Justinianus Instit. lib. 2. tit. 1. *In communem autem locum purum invito socio inferre non licet.* Etiam *Familiaria Sepulcra*, item *hæreditaria.* ff. lib. 11. tit. 7. l. 1. *Familiaria sepulcra dicuntur, quæ quis sibi familiæque suæ constituit: Hæreditaria autem, quæ quis sibi hæredibusque suis constituit.* Erant præterea *Publica sepulcra*, in quibus ii locabantur, qui honoris ergò de publico sepeliebantur, &c. Dices jam mihi; hæc abesse poterant. fortasse; sed tamen semel annotata lucem dare multis in locis Comico nostro, tibi etiam dico.

20. ABSENTES] i. defuncti. Bosius hunc locum ita explicat: Sed absentes tamen sunt pro præsentibus i. proinde est, ac si præsentes essent. ut sit ἀναστροφή.

21. ESSE ORATOS] Longol. ait in v. c. legi *esse oratum.* quod Pareus statim in contextum recepit. V. N. Prol. Amph. Miror tamen qui liber fuerit; qui ita singularis. nam nostrum restat in v. c. Pall. verò omnes *operatos*, quod & in edd. primis.

22. GREGEM] Comicum. *L.*

22. EIICITE] Ed. vet. *ducite.* hinc Meurs. *diicite.* MS. Cam. *eicite.*

23. ALIEN. ÆS.] aut *alienum æs*, non collisis syllabis, aut *aës* διηρημένως pronunciandum, quod magis putat Camer.

24. FLAGITATOREM] Creditorem importunum. V. N. Most. 32.

25. LUDI SUNT] Ivo Villiomarus lib. 5. cap. 4. Animadvers. in Locos Controv. Roberti Titii, *Dare ludum*, inquit, interpretaris, dare intermissionem. En jecur Crateris! *Dare ludum*, est metaphora à ludimagistris, qui Floralibus, & aliis ejusmodi diebus pueros feriari sinunt. Tunc dicuntur *dare ludum pueris*, hoc est, ludi vel ludendi potestatem illis facere. Unde metaphora in alias res deducta, ut, *dare ludum alicui*, sit indulgere illi, neque ab eo quotidianum pensum aut laborem exigere. quare & apud Plaut. & apud Horat. (3. *Od.* 16.) idem est *dare ludum*: cum tu diversum existimâris. In Plauto indulgetur argentariis: in Horatio jubetur *Neobule solvere ἱμματίου*, indulgendo amori eo remedio, de quo præced: cap. memini, hoc est, τῇ συνουσίᾳ καὶ τῷ κώμῳ. nam κῶμος est, *dulci malâ vino lavere*: συνουσία, *amori dare ludum.* Utrumque autem, κῶμος & συνουσία incurrit severitatem & castigationem &c. Vide plura Bacchid. act. 4. sc. 10.

26. ALCEDONIA] ἡμερήσια. Servius ad illud Virgil. 1. Georg. v. 399. *Dilectæ Thetidi Halcyones*, notat: Hæ aves nidos faciunt in mari mediâ hyeme, quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri. inde etiam *dies Halcyonii* vocantur. V. N. Pœn. act. 1. 2. v. 143.

27. LUDIS POSC.] Spectaculorum enim tempore neque libellos dare, neque in jus vocare hominem fas erat: *Douza.* S. Bosius; *Argentarii*; inquit, *ratione utuntur*, i. seriò poscũt; *ludis*, i. joco neminem. ut intelligamus Prologum Plautinos sales imitari. Quæ explicatio, judice quidem *Lamb.* acuta est: simpliciter tamen sic mâlit: *Argentarii nunc ratione utuntur*, quia his ludorum diebus neminem flagitant. quòd si aliter facerent, ratione non uterentur. Sed Acidal. censet, illud, *Ratione utuntur*, meliùs explicari non posse; quàm hoc Italorum, *hanno ragione.* ut frustrà se torserint Bosius & Lamb. curiosis glossematis confingendis.

28. SECUND. LUD.] Jocus in argentarios: qui sunt acres in poscendo, tricones in reddendo. *L.*

26. VACIVÆ] Has videtur Fulgentius appellare *feriatas*, procœmio Mythol. Idem: *Feriatis aurium sedibus percipe.* J. Gul. Verisi. lib. 1. 14. *Aures votivæ si sunt, an. adv.* Primus Lambinus, illud *votivæ* mutavit in *vacivæ.* A quo dissentio: & lego, *Aures votitæ si sunt, animum advertite. Votitus*, qui voto, quò minùs quid faciat, impeditur. ut Asin. 4. 1. Lepidè igi-

de igitur histrio: *Si*, inquit, voto tenemini, quo minus auribus mea dicta usurpetis, ad vos animo ea usurpate. Lusit nimirum in eo, quod immobiles homini Natura aures dedit, ut ex adverti non possint: *at animum advertere*, vulgatissimum loquendi genus, hoc igitur agere eos jubet. Rob. Titius adfert lib. 1. 15. Autorem, ait, *votivas aures* appellare, quæ ex voto histrionum affectæ sint: ut apud Sidon. *Perspicuè me officii votivi compotem fecit*: hoc est, officio, quod votis expetebam: secumque facere Alciatum & Beroaldum, &c. At hoc ipsum Tuo Villiomarus refutat, legitque cum Lamb. *vacivas*: Et jocus inquit, Comicus est in *vacivis auribus*, nam locutio est familiaris, *si vacat, audi*. At Comicus dixit, *si vacivæ sunt aures*, joco capto à vacuis ædibus &c. Etiam Gul. Canterus, Nov. Lect. lib. 1. 20. rejecto *votivæ*. leg. *vacivæ*. Gruterus, Omnes, inquit, edd. legunt, *Aures votivæ si sunt*: item MSS. Pall. nisi quod hi, *votive*. at MS. Cam. ambiguè scriptum habet *vocivæ*; ita ut magis videatur tertia litera esse c, quàm t.

30. COMOEDIÆ NOMEN] Sic Pall. MSS. & Edd. vett. nam recentiores immiserunt versus caussa, nunc *hujus*, nunc *jam*. v. c. *Comœdiæ nomen*. In promptu est *Comœdiai*. sed an aliud quid latet?

31. CLERUMENOE] κληρούμενοι, i. sortientes. Sic *Canephoroe* apud Cic. 4. Accus. consuetudine Doricâ, cui Latinum os assuerat in multis: Turn. lib. 7. 11. MS. Cam. *Clerumenœ*: alii *Clerumenæ*. Gifanius cum Turn. *Clerumenœ* probat, eâdemque formâ ex MSS. libr. *Adelphœ Terentii*. censetque tribuendum aliquid antiquitati, ipsique veritati.

33. POST ID R.] ita MS. Cam. & Pall. & vetustiss. Edd. sed Meurs. & Acid. ex nonnullis cod. qui leg. *post id eam*, faciunt *postidea*, sicque audacter expressit utraque Pareana, cum notâ: non dubitandum ita initio fuisse scriptum in V. C. quare quæso? imò non fuisse, inde colligamus, quod vulgatum restet in Excerptis Pal. quæ nunquam literulam discrepant à V. C. quid jam dicis Affirmator?

33. RURSUM DENUO] πάλιν ἐκ δευτέρου, usitatum Priscis illis: ut diximus Ci-

A stell. Act. 3. etiam Græcis. Matthæi cap. 26. v. v. 42. πάλιν ἐκ δευτέρου ἀπελθὼν, *rursum secundò abiit*, CHRISTUS scilicet.

34. CUM LATRANT IN.] JANUS DOUZA Pater, In hoc, inquit, explicando & Camerarius, & Scaliger, & Canterus cum Lambino (at qui viri!) seque ac spes suas corruperunt. Nam quod princeps ille Cam. noster existimat, Poetam ad initialem τ *Marci*, prænominis syllabam, ob canini elementi sonum, respexisse; Scaliger verò ad priorem ejusdem nominis literam solùm (*M. Plautus*) ab eo, quòd *M* vel μῦ videntur edere canes, cum irritantur; credat, si quis ingeniosis potiùs quàm veris rationibus facere acceptorem se postulet, non ego: neutrum enim *latranti nomini* convenire, res ipsa evincit: cum alterum sit ringentis sive birrientis canis potiùs; alterum mutientis, quasi irritatæ. Canterus *latrans nomen* pro *canino* sumptum esse, indidémque ad præsentis Comœdiæ appellationem allusum autumat. quasi verò idem valere & *Canis* & *Casina* nomen Comicè dixisset Poeta, quoniam ab eâdem pariter incipiunt syllabâ, &c. Lam-
B binus de *latratu*, aut *canina vocis sono* nihil quicquam, ne μῦ quidem: sed per *nomen latrans Latrantis animalis nomen* significare persuasus, interpretationem hanc suam ad Festi illud traduxit: *Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ sunt ac flaccidæ, & latius videntur patere.* ut *Latrans nomen* pro *Canino* positum sit à Comico. Ego verò *latrans nomen* ad cognomentum antecedens (PLAUTUS, inquam) retrahendum censeo. ejus enim nominis principalis syllaba canum latrantium sonum referre atque exprimere clarè videtur. Atque equidem cum recogito, credo Latinos illos veteres, perperam quidem & corruptè, sed tamen Græcissantium ritu, diphthongum istam in πλαῦ syllabâ, in modum τοῦ digamma (*F*) extulisse. unde & Lucretii *Baubari*, & nostrum Blaffen manasse, certa, haud arbitraria est opinio; υ in *b* commutata scilicet. Huc accedit, præter decantatissimum illud Demosthenis exemplum, Aristophanis Poetæ auctoritas, qui cum *canes latrantes* seu *baubantes* potius, imitari ac repræsentare vellet, αὖ αὖ promserit in Scenam. *Hæc, paucis detractis*, Douza.

Atque

Atque ut hoc obiter addam: quum Pragæ essem atque inter mensas (unà erat & *Hub. Gifanius*) horum mentio forte incideret, memini viro magno & in his etiam litteris planè (quod mireris in isto fastigio) singulari, *J. Matth. VVachero* Cæs. Consil. sententiam Douzæ præ cæteris probari: quemadmodum nunc olim & *G. Vossio* & *V. Acidalio*; ita quidem, ut hic miraretur, alios post Dousam hic ausos hiscere. Gruterus tamen *Latrans nomen* non ad *Plautum* refert, sed *Casinam*, hoc argumento: quòd semper nomini auctoris inveniat Comœdiæ annexum nomen. Asinar.

Huic nomen Græcè est Onagos fabulæ.
Diphilus scripsit: M. Accius vertit barbarè.
Asinariam vult esse.

Mercatore:

Græcè hæc vocatur Emporos Philemonis.
Eadem Latinè Mercator M. Accii.

Pœnulo:

Carchedonius vocatur hæc Comœdia,
Latinè Plauti Patruus pultiphagonides.

Ergo videtur eam iterum Latinè scripsisse Plautus, sed non *Sortientium* nomine, ut priùs, sed *Casinæ*, quam *latrans nomem* vocat, quia fœmina erat. Fœminæ autem *Canes* & *oblatratrices* ferè audiebant, singulari intellectu. Infrà, act. 2. 5. *Quasi venator tu q. es, dies atque noctes cum cane ætatem exigis.* Mil. 3:1. *Nolo mihi oblatratricem &c.* Men. 5:1. *Num tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem Graji esse prædicabant?* &c. Titinnius: *Ipsius quidem hercle ducere Canem nevult*, &c. Hæc Gruterus. Quæ nec Douzæ F. displicebant: nisi quod arbitraretur, convitium tale maritatis tribui, non virginibus. At ei cedebat Gruterus locum Curcul. act. 5. 1. *apage istam caniculam.* illa enim ipsa pudica erat, *neque adhuc cubitabat cum viris*, ut dicitur ejus Comœdiæ principio. Notat Is. Pontanus in v. c. Oxoniens. scriptum ad oram fuisse: *Casinam intelligit.* Tandem J. Meursius, Torquet, inquit, viros magnos, unde *Casina* dicta sit, & quid illud *cum latranti nomine*: quod profectò aliud nihil est, quàm deliramentum Scriptoris, qui Prologum istum nobis dedit, neque mentem Plauti intellexit. Attendamus bene. Diphilus primùm Græcè scripsit, appellataque ab eo fuit κληρούμενοι, i. *Sortientes.* Plautus Latinam facturus, *Casinam* nominavit, à *casu* sive sorte. *Hæc ille.* Lector, Quid ego hîc tibi dicam? Nonne illud? Viel Köpff/ viel Hüet. Tamen Gruteri sententia mirum est quàm mihi & verò blandiatur.

37. IN MORBO CVBAT] Pro hoc non solùm *decumbit*, sed & *cubat*, sine adjectione usurpabant. Hor. 1. Sat. 9. *Trans Tiberim longè cubatis.* Epist. 2:2. *cubat hic in colle Quirini.* 2. Sat. 3. *pueri menses iam quinque cubantu.* Ovid. epist. Acontianâ: *hæc cubat, ille valet.* Etiam κεῖσθαι à Græcis pro ægrotare usurpatum esse, notum est.

46. QUASI SI ESS.] v. & *Quàm si ess.* quod præfert Meursius.

49. EFFLICTIM] *usque eò dum effligatur*: Charis. V. N. Amph. 1:3. Cæterum in MSS. Cam. ac Pall. & vett. Edd. locus hic ita legitur:

Placere posset, at eam puellam hic senex.
Amat efflictim, & item contrà filius.

Lectio nostra visitur in Aldina, adprobavitq; Dousa.

54. SIBI F.] *sibi fore*, Proceleusinat.

54. EXCVB.] locum, ubi foris excubet. *L. D.* Vide N. Curc. act. 1. 3.

57. INTRA PRÆSEP.] i. in suâ potestate. *Longol.* & L.

61. ET ESSE] Ita MSS. & edd. omnes ante Pareanam. ea objecit nobis ex nescio quo MS. Paulli Stephani *ne esse.* quid eo sibi velit, ipse norit. ineptum esse, hoc scio.

65. SCIENS EIUS] i. ejus rei conscia ac gnara. *D.* Pareus in Lexico Plautino notat ad hanc vocem; *Sciens* Latinum est non *scius*, quod vult stipes Nonius. ipsum palæmonem audimus. ergo stipes est etiam Eutyches Grammaticus, qui diserte affirmat, id derivari à *scio*; imò talis quoque Priscianus lib. 4. multò magis Apulejus in 1. Hermagoræ, quem ibidem laudat; multo magis Pacuvius, cujus hæc citat ex Teucro: *Postquam defessus perrogitando, advenas de natis, neque quemquam invenit scium.*

66. INTERRVP.] interclusit ei reditum. Allegoria à re militari. Cæsar, *pontem rescindere*, dixit; Livius, *intercidere.* At Pistoris existimat, hîc nihil esse allegoricum; sed risus tantùm caussâ dici.

68. SERVILES NVPTIÆ?] neque enim justæ serviles sunt nuptiæ ex Jure Civili: neque

neque servorum mulieres dicuntur *uxores*, sed *conjunctæ*: Varro. 1. Rei Rust. c. 17.

71. KARTHAGINI] Vide N. Capt. act. 3:5.

72. IN NOSTRA TERRA, IN AP.] ita est in MSS. Cam. & plerisque Pall. & veter. editt. ante Aldum, qui *in nostrâ terrâ atque in Apuliâ*. nam Camerarius, *terræ etiam in*. an fuit *terra, terra in Apulia*, voce repetitâ.

76. POENUS] Significari, ait Lamb. Pœnos esse bibaces, itemque Græcos & Apulos. Ineptè, teste *Pistore*. Quid enim ad judicem, utra pars ex litigantibus urnam mulsi lucraretur? Potiùs ideò aut Pœnulum, aut Græcum, aut Apulum judices desiderat, quod suprà dixerat, *Carthagini, in Græciâ & Apuliâ* serviles nuptias tam splendidè celebrari. Vult igitur judices adhiberi locorum peritos. Quanquam hoc de nuptiis servilibus in hisce locis curatis, Comicâ quadam licentiâ potiùs confictum, quàm ut pro historiæ testimonio possit allegari, censet contra Alexandr. ab Alex. l. 2. c. 5. Tiraquellus.

78. NIHIL AG.] pignore dato mecum non certatis.

81. EA INVENIETUR] Prostibula per ludos publicos in Scenam introduci solebant, & exponi omnium non libidini solùm, sed licentiæ. Scilicet ut quæ perdidi homines in Mimis & cæterâ obscenitate fabularum, paullo antè natantibus oculis viderant, ea post ludos in reliquo corpore peccarent. Is mos Romæ vetus. Statius:

Huc intrant faciles emi puellæ.

Et apparet vel ex Tertulliano, hanc productionem scortorum non sine solemni pompâ

A fuisse, & cum prædicatione publicâ præconis. Ad hunc ritum accommodandi hi versus Prologi &c. Ecce enim persona virginis in hâc Fabulâ opus erat. sed ea quia nusquam interloquitur, saltem, quod Græci ajunt, κωφὸν πρόσωπον: non histrio adhibitus ad repræsentandum, sed de Scena aliquod scortillum. Ideò non temperat sibi Scriptor à joco: Et hæc tam pudica, inquit, statim post ludos ad ingenium redibit, & sine ullis nuptiis nubet. Refero huc & edictum illud imperatoris Histrici, in Prologo Pœnuli, *Scortum exoletum ne quis in proscenio sedeat.* ex more scilicet, quo theatrum, imò Scenam & proscenium scorta obsidebant. Non ergo mirum, si lasciviæ illa sedes Veneri olim sacra. Et Pompejus ab eâdem caussâ theatro suo Veneris ædem superposuit, &c. Lipsius Elect. lib. 1:11.

86. NON MANEBIT AUSPICES] Cicero

B De Divinat. lib. 1. *Nihil ferè quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur: quod & nunc nuptiarum auspices declarant, qui re omissâ, nomen tamen tenent.* Juvenal. sat. 10: *Veniet cum signatoribus auspex.* Lucan. lib. 2: —— *contentiq; auspice Bruto.* Sed cum auspices adeundi mos desiisset, *proxenetæ* vel *conciliatores* eorum vicem fuerunt: qui & *Pronubi* dicti, felici omine omnia inchoantes. Glossarium: *Auspices, pronubi*, παράνυμφοι. Et hi, quod conventum erat, ut ritè fieret, tabulisque mandaretur, curabant. Videatur Hotomannus de Vet. ritu Nupt. c. 2. & Passerat. ad 3. el. 20. Propertii.

87. TANTUM EST.] Aristænetus, Epist. 24. [illegible]

87. VINCITUR] V. N. Prol. Pœnuli.

ACTUS I.

OLYMPIO, CHALINUS.

NON mihi licere meam rem me solum, ut volo,
Loqui atque cogitare, sine ted arbitro?
Quid tu (malum) me sequere? CH. quia certum est mihi,
Quasi umbra, quoquò ibis tu, te persequi.
Quin edepol etiam, si in crucem vis pergere,
Sequi decretum est. dehinc conjicito cæterum,

Possisne, necne, clam me sutelis tuis
Præripere Casinam uxorem, proinde ut postulas.
OL. Quid tibi negoti mecum est? CH. quid is impudens?
Quid in urbe raptas villice hic magni pretii?
OL. Libet. CH. quin ruri es in præfecturâ tuâ?
Quin potius, quod legatum est tibi negotium,
Id curas, atque urbanis rebus te abstines?
Huc venisti sponsam præreptum meam.
Abi rus, abi dierectus tuam in provinciam.
OL. Chaline, non sum ego oblitus officium meum.
Præfeci, rure rectè qui curet tamen.
Ego, huc quod veni in urbem, ubi impetravero,
Vxorem ut istanc ducam. quam tu deperis,
Bellam & tenellam Casinam, conservam tuam:
Quandò ego eam mecum rus uxorem abduxero,
Rure incubabo usque in præfecturâ meâ.
CH. Tun' illam ducas? hercle me suspendio,
Quàm tu ejus potior fias, satius est mortuum.
OL. Mea prædâ est illa: proin' tu te in laqueum induas.
CH. Ex sterquilinio effosse, tua illæc præda sit?
OL. Scies hoc ita esse. væ tibi! quot te modis,
Si vivo, habebo in nuptiis miserum meis?
CH. Quid tu mihi facies? OL. egóne quid faciam tibi?
Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem.
Post illa, ut semper improbus nihilque sis.
Post id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora una, & una semita,
Fons unus, unum ahenum, & octo dolia:
Quæ nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris.
Ita te aggerundâ curvum aquâ faciam probè,
Vt postilena possit ex te fieri.
Post autem, ruri nisi tu acervum ederis;
Aut quasi lumbricus, terram: quod te postules
Gustare quicquam: nunquam edepol Jejunium
Jejunium est æquè, atque ego ruri reddibo te.
Post id, quum lassus fueris & famelicus,
Noctu ut condignè te cubes, curabitur.
CH. Quid facies? OL. concludêre in fenestram firmiter.
Vnde auscultare possis, quum ego illanc osculer:
Quum mihi illa dicet, Mi animule! mi Olympio!
Mea vita! mea mellilla! mea festivitas!
Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea!

Sine

Sine amabo te amari, meus festus dies!
Meus pullus passer! mea columba! mi lepus!
Quum mihi hæc dicentur dicta, tum tu furcifer,
Quasi mus, in medio pariete versabere.
Nunc ne tu te mihi respondere postules,
Abeo intro: tædet sermonis tui. CH. te sequor.
Hic quidem pol certò nihil ages sine me arbitro.

NON MIHI L.] ita Acidal. hæc dat *Olympioni*. Omninò enim Chalinus sectatur Olympionem: quod loci tutius sententia vult: & alioqui verisimile est magis. Nam cum in urbem Villicus advenisset, conditionem Casinæ ambiturus, alter sibi repulsæ metuens, ubique eum observat perpetuus assecla. Proinde is & Personas in totâ Sc. aliter ordinat, censetque id ita verum, ut ne is quidem dubitare possit, qui nihil habere soleat certum.

2. SINE TED ARB.] i. inspectore. V. N. Mil. 2:2.

3. SEQUERE?] Des. Heraldus Advers. lib. 1. cap. 11. notat, *sequi* hic significare idem quod *consectari*. Glossarium: *Consectatur*, ἐξέρχεται εἰς τὸ παρατηρεῖσθαι. Apollodorus lib. 2. ὁ δὲ ἀπαγγέλλων λέγει πρὸς Πηλέα, ὅτι Βελλεροφόντης αὐτῇ περὶ φθορᾶς προσεπείρασε. Idem Gloss. Διαφθορὰ παιδὸς ἢ παρθένου, *stuprum*. Sic φθορὰ: *κακοφθορία*. διαφθορεύς, *Corruptela*: ut Apul. 3. Florid. utitur. Suetonius: *Virginem corrupit*. Petron. *memor corruptæ uxoris*. Juven. *nurus corruptor avaræ*. Vide ibid. plura scitu non indigna.

5. ETIAM, SI] J. Gul. *etiamsi in vr.*

6. DEHINC] J. Gul. *sequi decretum est te. hinc c.c.* At Pareus qui ad metrum omne, verè est Asinus ad lyram, utraque editione obtrusit nobis, *est te: dehinc*, non sine præsentanea versus peste.

7. SUTELIS] V. N. Amph. 1:1. & Capt. 3:5.

10. REPTAS] ita MS. Cam. quod tamen Lamb. minimè probat; sed l. *restas*, i. remanes & cunctaris. quod quidem & in omnibus meis est, & Pall. Meursius l. *Quid in urbe hic restas villice non magni pretii?* Ven. Ald. & Paris. habent τὸ *non*, quo Brix. caret.

10. MAGNI PR.] *εὐτελοῦς.*

11. IN PRÆFECT.] translatio. Capt. act. 4:3.

12. LEGATUM] mandatum est.

14. HUC VENISTI.] Præmittunt alii *Quid huc venisti*, sed nihil tale in MSS. aut edd. vett. an fuit? *Hoc huc venisti, sponsum præceptum meam.*

15. DIRECTUS] V. N. Trin. 2:4.

17. RURE QUI C. TAMEN.] Ita, ut post *tamen* sententia conclusa sit. Quod probat & è MS. Oxon. Pontanus: nec non Gruterus è plerisque Pall. etiam sensu postulante, *rure* reposuit Camerarius, cùm prius passim legeretur *ruri*, & sic haberet ejus V. C. quod tamen iterum redonavit nobis Pareus, sed munus ingratum: extatque nostrum in Pall. pr. sec. sexto.

18. UBI IMPETRAVERO] Capt. 1:2. Grut. è Pall. & Cam. MSS. legeret, *nisi impetravero*. ut sit aposiopesis, nisi invenisset id vocis in Pal. pr. duabus expressum literis, inequitante scilicet *i* characteri *n*. duabus enim literis ita collocatis exprimunt scribæ & *ubi*. at nil usitatius, quàm *u* degenerare in *n*. itaque non est quod nobis cum postulet Pareus. aurigamur quà ducit ratio & oratio non quà monstrant chirographarii.

22. INCUBABO] omnes MSS. Pall. *insubabo*: & probat Grut. at Paris. editio disertè habet, *incucabo*.

24. POTIOR] Vulgari leg. *potitor*, i. compos, αὐτῆς ἐγκρατής. Testatur tamen Camerar. in MS. illo suo extare, *potior*. nec se eum esse, qui ausit veterem scripturam repudiare. Etiam Gruterus affirmat in MSS. omnibus, etiam antiquitus excusis legi, *Quam tu ejus potior fies*. Primùm Ald. obtrusisse nobis *potitor*: quòd id dixisset Pius esse in melioribus codd. quin & *potior* in Oxoniens. MS. legi, Pontanus notat, & clarè in meâ Ven. & Arg. & Mediol. V. & N. Men. act. 2:3. Et sic tamen Parei editio retinuit *potitor*, cum infideli nota: Sic MSS. omnes Gruteri, & Oxon.

& Oxon. Pontani. Imò directè contra est, Nugivende! A

15. IN LAQVEVM IND.] ita MS. Cam. sic Cicero, 2. Accusat. *videte in quot laqueos se induerit*. Idem 2. De divin. *Anhelitus terræ induunt se in nubem*. Virg. 1. G. *nux induit se in florem*. Vett. c. leg. *ne duas*. sed alterum præfert Gruterus. Ita 10. Æn. v. 681, *Inducere se mucrone*.

26. EX STERQVILINIO EFFOSSE] Du Mistbammel/du Dreckhaust. Vett. quidam edd. & Pall. omn. *Ex st. effosse tua illæc præda est*. At MSS. Cam. & Lang. *ex sterculino effosse, t. i. p. est*? Pareus *sterculino*, arripuit, non etiam *est*.

30. LVCEBIS N. N. FACEM] δᾳδουχήσεις. Curc. 1:1. *luces cereum*, &c. Muretus ad v. Catulli: *tollite ô pueri faces*, notat: Quinque facibus utebantur in nuptiis: quòd is numerus quasi symbolum quoddam sit nuptiarum, ut qui ex primo impari, & primo pari, tanquam ex mare & fœminâ constet. Plura vide apud Plutarch. in Problematis. Eas qui præferebant, *daduchi* à Græcis, à Latinis fortasse olim *pueri lauti* dicebantur. id suspicor ex versu Plauti Curcul. *Tute tibi puer es lautus, luces cereum*. Quin & suspicor id olim ominosum habitum fuisse, creditumque, qui novæ nuptæ luxissent facem, eos postea nihili fore. nam in Casinâ, Olympio Chalino, conservo ac rivali suo, ita minitans inducitur: *Primum omnium* &c. Hæc ille. Vide & Franc. Hotoman. *De ritibus nupt.* cap. 15. qui etiam ex Ennii versu apud Festum;

Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent;

servis has faces præferendas dari suspicatur. *Brissonius*, De ritu nupt. docet: sponsam non nisi noctu in domum mariti deductam esse: unde Catullo *Vesper adest* &c. atque à pueris tribus patrimis: quorum unus facem prætulerit, reliqui duo nubentem tenuerint: unde Catull.

Mitte brachiolum teres

Prætextatæ puellulæ.

Eamque facem ex spinâ albâ factam: & Plinio teste, spinam nuptiarum facibus auspicatissimam esse; quòd ei vim inesse ad maleficia depellenda crediderint, auctore Varrone apud Charis. Ovidius 6. Fast. *Sic fatus spinam* &c. Et postea: *Virga quæ* &c. Imò etiam ex *pinu, ex pino, corylo*, aliisque arboribus factam, eamque apud Ædiles accendi consuevisse. hinc Sillium lib. 6. nuptias vocare, *sancta fœdera tedæ*, &c.

31. NIHILQ. SIS] ita MSS. omn. itemque vett. ed. *nihilque*. recentiores *nihili* æquè bene.

32. ID LOCORVM] id temporis. L.

33. VNA SEMITA] Meursius scribit, & *una semina*. ἀρχαικῶς, pro *hemina*: salvo metro: cùm trimetri tam spondeo quàm jambo terminentur, &c. Vide ipsum, & Not. etiam Curcul. act. 2:3. v. 8. At Gruterus fortiter adhæret illi *semitæ*.

36. CVRVVM] Palm. & Lips. Ant. Lect. lib. 5. c. 1. leg: *cernuum*. Et hinc videmus, etiam Aquæ haustionen ergastulis, i. servis ergastuli incolis, fuisse in pœnam; quemadmodum Molituram & Lapidum cæsuram. unde illud Suet. in Tib. c. 51. *In antliam damnari*. de quibus Elect. lib. 2. 15. idem Lipsius. At J. Gruterus, Rectè, inquit, *curvum*. nam ita MSS. omnes, nec non editt. nisi quòd Basiliensis, tradux Camerarianæ, vitio typographi habeat, *cervum*. quâ inductus Lips. legit *cernuum*.

37. POSTILENA] lorum crassum, sive lignum incurvum sub jumentorum caudâ, ad sustinendum βάσταγμα, cui onus imponitur. B

38. NISI TV ACERVOM] Palm. l. *Post autem nisi tu ruri acus ervum ederis*. Concretè, *ervum*. Ita in epitaphio Sergii Polensis legitur, *nugæ ambages*, abstractum cum concreto: quasi nugaces ambages, aut nugæ ambagiosæ. Sic, *rete jaculum*, &c. V. N. Asin. act. 1. 1. Is. Pontanus è ductu litterarum v. cod. emendat: *Post autem nisi ruri tu aceratum ederis*. Est autem, inquit, *aceratum* quod paleâ sive acere permistum est. vide Festum. Sed enim Gruterus hanc, quam recepimus, putat veriss. lectionem: quam eruit è MSS. Cam. & omnibus Pall. *ruri nisi tu acervom ederis*. quod accedit Turnebicæ lib. 7. c. 12. hoc est: nisi ut mures de frugum acervo vivas rodendo.

39. QVOD TE POSTVLES] Turneb. lib. 7. cap. 12. Brevitate, inquit, orationis hoc dicitur è populari sermone Comico usurpatâ; ubi, *non est*, subauditur. quo eodem supplemento in Mil. act. 2: 2. opus est: cum scribitur;

Quòd ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam dicat:

fentne-

ſententia eſt: Non eſt, quod ille dicat: ne hanc accipiatis excuſationem. Erat & hoc genus loquendi Juris formulis & edictis uſitatum. Cic. 4. Verr. *Quod civis cum cive agat &c.* Ibidem: *Quod privatus à populo petit, aut populus à privato, Senatus ex aliqua civitate, qui judices, datur*, id eſt, ſi quid privatus à populo petat, ſi civis civi actionem intendat. V. N. Mil. act. 2: 2. Meurſius è vet. ed. hæc ita conciliabat: *quod tu poſtules Guſtare: quicquam nuſquam edepol gentium jejunum eſt æque, atque ego te ruri reddebo.*

40. IEIVNIVM IEIVNIVM] Unicè hoc ita probat Gruterus è MS. Cam. *jejunium jejunum eſt &c.*

44. IN FENESTRAM] Non de cubiculari aliquâ feneſtra accipiendum, in quam iſte compingendus, ſed de ergaſtulari. Vide Lipſ. Elect. lib. 2. 15. cæterùm verſus hic requirit *feſtram*: quomodò fortè fuit in authenticis libris. certè Feſti verbum eſt: *Feſtram antiqui dicebant, quam nos feneſtram.*

47. MELLILLA,] ita Palm. & Gruterus vet. codicum lectionẽ (quam & MSS. Cam. & Lang. & omnes Pall. habent,) tuentur; *mea mellilla*; ut & Meurſius. Eſt enim, inquit hic, ὑποκοριστικὸν verbi *mellina*, quo alibi utitur: quamvis malè hodie in vulgatis *mellinia* legatur.

49. FESTVS DIES] V. N. Epid. act. 3: 4. Pareus in Electis haurit ex iſtis gnomen valde venuſtam: Qui ſeſe amant, feriatos diès agitant. rides lector, an ploras deſperatam hominis valetudinem?

50. PASSER] V. N. Capt. act. 5: 3. Meurſius tetrametrum conſtituens ſcribit: *Meus pullus, meus paſſ.* Ita etiam Torrentius Com. in Sueton. ad illa de Caligulâ: *lætiſſimo obviorum agmine inceſſit ſuper fauſta nomina, ſidus & pullum & pupum & alumnum appellantium.* Sic, *pullus Jovis: pullus Martis.* *Puerum* enim, inquit Feſtus, *quem quis amabat, pullum ejus vocabant.* unde *Puſſipremones* apud Lucill. & *feles pullaria*, apud Auſon.

50. MI LEPVS] Palm. Salaciſſima, inquit, ac venuſtiſſima animalia commemorat, columbam, paſſerem, leporem. neque non tamen ſcribendum hic eſt, *mi lepos.* nam *lepus* ubi inter blanditias ſit, nuſquam memini; inter contumeliæ verba domeſticum. Infrà act. 2: 3. *reſpice mi lepos.* Jam in contumeliâ *Lepus* notus eſt vel de dicto illo Livii Andronici, *Lepus tute es, & pulpamentum quæris?* Leporem enim mutare ſexum, alternisq; ſalire & ſubſidere conſtat. Et verò obſecutus eſt Palmerio aſſecla ejus Pareus, ſed editione prima. ultima enim id iterum exturbavit; uti omnibus liqueat, ſortis inſtar, eſſe animal inſtabiliſſimum.

52. IN MEDIO PARIETE] in illa feneſtella. Vide N. Perſ. act. 5: 2. Vet. edd. legunt,
Quom mihi iſtæc dicentur, tum tu furcifer
Quaſi mus in medio pariete vorſabere.
Hinc Meurſius trimetrum conſtituit: *Quom iſtæc mihi dicentur, tum tu &c.* atque τὸ *dicta* aliquem malè feriatum adjeciſſe putat. ſed extat in MSS. omn.

53. NE TV TE] ita & Douſa, *ne tute.* Catull.
Nam quis ſe ferro poſtulet eſſe parem?
quomodo etiam eſt in MS. Cam. quod probat & Gruterus, contra doctiſſ. ſatagentem è Batavis; *HAVE O SIREN MUSIS.* Quâ quidem utinam diutius, cum in tranſitu ad me inviſeret, frui licuiſſet! Vulgatum cum Grutero adſerit & Piſtoris: ut qui ſermo ſit ſervi faſtidientis; & ideò minus conſtans: & τὸ *tibi* quaſi abundet.

ACTUS II. SCENA I.

CLEOSTRATA, PARDALISCA ancillæ.

OBSIGNATE cellas, referte anulum ad me:
Ego huc tranſeo in proximum ad meam vicinam.
Vir ſi quid volet me, facite hinc me arceſſatis.
PAR. Prandium juſſit ſenex ſibi parari.
CL. St, tace, atque abi. neque paro, neque hodie

Coquetur: quando is mihi & filio advorsatur
Suo, animi amorisque caussâ sui.
Flagitium illud hominis! ego illum fame, ego illum
Siti, maledictis, malefactis, amatorem
Ulciscar: ego pol illum probè incommodis
Dictis angam: faciam uti, proinde ut est dignus,
Vitam colat; Acheruntis pabulum, flagitij
Persequentem, stabulum nequitiæ. nunc hinc
Meas fortunas eo questum ad vicinas.
Sed foris concrepuit. atque ea ipsa eccam egreditur
Foràs. non pol per tempus iter mihi incepi.

VErsus hujus Scenæ & sequentis, numeros habent συγκεχυμένως. Sunt autem trimetri acatalectici & catalectici, &c. Et notat Gruterus utriusque Scenæ versuum structuram longè aliam esse in manuscriptis omnibus.

V.1. OBSIGNATE CELLAS] Lipsius ad illud Taciti lib. 2. *Vilissima utensilium anulo clausa*, notat: Signatorium anulum intellegit, sive, ut alii appellant, sigillaricium, qui habeat χαρακτῆρα. De quo Vopiscus in Aureliano: *Uxori & filiæ anulum sigillaricium quasi privatus instituit.* Moris autem Romani, ut domi supellex penusque omnis eo signaretur: ne quid negligentiâ aut furto periret. Plinius l.33: 1. *At nunc cibi quoque & potùs anulo vindicantur à rapinâ.* Martial. l.9.

Nunc signat meus anulus lagenam.

Q. Frater ad Tironem lib. 16. ep. *Sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exiccatæ.* Persâ, act. 2: 3. *Isti parcipromi, qui salinum servis obsignant cum sale.* Vide ibid. plura, ut & apud Gutherium cap. 21. lib. 1. de Manium jure.

5. ST, TACE] Acidalio nota silentii *st* hic suspecta est. nihil tamen eum juvant MSS. ubi est *sta, tace.* nisi fingamus *ista tace*, retracta litera vocis antecedentis.

11. FACIAM UTI, PROINDE UT] Parei prima omisit *ut*, transposuitque, *faciam uti proinde est dignus.* fatuè & contra MSS.

12. ACHER. PABULUM] *Orci victimam*, ut loquitur Horatius, 2.Od.3.

12. FLAG. PERSEQUENTEM] i. qui in flagitio versatur. Referendum ad illa, *Ulciscar, angam.* Lamb. V.N. Epid.1: 1. & 3: 4. Sed Acidal. hoc *persequentem* non concoquit: & divinat leg. *flagitij Præsepe.* cum enim *pabulum* & *stabulum* nominârit, quidni etiam *præsepe*, quod istis affine? Et, *præsepe flagitij*, eâdem ratione dixeris, quâ *stabulum flagitij*, in Trucul.

16. NON P. P. T. ITER MIHI INCEPI.] ita Grut. è MSS. Cam. & Pall. omnibus. *Per tempus*, opportunè.

ACTUS II. SCENA II.

MURRINA, CLEOSTRATA.

SEQUIMINI comites in proximum me huc.
Heus vos! ecquis hæc quæ loquar audit? ego hîc ero,
Vir si, aut quispiam quæret. nam ubi domi sola sum,
Sopor manus calvitur. jussin' colum
Ferri mihi? CL. Murrina salve! MU. salve
Mecastor! sed quid tu es tristis amabo?

CL. Ita

CL. Insolent omnes, quæ sunt malè nuptæ,
Domi & foris ægrè quod sit, satis semper est.
Nam ego ibam ad te. MV. & pol ego istuc ad te. sed quid est,
Quod tuo nunc animo ægrè est? nam quod tibi est
Ægrè, idem mihi est dividuæ. CL. credo ecastor:
Nam vicinam neminem amo merito magis, quàm te:
Nec quâ cum plura sunt mihi, quæ ego velim.
MV. Amo te, atque istuc expeto scire quid sit.
CL. Vir me habet pessumis despicatam modis,
Nec mihi jus meum obtinendi optio est.
MV. Hem! quid est? dic idem hoc: nam pol haud satis meo
Corde accepi querelas tuas, obsecro.
CL. Vir me habet pessumis despicatam modis.
MV. Mira sunt, vera si prædicas. nam viri
Jus suum ad mulieres obtinere haud queunt.
CL. Quin mihi ancillulam ingratiis postulat, quæ mea est,
Quæ meo educata sumptu est, villico suo se dare.
Sed ipsus eam amat. MV. obsecro tace! CL. nam hic nunc
Licet dicere. nos sumus. MV. ita est. unde ea tibi est?
,, *Nam PECVLI probam nihil habere addecet*
,, *Clam virum: & quæ habet partum, ei haud commodi est,*
,, *Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.*
,, *Hoc viri censeo esse omne, quicquid tuum est.*
CL. Tu quidem adversum tuam amicam omnia loqueris.
MV. Tace sis stulta, & mihi ausculta: noli sis tu illi
Advorsari. sine amet, sine quod libet, id faciat;
Quando tibi nil domi delicuum est.
CL. Satin' sana es? nam tu quidem advorsus tuam istæc rem
Loquere. MV. insipiens! semper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro. CL. cui verbo? MV. I foràs mulier. CL. st!
Tace. MV. quid est? CL. hem. MV. quis est, quem vides? CL. vir eccum it:
MV. Intrò abi, appropera age amabo! CL. impetras.
Abeo. MV. mox magis cùm otium mihi & tibi erit,
Igitur tecum loquar. nunc vale. CL. valeas.

SEQVIMINI COM.] Juvenal. Satirâ 6. *Conducit comites*—— Tacitus 3. Annal. *Sabinum conjugem & liberos Germanici percolere, sellator domi, comes in publicum.* Comitatus hic posteriori ævo frequens è spadonibus. Virgines enim & matronæ, sive alioqui matresfamilias aliqua ordinis honestioris, nunquam sine asseclarum pedissequio in publi- A cum prodibant; ne si in proximum quidem diverterent: quò videlicet & culpam & suspicionem evitarent. Nænius: *Subito famam tollunt, si quam solam videre in via.* Cistell. *astat ea in via sola: Prostibulum sanè est.* V. N. Amph. 3. 2.

V. 4. CALVITVR] i. frustratur seu decipit. Idem est, quod Tibull. lib. 1. el. 3.

At:

At circa gravibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittit onus:

ita Lexicon Latinogr. *Calvitur*, [illegible]. Sallust. apud Prisc. lib. 10. *contrà ille calvi ratus*, i. decipi.

6. MECASTOR] ita MSS. Cam. & Pall. præcipui, item edd. primæ. sequiores id habent quod Pareus insubidè sibi elegit, *salve Mea Cleostrata*. Brix. *salve Cleostr.* Paris. *salve mi Cleostr.*

11. DIVIDVÆ] ita MSS. Cam. & omnes Pall. *dividuæ*. Ald. & Lamb. *dividiæ*: nec malè, si Nonium sequamur; malè, si Festum: Grut. Propertius: *Dividias mentis conficit omnis amor*. V.N.Bacch.4:6.

13. NEC QVACVM] legere cogitur Grut. è MS. Cam. & vestigiis Pall. & edd. vett. in quibus *quam pl.* legere, inquam, cogitur, *nec quâ in plura*, pro, *in quâ*. quod & Colvio placebat, hoc sensu: in quâ plura sunt, quæ mihi ipsa velim. Sed Acidal. alterum præfert, venusto dicendi genere: *Multa*, vel, *omnia mihi cum illo sunt*. Cic. lib. 13. Famil. *Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt*. ejecto glossemate *communia*. Ita lib. 12. ad Attic. *Mihi nihil erat cum Cornificio &c. quacum* illud, natum est à Camerario, eximiè alioquin bonum; ut omnia sunt, quæ senex ille mente versavit; quamvis minime id agnoscat interpolator ille noster Pareus.

14. AMO TE] sc. eam ob rem. Cic. *de ea re multùm te amo*. i. gratias ago tibi. D.

16. OBTINENDI OPTIO EST] ita MSS. Pall. Langii, Sambuci. *Optiones* in militiâ erant, quos sibi optarent centuriones, tanquam adjutores rerum gerendarũ. hinc *optio*, quemvis rei perficiundæ adjutorem significat. V. N. Asin. 1:1. Venustè ergo Cleostrata *optionem* sibi esse negat, i. auxilium & adjumentum jus suum obtinendi. hæc Gulielmius recentiores substituerant, *copia*.

18. DESPICATAM] [illegible], ut apud Terent. Eun. *& illis crucibus, quæ nos nostramque adolescentiam Habent despicatam*. i. contemptam atque despectam; ut ibi Donatus. Cic. *Cessi despicatissimi hominis furori*.

20. NAM VIRI] Viri mulieribus ferè serviunt, cùm debeant imperare naturâ: & cum postulant imperare, (quod cum postulant, jus & æquum postulant) non queunt id obtinere apud contumax genus mulierum. L.

A 23. SVO SE DARE] ita omn. MSS. & cusi, teste Grut. recentiores omiserant *se*.

24. CL. NAM HIC] ita Personas ordinavit Acidalius, re flagitante.

25. NOS SVMVS] [illegible], vel [illegible], pro, *Nos sumus solæ*, quam vocem additura erat Murrina, nisi fuisset interpellata. Atque hoc vice proverbii utimur, cùm ea dicimus, quorum conscium esse volumus neminem. Ter. Phorm. *Soli sumus nunc hic, inquam. eho dic, quid velis Tibi dari*. Lamb. quem videas. S. Bosius, Existimo, inquit, orationem esse interruptam & præcisam, *Obsecro tace: nam hic*: subintelligendum; *sunt aliqui qui nos audiant*. Deinde ubi circumspectavit, subjungit: *Nunc licet dicere: nos sumus*, quæ loquimur, neque ulli alii adsunt, qui loquantur: ego autem mihi visa eram, aliquorum loquentium vocem audire.

27. ET QVÆ HABET PARTVM, EI HAVD COMMODI EST;] Ita restituit Gruterus è MS. Cam. *Clam virum: & quæ habet partum, ei haud commodi est*. quomodo legunt & Pall. & olim cusi omnes; nisi quòd illi, *clam viro*. Illustrandæ verò sententiæ facere ait illud

B Plutarch. lib. De audiendis Poetis: *Poliagrus est felix, cælestem qui domi opes ipsi parantem alit capram*. item hoc Pomponii JC. lib. 5. ad Q. Mutium: *Q. Mutius ait, cum in controversiam venit, unde ad mulierem quid pervenerit: & verius & honestius est, quod non demonstratur, unde habeat, existimari à viro, aut qui in potestate eius esset, ad eam pervenisse. Evitandi autem turpis quæstûs gratiâ circa uxorem videtur hoc Q. Mutius probâsse*. Quasi mulier id quod clam partum habet, (*ut addit Scipio Gentilis lib. 1. Parerg. cap. 19. ubi eadem pertractat*) duabus tantùm viis ad eam pervenire posse videatur, vel à viro, vel ab adultero. Lips. Antiq. lib. 5: 1. leg. *& quod habet, p. ei h. commode est*.

30. T. AMICAM] J. Grut. adolescens suspicabatur; *tuum animum om. l.* ut velit: Etsi de his me mones, aliter tamen sentis. Idem ferè repetit statim: *Satin' sana es? nam tu quidem advorsum tuum istæc rem loquere*. ut rectè leg. MS. Camerar. Quæ J. Gul. affert, nihili sunt.

33. DELIQVVM EST] Ita legendum. Festus: *Deliquum apud Pl. significat Minus*. MSS. Cam. & Lang. *delicuum*. Ed. prima *dereliquium*, seqq. *deliquium*. superioris ætatis *deliquum*,

quum, quod & in Pall. omnibus, aut *reliquum*. Et, *deliquum*, inquit Dousa nihil est aliud, quàm quod nos *deest* dicimus: à *delinquendo* sic appellatum, quòd *delinquat*, i. deficiat, ut veteres loquebantur. (Tubero: *Num delinquit, aut superest aliquid tibi?* Cælius: *delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere*: Scaliger ad Fest.) Ut enim *reliquum* à *relinquo*, sive adeò *relinquor*; sic *deliquum* à *delinquo* formatum esse verisimile fit mihi. Ita *deliquum* & *reliquum* opposita invenientur: ut, *Nihil reliquum est mihi*, i. nihil ultrà residuum factum est mihi: contra; *Nihil deliquum est mihi*, i. nullius rei indigus sum, &c. Etiam P. Colvius *deliquium* legit, & derivat à *deliquando*: lib. 3. Florid. Apul.

35. LOQUERE. MV. INSIP.] ita omn. MSS. & editt. Dousa tamen post, *insipiens*, MVR. personam obduxit. *Grut.*

36. I FORAS, MULIER. ST.] Ita Gruterus ingenii sui confidentiâ olim scripsit: *i foras mulier. CL. St! Tace.* Huic postea deprehendit adstipulari MS. Cam. qui planè; *ei foràs mulier*: & post vacuum facilè trium litera- A rum (personæ scilicet debitum) ponit demum, *est*, *&c.* Jubet ergo Murrina, ita se gerat Cleostrata, ne habeat necesse audire divortii formulam, quæ erat: *I foràs mulier.* Expressit Martialis lib. 11. Epigr. 105.

Uxor vade foras, aut moribus utere nostris,

Juven. 6.

Collige sarcinulas, dicet Libertus, & exi.

de quâ Brisson. in Form. Scio quidem, apposite rixanti ac garrienti fœminæ dici posse; *Mulier es.* sed id hîc minus habere videtur locum, &c. *Hæc Gruterus.* Pareus hîc asteriscis interstinguit verba V. C. sed ignorantiæ B ejus id adscribendum, non veritati. nam *mulier*···*est*, occupant integram lineam, quoniam deesset spatium lineæ priori ad perscribenda omnia versus illius verba. itaq; absurdè ante vocem *mulier*, & post illud *est* locantur asterisci. Eadem forma occurrit in eodem isto codice scena seq. versu 27. Finis enim versus est, *quid.* ponitur verò, *id est quid tu vis?* medio quasi lineæ spacio: at quis bucco dixerit, aliquid deesse aut ante *id*, aut post *vis*?

40. IOITUR] Vide N. Mostell. act. 1. 2.

ACTUS II. SCENA III.

STALINO senex, CLEOSTRATA uxor.

OMNIBUS rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis antevenire.
Nec potis quicquam commemorari, quod plus salis, plusque leporis hodie
Habeat: cocos equidem nimis demiror, qui tot utuntur condimentis,
Eos eo condimento uno non utier, omnibus quod præstat.
Nam ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo.
,, *NEQUE SALSUM, neque suave esse potest quicquã, ubi amor non admisce-*
,, *Fel quod amarum est, id mel faciet: hominem ex tristi, lepidum & lenem. (tur.*
Hanc ego de me conjecturam domi facio, magis quàm ex auditis.
Qui postquam amo Casinam, magis initio mundities munditiam antideo.
Myropolas omnes solicito; ubicumque est lepidum unguentum, ungor,
Ut illi placeam. & placeo, ut videor. sed uxor me excruciat, quia vivit.
Tristem astare aspicio. blandè hæc mihi mala res appellanda est.
Uxor mea! meaque amœnitas! quid tu agis? CL. abi, atque abstine manum.
ST. Eja mea Iuno! non decet te esse tam tristem tuo Iovi.
Quò nũc abis? CL. mitte me? ST. mane. CL. nõ maneo. ST. at pol ego te sequar.

 CL. Obse-

CL.Obsecro, sanun' es? ST.sanus, quando ted amo. CL.nolo ames. ST.non
Potes impetrare. CL.enecas. ST.vera dicas velim. CL.credo ego
Istuc tibi. ST.respice, oh! mi lepos. CL.nempe ita uti tu mihi es.
Vnde hic, amabo, unguenta adolent? ST.oh, perij! manifesto miser
Teneor. cesso caput pallio detergere? uti te bonus
Mercurius perdat myropola, qui hac mihi dedisti. CL.eho tu
Nihili cana culex: vix teneor, quin, quæ decent te, dicam.
Senectâ ætate unguentatus per vias ignave, incedis.
ST.Pol ego amico dedi cuidam operam, dum emit
Vnguenta. CL.ut citò commentatus est!
Ecquid te pudet? ST.omnia quæ tu vis. CL.ubi in lustra jacuisti?
ST.Egóne in lustra? CL.scio plus, quàm tu me arbitrâre. ST.quid id est?
Quid tu scis? CL.te sene omnium senem neminem esse ignaviorem.
Vnde is nihili? ubi fuisti? ubi lustratus? ubi bibisti?
Id est mecastor! vide, palliolum ut rugat. ST.dî me & te infelicitent,
Si ego in os meum hodie vini guttam indidi. CL.imò age ut lubet,
Bibe, es, disperde rem. ST.ohe, jam satis uxor est! cōprime te: nimium tinnis.
Relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.
Sed quid ais? jam domuisti animum, potius ut quod vir velit
Fieri, id facias, quàm adversere contrà? CL.quâ de re? ST.rogas?
Super ancillâ Casinâ, ut detur nuptum nostro villico,
Servo frugi, atque ubi illi bene sit, ligno, aquâ calidâ, cibo,
Vestimentis, ubique educat pueros, quos pariat, potius
Quàm illi servo nequam des armigero, nihili atque improbo,
Cui homini hodie peculî nummus non est plumbeus.
CL.Mirum ecastor te senectâ ætate officium tuum
Non meminisse? ST.quid jam? CA. quia, si facias rectè aut commodè,
Me sinas curare ancillas, quæ mea est curatio.
ST. Qui (malum!) homini scutigerulo dare lubet? CL. quia enim filio
Nos oportet opitulari unico. ST. at quanquam unicus est,
Nihilo magis unicus est ille mihi filius, quàm ego illi pater:
Illum mihi æquius est, quàm me illi, quæ volo concedere.
CL. Tu ecastor tibi, homo, malam rem quæris. ST. subolet, sentio.
Egóne? CL. tu. nam quid friguttis? quid istuc tam cupidè cupis?
ST. Vt enim frugi servo detur potius quàm servo improbo.
CL. Quid si ego impetro, atque exoro à villico, caussâ meâ
Vt eam illi permittat? ST. quid si ego autem ab armigero impetro,
Eam illi permittat? atque hoc, credo, impetrassere.
CL. Convenit. vis tuis Chalinum huc evocem verbis forâs?
Tu eum orato, ego autem orabo villicum. ST. sanè volo.
CL. Jam hic erit. nunc experiemur, nostrum uter sit blandior.

ST. Hem-

ST. Hercules dique istam perdant! quod nunc liceat dicere.
Ego discrucior miser amore: illa autem quasi ob industriam
Mihi advorsatur. subolet hoc jam uxori, quod ego machinor:
Propter eam rem magis armigero dat operam de industriâ.

HUius Scenæ versus & ipsi habent numeros confusiores. Sunt autem tetrametri, aliqui admodum longè excurrentes, aliqui non prorsus expleti, &c.

V. 1. ANTEVENIRE] i. præstare. & sic legitur in Pall. & Edd. vett. omnibus. II. Pontanus *γνώμην* putat, quod in v. c. Oxon. est, *nitoribus nitore antevenire*. Infrà: *munditiis munditiam antideo*. Solemne autem Latinis, qui amoribus, aut similibus amœnitatibus occupati, *nitidos* dici. Plautus hic: *Qui postquam amo Casinam, magis niteo*. Et Juvenal.
——*hilares nitidique vocantur, &c.*

2. NEC POTIS] ita MS. Cam. & vett. edd. L. *Nec pote'st*.

5. CUIVIS PLACIT.] Acidal. probat vìedit. *quidvis pl.* quod recepit statim in Fornicem editionis pr. Pareus, sed mss. invitis & edd. vetterioribus.

8. DOMI S.] V. N. Cistell. 1:1.

9. POSTQUAM AMO] illud *postquam* est in edd. primis, & uno alteroque Pall. sed reliquis tantum est, ut & V. C. *quàm amo*. quod non rejecerim, ut subintelligatur *magis*.

9. MAGIS INITIO] i. quàm à principio solebam: D. Mâlit tamen J. Gul. *magis niteo, m.* Et certè, inquit, parùm convenit, *initio*. nam amârat jam pridem Casinam. *nitores* autem *nitidus* amori suprà dedit: nunc sibi, ut opinor, pullo scilicet Cupidinis. MS. Cam: *Quiquam amo C. magis initio m. munditianti deo*. Etiam Ven. & Paris. *magis initio munditiis munditianti deo*. Quod Meursius probat maximè. Et per *deum* (inquit) intelligit Amorem, cui munditianti, id est, mundo, initiare se dicit. *Munditiari* autem dixit à *munditiâ*: sicut à *delitiâ, delitiari*. Quin & P. Colvio ad Apollinar. unicè rectum hoc videtur. q. d. Postquam Casinam amare cœpi, magis *Munditianti deo*, i. illi deo, qui munditiæ præest, *initio*, hoc est, sacrificare incipio. Et *Munditiantem deum* eodem modo exaudit, quo *Lactentem* Varro, qui segetes facit lactescere.

A Gruterus miratur imposuisse librarius scripturam veterem, *mundicijs mundicia antideo*. itaque laudat sagacitatem Camerarii, per quem liberati sumus *munditianti illo Deo*, quem toties propugnat ostentatque in dictatis suis Pareus. nihil sanè vulgatius scribis, quam non exprimere literam *m aut n*. virgulæ in modum superjacentem vocali inferiori. Sic in Plauto animadvertes, *dormies* pro *dormiens*, Mil. 3. 1. v. 61. *admittedum* pro *admittendum* Mil. act. 5. v. 26. aliaque talia infinita. imò vel hac ipsa scena versu 58. V. C. exhibet, *ob industria*. ergo cùm reperirent *mundisiā ātideo*, unum ā neglexere, alterum copulaverunt voci priori.

10. MYXOPOL] V. N. Epid. 1:1.

11. UT VIDEOR.] sc. mihi. *ὡς φαίνομαι*. L. D.

13. QUID AGIS?] Hæc dum loquitur, uxorem leni manu demulcet, & ut Ampli. loquitur, *palpo percutit*. L.

14. TAM TRISTEM] sic Afranius: *Jactabit* B *sese: jactet: mihi erit tristior*. i. iratior. Sic Tibullus:
Nil opus est fletu, lacrimis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.

16. QUANDO] i. quoniam: L.

16. NON POTES IMP.] ita MS. Cam.

18. OH, MI LEPOS] ita MS. Cam. *oh mi l.* V. N. suprà, 1:1.

19. UNGUENTA ADOLENT?] ita disertè MSS. Cam. & Lang. quod Gruterus maximè probat. Etiam Douza conjecerat, *ung. adolent.* pro *obolent*. nam *ad* pro *ob* usitatum priscis illis. Olim, inquit Muretus, elegantiores homines odoratis unguentis caput perfundere solebant. Martialis lib. 8: 77,
Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat &c.
Juvenal.
——*hirsuto spirant opobalsama collo.*
De quo unguentorum luxu, copiosè J. Bernartius ad lib. 1. Silv. Statii.

20. PALLIO DETERGERE] ita Ven. & Parif. & vulgg. Aldina, *Pallio obtergere.* Hinc Meurf. facit, *obtegere*, quod avidè invafit Pareus, contra V.C. & Pall. omnes.

21. DEDISTI] Camerarii quidem editio habet, *decidifti*, fed vitio typographi: uti patet ex codice ejus, qui penes me, quem fuâ manu correxit. Et verò *dedifti*, exftat in vet. ejus membraneo codice, & Pallat. item omnibus: *Gruterus.* Sed nec in ullo meorum apparet *decidifti.* quanquam hoc P. Colvius explicare conetur: *hæc mihi decidifti*, i. hæc unguenta in me ftillare & cadere fecifti; in me conjecifti.

22. CANA CULEX] Hæc quin de amafio fene dicantur, inquit Turnebus, fic mihi perfuadeo, *Culicem* hìc figuratè amatorem effe, quòd, cùm fuâ promufcide cutem formofarum pertundant, & tanquam fiphone fanguinem eliciant, amore quodam earum capti effe videantur, &c. lib. 16: 3. At J. Gruterus fufpicatur, *canalicola*, de quo V.N. Curcul. act. 4: 1. *Propter Canalem, ibi oftentatores meri.* ut ita vocet fenem, quia unguentatus more lautiorum. & hoc quoque illicò invafit Parei editio pr. imò & in Lexicon retulit, ut Plauti genuinum. MSS. Cam. & Lang. *Culix.* non calix, ut falsò laudat Pareus.

25. COMMENTATUS] i. commentus.

26. OMN. QUÆ TU VIS] fermo adfentientis & placere ftudentis. Horat. 1. Sat. 9. *cupio omnia quæ vis.* Perfâ, *omnia, quæ tu vis, cupio.* L.

26. UBI IN LUSTRA I.] Præpofitioni *In*, five motum denotet, five etiam fine ullâ motus fignificatione, veteres cafum accufandi vel auferendi indifferenter tribuunt. V.N. Amph. 1: 1. & 4: 3. *Certum eft introrumpam in ædibus.* Ita Ulpian. JC. *Finge in poffeffionem precariam mulierem remanfiffe.* Ita & Præpofitio *Sub.* Liv. l. 3. & Cæfar de B. G. l. 1. *Sub jugo victos mittere.* De quibus Aufon. Popma De ufu Antiq. Locut.

27. QUID ID EST? QUID] Acid. probat v. edit. *quid id eft, Quod tu fcis?*

28. IS N.] i. venis.

30. ID EST MECASTOR] Ita è vett. edd. reftituit J. Gul. Rogarat eum, ubi perpotaffet; cum acrius in habitum intuens; *Id eft mecaftor*, ait: ut fcil. pexpotarit. nam vel hoc palliolum vide, ut rugas contraxit à defidiabulo illo fedentario. *Id eft*, vel, *Hoc eft*, eorum quæ dicta funt, adfeverationem habet. Inferiùs hâc Fab. *hoc erat Ecaftor, quod m. &c.* Idem placuit Camerario. MSS. & Edd. aliæ, *Adeft mec.*

30. PALL. UT RUGAT] Idem in Fragmentis: *Quid eft hoc? rugat pallium: amictus non fum commodè.* V.N. Mil. 2: 6.

30. INFELICITENT] Grut. leg. *infelicent*. Et fanè MS. Cam. & aliquot vett. edd. hoc præferunt: unus Ald. *infelicitent.* Vide tamen Rud. act. 4: 6. v. 31. Edd. primæ, *dem me & te Infelicem:* neque aliter omnes Palatini, ne quis fideliffimæ Parei autopfiæ credat, affirmantis in omnibus confpici *infelicent*. imò fic nullus.

32. IAM SATIS UXOR EST.] J. Gruterus, Non fcribo, inquit, dicam receptæ lectioni: decupfo tamen magis arrideret, fi unâ literula minus haberet: *Jam fatis uxores!* hoc fenfu: jam fatis equidem implevifti morem & munus uxorium. Cur id putem, facit locus Perfâ, 4: 6. *Ne non fatis effes leno, &c.* V. N. ib. Hanc fufpicionem in contextum retulit Pareus, nullo adfentiente fcripto cod.

32. NIMIUM TINNIS] nimis acutè clamas. tralatio eft ab ære. V. Prol. Pœn.

33. RELINQUE ALIQ.] Ab hoc verfu reliqui hujus Scenæ funt manifeftâ ratione Trochaici: *Cam.*

35. FACIAS, QUAM ADVERS.] MSS. quidem & Edd. primæ interponunt, *facias potius quàm*; fed id rectè ejecit Aldus; fecutique eum omnes, usque ad Pareum, editores. is iterum in contextum recepit; aliosq; carpit qui excluferant. At quid fibi ipfi dicet, quod eandem vocem extruferit verfu priore, quæ alioquin etiam in omnibus cufis fcriptisque libris? cùm tamen eo loci, fine ipsâ verfus uno deftituatur pede: hìc verò pede uno plus habeat quam oporret. ô hominem natum adverfis Mufis ac Gratiis! hoccine eft medicinam facere Plauto? hoccine modo reftituit Auctores?

37. UBI] i. apud quem.

38. PARIAT, POTIUS] ita MSS. Pall. & Lang. & Edd. expuncto illo *benè.* meum hic folum facinus eft quod *potius* verfui huic adplicuerim, eripuerim fequenti. ne is autem deftitue-

destitueretur idcirco numeris suis, immisi illdem Libris volentibus, vocem, *nibili*, in quibusdam scriptis restat *nisi* loco *nibili*; sed id accidit errore exscriptorum. *nili* accepere pro *nisi*. Pareus hic Pareus est. rectam ad Lectionem caecutiit, falsas solitus arripere utraque manu.

39. SERVO ARMIGERO] *Armiger* hic, quem mox & *scutigerulum* vocat, est qui Horatio *stipator*. Glossæ: *stipator*, *satelles*: σωματοφύλαξ, δορυφόρος, ὑπασπιστής. dicebantur & *statores*, ab stando, ut *apparitores*, ab apparendo. Ciceroni *statores* sunt magistratuum nuncii. Epist. lib. II: 7. *Litteras à te mihi stator tuus reddidit.* Vide VVouvver. ad Petron.

40. N. NON EST PLUMB.] Ita citat Hotomanus initio libri de re nummaria, & J. Gul. delectu *nisi*. Trin. *Cui, si capitis res sit, nummum nunquam credam plumbeum.* Etiam Grut. observat, illud *nisi* in nullo MSS. legi, nec in edd. ante Cam. pro eo tamen pugnat Demsterus ad lib. 4. Corippi in Justinum, versui consulitur aspirationis beneficio, quæ tantum abest ut semper absumat ultimam syllabam vocis antecedentis, etiam correptã producit. Scaliger quoque hic expunxerat *nisi*.

42. QUID JAM?] ita Grut. & J. Gul. e MSS. suis, itemque Lang. *Quidjam?* Plauto est quare, quamobrem. Persa: *Te in exilium hinc ire oportet. DO. quidjam? TO. quia perjurum es recentiores, quidnis?*

42. RECTE AUT COM.] ita Grut. e MS. V. *recte aut c. priores, & com.*

44. SCUTIGERULO] per contemptum, pro *cacula militari*: qualis Stasimus, Trin. L. D.

48. SUBOLET] subolet uxori hoc quod ago, i. amatio mea.

49. FRIGUTTIS?] *Friguttire*, est gestu corporis cupiditatem animi declarare.

49. QUID ISTUC TAM] *istuc* est monosyllabum quæ res perpetua est in Comicis antiquis, ut *istuc*, *illud ipsum*, habeantur monosyllaborum loco; quasi scriptum esset, *stuc*, *psum*, *lud*. quod non animadversum, infinitis veterum scriptorum locis corrumpendis occasionem præbuit. Josias Mercerus ad Nonii *Frigere*.

53. ATQ. HOC] ita MSS. Cam. & Lang.

53. IMPETRASS.] impetraturum esse, ut L. Meur. l. *impetrassere*. Nam *impetrasso*, inquit, non est indicativi modi tempus præsens, sed subjunctivi futurum, pro *impetravero*. sic *Amasso*, *amavero*, ut exponitur in Festo. Ita apud Non. *depeculassere*, & *deargentassere*.

54. CONVENIT] ὁμολογοῦμεν. L.

56. NUNC] sc. non audiente illa. L. D.

ACTUS II. SCENA IV.

STALINO senex, CHALINUS servus.

QUI illum dii omnes deæque perdant! CH. te uxor ajebat tua
Me vocare. ST. ego enim vocari jussi. CH. eloquere quid velis.
ST. Primùm ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.
CH. STULTITIA EST ei te esse tristem, cujus potestas plus potest.
ST. Prò! bonæ frugi hominem te jampridem esse arbitror. CH. intellego.
Quin, si ita arbitrare, emittis me manu? ST. quin id volo:
Sed nihil est, me cupere factum, nisi tu factis adjuvas.
CH. Quod velis modò id velim me scire. ST. ausculta ergò: loquar:
Casinam ego uxorem promisi villico nostro dare.
CH. At tua uxor, filiusque promiserunt mihi. ST. scio.
Sed utrum nunc tu, cælibem te esse mavis liberum,
An maritum servum ætatem degere & gnatos tuos?
Optio hæc tua est: utrùm harum vis conditionem accipe.

CH. Liber si sim, meo periclo vivam, nunc vivo tuo.
De Casinâ certum est concedere homini nato nemini.
ST. Intrò abi, atque actutum uxorem huc evoca ante ædis citò.
Et sitellam huc tecum efferto cum aquâ & sortis. CH. satis placet.
ST. Ego pol istam jam aliquo vorsum tragulam decidero.
Nam si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar.
Ibi ego te & suffragatores tuos ulciscar. CH. attamen
Mihi obtinget sors. ST. ut quidem pol pereas cruciatu malo.
CH. Mihi illa nubet. machinare, quod lubet, quovis modo.
ST. Abin' hinc ab oculis? CH. invitus me vides: vivam tamen.
ST. Sumne ego miser homo! satin' omnes res sunt advorsa mihi.
Jam metuo, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Ne Casinam ducat. si id factum est, ecce me nullum senem:
Si non impetravit, etiam specula in sortitu 'st mihi.
Si sors autem decollassit, gladium faciam culcitam,
Eumque incumbam. sed progreditur optimè, eccum, Olympio.

VERSUS sunt Trochaici, Archilochii, quales & Scenæ seq.

1. QUI ILLUM] *Qui*, pro *ut*, vel *utinam*. Vide Donat. Phorm. Terent. *Qui illum dij omnes perduint!* Sic Plaut. Trin. *Qui istum dij perdant*. Item Menæch. Persâ, alibi. & Cic. 4. ad Atticum: *De Apollonio quod scribis, qui illi dij irati homini Græco, &c.* L. & P. Manut. Etiam MS. Cam. l. *Qui*: ut & ed. meæ omnes: præter Ald. quæ *Ut* legit, quemadmodum & tradux ejus Basil, sed utraque manûs passa mangonias.

3. PORRECT. FR.] V. N. Epid. 5:1. Terent. *Date hodie mihi: exporge frontem*. Horat. 1. Epist. 18. *Deme supercilio nubem*.

5. PRO! BONÆ FR.] ita MSS. Cam. & omn. Pall. ut & Edd. Ven. & Argent. At Brix. & Paris. *Perbona fr.* Bas. *Pol bona fr.* & ab illis v. *Primum ego t.* usque ad, *CH. intellego*, omnia dant Stalinoni.

8. AUSCULTA ERGO: LOQUAR.] ita Grut. & Acid.

14. NUNC VIVO TUO] Mortuo enim servo, damnum ad herum recidit.

17. ET SITELLAM] ita Grut, è MS. Cam. In Lang. est *sitelam*. Cicero vocat *hydriam*, A lib. 2. Accusat. Et notetur ratio *sortiendi* apud veteres.

18. TRAGULAM DECID.] Allegoriâ à re militari significat, se machinas uxoris aliquâ ratione dejecturum. Festus: *Tragula, genus teli, dicta quod scuto infixa trahatur*. Validum igitur telum, inquit Lipsius lib. 4. Poliorcet. cap. 4. sed quale, haud aliter scio, nisi quòd hamatum fuisse suspicor, ob etymon illud à trahendo. V. N. Epid. 5:2. Jam, *decidere telum*, dicebant Latini, ut Hom. ἐκτάμνειν βέλος, quod est, vulnere latiùs inciso telum evellere. Quanquam liber Lipsii ibi citat *tragulam dejecero*.

B 27. IN SORTITU 'ST M.] MS. Cam. habet, *etiam specula in sortita sunt mihi*: & ita omn. MSS. Lang. & Pallat. vet. nisi quòd *specla* legant. Hinc Gruterus fecit, *etiam specula in sortitu 'st mihi*. nam *st* sæpe degeneravit in *sunt*. planè, ut ex conjecturâ etiam Acidalius. *Sortitus*, ipse sortiendi actus. Cic. pro Domo suâ: *Quid si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisses? recenti in sorti restat m.*

28. DECOLLASSIT] V. N. Cap. 3:1.

28. G. F. CULCITAM] ita MSS. Cam. & Lang. Lucill. *Suspendat ne se, an in gladium incumbat, ne cœlum videat*. Cic. 2. de Invent. *in gladium incumberet*.

ACTUS

ACTUS II. SCENA V.

OLYMPIO villicus, STALINO senex.

VNA edepol operâ in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido,
Hera, quàm istam operam à me impetres, quod postulas.
ST. Salvus sum! salva spes est, ut verba audio.
OL. Quid tu me verò libertate territas?
Quid si tu nolis, filiusque etiam tuus,
Vobis invitis atque amborum ingratiis
Unâ libellâ liber possum fieri.
ST. Quid istuc est? quîcum litigas, Olympio?
OL. Cum eâdem quâ tu semper. ST. cum uxorêne meâ?
OL. Quam tu mihi uxorem? quasi venator tu quidem es,
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.
ST. Quid agit? quid loquitur tecum? OL. orat, obsecrat,
Ne Casinam uxorem ducam. ST. quid tu postea?
OL. Negavi enim ipsi me concessurum Jovi,
Si is mecum oraret. ST. di te servassint mihi.
OL. Nunc in fermento tota est, ita turget mihi.
ST. Edepol, ego illam mediam diruptam velim.
OL. Credo edepol esse, siquidem tu frugi bonæ es.
Verùm edepol tua mihi odiosa est amatio:
Inimica est tua uxor mihi, inimicus filius,
Inimici familiares. ST. quid id tuâ?
Unus tibi hic dum propitius sit Juppiter,
Tu istos minutos cave deos flocci feceris.
OL. Nugæ sunt istæ magnæ! quasi tu nescias,
Repente ut emoriantur humani Joves.
Sed tandem si tu Juppiter sis emortuus,
Quum ad deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi subveniet tergo, aut capiti, aut cruribus?
ST. Opinione melius res tibi habeat tua,
Si hoc impetrimus, ut ego cum Casinâ cubem.
OL. Non hercle opinor posse, ita uxor acriter
Tua instat, ne mihi detur. ST. at ego sic agam:
Conjiciam sortis in sitellam, & sortiar
Tibi & Chalino. ita rem natam intellego:
Necessum est vorsis gladiis depugnarier.
OL. Quid si sors aliter, quàm voles, evenerit?

ST. Bene

ST. Benedice. diis sum fretus, deos sperabimus.
OL. Non ego istuc verbum emissim titivilitio.
Nam omnes mortales deis sunt freti: sed tamen
Vidi ego diis fretos sæpe multos decipi.
ST. Tace parum. OL. quid vis? ST. eccum exit foras
Chalinus intùs cum sitellâ & sortibus.
Nunc nos collatis signis depugnabimus.

PRO PANE RVBIDO] Ita MSS. omnes Cam. A & Pall. itemque editiones. Festus: *Rubidus panis vocatur parum coctus cum rubro colore.* Directè contra Isidori sententiam, qui de eodem libro 20. *Rubidus panis, recoctus & rubefactus.* Itaque verisimiliter Gruterus emendabat apud Festum: *Rub. p. vocatur iterùm coctus.* V. & N. Sticho, act. 2:1. At Lambinus & Plautum & Festum putat mendosum; ac rescribendum *rubido*: aut ut Hermolao Barbaro in glossem. Plinianis visum sit, *ruido*: & interpretatur *rude, scabrum*, quales sint panes non benè pisti. Goldastus *rubidum panem* ait vocari à Joan. Moscho in Prato Spirit. cap. 7. *Purpureum*: quod ab igne rubeat, utpote bis coctus. Verba ejus sunt: *Neque vinum bibens, neque panem comedens, nisi purpureum.* de sene monacho.

4. SALVA SPES EST] Huic opponitur, *occisa spes est.* Horat. 4. Od. *Occidit spes omnis &c.* L.

5. VERO LIBERTATE TERRITAS?] Meursius è v.c. legit; *Quid istac tu me, hera, libertate territas?* At Gruterus prodit in *Notis*, lectionem istam ultimam, non esse vet. codicis, sed Aldinæ editionis spuriam prolem, exceptâ voce postremâ: nec temerè recipiendam. Illud, *territas*, meæ omn. habent. Interim V.C. *verâ lib.* Pall. & edd. primæ, *hera lib.* nulla servat *istac*. B

6. QUID SI TV N.] Acidal. *Quin*, vel, *Qui sit.*

7. AMBORVM INGRATIIS] Etiam hinc apparet, inquit Lamb. & Schopp. Veris. lib. 1:20. *ingratiis* nomen esse, non adverbium. sic Merc. act. 1:4. *tuis ingratiis*. quod tamen Latinè dici negat Giphan. Ind. Lucret. V. N. Epid. 3:4. & Prol. Mercat.

8. UNA LIBELLA] V. N. Aul. act. 5.

11. CVM CANE] *canem* dicit uxorem; quæ adsiduè latrat ut canis. Vide Menæch. act. 5.1. Mil. 3:1. & Rud. 3.1. & P. Fabri Semestr. cap. 11.

15. NEGAVI, &c.] Tale illud Catulli:
Nulli se dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi; non si se Juppiter ipse petat.

16. MECVM] i. me.

17. ITA TVRGET MIHI] ἐπεξήγησις præcedentium. Et benè (inquit Gruterus) explicavit P. Victorius. omnia siquidem in irâ turgida magis. Ab hac similitudine Arbiter dixit, *odia detumescunt*: sicut idem, *detumuit imber* &c. Sic Achilles (notat Lamb.) apud Hom. interprete Cic. 3. Tuscul.

At mihi cor penitus turgescit tristibus iris.
Hor. 1. Od. 3.

——*Væ, meum*
Fervens difficili bile tumet jecur.

Sic in Bacchid. de irato: *Sufflatus ille huc veniet.* infrà, 3:3. *Nescio quid se suff. avit uxori suæ.*

19 SIQVIDEM TV FRVGI B. ES] si tu virilis maritus es, illa media dirupta est. alludens ad cugium sive hymenem naturæ muliebris, ita Bud. in Pand. quæ ambitiosissimè & curiosissimè pertractat] Douza, Centur.

23. UNUS TIBI &c.] Alludit ad deos majorum & minorum gentium. V. N. Epid. 5:2.

24. TV ISTOS MINVTOS CAVE DEOS] Ita V.C. & Aldina. nam primæ edd destituuntur illo *cave*, quod neque in Pall. At Pareana pr. non modo exclusit eam vocem, sed & prætereà *istos*; quaque est oris impudentia, dicit sequi se Gruterum.

26. HVM. JOVES] *Joves*, à singulari nominativo *Jovis*, ut vult Prisc. 6.

27. SED TAND.] Acidal. l. *Et s. si tu J. sis mortuus*: ut sententiæ & numeris consulatur. cujus primam partem textum intulit Pareus, contra omnes libros.

29. QVIS MIHI SVBVENIET] Hellenismus est in hoc versu. [illegible]. Hom. Iliad. α. [illegible]. Def. Herald. Adversl. 1.2. c.4. Parei ultima hic nobis oggerit, *subveniens*, subnixa auctoritate V. C. At ego uni testi credendum nego. Addit

Addit quidem, sic quoque, aut esse aut fuisse, in Pal. pr. ac sec. minus verè. habuit tantum *subvenies*. nostrum, non solum restat in ceteris Pall. sed edd. omnibus, requiritque sermonis nexus.

34. CONIIC. SORT. IN SITELLAM] Livius l. 25. *Sitellaque allata est, ut sortirentur*. Sueton. Nerone c. 11. *sorticulâ in urnam cum ceteris demissâ* &c. vide Fulv. Ursini Notas ad Legem Judiciariam.

35. ITA REM. N.] eam naturam rei esse video. L.

36. VORSIS GL.] Lipsius Saturnal. lib. 2. 19. Diremptâ, inquit. prælusione, abjectisque lusoriis armis, transibant ad vera. Atque hoc est, quod, *dimicare ad certum*, Tertullianus alibi vocat. Appellabant id etiam, *pugnare versis armis*. Caper litterator: *Inversis armis pugnasse gladiatores non est dicendum, sed versis, i. transmutatis. Sic, non inversis pannis agitasse aurigas*, (cùm pannos sumebant alterius coloris; puta pro russato Venetum) *sed versis*. Plauti versum è Casinâ illustrabit hæc nota: ——*tis rem nat.* &c. Nec enim aliud in eâ armorum versione esse, facilè persuadeor Ovidii versu de Arte: *Ponite jam gladios hebetes, pugnetur acutis*. Aliàs suspicari possimus, si quis à genere ad genus alterum transeat, puta à *Secutore* ad *Retiarium*, dici eum *pugnare versis armis*. At placet prius, etsi in Plauti versu salivam etiamnum mihi mo-

A vet mea olim divinatio, *veris gladiis*. Hæc ille. J. Philarg. *versis glad.* exp. infestis, rectè.

38. BENEDICE.] εὐφήμει. Asin. *Eja benedicite*. V. N. Mil. 4:8.

38. SPERABITIS.] ita Douza & Grut. & J. Gul. Notetur forma sermonis, *deos sperare*, pro, diis confidere. Virgil. 1. Æn. etiam, *deos metuere*, dixit, *deos sperare*, &c.

39. EMISSIM] i. emerim: *Cam.* Acidal. & Frut. in conjectan. *lemsim*, vel *empsim*, pro, emerim: ut Epid. *ademsit*, pro ademerit, act. 3. 2. *ademsit Orcus*. neque admodum improbè. nam MSS. mire hîc errant. ne in V. C. quidquam est, nisi à manu recentiore, *emissim tibi stalotio*. cui proximè accedunt Edd. pr. in quibus *emissum ut tibi stalino*. Paulus Festi ab-
B breviator habet *empsitem*, & sic visus est velle emendare scriptor Pal. sexti.

39. TITIVILITIO] i. *filis putridis, quæ de telâ cadunt*: Fulgentius. quanquam Turnebus censuit, Fulg. legisse *textrilitium* apud Plautum, ut sit nomen compositum ex *textu* & *vilitate*. Festus: *Titivilitium nullius significationis est, ut apud Græcos βλίτυρι, & σκινδαψός*. Jos. Scaliger: *Titivillitium* inter ea censendum, quæ Græci Critici vocant *ἀπεφθεγματικά*, Latini veteres *Effutilia*.

42. TACE PARUM.] Ita V. C. & Pall. nam editio pr. *Sed tace parum*. Aldina: *Tace parum tu*. Camer. *Tace paumper*.

ACTUS II. SCENA VI.

CLEOSTRATA uxor, CHALINUS, STALINO, OLYMPIO.

FACE Chaline certiorem me, quid meus vir me velit.
CH. Illa edepol videre ardentem te extra portam Metiam.
CL. Credo ecastor vellet. CH. at pol ego haud credo, sed certò scio.
ST. Plus artificum est mi quàm rebar. ariolum hunc habeo domi.
Quid si propiùs attollimus signa, eamusque obviam?
Sequere. quid vos agitis? CH. assunt quæ imperavisti omnia,
Uxor, sortes, situla, atque egomet. ST. te uno adest plusquàm ego volo.
CH. Tibi quidem edepol ita videtur: stimulus ego nunc sum tibi.
Eò dico, corculum assudassit jam ex metu. ST. mastigia!
CL. Tace Chaline. comprime istum. OL. imò istunc, qui didicit dare.
ST. Appone hic sitellam, sortis cedò mihi: animum advortite:
Atque ego censui abs te posse hoc me impetrare, uxor mea,

Casina ut uxor mihi daretur: & nunc etiam censeo.
CL. Tibi daretur illa? ST. mihi enim? ah, non id volui dicere:
Dum mihi volui, huic dixi: atque adeò dum mihi cupio, perperam
Jamdudum hercle fabulor. CL. pol tu quidem; atque etiam facis.
ST. Huic, imò hercle mihi. vah! tandem redii vix verum in viam.
CL. Per-pol sæpè peccas. ST. ita fit, ubi quid tantopere expetas.
Sed te uterque tuo pro jure, ego atque hic oramus. CL. quid est?
ST. Dicam enim, mea mulsa! de istac Casinâ huic nostro villico
Gratiam facias. CL. at pol ego neque facio, neque censeo.
ST. Tum igitur ego sortis utrinque jam. CL. quis vetat?
ST. Optimum atque æquissimum istud esse, jure judico.
Postremò, si illuc quod volumus eveniet, gaudebimus:
Sin secus, patiemur animis æquis. tene sortem tibi.
Vide quid scriptum est. OL. unum. CH. iniquum est: quia isti prius quam mihi (est!
ST. Accipe hanc sis. CH. cedò, mane! unum venit in mentem modò:
Vide, ne qua illic insit alia sortis sub aquâ. ST. verbero,
Men' te censes esse? nulla est. habe quietum animum modò.
CH. QVOD bonum atque fortunatum sit mihi, tuum magnum malum.
OL. Tibi quidem edepol credo eveniet: novi pietatem tuam.
Sed mane dum! num ista aut populna sors, aut abiegna est tua?
CH. Quid tu id curas? OL. quia enim metuo, ne in aquâ summâ natet.
ST. Euge! cave. conjicite sortis nunc jam amabo huc. ecce te,
Vxor, aquâ. OL. nolim uxori credere. ST. habe animum bonum.
OL. Credo hercle hodiè devotabit sortis, si attigerit. CH. tace.
OL. Taceo! deos quæso. CH. ut quidem hodie tu canem & furcam feras.
OL. mihi ut sortitio eveniat. CH. ut quidem hercle pedibus pendeas.
OL. At tu ut oculos emungare ex capite per nasum tuos.
Quid times? paratum oportet esse jam laqueum tibi.
Periisti. ST. animum advortite amabo. OL. taceo. ST. nunc tu, Cleostrata,
Ne à me memores malitiosè de hac re factum, aut suspices,
Tibi permitto: tute sorti. OL. perdis me. CH. lucrum facit.
CL. Bene facis. CH. deos quæso, ut tua sors ex sitella effugerit.
OL. Ain' tu? quia tu es fugitivus, omnes te imitari cupis.
Vtinam tua quidem, sicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit.
CH Tu ut liquescas, ipse actutum virgis calefactabere.
ST. Hoc age sis, Olympio. OL. si hic literatus me sinat.
ST. QVOD bonum atque fortunatum mihi sit. OL. ita verò, & mihi.
CH Non. OL imò hercle. CH. imò mihi hercle. ST. hic vincet. tu vives miser:
Præcide os tu illi hodie. age! ecquid fit? CL. ne objexis manum.
OL. Compressan' palmâ an porrectâ ferio? ST. age, ut vis. OL. hem tibi!
CL. Quid tibi istunc tactio est? OL. quia Juppiter jussit meus.

CL. Feri malam tu illi rursum. OL. perii, pugnis cædor, Juppiter.
ST. Quid tibi tactio hunc fuit? CH. quia jussit hæc Juno mea.
ST. Patiundum est, siquidem me vivo mea uxor imperium exhibet.
CL. Tam huic loqui licere oportet, quàm isti. OL. cur omen mihi
Vituperat? ST. malo Chaline tibi cavendum censeo.
CH. Temperi, postquam oppugnatum est os. ST. age, uxor mea, nunc jam
Sorti vos advortite animum: præbe tu. OL. ubi sim nescio.
Perii! cor lienosum opinor habeo, jam dudum salit:
De labore pectus tundit. CL. teneo sortem. ST. effer foras.
CH. Jamne mortuus? OL. ostende, mea est. CH. mala crux ea est quidem.
CL. Victus es, Chaline. ST. tum nos diu vivere, Olympio,
Gaudeo. OL. pietate factum est meâ, atque majorum meûm.
ST. Intrò abi uxor, atque adorna nuptias. CL. faciam ut jubes.
ST. Scin' tu rure esse ad villam longè, quò ducat? CL. scio.
ST. Intrò abi: & quanquam hoc tibi ægrè est, tamen fac accures. CL. licet.
ST. Eamus nos quoque intrò, hortemur ut properent. OL. num quid moror?
ST. Nam præsente hoc plura verba non desidero.

VERSUS sunt Trochaici Archilochii

1. ILLE EDEPOL] ita Vet. editt. omnes, ita MSS. nō, *illum*. Possis & responsionem attollere: *CH. Ilicet* In vulg. *Eastor*, femininum juramentum tribuitur mari, cum bina simul uni dantur, *edepol* & *ecastor*. Personas itaque ad hanc faciem variavit Acidalius. Ellipsis est in responsione servi, &c.

2. ARDENTEM] jam mortuam in rogo. Nam docti viri (*Lipsius is est ad 1. Annal. Tac.*) qui ad suppli:ium trahunt, non persuadent mihi; nunc ita odisse uxorem, ut etiam cum suâmet ignominiâ excruciatam velit. & quomodo? an requiritur, ut maritus comitetur supplicium uxoris? non, non. virorum solemne, optare mortem uxorum occurritque centies in Comœdiis. *Gruterus.* Imò And. Querneus libro Egregior. cap. 4. nescit an illis temporibus agnoverint Romani supplicium ignis, aut damnatorum corpora comburi passi fuerint.

2. EXTRA PORTAM MET.] ubi alioquin etiam pauperiorum cadavera comburebantur. *Grut.* At Gutherius cap. 10. lib. 1. de jure Manium, ita interpretatur, id est suspensam laqueo & in ustrina combustam. nam extra eam portam, & in damnatos animadvertebatur, & carnifices morabantur, &c. V. N. Pseud. act. 1:3. & Mil. 2: 4. v. 6.

3. VELLET.] ita Grut. è MSS. & editt. Vulgatæ, *Velle.*

A 3. HAVD CREDO] Donatus: *Credere, dubitantis est: certum esse, fidentis.* Plus est *scire*, quàm *credere*: nam certior *scientia* est, quam *fides*, ut docet Aristot. l.

4. HARIOLVM] V. N. Mil. act. 3:1.

5. QVID SI PROP.] Allegoriâ à re militari: ut suprà; *collatis signis depugnabimus.*

8. STIMVLVS EGO] mea præsentia te urit, &c. Germ. Jch bin dir ein Dorn im Aug. Tale illud in Sacris nostris. Jehoschuhæ cap. 23. *Gentes erunt vobis* (Judæis) *in spinas in oculis vestris.*

9. EO DICO, C.] ita Grut. ex MSS. & Edd. vett. Douza. *Eoque corc. assudass.* mediæ edd. *Eo quod corc.*

B 9. ASSVDASSIT] Antiphrasis. nam *assudassit* dixit, pro, congelarit, asserit: metus enim, ut & frigus, contrahit: *Lamb.* Quam tamen interpretationem glacie frigidiorem arguit. Acidalius: qui legit, *Eoque corculum assultat sit jam ex metu.* Etenim *saltum* cordi sæpe tribuit in metu. ut infrà, v. 62. & Capt. act. 3. sc. 4. v. 104. Putat etiam legi posse, *assultas cit*: & huic favere, quod de *stimulo* præcedit. Neutrum tamen valde probat. Neque ego sanè possum: cùm omnes habeant *assudassis*. In Cam. est, *adsudascit.* præponendum erat alterutrum vulgato; cùm illud *assudassis* etiam hæreat in primis editionibus. dictum enim eo modo, quæ infra ver. 39. emun-

emungare oculos. Parei prima clamat se legere *apsulassit:* at ultima subricet, revocata scriptura vulgata. quæ ματτολογία!

10. COMPRIME ISTUNC.] Voces has duas in omnibus MSS. & plerisq; ante Cam. cusis, attribui Cleostratæ, *Grut.* testatur.

16. QVI DIDICIT DARE.] Ita restituunt Grut. è MS. Cam. itemque è Vatic. cod. Lipsius. Et liberior paullo jocos est in v. *Dare*: quod inter Priapeja. de quo Lips. Antiq. Lect. 5: 1.

11. APPONE] ita J. Gul. è MSS. Lang. itaque ex omnibus suis etiam *Grut.* Pœn. *At enim urget. Mi. at tu appone.* Ter. Heaut. *At istos rastros interea tamen appone.* sic enim & ibi legendum: quod hic probat.

14. MIHI ENIM?] ita Gruterus interrogatione hæc animat, postulante sententiâ.

16. POL TU QUID.] Non solùm perperàm fabularis, sed etiam perperam facis. *Grut.*

18. PER POL] Servius 1. Æn. *Pol*, per se, plenum est jurantis adverbium, cui præpositio separatim nunquam cohæret. Ter. Hec. act. 1: 1. *Perpol quàm paucos reperias*, i. perquam paucos Sic & hic persæpe.

19. TUO PRO L.] Reponunt, *suo*; flagitante sententiâ, D. F. & Pistoris. *Maritus* scil. pro eâ, quâ prævalebat auctoritate: *Servus* pro eo, ut dominum orare decebat. & istud avidè arripuit Pareus. male tamen, & contra omnes undique scriptos editosque: quorum sensus: Ego atque Olympio precibus te convenimus, ut tuum jus remittas quod habes in Casinam. qui precatur auctoritatem jam amisit; aliàs eâ suo pro jure uteretur.

20. MULSA] V. N. Pœn. 1: 2. *mulsa mea*, Mein Zuckermündigin.

21. GRATIAM FAC.] *Gratiam facere*, est remittere, concedere. Mostell. *De cœnâ facio gratiam* Mil. *Quàm benignè gratiam fecit, ne iratus esset!* V. N. Trin. 2: 2.

22. UTRINQ.] pro utroque; Olymp. & Chal.

22. JAM.] Appendere alii *jam mittam*, alii *jam ponam* quorum aliquid & Cam. & Lamb. in libris suis reperiri negant. & docet Acidalius, sententiam etiam palàm id repudiare. falsissimè etiam exponi, quasi senex ipse pro utroque servorum in situlam sortes immissurus sit. neque enim, inquit, sortes dum conjiciuntur; neque sanè post à sene; sed ab ipsis pro se quoque. & id jubentur ab eo ibi demum: *ST. Euge castè, conjicite sortes nunc jam ambo huc.* Vetustæ edit. habent, *ponam*. inde faciebam: *ST. Tum igitur ego sortes utrique jam do. CL. nam q.* vel in ead. mente: *utrique jam danam*, i. dabo. Mens enim hæc ista prorsus, ut distribuere se velle sortes utrique dicat Senex: ac non abnuente uxore statim distribuit; quod ex vulg. lect. tamen non apparet. Sed nec sic me satis expedio. latet absque dubio occultius aliquod verbum &c. *Hæc ille.* Gruterus suspicabatur fuisse: *Tum igitur cedo sortes utrique utring. jam jam. CL. quis 6.* In V. C. lacunula est quidem ante *jam*; sed & eadem est post CL. adò ut affirmare nequeamus quidpiam deesse: cùm solenne sit libro illi largius relinquere spacium scribendæ personæ. certè in Pall. aut Edd. vet. nulla est defectus nota.

24. POSTREMO] versus iste nusquam extat in MSS. Pall. aut edit. ante Camerarium, in cujus tamen v. cod. legitur, sed à manu secundâ adscriptus &c. *Grut.*

25. AN. ÆQUIS. TENE S. TIBI.] Ita Grut. è MSS. Cam. & Pall. itemque Pistoris ex ingenio. Stalino sortes distribuit: quod clarissimum est. Vidit hoc & Acidalius: atque ista etiam sic reformat: *Vide q. scriptum est. CH. enim iniquum est*: &c. Vulgatumque illud *unum* ineptè ad numerum sorti inscriptum referri ait. Porrò de *servilibus nuptiis sortitione conciliatis*, vide J. Ræward. Conject. l. 2. cap. 15. Sed & Suetonius Tiber. c. 35. & Alexand. etiam ab Alexandr. lib. 1. c. 5. hujus rei meminit: & de hoc more, *quòd sortitione nonnunquam uxores ductæ, & sponsalia inita*, latè dixit *Andr. Tiraquell.* in Commen. Primigeniorum.

26. UNUM] nota, quæ μονάδα significat. *Cam.*

MIHI EST] sc. data sors.

27. HANC SIS.] sc. alteram, si vis.

28. SORTIS] *sortis*, pro *sors*. Prisc. lib. 7. *Cam.* & *Grut.* In MSS. Cam. à manu tamen secundâ, & Lang. est *sors*. alterum tamen in Pal. quar. sexto.

30. CH.

30. CH. QVOD BON.] Rectè Acidal. Chalino dat. Servi enim inter se velitantur.

31. POPVLNA] i. ex populo arbore. Notat Prisc. lib. 2.

33. NE SVMMA] fiebant enim sortes ex ligno durissimo, puta *quercu*: ut in aquâ subsiderent. quod innuūt verba Tullii lib. 2. de Divinat: *Quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit?* Lamb. Gutherius lib. 4. cap. 11. de vet. jure Pontificio hęc ad ὑδρομαντείας speciem refert, capitque sortes pro eis quas Græci κλήρων ὑδὸς μαντείας πλήρεις vocant: carpitq; Lambinum qui ligneas sibi finxit, sed nihil tamen ibidem profert quo sententiam suam probet; nedum improbet Lambinianam. videatur modò.

34. EVGE! CAVE:] Acidal. l. *Euge cate*: Plandit senex Olymp. suo. Et hoc commento editionem suam illustravit Pareus. sed tamen libris invitis. Grut. è MS. Cam. *Euge. A cave. conicite sortis nunc jam amabo huc. ecce re uxor aquâ*, ita etiam Pall. nisi quod ii, *Age atque cave*. neque se videre, ait, quomodo hoc loco *Eccere* necessariò conveniat. Etiam Colon. mea leg: *eccere Ux.* & Paris. Vulgò ; *Uxor aqua*, sc. sortes; vel sitellam, ut neutram in partem propendeat. Lambinus etiam aliter. Cic. ex Fragment. Orat. pro C. Cornelio: *Dum tabella diribuntur, dum sitella defertur, dum aquantur sortes, dum sortitio fit &c.*

35. NOLIM VXORI C.] Certè servo convenientiùs est: *nolim uxori cr.* quod cùm repræsentent antiquitus impressi præsidibus Merula, Sarraceno, Carpentario &c. id retinet, præ altero illo imperantis, *Grut.* Et verò id in contextum editionis primæ receperat Pareus, sed ejecit secunda; cum nota. *noli* sanè probum. hoc enim ipsi perpetuò pro ratione. Nam non semper standum MSS. justitia ipsa dictat ne dum ratio.

36. CREDO H.] Ald. l. *Crede hercle, hodie d.* Quod profert Meursius: & multa de genere divinandi, sortibus in sitellam aut pelvim cum aquâ demissis, disputat: quæ ibi videas. Pareus illud *crede* statim intulit editioni pr. sed altera abjecit, ut appareat, ne hora quidem unum idemque probare posse.

36. DEVOTABIT] Ita legit Lipsius & Douza. itaque etiam Lamb. malit, quamvis v. codd. & Cam. secutus ediderit, *devorabit*. Verùm *devotabit*, est sortes diris precationibus

A obligabit, seu devotas & exsecratas reddet. Usus hoc verbo & Cic. 1. Paradox. (ut nonnullis videtur) & MSS. fidem faciunt, ibi: *quæ vis patrem Decium, quæ filium devotavit &c.* Accius Decio: *Patrio exemplo me dicabo, atque animam devotabo hostibus.* Vet. cod. Paris. noster, *devotabit*: & ita in priscis exempll. legi, Pius prodidit. quod & Grut. probat. Sed quid prohibet alia etiam addi: ut vis verbi remotioris propius sentiatur? Auctor libri *De herbis*, qui Apulejus vulgo habitus, cap. 7. *Siquis DEVOTATUS DEFIXUS Q. fuerit in suis nuptiis, sic eum resolvas.* Hic quid *devotatum* sit, aliquâ intelligis ex adjuncto *defixum*. Scaliger ad illud in Ceiri,

Regis Iolchiacis animum defigere votis,

notat: Dictum, ut *defigere diris*. In vet. Glossario: *Defictiones, καταδεσμοὶ, καταδέσμοι*, ut intelligere possis καταδέσμους esse Poetæ;

——*Veneris, Dic, vincula necto*: Ecloga 8.

37. CANEM] *Canis*, vinculi ferrei genus. Curc. ——*cum catello ut accubes,*
Ferreo ego dico.

Vide & Cujac. lib. 11. Observ. 23. *Canem ferre*, inquit Turneb. lib. 7. 12. hîc est vinctum esse. sic *catulum* vel *catellum ferreum* alibi dixit per diminutionem. eodem modo Græci

B σκύλακα vocant, &c. Meursius lectionem v. c. *canum* (Græcis κημὸν) proponit judicandam doctioribus.

38. PED. PEND.] Servi enim verberabantur pendentes. V. N. Amphit: 1. Cum autem MSS. varient in Personis, Grut. sic distinxit. Acidalius verò ita: *OL. Taceo. deos q. t. ut q. h. c. & s. ferat: Mihi ut sortitio eveniat. CH. tu ut quis quid. hodie ped. p. OL. At tu &c. laqueum tibi: Peristi. ST. anim.*

39. OCVLOS EMVNGARE] Hellenismus. L.

LAQ. TIBI. PERISTI. ST. AN. ADV. AMEO.] Ita disting. & vet. edd. quod præferunt Meursius & Pistoris. Nam *Peristi* (inquiunt) unicè congruit sermonis Olympionis laqueum paratum esse oportere dicentis. An verò *ambo*, an *amabo* legas, susque deque est. Meminit tamen Pistoris, tempus fuisse, cum Grutero illud impensius arriserit.

41. SVSPICES] Vetustiss. Edd. *suspicere*, & ita etiam in MS. Cam. sed à manu secunda. Vulgo *suspices*. V. N. Menæch. 5. 9. V. 22.

43. SORTI] pro, *sortire*, Ennius: *an inter se sortiunt urbem atque agros.*

43. LVCR. FACIT.] quia nihili es, neque sumptum, quem herus facit in te alendo, exsarcis.

46. HERCVLEIS] Ita omnes vett. edd. nec non Pall. quinque. itaq; imponit lectori Pareus, ubi notat, sic legentes, legere absq; MSS. In MS. Cam. *Herculei*. quod Grutero placet: ut sit genitivus casus, sicut *Achillei*. Sed versui quomodo medebimur? neque enim initiale illud *sed* visitur in libris cæteris. Hanc autem historiam lib. 4. in hanc ferè sententiam narrat Pausanias. CRESPHONTES Messeniam sibi vult adsignari. Itaque, ut res componatur, Temenum rogat, rem ut sorti committat. Ille in situlam aquâ plenam sortes mittit: re ita constitutâ, ut utra sors prior exiisset, illi Messenia adjudicaretur. At ille Aristodemi quidem liberûm sortem ex argillâ Sole induratâ, Cresphontis verò è coctili laterculo fecit. Inde factum, ut illa solutâ, hæc consisteret: atque ita Cresphonti Messenia obtigerit, &c. *Herculeis* autem *prognatis*, i. Aristodemi liberis. Vide & P. Victorium lib. 25: 15.

47. DELICVERIT] Ita Edd. vett. περιρρυέντων? *Camer.* i. liquefacta fuerit. Pall. *deliquerit*.

49. LITERATVS] J. Lipsius Elect. lib. 2: 15. ad illud Apul. lib. 9. *frontes litterati, & capillum semirasi, & pedes annulati;* notat: Frontes litterati, sunt nostri *inscripti*. Idq; eum scripsisse adseverè imitatione Plauti; apud quem in Casinâ servus conservo convicium facit, *si hic litteratus me sinat*. nec aliter quam *stigmatiam*, & litteris in vultu notatum interpretatur: etsi contrà nitente Lambino: qui accipi eum vult, cujus tergum velut litteris, virgis concisum sit atque conscriptum. Non dissimulo tamen in MS. nostro hic esse, *frontes liturati*. quod ipsum haud displiceat, quasi scripti & rescripti. & fortasse an ita scripserit & Plautus. Quanquam cur ambigimus? veræ litteræ fronti inscribi solitæ, immò vultui sæpè toti. Litteræ, dico, aut plura verba, quæ crimen continerent caussamque notæ, puta, *Cave à fure: A fugitivo.* Sæpe etiam plurium verborum fuit illa inscriptio, immò versuum: & memorat Joh. Zonaras Tom. III. Annalium, duos quospiam monachos, quia Imperatorem Theophilum liberius monuissent, inscriptos fuisse, & quidem ita, ut duodecim versuum epigramma exciperent illâ vultûs, ut sic dicam, tabulâ, &c. Ratio autem inscribendi ita habuit, ut primitùs litteræ inurerentur candenti ferro: deinde atramentum infunderetur, quò eminerent magis litteræ, & præberent se lectui &c. Videantur & Præcid. J. Dousæ ad Petron. lib. 2. cap. 6. item Cælius Antiq. lect. lib. 7. c. 31. & Tit. Popma de Operis Servorum. Sed notat hic tamen Bosius: *Litteratus*, κατάγραπτος: ita virgis cæsus, ut virgarum notæ, veluti litteræ in tergo adhuc inhæreant. Pseud. 1: 5. *Quasi in libro conscribuntur calamo litteræ, &c.* quod idem quoque visum Grutero meo.

51. CH. NON. OL. IMO HERCLE. CH. IMO M.] ut certamen sit nervosius, ita variat Acid. Atque ab hac mutuâ observatione pendere ait intellectum ejus dicti, quod inferius malè interpretantur de pulsatione: *OL. Cur omen mihi vitup.*

52. PRÆCIDE] ita omnes MSS. Grut. & Edd. mex. Turnebus l. *Percide*, i. batue, tunde lib. 7. cap. 7.

52. OBIEXIS] i. objeceris. q. d. Cleostrata: Noli manum ori opponere, Chaline: nunquam enim te, me præsente, ferire audebit. Alii legunt, *oblexis*, & interpretantur, oblæseris. quasi Cleostrata moneat Olympionem, ut videat, ne si Chalinum feriat, manum lædat. sed ferri non potest: & ipse Camer. maluit, *objexis*: Lambinus. Etiam Meursius l. *objexis*. Usurpavit autem *objicere* pro *adjicere*. nam *ob* pro *ad* veteres dixisse ex Festo notum. Ergo, *ne objexis manum*, est, *ne attigeris*. Sic postea eadem Cleostrata, cum ille nihilominus verberibus impeteret, objurgans interrogat, *Quid tibi hunc tactio est?* Denique Gruterus notat, habere quidem MS. Cam. *oblexis*, sed antiquâ ratione scribendi *L*, pro *I*, hoc est, *objexis*.

53. PORRECTA] Quidam interpretantur ῥαπίζειν, *porrectâ palmâ ferire*: quem ictum aliqui indicarunt *alapæ* nomine. Cam. in D. Johann.

55. TV ILLI] Sic bene Camerarius, cùm sine sensu prius legeretur, *tu ille*: quod tamen revocat Pareus, ob consensum MSS.

57. IMP. EXHIBET] exercet, palàm agitat: L. Vide N. Bacch. 3: 3.

58. CVR

58. CUR OMEN M.] i. Cur mihi, seu meo omini obscævat & vitium facit, conservum pulsando? *Lamb.* At Turn. l.7: 12. Cur malis & tristibus verbis mihi malè ominatur? &c. V.N. Asin. act.5: 3. A

61. SORTI] i. sortem educ è sitellâ.

PRAEBE TU] sc. animum. esto præsenti animo, Olympio: L. Quod tamen *Pistori* minimè placet, qui suspicatur leg. *OL. præ metu ubi sim nescio.* quod sine mora Pareus intulit editioni suæ supra stercus fætidæ. Ego simpliciter, *Prabe tu*, scil. sitellam.

62. COR LIENOSUM] i. lienis naturam habens, ut turgeat. Turn. lib.7: 12. *Cor lienosum*, Comicè & joculariter ridiculèq; dicitur pro *morboso*: cùm tamen morbo lienis cor tentari non possit. sed quem corporis esse scimus, eundem cordi etiam morbum adscivit. Mercat. 1: 2. *Lienem* dixit *seditionem facere, præcordia occupavisse.* quod & ad hunc locum enodandum pertinet. Fortasse *ludiosum*, i. subsultans more ludiosum. *Rob. Stephanus.* Hadr. Junius non dubitat Plautum scripsisse, *Cor tinæosum*: quasi à tineis erosum ὡς σητόβρωτον: ac propterea velut erodentibus tineis quasi per cuniculos immissis subsiliens.

62. IAMDUDUM SALIT] Pall. omnes servare *jamjamdudum* affirmat Pareus: minus verè. nam sextus habet, *jam jam diu.* Quod verò negat idem versum labi si illud *jam* iteratum immutatur libris; aut ludit nos, scurrarum more; (nec enim labat currus quinque suffultus rotis) aut impudentissimam prodit ignorantiam.

63. DE LABORE] i. præ dolore. L.D.

64. MALA CRUX] Sic non ineptè Camerarius. at Grut. suasu MS. Cam. restituere cogitur, *mala crucias quidem.* Si enim, inquit, dicitur, *vinum crucium*, i. insuave, quod cruciat, de quo Festus: cur non à *crux* fiat *crucias* contractè, cujus integrum sit *crucietas*: ut *saties* pro *satietas*? Hæc ille. Sanè, *mala crucias* in MSS. Pall. & vett. Edd. vett. expressè legitur.

66. OL. PIETATE] V.C. tribuit istæc Olympioni. Pall. verò & Edd. aliæ omnes adplicant adhuc seni. perperam, inquit Pareus! quasi verò ipse nôsset discrimen rei bonæ malæve. certè nisi ridicularie istud effutierit servus, ineptissimum est. quæ enim
B sint majores servo? ingenuorum est tale quid usurpare. solet tamen id hominum genus aliquando magnificè de se sentire, quei spectatores rideant. unde factum, ut Gruterus ausus sit annotare; si sequi velimus fidem V.C. mutandam distinctionem vulgatam. nihil tamen censet, nihil affirmat cum Pareo: qui pueriliter nimis, versus sequentis voces priores sex, utraque editione villico reliquit.

68. INTRO ABI] Hæc Gruterus abstulit, versui præcedenti, huicque adjudicavit, metri caussa.

71. VERBA NON DESIDERO.] *fieri* illud, quod Cam. hic interposuit, non est in ullo libro vel scripto vel edito. desiderat tale quid versus. sed quid si fingamus? *Verba non desidero: io!* exultantis voce.

ACTUS II. SCENA VII.

CHALINUS servus.

SI nunc me suspendam, meam operam luserim,
Et præter operam restim sumtifecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Quid opus est, qui sic mortuus? equidem tamen

Sorti.

Sorti sum victus. Casina nubet villico.
Atque id non tam ægrè st' jam vicisse villicum,
Quàm id expetivisse opere tam magno senem,
Ne ea mihi daretur, atque ut illi nuberet.
Vt ille trepidabat! ut festinabat miser!
Vt sussultabat, postquam vicit villicus!
Attat! concedam huc: audio aperiri fores
Mihi benevolentis. atque à me prodeunt.
Hinc ex insidiis hisce ego insidias dabo.

OPERAM LVS.] sc. cum jam sim mortuus. A

V.2. SVMPTIFECERIM] ita MSS. Langii unà voce. dictum, ut *lucrifacere*.

3. ET MEIS] Simile illud Petronii: *Attulissem mihi damnatas manus, si non inimici victoria invidissem.*

4. QVI SIC M.] Acidalius ita, non sine Venere: *Quid opus est, qui sic mortuum tamen? Sort.* atque hoc extempiò in speluncam editionis suæ pr. invexit Pareus. Verùm altera ejus, ex Pall. aliquot, ita locum ut ait, restituit: *mortuum. equidem cum sorte.* restituerit-ne; ipse viderit. hoc scio; restitutionē hanc, auctoris utrumq; corrumpere versum; quartum simul & quintum. & sic est profectò. scriptum fuerat *tamen*, literis duabus cum virgula superjacente. id imperitior scriba accepit pro *cum*. itaque impudentia est contra omnis ætatis editiones niti novitiorum librorum lubrica fide. deinde an Latinum est? *Victus sum cum sorte*.

10. VT SVSSVLTABAT.] ita & Capt. 3. 4. v. 104. à *subsiliendo*. Curcul. 1. 2. *sussilite obsecro*. alloquitur pessulos. Passer. ad 4. el. 9. Propert. *Semper damnosi subsiluere canes*, i. emicuere, sursum salire.

12. ATQ. à ME PROD.] ita planè MS. Cam. Gulielmius: ——*fores. Mihi benevolentes atque ameci prodeunt.* εὐμενεῖς. Nam quid (inquit) illud *à me prodeunt?* an, à domu mea? quam servus nullam usquam habuit. Jam si herilem intelligeret, Latinè dixisset, *à nobis*. B Portò, *Ab antiquis ameci & amecæ per E litteram efferebantur*, ait Festus. Sanè *Amicus* compositum est, *Amaquus*. ita *animecus*, pro *Animaquus*, ἰσόψυχος Glossario: Isidorus in Glossario: *Animecus, patiens animo*: ut notat Scalig. ad Festum. Pro Gulielm. stat Acidalius, aut certe pro illo, *à me*: exemplo Stich. act. 5: 1. *Cadum hinc à me transferram*.

13. HISCE] Ita bene Camerarius, cùm esset in MSS. *hic*, quod Pareus tamen iterum Orco suo evocat.

ACTUS II. SCENA VIII.

OLYMPIO villicus, STALINO senex. CHALINVS.

SINE modò rus veniat, ego remittam ad te virum
Cum furcâ in urbem, tanquam carbonarium.
ST. Ita fieri oportet. OL. factum & curatum dabo.
ST. Volui Chalinum, si domi esset, mittere
Tecum obsonatum, ut etiam in mœrore insuper
Inimico nostro miseriam hanc adjungerem.
CH. Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam.
Captandus est horum clanculùm sermo mihi.
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.

At

At candidatus cedit hic mastigià:
Stimulorum loculi. protollo mortem mihi.
Certum est, hunc Acheruntem præmittam priùs.
OL. Vt tibi ego inventus sum obsequens! quod maximè
Cupiebas, ejus copiam feci tibi.
Erit hodie tecum, quod amas, clàm uxorem. ST. tace.
Ita me dî bene ament, ut ego vix reprimo labra,
Ob istam rem quin te deosculer, voluptas mea.
CH. Quid, deosculer? quæ res? voluptas quæ tua?
OL. Ecquid amas nunc me? ST. imò edepol me, quàm te minus.
Licétne amplecti te? CH. quid, amplecti licet?
ST: Vt quia te tango, mel mihi videor lingere!
CH. Effodere herclè hic volt, credo, vesicam villico.
OL. Vltrò te amator! apage te à dorso meo.
CH. Hodie hercle, opinor, hice conturbabunt pedes:
Solet hic barbatos sanè sectari senex.
Illuc est, illuc, quod hic hunc fecit villicum: &
Idem me pridem, cùm ei advorsum venerum,
Facere atriensem voluerat sub januâ.
OL. Vt tibi morigerus hodie! ut voluptati fui!
ST. Vt tibi, dum vivam, benè velim plus quàm mihi!
Vt ego hodie Casinam deosculabor! ut mihi
Bona multa faciam, clàm *meam uxorem! CH. atate.*
Nùnc pol ego demum in rectam redij semitam.
Hic ipsus Casinam deperit. habeo viros! ST. jam
Hercle amplexari, jam osculari gestio.
OL. Sine prius deduci. quid (malùm) properas? ST. amo.
OL. At non opinor fieri hoc posse hodie. ST. potest,
Siquidem cras censes posse te mitti manu.
CH. Enimverò huc aures magis sunt adhibendæ mihi.
Jam ego uno in saltu lepidè apros capiam duos.
ST. Apud hunc sodalem meum atque vicinum mihi
Locus est paratus. ei ego amorem omnem meum
Concredui: is mihi se locum dixit dare.
OL. Quid ejus uxor? ubi erit? ST. lepidè repperi.
Mea uxor vocabit huc eam ad se in nuptias.
Vt hic sit secum, se adjuvet, secum cubet.
Ego jussi, & dixit se facturam uxor mea.
Illa hic cubabit: vir aberit faxo domo.
Tu rus uxorem duces. id rus hoc erit,
Tantisper dum ego cum Casinâ faciam nuptias.

Hinc tu ante lucem rus cras duces postea.
Satin' astutè? OL. doctè. CH. age modò, fabricamini.
Malo hercle vostro tam vorsuti vivitis.
ST. Scin' quid nunc facias? OL. loquere. ST. tene marsupium.
Abi atque obsonia propera: sed lepidè volo
Molliculas escas, ut ipsa mollicula est. OL. licet.
ST. Emito sepiolas, lepadas, lolliginunculas
Hordeias. CH. imò triticeias, si sapis.
ST. Soleas. CH. qui quæso potius, quàm sculponeas,
Quibus batuatur tibi os, senex nequissime?
OL. Vin' lingulacas? ST. quid opus est, quando uxor domi est?
Ea lingulaca est nobis: nam nunquam tacet.
OL. In re præsenti, ex copiâ piscariâ
Consulere, quid emam, oportet. ST. æquum oras, abi.
Argento parci nolo: obsonato ampliter.
Nam mihi vicino hoc etiam convento est opus,
Ut quod mandavi, curet. OL. jamne abeo? ST. volo.
CH. Tribus non conduci possim libertatibus,
Quin ego illis hodie comparem magnum malum;
Quinque hanc omnem rem meæ heræ jam faciam palàm.
Manifestò teneo in noxâ inimicos meos.
Sed si nunc facere volt hera officium suum,
Nostra omnis lis est: pulchrè prævortar viros:
Nostro omine it dies: jam victi vicimus.
Ibo intrò: ut id, quod alius condivit cocus,
Ego nunc vicissim ut alio pacto condiam,
Quicquid paratum est, ut paratum ne siet;
Sietque ei paratum, quod paratum non erat.

SINE M. PUS VENIAT] *Etmiat* est in MSS. & omnibus edd. ante Camerarium, qui animadvertit respuere id versum, abjecitque literulam; nemine in hunc usque diem conquerente. at illam tanto tempore damnatã revocavit modò Pareus. rationem rogatus; respondebit, pendere eam à librariorum errorêne an ignorantiâ. Nostri: dass mirn nur nauss fommen.

V. 1. CUM FURCA] Furcâ aptati gestabantur carbones: & furciferi servi sub furcâ plectebantur, & in exemplum traducebantur. Festus: *Ærumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant.* Vide & Turn. lib. 16: 3. item Lipsium lib. 3. cap. 4. *De Cruce*: ubi de verâ germanâque fa- A cie ipsius *Furcæ*, quæ aut eadem cum *Patibulo*, aut non longe dissita, quamque Plautus hic imagine videatur expressam voluisse, quærit: ingenuèque fatetur, se hærere, & velut inter Solem & Orcum errare. V. N. Mostell. act. 1: 1. Meursius: Observare hic est, olim Romæ carbones venundari solitos: atque hinc, *Carbonarium negotium exercere*, dixit Auctor de viris illustribus. *M. Æmilius* B *Scaurus nobilis, pauper. nam pater ejus, quamvis patritius, ob paupertatem Carbonarium negotium exercuit.* Qui id operis faciebat, *Carbonarius* dicebatur. Glossæ, [illegible], *Carbonarius*. Habebant etiam cellas certas, in quibus carbones reponebant, eæque *carbonariæ* dicebantur. Glossæ, [illegible], *cella Carbonaria*.

7. RECEP-

7. RECESSIM c.] V. N. Amph. 5: 1. & Pseud. 4: 1. J. Gul. è Festo emendat *Recessim me dabo ad parietem*. Sed Meursius & Festum & Nonium memoriâ lapsos arbitratur. A

7. NEPAM] i. cancrum : *Scalig.* ad Manil. qui pro Scorpione posuit : ut & Cicero.

9. MACERAT.] Lucret. 3.

Macerat invidiâ, ante oculos illum esse potentem.

10. AT CANDID.] Sponsi enim candidati. Infrà, *Vilicus hic autem cum coronâ, candide vestitus.* Lipsius ad morem libertorum in mutandâ veste refert. Loquitur enim (*inquit*) de Olympione, qui jam libertus. At liberti novi in togâ apparebant, i. communi civium veste ; quæ erat alba. Vide *Collectanea* ejusdem *De vestitu Romano*, Electi. 113.

10. CEDIT] i. incedit. L.

11. STIMVL. LOCVLI] Ita stimulis fodi solitus, ut totum corpus ejus stimulorum loculi esse videantur. L.

12. ACHERVNTEM] Ita MS. Cam. & Edd. Syllaba autem hic etiam producitur. unde olim Camerario & J. Gulielmio suspicio erat, veteres *aggeruntem* protulisse. Nunc ut certò sciamus, fecit Scaliger, & *Dominic. Baudius*, qui me judice, antiquos Poetas aut provocat omnes, aut superat. *Præmittam Acheruntem*, Homero est, ἀϊδι προϊάψω. B

20. OL. QVID, AMPLECTI L.] ita Gruterus. Cum enim senex omnia invito Olympione faciat, vulgatum vix ferri poterit, *OL. Licet.*

22. EFFODERE] Flagitiosum hunc versum, ut & alios hujus notæ, hic omiserat pudor Camerarii : quos Lambinus restituit, indignatus Plautum ita mutilari. Vide Scalig. ad illud in Catalect. Virgil. *Scissumque ventrem.* quod ἐν αἰσχρῷ dictum ait : ut hic *effod. vesicam &c.*

25. APAGE TE A.] MSS. Cam. & Pall. hæc ita leg. *CH. A. Ultrò te amator, apage te à dorso meo. Illuc est, illuc quod hic hunc &c.* Quid multis? Optimus Camerarius huic loco multa de suo adjecit, plura detraxit, ut cohæreret sensus, ejectis vocibus. nudiciis. quod facinus, nullo satis ore celebrandum, negat Pareus, quærens : Sed cui tantum juris est in alienum fundum ? ô Pudor ! ô Modestia ! longè abestis in tali quæstore.

24. CONTVRBAVERIT] Vide, si voles, Lamb. & P. Manutium ad lib. 2. epist. 1. Cic. ad Attic.

28. FACERE ATRIENS.] ut hæc item Atriensis præfectura mihi pro turpitudinis, quam pertulissem, esset mercede. L. D.

28. SVB IANVA] Suspicabatur Gruterus, posse fortè sub Stalinonis nomine dici : *Solverat. ST. subi jam.* ut vel omo ipso putaret Chalinus de stupro agi. Vel, *subi januam* : vel, *subi jam nunc, &c.*

32. BONA M. FAC.] Rectè. hoc enim est hominum voluptariorum ; *Multa bona mihi faciam.* Jam, ut, *bene facere*, ita etiam in usu est, *bona facere*. V. N. Amph. Prol. *J. Gul.*

34. C. DEPERIT. HABEO VIROS. ST.] ita Aldus. quod probat Gruterus. In MS. Cam. est, *abeo rus* : sed à manu secundâ ; cum antea fuerit : *abeo viros, &c.* ut & in plerisque Pall. & vett. editis est ; inque Parilino planè, *habeo viros.* tum illud, *habeo viros*, se etiam tuetur autoritate fidelium exemplariorum Langii, ut rectè animadvertit Palmerius. Videturque proverbii habuisse speciem, dicique solitum in manifesto deprehensos. Indicio est Menippæa Varronis hoc titulo, ἔχω σε, &c. Idem censebat *Palmer.* ad illud Ter. Adelph. act. 2: 2. *labascit. Virum hoc habeo* : ita enim probat legendum in Spicileg. Jch hab den Gesellen ertappt.

38. MITTI MANV] ita vett. edit. & Pall. nam MS. Cam. *manumitti*, quod gemente versu cœlo donavit editio Parei.

40. VIOSI SALTV] *Saltum* vocat, quod Horat. lib. 3. Od. 12. *fruticetum* : cum ait,

——*& Celer alto (arcto) latitantem fruticeto excipere aprum.* Gr. *ἀγμὸν*, *sabilé & lustrum ferarum*. Vide Tron. Villiomarum, & Rob. Titium, lib. 7. cult.

46. AMATVRI] ita MS. Cam. & Pal. vett. nam cetera, ut & vet. ed. *Amant*, quod probat Meursius : cum Plautus amet frequentativa illa.

48. ILLA INC CVL.] Mira codd. varietas. Grutero in mentem veniebat fuisse : *Illa hic cubabit. OL. scd hic. ST. aberis foras domo.*

49. IN EVS HOC ERIT.] ita MS. Cam. nam Pall. *ipse*, unde vett. edit. *id tua domus ipsa erit.* Intelligit autem domum vicini sui. forsan fuit initio *heic.*

50. CVM CASINA FAC. NVPT.] *Facere nuptias*, hic non *conventionem tantùm in conjugium, sed in ipsum cœtū*, (ut loquitur Arnob.) significat. Ita Auson. Periochâ Odyss. 23. *quâdam cubiculi lege & genialis lectuli positu sibi tantùm & Vlyxi cognito, an ipse sit maritus, explorat. In cœtum deinde conveniunt, totamque noctem &c.* Nec aliâ de causâ impudica verba *Nupta* vocantur, nisi quia veluti devirginata.

53. OBSONIA PR.] Ita Palm. è MS. Lang. *Abi atque obsonia propera.* V. N. Aul. 2: 3.

57. SEPIOLAS] V. N. Rud. 3: 2. Interim peritè senex cibos nominat conducentes eis qui veneris sacra benè obire cupiunt. nam ut Oribasius, Ægineta, aliique medicor. docent, mollis carnis pisces ac testacea omnia, inter ἀφροδισιακὰ maximas vires habent. Antippus Comicus: —— μειράκιον ἐρωμένην Ἔχων τὰ πατρῷα τοῖον καθιεὶς τούτῳ παραθεὶς σηπίας καὶ τευθίδας: *Si quis adolescens amicam habeat qui patrimonium dilapidat, huic oppono sepias ac lolligines.* Antiqui enim persuasum, marina omnia salaciora esse, ob Venerem mari ortam. unde etiam astrologi libidini fore deditos præsagiunt, quibus in horoscopo pisces. Manilius lib. 4. *Scilicet in piscem sese Cytherea novavit &c.* Lud. Nonnius cap. 7. de esu piscium.

57. LEPADAS] Hanc lectionem probant Camer. Lamb. Bosius, Douza, qui ait, *lepadas* in Rud. easdem esse, quæ in Nonio *lopades*; genus conchæ marinæ. Rittershus. in Oppian. Λεπὰς concha marina petris ita firmiter adhærens, ut inde vix divelli possit. Hinc λεπὰς Aristoph. sumsit *Pluto*, ubi anum adolescenti tanquam λεπάδα petræ adhærere ait. In MS. Cam. *lepidas loll.* in Lang. *lepulas.*

57. LOLLIGVNCVLAS] ita MS. Cam. & vett. quidam cod. item Fruterius; non, *loligunculas.* Senex rusticus, inquit Turn. l. 7: 12. qui pulchrius nihil frugibus censeret, *lolligunculas hordeias*, pro pulchris, ineptè dixit & putidè. quo in vocabulo mox a servulo reprehenditur: *Imò*, inquit, *triticeias.* Accedit, quod ipsa verborum forma idiotismum rusticum sapit. *triticeas* enim formandum erat, *non triticeias*; & *hordearias* non *hordeias.* Lambinus ut *lolligunculas*, ita & *hordeias* pi- B scis nomen esse putat. ut tamen jocus fit ex ambiguo, qui possit ita accipi, ut sit adjectivum vocis *lolligunculas*, quod intelligitur ex responso Chalini, qui id ἐν ἤθει accepit, *ab hordeo &c.* Etiam Cam. & Frut. *lolligunculas hordeias*, sine distinct. legunt. Ita rupices alicubi novi, cùm saporem esculenti suavissimum exaggerare volunt, dicunt: Es schmeckt wie Sammet. quod holosericum in re vestiariâ pretiosissimum censeatur.

59. SOLEAS] Jocus ex ambiguo. nam *Solea* & pisci nomen est & calceamenti. Vide Frut. Verisim. lib. 1: 11. sed magis Lud. Nonnii Ichtyophagiam cap. 25.

59. QVI QVÆSO P.] V. N. Mercat. 2: 4.

59. SCVLPONEAS] *Sculponeæ, rudia & rustica calceorum servilium genera*: quorum Cato meminit. At *sculponeas*, inquit Fulgentius, *dici volunt cæstûs plumbo ligatos.* Atq; utrumque, ait Douza, rectè. Est enim ἀμφιβολογία in voce *Sculponeas*, duas pariter res denotante, & *calceamenta* & *cæstûs.* Quod quidem si attendisset Lambinus, nunquam Fulgentium erroris hic insimulasset. Porrò *calceos cædi*, non solùm turpe, sed & molestum erat: quod ii & spurci, & clavis ferreis confixi essent. Vide Brod. Misc. l. 8. c. 16.

60. BATVATVR] Lex. Latinogr. *Batuit*, i. καταλόπτει, *concidit, contundit.* Vide Comment. P. Manutii ad Epist. 22. Cic. Fam. lib. 9. & P. Victorium Var. lib. 11. cap. 8. Suetonius in Calig. absolutè usurpat: *Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem, &c.* Nævius: *Sculponeis* (i. cæstibus) *batuenda sunt huic latera probè.* In MSS. Cam. *babtuatur*, Lang. *baptuatur.*

61. LINGVLACAS?] Iterum jocus ex ambiguo. Festus: *Lingulaca, genus piscis: vel mulier argutatrix.* Nonius: *Lingulaca, loquuleja; à procacitate linguæ.* Turneb. l. 16: 3. scribi debere existimat, si analogiam sequamur, *lingulatas*, per t. Cui propemodum adsentitur, ut & in *Pastinata*, Lambinus. Fruter. *Lingulacas* apud Plinium arbitratur esse pisces, quos linguâ Belgicâ *Tongæ* appellant, à *linguæ* scilicet formâ: vel potiùs, à *Lingulâ gladioli genere.* Vide Verisim. lib. 1: 11. Rittersh. notat, ab Oppiano dici βουγλώσσους, & ab Ovidio in fragm. Halieut. describi:

Fulgentes solea candore, & concolor illis
Passer, & Adriaco mirandus littore rhombus.

64. CON-

64. CONSUL. Q. E. OPORT.] ita Pal. sextus à manu prima, nam cæteri vocem ultimam non habent. ne V.C. quidem, nisi à scribæ recentioris adjectione. is addit *poterò*. unde Gruterus suspicabatur: *Consulere quidem eam æquum est. ST. æquum erat: abi.* Sententiam ita effert Ter. And. 1:3. *Hæc res natâ melius fieri haud potuit, quàm factum est, hera.* Benè itaque & Symmachus Epist. 1:19. *Hæc tibi consilij mei forma est: facies ipse quod prudentiâ majore delegeris. Plura enim videt, qui coram de rerum conditionibus judicat.* Hæc ille.

64. ORAS] i. dicis: *L.*

67. VOLO] Ipsa sententia flagitat, ut legatur, *Volo*, Dmisa. & invaserat illud Pareus editione pr. sed ejecit altera, uti decet hominem multus judicii. Pall. omnes & libb. dd. rett. habent, *malo*.

68. TRIBUS NON C. JV. N. Asin. act. 5:2. ad illud: *Non edepol condones possum vitâ uxoris annuâ.* Tale ferè est Horat. 1. Epist. 17. *ut non Acriter elatrem, pretium ætas altera sordet.*

71. IN NOXA] ita omnes MSS. *noxâ*.

73. NOSTRA OM. L.] i. vicimus. *G. Long. & Lamb.*

73. PULCRE PRÆVERTAR VIROS] Ita Carpentarius & Aldus, cæterique usque ad Pareum editores. is edidit, *publicâ re prævortar viros*: cùm tamen notæ ejus caneant, v.c. & omnes Pall. haberé, *repræverterr*. quid inde hauriet Lector? sivè hoc, sive illo modo legamus, respuit id versus. relinquamus ergo agyrtæ suas imposturas.

74. NOSTRO OM.] i. auspicatò feliciterque. Omen est nostrum & auspicium, non adversariorum; ut & apud Virgil. 4. Æn.

Me si fata meis paterentur ducere vitam

Auspiciis, & sponte meâ componere curas.

Turn. lib. 7:11.

74. VICTI VICIMUS.] Seneca in Agamem. ——*Sic victi vicimus Phryges. Benè est: resurgis Troja: traxisti jacens Pares Mycenas. terga dat victor tuus.* Sic Hom. Ἠδὲ ὀνειδίζων ... κατέχει.

75. UT ID QUOD] Allegoria. ubi quis rem omnem novat & perturbat, *Erasmus*.

77. QUIDQUID PARATI SUMUS] Sic edici omnes usque ad consiliatum Pares ultimum. is enim nobis oggessit è MSS. *Quo id quadpar*. At quid tunc hic facit, sequens *ut*? opilionibus suis istæc probet. nobis alia est auris.

ACTUS III. SCENA I.

STALINO, ALCESIMUS, senes.

NVNC amici, ánne inimici sis imago, Alcesime,
Mihi sciam: nunc specimen specitur, nunc certamen cernitur.
Cur amem! exime castigare: id ponito ad compendium.
Cano capite! ætate alienâ! coaddito ad compendium.
Cui sit uxor! id quoque illuc ponito ad compendium.
AL. Miseriorem ego ex amore quàm te, vidi neminem.
ST. Fac vacent ædes. AL. quin edepol servos, ancillas domo
Certum est omnis mittere ad te. ST. eho! nimium scitè scitus es.
Sed facito dum memineris versus quos cantat Colax: Cibo
Cum suo quiqui facito uti veniant; quasi eant Sutrium.
AL. Meminero. ST. hem! nunc enim te demum nullum scitum scitius st.
Cura, ego ad forum modo ibo, jam hic ero. AL. bene ambula.
ST. Fac habeant linguam tuæ ædes. AL. quid ita? ST. quum veniam, vocent.
AL. Attate, cædundus tu homo es: nimias delicias facis.
ST. Quid me amare refert, nisi sim doctus dicax nimis?
Sed tu cave inquisitioni mihi sis. AL. usque adero domi.

MInis, sciam:] Ita Gruterus: nihil impediente lege Pediâ: modò elisio omnis cessset. Atque ita planissimè etiam Acidalius: qui & pr. versu l. *Nunc amicine, am.* quod lupino more voraciter arripuerat prior Parei editio. at secunda, monstrosum versum oggessit dum, adhuc duas voces sequentis lineæ, eidem pueriliter applicat; præsentaneo item alterius versus lumbifragio.

1. Nunc specimen] δεῖγμα ἐπίκειται. nunc spectaberis, quali sis in me animo. Turnebus lib.16:3. *specimen* idem putat valere hic, quod *certamen* aut *spectamen*: quod tamen Lambino minùs placet. Bacch. act. 3:2.

2. Certamen cern.] Idem dicit. V. N. Argum. Amph.

3. Cur amicum! exime] ita Joseph. Scaliger adpinxerat Plauto suo: & vero est simile, si non verum. Legendum putabat Gul. *Curam eximere, castigare, id p.* Quod, *inquit*, curam hanc & amorem verbis eximere mihi; quod me castigare fortassis cogitas; supersede operâ tuâ: etiam illa quæ dici solent senibus lascivis, *cano capite! ætate aliena! cui uxor sit!* omitte. nam frustrà omnia dicentur. Versu altero legendum e MSS. Lang. *mi addito*, pro, *uno addito*: non, *eo addito*, quod erat in prioribus editionibus & v. c. item Pal. sexto. falsò enim Pareus asseruit desiderari hūc versum in omnibus Pall. Altero verbo & Cat. c. 40. usus est. Ita *concedo* noster Curcul. MS. Cam. |. *Curam exime, castigare.* Pall. ferè, *curam eme, curam exime, castigare.* nam sec. *curandi ôe curam exime, cast.* sext. *curam erue, curam eximè, cast*: quod etiam in Edd. primis. nam Lambinus finxit, *curam mi eximè, cast.* cupit & hic Pareus natare inter poma: sed colore atque odore prodit ipsum se, anteà omnia corrumpit versum.

9. Sed facitodum, M.] Sed facito, interim memineris versûs, quos Colax Nævianus cantat. Cantabat autem hoc *Colax* ille Nævii, (scripsit enim Nævius fabulam hoc nomine) *Ut quisque cum suo cibo* &c. Atque hanc lectionem & interpretationem maximè probat Lambinus: & inter alias quas proponit scripturas, etiam istam: *Sed facito, dum meriti, aper versûs quos cantat, colas. cum cibo cum quiqui f.* quomodo plane est in MSS. Cam. & Lang. Aper autem cantat γρῦ; γρῦ. Monet igitur Alcesimum, ut ne γρῦ quidem faciat, i. taceat. Probat & hanc S. Bosii: *Sed facito dum in eo, aper vel sus quod cantat, colas.* Quòd verò, inquit Douza, *Colax Nævianus* citatur à Plauto, mirum nemini videri debet, qui quidem sciat, Nævium Plauti ætate aliquantò superiorem fuisse: aut certe versûs illos commeminerit è Milite, act. 2: 2. *Nam os columnatum* &c. Festus: *Sutrium quasi eant, utique in Proverbium abiit hac de causa: Gallico tumultu à Camillo quondam edictum est, legiones Sutrii ut præsto essent cum cibo suo. Quod usurpari ceptum est in iis, qui suis rebus opibusque confici, repræsentarent quibus deberent. Plautus:*

Sed facitodum, merula para versus quos cantas colas:
Cum cibo cum quiqui facito veniant, quasi eant Sutrium.

Ita Festus, ex emendatione Scaligeri: qui hæc præterea adjiciens, Quamvis, *inquit*, non nego interpretationem proverbii, quam proponit Festus, nō esse alienam ab ipso proverbio, tamen longè abest à Plautino sensu, immò ut melius dicam, adversatur. Locum Plauti, qui omnes interpretes cruciat, in ipsis ad Plautum Notis exponemus. *Hæc ille*; & quidem annis ab hinc aliquot triginta. ἴδεγχ δὲ φίλ' ἄνδρ' Casaubonus ad Theoph. Charact. Vulgatum tenet; *Sed facitodum meminer is versus, quos cantat colax: cibo cum suo quiqui f.* & putat tangi morem, quo parci homines, cum nuptias celebrarent, ministerio ἀσκοφόρων, i. *qui suo ministrarent*; utebantur. Ita Crates γάμους ἀσυνδείπνους memorat & Menand. ἀσυμβόλους sponsum appellat, qui parvâ aut nullâ dote contentus: Plutarch. milites ἀσυντάκτους, qui sine stipendiis alicui militarent. Martinus Klock JC. vexatissimos hos versus ita leg.

Sed facitodum, merula puero versus quos cantat, colam:
Cum cibatu quiqui facito veniant, quasi eant Sutrium

Vel: *versum quem* &c. hoc sensu: Interim tamen memineris (est enim *Colere*, absolute, memoriam colere, meminisse) versiculi ejus, quem ubivis dominum vocalis merula puero suo, tardius obsipanti esculam, occinit: *Cum cibo facito venias, quasi eas Sutrium.* Et hunc versum pueri, sine dubio, docebant cantare aviculas olim. Merulos autem in puerorum deliciis fuisse, vel ex Plinio notum est, l. 4. ep. 2.

5. Quæ vocales & cantatrices omnium quæ docentur; nos scimus & quotidie audimus. Acidalius & numeros & verba ex Festi fragm. sic concinnat:

Sed facito dum, memineris sat, versu quod cantat Colax:

Cum cibo suo quique facito uti veniant, quasi eant Sutrium.

Denique Gruterus ex omnibus libris, quorum singuli fere singularem præferunt lectionem, hanc selegit, Scaligeri conjecturam secutus, proxime accedentem ad MSS. Pall.

Sed facito dum, merula per versus quos cantat, colas:

Cum cibo cum quiqui &c.

Ut duo videatur præcipere: & ut saturi veniant, & ut nihilominus in futurum etiam sibi de cibo prospiciant. Turnebi sententiam vide lib. 8. c. 11. Advers. Alciati. Parerg. lib. 4. c. 16. Erasmi, in Adagiis ipsius. Quid post illa Pareus? tanquam ingenii sui industriæ debita, primum versum sumpsit à Klockio, alterum à Scaligero: & veluti si divinatione sua, nullis visis pedum aliorum vestigiis, pervenisset ad fundum Veritatis quasi ansatus concludit: Ingeniosa igitur aliorum commenta deinceps nihil morabimur, cum vestigia MSS. tantum sequi liceat. Io triumphe! Sus, in hara sua idem jus usurpat. inter doctos si taceres, rem haberes factam.

11. NUNC ENIM TE D.] ita J. Douza, lubente Grutero. Ut sit jocus in allusione nominis, *scitum*; ex altero ejusdem loco interpretandus, Pseud. act. 2:4. ubi scite *Plebiscitum* appellat, quod hic *Scitum*. MSS. *nunc enim tu demum nullo scito scitus es.*

13. VOCENT] me ultro invitent: ne habeam necesse pulsare: *L.*

14. ATTATAE] Increpantis vox: *Cam.*

14. CAEDUNDUS] *Cædere & Concidere*, inter verba sunt nequitiæ. De quibus Lipsius Epist. Quæst. lib. 5. ep. 14. & Douza ad Petron. Quæ quidem ibi quam hic malui notata & nota esse.

14. DELICIAS F.] V. N. Mostell. 4:2.

15. DOCTUS ET D.] J. Palm. l. *nisi sim doctus, dicax nimium.* mimorum enim in eo genere propria dicacitas. Cic. de Orat. lib. 2. *Vitandum est Oratori utrumque, ne aut scurrilis jocus sit, aut mimicus.* Quod autem ait, *nisi sim doctus*, eodem facit: histrionum enim & ludionum id quoque, *doctos esse*. V. N. Pœn. act. 3:1. Nisi fortè, inquit idem, rectius legitur, ——*doctus dicax nimium?* J. Guliel. *Dicax nimis*, atqui dixerat Alcesimus, *nimias delicias facis*, & Comicis *nimis* idem est, quod *valde*. Unde illa omnibus pag. obvia; *nimis lepida mulier: nimis docte lusit.* Amici mei acumen hic non placet. Grut. malit, *simulus*. MSS. Cam. & Lang. *dicax, sibus?* Pall. *sibis, imo, nimis.*

16. INQUISITIONI] ita MS. Cam. Lamb. l. *cave tu, in quæstione mihi sis.* sed præter libros Pseud. 2:2. Cist. 2:3.

ACTUS III. SCENA II.

CLEOSTRATA, ALCESIMUS.

Ut properarem arcessere hanc ad me vicinam meam, hoc erat
Ecastor id, quod me vir tanto opere orabat meus:
Liberæ ædes ut sibi essent, Casinam quò deduceret.
Nunc adeò nequaquam arcessam, ne quâ ignavissumis
Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus.
Sed eccum egreditur senati columen, præsidium popli,
Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.
Non ecastor vilis emtu'st modius, qui venit, salis.
AL. Miror huc jam non arcessi in proximum uxorem meam,

Quæ

Quæ jamdudum, si arcessatur, ornata exspectat domi.
Sed eccam, opinor, arcessit. salve Cleostrata! CL. & tu Alcesime.
Ubi tua uxor? AL. intus illa te, si se arcessas, manet:
Nam tuus vir me oravit, ut eam istuc ad te adjutum mitterem.
Vin' vocem? CL. sine: nolo, si occupata est. AL. otium est.
CL. Nihil moror, molesta ei esse nolo: pòst convenero.
AL. Non ornatis istic apud vos nuptias? CL. orno & paro.
AL. Non ergo opu'st adjutrice? CL. satis domi est. ubi nuptiæ
Fuerint, tum istam convenibo. nunc vale! atque istam jube.
AL. Quid ego nunc faciam? flagitium maximum feci miser,
Propter operam illius hirqui improbi, edentuli,
Qui hoc mihi contraxit. operam uxoris polliceor foras,
Quasi catillo. tum flagitium hominis! qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arcessituram esse: ea se eam negat morarier.
Atque edepol mirum, ni subolet jam hoc huic vicinæ meæ.
Verùm autem altrovorsum cùm eam mecum rationem puto,
Si quid ejus esset, esset *mecum postulatio.*
Ibo intrò, ut subducam navim rursum in pulvinarium.
CL. Jam hic est lepidè ludificatus. miseri ut festinant senes!
Nunc ego illum nihili decrepitum, meum virum veniat velim,
Ut eum ludificem vicissim, postquam hunc delusi alterum.
Nam ego aliquid contrubere cupio litigij inter eos duos.
Sed eccum incedit! at, quum aspicias tristem, frugi censeas.

ECASTOR ID Q.] Ita MS. Cam. & vett. Edd. Frustra igitur Acid.

——*hoc erat, hoc Ecast.*

5. VET. VERVECIB.] Sic Mercat. in senem exoletum: *Itáne verò verbex intrò eas?* Et Persâ, 2:2. &c. Similiter Arnobius lib. 5. *Quam cum verbeceus Jupiter benè validam, floridam & succi esse conspiceret plenioris.*

6. SENATI COL.] V. N. Epid. 3:2.

8. VILIS EMPTU'ST M.] pro, *emptus est*: versus caussa. Turn. l. *vili*: ut significet, carum esse salem: & vicinum proinde sibi non emisse, insulsumque ac fatuum esse: lib. 8: 11. Lamb. l. *Non e. vilis emptu'st modius, q.* Et, allegoria est, *inquit*, per quam significat ὑπονικῶς, senes esse insulsos & insipientes. *Non ecastor salis modius vilis emptus est*, i. carus est. Quid ita? quia magna ejus raritas: cum sit omnis penes duos hosce senes. Quæ autem rara, etiam cara. Vel legatur cum interrogatione, hoc sensu: Nonne sal vili emitur, cùm sit tanta ejus penuria; & cùm hi duo senes soli in civitate salem, i. prudentiam habeant? q. d.

A Cùm sit tanta salis in urbe egestas, nonne debet esse carissimus? Locus obscurus, quem lector eruditus fortasse melius declarabit. Hactenus Lambinus. Verùm Douzæ

Nulla in tam salso scommate mica salis

videtur: sed leviter ita interpolat:

Non ecastor vilis emtu'st modio, qui venit, salis.

Ut significet Cleostrata, Alcesimum, qui viro suo locum ad nequitias præbeat, *non vilem*, id est, carum esse etiam modio salis: quum sal tamen vilissimo pretio ferè perhiberi soleat. Gruterus tentabat,

Non ecastor vili est emptus, modio si venit salis.

At Des. Heraldus l.

Non ecastor vili emptus est, modiis qui venit salis.

Venit, i. *venditur*. sic *mancipium* ἁλὸς ἀγοραστὸν designatur. nam Thraces mancipia sale sibi parabant. unde ἁλώνητα dicebantur ἀνδράποδα τὰ ὤνια, inquit Eustath. Il. x. quem vide, ut & Suidam. Meursius, Cleostrata, inquit, loquitur

equitur iracunda, & planè *rigorosum*: itaque vituperium est Alcesimi, non laus. Mihi videtur legendum: *Non ecastor vilis est emptus, modius qui venit salis.* Exprobrat ei olim servum fuisse & salis modio venum ivisse. Nam servi sale olim empti. Pollux lib. 7. cap. 2. Hesychius, Suidas Etymologicographus, Auctor Proverbiorum, & alii Grammatici testes. Dixit verò, *qui modium venit salis*, pro, *cui modius salis impensus est.* Simili figurâ Virgilius, *dare classibus Austros.* Porro, *qui*, ἀρχαϊσμός est, pro, *cui.* Nam casci illi à recto *Quis* deflectebant, *Quis, Qui, Quem*, &c. Hæc ille. Acidalius in solâ ait distinctione mendum esse, quæ esse debeat ista:

Non ecastor vilis emtu' st, modius qui venit salis.

hoc sensu: Non vilis, i. carus est senex eo pretio, quo modius salis venditur, qui est vilissimus. quasi is vilissimæ rei pretium non æquet. *Hier. Mercurialis* putabat, nihil significari aliud, quàm insulsum senem esse. requiri ad eum saliendum tantum salis, ut excandefacere annonam salariam possit. Itaque, respectu ipsius insulsitatis, non vilem fore modium salis: qui tamen alioqui sit vilissimus: quippe, ad senem adeò insulsum persaliendum, nimium salis requiri. Denique Pistoris existimat sensum planissimum esse hâc formâ: ut sit ironia, non in vituperium, sed laudem sonans: quemadmodum paullo antè appellavit *Senati columen: præsidium populi.* Et hoc velit: Certè modius ejus salis, qui in illo est, seu qui venditatur ab isto, non est vilis emptu, sed carus & pretiosus. Illud, *qui venit*, δεικτικῶς accipiendum: quasi in re præsenti sit: ut ostendat, venditari ab illo salem illum suum. Nos diceremus: Es ist tewre Wahre. Das Saltz / das er feil hat / muß sehr tewer sein: weil er meinet / es sey besser als ein anders. Man kans nicht leicht kriegen. Ironia in eum qui plus justo sibi tribuit.

9. MINOR HINC IAM] ita D. F. *hinc j.* ex sententiâ.

14. VIN' VOCEM] Si esset integrum, *Vin' me vocem*, non inesse jambi viderentur in versu trochaico. Tales enim sunt versûs hujus Scenæ, Archilochii quidem similes versibus superioris Scenæ. *Cam.*

14. SI OCCUPATA EST.] Interserunt alii eam, alii *illam*, præter libros. forte repetendum: *sine! nolo, nolo si occupata est.*

17. SATIS D.] sc. adjutricum.

18. JUBE] sc. valere meis verbis.

20. HIN QUI IM. ED.] ita MSS. & edit. v.

21. POLLICEOR FORAS] V. N. Sticho 4: 1.

22. QUASI CATILLÆ. TUM. FL.] Vulg. edit. *Quasi catillatum*, quomodo & V. C. Ad quod Douza: id est, quasi ad catillandum, seu ligurriendi gratiâ operam suam potissimum elocantis, &c. Fulgentius: *Catillare, est per alienas domos ligurrire*: (non *gyrare*, ut vult Lamb.) *tractum a catulis, quod per omnes domus circumeant.* Ego tamen, *Catillare* istud, ex idiotismo nostro propriè, Platelen liken/ interpretari malim; non quidem à *catulis*, sed à *catillo* potiùs (à *catino* scilicet diminutivo) verbi formatione quæsitâ. Quòd si cui in Plauto divisim, *Catilla. tum*, &c. emendari placeat; non magnopere reluctabor. tantum non cum Lambino sentiat, qui *catillæ* quasi *virgæ* interpretatur. cùm Alcesimus aliud nihil, quàm *ligurritricem* velit innuere: *Douza.* Vide & Taub. lib. 8: 11. & lib. 16: 3. At enim illud *Gruterus* non improbat, quod est in Pall. MSS. omnibus, *Quasi catillæ. tum flag.* ac velit tunc etiam obtinuisse quod hodie, quo catelli minusculi commodantur in diem unum alterumque amicis, ut suo semine impartiant caniculas, quibus cupiant provenire catulos insigniores. Dixerit autem *catillæ*, non *catilli*, quod sequiore illo genere frequentiùs uterentur homines, cùm loquerentur de animalium quocunque genere. Verùm cùm & Edd. vett. servent *catillatum*, ei voci acquiescendum videtur: tanto magis quod alteram scripturam Pareus utraque ostentet editione; probare suetus perpetuò quod est deterius. Idem Pareus, dum Taubmannianæ scripturæ erroneæ insistit; docuit nos in Electis suis, morem fuisse ut catelli majusculi commodarentur amicis, quibus caniculæ adrant, &c. imò quid magis caretur uspiam, quàm hoc ipsum? minimissimi eliguntur ad eam rem, non majusculi. hæc eum ignorare qui semper in pagis, & circum pagos, ubi quotidie tales nuptiæ, monstrum est.

22 QUI DIXIT MIHI] Acidal. *suam* huic versui appendit.

27. PULVINARIUM] Sensus: Ibo intrò, & uxorem meam quæ instar navis parata atque ornata (ut paullò antè dixerat) exspectat, donec deducatur ad vicinam, iterum subducam *in pulvinarium*, id est, ut domi in pulvinari quiescat, cùm foris non vocetur. Eleganter etiam de uxore, ut de *navi* loquitur: tum, quòd aliàs hoc verbum de mulieribus non inusitatum (sic alibi *celocem* eàdem ferè formà vocat:) tum, quòd navis instar instructa & parata domi stabat. Itaque jocetur senex super navi suà, quæ pulvinaribus potiùs quàm trabibus fulcienda erat. *Hæc Pistoris*.

A cui accedit Longolius: item Acidalius, qui insuper profitetur, multa se legisse Lambini ineptissima, in omnibus tamen vix ineptiora, quàm quæ hic dixerit. Et certè etiam edd. omnes vett. hunc versum adhuc dant Alcesimo, non CLEOSTR. Pareus elicit in Electis suis ex isto loco talem sententiam: Mulieres impudicæ comparantur navi; quod domi, instar navis instructæ ac paratæ stabant, exspectantes donec vocarentur. homo iste semper somniat pessima de quacumque. neque enim hic sermo est de fœmina impudica, aut quam pro tali habebat suus maritus. aliàs nunquam ita absconditisset amorem suum erga Casinam.

ACTUS III. SCENA III.

STALINO senex, CLEOSTRATA.

STULTITIA magna est, meâ quidem sententiâ,
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, cui quod amet in mundo siet.
Sicut ego feci stultus. contrivi diem,
Dum asto advocatus cuidam cognato meo:
Quem hercle ego litem adeò perdidisse gaudeo,
Ne me nequiquam sibi hodie advocaverit.
Rogitare oportet priùs & percontarier,
Assitne animus ei, necne assit, quem advocet.
Si neget adesse, exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante ædis eccam. hei misero mihi!
Metuo, ne non sit surda, atque hæc audiverit.
CL. Audivi ecastor cum malo magno tuo.
ST. Accedam propiùs. quid agis, mea festivitas!
CL. Te ecastor præstolabar. ST. jámne ornata res est?
Jámne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quæ te adjutaret? CL. arcessivi ut jusseras.
Verùm hic sodalis tuus, amicus optimus,
Nescio quid se sufflavit uxori suæ.
Negavit posse, quando arcesso, mittere.
ST. Vitium tibi istuc maximum est: blanda es parum.
,, *CL. NON MATRONARUM officium est, sed meretricium,*
,, *Viris alienis, mi vir, subblandirier.*
Itu, atque arcesse illam: ego intus, quod facto est opus,

Volo

Volo accurrere, mi vir. ST. propera ergo. CL. licet.
Jam pol ego huic aliquem in pectus injiciam metum.
Miserrimum hodie ego hunc habebo amasium.

AM. VLLVM AD FORVM] Cui mica adhuc est cerebri, facilè videt quid hic queratur senex. At ecce Pareus in Electis dt. Amorum hinc istud suum elicit: Amatores ad forum procedebant, prædam suæ libidini indagantes. Imaginatur videlicet, forum fuisse locum ubi inter se prælium committerent amicæ cum amatoribus, & victam sequi coactam victorem. quæ puerilitas! Ne lenones quidem ibidem impunè conspiciebantur, nedum ut scorta ibidem prostiterint. Videatur Curcul. 4. 2. v. 16.

3. CVI QVOD AM.] ita omnes mex, sola Basil. *quoi*, quod idem: ut & MS. Pall. J. Gul. è Lang. l. *qui quod amet.* auferendi casu *qui.* Stultus, inquit, amator est, qui eo die, quo ad manum illi amica est, in forum procedit. Meursl. *quo quod am.*

3. IN MVNDO] V. N. Epid. 5. 1.

5. ASTO ADVOCATVS] Nam advocatum, dum caussam agit, stantem esse debere, docet J. Langlæus lib. 1. cap. 3. *Ocii Semestr.* Ita Menæch. act. 5. 2. *Hinc stas, illinc caussam dicis.* Horat. 1. Serm. 9.

——interream, si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura.

10. EXANIMATVM] utpote, qui corpore quidem adsit, animo verò absit. *L.*

12. NE NON SIT SVRDA] J. Gul. Terentii illud Heaut.

Ne ille haud scit quam mihi nunc surdo narret fabulam,

contra Erasmum explicans, annotat: Qui alterum loquentem parùm attenderet; sive vecordiâ animi, sive quòd alibi esset; *surdè audire* vulgò dicebatur. Id didici ex Afranio: *Amantes surdè audiunt.* Idem indicat manifestiùs Propertius:

Ah pudeat, certè pudeat. nisi fortè, quod ajunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.

Et Plautus Cas. *Metuo, ne non sit surda &c.* Amant differri se sermonibus hominum non audire, vecordiâ animi: at hic Plautinus optat uxorem alibi cogitationibus fuisse, ne audiret verba sua. Ut igitur, qui hoc modo verba exciperet, *surdè audire*: ita qui illiusmodi homini loqueretur, *surdo narrare* dicebatur. Livius 7. Histor. *Haud surdis auribus dicta: impressione unà totum equitatum fudère.*

18. AMICVS OPT.] Ironia. *L.*

19. SVFFLAVIT] Vide suprà, 2. 5. *Nunc in fermento tota est: ita turget mihi.* Hoc autem fingit callida mulier; ut lites contrahat inter verveces vetulos, & coemptionales ac Comicos senes.

20. QVANDO ARCESS.] Sic Edd. vett. & Pall. duo; ceteri, ut & MS. Cam. *quoniam.* Lang. *quom arc.* hinc ego fecerim, *quom jam arc.*

21. OFFICIVM] κακόζηλον. *Officium meretricis*, item *lenonis*, dicit Plautus, ut Cornif. ad Heren. *officium calumniatoris.* nescias tamen an hic propriè habeat locum. nam V. C. præfert, *matr. parum est officium*, neque aliter Pall. tert. quart. sext. nam pr. ac sec. habent illud *parum est*, sed non *officium.* unde non temerè suspicer vocem eam a glossa, & prius fuisse; *matronarum verum est*, *scil. mer.* hoc est, decorum, honestum. Horat. *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.* quærendum igitur num & quis eam vocem usurparit substantivè.

22. MERETRICIVM] Ita l. Cam. & Lipsius, eâdem terminatione, quâ *civitatium*, *hominium* dicebant.

31. AMASIVM] non dicit *amatorem*, sed *amasium*; quasi formosum puerum &c. *L.* Porro notatu dignum; V. C. & Pall. omnes præferre *habeo*, neque aliter Edd. ante Camer. qui præterea transponunt, *hodie hunc ego habeo am.* solùm V. C. destituitur pronomine. *habebo* conjectaneum est Pii; & verò præsens etiam pro futuro usurpat Cistell. 2. 3. versu ultimo: *Ibo domum, Atque ad parentes suos reduco Silenium.*

ACTUS III. SCENA IV.

ALCESIMUS senex, STALINO.

VISO huc, amator si à foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatus est larüa.
Sed eccum ante ædis. ad te hercle ibam commodùm.
ST. Atque ego hercle ad te. quid ais vir minimi preci?
Quid tibi mandavi? quid tecum oravi? AL. quid est?
ST. Ut bene vacivas ædis fecisti mihi!
Ut traduxisti huc ad nos uxorem tuam!
Satin propter te pereo ego, atque occasio?
AL. Quin tu suspendis te? nempe tute dixeras,
Tuam arcessiturum esse uxorem meam.
ST. Ergo arcessivisse ait sese; & dixisse te,
Eam non missurum. AL. quin ea ipsa ultrò mihi
Negavit ejus operam se moratier.
ST. Quin ea ipsa me allegavit, qui istam arcesserem.
AL. Quin nihili facio. ST. quin me perdis. AL. quin bene est.
Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi,
Quin aliquid ægrè facere, quin faciam libens.
Nunquam tibi hodie. Quin erit plus quàm mihi.
Quin hercle di te perdant postremò quidem.
ST. Quid nunc? missurus ne es ad me uxorem tuam?
AL. Ducas, easque in maximam malam crucem,
Cum hâc, cum istâc, cumque amicâ etiam tuâ.
Abi, & aliud cura. ego jam per hortum jussero
Meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam.
ST. Nunc tu mihi amicus es in germanum modum.
Quà ego hunc amorem mihi esse avi dicam datum?
Aut quod ego unquam erga Venerem iniquè fecerim,
Cui sic tot amanti mihi obviam eveniant moræ?
Attat! quid illud clamoris obsecro in nostrâ domo est?

LUDIFICATUS EST LARVA] Appositione hæc constructa sunt: ut, *ille scelus. larva*, pro larvato & insano. *Cam.* nihil tamen vetat, quin larüa sit ultimi casus. ludi enim ferè nulli sine personis. Noteetur autem jam tertio *Larüam* Auctori nostro trium fuisse syllabarum.

3. IB. COMMODUM.] ita vett. editt. at Basil. novitia, personas ita collocat: *ad te hercle ibam ST. commodùm. Atque eg.* quam & secutus est Pareus, contra scriptos omnes.

10. ARCESSITURAM] MS. Cam. *arcersiturā*: ut & v. 11. *arcersivisse*, & v. 14. *arcerserem*. MS. Pall. *accersituram* & *accersivisse*. Editt. omnes *arcessituram*, & *arcessivisse*: Grut. Dicunt; *Accersere* est vocare: *Arcessere*, accusare. Nugæ.

Nugæ. *Arcessere*, duplicem habet significationem: tque ab *arcio*, quod veteres pro *accio* vel *adcio* dixerunt: quibus *Ar* pro *Ad* in usu. Sallustius Catil. *Præterea Gabinium arcessit*, i. vocare. Id. in Jugurth. *Quos pecuniæ captæ arcessebant*, i. accusabant.

11. ERGO ARCESSIVIS.] *Scalig.* ad illud De obitu Mæcenatis,

Redditur arboribus florens revirentibus ætas.
Ergò non homini, quod fuit antè, redit?

notat: τὸ *Ergò* habet hic eum locum, quem apud Propertium lib. 4. el. 7.

Ergò Musarum, & Sileni patris imago, &c.

Plautus Cas. *Ergò arcessivisse ait: sed dixisse te Eam non in.* Bacchid. *Non hic placet ornatus. Pi. nemo ergò tibi Hæc apparavit.* videatur & Passerat.

15. QUIN BENE EST] Graphicè exprimitur iratorum ferràmque inter se invicem ducentium affectus. æmulantur sermones mutuos quasi per deridiculum, unam eandemque voculam, *Quin*, plus minus duodecies per imperfectas seu dimidiatas dictorum velitationes, cum stomacho & contumeliâ alterius, crebro iterantes: in quibus nec pes nec caput apparere videtur, &c. Nam cùm alter *Larva amator ille* improbus dixisset prior: *Quin me perdis*: respondet Alcesimus: *Quin bene est; Quin etiam d. &c.* Quæ sic explicanda: *Quin bene est*, i. gratulor & volupe est mihi: subaudi, te meâ operâ (ut prædicas) disperire. *Quin etiam diu morabor*, i. pertendam quamvis diu in hac malè tibi cum dicendi tum faciendi sententiâ: vel potiùs, (id quod Lambino placet) in dicti hujus quasi concepti formulâ perseverabo: nempe ut malum exoptem tibi. *Quin cupio tibi*, eadem nimirum quæ prius, id est, mala omnia, ut pereas scilicet. nisi quis ad sequentia potius pertinere censeat: ut dicat Alcesimus: Quin cupio tibi ægrè facere, orationis suæ seriem interposito *quin* identidem repetito, confragosam faciens de industriâ. Atque ita partim ego, partim Lamb. rectè atque ordine. Illud (*nunquam tibi h. quin erit plus*) excipio, præposterè ab eodem intellectum. Ego puto rem omnem ad eamipse particulam illam *Quin* toties ingestam referri debere: ut significet senex: Nunquam erit tibi hodiè major hujus verbi (*Quin*) dicendi largitas, quàm mihi: id est, nunquam me istius particulæ iterationibus vinces; ne frustra sies, &c. Douza.

19. DI TE PERDANT POSTREMO QUIDEM] Gutherius arbitratur Plautum respicere ad precationum morem. nam cùm in omnibus rebus vim habere maximam putarent prima & postrema; ut principem in sacrificando Janum esse voluerunt, ita omnis precatio in Vesta desinebat. quod Plautus opportunè servavit Milite 4. 5. v. 10. ubi servus militi libertatem promittenti respondet, *Deos sperabo, teque postremo.* Quod idem in imprecatione notavit. quippe cùm jurgii quid esset inter senes duos, unus in hæc verba desiit: *Quin hercle Di te perd.* lib. 4. cap. 14. de jure vet. Pontificio.

21. CUM. HAC] meâ & tuâ uxore: sic est in Cam. & Pall. *Cum hâc, cum istâc*, sine copula, quæ recentis est additamenti. nec opus erat. nam aspiratio elisionem sæpe prohibet.

23. ALIUD CURA] Jam mitior, his verbis jubet eum securum esse: se negotium hoc curaturum. L.

26. QUA EGO] sc. ratione: L. & D. Rittersh. suspicatur legendum: *Quâ ego h. am. mihi esse autumem datum?* ut τὸ *dicam* sit glossa & interpretatio verbi *autumem*. cùm *autumare* nihil sit aliud veteribus quàm *dicere*. Et in provocabulo, *mihi*, vocalem non elidi, ut metrum constet. Et Scoppius quidem hoc probat: è MSS. tamen, in quibus, ut & in Edd. vett. *aut*, eruit *avi*. ut dictum sit, *Quâ avi*, pro, quo omine, quâ sorte, quo auspicio. quomodo Horat. *malâ ducis avi domum*, i. infeliciter & malo omine. Plaut. Bacchid. *Quò nunc capessis te ted hinc adversâ avi:* ut rectè ibi. Gul. Basil. novitia leg. *forte qua eg.* quod ego quidem glossema censeo. Pal. quart. habet *hac*. non nimis ineptè.

ACTUS III. SCENA V.

PARDALISCA ancillæ, STALINO senex.

NVLLA sum, nulla sum! tota tota occidi! cor metu mortuum est!
Membra misera tremunt! nescio unde auxilij, præsidij,
Perfugij mihi, aut opum copiam comparem aut expetam.
Tanta factis modò miris veris modis intus vidi,
Novam atque integram audaciam. cave tibi Cleostrata, abscede
Ab istâ obsecro, ne quid in te mali faxit irâ percita.
Eripite isti gladium, quæ sui est impos animi.
ST. Nam quid est, quòd hæc huc timida atque exanimata exiluit foras?
Pardalisca. PA. perij! unde meæ usurpant aures sonitum?
ST. Respice modò ad me. PA. here mi! ST. quid tibi est?
Quid timida es? PA. perij.
ST. Quid, perijsti? PA. perij, & tu peristi. ST. aperi, quid tibi? PA. væ tibi!
ST. Imò istuc tibi sit. PA. ne cadam, amabo, tene me. ST. quicquid est,
Eloquere mihi citò. PA. contine pectus, face ventulum amabo
Pallio. ST. timeo hoc negotium, quid est! nisi hæc meraco
Se uspiam percussit flore Libyco. PA. obtine aures, amabo.
ST. I in malam crucem! pectus, auris, caput, teque di perduint:
Nam nisi ex te scio, quicquid hoc sit, citò; jam tibi istuc
Cerebrum dispercutiam, excetra tu: ludibrio pessima adhuc
Quæ me habuisti. PA. here mi. ST. quid vis, mea ancilla? PA. nimium sævis.
ST. Numero dicis. sed hoc quicquid est, loquere: in pauca refer.
Quid intus tumulti fuit? PA. scibis! audi malum pessimum,
Quod hic modò intus apud nos tua ancilla hoc pacto exordiri
Cœpit, quod haud Atticam condecet disciplinam. ST. quid est id?
PA. Timor præpedit dicta linguæ. ST: quid est? possum scire ego istuc
Ex te, quid negotij est? PA. dicam: tua ancilla, quam tuo
Villico vis dare uxorem, ea intus. ST. quid intus? quid est?
PA. Imitatur malarum malam disciplinam, viro suo quæ inter-
Minatur vitam. ST. quid ergo? PA. ah! ST. quid est? PA. interimere ait velle
Vitã. gladiũ. ST. hem! PA. gladiũ. ST. quid eum gladiũ? PA. habet. ST. hei mi-
Cur eum habet? PA. insectatur omnis domi per ædis, nec quenquã (sero mihi!
Propè ad se sinit adire: ita omnis sub arcis, sub lectis
Latentes metu mussitant. ST. occidi atque interij! quid illi
Objectum est mali tam repentè? PA. insanit. ST. scelestissimum
Me esse credo. PA. imò si scias dicta, quæ dixit hodie. ST. istuc
Expeto scire. quid dixit? PA. audi: per omnes deos & deas

Dejura-

Dejuravit, occisurum eum hâc nocte, quicum cubaret.
ST. Me occides? PA. an quippiam ad te attinet? ST. vah! PA. quid cum eâ
Tibi est? ST. peccavi: illuc dicere villicum volebam. PA. sciens (negocij
De viâ in semitam degredere. ST. nunquid mihi minatur?
PA. Tibi infesta soli est plus, quàm cuiquam. ST. quamobrem? PA. quia se des
Uxorem Olympioni! neque se tuam, nec se suam,
Neque viri vitam sinet in crastinum protolli. id huc missa sum
Tibi ut dicerem, ab eâ ut caveas tibi. ST. perij hercle miser!
Neque est, neque fuit me senex quisquam amator adæquè miser.
PA. Ludo ego hunc facetè! nam quæ facta dixi, omnia huic
Falsa dixi: hera, atque hac dolum ex proximo hunc protulerunt:
Ego huc missa sum ludere. ST. heus Pardalisca! PA. quid est? ST. est. PA. quid?
ST. Est, quod volo exquirere à te. PA. moram offers mihi. ST. at tu mihi
Offers mœrorem. sed etiamne habet & nunc Casina
Gladium? PA. habet, sed duos. ST. quid, duos? PA. altero te occisurum ait,
Altero villicum hodie. ST. occisissimus sum omnium qui vivunt.
Loricam induam mihi, optimum esse opinor. quid uxor
Mea? non adijt atque ademit? PA. nemo audet propè accedere.
ST. Exoret. PA. orat. negat ponere alio modò ullo profectò,
Nisi sciat villico non datum iri. ST. atque ingratijs, quia
Non vult, nubet hodie. nam cur non ego id perpetrem quod cœpi,
Ut nubat mihi? illud quidem volebam, non, sed nostro villico.
PA. Sæpiculè peccas. ST. timor præpedit verba. verùm,
Obsecro, dic me uxorem orare, ut exoret illam, gladium
Ut ponat, & redire me intrò ut liceat. PA. nunciabo.
ST. Et tu orato. PA. & ego orabo. ST. at blandè orato, ut soles. sed audin'?
Si effexis hoc, soleas tibi dabo, & anulum in digito
Aureum, & bona plurima. PA. operam dabo. ST. face ut impetres.
PA. Eo nunc jam, nisi quippiam remorare me. ST. abi, & cura.
PA. Redit eccum tandem obsonatu ejus adjutor. pompam ducit.

VERSUS hujus Scenæ habent confusiores numeros, quadratos illos quidem & septenarios, siquidem rectè distincti sunt, de quo sanè non volumus esse obligatam fidem nostram. *Camer.*

V. 1. NULLA SUM, &c.] Tres primi versus sunt Creticí, quibus in re trepidâ, aut alioqui celeritatem aliquam exprimente utimur. *Lamb.*

4. TANTA FACTIS M. MIRA VERIS MO-RIS INT.] Ita MSS. Cam. & omnes Pall. & olim editi. Schopp. leg. *factu*: loquendi modo promto, *mira factu*: vel certè, *facta*: ut Amphit. 5. 1. *Ita tanta mira in ædibus sunt facta.* *Tanta* autem *mira facta*, utrobique dixit, vel pro *tam mira*, vel pro *tot mira facta*. sicut Bacchid. *Sexcenta tanta reddam.* Sic, *quantus* pro *quot*, Latinos dixisse, satis adserit *Stewechius* ad Vegetium. Acidalius; Vett. edd. (quæ illæ? una fortè Basil. anno 1535.) l. *Tanta facta*: benè, si versus admittat: sin negat, *factis*, seorsim accipies, pro, reipsâ. Sic enim interdum Comici. Pœnulo: *Lepidi mores turpem ornatum facilè factis comprobant.* Rud. *Atque ut gratum beneficium factis experiar.* Ter. Hecyrâ: *PAM. factu, ut credam, facis.*

9. INTE-

5. INTEGRAM] novam & à nullo alio susceptam. L.

5. AVDACIAS] Differunt *audacia & audentia*: hæc fortitudinis, illa temeritatis est; teste Nonio. Sic apud Græcos θράσος in vitio est, θάρσος in laude. de quo Rittershus. in Oppian.

8. TIMIDA] i. timens. Donatus illud Ter. Hec. *Nam modò me intrò ut corripui timidus*, explicans, *Timidus*, inquit, pro *timens*, Nomen loco Participii. Idem ad illud Eunuch. *Sed quid hoc est, quod timida subitò egreditur Pythias?* notat, *Timida*, pro *ægra, turbata, commota*, &c. & Servius ad illud Virgil. Ecl. 6. *timidisque supervenit Ægle*, notat: *timidis*, pro, *timentibus. Nam alioquin*, inquit ille, *timidus est qui semper timet; timens verò, qui ad tempus formidat, ex caussâ, &c. L.*

11. QVID TIMIDA ES] *turbata, commota*: Donatus.

14. FACE VENTVLVM] Sic edd. primæ, à quibus nullus unquam Editorum abscessit, nisi Pareus: is reposuit nobis *ventum*, è MSS.

15. NEGOTIVM QVID EST] ita Paris. & Brix. at Cam. *quid est?* Veneta & Bas. *quidem*.

15. MERACLO] Lipsio, Antiq. Lect. l. 5: 1. non displicet Camerarii, Scaligeri, Turnebi, Lambini, aliorum, *meraclo*, quod valet, *meraculo*, i. aliquantulum meraco. Sicq; V. C. Pal. pr. sec. nisi quod ii *meraglo*. *Flos* autem *Libycus*, inquit Turnebus, vinum est Mareoticum litterarum monumentis non incelebre: etiam versû Maronis, 2. Georg. clarum, *Mareotidibus vitibus* in optimo genere numeratis. *Mareotis* autem *Libiæ* à Plinio lib. 5: 6. recensetur Ægypto contermina. (V. N. Curc. act. 3: 1.) Meminit & Horat. 1. Od. 37.

Mentemque limphatam Mareotico &c.

Quamvis autem omnes MSS. Cam. & Pall. legant *Libico*: mavult tamen Lipsius (ut & conjecerat Pius) leg. *flore Liberi*, citans illud Ennii apud Fulgent. *Hæc anus se sauciavit flore Liberi*. & Cistell. act. 1: 2. Vide & Turn. l. 29: 34. Lectioni Lipsianæ favet Savaro an Carmen 22. Sidonii, reprehenso Stevvechio qui illud Pacuvii: *Postquam est oneratus frugum & florû Liberi*, mutarat in *rore Liberi*. Meursius è vett. ed. *Nisi hæc ἰατρεῖον γλώσσαν usquam percussit flore Liberi*. (atque ita in meis est, sed litteris Latinis) Græca suis Scenis infarcire non est insolens Plauto. Atque ut *Flos Liberi* hîc *vinum* dicitur; ita ἄνθος ἡφαίστου dixit pro igne Æschylus. Sed ἄνθος πυρός, ut Philostratus loquitur eleganter, *flamma est*, &c. Matthias Klock. JC. leg. ——*nisi hæc Chimæra glossam usquam percussit flore Libyco*. Nec transcribam MSS. lectionem è Grutero: qui suspicatur legend. *Timeo hoc negotium quidem! nisi hæc meraciore se usquam p.* J3, *percuti flore Libyco*, lepidè, inquit, & antiquè dictum. Justinus lib. 1. *Primique Scythæ ebrietate, quàm bello vincuntur. nam cognitis his Cyrus reversus per noctem, saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginæ filio interficit.* item lib. 24. *Hâc asseveratione incitati Galli, simul & hesterno mero saucij, sine respectu periculorum, in bellum ruebant.* Tibull. lib. 1: 2. *Nec quisquam multo percussum tempora Baccho Excitet*. Jac. Bongarsius ἀκροθώρακα interpretatur. quemadmodum pari ferè translatione Archilochius apud Athen. οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας, ut monuit Fruterius. Sed & Livius, ubi ait lib. 25. *Inde ubi id temporis visum, quo de die epulatis, jam vinoque sauciatis, principium somniasset*: ita enim rectè legit Lipsius. Apul. lib. 7. *saucijs illis & crapulâ vinolentiâq; madidis, &c.* idem lib. 9. *Damne mero & prandio matutino saucia*. Crediderim inde ductam metaphoram, quod admodum ebrii ita alienentur mente, ut nihil sentiant; quemadmodum etiam solent graviter saucii. Livius: *Tollentes sopitum vulnere, ac nihil sentientem, &c.* Nec aliâ de caussâ putaverim Plautum dicere Aul. *deponere vino*: quàm quòd ebrii non secus auferantur, atque ii qui jam efflarunt animam. Unde Apul. lib. 8. *crebris potionibus avidè & securè haurientem, facilè sepelivit ad somnum*. Huc faciunt Martial. epigrammat. lib. 4: 66.

Villica vel duri compressa est nupta coloni,
Incaluit quoties saucia vena mero.

Idem lib. 3: 68.

Hinc jam deposito post vina rosasque pudore,
Quid dicat, ne scit saucia Terpsichore.

Hæc Gruterus. V. & N. Rud. act. 3: 5.

16. FLORE L.] V. N. Curc. 1: 2.

16. OBTINE A.] aures mihi ex adversâ parte tene: ne cadam scilicet. L.

19. DISPERTVTIAM] Sic V. C. *dis*, auget. Vett. edd. & Pall. *dispertiam*, quas Lamb. non probat.

19. EXCETRA] Non dubito, quin Plautus scripserit, *excetra tu*, i. tu vipera; maledicto

dicto mehercle convenienti in malas illas A merces, *mulieres*. Ita Livius l. 38. *Illius excetra delinimentis & venenis imbutum, nec parentis, nec vitrici, nec deorum verecundiam habere*. Ita filii amasiam mater vocat. Ita D. Hieronymus *Hibernum excetram* obtrectatorem virulentum vocavit. Usus eodem est Pseud. act. 1: 2. *Lipsius* Ant. lect. 1: 11. MS. Cam. *excetra*, ut & vett. ed. quod esset nostratium illud, du verfluchter Sack. ϖαμ͂πονηρε. inepte tamen: ideoque procul dubio utraque editione sua dignatus est Pareus; venusta omnia atque elegantia execrare solitus, ut sua amaracum.

20. QUID VIS MEA ANCILLA?] Ita V. C. Pall. omnes & Edd. primæ & cur? *mea ancilla*, quod blandientis est, non increpantis. Scribo: *quid vis ancilla?* Atque ita præfert v. codex. malim præterea, *Numerum dicis*, i. ex tuâ quidem sententiâ: *Meursius*: quem vide.

20. NE SÆVIS] ἄγαν χαλεπαίνεις, nimium excandescis. Virgil. 6. Æn.

—— *ne sævi magna sacerdos*: L. Palm. cod. l. *scabie*.

21. NUMERO] ita & Ven. & Argent. i. nimiũ citò. V. N. Mil. 5: 1. J. Gul. l. *Numero dicis, & hoc quicquid est*, l. sententia planissima, ideoque statim invasum à Pareo utraque editione, moto auctoritati Festi. rideisne Lector? Festus nostram scripturam expressit, neque aliter interpretatur; *nimium cito* scilicet. At Is. Pont. *Num hero dicis?* è v. cod. ut & Brix. & Paris. & Mediol. quod Taubmannus genuinum censet. cùm præsertim in MS. Cam. & Lang. dispessis vocibus scriptum sit. *Num ero dicis?* cum interrogandi notâ. Accedit, quod MS. Cam. *erus* semper scribat, nunquam *herus*. Et vero Pall. habent, vel *Non hero dicis*, vel *Num hero dicis*, quomodo vett. Edd. Verùm Mercerus illud *numero dicis*, non censet mutandum. ajebat ancilla herum sævire, quia minabatur. ille ait, *numero eam hoc dicere*, h. e. nimium citò queri de ejus sævitia quam expertura sit majorem, nisi eloqui incipiat. sed statim redit ad blanditias, & id quidquid est, ut explanet, rogat. Eodem modo Milite scena ult. *Perg. PY. haud etiam: numero hoc dicis*. sic enim distinguendum. nondum tu quidem periisti, & nimium sito periisse te ais, qui statim periturus tamen. B

23. SCIBIS: AUDI] melior lectio v. c. *PA. audi, scibis: malum, pessimumque, His modo &c.* Cum enim *malum* dixisse non vehemens satis esset, eleganter *pessimumque* addidit ad exprimendam magis facinoris fœditatem. Ita Arnob. lib. 2. *Quibus mali sumus, & pessimi.* Meursius. Atque ita omnes meæ edd.

24. CONDECET] ita Grut. ex omnibus MSS. *condecet*. vulgo *addecet*. non ita malè tamen.

25. TIMOR PRÆPEDIT. D. L.] Idem dicit inferius: *timor præpedit verba*. Cic. *præpeditus morbo*. Ter. Heaut. *gaudio sumus præpediti nimio*. L.

27. EA INTUS] ἀποσιώπησις perculsorum & perterrefactorum elegantissima, in sermone interrupto.

28. INTERMINATUR VITAM] Acidal. exturbat hinc *vitam*; numeris & sententiâ, ut ait, suadentibus. Sed nolim ego, in tanto consensu omnium librorum. obsequentem tamen reperit hic Pareum, qui sua orchestra vocem eam egregie deturbavit, sed absque tumultu. notæ enim ejus probè mussant. dolus malus quis est, si iste nòn est?

30. STA HEM!] Acid. Seni continenter ista donat: *ST. hem! gladium? quid cum gladium?* atque ita magis servire putat affectui Senis. Ego vulgatum magis universæ caveæ.

36. EXPETO] MS. Cam. & aliquot Pall. *expecto*. quod non damnat Gruterus. haud tamen deijcit loco lectionem hactenus receptam, ut fecit Pareus, Dictator ille noster: qui nusquam hæret, cui omnia liquent.

37. DEJURAVIT] i. sanctè juravit: L.

37. OCCISURUM EUM] sic omnes MSS. Pall. item Cam. nisi quod is, & sext. Pall. *occisuram* habeant à recenti manu Censoris inepti: ut notat *Grut*. Agellius lib. 1: 7. docet, *occisurum*, non esse hic participium, sed verbum indefinitum, Græcis ἀπαρέμφατον, &c. Sic Cic. V. Verr. *hanc sibi rem sperant præsidio futurum*; non *futuram*. Gracchus, *Credo ego inimicos meos hoc dicturum*, Quadrigarius: *hostium copias ibi occupatas futurum*. Idem: *est quod speremus, deos bonis bene facturum*. Sic infrà, de eadem Casinâ: *altero te occisu-*

rum ait. Laberius: *Non putavi hoc eam facturum.* Vide ib. Agellium: item Priſc. lib. 9. ubi profert hunc verſum Lucilii: A

Nupturum te nupta negas, quod vivere Ulyſſem
——Speras:

& *nupturum* interpretatur *nuptum ire*, γαμηθήσεσθαι. L. & Cam. Vide etiam N. ad illud Amph. Prol. *rem eſſe oratum*. Item Auſ. Popmam De uſu antiq. locut. cap. 6.

39. PECCAVI: ILLVC] Rectius ita MSS. Cam. & tria Pall. Grut.

39. SC. DE VIA IN S.] i. prudens de viâ latâ & rectâ degrederis in viam anguſtam & impeditam, h. e. ſciens & prudens te impedis. Quid inter *ſemitam* & *viam* interſit, ex Ennii verſu cognoſcere licet, apud Cic. 1. De divinat. *Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, aliis monſtrant viam.* Ita Phædrus:

Ego porro illius ſemit à feci viam,
Et cogitavi plura, quàm reliquerat.

ſcil. Æſopus. Latior igitur *via*; anguſtior *ſemita*, Legendum autem *degredere*, auctore Grut. ut claré habent MSS. Cam. & Pall. quatt. idque Lambino etiam rectius viſum, cum in ſuis id codd. reperiſſet. Vulgatum *regredere* quod tamen in Edd. primis, ſatis ineptum; certè contra mentem ancillæ. V. N. Rud. act. 3: 5. B

41. INFESTA] *Infeſtum* aliàs παθητικῶς etiam uſurpatur. Vide Popmam De differ. verb. l. 3.

42. NEQ. SE TVAM] ita & MS. Cam. At Meurſ. è v. c. reſcribit, *neq; tuam nec ſuam*: quod anteà etiam Lamb. fecerat.

43. SINET.] Lipſ. *ſinere*. vulgg. *ſinet*. neque aliter Pall. nam V. C. ſolùm exhibuit, *vitam ſin craſtinum* craſſaque litera prima *s*, ut ſic adplicaretur illi *craſtinum*. aliter enim iſtæc narrat Pareus, ut ſolet; qui inſuper contra omnes libros, admiſit Lipſii ſuſpicionem in contextum.

44. TIBI VT DICEREM] ita omn. edd. MS. Cam. *Tibi ut dicam*. ſed à manu correctoris, cùm ultima verſus ſyllaba ibidem vacaret. id accidit forſan, quod offendiſſet in authentico *dicet* cum nota ſuperjacente, quæ notet *re*, quemadmodum adhuc comparet in Pal. pr. & ſexto. ceteri; *ut dicerem*. Pall. tert. *Tibi dicere*. perperam ergo Pareus admiſit in contextum, *dicam*.

45. ADÆQVE MISER] pro, *miſerior*. vel adverbio *adæquè* junxit ablativum *me*: pro, atque ego ſum. L.

46. LVDO] ita omnes edd. & MSS. *Ludo ego h. facetè*. recentt. *Ludo ni ego h.* J. P.

47. ATQ. HÆC D.] Acidalius l. *procudérunt*, non, *protulerunt*. Pſeud. act. 2: 2. *Procudam hinc multos dolos.* quod Pareus recepit, contra libros. Et notetur ſermo Comicus, *Hæc ex proximo*, i. Murrina vicina. ita ſine Fab. *Caſina filia hujus è proximo.*

48. HVC] ita MS. Cam. & Edd. vett. præfert J. Gul. alteri *hunc*, quod D. F. volebat. V. N. Pſeud. act. 2: 4. Pareo tamen placuit *hunc* editione prima. nam altera, turpiter ejecit, ut decet hominem benè varium.

48. HEVS PARDALISCA] Si MS. Cam. non fallit, perſonæ diſponi poſſent: *heus Pardaliſca.* PA. *quid eſt?* ST. *eſt.* PA. *quid? Eſt q.* Grut.

50. HABET ET] Sic omnis editio; quamvis *et* abſit MSS. omnibus.

52. OCCISISSIM.] Superlativum hunc finxit Plautus, ad exprimendam ſenis formidinem. Menæch. *excluſiſſimus ſum.* L. Gruterus leviter ſuſpicatur: *Altero villicum.* ST. *ò dii h. occiſiſſ.* & ecce, ſic ſtatim mutat in textu Pareus editionis primæ: fingitq; in Notis ſecundæ ſic extare in Langg. falsò.

54. NON ADIIT ATQ.] Palm. è v. cod. Lang. conjicit: *quid uxor Mea, non adyt?* PAR. *non admittit propè: nemo audet accedere.* Ita ait furore percitam, ut neminem quemquam propè admittat. quod tam licentioſum expreſſit Pareus in ed. pr. nam in poſtrema noſtram ſecutus ſcripturam, notat: *atque advenit*. Sic Pall. omnes legunt atq; diſtinguunt. ubi textus aut diſertè falſus, aut notæ. ſed notæ falſæ ſunt.

56. INGRATIIS] v. c. *ingratis*. utrumque non malè. nam dicebant *gratyts, ingratyts*: *gratis, ingratis*. Simili modo *invitu*: ut obſervat Chariſius lib. 2. Piſtoris ſuſpicatur: *atque ingratis quoi Non vult, nubet h.* diſſyllabû *quoi*. Nam illud *Non vult*, ad *ingratis*, putidum eſt. Pall. omnes, *quem*. Edd. vett. *qua* V. C. initio forte habuit, *quam*.

58. ILLVD QVID. VOL.] Debuerat dicere, *nolebam*; ſed præ immoderatâ libidine fortaſſe ſciens peccat, & dicit, *volebam*. mox tamen ſe ipſe reprehendens, *Non*, inquit, *mihi volebam.*

solebam dicere, sed villico. Tale ferè est illud A Cic. pro M. Cælio: *nisi intercederent mihi inimicitiæ cum istius mulieris viro; fratre volui dicere: semper hic erro.* L.

59. SAPICVLÆ] Prisc. l. 3. l. *sapimculi.* L.

63. SOLEAS TIBI DABO ET ANVL. &c.] Non temere hoc ancillæ pollicetur. nam ingenuorum duntaxat erant soleæ & anuli isti: servi ancillæque sculponeas accipiebant, & pro aureis ferreos. De *sculponeis* clarum ex Catone de Re Rust. cap. 59. ubi, quæ & quoties familiæ vestimenta procuranda sint, tradit. *Sculponeas bonas alternis annis dare oportet.* De anulis notissimum est: & habere quidem aureos in peculio suo illis licebat, non verò gestare. Inde ait, *ferrum digito daturum.* J. Meursius.

66. POMPAM] *Pompa*, de coquis & instrumento culinario. iterum de obsonatu, Bacchid. *Quid nunc capessis tete cum mala pompa?* L. D. Acid. V. N. Aul. act. 2. 4.

ACTUS III. SCENA VI.

OLYMPIO, COCVS, STALINO.

VIDE fur, ut senteis sub signis ducas. CO. qui verò sunt sentes?
OL. Quia quod tetigere, illico rapiunt: si eas ereptum, illico scindunt.
Ita quoquò adveniunt, ubi ubi sunt, duplici damno dominos multant.
CO. Eja! OL. atat! cesso magnificè patricéque amicéque ita hero
Meo ire advorsum. ST. bone vir, salve! OL. fateor. ST. quid fit? OL. tu amas,
Ego esurio & sitio. ST. lepidè excuratus incessisti.
OL. Aha hodie! ST. mane verò, quanquam fastidis. OL. ei, ei! fœtet
Tuus mihi sermo. ST. quæ res? OL. hæc res. ST. etiámne astas? OL. enimverò
Πράγματά μοι παρέχεις. ST. dabo μέγα κακὸν (ut ego opinor)
Nisi resistis. OL. ὦ Ζεῦ! potin' à me abeas, nisi me vis vomere (rus?
Hodie? ST. mane. OL. quid est? quis hic homo est? ST. herus sum. OL. qui he-
ST. Cujus tu servus es. OL. servus ego? ST. atque meus. OL. non sum ego liber?
Memento! memento! ST. mane, atque asta: OL. omitte. servus sum tuus.
OL. Optimè est. ST. obsecro Olympisce mi! mi pater! mi patrone!
OL. Hem! sapis sanè. ST. tuus sum equidem. OL. quid mihi servo opus est tam
ST. Quid nunc? quàm mox recreas me? OL. cœna modò si sit cocta. (nequam?
ST. Intrò *ergo abeant. OL. properè, citò introite, & citò deproperate.*
ST. Ego *jam intus ero. facite cœnam mihi, ut ebria sit.*
Cœnare *lepidè nitidéque volo. nihil moror barbarico ritu*
Sanè esse *jam. i sis: ego hic habito nunc quidem.* gladium
Ancilla *Casinam intus habere ait, qui me atque te invitet.*
OL. Scio! sic sine habere. nugas agunt. novi ego illas malas merces.
Quin tu i modo mecum domum. ST. at pol malum metuo. i tu modò;
Perspicito prius, quid intus agatur. OL. tam mihi mea vita, quàm tua
Tibi cara est. ST. verum modò. OL. si tu jubes, inibitur tecum.

CONFUSIO est in versibus hujus Scenæ, similis superiori.

V.1. SENTEIS SUB SIGNUM] Ita Pall. & Cam. MS. & omnes Edd. consensu. In Pseud. act.2: 4. *sub signis ducam legiones meas.* Metaphora militaris. q. d. Vide tu, ut ministros tuos, qui sunt quasi sentes, quia quicquid tangunt, secum auferunt aut scindunt, sub signis ducas: ne huc atque illuc distracti vagentur. Milites enim sub signis non poterant evagari, furari, latrocinari, &c. Cic. ad Attic. lib. 16: 7. *legionem sub signis ducere.* E Lamb. & Grut. Hæc aliter accipit Alciat. l. 8. c.21. Parerg.

2. SI EAS EREPTUM] si sentes vesti hærentes eripere coneris, illicò vestem scindunt. *Ereptum eo,* V.N. Persâ.1: 2.

3. DUPLICI D.] rapiendo, & lacerando. Sic Truc. act.2:1.

——*meretricem esse similem sentis condecet,*
Quemquem hominem attigerit, profectò aut
malum aut damnum dari. V.N. ibid.

4. EIA!] Hic non est hortantis, sed potius revocantis: L. thue gemachs.

4. PATRICE Q.] idem quod *patriciè,* i. patriciorum & nobilium in morem. *Turn.* & *Douza.* V. N. Mil. 3: 1. Dousa conjicit, *patr. amiciri; atq.* Ut significet fortunas suas supra votum fluentes superbiam decere, eoque sibi convenientius videri, ut gloriosè ac basilicè amictu composito, hero suo advorsus incedat. Simile in Persâ, act. 2: 5.

——*nunc ego huic graphicè facetus fiam:*
Subnixis alis me insensum, atque amicibor gloriosè. Vide & Varr. lib.4. de L. Lat. in voce *Amictus.* Omnes tamen MSS. & editi, *patriceque amiceque ita hero meo ire advorsum;* nisi quod restet in V. C. *patriceq. amiceq. ita enim hero meo ac ire advorsum.* quod quam sententiam hic habeat, Gruterus divinet; si modò adhuc ei licet per Pareum. is enim recepit in textum Brantii emendationem, *atque! cesso magnificè patriceq., abiteq. ita enim Ero meo Hac ibo adversum.* & verò totam hanc, asserit consonam esse chirographis libris; seque putare sic verè & commode legendum. persuadetné Lector?

6. EXCURATUS] non *ad cutis curationem* (uti Lambinus vult) quâ prorsus expers erat

A Olympio; ut patet ex præcedentibus: verùm ad obsonium, cum quo ipsum nimis lepidè excuratum incedere gratulatur sibi nequam senex: *Douza.* Lips. l. *excuriatus inc.*

7. AHA HODIE.] Ita MSS. C. & L. Vulg. & Lamb. *Ah hodie.* s. tantummodo sic excuratus incedam, cras ad pristinum mihi redeundum est. *Vel:* nihil gustavi. Nonnulli v. c. habent, *Vah, hodie.* fortasse melius, hàc sententiâ: Vah hodie me curabo probè & molliter! *Lambinus.* At Douza legit, *Vah, odio es!* & pertinere censet ad impudicas illas attrectationes & immundiss. osculationes. Quo etiam referendus *fœtor* ille, quo senilem sermonem olere, mox palam Hero in os à Villico exprobatum: item, πράγματά μοι παρέχεις. item, *ai ζεῦ, potin' à me abeas, nisi me vis vomere hodie.* Meursius malit, *Vah, odi te:* vel, quod certius, *Vah hœde.* ut qui fœtorem ei exprobret. Pall habent aut *vah bodie;* aut *vah ba hodie.*

7. OL. EI, EI: FOETET.] Ita MS. Langii. sed Cam. *ey ey fet.* Placuit illud olim & J. Gulielmio: ut scil. sit imperativus ab eo. Placet & Grutero nostro. nisi si, inquit, fortè fuit,

B *si, si!* quo abigi fœtidos notum est: quod ipsum ita adblandiebatur Pareo, ut conspiciatur in editione ejus utraq;.

8. ASTAS] Palm. l. *estas?* ex scriptura vet. *estare, escendere &c.*

9. πράγματά μ.] Hoc passim in ore hominibus superbis, & reliquos fastidientibus fuisse, docet copiosè *Is. Casaub.* ad Theophr. Charact.

9. DABO μέγα κακόν] ita è v. cod. restituit Turnebus.

10. RESISTIS] restas, manes. Capt. act.3: 2.

10. VOMERE] Fortasse hic locus ad illum pertinet superius paullò; *mane vero, quanquam fastidis.* Cæcilius in *Plotio* suâ, de simili sene:

S. Sed tua morosane uxor quaeso est? M. Vah, rogas?
S. Qui tandem? M. tædet mentionis: quæ mihi,
Ubi domum adveni, ac sedi, extemplo saviunt
Dat jejunâ animâ. S. nil peccat de savio,
Ut devomas vult, quod foris potaveris. Douza ex Agell. lib.2: 23.

13. MEN-

13. MEN. MEN.] Monentis & minantis simul.

13. OMITTE. ST. SERV. S. TVVS. OL. OPT.] ita Js. Pontanus distinxit. Et hanc, inquit, conjecturam & res probat, & sequentia: *mi pater: mi patrone*: item: *tuus sum equidem*.

14. OLYMPISCE] Hæc dictio, scribit Pareus, nec in V.C. nec Pall. visitur. At ego alter αὐτόπτης affirmo; V.C. præferre *Olumpisce*, omnibus apicibus, Pall. veró quinque una literâ minus, *Olimpice*. quæ impudentia oris?

15. TAM NEQVAM] Omnis enim amator nequam est, *Lambino* auctore.

17. INTRO EGO] Quæ Pareus prodidit de V.C. Supra versu 14. vanissima sunt. hic versus & seqq. quatuor ita scripti sunt, ut verbum unum alterumque desit eorum principio. unde factum ut Camerarius industrie nonnulla adjecerit. nam Pall. & Edd. vett. ita omnia perscripsere, ac si nihil deesset.

18. FACITE COENAM] ita J. Gul. è MS. Lang.

18. EBRIA SIT] opipara, copiosa: tralatione ab ebriis ductâ, ut quidem Lambinus explicat; nec rectè, nec satis Plautinè, sententiâ quidem Douzæ, qui, *ebria sit*, interpretatur, madeat & percocta sit probè: auctore Turnebo. V.N. Menæch. 1. 3.

19. BARBAR. RITV] vel Persico ritu, ut est apud Hor. 1. Od. ult. *Persicos odi, puer, apparatus*: vel Romano. q. d. satis est mihi eleganter potius & mundè, quàm sumptuosè cœnare. L.

20. I, SIS: EGO HIC] Mirum quòd senex Olympioni monstret, ubi habitet. Ausim quovis pignore contendere scriptum fuisse: *i. sis: ego haud hîc*: aut si versus requirit, *ego huc haud bito nunc quidem. gladium &c.* Hîc autem (siquidem retinendum) eâ formâ ponitur, quâ Bacchid. act. 4. 3. *fine me ire. Huc intrò.* & Menæch. *neque hodie huc intrò tetuli pedem.* & Mil. act. 3. 2. Mercat. act. 3. 2. Jubet senex, ut Olympio introeat: se enim nunc non ire, ob metum gladii. Atque ita convenit, quod mox subjicit Olympio:

A *Quin tu i. modò domum mecum*. Dixerat igitur senex, jam se non iturum. S. Ulr. Pistorius.

20. ESSE] i. comesse: Lamb. qui nesciit istud à Camerarii conjectura. quippe V. C.

ritu ...... ne etiam ipse ego &c.

Imò quoniam Lectorem heic magis intricavit Pareus variis lectionibus Palatinorum, quam extricavit, habesis Lector uno intuitu scripturam V. C.

...... ergo habeant ..... Propere sito introite & cito deproperate

..... jam intus ero facite cenam mihi ut ebria est,

..... lepide nitideque volo nihil moror barbarico ritu

...... ne etiam ipse ego hic habito. num quidem

.... Casinam intus habere ait qui me atque te invitat.

Sic V. C. nam lacunas istas nec Pall. habent, nec vett. edd. quæ tamen versu 20. sic
B ferè præferunt: *habito. Nunquid est ceterum quod mora sit? Casinam intus.* quæ verba profectò sunt auctoris, inveniasque ad eandem ferè faciem in Pall. omnibus. adeo ut ulcus aliquod subsit puris plenum.

21. INVITET] Lipsius, Antiq. lect. 2. cap. 11. Omnes libri l. *invitet*. Opinor, *invitare* eum dixisse pro isto, vitam tollere: ut Poeta vetus apud Cic. *Evitare*:

Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari.

Ludit in eodem verbo Plaut. Rud. act. 3. 5.

——ut istuc ipsu invitassitis,

Usque adeo, donec, quà domum abeat, nesciat.

Hæc ille. Sed & Palm. & Alciat. & Pius, *invitet*, legunt. Gruterus notat, MSS. Cam. & 4. Pall. itemque Lang. & olim cusos uno consensu leg. *invitat*. V. N. Trucul. act. 4. 1. Vulg. *interimat*.

25. VERVM MODO] ita omnes MSS. & cusi ante Lambinum, *verum modo*. is, *verum i modo*.

25 SI TV IVBES,] ita MSS. & omn. vett. Tamen Acid. *si tu ibis, inib.* non absurdè profectò.

ACTUS IV. SCENA I.

ANCILLA.

NEC pol ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ,
Neque usquam ludos tam festivos fieri,
Quàm hic intus fiunt ludi ludificabiles
Seni nostro, & nostro Olympioni villico.
Omnes festinant intus totis ædibus:
Senex in culinâ clamat, hortatur cocos:
Quin agitis hodie? quin datis, si quid datis?
Properate: cœnam jam esse coctam oportuit.
Villicus hic autem cum coronâ, candidè
Vestitus, lautè exornatusque ambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant,
Quem dent pro Casinâ nuptum nostra.
Sed nimium lepidè dissimulant
Fore hujus quod futurum est. dignè autem coqui
Nimis lepidè ei rei dant operam, ne cœnet senex.
Aulas pervortunt, ignem restinguunt aquâ.
Illarum oratu faciunt. illæ autem senem
Cupiunt extrudere incœnem ex ædibus,
Ut ipsæ solæ ventres distendant suos.
Novi ego illas ambas estrices: corvitant, ubi
Comesse possunt. sed aperitur ostium.

OMNES FESTIN.] σπεύδουσι. Horat. 4. Od. 11.

Cuncta festinat domus: huc & illuc
Cursitant mistæ pueris puellæ.

8. COCTAM OPORTUIT] Ita Aldina. sed enim MSS. Pall. & Edd. primæ, *coctam opto.* V.C. & Excerpta, *oppo*: cum glossa; id est *abundanter.*

LAUTE] ad lotionem pertinet. D.

16. AULAS PERV.] ollas dejiciunt, percellunt: L.

18. INCOENEM] Primum Camerarium *incœnatum* edidisse, ait Grut. cùm in MSS. & olim cusis fuerit, *incenem*: etiam MSS. Lang. & Oxon. I. *incœnem.* Sed & Glossæ Isidori hunc locum non aliter laudant, auctore Meursio. Ita in iisdem Glossis Isidori est, *immorsus*, i. jejunus, ἄσιτος, ἄγευστος sive νῆστις. Pseud. 2. 4.

20. ESTRICES] talia sunt, *consitrix*, *adsestrix*, *possestrix*: Nonius.

20. CORVITANT] Ita Cam. Alii, inquit, scripsêre, *corbitant*, à corbita. sed potest à corvis esse: & ratio numerorum mediam syllabam collidit. At Lamb. & Turn. lib. 16. 3. leg. ——*corbitam cibi Com. p.* id est, navim onerariam cibo refertam, ut Cic. *navem auri & paleæ* dicit. *Corbita* quid sit, V. N. Pœn. act. 3. 1. Scaliger: *Saltatores* vel *cernuatores* Festus vocat *corbitores*, more scibendi antiquitùs imperitis librariis usitato, qui *b* cum *u*, & contrà commutabant. *Corvitores* enim sine dubio dicendum erat: qui enim gestus cernuantium, ut modò sursum modò deorsum spectent, is & corvorum est, & cornicum ac monedularum, quæ ubi pedibus aliquem locum insistunt, modò ἀναλύειν, modò ἐμ-

ad ἐπιδόσιν. Hinc elegantissimè de mulieribus cibo se ingurgitantibus ad mensam, Plautus dixit: *Ego novi illas estrices; corbitant, ubi Comisse possunt.* Quanquam scio Turnebum mutasse; sed frustrà. *Hæc Scaliger.* quibus adsentitur Guthierius cap. 21. lib. 1. de jure Manium: vultque hos corbitores fuisse comestores & helluones, qui epuli reliquias in corbibus exportatas ad rogum & sepulturam pauperiorum avidius absumerent; distentoque ventre convivas scurrili saltatione oblectabant, hoc est, rejectis & inversis post tergum manibus ad circuli modum caput deorsum ad pedes usque inflectebant, eminente ventre. quod & hodie in comœdiis vulgare. sed & eosdem facit cum Manducis, ἀδηφάγοις, magnæ voracitatis hominibus; qui & *manducones* Plauto Rud. 2. 6. v. 51. A Meursius retinet vet. lectionem, *corbitant, ubi Comesse p.* Novi, inquit, illas estrices, quæ tam strenuè cibo se explent, ac si corbitam aliquam onerent. Cæterùm Grut. è MSS. Pall. & edd. vett. l. *cor Bitant, ubi comes esse possunt.* Et, *CorBitant*, inquit, hic valet *corbitant*: extatque ea scriptura omnibus libris, &c. Pius monuit in vetustioribus libris repertum illud *Comesse*. Porrò secundam in *Corbita* producendam esse docent Janus & Francisc. Douzæ Pater & filius, in Notis ad Lucilii Reliquias, atque illos quidem versus è lib. XV. Satirarum:

——Polyphemu' ducentos
Cyclops longu' pedes: & porrò huic maju' bacillum,
Quàm málus navi in corbitâ maximu' ullâ.

ACTUS IV. SCENA II.

STALINO, ANCILLA.

Si sapitis, uxor, vos tamen cœnabitis,
Cœna ubi erit cocta: ego ruri cœnavero.
Nam novum maritum & novam nuptam volo
Rus prosequi. novi hominum mores maleficos;
Ne quis eam abripiat. facite vostro animo volupe.
Sed properate istum atque istam auctutum emittere.
Tandem ut veniamus luci: ego cras hîc ero.
Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.
AN. Fit, quod futurum dixi: incœnatum senem
Foras extrudunt mulieres. ST. quid tu hîc agis?
AN. Ego eo, quo me ipsa misit. ST. veron? AN. serio.
ST. Quid hîc speculare? AN. nihil equidem speculor. ST. abi.
Tu hîc cunctas: intus alii festinant. AN. eo.
ST. Abi hinc sis ergo pessumarum pessuma.
Jamne abiit illac? dicere hîc quidvis licet:
„ QUI AMAT, tamen herclè si esurit, nullum esurit.
Sed eccum progreditur cum coronâ & lampade
Meus socerus, compar, commaritus villicus.

VOLUPE] sic omnes MSS. & olim editi. B Aldinus & traduces edit. *volup.*

7. LUCI] sic dictum, ut *tempori*; i. antequàm *polo nox incubet atra.*

8. HABUERO] Quæri potest, quid sit; *Habuero convivium.* An præbuero aliis convivium? An, mihi paratum habuero? Illud malit Lamb.

A 11. IPSA MIHI] Αὐτὸς & αὐτὴ (inquit Casaub. Comm. Theophrast.) sunt voces Servorum, quas honoris caussa propriorum nominum loco usurpabant. Sic apud Latinos, Pl. Cas. *eo quo me ipsa misit*. Ipsa, i. hera mea. Terent. Hec. *sed Pamphilum ipsum video stare ante ædes.* ubi Donatus; *Ipsum*, a quo missus sum; vel Dominum: ut Græci αὐτόν. Erat & discipulorum vox, cum de præceptore loquerentur. unde illud, Αὐτὸς ἔφα. Idem notat Ascon. in Verr. & Scholiastes in Neb. Aristoph. &c. Et tale quid Servius etiam innuit 3. G. v. 387.

13. CVNCTAS] pro, *cunctaris*. ita autem Grut. distinxit. prius, *Abi Tu hinc, cunctas*: neque aliter MSS.

B 16. NVLLVM ESVR.] Douza l. *nullus*. Ter. Eun. *Memini, tametsi nullus moneas.* Sententiam autem hanc planissime enarratam habemus in Merc. 4. 4. v. 25. his verbis:

Nam qui amat, quod amat, si id habet, id habet pro cibo,
Videre, amplectier, oscularier, alloqui.

At Gruterus, Ego, *inquit*, hic nihil possum, quàm suspicari me de μύλλον Græco, aut quo alio. Sanè legimus apud *Athenæum* lib. 14. quod Heraclides Syracusius libro, *De vetustis & sanctis morib.* scribit, apud Syracusios in perfectis Thesmophoriis, ex sesamo & melle fingi pudenda muliebria, quæ per ludos & spectacula circumferebantur, & in tota Sicilia vocabantur *Mylli*. Pareus, tanquam Herculi Theseus adjutum iit conjecturam Gruteri, edendo *myllum esitet*. inque eo luto suaviter volutatur tum in Lexico, tum in Electis cit. Amoris. idem tamen postrema editione, admisit, *nullus esurit* tanquam quod visetur in Argentinensi Mulingiana. sed sanè in ea quæ prodiit anno 1505. disertè hæret *nullum*. J. Gulielmius Verisl. lib. 1. 14. & Aus. Popma De usu antiq. locut. l. *Qui amat, tamen hercle etsi esurit, nullus esurit.* Probum & antiquæ notæ verbum, *tametsi*, hic in tmesi cùm esset, prope evanuit.

17. COR. ET LAMP.] cum *corona*, ut sponsus: cum *lampade*, sc. quam sponsæ præluceret. Sponsos autem & sponsas coronari solitas, firmat exemplis P. Colvius, Met. Apul. lib. 4.

18. SOCERVS] ita MSS. Cam. & 4. Pall. explicatque pluribus Bapt. Pius. At Lipsius Antiq. lib. 2: 11. Apage, inquit, illud *Socerus*. nam Olympio seni, illi servus profectò, non socer. Nisi animi fallor, scriptum fuit *meus socienus*, κοινωνός. *Socienus* valet socius. Amphit. act. 1: 1. Aulul. 4: 4. Juvat vehementer conjecturam meam Roverii liber, qui *socius* refert, glossema quasi illius. Et sanè *socienum* lepidè dixeris, uti & *comparem* & *commarlitum*. Quippe ambiebat senex ille, cupidus & attentus ad rem faciendam, in famulâ dividendâ pro socio Olympioni esse, & agrum illum communi impendio arare. Gruterus suspicabatur, *coherus*, aut certè *coheres*, ut & in illo Menæchmi, act. 3: 2. *cui æquè coheres eram.*

ACTUS IV. SCENA III.

OLYMPIO, STALINO.

AGE tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo.
Io hymen hymenæe, io hymen. ST. quid agis, mea salus?
OL. Esurio hercle, atque adeò haud sitio. ST. at ego amo. OL. at ego hercle
Nihil facio tibi, amor, pericli: mihi inanitate
Jamdudum intestina murmurant. ST. nam quid illæc nunc
Tam diu intus remoratur, quasi ob industriam? quanto ego
Plus propero, tanto illa minus. OL. quid si etiam occentem hymenæum?
ST. Censeo. & ego te adjutabo in nuptiis communibus.
OL. Hymen hymenæe! Io hymen! ST. perii hercle ego miser, dirupi

Cantando Hymenæum: licet illo morbo, quo dirumpi cupio,
Non est copia. OL. edepol ne tu, si esses equus, esses indomabilis.
ST. Quo argumento? OL. nimis tenax es.
ST. Numne expertus usquam? OL. dij melius faciant.
Sed crepuit ostium. exitur foras.
ST. Di hercle me cupiunt servatum. jam oboluit Casina procul.

HYMENÆO] i. nuptiarum deo: ut sit dandi casus. vel dic, *hymenæo*, carmine nuptiali: ut sit ablat. & cohæreat cum *suavi cantu*, &c. L. In MS. Cam. est *Meio hymen. æ eo.* In Lang. *Ejo hym.* Quæ de Hymenæo traduntur, quia pervulgata sunt, non adscribam. Vide præter cætera, Cælium. l. 15:24. & *Carmen nuptiale*, apud Catullum; *Collis ó Heliconij* &c. & in illud Scalig. & Mureti Commentarios. B. Brissonius, *De ritu Nupt.* docet, Tibiam etiam nuptialibus festivitatibus intervenisse. Ita Ter. Adel. act. 5:7. *Verùm hoc mihi moræ est; Tibicina, & hymenæum qui cantet*, &c.

4. ATQ. ADEO H. SITIO] Ita vehementer esurio, ut sitim nullam sentiam: *Cam.* & *Lambinus*. Quam tamen & lectionem & interpretationem, ut falsas, insectatur Acidalius. Certè act. 3:6. *OL. tu amas: Ego esurio & sitio.*]. Palm. leg. *Esurio hercle, atque adeò auspicio.* Et, Fabula, inquit; de nuptiis est; in quib. omina atque auspicia contracturi captabant, si aliàs unquam. Nec verò, nisi auspicato nubebant, aut ducebant. Itaque Olympio, qui jam uxorem duceret, se ait pro auspicio esurire, sive (ridiculum) auspicatò. Et fallor? an eo sibi augurabatur perpetuam deinde cum suâ uxore famem? P. Colvius è Lang. l. *atque adeò hanc spicio.* i. simul atque hanc adspicio, statim edere gestio, quod obsceniore & obscuriore sensu dictum, &c. Id tamen Gruterus improbat. cùm sponsa non videretur: & sequentia arguant, animum villici in patinis magis, quàm in Casinâ. In Ald. est, *Esurio hercle, atque adeò nunc haud parùm sitio.* quod probant Meursius & Acidal. quidem, at minimè omnium Gruterus. Ego verò maximè Palmerii illud *auspicio*: quod facilè ita coaluerit ex *haud spicio*, quod est in Lang. MS. In MS. Cam. est, *atque adeò haud sitio.*

4. AT EGO H. NIH. F.] i. At ego hercle, ó amor, vim tuam non experior, Ratio est: quia jejunus sum. sine Cerere autem & Baccho frigent Venus & Cupido: L. Is. Pont. notat in cod. Anglic. legi: *Nihil facio tibi, amator, periculi.* at sic nullus Pall.

7. REMORATUR] Lamb. Festum secutus legit,

——nam quid illæ
Tam diu intus remorantur remeligines,

i. remoræ. ubi tamen prolixè disputat, an rectiùs scribatur, *remoragines*. Pall. & Edd. nihil variant, nihil addunt.

8. OCCENTEM] ita Cam & Lamb. & ita Brix. Ald. & Basil. i. ex adverso cantem nuptiale carmen. clareque indicat Bapt. Pius ita extare in exemplaribus, ut ait, sinceris. At MSS. Lamb. omnes habent, *offendam*: ut & MSS. Pall. & Frising. item Paris. Arg. & Ven. Edd. vete. quilibet tamen videt, cui modò mentis sunt oculi, raritatem vocis in caussa fuisse cur eam non etiam intellexerint expresserintve librarii. Pareus tamen miratur inveniri qui offendantur illo factitio *offendam*; idque in editiones suas recepit. in Electis verò sic ludit: Et cur Taubmannus, novissimus editor mutavit in *occentem*? Vah sapientiam hominis! O Criticum novo sæculo dignum! Aliam lectionem confirmat inibi ipse senex versu 11: Dirupi cantando. Sic scenicus noster. qui & ad oram editionis suæ, super illo *offendam* notarat: Vereor ne quid inauspicato agam in nuptiis, nec sponsæ meæ satisfaciam hac nocte. At in Electis præterea posuit: Sponsi in nuptiis solliciti erant de officio suo, ne quis scilicet eos devotaret, aut illis occentaret; eoque ipsi offenderent hymenæum. hactenus ille. quàm absurda! quàm insana! nullus in febri positus talia unquam deliraret.

10. DIRUPI CANT. HYM: LICET ILL.] Ita Camerarius legit distinxitque: neque aliter Sambucus, aut Dousa primitus

cufi ac MSS. plerique: *Dirumpi cantando hymenæum: licet illo morbo.* folùm V.C. & Pal. fextus diftinguunt. *D.C. hymenæum licet. illo m.* quod arripuit Pareus, fed fine ratione. nam *dirumpi* ibi eft *dirupi.* fic idem V. C. præfert *procundam* pro *procudam*, *linquimmus* loco *liquimus*, aliaque fimilia. Moriam vero ipfam refipit affirmatio Pareana, quæ vult fequenti verfu queri fenem de fua ædumpfa. Imò contra eft. Abi in haram tuam illicò! aut mox ultro ab omnibus in eam redigeris. nullus furiofus fic deliravit.

13. TENAX ES] Lambino, *Tendax es*, videtur legendum, ut eum intelligamus equum, qui nimiâ & nimis crebrâ tentigine concitatus frenum mordet, & calcari non paret: à *Tentendo* fic appellatum, ut & *Tentigo*. Cui aptè fenem hinnibundum comparat villicus. Doufa contrà *Tenax* retinendum cenfet, eodem fignificatu. *Tenere* enim & *Tendere* eodem fenfu prifcis illis accepta, quemadmodum etiam *Pertinere* ac *Pertendere* compofita utrorumque, item *Obftinere* & *Oftendere*, apud Feftum. fic tamen, ut etiam ad equum afperum, &, ut Nafo loquitur, *contra fua frena tenacem*, ambiguè alluſum fuerit a Plauto. Quod verò Olympio indomitam illam Senis infulturam hâc à fe deprecatione amolitur, confentaneum eft alteri, in re prorfus confimili, Pfeudoli loco, act. 1.3. *Eho nunquid tu hujus nupfifti patri?* refpondet Ballio: *Dii melius faciant.* Hæc Douza. In eandem fententiam multa quoque Palm. Spicil. f. 31. & cùm Lambinum probe flagellaffet, ita definit: Hoc ergo ftet, *tenacem equum* effe apud Plautum, plus fatis tentum, &, ut ille ait, *oftreofum.* J. Guliel. *Tentionem* (in loco illo Cenforini) accipio ἀντὶ τῆς στύσεως. *tendere* enim in obfcenis eft; unde *tendere*, qui libidinantur: & *Tentigo*, ὁ πριαπισμὸς, in carmine Ithyphallico. Verif. lib. 3. 6. MS. Cam. *tenax*. Vide & Not. Pœn. Prol.

14. NUMNE EXT.] Pareanæ notæ nihil hic fani loquuntur: certè V. C. *Numne* exhibet, non *num me.* quod rus eft præ civilitate alterius.

ACTUS IV. SCENA IV.

ANCILLÆ duæ, OLYMPIO, STALINO.

SENSIM fuperattolle limen pedes, nova nupta! fofpes
Iter incipe hoc. ut viro tuo femper fis fuperftes, atque
Ut potior pollentia fis, vincafque virum, victrixque fies,
Superetque tuum imperium! vir te veftiat, tu virum defpolies.
Noctuque *& diu ut viro fubdola fies: obfecro, memento.*
OL. Malo *maximo fuo hercle illicò, ubi tantulum peccaffit.*
ST. Tace. *OL. non taceo. ST. quæ res? OL. mala malæ malè monftrant.*
ST. Perii! iftæ facient *hanc rem mihi ex pantâ impanitam.*
Id quærunt! volunt, hæc ut infecta faciant. AN. age Olympio,
Quando vis, uxorem accipe hanc à nobis. OL. date ergo, datura
Si unquam eftis hodie uxorem. ST. abite intrò. AN. amabo! integra atque
Imperita huic, impercito. OL. futurum eft. valete. ST. ite.
AN. Jam valete. ST. jámne abfceffit? OL. uxor domi eft, ne time. ST. evax!
Nunc pol demum ego fum liber, meum corculum, melliculum,
Verculum. OL. heus tu! malo, fi fapis, cavebis; mea eft hæc. ST. fcio!
Sed meus fructus eft prior. OL. tene hanc lampadam. ST. imò ego illam tenebo.
Venus multipotens, bonam vitam mihi

Dedifti,

Dedisti, bujus quum copiam mibi fecisti.
Corpusculum melliculum! OL. mea uxorcula!
ST. Quid est? OL. institit plantam. ST. quasi jocabo.
Nebula baud est mollis, atque bujus est.
OL. Edepol papillam bellulam! bei misero mibi!
ST. Quid est? OL. pectus mibi agit nunc cubito.
ST. Quid tu ergo banc quæso tractas tam?
At mibi, qui bellè banc tracto, non. OL. vaba!
ST. Quid negotii est? OL. obsecro, ut valentula est!
Pæne exposivit cubito. ST. cubitum ergo ire vult.
OL. Quin imus ergo? ST. bella bellatula!

SENSIM] Turneb. lib. 8. 11. Nova nupta olim non solùm non contingebat pedibus limen domûs, in quam deducebatur, sed nec ejus, quâ exibat. Atque illud à multis observatur, hoc non item. Catullus:

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

A Ad quod Muretus: Novè dictum, pro, *fer pedes trans limen.* Ominosum autem putabatur vel ingrediendo vel egrediendo limen tangere. Ideoque Virgil. equum illum fatalem in limine substituisse scribit,

——quater ipso in limine portæ
Substitit.

Præcipuè autem id in novis nuptis religioni habebant. Ovid.

——limen transire memento
Cautius, atque altè sobria ferre pedem.

Vide etiam *Observat. ad Rit. Nupt.* Franc Hotomani cap. 19. & Form. Brissonii, p. 529. & Isid. l. 9. Etymol. c. ult. item Plutarch. in *Quæst. Rom.* & Servium ad 8. Eclog.

3. POTIOR POLLEAT] ita Cam. è suo MS. rectius, Grutero judice. Lamb. *pot. pollentià sis.* Cicero: *Filius plus pollet potiorque est patre.*

5. NOCTUQ. ET DIU UT] ita Gul. Canterus N. Lect. lib. 4. cap. 6. mutilum hunc versum restituit è Nonio: nec displicet Grutero: qui tamen indicat præterea, V. C. versum præcedentem & seqq. quatuor sic habere capite truncatos:

.....susciperet tuumque imperium
...... et diu ut viro
........maximo suo hercle
...........non taceo.
..............banc rem mibi &c.

A nulla tamen hic lacuna in Pall. aut Edd. vett. supplevit autem isthæc Camerarius, admodum dextrè.

7. QUÆ RES?] quamobrem non taceas: L.

7. MALÆ] sc. ancillæ. Lambinus mallit distinguere. *quæ res? OL. mala: m.* scil. res est.

10. OL. DATE ERGO] Ita hunc locum in Personas suas digessit Pistoris: ex ingenio Personarum, ut ego censeo, valdè ingeniosè.

12. IMPERCITO] i. ne sis erga hanc inclementior: parcito Venerei conflictus imperitæ. Amph. *——atque tibi imperce*: Cam. Lamb. At editio Ald. & Colon. I. *imperitæ huic imperce.* Rectè, inquit, Meursius. Una enim ancillarum in alteram à se amolitur hoc jussum Stalinonis, cum convitio *integram* atque *imperitam* vocans. Hoc porrò minimè silentio prætereundum: *Integer* hic sumi pro imperito & rustico: quomodo & nos in nostro vernaculo sermone dicimus, de ejus generis homine, Hy is so heel. At Gruterus, Nihil, inquit, mutandum de lectione primâ; nihil de interpretatione Lambini. nam hoc primum & ultimum est quod virginem accipientibus dici solet etiam hodie; clementer ut habeatur integra & imperita. illud *tëpere atque*, quod reperitur in vett. edd. natum ab imperitia scribarum. nam Pall. pro eo habent *impero cito.* quod & initio fuerat in V. C. sed mutatum deinde in *impercito.*

ST. JAMNE ABSCESSIT? OL. UX.] *Abscessit?* scil. illa ancilla, quam postremam ingredi domum viderat. Injicit aut Olympio

facere mentionem uxoris, sed ita, ut moneat, non esse quod eam amplius vereatur.

14. SVM LIBER] sc. postquam uxor abscessit.

14. MELLICVLVM] ita edidit Cam. itaque omnes MSS. atque etiam Frising. itemque omnes edd. præferunt. nisi quòd Pal. pr. *mellioculum*: sec. *melioreculum*. Priscianus tamen hinc citat. *melculum*, à melle, non *melliculum*. Grut.

15. VERCVLVM] diminutum à *vere*.

16. FRVCTVS] Usufructus.

16. LAMPADAM] ita Prisc. non, *lampadem*, neque aliter à manu prima Pal. sextus, a secunda primus: ne quis forte Pareo fidem adhibeat.

16. ILLAM] Casinam. *L.*

18. COR. M. FECISTI] Ita & J. Gul. l. è codd. Lang. Quid sit, *bonam bitam dare*, V. N. Persâ, act. 4:8.

19. CORP. MELLICVL.] J. Gul. è Lang. facit *mollicul̃um*. Sed MSS. Cam. & Pall. omnes, & Frising. & omnes editi ante Cam. *corpusculum melliculum*. Grut.

20. INSTITIT PLANTAM] i. pedem mihi pede pressit. Asin. act. 4. 1. Ovid. *Velle latus digitis, & pede tange pedem.*

20. JOCABO] pro, *jocabor*. Jocantis speciem præbebo, cum rem seriam agam tamen. L.

21. NEBVLA HAVD EST MOLLIS ATQ. H. EST] Ita MS. Cam. & Pall. omnes & editi vett. nam mediæ ætatis adsumsere. *atque hæc est*, persuasê à Pio affirmanti sic quoque legi in voluminibus priscis. recentiores de suo addidere *atque cutis hujus est*, cui insuper Lambinus particulam, *æquè* infarsit: malè. cùm voces istæ, *Atque, acsi, atque si*, etiam absolutê ponantur, ut suppressisse videantur, *aque, perinde, non aliter*: ut multis docet Goscal. Stewechius in de particulis Linguæ Lat. Ita Bacchid. *quem esse amicum ratus sum mihi, atque ipsus mihi sum.* Paulus JC. *Placet conditionem inesse stipulationi, atque si hoc expressum fuisset*, &c.

23. MIHI AGIT] Lipsius lib. 5. c. 1. Antiq. Lect. suspicatur Plautum ἀρχαϊκῶς scripsisse: *mihi tagit*, pro, *tangit*: ut & paullò pòst *non tagit*. Tamen Douza receptam lectionem mavult. *Agere* enim non solùm *tangere* simpliciter, verùm etiam *trudere* seu *tundere* potiùs & quasi vi quâdam propellere significat. J. Palm. p. 65. utrobique l. *icit*, quod nec Douzæ reiculum videtur. Porro *nunc* legitur in Edd. primis, in Pal. pr. quar. sexto. ceteri *non*. quod frivolè conjectaneo suo stolido adplicare nititur Pareus.

24. TRACTAS TAM?] *rustice*, vel *nequiter*, desiderari putant Lamb. & D. Vide N. Mil. 4. 2. de voce, *tam*.

27. EXPOSIVIT] Turneb. lib. 16: 3. *cubito exponere*, pro, cubito dejicere & prosternere, eleganter dicitur, quod sumptum est ab his, quæ è navi exponuntur, vel mercibus quæ expositæ sunt. Probant L. & Douza.

28. BELLA BELLATVLA] ita MSS. Cam. & Lang. & omnes Pall. Douza leg. *bellè bella tu mea*. Postquam enim, inquit, Olympio dixisset, *Quin imus ergo?* subjicit senex, Casinæ (ut putabat) auriculam vellens blandéque commonefaciens, *Bellè*, hoc est, placide, pedetentim, & (quod supra dixerat) *sensim intro progredere porrò*: ne videlicet incurras uspiam, neve ad inferum limen offenso pede impingas, &c. Sic loquitur etiam Asin. 3: 3. *I sanè bella bellè*. item Curc. 4: 1. *Sequere istum bellè bellè*. Illud verò, *bella tu mea*, in re parissima usurpatum est Rud. 2: 5. *Hem tibi aquam, mea tu bella*, &c. vett. edd. *bella bellatura*. seqq. *bella bellatula casina*.

ACTUS V. SCENA I.

PARDALISCA ancilla, MURRINA.

ACCEPTÆ bene & commodè eximus intus,
Ludos visere huc in viâ nuptialeis.
MVR. Nunquam ecastor ullo die risi adæquè,
Neque hoc quod reliquum est, plus risuram opinor.

Lubet

Lubet Chalinum quid agat scire novum
Nuptum, cum novo marito. nec fallaciam
Astutiorem ullus fecit Poëta, atque
Vt hæc est fabrè facta à nobis. obtunso
Ore nunc pervelim progrediri senem!
Quo senex nequior nullus vivit. ne illum
Quidem nequiorem arbitror esse. qui locum
Præbet illi ⋯ nunc præsidem. ⋯⋯ hic Pardalisca,
Esto: qui hinc exeat, eum ut ⋯⋯ ludibrio habeas.
PA. Lubens fecero, & solens. MVR. spectato hinc omnia
Intus, quid intus agant. PA. ⋯⋯ ponè me, amabo.
MVR. Et illi audacius licet quæ vis liberè
Proloqui. PA. tace! vostri foris crepuit.

EXIMVS INTVS] *Intus*, sæpè usurpatur pro ἔνδοθεν, Cistel. *dic me orare, ut aliquis intùs prodeat.* drinnen raus gehen. V. N. Persâ act. 2:4.

V. 4. RELIQVVM] vitæ sc.

5. LVB. CHALIN.] Priscianus lib. 8. citat, *Lub. Charinum.* Hinc opinatur Meursius, per totam hanc Fab. servi istius nomen ita scribendum: quod etiam in Merc. & Andriâ hodie legitur.

5. NOVVM NVPT.] sic MSS. Cam. & omnes Pall. præter pr. atque ita citat etiam Prisc. non, *nuptam*: & interpretatur Maritum. Chalinus enim sub specie fæminæ ductus erat. Sed & Nonius scripsit: *Nubere veteres non solùm mulieres, sed etiam viros dicebant.* quod & Fr. Junio ad Tertull. acceptum est: & Politianus Herodiani lib. 4. νυμφίον reddidit *novum nuptum.* Vide Alb. Gentilem De Nupt. lib. 2. cap. 3. qui de his accuratè disputavit.

8. OBTVNSO ORE] i. *ore oppugnato*, ut suprà, *Tundo, tutudi, tunsum & tusum*, Prisc. lib. 8. Scalig. ad Festum: Pugiles sunt obtuso ore, propter pugnos quos in ore recipiunt. Unde illud, ——*os nullum, vel potius pugilis.* Proverb. est in Casinâ, *Obtuso ore*, vel *obtunso.* cum quis spe vel instituto dejectus, pudore suffunditur. ab iis qui nihil præterquam in os *messi pugnorum*, ut loquitur Plautus, reportarunt.

11. ARBITROR ESSE] Ita Merulæ secunda, Pii & Sarraceni, & Carpentarii, & Mu-
A lingi, & Aldi, & Stephani, & Longolii; nisi quod ii omnes *ullum*. Camerarius reposuit, *ni illum q. n. arbitrarer*: optimè; & proximè MSS. nam V. C. *ne illum quidem Neq. arbitrare esse.* Pall. *ne ullum q. n. arbitrarem*, nisi quod sextus *arbitrarer*. sed deinde mutatum, *arbitror*. Editio prima Merulæ *ne ull q. n. arbitrare esse.* Porro versus seqq. integri non sunt. quid eis desit ostendunt puncta interjecta è V. C. nam Pall. lacunas vix agnoscunt, ut nec Edd.

12. PRÆSIDEM.] ita Meursius è V. C. Eleganter autem dixit, *Locum præbet illi præsidem*, pro eo, quod est, *Nemo illi nequitiâ concedit.* Et sanè in trib. etiam meis ita ad verbum est: nisi quod versus aliter sint distincti.
B Illud autem, *locum p. i. præsidem*, in omnibus est, etiam MS. Frising. & Cam. Gruteriano. Vulgati, *præside hic P. ard. Etiam.* pro quo etiā habent mss. *esse*: Edd. pr. *esset.* i. sta hic tanquam in præsidio. Mostell. *Hic ego tibi præsidebo.*

14. SPECTATO H.] ita Edit. Cam. & meæ omnes. Pareus negat illud *intus*, bis à nobis positum, comparere in ullo MS. sed falso negat. visitur sane in Pall. omnibus ad unum; excepto pr. qui lacunam habebat recipiendis versibus quatuor. Palm. emendat:

MV. specta, sis, hinc omnia,
Intus quid agant: ponè me, amabo:
Et: illi audacius licet quæ vis liberè
Prologui,

 Hona-

Hortatur ancillam ponè se latère : sic enim liberius herum irrisuram. *Ei*, pro, *i.* ab, *eo.* Et *illi* pro *illic.* Etiam J.Gul. l. *specta sis.*
15. PONE ME AMABO] Meursius l. *PA. ponè me, amabo. Et illic audacius licet quævis liberè Proloqui. MVR. tace: vestr.* Aut, *Et ibi aud.* ut erat in v.cod.

ACTUS V. SCENA II.

OLYMPIO, CLEOSTRATA, MVRRINA.

NEQVE quò fugiam, neque ubi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem,
Scio. tantum herus atque ego flagitio superavimus nuptijs nostris.
Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque ita irridiculum sumus ambo.
Sed ego insipiens nova nunc facio: pudet, quod prius nō puditum unquam (est.
Operam date, dum mea facta itero! est opere auribus percipere.
Ita ridicula auditu, iteratu ea sunt, quæ ego intus turbavi……
Vbi intus hanc novam nuptam deduxi viâ rectâ,……clavem
Abduxi: sed tamen tenebræ ibi erant, tanquam nox……
……senex abs te decumbem.
Colloco, fulcio, mollio……
Vt prior quam senex nup……
Tardus esse illicò cœpi, quoniam……
Respecto identidem, ne senex……
Illecebram stupri, principiò eam savium posco……
Reppulit mihi manum, nec quietum dare sibi savium me sinit.
Enim jam magis jam appropero: magis jam lubet in Casinam irruere.
Cupio illam operam seni surripere: forem obdo, ne senex me opprimat.
MV. Agedum tu adi hunc. CL. obsecro ubi tua nova nupta est?
OL. Perij hercle ego! manifesta res est. CL. omnem ordine rem
Fateri ergo æquum est. quid intus agitur? quid agit
Casina? satin' morigera est? OL. pudet dicere me……
……*CL.* Memora *ordine, ut occœperas. OL. pudet hercle. CL. age audacter.*
……Post*quam decubuisti, hinc te volo memorare, quid est factum.*
„ *OL.*……At *flagitium est. CL. CAVEBVNT, QVI AVDIERINT, faciam.*
OL.……*Hoc maius est. CL. perdis! quin tu pergis? OL. ubi*……
……*us subtus porrò*……
……*quid? OL. babæ. CL. quid? OL. papæ*
……*est. OL. ob erat*……*maxumum*
……*haberet metui, id quærere occepi.*
……
Dum gladium ne habeat, quæro, arripio capulum……
Sed, quum cogito, non habuit gladium: nam esset frigidius. CL. eloquere.
OL. At pudet. CL. num radix fuit? OL. non fuit. CL. num cucumis?

OL. Pro-

OL. Profectò hercle·········non fuit quidquam olerum:
Nisi, quidquid erat, calamitas profectò attigerat nunquam.
Ita quidquid erat grande erat.
MY. Quid fit denique? edisserta. OL. ubi appello Casinam: Casina, *inquam,*
Amabo, mea uxorcula, cur virum tuum sic me spernis?
Nimis tu quidem hercle immerito·············
Meo mihi hæc facis: quia mihi te expetivi·············
Illa haud verbum facit, & sæpit veste id, quî estis.
Ubi illum saltum video obseptum, rogo ut altero sinat ire.
Volo ut obvertam cubitissim·················
Ullum muttit e·························
Surgo, ut ineam in·······················
Atque illam in·····························
Perlepidè narrat·····························
Savium···································
OL. Ita quasi setis labra mihi compungit barba.
Continuo in genua astanti pectus mihi pedibus percutit.
Decido de lecto præceps. subsilit. obtundit os mihi.
Inde foras tacitus (præfiscini!) exeo hoc ornatu, quo vides;
Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet. CL. optumè est.
Sed ubi est palliolum tuum? OL. hic intus reliqui.
CL. Quid nunc? satin' lepidè adita est vobis manus? OL. meritò.
CL. St! concrepuerunt fores. OL. num illa me nam sequitur?

SUPERAVIMUS] Miror interpretes dicere; *superavimus*, nempe, *omnes mortales:* nullo lepore, qui tamen hic maximus est. Maro 1. Æn. ——*satis una superque Vidimus excidia, & captæ superavimus urbi.* Quocirca nec restabo, si quis malit, *tanto beatus atque ego, &c.* If. Pontanus. MSS. Pall. omnes, *superfuimus.* ATQUE ut semel dicam, hanc Scenam cum seqq. nemo unquam, opinor, restituet, nisi Gruterus e suis MSS. codicibus. Ego ne hic quicquam sollicitarem, de industria cavi.

V. 3. IRRIDICULUM] J. Lipsius, Antiq: Lect. lib. 5: 11. legit *irridiculò.* De se loquitur servus & de Sene. Cam: l. *irridiculum*, i. ludibrium sumus. Contrà Lambinus *irridiculum* pro valde ridiculo dici negat: cum Cæsar *irridiculè* posuerit pro *non-ridiculè*, vel *non infacetè*: legitque, *in ridiculum sumus ambo.* MSS. Cam. & Pall. pr. & quart. *irridiculum sumus.* sext. *in ridiculum*, quod Lamb. placet. sec. *ridiculum sumus.* tert. *in ridiculo sumus;* quod in edd. vulgatis. Grut.

A 3. PUDET, QUOD] q. d. Nova sunt, quæ facio: nunquam enim antea turpium factorum me puduit: nunc demum pudet. L.

5. EST OPERÆ] pro, *est operæ pretium*, vel dic; *est operæ*, sic dictum esse, ut, *est temporis, est officii, est moris.* q. d. dignum est operæ audire. Contrà Pseud. *operæ non est.* Quidam, *operæ*, volunt esse dandi casûs, & dictũ, ut, *est curæ, est oneri.* cum quibus non pugnabo: *Lamb.* V. N. Mil. 2: 2. Sed rectissimum: *Est operæ*, pro, *est operæ pretium*: locutio etiam Livio usitata, ut notat *Casaub. ad Pers. Sat. 6.*

B 6. TURBAVI] turbâ & dedecore implevi. Lambinus. Sed is nescit hanc vocem esse à Cam. nam V. C. ejus hic tantum habebat, *tu*··· Pall. verò & Edd. vett. *tuli*; forsan genuinum auctoris.

7. UBI INTUS] Rectè ita Vaticani, *ubi intus hanc n. deduxi.* Lips.

7. CLAVEM] i. vectem. V. N. Mostell. act. 2: 1. ubi & Scaligeri lectio hujus loci attendatur.

8. Nox]

8. NOX] i. noctu. *Palm.* V.N. Trin. 4: 2. A

9. SENEX ABS.] Lipsius è Vatic. suspicatur l. *sine abs te dec.* Ut verba sint Olympionis ad falsam Casinam. lib. 5. Ant. c. 11. Turn. lib. 16: 3. legi in membranulis ait, *tanquam senex abs te decumbam.* quod est; quasi essem maritus tuus, qui abs te decubarem & Veneris furta clam tentarem. Lamb. ex suis maluit *aptè decumbam.* quod recepit in textum Pareus, tanquam ita esset in V. & Pall. sed aliter est. habet V. C. *abs te decumbem.* quod & in Pall. nisi quod tert. *habete decumbem.* Nos expressimus quod erat in V. C. Palatino. nam Pareus, qui se hic jactat, tanquam totam ferè scenam ex septem MSS. Pall. restituerit, cùm antea omnia essent luxata; sui similis est, tantum abest ut sanet & medeatur ægris: eos enervat potius & lædit. Exempli caussa! Uno versu legit: *Colloco, fulcio, mollio, ut prior quàm senex apte decumbam.* disertè contra V. C. & edd. primas. nam prior pars versus aperte in illis membranis collocatur post ...*nex apte decumbam.* deinde illud *prior quam senex*, constituit initium versus tertii. quid ei deinceps credendum, qui heic jactat de loci conclamati redintegratione, quem supra omnem carnificinam distrahit ac dilacerat? de tribus sanè versibus, unum finxit.

12. TARDVS] Sic omnes MSS. & editi. Palmerius tamen leg. *Taurus*, ducente (ut ait) sententiâ: nam *tardus* (inquit) nemo erat hominum qui viveret minùs. quin omnibus his verbis properationem suam narrat, ut seni operam illam surriperet. Et; *Taurus* scribendum, satis argumenti est in iis, quæ dehinc sunt. *Respecto identidem, ne senex.* Notum enim ubi plures in grege tauri sint, de usu juvencarum inter se dimicare: qui impar sit, non nisi ex insidiis conari, & identidem respectare, cum operam aliquam valentiori surripit. Adjuvat, quod in eâ palæstrâ *Taurus* pro valido frequentatur. Horat. 2. Od. 5.

——nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Item:

——pereat malè, quæ te
Lesbia quærenti taurum, monstravit inertem.

14. ILLECEBR.] Notat Gruterus de suo præposuisse Lamb. neque in ullo MSS. neq; olim cuso apparere, *Quare deinde.*

15. NEC QVIETVM DARE] Sic Pall. ad unum omnes. nam V.C. *neq. enim d. s. s. me sivit*; quomodo & vett. nisi quod ij *sinit.*

17. FOREM OBDO] MS. Cam. *abdo:* Pall. *obdo:* quod editt. retinent: ut Grut. notat, & Lipsio placet.

« 17. ORDINE] Palm. l. *omnem ordinem Fat.* Nam *ordo* est series tota & historiæ corpus. Sic Propert. lib. 3. *Sera tamen pietas, natis est cognitus ordo:* ita enim legendum; non *error.* Pacuvius: *Gnate ordinem omnem, utut erit, enoda patri.* Pall. *omnem in ordinem.*

19. MORIGERA EST?] *Morigerus, morigerari, morem gerere:* maximè locum habent in re tali. Exempla obvia ubique. L.

21. POSTQ. DECVB.] ita Lamb. At Lipsius: *Quando habuisti; hinc &c.* Et, Propriè, inquit, usurpavit *Habere:* ut Græci interdum τὸ ἔχειν: & ut Petronius respondens argutæ epistolæ scortilli illius: *Paralysim tamen cavere jubes: tanquam major fieri possit, quæ abstulit mihi, per quod etiam te habere potui.* Etiam Palm. l. *Quando habuisti:* & addit illud Ter. *Quis heri habuit Chrysidem?* V. C. & Pall. & edd. vett. tantum habent ...*uam debuisti.* Scaliger notarat ad Plautum suum, *Qua indebuisti.* B

22. CAVEBVNT, QVI AVDIERINT] Nota Lector, & tu etiam cave, quæ hic audis, quæ legis. Nempe hoc fine & venena noscimus.

23. FACIAM] ita Schop. atque hoc Delfis responsum dici cupit. *Faciam cavebunt*, pro, futurum est, ut caveant. ut τὸ *faciam* sit quodammodo parelcon. Sic Prol. Capt. *faciam ut pugnam cernat non bonam.* Amph. *Ego faxim te Amphitruonem esse malis quàm Jovem.* Persâ: *Si id fiat, ne isti faxim nusquam appareant*, pro, eveniet, ut nusquam appareant. MSS. & Edd. priores *faciant.*

25. ... HOC MAIVS EST.] Sic emendatur in Pal. sexto: qui antea, *hoc magnum est*, quod & in V. C. & aliis Pall. nisi quod quidam *magis*; & quartus ad *hoc* notavit *obe.*

26. ....VS] *Locus* hic quidam ponunt: sed contra libros in quibus tantum *us* pro obscenâ corporis parte sumatur: ut ὗς apud Arist. lib. 6. Animal. Dioscorid. lib. 1. c. 59. Ita certè & Petronius: *Alium locum, quem polluas quære.* Ita in Carm. libero: *Dum timet alterius vulnus inepta loci, &c.* Vide & Durantium Var. Lect. l. 2: 11.

CVIC-

QVICQVID P.] Douza l. *quid, quid papæ!*
ID QVÆR. OCC.] Scal. *occœpi quærere.*

26. CAPVLVM] Scalig. legit. *caplum* pro *capulum*; ad illa Priap. *Intra viscera furis ibit usque Ad pubem capulumque coleorum.*

27. ID ESSET FR.] *Gladium*, neutro genere positum antiquis notat Nonius. ita & *pannum* dixit Nævius:
Qui habet uxorem sine dote, pannum positum in purpurâ est.

27. FRIGIDVS] Lipſ. è Vatic. l. *nam esset frigidus. MV. eloquere. SER. at pudet. MV. memini, radix fuit.* ſicq; edd. vett.

29. PROFECTO HERCLE] MS. Cam. *profectò hercle* .... *non fuit.* Voluit fortè annuiſſe ruſticum de cucumi; ſed non ſimpliciter: formâ fuiſſe aſſimile forſan, non etiam calore aut tactu, &c.

30. CALAMITAS] J. Douza: Feſtiva hic ſelectiſſimarum vocum copia eſt: *calamitas prof. attig. nunquam, ita quicquid erat, grande erat.* Principiò vides proprietatem verbi *Calamitas*, quod nihil aliud, quàm culmorum ſeu calamorum comminutionem deſignat. Deinde *Grande* illud, neſcio quid opinione grandius ſe habet. Peculiariter enim frugum ac olerum fœtibus convenit: quod & Maronis *grandia frumenta*, & *vegrandia farra*, apud Ovidium; tum verba illa ſolemnia in ſacris ruſticis ritè pronunciari ſolita confirmant apud Catonem: *Mars pater, te precor quæsoque, uti tu fruges, vineta, virgulta grandire beneque evenire ſinas &c.* Pacuvius: *Nec grandiri frugum fœtum poſſe, nec miteſcere.* Scaliger in Carm. Liberum: Sanè, *grandia poma* ruſtici vocabant, τὰ ἁδρὰ, ut Virg. *grandes fruges*, h. e. ἁδροὺς Æſchylo: & ἁδρὸς σῖτος. Contrà, *vegrandes meſſes*, quæ, ut ait Ovid. *male creverunt.*

31. CASINA, INQVAM] Nullus è Pall. habet iſtud repetitum *Casina*, ſed omnibus eſt, *ubi appello Casinam inquit* neque aliter olim cuſi.

33. TV QVIDEM H. IM.] Lipſ. l. è Vat. *t. q. hercle audax es im.* ſed Douza, *audacter*, mavult. Acidalius verò, *Mea es tu quidem hercle: haud ex merito meo m. hæc f.* ſed ſic nullus Palatinus, quamvis ita ediderit Paræi pr.

34. SEPIT VESTE] i. obducit veſte naturam muliebrem. Sic *naturam*, quâ mulieres ſunt, dixit Varro lib. 2. De re Ruſt. Turn. lib. 16: 3. Sic Apul. lib. 2. de ſuâ Fotide; *Paulisper etiã glabellum fæminal palmulâ obumbrans. &c.* quam partem idem *virginal* appellat, & *interfeminium*; ut notat Lipſ. lib. 2. El. 2.

35. SALTVM] i. *naturam muliebrem*: Lipſius. V. N. Amph. 1:1. & Curcul. act. 1: 1.

37. VOLO, VT OBV. CVBITISSIM] Totum hunc locum, ita Douza repræſentat, ut ex veſtigiis Rover. libri reſtituit Lipſius, Antiq. Lect. 5: 11. nos V. C. ferè expreſſimus.

40. QVASI SETIS] Venuſtè: ſed magis probo librorum vett. ſcripturam, *Itaque ſetis labra mihi compungit barba*: tametſi non repugno, ſi quis ex Editis avorum memoriâ malit: *Ita quaſi ſetis labra mihi compungit barba. Setas* quidem denſum capillorum horrorem vocat admodum ſcitè & eleganter: atque à cauſsâ eadem, neſcio qui Poeta vetus; *barbam ſetoſam.* hæc Gulielmius. Probat etiam Grut. *ſetis*, è MSS. Pall. & à ratione.

41. CONTIN. IN GENVA ASTANTI] Ita hunc verſum Lipſius ſupplet è Vaticano. neq; aliter Pall. aut Ed. vet. nam V. C. *aſtitutis*: unde Langianorum *aſtituto*: quod Scaligero Grut. & Douzæ placet. Alii, *inſtanti.*

43. PRÆFISCINI] ita Palm. *præfiſcini exeo.* Ait ſe præſiſcini exiiſſe, ut eodem ſcilicet poculo ſenex biberet. Poſteriora enim hæc prioris ratio ſunt. V. N. Aſin. 2: 4. Quomodo autem totam ferè Scenam ordinarit Palmerius, habetur in ejuſdem Spicileg. pag. 11: 12. & ſeq. Pareus in ultima ſua, ita ferè loquitur; atque ſi ipſe ex ruderibus antiquæ ſcripturæ emendationem hanc eruiſſet. verùm, ut deceptores ſolent, ſermone ambiguo.

44. QVO EGO BIBI] Vide N. Rud. act. 3: 6.

46. ADITA EST V.] V. N. Pœn. act. 2. Ita autem Grut. hæc reſtituit.

ACTUS V. SCENA III.

STALINO, OLYMPIO.

MAXIMO ego ardeo flagitio, nec quid agam meis rebus scio.
Nec meam ut uxorem aspiciam contrà oculis: ita disperij.
Omnia palàm sunt probra. omnibus modis óccidi miser.
Ita manifestò faucibus teneor:
.... *nec quibus modis purgem scio me meæ uxori,*
.... *qui expalliatus sum miser* ....
.... *clandestinæ nuptiæ* ....
.... *censeo*
.... *mihi optumum est*
.... *ea dux uxorem meam*
.... *viam*
Sed ecquis est qui homo munus velit fungier pro me?
Quid nunc agam nescio, nisi ut improbos famulos imiter, ac domo fugiam?
Nam salus nulla est scapulis, si domum redeo.
Nugas istuc dicere licet. vapulo hercle ego invitus tamen,
Etsi malum merui. hàc dabo protinàm, & fugiam. OL. *heus, Stalino*
Amator! ST. *óccidi, revocor. quasi non audiam, abibo.*

MEIS REBVS] V. N. Mil. act. 4: 1.

V. 2. ADSPICIAM CONTRA] pudoris & metus signum, non audere alicui ἀντιβλέπειν. Xenophon παιδ. γ. Aliàs cum dicunt se non posse ἐξ ἴσης ὄμμασιν ὁρᾶν, quem exosum & invisum habent. Vide Des. Heraldi Adversf. lib. 2. cap. 4.

4. FAVCIBVS] Tractum à piscibus, & aliis animalibus, quæ faucibus capta nullo modo effugere possunt. L.

10. VX. MEAM] sc. impulit ad has fallacias.

11. RIAM] Sic MSS. Pall. Lambinus suggerit, *ea hanc invenit rimam.* i. rationem, quâ nostra consilia & nuptias turbaret. Sic Curcul. *aliquam reperitis rimam.* vel sic: Ea hanc viam reperit, quâ fallacias nostras eluderet atque effugeret. Videtur à *muribus* ductum, qui interdum pœnè capti per tenues rimas elabuntur: L.

12. SED ECQVIS] Num quis est, qui meus velit esse vicarius? L.

A 15. INVITVS TAM.] J. Gul. è Lang. l. *Vapulo ego hercle invitus: tamen Etsi malum merui. hàc dabo me protinus, & fugiam.* Antiquum adverbium in tmesi est, *tametsi.*

16. DABO PROTINAM, ET FVGIAM] ita MSS. Cam. & Lang. & Edd.

16. HEVS, STALINO] J. Gul. è MSS. Lang. *sta eloco*: antique, pro *illico.* Etiam MS. Cam. huc vergeret, in quo, *heus stalicho amator*: nisi vero similius foret, *heus Stalino*, quomodo
B aperte omnes olim cusi; neque abludunt Pall. itaque quæ sunt intemperiæ loco sano movere controversiam?

17. ABIBO.] Sic plane MS. Cam. & olim editi omnes: & postulat sententia. *adibo* tamen servant à Cam. & Lamb. publicati, quomodo & Pall. *Grut.* Etiam Acidalius annotat; Sensum ipsum illud *abibo* cum pipulo poscere ab istis, qui mutarunt in *adibo.*

ACTUS V. SCENA IV.

CHALINVS, STALINO, CLEOSTRATA, MVRRINA, OLYMPIO.

VBI tu es, qui colere mores Massilienses postulas?
Nunc tu, si vis subigitare me, proba est occasio.
..............peristi hercle! age, accede huc,

Hic desunt octo versus.

ST. Hàc ibo. caninam scævam spero meliorem fore.
CL. Quid agis tu marite, mi vir? unde ornatu hoc advenis?
Quid fecisti scipione, aut quod habuisti pallium?
AN. In adulterio dum mœchissat Casinam, credo perdidit.
ST. Occidi. CH. etiámne imus cubitum? Casina sum. ST. in malam crucem!
CH. Non amas me? CL. quin responde, tuo quid factum est pallio?
ST. Bacchæ! ergo hercle uxor. Baccha! Bacchæ! hercle, uxor.
AN. Nugatur sciens. nam ecastor nunc Bacchæ nullæ ludunt.
ST. Oblitus fui. sed tamen Bacchæ. CL. quid Bacchæ? id fieri non potest.
OL. Times ecastor. ST. egóne? OL. haud mentire hercle, nam pa.....

Hic in MSS. lacuna est, versuum novem.

ST. Non taces? OL. non hercle verò taceo. nam tu maxumo
Me obsecravisti opere, Casinam ut poscerem uxorem mihi.
ST. Tui amoris caussâ ego istuc feci. CL. imò ecastor illius.
Te quidem oppressi. ST. feci ego isthæc dicta quæ vos dicitis?
CL. Rogitas etiam? ST. siquidem hercle feci, feci nequiter.
CL. Redi modò huc intrò: monebo, siquidem meministi minus.
ST. Hercle opinor potius vobis credam, quod vos dicitis.
Sed, uxor, da viro hanc veniam. Murrhina, ora Cleostratam:
Si unquam posthac aut amasso Casinam; aut occœpso modò;
Nedum ut eam amasso: si ego unquam adeò posthac tale admisero:
Nulla caussa est, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.
MV. Censeo, ecastor, veniam hanc dandam. CL. faciam uti jubes.
Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minùs gravatè prospero;
Hanc ex longâ longiorem ne faciamus Fabulam.
ST. Non irata es? CL. non sum irata. ST. tuæ fidei credo? CL. meæ.
ST. Lepidiorem uxorem nemo quisquam, quam ego habeo. CH. hanc habe!
CL. Age tu, redde huic scipionem & pallium. CH. tene. ST. libet.
CH. Mihi quidem edepol insignitè facta est magna injuria.
Duobus nupsi. neuter fecit, quod novæ nuptæ solet.

CH. VBI TV ES] Rectè quidem hos versûs A Chalino tribuit Lambinus: sed quòd idem hæc ad spectatores dici autumat, verisimile non est. Crederem potius Chalinum habitu muliebri ex ædibus Alcesimi prodeuntem his verbis Senem alloqui, cumque per ridiculum ad concubitum vocare. *Pistores.*

V. 1. MORES MASSIL.] Athenæus de Massiliensibus: ἀσχημονοῦσι γὰρ διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τρυφὴν γυναικοπαθοῦντες, ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθε. Πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν. Notat J. Lips. cujus etiam vide Commentar. ad *Taciti Germaniam*: ubi, inter cætera, majores nostros, contra Athenæum, Diodorum, Aristotelem, Strabonem, alios, ab hàc flagitiosâ muliebris morbi turpitudine planissimè liberat & purgat. Lud. Cælius, Antiq. Lect. lib. 16. cap. 8. Ciceronis, Val. Maximi, Livii, C. Taciti autoritate, disciplinam gravissimam tribuit Massiliensibus. J. Brodæus Miscell. lib. 3. cap. 27. docet, auctores non discrepare, qui Massiliensium mores & *molles* vocant & *severos*, sed diversis sæculis. ergo vult, ubi tu es, qui severitatem gravitatem & castimoniam singularem vultu præfers; cùm interea sis nequam. Rittersh. ad Salvianum. B

2. SI VIS SVBIGITARE] MSS. Pall. & Lang. & editt. vett. *subicitare*. idem est quod *subigitare*, à *subigo*. Lambinus *subicitare* mirabiliter & derivat & explicat: tanquam si non possent subsistere mores Massilienses, nisi mollem se pateretur Stalino. Etiã Gasper Schoppius Lambino os verberat, & hæc ambitiosiùs explicat Suspectar. Lect. lib. 3. epist. 19. quæ recoquere animus non est. At Lips. l. è Vatic. *fine os sublectare me: proba est occasio. Peristi hercle.* Quippe, *Sublectare os*, est ludos aliquem & jocum facere, germanissimâ Plauti phrasi.

3. PERIISTI] Malè personam *Myrrhinæ* præponit Lambinus: nec pauca, ut ait, sed permulta sanè desunt, si fides est, ut est, MSS. vett. quos ille raro consuluit. *Grut.*

4. CANINAM SCÆVAM] canis occursum minùs inauspicatum mihi fore spero, quàm uxoris, Turneb. lib. 5. 11. & lib. 16. 3. *Canina scæva est*, cùm canis latrat, aut ringitur. Ait enim minus gravem fore canis latratum, quàm probra & contumelias & jurgia; quibus ab uxore rixosâ onerabitur. V. N. Pseud. act. 4: 7.

5. VNDE ORNATV] V. ed. *secum ornatu*. Ex quo Douza, *sic cum ornatu h. advenis?* sed prius visitur in Edd. primis, neque habetur in MSS. Pall.

6. FECISTI SCIPIONE?] Ita enim re amissa interrogari solet. Paulò post: *Tua quid factum est pallio?* V. N. Mil. 4: 1. In MSS. & Edd. est, *scipionem*.

7. AN. IN ADVLT. DVM MOECHISSAT] Ita Cam. additâ personâ *ancillæ*, quæ in nullo est MSS. Deinde *Pius* divinarat, *dum mœchus salis Casinam*: quod arripuit Parisiensis vetus editio: ineptè: Grut.

7. OCCIDI] MSS. & edd. *Occidit*.

10. BACCHÆ ERGO] Vox bacchantium & furore percitorum; quam nunc usurpat Stalino, quasi mente captus. MSS. Cam. & Lang. & vett. Edd. l. *Bacche*, ubiq; sine diphthongo. & sic etiam reliqua, uti exhibuimus.

13. NAM PALAM EST] Hic omnino versûs desunt novem: ut patet è MS. Cam.

16. IMO HERCLE ILL.] ita vett. Edd. In MSS. Cam. & Lang. est, *hectore*.

16. ILLIVS] Casinæ.

17. ISTHÆC DICTA] Douza F. *dicta* hic accipit, ut Homerus ἔπος, hoc est, *res*. quo- B modo illud in Ciri Virgilianâ explicat Scaliger:

Quæritur ex omni verborum injuria dicto.

Sic Hebræi, (inquit idem Scal.) dicunt *verbum* pro facto. sic Latini *RES*. nam à φύσει & veteres dicebant *Rexes*; quod decurtatum in *Res*; ut alia.

25. NE DVM AMASSO] MSS. *Ne ut eam amasso*. & verò Pal. quartus annotavit, vacat: quo vult totum versum spurium, ut profectò, si absit; nihil desit sententiæ.

26. PROSI EXO] i. ex animi tui sententiâ largior: L. Gulielmius è vett. edit. l. *prospero*: sed præter versum; inquit Grut. qui & Persâ act. 1. sc. 3. hoc verbum notat: *Nunc & amico meo prosperabo, &c.*

29. HANC HABE] Non tribuenda istæc seni, indicat V. C. qui ante hoc verbum præfert lacunam replendam persona altera. MSS. tamen *habet*. sed usitatissimum iis, usurpare & proe.

31. INSIGNITE] i. *cum indicio notæ*. Nonius. Cic. pro Quint. *Nec tamen quisquam inventus tam insignite improbus.* Id. De divin. *In quibus tanquam insignitæ notæ veritatis appareant.*

GREX.

GREX.

SPECTATORES, *quod futurum est intus, hic memorabimus.*
Hæc Casina hujus reperietur filia esse è proxumo.
Eaque nubet Euthynico nostro herili filio.
Nunc vos æquum est, manibus meritis meritam mercedem dare.
Qui faxit; clàm uxorem ducat scortum semper, quod volet.
Verùm qui non manibus clarè, quantum poterit, plauserit,
Ei pro scorto supponetur hircus unctus nauteâ.

QVOD FVTVRVM EST INTVS] Huc pertinet præceptum Horatii in Arte:
——nec tamen intus
Digna geri promes in Scenam.
Ita in Asin. *immò intùs potiùs.* Cistell. *intus conficient negotium.*] Terent. *Intùs despondebitur.* Et notat Frid. Lindebruch. in quibusd. MSS. ad illud Terent. *Juno Lucina:* item alterum Ad act. 3. 4. *Miserum me, differor doloribus;* ab Exscriptore additum esse, *Intùs:* ut intelligatur hæc post Scenam fieri.

1. HIC MEMOR.] Sic egregiè Camerarius, cùm fuisset in prioribus *idmem*, at MSS. syllabam neutram agnoscunt.

2. HVIVS] Alcesimi. L.

3. EVTHYNICO] Sic restituit Turneb. libr. 8:11.

4. MERITIS] scil. histrionibus: quibus ita meritis manuum plausus debetur. Ineptè Lambinus *manus meritas* conjungit.

7. NAVTEA] V. N. Asin. act. 5:2. In MS. Cam. legitur, *nausea:* planè ut alicubi suprà: quomodo & in plerisque Editis, & Pall. pro altero tamen pugnat Festus Pompejus.

FINIS CASINÆ.

CISTELLARIA.

ARGVMENTUM.

NOMEN habet Fabula à *cistellâ*, quàm amittit in hâc ancilla, & reperit mulier, mater ejus puellæ, cujus in illâ crepundia inerant. Ita agnoscitur amica adolescentis, & illi nubit. *Argumentum* est simplex & admodum tenue. Insertus est motus insani amoris. NOMINA autem personarum Dramatis hæc sunt. *Silenium*, σιλλώνιον deminutum ἀπὸ τῆς σιλλώνης: quod nomen Lucr. libr. 4. memorat: *Simula σιλλών ac satyra est: labiosa* Φίλημα. *Gymnasium* jocosè inditum meretrici nomen: ut apud Lucianum cuidam, *Palæstra*. *Melænis*, μελαινὶς, patronymicâ formâ, à nigredine, *Alces*. ἀλκησίμαρχος, de robore & imperio factum nomen. *Lampadio*, λαμπάδιον, à face. *Phanostrata*, Φανοστράτη, significationem habet claritatis militaris. *Halisca*, ἁλίσκη: & memoratur masculinum ἁλίσκος, sicut συρίσκος; sed factum

ælia ratione. nam hoc à nomine deminutum; illud à verbo dictum fuit, ficut ἀρκτος ab ἀρκτεω. *Demipho*, δημοφῶν ficut ἀντιφῶν, ξενοφῶν: quæ omnia habent fignificationem φανότητος, i. fplendoris : ut Grammaticis placet. *Camerarius*. Val. Acidalius *Ciftellariam* & ancillæ & Comœdiæ nomen effe ait: etiam Trin. act. 2:1. *Ciftellariæ, five ciftellatricis* nomen & munus refertur.

J. Douza: *CISTELLARIAM Plauti cum lego, mirari non leviter fubit, unde illi in argumento jejuno adeò ac fterili tanta leporum ac facetiarum fuppetierit comitas. Rurfus cum Plautini Genij atque ingenij indolem mecum tacitus contemplor, non poffum non continuò meam ipfius fimplicitatem accufare, id in Comico noftro potiffimùm mirantis, quod ejus maximè proprium eft & quafi peculiare.*

DRAMATIS PERSONÆ.

SILENIUM meretrix	ALCESIMARCHUS adolefcens.
GYMNASIUM meretrix.	LAMPADIO fervos.
LENA.	PHANOSTRATA uxor.
AUXILIUM prologus.	HALISCA ancilla.
MELÆNIS lena.	DEMIPHO fenex.

CATERVA.

ARGUMENTUM.

COMPRIMIT adolefcens Lemnius Sicyoniam,
Is redit in patriam, & gnatam generat nuptiis.
Sicyonia æquè parit puellam. hanc fervolus
Tollit, atque exponit, & ex infidiis aucupat.
Eam fublatam meretrix alii detulit.
Lemno pòft rediens ducit, quam compreflerat,
Lemnique natam defpondit adolefcentulo
Amore capto illius projecticiæ.
Requirens fervus reperit, quam projecerat.
Itaque lege, & rite civem cognitam
Alcefimarchus, ut erat nactus, poffidet.

LEMNIUS SICYON.] Demipho Phanoftratam. MSS. *Liconiam.*

2. PATRIAM] Lemnum.

2. GNATAM] non nominatam.

3. PUELL.] Silenium. De *Silenis*, qui fimis funt naribus, deque hâc Silineo multa annotavit Gifanius Indice Lucret. & *Is. Cafaub.* in De Satirâ.

3. SERVOLUS] Lampadio.

4. TOLLIT] V. N. Amph. 13.

5. ALII] Melænidi.

6. DUCIT, Q.] uxore priori mortuâ.

7. ADOLESC.] Alcefimarcho.

11. UT ERAT N.] quia folus cum eâ confueverat. L.

ACTUS I. SCENA I.

SILENIUM, GYMNASIUM, meretrices. LENA.

CUM ego antidhac te amavi, & mihi amicam esse crevi,
Mea Gymnasium, & matrem tuam: tum id mihi hodie
Aperuistis, tu atque hæc. soror si mea esses,
Qui magis potueris mihi honorem ire habitum,
Nescio; nisi, ut meus est animus, fieri
Non posse arbitror: ita omnibus relictis rebus
Mihi frequentem operam dedistis. eò ego vos
Amo, & eò à me magnam inistis gratiam.
GY. Pol istoc quidem nos pretio facilè est
Frequentare tibi, utilesq; habere:
Ita in prandio nos lepidè atque nitidè
Accepisti apud te, ut semper meminerimus.
SI. Lubentique edepol animo factum, & fiet à me:
Quæ vos arbitrabor velle, ea ut expetam.
LE. Quod ille dixit, qui secundo vento vectus est,
Tranquillo mari, ventum gaudeo ecastor ad te:
Ita hodie hic accepta sumus suavibus modis;
Nec, nisi disciplina, apud te fuit quicquam
Ibi, quin mihi placeret. SI. quid ita, amabo?
LE. Raro nimium dabat quod biberem: atque id merum
Infuscabat. GY. amabo, hiccine istud decet?
LE. Jusque fasque est: nemo alienus hic est. SI. merito
Vestro amo vos, quia me colitis & magnifacitis.
LE. Decet pol, mea Silenium, hunc esse ordinem
Benevolenteis inter se, beneque amicitiâ utier:
Ubi istas videas summo genere natas,
Summates matronas, ut amicitiam colunt,
Atque ut eam junctam bene habent inter se.
Si idem istud nos faciamus, si idem imitemur.
Ita tamen vix vivimus cum invidiâ summâ.
Suarum opum nos volunt esse indigentes.
Nostrâ copiâ nihilo volunt nos potesse,
Suique omnium rerum nos indigere,
Ut sibi simus supplices. eas si adeas,
Abitum, quàm aditum malis: ita nostro ordini

Palàm

Palàm blandiuntur: clàm, si occasio usquam est,
Aquam frigidam subdolè suffundunt.
Viris cum suis prædicant nos solere:
Suas pellices esse ajunt: eunt depressum:
Quia nos libertinæ sumus. & ego & tua mater ambæ
Meretrices fuimus: illa te, ego hanc mihi educavi
Ex patribus conventitiis. neque ego hanc superbiæ caussâ
Repuli ad meretricium quæstum, nisi ut ne esurirem.
SI. At satius fuerat eam viro dare nuptum potius. LE. heia!
Hæc quidem ecastor, quotidie viro nubit, nupsitque hodie,
Nubet mox noctu. nunquam ego hanc viduam cubare sivi.
Nam si hæc non nubat, lugubre fame familia pereat.
GY. Necesse est, quo tu me modo voles esse, ita esse, mater.
LE. Ecastor haud me pœnitet, si, ut dicis, ita futura es.
Nam si quidem ita eris, ut volo, nunquam Hecata fies:
Semperque istam, quam nunc habes, ætatulam obtinebis,
Multisque damno, & mihi lucro sine meo sæpe eris sumtu.
GY. Dii faxint. LE. sine operâ tuâ nihil di horunc facere possunt.
GY. Equidem hercle addam operam sedulò. sed quid tu inter istæc verba,
Meus ocellus, mea Silenium, (nunquam ego te tristiorem
Vidi esse) quid, cedò, te obsecro tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adæquè es, ut soles. hoc sis vide, ut petivit
Suspiritum altè! & pallida es. eloquere utrunque nobis,
Et quid tibi est, & quid velis nostram operam, ut nos sciamus.
Noli, obsecro, lacrimis tuis mihi exercitum imperare,
Mea. SI. excrucior mea Gymnasium, malè mihi est, malè maceror;
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.
Quid dicam? nisi stultitiâ meâ me in mœrorem rapi.
GY. Indidem, unde oritur, facito ut facias stultitiam sepelibilem.
SI. Quid faciam? GY. in latebras abscondas pectore penitissimo.
Tuam stultitiam sola facito ut scias sine aliis arbitris. SI. at mihi
Cordolium est. GY. quid id? unde est tibi cordolium, commemora obsecro?
Quod neque ego habeo, neque quisquam alia mulier, ut perhibent viri.
SI. Si quid est, quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc hic dolet.
GY. Amat hæc mulier. SI. eho! an, amare occipere, amarum est, obsecro?
„ GY. Namque ecastor AMOR & melle & felle est fœcundissimus:
„ Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit.
SI. Ad istam faciem est morbus, qui me, mea Gymnasium, macerat.
GY. Perfidiosus est amor. SI. ergo in me peculatum facit.
GY. Bono animo es, erit isti morbo melius. SI. confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.
„ GY. Veniet. SI. SPISSUM istud amanti est verbum, Veniet, nisi venit.

Sed

Sed ego meâ culpâ & stultitiâ pejus misera maceror:
Quia ego illum unum mihi exoptavi, quicum ætatem degerem.
GY. Matronæ magis conducibile est istuc, mea Silenium,
Unum amare, & cum eo ætatem exigere, cui nupta est semel.
Verùm enim meretrix fortunati est oppidi simillima,
Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.
SI. Hoc volo agatis: quâ arcessitæ caussâ ad me estis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obsecuta est, de eâ re gessit morem morigera mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, sineret cum eo vivere.
LE. Stultè ecastor fecit: sed tu en unquam cum quiquam viro
Consuevisti? SI. nisi quidem cum Alcesimarcho, nemine:
Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam imminuit. LE. obsecro
Quo is homo insinuavit pacto se ad te? SI. per Dionysia
Mater pompam me spectatum duxit: dum redeo domum,
Conspicillo consecutus est clanculùm me usque ad fores.
Inde in amicitiam insinuavit cum matre & mecum simul,
Blanditiis, muneribus, donis. GY. mihi istum hominem vellem dari,
Ut ego illum vorsarem! SI. quid opus est verbis? consuetudine
Cœpi amare contrà ego illum, & ille me. LE. ô mea Silenium. SI. quid est?
„ *LE. ASSIMULARE amare oportet. nam si ames extemplò,*
„ *Melius illi multò, quem ames, consulas, quàm rei tuæ.*
SI. At ille conceptis juravit verbis apud matrem meam,
Me uxorem ducturum esse: nunc alia ducenda est domum,
Sua cognata Lemniensis, quæ habitat hic in proximo.
Nam eum pater ejus subegit. nunc mea mater irata est mihi,
Quia non redierim domum ad se, postquam eam rem resciverim,
Eum uxorem ducturum esse aliam. LE. nihil amori injurium est.
SI. Nunc te amabo, ut hanc hoc triduum solum sinas
Esse hic, & servare apud me: nam ad matrem arcessita sum.
LE. Quanquam mihi istud erit molestum triduum, & damnum dabis,
Faciam. SI. facis benignè & amicè. sed tu Gymnasium mea,
Si me absente Alcesimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare. utut erga me est meritus, mihi cordi est tamen.
Sed amabo, tranquillè: ne quid, quod illi doleat, dixeris.
Accipias clavis, si quid tibi opus erit promptu, promito.
Ego volo ire. GY. ut mihi excivisti lacrumas! SI. Gymnasium mea,
Bene vale. GY. cura te amabo. siccine immunda, obsecro,
„ *Ibis? SI. IMMUNDAS fortunas æquum est squalorem sequi.*
GY. Amiculum hoc sustolle saltem. SI. sine trahi, cùm egomet trahor.
GY. Quando ita tibi lubet, vale atque salve. SI. si possim, velim.

GY. Nunquid me vis, mater, intrò quin eam? ecastor mihi
V. sa amare. LE. istac ergo auris graviter obtundo tuas,
Ne quem ames. abi intrò. GY. nunquid me vis? LE. ut valeas. GY. vale.

VERSVS hujus Scenæ sunt *ad...* numeris constitis, usque ad illum, ... *libertu...*; a quo deinceps manu ... est ratio Septenariorum, ad illum usque, *M... a excrucior m...* Unde sunt ad finem usque hujus Scenæ Trochaici Archilochii.

1. ANTIDHAC] ita Grut. è Prisciano. & ita etiam est in MSS. Langianis priores *antehac.*

1. CREVI] ..., persuasum habui. Sic Sallust. Orat. ad Cæsar. *Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit.* Priscianus (inquit Camer.) lib. 10. interpretatur, *vidi.* Sed est potiùs *judicavi*: vel, ut Varro explicat, *constitui*: sic etiam interpretatur, *cernere hæreditatem*; cùm hæres constituat se adire illam velle, dici eum *cernere*: & cum id fecerit, *crevisse*, &c. Hâc sermonis figurâ & Cicero est usus sæpius: quam libri ... imperiti ferè corruperunt. Hæc ille. Gemina Turneb. Com. in 2. Orat. Cic. de Leg. *Cerno* autem, auctore Scal. est à ... unde *crimen* & *crines.*

3. APERVISTIS] Haud aliter omnes edd. & Pall. at V. C. *Aperuisti.*

4 POTVERIS] Sic V. C. & Pal. pr. ac sec. reliqui tamen cum vett. edd. *potueritis*, quod si retinemus, legendum & supra *esses*, pro *esset.*

4. IRE HABITVM] pro, *habere* V. N. Pers. act 1:7.

5. RELICTIS REC.] V. N. Epid. 4: 2. & Stich. 3: 2.

7. FREQVENTEM] Varro lib. 6. *apud eundem* (Plautum) *quod est*, Mihi frequentem operam dedistis, *valet, assiduam.* Ita enim legend. ibi docuit Grut. Itaque qui adest, *adsiduus*: serio quem oportet, is *frequens* appellari solet, de quo Turneb. 2. de Leg. Cic.

8. INISTIS GRAT.] V. N. Curc. act. 3.

9. POL ISTHOC Q.] i. prandio tam nitido. Q. d. facile est curare, ut adsimus, cùm tam bene nos acceperis.

10. FREQVENTARE] i. frequentem operam dare. L. D.

10. UTILESQ.] H.] ad usum tuum paratas. L. D.

13. NITIDE] ..., opiparè. *Bosius.*

12. ACCEPISTI] Donatus: *recipere*, est *inbitare facillimè atque ampliter*: ... Enn. act. 3 ... interpretatur *pascere.* V. N. infra, act. 3.

14. ARBITRABOR VT ... EAVT EXPETAM] Ita Camerarius, MSS. tamen & Edd. vett. *expetes* præter Pal. quartum, qui utrumque habet, *expetam* in texto, *expetes* superscriptum. item *arbitror.* an fuit? *expetisse*: i. *expetissetis.*

15. LE. QVOD ILLE D.] rectissime Beroaldus & vett. edit. omnes, hunc & seq. versus Lenæ tribuunt: cui rectiùs conveniunt, *Pistoris.*

16. TRANQ. MARI] ita MSS. Pall. & Frising. & quinque mex edit. Vulg. *mare*, quod & in V. C.

16. VENTVM GAVDEO] Jocus in ambiguo. nam & significare potest, gaudeo me venisse, & gaudeo ob ventum, seu ventum fuisse &c. Vide N. Curcul. 3: 1. Meursius corrigit, *secundo ventu.* nam veteres, inquit, pleraque ista nomina secundâ & quartâ declinatione efferebant: ut *Senatus, Fructus, Tumultus, Domus*, & talia. Ita Charis. lib. 1. adducit hunc locum: *Secundo ventu vectus est tranquillo mari*, &c. Non, *ventum*: non, *mare*. Ita & *Sonu* Varro dixit lib. 1. cap. 2. de Re rust. *Ad ... si non ... meo ... sonitu, ... non possetis*, sic. i. opt. MSS. Victorii. Apulejus item *Susurru.* Florid. 3. *Tibia questu delectabilior, & fistula susurru jucundior, & buccina significatu longinquior.*

18. DISCIPLINA] mos & institutum vivendi seu ... Alii l. *discipula*, ut de ... intelligatur: quod placet Douzæ: sed admodum absurdè, inquit politus ille Pareus. sic tamen diserté Pal. sextus. Meursius, Emendo, inquit, ex v. cod. (Bern. Surreccui) *hac nisi disciplina* deinde ex conjecturâ: *Raro nimium dabat* Omnia, inquit, placuerunt, præterquam quod raro dabat, quod

quod biberem, atque id quidem non merum, A sed dilutum. Hæc genuina loci hujus lectio. *Dissplicina* vox est Plauto hercules dignissima: cujus elegantiam cum minime assequerentur, *disciplina* & *discipula* substituerunt, nimis inepte. Hæc ille. Et quidem Pall. omnes & edd. vett. l. *Hæc*: ut & MS. Cam. quamvis confuse quod ad literam ultimam; habet tamen *æ*. Acidal. è vett. ed. copulam hîc restituit: *atque id mer. infusab.* Duo, atque, gravatur: & quod raro, & quod merum non sit datum. Scaliger adscripserat oræ hujus loci: *Nec nisi disciplina pudeat fuit quicquam.*

20. LE. RARO Notas personas aptissime restituit Pistoris.

21. INFUSCABAT] *Offuscare* Festus explicat *aquam in fauces ad sorbendum mittere*: & hinc putant (inquit Turneb.) *infuscare* esse *vinum aqua diluere*, cùm etiam aqua ejus colori infuscetur: at pro *id merum infuscabat*, quam *infuscabat*, malunt apud Plautum: cùm ego *infuscare* verius putem: quòd, cùm generosi vini nigrior sit color, dilutior mixta aquâ, fuscior que redditur. Douza tamen malit *infucabat*; Palmer. & Acidal *infusabat*. V. N. Mil. act. 2. 6. MS. Camer. *infuscabat*, ut & Fris. in quo postremo etiam legitur, *Raro Vinum dabat* &c. Sed noster Gruterus tres quatuorve istos versus habet pro desperatæ valetudinis; nec potest sibi persuadere, Gymnasium conquestam de vino parcius apposito: immò contra potius; quòd nimium coacta fuisset bibere, & id quidem merum, minimeque dilutum; id requirebat decorum. Sed & sequentes versus duos non intelligere ait Gruterus.

22. HICCINE IST.] hoc locóne decet de vino & disciplinâ domesticâ queri? L.

23. MAGNIFACTIS] ita Edd. vett. omnes. MS. Pal. sic. & Frising. *magnificatis*. MS. Cam. *magnu factu*. V. N. Pseud. act. 4. 1.

24. OBLIT. ...] meretricum. Parasitus in Eunuch. *Conveni hodie quendam mei loci atque ordinis*, omnes autem MSS. & Edd. vett. *benevolentis*, non *sem.*

28. JUNCT. IST.] alii, *vinctam*: MS. Cam. ambiguâ scriptione utrumque refert. Pall. servant, *junctam*, *vinctam*, *vinct.* prætereà *vinctam*.

29. FACIAMUS] V. ed. habet, *faciamus*: item, *imitamur*, neque aliter V. C. aut Pall.

33. SVIQ. OMN.] Imitatur Plautus mores mulierum, quæ sæpe loquuntur ἀνακόλουθα, & sæpe βαττολογοῦσι: L. Pœn. act. 1. 2.

37. AQUAM FR.] Ita MS. Cam. & Pall. Item Ven. & Paris. At Meursius *aquam* glossema censet: cùm notissimum sit, *Frigidam* ἁπλῶς Græcos protulisse. & certò in Brix. & Ald. *aqua* non apparet. Erasmus: *Frigidam aquam suffundere*, pro eo, quod est, instigare clanculum. Translatum ab officinis ærariis, ubi fabri subinde frigidam aquam in ignem adspergunt, quo ignis sit vehementior. Jac. Dalechampius ad Plin. l. 11. cap. 37. ... interpretatur. Vide ibid. ... & Brodæum lib. 4 ... item Cælium Lect. Antiq. lib. 1... cap. 2. Lambinus a balneatoribus translatum putat, & hei ... dictum. Gruterus *frigidam suffundere*, probat idem esse, quod ... Græcorum, figurâ ductâ ab eis, qui aliquem lotio adspergunt. infinitosque auctorum locos huc trahit: qui videatur. Is. Casaub. in Charact. Theophr. hoc proverbium iis convenire ait, quos Græci λοιδόρους & ... sive ... vocent. Cui simile sit illud Sophocleum,

Ψυχρὸν παραγκάλισμα ...

B

38. VIRIS CUM &c.] Verbum turpe tacuit. Sic Virgil.

Novimus, & qui te, transversa tuentibus hircis.

Ter. Eunuchio:

Ego istam Eunuchum ... vel sobrinus.

... Epod. 12.

Inachiam ter ... :

Lamb. Quin & ... Catull. monet, veteres in iis, in quibus viderentur reticere verbum, contentos fuisse solo verbo *edere*. Carm. 107.

Consule Pompeio primum duo Cinna, solebant

Mœchi.

subaudiendum ... ita heic in Plauto non est obscurum, quid subaudiatur. V. N. Pseud. act. 3. 1. & Mil. 2. 3.

37. FELLICUS] V. N. Asin. act. 1. 2.

39. EUNT DEPRESS.] deprimunt, vitupe- rant. Sie tretten ... sie ...

40. LIBERTINÆ] In libertinis non vindicabantur furta Veneris, atque ex eo ordine multæ meretrices erant. Turn. lib. 29. 31. Vide & Lipsii ad Tacitum.

42. EX PATRIBVS CONVENTITIIS] ita J. Gul. *Patres conventitii* videlicet promiscui adventores fuerant, & qui in unius scorti nidum conspiraverant amatores. *Convenire*; liberis operam dare est Arnobio lib. 7. *Amant suos fœtus, & gignendis conveniunt liberis. Conventus* etiam concubitus, libr. 2. *Ex conventu Jovis inseminati & nati sunt &c.* Milite act 2: 1. Probat hoc & Palm. aut certè, *conventu*, de quo V. N. Mil. 4: 4. Douza l. *Ex paribus conventis*: vel, quod probabilius (ut ipse ait) *Ex partibus conventis*, ut sit quartæ inflexionis. sic Cicero: *Ex pacto & conventu discere ab aliquo.* Et: *ex conventu pacta observantur.* Neque audiendos censet, quibus, *Ex patribus conventitiis*, placuit emendari: multò minus Lambinum, *ex patribus contiguis*, rescribentem: aut Camerarium, qui conjicit: *ex patribus commentitiis*, quod scil. alienas filias illæ meretrices educaverant. In edd. pr. leg. *ex patribus conticuis*; in secundis, *contiguis*. quod elegans videtur Meursio: contigui patres sunt fortuiti & illegitimi, quales sunt spuriorum. Grutero non placet vox *patribus*, quoniam spuriis æquè unus sit pater, atque legitimis liberis, quamvis is sit incertus. & si conjecturæ locus sit, videatur fuisse in MS optimo *conventitiis* scriptumque tantùm *conventiis*, nam sanè nescias penultima ne litera referat *u*, an verò vocalem tertiam duplicem. Etiam Scaliger *conventitiis* notatum habet ad locum istum. Pistoris retinet, *ex partibus conventis*: & opinatur firmandæ lectioni esse, quod legitur infra act. 1: 2. *Id duæ nos solæ scimus: Ego quæ illi dedi, & illa quæ à me accepit.* Ut fuerint hæc illa paria conventa, quibus utraque statuerat sibi filiam educare. Places, Pistoris mi. Denique C. Barth. opinatur, tantas lectionum turbas peperisse ignorationem casci vocis *Confidusti*, à fidus: sive, *Confœdusti*, fœdere conjuncti. de quâ Festus, & ibi Scaliger. imbibitque legere, *Ex patribus confidustis*.

42. SVPERBIÆ] contumeliæ caussâ: L. D.

44. POTIVS] Is, Pont. mâlit, *ocyus*. V. N. Rud. act. 4: 3. & hoc ocyus invasit Parei editio pr. conjecturarum omnium thesaurus inexhaustus.

44. LE. HERA] ita MSS. Pall. & Lang. & quædam Edd. quæ apta reprehendenti. aut

A irridenti interjectio. etiam Gulielmio placita, recenti. *etiam*.

45. CONIVGE VIRO NVBIT] P. Victorius lib. 21: 3. Lepidè & suaviter rem turpem tetigit: qui nuptiarum quotidianarum nomine meretriciam vitam vocârit. quod & Demosthenes fecit. Etiam Muretus ad Catull. docuit, vocem *Nuptiarum* ad libidines translatam. Martialis lib. 1: 25. de Impudico:

Nolito fronti credere, nupsit heri.

V. N. Pseud. act. 1. 3. & Stich. act. 1: 1. plura suppeditant exempla Grut. Suspic.

47. LVGVBRE] ita MSS. Cam. & Lang. & Frising. *lugubre*: omisso τῷ *mihi*. itaque omnes mei. quod Meursius quidem interpretatur miserabiliter, & modo lugendo.

49. HAVD ME POEN.] sc. te, a me esse educatam. vel: non pœnitet me meæ fortunæ. L.

50. N. HECATA F.] J. Douza leg. *Hecale*: ut & omnes editiones quæ secutæ sunt Pium, ita divinantem. Q. d. Nunquam per malam ætatem i. senectutem pauper atque inops, seu mendica evasura es; si rei quærendæ, dum hæc ætatula est, dabis operam. Non;

B quod Lambinus vult, altius nunquam fies. Ita, *Nunquam Hecale fies*; (inquit Cælius). scitus adagio est, quo significamus, nunnunquam a paupertate ejusmodi oppressum iri quempiam, quâ olim circumventa est Hecale. l. 30. c. 11. J. Palmerius, Malo, inquit, legere, *Hecale fies*: & *Hecate* quidem (quod in libris habetur) non improbo: sed præut *Hecale* placet, repudio. Ad deam quidem Hecalem non respexit. nam quid est pulchrius? nisi Valla sibi hîc placet in nugis; & suas cogitationes amat sine rivali. De Lunâ enim insanit illo sæculo digna; nam se, nolo dicere. Ut ad numerum centenarium alluserit, longinquum est. Hecales autem ætas, & ex eâ deformitas; adde etiam tenuitas; proverbium sustulit. Et *Hecalesium sacrificium*, honoribus ejus institutum (ut autor est in Theseo Plutarchus) annos deformitatemque in vulgus celebravit. Paupertatem Petronius loquitur, & Ovidii ille versiculus:

Cur nemo est Hecalen, nulla est quæ ceperit Irum?
Nempe quòd alter egens, altera pauper erat.

na-

ita ergo omnia dixerit, &c. vide ib. Spicil.p. 54. Sed Scal. in Cirin., l. *Hecata*, ut & MSS. Cam. & Palatt. & Frising. & vett.edd. qui omittunt illud *ætate*: quod placet acutissimo Grutero; itemque Meursio. Pareus in Electis suis, ex versu isto quantivis precii elicuit sententiam: Honesta, inquit, & libera educatio, etiam liberam formam conservat, præsertim puellis. Quibus, obsecro, *puellis*? in olentine fornice natis educatisve? ita necesse est: nam lena loquitur, inque eo est ut filiam alliciat ad quotidianas promiscuæ juventutis nuptias. At quis suspicatus fuisset, e cogitatione tam libidinosa, è loco, tam fœdo, ex ore tam spurco, formari posse carbunculum adeo splendidum? Verum heus! tu quoque interpretare nobis, quid velis per *formam liberam*. phy phy! vix hæc toleranda erant in abecedariis pueris, nedum ab eorum dictatore tam grandi.

51. SEMPER ISTAM, QVAM NVNC HABES ÆTATVLAM OBT.] Non placent Lambiniana: nam vel sic anus LX. annorum, adhuc esse posset puella. quod nequit sanè, sine coquâ Medeâ. Vult potius, bene ipsi semper fore opiparis obsoniis, exquisito vino, vestibus pretiosis, &c. quod arguit versus sequens, qui vult *ætatulam* talem non obtineri sine amantum pernicie. *Ætatula* hic igitur pro vita: quomodo Mostell. act.3: 2.

Musicè hercle agitis ætatem, ita ut vos decet:
Vino & victu, piscatu probo, electili
Vitam colitis.

Pseud. act.1: 2. *Vos quæ in munditiis deliciisque ætatulam agitis, &c.* Et quia, cui forma exquisita, illa mollius agit, quam quæ turpis; *ætatula* aliquando forma est, & quæ circa eam. Suetonius Claudio, c.16. *Monuit ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certe cautius.* Apul. lib.1. Metam. *Hic est, qui diebus ac noctibus ætatulam meam illusit, &c.* lib.7. *Nec enim levi pretio distrahi poterit talis ætatula.* Idem lib.10. *Pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem, quam quidem, &c. ut dimota pateret flos ætatulæ.* ubi notat partes,

In quibus occultè spicula tingit Amor, &c.

Gruterus.

53. SINE OPERA T.] Græcorum est Adagio; at de re seria: θεοὶ τῶν ἀγαθῶν τοῖς πόνοις πωλοῦσιν: *dij bona laboribus vendunt.* Et hac mente verum; *deos fortioribus adesse.* Remi (ait noster ille) movendi in hac cymba, deo A ad clavum sedente. ignavus ille spernit; fortes juvat. Nec est, quod exspectes, nihil agenti in sinum de cælo devolaturam Victoriam aut Fortunam esse, &c.

55. NVNQVAM EGO, &c.] De confragoso hoc loco, si tanti, consule Acid. qui & ipse tamen nihil expedit.

57. MVNDA] *Mundus muliebris* minus est, quam *ornatus*, &c. ἄκοσμον, *immundam*, illotam, nitoris expertem Lucr. lib.4. nominat. L.

58. SVSPIRITVM] ita editio pr. & Pall. & MS.Cam. ac Frising. quod probatur & Douzæ, Mercat. act.1: 2. Apul. 6. *Votisque crebros intermiscet suspiritus.* lib. 10. *Et suspiritu cruciatus tarditate vehementior.* Cic. ad Attic. lib.2: 18. *Consul est impositus nobis, quem nemo, præter nos philosophos, adspicere sine suspiritu possit.* sic enim in quibusdam veteribus legitur, non *suspirio*, vel *suspiratu*, quod postremum tamen *Bosius* mavult.

59. VT PALLIDA ES] Ita MS.Pall. & omn. edd. vulgo, *Pallidula es.*

60. EXERCITVM IMPERE.] *Imperare exercitum*, hoc loco est, dolorem afferre. Afranius:

B *Ita ut huic, ere, adolescenti, ipsius spiritum*
Cui tradidit, qui med est animi exercitus.

hoc est, cujus ego animum exerceo. *Med* autem hic in auferendi casu est: *J. Palm.* Ita & Cam. Jocus, inquit, Plautinus est, *mihi exercitum imper.* id est, me habere exercitum. i. exercere & commovere. quod scelerata audacia eorum corrupit, qui prostituerunt Plautum versibus, quam ediderunt. Etiam Meursius ait, librarios in errorem impulisse elegantem & eccentratam vocis significationem minus intellectam. *Exerc tum* enim hic cruciatum esse & animi angorem, quarta declinatione: & *Exercere* pro angere usurpari. prius erat *excruciatum.*

61. MEA. SI. EXCRVC.] ita Grut. interpunxit: & ita quidem Cam. & Ven. legit. ut Paris. & Brix. & D.F. *Male excrucior, mea Gym.* ut *male* ter eodem modo, quo in sequenti versu *doleo* repetatur. præter libros.

62. DOLEO AB ANIMO] Pareus pr. *ab amico*, prorsus fatuè.

63. STVLTITIA] Ex opinione Stoicorum, qui omnem animi morbum ex stultitia nasci existimant. Sambuci v. cod. habet, *nisi stultitia*

tia mea me memorem rapit. Hinc C. Colerus emendat, *Immemorem. Immemor* pro stupido ac demente: quoniam memoria in mente consistit, ut notat Servius in Schedis Fuldensibus. Nisi tamen, inquit, vulgata lectio verior est. Et hanc tamen conjecturam, cui autor ipse parum fidit, in contextum etiam recepit non prima tantum sed & altera editione Pareus: plane contra omnes cusos, contra V.C. & Pal. duos meliores quart. & sextum.

63. RAPI] ita J. Gul. *rapi?* Sic hinc non longe Silenium: *Sed ego mea culpa & stultitia pejus misera maceror.* Eleganter. Tamen MSS. & Edd. *stultitia mea me in m. rapit?*

64. INDIDEM, VNDE] operam dato, ut *indidem*, i. eodem loco, unde *stultitia*, i. amor tuus oritur, nempe ex animo, eundem sepelire & occultare possis. q. d. Facito, ut animum salutaribus monitis ita informatum habeas, ut stultitiam tuam occultare possis. L.

65. IN LATEBR.] firmat hoc Grut. alio Plauti in Bacchariâ apud Macrob. l.3. cap.16. Saturnal. *Cujus ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.* Douza L. in latebras, *abscond.* qua voce usus Quadrigarius. Vide A. Gell. l.17: 2. At D.F. opinatur legi posse: *In latebras abscondas pectoris penitissumi.*

66. TVAM STVLT.] Vide, si placet, disputationem Lambini: quam claudit hoc Cæcilii:

Is demum miser est, qui ærumnam suam nescit occultare.

66. ALIIS ARBITRIS] testibus & consciis. V. N. Mil. 2: 2. Ita autem MS. Cam. & Frising.

67. CORDOLIVM] Cic. ad Attic. *Rides ab cordolio.* Meursius, Legendum, inquit, censeo, *cor dolium*, ἀκαρδίως. Sic Pœn. act. 1: 2.

——*ubi tibi Erit cor dolium.* Vocat *cor dolium* ἐνεργητικῶς, quod doleret: ut *vinum cruciatum*, quod acore cruciaret. Ita Trucul. act. 4: 2. *Stridiaverba.* Nec aliter Aul. 3: 6. *agnum curio* sive *curium*, (nam utroque modo efferebant: ut, *amasius, amasio: pusius, pusio*, & talia) qui plenus quasi curis esset, ideoque maceret: sumpta ab hominibus metaphora. Ad eandem faciem sunt dicta, *libum fictum* apud Festum: *exta proficia*: *farcimina insitia*: *frumentum prametium.* Porro Plautum ita scri- A psisse, vel ex sequenti versu colligi potest: *Quod ego nec habeo, neque quanquam alia mulier, ut perhibent viri.* Viri enim non quidem πάθος istud & dolorem in mulieres cadere, sed tantum *cor habere*, id est, sapere negabant: nam hæc in convitio sexus ille audiebat: *Cor non habes*: Et: *Mulier es*: Itaque pectus illis pro corde tribuebant. Mil. act. 3: 1.

Eam det, quæ sit quæstuosa? quæ alat corpus corpore:

Cuique sapiat pectus: nam cor non potest, quod nulla habet.

V. tamen & N. Pœn. act. 1: 2. Parei editio secuta est Meursium: idem tamen damnat in Lexico: adeo nihil diu placere potest Ignorantiæ.

68. HABEO] sc. *cor.* i. sapientiam. Hinc illa, *cor habere, cordati, excordes.* L. D. Vide N. Mil. 3: 1.

69. SI QVID EST, &c.] Sive aliquid sit quod doleat, sive nihil sit, utrovis modo dolet mihi. Acidal. malebat quod cor scilicet, sed præter omnes Pall. & Edd. vett.

69. HIC] apud me. L.

70. AMARE OCCIPERE, AMARVM EST] B Trin. act. 2: 1.

Amor amara dat tibi satis, quo ægre sit.

Simile adducit auctor ad Heren. lib. 4. *Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari.* de quo audiatur Quintil. lib. 9. cap. 3. *Aliter quoque voces, &c.* Grut. Sed Acidalio suspectum est illud *occipere*, cum non de amoris inceptione, sed universim de amatione agatur. & amoris initium dulce sit, progressus autem amarus. neque adeo Silenium nunc primum amare occeperit. Suspicatur, *hoc opere*, i. adeo, tam, &c.

71. NAMQVE, &c.] ita MSS. & Edd.

71. AMOR ET MELLE] Sententia ex tripode prolata. Omnis autem vis in antithesi est τῷ *Gustu*, atque *Ad fastidium*, de quo accurate Douza: & applicat huc illud Amph. act. 2: 2. *Satin' parva res est voluptatum, &c.* Porro quemadmodum in tepido (inquit Muretus Var. l. 16: 1.) remissi caloris ac frigoris quidam quasi cinnus est: ita multæ sunt voluptatis & doloris permistiones; ut cum alibi, tum in amatorum levitate. Propterea enim Musæus Grammaticus stimulum amoris vocavit γλυκύπικρον: & Catullus a *Venere dulcem amaritiem misceri ait.* Ita Euripides in Hippolyto:

Τί τοῦ

[illegible]
[illegible]
[illegible] hoc dicunt homines [illegible].
Suavissimum, ô pater, idem, simulque gratissimum.

Mel autem *fecundissimum*, [illegible] dictum, ait Scaliger illud in [illegible]
——*[illegible] est [illegible].*

72. GESTUNDARE.] ita MSS. & Edd. vett. sed Acidal. [illegible] vero, ut ait, & nimium [illegible] sensum [illegible] in editionem suam [illegible]. [illegible] ultima, adeo statim sibi [illegible]. Et vero [illegible] figura [illegible] potius fuit, [illegible], repetita syllaba [illegible] consulatur transposito, [illegible], ut habent Pall. pr. & sec. recentes: [illegible].

73. OGGERIT] Pall. ferè *aggerit*; neque aliter Edd. vett.

74. ERGO] i. certè. D.
IN ME PECULATUM fecerit, se tanquam pecuniam publicam amori commissam, jam ab eo dissipi. q. d. Amor in me perfidiosos magistratus imitatur, qui pecuniam sibi commissam depeculantur: L. [illegible] suspicabatur legendum *peculatum*. [illegible] venit. [illegible] mir.

77. SPISSUS] longum, tardum. Varro: *Nascimur spissius, quam emorimur. Vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum: contrà una pestilentia [illegible] reiet, puncto temporis [illegible] facit.* Cæcilius: *Nihil ego apri credo. omnes res spissas facit.*
Turpilius:
[illegible] est. Verùm haud facile [illegible], ubi ipsa est [illegible].
Spissum est iter; adipisci haud potest, nisi cum magnâ miseriâ.

79. ÆTATEM DEGEREM] MS. Camerarii [illegible] nam [illegible] manu Camerarii adscriptum. Etiam Arg. ed. & Ven. & Med. leg. *ætate*. Pall. tamen ferè alterum retinent.

81. VITEM AES.] Mercat. act. 4: 6.
Nam [illegible] est, quæ bona est, [illegible].

82. FORTUNATI] *Fortunatum oppidum* est, quod alibi *plurimis bonarum [illegible] atque opulentum oppidum* nominat. Sic Pers. 4: 4. *Satin' Athenæ tibi sunt visæ fortunatæ atque*
A *opiparæ? D.* Quemadmodum autem tale oppidum sine multis viris se tueri & suam rem bene gerere non potest: ita meretrix sine multis amatoribus suis rationibus non potest consulere. Applicat huc Gruterus illud Turpilii: *Nunquam unius me compendii servire elegantiæ.*

85. NOLO ME MERETR.] Palm. ad illa Andr. act. 1: 5. *Benè & pudicè doctum atque edoctum [illegible], &c.* notat: Puellæ bene pudicéque docentur atq; educantur, quæ in quæstu non sedent, neque in eam spem producuntur. Sed tales habentur etiam, si quæ uni soli se dant: ut [illegible] in Heautont. Antiphila, & hic Glycerium; Cistellariæ Silenium, quæ se meretri es dici nolunt, quamvis muliebris [illegible] legem acceperint: dum ne corpus [illegible]. Quo exemplo Tibullus suam esse [illegible], &c. Vide Spicileg. lib. 1. 102.

87. GRAVITER] ita MS. Cam. & plerique omnes. Lamb. legit *gnaviter*, gravi lapsu. Nam & Cæcilius Plotio: *[illegible] hoc cepit graviter, postquam est mortua.* nec aliter Pers. act. 4: 5.
B ——*si quid homini*
[illegible], esse idem & grave & gratum solet.
Quibus conveniunt illa Accii Nyctegresiâ: *Id quod factu, gratum & grave est.* Gruterus.

83. SI TU EN UNQUAM] ita vett. edd. pro *unquamne*. Glossæ H. Stephani: *Ennunquam*, [illegible]. Gruterus laudat insuper illud Trin. act. 3: 4. *O pater, en unquam aspiciam te?* Menæch. 5: 5. *ennunquam intestina crepant?* [illegible] enim [illegible] cod. legit; non, *an unquam*. Terent. Phorm. act. 2. sc. 3.
Ennunquam cuiquam contumeliosius
Audisti factam injuriam, &c.
Ibid. act. 5: 8. *En quicquam hodie est factum indignius?* ita namque MS. codex: ut notat Acidal. haud absimilia tradit Mercerus e mss. suis, ad Nonii *crepare*.

84. CONSUEVISTI] *Consuescere*, *propriè dicitur in stupro*, inquit Don. Hec. act. 4: 1. Phorm. *Cum eius consuevit olim matre in Lemno clanculum.* Hinc *consuetudo stupri*, apud Sallust. in Catil. L. Docet tamen Alb. Gentilis lib. 7. cap. 2. in Jure de consuetudine etiam honestâ & maritali accipi.

90. INDU-

90. IMMINVIT] Rectè. nam virgines dicuntur *integræ*. L. *imminutionemq;* pro prima coitione posuit Ausonius in centone nupt. & *imminuere aliquam castimoniam*, dixit Arnobius lib.4.& 5. adv.gentes.Elmenhorst.

91. POMPAM ME] Videtur Poeta ambiguo perelegan ti lusisse. *Pompam* enim aut apparatum sacrificii intelligere licet, ut alias ferè; aut ipsum Silenium. ad quod exemplum id Milite, act. 1: 1. à Parasito dicitur:

—— qua me ambæ obsecraverint,
Ut te hodie quasi pompam illic præterducerem.

Et voluit notare fortassis moras mulierum, quæ (ut Naso canit) ad hujusmodi sollemnia

Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.

J.Gul. Verisf. l.3: 13. Quod tamen *Pistori* coactum videtur. at mihi certè non item.

93. CONSPICILLO] è loco,unde me semper conspicere posset: *Nonius*. L. D. Et nota, quàm pudenter hanc rem puella exponat. Huic autem simillima est narratio Simæthæ apud Theocrit. Idyl.2. a v. 65. ut observat Is. Casaub. Lambino videntur conversa e tomo quarto Hermog. [illegible], cap. [illegible] λόγου.

94. EXANIMAVIT] ponitur absolutè. Sic Virg.2.Æn.

—— novus per pectora cunctis
Insinuat pavor. V.N.Mil.act.2: 6.

96. VT EGO IL. VERS.] quo pacto illum tractarem! A piscibus, qui a coco versantur, tractum videtur. V.N.Asin. act.1: 3.

96. CONSVETVDINE] Lucr. lib.4.

Quod superest, consuetudo concinnat amorem:
Nam leviter quamvis quod crebrò tunditur ictu,
Vincitur in longo spacio tamen atque labascit.

98. ASSIMVLARE AMARE] *Amare*,i.amorem: D.Quidam libri l. *Assimulatè*:quod Mersio non displicet. Vetustiores tamen Paris. Brix. Veneta,retinet *Assimulare*. neque aliter Pall.omnes & V.C.nihilominus utraque editione Pareus nobis objecit alterum.

101. NVNC ALIA D.] Ex lege, quæ jubet orbas eis nubere, qui sint genere proximi: & illos ducere,eadem lex jubet. Terent.Phorm. & Adelph. —— *hæc virgo orba est patre:*
Hic meus amicus illi genere est proximus.
Huic leges cogunt nubere hanc. L.

103. NAM EVM P.] per [illegible] numeri in hoc versu procedunt. *Cam*.

103. PATER LIVS] Putat Acid. Plautum scripsisse *sum*,& mutatum ab iis qui numeris studuerint. eoq; statim in textum retulit Pareus, sed invitis libris.

105. NIHIL AMORI INI.] Vulg.edit. *nihil amare injurium est*. Quo J. Gulielm. arbitratur velle: non mirum esse, si mater irata sit. injuriam eum accipere à filiâ, quæ nihil amet; hoc est, sine spe lucri sui, & eum, cujus animus alibi occupatus sit: quorum neutrum meretriciam disciplinam addecet, &c. Janus. Douza leg. *nihil amori injurius est*, id est, injuriosius,seu magis injurium. Sic comparativo gradu dixit etiam *perjurior*, item *perjurius*, pro perjuriosius,in Trinummo. At Christoph. Pflug, Eq. Misnicus, leg. *nihil à matre injurium est*.hoc est,(ut Schoppius Suspect. Lect. libr.3. epist. 13. explicat) non mirum,vel injuriâ facit mater, quod tibi scilicet irascitur, quæ cum Alcesimarcho; cui jam aliam uxorem ducendam sciebas, diutius manere volueris. Ad superiora enim simpliciter referendum esse pertendit. Et hoc probare totum contextum, etiam Pistoris affirmat. Is.Pontanus Lè cod.Oxon. *Nihil amori injurium est*. Ludus est, inquit, amantibus fallere, & inescare. Quod profectò Lenâ dignum effatum sit. Idem quoque placitum Grutero: cùm in MSS. suis invenisset, *amore*. ita planè & Acidalius; hac annotatione: Amori *injurium*, i. perjurium (Festus) pro nihilo est. Idemque Lambinum in omnibus suis interpretationibus vanum hic esse, clamitat.

106. NVNC TE AMABO] ita vett. edd. ut illud, *amabo*, non sit interjectio blandientis. *Pistor.* sed cum ruat versus, videndum fueritne, *Nunc te amabo! amabo ut hanc hoc.*

107. SERVARE] custodis partes agere. V.N. Mostell. act. 2: 2. Habitabat autem Gymnasium cum Alcesimarcho.

108. DAM. DABIS] ita MSS. & omni.edd. tamen *dabit* quidam malunt: ut ad *triduum* referatur. Dabit autem damnum: quia nihil quæstûs corpore interea faciet.

111. INCLAMARE] increpare, conviciis onerare. V.N. Asin. 3: 2.

111. CORDI EST] Ter. Andr. *Aut tibi si nuptiæ hæ sunt cordi* ubi interpres: *Cordi esse, idem est, quod placere, vel gratum esse.* Cic. *Flumen aliis verborum cordi est*. Nonius Cordi

est, interpretatur, *animo sedet.* Mostell. 1:3. *Si tibi cordi est, facere licet.* i. si tibi placet: ut hic Cistell. Vide Suspect. Schop. lib. 4:17.

113. SI QUID TIBI OPUS ERIT PROMPTU, PROMITO.] Ita Pall. & Edd. vett. At J. Gul. è Langianis ait sincerius legi, *Si quid tibi opust, erit in promtu, promito.* & huc vergit scriptura MS. Cam. in quo, *opus est erit promtu pr.*

115. IMMUNDA] illota, & impexo capillo, ἄκεμπτος supra.

117. AMICULUM H. SUSTOLLE] Cicero: *Alcibiades amica amictus amiculo.* ἐπίβλημα, Uberkleid; Petronius: *Collegit altius tunicam.* Vates apud Arnob. lib. 5.

——*vestem contraxit ab imo.*

117. SINE TRAHI] *Trahi*, σύρεσθαι: item *defluere* dicebatur *vestis*, cùm negligentius haberetur. Horat. *Rusticius tonso toga defluit:* contrarium est, ἀνάγκασις. Plaut. *auscheme astare, &c.* Vide Casaub. Theophr.

117. CUM EGO TRAHOR] sc. amore Alcesimarchi. *Vel*, cùm ipsa me negligam: L.

118. TIBI LUBET] In Lang. ut & in excusis legitur: *tibi jubat.* quod probant Gulielm. & Meursius. Grutero tamen non placet; qui probat illud *jubat* natum à veteri scribendi consuetudine *lubet*: quod postea in *jubet* degenerârit, postremoque in *jubat.* Et apparet sanè in V. C. *jubet*, neque aliter Pall. pr. sec. tert.

121. NE QUEM AMES] MS. Cam. *Neque me am.*

121. INTRO] domum Alcesimarchi.

122. VISA] Silenium.

ACTUS I. SCENA II.

LENA.

IDEM mihi, magnæ quod parti est vitium mulierum,
Quæ hunc quæstum facimus: quæ ubi saburratæ sumus,
Largiloquæ extemplò sumus: plus loquimur, quàm sat est.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvolam
Puellam projectam ex angiporta sustuli.
Adolescens quidam hic est apprimè nobilis,
(Quin ego nunc quia sum onusta meâ ex sententiâ,
Quiaque adeò me complevi flore Liberi,
Magis libera uti linguâ conlubitum est mihi:
Tacere nequeo misera, quod tacito usus est)
Sicyone summo genere ei vivit pater:
Is amore miserè hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modò flens abiit. contrà amore hæc perdita est:
Eam meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi;
Quòd sæpe mecum mentionem fecerit,
Puerum aut puellam alicunde ut reperirem sibi
Recens natum, eapse quod sibi supponeret.
Ubi mihi potestas primùm evenit, illicò
Feci ejus ei, quod me oravit, copiam.
Postquam puellam eam à me accepit, illicò
Eandem puellam peperit, quam à me acceperat,

Sine obstetricis operâ, & sine doloribus,
Item ut aliæ pariunt, quæ malum quærunt sibi.
Nam amatorem ajebat esse peregrinum sibi.
Suppositionem ejus rei facere gratiâ.
Id duæ solæ scimus: ego quæ illi dedi,
Et illa, quæ à me accepit; præter vos quidem.
Hæc sic res gesta est. si quis usus venerit,
Meminisse ego hanc rem vos volo. ego abeo domum.

VERSUS sunt Senarii jambici. *Idem mihi*, dactylus est.

V. 2. SABURRATÆ] Scalig. in Conjectaneis: *Ingluvies*, à gulâ dicta. hinc & *ingluviosus*, &c. *gluto, gula, gumia, guttur*, &c. id manifestò est à Græco γέμω, quod significat πλήρωμα τῆς νηὸς, *imm. saburram* Latini vocant. itaque qui nimis se ingurgitarent cibo, ita dicti ab eo, quare & apud Plaut. saturæ mulieres dicuntur *saburratæ*. Hæc ille. Priscianus *bb* geminari ait. Vide Barbari glossema in Plinium.

3. PLUS LOQUIMUR QUAM SAT EST] Acidalius quatuor istos versus parenthesi inclusos, *Quin ego &c.* his continuò subjicit: cum sermo parentheticus, qui præsertim tam longè diffusus, in Scenâ inconveniens sit, & contra leges. Ingeniosè.

8. FLORE LIBERI] V. N. Cas. 3: 5.

10. QUOD TACITO] Lamb. & Cam. mâlint, *quo tacito usus est*; contra Gruterum & MSS. ejus. sic enim sæpe loqui auctorem istum in confesso.

13. CONTRA AMORE HÆC PERDITAST] Edd. primæ, *Contra amorem cum hac perditè perdita est*. MS. Cam. *contra amore cum hac perdita est*. MS. Frising. *contra amare cum hac perditè*. Pall. ferè pro *cum*, habent *cum*. Aldina, *contra amore cum hac aperit*. Pareus non contentus eo quod Camerarius produxerat, revocavit *cum*: quo & versum turbat & sensum.

15. QUOD SÆPE] ita omn. Edd. & Pall. nisi quod ij *Quæ*. omnes inquam, *fecerit*, non *fecerat*. nisi quod pr. & sec. *fecit*.

A 17. RECENS NATUM, EAPSE QUOD] ita uno consensu itidem omnes. ut mirum sit turbare hic Acidalium, sequique id Pareum.

21. PEPERIT] peperisse simulavit. L.

23. QUÆ MALUM Q.] Jac. Schegkius in Præmess. Epist. 12. Lambinus, inquit, hic more suo nugatur, ac suo sibi jumento *Risum deum* arcessit. Douza ad meretriciam disciplinam refert, qui cavebant, *ne complerentur*, ut ait Lucret. sed, pace viri, apertè vim facit verbis. Locus mihi sit spectus de mendo. Vulgati cod. l. *quæ malo quærunt sibi*. corrigo: *quæ à malo q. s.* hâc sententiâ ita eam peperisse, ut aliæ, quæ furtivâ suppositione, malisq; artibus sibi liberos quærunt: aut ita peperisse, quæ à malo, hoc est, intertendo alios injustè, aurum, argentum, alia lucrantur. sequitur enim: *Nunc amatorem &c.* Jam *A malo quærere*, est, ut dixi, fraudando alios sibi æs argentum comparare. Ita Apul. *æs de malo habere* dixit: & alibi Plautus, *Faciunt à malo peculium, quod nequeunt facere suo.* Gruterus tamen præfert Douzæ sententiam, ut ille versus *Sine obstetr. &c.* includatur quasi parenthesi, hæcque conjungantur:

B

——Eam puellam peperit,
Item ut aliæ pariunt, quæ malum quærunt sibi,

quibusque opus obstetrice. Et quidni malum meretrices quærant ex, quæ cùm conceptionem impedire possint, non tamen præpediant? cùm ipsæ nulli rei minus studeant, quàm ut impregnentur.

ACTUS

Actus I. Scena III.

AVXILIVM, Prologus.

VTRVNQVE hæc, & multiloqua & multibiba est anus.
Satiné vix reliquit Deo, quod loqueretur, loci?
Ita properavit de puellæ proloqui
Suppositione. quod si tacuisset, tamen
Ego eram dicturus deus, qui poteram planius:
Nam mihi est Auxilio nomen. nunc operam date,
Vt ego argumentum hoc vobis planè perputem.
Fuére Sicyoni jamdiu Dionysia.
Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Isque hîc compressit virginem adolescentulus,
Vinolentus, violentus, *multa nocte, in viâ.*
Is ubi malam rem scit se meruisse, illicô
Pedibus perfugium peperit, in Lemnum aufugit:
Vbi habitabat tum. illa, quam compresserat,
Decumo pôst mense exacto hic peperit filiam.
Quoniam reum ejus facti nescit qui siet,
Paternum servum sui participat consilij,
Dat eam puellam ei servo exponendam ad necem.
Is eam projecit. hæc puellam sustulit.
Ille clam observavit servus,
Quò aut quas in ædis hæc puellam deferat.
Vt eampse vos audistis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melænidi,
Eaque educavit eam sibi pro filiâ
Benè ac pudicè. tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit, cognatam suam.
Ea diem suum obijt, facta morigera est viro.
Postquam ille uxori justa fecit, illico
Huc commigravit. duxit uxorem hic sibi
Eandem quam olim virginem hic compresserat,
Et eam cognoscit esse, quàm compresserat:
Illa illi dicit, ejus se ex injuriâ
Peperisse gnatam, atque eam se servo illicô
Dedisse exponendam. ille exemplò servolum
Jubet illum eundem persequi, si quà queat
Reperire, quæ sustulerit. ei rei nunc suam
Operam usque assiduò servus dat, si possiet

Meretricem illam invenire, quam olim tollere,
Cùm ipse exponebat, ex insidijs viderat.
Nunc, quod reliquum restat, voló persolvere:
Vt expungatur nomen, ne quid debeam.
Adolescens hic est Sicyoni: ei vivit pater.
Is amóre projectíciam illam deperit,
Quæ dudum flens hinc abijt ad matrem suam:
Et illa hunc contrà, qui est amor suavissimus.
„ *VT SVNT HVMANA, nihil est perpetuum datum,*
Pater adolescenti dare vult uxorem. hoc ubi
Mater rescivit, jussit arcessi eam domum.
Hæc res sic gesta est. bene valete & vincite
Virtute vera, quod fecistis antidhac.
Servate vostros socios, veteres & novos:
Augete auxilia vestris justis legibus,
Perdite perduelles, parite laudem & lauream,
Vt vobis victi Pœni pœnas sufferant.

PERSONA adhibita extra argumentum A προτατική, ad indicationem quorundam, quorum Fabulæ actio cognitionem requireret. Versus sunt Senarii. In MS. Cam. est. PROLOGVS AVXILII DEI.

V. 1. MVLTILOQVA ET M.] πολυλόγος καὶ πολυπότης. L.

7. PERPETEM] amputatis & omissis supervacaneis plane exponam. L.

11. VIN. VIOLENTVS M.] Ita Grut. probabili conjecturâ. cum Pal. sec. ac quartus præferrent *violentus*, ceteri *vinolentus*. Editio L. & Cam. *Vin. in tenebris, m.* At MSS. Cam. & Pall. & Frising. & Edd. vett. tantum —— *adulescentulus vinulentus multa nocte in via*, absque eo, *in tenebris*: quod additamentum est Camerarii. Aldus interseruerat *raptam*.

11. MALAM R.] pœnam ex lege. L. D.

13. PEDIB. PERFVG. PEPERIT] Pulchrè jocatur in v. *peperit*, quasi compressor pedibus peperit perfugium: compressa alià parte filiam. *Pist.*

16. REVM] autorem.

18. EXPONENDAM AD NECEM] Pareus ex his verbis elicuit in Electis suis: Meretrices infantem ex stupro natum exposuerunt ad necem, si auctorem certum nescirent. Quam absurda! quam falsa! quam loco isti contraria! Hic virgo vitiata erat, virgines autem dedecus suum omnibus modis occultabant; itaque ea propter aliquando immanes fiebant in suam prolem, dum volunt adhuc haberi pro pudicis. Meretricum alia erat ratio. Vt non appetebant infantes, ita eos nactæ non ita aversabantur, ut exponerent ad certam necem. imò vel nutriebant, vel aliis vendebant. Interim vellem Ludimagister B noster indicaret, qua arte vulgare scortum scire queat prolis suæ verum patrem. Diogenes sanè, affirmante meretrice se gravidam esse, ex nescio quo: eadem, inquit certitudine inter spinas ambulans, agnoscere posses eam à qua læsus.

20. SERVVS, QVO AVT Q.] Vulgatum illud, *qui eam projecerat*, est à Camerario, neque visitur in MSS. aut vet. edd. Aldus, versuum constituendorum caussâ, multa auctoris verba abscidit, versusque duos compulit in unum: ille clam observavit quo hæc puellam deferat. Poterat suppleri versus leviore ac leniore additamento, *Id ille clanculum observabit servus quo, Ant.*

27. FACTA MORTO.] sc. id eo, quod mortua est. id enim commune maritorum votum in Comoediis. Vide N. Asin. act. 5:2.

29. JUSTA F.] *Justa funebria*, ut Livius vocat: *Jūra vόμιμα*.

32. EIUS SE EX INIURIA &c.] Sic omnes libri MSS. & Edd. vett. nam recentt. *eius ex iniuria Peperisse se natam*: non necessariâ transpositione.

37. SI POSSIET] Gruterus, farturâ aliorum explosâ, è MS. Cam. & Pall. sic restituit, quomodo etiam est in MS. Samb. Aldina ed. interpolata est. Pareus hic notat, Ab omnibus huc usque hæc dictio *assiduò* abfuit; quam tamen lex carminis optime admittit, imò necessario requirit. Quibus tamen verbis abstinere potuerat. nam Taubmanni editio eam sanè repræsentavit dudum.

41. UT EXPUNG.] *Expungere*, rationum verbum est. Expungitur enim & deletur nomen debitoris, cùm omnis pecunia persoluta est. Hermogenianus. L. XIII. de divers. *Reipub. rationes subscripta & expuncta*. Tertul. *Quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedes debitum expungit*.

45. QUI EST AMOR] Muretus ad illud Catulli:

Mutuis animis amant amantur;

notat: Summa in amore felicitas, invicem æquè amari. Eum amorem Plautus (Mil. 2,1.) *cultu optimum* vocat. Bion:

——καλὸν δὲ τ' ἐρωτύλος ὁμιλέοντα.

46. UT SUNT H.] Horat. 2. Epist. *Intervalla vides humane commoda*, &c.

49. VALEBIT VINCITE] V. N. Prol. Pœnuli.

52. V. JUST. LEGIBUS] Meursius è vet. cod. & Lang. MS. l.

Augete auxilia vestris villis legionibus;
Perdite perduelles: parite laudem & ludeam:
Ut vob. &c.

Dictum *ludeam*, pro *laudeam*, & hoc pro *lauream*. Auctore enim Isidoro. lib. 17. c. 7. *Laurus a verbo laudis dicta*, &c. In MS. Cam. est; *justis legibus*, quod defendit Gruterus. Eis enim auxiliares, ait, libenter accedere, ubi jus & æquum viget; contrà, ubi vis atque affectus regnat: ut patet ex Carthaginensibus; post finem belli Punici primi. Consulatur Polybius. Etiam MS. Frising. l. *victis legionibus*. quomodo postea, *Et vobis v.* non, *ut vob.* MS. Cam. l. *parite laudeam & lauream, Et v. H.* Pontanus probat, quod repperit in Cod: Oxoniens. *vestris junctis legionibus*. Vegetius: *Legionibus semper auxilia, tanquam levis armatura in acie jungebantur*, ut alluserit ad auxiliorum etymon. Varro: *Auxilium appellatur ab auctu, cum accesserant, qui adjumento essent alienigena*. Denique Pistoris simpliciter ita mallit:

Augete auxilia vestra justis legionibus.

Et hoc ait suadere versum præcedentem. Ut hic Prologus eo tempore scriptus sit, quo de supplendis reliquo Sociorum exercitui legionibus Rom. consultabatur. Pareus, ne asymbolus videretur, editionem suam phaleravit insigni antiquitatis smaragdo, *parite laudem & laudeam*, tanquam si ita expressè scripsisset V. C. At idem liber, ut dictum servat, *laudeam & lauream*. quæ prurigo infarciendi quidvis!

ACTUS II. SCENA I.

ALGESIMARCHUS adolescens, MELÆNIS lena.

CREDO ego Amorem primum apud homines carnificinam commentum.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines supero atque antideo cruciabilitatibus animi:
Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rotâ miser.
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem
Animi habeo. ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.
Ita mihi omnia ingenia sunt. quod lubet, non lubet jam id continuò.
Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,

Raptat,

Raptat, retinet, lactat: largitur: quod dat, non dat: deludit:
Modò quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.
Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amentem
Animum: neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest
Perdito pernities. ita pater apud villam detinuit me hos dies sex
Ruri continuos: neque licitum interea est meam amicam visere.
Estne hoc miserum memoratu!
ME. Eò facetu's, quia tibi alia est sponsa locuples Lemnia?
Habeas: neque nos factione tantâ, quanta tu, sumus,
Neque opes nostræ tam sunt validæ quàm tuæ: veruntamen
Haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam culpitet:
Tu jam, si quid tibi dolebit, scies quâ doleat gratiâ.
AL. Di me perdant. ME. quodcunque optes, tibi velim contingere.
AL. Si illam uxorem duxero mihi unquam, quam despondit pater.
ME. Et me, si unquam tibi uxorem filiam dedero meam.
AL. Perjurare me patiere? ME. atque aliquantò facilius,
Quàm me meamque rem perire & ludificari filiam.
Abi quærere, ubi jurando tuo satis sit subsidij:
Hic apud nos jam, Alcesimarche, confregisti tesseram.
AL. Face semel periculum. ME. sæpe feci, quod factum queror.
AL. Redde mihi illam. ME. inter novam rem verbum usurpabo vetus;
Quod dedi, datum non vellem: quod reliquum est, non dabo.
AL. Non remissura es mihi illam? ME. pro me responsa tibi.
AL. Non remittes. ME. scis jamdudum omnem meam sententiam.
AL. Satin' tibi istuc in corde certum est? ME. quin ego commentor quidem:
Non edepol istæc tua dicta nunc in auris recipio.
AL. Non? hem! quid agis? ME. igitur animum advorte, ut quid agas, sciat
AL. At ita me di deæq;, superi atque inferi, & medioxumi,
Itaque me Juno regina, & Jovis supremi filia,
Itaque me Saturnus patruus ejus! ME. ecastor pater.
AL. Itaque me Ops opulenta illius avia! ME. imò mater quidem.
AL. Juno filia & Saturnus patruus, & summus Juppiter!
Tu me delenis: propter te hæc pecco. ME. perge dicere.
AL. An ne ut etiam quid consultura sis sciam? ME. perge eloqui.
Non remittam: definitum est. AL. enimverò, ita me Juppiter,
Itaque me Juno & Saturnus! ita, quid dicam, nescio.
Jam scio! imò, mulier, audi, meam ut scias sententiam:
Dî me omnes magni minutique, & patellarij
Faxint, ne ego dem vivus savium Silenio.
Nisi ego teque tuamque filiam, meque hodie obtruncavero.
Postea autem cum primo luci cras nisi ambo occidero:
Et equidem hercle nisi pedatu tertio omnis efflixero,

Nisi

Nisi tu illam remittis ad me, dixi quæ volui. vale!
ME. Abiit intrò iratus. quid ego nunc agam? si redierit
Illa ad hunc, ibidem loci res erit. ubi odium occœperit,
Illam extrudet, cùm hanc uxorem Lemniam ducet domum.
Sed tamen ibo & persequar. amens ne quid faciat, cauto opu'st.
Postremò, quando æqua lege pauperi cum divite
Non licet, perdam operam potiùs, quàm carebo filiâ.
Sed quis hic est, qui rectâ plateâ cursum huc contendit suum?
Et illud paveo, & hoc formido: ita tota sum misera in metu.

VERSVS hujus Scenæ aliquot sunt quadrati confusis numeris.

2. DOMI FACIO] i. meopte exemplo comperior. Sic Cas. 2:3. *Hanc ego de me conjecturam domi facio.* V. N. Mil. 2.2. & Merc. 2:3. Ita dicitur: *Regum est, domi habere consilium; non ab alienâ pendere sententiâ.*

2. NE FORIS QVÆRAM] Sic plerique Pall. à prima aut sec. manu. V. C. *ni foris quæram*: quod visum Pareo dignum editionis suæ astrum.

3. ANTIDEO] anteeo.

4. VERSOR] Tibullus de Ixione.

Versantur celeri noxia membra rotâ.

Idem:

Versatur celeri fors levis orbe rota.

Aptum verbum est, non nego, inquit J. Guliel. *versor*: cum de rotæ ambagibus mentio est: tamen plusculum placet, quod in Nic. Fabri libro est, *vexor in am. Vexare*, huc illuc reciproco motu jactare est; sive, ut Glossæ veteres explicant, ὀχλεῖν, σκύλλειν, χειμάζειν. Virgil. Ecl. 6.

——*Scyllam Nisi quam fama secuta est,*
Dulichias vexasse rates.

quem versum operæ erit videre defendentem Agellium contra Criticorum ineptias. Hæc ille. Grutero tamen & Doulæ F. magis commoda est lectio prior, quæ etiam in vett. MSS. melioris notæ.

5. DIFFEROR] *disturbor & in diversum feror*: Donat. And. act. 1: 4.

5. DERIPIOR] ita Cam. & omnes edd. vett. itaque & MSS. Lambini: quanquam is omninò malit *diripior*, per tertiam vocalem.

5. ITA NVBILAM] Probissimè, *nubilam*. nam ita est in MSS. Cam. & Langii, testibus J. Gul. & Grutero. Et quare *nubilam*, tot verba antè dicta ostenderunt planissimè. Trahit

A huc Acid. illud Trinumi: *Scio te non sponte tuâpte erràsse, sed amorem tibi pectus obscuràsse.* item Juvenal. Sat. 6. de amore philtris inducto:

——*quod desipis, inde est.*
Inde animi caligo & magna oblivio rerum,
Quas modò gessisti.

Vulgati: *nullam*: quomodo fortè Virg. in Ciri:

Nec tantum in facinus tam nullâ mente sequaris.

ver. 328.

6. MENTEM ANIMI] *Mens* enim in animo est, ut *oculus* in corpore. Lucret. 4. *Mens animi vigilat.* L. Vide N. Epid. 4:1.

6. VBI SVM &c.] ubi est corpus, ibi non est animus. sic Bacchid.

Anima est amica amanti: si abest, nullus est,

i. mortuus est. *Scalig.*

7. OMNIA INGENIA SVNT] Voluerat dicere, *multa*: sed augendi caussâ dixit *omnia*: L. 1:1.

B *Quod illic homo animos habet?* D.

7. INGEN. SVNT] Gruter. suspicatur, *ingenia assunt.*

8. LASSVM ANIMI] Rectè, *lassum animi*. Sic alibi, *amore defatigor*. Nec aliter leg. MSS. Eystad. & Lang. & Cam. quod & Gruterus probat: Et, inde fit, inquit, quòd tot habeat animos, cùm statim lassitudo eum tædiumque capiat unius alteriusque. J. Guliel. emendabat, *lapsum animi*. cui Schoppius rectè os verberat. Ter. Eunucho: *Falsus animi est*. Sallust 2. Hist. *Frugum pabulique latus ager.*

8. AGIT] ἐλαύνει, insectatur, impellit. *L.*

8. APPETIT] affectat; invadit ut gladiator adversarium. Nam *petere* gladiatorium verbum est. unde *petitiones*.

9. LACTAT] ita MS. Cam. & Schop *lactat*, i. trahit à *lacio*. sicut Lucretius ait catellos à canibus *lactari* pedibus; pro, trahi.

10. QVOD

10. QVOD SVASIT, DISSVADET] ita Aldus: probatque Meurs. itemque Acidal: è Brix. & Colon. nec aliud sententia. Negat quidem Pareus inveniri istud in illo Pall. sed negat suo more. ita enim expressè Pal. sextus. nam Pal. sec. hoc versu mutilus est.

11. MARITIM. M. M. EXP.] Vel incertis, vel dolosis, vel feris mecum agit moribus. Lucr. 5.

Nec poterat quenquam placidi pellacia ponti
Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.

Propert. 2. el. 12. *Scilicet alterna quondam jactamur in unda.* ex qua translatione Catullus: *Qualiter incensam jactastis mente puellam Fluctibus.* Passerat. Vide Adag. *Maritimi mores.*

11. AMENTEM AN.] ita MS. Cam. etsi postea a manu secundâ factum *amantem*: quod arripuit tamen Pareus, ne idem sentiret cum Taubmanno. Verùm quæ obsecro energia in tali voce?

15. ESTNE HOC M.] δίμετρος καταληκτική. Et hic clausula τετραμέτρων συγκεχυμένων. sequentes deinceps usque ad finem scenæ, Trochaici Archilochii, qui sunt τετράμετροι καταληκτικοί. *Cam.*

16. EO FACETIVS. &c.] Cur autem *Lemniai* quia gens illa pessimè id temporis audiebat rusticitatis & inficetiæ vitio. Sic Truc. act. 2: 4. *Qui tu infectius Lemno*, &c. Douza.

17. FACTIONE] potentiâ seu opulentiâ. V. N. Aul. 2:2.

19. NE JVSIVR.] Neque enim perjuræ reperimur, ut tu erga filiam meam: *D.*

19. QVISQ. CVI LIBET: TV] Ita Colon. ed. utrique versui suos reddit numeros.

20. SCIES] q. d. Conscientia te id docebit tua. ita Edd. vett. etiam MSS. Cam. & Lang. & Pall. quatuor. nam unus *scias*, quod complacitum Pareo, lurconi palati singularis.

21. QVODCVNQ.] Interrumpit Lena orationem Alcesimarchi.

22. MIHI VNQ.] J. Gul. l. inversis vocibus, *un. quam, mihi q.* quod tamen Acid. otiosum putat.

22. QVAM DESPONDIT PATER] Alb. Gentilis de Nupt. lib. 2. c. 2. è Donato, Brissonio aliisque docet, Patrem puellæ proprie dici

A *spondere*; adolescentis, *despondere*, i. filio stipulari. Ita apud Terent. Andr. act. 1. sc. 1. & Adelph. act. 4. 7. Cic. 1. de Orat. Sed ista tamen confundi.

26. ABI QVÆRERE] Sic V. C. & Pall. quatuor priores. Edd. vett. *quærere* per diphthongum. q. d. Quæsitum abi alios. qui tibi juranti credant. Tale illud Horatii, 1. epist. 17.

Quære peregrinum: vicinia rauca reclamat.

Grutero alterum magis adblanditur. sic Creon apud Senecam Medeâ: *I quærere Colchis.* pro, *quæstum abi.* Cas. 2. 1. v. 14: *Nunc hinc meas fortunas eo quæstum ad vicinas.*

26. JVRANDO] ita & omn. vett. edd. & eò virgit MS. etiam Camerarii, nam sic disertè Pal. tert. quart. Aus. Popma De usu antiq. locut. lib. 1. c. 7. etiam leg. *tuo jurando.* Terent. Andriâ: *Quia si fortè opus sit ad herum jurandum mihi,* &c. V. N. Pseud. 1:3.

27. CONFREG. TESS.] jus hospitii violasti. Apud Tertull. Adv. Hæret. c. 20. *Contesseratio hospitalitatis*, legitur. V. N. Pœn. 5:1.

29. INTER NOV.] Eleganter, pro, in renovâ. Cic. 2. Philip. *inter cœnam*, pro, in cœnâ. Sueton. in Galbâ, *inter conventum matronarum.*

B Sic, *inter vias*, pro, in viâ publicâ, sæpe apud hunc nostrum. *Inter gaudia*, pro, in gaudia, Agell. lib. 3. 15. *Schop.* Antitheus, *Res nova, verbum vetus.*

31. RESPONSA] Omnes Cod. l. *responsa.* Sed autore Schoppio, festivior lectio, *pro me responsas tibi.* q. d. Quid opus est me dicere, quod non remissura sim, cùm tu ipse dixeris? sic versu seq. *Non remittes? ME. scis jamdudum omnem meam sententiam.* geminum planè illi, quod in sacris Litteris, *Tu dicis.*

33. COMMENTOR] aliud ego, aliud animo voluto: neque quæ dicis, ausculto.

35. HEM, QVID AGIS] J. Gul. è Langianis, *hem, quid agam?* à quo tamen dissentiunt codd. omnes. Et potuit alioqui ubi ipsi loqui adolescens: ut censuit Grut. Sed Acidal. ita: *AL. Non' hem! quid agam ignor? ME. anim. adverte, ut q. agas scias.* quod editioni suæ prætulit Pareus, Edd. vett. & Pall. invitissimus, sed tamen mox ejecit altera; Euripo similis.

36. MEDIOXVMI] Sunt ii, quos Græci δαίμονας appellant. de quibus Plato in Symposio, & Apul. De deo Socratis, Nonius: *Medioxu-*

dioxumum, i. medio astum modo. Festus: Medioxumum, i. mediocre. Ad quod Scalig. notat: Antiquitùs priùs dicebant, mediotumum, ut Plautus, dictum à medio, mediotumum: ut à quoto, quotumum, apud Plaut. Pseud. quotuma sunt aedis sorti. Dii autem quos jurat Alces. à Graecis appellantur: dii οὐράνιοι, χθόνιοι, & ὑποχθόνιοι. Meursius, Non impugno, inquit, hanc lectionem. hoc tamen monebo, in vet. cod. esse, Inferi & medigrumi. quod ut Plauti putem, facilè animum inducor. Sunt autem medigrumi dij iidem cum medioximis, sive mediocribus. quippe medigrumus, & mediocris ad verbum planè eadem sunt. ut enim grumus veteribus locum editiorem significabat; ita & aeris. & mediocres, qui inhabitant medium istum locum. Et ita eleganter dii vocantur, quâ ratione Olympus mons pro caelo usurpatur. Habitacula verò deorum per sexdecim caeli regiones distincta vide apud Mart. Capellam lib. 1. de Nupt. Philolog. & Mercurii. Atque hinc liquet, cur alii Superi, alii Medigrumi sive Mediocres sive Medioxumi, alii Inferi. Gruterus autumat illud medigrumi esse scribae hallucinationem, cùm apud nullum id vocis praeterea reperiatur. ac medioxumi mentio etiam posterioris aevi scriptoribus, Claudio Mamertino lib. 3. cap. 14. de statu animae; Marbodeo cap. 21. de gemmis; Apollinari lib. 9. Epist. 3. ubi Savaro. Guntherius Medioxumos accipit pro deis qui in aëre degunt, quae sedes est Manium deorum, eorumque qui Indigetes ex hominibus facti. &c. lib. 1. cap. 16. de jure Manium.

37. FILIA] Hic perspicuè errans inducitur adolescens. Juno enim soror & conjux Jovis est, non filia. Sic Saturnus est pater Jovis & Junonis, non patruus. Ita Ops (quae & Rhea & Terra) Saturni uxor est, &c. Ex Lamb. V. N. Pseud. act. 3. 2.

37. ME. ECASTOR PATRE] ita Parm, & Paris. Edd. ut Lena corrigat obiter sermonem adolescentis, negetque Saturnum dici posse patruum Junonis. Et Ecastor juramentum muliebre est. MS. Cam. p. ejus, & Castor p.

41. ME. DELENIS:] mentem adimis. ita disertè MS. Cam. V. N. Amph. act. 1. 2. Alludit ad Melaenidis nomen. q. d. Tu Melaenis me delenis. Delenire & delinire, idem verbum esse, notat Cam. Sed Meursius v. edit. lectionem, Tu, Melaenis propt. tuetur.

41. AN NE UT ET] ita Cam. & omnes edd. At Lamb. ex conjecturâ, An nec etiam, &c. In Lang. est, Anne etiam q.

43. DEFINIT.] Acidal. totum locum ita constituit: AL. Juno f.

Tu me delenis: propter te haec pecco. perge dicere.
An nec etiam quid consultaris, sciam? perge eloqui.

ME. Non remitt. Lenam fastidii plenam urget, donec vocem extorqueat. &, consultaris legit. de futuro enim, inquit, ridiculè quaerat: sed, quid consultum apud se jam decreverit. & illud commentum videas in Pareana pr. contra omnes libros tamen.

46. PATELLAR.] quibus in patellis epulae apponebantur ut Lares & Penates. Varro: Oportet bonum civem legibus parere, & deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας. Vide N. Curcul. 1. 3. inprimis Lips. ad XV. Annal. Taciti.

47. NE EGO DEM VIVUS] Sic edd. vet. & Pall. tres. nam duo ut ego dim. V. Cam. inter ego & vivus lacunulam ostendit literarum decem. Cam. ob versum adjecit hodie.

47. NE EGO DEM.] Alius dixisset; Dii me faxint, ut malè peream; vel tale quid: nisi ego te &c. Verum amanti aequè dirum &, horribile est, non osculari amicam, atque alii sano interire. Et vox, vivus, detestationem facit magis diram. In summâ, oratio amatoris insani perturbata est: de quâ Lamb. prolixè disputat.

DEM.] Hoc non in MS. est: sed lacunula literarum decem inter ego & vivus. Ita & hodie à Cam. est.

TEQUE UNA Q. F.] ita MSS.

CUM PRIMO LUCI] Luci, pro luce: ut parti, pro parte: quod notat Charis. libr. 1. Deinde, lux in masc. genere usurpatum est antiquitus. Aul. act. 4. 10. luce claro. Cic. 3. de Offic. Luce claro in foro saltat: quod observat Nonius. Jam, cum primo luci, idem valet, quodsi simul atque illuxerit. Meurs. & Pontan. ex V. C. primo luci. Ter. Adelph. Cras cum primo luci.

50. PEDATU TERTIO] i. repetitu, accessu, vice: quasi per pedem: Nonius. Cato: Igitur tertio pedato nobis bellum nocere, &c. Explicari tamen etiam potest, impetu, ingressu, incursu. A veteri Critico explicatur τρίτῃ ἐπιφορᾷ: Haec Turnebus, libr. 14. 38. & lib. 28. 1.

 & Pan-

& Paulus Leopardus Miscellan. lib.6.cap.16. Eandemque Douza etiam, & J. Guliel. probant: nec non Colerus; qui in hoc valdè curiosus. Gruterus, Rectè, inquit, *pedatu tertio*. Glossographus: *Tertiopedatu*, τρίτῳ πηδήματι: ἐκ τρίτου. Idem voluit Scipio Africanus his quæ citantur Isidoro: *Ut atque ingratus conflictus cum illo sponsionem feci. factâ sponsione ad judicem adduxi: adductum primo cœtu damnavi; damnatum*, &c. Et noster Amph. 1:2.

Eos auspicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus.

Quintil. l. 1. c. 3. *Cum alij solo impetu, & quod dicitur, prima coitione id omne consiciant.*

50. EFFLIXERO] J. Gul. è Lang. emendat, *efflixero*, Lambino & Acidalio etiam volentibus. itaque expressè vett. edd. ut & V.C. & Pall. sec. sext. & ferè quartus, qui *effluxero*. V. N. Amph. act. 1:3. Asin. 4:2.

55. AMENS] ita Grut. quomodo à primâ manu MS. Cam. quod Pareus in primam editionem recepit; sed abjecit postrema; ne videretur scilicet gurges, omnia solitus devorare, nihil revomere.

56. QVANDO ÆQVA] Aulul. act. 2:2.

60. NON LICET] Coronam civicam hîc meretur Pareus, restituendo libris, *non leget* ἀρχαϊσμόν, inquit illum retinere omninò volui. est enim *leget* idem, quod *licet*, vel *liceat*. Io triumphe! Saturni podex aperitur.

57. PERDAM OP.] Ad Alcesimarchum remittam potiùs filiam (quo facto, operam perdam: nam continuò eam extrudet foras) quam committam, ut filiam meam interimat: & ita caream filiâ. L.

57. HVC CONTENDIT] ita J. Gul. è MSS. Lang. & Edd. quod & Lambino observatum. MS. Cam. *hic tendit*.

ACTUS II. SCENA II.

LAMPADISCUS.

ANUM sectatus sum clamore per vias:
Miserrimam habui. ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis!
Quot illi blanditias! quid illi promisi boni!
Quot admœnivi illi fabricas! quot fallacias?
In quæstione vix exsculpsi ut diceret,
Quia ei promisi dolium vini dare.

MISERRIMAM H.] molestissimus fui Lenæ clamore meo: L.

3. SIBI] non est in MS. Cam. & vet. ed. In Lang. tamen est.

3. MODERATRIX] Quàm cautè sibi moderata est, ne mihi indicaret, cui puellam, quam sustulit, tradidisset. L.

3. IMMEMORABILIS] i. pertinax eo, ut ne quid memoraret mihi. Activè positum, ut alia in *bilis*. Sic, *impetrabilis*, pro eo qui facilè impetrare potest, Mostell. extremâ, & Merc. act. 3:4. Epid. *dies exitialis*, exitum afferens. *Incogitabilis*, qui nihil cogitat, homo inconsideratus, Milite. Sed Capt. *Versus immemorabiles* dicuntur ἀμνημόνευτοι, qui non debent memorari ἄρρητοι. Lucret.

Immemorabile per spacium transcurrere posse, &c. L.

Gruterus; Lexicon, inquit, Græcolatinum vetus: μνημονικός, *memorosus, memorabilis*. Ergo *immemorabilis*, quæ simulabat nihil meminisse, neque adeo scire ejus rei, de quâ sciscitabatur. planè ex disciplinâ mulierum, *de se si creditur ipsis*. Milite act. 3:3.

Sin benè quid, aut fideliter faciundum est, eò deveniunt,
Oblivïosæ extemplò fiunt, meminisse nequeunt.

Quibus

Quibus non longè abeunt illa Aristophanis A in Nubibus, act. 1:6, ubi quæritur è Socrate, *An valeat memoriâ*: atque ille respondet,

——δύο τρόπω, νὴ τὸν Δία.
Εἰ μὲν γ' ὀφείλεταί μοι, μνήμων πάνυ:
Ἐὰν δ' ὀφείλω, σχέτλιος, ἐπιλήσμων πάνυ.
——Ita per Jovem! & gemino sanè modo.
Nam si mihi quis debet, memor sum scilicet:
Sin ego cui debeo, oblivtosus sum nimis.

Sic ille; qui idem tamen judicat, Scaligerum adscripsisse ad oram hujus loci, *in me incredibile*.

5. ADMOENIVI] ita è MSS. Cam. & Lang. Palmer & Grut. *Admœnivi*. i. ad mœnia admovi. Ut tanquam de molimento oppugnandæ urbis loquatur, cui fabricæ admœniuntur. Sic Pseud. act. 1.1. *Oppidum admœnire*, dixit, pro obsidere. Reliqui ferè, *admovi*. Sic Phædrus, *Admovere alicui preces*.

7. PRO. DOLIVM] V. edit. *modiolum*. Vulg. *me dol.* quod Douza delendum censet, & non apparet in MS. Cam. aut Pall. quinque *Promisi dare*, i. id daturum esse.

ACTUS II. SCENA III.

PHANOSTRATA, LAMPADISCUS, MELÆNIS.

AVDIRE vocem visa sum ante ædis modò
Mei Lampadisci servi. LA. non surda es, hera:
Rectè audivisti. PH. quid agis hic? LA. quod gaudeas.
PH. Quid id est? LA. hinc ex hisce ædibus paulò prius
Vidi exeuntem mulierem. PH. illam, quæ meam
Gnatam sustulerat? LA. rem tenes. PH. quid postea?
LA. Dico ei, quo pacto eam ab hippodromo viderim
Herilem filiam nostram sustollere.
PH. Extimuit tum illa? ME. jam horret corpus! cor salit!
Nam mihi ab hippodromo memini afferri parvulam
Puellam, eamque me mihi supponere.
PH. Age perge quæso! animus audire expetit,
Ut res gesta sit. ME. utinam audire non queas!
LA. Pergo illam his alloqui *dictis: illæc anus*
Fortuitò matrem, ne se deseras, *vocat.*
Nam illæc tibi nutrix est, ne matrem censeas
Ego te reduco & revoco ad divitias, ubi
Tu locere in luculentam familiam:
Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis. non enim hic, ubi ex Tusco modo
Tute tibi indignè dotem quæras corpore.
PH. An amabo meretrix illa est, quæ illam sustulit?
LA. Imò meretrix fuit. sed ut sit, de eâ re eloquar.
Jam perducebam illam ad me suadelâ meâ:
Anus ei amplexa est genua, plorans, obsecrans,
Ne deserat se: eam suam esse filiam,

Seque

Séque eam peperisse sanctè adjurabat mihi.
Istanc quam quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educaret eam pro filiolâ suâ.
Et vivit, inquit. ubi ea est? inquam extempulò.
PH. Servate me dei, obsecro! ME. at me perditis.
PH. Quoi illam dedisset exquisisse oportuit.
LA. Quæsivi: & dixit, meretrici Melænidi:
ME. Meum elocutus est nomen: interij!
LA. Ubi elocuta est, ego continuò anum interrogo:
Ubi habitat, inquam, duc ac demonstra mihi.
Avecta est, inquit, peregrè hinc habitatum. ME. obsipat
Aqulam. LA. quò avecta est, eò sequemur. siccine agis
Nugas? perijsti, ne herclè hoc longe. destiti
Instare, usque adeò, donec se adjurat anus
Jam mihi monstrare. PH. ah! non missam oportuit.
LA. Servatur: sed illac se quandam ajebat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius,
Commune quâ cum id esset sibi negotium.
Et scio venturam. ME. me indicabit, & suas
Ad meas miserias alias faciem consciam.
PH. Quid nunc vis facere me? LA. intrò abi, atque animo bono es.
Vir tuus si veniet, jube domi opperirier,
Ne in quæstione mihi sit, si quid eum velim.
Ego ad anum recurro rursum. PH. Lampadio, obsecro
Cura. LA. perfectum ego hoc dabo negotium.
PH. Deos, teque spero. LA. eosdem ego, uti habeas domum.
ME. Adolescens asta, atque audi. LA. men' mulier, vocas?
ME. Te. LA. quid negotij est? nam occupatus sum ampliter.
ME. Quis istic habitat? LA. Demipho dominus meus.
ME. Nempe istic est, qui Alcesimarcho filiam
Suam despondit in divitias maxumas?
LA. Is ipsus est. ME. eho tu! quam vos igitur filiam
Nunc quæritatis alteram? LA. ego dicam tibi,
Non ex uxore gnatam uxoris filiam.
ME. Quid istuc est verbi? LA. ex priore muliere
Nata, inquam, meo hero filia est. ME. certè modò
Hujus, quæ locuta est, quærere ajebas filiam.
LA. Hujus ego quæro. ME. quo modo igitur, obsecro,
Hæc est prior, quæ nupta nunc est? LA. conteris
Tu tuâ me oratione, mulier, quisquis es.
Medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
Nata est hæc virgo, Alcesimarcho quæ datur.

Ea

Ea uxor diem obijt. jam scis? ME. teneo istuc satis.
Sed ego illud quæro confragosum, quo modo
Prior posterior sit, & posterior sit prior?
LA. Prius hanc compressit, quàm uxorem duxit domum:
Prius gravida facta est, priusque peperit filiam.
Eam postquam peperit, jussit parvam projici.
Ego eam projeci, alia mulier sustulit:
Ego inspectavi. herus hanc duxit postibi.
Eam nunc puellam filiam ejus quærimus.
Quid nunc supina sursum in cælum conspicis?
ME. I nunc jam istuc quò properabas, nihil moror.
Nunc intellexi. LA. dijs hercle habeo gratiam:
Nam ni intellexes, nunquam credo amitteres.
ME. Nunc mihi bonæ necessum'st esse ingnuijs,
Quanquam esse nolo. rem palàm esse intellego.
Nunc egomet potius hanc inibo gratiam
Ab illis, quàm illæc indicet me. ibo domum,
Atque ad parentes reduco Selenium.

NON VERDA ES, H.] ita vet. libri & Camerarius. ut, *es*, producté proferatur.

V. 4. QVID ID EST?] ita MSS. & omn. cod. item Lang. & Oxon.

7. HIPPODROMO] *Hippodromus*, Curriculum equorum, ubi de pernicitate cursûs certatur, citra pugnæ simulacrum.

9. EXTIMVIT T. ILLA?] Ita V. C. & Pall. & edd. primæ. Editio Aldi *Extimuit tum illam?* hinc Meursius: *Extimuit tum illam?* At Pistoris Lampadioni tribuit sine interrogationis notâ, *Ext. t. illa.* placet. At Acidal. ita: *ME. Extimui in filiâ: horret corpus, cor salit.* quàm acutè!

11. ANIM. AVD.] ita MSS. & Edd. vett. sine *meus* quod in recente.

12. VTINAM AVD.] ita MSS. & Edd. non *Exaud.*

14. PERGO ILLAM H.] Duo isti versus in veteri Cam. cod. sunt destituti non capite aut caudâ, sed corde. Varié suppleverunt varii. primus quidem Sarracenus, sed ex sententiâ Pii. eos secutus est Aldus, sed qui nonnulla adhuc addidit, nonnulla detraxit, versuum causâ: redintegraverat etiam Camerarius: quibus feré insultans Lambinus, quædam immutavit, nullâ tamen factâ Camerarii mentione, aut loci fracti aut verborum suppositorum. Nobis placet exemplum priscorum, qui Appellem Venerem imperfectam maluerunt, quàm integrari manu extranei. habet ergò vetus liber, imo & Pall. & edd. primæ, *Pergo illa .... dictis, illæc te anus*
Fortu .... feras vocat.
Grut. At vero Lambinus, præclarè abs se hunc locum ita restitutum gloriatur:
Pergo puellam bis colloquier dictis. istæc anus
Fortuito inventam, ne se deseras, vocat.
ut *fort-uitò*, sit trium syllabarum. Palmerius Spicileg. fol. 42. Ex contentione exemplarium, inquit, restituo:
Pergo. illam bis colloquer dictis. illæc anus
Orcinæ fortè matrem, ne deseras, vocat.
Audacter, quis negat? sed quæ penitus adacta sunt vulnera, leviter curari non solent. Qui a scorti erant, *Orcinos* appellabant; argumento loci apud Suetonium: qui in Curiam irrepsissent, senatores ignobiles, in sermonibus vulgi fuisse *Orcinos* scribit. hoc iam reddit Plutarchus, χαρωνῖται. iidem *terræ filij*; non hercle, ut Erasmus putat, quia Gigantes terræ filios fama vulgavit: nam iis quid clarius? neque, quod verò liceat, quicquam ejus similitudinis gigantes capiunt: quotum sine patre ortus fuerit, ignobilitatem cum memorabile facinus postea omnem exhausit: sed, ut rectiùs Livius, vetere consilio condentium urbes, qui obscurum atq; humilem concien-

do ad se multitudinem, natam è terrâ sibi prolem mentiebantur: quò eodem fabulâ spectat de Thebarum à Cadmo origine. Etiam, *sine patre filÿ* vocabantur. nam ut Plutarchus memoriæ prodidit, quiqui patrem ciere non possent, *S. P.* filii proscribebantur: posteà lapsi sunt, ut ex his capitalibus notis *spurium* facerent. itaque puellam hanc exposititiam, *orcinam* appellat. Quod sequitur, *fortè matrem*, primore facie nihili videtur: quantumvis elegans. Ei rei argumenta dicam. Qui genuerat, *pater* erat: si è compressu alius, quam uxoris, *Vitio-pater*. Mart. lib.12: 53.

Huic semper vitio-pater fuisti.

Pl. Merc. (act.5: 4. V. Notas ibid.) ita dicit; *suâ culpâ patrem esse*. Tum enim *vitium facit puella*. id eo exemplo, quo *turris vitium facit*: apud Hirtium de bello Hispanico. (kriegt ein Loch / ein Riß) At qui alienum partum sustulissent, aut sibi supposuissent, *fortuito parentes* erant. sic ergo hæc, inquit, *se fortuito matrem* appellat, ne se deseras. Cæterùm nutrix est, non mater. *Fortè-mater*; ut *vitio-pater*. Et est hic locus ei rei unicus. Hæc Palm. Locus hic, ait Pist. pro desperato habetur, meritò: conjecturâ tamen aliquis ita legeret:

———*Pergo puellam his alloqui dictis, illac anus*
Fortivò (vel, *Furtivè*) *matrem se, ne deseras,*
vocat.

sensu manifesto. Anus illa furtivè se matrem tuam vocat: eâ tantum de causâ, ne se deseras. sed furtum facit, cum id facit. Ad hoc ferè exemplum in Pœnulo act.5: 4. Pœnus suas filias *fures* vocat. Etiam Acidalius insanum hic molitur, nihil tamen emolitur, vel se judice.

17. REVOCO] Acid. è vett. ed. restituit *revoco*, metri caussâ. non malè: utique si & ita Schobing. MS.

18. LOCERE] ita MSS. & Edd. vett. nam recentiores, versus caussa, *Ubi jam loc.* aut, *Ubi collocere*. At ego malim *ubi* hic loqui, ablatum præcedenti versu: qui alioquin in MSS. nostris non extat integer.

19. TALENTA M.] *Magna* fuerunt appellata, non de pluribus, sed preciosioribus minis. Non enim uspiam observatum scio, *Talentum Atticum* plures habuisse minas 60. *Camer.*

TALENTA DOTIS] V.N. Persâ, 3: 1.

A 20. HIC] sc. habitabis. Val. Acidal. sententiam pendentem ita sistit: *Non mane hic &c.* Mansionem enim & vitam meretriciam ei dissuadet.

20. EX TVSCO MODO] Lydorum enim, qui pars Hetruriæ, fillas ex meretricio quæstu dotem sibi comparare solitas, tradit Herodotus. V.N. Persâ, 4: 4. & Curcul. 4: 1. At J. Palmerius, *Modus* hic, inquit, est fidicinus & tibicinus. Hoc enim notum est antiquitus fuisse Romæ *Tuscos augures*, haruspices, ludios, tibicines. Inde *tuba Hetrusca*. Sed & Tusci è Lydiâ: unde *modi Lydÿ*. Ibidem in Tusco vico habitabant scorta. apud Horat.

Tusci turba impia vici.

Jam ergo ludit in verbis, *Tusco modo*. Significat enim numeros lascivos in re Veneris, & schemata libidinis. Fugit ratio Camerarium, qui, *modò*, hic adverbium facit. quæ caussa fuit, cur hæc adderem. Hæc ille.

23. VT SIT] ut se res habeat.

24. SVADELA] eloquentia. Horat. 1. epist.6.

At benè nummatum decorat Suadela Venusq.

28. AMICÆ M.] Melænidi.

B 32. QVOI ILLAM] Ita MSS. Langii. nam Pall. & edd. vett. *Quò*.

34. INTERII] Alii versus caussa addunt *perÿ*. at cur non potius? *interÿ!* ut ob repetitionem, scribæ fuerit ceu superuacuum.

35. VBI ELOQVTA] ita MSS. & Edd. Etiam *anum* glossema censet Acidal. quod tamen in omnibus apparet libris, ideoque perperam ejectum à Pareo.

37. OBSIPAT AQVVLAM] i. recreat me: ut iis, qui animo defecti aquâ adspersâ recreantur. Illo enim mendacio se elabi posse sperat. V. N. Amph. 5: 1. Bacch. *Vivax, adspersisti aquam!* Festus interpretatur, *sipat, jacit*: & inde esse ait *dissipat, disjicit: obsipat, objicit: insipat, injicit.* Ita hic, *obsipat*, est adspergit, &c.

39. NE H. H. LON. DESTI] Sic libuit exprimere proximè ad Pall. tres, in quibus omninò sic exstat. nam est in MS. Cam. *peristine hercle hoc longe dedisti.* & ita ferè Langii & edd. vett. nam Ald. *perÿsti hercle, non destiti instare.* Camerariana: *perÿsti ni hercle hoc edisseris.* Palmerius emendat, *Perÿsti, nei hercle onge edisseris.* i. ad unguem, veteri scriptura,

prurâ, &c. Schoppius ex iisdem suspicatur legi posse; *Perystine herclè hoc longè. Et isti instare.* q.d. Sic nugari mihi postulas? hercle non hoc longè à te abest pernicies. Post illam mimesin, inquit, colloquii sui pergit servus exponere, quomodo institerit, ut illud, quod volebat, exquisitum auferret. *Ne*, pro, *non*. *hoc longè*, sicut tantillum, quasi cum demonstratione unguis, vel similis, &c.

41. IAM] Conqueritur Camer. repertos qui hoc *jam* in *eam* audacter mutarint, quorum numerum nunc iterum auget Pareus; planè contra omnes libros MSS. & Edd. vett.

41. MONSTRARE] pro, monstraturam esse: ut mox, *conventure*, pro conventuram. Cam.

42. ILLAEC] ita Cam. Lamb. & Parif. & Ven. In *illaec* unum *l* eliditur. Sed Acidal. planè id exturbat, auctoritate (ut ait) vett. edit. cùm numeros etiam gravet: cui illicò obsecutus est Pareus, nimis temerè. Aldina enim solum ea destituitur, & si quas aut secuta est aut si quae eam sequuntur. sed & pronomen illud in V.C. & Pall. omnibus.

45. VENTURAM] Douza l. *negotium: & Scio conventuram*, ut *et &* versum praeced. claudat. Sed utrumque ex levi conjectura: & nollem in contextum ab Editore novitio receptum, contra libros.

46. ALIAS FACIEM CONSCIAM] Libuit exhibere lectionem V. C. cui accedunt Edd. vett. & Pall. in quibus *faciam consciam*, nisi quod pr. *cumsciam*. Aldina praefert, *Ac meas miserias alias faciam conscias.* Camerariana: *Ad meas miserias addes. PH. fac me consciam, Quid &c.*

49. NE IN QUAEST.] ita Cam. & Lamb. at Mediol. Parisina, & Ven. *Ne in quaestionem mi sit.* Lang. *Ne quaestione mihi:* ne mihi quaerendus sit. Pseud. 1: 2. Schoppius Brixianum retinet, *Ne quaestioni mihi sis.* ut Mil. *ne sis exspectationi.* Capt. 2: 1. *Edepol ne tibi quaestioni essemus, cautum intellego.* Ed. Merulae prima, *ne quaestionem*, quomodo & V. C. Pall. accedunt Brixianae. quam secutus Pareus, quaerit quo jure Taubmannus in textum admiserit, *in quaestione*. Respondetur; non admisit in textum, sed non exturbavit quod jam antea

A ibidem conspiciebatur invectum à Camerario] probaveratque & Sambucus, & Lambinus, & Dousa. neque enim omnibus licet agere Palaemonem. quid quod & Jos. Scaliger hanc lectionem firmat illo Capt. 2. 2. v. 3: *tibi ne in quaestione essemus cautum intellego.*

51. DEOS TEQUE] Sic Mil. act. 4: 5. *Deos sperabo, teque postremo tamen.*

51. UTI HAB. D.] Acidal. & Schop. leg. *LA. eosdem ego: potin' abeas domum?* sed praeter libros. nostrum visitur in V. C. ac Pal. tert. restatque ad oram pr. nam ceteri accedunt Edd. vett. *ut abeas domum*. optat autem ut domi videre possit filiam, quam *modo quaeritabat*; uti monuit dudum Pius.

58. IS IPSUS EST. ME. EHO TU, Q.] ita MS. Cam. Caeterùm Meursius legit: *chadum*, & quod in MS. Lang. erat, *Ipsipsus est*, purum putum ait Plautinum, pro, *Is ipsus.* Placet hoc & Popmae De usu Antiq. l. lib. 1: 3. sed V.C. & Pall. & Edd. vett. nostram tuentur.

59. DICAM T.] MSS. Cam. & Lang. *deiciam*. Miror consensum! natum tamen à ve-
B teri ratione scribendi, *deicam*.

60. UXORIS FIL.] Aenigma: quod sic declaratur. Demipho duas duxit uxores, unam Lemniam eamq; priorem, quae hic non nominatur: alteram Sycioniam, Phanostratam, posteriorem: ex quâ tamen antè compressa filiam Silenium susceperat, quae projecta, nunc quaeritatur: L.

64. HUIUS LOCO Q.] Alii, *ergò*. MS. Cam. neutrum habet.

67. MEDIOXUM.] *Medioxuma*, i. media appellatur Lemnia illa mulier, quam priore loco uxorem duxit. Et Phanostrata quodammodo bis nupsisse intelligenda est: semel, cùm à Demiphone compressa est: iterùm, cùm justis nuptiis cum eo copulata est. L.

69. IAM SCIS?] ita MSS.

70. CONFRAGOSUM] asperum, & impeditum. Sic etiam translatè dicit Menaech. *conditiones tortas*. L. Vide & Brod. Misc. l. 10. cap. 15.

72. QUAM UXOREM] sc. Lemniam illam.

74. PROIICI] i. exponi. unde est illa *projectitia*. Cam.

76. HANC]

76. HANC] Phanostratam.

76. POSTIBI] Douza l. *post sibi*. Schop. *postibi*, pro *posteà*: ut Mil. 4. sc. ult. Rud. 3. & 4: 7.

77. EAM NVNC PVELLAM] *Puellæ* appellantur etiam eæ, quæ matrimonio junctæ, vel uterum ferunt, vel etiam pepererunt. Horat. 3. Carm. 22. *laborantes utero puellæ*. Penelope apud Ovid. se puellam vocat, cum Ulyssi jam olim Telemachum peperisset. Fast. 2. *jubet viduas cessare puellas*. i. à maritorum complexibus abstinere. Sic & Scævola JC. *puellam* vocat, quæ erat vidua, & post alteri nupta. Agellius lib. 12. cap. 1. *puellam* bis vocat puerperam. Quæ notat C. Rittershus. ad Guntherum. Eodem modo & *virgo* (quam à viridiore ætate ita dictam Servius autumat) apud Virgil. 6. Ecl. Pasiphae appellatur, quæ jam trium liberûm mater fuisset. Sic & Euripid. in Jone παρθένον, pro corruptâ dixit. & Ter. in Adelph. act. 4: 5. & 7. mulierem post partum virginem vocat. quod notat Servius Æn. v. 688. Sed & JCti auctores sunt, virginem viripotentem, *mulieris* appellatione contineri: quod observavit Germanus Valens. Eadem ratione *virginem* maritum vocat P. Chrysol. Sermone 148. *Inducta virgo inducit virginem mox maritum*. Nam & *virginem puerum* dixère investem, qui bona sua nemini dum vendidisset. Paulinus in Epithal. hactenus inedito, in Julianum & Titiam:

Concordes animæ casto sociantur amore,
Virgo puer Christi, virgo puella Dei.

quod postremum à Fr. Lindebruch habeo.

78. Q. N. SVPINA SVSVM IN C.] Ita J. Gul. è vett. Edd. Etiam in Lambini & Lang. MSS. fuit, *supina sus jam c.* quod nec Lambino reiculum. *Sus* enim & *susum* antiquis erat *sursum*. Meursius etiam probat, *supina susum c. c.* Pall. tres, *supina sursum jam cæl.* terti. & sextus, unà cum MS. Cam. *susum jam c.* Vides consensum codicum, ut mirer, cur *Pareus* priore ed. τ *supina* expunxerit, atque ita versum etiam corruperit. Idem iterata editione aliter rursus peccat in legem metri, dum recipit in contextum, *susum jam cælum*.

82. INGRATIIS] ἄκων. i. velim nolim: seu, contra sententiam animi mei: Cam. V. N. Epid. act. 3: 4.

86. AD PAR. REDVCO SIL.] ita è MS. Cam. Schop. ceteri MSS. & edd. *reducam*.

ACTUS III.

MELÆNIS, ALCESIMARCHVS, SILENIVM.

REM elocuta sum tibi omnem: sequere me, mea Silenium,
Ut eorum, cujam esse oportet te, sis potius quàm mea.
Quanquam invita te carebo, animum ego inducam tamen,
Ut illud quod in tuam rem bene conducat, consulam:
Nam hîc crepundia insunt, quibuscum te illa olim ad me detulit,
Quæ mihi dedit: parentes te ut cognoscant facilius.
Accipe hanc cistellam, Halisca, atque agedum pulta illas fores.
Dic me orare, ut aliquis intus prodeat properè ocius.
AL. Accipe me ad te, Mors, amicum & benevolum! SI. mater mea!
Perijmus miseræ! AL. utrum hàc me feriam, an ab lævâ latus?
ME. Quid tibi est? SI. Alcesimarchum non vides ferrum tenentem?
AL. Ecquid agis? remorare? lumen linque. SI. amabo, accurrite,
Ne se interimat. AL. ò Salute mea salus salubrior,
Tu nunc, si ego volo seu nolo, sola me ut vivam facis.
ME. Hau! voluisti istuc severum facere! AL. nihil mecum tibi:

Mortuus

Mortuus tibi sum: hanc ut habeo, certum est non amittere.
Nam hercle jam ad me agglutinandum totam decretum est dare.
Ubi estis servi? occludite ædis pessulis, repagulis,
Ubi hanc ego tetulero intra limen. ME. abijt, abstulit
Mulierem. ibo, persequar jam illum intro, ut hæc ex me sciat
Eadem, si possum tranquillum facere ex irato mihi.

VERSUS hujus Sc. sunt omnes τετράμετροι τροχαϊκοὶ καταληκτικοί. A

V. 1. SILENIUM] Notat Cam. in MS. suo hic legi *Selenium*. quod fuerit ἀπὸ τῆς σελήνης. quasi *Lunulam* dicas. neque aliter erat versu ultimo. 1.3. supra.

2. CUIAM] V. N. Rud. 2.3.

4. QUOD IN TUAM REM] Ita Pall. sex, insigni bono versus, qui antea mirè hiabat.

5. CREPUNDIA] *Crepitacula* vocat Lucret. Solebant autem veteres liberos amissos cùm ex aliis notis, tum etiam ex crepundiis agnoscere: quod Comici & Tragici poetæ veritatis imitatores in Fabulis adumbrare solent. Ex quo illud Cic. in Bruto: *Nunc quoniam totum me non naevo aliquo, aut crepundiis, sed corpore omni videris velle cognoscere, &c.* Lamb.

8. PH. PROPERE OCIUS.] ita MS. Cam. & Lang. & Meursius. Aristoph. Schol. Vespis: ἔθος ἐστὶ τοῖς τραγικοῖς παραλλήλως λέξεσιν ἰσοδυναμούσαις χρῆσθαι. Tale est. *Quoque etiam. Nunc jam. Ergo igitur.* Cic. de Amicitiâ: *Quamvis licet excellas.* Vide & Aus. Popmam *De usu antiquæ locut. lib. 2: 10.* & N. Epid. 4:1.

9. ACCIPE ME] Planè ita rectius MSS. Pall. & Langiani, & Fris. *Accipe me.* nam id verbum hospitiis & invitationibus conviviorum servit. unde illa, *lepidè accipere: pulchrè acceptus.* Et hic adolescens ad Mortem tanquam in hospitium devorti se velle ait. Tamen MS. Cam. tenet *Recipe*, & hic novam Scenam etiam orditur.

11. NON VIDES FERRUM TENENTEM] Ita omnes. Pall. & edd. vett. nam Aldi verbis transpositis, *ferrum tenentem non vides?* non necessariò. nam ultima syllaba versus absumitur à vocali versus sequentis. ridiculè itaque nimis Pareus, metro longius justo adhuc adjecit spurium illud *manu*.

12. REMORARE?] ita enim se increpat cessantem adolescens. Sic Europa, apud Horat. 3. Od. 27. *Impudens Orcum moror.*

14. SI EGO] Schop. è MS. Cam. l. *Si*, i. sive. V. N. Merc. 2: 2. & vero sic etiam extat in Edd. vett. & Pall. omnibus. recentt. *Sive ego volo seu nolo, Solam me ut v. f.*

15. HAU! VOLUISTI I. SEVER.] pro, te interimere: κατ' ἀντίφρασιν. Nonius docet, *Severum* significare aliquando sævum, implacitum, vitabile; adducens Virgilii locum, 3. Georg.

Invidia infelix furias, amnemque severum
Cocyti metuet.

Sic Pl. Trin. *Neptunum severum, sævum, & avidis moribus*, dicit. Cam. & L. In MS. Cam. erat, *Haud voluisti istunc sævum facere?* MS. Frising. l. *scævum.* Et probat hic *scævum* Colvius ad Apollinar. *Tanquam scævum cavendumque tractator.* Juvenal. Sat. 5. B

——*scævâ dignum verâque Charibdi.*

Meursio placet v. cod. lectio, *Hau, vol istuc sævum f?* quòd magis sævitia ista, quàm severitas appellanda sit. Hoc tamen & vett. MSS. & numeros respuere Camerarius etiam auctor est.

17. AGGLUTINANDUM] ita MSS. & omn. Edd. vett. Vulgo, *Agglutinandam.*

19. UBI HANC EGO TETULERO] Est à Camerario, placuitque omnibus usque ad Pareum. is damnatam lectionem exilio suo liberatam retulit: *Ibo: hanc tetulero:* At ita est in MSS! quasi non in iis etiam conspiciatur monstrorum Africa. nonne statim versu 5. omnes ferè mirè hallucinati sunt circa verbum *conquiniscam?*

21. EADEM; SI POSSUM] ita restitui ex antiq. edd. Parisinâ & Parmensi. Cæteræ, *sic.* etiam MS. Cam. cui tamen à prima manu. ut & in Lang. erat, *sed.* Sanè interpunctio ista ferè omnium est membranarum Pall. nisi quod Lang. hæc ἐρωτηματικῶς effert, *mihi?*

ACTUS IV. SCENA I.

LAMPADISCVS servus, PHANOSTRATA mulier.

NVLLAM ego me vidisse credo magis anum excruciabilem
Quàm illæc est. quæ dudum fassa est mihi, quæne inficias eat!
Sed eccam herum video. sed quid hoc est; hæc quòd cistella hic jacet
Cum crepundijs? nec quenquam conspicor alium in viâ?
Faciundum est puerile officium: conquiniscam ad cistulam.
PH. Quid agis, Lampadio? LA. hæc cistella numnam hinc ab nobis domo est?
Nam hinc ab ostio jacentem sustuli. PH. quid nuncias
Super anu? LA. scelestiorem in terrâ nullam esse alteram.
Omnia inficias ire ea, quæ dudum confessa est mihi.
Nam hercle ego illam anum irridere me ut sinam? satius est mihi
Quovis exitio interire. PH. di obsecro vostram fidem!
LA. Quid deos obsecras? PH. servate nos! LA. quid est? PH. crepundia
Hæc sunt, quibuscum tu extulisti nostram filiolam ad necem.
LA. Sanane es? PH. hæc sunt profectò. LA. pergin? PH. hæc sunt! LA. si mihi
Alia mulier istoc pacto dicat, dicam esse ebriam.
PH. Non ecastor cassa memoro. nam, obsecro, unde hæc gentium?
Aut quis deus objecit hanc ante ostium nostrum? quasi
Deditâ operâ in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit.

NUMERI sunt Trochaici Archilochii: A sed ad nonnullos expediendos adsumenda sunt adjumenta ἐπισυναλοιφῶν.

V. 1. EXCRVCIABILEM] cruciatu digniorem, ταλαιπωροτάτης: *Vel*, quæ me magis excruciet, ἀνιαροτάτης. sed illud mavult Lamb.

2. QVÆNE INF. EAT!] Nonne est quovis cruciatu dignissima, quæ inficietur, quod mibi fassa est?

3. Q. HOC EST, HÆC Q.] ita MS. Cam. & Pal. pr. à secunda, tert. & sext. à prima manu rectè. Parei pr. editio exclusit *hæc*.

5. FAC. EST PVER.] dejicere alvum, Lambinus explicat & Passeratius ad lib. 2. el. 6. Propertii. Verum Gruterus quærit, quei magis puerile officium id dicatur, quàm cæterorum hominum? Et quo modo, inquit, ventris onus latuisset ancillæ sive nares, sive oculos? Vestigia socci tantùm obvia habuisse testatur Scena proximâ. Explicat igitur *officium* hic ex ingenio illius apud Senecam patrem lib. 4. Controvers. procemio: *Impudicitia in ingenuo crimen est, in servo necessitas, in liberto officium?* item ex illo Terentii Adelph. act. 2. sc. 2. *Adolescenti morem gestum oportuit. SA. qui potui melius? quin hodie usque os præbui.* Eo sensu hæc cepit & Acidalius: atque inter alia Martialem lib. 9. epigr. 69. rem istam simpliciter *puerile* nominare. At Meursius existimat, innuere Lampadiscum, velle se crepundia quatere, & sonitum edere, ut solent pueri, quibus & in eum usum ex collo suspendebantur: quod etiamnum hodie fieri B videmus. Nam erant, inquit, nihil aliud, quam κρόταλα: unde & *Crepundia* appellata, tanquam à crepitu. Græci propriè πλαταγώνια nominabant, &c. Latini etiam *Monumenta*. Ter. Eun. act. 6: 6. *cistellam domo effer cum monumentis.* ubi vetus Interpres, *Monumenta sunt, quæ Gr. dicunt γνωρίσματα ἢ ἐπιδέραια*, &c. Erant verò γνωρίσματα quidem crepundia: sed non reciprocè *Crepundia* omnia γνωρίσματα. nam hæc apponebant infantibus expositis, ut inde aliquando noscerentur, &c.

(V. M.

(V.N. Mil. act.5.) denique in MS. Lang. erat, A *puerilesfficium*. hinc, f. *pugril offic.* Sic *Simil*, &c. pro *Simile* dicebant. ita Meursius, cujus interpretationem sequitur Pareus. minus rectè. nam crepundia sanè heic diversa fuisse à crepitaculis scena sequens satis detegit.

5. CONQUINISCAM.] i. *inclinabo me*: Nonius. Lambinus existimat hoc verbum tractum esse à Gr. [illegible], quod valet, inflexo corpore venerari: vel [illegible] unde *inquinare*. Quidam (in his Auratus & Bosius) hoc verbum corruptum putant apud Plaut. & Nonium: & scribendum, *conclinsicam*, à verbo *conclinisco*. & ita statim Plauto intulit Pareus, adque eum modum citat in Lexico suo; non sine Asinitate Cumana. ut enim tali voce auctoritatem circumdaret, ait sic legere & hic & in Nonio, miracula illa doctorum virorum, Auratum & Bosium. At enim Pal. pr. quart. & sextus alterum hic clare præ se ferunt à manu secunda. neque aliter MS. Nonius ejusdem bibliothecæ. ac in Pseudolo V.C. eam vocem planè expressit ut volumus, item Decurtatus.

6. AB NOBIS DOMO EST?] ita MS. Cam. & vett. Edd. sed Lang. *hinc ab nobis est domi?*

9. OM. INFICIAS IRE.] Vera lectio. nam aut referendus hic infinitivus ad id, quod Phan. interrogârat, *Quid nuncias super anu?* ut dicat servus; & illam scelestissimam esse, & omnia ire inficias, quæ dudum confessa fuerit. aut est hæc in indignatione locutio imperfecta: ut, *Adeóne hominem esse invenustum!* ut sit sensus: indignum esse facinus, omnia jam illam negare, quæ prius fuerit confessa. Tale est & illud, quod sequitur: *Nam h. &c.* Camer. cujus tamen V.C. ut & Pall. & Edd. vett. *infitiare ea quæ*; quod, quamvis prodidisset Camerarius, natum à correctorum corruptela, minus intelligentium proprietatem ac naturam Latinæ linguæ, iterum ecce nobis obtrusit scæva Parei liberalitas. adeò hodie quilibet sapit ante senem illum ætatis suæ prudentissimum. Etiam Pius indicarat, exempla extare in quibus legeretur *infitias ii*, item *infitiatur*.

16. CASSA MEM.] ita omn. Edd. sed Cam. è scriptura Codicis sui evanidâ legendum conjecit *falsa*. Palm. l. *Non ecastor campas memoro.* *Campæ*, res fabulosæ, & fando tantùm auditæ: quæ nusquam sunt, nisi in ære apud Aristophanem. Ergò, *campas memorare*, dicere, quod nusquam sit. J. Gul. *Cassa*, inquit, *memorare*, (si locus bene habet) est frustrà & nequicquam verbis sibi spem facere; cum in re nihil sit: à nuce cassâ, quæ putamen habet, nucleo deficitur. Ita *cassam* B *speculam* Apul. dixit: *Quin igitur masculum animum sumis, & cassæ speculæ renuncias fortiter?* Et Afranius, *cassam terriculam*, pro minis inanibus. Litterarum ductus MS. Cam. videtur & hanc lectionem prodere: *LAM. Non ecastor ais? ita memoro.*

17. AUT QUIS DEUS] Inexspectata, θεόπεμπτα existimabantur. Vide Herald. ad Arnob. l.3.

18. SPES M. S. SUBVENIT.] ita MSS. & omn. Edd. nisi quod V.C. Personam Phanostratæ his verbis præponit. Unde Schoppius suum illud divinavit, *LA. Spes mihi sancta subveni.* quod cùm in contextum etiam receperit Pareus, tanquam eum secutus; perperam exhibuit, *tulit*. quod & retinet in ultima sua. sed invito Vero. servo enim talis sermo non convenit, sed matri. Jam, *Spem* à Colatino Romæ fuisse consecratam, testatur Cic. 2. de Leg.

ACTUS IV. SCENA II.

HALISCA ancilla, LAMPADISCUS servus, PHANOSTRATA mulier.

NISI quid mihi opis
Di dant, disperij: neque unde auxilium expetam habeo.
Itaque petulantia mea me animi miseram habet:

Quæ in tergum meum ne veniat, malè formido:
Si hera mea sciat, tam socordem esse, quàm sum.
Quamne in manibus tenui atque accepi hîc ante ædis
Cistellam? ubi ea sit, nescio: nisi, ut opinor,
Loca hæc circiter excidit mihi. mi homines,
Mi spectatores! facite indicium, si quis
Vidit, si quis eam abstulerit, quisve
Sustulerit, & utrum hàc an illàc iter institerit.
Non sum scitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem,
Qui semper malo muliebri sunt lubentes.
Nunc vestigia hîc, si qua sunt, noscitabo.
Nam si nemo hàc præterijt, postquam intrò abij,
Cistella hîc jaceret. quid, hîc? perijt opinor.
Actum est! ilicet me infelicem & scelestam.
Nulla est! neque ego sum usquam: perdita perdidit me.
Sed pergam, ut cœpi, tamen: quæritabo.
Nam & intus paveo, & foris formido: ita nunc
Vtrobique me metus agitat. illo sunt homines miserè
Miseri. ille nunc lætus est, quisque est, qui illam habet:
Quæ neque illa illi quicquam usui st: mihi esse potest.
Sed memet moror, quum hoc ago secius.
Halisca, hoc age! ad terram aspice, & despice:
Oculis investigans astutè augura. LA. hera, hem tibi!
PH. Quid est? LA. hæc est. PH. quis? LA. quoi hæc excidit cistella:
Certè eccum locum signat, ubi ea excidit. PH. apparet!
HA. Sed is hàc ijt: hàc socci video vestigium
In pulvere: persequar hàc. in hoc jam loco cum altero
Constitit. hîc meis turbo oculis modò se objecit:
Neque prorsum inijt hàc. hîc stetit: hinc illuc exijt: hîc
Concilium fuit. ad duos attinet: hi qui qui *sunt!*
Attat, singulum video vestigium. sed is hàc abijt.
Contemplabor. hinc huc ijt: hinc nusquam abijt.
Actam rem ago. quod perijt, perijt; meum corium
Cum cistellâ. redeo intro. PH. mulier, mane! sunt
Qui volunt te conventam. HA. quis me revocat?
LA. Bona fœmina, & malus masculus volunt te.
HA. Malum aufer, bonum mihi opus est. *postremò, ille*
Plus, qui vocat, scit quod velit, quàm ego quæ vocor. revertor!
Ecquem vidisti quærere hîc, amabo, in hâc regione
Cistellam cum crepundijs, quam ego hic amisi misera?
Nam dudum ut accurrimus ad Alcesimarchum, ne suam vitam
Interimeret, tum mihi puto præ *timore hic excidisse*

Cistellam.

Cistellam.LA.hac mulier nostra est.quin operam *damus,hera,parumper.*
HA.Disperij misera! quid ego mea heræ dicam? quæ me opere tanto
Servare jussit, qui suos Silenium parentes
Facilius posset noscere,quæ heræ meæ supposita est parva.
Quam quædam meretrix ei dedit. LA.nostram hæc rem fabulatur.
Hanc scire oportet filia tua ubi sit, signa ut dicit.
HA.Nunc eam volt suæ matri & patri, quibus nata est,reddere ultro.
Mi homo,obsecro,alias res geris,ego tibi meas res mando.
LA.Istuc ago:atque istuc mihi cibus est, quod fabulare:
Sed inter rem agendam istam heræ huic respondi, quod rogabat.
Nunc ad te redeo,si quid est opus,dic; impera & tu.
Quid quæritabas? HA.mi homo,& mea mulier,vos saluto.
PH.Et nos te.sed quid quæritas? HA.vestigium hic requiro,
Quà aufugit quædam nescio quò mihi. *PH.quid id? quid* id*nam est?*
HA.Alienum quod damnum afferat, *& mœrorem familiarem.*
LA.Mala merx,hera,hæc & callida est.PH.ecastor ita videtur.
LA.Imitatur nequam bestiam & damnificam.PH.quamnam, amabo?
LA.Involvolum, qui in pampini folio intorta implicat se:
Itidem hæc exorditur sibi intortam orationem.
Quid quæritas? HA.cistella mihi hic, mi adolescens,evolavit.
LA.In caveam latam oportuit.HA.non edepol præda magna.
LA.Mirum,quin grex venalium in cistellà insuerit unà.
PH.Sine dicat.LA.si dicat quidem.PH.age loquere tu, quid ibi insuerit;
HA.Crepundia una.LA.est quidam homo,qui illam ait se scire ubi sit.
HA.At pol ille à quàdam muliere,si eam monstret,gratiam ineat.
LA.At sibi ille quidam volt dari mercedem.HA.at pol illa quædam,
Quæ illam cistellam perdidit,cuidam negat esse,quod det.
LA.At enim ille quidam argentum expetit. *HA.* at nequi *quam argentum (expetit.*
LA.At pol ille quidam,mulier, in nullà operà gratuità est.
PH.Commoda loquelam tuam! tibi nunc proderit confitemur
Cistellam habere.HA.at vos Salus servassit! ubi ea nunc est?
PH.Salvam eccam. sed ego rem meam magnam confabulari
Tecum volo. sociam te mihi adopto ad meam salutem.
HA.Quid istuc negotij est? aut quis es? PH.ego sum illius mater,
Quæ hæc gestitavit.HA.hiccine tu ergo habitas? PH.ariolare.
Sed quæso ambages, mulier,mitte, atque hoc age!
Eloquere,unde hæc sunt tibi, citò,crepundia.
HA.Mea hæc herilis gestitavit filia.
LA.Mentiris! nam mea gestitavit, non tua.
PH.Ne obloquere! LA.taceo.PH.mulier, perge dicere.
Ubi ea est,quæ gestitavit? HA.hic in proximo.
PH.Istic quidem edepol mei viri habitat gener.

LA.Na! PH.obloquere rursum? perge porrò dicere.
Quot annos nata dicitur? HA.septem & decem.
PH.Mea est.LA.ea est, ut numerus *annorum attulit.*
HA.Quod quærebas, repperisti: *jam quæro meam.*
LA.At pol hæ suas nactæ *sunt: quæro tertiam.*
PH.Quod quæritabam, filiam inveni meam.
„ *HA.ÆQVVM est tenere, per fidem quod creditum est,*
Ne bene merenti sit malo benignitas.
Nostra hæc alumna est tua profectò filia:
Et reddituræ hera *est tibi tuam: & ea gratiâ*
Domo profecta est. cæterum ex ipsa obsecro
Exquiritote. ego serva sum. PH. æquum postulas.
HA.Illius ego istanc esse malo gratiam.
Sed istanc cistellam te obsecro ut reddas mihi.
PH.Quid fit, Lampadio? LA.quod tuum est, teneas tuum.
PH.At me hujus miseret. LA.sic faciundum censeo.
Da isti cistellam, & intrò abi cum istac simul.
PH.Tibi auscultabo. sene tu cistellam tibi.
Abeamus intrò. sed quod nomen est tuæ
Dominæ? HA.Melænis.PH.i, i præ! jam ego te sequar.

NIsi Q. M. Opis] Si sunt rectè distincti A versus, de quo mediocris sanè spes nobis, hic erit *δίμετρος*: sequentes autem arimetri, catalectici, hypercat. acatalectici, numeris confusis, usque ad illum, *Bona fæmina, & m.m.* à quo deinceps est ratio *ἰσομέτρων*, seu septenariorum manifesta, usque ad illum, *Sed quæso ambages m.* Unde usque ad finem Scenæ versus sunt Senarii jambici: *Camerarius*. Aldinus c. ut & traduces illius, ita metiuntur, & augent hos versus:

Nisi quid mihi opus dii dant, disperii, neq.
Unde auxilium mihi, aut præsidium expetam, habeo.

Sed nos reliquimus quod est in MS. Cam. & B Pall. & vett. edd. haud dubiè minus corruptis. quod & Lambino, & Douzæ visum: non etiam Pareo.

4. QVÆINT.] Valdè metuo, ne mea *petulantia* caussa sit, cur virgæ in tergo meo sint petulantes, &c. L. Acidalio tamen suspecta vox est *petulantia*.

4. NE VENIAT] Acid. rescribit, *ne eveniat.* quod idem esse ait cum *expetendi* verbo. Ovid. Heroid. Acont. *Inque caput nostrum domina perjuria quæso Eveniant.*

8. MI HOMINES] Sic Petronius; *O mi hospites*, &c. *Mi*, singulari pro plurali posito, antiquè. quomodo sæpiculè Plautus. Sic Apul. neutro genere, & quidem numero singulari, eundem vocativum efferre ausus, Apologiâ primâ, in lepidissimâ illâ Platonici Epigrammatis versione:

Astra vides: utinam fiam, mi sidus, Olympus:
Ut multis sic te luminibus videam!

Quomodo & fæminino Tibullus lib. 1.
Vive diu, mi dulcis anus, &c.

quod uni Scaligero debemus: nam absque illo foret, *mi* pro *mei* à Plauto usurpatum poteram suspicari (quod Camerario placuit) virtute contractionis scilicet: sicut *di* pro *dei*, seu *dij*, &c. Douza in Præcidan. ad *Arbitr.* lib. 2. cap. 10. Testatur Cam. in suo illo v. c. verba quædam hic deesse: se autem & versus & sententiam, vestigiis veteris scripturæ inhærens quàm scitissimè potuerit, consarsisse. Alios fuisse audaciores.

11. ANJLLAC] Ante has voces lacuna est in V.C. à versus principio literarum amplius viginti: sed tamen potuit ibi ea esse,

se; quod totum illud sequens non potuerit uno absolvere versu. quod verosimile reddunt & Pall. & Edd. vett. qui hæc omnia continuant. verùm post vocem *institerit* restat in Pall. vacuum versus dimidiati, ut etiam in V.C. ubi & a fronte desunt literæ duodecim. quod item visitur in editione prima. Vult tamen Pius nihil omnino desiderari.

12. NON SVM SCITIOR.] ita Cam. ex V.C. suo. nam Edd. vett. ....*inscitior*; quod & in Pal. sexto. nam ceteri ...*scitior*, sine illo *Non sum*; nisi quod quartus præterea etiam isthæc omnia omiserit relicto post *institerit* lacunula versus dimidii, & versus deinde sequentis integri. At Lamb. è suis Cod. leg. *Non sum inscitior, q ut inscitior*, vel positum sic, pro positivo *inscita*, sensu plano: vel propriè, hâc sententiâ: Nonne tanto inscitior sum, quàm eram, quæ hos rogem, qui semper delectantur malo mulierum, iisque insultant? At J. Gul. Verum, inquit, est, aut veri saltem non dissimile, scripsisse Plautum, *Sed nonne ecastor ego sum multo inscitior?* quod adagionem urbanum, & politissimo Poetâ dignum redolet. nam ita & *multos* [Greek] nominabant stupidos & hebetes, [Greek]. Catullus: *Mule, nihil sentis*. Et hoc, credo, hausit è Brix. ed. in quâ est, *Sed nonne ecastor ego sum multo inscitior, h.* imitatusque est Pareus in editione sua pr.

13. QVI SEMPER] Schop. l. *Qui super me. Super*, pro *de*. Cic. *Hac super re ad te scribam*. & hoc incontinenti occupavit Parei prima imò ipsus retulit in Lexicon suum tanquam Plauti germanum: MSS. omnibus & Edd. nolentibus.

14. NOSCITABO] cognoscere studebo. L.

16. QVID HIC] alii: *quid hîc p.* &c. Sed alterum planius. Q.d. Quid hic jacere dico? immo perpetuò periit. V. C. initio versus, ante illud *periit* lacunulam habet literarum trium.

17. ILICET ME INFELICEM ET SCEL.] Ita MS. Cam. & Pall. & Pii & plures edd. Alii, *Actum est. ilicet me infelicem & scel.* Acidalius: *Ilicet me, ilicet me scelestam.*

19. SED PERGAM &c.] Ita Cam. Lamb. & Paril. & Ven. neque abiit aut V.C. aut Pall. numerus: At Brix. & traduces ejus; *Sed pergam, ut capi, quaritabo ego hic tamen.* Pareus, ut aliquid novaret, reposuit ex Pal. tert. *quaritando*: cùm alterum restet in MSS. ceteris, & Edd. adeo universis ac singulis.

20. INTVS PAVEO] domi verbera metuo. L. Immo potius, Intus in pectore pavore consumor: foris verbera mutuo.

21. ILLO SVNT H. M.] sc. metu: ob metum &c. Elegantem, inquit J. Gul. gnomen restituo minutissimâ mutatione: *hillo sunt homines miserè Miseri.* Ancillulæ amissione cistellæ periclitanti in mentem venit, quantilli homines simus, & quàm nihilam ob rem sæpe summè miseri. *Hillum*, res nihili. Valdè mihi hoc placet: & cùm sequentia considero, vix est ut aliter Poeta scripserit. interim ridiculè Pareus, qui *recepto hillo* in contextum, notat: Ita est in V.C. & Pall. sed absque aspiratione, quæ dialectica sic argumentatur?

23. QVÆ NEQVE ILLA] Pron. *illa* supervacaneum est. & muliebris sermo exprimitur. L.

24. AGO SECIVS.] Retinendum, inquit Gruterus, quod est in MS. Cam. *secius*; sive est *setius*, sive *sequius*, sive *sectius*. de quâ voce Turneb. lib. 14. cap. 17. ad illa Varronis apud Nonium: *Non modò absens quicquam sequius de te cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem*; notat: *Sequior*, pro deterior dici non est perinde infrequens. quod à sequendo reor deduci: deteriora enim sequi, meliora præcedere solent. Proinde etiam *posterior* pro deteriore ponitur, &c. V. N. Trin. 2. 3. Etiam Palm. è v. Cod. leg. *secius*, i. pejus, deterius. V. N. Amph. 2. 1. Camerarius edidit, *secordius*: Lamb. *socordius*. duæ istæ voces non videntur Pall. aut edd. vett.

26. OCVLIS INVESTIGANS ASTVTE AVGVRA.] i. more augurum omnia loca attentè pellustra. Sic autem Lamb. restituit è quatuor MSS. Servius Æneid. 3. *Auguro* dicimus (secundum Plinium in libris *Dubij sermonis*) quum præsagio mentis futura colligimus: *Auguror* vero tunc, quum futura veris captamus auguriis, ut ex alitis volatu cantuque &c. Pareus *investiges* retinuit, ex MSS. Pall. sed ignoravit scripturam eam natam ab ignota-

ignoratione veteris orthographiæ; *vestigas*, sicque Pal.tert.pro *vestigans*.sic est in V. C. *ejulas* pro *ejulans* Aul.2.4.v.39. *vendas* pro *vendas* Pers.1.3.v.66,aliaq; sæpe. ceterùm cùm series sermonis ad temporis aversaretur, factum inde *investiges*.

26. HERA, HEM TIBI! PH. QVID EST] Sic locum istum restituo ex vett.edd.qui personis temerè interpositis habebant, LA.*hera*. PH.*hem*.LA.*tibi*.PH.*quid est?*&c.certè Aldina ita distinxit ut nos. posteriores edidere: LA. *hera*.PH.*hem,quid est?* LA.*hæc*,&c.pejus adhuc Pareana: LA.*Era!* PH.*hem!* LA.*est*. PH. *Quid est?* PH.*quæ?* præsertim cùm affirmet, ita distinguere V.C. nec non Pall. omnes. Cuicunque enim libri illi non sunt ad manum, fidem adhibet ipsius dexterrimæ autopsiæ: quæ profectò turpiter fallit. nam nullus ms.est qui omiserit, *hæc est*. Et hoc sphalma typographo suo saltem impingere debebat Sospitator iste Plauti.

27. QVIS?] pro *quæ?*

29. SOCCI] Soccis enim utebantur Comici actores.

31 TVRBO] Ita Cam.Sed Lamb. mavult, *turba*, quod est in MSS.Pall.& Lang.& Edd.i. turbatio,confusio.Pistoris tamen etiam mallit *turbo*. qui turbo in arenâ inde est, quod neque prorsus hàc iit;& mox stetit, mox exiit. Hæc autem omnia sunt gestus atque actionis. Unde genuiniss.lectio etiam altera Cam.*Constitit*: non, *Consistit* quod extat in Pareana pr.de vestigiis enim conjecturam facit, & qui adfuisse, & quà abiisse videantur.

32. PRORSVM] vorsich. V. N. Pseud. 4:2.

32. INIIT.] Meurs.notat in MS. Lang. esse, *Neque prorsum iniit hâc*. nempe *Inire*, pro simplici *ire*. Sic *Ingredi*, pro *gradi*. & sic Pall.& Edd.vett.vulgata deinde *iit*. sed lepidius opponuntur *inire* & *exire*, quod statim sequitur.

33. CONCILIVM] congressus plurium.

33. AD DVOS ATT.] Palm Spicil.L *Ad duos hoc attinet: hic quinisceunt*. quippe videtur signa quiniscentium in pulvere notasse: & spectasse illum locum præcedente scenâ: *conquiniscam ad cistellam*. At hoc Pistori non potest persuaderi. Nam ancilla, inquit, ad eum locum jam pervenerat, ubi Servus cum Phan.constituerat: ab eo igitur loco, ubi ad cistellam conquiniscendum sibi esse dixit Lampadio, jam recesserat. Præterea ipse solus conquiniscit. quomodo igitur duos videt ancilla? Quin immo dubium valdo est, an quiniscentis vestigia in pulvere videri possint. cum pedes immoti consistant, & superiora tantum moveantur. Itaque malit refingere, *Ad duos attinet hoc: quiqui sunt*. quomodo olim etiam obiter Palmer.

34 SINGVLVM] *singulorum*. Sic Varro: *Hæc est incommodi, quod nesciebamus, semel unum singulum esse*. Lambinus tamen *singulûm* probat, pro *singulorum*; & negat cum Prisc. *singulum* numero singulari usurpatum antiquitus.

36. ACTAM REM AGO] i.incassum laboro. Terent. Adel.act.3:2. *Actum est*. ad quod Donatus: *Verba sunt desperationis. Nam Actum est, dicitur in e à re, de quâ jam lata sit sententia*. Vide Not. Epid.act.5.sc.2.

37. M. Q.COR.CVM CISTELLA.] Corium quidem, quia virgis lacerabitur. Epid.1.1. *corium perdidi*. Atque ita Acid.è vett, ed, concinnavit.

40. HA.MALVM AVFER] Ita restituit Douza, conjecturam Gulielmii secutus, qui fragmentum è Nonio huc interponit, ut Ancillula ad servuli verba alludens & suam fortunam, quam è malâ meliorem fieri optabat, responderit, *Malum aufer: bonum mihi opus est. postremo* &c. Toleretur interea, dum melior aliquis faber huic Æsculapio crus fractû obliget. V.C. & Pall.item Edd.vett. nullû hic agnoscunt hiatum: quamvis de MSS.contrarium affirmet Pareus; sæpe supra Thamyram cæcus.

42. QVÆRERE HIC] Perperam hoc Lamb.mutavit in *auferre*: oblitus *Quærere*, idem plerumque significasse antiquis, quod nos composito verbo *acquirere*. i.lucrifacere atque adipisci diceremus. Ennius:

——*nautæque mari quærentibus vitam*.

i.victum comparantibus sibi &c. *Douza*. Etiam MS.Cam.*quærere*, ut & vetustiores Edd.at sequiores, *tollere*. Auctore autem Grutero, mutilus totus hic locus egregiè, & turbati numeri in MSS.editoresque de suo inepte interpolarunt.

50. NOSTRAM R. F.] loquitur, quod in rem nostram valde est.

51. SCIRE OPORTET] Videtur *oportet* positum pro *necesse est*: cum *oportere* sit officii, *necesse esse*, ut vox ipsa sonat, necessitatis: I.

54. ATQVE

54. ATQVE ISTVC M. CIBVS] ita Douza. *istuc*, pro *istud*. Vulgo, *istic*. Aul. act. 3. 6. *Nimium libenter edi sermonem tuum*. V. N. ibid.

55. HERÆ HVIC] Palm. *l. e. re huic resp.* i. in istam rem respondi, quam agimus.

56. SI QVID OPVS, DIC: IMPERA ET TV. QVID Q.] Et hic Gulielmium secutus Douza. Ancillula alias res agere dixerat. respondet ille, nihil esse minus, nam se illi operam vel maximam dare, tantùm heræ suæ interpellanti obiter respondisse: nunc ad illam reversi: diceret quid vellet, & imperaret ipsa quoque, tanquam altera hera sibi esset. Hæc sententia est: & cave hinc amovendum arbitreris illud, *heræ*: in quo loci lepor & acumen est, & elegans genus dicendi observa, quà jubent *imperari sibi*, qui promptos & paratos se ad beneficium dandum ostendunt. Aul. *dic si quid opus est, impera*. Et superius: *da mihi operam. ME. tua est, utere, atque impera, si quid vis*. Illa autem, *SI QVID EST OPVS*, solemnis formula eorum est, qui se paratos promptosque ad omnia alterius caussâ faciendâ significant. Cic. ad Attic. 13. 49 &c. *Hæc J. Gul.* rectè! monitum tantum oportet, tacere Argo nostro, in V.C. & Pal. pr. sec. quare comparere, *impetra*, nihilo pejus altero.

57. MI HOMO, ET MEA MVLIER] disertè distinguit inter *Hominem* & *Mulierem*. Asin. act. 4. 1. *Hominem alienumque* &c. Quin ne JCtos quidem vocabulum *Hominis* aliter, quàm de viro, in expressis quibusdam legibus accipere didici. Notat idem Meursius lib. 2. Crit. c. 6. & addit: Arnobius; *Beneficia patris munerandis & feminis hominibusque portabant*. i. utrique sexui, & Fæminis & viris. Nam *Homo*, κατ' ἐξοχὴν, pro viro ponitur. Sic in S. Scripturâ Genes. c. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ*, &c. Græcos etiam γυναῖκα καὶ ἄνθρωπον aliquando distinguere, monet Acidal. quantumvis ἄνθρωπος apud ipsos sit gen. communis: Apud Latinos verò *Homo* tantùm masculini. Vide ipsum in Divinat. Plaut. ad Asinar. cap. 9.

59. QVÆ AVFVGIT] de prædatrice cistellæ, non autem de cistella furtim Halisca subtracta intelligit Douza. V.C. & Pall. aliquot habent *asto*. alii *mesto* quod & in Edd. vett.

59. QVID ID? QVID IDNAM EST?] Ita Cam. supplevit: qui in hoc & sequenti versu aliquid deesse in suo MS. testatus est; nosque idem testamur de Pall. & Edd. vett.

90. ALIENVM] i. nobis, quæ alienæ sumus.

60. FAMILIAR.] i. familiaribus, nempe parentibus Silenii.

63. INVOLVOLVM] Hunc vermiculum Cato appellat *convolvulum*, de Re rust. cap. 95. L. D. Electa Parei ad locum istum notant: Vinearum passis est involvulus. Non intelligo tale Latinum.

64. INTORTAM H. ORATIONEM] Is. Casaub. in Com. Theophr. Ejusmodi, inquit, homines (*duplices* veteribus dictos, Græcis ποικίλους) involvuli similes ait Pl. bestiæ damnificæ, quæ in pampini folio implicat se. Theophrastus vocat πλοκάς: Cicero, *involucra & integumenta dissimulationis*. Has poeta vet. apud Cic. *versutiloquas malitias* dixit.

65. CISTELLA MIHI HIC, MI ADOL.] Ita hunc locum constituit Camer. è MS. suo quod ad oram ultimæ editionis manu ipsius scriptum legi: quamvis non neget in V.C. fuisse *cistellam*, quomodo & Pall. & Edd. vett. & habet quo se tueatur, sed non distinctione Pareana.

65. EVOLAVIT] Hanc lect. firmat etiam Turneb. lib. 28. 1. qui malebat præterea *hinc*.

66. IN CAVEAM LATAM] ita MS. & veteriores Edd. Alii, *datam*: quomodo, *dare in custodiam; in catenas*, alibi dixit. Jocatur autem servus: si volucris erat cistella, illam in caveam oportuit conclusam, ne evolaret. Palm. l. *Incaveatam oportuit. Incaveare abstru.*; quomodo *illatebrare, incarcerare* dicimus.

67. MIRVM QVIN] V. N. Most. 2. 2.

67. GREX VENAL.] sc. servorum. Horat. 1. Sat. 1. *Venaleis inter*. Cic. post. red. in Senat. *Cappadocem aliquem modò abreptum de grege venalium diceres*, &c.

69. CHER. VNA] Quidam, *una*, Nomen censent; Lambinus Adverbium.

71. ILLE QVIDAM] ὁ δεῖνα.

74. OPERA GRATVITA] Er thut seinem etwas umb sonst. *Gratuita*, penultima longâ pronunciandum: ut apud Horat. *Nec fortuitum spernere cespitem*: 2, Od. 15. Cam. & Acidal.

75. PH. COMMODA LOQ.] Ita Cam. & Lamb. & Acid. personas collocant: ut nimirum mulier sermonem non dirigat ad servũ, sicuti vult Pareus, sed ad ancillam, dicatque: Tuæ jam erant vices respondendi servo meo: sed eas tu mihi commoda tuo bono. *Proderis est* in edd. à prima proximis omnibus; itẽ in Pal. quarto. nã ceteri & V.C. *prodẽs* quod natum à compendiaria scribendi ratione *prodes*, cum nota, quæ non tã *n* notet, quã *ri* frequentissima scribis. recente: *nunc prodimus & confitemur*, nullo adjuti scripto. omnes enim abjurant illam enclyticam.

80. ARIOLARE] rectè divinas.

87. HAB. VIRI GENER] Hic tres istos versiculè Prisc. l. 4. & nescio unde, inferlit Lambinus:

LAMP. Adhinnire equulam possim ego hanc,
Si detur sola soli.
Nam ita mustulentus æstus nareis attigit.

Prudentius:

——Thuscis namque ille puellis.
Primus adhinnivit.

Sic Cic. in Pis. translatè dixit: *sic suos sensus voluptuarios omnes incitavit: sic ad illius hanc orationem adhinnivit*, &c. Liceat & *equilam* legere. Varro: *Nemo est tam negligens, quin summâ diligentiâ eligat asinum, qui suam saltet equilam.* Verum cùm hi versus neque in MSS. neque in ulla ed. vetustiori appareant, meritò eos omisi. admittat Pareus.

88. OBLOQUERE] pro *Obloqueris*, ut alibi. Indignantis est. Pareus hîc alios dum carpit, ipse venit carpendus. nihil enim hac nostra distinctione clarius; & præeunt eam Pall. atq; Edd. quibus suæ sunt personæ, neque longè secus Camerarius.

90. ATTULIT] ut numerus annorum convenit: & quia convenit, videtur tuam quodãmodo filiam attulisse; L. Acidal. tamen malit, *numerum attulit*. i. Halisca dixit. Pareus, quamvis omnis scripta cusaque lectio servet *attulit*, ausus est in contextum recipere fatuã suam hariolationem: *HA. at tu id Quod.*

91. REPPERISTI] sc. filiam tuam.

91. MEAM] sc. cistellam.

92. TERTIAM] sc. puellam aliquam mihi.

94. ÆQUUM EST TEMERE] Lamb. l. *temeri*. At Camer. ex conjectura, l. *temere*. nam in MS. suo non extare profitetur ultro, neque habẽt etiam Pall. abestque item edd. vett. omnibus. Exponit autem, continere & tacere. ut dicat Ancilla; æquum esse tacere illos, neq; se prodere. Palmerius totum hunc locũ ita restituit:

Istic quidem edepol mei habitat viri gener.
LA. Næ adhinnire equulam, soli si detur, possim ego hanc:
Nam ita mustulentus æstus nares attigit.
PH. Ne obloquere. rursus perge porrò dicere.
Quot annos nata dicitur? HA. septẽ & decẽ.
PH. Mea est. LA. ea est, ut numerus annorum. HA. at tu id,
Quod quærebas, reperisti: jam quæro meam. LA. at
Pol hæ suas nactæ sunt: quæro tertiam.
PH. Quod quærimbam, filiam inveni meam.
HA. Æquum est temerè per fidem quod creditum est,
Ne benè merenti sit malo benignitas.
Nostra hæc alumna est tua profectò filia, &c.

Postremis, inquit, versibus corrumpendis fuit elegans ἀνακλῆσις. Æquum est quod *temerè* creditum est à me per fidem, ne mihi malo sit benignitas mea: subauditur, *in eo*: ne in eo mihi sit malo benignitas. Calidum profectò ingeniosissimi hominis consilium: nam temerarium dicere religio mihi sit. Illud tamen (ut cætera omnia mittam) non temere quæsierim, unde vel *temere* illud suum extuderit. Dicas; ex illo *tenere*. At unde hoc? Certè neque in MS. Cam. neque ullo alio, quotquot vidi, apparet: sed ita simpliciter: *Æquum est per fidem quod creditum est*: nec omnino nullâ sententiâ. In cætera per partes inquirere non est otium. Tantùm dico, mihi placere quod ibidem scripsit optimus Camerarius, popularis meus: *ILLA in veteribus auctoribus scribendi licentia, quod fortè libuerit, nullo modo est permittenda.* Et tamen Pareus istæc Palmeriana nobis obtrusit editione illa sua pr. supra omnem merdam merdosissima. Apage hanc Criticam! apage hos Criticos!

100. HA. ILLIUS EGO] Camer. & Acidalius bene monuerunt istæc verba ancillæ potius convenire quàm Phanostratæ: & sic quoq; V.C. Pareus tamen ancillæ ereptum, Phanostratæ attribuit, contra characterismum, quo cohæret servus hero, cujus gloriæ gratiæque omnia dicta factaque sua jure applicat, cum hic sit veluti Sol, ille verò notho lumine Luna.

105. PH. TIBI AUSC.] Rectissimè Personas sic ordinaro Venetam, Pistoris affirmat.

ACTUS

ACTUS V.

DEMIPHO senex, LAMPADIO servus.

QVID hoc negotij est, quod omnes homines fabulantur per vias,
Mihi esse filiam inventam? & Lampadionem me in foro
Quæsivisse ajunt. LA. here, unde is? DE. ex senatu. LA. gaudeo
Tibi mea operâ liberorum esse amplius. DE. & enim non placet.
Nihil moror alienâ mihi operâ fieri plures liberos.
Sed quid istuc est? LA. propera ire intrò huc ad affinem tuum:
Filiam tuam jam cognosces. intus ibidem uxor tua est.
Abi citò. DE. prævorti hoc certum'st rebus aliis omnibus.

NUMERI sunt [illegible] expediendi, qui sunt tetrametri troch. catalectici.

1. PER VIAS,] Ita MS. Cam. & J. Gul. è v.c. Nic. Fabri JC. *per vias*. Vulgò, *per viam*. supra, *Anum sectatus sum clamore per vias*. Epid. *Fit concursus per vias*. Catullo *mulier de via*, est ἡ τυχοῦσα, quævis saga. Sic Tibullus *puerum è triviis* dixit τὸν τυχόντα: ut Scaliger notat. Verùm hoc obiter.

2. MIHI ESSE &c.] Aut erit in hoc A versu [illegible], aut in Lampad. *pa*, producetur. Cam.

4. ET ENIM NON PL.] ita MSS. & omn. Edd. at Douza fecit, *at enim*. J. Gul. malit, *set enim n.* Aversatur enim verba servi.

8. ABI CITO. DE. PRÆV.] ita Pist. & Acidal. rectè.

8. PRÆVORTI,] Cæsar: *Cæsar huic rei prævertendum existimavit*. i. ante alias res omnes agendum hoc censuit.

CATERVA.

NE exspectetis, spectatores, dum illi huc ad vos exeant.
Nemo exibit: omnes intus conficient negotium.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent. postideà loci
Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet.
Nunc quod ad vos, spectatores, relliquum relinquitur,
More majorum date plausum postremâ in Comœdiâ.

EXEANT] Ita rectè MSS. & Edd. Vulgò, *exeunt*.

4. QUI DELIQUIT] Histriones si quid deliquerant in actione, vapulabant. V. N. Trin. act. 4:2. act. 3:2.

6. POSTREMA] in extremo Comœdiæ. ita Manil. 4. *Ultimus ex solido tetrans*, i. ultima B pars tetrantis &c. quomodo JCtus *primum, secundum Edictum*, hoc est, primam, secundam partem edicti. Sic Terent. Adelph. Prol. *primam Fabulam*, pro principio Fabulæ dixit: Catullus *primum digitum*, & Propert. l. 2; 18. *primas palmas*, pro primoribus digitis. *Scalig*: & *Douza*. Vide & Not. Curc. act. 4:1.

FINIS CISTELLARIÆ.

EPIDICVS.

ARGUMENTUM.

PEERIPHANIS Senis filius Stratippocles, cùm amaret quandam, proficiscitur in militiam. Cumque crebras litteras mitteret ad servum Epidicum, de redimenda amicâ, id tandem effectum servus dedit: cum senex filiam, quam susceperat ex quâdam Epidauriâ, captam redimi jussisset. nam pro illâ fidicinam, quam filius amabat, seni adduxit. Postea adolescens aliam amare cepit absens inter captivas, & quadraginta illam minis mercatus fuit Thebis. Ea erat amissa filia; & jussa requiri soror adolescentis. Sed hoc ille ignorabat. Oportebat autem argentum, quod fœnore acceptum solverat, statim numerari Danistæ, qui mox adventurus erat cum adolescente. Id negotii datur Epidico, qui arte circumvenit senem, & persuadet ei, ut præmercetur fidicinam; quam filius perditè amaret. Ita illas minas XL. elicit, & conductam fidicinam, quasi ad rem divinam, adducit ad senem. Cum omnia facta palàm, & Epidicus in summo periculo esset, agnoscitur filia amissi sènis: quæ quasi opera ac diligentia reperta sit sua, ita servus libertatem obtinet.

FABULA est eleganter composita, in magna varietate, cujus laus apud ipsum Auctorem exstat in Bacchidibus, (act. 2: 2.) ubi ille *illam tanquam sesepsum amare* ait. NOMINA autem Personarum hæc sunt, & quidem Græca, ut in palliatâ Comœdia. Ἐπίδικος *controversiæ* habet significationem: ut χρήματα ἐπίδικα, & virgo ἐπίδικος, in quibus lis est de jure proximitatis. (*ita & Cæl. Rhodig. Lect. Antiq. lib. 23. cap. 16.*) Θεσπρίων nomen & ipsum servile, cujus sanè ἔτυμον obscurius. fortasse hic Θεοπορίων fuerit à *celerimate*, tanquam ἀπὸ πόρου θεῖου, ut θεσφατον, θεόσφατον. Στρατιπποκλῆς herilis filii superbum nomen, ἀπὸ στρατοῦ, καὶ ἵππου, καὶ κλέους, quibus indicatur *gloria exercitus equestris.* Chæribulus, χαιρέβουλος, mutata ι in *i* ut χαιρέκακος, *consiliis gaudens*: nisi fortè est χειρέβουλος, *manu consultus*, ut χειρόσοφος. Ἀποικίδης, ἀπὸ τῆς ἀποικίας, quo vocabulo *colonia* significatur. Περιφανής autem est *illustris*. Senum hæc sunt nomina. In Fabula mentio fit ἀκροπολιστοῦ, nimirum ab *arce*, quæ est ἀκρόπολις: & πλατειοῦ, qualicunque sanè significatione ἀπὸ τῆς πόλεως, ut πολεσφόρος. Φιλίππη, ut ἀλκίππη, ἀρχίππη. Φιλιππ-ος autem est *equorum studiosus*. Canthara à cantharo. Cant...

DRAMA-

DRAMATIS PERSONÆ.

EPIDICVS servus.	MILES.
THESPRIO servus.	MVLIER.
STRATIPPOCLES adolescens.	VIRGO.
CHÆRIBVLVS adolescens.	FIDICINA.
APOECIDES senex.	DANISTA.
PERIPHANES senex.	GREX.

ARGVMENTUM.

EMIT fidicinam, filiam credens, senex
Persuasu servi, aliam qui conductitiam
Iterum pro amicâ ei subjecit. filio
Dat berili argentum. eo sororem destinat.
Imprudens juvenis. mox compressæ ac militis
Cognoscit operâ sibi senex os sublitum,
Vt ille amicam, hæc quæritabat filiam.
Sed inventâ gnatâ servolum emittit manu.

PERSVASV] MSS. Cam. & Pall. & Lang. & omn. vet. Edd. *Persuasu servi atque conductam*. Sanè consensum miror: non tamen ita, ut imitatus Pareum textu ejiciam lectionem meliorem: neque ideo verum est, quod idem innuit, omnes edd. ante Camerarium ignorasse illud *conductitiam*. extat enim clarè in Aldina, in Stephaniana, in Longoliana.

V. 4. DESTINAT] ita MSS. & Edd. omnes, ut & Nonius. sola Aldina & traduces ejus, *præstinat*: quod præfert Meursius, & elevat hic Nonii autoritatem: ut & Acidalius: qui de verbo *destinare* ambitiosissimè disputat. V. N. infrà act. 2. v. 92. Pareus quoque arripuerat illud *præstinat* editione prima; sed missum fecit secunda: adeo varios gerit animos.

6. OS SVBLITVM] *Os alicui oblinere*, est arte quâdam illudere, & decipere. Capt. act. 3: 4.

Ita mihi stolide sursum vorsum os sublevere offuciis.

Græcis quoque usitatum [illegible]. Tractum censet Nonius à ridiculo quodam lusûs genere, quo dormientibus aut alio-

A quin imprudentibus ora pingebantur. Atque hinc explicant illud Virgil. Eclog. 6.

Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Imitatione (ut ibid. annotat G. Valens Guellius PP.) Græcorum, quibus [illegible], est enim [illegible]. Lambinus tractum etiam censet à mulieribus, quæ fucum faciunt, hoc est, quæ seipsæ fuco linunt, ut rugas tegant, & amatores capiant: ut *fucum facere*, & *os sublinere*, idem valeant. Is. Casaub. Notis in in Hist. August. Veteres, inquit, ideo etiam
B faciem linebant, ut nævos occultarent. Atque hinc ortum Proverb. *Os sublinere*: quod de eo propriè dicebatur, qui simulans se os alicui linere ad decorem, uti mos fuit; contrà & secus quàm erat consuetudo, os illi ridiculis picturis deturpabat: ut qui olim gryllum pingebant. nam *sublinere* in hac parœmia est [illegible] potius quàm [illegible]. Plautus etiam *Os oblinere* dixit: quod, ut [illegible] convenit, qui non faciei partem de more liniebant, sed os totum. *Oblinere* est [illegible], ad plenum linere, &c. L. Ramirez ad Martial. l. [illegible] 42. Metaphoram à vasis ductam

censet.

censet, quibus amaræ potiones propinabantur à medicis, quorum labramelle illini solebant, ut ejus dulcedine decepti ægroti potionem haurirent: & quod eo melle ægrotantium labris illitis decipiebantur ipsi, &c. Vide denique Notas Pœnulo act. 5: 4. ubi è Douzâ etiam quædam notavimus. Nostri quoque dicunt: Einem das Maul schmieren / i. speciosis verbis circumvenire & fallere.

ACTUS I. SCENA I.

EPIDICVS, THESPRIO, conservi.

HEVS, adolescens. TH. quis properantem me prehendit pallio?
EP. Familiaris. TH. fateor! nam odio es nimium familiariter.
EP. Respice verò, Thesprio. TH. oh! Epidicúmne ego conspicor?
EP. Certè oculis uteris. TH. salve. EP. dij dent, quæ velis.
Venire salvom gaudeo. TH. quid cæterum? EP. quod eo assolet,
Cœna tibi dabitur. TH spondeo. EP. quid? TH. me accepturum, si dabis.
EP. Quid tu? agis ut velis? TH. exemplum adest. EP. intellego. eugepæ!
Corpulentior videre atque habitior. TH. huic gratia.
EP. Quam quidem jamdiu te perdidisse oportuit.
TH. Minus jam furtificus sum, quàm antehac. EP. quid ita? TH. rapio propalàm.
EP. Di immortales infelicent, ut tu es gradibus grandibus?
Nam ut apud portum te conspexi, curriculo occœpi sequi:
Vix adipiscendi potestas modò fuit. TH. scurra es. EP. scio
Te esse quidem hominem militarem. TH. audacter quamvis dicito.
EP. Quid ais: perpetuon' valuisti? TH. variè. EP. qui variè valent,
Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.
TH. Quid tibi vis dicam, nisi quod est? EP. ut illa respondeas probè.
Quid herilis noster filius? valet? TH. pugilicè atque athleticè.
EP. Voluptabilem mihi nuncium tuo adventu attulisti. sed ubi
Est is? TH. adveni simul. EP. ubi is ergo est? nisi si in vidulo,
Aut si in melinâ attulisti. TH. dij te perdant! EP. te? volo
Percontari. operam da! opera reddibitur tibi.
TH. Ius dicis. EP. me decet. TH. jam tu autem nobis præturam geris?
EP. Quem dices digniorem esse hominem hodie Athenis alterum?
TH. At unum à præturâ tuâ, Epidice, abest. EP. quidnam? TH. scies.
Lictores duo, duo viminei fasces virgarum. EP. væ tibi!
Sed quid ais? TH. quid rogas? EP. ubi arma sunt Stratippocli?
TH. Pol illa ad hostes transfugerunt. EP. armáne? TH. atque quidem citò.
EP. Serióne dicis hæc tu? TH. seriò, inquam! hostes habent.
EP. Edepol facinus improbum! TH. at jam antè alij fecerunt idem.
Erit illi illa res honori. EP. qui? TH. quia anteà alijs fuit.
EP. Mulciber credo arma fecit, quæ habuit Stratippocles:

Travola-

Transvolaverunt ad hostes. tum ille prognatus Theti
Sine perdat: alia apportabunt ei Nerei filiæ.
Id modò videndum est, ne materies suppetat scutariis,
Si in singulis stipendiis is ad hostes exuvias dabit.
TH. Supersede istis rebus jam. EP. tu ipse, ubi lubet, finem face.
TH. Desiste percunctarier. EP. loquere, ipse ubi est Stratippocles?
TH. Est caussa, quâ caussâ simul mecum ire veritu'st. EP. quidnam id est?
TH. Patrem videre se non volt etiam nunc. EP. quapropter? TH. scies.
Quia formâ lepidâ & liberali captivam adolescentulam
De prædâ mercatu'st. EP. quid ego ex te audio? TH. hoc quod fabulor.
EP. Cur eam emit? TH. animi caussâ. EP. quot illic homo animos habet?
Nam certò, priusquam hinc ad legionem abiit domo,
Ipse mandavit mihi, ab lenone ut fidicina,
Quam amabat, emeretur sibi. id ei impetratum reddidi.
„ *TH. UTCUNQUE in alto ventus est, Epidice, exin velum vortitur.*
EP. Væ misero mihi! malè perdidit me. TH. quid istuc? quidnam est?
EP. Quid? istanc quam emit, quanti eam emit? TH. vili. EP. haud istuc te rogo.
TH. Quid igitur? EP. quot minis? TH. tot. EP. quadraginta minis!
TH. Id adeò argentum ab Danistâ apud Thebas sumsit fœnore,
In dies minasque argenti singulas, nummis. EP. Papæ!
TH. Et is Danista advenit unà cum eo, qui argentum petit.
EP. Di immortales, ut ego interii basilicè! TH. quid jam? aut quid est,
Epidice? EP. perdidit me. TH. quis? EP. ille qui perdidit arma. TH. nam
Quid ita? EP. quia cotidie ipse ad me ab legione epistolas
„ *Mittebat. sed taceam optimum est. PLUS SCIRE satius est, quàm loqui*
„ *Servum hominem. ea sapientia est. TH. nescio edepol, quid tu timidus es.*
Trepidas. Epidice! ita voltum tuum video: videre commeruisse
Hic, me absente, in te aliquid mali. EP. potin', uti molestus ne sies?
TH. Abeo. EP. asta, abire hinc non sinam. TH. quid nunc me retines?
EP. Amátne istam, quam emit de prædâ? TH. rogas? deperit.
EP. Degetur corium de tergo meo. TH. plusq; amat, quàm te unquam amavit.
EP. Iuppiter te perduit. TH. mitte nunc jam. nam ille me vetuit domum
Venire: ad Chæribulum jussit huc in proximum, ibi manere jussit:
Eò venturus est ipse. EP. quid ita? TH. dicam. quia patrem
Prius se convenire non vult, neque conspicari, quàm id argentum,
Quod debetur pro illâ, dinumeraverit. EP. heu edepol res turbulentas!
TH. Mitte me, ut eam nunc jam. EP. hæccine ubi scibit senex? puppis
Pereunda est probè. TH. quid istuc ad me attinet, quo tu intereas modo.
EP. Quia perire solus nolo, te cupio perire mecum,
Benevolens cum benevolente. TH. abi in malam rem maximam à me.
Cum istac conditione. EP. i sanè, si quid festinas magis.

TH. Nun-

TH. Nunquam hominem quenquam conveni, unde abierim lubentius.
EP. Illic hinc abiit, solus es nunc: quo in loco hæc res sit, vides,
Epidice: nisi quid tibi in tete auxilii est, absumtus es.
Tantæ in te impendent ruinæ: nisi suffultis firmiter,
Non potes subsistere, itaque in te irruunt montes mali.
Neque, ego nunc quomodo me expeditum ex impedito faciam,
Consilium placet. ego miser perpuli meis dolis senem,
Ut censeret suam sese emere filiam. is suo filio
Fidicinam emit, quam ipse amat, quam abiens mandavit mihi.
Is sibi nunc alteram ab legione adduxit animi
Caussâ. corium perdidi: nam ubi senex senserit
Sibi data esse verba, virgis dorsum depoliet meum.
At enim tu præcave. nihil est istuc. planè hoc corruptum'st caput.
Nequam homo es, Epidice. qui tibi libido'st malè loqui?
Quia tute te deseris. quid faciam? men' tu rogas?
Tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua.
Quid? quid? *aliquid reperiundum est. sed ego cesso ire obviam*
Adolescenti, ut, quid negocii sit, sciam? atque ipse illic est.
Tristis est. cum Cheribulo incedit æquali suo.
Huc concedam, orationem unde horum placidè persequar.

PROLOGO caret hæc Fabula: atque Argumentum in primâ hâc Scenâ recitatur. quod ut fieret commodiùs & magis ad mores Plautinos, hoc est, *cum festivitate & lepore* (ut Cicero loquitur) *vernaculo*, adhibita est persona protactica sive prostatica. Est autem πρόσωπον προτατικὸν (ut hoc semel dicatur) in Fabulâ persona, quæ tantùm in προτάσει, i. in initio Dramatis loquitur, neq; amplius usquam comparet: qualis hic Thesprio, qui cum Stratippocle militiâ redit: & Sosia in Andr. Terentianâ. Vide J. C. Scalig. Poet. lib. 1. cap. 13.

VERSVS hujus Scenæ sunt quadrati, acatalecti & catalectici.

V. 1. QVIS PROPERANTEM ME PREH.] J. Gulielmius Verisim. lib. 3. cap. 9. libenter correxerit, *properantem reprehendit*. *Reprehenduntur* propriè, quos in viâ assecutos prehenso pallio remoramur: aut servi fugitivi, cùm è fugâ retrahuntur. Milite act. 1: 1.

Vel illæ quæ me herè pallio reprehenderunt.
Bacch. act. 2: 3.
Aufugero hercle, si magis usus venerit:
Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio.

Inde transitione in aliud, *se reprehendere*, Terentio est, animum jam jam exiturum, quo non opus, veluti retrahere. Adelphis: *sed me reprehendi tamen, Ne quid de fratre garrula illi dicerem.* Ita enim opt. fragmentum Coloniense. Hæc ille. Addo Phædri illud:

——Tempus elapsum semel
Non ipse possit Juppiter reprehendere.

Cic. Acad. Q. l. 1. *Revocat virtus, vel potius reprehendit manu.* Sueton Calig. cap. 45. *Insecutus veluti profugos, ac reprehensos in catenas reduxit.* Prop. 3. el. 19: *Quam possis vestros quisquam reprendere cursus.* i. retinere, temineos impetus. Passerat. Pareus conjecturam hanc statim retulit in textum editionis pr. laudatque ceu Plauti genuinam in Lexico: contra omnes tamen libros.

2. FAMILIARIS] Homines servæ conditionis titulo *Familia* censi sunt antiquitùs: nimirum à *famulando*: auctoribus JC. & Ulpiano in L. 1. ff. de vi armat. Unde & *Gladiatorum familia* apud Ciceronem. Cujus rei caussam hanc reddit Seneca, Epist. 47. *Ne illud quidem videtis, quàm omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint. Dominum patrem familiæ appella-*

appellârunt; servos (quod etiam in Mimis adhuc durat) Familiares. Eadem ferè Macrob. Saturn. lib.1.11. Confirmat id ipsum Plautus hoc loco, & Amph. act.1:1. *Advenisse familiares dicito:* & alibi compluries: J. Douza in Præcidan. lib.2. cap.11. Vide B. Brisson. in *De V.S.* lib. 6. & J.Grut. ad illum Senecæ locum. Et Joan. Meursium, ad Catonem. Ita Phædrus lib. 4. *Veste, nummis, familiâ Hominem exornavit.* notat Rittersh. *familiâ*, i. servo uno & altero ei adjuncto.

2. NIMIUM FAM.] Solent enim familiariter noti omnia licentius quàm ignoti, inter se dicere & facere: L.

3. RESPICE] Seneca epist. 92. *Hoc nos facit pessimos, quòd nemo vitam suam respicit. quid facturi simus, cogitamus: quid fecerimus, non cogitamus.*

4. OCULIS UTERIS] non falleris cernendo: L. Versus videtur aliquid requirere: *certe Oculis rectè uteris:* ut vox ea perierit ob præcedens *Certè*. Scaliger notavit, *Certè* mutandum in *rectè*. sic infra 3.1. v.28: *Satin ego oculis utilitatem obtineo sincere?*

4. SALVE] V.N. Pœn. act.5:2. Hâc etiam voti formula (ut in transcursu moneam) benè comprecabantur sternutantibus Pagani & Gentiles; *Salve*. A quibus ille mos ad Christianos quoque devolutus; quem hodieque observamus: dum sternutantes benè ominatis verbis ita excipimus; Der HErr wolle dirs gesegnen: GOtt gesegne / GOtt helff: quod Græcis ζεῦ σῶσον: quasi Latinè dicas, *Servet, aut sospitet te Deus.* Nam *servari*, item *salvere* germana inter se ac pæne gemella sunt. Plinius lib.28. cap.2. *Cur sternutamentis salutamur?* Immò & nomine interdum suo sternutantem compellabant: ut Petronius: *Gyton collectione spiritus plenus, continuò ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum Eumolpus conversus, Salvere Gytona jubet.* Sed hæc, de ritu *benedicendi sternutantibus*, obiter ex Præcidan. Douzæ in Petron.

4. DII DENT, Q. V.] Formula benè precantis. Habetur & in Pœn. act.5:2. Asin. act.1:1. Sticho, act.4:2. quæ Rud. act.1:1. ita formatur: *Multa tibi dy dent bona &c.*

5. QUOD EO ASSOLET] *Eò*, i. ad id. alii l. *adeo ass.* Acidal. *coass. et*: ut in Ca.. *coaddere.* A quo cluacam editionis suæ primæ auxit Pareus. At C. Barthius, *quo deo assolet*: i. q.. sorte. Claudianus: *Instabilesque deos & lubrica numina discat*, i. fortem. Horat. 1. Od. 5. *Mutatosque deos flebit.* Gruterus putat syllabam eam supervacuam, certè non requiri ad versum; natam fortè ab *esse*, quod extat in aliquot Pall. & Edd. vet. præferetque apertè glossema. & tamen tale emblema Pareus recepit in contextum. exturbato *eo*, quod Cam. hauserat ex V.C. servatque Pal. quartus.

6. COENA TIBI DAB.] Olim amicos peregrè redeuntes, aut longo intervallo ad se invisentes convivio solebant accipere. quæ Cœna *Viatica*, & *Adventitia*, item *Adventoria* nominabatur. Mart. libri 12. Præfatione, de epistolâ, seu libro potius, ut de cœnâ adventoriâ loquitur: *Ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem adventoria.* Vide Turneb. lib.2. cap.30. & lib.30. cap.26. item Not. Bacch. act.1:1. *Sororia* etiam memoratur Curc. act.5:2. Consule etiam Auson. Lect. Scalig. lib. 2: 19. & 24. ubi inter cætera docet, *Adventoriam epistolam* rectè dici à Sidonio *metatoriam*: quam Ausonius ἀσπαστικῶ nomine significet, &c. Cùm restet in plerisque Pall. *dabitur tibi*, postposito pronomine, videsis an non id sit à mala manu. certe numeros corrumpit.

7. AGIS UT VELIS] Græci etiam: πράττω ὡς θέλω.

7. EXEMPL. ADEST. EP. INTELLEGO. EVG.] ita Palm. Spicil. pag. 85. & Grut. restituunt. quanquam ille leg. *ex habes.* Quod quæris, quomodo agam, exemplum habes meipsum: nec est, ut verbis respondeam. hic enim nitor & habitudo mea testificantur, fuisse mihi, ut vellem. *Exemplum adest*, videtur formula vulgaris, quâ usi, quoties innuerent abstinendum responso, quòd res pro se loqueretur. Cui adfine illud: *Sic sum, ut vides.* de quo V.N. Amph. act.2:2. MSS. & Editi, exemplum adesse intellego. quod natum à prima litera personæ interpositæ, Epidici nempe. quam cùm scriba non caperet; *adest* mutavit in *adesse*.

7. EUGEPÆ] ita Cam. suspicatur, & Acidal. ponit. ne versus sit βραχυκατάληκτος. vulgo *euge*.

8. CORPULENTIOR] unde & *Corpulentia.* Plinius: *Somno concoquere corpulentiæ utilius, quam firmitati.* Vide Muret. ad V. Eth. Ita Phædrus Fab. 46. *Unde sic, quæso, nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis?* Nam, *Corpus facere*, est pinguescere, & nitidum *bene curata cute* fieri, ut Horat. loquitur. Isid. Gloss. MS. *Corpulentus, quod sit corpore validus & lentis carnibus.* Vetus Glossar. *Corpodicina*, παχύτητος Huic contrarium est apud Lucret. lib. 1. & Cic. lib. 7. Epist. 27. *Corpus amittere*, i. macrum fieri. Vide Not. C. Rittersh. & Nicolai Rigaltii.

8. HABITIOR.] MS. Cam. & Pall. & Ed. pr. & Ald. leg. *agilior.* Sed eam scripturam, inquit Lipsius, lib. 2. Antiq. cap. 15. non solum sententia repudiat, sed pæne dicam natura rerum. Qui enim convenit, ut unus aliquis corpulentior fiat simul & agilior? immò tardior potius. Rectè igitur vetus Rov. *habitior.* Ver. Flaccus: *Habitior, pinguior.* Agellius lib. 4. cap. 10. *Censores equitem ejus uberrimum atque habitissimum (εὐεκτικώτατον) viderunt.* Sic & Lambinus restituerat, indicio Donati proferentis hunc locum ad Ter. Eun. act. 2: 2. *qua habitudo est corporis!* Sic idem ibid. *Si qua est habitior paullò, pugilem esse ajunt: deducunt cibum.* Scaliger in Disticha Catonis, lib. 3. *si qua habitior*, i. εὐεκτεῖ. Et palæstritarum corpora εὐεκτεῖν oportet. Seneca epist. 15. de athletâ: *Cum tibi feliciter sagina cesserit.* (wann dirs Fressen wol bekommen ist) *& tori creverint &c.* Etiam *Trossuli*, id est, equites, in juventute R. à *torus* dicti, quasi *torosuli*, auctore Nonio. Glossarium: *Trossulus; vel trossulitis, ὁ ἐν μικρῷ παχύς.* quâ voce bis utitur Seneca. Vide & Lips. Elect. 2: 1. Sed ad rem. Etiam in Ven. & Paris. signatè legitur, *habitior.* quomodo etiam in Mediol. & Argent. Nihilominus τὸ *agilior* defendit Meursius: & vult, inquit, Epidicus dicere, Thesprionem quò corpulentior exsisteret, eò esse agiliorem: & illo referenda subsequentia ejus verba: *Dy immortales te infelicitent, ut tu is gradibus grandibus: Nam &c.* ita enim leg. ex Ald. At quid tunc fit Donato? Proferenti *habilior?* & sic sanè extat in Pii editione, sine ulla mentione scripturæ alterius. neque aliter Merulæ secunda. Pareus tamen *agilior* retinuit; solitus ferè adhærere ultimò loquenti.

8. HUIC GRATIA] sc. *furtificæ lævæ*, ut nominat in Persâ, act. 2: 2. & quam hic δακτυλικῶς notat. Huic, inquit, gratia debetur. Sinistrâ enim manu furta potissimum faciunt isti Lavernæ & crucis candidati, dum dextrâ aliud ab ipsis simulatur. Ovidius 13. Metam. *Conveniet timidæ natæque ad furta sinistræ.* Catullus Carm. 12.

Marrucine Asini, manû sinistrâ
Non bellè uteris in joco atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.

Hinc idem epigr. in Cæs. *sinistram liberalitatem* vocat, quæ ex furtis & concussionibus facta est, teste Alciato, Parerg. lib. 11. c. 7.

9. IAMDIU TE PERDIDISSE] Sic requirit versus: & digitum huc intendit Pal. sext. qui non habet illud *te.* Camerarius versui subvenerat addita syllaba: *te jam diu deperdidi.*

10. MINUS IAM FURTIF.] Jam non in occulto furari soleo, quod timidi faciunt & qui in urbibus sunt; sed vi & palam, quæ possum, diis hominibusque inspectantibus, rapio.

11. DII IMMORTALES INFELICENT] ita MSS. Cam. & Frising. & Vett. Edd. At Lamb. inseruit *te.*

11. INFELICENT] ita MS. Cam. & Pal. quart. vett. Ed. Mediolanens. & Parisina & Parm. aliæque. V. N. Casf. act. 2: 3. posteriores *infelicitent.*

11. UT TU ES] ita Cam. & MSS. Frising. ac quinque Pall. & Douza. & J. Gul. V. N. Sticho act. 2: 3. Et de *grandi gradu*, Truc. 2: 2. v. 31. Sic in Mercat. de tardo ambulatore dixit, *podagrosis pedibus esse:* & Sticho, *Curriculo esse.* Alii *Lis.* quomodo primum fuit in MS. Cam. Tamen & Brix. & Parm. leg. *es.*

12. CURRICULO OC.] MS. Cam. *Lurculio occepi.*

13. SCURRA ES] i. in umbrâ & otio urbano molliter & ignavè educatus: non homo militaris & strenuus. Vide Douzam Centur. lib. 2. cap. 13. ubi docet, *Hominem militarem* urbano *scurræ* decentissimè hîc opponi, quasi alterius illius relativum: ut & Truc. 2: 6.

Non placet, quem scurræ laudant, manipulares mussitant.

Utitur & Trinummo, act. 1: 2.

Urbani

Urbani assidui cives, quos scurras vocant.
Mostell. act. 1:1.
Tu urbanus verò scurra, delitiæ popli,
Rus mihi objectas.

Nam *Scurræ* priscis illis erant non tantùm, qui alienas epulas adipiscendi gratiâ, jocularia & scurrilia funderent; sed homines etiam urbani, comes, elegantes, non-rustici: Turnebus lib. 19:13. Jos. Scaliger ad Catulli epigr. 19. Notum est, inquit, in Plauto, *Scurras* & *Urbanos* eosdem esse. quare & dicteriis sibi victum aucupabantur. Quia autem scenatici homines, quos βωμολόχους vocant Græci, dicteria fundirabant ad risum spectatoribus tollendum, propterea factum, ut Mimi *scurræ* & *urbani* vocarentur. Juvenal.

—— mimum agit ille,
Urbani qualem facundus scurra Catulli.

Et Mimum *scurram* vocat, & *urbanum* mimographum ipsum Catullum: quem aliter *Urbicum* Martialis, *Urbicarium* Fulgentius. Ejusmodi γελωτοποιὸν appellat Capitolinus *scurram mimarium*, Firmicus *Scenicum joculatorem*, Apollinaris *Gelasianum*. Glossæ: *Scurra*, γελωτοποιός, γελωτοποιός. ἀδολέσχης, διγλωσσος, ἀγυρτής. Scaliger *Scurram* deducit ἀπὸ τοῦ συγκροτεῖν: quasi *Secura* aut *Sucura*. *Scurræ* etiam κωμῳδοὶ dicti. Isidori Glossæ: *Scurrula, qui incopriat*. *Scurrulam urbanum* vocat Dionysium juniorem Siciliæ regem Arnobius, sub finem libri 5. jocularibus facetiis sacrilegium suum extenuantem.

14. AUD. QUAMVIS D.] q. d. licet tibi audacter dicere, cùm verum dicas: L. In MS. Frising. est, *audacter quidem dicito*. quod & in Pall. & edd. usq; ad Camerarium. is è V. C. restituit alterum, cui nemo controversiam exinde movit. at Pareus id loco suo pulcrè deturbavit, substituitque *quid vis*, in quo nihil Veneris aut gratiæ.

15. PERPETUON' VAL.] V. N. Curc. act. 1:1. Lectio nostra firmatur a Pall. & Edd. omnibus. Pareus scripsit *perpetuen*, ex V. C. cum tamen paullò prius eum librum postposuisset Pall. & Frising. quale caput!

15. VARIE] nunc bene, nunc malè: ut quidem Thesprio vult intelligi. Sed Epidicus aliovorsum trahit, & illud, *Variè*, interpretatur; atque Thesprio dixisset, tergum suum virgis & loris sæpiùs fuisse cruentatum, & ita ob liviorem & vibices disparem colorem induisse, ac varium esse factum. sic Pseud. act. 1:2.

Vestra latera loris faciam, ut valide varia sint:
Ut ne peristromata quidem æquè picta sint Campanica, &c.

Milite, act. 1:2. Pœnulo: *variantur virgis & loris domi*. sic & *variare pectora*, pro livida facere dixit Catullus. & *variante se uva*, Plinius 17. cap. 22. Proper. 4. 2: *prima mihi variat liventibus uva racemis*. *colorem ducentibus* dixit Virgil. ecl. 9. Dicit igitur, se abominari omne genus, quod varium ac maculosum sit, quale caprarum, ac inprimis pantherarum, quod & nomen sibi a macularum varietate invenit, ut *variæ* appellentur, atque adeò homines etiam abhorrere, qui tergum flagris excitatum ac maculosum gestitent. Eodem modo jocatur & Aristophan. in Avibus, ubi servos stigmatias sive Threis in notis compunctos, ἀτταγᾶς nominat: quia *attagen* avis dorsum versicoloribus maculis distinctum gerit.

16. CAPRIGINUM HOM.] Meursius, Hæc posteriora, inquit, admutilata sunt: nec quidquam meus Cod. me juvat. *Pantherinum genus*, propter maculas corporis; *Caprinum*, propter febrim, quâ notum ex Plinio nunquam eas carere. quod Archelaus accidere dicebat, quia essent *omnicarpæ*, ut ait vetus quidam Scriptor apud Varronem. Porro in Lang. scriptis erat, *capræ non hominum*. unde suspicio est scriptum à Plauto *caprunum*, ἀρχαϊκῶς, pro *caprugnum*, quod veteres pro *caprignum* efferebant, ut *optimus*, *optumus*, &c. In MS. Frising. *qui varie? Caprigenum* &c.

17. EP. UT ILLA RESPONDEAS PROBE. QUID II.] Ita Lamb. è suis MSS. itaq; & Pall. & vett. Edd. omnes. Q. d. Extra jocum & ambages seriò & planè ad illa, quæ rogavero respondeas. Pistoris Camerarianæ propius adhærens, in eundem sensum scribebat: *EP. at illi responde probè: Quid h.* Acid. sub unâ Thespr. personâ totum legit. *Q. e. v. dicam, nisi quod est? ut illi responde probe!* ut ultima ad spectatores dixerit. q. d. Quam bene interrogationem illius elusi! Sed hoc coactum videatur. Sanè MS. Cam. hic mutilus est. Grut. suspicabatur: *EP. at illi responde. TH. probè.*

18. PUGILICE ATQUE ATHL.] firmiter. & robustè. Bacchid. act. 2:3. *pancratice atque athle-*

athleticè valere, dixit. Hujusmodi enim luctatores validis lacertis & firma valetudine sint oportet. unde & *athletica habitudo*, pro corpulenta & robusta dicitur, quam Aristot. ἀθλητικὴν ἕξιν appellat. Et *athleticum victum* pro valido, & ad vires firmandas accommodato Celsus dixit. Diogenes Cynicus interrogatus: quare athletæ fere sine sensu essent? *Quia*, inquit, *ex suillis & bovillis carnibus constant*. Vide Lipsium meum ad Senec. Ep.XV. P.Faber Agonist.lib.3. cap.1. Est, inquit, Epigramma Græcum ad finem Anthologiæ additum, de *Milone Athletâ*, qui quadrimam vitulam toto stadio humeris circumlatam Jovi mactarit, dissectamque solus absumpserit. Solinus cap. 4. quòd ictu nudæ manus taurum fecerit victimam, eumque solidum, qua mactaverit die, solus absumpserit. Non gravatim pugilem Ægonem octoginta placentas solum comedisse, Theocritus Idyl.4. memorat. Ab hac athletarum voracitate & sagina legimus apud Plautum, *Pugilicè* atque *athleticè* valere, item *pancratticè*, &c. Hæc ille. Vide & Hier. Mercurialem lib. 1. De Arte gymnastica: item Budæum an Pandectas.

19. NVNTIVM] *Nuntius* hic pro re nunciata: ut Sticho: *patri nuntium lepidum attulit*: & alibi, etiam apud Cicer. sexcenties. Et quem hîc *voluptabilem*, in Sticho vocat nuntium *exoptabilem*, act.2:3.

20. ADVENI] ita MSS. & omn.Edd.Douza l. *advenis*: quod in primam ed. recepit Pareus, sed statim ejecit secunda: adéo totus est de Epimethei semine.

20. VIDVLO] *Vidulus*, bulga est, vel marsupium potius è corio, in quod peregrinantes res suas condebant. Menæchm. act.2:2.

21. MELINA] μηλωτὴ pellis ovilla est. hinc *melium*: & ab illo omne scorteum vocabant *melinum*. unde apud Plaut. *melina* est scortea mantica, vel coactilia è corio. Turnebo hîc non adsentiendum. *Scalig. in Conject.*

21. EP. TE VOLO, PERC.] Jocus in distinctione. nempe ut Epidicus post, *te volo*, vocem paulisper sustinuerit; (vel creatu vel alio hæsitantiæ prætextu) & ex breviculo intervallo τὸ *percontari* subjecerit. ut Epidicus & spectatores, *te volo*, ad præcedentia, *Dy perdant*, retulerint; Thesprio ad consequens A verbum *percontari*. Atque hæc cum ante triennium Auditoribus meis sic explicassem: comperi postea, ingeniosiss. Gruterum, cum suas in Plautum Observationes ad me mitteret, in eâdem fuisse sententiâ: distinguit enim, *Dy te perdant. EP. te: volo P.* Vid. Not. Mil. act.2:3.

22. OPERAM M. D.] *s. aurium*: ut loquitur in Bacchid. i. me audi, & vicissim te audiam.

22. REDDIBITVR] Vetustissimæ edd. *redditur*. nam MS.Cam. *reditur*. MS. Lang. & Parm. & Brix. *reddetur*, *reddibitur*, à Camerario est, & postulat tum versus, tum sententia: quibus duobus profectò magis attendendum quam ignorantiæ librariorum.

23. IVS DICIS] tanquam Prætor aliquis. de *Prætura* vide in Professoribus humanitatis præter alios, P.Manut.in Epist. Cic.ad Q. Fratrem. & Corasium in Epist. Quæst.cap.2.

24. Q. DICES] Ita omnes Pall. & V.C.& edd.vett. versu admodum fluente. recentes: *Quem me dicis*. præter libros, & metrum. & B tamen Pareus, illud *me* ostentat in ultima tanquam fulcimentum carminis.

26. FASCES] *Fasces* erant bacilli aliquot teretes ex ulmo præcipuè aut betulâ, loro colligati in modum fascis. Hujusmodi fasces sex Prætori (ut & Magistro equitum: sed Consuli XII. Dictatori XXIV.) præferebantur à totidem Lictoribus, qui non gregatim, nec item bini ternivè, sed singuli & in lineam ibant, ut submoverent occurrentes. atque hi erant liberi, non servi; & plerumque ex imâ Quiritium plebe lecti; ut postea etiam ex corpore libertinorum. Vide Lips. Elect. lib.1. cap.23. Georg. Eberlinus JC. ad hoc Plauti citat illud de duobus lictoribus (apud Censorin. de die Natali, c.17.) *Plebiscitum* à M.Plætorio Tribunopl. latum; ex restitutione Fr. Modii: *Prætor urbanus qui nunc est, quiq; posthac fuat, duo lictores apud se habeto, isq; supremam, ad Solem occasum, jus inter cives dicito.* Et quod ab aliis de sex lictoribus affertur, referendum docet ad Prætores Provinciales. Cicero, de Verre Siciliæ Prætore: *Sex lictores circumsistunt valentissimi, & ad pulsandos verberandosq; homines exercitatissimi, &c.* Brutum Lipsius Centur. 1. Epist. 5. eò incitat: ut

ut Prætori urbano & peregrino bini tantùm fuerint: aliis extra urbem, & ad auctoritatem apud subditos plures. Passeratius ad 2. el. 16. Propertii, statuit prisco seculo duos fuisse tantum lictores prætori, post verò sex. Vide ibid. Summa: Thesprio significat, dignum esse Epidicum, qui à duobus artitis & robustis virgatoribus (ut loquitur Asin. act. 3.2.) probè cædatur.

27. SED QVID AIS?] Sermo aliquid novi dicere parantis. V. N. Asin. 2.2.

27. VBI ARMA &c.] Clypeus, galea, cassis, sarcinæ, quas constrictas gestare, scuto ad dorsum accommodato, cacularum erat provincia. unde iidem *armigeri* sive etiam *scutigeruli* in Casinâ & alibi nominentur à Plauto. Vide Cent. Douzæ.

28. POL ILLA AD H. TRANSF.] Metaphora ducta à perfugis. Cujus dicti insolentiam miratus Epidicus, petit iterari sibi narrationem illam de *armis fugitivis*, quasi ambigens, utrum joco, an lingua lapsus hoc dixerit. *Douza.*

29. SERMONE DICIS HÆC TV] Voculæ *hæc* versus caussa insertæ posterioribus. nam non est in MSS. aut Edd. vett. itaque videndum an non fuerit, *Sermone dicis istuc?* Grut.

30. FACINVS IMPR.] *flagitium.* Vide N. infra, act. 3.4. item lib. 5. de militia Rom. J. Lipsius ubi docet, *Arma amittere*, militi capitale fuisse: & ῥίψασπιδας Græcis proverbio infames. Tacitus: *Apud Germanos scutum reliquisse præcipuum flagitium*, &c.

30. AT IAM ANTE] Vide quæso, Muretum Var. Lect. lib. 10. c. 10. ubi de his copiosè disserit, ac pro *alij* sine dubitatione legendum ait, *debile* unico *l*, propter versum; & hoc manifesto velle sequentia. At hoc Grutero non placet: propter illud *alii* versus secundi: & quòd videatur rei exisse ad illa Terentius Adelph. act. 4.5. *Virginem vitiasti*, &c. *Fecere alij sæpe; item boni.* in eadem etiam est sententia Passeratius, ad 2. El. 32. *Hæc eadem ante illam impune & Lesbia fecit.*

31. QVIA ANTE ALIIS FVIT] Tametsi Plautus ex Diphilo, Menandro, Epicharmo, Philemone, Apollodoro accipiebat: tamen & ipse à censura & animadversione vitiorum non abstinuit, sed priscæ Comœdiæ acerbitatem sanè miscuit, neque in transcursu solum, ut hic; sed multis interdum verbis, ut vel Curculione, act. 2.3. *Tum isti Græci palliati*, &c. item multis aliis locis notat sua tempora & nationes, neque solùm communes mores, sed etiam nominatim *Pellionis* histrionis ineptias, in Bacchid. act. 2.2. quin etiam interposuit *maledicam* παρέκβασιν, in eadem, &c. Semel id sibi Terentius permisit, nec palam. Ancilla enim in Eunucho, act. 5.5. ait, Chæream esse in eo, ut patiatur, quod mœchis solet fieri: *Quod*, inquit, *nunquam vidi fieri, neque velim.* Sustinet hic suam personam, quæ meretricio quæstui daret operam, nolebat malè esse mœchis. Tectis verbis deinde oppugnat Romanorum negligentiam in ulciscendis mœchis, quum ait, *se nunquam vidisse factum:* perinde ac si dicat, non consuesse fieri. Vide J. Cæs. Scalig. Poetic. lib. 1. c. 7.

32. EP. MVLCIB.] ita Personam *EP.* his præponit MS. Frising. bono sensu, Douzâ etiam judice.

32. MVLCIBER CR.] Camerarius & Lamb. Plautum hoc loco per incogitantiam dormitâsse, aut memoriæ lapsu hallucinatum esse crediderunt: quoniam Vulcanum faciat fabricatorem armorum Achillis, quibus Patroclo cæso potitus est Hector; cùm capta ab illis diversa fuerint, à Vulcano non facta. Sed cogitare debebant doctiss. illi viri, Poetam nostrum in hoc etiam Comicum suum artificium consultò prodidisse; ne usque hic deliberatâ erratione τὸ πρέπον personæ conservasse, quàm si & hominem servum & caculam, hoc est, calonem seu bajulum militarem dicta sua historicâ fide obligantem, & cum curâ rerum earum, quas veluti per nebulam inaudiverat tantùm, veritatem persequentem in theatrum produxisset. de quo Douza. V. N. Pseud. act. 3. sc. 2. Vulcanus autem dicitur (auctore Jos. Scalig. in Conject.) *Mulciber, à mulcando*; non, à *mulcendo ferro*, nam *mulciber* apud vetustissimos Latinos est propriè, μαλάκιος θεός: qualis colebatur Athenis, qui & μαλακίας. V. N. Most. act. 4.2.

33. TRAVOLAVERVNT] Hoc eò pertinet, quòd τὰ ἐργαστήρια plerunque animata erant, ut illi tripodes; de quibus Aristot. lib. 1. Polit. c. 4. quod ait Hom. αὐτόματοι θεῖον δύσονται ἀγῶνα. Muret.

33. TVM ILLE PROG.] Præterea ille Stratippocles & Thedide prognatus est, ut

Achilles. itaque, quemadmodum Achilli, armis ejus ad Hectorem translatis, Thetis Nerei filia alia à Vulcano cuſa attulit: ita noli admodum laborare, ſi Stratippocles ſua perdat. nam alia ei apportabunt quædam Thetides Nerei filiæ. Res nota eſt ex Homeri Iliad. 18. & 19. L.

33. THETI] pro, *Thetide*: Priſc.

35. SCVTARIIS] MS. Cam. & Pariſ. ed. l. *ſcrutariis*. Ad oram tamen MS. notatum, aliter legi *ſcutariis*. MS. Lang. *ſcurtarius*: quod rectum ait Meurſius, antiquâ Sabinorum & Rom. pronunciatione; pro *ſcutariis*. quem videas. Atque ita putat etiam ſcribendum Bacch. act. 1. 1.

——*ſcortum pro ſcurto accubet*:

non, *ſcuto*. ut ſic elegantior ſit alliteratio, quam manifeſtò captavit.

36. STIPENDIIS] *ſingulis ſtipendiis* dixit, pro ſingulis militiis. nam ſingulæ militiæ ſua habebant ſtipendia: D.

36. EXSVVIAS] ſpolia, ſeu potius λάφυρα, quæ volunt propriè eſſe, quæ vivo hoſti detrahuntur; σκῦλα, quæ mortuo.

40. VIDERE SE NON VVLT.] MSS. & Edd. vett. *vid. ſenem non vult* ignoratione ſignificationis *ſe*. quam vocem iterat verſu 65: patrem *prius ſe convenire non vult*.

41. FORMA LEP.] Terent. Eun. 4: 4. & Andr. act. 1. 1. *Ille erat honeſtâ facie & liberali*. ad quod Donatus: *Honeſtâ*, ad formam; *liberali*, ad vultum retulit. V. N. Perſ. 4. 3.

43. ANIMI C.] libidinis gratiâ: ut animo morem gerat: eâ ſe oblectet. L. quam interpretationem damnat in Lexico ſuo Pareus, magisque ei placet, *animi cauſſa*, notare *temporis cauſſa*: für die lange weil. Sic, inquit, Cicero in Lucullo, *Nec dico temporis cauſſa, ſed ita planè probo*. Pro Plancio: *Nihil autem me novi, nihil temporis cauſſa dicere*. Ibidem: *Me quæ de Planco dicerem mentiri, & temporis cauſſa fingere*. At nihil minus faciunt quàm hæc Tulli, ad confirmandam hanc explicationem. Longèque aliud eſt, facere quid *animi cauſſa*, & facere *temporis cauſſa*. qui hoc agit, fingit, ſimulatque: qui illud, minimè. Verùm ſtupori hæc talia verberibus potiùs inſtillare poſſis, quàm verbis.

43. QVOT ILLIC H. AN.] Ciſtell. act. 2. 1. ubi veſanum amatorem pingit, exclamat Adoleſcens, *Ita mihi omnia ingenia ſunt*, &c. Vide Lamb.

47. VTCVNQVE IN ALTO V. EST, EP. EXIN V. V.] Turn. lib. 20: 4. & Lamb. leg. *ex imo*, i. ex imâ veli parte. ſed inanis argutia videtur. Vulgati, ut & MS. Cam., rectè *exin' vel.* v. Quomodocunque in mari ventus eſt, exinde (ſive *ita*; aut, *pro eâ ratione*,) velum vertitur. Pœn. 3: 5. *Utcunque eſt ventus, exin velum vortitur*. Moſtell. *Ut fama eſt hominum, exinde ſolet pecuniam invenire*. Acid.

50. TH. QVID IGITVR?] ita MSS. Pall. & omn. vett. Edit. *Quid igitur?* ſc. rogas. Quæ valde probat Meurſ. deinde etiam mâlit (ſi conjecturæ locus ſit) reſcribere, *TH. totis quadraginta minus*. quod populares, wolle vierzig. Porrò Cam. hic legebat ex V. C. *Redde igitur?* joco ſervili. Sed minus placet Grutero, ſervum hic argutari ſuper verbo *reddere*: præſertim cū MS. Langii habeant, *Redigitur*. Prætulerim, inquit, quod eſt in priſcè vulgatis, *Quid igitur?* Deinde, quoniam & illi ipſi omittunt vocem *emit*, quæ Lang. membranaceis abeſt, (ſed & MS. Cam. & Friſ.) reſcribo: *TH. Quid igitur? EP. quod minis? TH. tot, EP. quadraginta minus! TH. Id adeò* &c. lepido ſenſu. Extulit ſiniſtram manum, ejusque digitis indicavit quadragenarium numerum. At alter ſervus impenſum pretiū miratur & indignatur. Planè. Arithmetici manum adhibebant ſupputationibus. quod fiebat aut apertis & porrectis, aut conſtrictis & complicatis digitis. Quem morem dilucidè illuſtravit. P. Colvius ad Apul. Notis, quibus fulciendis infinita adjecit idem Gruterus: quæ ſi exſcriberem, vel ſola librum facerent: & tamen calamum prurientem vix repreſſi; ita nimis elegantia mihi viſa. Unum atque alterum habe. Milite act. 2. 2. *dexterâ digitis rationem computat*, &c. Plinius l. 2 ep. 20. *Quo die, quâ horâ nata eſſet, interrogavit. ubi audivit, componit vultum intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat diu*, &c. Auguſtinus lib. 18. cap. 53. de Civit. DEI: *Omnium verò de hâc calculantium digitos reſolvit & quieſcere jubet ille, qui dicit: Non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ Pater in ſuâ poſuit poteſtate*. Martianus Capella lib. 7. de Arithmeticâ: *Digiti virginis recurſantes, & quadam incomprehenſæ mobilitatu ſcaturigine vermiculati. quæ mox ingreſſa ſeptingentos decem & ſeptem numeros complicatis in eos digitis, Jovem ſalutabunda ſubrexit*. quem operæpretium eſt legere: & addere Bedam, qui

qui de hâc omni supputandi olim ratione accuratè, & ex professo. Sed reddo me linex. illam Gruteri restitutionem mirificè etiam laudat *Acidal* nisi quod illud, *Redde igitur*, retinet: aitque jocum esse non in *Redde*, sed in in *rogo*, quod cum alter pro *interrogo* usurpasset, sic accipit, quasi mutuum aut commodato rogo, &c. Simile fere infra act. 4. 1. v. 21.

51. AB DANISTA] à fœneratore. V.N. Asin. act 1.1.

52. NVMMIS] i. singulis denariis. Ingens fœnus, inquit Cam. siquidem nummus denarium significat, ut in Heaut. Terent. id est, quatuor sestertios nummos seu decem asses: ut Lambinus interpretatur. Lipsius Elect. lib. 1. cap. 2. *Denarium & denos asses* accuratè distinguit. Et nota mihi pactionem de usura in singulos dies. Hanc qui exercebant, Græci ἡμεροδανειστὰς vocabant. Res hodie tocullionibus præsertim Judæis non incognita. Vide Casaub. in Theophr. Charact.

54. INTERII BASILICE] V.N. Capt. act. 4. 2. Etiam nos hâc formâ abutimur: Er gab ihm ein statliche Maulschellen. Excellentstoß.

57. SED TACEAM &c.] secum submissè. Ita Ammian. Marcellinus lib. 21. *Plus audire, quàm loqui militem decet, actibus coaptum gloriosis.*

59. ITA VOLT.] Ut pallorem tuum video, videris malum culpâ tuâ quadam, quam absente me contraxisti, in mundo habere. Ter. Ph. act. 1. 4. *commeruisse culpam.* Ita J. Gul. & placet Acidal. nisi quod malit: *ut vult.* Edit. Cam. *Videor videre* c. ita & vett. omn. MS. Lang. *videri.*

61. ASTA] Douza l. *at sta. p.* forsan rectè, nam sanè v. c. *assta.*

62. AMATNE IST.] Incipiunt alii fieri versus, & numeri conturbari. congruunt tamen plerique ad metra Hipponactea. *Camer.*

62. DEPERIT] *Deperire* est impatienter & immodestè amare. *De*, enim & augendi & minuendi vim habet. Auget in his: *Decertare*, i. valde & pertinaciter certare: Statius: *alternaque regna profanis Decertata odiis.* *Despretus*, i. valde T. ætius *Devitare*, valde vitare. *Dedita*, valde data, teste Festo. Ex hâc notione *fugam defœdam* Cic. ad Attic. *sordidos ac deparcos* Suetonius Nerone: *deprœliantes*, Horat. 1. Od. 9. *dequestus* & *dequeritur*, passim

A Statius. ita, *devastus: demori* & *deamare*. *Denarrare* Truc. 2. 2. Minuit in his: *Deplere*, cui opponitur *implere*; Statius Achil. 1. *fontes deplevimus haustu.* *Detumere*: idem lib. 3. Th. *tunc stagna lacusq. Detumuere.* id. l. 5. *Detumuêre animi maris*, i. tumere desierunt: propè ad id, quod Sueton. dixit Calig. c. 54. *desaltato cantico abit*, i. ad finem saltato. Pers. Satirâ 6. *desterttuit*, i. stertere desiit. Ita *decantare*, apud Cic. *desingere*, apud Catull. id est, fuctum desinere, observat Scaliger. Tibul. lib. 1. el. 3.

Cuncta dabant reditum: tamen est deterrita nunquam

Quin fleret, nostras respiceretque vias.

nam, *deterrita*, est terrore levata: quomodo, *Dejuvare* (Trin. act. 2. 2. pro non juvare) ac *Degelare* dicitur. atque ita hoc postremum Douza: quem vide in Sched. Succid. Nec abhorret ab hâc notione, *devirginare*. Paullus JC. L. ult. de Off. Præsid. Petronius: *Cur non devirginatur Pannichides nostra?* D. Hieron. Epist. 25. *In Ægypto primum devirginata est.* Glossæ: *Devirginare*, διαπαρθενεύειν. Laberius, apud Agell. lib. 16. cap. 7. *depudicavit.* Ita Plin. lib. 37. *gladiatores deluserunt*; i. ludere desierunt. Exaudiendus ita Poeta vetus, qui *depannis*, pro *sine pannis* dixit, apud Nonium. Sed hæc obiter è Commentariis doctorum.

63. DEGEITUR] v. c. & Pall. *detegetur.* Editi vett. omnes ad unum *Degitur.* Colvius negatque audiendum Nonium, qui *degetur* hic legit; & *degere*, detrahere significare vult. quanquam Lipsius Elect. lib. 2. 21. ex eodem Nonio docet, *degere*, etiam *minuere* & *detrahere* significare. Plaut. Aul. act. 2. 1. *Num ego istum soror, laborem degam & deminuam tio.* & sic Jos. Scaliger notavit ad locum illum. Etiam H. Steph. *De Plauti Latin.* lat. dat *degetur*, pro detrahetur. neque aliter sentit Lambinus; contradicentibus licet chirographariis. Pareus clamat quidem eorum lectionem probam esse, nec ullo modo mutandam. sed hoc non est aliquid probare.

64. VETVIT DOMVM VEN.] Ita v. c. & Pall. nec non edd ante Camer. in edit., *jam eo. nam ille me ad vos ire vetuit domum.* Pareus hic iterum inculcavit suum *voluit.* cave tamen putet Lector id etiam

conspe-

conspici in V. C. aut Pall. quamvis ipse id asserere videatur in notis.

67. CONSPICARI] καθορᾶν. D.

68. TURBULENTAS! ita J. Grut. è MSS. emendat, *heu edepol res turbulentas!* quod & in Lang. est. ad exemplum illius Mil. act. 4:2. *Heu hercle odiosas res!* Mænech. act. 5:2. *Heu h. morbum acrem!* V. C. habet, *eu edepol res turbulentast*. Pall. *tu edepol re es turbulentus*; quod etiam in vett. edd. at illud *turbulentas* diserte extat in Langianis. retinuit Pareus *res turbulenta est*, sine omni gratia. *Turbare*, est turbas agere. hinc *turbulentum*, quod turbas agit, Savaro ad lib. 1. Epist. 7. Sidonii.

70. PUPPIS PEREUNDA EST PROBE.] Quandoquidem, inquit, *puppim*, i. tergum meum perire necesse est, danda mihi opera, ut probè pereat; præclaro scilicet aliquo facinore perpetrato: L. Probat hanc lectionem etiam Acidalius, rejectâ Cam. & Lipsii. Et *pereunda puppis* illi valet, necesse est puppim perire. ut Trinumo: *placenda dos quoque est*. Sanè sic de puppi seu navi frequenter Plautus. vel Mostel. act. 3. 2. *ita nunc ventus navim nostram subitò deseruit* &c. Bacchid. *Benè navis agitatur*. Camer. probabat *perciunda*: & censebat allusum ad id, quod Græci dicunt, πρύμναν κρούειν, i. *pulsare puppim*: cum inhibetur cursus, & retrò ceditur navigando. Lips. Centur. 1. Epist. 15. primævæ Edit. l. *pupis pereundum est probè! Pupos*, inquit, appellat per delitias, servulos: quibus ob fraudes fransas non dubiè mala crux à sene. Proverbii speciem dictio præfert. Et hoc probatur etiam Pistori, patetque ex sequentibus, de pluribus ipsum locutum. Ideo alter, qui eodem se trahi putabat, quærit: *Quid id ad me attinet?* Cui Epid. *quia perire solus nolo*. Et *pupis* etiam in MS. Pirckh. legi, Colerus annotat. quanquam malit, *puppis perundata est probè*. ut de maximo periculo intelligamus. *Perundare*, inquit, *puppim*, est pessundare. Glossæ: καταποντίζω, *demergo, perundo, pessundo*. In Carpent. leg. *cutis*: quæ mihi quidem glossema olet.

71. SOLUS NOLO] Alludit fortè ad humani ingenii ἦθος, quo putantur calamitates cujusque viri participatione & societate aliorum leviores. Unde & illud: *Non tu solus*, in consolationibus adhibitum. Alludit eò Symmachus lib. 9. ep. 27, cum ait: *Et illa*

A *quidem adversa, quæ cum pluribus pertulisti, more humani ingenii habent aliquod de societate solatium*. Et Chrisost. 1. ad Timoth. Homil. 10. παραμυθίαν φέρει τὸ κοινωνὸν εἶναι συμφορῶν. Vide C. Rittersh. Not. ad Gunther. V.

Præbuit alterno casus solatia damno.

73. CUM ISTHAC COND.] Expeditius deinceps quadrati procedunt, catalectici illi quidem plerique προχαίζοντες. Cam.

75. SOLUS NUNC ES &c.] Hæc omnia ad finem Scenæ secum Epidicus. suntque festivo dialogismo exornata.

76. ABSUMPTUS ES] periisti. hinc non longulè: *Planè hoc corruptum est caput*.

77. TE IMPENDENT] Tralatè. Transeuntes autem vitamus ea, quæ impendent. Cic. Epist. Fam. lib. 9:1. *ea, quæ impendent, me facilè transiturum*. *Transire* ea etiam dicuntur, quæ impendent, ut Epist. 2. Attic. 21. Coler. è C. Lang. l. *Tanta in te pedent*. Ita statim: *Non p. subsistere ita; quin te irruant m.*

78. MONTES MALI] Mostell. act. 2:1. *Mali mœroris montem maximum conspicatus sum*. Cornif. ad Herenn. *qui montes belli fabricatus est*. Mercat. act. 3. 2. *montes mali ardentes in me jacis*. Vide Notas ibid. Cicero di- B xit *moles molestiarum*. Hom. ὄγκος, &c. Sic Lucillius:

——tanti

Se tempestatis montes ad sidera tollunt.

Ovid. in Tristib.

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!

Tale illud Catulli: *cætera sunt maria*. ubi *maria*, pro ingentibus & infinitis possessionibus dictum est. ita apud Sallust. *Maria & montes polliceri*, i. res maximas: & θάλασσα ἀγαθῶν, in Proverbio est, pro magna bonorum copiâ. χρυσοῦ πόντος. Hebræi quoque eodem Proverbio utuntur. In Threnis Hierem. *magna est, sicut mare, tribulatio tua*. Sic Ter. Ph. 1:2. *montes auri pollicens*. Pseud. act. 1:2. *montes frumenti*, pro maximâ vi & copiâ. V. N. Merc. act. 1:2. ad illud: *thesaurus mali*, &c. Lamb. Douza, Turnebus, Scaliger.

80. CONSIL. PLACET] Atqui nullum adhuc reperit! suspicor fuisse *licet*, pro, *liquet*, ratione vet. scribendi. *Acidal.* quod invexit editioni suæ pr. Pareus, contra libros.

83. ADIU-

83. ADDUXIT] Ita omnis editio vetus, ut & Pal. tert. nam sext. *deduxit*; ceteri *abduxit*, quod & in V. C.

84. CORIUM PERDIDI] Ter. Ph. act. 1. 2. *scapulas perdidi*, & quid hoc sit, mox explicat.

85. DEPOLIET] Alii, *despoliet*. Ad quod Palm. Spicilegiis: Solœcismus est, *despoliet*, pro *despoliabit*: nusquam enim aliter lectum hoc verbum, quàm in primâ conjug. Rectè igitur, *depoliet*. *Depolire corium* contrarium illi, *polire*, ergò idem quod *exfinecrare* Mostell. 4: 1. *depectere tergum*. Men. 5: 7. Eadem Acidalius probat ambitiosius. Videtur & Nonius in *Politiones*, & *Depolitiones*. MSS. tamen *despoliet* aut *disp*. quod nimis licenter, & pessimè à novissimis editoribus omissum recepto altero, queritur Pareus. cùm potius rationes reddere deberet, suum illud, Latinum esse, aut rei convenire præsenti nimirum arbitratur se Pythagoræ parem: totiusque orbis Eruditos non majoris facit quàm scholæ suæ Abecedarios, in quos scilicet merum habeat imperium.

86. HOC CORR. EST CAPUT] i. ego. *Caput*, pro homine, usitatum: Propertius lib. 2: 1.

Et sumptâ & positâ pace, fidele caput.

Sic *capita* pro personis usurpant JC. ut cum dicunt: *Tributum in capita imperare. Succedere* vel *dividere in capita*, i. pro numero personarum. Sic Græcis φίλη κεφαλὴ dicitur.

Ratio hujus συνεκδοχῆς est, quia caput est pars principalis & velut arx corporis, ut ait Ser. Sammonicus:

Principio celsâ de corporis arce loquamur.

Et Manil. lib. 4. de hominis præstantiâ loquens:

——stetit unus in arcem
Erectus capitis.

è Notis C. Rittersh. ad Gunther.

88. QUIA TUTE TE] ita Cam. & Lamb. Reprehendit se ipse, quòd ita animum despondeat. Pistoris multò elegantius putat, quod est in libr. Vett. *Nequam h. es, Epidice, quoi tibi libido est malè loqui, Qui tu te deseris.* Sed profectò & alterum nimisquam exornat dialogismum, mi Pistor.

89. CONSILIA MUTUA] Tractum à pecuniâ, quæ mutuo datur: L.

90. QUID? QUID? AL.] MS. Cam.

.....Quid aliquid reperiperiund. &c

ut appareat à capite aliquot verba deesse: sed & illud *aliquid* ita exaratum est, ut etiam esse possit *aliqua*: quod ipsum habent MSS Pall. & Frising. & Lang. & omn. Edd. Vett. præter Paris. quæ, *aliquod*. Sanè *Aliqua reperiundum est*, sc. consilia: phrasi elegantissima, & ab A. Gellio olim adsertâ. Probat & Meursius. Pareus ridiculus hic esse voluit, cum suo, *aliquid reperi. periundum'st*: quomodo nullus alius liber; neque admittit versus, multo minus sententia.

ACTUS I. SCENA II.

STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS, adolescentes: EPIDICUS servus.

REM tibi sum elocutus omnem, Chæribule, atque admodum
Meorum mærorum atque amorum summam edictavi tibi.
CH. Præter ætatem & virtutem stultus es, Stratippocles.
Idne pudet te, quia captivam, genere prognatam bono,
In prædâ es mercatus? quis erit, vitio qui id vortat tibi?
ST. Qui invident, omnes inimicos mihi istoc facto repperi:
At pudicitiæ ejus numquam nec vim nec vitium attuli.
CH. Jam istoc probior es, meo quidem animo, cùm in amore temperes.
„ *ST. NIHIL AGIT, qui diffidentem verbis solatur suis.*
„ *IS EST AMICUS, qui in re dubia re juvat, ubi re est opus.*

CH. Quid tibi me vis facere? ST. argenti dare quadraginta minas,
Quod Danistæ detur, unde ego illud sumsi fœnore.
„ *CH. Si hercle haberem, non negarem. ST. nam QVID te igitur retullit*
„ *BENEFICVM esse oratione, si ad rem auxilium emortuum est?*
CH. Quin edepol clamore defatigor, differor.
ST. Mallim istiusmodi mihi amicos furno mersos, quàm foro.
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.
Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo,
Nisi hodie prius comparassit mihi quadraginta minas,
Quàm argenti fuero elocutus ei postremam syllabam.
EP. Salva res est! bene promittit: spero servabit item.
Sine meo sumtu paratæ jam sunt scapulis symbolæ.
Aggrediar hominem. advenientem peregrè herum suum Stratippoclem
Salva impertit salute servus Epidicus. ST. ubi is est? EP. adest.
Salvum te gaudeo huc advenisse. ST. tam tibi istuc credo, quàm mihi.
EP. Benéne usque valuisti? ST. à morbo valui, ab animo æger fui.
EP. Quod ad me attinuit, ego curavi: quod mandasti mihi,
Impetratum est: emta ancilla est, quod tute ad me literas
Missiculabas. ST. perdidisti omnem operam. EP. nam quî perdidi?
ST. Quia meo neque cara est cordi, neque placet. EP. quid retulit
Mihi tantopere te mandare, & mittere ad me epistolas?
ST. Illam amabam olim, nunc jam alia cura impendet pectori.
„ *EP. Hercle MISERVM EST, ingratum esse hominem, id quod facias bene.*
Ego quod benefeci, malefeci: quia amor mutavit locum.
ST. Desipiebam mentis, cùm illas scriptas mittebam tibi.
EP. Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam?
Vt meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?
ST. Quid istic verba facimus? huic homini opus est quadraginta minis
Celeriter calidis, Danistæ quas resolvas, & citò.
EP. Dic modò, unde auferre me vis: à quo trapezitâ peto?
CH. Vnde libet. nam ni ante Solem occasum hoc argentum eloces,
Meam domum ne imbitas: tu te in pistrinum rectà inferas.
EP. Facilè tu istuc sine periculo & cura, corde libero
Fabulâre. novi ego nostros! mihi dolet, cùm ego vapulo.
ST. Quid tu nunc? patierin' ut ego me interimam? EP. ne feceris.
Ego istuc accedam periculum potius atque audaciam.
ST. Nunc places: nunc ego te laudo. EP. patiar ego istuc quod lubet.
ST. Quid de illa fiet fidicinâ igitur? EP. aliquâ reperibitur:
Aliqua ope exsolvam, extricabor aliquà. ST. plenus consilij es.
Novi ego te. EP. est Euboicus miles locuples, multo auro potens,
Qui ubi tibi istam emptam esse scibit, atque hanc adductam alteram,
Continuo te orabit ultrò, ut illam transmittas sibi.

Sed

Sed ubi illa est, quam tu adduxisti tecum? ST. jam faxo hic erit.
CH. Quid hic nunc agimus? ST. eamus intrò huc ad te, ut hunc hodie diem
Luculentè habeamus. EP. ite intrò. ego de re argentariâ
Jam senatum convocabo in corde consiliarium,
Cui potissimum indicatur bellum, unde argentum auferam.
Epidice, vide quid agas! ita res subitò hæc objecta est tibi.
Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia est.
At eundem senem oppugnare certum est consilium mihi: abi
Intro, atque adolescenti dic jam nostro herili filio,
Ne hic foras ambulet, neve usquam obviam veniat seni.

VERSUS similes plerisque superioribus Scenæ, octonarii & catal. tetram. trochaici.

1. ADMODUM] Experitur hic Criticum acumen Pareus, & quod invenisset in Pal. tert. *adcommodum*, divinat, fortè *accommodum*. at sic mera vis infertur versui. neque extat in MS. ut notæ ejus innuunt, *atque adcommodum*, sed *Cheribule ad commodum*.

2. EDICTAVI] Ita Menæch. act. 4. 2 *Omnia hæc ego edictavi*.

3. PRÆTER ÆTATEM &c.] De *ætate* planum: adolescens enim Stratippocles. *Virtutem* verò *Ætati* ideò subjicit Cheribulus: quia miles ac bellator erat: quorum propria laus *virtus*, i. strenuitas ac fortitudo: *E Douza*. Etiam Ritterh. ad Gunther. notat, *Virtutem* Pro fortitudine militari à Sallust. Cicer. & aliis sæpe poni: ut & ibid. lib. 2. *armorum patriam virtute tueri. Virtute armorum*, ita dictum: ut Plaut. *virtute belli*. Sic doctiss. fœmina Sulpicia:

——duo sunt: quibus extulit ingens
Roma caput; Virtus belli, & Sapientia pacis.

6. QVI INVIDENT] Vel ad superiora pertinet; Qui invident, id mihi vitio vertent. vel ad sequentia: Omnes eos mihi inimicos reddidi, qui invident: L. At Jano Gul. Verisim. lib. 3. 9. placet impensius, *Quin vide, omn.* idque aptius ad consecutionem orationis putat. Proverbialiter jactabant, *Omnes se inimicos reperisse*, si quam rem adversus multorum, suorum inprimis, sententiam aggressi essent. Schoppius l. *Quin vide, ut omn.* Acidal. l. *Qui vident*, &c. ut Capt. 3. 2. *Ubi quisque vident, eunt obviam, Gratulanturque* &c. & verò ultimum istud recepit in contextum Pareus, firmatum præterea auctoritate unius Codicis Palatini: perperam tamen, & contra alias membranas atque cusos omnes. Prima ejus editio habuit *Quin vident*. absurdè: tanto quidem magis qui ad versus finem mutatum habeat *reperi* in *reperiam*.

7. AT PVDICITIÆ] In hoc vides, quàm decòri ubique observans Plautus, qui, ne incestis amationibus Comici argumenti verecundiam contaminare, ac sororem a fratre germano suo per imprudentiam corruptam inducere cogatur; amatorem modestum ac continentem facit. In illa verò sententia etiam Latinæ dictionis elegantiam admirére: *CH. Jam istoc probior es*, &c. Sic Sallust. in oratione Marianâ, *Illis difficile est in potestatibus temperare, qui sese probos simulavere*. J. Douza.

8. MEO Q. ANIMO] κατ' ἐμὴν γνώμην.

10. RE IVVAT] MSS. l. *qui in re dubia, opere jubat*. Fortè dividenda vox, *ope, re*: J. Gul. Etiam Grut. notat, in MS. Cam. superscriptum *ope* vocì *re*. sed tamen legi malit, *Qui in re dubiâ, operâ juvat*. cum Terentius imitetur Phorm. act. 5: 3. *Pariter nunc operâ me adjuves, ac dudum re opitulata es*. Sanè in MS. Lang. *opere* legitur in Edd. vett. *se juvat*. Nos MS. Cam. exhibuimus. notavitque Scaliger ad oram libri sui, studio videri repetitum τὸ *re*.

11. DETUR] Hoc versus postulat & nexus sententiæ. ineptè Pareus cum MSS. *datur*.

14. NON NEGAREM] Nescit Pareus, quo suffultus tibicine bigam hunc verborum in contextum receperit Saxonicus editor, cùm non appareat in V. C. aut Pall. Respondetur: auctoritate Camerarii ipsa se tuetur. extatque in Lãgii membranis. quid amplius visto bili.

13. QVID T. I. RETVLIT] quid profuit? A quid interfuit? *Donat.*

14. BENEFICVM ESSE &c.] Trin. act. 2: 4.

Nequam illud verbum est; Benè vult, nisi qui
(i. aliquâ re) *benè facit.* Pœnulo:
Qui benevolunt, benefici fient.

Et divinus Scalig. in Epidorpid. lib. 4. sub lemmate, F A C.

Tu si ex animo fortè velis cui bene factum;
Addas operam, Sola cadaver est voluntas.

15. CLAM. DEFATIGOR] Immò ego ipse magnum æs alienum contraxi: & mei creditores nummos sibi debitos exigentes, me clamore suo obtundunt atque enecant: *Camerarius.* J. Gul. è Lang. *diffatigor*: Et nihil, inquit, potest melius. *Diffatigari* est hác illác creditorum vocibus & clamoribus fatigari.

15. DIFFEROR.] διαφέρομαι. *Differre, etiam est diffamare;* Nonius. V. N. Aul. act. 3. 2. & Persa, act. 4. 4. & Pseud. act. 1: 3. Scaliger: *Dividere maledictis & differre,* dicebant veteres, ut Græci διαιρεῖν. Propertius:

———*an me deus obruit, an qua*
Lecta Prometheis dividit herba jugis?

Catullus:

Non si me infestus discerpant sidera dictis,
&c.

16. FVRNO M. Q. FORO.] Paranomasia, *furno foro. Mersi* autem *foro* sunt, alieno ære obruti. In foro enim danistæ & fœneratores olim. L. D. Scaliger adscripsit, *forno.*

17. PRETIO PRET.] grandi pretio. *Emere operam,* quid sit, diximus Sticho, act. 3: 2.

18. IRRIGATVM PI.] Videtur ductum à farinâ, quæ aquâ irrigata pistori datur, ut ex ea conficiatur panis. L. Acidalius sine allegoria ulla dictum censet; & simile illi Catulliano, Carm. 91

Et non pistrino traditur atque asino?

Ut enim *asinus* pro asinario labore; sic pro ipso pistrino sumitur *pistor.* Jam *Irrigandi* verbo usus est eo sensu, quo *impluendi* Mostellariâ: *Mulum cum impluit cæteris, mihi ne impluat.*

21. SERVABIT ITEM] MSS. Pall & Cam. *idem* qui edidit, *itidem* Lambinus *fidem* architectatus est; quæ in nullo libro apparet, est tamen rei præsenti aptissima.

25. HVC ADVENISSE] Parei editio pr. exclusit *huc* contra omnes libros.

22. SYMBOLÆ] Locus. *Symbolæ* erant collectæ, seu pecuniæ, quæ ab iis, qui communi sumptu erant unà cœnaturi, *conjectabantur*, ut verbo Agellii utar, quo ille quasi nativam vim τοῦ συμβάλλειν, unde συμβολή, ob oculos posuit. Vide H. Stephan. *De abusu Græcæ linguæ*, cap. 1. ubi docet, *Symbolam* vel *symbolas* in hác re dici Latinis; non, *Symbolum*: & loca Plauti & Terentii esse mendosa, quæ aliter legant, Sticho, act. 3. 1. *eo condixi in symbolam Ad cœnam.* Curcul. act. 4. 1. *Symbolarum collatores,* ibi vide, quæ à Grutero annotavimus, &c. item Not. Pseud. act. 1. 1. Ad hanc igitur (*verba sunt Stephani*) significationem Poeta alludens, jocosâ metaphora utitur; & συμβολὰς vocat τὰς συμβαλλομένας πληγάς. tanquam videlicet verbero iste non unius, sed plurium manibus verbera esset accepturus. Lepide etiam addit (ut discrimen inter has & illas ostendat,) *sine meo sumptu.* Vide & J. Camer. Decur. 3. Probl. 10.

24. SALVA SAL.] i. summa salute: L.

26. A MORBO V.] quod ad morbum corporis attinet, valui. Curc. act. 1. 1. *a me pudica est,* i. quod ad me pertinet. Huc referunt B & illa: *Ab animo perit*: *ab re perit ab animo otiosus,* &c.

28. QVOD IVTE] ob quud, vel, *quod* pro *quia.* L.

29. MISSICVLABAS] *Missiculare*, est vel missitare, i. crebro mittere: vel parvula quædam mittere; *Lamb.* quem vellem exemplum addidisse.

29. NAM QVI P.] ita Grut. è MSS. Cam. & Lang. item Edd. vett. nam recentt. *quid.*

30. CARA EST CORDI] Hác eleganti phrasi usus & Ter. Eun. *neque meo cordi esse quenquam cariorem hoc Phædriâ.* D.

33. HERCLE MISER.] Miserum est, te ei, de quo benè merearis, gratum non esse, in eo quod facias benè. Secunda persona pro tertiâ non definitâ. At Schop. legendum suspicatur, *H. mis. est ingr. esse homini,* Id &c. quod ante ipsum Palmerius quoque Spicil. pag. 254. observaverat, temereque in textum deinde recepit Pareus. *Ingratum homini,* quod is, qui accipit beneficium, nulli gratiæ ponit. Heaut. *Ignosces tamen post: & id erit tibi ingratum.* Ubi, *id tibi erit ingratum,* est nullam gratiam tibi habebit filius, &c.

Meur-

Meursius mallit, *ingratum esse omne id quod facias benè*, sed præter libros.

35. DESIPIEBAM MENTIS] Dictum, ut, *pendere animi: angi animi: æger animi: excruciari animi: falli sermonis, &c.* J.Gul.Ver. l. 1:7. & Lamb. Ita Symmachus: *Num vobis videor multa luxuria ebrius mentis insipere, atque adeo in Poëtas nomen dedisse?*

36. PIACULAREM] *Piaculares victimæ aliena* mala excipiebant, & in pœnam succedebant. Plinius lib. 3. epist. 9. *Ne potentissimi, vilissimo quoque quasi piaculari dato, elaberentur.* Vide Lips.Com. in Plin. Panegyr. item Gutherius lib. 4. de jure Pontificio cap. 20.

37. SUCCIDANEUM] Fr. Hotomannus: *Succidaneus alieni periculi* dicitur, in quem incommodum periculi alieni, hoc est, cujus culpam alter sustinet, redundat. Plautus *stultitiæ tuæ* dixit, pro tergo tuo, cui periculum à stultitiâ imminet. Hæc ille. Scalig.ad Fest. *Præcidanea*, inquit, *hostia* imitabatur Græcorum προθύματα: quæ sunt Atteio Capitoni *feriæ præcidaneæ*. Græcis ex ἀντίψυχος ἱερεῖον: *succidanea*, τὰ δεύτερα ἱερεῖα. non à *cadendo*, sed à *cedendo*, per e. unde *succidaneum* apud JCtos. Agellius aliter, lib. 4. c. 6.

38. ST. QUID ISTIC V. S.] ita Scaliger ad oram libri sui, nec aliter Acidal. ex Ald. & Flor. & Colon. hæc dat ipsi *Stratippocli*, quod verbum, *facimus*, (nam certè Strat. cum Epid. locutus, non Cherib.) & responsio ejusd. probat sequens: *Unde lub.* Qui mutârunt, non attenderunt, *huic homini*, pro *mihi*, apud Plaut. & Ter. aliosque sæpius poni. Idem mallit. *Quid istuc?* V.C. & Edd.vett. & Pall. servant istic, nisi quod quart. *istuc*, statim illatum textui à Pareo.

39. CALIDIS] celerrimè repertis, θερμοῖς. Sic Horat. 1. Odar. 1. *fervidas rotas* dixit tralatè rapidissimas & citissimas: qualis est natura caloris: ut interpretatur Scholiastes Theocr. 5. Idyll. τοὺς ὀξεῖς ζέοντας καὶ θερμοὺς λέγουσι, i. *Physici dicunt eos celeres, qui sunt fervidi & calidi.* Virg. 3.Georg. *volat vi fervidus axis.* ut Gr. ζέων ἄξων. infrà, act. 2: 2. *Reperiamus aliquid calidi conducibilis consilii.* Et; *calidè agere*, θερμῶς πράττειν. Sic Mostell. act. 3: 1. *calidum mendacium*, subitò inventum. Sic & Cic. *calidum consilium* dixit, quod morâ non excoctum, sed audax & præceps atque ex tempore natum est: Gr. θερμὸν unde θερμουργοί: qui calidis consiliis in rebus agendis utuntur. Ter. Eun. *Vide ne nimium calidum hoc sit modo.* sic Cic. L.15. ad Attic. Ep.6. *calere* dixit, pro in rebus agendis acriter versari. Hæc quidem multa sunt: sed ad multa Auctoris loca intelligenda, semel hîc dicta.

39. RESOLVAS] Pist. è quatt. suis. edd. cupiebat *resolvat*, sed nolunt id MSS. & Edd. primæ.

41. CH. VXOR] Hoc Cheribuli esse, totam historiam clamare, clamat Pist. Meurs. tamen mallit *quad. minis celeriter aliquis: danista quas resolvat*, sc. Stratippocles.

41. SOLEM OCCASUM] ita MSS.Cam. & Lang. Agell. lib. 17: 2. *Sole occaso*, non insuavi venustate dictum est, si quis aurem habet non sordidam nec proculcatam. In XII. autem Tabb. verbum hoc ita scriptum est: *Sol occasus suprema tempestas esto.* Significat, post occasum Solis cognoscendas caussas non esse, nec judicandum. Turneb. lib. 13. c. 27. Sic Plinius naturæ mystes: *Post mediam noctem, post Solem meridiem, & post Solem occasum agunt.* Utitur & Menæch. act. 5: 7. Sic & Agell. lib. 3: 2. ex emendatione Lips. Elect. l. 2: 3. *Post meridiem Solem agunt.* ubi *Sol meridies*: ut, *Sol occasus*.

41. ELOCES] ex aliquo loco eruas. Ita explet & explicat hos duos versus Lambinus. Acidalio, *nisi argent. eloces*, est, *nisi conducas*: nisi unde unde quovis fœnore conllies. ut positum sit pro alio verbo, quod ipsi respondeat ex adverso. Solere enim nostrum in relationibus hujusmodi alterum pro altero capere. Aulul. act. 3: 6. *ME. Cædundum illum ego conduxi. EV. tum tu idem optimum est Loces efferendum.* Et jurisconsultos ait interdum hujusmodi verba permutâsse; sed & Senecam verb. *locare* prorsus hoc modo collocasse, lib. 3: 22. de Benef. *Quemadmodum ille (mercenarius) beneficium dat, qui plus præstat, quàm quod operis locavit &c.* Etiam *Creditor & Debitor* ab eodem sic commutari, ab aliis jam notatum asserit. Vide apud ipsum plura. Sanè in MS.Cam. item Pall. & Edd.vett. inutili sunt: *Solem occasum elo*..... Et, *te in pristinum*......

42. IMBITAS] ineas. *Combito, Imbito. Prabito*, pro prævenio. *Rebito*, pro redeo: & *Perbito*, pro pereo; composita sunt è simplici *betere*: Scalig. in Conject. Idem in Festo, *Batere* seu *betere* & *bitire*, veteres dixisse ait, inde

bitienses, qui adsiduè peregrinantur. Vide & A Gifan. Indicem Lucret. in *Dubitare*.

42. PISTRINVM] Scalig. Festo: *Piso* veteres dicebant, non *pinso*: unde *pisare*, calcare. hinc *pistores* nominati, qui in pistrino, ante inventum molarum usum, farinam in *pilá*, i. vaso concavo pinserent & contunderent. At temporibus ultimis Reipub. & deinceps, *Pistores*, ut vulgo notum, οἱ [illegible] vocabantur. Et Plautus fuit pistor, cùm trusatiles molas versando operam locasset. Quia verò pistura illa & labor grana conterendi omnium gravissimus erat, factum, ut *Pistrinum* locus plenus fatigationis & negotii operosi viresq; conficientis, diceretur. Vide Budæum Pandect. Cic. de Orat. *Tibi mecum erit, Crasse, in eodem pistrino vivendum.*

44. NOVI EGO NOSTROS] Sic V. C. sc. virgatores; non, familiares ac domesticos: ut perperam Lamb. interpretatur: *Douza*. Sed Pistori tamen hoc potius Lambini placet, hoc sensu: Ich weiß das meine Herrn nicht scherzen. Majorem fallere herum, difficile est & cum periculo. Minori negare, non minus. Idem pro illo *eloces*, quod malè Lamb. interpretatur, malit *elicis*. Cæterùm in MSS. Frising. & Pall. & Edit. vett. l. *libero Fabulare Jobi: tergo nostro sed dolet*, q. quod placet Meursio: nisi quod *Novi* præfert τῷ *Jovi*.

45. VT EGO ME INTERIMAM.] Haud aliter MSS. haud aliter typis impressi ante Pareum. is, quà est industria, finxit nobis, *te interimam*. contra mentem auctoris, contra omnem rationem. nimirum hoc est agere medicum. hoc est Plautum exossatum antea (ita loquitur furiosus iste Ajax, præfatione Editionis ejusdem suæ) ac tantum non emortuum, & sine anima literatorum pulpita ac pluteos pervagantem, manu sospitatrice, planitus persanare.

48. QVID DE ILLA FIET] Acidal. natat in nonnullis edit. *de* non legi, & pro *aliquá*, legi *aliquid*: atque in altero versu, *evolvam*, pro *exoluam*. Miror sanè quos habuerit libros. in meis certè sex septem nihil horum. V. N. Milite act. 4: 1. Etiam Stevvech. ad Apulejum illud *de* planissimè rejicit. ita Cic. l. 14. Epist. 4. *Sed quid de Tulliolâ meâ fiet?* ubi auctoritate MSS. τὸ *de* etiam tollit. quod tamen non persuadet Pareo, Novissimus Tullii Editores acerrimè hic reprehendere, quod *de* inde sustulerit, contra omnes inquit, libros MSS. teste completissimo Manutio. Cui autem credis lector? Pareóne an Stevvechio? Pareus scurriliter Aldinos codd. extendit ad omnes quos habet Gallia, Germania, Belgica. Stevvechius vel ipse membranas tales inspexit vel accepit ab eis quibus sua erat fides. Et quid? verosimile cuiquam videtur Janum, Gebhardum ausum delere aliquid in Tullii Epistolis sine ductu librorum calamo exaratorum? cùm disertè in mandatis haberet à Grutero, ne quidquam immutaret sine auctoritate meliorum librorum. Rumpere Livor iners! Thersites hic unus frustra lacessat Vlyssem.

49. ALIQVA] sc. via, ratione. his tricis aliquâ viâ expediat. Ovid. lib. 3. de Ponto, *Jussissent aliquâ forsitan illud opus.* Virgil. 3. Eclog.

Et si non aliquâ nocuisses, mortuus esses.

Pareus in prima sua finxit, *aliquid reperibitur*. contra omnes libros scriptos editosq;. at altera B ejus, objecit, *aliqua re reperibitur*. ex MSS. aliquot quidem, sed cum damno versus. & extat sanè nostrum in Pal. sec. ac tert. (quamvis hoc ipsemet neget) in Langg. in Edd. vett.

54. INTRO HVC.] Parei editio pr. *huc* delevit, invitis MSS.

49. EXOLVAM] Pareus hîc quoque ingenii æruginẽ aliis affricare cupit, dum Gebhardum carpit, asserẽtem in Nonio Palatino. MS. repertum sibi *exilliam*. Ego, inquit, illud *exiliam* frustra in octo MSS. meis offendere potui! Quàm elegante phrasi, quàm Latinè!

55. DIEM LVCVLENTE H.] Elegans phrasis, *diem habere luculentum*; & huc credo allusum Menæch. 1: 2. *Hunc comburamus diem*.

56. SENATVM CONV.] Jocosè & tralatè ductum à senatu, cujus erat de rebus magnis consultare. V. N. Mostel. act. 3: 1. *dum mihi senatum consily in cor convoco.*

58. SVBITO] Douza F. l. *res subita*. sic, *rem subitariam*, alibi dixit: & *rem subitam*, Curcul.

58. Dor-

59. DORMITARE.] Turneb. lib. 25. 15. *Dormito*, non est, sæpe dormio, sed dormire expeto. Sic quod [illegible] Græcè scriptum est Matth. 25. *dormitârunt*, reddidit Interpres eleganter: quod, qui dormire cupiunt, caput tenere non possunt. V. N. Ampl. act. 2: 2. & imprimis Stich. 2: 1 Hinc *dormitare*, & *dormitatores*, qui somniculosè & negligenter agunt, quod agunt.

60. AD FUNDEM 1.] Acidal. mālit, *At tandem f.* Post habitum enim in corde sanatum, decernit. & istud statim contra omn. libros in contextum recepit Pareus.

60. I, I. ABI INTRO &c.] ita MSS. & Ed. quod laudat Grut. Pareus voluit adhuc præmitti, *I, i, abi intro*, tanquam sic esset in V. C. malè nam non id patitur versus. habet quidem aliud *I, i,* liber; sed loco *mihi*, versus præcedentis; quod *mihi*, neq; in ullo est MS. Pal. aut Ed. vet. hæc monuisse debebat ille autoptes.

ACTUS II. SCENA I.

APOECIDES, PERIPHANES, senes duo.

PLERIQUE HOMINES, quos cùm nihil refert, pudet: ubi pudendum
Ibi eos deserit pudor, cùm usus est ut pudeat. is adeò tu es. quid (est,
Est, quod pudendum siet, genere natam bono, pauperem domum
Ducere uxorem? præsertim eam, quâ ex tibi commemores
Hanc, quæ domi est, filiam prognatam. PE. revereor filium.
AP. At pol ego te credidi uxorem, quam tu extulisti pudore exsequi:
Cujus quoties sepulcrum vides, sacruficas illicò Orco hostijs:
Neque adeò injuriâ, quia licitum est eam tibi vivendo vincere.
PE. Oh, Hercules ego fui, dum illa mecum fuit. neque sexta ærumna
Acerbior Herculi, quàm illa mihi est objecta. AP. PULCHRA
Edepol dos pecunia est. PE. quæ quidem pol non maritata est.

VERSUS quadrati: interque hos catalectici Hipponactei. Est autem de priore colloquio quasi abruptum initium, ut intelligi tale aliquid possit: *Ea sunt ingenio:* vel, *ita facere solent:* Camer. *Douza* F. suspicatur l. *Plerique omnes*, sc. sunt. Ut Ter. Andr. *Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, &c.* Et Phorm. act. 1: 3. *Ita plerique ingenio sumus omnes.* Eugraphius ad Andr. Ter. act. 1: 1. *Plerique omnes:* Apud antiquos, inquit, ista dictio ponebatur, [illegible] *omnes* supervacuum fieret, & & superior eius sermo propriam significationem contineret. At Jul. Cæs. Scaliger: *Plerique omnes*, figura per emendationem augens: *Plerique*, immò *omnes*. Eadem puritas sermonis & modus est, cum dixit Terent. *Illum liquet mihi dejerare, mensibus sex septem prorsus non vidisse proximis. Sex*, immò *septem*. lib. 7. Poetic. cap. 3. Sed vide mihi & Serv. 1. Æn. ad illud, *Antheа, si quem &c.* item A. gell. l. 8. c. 12. & Donatum, aut (quod potius reor) *Excerpta è Donato*, ad Andr. Ter. act. 1: 1. Hæc autem, ut observat Gruterus, mutuatus est Terentius Andr. act. 4: 1. *hic, ubi opus est, Non verentur: illic, ubi nihil opus est; ibi verentur.* Ex quibus patet, quàm male Muretus interposuerit, *sunt*.

V. 1. CUM USUS EST UT PUDEAT] Palmerius l. ——— *quom usus est ut pudeant. is autem tu es. puDes quod pudendum siet.* Sustulerat Periphanes filiam [illegible] muliere; posteaque aliam duxerat: quâ defunctâ quin primam illam uxorem sumeret, pudore filii deterrebatur. Itaque Apœcides, *Pudes*, inquit, *quod pudendum siet*: i. pudor ille pudendus est. Induxit Camerarium secta vox, *puDes*, & sparsa in duos versus. sed & Lambinus bene emendavit. hæc Palm. cujus commentum Pareus intulit editioni pr. contra libros.

PUD-

A 2. PVDEAT] Gerh. Vossius probat cum Palm. *pudeant*. contra libros tamen MSS. & Edd. vett. Pal. tert. præfert, *pudescit*, licet aliter de eo prodiderit Pareus.

5. FILIVM] Sic quidem à recensore Pal. sext. at ceteri familiam, quod item id Edd. vett.

6. EXTVLISTI] V.N. Aul. act. 2: 1.

6. PVDORE EXSEQVI] pudore & reverentiâ prosequi: Turneb. lib. 9: 17. apud Cic. 1. Tusc. Euripides: *At, qui dolores morte finisset graves, Eum omnes amicos laude & laticia exsequi Decebat*. Propert. 2: 13. *Adsint plebeia funeris exsequia*. rectè. quia amici ac propinqui funus comitabantur. Passer. ibidem, qui videatur. unde *Exsequiarum* nomen. Nota est formula indictivorum funerum: L. TITIVS VIXIT. L. TITIO EXSEQVIAS IRE CVI COMMODVM EST, HEM TEMPVS EST. OLLVS ECFERTVR.

7. CVIVS QVOTIES S.] cujus sepulcrum quoties vides, toties Orco hostias immolas, gratiam ei referens, quòd te superstitem uxore odiosâ liberârit: L. *Orcus* autem hîc *Pluto* est. Vide Not. in Tibull. cap. 6. J. Douzæ F. & Pseud. act. 3: 2.

8. VIVENDO VINCERE] Nimirum cui erat uxor, non ex animi sententia, is putabatur non invitus ea cariturus. hinc per ludum ac jocum objiciebatur talibus uxore mortua factum esse quod optasset. prorsus verniliter. sed tamen quod minimè transferri possit in omnes maritatos; nedum ut instituatur inde character. quod tamen, non sine adolescentiæ fraude, voluit Pareus, qui in Electis suis dictat: Votum maritorum apud veteres fuit, uxoribus supervivere; uti & contra uxorum maritis. quid enim absurdius quàm hæc talia inculcari, tanquam si consuetudo fuisset, tanquam si mos aut lex, quò publicè id privatimque vellet? Ejusdem est insulsitatis, quod paulò post idem clamat: Mors uxoris grata maritis olim, & hodie, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ. fallissimum est. & corrumpat ἠθολογίαν quisquis istæc introduxerit.

9. HERCVLES EGO] Sexta ærumna Herculis fuit, quòd Hippolyten Amazonum reginam baltheo spoliavit. id quod ipse Pl. Menech. act. 1: 3. indicat; & versus de XII. Laborib. Herc.

Threiciam sextò spoliavit Amazona baltheo.

Satracenus sextum laborem Herculis de Stymphalidibus accipit. De Labb. autem Herculis consule, præter alios, Diod. Siculum lib. 5. & Cointhum Smyrnæum lib. 6. quos auctores *Laur. Rhodomanus*, homo (ut Jos. Scaliger & Lipsius censuerunt) ad veterem Græciam doctus, Collega meus, Latinè loqui nuperrimè docuit.

11. NON MARITATA EST.] Si modò pecunia illa non est *maritata*, hoc est, cum muliere conjuncta, & ab eadem profecta. *Vel sic*: si penes virum dos est, uxore mortua, quæ
B illam attulit. *Vel sic*: optandum quidem esse, dotatam uxorem domi habere, si modò dos illa non sit tanquam uxor ducta. quia (ut est in Aulul. act. 3: 5.)

Dotata mactant & malo & damno viros.

Hæc ex vbertate Lamb. excerpsi. Porphyrio, qui hæc citat in Carm. Secul. Horat. leg. *marita*. ita, *maritum fœdus*, Ovidio. 3. de Pont. 15. *marita fides*, Propertio lib. 4: 3. item *sacra marita*. sic *faces maritas* idem Ovid. in epist. Canaces dixit. sic & *arbores maritas* dixere Plinius & Columella, & hic etiam *maritum olivetum*: Catullus *maritam ulmum*, Livius *domos maritas*: ut hic Plaut. *pecuniam maritam*. Vide & Rittersh. ad Gunther. At Jac. Nic. Loensis Miscell. l. 7: 15. notat, in codd. sincerioribus legi: *quæ quidem pòst est non Martia*. Cogita Lector. nam ego profectò sæpe vidi è talibus maritis fieri Martiales postea, Und haben tapffer einander umb die Bruch geschmissen / Oder viel mehr umb die Köpff. MSS. tamen nostri propugnant vulgatum: item Edd. vett.

ACTVS

ACTUS II. SCENA II.

EPIDICUS, servus. APOECIDES, PERIPHANES, senes duo.

ST, st! tacete. habete animum bonum. liquido exeo foràs
Auspicio, avi sinistrà: acutum cultrum habeo, senis qui exenterem
Marsupium. sed eccum ipsum ante ædis conspicor Apœcidæ.
Qualis volo, vetulos duo. jam ego me convortam in hirudinem,
Atque eorum exsugebo sanguinem, senati qui columen cluent.
AP. Continuò ut maritus fiat. PE. laudo consilium tuum.
AP. Nam ego illum audivi in amorem hærere apud nescio quam fidicinam.
PE. Id ego excrucior. EP. di hercle omnes me adjuvant, augent, amant.
Ipsi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab se argentum auferam.
Age nunc jam orna te, Epidice, & palliolum in collum conjice,
Itáque assimulato, quasi per urbem totam hominem quæsiveris.
Age, si quid agis. Dii immortales, utinam conveniam domi
Periphanem! per omnem urbem quem sum defessus quærere:
Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas, circùmque argentarias.
Rogitando sum raucus factus, pænè in cursu concidi.
PE. Epidice. EP. Epidicum quis est qui revocat? PE. ego sum Periphanes.
AP. Et ego Apœcides sum. EP. & ego quidem sum Epidicus. sed, here, optumâ
Vos video ambo advenire opportunitate. PE. quid rei est?
EP. Mane! sine respirem quæso! PE. imò acquiesce, EP. animo malè est.
Recipiam anhelitum. AP. clementer requiesce. EP. animum advortite.
A legione omnes remissi sunt domum Thebis. AP. quis hoc
Scit factum? EP. ego ita esse factum dico. PE. scin' tu istuc? EP. scio.
PE. Qui tu scis? EP. quia ego ire vidi milites plenis viis.
Arma referunt, & jumenta ducunt. PE. nimis factum bene!
EP. Tum captivorum quid ducunt secum! pueros, virgines,
Binos, ternos: alius quinque: fit concursus per vias.
Filios suos quisque visunt. PE. hercle rem gestam benè!
EP. Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit,
Obviam ornatæ occurrebant suis quæque amatoribus:
Eos captabant. id adeò, qui maximè animum advorterim:
Pleræque hæ sub vestimentis secum habebant retia.
Quum ad portum venio, atque ego illam illic video præstolarier:
Et cum eâ tibicinæ ibant quatuor. PE. quîcum, Epidice?
EP. Cum illâ, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit.
Vbi fidemque, remque, seque, teque properat perdere:

Ea præstolabatur illum apud portam. PE. viden' veneficam!
EP. Sed vestita, aurata, ornata ut lepidè! ut concinnè! ut novè!
PE. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam, an
Impluviatam? ut istæ faciunt vestimentis nomina.
EP. Vtin' impluvium induta eat? PE. quid istuc est mirabile?
Quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.
At tributus cùm imperatus est, negant pendi potesse:
Illis, quibus tributus major penditur, pendi potest.
Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova:
Tunicam rallam, tunicam spissam, linteolum cæsicium,
Indusiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Supparum, aut subminiam, ricam, basilicum, aut exoticum,
Cumatile aut plumatile, cerinum aut melinum. gerræ maximæ!
Cani quoque etiam ademtum'st nomen. EP. qui? PE. vocant Laconicum.
Hæc vocabula auctiones subigunt ut faciant viri.
Quin tu, ut occepisti, loquere. EP. occepêre aliæ mulieres
Duæ post me sic fabulari inter sese. ego abscessi sólens
Paulùm ab illis: dissimulabam me harum sermoni operam dare.
Nec satis exaudiebam, nec sermonis fallebar tamen,
Quæ loquerentur. PE. id lubido est scire. EP. ibi illarum altera
Dixit illi, quicum ipsa ibat. PE. quid? EP. tace ergo, ut audias.
Postquam illam sunt conspicatæ, quam tuus gnatus deperit,
Quàm facilè & quàm fortunatè evenit illi, obsecro, mulieri,
Liberare quam vult amator! quisnam is est? inquit altera.
Illi. ibi nominat Stratippoclem Periphanæ filium. PE. perij
Hercle. quid ego ex te audio? EP. hoc quod actum. egomet pòst, ubi illas au-
Cœpi rursum vorsum ad illas pauxillatim accedere, (divi loqui,
Quasi retruderet hominum me vis invitum. PE. intellego.
EP. Ibi illa interrogavit illam. Qui scis? quis id dixit tibi?
Quin hodie allatæ sunt tabellæ ad eam à Stratippocle, eum
Argentum sumsisse apud Thebas ab Danista fœnore:
Id paratum, & sese ob eam rem id ferre. PE. cedò, ego occidi!
EP. Hæc sic ajebat; sic audivisse ab se, atque ab epistolâ.
PE. Quid ego faciam nunc? consilium à te expetesso, Apœcides.
AP. Reperiamus aliquid calidi conducibilis consilij.
Nam ille quidem aut jam hic aderit credo hercle, aut jam adest. EP. si æquum
Me plus sapere quàm vos, dederim vobis consilium catum, (siet
Quod laudetis, ut ego opinor, uterque. PE. ergo ubi est, Epidice?
EP. Atque ad eam rem conducibile. AP. quid istuc dubitas dicere?
EP. Vos priores esse oportet, nos pòsterius dicere,
Qui plus sapitis. AP. eja verò, age dic. EP. at deridebitis.
AP. Non edepol faciemus. EP. imò, si placebit, utitor

Consi-

Consilium: si non placebit, reperito tu rectius.
Mihi istic nec seritur, nec metitur: nisi ea, quæ tu vis, volo.
PE. Gratiam habeo: fac participes nos tuæ sapientiæ.
EP. Continuò arbitretur uxor tuo gnato. atque ut fidicinam
Illam, quam is volt liberare, quæ illum corrumpit tibi,
Ulciscare: atque ita curetur, usque ad mortem ut serviat.
AP. Fieri oportet. PE. facere cupio quidvis, dum id fiat modò. EP. hem.
Nunc occasio 'st faciundi, priusquam in urbem advenerit,
Sicut cras hic aderit; hodie non venerit. PE. qui scis? EP. scio.
Quia mihi alius dixit, qui illinc venit, manè hic affore.
PE. Quin tu eloquere: quid faciemus? EP. sic faciundum censeo.
Quasi tu cupias liberare fidicinam animi gratiâ.
Quasique ames vehementer tu illam. PE. quam ad rem istuc refert? EP. rogas?
Ut enim præstines argento, priusquam veniat filius,
Atque ita eam te in libertatem dicas emere. PE. intellego.
EP. Ubi erit emta, ut aliquo ex urbe amoveas: nisi quid tua
Secus sententia est. PE. imò doctè. EP. quid tu autem, Apœcides?
AP. Quid ego jam? nisi te commentum nimis astutè intellego.
EP. Iam igitur amota ei erit omnis consultatio
Nuptiarum, ne gravetur, quod velis. AP. vivè sapis! & placet.
EP. Tum tute igitur calidè, quicquid acturus, age.
PE. Rem hercle loquere. EP. & repperi, hæc te qui abscedat suspicio.
PE. Sine me scire. EP. scibis, audi. AP. sapit hic pleno pectore.
EP. Opus est homine, qui illò argentum deferat pro fidicinâ.
Nam te illò non æquè opus factò 'st. PE. quid jam? EP. ne te censeat
Filij caussâ facere. PE. doctè. EP. quò illum ab illâ prohibeas,
Ne qua ob eam suspicionem difficultas eveniat.
PE. Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem? EP. hic erit optimus.
HIC POTERIT cavere rectè, Iura qui & Leges tenet.
AP. Epidice, habeas gratiam! EP. sed ego istuc faciam sedulò.
Ego illum conveniam, atque adducam huc ad te, quoia 'st fidicina,
Atque argentum ego cum hoc feram. PE. quanti emi potest minimo? EP. illâne?
Ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minas.
Verùm, si plus dederis, referam: nihil in eâ re captio est.
Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.
PE. Quî dum? EP. quia enim mulierem illam alius adolescens deperit,
Auro opulentus, magnus miles, Rhodius, raptor hostium,
Gloriosus. hic emet illam de te, & dabit aurum lubens.
Face modò: est lucrum hic tibi amplum. PE. deos quidem oro. EP. impetras!
AP. Quin tu is intrò, atque huc argentum promis. ego visam ad forum:
Epidice, eò veni. EP. ne abieas, priusquam ego ad te venero.
AP. Usque opperiar. PE. sequere tu intro. EP. i, numera! nihil ego te moror.

VERSUS cadunt in numeros πτερυγιάτους καὶ ζηλωτικοὺς σπονδειάζοντας.

V. 1. ST.] Sic argutè Camerarius, cùm invenisset in V.C. *State tacete.* nam Pall. omnes & Edd. vett. *At at tacete.* non etiam omninò ineptè. *St.* silentium imperantes sibili sunt. Nævius: *ST! tace. tale verbum cave faxis.* Poeta vetus:

——sanctu' Serapis,
Isis & Harpocrates digito qui significat st.

Pomponius Attellanarius Poeta:

Pater, at st. negato esse hic me: operibo caput.

Vide Jos. Scalig. Conject. Etiam Cicero usus Epist. ad Fam. lib. 16:24. item 2. de Orat. &c. P. Manutii sententiâ.

1. LIQVIDO EXEO F. AVSP.] quod aere sudo puroque ac sereno cælo ostenditur: ut ait Turneb. 16:10. & proinde certo itemque prono & facili, ut est apud Cic. Epist. Fam. lib. 10:10. & lib. 11:2.7. Pseud. act. 2:4.

Omnes ordine sub signis ducam legiones meas,
Avi sinistrâ, auspicio liquido, atque ex sententiâ.

2. AVI SINISTRA] Scaliger in Conject. Ita dicebantur *aves prosperæ*: contra, *Impedientes aves* aut dicebantur *Arculæ*, ab arcendo; aut *Clivia*, quia difficilia vocabant *clivia*, ad verbum δυσκόλων: aut *Remores aves*, à remorando: aut *Inebræ* & *Enebræ*. eo nomine omne obstaculum intelligebatur. aut *Alteræ aves*, cùm alteræ supervenirent, quæ felici auspicio vitium facerent. aut *Volsgræ*, quæ se vellendo malum auspicium faciebant. Eas intellexit Statius, *——simul ora recurvo*

Ungue secant rabida, planctumque imitantibus alis
Exagitant Zephyros, & plumea pectora cædunt.

Hæc ille. Caussa vanitatis indè fuit. Crediderunt augures, quòd homine in meridiem (quæ deorum sedes æstimabatur) spectante, ad sinistram ejus partes mundi exorientes sint; ad dextram occidentes. inde *sinistra auspicia* fausta dici: quòd ea, quæ oriuntur, quæque ortûs caussam tribuunt, meliora sint iis, quæ occidunt, quæve interitum rei demonstrant. Vide Cæl. Rhodig. lib. 1. cap. 10. & Alex. ab Alexandro lib. 5. c. 19. D. Godofred. ad LL. XII. tab. Meurs. Auctario Philol. c. 6. aliosque. Cicero de Legib. *Isque avi sinistrâ dictus populi magister esto.* i. secundo auspicio. Vide etiam 2. de Divinat.

A 2. ACVTVM CVLTRVM HABEO, SENIS QVI.] Sumpta metaphora à superstitione militum, qui non satis habentes aves observasse, insuper an gladii hastæve probè forent acutæ, sollicitè explorabant ante pugnæ initium, inde etiam aliquid ominis captantes: atque hoc, *Ex acuminibus auspicare*, dicebant. Arnob. lib. 2. *Aut Martium discrimen obeuntes spem prælii sumitis, & EX ACUMINIBUS AUSPICATIS?* Cicero quoque 2. De Nat. deorum, *Bella, quibus Reip. salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla perennia servantur, nulla EX ACUMINIBUS, nulli viri vocantur.* Atque hoc auspicii genus primus M. Marcellus neglexit. Testatur ibid. Cicero: *nam EX ACVMINIBUS quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus ille quinquies consul totum omisit, &c.* Cæterùm, quomodo cohærent sequentia? Nam ecce *duos vetulos*, ait, se velle exsugere: & tamen unum tantùm Apœciden videre se dicit. Vett. edd. *——sed eccum ipsum ante ædes conspicor Apœcidæ Qualis volo vetulos duos.* Et ea vera lectio: nisi quòd scribendum, *sed eccum ipsus, &c.* Jam *exugebo* dictum, ut *reddebo*.
B Deniq; *vetulos* pro senibus frequens est apud Latinos, sed *veteres* non item. Lapis vetus: *ARCOBRICENSES JUVENES ET VETERES STATVAM IN FORO POSVERE.* Alter: *ARUNCITANI VETERES ET JUVENES OPT. CIVI, &c.* Meursius cap. 3. Exercit. Crit. Part. 1.

2. QVI EXENTER.] Loquitur de senis marsupio, ut de pisce, cui ἔντερα eruuntur: quasi nummi sint intestina marsupii, quos minatur omnes se exempturum. Proprium hujus verbi domicilium est in piscium apparatu.

3. CONSPICOR APOECIDÆ] Dousica editio leg. *Apœciden*, sine illâ copulâ: aliæ *Apœcidæ.* neutræ rectè. cur enim vel hæ ante Apœcidæ potius ædes constituunt Periphanem, quàm ipsius; & quidem solum? vel illa Apœciden potius, & æquè solum, quàm Periphanem? Certè de utroq; loquitur: ut patet ex sequentibus. itaque inmittenda copula hoc modo: *sed eccum ipsum ante æd.* (heriles opinor) *conspicor & Apœciden.* hæc Acidal. cujus lectionem Pareus sequitur, sed contra libros, quorum plures *Apœcidæ*, unus & alter *Apœciden*. Pal. sext. à manu secunda, *cum Apœcide*.

4. Qui-

4. QUALES VOLO] Versus iste vel est priorís lineæ complementum, ut arbitror, vel & à fine & à capite mancus est: nam ita scrib. in MS. Cam....... *qualis volo vetulos duo*.....,unde Palmerius, Non est, inquit, de nihilo, quod in opt. scriptis libris lacuna patet illo loco, *quales volo*, lego; *Faciam volum: duo senes, jam* &c. Errori ansam præbuisse putem Comicam ellipsin. Melius tamen esset: *Uno volo duo senes*: & hoc tueor. Hæc ille.

5. EXSUGEBO] pro *exsugam*. Secunda & & tertia conjugatio eadem apud veteres: ut etiam monet Scalig. ad Festum. Est autem hirudinis, osculo ad corpus applicito sanguinem elicere: quæ ob id & *sanguisuga* nominatur à Plinio: quomodo *musca sanguisorba* à Jul. C. Scaligero.

5. SENATI COLUMEN.] Glossæ: *Columen*, ἐπιστάτης. ita Zeno Ver. Susannam *Columen matrimonii* appellat; Arnobius Platonem *Columen Philosophiæ*. Sic *Columella* dicuntur servi majores domûs, quos heri suis negotiis præfulciebant. Tale illud Virg. 12. Æn. de Turno:

——*in quem domus inclinata recumbit*.

Phorm. act. 2. 1. *columen familiæ*. V. N. Pers. 1. 1.

7. IN AMOREM HÆR.] Germ. Er habe sich an eine gehenget. Ita autem Gruter. ait in MS. Cam. legi, at MSS. Pall. & Fris. & omn. edd. l. *audivi illum juniorem bar*. natum inde, quòd in authentico esset, *in morem*; quomodo initio V. C.

8. ID] ob id. F.

10. CONICE.] Elegans verò & graphica nimis hæc est Epidici pallium colligentis oratio. Talis est & Capt. act. 4. 1. (V. N. ibid.) Unde apparet rectè legi in Phorm.

——*qui non humerum hunc onero pallio*, contra Glareanum, qui *exonero* substituit. Douza. Lipsius Epist. Q. l. 3: 23. In Comœdiis & Mimis servuli fugitivi conjecto in humeros pallio & capite velato exprimebantur. ejusque rei exempla in Plauto: item & delicati, quos tangit Curcul. (*act*. 2. 3.) id faciebant, credo, vitandi Solis: cùm pilei usus iis non esset. Seneca Ep. 115. de mollitie Mæcenatis: *Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu sic apparuerit, ut pallio velaretur caput, exclusis utrimque auribus, non aliter quam in Mimo divites fugitivi solent*: ita enim in edit. sua Seneca ultimâ legit. Hæc legerat Pareus, cùm Electa adiit, iisque commisit sequentia: Si quid servis, qui gnavi & actuosi haberi volebant, diligentius faciendum esset; vel pallium ponebant, vel in humeros rejiciebant, & velato capite incedebant. Atque hic servorum ferè habitus fuit in Comœdiis &c. Idque faciebant vitandi solis caussa, cùm pilei usus iis non esset. sic ille. falsa omnia, absurda omnia. scias transscripta ab Asini Cumani germanissimo fraterculo: cujus petulantiâ nimis certè diu tulimus.

11. ITAQUE ASSIMULATO] ita è MSS Pall. aliquot, & Cam. & Lang. Gruterus. *Itaque*, valet, & *ita*. prius cusi, *Atque ass*.

14. PER MEDICINAS] similis locus Amph. act. 4. 1. & Terent. Adelph. act. 4. 6. & Catull. Carm. 52. *Medicina* autem dicuntur Medicorum, sive Chirurgorum etiam (nondum enim bipartita hæc munia id temporis) pergulæ aut officinæ, Medicinam verò ingenui homines, ut artem illiberalem, Romæ tunc non colebant. Douza, & P. Manutius, Epist. Cic. Fam. lib. 13. 21.

41. PER TONSTRIN.] Plutarch. in libro de *Loquacitate*, interprete J. Caselio: *Admodum loquax tonsorum genus est. etenim loquacissimi ad eos confluunt, eisque assident: ut imbuantur ipsi hâc consuetudine*. V. N. Truc. act. 4. 2. Vocat Meursius, *tonstrinas* etiam *Barbatorias* appellatas. Glossæ: *Barbatoria*, πωγωνοκουρεῖα. item: πωγωνοκουρεῖον, *Barbatorium*. Ergò *Barbatores*, tonsores sunt, quos nos voce inde detortâ Barbiers nominamus.

14. GYMNASIO] *Gymnasia* Romæ nulla fuisse ante Neronem, docet P. Faber JC. in Agonist.

15. MYROPOLIA] Latinè vocat Sueton. *tabernas unguentarias*.

16. RAUCUS FACT.] irrausi: contraxi *ravim*, i. raucedinem. Cic. epist. f. lib. 9: 2. *Raucum rumorem* dixit eleganter cum homines de eâ re, quæ in ore omnium fuerat, minùs jam loquantur. Raucorum enim vox minùs clara est.

17. PE. EPIDICE.] ita Acidal. hæc dat Periph. cui magis convenit servum suum revocare: & revocasse, docent sequentia.

21. CLEMENTER REQ.] placidè & seniter: L. MSS. habent *requiesce*, ut & Edd.

vett. nam seqq. *quiesce*, recentt. *acquiesce*: sed A fine libris.

22. QVIS HOC SCIT FACTVM?] Ita Camerariana; neque aliter V. C. sed illud *quis hoc* ibi est à recentissima manu. neque restat etiam in ullo Pall. aut Edd. vett. in quibus tantum, *sic factum*. An suspicari licet? *domum Thebis. AP. domum? si id factum! EP. ego.* ut interruperit sermonem senis servus, vovere parati nescio quid. diis pro tali bono nuncio.

26. EP. TVM CAPTIVOR.] ita J. Guliel. & Douza personam *Epid.* restituunt. *Quid*, pro *quantum* aut *quam multum* usurpatum à nostro Rud. quoque act. 2. 2. *Quid illic est Sceparmo hominum secundum littus?* & Ter. Andr. *Quid turba est apud forum? quid illic hominum litigant?* Atque ita liquido in Brixiensi, & in MS. Cam.

27. QVINQVE] rectè hic *quinque*, non *quinos*: L.

29. QVANTVM] sc. meretricum: *Cam.* Pareus in Electis suis titulo *Belli*, format ex versu isto talem morem: Milites, inquit, magnum numerum meretricum secum ducebant. Ex taline concha tantam ille margaritam? ô industriam inhumanam! alia omnia vult sermo servi, mi Paree: Lege modò B sequentia. tuo stupore isto in stuporem dedetis ipsammet Stupiditatem. ô incredibilem ignorantiam! ô mendacium stupendum.

31. ID ADEO QVI] Ineptit Lambinus. *qui* hic capitur pro *quamobrem*, auctore Grutero: vultque eò potissimum animadvertisse, quia insolens aliquid videbat, retia sub vestibus. Apul. 4. Metam. *novitas consuevit ad repentinas visiones animos hominum pellere.* ubi fortè leg. *pellicere.* Etiam Acidal. probat *qui*: sed exponendum, *quomodo*, non *quamobrem*. atque ulterius è vet. libris hæc ita interpolat:

> ——*id adeò scin' qui maximè animadverterim?*

nam argumentum dicturus est, unde captari senserit & voculam illam arripuit Pareus, cùm turbet versum, nec visatur in Edd. Vett. aut V. C. imò nec in Pall. nisi in sexto, ubi *scio*.

RETIA] quibus scilicet amatores suos irretirent: *L.* Hasengarn.

33. AD PORTVM] ita Cam. alii, *portam*. sed illud mavult Acid. quia Athenis hæc geruntur: contra libros tamen.

33. ATQVE] i. statim, illicò. Capt. act. 3. 1. Bacchid. *dum circumspecto, atque ego lembum conspicor.* Mostell. act. 5. 1. *atque illi me e senatu segregant.* Ennius:

> *Atque atque adscendit muros Trojana juventus.*

Vide Agell. lib. 10. 29. Virgil. 1. Georg. v. 203.

37. VIDEN' VENEF.] admirantis pariter & indignantis. Sieh die Brecka!

38. ORN. VT LEPIDE!] MSS. Cam. & Pall. & Lang. & vett. edd. *auratis ornamentis, ut lep.* quod non admittit versus. ostendat tamen Lexicon Parei.

39 REGILLAM] *Regilla inducula*, ὑποκαμίσιος. i. vestis regiâ, quæ & *basilica*. Nonius leg. *reg. tuniculam.*

39. MENDICVLAM,] Regillæ vesti opponit *mendiculam*, quasi mendicis convenientem. Quidam à voce *Meddix* derivant, quæ Magistratum significat apud Oscos; teste Festo: L. D.

40. AN IMPLVVIATAM?] *Impluviatam vestem* Nonius interpretatur quasi fumato stillicidio implutam, qui color *mutinensis* dicitur, item *fuliginem*. omnesque eruditi in eam sententiam vadunt. Sed mihi diligentiùs hæc excutienti videtur significare, à similitudine impluvii vesti nomen esse factum, ut enim *vites impluviatæ*, sic & *vestis impluviata*, de similitudine impluviorum dicetur, quæ eâ figurâ est; ut *quaternata*, id est, quattuor quadrata lateribus undique corpus ambiat, quæ forma est impluviorum in cavædiis Grut.

40. UT ISTÆ FACIVNT V.] Ita Nonius. MS. Cam. l. *ut istæc facimus v.* Arg. & Ven. *ut istæc fecimus*: Douza l. *istic*, pro *hic*.

41. EP. UTIN' IMPLVV.] Eleganter ita hoc etiam Acidal. *EP. Utin' impluvium induta est?* Animum attende, & probabis. MS. Cam. l. *Ut in implav. induta erit.* MS. Lang. & Edd. omn. *Ut impluv.*

42. QVASI NON F.] *Impluvio* Epidici lepide opponit *fundos* Periphanes. proinde ac si servus dixisset, captivam illam, quam Stratippocles demoriebatur, *impluvio*, hoc est, impluvii pretio indutam fuisse, quod nemini mirum, sæculo præsertim suo videri debere, ostendit: cùm pleraque pars meretricum *totos* etiam *fundos*, hoc est, fundorum, quibus ab amatoribus damnosissimis muneratæ, pretio cultæ atque exornatæ per vias incedant.

dant: *Douza*. Benè hercle, inquit, Gruterus: quibus addo Hieronym. in V. Pauli Hieremitæ: *Qui uno filo villarum insuunt pretia.* quomodo Tertull. de habitu mulierum, cap. IX. *Uno lino decies HS. insuitur. saltus & insulas tenera cervix fert.* Ita magistri hujus, ut se ferebat, discipulus, Cyprianus, De Bono pudic. *Mirum negotium: mulieres ut omnia delicatæ, ad vitiorũ sarcinas fortiores sunt viris.* Nec minùs novè Hieronymus epist. ad Rusticum de vivendi forma: *In vitro & patellà fictili aurũ comeditur* magis etiã Mart. l. 10. epig. 31.

——hominem, Calliodore, voras.

Item l. 3. 62.

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Propert. lib. 3.

Matrona incedit census induta nepotũ, &c.

Sed supersedeo: nam nimis multa reliqua sunt. Vide etiam Alb. Gentil. de Actorib. Fabb. cap. 4. item J. Lipsium in Admirandis lib. 4. cap. 7. Passeratium ad 3. El. 13. Propertij.

42. INCEDANT] in publicum prodeant, ut gradientes segni gradu conspiciantur. nam *incessus* gravitatis est. Propert. 2. el. 1. *Sive togis illam fulgentem incedere Cois.* Passerat.

43. AT TRIBVTVS] V. N. Aul. act. 3. 5. Etiam Agell. lib. 13. 19. verba ut ordinari, ita extabant in Pall. & Edd. priscis; syllaba autem ultima annectenda quasi versui sequenti. Pareus in Electis fingit ex hoc loco politicum istud: Luxus vestiarius in mulieribus tantus sæpe est, ut publica officia impediat: ita ut tributus imperatus est, posse pendi negent. Velim mihi interpretetur, quid sentiat per *publica officia*. Nec res Romanas adsequitur, nec voces balbus iste.

45. QVIDISTAE] Cod. Lang. *Quot ista.* quod in contextum recepit Pareus, adversantibus Pall. & V. C. & Edd. vett.

46. RALLAM] *A raritate texturæ sit dicta*: Nonius. cui opponitur hîc *spissa*. Scalig. in Cirin, ad vers. *Non Libyco molles plaudentur pectine telæ*, notat: *Plaudentur*, κροτοῦνται, πυκνοῦνται: ut πυκνοὶ ἱστοὶ Sophocli, hoc est, *Crebræ*: ut contrà *Ralla*. apud Plin. lib. 8. *crebra papaverata*: ubi forsan meliùs legeretur *paverata*, hoc est, πυκνά; ut sint eædem, quæ *pavitenses* apud Isidorum: quomodo *pavera frumenta*, multum trita; ut granum deglubatur. sunt n. frumenta quæ-

A dam, quæ vix è glumis suis evaginari possunt. *Pavera* autem à paviendo. *Pavire*, παρὰ τὸ παίειν: ut, *palmisque misellum depuvit me.* Hæc ille. Isidorus: *Levidensis vestis*, quòd raro filo sit, leviterque densata. *Pavitensis* contraria *Levidensi*, dicta, quòd graviter pressa atque calcata sit. In MS. Cam. l. *tun rallam*. sicut in seq. *crutulam* & *subparum* &c.

46. LINT. CÆSICIVM] purum & candidum. sic dictum, vel quòd cædendo ad candorem pervenerit, vel quòd oras circumcisas habeat: *Nonius.*

47. INDVSIATAM] Varro lib. 4. de L. L. *Alterius generis item duo; unum, quod foris ac palàm, Palla: alterum, quod intùs: à quod Intusium: id quod Plautus dicit Intusiatam*, &c. Atque ita, per *t* scribendum esset.

47 PATAGIATAM] J. Scalig. in Appendice Conject. ad illa Varronis, *Altera plagula sic angustis clavis*, notat: *Clavus* erat plagula, quæ ab humeris in pectus demittebatur, ut erat ἐπωμὶς Græcorum. ea clavis quibusdam consita erat, in Senatoribus quidem, latioribus; in Equitibus, angustioribus. propterea tota plagula ipsa vocabatur *clavus*. Nonius: *Patagium, aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet.* Nam *patagium* erat honestis

B matronis, quod *clavus* viris. Et ipsum ὄνομα clarat. Nam *patagium* dictum, quòd quibusdam quasi maculis & nævis inspersum erat. πάταγος enim, nisi fallor, est morbus pestilens, quo correpti qui moriuntur, nullum indicium morbi relinquunt aliud quàm nævulos in parte corporis. Quocirca in Gallia vocant *Tac*, h. e. maculam vel nævum. Ab eâ similitudine à clavulis, qui tanquam nævi in plagulâ sparsi sunt, dicitur *patagium*. Apud Festum tantùm legitur, *Patagus, genus morbi.* Nam ita dictum puto, quia eo subitò veluti perculsi & stupefacti commoriuntur homines.

47. CALTVLAM] *Calta*, lutei coloris viola est. Virgil. 2. Ecl.

Mollia luteolà pingit vaccinia calthà.

hinc *tunica caltula*, à colore sic dicta.

47. CROCOTVLAM] Turnebus lib. 29. 25. & lib. 26. 29. *Crocotula*, vestis erat mulierum, non virorum: & absque dubio ea est, quam Græci κροκωτὸν appellant. Et Maro, cùm lib. 9. Æn dicit.

Vobis picta croco & fulgenti murice vestis,

crocotium

crocotium intelligit : ut effeminatos & semiviros incessat Trojanos. Utitur & Cicero, de Aruspic. resp. V. N. 3.5. Scaliger ad v. in Ciri,

Quæ prius in tenui steterat succincta crocotâ,

notat: Crocotam etiam hodie decurtato nomine *Cotam* vocamus in totâ Galliâ, &c. Vide & Pimpont. ad v. Virg. 1. Æn.

Et circumtextum croceo velamen acantho.

Oportet valdè delicatam & malacam fuisse vestem : à quâ non abhorreant ista quæ VVouwerius notat ad illa Petronii:

Æquum est inducere nuptam ventum textilem ?

Palàm prostare nudam in nebulâ lineâ?

Etiam Tibullus *ventum* pro tenui veste dixit lib. 3. 2.

Posthac carbaseis humorem tollere ventis.

Plinius de Coâ *Ut denudet fœminas vestis.* Horat. 1. Satirâ 2.

Cois tibi pæne videre est

Ut nudam.

D. Hieronymus ad Helvid. *Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate vestium nudæ oculis ingeruntur.* Tertullianus: *Textu pellucido tegendo nudavit.* Seneca, 2. Controv. 6. *vestem nihil in matronâ tecturam concupivit.* Fulgentius lib. 1. *Astiterant syrmate nebuloso lucidæ terna virgines.* Sed hæc obiter.

48. SVPPARVM] Festus: *Supparus, lineum puellarum vestimentum, quod & subucula appellatur,* &c. Ad quod Scaliger, Rectè, inquit. Jam & *Supparum* esse omne lineum velum, etiam verum est: ita enim & vela in navibus vocabant: unde Lucanus & Seneca dixerunt *suppara velorum.* Vestem etiam consecratam, & velamentum in signis militaribus cruci superpositum *siparum* vocabant, &c. Vide & Grut. ad Senec. epist. 77.

48. SVBMINIAM] *Subminia tunica,* vel à minio dicta est, quasi subminiata; vel à minuendo, quasi subminuta. Lamb.

48. RICAM] Propriè virgineum flameum. Turpilius: *Interea aspexi virginem in capite gestantem riculam indutam ostrinam.* Græci Poetæ vocant καλύπτρην. Scalig. in Conject.

48. BASILICAM] *Genus vestis regium:* Nonius.

EXOTIC.] peregrinum; foris adveniens. *Isidorus,* id multis illustrat 10. Savaro ad Sidonii Carmen 21. sub finem:

49. CYMATILE] *coloris marini aut cærulei, quasi fluctuum similis. fluctus enim Græcis κύματα.* Nonius. Hic color Vegetio *Venetus* dicitur, Lucretio *Thalassinus.* Gruterus arbitratur non ita vocatam esse ob colorem, sed texturam repræsentantem fluctus, quæ & *undulata* dicta Varroni apud Nonium; ubi omnino videndus Mercerus.

49. PLVMATILE] *Vest. plumatilis est clavata aut ex clavis facta:* Nonius, quem carpit in Lexico suo Pareus, vultque meras agere nugas: quod tamen omninò negabit, qui consuluerit Turnebum lib. 11. Adv. cap. 25. Ludimagister classicos auctores arbitratur vexare posse, tanquam si ferulæ ejus submisissent manum. hinc magnificus ille sermo.

49. CERINVM] κηρινὰ: *à cera colore:* Nonius. Scaliger notavit ad oram, *carinum.* & vero V. C. præfert *garinum* quomodo ferè Pall. omnes à manu prima.

49. MELINVM] *Melinum,* qui mali Cydonii pallorem imitatur. alioqui *Melinus color* Plinio est candidus, à *Melo* insulâ, cui peculiaris est, & ubi optimus habetur. *Mellinus* verò *color* (ut quidam hîc legunt) à melle, ad fuscum accedens. Douza mallit emendare, *cervinum aut melinum;* à *cervo* & *mele* derivatis vocabulis; quomodo idem posteà à *cane* Laconicum detorquet. At J. Gruterus annotat, in MSS. Cam. & Pall. & Lang. legi, *garinum aut gerrinum, g. m.* atque hoc, *gerra,* quod sequitur, confirmare. Etiam Is. Pont. notat, in cod. Anglic. esse, *aut gerinum.* unde suspicatur leg. *berinum:* à *berus,* qui color burrus est, &c.

49. GERRÆ] Scaliger ad v. Tibull. lib. 4.

Læta Molorcheis posuit vestigia gerris,

notat: *Gerræ* sunt crates, à quo parietes intergerivi, hoc est, concratitii. unde & *gerræ* pro frivolis rebus nullius pretii accipi, arcessunt auctorem historiam Siculam. Ego non video, quare in re tam manifestæ ἐνδείξεως historia advocanda fuit. Idem in Conjectaneis: Γέῤῥα, *crates.* etiam *fascinos & pudenda* interpretatur Nonius. Hesychius: γέῤῥα τὰς σελωνας, καὶ τὰ ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα αἰδοῖα. Hæc ille. Historia, quam Scaliger innuit, est apud Festum.

50. CANI QVOQ.] Sic MSS. omn. Cani etiam nomen, quo anteà appellabatur, quóque appellari debet, ademptum est: nonnulli enim canes *Lacones* & *Laconici* appellantur. Horatius odâ 6. Epod.

Nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon, &c.

Sed nunc vestes suas appellant *Laconicas*. Quin & Horatius *Laconicas purpuras* commemorat 2. Od. 18. Alii sic explicant: Cani quoque ademptum est nomen: nam cum *canem* appellare debebant *canem*, appellant *Laconicum*: L. At Dan. Heinsius l. *Canis quoque etiam adeptust nomen. EP. qui vocant? PE. Laconicum.* quod statim admisit Pareus in primam editionem, sed mox reddidit secundæ literam illi *Canis*, verùm reliquit illud *adeptu'st*. quo quid velit, scire oportet Fatuitatis collegium. Interim Moriæ suæ insigniter idem litat, dum in Electis suis garrit ad istum versum: Canibus nomina indebant etiam delicatæ mulieres, meretriculæ. alio loco idem infit: Meretrices canes alebant, quibus nova nomina indebant. *Heu, cadit in quenquam tantus stupor!* illane eruuntur ex his verbis?

51. HÆC VOCAR.] Ita pulchrè stomachationem hanc concludit Periphanes. Nam hæc Epidico tribui non posse, multis docuit Pistoris etiam. ut mirer, cur Pareus hîc ea Epidico reliquerit: cùm suprà v. 41. adimere eidem cum Acid. visus sit. Ordo autem est: Hæc vocabula, i. *vestes ipsæ*, subigunt viros, ut ipsi auctionem faciant. *Auctio* pro venditione, quæ fit per augmentum pretii: cùm publica rerum, vel sine hastâ vel cum hastâ in foro positâ, fit venditio; & traduntur plus offerenti. Vide Budæum in Pandect. & JCtos. Menæch. act. 5. sc. ult. *auctionem proclamare*: dixit. Sticho, act. 1. 1. *auctionem prædicare*: &, *auctionem facere*. Cicero pro Quinctio, *vendere auctionem* dixit, eâ formâ, quâ Cæsar lib. 2. de Bello G. *vendere sectionem*. Estque *vendere auctionem*, auctionari, & res in auctione vendere: ut explicat Turneb. lib. 19. c. 11.

53. SOLENS] hoc est, de industriâ, sciens & prudens; non casu & fortuito. sic Trucul. act. 1. 2 *Mala fæmina es. AST. solens sum. ea est disciplina.* Amph. act. 1. 1. paullò aliter: *Si dixero mendacium, solens meo more fecero.* Qui maluerunt, *silens*, eos siluisse hic mallem, & fuisset hoc prudentiæ eorum: J. Gulielm. H. Stephan. *silens* retinet, atque hæc ita interpungit: *ego abscessi silens Paulum ab illis*, quod & in editionem suam intulit Pareus, contra MSS. & Edd. omnes.

55. NEC S. EX. NEC S. FALL.] quanquam integram sermonis seriem non plenè percipiebam: ex quibusdam verbis tamen, quæ arripiebam, facilè quid loquerentur conjecturâ porrò adsequi poteram. *Falli sermonis*, dictum ut Apul. 5. Met. *curare corporis*, & *cumure interfecta virginitatis*. Sic rectè scriptum apud Ulpian. *quo cura & tutela liberetur*. L. L. D. de legat. 3. & Marcianum: *Ejusdem legis pœnæ afficitur.* Quadrigarius apud Gell. *Manu significare cæpit ubique, ut quiescerent p. pugna.* Lipsius rectissimè quoque reposuit in Livio, l. 21. *Levarent animum religione.* P. Colvius.

59. QVAM FACILE] J. Douza illud Curcul act. 5. 2. ——*propter eas* (nugas) *vivo facilius*, notat *Facilius*, id est, lautius atque ex sententiâ. Quod quidem eâdem planè ratione dictum puto, quâ iidem veteres illi, *Agitare facillime*: atque in his Terentius, *Quàm vos facillimè agitis*, usurpabant: cum significare vellent, *Benè rem gerere aliquem*, hoc est, lautè, opulenter, & quasi *Regio victu cultuque* (cum Sallustio ut dicam) *ætatem degere*. id quod de Scipione, Lælio, ac Furio, apud Æl. Donatum, testatur Portius, in vitâ Terentii, hoc octonario:

Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillimè.

Cui ex traverso respondet, *difficultas* (si Pædiano credimus) pro *paupertate* usurpata antiquitùs: item, *Male vivere*, apud Horat. & Ovid. pro *Miserè vivere*, sive, ægrè ac duriter vitam sustentare: & quod de horna Galliæ messe apud Salust. Pompejus: *Et nunc malis fructibus ipsa vix agitat*, &c. Hæc ille.

60. QVISNAM IS EST?] J. Gul. l. è Fabri codice, *quis, tu, est?* vocab. *tu*, blandientis interjectio est. Eunucho: *Tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem.* German. En du/mein lieber!

61. HERCLE, QVID] Satis longè excurrit versus, sed pronunciando breves syllabas mirabiliter veteres corripuerunt: *Camer.* Verùm Sc. hujus versùs plerosque omnes aliter distinguit MS. Cam.

63. RVRSVM VORSVM] Donatus ad illud Hec.act.3.1. *Cursari rursum, prorsum*; Proverbiale hoc esse: ut *Sursum deorsum: Intrò foràs: Hàc illàc*: ἄνω κάτω: πρόσω καὶ ὀπίσω. Et *Rursum* propriè significare retrò: *Prorsum*, antè: quasi *retroversum* & *proversum*. Ita etiam Ennius:

Rursus prorsus reciprocat fluctus ferum.

Euripid.

φύρουσι αὐθ' οἱ θεοὶ πάλιν καὶ πρόσω,

Hæc dy rursum ac prorsum miscent:

quod Erasmus parum rectè vertit, *sursum deorsum*, ut ait Aus. Popma. Vide & Jos. Scalig. Auson. lect, lib.1. cap.14. & Notas Amph. act.5.1.

68. CEDO] In MS. Cam. superscribitur, *i. dic*. Pall. *cede*. vett. edd. hujus verbi loco nihil habent. Acidal. l. *Credo ego occidi*. Pareus ait se legere *eho! ego occ.* divine scilicet.

69. HÆC SE AIEBAT SIS AVDISS.] Ita proximè MSS. certè V.C. habet à manu prima: *Hæc sic ajebat. sic audivisse se ab se atque ab epistola*. neque aliter Pal. quart. nisi quod non iteret *ab*, reliqui verò semel tantum ponunt *sic*; pr. quidem ac sec. post *ajebat*; tert. ac sextus ante. quod notare libet, ne quis temerè credat Pareo aliter affirmanti.

71. ALIQVID CALIDI] ita Douza & Grut. clamante sententia & versu, neque aliter Pal. sextus. alii *callidi*, quod non admittitur, ratione metri. Livius lib.35. *Consilia calida & audacia, prima specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia*. Vide locum etiam Herennii lib.2. de Invent. *Calidum vocari* &c. Item suprà, act.1.2. atque hinc non longè.

73. CATVM] verbum hoc Sabinum esse Varro ait: & *cata dicta*, apud Ennium, interpretatur *acuta*: eoque Ælium Sextum esse nominatum: non, ut Sapientem, sed ut acutum. Apud Cic.1. Tuscul.

Egregiè cordatus homo catus Æliu' Sextus.

Servius à καίω, *calore ingenij*, derivat. Et hinc *Catones* dicti, autore Plinio. Usus eo Horat. 1. Od.10. & 3.12. Terent. Andr. act.5.2. Cicero, alii.

78. VTITOR] ita MSS. Cam. Pall. & omnes vett. ed. uno consensu. Primus Pylades, homo audax & indoctus, transformavit in *Utiminor*, quod traduces quædam edd. perperàm hodieque tenent. Rectè igitur, *utitor*; non *utiminor*. nam *utitor* respicit Periphanem, cujus res agebatur: alterum verò, *reperitote*, in commune duobus dicitur.

80. MIHI IST. NEC SERITVR] Ista res nihil ad me attinet: ut quæ neque meo fiat periculo neque emolumento.

82. CONT. ARBITR. VX.] continuò facias, ut gnatus tuus uxorem ducat, quæ ei sit arbitra & moderatrix: L. Grutero displicent Lambiniana: putatque dicere; continuo circumspiciatur uxor filio. quod idem sic extulerit Plinius 1. epist.14. *Petis, ut fratris tui filiæ prospiciam maritum.* (Germ. Sich nach eim Weib vmbsehen) *Arbitrari*, ad oculos refertur. Aul. act.4.1. *Hinc ego huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier*. Mil. act.2.2. *mihi jam arbitri vicini sunt.* Vellejus lib.2. *ut immunis ab omnibus arbitris esset*, i. liberæ à conspectu. Eodem modo Pistoris, *arbitretur*, μεταφορικῶς exponit, eligatur, dispiciaturque: atque ita à ICtis suis crebrò usurpari multis docet. Scaliger notat hic, *arbitratortuo en*.

86. ADVENIT:] ita Acidalius *advenerit*. At Douza legit, arripuitque Pareus,

——*pro in urb. advenerit.*

Cras hic aderit, sicut hodie non venit.

& vero *advenerit* visitur in Pal. sexto. reliqui tamen & V.C. & Edd. vett. stant pro vulgata, quæ non erat sollicitanda.

91. PRÆSTINES] Festus: *Præstinare apud Pl. est emere, & emendo tenere.* ita, *destinare*, Mostell. act.3.1. de quo quidem verbo curiosissimè hic Acid. quæ malo apud ipsum legi. Sunt enim nimis multa. Tamen expedire se non potest, cogatur tandem fateri, utrumque & *destinare* & *præstinare* esse quod Festus & Nonius censuere. Sic & Fulgent. 2. Myth. *omnia pretio destinat, fame moritur.* Sidon. Carm.23. *Post piratica damna destinaret Plenas mercibus institor carinas*. Savaro ibid.

92. VT ENIM] Ita V.C. ita Edd. vett. & Pall. nisi quod quidam *ei*: solus sextus; *ut eam*, quod male occupat edd. Parei.

96. QVID EGO IAM] J. Gul. *Quid ego? nisi jam te.*

97. IAM IGITVR AMOTA] Alii aliter versui consulunt. Sed simplicius videtur excidisse vocem similem, *erit omnis omnis consultatio*.

Hvi

HUI SAPIS] ita Pal. sextus, & alludunt edd. vett. *vi sapis*, quod & in Pall. nisi quod pr. *ut sapis*. V. C. & Langg. *vive sapis*, sed invito versu.

99. CALIDE QUICQ. ACT. AGE.] ita Gruterus. *Calidè age*, hoc est, festinanter & sine morâ. V. N. act. 1.2. Etiam versus alter formandos ait, quàm fecerit Camerarius. Palm. legebat, *Tum t. ig. calidè jam, quicq.*

100. REM H. LOQ.] non verba & nugas, sed id quod verum est.

190. SUSPICIO] libidinis: vel te fidicinam emere, ut filium ab eâ prohibeas: L.

101. SAPIT HIC PL. PECTORE] ita Mil. act. 3. *Levi pectus sapit*. Horat. 1. epist. 4.

Non tu corpus eras sine pectore,

i. sapientiâ. Nam in pectore sedes consilii est. eapropter prætextatis bulla pendebat pro pectore. Vide Alex. ab Alexandr. l. 2:19. & Macrob. 1. Sat. 6.

103. NAM TE ILLO NON ÆQUE OPUS FACTO EST.] Curiosis & molestiis aliorum molitionibus insuperhabitis, repræsentavi quod in meâ Brix. & Parm. expressum est, & quod prioris sæculi Interpres Pylades in Codd. & MSS. antiquis extare clamitat, & Sarracenus etiam divinavit; atque adeo Pistoris: qui & ipse hac lectione nihil planius magisque perspicuum esse posse ex vero contendit. Non est necesse, inquit Epidicus, *te illò ire*: sed alius allegandus est. Cui mox senex: *quid jam*? q.d. Cur ego non eò eam? Cui respondet Servus; ne te censeat filii odio aut æmulatione facere. Non cohærent, nisi hæc lectio adseratur. Schoppii illud, *de lenone*, vel ingenium lenonium refellit, quod noster passim depingit. Cur enim mulierem non amitteret leno, si ipsi argentum daretur? qui omnia hujus caussâ faciebat. Et animadvertendum est, inquit porro Pistoris, hic se quasi corrigere Epidicum, dum antea dixerat, Senem liberare fidicinam, eo prætextu, quasi eam amet. Mox ut existiment Senes, hæc bonâ fide geri & quasi sub manum nasci consilia, ait: *Et repperi, hæc te qui abscedat suspicio*. nempe si ipse non iveris, sed alium miseris. ideò ait; *Te eò (scil. ire) non æquè opus facto est*: etsi antea dixerim te liberare debere fidicinam animi caussâ. Et ideò Senex subjicit: *Quid jam*? Q. d. Cur mutas consilium? Sic profectò

A omnia erunt clarissima, quæ antea mera caligo. Camerarius quidem edidit: *Nam telo non æquè opus facto'st*: & addit: Organon requiritur ad opus efficiendum necessarium: ut telum est belli. Vel, ut hoc explicat Lambinus: Non æquè *telo*, i. instrumento, ὀργάνῳ, opus est ad aliquid efficiendum, atque opus est homine ad argentum deferendum. Vel, Non æquè opus est telo ad rem militarem, ut est opus argento, &c. Jos. Scalig. in Ætn. ad ea,

——*hæc tela solumque*,

sic annotat: Ut Cicero dixit. *Parsimoniam non mediocre telum esse ad virtutem*: sic hic omnia adjumenta vocat *tela*, elegantissimè sanè. quod ad Græcorum imitationem dictū, ἡ φειδὼ οὐ φαῦλον ὅπλον αὐτοῖς πρὸς τὴν ἀρετήν. ita loquitur D. Halicarnass. ita & Plautus Epid. In MS. Lang. est: *Nam te lenoni æq.* Hinc Schoppius, *Nam de lenone, æque opus facto est*. *De lenone*, i. quod ad lenonem attinet. Sic Propert. *de me, de te*, similiter extulit.

De me, mi certè poteris formosa videri:

pro, quantum ad me attinet; ut de me hîc dicam. Sed hoc, ut dixi, Pistoris & sententia ipsa respuunt. recepit tamen in contextum B Pareus contra Pall. in quibus aut *te illo æque opus facto'st*, aut, *telo æque opus*, quod & in V. C. & Edd. primis. C. Colerus legit: *Nam telo non æquè opus jacto est*. voluisse scilicet Plautum per *telum jactum* maximam celeritatem significare. Sed & Gifan. notat, *Telum* JCtis vocem esse πανδέκτην. Denique sunt, qui censeant, hoc hemistichion ab alio antiquiore Poetâ sumptum; quod vulgatum eo tempore fuerit. Vide Adag. *Telo non æquè opus facto est*.

103. NE TE CENSEAT] non Leno, sed ipsa fidicina.

106. EP. HIC ERIT OPT. HIC POT. C.] ita MSS. Langii & Schop. & Douza: ut verba sint Epidici seipsum demonstrantis & huic negotio ultrò se offerentis. Immò verior sententia Pistoris est, quæ & Lambini erat: *EP. hic erit optimus. Hic* (Apæcides: qui & act. 3. 4. Legū & Jurum conditor fictorq; cluit) *poterit cavere &c. AP. Epidice, habeas gratiam*: scil. quòd me huic muneri adhiberi vis: sed operæ non est. Atque ita, *ad te*, erit ad Apæcidē. V. N. act 3. 4. Et sic etiam commentum Lambini

bini & Schoppii ſuper illud, *Habeas gratiam*, evaneſcit. A

107. JURA QUI ET LEGES TENET.] Qui opiniònem Douzæ ſecuti ſunt, putarunt hic alludi ad ὄνομα Epidici, perperàm. J. Schardius JC. CAVET is etiam qui conſilium dat: ut Ovid. 1. de Arte: *Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.* In quo genere rectè cum *Cavere* hîc Plautus exiſtimat, qui JURA ET LEGES TENET. Quam tamen Cavendi formam ſibi hodie præripiunt exleges quædam belluæ. Sed hoc obiter pro Jurisſtultis, qui Juriſconſulti titulo faſtidiunt, & *cavillant*, dum *cavere* neſciunt.

110. QUANTILLUMNI POTEST MINIMO:] Ita loquitur Ulp. l. XIX. Digeſt. tit. de act. emti & vend. L. Ex emto LXI. §. *Idem ait non tradentem, quanti interſit, condemnari: ſatis autē non dantem, quanti plurimo auctorem periclitari oportet.* Quæ ſic explicat Budæus: Tanti damnari debet venditor, quanti periclitari oportet emtorem, cum *plurimo periclitatur*, i. plurimâ. L.

111. AD QUADRAGINTA] quadraginta circiter minis eam emi poſſe, ſc. dixerit aliquis. L.

112. NIHIL IN EA RE CAPTIO EST] Verbalibus in *io*, inquit Lamb. idem caſus tribui ſolebat, atq; verbis unde oriuntur. Quemadmodum igitur Latini dicunt, *Nihil in eâ re caperis*: ita licet dicere, *Nihil in ea re captio eſt.* Amph. act. 1. 3. *Quid tibi hanc curatio eſt rem?* Aſin. act. 5. 2. *Quid tibi huc receptio ad te eſt meum virum?* huic non abſimile illud in Aul. *Id anus indicium fecit.* Rud. act. 2. 6. *Quid mihi erat in navem inſcenſio?* Trucul act. 2. 7. *Quid tibi hanc aditio eſt?* Sic Ciceroni, *domum reverſio.* ita Symmachus: *Nihil negotium eſt rebus cognitis immorari.* Sed vide mihi Gruter. Menæch. Prologo. B

113. AT QUID NON DECEM] Ita Columella lib. 11. c. 1. *Pecuniam domini neque in pecore neque in aliis rebus promercalibus occupet.* Scilicet in re emptâ pretium ita occupatur & hæret, quo minus ad alium uſum transferri queat. Ergò *Occupare pecuniam*, eſt fœnori locare, aut merci impendere, & quaſi exercere, ne otio & inertiâ langueſcat. Cic. pro Flacco, & 3. Verrinâ. Et hæc *pecunia occupata* dicitur. Contrà, *Otioſa pecunia*, quæ domi latet, nec ullum domino fructum affert. Plin. epiſt. lib. 10. *Pecuniæ publicè & exactæ ſunt, & exiguntur: quæ vereor ne otioſæ jaceant.* Ita *Occupare argentum*, fuerit propriè, quod Germanicè dicitur; Gelt anlegen, ſive id in merces ſive fœnus collocetur. Hic tanquam de merce loquitur. Du wirſt das Gelt nicht zehen Tag an dieſe Wahr angelegt haben. Lambini minus appoſita ſunt, etiam Merceri ſententia.

115. RAPTOR HOSTIUM] Dictum pro harpace mero, & qui hoſtes vivos ex acie rapere didicerit. ita uti à Poeta ipſo hoc nomē, Pſeud. act. 2. 2. explicatum videmus. Quid enim ventoſius aut vanius, quàm homines armatos contrà conſertâ manu, raptare atque in ſublime jàcere, itidem quaſi pilas ſago excuſſas? *J. Douza.*

116. DABIT AURUM LUBENS.] Ita Gruter. è MSS. & antiquitus editis, qui habent *aurum jubeas.* ſic enim confundi litteras hauriamus vel ex hâc Comœdiâ, Scen. 3. act. 3. ubi habemus: *ſed tu hanc jubeas intrò abducier:* MS. Cam. habet, *hanc lubens*, recentius cuſi, pro ultima illa voce *jubeas*, ſubſtituerant, *ubi eam emptam ſcies.* verſu etiam ſeqq. MSS. ut cuſi *Tace* pro *Face.* quod utrunque revocavit Pareus, parum intentus rei propoſitæ.

117. IMPETRAS] à diis, quod optas. ita Palm. & Acidalius. Altero (*Face modo*) hortatur; altero felicem eventum ſpondet. Pall. & Edd. impetra, quod Pareus admiſit in ſecundam ed. nam primâ receperat alterum; inſigni levitate judicii: cùm noſtrum tamen paſſim obvium ſit requiratque ſermo: ejus vero *impetra*, inficetum; auribus quidem lotis aceto; pectori vero cui aliquid ſalit ſub parte mamillæ levæ.

119. NE ABEAS] MSS. Cam. & Lang. *abitas.* ſed ſtant pro altero & Edd. Vett. & Pall.

120. NUMERA] ſc. pecuniam. J. Gul. l. *numerò*, i. celeriter: idque magis Plautinum putat. V. N. Amph. act. 1. 1. Libri omnes ſtant pro noſtro. Pareus alterum arripuit primâ, revomuit vero ſecundâ.

ACTUS

ACTUS II. SCENA III.

EPIDICUS.

NULLUM esse opinor ego agrum in agro Attico
Æquè feracem, quàm hic est noster Periphanes:
Quin ex occluso atque obsignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.
Quod pol ego metuo, si senex resciverit,
Ne ulmos parasitos faciat, quæ usque attondeant.
Sed me una turbat res ratioque: Apœcidi
Quam ostendam fidicinam aliquà conductitiam.
Atque id quoque habeo. mane me jussit senex
Conducere aliquam fidicinam sibi huc domum,
Dum rem divinam faceret, cantaret sibi.
Ea conducetur, atque ei præmonstrabitur,
Quo pacto fiat subdola adversus senem.
Ibo intrò, argentum accipiam ab damnoso sene.

NULLUM ESSE &c.] Versus sunt Jamb. Sen. Primus autem hiat.

V. 1. IN AGRO ATT.] in totâ terrâ Atticâ. ita, *ager Romanus*. & includit in se nemora, saltus, pascua, flumina, & omnia quæ in eo territorio continentur. χώρα.

3. OBSIGNATO] V. N. Cas. act. 2:1.

3. ARMARIO] ubi pecunia adservatur. Cic. pro Cæl. *Tune aurum ex armario tuo promere ausa es?* Plaut. Capt. act. 4:4.

4. ARGENTI TANTUM] Sic MSS. Lang. tres, sic Pall. omnes, sic Edd. quoque, etiam Camerariana, quamvis invenisset in V. C. suo *argentum*, quod orbi redonavit Pareus, tanquam magis ex Genio Plauti. Monstrum! ut ille discernat aliquid circa Plautum; ut distinctius discreverit buccinas scrophi pascui, caprarii, bubulci, evocantium revocantiumve pecora, quàm Musarum ullum consensum? ò alterum Hesiodum!

6. NE ULMOS PARASITOS F.] Parasitorum est mensas divitum attondere, & à divitibus semper aliquid abradere. unde & Phocyllides *Assentatores* qui à Parasitis non multum differunt, τραπεζοκόρους, *mensarum tonsores*, indigitat. Hoc igitur dicit Epid. Metuo, ne, ubi senex resciverit me sibi verba dedisse, faciat ut ulmeæ virgæ in meo tergo sint veluti parasiti, meumq; corium omni ex parte attondeant. *E Lamb.* V. N. Menæch. act. 1:1. Non dissimile illud Phædri:

——ferro mulum tonsitant.

8. QUAM OSTENDAM] pro eâ, quam ut emeret, persuasi.

8. ALIQUA] ita Gruterus conjecit. Sc. seq. *aliquid aliqua &c.* Terent. *Vereor ne uxor aliquà hoc resciscat.* Douza l. *Quà ostendam f.* quòd nihil opus sit *aliquam*, (quod in vulgatis est) si *quam* istud retineatur. Pareus tamen nescit cur alii illud *aliquà* in textum collocarint cōtra suos MSS. ignorantissimus sane; cum ipsemet id quoque fecerit in sua pantherina editione prima.

14. DAMNOSO S.] παθητικῶς, pro infelici & multis damnis confecto. Ita Truc. Sc. 1. *damnosos homines* vocat, qui damna faciant, ποιητικῶς; non, qui inferant. Errat Lambinus, qui Curc. act. 4:1. *dites damnosos* interpretatur de locupletibus sumptuosis. Ita verò sumptuosis quidem, sed olim dum res superesset, unde sumptus fierent. Nunc enim *damnosos* ideò dicit illos divites, quia tot damnis ultrò factis in egestatem devoluti sint. At verò Bacchid. ἐνεργητικῶς auditur: *Quid tibi commercii est cum diis damnosissimis?*

ACTUS III. SCENA I.

STRATIPPOCLES, CHÆRIBVLVS.

EXSPECTANDO exedor miser, atque exenteror, quomodo mihi
Epidici blanda dicta eveniant. nimis diu maceror.
Sitne quid, necne sit, scire cupio. CH. per illam tibi copiam
Copiam parare aliam licet: scivi equidem in principio
Illicò nullam tibi esse in illo copiam. ST. interij hercle ego.
CH. Absurdè facis, qui angas te animi. ST. si hercle ego illum semel prehendero
Nunquam irridere nos illum inultum sinam servum hominem.
Quid illum ferre vis? qui, tibi cui divitiæ domi maximæ
Sunt, is nummum nullum habes, nec sodali tuo in te copia'st.
CH. Si hercle habeam, pollicear lubens: verùm aliquid, aliquâ, aliquo modo,
Alicunde, ab aliquî, aliqua tibi spes est fore mecum fortunam.
ST. Væ tibi, muricide homo! CH. quî tibi lubet mihi malè loqui?
ST. Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde ab aliquibus blatis,
Quod nusquam'st: neque ego id immitto in aures meas. nec mihi
Plus adjumenti ades, quàm ille qui nunquam etiam natus est.

TETRAMETRI sunt versus, sed confusis numeris & *ἀσυναρτήτοις*.

V. 1. EXEDOR] conficior. apud Cic. 2. Tusc. *Ægritudo lacerat, exest animam, planeque conficit.*

3. PER ILLAM T. C.] *ἵνα κἀκείνης ὀνο-μάσῃ*. q. d. Non debet tibi in Epidico tanta copiæ spes esse, ut aliam propterea negligere velis. è L.

8. QVID ILL. FERRE VIS? QVI, TIBI] *Tibi cui*; pro *Cui*. cohæret *qui* cum Pron. *is*, versu seq. Douza malit omitti *tibi*: deinde efficaciore *ἐμφάσει* rescriptum iri putat, *is nummum nullus hab.* Palm. l. *s. hominem. CH. Quid illum facere vis? ST. qui tibi, cui d.* Et ita Argent. mea. At Parisina: *Quid ill. ferre vis? ST. quid tibi &c.* Atque de hoc Plautino genere loquendi, *Qui, tibi cui*: vel, *Te, tibi cui*, pluribus agit Acidalius.

10. VERVM ALIQVID &c.] Ridicula hominis nihil habentis quod promittat oratio: L.

11. AB ALIQVI] Meursii v. ed. (ut & Arg. & Paris.) *Alicunde ab aliquibus.* ita statim: *Quippe tu mihi aliquid, aliquâ, aliquo modo, alicunde ab aliquibus blatis.* Verùm nostrum restat in V. C. atque Pall. recepit tamen alterum Pareus contra Camerarianam & seqq. omnes. adeo scilicet supra ceteros sapit hic Tiresias.

12. MVRICIDE H.] ita MSS. Cam. & Pall. & Lang. & Lambini: itáque Scalig. legit, & ita Edd. Mediol. Veneta, Paris. & Argent. habent. quod videatur tanquam localiter ignavo exprobratum: ut qui hostem non potuisset, mures cæderet: quasi *μυοκτόνος*. VVonsesini mei dicunt, du Grillenstecher. Contra Meursius probat *Murcide*. Et mos, inquit, tenuit in Italiâ, ut qui militiam detrectarent, pollicem sibi præciderent: quo facto, viribus manuum pænè omnibus amissis, excusabiliores forent. iique *Murci* dicebantur, & *ὑποκοριστικῶς Murcidi*, id est, *Murcili*: nam D pro L scribebant. hinc dea ignavorum *Murcia*, *&c.* Vide ipsum. Sanè alludit huc Liptius Epist. Centur. V. Miscell. 9.

13. BLATIS] *Blatire & blaterare*, auctore Nonio, est *confingere, aut inconditè & inaniter*, vel ut Festus, *stultè & percupidè loqui.* à Græco *βλάξ*. Fr. Junius unico *t* scribendum censet. Glossæ vet. *μωρὸς, blax, simplex.* Glossæ Isidori: *Blax, stultus: unde blaterari.* Cæterùm notat Gruterus, ad oram V. C. scriptum

ptum esse, *latras*. Parei editio exhibet *blattis*, A egregiè scilicet ad versum, qui requirit jambum.

12. MALE LOQVI.] Sic MSS. & Edd. ante Pareum, qui invexit, *mala loqui*, quæ petulantia?

15. ADES.] Omnes edd. vett. leg. *adjumento des*, aut *das* quod primum quoque in omnibus Pall. Pareus Acidalium secutus invexit verbo transposito: *Plus ades adjumenti*: nullo libro adminiculante.

ACTUS III. SCENA II.

EPIDICUS, STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS.

FECISTI jam officium tu tuum: me meum nunc facere oportet.
Per hanc curam quieto tibi licet esse. Hoc quidem jam perijt:
Ni quid tibi hinc in spem referas. hoc oppidò politum est.
Crede modò tu mihi. sic ego ago, sic egére nostri.
Prò di immortales, mihi hunc diem dedistis luculentum!
Vt facilem, atque impetrabilem! sed ego hinc migrare cesso,
Vt importem in coloniam hunc auspicio commeatum?
Mihi cesso, cùm sto. sed quid hoc? ante ædis duos sodales,
Herum & Cheribulum conspicor. quid hic agitis? accipe hoc sis.
ST. Quantum hic inest? EP. quantum sat est, & plus satis: superfit.
Decem minis plus attuli, quàm tu Danistæ debes.
Dum tibi ego placeam, atque obsequar, meum tergum floccifacio.
ST. Nam quid ita? EP. quia ego tuum patrem faciam perenticidam.
ST. Quid istuc est verbi? EP. nihil moror vetera & vulgata verba,
Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.
Nam leno omne argentum abstulit pro fidicinâ: ego resolvi:
Manibus his dinumeravi; pater suam natam quam esse credit.
Nunc iterum ut fallatur pater, tibique auxilium apparetur,
Inveni viam. ita ego suasi seni, atque hanc habui orationem,
Vti, tu quum redisses, ne tibi ejus copia esset.
ST. Euge! EP. ea jam domi est pro illâ. ST. teneo. EP. nunc auctorem
Dedit mihi ad hanc rem Apœcidem, is apud forum manet me;
Quasi cui emeret, caveat. ST. haud malè. EP. jam ipse cautor captu'st.
Ipse in meo collo tuus pater cruminam collocavit.
Is adornat, adveniens domi extemplò ut maritus fiat.
ST. Vno persuadebit modo, si illam, quæ adducta est mecum,
Mihi ademsit Orcus. EP. nunc ego hanc astutiam institui.
Deveniam ad lenonem domum egomet solus. eum ego docebo,
Si qui ad eum adveniant, ut sibi datum esse argentum dicat
Pro fidicinâ. argenti minas se habere quinquaginta.
Quippe ego qui nudiustertius meis manibus dinumeravi

Pro-

Pro illâ tuâ amicâ, quam pater suam filiam esse retur.
Ibi leno sceleratum caput suum imprudens alligabit,
Quasi pro illâ argentum acceperit, quæ tecum adducta nunc est.
CH. Vorsutior es, quàm rota figularis. EP. jam ego parabo
Aliquam dolosam fidicinam, nummo conducta quæ sit:
Quæ se emtam simulet, quæ senes duo docta ludificetur.
Eam ducet simul Apœcides ad tuum patrem. ST. ut paratè!
EP. Eam permeditatam meis dolis, astutijsque onustam
Mittam, sed nimis longum loquor: diu me estis demorati.
Hæc scitis jam, ut futura sint. abeo. ST. benè ambulato.
CH. Nimis doctus ille est ad malefaciendum. ST. me quidem certè
Servavit consilijs suis. CH. abeamus intrò hinc ad me.
ST. Atque aliquanto lubentius quàm abs te sum egressus intus.
Virtute atque auspicio Epidici cum prædâ in castra redeo.

VERSUS sunt tetrametri Hipponactei.

V. 1. FECISTI OFFIC.] dum mihi pecuniam emendæ fidicinæ dedisti. Ego etiam meum servi officium faciam, & te pecuniâ intervortam, senex. Nam ita sentit.

2. PER HANC CUR.] Adfine illi priori, *Per illam tibi copiam &c.*

2. HOC QUIDEM] [illegible] argentum in marsupio. Et hæc jam secum solus loquitur.

3. NISI QUID TIBI] Nisi partem usui tuo detrahas: L. Sed Acidalius non ad seipsum, sed ad herum absentem ait loqui Servum. ideo legit, *Ne quid tibi h. in spem referas. hoc hostium positum est.* i. in hostium potestatem venit. Et solet quidem uti Plautus hâc metaphorâ in fraudulentis servorum machinationibus: ut vel in hâc actione, quàm multa passim de re bellicâ mutuatur! Sed nolim tamen consensum omnium Codd. sic damnari, secutus Pareum: qui conjectaneum istud Acidalii retulit in contextum.

3. HOC OP. POSITUM EST] Hæc spectio albi asperique nummi valdè Scenam juverit. Itaque nolim Editorem Vang. novitium Acidalii audacem (ut ipse auctor eam appellat) mutationem recepisse.

4. CREDE MODO] Trau mir nur einer.

4. NOSTRI] sc. majores.

6. VT FACILEM] [illegible]. quàm facilem præbuit senex se noster & impetrabilem! *Cam. & Douza.* at Lamb. ad diem refert.

6. IMPETRABILEM] qui diu exspectatus feliciter cessit. *Impetrare*, [illegible], precibus assequi quod jure non licet, obnixè exorare. A *scopus annulorum impetrare* dictum l. 4. & 5. D. de jure aur. ann. Guther. 3. cap. 38. de jure Manium.

7. VT IMPORTEM] Allegoria, ducta à more veterum Rom. qui solebant commeatum ad exercitum in coloniâ aliquâ positum præsidii caussâ, impositum auspicatò portare, idque auspicatò faciebant, ne interciperetur. L.

9. QVID HIC AGITIS] ita V. C. & Pall. & Edd. vett. Pareus omisit *hic*.

12. DVM TIBI EGO PLAC. &c.] Ita Phædrus, Fab. 77. de Avaro:

Quid dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cælum fatigas sordido perjurio.

12. FLOCCI FACIO] *Flocci facere*, [illegible]. B Eunuch. act. 2: 3. *Non floccipendere.* Cic. ad Att. *Rempub. flocci non facere*. Flocci sunt illa [illegible] & particulæ in panno & velleribus eminentiores, quæ detondentur. Donatus & J. Rivius: *Floccifacere*, significat & contemnere, & non contemnere. *Flocci facit*, qui aliquâ ex parte contemnit: *Non flocci facit*, qui planè pro nihilo habet.

13. PERENTICIDAM] à perâ fecit jocans *perenticidam*: ut à parente fit *parenticida*: Cam. Q. d. Dum pater tuus crumenam, meis fallaciis adductus, toties exenterat; futurum est uti posthac non *Periphanes*, sed *Perenticida* nominetur.

14. VETERA ET VVLG.] Cod. Angl. *Vetula & vulgata verba.* Juven. *Quod mea cum vetulo*

Vetulo colecit puls annua libo. Catull. *Vetulo falerno:* Pontan. sed ei non accedunt Pall. aut V.C. multo minus Edd. vett. libuit tamen eo variare editionem suam Pareo.

15. PERATIM DUCTARE] *Ductare*, non *ductitate* aut *ductate*, est in MSS. Cam. & Lang. & omnibus meis. In illo MS. Cam. fuit etiam *peratum* & *follitum*. unde Cam. fecit *peratim*, & *follitim ductitate*. Jocatur autem in compilatum senem, cujus peræ & folles excuterentur. Mallem ego (inquit Douza) *peratim ductitare*: ut significaverit Epidicus, nihil curare se vulgo usitata *Dicendi genera, aut protrita vocabula rerum*. in quibus est illud, quòd servi non nauci protinus Triumphum se commeruisse, vel saltem *Ovatione* dignos deputant, si forte herum suum *peratim*, id est, perpauxilli argenti modo, & quantilli *peræ* unius laxitas sit capax, defraudaverint. Etenim sic, *Ductitare*, expono: q. dicas, argento circumducere. Suspicorque omnem sententiæ istiusce argutiolam in duobus adverbiis illis, *Peratim* & *Follitim*, hoc est, in modi sive mensuræ ejus differentiâ, quanta inter *peram* & *follem* est, consistere. Lambini (qui *peratum* & *follutum* leg.) commentationes non moror, qui ad supplicia patricidarum allusum hallucinatur, quos in *Peram* (quam ille itidem quasi *culleum* interpretatur) insutos, in profundum abjectari potiùs, quàm *in pergulam deportari*, moris fuisse didicimus. Hæc Douza. Colvio etiam (ad 4. Apul. Met.) *Follitim ductitare*, nihil aliud est quàm argento circumducere: quod id scilicet in folle servaretur. *follis* autem ditiorum, ut *pera* pauperiorum. unde tribuitur ferè medicis. Guther. 3. cap. 10. Manium.

19. INVENI VIAM] ita Grut. *Inveni viam*. nam docent præcedentia, inventam viam pridem. Vulg. *Inveniam*. hinc Acidal. dispessa tantùm voce, *Inveni jam*, quod in Aldina.

21. EA JAM DOMI EST PRO] Ed. Argent. *ea jam puella domi est*. quod rectius aliquantò putabat Meurs. MSS. Lang. & Fris. J. *esset. Euge ea jam domi est Pelta, teneo. Nunc ait.* nec longè aliter Pall. Parilina: *Euge eja jam domi est puella Thessala. EP. nunc ait.* Quorum quidem alterutrum, si mei arbitrii res sit, reciperem. adeò mihi in hâc fallaciâ placet ista sive *Thessala* sive *Pelia*. Cogita Lector. At Pistoris, Legendum, inquit, ex Venetâ:

——*tibique auxilium apparetur, inbens: jam ita s.* Nam jam inventum est. Cæterum hic post illa verba, *atque hanc habui orationem*, aliquot versus desiderari planè existimo. Nam quid ex istis verbis, *Uti tu cum redisses, ne tibi ejus copia esset*, colligi potest, nisi præcedant aliqua, quæ consilium servi pleniùs explicent? Quid deinde est, *ea jam domi est pro illâ*. Nam fidicinam illam non amplius amabat Stratippocles. neque eam Periphanes amotam cupiebat, ne filio ejus esset copia. illa autem, quæ mox infrà adducitur, domi nondum erat. Et quid est, *ad hanc rem*; nisi præcessisset aliquid, ex quo consilium servi intelligatur. omninò igitur corruptus est locus. MS. Cam. tamen hic integer est, habetque, uti edidimus, sed à manu secunda.

22. AUCTOREM] *Auctoris* est, cujus periculo & fide res geritur. ἀξιόπιστος. Ter. Eunuch. act. 2. 3.

——*jubeo, cogo atque impero.*
Nunquam defugiam autoritatem.

i. nunquam recusabo, quo minùs tu id auctore & impulsore me factum esse dicas. Veteres tamen edd. ferè *actorem*. non *auct.* agnoscunt: neque aliter pleriq; Pall. nisi quod habeat *cantorem*. restat tamen *auctorem* in sexto & V.C.

23. QUASI QUOI EMERET, CAVEAT.] quasi caveat ei, cui emeret, nempe Periphani. *Caveat*, id est, satis accipiat à lenone prædibus & prædiis. Atque ita quidem legit, & explicat Lambinus. Scaliger adscripsit oræ, *Quasi quæ emeret*. At Desid. Heraldus retinet lectionem vulgatam, quæ etiam in Pall: *in apud forum manet me, Quasique amaret: caveat!* hoc sensu: Me exspectat apud forum, quasi quæ amaret, id est, quasi amica, cui hora dicta est. Deinde addit, *Caveat!* quod minitantis est. Atque hanc quidem lect. notat etiam Gruterus in MS. Cam. sed interpretationem tantum rejicit,

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

Pareus autem hanc MS. lectionem sic explicat: Me exspectat apud forum, quasi studiosè id operam daret, ne videretur id libenter agere, quod unicè tamen agit. At noster Pistoris hæc rectissimè & legi & explicari à Lambino, contendit: & confirmari istis quæ habentur scenâ præcedenti: *EP. hic erit optimus: Hic pot.* Nam hæc Epidico modis om-

nibus tribuenda sunt, ut suadeat Apœcidem allegari ad emendam fidicinam. quod & fit. nam rectà ad forum it Apœcides. Ibidem, inquit, *vos operiar*: nempe, te *in foro*. quod hic Epid. *in foro manet me*. Et sc. seq. fidicinam Apœcides adducit. Ita omnia cohærent.

24. IPSE IN MEO C.] q. d. Frustra hæc cautio adhibetur, cùm pater tuus ipse crumenam potestati meæ permiserit, ut inde promam quantum velim: L. Vide Notas Truc. act. 3: 2.

27. ADEMPSIT ORCVS] wann sie der Teuffel holet.

29. SI QVI AD EVM ADVENIANT] Ita bene Camer. cùm prius ederetur, *si quidem ad eum devenam*, aut *veniam*. at Pall. *si quid ad eum adveniam*, quomodo & V. C. quod revocavit Pareus, nullo sensu.

30. MINAS SE HABERE QVINQVAGINTA] Atqui de *triginta* tantùm constat ex ult. Scenâ. Quærit Acidalius colorem & velum, quo tegat œconomiæ hunc errorem: sed utrum invenerit nescio. Dicamus interea, Epidicum vernili ingenio & jactantiâ summam apud alios verbis exaggerasse: quod solet fieri.

33. ALLIGABIT] Pareus notat *alligabit* hic scriptum antiquè loco *alligavit*. quod ineptum esse ac falsum, quivis videat puer. scuticam merebatur hæc stupiditas.

35. VORSVTIOR ES Q.] Rota figuli à vertendi facilitate propriè dicitur *versuta*. hinc

A tralatè dicimus *versutum*, qui vafer est & callidus, seque in omnes species astutè & promptè vertit. Cicero 3. de Nat. d. *Versutos eos appello, quorum mens celeriter versatur.* Huc pertinent ea Capt. act. 2: 3.

Vtroque versum rectum est ingenium meum:
Ad te atque ad illum pro rotâ uti me lices, &c.

Ita Suidas, γιγγλύμου πολυστροφώτερος, *cardine versatilior.*

36. DOLOSAM] falsam, & aliam ab eâ, quæ jam domi est: non illam, quam se empturum putat senex. L.

37. DOCTA] à me fallaciis instructa. Terent. Eun. *perdocta est probè*. MS. Cam. *doctè*.

38. ST. VT PARATE!] Acidal. censet, rectiùs laudari servi fabricam, si *peritè* legatur:

B quod dum Pareus editioni suæ infert, perperam rescripsit *paritè*, voce nihili.

39. PERMEDITATAM] perfectè meditatam. ita MS. Cam. & edd. vett. Sed Douza L. *præmeditatam*: ut est in Ald. & Colon. item Pall. plerique.

43. SERVAVIT] Acidal. L. *Servabit*. nondum enim servaverat: sed in eo erat ut servaret. & istud sterquilinio primæ editionis suæ intulit Pareus. secunda verò exhibet *servavit*, cum nota: Sic V. C. ἀρχαϊκῶς, pro *servait*. cave illi tamen homini credas, mi lector. nam in eo disertè est, *servabit*.

44. ALIQVANDO] i. aliquàm multò; non paullò. L.

ACTUS III. SCENA III.

PERIPHANES, APOECIDES, senes duo. SERVVS.

,, *NON ORIS CAVSSA modò homines æquum fuit*
,, *Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum:*
,, *Sed quî perspicere possent cor sapientiæ,*
,, *Igitur perspicere ut possint cordis copiam.*
,, *Vbi id inspexissent, cogitarent postea,*
,, *Vitam ut vixissent olim in adolescentiâ.*
Vel quasi egomet, qui dum filij caussâ cœperam
Ego me excruciare animi, quasi quid filius

Meus

Meus deliquisset med erga: aut quasi non plurimùm
Malefacta mea essent solida, in adolescentiâ.
„ *Profectò DELIRAMVS interdum senes.*
Fuit conducibile hoc, quidem meâ sententiâ.
Sed meus sodalis it cum prædâ Apœcides.
Venire salvum mercatorem gaudeo.
Quid fit? AP. dij deæque te adjuvant. PE. Omen placet.
AP. Quin omini omnes suppetunt res prosperæ.
Sed tu hanc intrò jubeas abduci. PE. heus! foras
Exite huc aliquis. duce istam intrò mulierem.
Atque audin'? SER. quid vis? PE. cave siris cum filiâ
Meâ copulari hanc, neque conspicere! jam tenes?
In ædiculam istanc seorsum concludi volo.
„ *DIVORTVNT mores virgini longè ac lupæ.*
„ *AP. Doctè & sapienter dicis. NON NIMIS potest*
„ *Pudicitiam quisquam suæ servare filiæ.*
Edepol næ istam temporè gnato tuo
Sumus præmercati. PE. quid jam? AP. quia dixit mihi
Iamdudum se alius tuum vidisse hic filium.
PE. Hanc edepol rem apparabat. AP. planè hercle hoc quidem est.
Næ tu habes servom graphicum, & quantivis pretij!
Non caru'st auro contra. ut ille fidicinam
Fecit nescire prorsus, se esse emtam tibi!
Ita ridibundam atque hilarem huc adduxit simul.
PE. Mirum, hoc qui potuit fieri! AP. te pro filio
Facturum dixit rem esse divinam domi,
Quia Thebis salvus redierit. PE. rectè instituit.
AP. Imò ipsus illi dixit, conductam esse eam,
Quæ hic administraret ad rem divinam tibi.
Facturum hoc dixit, rem esse divinam tibi domi.
Ego illic me autem sic assimulabam quasi
Stolidum, cum bardum me faciebam. EP. imò ita decet.
AP: Res magna amici apud forum agitur. ei volo
Ire advocatus. PE. at quæso, ubi erit ocium,
Revortere ad me extemplò. AP. continuò hîc ero.
„ *PE. NIHIL HOMINI amico est opportuno amicius.*
Sine tuo labore, quod velis, actum est tamen.
Ego si allegassem aliquem ad hoc negotium
Minus hominem doctum, minusque ad hanc rem callidum,
Os sublitum esset. itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritissumò.
Atque hæc STVLTITIA 'st, me illi vitio vortere,

Egomet quod factitavi in adolescentiâ:
Quum militabam, pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum aureis, quando occœperam.
Sed hic quis est, quem huc advenientem conspicor,
Suam qui undantem chlamydem quassando facit?

VErsvs sunt senarii.

V. 2. Non oris c.] De speculi utilitate præclara legas in 1. Apologiâ Apul. Seneca Nat. Q. 1:17. *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta: primo sui notitia: deinde & ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam; deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset, &c.* Martial. 9:17. *Consilium formæ speculum.* Vide Phædri Fab. 47. & 6. & inibi N. Rigaltium: item Mostell. act. 1:3.

3. Sed qui perspic.] Pareus edidit, *sed id qui persp.* quod ita invenisset in V.C. & Pall. minus tamen sincerè. nam Pall. omnes præferunt *sibi id qui* quod forsan etiam fuit in V. C. aut potius *si id qui*: factumque inde *sed id qui*; præcipitantia recensoris, qui oblitus delere *id.* sanè vett. edd. exhibent *si id qui*, quod est veteri ratione scribendi, *sed qui.* nam duplex iota constituere eis vocalem secundam, triginta exemplis reperias in Inscriptionibus Gruterianis. exempli caussa, *biinii miiriinti* notat *bene merenti: fiicit, fecit &c.* Pareanum istud versum præterea viriat.

3. Cor sapientiæ] i. sapientiam, quæ sit in corde sive animo. vel per hypallagen, sapientiam cordis. vel, cor sapientiæ: quomodo Ennius Cethegum *Suadæ medullam* dixit: L. Turneb. l. 12: 11. *Cor* Latinis prudentiam & sapientiam esse, cognomen *Corculi* satis ostendit: quemadmodum & *jecur*, in Epigr. Furii Bibuli, de Catone Grammatico:

En cor Zenodoti! en jecur Cratetis!

4. Igitur] pro, *postea*: vel, ut Donatus mavult, *denique*: L. Vide Not. Mostell. act. 2:1. Porrò Acidal. hunc vers. ut sententiæ turbatorem hinc ejicit, & collocat post illum, *Fuit conducib.* quem vide de particulâ *igitur* sic positâ non insciteè disputantem. & sic transposuit versum editio pr. Parei; contra omnes libros.

7. Vel quasi] i. ἄντικα: exempli caussa, Ut ego ipse, qui &c. *Quasi*, pro *quemadmodum*, etiam Lucr. dixit lib. 2. *Sed quasi naufragiis &c.* Id. l. 3.

Et quasi cum caput atque oculus tentante dolore
Læditur.

Cic. de Senect. *Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, avelluntur: si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.* Vide N. Stich. act. 4:1.

9. Mederga] ita MS. Cam. & v. c. *me derga.* Cum enim præpositiones postponerent, conjunctim efferebant.

9. Plurimum malefacta] ut illud, *parum fides*: Acid. V. N. Menæch. Prol. Sallust. Orat. Marci Trib. pl. *abunde libertatem rati, &c.*

10. Solida] Istud *solida*, converti debet ad *malefacta.* Sic Seneca alibi, *solidam* vocat *nequitiam*, quæ radices egit *Grut.* *Solida* dicuntur quæ nulla parte laxata cavàque sunt, *massif.* unde ad alia transfertur, quæ plena & integra. hinc Donato apud Terent. *solidum beneficium*, & *solidum infortunium* Plaut. V. N. Mercat. 1. 1. v. 21. Passer.

12. Fuit conducib.] sc. tale speculum habere.

13. Cum præda] venit cum fidicinâ filio ereptâ. Ita quidem senes arbitrantur: sed falso. L.

15. Ap. Dii deæq.] J. Gulielmius: Duas voces, *res prosperæ*, quæ scil. in vulgatis (etiam in MS. Cam. nisi quòd ibi *properæ*) leguntur è secundo versu in primum irrepsisse, propè dixerim scio: certè & offendunt ingratâ repetitione; & si absint, venustissimè constabit & sententiæ vis & versuum numerus: quos sic colloco:

Quid fit? AP. di deæq; te adjuvant. PE. omen placet.
AP. Quoi hominid omnis suppetunt res prosperæ.

Scio

Scio virum magum ad medicinam faciendam ante nos accurrisse: sed eum eâ ex portâ quâ non opus erat, excurrisse, hoc quoque scio. Hæc ille. Malit tamen Acid. quod veteres ait habere, *Cui omini omn.* Q.d. Meritò omen hoc tibi placet, quod prospera adducit omnia. Ita & sententiæ & versui melius censet consuli. Vel etiam: *Cui homini magis om. s.r. prosperæ?* prius Acid. recepit in contextum Pareus, sed minus dexterè: apparet enim ibi, *omnid.* quàm turpis lapsus! quam perversus versus! Quod nos exhibemus. *Quin omini omnes supp. res prosperæ*, est à prima manu in V.C. nisi quod is *propere*; emendatumque deinde, *Quoi homini* minus rectè. nam Pall. omnes, *cum homini omnes prosperæ res suppetunt.* vett. edd. *Quam omine omnes sup. r. prosperæ.* Editio ultima Parei nobis obtrusit *Quoi hominid omnes supp. res properè*, valdè ineptè. quid enim hic facit illud *properè*? aut quomodo tunc metro sui pedes?

17. SED TV HANC INTRO IVBEAS] Sic Cam. cùm reperisset in V.C. *iubeas*. nam Edd. vett. *jubes*. forsan fuit, *jubeßis*. uatu & Pall. omnes *jubes*.

19. SIRIS] pro *siveris*: à *sino*.

22. LVPÆ] i. meretrici. Catullus quoq; *lupanar* pro eadē dixit: ut Scal. ad Varr. docuit.

23. SAPIENTER] In MS. Cam. post hanc vocem lacuna est decem litterarum, non quod aliquid desit, sed quod linea una scribi non potuerit versus?

25. TEMPORE] tempestivè ante filium sumus mercati, J. Gulielm. Verisim. lib. 2. 19. *Tempori*, idem quod oportunè, tempestivè: idemq; sic efferebant, *tempore*: ut *heri, here*; *vesperi, vespere*; *luci luce*; *mani, mane*. V.N. Persâ act. 5. 1.

26. QVID IAM?] quid ita? quamobrem? L.

29. GRAPHICVM] *Graphicus*, ad unguem factus, venustus scitoque ingenio, & quasi pictoris manu expolitus. γράφειν, pingere: γραφίς, stilus, penicillus. Ovidius *graphium* vocat, quo in pugillaribus scribitur. *Graphis* etiam Budæo auctore, est lineamentorum ductus & umbratilis pictura futuri operis. Verius tamen putat Schoppius, *graphium* & *graphidem* idem valere. Ita, *graphicus nugator*, Bacchid. *graphicus fur*, item *graphicè exornari*, Trinummo. *graphicus mendicus*, Pseud. *graphicè factus*, Persâ. Hinc explicatur illud etiam Sticho act. 1. 1. *ex picturâ adstitit*. J. C. Scal. lib. 3. c. 32. Poet. verbo γραφικῶς, aut designavit Plautus, quod *hominem ad unguem factum* Horatius.

30. NON CARVM'ST AVRO CONTRA] Scaliger Conjectaneis; *Venire contra aurum*, est magno venire. ita enim veteres semper ferè dicebant, metaphorâ à lance momentaneâ, in quâ appendebatur æs. nam quod præponderat, id *contrà* esse, h.c. ἀντίρροπον dicebant: inde *æs contrarium* vocabant *æs grave*, auctore Festo: scilicet ἀντίρροπον. Plautus: *Talis te contra carus non est.* Varro: *Ubi* (sc. in sacrâ viâ) *poma veneunt contrà aurum.* Pall. habent *auro contra*, & sic initio V. C. sed recensor fecit inde *aurum*; quomodo tamen nulla editio vetustior. Turn. l. 30. c. 29. Mira, inquit, loquendi ratio. *Contrà carus non est.* Illud, *contrà*, valere mihi videtur, *si contrà appendatur*: vel, *pari pondere auri carus non esset*, &c. Curcul. act. 1. 3. Mil. act. 3. 1. Pseud. act. 2. 3 & alibi.

30. VT ILLE FIDICINAM] quo pacto ille excogitavit, ut fidicina existimaret, se emtam esse non tibi sed filio! L.

31. PRORSVS, SE] ita MS. Lang. sed in MS. Camer. & vetustiss. Edd. non apparent.

32. ITA RIDIB.] Jul. C. Scalig. lib. Poet. citat; *Illam ridibundam*: ut sit, *Illam ri-ve-* (vide ibid.) & sic Pall. omn. & edd. vett. sed MS. Camer. *Ita rid.* proculdubio melius.

35. RECTE INST.] L. malit, *rectam*. sc. viam: ut Asin. *Rectam instas viam.* sed repugnat V. C. in quo solo cum duobus seqq. hic versus a manu emendatoris ad marginem. Pareus tamen pr. Lambinianum retulit in contextum.

36. IPSVS ILLI] Epidicus fidicinæ.

38. FACTVRVM HOC] Hic versus disertiss. verbis ita legitur in MS. Cam. & habuit in suis etiam Lambinus. Teneatur igitur. Pareus expunxit & præcedentem versum longiorem fecit uno pede.

40. STOLIDVM] *Stolidi* vocantur non tam stulti & excordes, quàm tetri & molesti, illepidi, quos Gr. μοχθηροὺς καὶ φορτικοὺς dicunt: Ter. Scaurus. *Bardus à tarditate ingenij: à Græco, qui tardos βραδεῖς appellant*, auct. Festo. V. N. Bacch. act. 5. sc. 1. v. 1. Videtur translatum verbum à re rustica. *stolones* enim vocant agricolæ in arboribus fruticationem inutilem, inquit Plin. 1. cap. 1. undecunq; nomen Liciniæ genti. Ausonius certè Stoustè

pro *stolido stolonem* dixit, ut Plautus *fruticem*. A *Sed jam non potes ô stolo doceri.* Passerat. ad 2. el. 15. Propertii.

42. ADVOCATUS] Asconius: *Qui defendit alterũ in judicio, aut Patronus dicitur, si orator est: aut Advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico: aut Cognitor, si præsentis causam novit, & sic tuetur, ut suam.* vide P. Manut. Comment. in Epist. F. Cic. lib. 7. 10. item Pœnulo, act. 3. 6. Quod præmium Advocatorum fuerit, docet Lipsius ad C. Tacit. l. 11.

44. AMICO OPPORTVNO.] i. idoneo & utili.

44. AMICVS] MS. Cam. *amicitiæ*.

47. HOMINEM DOCTVM] V. C. Pall. & Edd. vett. *hominem quam doctum*, sed bene vocem illam ejecit Cam. tanquam turbantem & versum & sensum. malè revocavit Pareus.

48. ALBIS DENTIBVS] significatur cachinatio, & risus effusior; in quo dentes denudantur: *Cam.* Satagunt hîc viri docti in variatione lectionum. sed Gruterus vetat heic quicquam novari: facilè enim apparere lectiones illas ineptas originem duxisse ab veteri ratione scribendi *albis*.

50. ATQ. HÆC STVLTITIA] Acidal. hæc manifesto pugnare contendit: nisi loci totius versûs transponantur. Ego quidem contra consensum omn. librorum nihil ausus sum mutare. fecit id confidenter Pareus in editione prima, novitatum insigni aucupe.

52. PVGN. MEMORANDIS] ita MS. Camer. & Pall. & edd. omnes ante Pareanam, quæ admisit suspicionem Schoppii: *pugnis memorandus meis.* Sic Apul. Apol. 2. *Quis Palamedes, quis Sisyphus, quis denique Euribates, aut Phrynondas talem excogitasset? Omnes isti, quos nominavi, & si qui praeterea fuerunt dolo memorandi, si cum hâc unâ Rufini fallaciâ contendantur, macci prorsus & buccones videbuntur.*

53. ERADICABAM.] ita Horat. in Arte, de odioso recitatore:

——tenet occiditque legendo.

55. UNDANTEM CHLAMYDEM] Habitum incessumque gloriosi nimis pol graphicè expressit: ab Afranio item adumbratum, in Pompâ: *Tene tu: in medio nemo est: magnificè volo fluctuatim ire ad illum.* ubi *fluctuatim* pro *jactanter & solutè* sumptum exponitur à Nonio, rectissimè, judicio etiam Douzæ. Ita Virgilius de Ceiri inter Choros saltantium lasciviente:

Suspensam gaudens in corpore ludere vestem,
Et tumidos agitante sinus Aquilone relaxans.

Ita (verbis H. Junii) *Vestis undans* hic est, quæ in incessu crispatur, præsertim dum succussatur corpus. quâ ratione *undantes habenas* dixit Virgilius, 12. Æn. v. 471. quasi undatim crispantes, dum ab aurigâ commoventur. Vide Indic. Virgil. Nic. Erythræi, in *Undantem Cytoro buxum.* item Passeratium ad illud 1. el. 2. Propertii: *Et tenues Coa veste movere sinus.* Desid. Heraldus ad l. 2. Arnob. *fluctuatim incedere*, ait affine illis esse Arnobianis: *Lumborum crispitudine fluctuare*, l. 2. *Et clunibus fluctuare crispatu*, libr. 7. Contrà de incessu modesto ac minimè superfluo, (ut ἐν παρόδῳ dicam) perelegantia notat VVouvverius ad illud Petronii: *Quò oculorum mollis illa petulantia? quò incessus tutè compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia,* &c. B Seneca Nat. Q. l. 7. 31. *Tenero & molli incessu suspendimus gradum.* Firmicus libr. 8. cap. 7. *Molliter ambulantes vestigia sua cum delicatâ quâdam moderatione suspendunt.* Hieron. ad Eustath. *solutis genibus fractus incessus.* Idem: *ludentibus pedibus incedunt.*

55. CHLAMYDEM.] *Clamys* propriè militaris (Pseud. act. 2. 4.) aut viatoria vestis; sed & servorum aulicorum: ut docent J. Gul. Plaut. Quæst. & J. Lips. Elect. l. 1. c. 25. Nonius laudat hunc versum in *Quassare* ex Plauti Milite; ubi bene monet Jos. Mercerus, fortè legendum, *de milite.* Lexicon Parei fatuitatem suam propalat, dum ait: Est hominum gloriosorum crebrò motitantium pallium suum. aliud enim pallium, aliud chlamis: hæc fluctus facile imitetur; illud nunquam.

ACTUS

ACTUS III. SCENA IV.

MILES, PERIPHANES, FIDICINA.

CAVE præterbitas ullas ædis, quin roges,
Senex ubi habitat Periphanes Platenius.
Incertus tuum cave ad me retuleris pedem.
PE. Adolescens, si istunc hominem, quem tu quæritas,
Tibi commonstrasso, ecquam abs te inibo gratiam?
MI. Virtute belli armatus promerui, ut mihi
Omnes mortalis deceat agere gratias.
PE. Non repperisti, adolescens, tranquillum locum,
Vbi tuas virtutes explices, ut postulas.
„Nam STRENVIORI deterior si prædicat
„Suas pugnas; de illius ore fiunt sordidæ.
Sed istum quem quæris Periphanem Platenium,
Ego sum, si quid vis. MI. nempe quem in adolescentia
Memorant apud reges armis, arte duellica
Divitias magnas indeptum? PE. imò si audias
Meas pugnas, fugias manibus demissis domum.
MI. Pol ego magis unum quæro, meas cui prædicem,
Quàm illum qui memoret suas mihi. PE. hic non est locus:
Quin tu alium quæras, cui centones farcias.
MI. Animum advorte, ut, quod ego ad te venio, intellegas.
Meam amicam audivi te esse mercatum. PE. attate.
Nunc demum scio ego hunc, qui sit; quem dudum Epidicus
Mihi prædicavit militem. adolescens, ita'st
Vt dicis. emi. MI. volo te verbis pauculis,
Si tibi molestum non est. PE. non edepol scio:
Molestum non est, nisi dicis quid velis.
MI. Mihi illam ut tramittas: argentum accipias.
PE. Habeas. MI. nam quid ego apud te parcam proloqui?
Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ sit. PE. te absolvam brevi:
Argenti quinquaginta mihi illa empta est minis.
Si sexaginta mihi denumerantur minæ,
Tuas possidebit mulier faxo ferias:
Atque ita profectò, ut eam ex hoc exoneres agro.
MI. Estne empta mihi hæc? PE. istis legibus habeas licet.

MI. Con-

MI. Conciliavisti pulchrè. PE. heus, foras educite
Quam introduxistis fidicinam. atque etiam fides,
Et quæ accessere, tibi addam dono gratiis.
Age accipe hanc sis. MI. quæ intemperiæ te tenent?
Quas tu mihi tenebras cudis? quin tu fidicinam
Produci intus jubes! PE. hæc ergo est fidicina.
Hic alia nulla'st. MI. non mihi nugari potes.
Quin tu huc producis fidicinam Acropolistidem!
PE. Hæc, inquam, est. MI. non hæc, inquam, est: non novisse me
Meam rere amicam posse? PE. hanc, inquam, filius
Meus deperibat fidicinam. MI. hæc non est ea.
PE. Quid? non est? MI. non est. PE. unde hæc igitur gentium est?
Equidem hercle argentum pro hâc dedi. MI. stultè datum
Reor, & peccatum largiter. PE. imò hæc ea'st.
Nam servum misi, qui sectari solet meum
Gnatum. ipse hanc emit fidicinam. MI. hem! istic homo
Articulatim te concidit, senex, tuus
Servus. PE. quid? concidit? MI. nihil *: sic suspicio'st.*
Nam pro fidicinâ hæc supposita est tibi.
Senex, tibi os est sublitum planè & probè.
PE. Ego illam requiram jam, ubi ubi est. bellator, vale!
Euge! frugi, Epidice, frugi es! pugnâsti. homo es,
Qui me emunxisti mucidum, minimi pretî.
Mercatus te hodie est de lenone Apœcides?
Ehodum! FI. ego istunc hominem nunquam audivi ante hunc diem,
Neque me quidem emere quisquam ullâ pecuniâ
Potuit: plus jam sum libera quinquennium.
PE. Quid tibi negocij est meæ domi igitur? FI. audies.
Conducta veni, ut fidibus cantarem seni,
Dum rem divinam faceret. PE. fateor me omnium
Hominum esse Athenis Atticis minimi pretî.
Sed tu novistin' fidicinam Acropolistidem?
FI. Tam facilè, quàm me. PE. ubi habitat? FI. postquam libera'st, ubi
Habitet dum, incertò scio. PE. eho! ain'? quis eam liberaverit,
Volo scire, si scis. FI. id quod audivi, audies.
Stratippoclem audivi Periphani filium
Absentem curavisse ut fieret libera.
PE. Perij hercle, si istæc vera sunt. planissimè
Meum exenteravit Epidicus marsupium.
FI. Hæc sic audivi: nunquid me vis cæterum?
PE. Malo cruciatu ut pereas, atque abeas citò.
FI. Fides non reddis? PE. neque fides, neque tibias.

Propera

Propem igitur fugere hinc, si te dij amant. FI. abiero.
Flagitio cum majore post reddes tamen.
PE. Quid nunc? qui in tantis positus sum sententiis,
Eumne ego sinam impunè? imò etiamsi alterum
Tantum perdundum est, perdam potius, quàm sinam
Me impunè irrisum esse habitum, depeculatum eis.
Sic mihi data esse verba præsenti palàm!
Atque me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque jurium fictor, conditor cluet.
„Is etiam sese sapere memorat; MALLEVM
*„Sapientiorem ***manubrio.*

PRÆMITTIT Miles puerum, qui perconteur, ubi Periphanes habitet. quem *Platenium* cognominat, quasi indicio populi, cujus ille esset: ut [illegible] *Cam.*

6. VIRTVTE BELLI] *Belli*, ut *domi*. Varro apud Nonium: *sem militiai munera belli ut præstarem.* V. N. Amph. act. 2: 2. inprimis Prol. Capt.

10. NAM STRENVIORI] Vide Cic. l. 5. Epist. F. 12. ad Lucceium. Et Plutarch. in lib. *Quâ quis ratione citra invidiam se laudare possit.* Tritum est: *Laus in suo cujusque ore sordescit.* è L. Cato & Plinius *strenuissimos milites* dixerunt.

11. DE ILLIVS ORE FIVNT SORDIDÆ] Ita vett. edd. & ab correctoris manu solus Pal. sextus, cùm prius fuisset, *de illius ore Erunt ordine.* at pr. *de illius ore fiunt ordine sordidæ.* sec. *de illius ille fiunt ordine sordida.* cert. *de ille illius fiunt ordine.* quart. *de illius ille fiunt ordine.* V. C. *de illius ille fiunt sordidæ*, quomodo & Langiani quæ prodidi, ne quis Parei notis adhibeat fidem, affirmantis lectionem vulgatam præstare in plerisque Palatinis.

13. MI. NEMPE] Hoc abesse in Langianis Acidalius ait, atque inde scribendum suspicatur, *quemne*, formâ Plauto familiari. Catullus: *quemne ipsa reliqui?* Tamen illud *Nempe* in MS. Cam. & omnib. meis est.

16. MANIBVS DEMISSIS] Lamb. & MS. Camer. leg. *dimissis.* Sed in omnibus meis est *demiss.* quod ita etiam Cam. edidit; & præfert Douza, quem vide Centur. l. 2. c. 16. *Fugere autem demissis manibus*, est contentissimo cursu fugere. nam tales solent manus dimittere & jactare: quod Gr. dicunt παρασείειν τὰ χεῖρας. Aristot. docet, eos citiùs currere, qui demissis manibus currunt. Pseud. act. 3. 1. Casaub. quoque Comm. in Theoph. notat, *Fugere demissis manibus.* Aristot. esse φεύγειν παρασείοντα. Cõtentiùs enim currimus, manus demissas habentes, & circum latera jactantes.

19. QVIN TV ALIVM QVÆRAS] Eleganter quidem Camerariana, *Proin tu al.* sed præter Edd. vett. & V. C & Pall. & Lang. & Samb. in quibus extat nostrum: & est stomachosius priore.

19. CVI CENTONES FARCIAS.] fartias omnes edd. vett. & omnes MSS. Pall. ac Lambini. *Centones sarcire*, est sua facinora particulatim aliis recitare: vel, gloriosis mendaciis & consarcinatis fabulamentis alium explere. Nonnulli tamen legunt, *sarcias*: quod Lambino non displicet: etsi nihil mutat contrà consensum Codd. Etiam Meursius *sarcias* mavult. quæ Acidalius è superiori scenâ hic attexit, mirari quàm imitari malim. reperiat obsequentem Pareum. qui tamen, pro ingenii sui stulta levitate, postrema editione ordinem iterum nostrum sequitur: ante nihilominus expressè protestatus: Hos versus ex superiore scena huc trajecit Acidalius, verissimè. O veritas quantum pateris!

21. ATTATÆ] Interjectio expavescentis, seu re aliquâ exspectatâ gestientis. L.

26. NISI DICIS, QVID VELIS] Douza l. *quod velim*: hoc sensu: Haud edepol scio, utrum odiosa mihi allocutio tua eventura sit, nec ne. hoc scio, molestum mihi non fore, si quod voluptati fuerit, edissertaveris. Ita Aul. 2: 2. *Quæso quod te*, &c. At verò

J. Guliel. Plaut. Quæst. cap. 2. ita distinguit;

Si tibi molestum non est. PE. non, edepol scio:
Molestum non est mihi, si dicis quid velis.

Quærebat miles, an molestum esset operam sermoni dare suo. Non est, &c. Sed nos, de sententia Gruteri, MSti Cam. lectionem repræsentavimus, quæ facilè aliorum emendationes excludit, *nisi dicis, quid velis.* ut velit: Molesta non erit oratio, si dixeris quæ ego velim; sin quæ tu velis, erit molesta. Itaque est & in MSS. Pall. & Lang. & Edd. vett. Camer. *mihi si dicis quid velis.*

33. POSSIDEBIT M. F. FERIAS.] Hæc mulier tuarum feriarum, tuique otii erit particeps. significat, militem esse feriatum, &c. I. Probatum & Turnebo, ad illud Cic. 2. de Leg. *quia mortui residentur*, i. quia feriamur mortuis. At J. Douza leg. *serias*, & accipit pro vasis æs aut argentum aut aliquid simile continentibus, quas Periphanes Militi polliceatur fore, ut fidicina sua (quam Acropolistidem esse putat) amica ejus possideat, si sexaginta sibi denumerentur minæ præsentariæ, & fide Græcâ. Ergò *Possidebit serias*, nihil aliud fuerit, quàm seriarum, i. pecuniæ tuæ in serias conditæ possestrix futura est. Quò etiam facit Persianum illud: *Sub rastro crepit argenti mihi seria, dextro Hercule.* atque idipsum sequentia insuper *de agro, haud secus ac seriâ, aliquâ, exonerando*, disertissimè confirmant. Nisi si quis, inquit idem, *obsidebit* pro *possidebit* legi mavelit: & *serias* istas, fictilia, in quibus carnes muriâ conditæ ad usûs diuturnitatem adservabantur; aut *vasa* etiam *vinaria* interpretari: ut intelligas; illam imposterum de penu Militis potiùs quam Periphanis, cuticulam curaturam. Quæ tamen omnia gerras germanas esse pertendit Acidalius, quem mihi vide Capt. act. 3. 1. & verò conjectaneum Acid. admisit in contextum Pareus: *Tuas post sedebit m. saxo serias*: contra V. C. & Pall. & Edd. vett.

34. EAM EX HOC AGRO] q. d. meam domum edaci & inutili muliere, tanquam onere leves. vel *Agrum* accipe pro tota terrâ Atticâ. & est hypallage, pro, hunc agrum eâ exoneres. L. Gruterus putat sermonem esse metaphoricum; ac per ferias intelligi otium feriatum, quo abundatura sit apud Militem. unde

A supra Casinâ: *meus festus dies, meus pullus*, &c. nec aliter Terent. Eunucho. act. 4. scen. 4. *festus dies hominis.* consulatur Martialis libr. 3. 47. Symmachus libr. 1. ep. 1. libr. 3. ep. 81. Sic noster Milite: *quia se jampridem feriatam gestitem* Captiv. *esuriales ferias*, &c. Quòd verò addit de *agro*; alludit amplius ad morem festorum, quæ erant vel publica vel privata: & hæc quidem transferebantur de familiâ in familiam, de agro in agrum: immò impetrabantur ab Sacerdotibus atque Impp. Quæ omnia luculentiùs persequutus est Grut. in *Excerptis*: quæ tamen heic non vult propriè habere locum; sed ea potius quæ leguntur aliquot legibus apud Justinianum ff. de servis exportandis.

35. MI. ESTNE E. MIHI HÆC? PE.] MSS. Cam & Lang. *Estne empta tibi hæc istis legibus? PE. hab.* quod mihi non reiculum. falsa interim nota Parei, quæ vult Palat. primum solummodo exhibere illud *mihi*: reliquos *tibi.* imò omnes ad unum propugnant alterum; neque secus Edd. vett. omnes inquam præterunt *mihi.*

36 EDUCITE. INTRODUXISTIS.] ita MSS. Pall. & Cam. & Lang. item Edd. vett. imperæ
B enim *introduxisti.*

36. CONCILIAVISTI P.] *Benè, ac pulchrè conciliare*, est vili emere: contra, *Malè conciliare*, carè & magno pretio. Omnis enim conventio est conciliatio: *Donatus.* V. N. Pseud. act. 1. 2.

37. FIDES] citharam.

38. GRATIIS] χαρισάμενος σοι. *Gratiis*, pro *gratis*. utitur hic Alin. Prol. Ter. Phorm. act. 3. 2. alibi. sic *ingratiis*, quo Cicero in Quintianâ, act. 6. Verrinâ, & frequenter Plautus, interdum & Terent. utitur, ut Eunuch. act. 2. 1. *ingratiis ut dormiam*, i. invitus, velim nolim: Turn. l. 24 31. & G. Fabricius, V. N. Cas. act. 2. 5.

40. TEREBRAS CUDIS?] ita edd. omnes usque ad Camer. nec damnant Grut. & Meursius: & eò vergit scriptura V. C. in quo tantum ab emendatrice manu *trudis*. quod admisit Cam. & Lamb. quasi fuerit, *obtrudis*. & verò illud *trudis* etiam visitur in Pall. omnibus. Verum Scaliger ad hunc locum manu sua scripsisse, *terebras trudis?* ut fortè respexerit ad illud Bacch. 1. 2. v. 81: *at terebrat!*

50. NAM SERVUM MISI] Repræsentavi A editionem Cam. quam omnium MSS. consensu firmatam Lambinus adserit. Janus autem Gulielmius, Hos versus, inquit, sic verissimè reconcinno:

Nam servum misi, qui sectari meum solet
Gnatum: ipse hanc in eo articulo emit. MI. bem isth' e h.

Istud, *fidicinam*, glossema est manifestum. Hoc dicit senex: Jussisse se servum suum emere Aeropolistidem, ab illo hanc eo ipso articulo temporis, quo jussus erat, emptam esse. Ad illa verba alludens Miles, articulatim ait senem à servo concilium esse. Non dissimiliter Adelphis Ter. est: *Ut in ipso articulo oppressit*. Ornamentum luculentum hic exciderat. Hæc ille. Alciatus quoque in Parerg. lectionem Edd. Paris. retinens legit, *ipsi hanc meo articulo emit*, i. meis quasi digitis. Licitationes enim micantibus & sublatis digitis ait fieri consuevisse: unde & *mancipes* dictos. Hæc vera quidem: sed nihil ad hunc locum, Lambino judice. Cæterum, *meo articulo*, nec est in Lang. nec in Pall. aut V.C imò ne quidē in edd. duabus Merulæ. excogitavit eam Pius, recepitque primum Sarracenus. nam Pii editio ut & Merulanæ, & MSS. nostri omnes & B versu isto lacunam habent aliquot literarum, & sequenti multo adhuc grandiorem.

51. NIHIL: SIC SUSPICIO EST.] ita MS. Lang. itaque ed. Cam. sed Lamb. *nihil: sed susp.* & addit; *Nihil*, non planè negare: sed extenuandi ejus, quod gravius dixerat, gratià positum esse, &c. Grut. notat in MS. Cam. legi, *PE. quid? concidit? MIL. sic suspicio est*: eleganter. Sed velim nunc os meum & hypocrisin videat Gruterus aliquis. scio probaret illud; *nihil: sic suspicio est*. In scenà potui ostendere; verbis memorare non possum: ut multa hujus notæ alia. Certè peculiaris aliqua Venus est in illo, *nihil*. Ille quid si in MS. fuit? nam rasura ibi est, neque tam ibidem comparet *Mil*, quam *mi*. Meursius è conjecturà hæc ita corrigit: *PE. quid? concidit? MI. mihi sic suspicio est*. Eadem & Heinsius conjecerat: item Acidalius. sed, ut verum dicam, in edd. meis antt. nec illud *nihil*, nec hoc *mihi* apparet: imò nullus agnoscit Palatinorum quinque. retinendum tamen, *nihil* versus caussa.

55. FIDICINA HÆC] Sic solùm libri scripti & vett. edd. Aldus intrusit *illa hæc nunc*. Cam. *fid. illæc, hæc*. sed quid si fuit? *fidicina hæcce*. nihil enim frequentius quàm sustineri literam ante asperationem.

56. PE. EGO ILLAM R.] ita Meurs. è vet. ed. personas restituit, aptissime.

57. EUGE! FRUGI EPIDICE, FRUGI ES] ita MSS. Cam. & Pall omnes & vett Edd. elegantissimè. Pareus tamen contra universitatem librorum suorum retinuit nuper vulgatum. *Euge! euge! Epidice, frugi es.* quod præ altero bliteum.

58. QUI ME EMUNXISTI] Metaphora servilis & jocosa. Græcis ἀπομύττειν. Me, tanquam puerulum, cujus nasus mucoris plenus, omnisque consilii expers est, delusum argento spoliasti. Phorm. act. 4. 4. *Emunxi argento senes. L.*

60. EHODUM. FI. EGO] ita Lamb. & Acidal. hanc vocem interroganti & urgenti seni adhuc relinquunt. quamvis eam versus respuat: sine vitio tamen: cum ejusmodi voces sæpiùs extra versuum mensuram (quod & in Græcis observârunt) adjiciantur. Idem tamen Acid. divinabat etiam: *FI. Ego dum illi*. quod illico arripuit aviditas Parei editione pr. revomuitque secunda; infelicis stomachi Criticaster.

65. ATHEN. ATTICIS] ut distinguat ab aliis Athenis, quarum quinque sex recenset Stephanus. Vide Not. Mil. act. 2. 1.

68. UBI HABITET] Acidalius & versum hunc & superiorem corrumpi putabat, admisso verbo *habitet*, itaque abjici posse ceu glossema. nec mora; in malam rem abire jussit editio pr. Parei. male omnino. nam agnoscunt id omnes libri cusi scriptique: neque corrumpit versus, nostra quidem positione, quam ne in ultima quidem sua, sequi potuit ille noster Palæmon.

68. EHO, AIN? QUIS EAM] Codic. Anglic. *eho an quis*. hinc Pom. hoc fecit; *ehò, ain? quis eam?* itaque & Grut. è vestigiis MS. Cam. olim conjecerat: in quo lacuna est.

73. FLAGITIO.] i. efflagitatione, convitio seu pipulo potiùs, & quidem muliebri: non, dedecore; ut vult Monstrolensis: *Dou-*

za. V.N. Mercat. act. 2:3. inprimis Curc. act. 3.

79. QUI IN TANTIS POSITUS S. SENTENTIIS] Lambinus horum verborum quinque sex affert sententias, ad ultimam Camer. alludit. Qui tantus & tam sapiens vir habeor, ut mea dicta tanquam sententiæ graves vulgò celebrentur. vel certè, qui in tantâ hominum existimatione sum. Lambinus quidem istam putat omnium subtilissimam: Qui me tot tantisque damnis affectum esse sentio. ut joco alludat ad verb. *sentiendi*, à quo *sententia* dicta est Sim. Ulr. Pistoris existimat Lambinum inter sex interpretationes non posuisse tamen veram: & simpliciter accipiendum: Qui tam varia in mente agito: qui tam varias sententias habeo: ea formâ, quâ Cistell. act. 2: 1. legitur: *Ita mihi omnia ingenia sunt: quod lubet, non lubet*, &c. Et supra sc. 1. *Quot illic homo animos habet?* de eo, qui plus unâ amabat. Mercatore; *Ita animus in pectore incerti certant decem.*

80. EUMNE EGO.] Acidal. retinendum *eum*, quod vett. edit. habent, pertendit; & orationem irati senis interruptam ita explendam: Eumne servum impunè sinam derisui me habere? vel simili modo. Qui *eam* fecerunt, & *pecuniam*, sive *injuriam* interpretati sunt, errare autumat: cui & calculum suum adjicit Minerva nostra Pareus. dum notat: *Eumnè*) V.C. & Pall. *Eamnè*. sed alterum rectum est. Quare rectum est quæso? imò rectum non est. alioqui retinuisset id Camerarius, cùm antea sic passim legeretur. sciebat enim natum è cerebro Baptistæ Pii. sanè editiones primæ etiam servant *eamne*. & vero simile est rescribendum *eanè*. sæpius enim in MSS. visitur *n* supervacuum. sic habuere supra *instans*, pro *instas*, Asin 1.1.v.39. *lanterna* pro *laterna*, Aul.3.6.v.30. &c.

81. ALTERUM TANT.] Hirtius: *Auxiliares accedebant alterum tantum prope.*

82. IRRISUM ESSE. H.] ita V. edd. & MS. Cam.

82. DEPECULATUM EIS] ab eis: ἀπὸ τούτων: *L.* At Is. Pontanus legit, *meis*, sc. Epidico & Stratippocle filio. quod Pareus statim A invasit editione prima, sed præter omnes suos MSS. & Edd. vett. itaque sequenti turpius ejecit, quàm initio admiserat.

84. ATQ. ME MINORIS] Suspicari possumus hæc ex alicujus priorum Poetarum fabulâ quâpiam jocosè inserta à Plauto. *Cam.*

85. LEGUM ATQ. JUR.] Corn. Severus in obit. Cic. *Vindex ille fori, legum juruque togæque*. ita Cyprian. dixit *jura legesque*. Cato apud Carisium lib. 1. *jurum legumque cultores*. Amant enim hæc duo conjungi. & vero illud *jurum* extat in Edd. Vett. in V. C. in plerisque Pall. neque abeunt ceteri, quàm quod ii *virum*.

85. FICTOR, CONDITOR] ἀσυνδέτως. *fictor*, i. scriptor & quasi compositor: *L.* Douza F. *Juris*, inquit, *conditores*, dici Jurisconsultos, quibus auctoritas à Principe data erat jura condendi, obviam satis est. Credo tamen ita ambiguè id prolatum à Periphane, ut *conditor* penult. longâ intelligi posset, respectu ad *jurium* notionem vulgarem. In eadem ambiguitate videtur lusisse & Arnob. l. 7. *Cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit, quid cum libu, quid diversis cum fratribus confectionis jure multiplici atque impensarum varietate conditis.* Unde & confirmari posse videatur hæc lectio Pœn. act. 3, 2.

B *Hodie juris coctores non sunt, qui lites creant.*

87. SAPIENTIOREM ** MAN.] Comicè & εἰρωνικῶς significat Periphanes, Apœcidem se esse sapientiorem: ut malleus plus sapit, quam manubrium. Malleus enim plus quidem efficit in manibus fabrûm, quam manubrium: sed hoc illo sapientius est: nam & malleus sine manubrio inutilis est, & manubrium malleo dat facultatem quid efficiendi. Hinc Proverb. in Aulul. *Eximere è manu manubrium*. Ita à Lamb. hæc explicata sunt. qui & in uno MS. legi affirmavit, *Sap. scilicet manubrio*. Judicent eruditi. Camerari quidem scriptura hic lacunata est ut & Pall omnium, & Edd. vett. recentt. quidvis aliud quam illud *scilicet esse*, agnoscunt: quod ego glossema arbitror.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA I.

PHILIPPA mulier, PERIPHANES, senex.

Si quid est homini miseriarum, quod miserescat, miser ex animo est.
Id ego experior, cui multa in unum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulsant simul: multiplex ærumna me exercitam habet: paupertas,
Pavor territat mentem animi, neque ubi meas collocem spes,
Habeo usquam munitum locum. ita gnata mea hostium est potita:
Neque ea nunc ubi sit nescio. PE. quis illæc est mulier, timido
Pectore peregrè adveniens, quæ ipsa se miseratur? MV. in his dictus est
Locis habitare mihi Periphanes. PE. me nominat hæc: credo ego
Illi hospitio usus venit. MV. pervelim mercedem dare,
Qui monstret eum mihi hominem, aut ubi habitet. PE. noscito ego hanc.
Nam videor, nescio ubi, me vidisse prius. estne ea, an non
Est, quam animus retur meus? MV. di boni! visitavi antidhac.
PE. Certè ea est, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.
MV. Planè hic ille est, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam
Pepulit. PE. quæ meo compressu peperit filiam, quam domi
Nunc habeo. MV. quid si adeam? PE. haud scio an congrediar, si hæc ea est.
MV. Sin est is homo, sicut anni multi me dubiam dant. PE. longa
Dies meum incertat animum. sin ea est, quam incertò autumo, hanc
Congrediar astu. MV. muliebris adhibenda mihi malitia nunc est.
PE. Compellabo. MV. orationis aciem contrà conferam.
PE. Salva sis! MV. salutem accipio mihi & meis. PE. quid cæterum?
MV. Salvus sis: quod credidisti, reddo. PE. haud accuso fidem.
Novin' ego te? MV. si ego te novi, animum inducam uti noveris.
PE. Vbi te visitavi? MV. iniquè injurius. PE. quid jam? MV. quia
Tuæ memoriæ interpretari me æquum censes. PE. commodè
Fabulata es. MV. mira memoras. PE. hem! istuc rectius.
Meministin'? MV. memini id. PE. in Epidauro. MV. ah! guttulâ
Pectus ardens mihi aspersisti. PE. virgini pauperculæ,
Tuæque matri me levare paupertatem. MV. tun' is es,
Qui per voluptatem tuam, in me ærumnam obsevisti gravem?
PE. Ego sum. salve. MV. salva sum, quia te esse salvum sentio.
PE. Cedo manum! MV. accipe. ærumnosam & miseriarum compotem
Mulierem retines. PE. quid est, quòd vultus te turbat tuus?
MV. Filiam, quam ex te suscepi. PE. quid eam? MV. eductam perdidi.
Hostium est potita. PE. habe animum lenem, & tranquillum face:
Domi meæ eccam salvam & sanam. nam postquam audivi illico
Ex meo servo, illam esse captivam, continuò argentum dedi

Vt emeretur. ille eam rem adeò sobriè & frugaliter
Accuravit, ut alias res est impensè improbus.
MY. Fac videam, si me vis vivere. *PE. eho Canthara! statim jube*
Acropolistidem prodire filiam ante ædis meam,
Vt suam videat matrem. MV. remigrat animus nunc demum mihi.

VErsvs sunt tetrametri plerique catalectici. Primi XIX. inconcinniores & recidentes ad Hipponacteorum formam: reliqui τροχαΐζοντες. A

V. 1. Si qvid est h.] Douza l. *Si quid est homini miseriarum, quod miserescat, misera ex animo Id ego experior. Quod miserescat*, i. propter quod miser fiat homo. Jam, *Misera ex animo*, Phrasis Plauto usitata: ut Sticho, act. 1: 1. *Credo ego miseram fuisse Penelopam suo ex animo.* Sed & Lucr.
Qui miser ex animo est, lætatur corpore toto.
(von Hertzen betrübt) Nisi tamen per caussam antiquitatis τὸ Miser communis generis hìc esse dicatur. quomodo *pauper domus*, apud Virgil. *pauperes res* apud nostrum. At Meursius malit è v.c. *Si quid est h. m. q. miserescat, ex animo Id ego experior.* Parisinus quidem τὸ *miser* non habet; cæteri tamen omnes scripti cusiq;. nihilominus Pareus editionem illam suam variegatam isto emblemate compsit. verùm ultima rediit ad antiquas. quis Euripus eo inconstantior?

3. Mvlt. ærvmna me ex.] Ita J. Gul. & D. F. Opinor [illegible] edd. antiquis, quæ ferè *ærumnam.*

4. Mentem animi] præstantissimam & intimam animi partem. ὡς ἐν σώματι ὄψις, οὕτω νοῦς ἐν ψυχῇ, inquit Aristot. Hæc autem sæpissimè ita conjuncta à bonis scriptoribus leguntur. Bacch. act. 3: 4. *Satin' ego animi mentem sinceram gero?* Lucret. libr. 5.
——*animi vix mente videtur.*
lib. 4.
Mens animi vigilat. lib. 6: *Perturbata animi mens in mærore metuque.*
Catullus:
Mens animi tantis fluctuat ipsa malis.
Virg. 6. Æneid.
——*magnam cui mentem animumque*
Delius inspirat vates.
Sic idem *amentem animi* Didonem dixit. sic, *Ingenium animi*, dixit Poeta quidam vetus, apud Cornif. l. 2. ad Herenn. *Sin inhertem nundum animi ingenium possidet.* Passeratius ad Catull.

5. Hostivm est potita] capta est ab hostibus. ita v. ab hinc 30. item Capt. act. 1: 1. ubi Notas vide. ita, *Potiri herorum*, est in herorum potestatem venire, de quo Palm. Spicileg. Apud Cic. 1. Tuscul. *potitur fatorum*, pro moritur: Turnebus. Ita in Papiniani responso, l. *quod si.* de Captivis, &c. *Exinde sui juris videtur fuisse, ex quo pater hostium potitus est.* Tryphon. l. in bello, eodem titulo: *Cætera quæ in jure sunt, postea quàm postliminio redit, pro eo habentur, ac si nunquam iste hostium potitus fuisset.* Vide Stevvech. ad Veget. item Cujac. ad l. 49. Dig. tit. 15. L. 11. *Potiri mali*, pro opprimi à malo, & in ejus tanquam potestatem venire, dixisse Ter. Phorm. act. 3: 1. J. Guliel. docet.

7. Se miseratvr] miseràm se miserè ac dolenter prædicat sive lamentatur. Sallust. Catil. *miserari parvos liberos.* Vide N. Rud. act. 1: 3. B

9. Hospitio vsvs invenit] ita V. C. & MSS. Pall. & Edd. primæ. Sed Lamb. l. *evenit.* Q. d. evenit illi, ut opus sit ei hospitio. Parisin. *usus venit.* alius; *usus inerit.* hinc Meurs. f. *usus fuerit.* sed sciendum est, & *inerit*, & *venit*, manasse à conjectura Bapt. Pii. Meursianum tamen invasit editio Parei pr. remisit secunda. quam infaustus raptor! Scaliger notavit ad marginem *usus venit*, & arbitrer melius.

10. Noscito] nosse incipio. L. D.

11. Me vidisse] *me*, supervacaneum quasi est. Lucret. *Quippe etenim quàm multa tibi me fingere possim.* Aul. act. 5.

12. Visitavi] sæpiùs hunc vidi: ut hinc non longè. Curcul. act. 2: 3. *annuo visit æsse*, i. frequenter vidisse. Contrà *invisitatus*, i. non sæpè visus, haud semel apud Livium est, teste etiam Lipsio; apud Apulejum, Colvio. qui etiam *invidere*, pro non videre, præstat:

Et

A Et *invisus*, pro non visus, Cic. dixit, in Orat. super Arusp. Responsis: *Non invisa solum sed etiam inaudita sacra*: notante Scaligero contra Erasmum. Ita Apul. 5. Met. *Quidam introcessit & cantavit invisus: & alius citharâ pulsavit, quæ videbatur nec ipsa.* Gloss. vetus: *Invisus, ἀόρατος, μισητός.* Lexicon Græcolat. *ἀόρατος, invisibilis, inadspicabilis.* cui non absimili formâ Auson. dixit, *inaspicuus.* Ita Sen. *Castam te putas, quia invisa meretrix es:* Gruterus. In MS. Camer. post *ἡ visitari*, lacuna est XV. litterarum: non etiam in Pall.

13. CERTE EA EST] Et hîc vacat aliquid in eodem libro quod caperet litteras XX. ut & in Pal. tertio, quarto: ne quis fortè hîc credat Pareo, affirmanti idem de ceteris.

14. PUDICITIAM PEPULIT.] ita MSS. Cam. & Pall. & edd. vett. i. virginitatem mihi eripuit. Livius: *Expugnavit decus muliebre*: quod Cæcilius, *hymenem virginis deintegrare*: & Apul. *interficere virginitatem*, dixit. Rigaltius in Notis ad Onosandri Strategicum, Viri, inquit, doctissimi, verecundiam pulsare, *τὴν αἰδῶ τινι ...*, *pudorem injicere* ac infamiam irrogare, interpretati sunt, in l. Pecuniæ sortem. D. de aliment. vel cib. leg. Sed magis putant alii, Papinianum in illa lege (si modo B integra ab Triboniani manu lex sit) censuisse, alimentorum præbendorum oneribus menstruis atque annuis necessitatem iis etiam astringi, *qui puellarum verecundiam pudoremve pulsant.* Sic *Pulsationem pudoris*, dixit Paulus, JC. lib. 5. Recept. Sent. tit. 4. sic *pulsare pallia*, Martial. sic Pl. Epid. *Pellere pudicitiam.* ubi tamen non solum libris, verùm & Musis invitis Lamb. legit, *perculit.* Nam simili locutione apud Martianum Felicem lib. 1. Cyllenius, *rationabili proposito constituit pellere cælibatum.* Sic *ruptam virginitatem* dixit Fabius Declam. 284. Ed. Argent. *pudicit. depulit.*

17. DUBIAM DANT] Sic Pall. & Edd. vett. nam V.C. *de ubi audant* Et vero versus hic cum seqq. tribus, serviet numeris trochaicis, si legamus, ordinemusque: —— *dubiam dant. PE. Long. d. m. i. a. sin ea e. q. inc. autumo, Hanc cont. astu. MV. m. a. m. malitiæ Nunc sic. PE. comp. MV. or. a. e. conferam.*

18. INCERTAT ANIMUM] Idem, quod anteà, *anni multi me dubiam dant.*

18. QUAM INCERTO AUTUMO] Notat Pont. in Anglic. esse, *quam incerto animo.* Ut *incertare animo*, dictum sit, ut illud posteà Apul. *singultu lacrimoso sermonem incertans.* Etiam *incerto animo* est in omn. Pall. & Ed. vett. nec non V. C. habuitque etiam Pius *incerto* pro verbo. *autumo* debemus Camerario.

20. CONTRA CONFERAM] Etiam post hæc spacium est XII. litterarum.

22. QUOD CREDIDISTI, REDDO] nempe *salutem*: quam abs te quasi creditam accepi. Bacchid. *Quin tu primum reddis salutem, quam dedi?*

22. HAUD ACCUSO FIDEM] non queror de tuâ fide, quâ creditum tam fideliter reddas, nempe *salutem.* Fides enim in rebus creditis usurpatur. *Accusare fidem*, pro accusare aliquem, qui fidem non præstat. Cicero 2. Epist. ad Fam. 1. dixit, *Accusare officium*, ad quod P. Manut. videas.

23. SI EGO TE NOVI] si tu is es, quem esse arbitror, persuadebo mihi, me tibi notam esse.

25. INTERPRETARI] interpretem fieri. D.

26. MIRA MEMORAS] sc. cùm dicis, me scitè loqui: cum id a naturâ fœminarum absit. L.

26. HEM, ISTUC &c.] Hic versus imperfectus & numeris & sententiâ arguitur à *Cam.*

27. MEMINISTI?] Ita hæc cohærent: Meministi in Epidauro me tibi virgini pauperculæ, & matri tuæ paupertatem levare? Sed Acidal. pro sententiæ luce hæc ita concinnat: ——*commodè*

Fabulata es. MV. mira, ni me noris. PE. hem, istuc tectius

Meministin'? MV. memini. PE. id in Epidauro? MV. ah &c. Quærit, an illud tectius & occultius, quod ipsi solis erat notum, meminerit &c. hocque commentum repente in contextum recepit Pareus, plane contra libros.

27. AH! GUTTULAS] Vide Adag. *Adspersisti aquam*, & Not. Milit. act. 4: 8.

30. ÆR. OBSEVISTI] V. N. Trucul. 2: 6. *Qui vim magni doloris per voluptatem tuam condidisti in corpus &c.* Eleganter & honestè solent veteres agriculturæ vocabula transferre ad rem voluptatum. de quo dictum aliquid Asin. act. 5: 2. Amph. act. 2: 2. alibi. Sic Martial. argutè ludit ex ambiguo in verbo *Colendi*, lib. 7. Epigr. 55. *Vis te, Sexte, coli &c.* Eâdem metaphorâ Euripides Troadib. Priamum πεντήκοντ' ἀροτῆρα καὶ φυτουργὸν τέκνων vocat. Sic Oraculum Lajo datum dicebat: σπείρειν τέκνων ἄλοκα. Sic Æschylus: πατροκτόνον Οἰδιπόδαν, ὅς τε μητρὸς ἁγνὰν σπείρας ἄρουραν. ita Arnob. lib. 4. *muliebria arva* dixit: *genitale arvum*. Virgil. 3. G. & August. lib. 18. de Civit. Dei. cap. 23. & alii. Sic Plaut. Mil. *genitalem hortum*. Sic Nonnus Dionys. l. 12. στάχυν ἄρσενα πατρὸς ἀρότρου vocat marem seu filium. Hinc illa quoque dicta sunt, *Sate sanguine regum, divûm: nobili satu ortus &c.* Quid quòd ne Sacræ Litteræ quidem hanc metaphoram abhorrent: ut cum dicunt *hortum obseratum*, significantes pudicitiam illæsam & integram: item cùm *portam clausam; fontem obsignatum:* cùm *puteum* & *aquas* eodem significatu usurpant: ut, *esse ex eodem puteo*. i. ex eâdem matrice. Esa. 51. v. 1. *Bibe aquam è puteo tuo*. item, *Ne bibe ex alieno fonte*, in Proverb. Salom. Vide J. Drusium in Miscell. & classe 2. lib. 2. Proverb. sacr. Atque hæc è libro 4. Hal. Oppian. Notis C. Rittersh. excerpta huc transferre placuit. Etiam Nic. Rigaltius ad Phædri. Fab. 42. pluscula collegit, ut agriculturam in matrimonio & humanâ naturâ indicaret: hominisque fastum ad terrenam originem deprimeret. tum, quia inspectis auctoris virtutibus & operibus, Natura veneranda sit, non erubescenda. V. C. proximè accedit ad hanc lectionem, in quo, *tuam in mea, ærumna obsevisti gravem*. nam Pall. omnes ferè, *in mea ærumna obs. graviter*, quod & in olim editis. Pal. tert. *in me ær. obs. graviter*. illud autem tuam restat id ed. vet. sed in nullo Pall.

32. COMPOTEM] i. plenam: L. ea formâ, quâ Trucul. *culpæ compotem*.

33. QVOD VOLTVS TE TVRBAT TVVS?] Meursius: Hæc proba hactenus putata sunt: nec tamen proba. Signatè in V. Codice erat: *quid, quòd digitus titubat tuus?* Convenienter planè: nam manum ejus tenebat. Capiendus verò hic locus ex veterum superstitione, A qui si digitus vel unguis saliisset, aliquid inde sibi eventurum ominabantur; vel boni, vel mali &c. Singuli autem digiti diis certis erant consecrati: pollex Veneri: index Marti: infamis Saturno: annularis Soli: auricularis Mercurio. Melampodis Hierogrammatei sunt è libro, cui titulus, περὶ παλμῶν μαντική, πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα. Δάκτυλος, inquit, μικρὸς τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἀλλόμενος &c. *Digitus* autem in Comico nostro κατ' ἐξοχὴν de pollice intelligi debet, non minùs, quam *Manus* de dextrâ: atq; ita conveniunt ea Melampodis: Δάκτυλος ὁ μέγας ὁ καὶ ἀντίχειρ καλούμενος, ἀλλόμενος, ἐπίκτησιν πολλῶν ἀγαθῶν δηλοῖ. καὶ ἐπὶ τέκνοις, καὶ ἐπὶ γονεῦσι χαρήσεται. Nam erat Philippa solicita de filiâ, & in hostium esse manu existimabat, quam Periphanes domi suæ esse salvam & sanam mox significaturus est. Illud tam lætum nuntium præsagiebat ei pollex, & palpitatione suâ prænuntiabat. Hæc est vera Plauti lectio, & lectionis interpretatio. nec aliunde explicari potest alter locus Captivis, act. 4: 2. v. 79.

ER. Cedo manum. HE. hem manum. ER. di te omnes adjuvant. HE. nihil sentio.

B Ergasilus Hegioni nuntiaturus, salvum advenisse sibi filium, arripit manum ejus, deos adjuvare dicit. ad quod respondet Hegio, nihil sentire se, id est, nullam digiti palpitationem, quæ nuntium istud præsagio suo tali confirmaret. Hæc ille. In Brix. & Ald. & Colon. *quid id est, quod digitos interturbat tuos?* quod nimis quàm impudenter totum ferè invexit editioni suæ pr. Pareus, cum nota falsissima; ita legi in MSS. Camer. Gruterus horum nihil probat, aitque *titubare* aliud esse, aliud *salire*: neque potuisse istud tam facilè deprehendi ab alio. Libri vett. qui laudantur, veteres non sunt (inquit) sed typis vulgati, & planè mustei. nam editio princeps agnoscit clarè: *Quid, quòd digitus te turbat tuus?* & ita fere quoque Pall. quæ lectio nata ex ambiguis litteris membranarum. nam & in cod. Cam. primitùs legebatur: *quid est, quòd duo itus te turbat tuus?* id esse, *quod voltus te turbat*, norunt non rudes circa membranarum scripturas. Acidalius: *quid est, quòd vultu' interturbat tuus.*

34. EDVCTAM] V. N. Amph. act. 1: 3.

35. TRANQ. FACE] sc. animum. D.

38. VT EMERETVR] ita MS. Cam. V. C. *ut emeret.*

39. ALIAS

39. ALIAS RES] MS.Cam.& omnes Pall. A & Edd.vett. *aliae res*, ejectâ voce Lambini *ad.* Concisè dixit, *Aliae res*: sicut Martial.l.13:84. *Visceribus bonus est; caetera vile sapit.* Meurs.

39. IMPENSE-IMPROBUS] i. valde improbus. quasi in quem multum improbitatis impensum sit. V.N.Bacch.act.3:2.

40. SI ME VIS VIVERE.] Illud *vivere* est à Camerario, cùm invenisset in V. C. tantum, *si me vis. SEN. Eho.* vett. edd. *fit ne. PER. Eho.* neque aliter Pall. nisi quod tert. *sime.* quod & in editionum prima. Pareus hic linguam non habuit.

40. EHO-CANTH.] MS. Cam. *eho istinc Cantharam jube.* at Edd. primae, *eho Cantharam statim jube.* seqq. *eho Cantharam!* i, *statim jube.* quod etiam in Pall. aut, *Cantharam jube.*

41. JUBE ACROPOL.] De hoc Fidicinae nomine videatur velitatio Camer.& Lamb.

42. REMIGRAT A. N. DEMUM] redit animus: quasi è corpore *exulatum colligatis vasis aufugisset*, ut jocatur Pseud. act.4: 4. J.Guliel.è Samb. Cod. legit probatq; maximè, *domum*, quod tamen Grutero improbum. Acidal. l. etiam *denuò*. ita Symmachus lib.7. Epist.37. *In tranquillum denuò animus remeavit*: vel ut Schoti cod.leg. *remigravit.* item l.1. Epist.5. *Tunc mihi animus ab aegritudine remigrabit. denuò* in contextum recepit Pareus, sed V.C.& Pall.invitis. nec sic ullus liber antea editus.

ACTUS IV. SCENA II.

FIDICINA, PERIPHANES senex, PHILIPPA mulier.

QUID est, pater, quòd me excivisti ante aedis? PE. ut matrem tuam
Videas, adeas, advenienti des salutem atque osculum.
FID. Quam meam matrem? PE. quae exanimata exsequitur aspectū tuum.
MU. Quis istaec est, quam tu osculum mihi ferre jubes? PE. tua filia.
MU. Haeccine? PE. haec. MU. egóne osculū huic dem? PE. cur non, quae ex te nata (sit?
MU. Tu homo insanis. PE. egóne? MU. tute. PE. cur? MU. quia ego hāc quae siet
Neque scio, neque novi, neque ego hanc oculis vidi ante hunc diem.
PE. Scio quid erres, quia vestitum atque ornatum immutabilem
„ *Habet haec. MU. ALITER CATULI longè olent, aliter sues.*
Nego eam me novisse, quae sit. PE. prò deûm atque hominum fidem!
Quid? ego lenocinium facio? qui habeam alienos domi,
Atque argentum egurgitem domo prorsum. quid tu, quae patrem
Tuum vocas me, atque osculare? quid stas stupida? quid taces?
FI. Quid loquar vis? PE. haec negat se tuam esse matrem. FI. ne suas,
Si non volt. equidem hac invitâ tamen ero matris filia.
Non me istanc cogere aequum est meam esse matrem, si ne volt.
PE. Cur me igitur patrem vocabas? FI. tua istaec culpa est, non mea.
Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?
Hanc quoque etiam, si me appellet filiam, matrem vocem.
Negat haec, filiam me suam esse, non ergo haec mater mea est.
Postremò haec mea culpa non est: quae didici, dixi omnia.
Epidicus mihi magister fuit. PE. perij, plaustrum perculi.

FI.Nunquid ego ibi peccavi? PE: si hercle te unquam audivero *patrem*
Me vocare, vitam tuam ego interimam, pessima! *FI.non voco.*
Ubi voles pater esse, ibi esto: ubi noles, ne fueris pater.
MV. Quid? ob eam rem hanc emisti, quia tuam gnatam ratus?
Quibus de signis agnoscebas? PE.nullis. MV. quare filiam
Credidisti nostram? PE.servus Epidicus dixit mihi.
MV. Quid si servo aliter visum est? non poteras novisse, obsecro?
PE. Quid ego? qui illam, ut primùm vidi, nunquam vidi postea.
MV.Perij misera! PE.ne fle, mulier! intrò abi, habeto animum bonum.
Ego illam reperiam. MV. hinc Athenis civis eam emit Atticus:
Adolescentem equidem dicebant emisse. PE. inveniam, tace!
Abi modò intrò; atque hanc asserva Circam, Solis filiam.
Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo:
Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc, ut fiat, diem.

VERSVS tetrametri catalectici προχείζοντος.

2. ADEAS, ADVEN.] MSS. & Edd. *venienti*; damno versus. & facile omitti potuit à librariis præpositio, quod modo præcessisset. hinc tamen apparet quæ fides sit Pareo, asserenti in V.C. ac Pall. omnibus sic legi ut expresserat; cùm tamen sic nullus habeat. imò Pal. tert. servat præterea tantum, *ades.* sextus verò non agnoscit *videas.* primus Camerarius illud *ad* præposuit.

6. TVTE] Editi primitus *tu* tantum habent. at V.C.& Pall.omnes *tune?*

8. ORNATVM IMMVTABILEM] ita MSS. Cam. & Pall. omnes nec non edd. primæ. i. immutatum: à verbo *immuto* seu *immutor*. itaque *immutabilis ornatus*, valet mutabilis, seu potiùs mutatus. Licet etiam dicere, *immutabilis* esse compositum ex *in* & *mutabilis*: sed *in* habere vim incrementi, ut in his, *incurvus*, *incanus* &c. Lamb. Sed MS. Lang. *mutabilem*, quomodo reponi volebat Pius; neque displicere videbatur Scaligero, qui syllabam illam priorem atramento obduxerat in libro suo.

9. ALITER CATVLI] vide Adag. V.C. ante *longè* lacunulam habet recipiendis literis quinque. & verò versus minùs integer est. an fuit? *aliter catuli longè longè olent, aliter sues.* Parei Lexicon, proverbium istud sic explicat: Canis enim, inquit, femina facilè suos catulos à porcellis dignoscere potest. Potest, Paree, potest, quamvis optimè olerent sues, quam

A vis pessimè catuli. Minimè hic agitur de catulis & matribus; sed de odore. utriusq; animalis in culina nutritur, bene olere non potest: ita nec sus stercoris lutique hospes continua: contrà catulus ab puellis ferè enutritus male olere non potest. Vult ergo mater: quemadmodum nemo ambigit hæsitatque in hisce distinguendis bestiis; ita neque se dubitare hanc mulierem aliam esse à filia sua.

11. ALIENOS] ita MSS. Cam. & Pall. & omnes vet.edd. MS.Prising. *alteros.* Douza. *alienas*, cum MSS. Lang. Sed Meursius χειρουργῶν putat: uti Stich. *filijs* pro *filiabus.* Gruterus masculinum ait pro fœminino poni; certè sexum illum complecti: quemadmodum volunt JCti.

B 12. EGVRGITEM DOMO] domo, tanquam è gurgite effundam.

14. NE FVAT] Parei editio pr. *non fuat*, rusticè, & contra MSS. & vett. edd.

15. TAMEN ERO MATRIS FILIA.] Ich muß ja etwan eine Mutter gehabt haben.

18. N. PA. EGO NOMINEM] Pontan. è cod. Oxon. leg. *patrem te ego n.*

19. QVOQ. ETIAM] πλεονασμὸν Comicum, seu σχῆμα ἐκ παραλλήλου: usitatum Plauto, Terentio, Lucr. aliis. V.N. Cistel. act. 3.

21. QVÆ DIDICI] ab Epidico, supra act. 2: 3. & act. 3: 2.

22. PLAVSTRVM PERCVLI] *Au.drum*, inquit Cam. scriptum erat in nostro Codice: sed cum lacunula tamen ante initialem lite-

ram

tam *a*. itaque ſuſpicor verum eſſe, *plauſtrum perculi*, i. everti ac perturbavi rem falſâ emptione. Donatus ruſticum ait Proverb. *Panè plauſtrum perculit*: ubi ait Eunucho ſervus, *Perculeritis tu jam me*, id eſt, impellendo proturbavetis. Feſtus: *Plauſtrum perculi*, *dicebant antiqui ab eo, qui pede onuſta plauſtra perculit, i. evertit. quod poſtea abyt in Proverbium.* Ad quod Joſ. Scaliger; Malè hodie (inquit) legitur. *Auſtrum perculi.* quod max. vir Turnebus *hauſtrum* interpretatur: idque optimè, ſi ita Proverbium efferebant veteres. ſed cùm agnoſcatur hic à Feſto, item à Donato, ita retinebimus. Malè verò illud interpretatur Eraſmus. ſed illi condonandum. quia ad eam opinionem Donatus malè intellectus eum impulit, ac ipſum Eraſmum potiùs, quàm plauſtrum perculit: cùm aliâ mente apud Plautum accipiatur, &c. Accipiendum enim ſemper de eo, qui evertit ac perturbat rem. Quare in Ter. non *Bene*, ſed *Pane perculi*, legendum. quod indicatur verbo *Perculeris*. Eſt enim, ut Grammatici loquuntur, potentiale: hoc eſt, *panè perculiſti*. ἤδη τετραχήλικας, ὥστε ἀπολέσειας ἄν με. Cæl. Rhodiginus tamen lib. 15. c. 7. illud, *Auſtrum perculi*, explicat. Verba ejus ſunt: Quoniam ex Hippocratis & Galeni doctrinâ adſtruximus, *Auſtrum* (quem Auguſtinus *pincernam pluviarum* vocat, ſicut Aquilonem, *ſcopam terræ*) hebetare auditum, & ſtupidum quadamtenus hominem facere; ad id arbitror Periphanem alluſiſſe. quaſi doleret, ſe tam hebeti fuiſſe judicatu, ut rem animadvertere non potuerit, perinde ac ſi obſurduiſſet, oculiſque offuſa caligo foret, ut Nioben putares, &c. Sed hoc nihil ad Scaligeri illa. *Auſtrum* tamen reſtat in Pall. & Edd. vett. omnibus quorum Pall. aliquot *perculi*; quod planè probat, explicatque Bapt. Pius, non nimis abſurdè.

24. TUAM VITAM EGO INTERIMAM] Sic etiam locutus Caſ. 3. 5. v. 29. item Ciſtell. 2. 4. v. 44. ubi tamen V. C. habet, non *tuam vitam*, ſed, *ſe vitam*. Pall. verò & Edd. vett. *ſua vita interimeret.*

27. QUIBUS DE SIONIS] Ita mihi viſum ordinare verſum, deleto *ergo*, quod à novitiis interjectum, nullo mſ. aut ed. veteri adſtipulante.

32. HINC ATHENIS] Sic V. C. & aliquot Pall. nam ſext. *hic*, ut & ſec. emendatiſq; ita in pr. marginiq; adjectum quarti. prior tamen reſtat in Edd. vett.

34. CIRCAM] meretricem & veneficam, inquit Paſſeratius, ad verſum 62. Panegyrici quo proſecutus eſt Meſſallam Tibullus. ſanè *Circam*, non, *Circen* legendum, probat & Cujacius lib. 12. cap. 8. item Grut. è MS. Cam. probat & Popma. ita *Glycera*, *Dirca*, *Penelopa*, *Myrena* legitur. Nic. Rigaltius ad Phædri Fab. VI. *Circam*, inquit, interpretantur *veneficam*: nec vere, nec aptè. Nemo ſcilicet homo patrem ſuum, niſi matris teſtimonio fidem adhibeat, agnoſcere poteſt. fatetur Telemachus Ὀδυσ. α. Quos autem Venus volgivaga & πάνδημος variè procreavit, iis nec mater ipſa certum patrem aſſignare poteſt. Sed evenit etiam, ut quis aliquando nec patrē noſcat. Solem unicum certo ſibi ſciat parentem. Hominem enim à Sole & homine generari, Phyſici affirmant. Sic eleganter & acutè luſit Comicus in nomine Circes, quæ Solis filia. itaque fidicinam Solis filiam nuncupavit: quia, ut Circe fingitur Sole prognata: ita hæc fidicina, quam & pater & mater noſſe negabant, Solem ſibi tantummodò parentem poterat nominare, &c.

35. RELICTIS REBUS] Venuſta antiquorum dictio. q. d. re ſuſceptâ de manibus depoſitâ. continetque celeritatem & ſedulitatem quandam. Utitur & Ciſtell. Perſâ, Trinummo. Terentius item Andr. & Heaut. etiam Lucr. l. 3. alibi.

36. EXITIABILEM &c.] Mira orationis Syntaxis: quam Latinos Comicos de Græcis ſumſiſſe, Lamb. annotat. Vide N. Perſâ act. 5: & Aul. Prol.

36. UT FIAT] ita MSS. Cam. & Pall. & Vet. Ed. Merulæ ac Pii; tueturq; omnino Gruterus reliqui ferè: *hunc ut ſcias diem*: quod aliis arridet; cùm tamen ſit commentum Sarraceni.

ACTUS V. SCENA I.

STRATIPPOCLES adolescens, EPIDICVS servus, DANISTA, VIRGO.

MALE morigerus mihi est Danista, qui de me argentum non petit,
Neque illam adducit quæ emta ex prædâ est. sed eccum incedit Epidicus.
Quid illuc est, quòd illi caperat frons severitudine?
EP. Si undecim deos præter sese secum adducat Iuppiter,
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.
Periphanem emere lora vidi. aderat ibi unà Apœcides.
Nunc homines me quæritare credo. senserunt, sciunt
Sibi data esse verba. ST. quid agis, mea commoditas? EP. quod miser.
ST. Quid est tibi? EP. quin tu mihi adornas ad fugam viaticum,
Priusquàm pereo. nam per urbem duo defloccati senes
Quæritant me, in manibus gestant copulas secuncias.
ST. Habe bonum animum. EP. quippe ego, cui libertas in mundo sita'st.
ST. Ego te servabo. EP. edepol me illi melius, si nacti fuant.
Sed quis est hæc muliercula, & illic gravastellus qui venit?
ST. Hic est Danista: hæc illa est autem, quam emi ex prædâ. EP. hæccine'st?
ST. Hæc. est ne, ut tibi dixi? aspecta! EP. hæc? ST. contempla, Epidice.
Usque ab unguiculò ad capillum summum est festivissima.
Estne? considera! vide! *signum pictum pulchrè videris.*
EP. tuis verbis meum futurum corium pulchrum prædicas:
Quem Apelles atque Zeusis duo pingent pigmentis ulmeis.
ST. Dij immortales! otiosè ipse admiror. pedibus pulmoneis
Qui perbibetur, prius venisset, quàm tu advenisti mihi.
DA. Hæc edepol remorata med est. ST. siquidem istius gratiâ
Es remoratus, quod ista voluit, nimium advenisti citò.
DA. Age! age! absolve me, atque argentum numera, ne comites morer.
ST. Pernumeratum est. DA. tene cruminam: huc inde. ST. sapienter venis!
Operire, dum effero ad te argentum. DA. matura. ST. domi est.
EP. Satin' ego oculis utilitatem obtineo sincerè, an parùm?
E Philippâ matre natam, ac Thebis Epidauri satam,
Videon' ego Telestidem te, Periphani filiam?
VIR. Quis tu homo es, qui meùm parentum nomen memoras, & meum?
EP. Non me novisti? VIR. quod quidem nunc veniat in mentem mihi.
EP. Non meministi me auream ad te afferre natali die?
Lunulam atque anellum aureolum in digitum? VIR. memini, mi homo.
Túne is es? EP. ego sum, & istic frater tuus est, aliâ matre, uno patre.
VIR. Quid, pater meus? vivu'st? EP. animo liquido & tranquillo es, tace!
VIR. Dij me ex perditâ servatam cupiunt, si vera autumas.

EP. Non

EP. Non habeo ullam occasionem, ut apud te falsa fabuler.
ST. Accipe argentum hoc, Danista. hic sunt quadraginta minæ.
Si quid erit dubium, immutabo. DA. benefecisti! bene vale.
ST. Nunc enim tu mea es. VIR. soror quidem edepol, ut tu æquè scias.
Salve frater! ST. sanan' hæc est? EP. sana, si appellat suum.
ST. Quid? ego modò huic frater factus, dum intrò eo atque exeo?
EP. QUOD BONI EST, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.
ST. Perdidisti, & repperisti me, soror. EP. stultus tace.
Tibi quidem, quod ames, domi præsto st fidicina, operâ meâ:
Et sororem in libertatem idem operâ concilio meâ.
ST. Epidice, fateor. EP. abi intrò, ac jube huic aquam calefieri.
Cetera hæc posterius faxo scibis, ubi erit otium.
ST. Sequere hâc me, mea soror. EP. ego ad vos Thesprionem jussero
Huc transire. sed memento, si quid sævibunt senes,
Suppetias mihi cum sorore ferre. ST. facile istuc erit.
EP. Thesprio, exi istâc per hortum, affer domum auxilium mihi.
Magna res est. minoris multò facio, quàm dudum, senes.
Remeabo intrò, ut accurentur advenientes hospites.
Eadem hæc intus edocebo, quæ ego scio, Stratippoclem.
Non fugio. domi adesse certum st. neque ille haud objiciet mihi
Pedibus sese provocatum. abeo intrò. nimis longum loquor.

VERSUS sunt [illegible] & [illegible].

1. QUI DE ME ARGENTUM NON PETIT.] V.C. initio fuit, *quid me arg.* non male! ferenda tantum litera, quei fieret *qui me.* sic enim postulat versus. at recensor adhuc ei addidit literam, *qui de.* quod & in Pal. omn. nisi quod tert. *argentum petit.* Langg. *quod me arg. non petit.*

2. QUÆ EMPTA EX PR.] ita MS. Lang. sed veteriores Edd. *quæ ex prædâ, sed* &c. absque empta, quod etiam in nullo Pall. at V. C. lacunam habet ei voci reponendæ.

3. ILLI CAPERAT FRONS S.] *Caperat* pro *caperatur* (V. N. Mil. act. 2. 6.) id est, rugis contrahitur, & asperatur. tractum à caprorum frontibus crispis, auctore Nonio, vel à cornuum caprinorum similitudine, ut Festo placet. Hinc *frons caperata*, pro, tristi & severâ. Affinia sunt; *Contrahere frontem*, Amph. Prol. *Consulcare frontem*, Bacchid. Petronius:

Quid me spectatis constrictâ fronte Catones?

Mart. libr. 10. *adstrictam frontem* dixit. Sic A Propert. *Adstrictum patrem*: Cornelius. *Adstrictum*, i. severum, terricum ac superciliosum. Apul. *Senili tristitie striatam gerens frontem*, &c. Scal. in Ætnâ, veteres dixisse, *Frontem*, seu *vultum caligantem*: ut Sophocl. [illegible]. Idem ad Manil. l. 1. *strictas pondere mentes*: &, *strictos Catones* expon. [illegible], & qui non sunt [illegible]. Contrà, *Exporrigere frontem*, Cas. & Ter. Adelph. *Explicare frontem*, Horat. 3. Od. 29. & 2. Sat. 2. pro, animum remittere, & hilaritati se dare, &c.

4. SI UNDECIM D.] Duodecim dii magni sunt: quos Cicero tralatè *Deos majorum gentium* vocat: & quorum nomina hoc disticho inclusit Ennius:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus: Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Eosdem cum suis tutelis Jos. Scaliger recenset, sed paullum mutato ordine: ad Manil. l. 2. De *XII. Diis Consentibus* vide Critic. l. 3. De lion. discipl. inprimis Comment. Pauli

Merulæ ad lib.I. Analium Ennl. Nominat & Herodot. in Erato, XII. Atheniensium deos: quos Gul. Postellus arbitratur XII. eorum Principes & Eponymos esse. Idem in Euterpe scribit, XII. deos primò in Ægypto cultos: inde in Atticam portatos, habuisse Pisis aram communem, quæ δώδεκα θεῶν βωμὸς vocata sit. Ægyptios igitur secuti Græci; hos Romani. An Ægyptii Hebræos, qui duodecim habuerunt mystica veri Numinis nomina? Decem enumerat D. Hieronymus ad Marcellam: quæ sunt; 1. *El*, 2. *Elohim*, 3. *Elohe*, 4. *Zebaoth*, 5. *Elion*, 6. *Eser Eheied*, 7. *Adonai*, 8. *Jah*. 9. *Jehova*, 10. *Saddai*; quibus addenda, 11. *Sur*. 12. *Abir*. Etiam de *Dus Deabusque Consentibus*, imò adeò de *Deorum Consentio* visite *Inscriptiones* duas tres lepidissimas apud Gruterum pagina C XI. 1, 2, 3, Operis illius consummatissimi.

7. SCIVNT SIBI] Pareus *sibi* annectit huic versui. priores applicarant sequenti: prorsus bene: aliter ordinatum, utrumque versum fœdè corrumpit. sed tantum non sapit noster Alcides, ut istæc sentiat: aptior, occidere Linum aliquem quàm Hydram.

10. DEFLOCCATI SENES] i. calvi: sumptâ metaphorâ à vestibus, quæ fratillos suos, i. villos amiserunt: quæ & *decotes* sive *decutes*, i. detritæ dicebantur. Vide Scaligeri Conject.

11. COPOLAS SECVNCIAS.] Ita notarat Scaliger ad oram hujus versus; explicatque in Libello de re nummaria. V. C. habet *cop. secum liavi*. Pall. *cop. secum suavi*, aut *suavi*: quod ultimum etiam in vett. edd. Pareus Scaligeri emendationem asserit verissimam, non ego sanè; cùm ei præiverit lectio MSS. falsa, melior tamen est eorum, qui aut substituerant, *secum subveni*, ut Ald. aut, *secum duas*, ut Lamb.

12. QVIPPE EGO, CVI LIB. IN MVNDO] q. d. Quidni ego bonum animum habeam, cui libertas parata est domi! Ironia servilis. *In mundo esse, dicebant antiqui, cùm aliquid in promptu esse volebant intelligi*; Festus. Ductum fortasse (inquit P. Victor. Var. Lect. libr. 8. cap. 20.) à mundo muliebri. Mulieres enim quæ ad cultum corporis faciunt, in promptu habent; conduntque omnia diligenter in arculâ: ut præstò ad usum semper sint. Hoc enim video placere doctis. Sive, *in mundo*, dicebant, significantes, malum extare illud: ut illi conscii sibi suæ vitæ, in se cadere facilè id posse intelligerent: obscurè, ut mos est minantium, quod volebant, indicantes. Ut si furem perterrefacere volentes diceremus, Nonne tu scis inveniri carcerem, carnificem?

13. MEILLI MEDIVS] sc. servabunt, nimirum in vinculis. Jocus ex ambiguo.

14. QVIS EST HÆC]. Pareus fecit *quid est*. libris omn. invitis.

14. GRAVASTELLVS] *Gravastellus*, ait Festus, *senior, à gravitate sic dictus*. Fieri potest (inquit Camer.) ut licentiâ usitatâ sibi in fingendis nominibus Plautus alluserit ad pondus telluris, quod dicitur ἄχθος ἀρούρης, atque ita jocatus fuerit in obesum Danistam. Meursius, Scripsit, inquit, Plautus, *& illic ravastellus*. nam dicebant *Ravus*, *Ravaster*: quemadmodum *Calvus Calvaster*. Inde ὑποκοριστικῶς *Ravastellus*. Ita etiam ab *Alter*, *altellus*: *Macer*, *macellus*: *Vafer*, *vafellus*; & talia. J. Gul. Verisim. lib. 3. cap. 9. suspicatur legendum; *Sed quis est isthæc muliercula*, *& illic ravus illus*, *qui venit*. Cui canitie caput jam inspergitur, *ravus* est. unde *ravam lupam* Hor. dixit pro canâ: & Varro *oculos ravos*, pro glaucis sive cæsiis. *Ellus*, δεικτικὸν est, *illius*. Vide Donat. in Terent. Andr. act. 5. sc. 2. quod expressimus, restat in V. C. nam Pall. *gravistellus*. sed alterum tamen inventum in MSS. Italicis, liquet ex edd. Merulæ ac Pii, qui id expressêre. sequentes, *ravistellus*, Pii figmentum, ostentare maluerunt.

15. EP. HÆC] Douza legit, *hei*. MS. Cam. hæc continuat;

——*aspecta. hæc. contempla Epid.*

17. VSQ. AD VNGVICVLO, &c.]Speciem habet adagionis hæc locutio. ἐκ ποδῶν ἐς κεφαλήν. B. Ambros. 2. Off. *A vestigio pedis usque ad verticem*. Horat. 2. Epid. 2.

Cand dus, & talos a vertice pulcher ad imos.

Cic. pro Rosc. Am. *Nonne ab imis unguibus ad verticem summum, & c. ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur?* Græci ferè mutato ordine verborum. Hom. Iliad. ψ. v. 169. *Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς*. Theocr. Idyl. 20.

——ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε——

18 ESTNE?

18. ESTNE? CONSIDERA, VIDE SIGNUM] A versus minus sincerus. nam illud *vide* est à Cam. cum ejus loco vacuum quid esset in V. C. at Pall. tantum habent, *Estne? conspice. signum.* neque aliter Edd vett.

18. SIGNUM PICT.] imaginem p. Picta apparent pulchriora nativis: ideò *graphicum* pro scito & eleganti ponitur. Stich. act. 2:1. *Satin' ut facete atque ex pictura adstitit!* supra act. 3,3.

19. EX TUIS VERBIS] Si picta sunt pulcra; meum tergum pulcrum futurum est: namque pigmentis ulmeis, i. virgis ex ulmo, à Senibus quasi pictoribus pulcrè pingetur. Per *Apellem* & *Zeuxim*, Periphanem & Apoecid. significat.

21. PEDIBUS PULMONEIS] correctio hujus loci est à divinatione insigni Camer. *Pulmonei pedes*, molles sunt: & ideò ad itineris laborem inepti. Proverbium est, *Pulmo prius venisset*, dictum in lentos ac cessatores: quòd pulmo, cùm perpetuò moveat, nunquam tamen loco promoveat. Prov. elegans apud Synesium: ὁ πνεύμων . ἢ φυτὸν ζῶν βίον. *Pulmo* etiam piscis nomen est: de quo Plinius. Contrà, *duri pedes* ad currendum aptissimi. hinc *equi aripedes*, χαλκόποδες, σιδηρόποδες, χαλκεόνυχας, &c. Cicero ad Attic. *Biennium praeteriit, cum ille καλλιππίδης assiduo cursu nullum cubitum procederet.* Jos. Scal. in Catalect. ad illos v:

Et aestuantes nocte solvi pantices
Obesam ad uxorem redis,

i. ut solvas pantices. Sunt autem *pantices*, quod vulgò vocamus *farcin*, corrupte a farcimine. nam ita vocat Vegetius. Et Martial. l. 6. 64.

Qui cum panticibus laxis, & cum pede grandi,
Et rubro pulmone vetus ——

ubi pulmonem φθίσει hominem laborantem intelligere, nihil vetat. Sed ego puto, *pulmonem* ibi & *pantices* idem esse: quemadmodum & *pulmunculum* apud Vegetium: quod pantices pulmonum ruborem referant. Itaque sic locus Pl. in Epid. accipiendus est;

——*pedibus pulmoneis Qui p.* &c.

ut *pedes pulmoneos* intelligat, qui panticibus, ulcerosi sunt. nisi referatur ad Proverb. πλεύμων, de stupido. vel potiùs dixerit *pedes pulmoneos*, tumidos. sicuti Plinius (l. 15. cap. 14.) *pulmonea* quaedam *poma* vocata ait, id est, ut ipse interpretatur, *stolidè tumentia*. In Vet. Glossario, *Pantices*, ἔλλη ἐπὶ τραχήλου τῶν κτηνῶν exponuntur. Haec ille. quae ideò adscripsi omnia, ut locum Pseud. act. 1. sc. 2. unà operâ explicarem. MS. Frising. l. *scio jussu adimere pedibus pulmones.* Et notat Grut. in MS. Cam. prius fuisse, *scio jussi admirer pedibus pulmones.* mox factum ab alio, *socco* & sic est in vett. edd. & Pal. quart. & sex. sed ultimus ille habet, non *admirer*, sed *adimere*. ceteri: *scio jussi admirer pedibus pulmones*; At Saracenus conjecit fere quomodo deincipes expressere edd. *Di immortales! soccos jussi adimere pedibus: pulmo enim (quod perhibent) prius venisset.* Hinc Meurs. facit: *soccos jussi ad. pedibus.* pro *jussisti.* sensu tali: An sine soccis ivisti, ut tardè tibi fuerit eundum, ne pedes laederes? Appositè verò soccos ei tribuit, qui proprii Comoediae. Vide & Jac. Dalechamp. ad Plin. lib. 11. c. 37.

23. HAEC] Puella.

25. ARGENTUM NUMERA, NE.] Pareus edidit, *argentum numerò numera, ne.* cum nota: Sic emendandum ex V. C. ubi *numera numera.* elegans Paronomasia & Plautina. Pueriliter. imò altera vox omninò tollenda, nata ab exarratione Librarii: & hoc versus vocaliter clamat; cujus pedes hic noster adhuc ignorat. & vero sic nulli MSS. sic nulli editi. repetat igitur haram suam cum Plautina ista paronomasia Emendator.

26. SAL. VENIS.] cum crumenâ scilicet, cui *indam* pecuniam. Acidal. malit, *sapienter mones.* ut ad illud referatur, *huc inde.*

28. SATIN' EGO, &c.] Alibi dicit, *Satin rectè oculis utor?* i. satisne clarè oculis prospicio, an secus? Eleganter, inquit Meursius: Utilitas hic non aliud quam Usus: non χρησιμότης, sed χρῆσις. Et haec est propria ac prisca notio, &c. Auctor ad Heren. lib. 4. *si idoneus esse potest ad eas utilitates & aptus, quae desiderantur ab equo.* Postea, quia quicquid usum sui praestat, commodum adfert, factum ut pro iis *Utilitas* acciperetur.

TELESTIDEM] ita MS. Cam. & edd. vett. & Pall. solus Brix. cum Lamb. l. *Acropolistidem.*

31. Ita

32. IN MENT. MIHI. EP. NON M.] ita transponere libuit versum cum Acidalio, requirente sententia; quamvis contraeant MSS. rationis enim potissima habenda ratio. ridiculus hic valde est Pareus, qui cum priore editione ita etiam permutasset versum, sed pueriliter bis personam Virginis repræsentasset, quomodo etiam repetit in secunda, typographo sphalma illud ubi putat. at plane insanit, dum declamat præterea: Trajectiones istæ commodum quidem inveniunt sensum: sed quis tantum juris sibi sumere potest in aliena scripta, ut tam licenter in illis grassari non erubescat? Ego, quod jam millies professus sum, venerandam antiquitatem tam nefariis ausibus violare nolim, & Manes eruditorum Auctorum sic temerè sollicitare, nefas semper duxi. &c. O portentum! ò impudentiam. Ab orbe condito nullus unquam talem carnificinam exercuit in scriptorem aliquem; qualem Pareus in Plautum: & hæc tamen mutire audet.

ME AUREAM] Inter *me*, & *auream* est lacunula in V. C. unde Cam. suspicatur leg. *minam auream*. quæ fuisset instar aurei Lusitani, cujus pretium aureorum decem. MSS. etiam Pall. & Edd. l. *auream*. hinc Meursius corrigit, *armeam ad te adferre*. nam *Armea*, armi ornamentum: diminutivè *Armilla*. Observandum etiam, veteres die natali munera ab amicis clientibusque accepisse. Vide ib. Meurs. cap. 7. & inprimis cap. 1. Censorini, *De die Natali*.

36. ANIMO LIQ.] esto animo curis soluto & minimè solicito: Turn. l. 16. 10. Pseud. act. 3. 3. quem Aul. act. 1. 2. *animum defæcatum* dixit.

38. NON HABEO ULL. OCCAS.] simili illi Most. act. 2. 1. *Quid mihi sit boni, si mentiar?* i. quid mihi profuerit mentiri? & quod alibi planius: *Quid meream, quamobrem mentiar?* Cujus sententiæ acumen imitatus est Ovid.

Hæc mihi non vani (nec erat cur fallere vellent)
Narravere senes.

Item l. 3. Trist. eleg. 10.

Vix equidem credar: sed quum sint præmia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.

Tacitus Hist. 4. *Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.* Douza.

40. SI QUID ERIT DUBIUM] videatur Marquard. Freherus Parerg. l. 1. c. 14. Querolus Plauti: *Etsi nihil sit tam simile, quàm solidus solido: tamen etiam distantia quæritur in auro, vultus, ætas, color, litteratura, patria, & gravitas ad scriptulos quæritur in auro plus quàm in homine.*

41. ÆQUE SCIAS] juxta mecum. D.

45. PERDIDISTI] sc. me amantem: quia frui te non potero, cum sis soror. L.

45. REPPERISTI] sc. fratrem: quem perdideras, & quem fratrem esse nesciebas. L.

45. AQUAM CALEFIERI] ut lavet peregrè adveniens. Vide N. Truc. act. 2. 3.

51. SI QUID SÆVIUNT SENES] εἰ τι χαλεπαίνουσι. Douza legendum putat, *sævibunt*, vel certè, *sæviant*. quod ultimum arripuit editio Parei vel contra MSS. & Edd. vett.

53. EP. THESPRIO] Acidal. pertinacissimè ad lucem sententiæ hanc suam lect. defendit: *EP. Thesprio, exi: istàc per hortum abi domum. auscultu mihi: Magna res est.* Latebat Thesprio in ædibus Chærubuli, subitæ hujus mutationis ignarus, &c. ad quod notat Pareus: optimo quidem sensu; sed præter libror. omnium auctoritatem. Videant igitur alii editores, quo jure novitiam istam lectionem in contextum immiserint. Sic ille. vaferrimè. suspicionem enim injicit Lectori, tanquam si tale quid fecisset Taubmannus: verùm fallitur. Pareus est qui hîc partem admisit commenti Acidaliani: Pareus, inquam, editione prima.

54. FACIO] V. C. *facito*. Pall. & Edd. *facto*. V. N. Merc. 1. 1. v. 95. falsum autem est, quod ait Pareus V. C. initio habuisse *facto*: neque potest se excusare ut Camerarius, quem versu supra undecimo acerbissimè exceperat, contestatus per veram suam (sic enim loquitur) αὐτοψίαν, in V. C. non extare *sciam*. neque enim optimus senex tam Lynceus esse poterat, quam ipse junior. nam vel lusciciosus videat nihil innovatum circa *facito*.

56. EADEM H. INT.] operâ; vià: L. V. C. servat *hac*; & à manu prima Pall. pr. & sec. non tertius, non quartus, non sextus, ut vanè prodidit Pareus. sed & Edd. vett. nostrum firmant.

57. NEQ.

57. NEQ. ILLE HAVD] Duæ negationes, ut & suprà, & aliàs sæpe, negativè Græcismo. Bacchid. *Neque ego haud committam*: Cum. & Aus. Popma l. 2, c. 9. De usu antiq. locut.

58. PEDIBVS SESE PROVOCATVM] sc. ad A cursuram, seu currendi certamen. Nimis festivum. Qui enim in decursione prior est, is modò non lacessere & quasi provocare, ne dicam tarditatem concursuri suo exprobrare videtur. *Douza.*

ACTUS V. SCENA II.

PERIPHANES, APOECIDES, senes duo.
EPIDICUS.

SATIN ille hæc homo ludibrio nòs vetulos decrepitos duos
Habet? AP. imò edepol tu quidem miserum me habes miseris modis.
PE. Tace sis modò. sine me hominem apisci. AP. dico ego tibi jam, ut sciat,
Alium tibi te comitem melius quærere: ita, dum te sequor,
Lassitudine invaserunt misero in genua flemina.
PE. Quot illic hodie me exemplis ludificatu'st, atque te?
Vt illic autem exenteravit mihi opes argentarias!
AP. Apage illum à me: nam ille quidem Vulcani irati est filius:
Quaquà tangit, omne amburit: si propè astes, æstu calefacit.
EP. Duodecim deis plus quàm in cælo est deorum immortalium,
Mihi nunc auxilio adjutores sunt, & mecum militant.
Quicquid ego malefeci, auxilia mihi & suppetiæ sunt domi.
Apolactizo inimicos ..nnis. PE. ubi illum quæram gentium?
AP. Dum sine me quæras meâ caussâ vel medio in mari.
EP. Quid me quæris? quid laboras? quid hunc sollicitas? ecce me.
Num te fugi? num ab domo absum? num oculis concessi tuis?
Nec tibi supplico. vincire vis? hem! ostendo manûs.
Tu habes lora: ego te emere vidi. quid nunc cessas? colliga.
PE. Ilicet! vadimonium ultrò mihi hic facis! EP. quin colligas?
PE. Edepol mancipium scelestum! EP. te profectò, Apœcides,
Nihil moror mihi precatorem. *AP. faciłè exoras, Epidice.*
EP. Eho! quid agis? PE. tuon' arbitratu? EP. meo hercle verò, atque haud tuo,
Colligandæ hæ sunt tibi hodie. PE. at non lubet. EP. non colligo!
PE. At mihi magis lubet solutum te rogitare. EP. at nihil scies.
AP. Tragulam in te injicere adornat. nescio quam fabricam facit.
EP. Tibi moram facis, cùm ego solutus asto. alliga, inquam, colliga.
PE. At mihi magis lubet solutum te rogitare. EP. at nihil scies.
PE. Quid ago? AP. quid agas? mos geratur. EP. frugi es tu homo, Apœcides.
PE. Cedò manûs igitur. EP. morantur nihil. atque arctè colliga.
Nihil verò obnoxiosè. PE. facto opere arbitraminor.
EP. Bene hoc habet! age nunc jam ex me exquire: rogita quod libet.

PE. Quâ fiduciâ ausus primùm, quæ emta est nudiustertius,
Filiam meam dicere esse? EP. libuit: eâ fiduciâ.
PE. Ain' tu? libuit? EP. ajo: vel da pignus, ni ea sit filia.
PE. Quam negat novisse mater? EP. ni ergo matris filia est,
In meum nummum, in tuum talentum pignus da. PE. enim istæc captio 'st.
Sed quis ea est mulier? EP. tui gnati amica, ut omnem rem *scias.*
PE. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? EP. fateor datas:
Et eo argento illam me emisse amicam filij fidicinam,
Pro tuâ filiâ. istis adeò *te tetigi triginta minis.*
PE. Quomodo me ludificesti de illa conductitiâ
Fidicinâ! EP. factum hercle verò, & rectè factum judico.
PE. Quid postremò argento factum est, quod dedi? EP. dicam tibi.
Neque malo homini neque benigno, tuo dedi Stratippocli.
PE. Cur dare ausus? EP. quia mihi libitum est. PE. quæ hæc, malùm, ferocia est!
EP. Etiam inclamitor quasi servus? PE. cùm tu es liber, gaudeo.
EP. Merui, ut fierem. PE. tu meruisti? EP. vise intrò. ego faxo scies
Hoc ita esse. PE. quid est negocii? EP. jam ipsa res dicet tibi.
Abi modò intrò. PE. hei! non illuc temere st! asserva istunc, Apæcides.
AP. Quid illuc, Epidice, est negocii? EP. maximâ hercle injuriâ
Vinctus asto, cujus hæc hodie operâ inventa est filia.
AP. Ain tu te illius invenisse filiam? EP. inveni, & domi est.
Sed VT ACERBVM EST, pro benefactis cùm mali messem metas!
AP. Quémne hodie per urbem uterque sumus defessi quærere?
EP. Ego sum defessus reperire, vos defessi quærere.
PE. Quid istic oratis opere tanto? meruisse intellego,
Vt liceat merito hujus facere. cedò tu, ut exsolvam, manus.
EP. Ne attigas. PE. ostende verò. EP. nolo. PE. non æquum facis.
EP. Nunquam hercle, hodie nisi supplicium mihi das, me solvi sinam.
PE. Optimum atque æquissimum oras. soccos, tunicam, pallium
Tibi dabo. EP. quid deinde porrò? PE. libertatem. EP. at postea?
Novo liberto opus est quod pappet. PE. dabitur. præbebo cibum.
EP. Nunquam hercle hodie, nisi me orassis, solves. PE. oro te, Epidice,
Mihi ut ignoscas, si quid imprudens culpâ peccavi meâ.
At ob eam rem liber esto. EP. invitus do hanc veniam tibi,
Nisi necessitate cogar. solve sanè, si lubet.

VERSVS similes versuum superioris Scenæ. A

1. SATIN' ILLE &c.] i. Nónne Epidicus nos &c. *Satin'* & *Satiné*, responsionem ajentem postulant, & affirmationem significant. Ita Cic. pro Rosc. Comœdo; *Satiné ista restipulatio dicere tibi videtur apertè, Roscium pro se decidisse?*

1. DECREPITOS] A lucernâ vel candelâ, quæ ultimum exspirans crepitum edere solet. hoc enim est *decrepare*: ut apud Pers. *destertere*. A veteribus Græciæ magistris *decrepitus* exponitur [illegible]: Scalig. ad Festum. Hinc Christianus Egenolphus, Epodôn sacrorum libr. fecit:

Ut fiam-

Ut flamma destituta ligno decrepat:
Absente sic his maledico.

2. MISERUM ME HABES] dum ita festinas, ut te subsequi non possim.

3. APISCI] In Vett. Glossar. *Apisci* κτῆσαι. ut *Adipisci* seu *Adapisci*, ἐπικτῆσαι: *Herald.*

5. LASSITUDINE INVAS.] Ita Gifanius & Aus. Popma è vet. cod. leg. *Lassitudine invaserunt misero ingenua flemina*. itaque locutum ajunt & Varronem lib. 4. De vitâ populi R. *Tanta invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cælum ruere, dummodo magistratum adipiscantur, exoptent.* Immò & Cic. ad Tironem: *Sed mirus invaserat furor non solum improbis, sed etiam his, qui boni habentur*, &c. quod in v. Lextare, etiam P. Victorius monuerit, etsi ob insolentiam sequi veritus sit. Gruterus notat, in MSS. Cam. ac Pall. & Edd. vett. legi, *Lassitudinem invaserunt misero ingenua flemina.* quod ipsum exprimere debuerat Pareus; Iudex tam rigidus in violatores sacrosanctæ Antiquitatis. sed sic est: jam omnium oblitus erat, quæ evomuerat superioris scenæ versu 33. Dicuntur autem *Flemina*, autore Festo, *quum labore via sanguis defluit circa talos, & tumorem facit.* idem ferè cum *boa* & *tama*. Glossarium: ὁ τῆς πόδας φλεγμαίνων. Et hæc nimirum (inquit Camer.) erunt κεδμα & Hippocratis. In Absyrti etiam libro de equis, leguntur φλεμίνα. Sicut enim fluxus in pedes à Romanis vocari ait, hæc erunt igitur *flemina*.

9. SI PROPE ASTES] Schoppius, Malim; inquit, *si prope abstes, calefacis.* quia certè, si prope quis ad ignem adstet, amburetur & tangetur ab igni: sed si *abstet prope*, calefiet tantùm. Trucul. act. 2. sc. antep. *Qua me hîc reliquit, atque abstitit.* Mil. act. 1. sc. 3. v. 49. Erit autem similiter dictum, *propè abstare*, ut Cicero solet, *prope abesse*. sicut, *longè abesse*. ita, *longè abstare*. Horat. Arte, ——*quadam, si longius abstes.* Vox autem, *æstu*, inducenda est, è libris Lang. turbat enim troch. versum, &c. & hoc secutus est Pareus editione sua pr. V. C. servat *propius*, ut & Edd. vett. & Pall. nisi quod à prima manu videantur habuisse, tert. & sext. *æstu alfacit.*

10. DUODECIM] Gloriosa servili exultantis oratio. Est autem constructio paulò impeditior hâc sententia: Sunt mihi jam adA jutores duodecim dii, plures quàm sunt dii in cælo. *Camer.* V. N. Scenâ præced. Editi valdè turbant. Sed Acidalius non putat respici ad XII. majorum gentium deos. verum hoc saltem dici: præter omnes deos, quantum eorum sit, alios etiam duodecim adjutores sibi esse, i. plures omnino quàm vulgò sunt, posito duodenario certo numero pro quovis alio, ut solet, incerto. Ait igitur, omnes deos, nec hos tantùm, sed & plures secum militare. Servilis exsultatio est, animique præ nimio gaudio à ratione aberrantis. Loquendi forma, *Plus duodecim deis*, ea est, quâ suprà usus: *decem minis plus attuli* &c. Casinâ: *Te uno adest plus, quàm volo.*

13. ἀπολακτίζω] calibus repello: L.

14. DUM SINE ME Q.] Huic prorsus affine illud in Trucul. *si planè ex medio mari Savium petere tuum jubeas, petere haud pigeat me.* Ideo autem hoc dicit, quòd nimis properaret Periphanes.

15. HUNC] Apœcidem.

16. OCUL. CONCRIS.] ab oculis abscessi tuis? Scenâ enim præced. dixit: *Non fugio. domi adesse certum est.*

17. NEC TIBI SUPPLICO] Sermo est hominis altero non egentis, & suis bonis contenti suâque virtute freti. Milite, act. 2. 2.

B

Nam mulier olitori nunquam supplicat, si
qua est mala,
Domi habet hortum.

Pseud. act. 1. sc. 5. &c. L. Camerarius versum hiare ait.

17. HEM.] Douza. L. *em*.

19. ILICET] Donatus in Phorm. Ter. act. 1. 4. *Semper*, Ilicet *finem rei significat: ut*, Actum est. *dictum per* εὐφημισμόν. *Sic judices de consilio dimittebantur, suprema dicta quum præco pronunciasset*, I licet: *quod significat*, Ire licet. Hæc Donatus. Vide & N. Cistell. act. 4. 1. & Pseud. act. 1. 3. J. Meursius, Nihil est, inquit, aliud, *Extemplo*, quàm *ilico* ad verbum: quod, *e loco*, interpretantur Grammatici. *Templum* enim antiqui accipiebant pro loco patulo & conspicuo, vel ex quo in omnes partes circumspici posset, &c. Vide Fest. in V. *Contemplari*; & Scalig. ibid. ad *Minora templa*.

19. VAR, ULTRO MIHI HIC FACIS.] Sic Pall. & Edd. primæ. Pius jussit rescribi *sit*, factumque ab edit. sequentibus & ita placuit;

cuit Douzæ.i.ultrò se mihi sistit, quasi in judicio. A

19. EP. QVIN COLLIGAS?] ita Douza l. & ordinat Personas. Neque obstat, quòd subjungitur ab EPID. *te profectò, Apœcides, Nihil moror mihi precatorem.* hoc enim à confidenti, & vitæ suæ profusè prodigo servulo *εἰρωνικῶς* prolatum est. MSS. & Edd. vet. non habent illud *precatorem* (quod debemus prudentiæ Camerarii) sed tantum, *Nihil moror mihi. de præ facili exoras.* at V.C. præfert, *Nihil moror mihi depræfacilexoras.* quidam Pall. *Nihil moror, nihili, de præ facili exoras.* Parens interim nobis non sine peste versus; obtrusit, *Nihil moror mihi deprecatorem.* at editione sua principe oggessit, *peccatorem.* ô Plaute, in quam raptus fuisti medicinam.

22. EHO! QVID AGIS?] quin mihi manus colligas? MSS. & vett. edd. pro *vero* habent *verbo*. quod mutari posset in *verbero*. illud *Eho* debetur vett. edd. & Pal. tertio in quibus, *eo.* ceteri mss. *Ecquid agis*, minus venustè: ideoque placuit Pareo.

23. EP. NON COLLIGO. PE. AT M.] ita visum fuit distinguere, cùm vett. libri varius immitterent personas. erunt autem servi quasi indignantis. Pistoris malebat, *non? colliga* sed sic nullus liber. Versum seq. hinc omnino censuit exturbandum Acidalius, invenitque obsequium Parei, sed contra omnes libros MSS. nedum editos.

25. TRAGVLAM IN TE INIICERE ADORNAT] i. dolum aliquem in te struit. Allegoria à re militari. Turnebus. lib. 9. cap. 12. *Tragula*, genus teli hastæ non multum absimile, quæ vel manû vel tormento mittitur, & atrociter sauciat, ac plerunque è corpore non tam retrahenda est, metu magni doloris & profusionis sanguinis, quàm hinc vel inde decidenda, ut è vulnere sic cum minore noxâ recipiatur. V. N. Cas. act. 2. sc. 4. *Tragulæ* etiam piscatorum verricula sive retia vocantur: à trahendo: Idem l. 21. 14.

30. NIHIL V. OBNOXIOSE.] i. nihil clementer, & cujus nomine tibi obnoxius esse debeamus. Quid sit *obnoxium*, docet Agell. lib. 7. 17.

PER. FACTO OPERE ARBITRAMINOR] colligatis manibus, vos judicatote, utrum obnoxiosè fecerim, nec ne: L. V. C. *arbitramino.*

34. VEL DA PIGNVS] vel mecum certa pignore deposito, ni &c. MSS. & Edd. vett. *vel ad p.*

36. IN MEVM NVM.] Numus servorum est, talentum dominorum: *Douza.*

36. ENIM ISTH. CAPTIO EST] enimverò inest in hac conditione captio aliqua. *Enim*, initio orationis pro *etenim* positum, hodie insolens: sed veterum etiam classicorum autoritate non caret. Terent. Phorm. act. 5. 7. *CH. Enim solus nequeo.* Hecyrâ: *Enim lassam tum ajebant.* Cicero ad Attic. 4. *Macroni vix videor præsto esse. enim auctionem &c.* Vide Popmam De usu antiq. locut. Alciatus etiam lib. 11. cap. 13. Parerg. conatur hic aliquid, sed conatur.

40. MINAS TRIG. OB. FILIAM?] Notanda phrasis, raritatis caussâ. ita Asinariâ: *ut se ob asinos ferre argentum*, hoc est, pro asinis mercatis: Agell. lib. 11. c. 10. *Tragœdus gloriæ sibi ducebat, talentum magnum ob unam fabulam datum esse*, &c. D.

40. TE TETIGI TRIG. MINIS] Ita in Persâ, *Tactus est leno.* Turpilius: *Patrem talento argenti tetigi.* Cicero ex quodam Poeta: *Sentin' senem tactum esse triginta minis?* hoc aliter dicebatur *ferire* aut *percutere*. Ter. Phorm. 1. 1. *Geta ferietur alio munere ubi hera pepererit.* Prop. 3. el. 3: *austeros arte ferire viros.* 4. 5: *ferit astutos comica mœcha Getas.* Plaut. Pseud. 1. 5. v. 59: *alio tu modo me verberare, atq. ego te soleo cogitas:* idem 2. 2. v. 9: *advenientem probè percutiam.* Passerat. Muretus ad Catulli Carm. 18. *Tangam te prius.* notat, Est genus figuræ, quod vocant Græci *μείωσιν*, Latini, *Imminutionem* aut *Extenuationem.* hoc qui uti volens, ubi quis alium percusserit, pupugeritque, aut insigniter etiam læserit, *tetigisse* dicunt. Ea caussa est, cur nonnunquam ipsum *tangendi* verbum idem valeat, quod percutere, pungere, lædere. Ter. Eunucho: *Quo pacto Rhodium tetigerim in convivio*, i. acerbo aculeatoque dicto quasi pupugerim. Propertius: *Quem tetigit jactu certus ad ossa deus.* Ubi etiam dicta videtur tralatio à sagittariis, qui tangere dicuntur, ἀπὸ τοῦ σκοποῦ ἐπιτυγχάνειν. Plautus Pseud. act. 1. 1. *Si argentum alium petero, ibum tangam patrem*, i. eum multabo hoc damno: emungam eum hâc pecuniâ. Pœnulo: *Quia certum amare:*

amare: hominem vult leno tangere. Catullus: *flos tactus aratro est.* Græci quoque ἀψάμενος γυναικὸς dicunt eum, qui mulierem quampiam deperεat: quo modo & Latini dicunt, *Amore percussum.* Vide etiam N. Amph. act. 1. sc. 1. ad illud *tactim tangam.* Cæterum à Camerario hæc lectio est. nam MSS. Cam. & Lang. & Pall. & v. ed. *Iste (istic: te) ab ore tetigi tr.* Alii aliter.

41. LUDIFECISTI] ita Schopp. è membr. Lang. l. *ludificisti.* Dicitur, inquit, *Ludificare* & *Ludificere*: quomodo *Significare* & *Significere.* L. 65. §. 1. D. ad Trebell. Et *ædificare* & *ædificere*; l. 60. §. mandati D. locati L. 10. §. ult. D. soluto m. ut & *Lucrificere, &c.* Notat & J. Grut. in MS. Cam. legi, *ludo fecisti,* vocibus binis, ut forte legendum veniat *ludos fecisti,* ut diserte extat in edd. primis. de qua Syntaxi V. N. Bacch. 5. 1. v. 4.

44. NEQ. BENIGNO; TUO] Cam. ex conjectura exhibuerat, *indigno;* cum in MS. suo & edd. vett. esset, *neque benigno.* Et hanc Camerarii conjecturam unicè veram esse pertendit Lamb. & firmari MSS. Tiliano & Hunniano. mihi libuit revocare omnis ævi scripturam, utique firmatam quinq; Pall. & tribus Langg. *benignus* enim opponitur *homini frugi.* V. N. Truc. 1. 1. v. 13.

45. QUÆ HÆC, MALUM, FEROCIA EST?] Ita Lamb. è MS. Vascos. lacunam explevit. neque V. C. neque Pall. agnoscunt *ferocia est.* abestque vett. edd.

45. PE. HEI] ita MSS. & Edd. nec opus Acidalii, ilma, quæ malebat, *Abi modo intro,* et quod tamen utraque editione ostentat Pareus, aitq; sic scribi etiam in Pall. verum non etiam addit, universos ac singulos tribuere, non servo, sed seni. neque aliter edd. vett. item V. C. qui disertè aspirationem exhibet. interim, quam delirum est, quod addit, non intellexisse Taubmannum *ei valere* : quid ipsum disertè monuit Merc. 2. 2. versu 11.

53. MALI MESSEM METAS!] Tale illud, apud Cic. lib. 2. de Orat. *Ut sementem feceris, ita & metes.* Trin. Sc. 1. 1. *Eorum* (malorum morum) *licet jam messem metere maximam.* ita *Satio beneficiorum,* est apud Accium: *Quod beneficium haud sterili in segete, rex, te obtrivisse intelliges.*

A 54. QUEMNE] Epidicum enim curiose quæsierant; non filiam Periph. *Quam* tamen MSS. & Edd. vett. Venusta autem est (laudatore etiam Fabricio) lectio hæc & Comici sermonis propria. Ita Mil. act. 1: 1.

Quemne ego servavi &c.

Terent. Andr. act. 4: 4.

Quemne ego heri vidi &c.

Horat. 2. Sat. 3.

Quóne malo mentem concussa?

Alii putant, illud *ne* abundare, & ornatus causâ adjectum; alii servire interrogationi. V. N. Rud. act. 1. sc. 5.

55. DEFESSUS REPERIRE] Gram. vetus: *Reperimus nostra: invenimus aliena.* Valla affirmat, *Reperire* esse fortunæ: *Invenire* consilii. Elegantiar. lib. 3. cap. 2. At Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11. exemplis ab Ovidio, Curtio, Suetonio probat, *Reperire* esse operæ & consilii, non fortunæ: deductum à *pario,* quod est cum labore quæro: unde *pecunia parta,* cum labore quæsita. Hæc tamen confundi, multis docet Alb. Gentilis, & longè plurimis Fr. Floridus Lect. Subcis. lib. 1. cap. 7. & Aus. Popma De differ. verbor. lib. 3. Vide Not. Trin.

B act. 4: 2. ver. 76.

56. QUID ISTI ORATIS] Douza cum Argent. l. *istic*: Lamb. *isti,* pro *istic.* Schoppius, *Quid istuc oratis.* Quid tu Stratippocles, & tu mea filia, tantopere hoc oratis, ut Epidicum salvum, & mihi liberum faciam &c. MS. Cam. *istis,* quod retinuit Pareus, quoniam etiam repererit; in cunctis Pall. at id vanissimum est. nullus non Palatinorum apertè præfert *isti,* quod & in vett. edd. cæterum cum syllabam adhuc requirat versus, Aldina immisit *illum,* mallem *commeruisse.*

57. CEDO] præbe manum.

58. NE ATTIGAS] *Tago* dixerunt veteres, pro *Tango.* ita, *Attigere* & *Contigere,* Plaut. Bacchid. & Mostell. act. 2: 2. hinc & *tagax furunculus* dictus, à *tangendo.* ita Cic. ad Att. lib. 6. Ep. 3. *Quæstor libidinosus, tagax.*

59. SUPPLICIUM MIHI DAS] nisi mihi das pœnas, i. nisi mihi satisfacis: h. Vnde & Terent. Adelp. 3. 2. v. 15. *Satis mihi habeam supplicii.* A quo tamen longè dissentit Meursius, & *supplicium* capit pro *supplicatione & precibus:*

bus: quomodo crebrò Sallustius, aliique. Dixerit ergo Plautus, *supplicium dare*, quomodo, *dare bona verba*. Quid propriè sit *supplicium*, accuratè docent Festus, & Scaliger ad illum. Meursiana hæc arripuit Pareus pro oraculo Apollinis, infarciitque in Lexicon suum ac Thesaurum, titulo *Supplicandi*. neque ullo tamen vel exemplo, vel fulcro firmat hanc interpretationem; quàm vel versus sequens clarè respuit.

62. QVOD PAPPET] quod edat. Cur hoc dicat, Vide N. Menæch. act. 5. sc. 9. *Pappare* dicuntur pueruli, cum præmansos ac delicatos cibos comedunt. Persius Sat. 3.

Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis, & iratus mammæ lallare recusas.

Varro: *Cum cibum ac potionem buas, ac papas dicunt, matrem mammam, patrem tatam*. Græcorum etiam infantibus πάππα idem quod nostris hodie. παππάζειν apud Hom. vox infantilis, pro *patrem vocare*. inde *pappare*, pro cibum poscere: vel etiam, edere. Vide Casaub. ad illud Persii. At Meursius, scribendum, inquit, *papet* unico *p*. Transtulit autem à potu ad cibum: nam propriè est sugere. *Papa* enim, & ὑποκοριστικῶς *Papillæ*, antiquitùs dicebantur capitula mammarum,

A teste Festo. Igitur à *Papa* est *papare*, ut à *Ruma*, *rumare*. Quòd autem Varro apud Non. *Papas* dicit à pueris appellari cibos; nihil id sententiæ nostræ adversatur: nam lac tam cibum quàm potum præstabat illis initio: & ut paulatim solidioribus cibis adsuefierent, crustula & talia panificia infriabantur, & sic porrigebantur: ut etiam hodie fit. Hoc lac, ut & mammam, anxiè flagitantes, *Papa* syllabas geminatas efferebant sono naturaliter omnibus infantibus insito: atque inde factum est, ut ab isto eorum clamore *Papa* vocaretur & mammæ caput, & lac illud, quod & nos hodie litterà unà minus Pap indigitamus. Hinc est, quod Comicus *Papare* etiam pro edere usurpaverit. Hinc etiam *Paver*, quia Papæ indebatur adversus insomnium.

64. IMPRVDENS CVLPA P. M.] J. Corasius JC. Miscell. lib. 4. cap. 2. Rectè, *imprudens*. nam *Culpa* finitio est: *Imprudentia, quâ homines circa res alienas vel negligunt, quod fieri oportet: vel faciunt, quod omitti debet*. Donatus ad illud Hecyræ, *Non meâ operâ neque pol culpâ evenit*: Culpam ab Operâ ita differre dicit: ut *Opera* fit, si scientes læserimus; *Culpa*, si nescientes: quorum alterum sceleris est, alterum stultitiæ.

GREX.

HIC is homo est, qui libertatem malitiâ invenit suâ.
Plaudite, valete: lumbos surgite atque extollite.

IN Edd. Paris. & Argentinâ Mulingi non *Grex*, sed *Recitator* legitur.

V. 1. PLAVDITE] *Plaudere*, verbum est textricum, Græcis σπαθᾶν vel κροτεῖν: cùm illæ licium densiùs inculcant, & cum plausu collidunt. Apul. lib. 1. Metamorph. *Dextrâ sæviente frontem replaudens*, i. repercutiens. Hoc verbum in theatrum etiam migravit posteà: eoque, peractis Fabulis, Spectatores dimittebantur. VALERE enim & PLAVDERE jubebantur in hunc modum, *Valete & Plaudite*. quæ vel à GREGE, vel ab ea personâ, quæ postrema in Scenam introducebatur, pronunciabantur. Quod in Terentii Comœdiis perpetuum est, qui non tam latè se effundens in hâc formula, quàm Plautus, vel

B solo verbo PLAVDITE nonnunquam contentus est. Plautus quippe uno & item altero versu, quandoque plausum dari variis verborum figuris jubet. De quo Brissonius, lib. 8. Form. Solemn. Alluserunt Ovidius 2. Trist.

Plauditur, & magno palma favore datur

Tertull. lib. 1. advers. Valent. *Quod superest, inquam, vos VALETE & PLAVDITE: imò, quod superest, inquam, vos Audite & Rejicite.* Apulejus lib. 3. Florid. *Renunciavêre, Poetam dixisse rebus humanis VALERE & PLAVDERE; suis verò familiaribus* DOLERE & PLANGERE. Vide etiam Not. extremâ Truculento.

2. PLAVDITE, VALETE: LVMBOS SVRGITE ATQ. EXTOLLITE.] Ita MSS. Cam. &

Pall.

Pall. omnes quod probat Gruterus, & phrasin A etiam, *lumbos surgere*: quam & If. Pontanus è Cod. Anglic. observavit; & Schoppius è Langiano. *Surgere* enim κατὰ συγκοπὴν, pro *Surrigere*: ut, *Surpere* pro *Surripere*. Æneid. 4. ——*tot surrigit aures.*
Livius lib. 7. *mucrone surrecto*. Pseud. Prologo, *Exporgi melius est lumbos, atque exsurgier.*

ubi, *Exsurgere lumbos*, dictum non absolutè vel impersonaliter, sed sicut istic, *Surgere lumbos*. Pistori placet è Ven. edit. legere: *lumbos porrigite atque exsurgite*. Vulgati:

Plaudite & valete: lumbos porgite atque extollite.

Ubi nescio quam Venerem ambiguam in *porrectione* istâ *lumborum* venatur Lambinus.

FINIS EPIDICI.

BACCHIDES.

ARGUMENTUM.

EX Bacchidibus Plauti adducuntur â Charisio & Nonio, quæ in hac fabulâ non leguntur: ut esse mutilam illam, facilè existimare possimus. Quæ verò addita leguntur in editis libris, ut licet per me de iis sentiat quisque quod voluerit: ita vel mediocriter litteris Latinis erudito dubium esse non potest, Plautina illa non esse. *Fulgentius* quidam interpres veterum nominum, *nasiternam* adducit de *Plauti Bacchide*. nescio an alia illa Fabula fuerit: nam hujus nomen est, *Bacchides*. FABULA hæc elegans est: sed flagitia & turpitudinem nefariam proponit: ad cujus cognitionem terreri debent animi piorum, consideratione horribilis iræ divinæ, qui contemtum & neglectionem veritatis tam atrociter ultus fuit, ut in tantos errores, & talia peccata homines delabi sineret: in quorum mores hæc tanta & tam fœda vitia invaderent, quibus quidem civitates & imperia tandem interierunt. *Argumentum Fabulæ tale est.* ABSENS in Epheso, quo missus fuerat â Patre Mnesilochus, petit â sodale Pistoclero, ut Bacchidem amicam suam reperiat. Eam apud sororem ille & ipsam nomine Bacchidem fortè invenit, & hujus sororis amore implicatur. Redit mox ex Epheso Mnesilochus, & errans de sermonibus Lydi Pædagogi, in irâ consilium de auro retinendo, quod servus Chrysalus commentus fuerat, omne perturbat. Postea re cognita orat servum, ut aurum per fallacias retrahat. Id ille audacissimè atque callidissimè perficit. sed tandem fraude patefactâ, sævi & minaces senes blanditiis meretricum pelliciuntur eodem, ubi filios perire, ægerrimè paullò ante tulerant. Πιστόκληρος, est â fide sortis. *Lydus*, genti-

gentile. Βακχίδες, à Baccho. Χρύσαλος, ab auro: V. N. act. 4: 4. (ceu *Aurelium*, Latinè dicas. sic & *Chrysalis* vermiculus est, *Aurelia*que ab auri colore dicitur. *Turneb.*) Νικόβουλος, à victoriæ consilio. Μνησίλοχος, fortè à cogitatione insidiarum. Φιλόξενος, Hospitalis. Κλεόμαχος, à celebritate præliorum. Ἀρχιδημίδης, Patronymicè ab *Archidemo*, qui est princeps populi. Μνησιλόβουλος, præstans consilio. Θεότιμος, vel Dei cultor, vel is, quem Deus colit. Πελάγων, à pelago denominatus. Αρτάμων, ἀπὸ τοῦ ἀρτάμου, quod Cocum significat.

J. Douza: *PLAVTI Comœdia Bacchides insigniter est motoria, & variè delectat.*

J. Cæsar Scal. Poetic. lib. 1: 7. *Comœdia hæc hilaris & convivialis est.*

DRAMATIS PERSONÆ.

PISTOCLERVS adolescens.
LYDVS pædagogus.
BACCHIDES meretrices.
CHRYSALVS servos.
NICOBVLVS senex.
MNESILOCHVS adolescens.
PARASITVS.
MILITIS puer.
PHILOXENVS senex.
CLEOMACHVS miles.

GREX.

ACTUS I. SCENA I.

BACCHIDES, PISTOCLERVS.

QVID si hoc potis est, ut taceas, ego loquar? BA. lepidè: licet.
BA. Vbi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut subvenias, soror.
BA. Pol magis metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio.
BA. Pol ego quoque metuo, lusciniolæ ne defuerit cantio.
Sequere hac. PI. quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines?
Quid in concilio consuluistis? BA. bene. PI. pol haud meretricium est.
,, *BA. MISERIVS nihil est quàm mulier. PI. quid esse dicis dignius?*
BA. Hæc ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,
Ab istoc milite: ut, ubi emeritum sibi sit, se ut revehat domum.
Id, amabo te, huic caveas. PI. quid istic caveam? BA. ut revehatur domum,
Vbi ei dederit operas: ne hanc ille habeat pro ancilla sibi.
Nam hæc si habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.
PI. Vbi nunc is homo est? BA. jam hîc credo aderit. sed hoc idem apud nos rectius
Poteris agere: atque is dum veniat, sedens ibi opperibere.
Eadem biberis: eadem dedero tibi, ubi biberis, savium.
,, *PI. Viscus merus vestra est blanditia. BA. quid jam? PI. quia enim intellego,*
Duæ unum expetitis palumbem. perii, arundo alas verberat.

Non

Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.
BA. Qui amabo? PI. quia, Bacchis, Bacchas metuo & Bacchanal tuum.
BA. Quid est, quod metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat?
PI. Magis illectum tuum quàm lectum metuo. mala tu es bestia.
„ *Nam HUIC ÆTATI NON conducit, mulier, latebrosus locus.*
BA. Egomet, apud me si quid stultè facere cupias, prohibeam.
Sed ego apud me te esse ob eam rem, Miles cùm veniat, volo:
Quia, cùm tu aderis, huic mihique aut faciet quisquam injuriam.
Tu prohibebis, & eàdem operâ tuo sodali operam dabis.
Et ille adveniens tuam med esse amicam suspicabitur.
Quid amabo obticuisti? PI. quia istac lepida sunt memoratui:
Eadem in usu, atque ubi periculum facias, aculeata sunt,
Animum fodicant, bona destimulant, facta & famam sauciant.
Apage à me, apage. BA. ah, nimiũ ferus es. PI. mihi sum. BA. malacissandus es.
Et quid ab hac metuis? PI. quid ego metuam rogitas? homo adolescentulus
Penetrare hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur,
Ubi pro disco damnum capiam, pro cursurâ dedecus?
BA. Lepidè memoras. PI. ubi ego capiam pro machærâ turturem,
Ubique imponat in manum alius mihi pro cestu cantharum:
Pro galeâ scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hastâ talus: pro loricâ malacum capiam pallium:
Ubi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet.
Apage à me, apage. BA. ah, nimiũ ferus es. PI. mihi sum. BA. malacissandus es.
Equidem tibi do hanc operam. PI. at nimium pretiosa es operaria.
BA. Simulato me amare. PI. utrum ego istuc jocon' assimulem, an seriò?
BA, Heja! hoc agere meliu'st: Miles quum huc adveniat, te volo
Me amplexari. PI. quid eo mihi opus est? BA. ut ille te videat, volo.
Scio, quid ago. PI. & pol ego scio, quid metuo. sed quid ais? BA. quid est?
PI. Quid? si apud te veniat desubitò prandium, aut potatio
Fortè, aut cœna, ut solet in istis fieri conciliabulis,
Ubi ego tum accubem? BA. apud me, mi anime: ut lepidus cum lepidâ accubet.
Locus hic apud nos, quamvis subitò venias, semper liber est.
Ubi tu lepidè voles esse tibi, mea rosa, mihi dicito:
Dato, qui bene sit: ego, ubi bene sit, tibi locum lepidum dabo.
PI. Rapidus fluvius est hic, non hac temerè transiri potest.
BA. Atque ecastor apud hunc fluvium aliquid perdundum est tibi.
„ *Manum da, & sequere. PI. aha, minimè. BA. quid ita? PI. Quia ISTOC IL-*
„ *Fieri nihil potest, Nox, Mulier, Vinũ, homini adolescẽtulo. (LECEBROSIUS*
BA. Age igitur. equidem pol nihili facio, nisi causâ tuâ.
Ille quidem hanc abducet. tu nullus affueris, si non lubet.
PI. Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo!
BA. Quid est quod metuas? PI. nihil est. nunc ego, mulier, tibi me emancupo:

Tuus sum, tibi dedo operam. BA. lepidus. nunc ego te facere hoc volo:
Ego sorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam:
Ego tibi argentum jubeo jam intus efferri foras:
Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obsonium.
PI. Ego obsonabo. nam id flagitium sit meum, meâ te gratiâ,
Et operam dare mihi, & ad eam operam facere sumtum de tuo.
BA. At ego nolo dare te quicquam. PI. sino. BA. sino equidem, si lubet.
Propera amabo. PI. prius hic adero, quàm te amare desinam.
BA. Bene me accipis advenientem, mea soror. BA. quid ita, obsecro?
BA. Quia piscatus, meo quidem animo, hic tibi hodie evenit bonus.
BA. Meus ille quidem est. tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror,
Ut hic accipias potiùs aurum, quàm hinc eas cum Milite.
BA. Cupio. BA. dabitur opera. aqua calet. eamus hinc intrò, ut laves.
Nam ut in navi vecta es, credo timida es. BA. aliquantum, soror.
Simul hinc nescio qui turbat, qui huc it. decedamus.
BA. Sequere hàc igitur me intrò in lectum, ut sedes lassitudinem.

QUID SI HOC POTIS EST] Ita uterque MSS. Vulgò, *Quid si hoc potiùs sit &c.* V. N. Pœnulo act. 1: 2.

V. 1. BA. LEPIDE: LICET.] Ita distinguit Douza. ut sit adsentientis responsio. vel: *Quid si hoc potiùs est ut taceas, ego loquar lepidè? BA. licet.* quam lect. è MS. Charisii cod. eruisse ait, Lamb. l. *BA. lepidè licet.* scil. tacere mihi.

2. ME FUGIET] ita MS. primus. Secundus & qui hic incipit, *effugiet.*

2. UT SUBVENIAS] ita Cic. 2. Fin. *Si memoria defecerit, tuum erit ut suggeras.* Propertius lib. 1. el. 7.

Nec tibi subjiciet carmina servus Amor.

Ad quod Scaliger: *Subjicere*, verbum Scenicarum operarum. ὑποβάλλειν, est dictare alicui, monere. unde *Monitores:* qui aliter *Secundarij* dicebantur, hoc est, ὑποβολεῖς. Glossæ, *Secundarius: subdicus*, ὑποκριτής, qui secundò dicit. quanquam hoc verè non est *monitor.*

3. DEFUERIT ORATIO] ita hic etiam ambo MSS. ut & versu seq. quomodo & veteres edd. Vulgò, *desuat*, quibus adhæsit Pareus ed. primâ.

4. METUO, LUSCINIOLÆ NE DEFUERIT CANTIO] *Luscinia*, Græcis, ἀηδὼν, ὡς ἀεὶ ᾄδουσα, q. *semper canens.* Proverbium est: *Lusciniæ deest cantio.* Q. d. Mulieri desunt ver-A ba, Poetæ versus; Oratori color; Sophistæ cavillum. Est & aliud, *Luscinia Musarum:* in hominem insigniter eruditum, præcipuè in Poetam carmine felicem, qui ab aliis μουσῶν ὄρνις, ab aliis *Cygnus* appellatur. Seneca Epist. 76. *Habet vocem: sed quantò dulciorem, mobiliòremque lusciniæ!* ubi tamen in quinque MSS. Palat. constantissimè legi *lusciniy*, notat Gruter. Sanè de Luscinia ave digna admiratione narrat Plinius lib. 10: 29.

6. PI. POL HAUD MERETRICIUM EST] *Meretricium*, pro *meretricum*. Gruterus tamen hoc adjectivè capit. Acidalius, Rectè, inquit, distinguitur hoc ab H. Steph. sed nescio si & accipitur rectè. Nec enim hoc reB spondent meretrices, benè se consuluisse: quanquam sic interpretatur adolescens: sed ejus interrogationem rejiciunt honestâ illâ formulâ reticendi aliquid sine injuriâ quærentis. de quâ Donatus ad illud Terentii Hecyrâ: *Quid tu igitur lacrimas? P. rectè, mater.* Nam pro eodem in tali re *Benè* & *Rectè.* Mercatore, act. 2: 3. *DE. Unde incedis? quid festinas, gnate mi? CH. rectè, pater.* Et Ter. iterum Adelph. *Æ. perij. M. quid est? Æ. Nil. rectè.* itemque Eunuch. *Rogo, num quid velis? Rectè, inquit. abeo.* Jocus est igitur in ambiguitate responsionis. Illæ nihil ad eum pertinere videri volebant, quod consuluissent:

hic benè eas consistuisse interpretatus, quicquid esset, cavillatur ac mores earum conditionemque suggillat. V. & N. Mercat. 2:3. Noterur tamen in MSS. & omn. Edd. distingui: *BA. benè pol. PI. haud m.*

7. QVID ESSE DICIS DIGNIVS?] Ariolatur Lambinus. Sensus est: Quid ergo vis dignius esse mulierc, quàm ut misera sit? Dignis fit, quòd miseræ sunt. Was solten sie anders wehrt seyn? Loquitur enim adolescens ferocior, nec dum blanditiis earum delinitus. *Pist.*

9. VT, VBI EMERITVM SIBI SIT] hoc est, postquam tempus operarum, quas Militi locavit, exactum sit. *Emerita stipendia*, dicuntur, cum militi tempus omne, quod militiæ juraverat, transactum est. Cic. 6. ad Att. *Annua mihi opera ad III. Calend. Sext. emerentur.* Id. lib. 5. *Etsi annuum tempus propè jam emeritum habeamus.* Mostel. act. 1: 3. In utroque MSS. est, *Ut istoch militem, ut.* Nebulæ mihi hic sunt.

11. DEDIDERIT] ita MSS. *dideris*, vulgati.

12. FACIAT LVBENS] ut domum redeat: L. Sed malè. nondum enim domo abierat Bacchis. Hoc igitur ait: si mea soror tantum auri haberet, ut militi id quod ab eo accepit, reddere possit, (fingitur autem id absumptum, more meretricio) lubentissime faceret: ne cum eo abire cogatur. Patet ex seqq. *Pistor.*

14. IBI OPER.] Ita uterque MSS. de quo ne meminit quidem ille diligens Pareus. vulgg. *hic op.* directè contra mentem loquentis.

15. EADEM DIEBRIS] eâdem operâ nobiscum potaveris: L.

17. DVÆ VN. EXP. PAL.] duæ meretrices unum amatorem.

17. ARVNDO ALAS VERBERAT] Arundo visco illita alas mihi verberat: & ita fit ut visco contractas compactasque alas explicare non possim. Significat se propè captum esse, &c. Apulejus lib. 11. *Qui diversis arundinibus, alter aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret.*

18. FACINVS] sc. hic apud vos potare. L.

19. QVI? AM.] MS. prior, *Quid.*

20. MALITIAM] ita ambo MSS. & Edd. vett. consensu. Tamen Lamb. è merâ conjectura edidit *malaciam*, i. mollitiem. id secutus novator Pareus in editione sua prima. Cæsar. 1. de B. Gall. *maris tranquillitatem* interpretatur. Aurel. Victor, cap. 22. *Antium profecti sunt: ubi per malaciam maris, anguis proximè Æsculapij fanum petijt.*

21. MAGIS ILLECTVM QVAM LECTVM METVO] magis tuas illecebras extimesco, quàm lectum. *illectus, us.*

21. MALA TV ES BESTIA!] Catullus Carm. 70. *nam mala valdè est Bestia.* Sumtum è vernaculo sermone notat P. Victorius, l. 3: 22. Ita Bion. Idyll. φεῦγε μακρὰν, κακὸν ἐστὶ τὸ θηρίον.

22. LATEBROSVS LOCVS] Lustrum, ganeum. Schlupfflöcher / Hurnwinckel.

23. SI QVID] Ambo MSS. & vet. Edd. τὸ *si* non habent.

26. SODALI] Mnesilocho.

27. ILLE] Miles.

27. MED.] Ita MS, sec. pro *me*, versus causa.

28. OBTICVISTI] alii: *obstipuisti* pro *obstupuisti.*

28. QVIA ISTÆC I.] Acid. versûs & sermonis caussâ leg. *Quia enim istæc memoratu lepida sunt*, invenitque statim Pareum; qui id in contextum reciperet ed. prima; altera verò retineret *enim* contra MSS. & edd. imò & versum.

30. BONA DESTIMVLANT] ita MS. pr. id est, rem familiarem tanquam stimulo conficiunt. Acidal. præfert quod est in v. edit. *dissimulant:* & sic etiam MS. sec.

30. FACTA ET FAMAM SAVCIANT] Sic Lucret. lib. 3. *vulnera vitæ* dixit: & lib. 4. *ægrotat fama vacillans.* Varro: *Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit, & consenescit.* Elegans tralatio ab animato ad rem inanimem. De quâ P. Victorius lib. 19: 11. item P. Faber, lib. 1. c. 9. Semestr.

31. MIHI SVM] hæc feritas ex re meâ est.

31. MALACISSANDVS ES] ut qui nimis durus sis. Seneca Epist. 66. *malacissandos articulos* dixit: ubi tamen Pincianus mavult, *malaxandos.* utrumvis tamen rectum. nam & μαλακίζειν & μαλάσσειν Græcis est *lenire, mollire.* Vide & Gruter. lib. Susp. Acidalius hunc versum hic exturbat planissimè, ut qui paulò pòst sedem habeat legitimam.

33. DESVDASCITVR] desudatur, certatur: L.

34. VBI PRO DISCO] Eadem ferè exercitationum nomina recenset infra Lydus, act. 3:3. Et planiùs aliquanto & copiosiùs Mostel. act. 1:2. Quorum locorum collatio facit omnia clariora.

34. CVRSVRA] *Cursura*, à curro, eâ formâ dictum, quâ Ter. Eun. act. 2:3. *curatum* à curo: alii, *vectum* à veho. Turn. lib.9. c.31.

35. TVRTVREM] Pueris delicatis, inquit Lamb. dabantur aves, quibuscum lusitarent: ut Capt. act.5:3. eóque hoc referendum. Sed Douza falsum id, nec satis eroticum putans, mollius quiddam cogitat: creditque *Turturem* hunc Plautinum, quem pro machærâ in manus capiundum sibi argute quidem, sed nequiter satis & lascivè argutatur adolescens quovis turture salacior, prorsus concolorem esse *Passeri illi* non passeri Catulliano &c. Gruterus, Nescio, inquit, annon debeam accedere Lambino: hoc scio, non ineptè molliorem sensum tueri Douzam: nisi tam pudentis videretur iste Pistoclerus verecundiæ, ut tale quid usurpare metuerit. Certè tota narratione nihil promit spurci, nihil ambigui. Interim tamen *Turtur* veteribus inter ea vocabula, quæ sine præfatione honoris vix nominata: unde *Turtures*, molles impudicique. Certè Seneca epist. 96. *Isti quos publicæ quies, alys laborantibus, molliter habet, turturillæ* (alii l. *turdilli*) *sunt, tuti contumeliæ caussâ.* Quos enim hic designet, scitur ex simili loco cap. 5. de Provid. magis verò è Glossis Isidori: *Turturilla ita dictus locus, in quo corruptelæ fiebant, quod ibi turturi opera daretur, id est, peni.* (Lips. *ganea.*) De *turdis* etiam Athenæus lib.6. pag.121. lineâ 32. (edit. Casaub. 241.) *Philoxenum caros esse turdos, Coryda præsente, quem fama erat olim prostitutum: atqui recordor, ait, Corydum obulo tantùm olim venisse.* Nec aliâ de caussâ Catullus Epigr. 95. Mamurram pathicum simpliciter *Mentulæ* nomine traducit. Plautus etiam *putillum* & *passerculum* in blanditiis usurpat, Asin.3:3. ad quæ Scaliger. Nec aliâ fortè de caussâ Aristophanes in Avibus *passerem* vocat *Matrem deorum hominumque.* Haud tamen crediderim *Catulli passerem* hoc obtegi nomine: licet Martial. lib.11. Epig.7.

Donabo tibi passerem Catulli,

A ita accipere *passerem* videatur. Nam plorasse Lesbiam veram avem, satis innuit ipse lib. 7. Epigr. 13. *Accidit infandum &c.* rursusq; lib. 14. ep.77. Titulo, Cavea. *Si tibi talis &c.* Diversa namque cavea alteri illi passeri conveniat. Sed & *palumbus* inter obscena. Noster Pœnulo, act.3. sc.3.

Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus.

Nunc te illum melius capere, si captum esse vis.

Illud, *si captum esse vis*, putarim duplici sensu. Nam *edere* inter Venerea, alibi diximus Lucill. lib.4. Sat.

Commanducatur totum complexa comestque.

unde & Apul.8. Met. *Cave ne solus exedas tam bellum scilicet pullulum: sed nobis quoque tuis palumbulis nonnunquam impertias.* Certè matrona quædam amatori suo ita loquitur X. Met. *Teneo te, inquit, palumbulum, meum passerem.* Quibus consequenter rectè Artemidorus lib.2. cap.26. *Palumbes & Columbæ mulieres &c.* Videatur textus Græcus. Suspicor & *Anserem* tali integumento venisse, ideoque dici apud Petronium: *Occidisti Priapi delicias, anserem omnibus matronis acceptissimum.*

B Et ideò *super Aquarium arbitror Anserem impositum* in convivio Trimalchionis: quod ille non tam aquarius ab aquâ purâ, quàm incestâ, Jovis scilicet pullus. Planè, *Anserem scortis* dicta docet Artemidorus lib.1. cap.73. Item lib.4. cap. 85. Curque id nomen sortiti sint, prodit idem lib.1. cap.21. & 17. De quo ego alibi etiam ad illud Ovidii:

Dedecus hoc sumtâ dissimulabit aquâ.

Perdix quoque eo nomine; ut clarissimè Aristoph. in Avibus &c. Hæc Gruterus: quæ uberius persequitur in Susp. libris necdum editis.

36. PRO CESTV] *Cestus* lora erant quibus pugilum brachia & manus innectebantur: ut nostris moribus chirothecis fit. *Cestus* dicti quasi sic κεστὸς ἱμὰς, i. sutile lorum. Ferrum etiam & plumbum insuebant, sævissimo spectaculo. Cestus significat Virgilius Æn. 5. v.425.

Et paribus palmas amborum innexuit armis, &c.

De *Cestu* tamen omnium accuratissimè tractavit Nic. Rigaltius in Notis ad Onosandri Strate-

Strategicum. inprimis de *cesto* sive *tunica Veneris*, quam coloribus exquisitissimis, atque ipsis quasi Musarum & Gratiarum manibus pinxit.

37. SCAPHIUM] Poculum oblongioris figuræ, laterumque in scaphæ similitudinem flexorum. Turneb. lib. 2: 30. At Douza hanc tautologiam à Plautino Atticismo spernendam censet: quòd is *Cantharum* jam dixerit: & *scaphium* interpretatur vas illud, cui solent immejere mulieres, autoritate Juvenalis & Martialis. *Scaphium*, ait Gifan. vas ex ære ad retrimenta alvi: muliebre ferè; ut *lasanum* virile. Qui pro matula accipiunt, verbo abutuntur. *Sellam* vocat Varro, ut & patrio sermone nos hodie.

37. PRO INSIGNI SIT CORONA PLECTILIS] *Insigne*, crista est, quæ in galeâ figitur. *Corona plectilis*, quæ ex herbis odoratis plectitur, non conseritur, neque suitur. itaque à sertis floribus, & sutilibus coronis differt: Turneb. lib. 2. cap. 30. & Comm. in Cic. Orat. 1. in Rull. Ita Seneca epist. 80. *Insigne capitis*, vocat insigne regium, quod capiti circumligatum. Euripid. Hipp. στέφανος πλεκτὸς, quæ nectitur ex ramo lauri aut myrti, aut simili, sine ornamentis & lemniscis, &c. *Bosius*.

38. PALLIUM MALACUM] V. N. Milit. act. 3. 1. *Pallium* hoc loco nominat vestem cœnatoriam sive synthesin. Describit enim omnia, quæ solita convivio. Etiam Martial. lib. 11. ep. 24. *pallia* appellat: ad eam eamque formam credibile est fuisse illas cœnatorias. Rectè etiam *malacum* Plautus: revera enim mollior pretiosiorque ea vestis, & sæpe purpurea coccineave. Et tale vestimentum accubitorium Persius. *lænam hyacinthinam*, Sat. 1. dixit &c. Lipsius Saturn. l. 1. cap. 2. Douza *malacum pallium* dici putat à colore *malvæ*, quam μαλάχην vocitatam ex Athenæo docuerit Camerarius. V. N. Aul. act. 3. 6.

39. SCORTUM PRO SCUTO ACCUBET] lepidè & acutè. *Scortum* enim nomen habet à materiâ illâ, quæ tegumentum scutis. Et scutum alioqui militibus semper præstò. Quintil. Declamat. 3. *Alii fossas vallumque scutis innixi cingant: tribunus inter scorta volutabitur?* Huc fortè etiam respexit Artemidorus, qui ait lib. 2. cap. 32. *Scutum propriè designare mulierem*: Gruterus. V. N. Epidic. act. 1. 1. Porrò de *scuto* docet Turn. lib. 11. cap. 27. eum fuisse formæ oblongæ majusque clypeo: ita ut loricæ & clypei loco esset, totumque corpus protegeret. Æneid. 8.

—*scutis protecti corporis longis*.

& hinc θυρεὸν Græcis vocatum, quòd referat similitudinem forium, quæ longiores, quàm latiores esse soleant. dictum *Scutum*, ait Lips. de Milit. Rom. lib. 3. dial. 2. παρὰ τὸ σκῦτος, i. à loro, è quo factum. Contrà *Clypei* erant rotundi, Virgil. 2. Æn. v. 227.

—*clypeique sub ORBE teguntur*.

hinc & Hom. ἀσπίδας εὐκύκλους agnomento dixit. Cæterùm Meursius hic leg. *scortum pro scorto accubet*. Rationem vide Epid. sc. 1.

40. AT N.] ita MS. sec. & Edd. vett. nec displicet Grutero. Vulgo, *Ah*.

41. NIMIUM PRETIOSA ES OPERARIA] Operæ tuæ nimis magnâ mercede conducuntur: L.

42. ISTUC IOCON' ASS.] Sic MSS. & scribunt & transponunt.

43. HOC AGERE] sc. seriò amare: L.

45. SCIO, QUID AGO] cujus rei gratiâ hoc agi velim. Vide N. Aul. 1. 2.

46. APUD TE VENIAT P.] ita MSS. & vett. edd. non, *eveniat*, quod contra eosdem expressit tamen Pareus.

51. DATO, QUI BENE SIT] V. N. Mostell. act. 3. 2.

51. QUI] Trucul. act. 2. 7.

54. ILLECEBROSIUS] illecebrarum plenius: *Charis*.

56. AGE IGITUR. EQUIDEM] Nunc meretrix ubi videt, se Pistoclero persuadere non posse, ut introeat, & agat, quæ rogatus est, ei assentitur; ostendens se nihil quicquam facere, nisi quod ei lubeat: velle omnia ipsius caussâ; nihil prætereà. L.

58. SUMNE AUTEM NIHILI] Hic succumbit adolescens, victus callidâ meretricis oratione: quod intelligens ipse se reprehendit & accusat. L.

59. EMANCUPO] sic apud Horat. Epod. 9. *miles emancipatus feminæ*, est suâ sponte in servitutem feminæ traditus, ut Interpp. explicant: quos vide; sed & Festum. Glos-

ſæ: *Emancipatio*, ἐξουσίωσις, χειροφετεία. *Emancipatus*, χειρόφετος. *Emancipo*, ἐκποιῶ. *Emancipat*, χειροφετεῖ. Cic. in Cat. Major. *Ita ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi jus ſuum retinet ſi nemini emancipata eſt.*

59. NVNC EGO] Ille ſerpentinis oculis enotare ſaltem debebat: MSS. heic habere, *nugæ*; & vocem iſtam tantum tribuere adoleſcenti; præcedentem Bacchidi, & vero illud *nugæ* non diſplicet.

60. LEPIDVS.] ita Meurſ. & Grut. At Schop. l. *Lepidus es. PI. nugæ. BA. te facere hoc ſolo.* Illa adoleſcentem, quòd ſuam meretrici operam pollicere tur, lepidum eſſe dicit: adoleſcens ipſe, non lepidum ſe, ſed nugas & hominem nihili eſſe contendit, qui quidem à meretrice ſe perduci patiatur. Sic & paullo ante dixerat: *ſumne autem nihili, q.* &c.

61. VIATICAM] V. N. Epid. 1. 1.

62. EGO TIB.] Douza, *Ergo t.* malè. nam emphaſis eſt in *Ego*.

62. IVBEO] ita MSS. & Edd. vet. non, *jubebo*, quod in recentioribus, nec forſan male.

62. EFFERRI] Meurſ. è Chariſio, lib. 2. legit, *Ecferri ſ.* Atque ita etiam MSS. Camer. cur igitur reſpuit noviſſima editio Saxonica? quærit Pareus. ut ei ſcilicet diſpliceat. alioquin cum eodem ſcribendum erat verſu 72. *Kalet* pro *calet*. quid? aſinus ille arbitratur nobis omnibus neceſſe eſſe furere cum ipſo. Porrò notetur phraſis, *Argentum intus*, pro eo quod intus eſt. ſic Amphitr. *intus patera*: & Men. *intus cocus.* act. 1. ſc. 3. Hæc Camer.

94. NAM ID FLAGITIVM SIT MEVM] Cave mutes in *merum*. ſic & Amphitr. act. 3. 1.

Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim,
Id Alcumenæ ſi innocenti huic expetat.

Pœnulo act. 5. 2. *Nam tuum flagitium eſt, tuas populares* &c. Grut.

65. FACERE SVMTVM DE TVO.] Ita Terent. *Olet unguenta de meo.* i. meo ſumptu. Schop.

67. PRIVS HIC ADERO, QVAM TE AMARE DESINAM.] Dicamus hoc ſignificari à Piſtoclero: Ego mox adero. quod ſi tu vereris, Bacchis; ne, quia aut te non amem, aut non conſtanter amem, tardus in redeundo ſim futurus, ſpondeo me priùs hic adfuturum, quam te amare deſinam: *Lamb.* quem vide. Sed nihil, aut parum pro re noſtrâ videbis. Donatus aut illud Terentii Eunuch. act. 4. 2. *Certè extremâ lineâ amare, haud nihil eſt*, notat: Amare, modò frui amore dicit. Plautus Bacchid. *Prius hic adero, quàm te amare deſinam.* Et, *Sine te amem.*

68. BENE ME ACCIPIS] Videtur verſus cauſſa geminandum, *Bene bene me accipis*, aut certè, *Bene me me acc.*

68. QVIA PISCATVS TIBI EVENIT BONVS] ſignificat, amatorem locupletem ei contigiſſe. Noſtri: Du haſt wol gefiſcht.

71. AQVA CALET] Ut *frigida* eis qui deliquium animi patiuntur, prodeſt: ita *calida* illis, qui timuerunt, vel laborarunt vehementius: Del-rio in Senecæ Agam. v. 784. Vide & N. Trucul. act. 2. 3.

72. IN NAVI VECTA ES] Edd. vet. *i navi vecta eſt*, quod ferè placet. nam illud *in* Pal. pr. agnoſcit raſuram. Denique MS. ſecundus bis expreſſit verſum iſtum; & prima quidem vice habet, *Ui navi vectes*, ſecunda verò, *Ut in navi.* ex quo apparet quàm turpiter Simiola noſtra nates ſuas oſtendat, dum heic paratragœdiatur: *Ut in navi*) Sic diſertè ambo MSS. neque enim τὸ in MS. decurt. eſt omiſſum, uti nonnemo falſò exſcripſit aliorum Excerpta: ſed expreſſè quoque ibi retinetur. tantum eſt alienis oculis videre. Sic ille, qui inſigniter mentitur, dum id fidenter aſſirmat, quod cuilibet contra apparet, cui plena nondum inſania obrepſit. ibidem enim expreſſit *Ut navi.* tantum eſt abuti oculis ſuis, & habere roſtrum apertum ad calumnias.

72. TIMIDA ES] V. N. Amph. act. 1. 3.

ACTUS

ACTUS I. SCENA II.

LYDUS servus, PISTOCLERUS adolescens.

IAMDUDUM, Pistoclere, tacitus te sequor,
Spectans, quas tute res hoc ornatu geras.
Nam, ita me dij ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur posse hic ad nequitiam adducier.
Quò nunc capessis te, hinc adversâ viâ,
Cum tantâ pompâ? PI. huc. LY. quid huc? quis istic habet?
PI. Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,
Jocus, Ludus, Sermo, Suavis-suaviatio.
LY. Quid tibi commercij est cum dìs damnosissimis:
,, PI. MALI SUNT homines, qui bonis dicunt male.
,, Tu dìs nec rectè dicis: non æquum facis.
LY. An deus est ullus Suavis-suaviatio?
PI. An non putasti esse? nimiumquàm, ò Lyde, es barbarus!
Quem ego sapere nimio censui plus quàm Thalem,
I, stultior es barbaro Potitio,
Qui tantus natu deorum nescis nomina.
LY. Non hic placet mihi ornatus. PI. nemo ergo tibi
Hoc apparavit: mihi paratum est, cui placet.
LY. Etiam me adversus, exordire argutias?
Qui si decem habeas linguas, mutum esse addecet.
,, PI. NON OMNIS ætas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mente est mihi nunc, satis ut commodè
Pro dignitate obsonij hæc concuret cocus.
LY. Jam perdidisti te, atque me atque operam meam,
Qui tibi nequicquam sæpe monstravi bene.
PI. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam.
Tua disciplina nec mihi prodest, nec tibi:
LY. O præligatum pectus! PI. odiosus mihi es.
Tace, atque sequere, Lyde, me. LY. illuc sis vide,
Non pædagogum jam me, sed Lydum vocat.
PI. Non par videtur, neque sit consentaneum,
Cùm herus hic intus sit, & cum amicâ suâ accubet,
Cùmque osculetur, & convivæ alij accubent,
Præsentibus illis pædagogus unà ut siet.
LY. An hoc ad eas res obsonatum est obsecro?
,, PI. SPERAT quidem animus: quò eveniat, dìis in manu est.

LY. Tu amicam habebis? PI. cùm videbis, tum scies.
LY. Imò neque habebis, nec sinam: iturus sum domum.
PI. Omitte, Lyde, ac cave malo. LY. quid? cave malo?
PI. Jam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.
LY. O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens!
Video nimio jam multo plus quàm volueram.
Vixisse nimio satiu'st jam, quàm vivere.
Magistron' quenquam discipulum minitarier?
Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis:
Valens afflictet me vacivom virium.
PI. Fiam, ut ego opinor, Hercules; tu autem Linus.
LY. Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam,
Teque ad patrem esse mortuum renunciem.
PI. Satis historiarum est. LY. hic vereri perdidit.
Compendium edepol haud ætati optabile
Fecisti, cùm istanc nactu's impudentiam.
Occisus hic homo est. ecquid in mentem est tibi,
Patrem tibi esse? PI. tibi ego, aut tu mihi servus es?
LY. Pejor magister te istæc docuit, non ego.
Nimiò es tu ad istas res discipulus docilior,
Quàm ad illa, quæ te docui, ubi operam perdidi.
PI. Istactenus tibi, Lyde, libertas data est.
Orationis satis est. sequere me, ac tace.
LY. Edepol fecisti furtum in ætatem malum,
Quum istæc flagitia me celavisti, & patrem.

TUTE RES] MSS. & Edd. vett. non habent illud *te*.

2. HOC ORNATU] hoc apparatu & comitatu.

3. LYCURGUS] qui continentissimus & severissimus apud Lacedæmonios Legislator fuit, &c. sic Ovidius:

Illic Hippolytum pone, Priapus erit.

5. TE H. ADVORSA VIA] ita MSS. & edd. vett. At J. Gulielm. legit: *capessis teted hinc adversâ abi.* ob ea quæ antecedunt. idque illicò arripuit ad pr. ed. Pareus, & in sec. retinuit *teted*, contra libros suos, non postulante versu. *Adversâ avis* est *altera*, & ominis mali. V. N. Epid. 2. 2.

13. NIMIUMQUAM, O LYDE, ES BARBARUS,] ita Gruterus. sic Captiv. *Quod ego quidem nimiquam cupio, &c.* Alludere autem videtur ad Proverb. *Lydi barbari.* quo usus Curcul. 1. 2. Et mirum ni eòdem ab Ausonio allusum:

Barbarus est Lydus, fallax, Geta. &c.
MSS. & Edd. *prim. unquam? O Lyde.*

15. I! STULTIOR ES BARBARO POTITIO.] Sic fere MS. pr. vocali, inquam, tertia utrinque punctis cinctâ, quod accepit Camerarius pro, *id est*, ideoque valde ἀνοχῶς reposuit, *Idem.* MS. alter & edd. vv. *I stultior.* versus requirit geminationem: *I, i, stultior.* omninò imperitum & rusticum sacerdotem priscum notat. Simplicitas autem est antiquitatis: unde Græci ἀρχαίους vocant stolidos. Jam *Potitios* & *Pinarios* fuisse Herculis sacerdotes constat: *Cam.* Renatus Choppinus JC. lib. 1. De sacrâ Politiâ: Crebro à patrefamiliâs eriguntur Sacerdotia, dedicanturque, eo animi decreto, ut sacrorum cura, fructuúmque sacerdotii istius perceptio ad solam

ad solam gentem familiamque longis successionibus devolvatur. Quod sacerdotiorum genus à priscis *Gentilia sacerdotia*, à nostris *Beneficia* sunt *juris Patronatus* appellata. Sic Herculis statutæ, sola ut Pinariorum familia ministra esset epulantibus Potitiis & complentibus Sacra: uti apud Fenestell. legitur. Ex quo à Marone dictus

——primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri,

Æneid. 8. Ant. Augustinus notat, *stultum* vocari ideo: quòd cùm ab Hercule ritum sacrificandi accepissent, quinquaginta millibus æris gravis edocuerint servos publicos populi Rom. sed intra dies triginta familiæ duodecim interierunt. Vide Festum. Macrob. lib. 3. c. 6. Aurel. Victor, c. 34. Val. Maxim l. 1. c. 1. H. 17. Livium lib. 9. alios. *Barbaro* autem, i. Romano. Vide N. Trin. prolog.

21. NON OMNIS ÆTAS, LYDE, LVDO CONVENIT] Ludo sc. discendi. Et paronomasia est non illepida in *Lydo* & *ludo*. L.

25. QVI TIBI N. MONSTRAVI BENE] H. Steph. hoc ita dictum ait; ut Galli dicunt sine substantivi adjectione, *Monstrer a quelcun*, pro *Tradere doctrinam aliquam*.

28. O PRÆLIGATVM PECTVS] ò insanum pectus! ab his, qui veneficiis ceu vinculis ligati videntur, & illecebris quibusdam veluti *defixi* tenentur. Turneb. l. 2. c. 30. Et valdè propriè *defixi*, in re tali vir max. dixit. Nam hæc vis est verbi *defigere*. Ita Virg. in Ciri: *Regis Iolchiaci animum defigere votis*. quod dictum, ut *defigere diris*. Glossæ: *Defictiones*, [illegible].

30. NON PÆDAGOGVM JAM ME, SED LYDVM VOCAT] Hinc apparet priscos illos commune hoc etiam, præter cætera, moribus nostris habuisse, ut dignitatis potiùs & honoris titulo, quam nominibus propriis cieri ac compellari sese præoptarent: *Douza* V. N. Amph. Quid Pædagogus distet Præceptore, diximus Pseud. 1. 5.

32. CVM HERVS HIC INTVS S. ET C. A. SVA ACC.] Est à recentioribus, nam vett. nec *herus* habent, nec *sua*: quas voces quoque nec reperias in MSS. quorum pr. *Cum hac intus sit, & cum amica accumbet*. sec. *Cùm hac intus intus sit & c. a. accubet*.

36. DIIS IN MANV EST] Es stehet in Gottes Hand. ἐν γούνασι θεῶν κεῖται.

37. AMICAM HABEBIS?] Terent. *Quis heri habuit Chrysidem?* Ovid. *Noluerint habiles pluribus esse viros*.

40. JAM EXCESSIT MIHI ÆTAS EX MAGISTERIO TVO.] ita MSS. Cam. ambo. Ich bin der Ruthen entwachsen. Et næ hodie multi sunt qui hæc ante annos præceptoribus suis oggannìunt. Nec tamen improbat Gruterus, quod est in priscis Editt. *ex magistratu tuo*. *Magistratus* quippe commune nomen quondam fuit. Festus: *Magistrare, regere & temperare est: unde Magistri, non solum doctores artium, sed & pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur: quia omnes hi cæteris magis possunt: unde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quàm privati*, &c. Spartianus in Hadriano: *Ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistrans*. Symmachus lib. 4. epist. 45. de Seniore, *gravissimum ordinem magisterium respuisse*. Apul. 1. Met. de Ædili: *scias quemadmodum sub meo magisterio mali*, &c. Sueton. Domit. cap. 4. pro sacerdote aut ludorum præfecto: *ex quo forte ducti magisterio fungerentur*. Id. Caligula, c. 31. *Magisteria sacerdotii*, &c. sic vice versâ, *Magistratus* pro *magisterio*. Livius lib. 24. *Quid enim suâ sponte tutores ejus ac magistratus sub*, &c. Seneca epist. 15. *Accedunt pessimæ notæ mancipia in magistratum recepta*. Hæc Grut. Et certè in meis omnib. *magistratu*, legitur. quod Meursius præfert. Pulchre etiam ad hunc sensum dixit. Cornel. Tacit. *Exuere magistrum*.

41. O BARATHRVM!] Tale illud Virgil. *mihi tellus ima dehiscat*. Electa Parei ad istum versum notant: Tantus fuit apud Veteres interni & proprii spiritus contemptus, ut sæpe alia omnia externa præ illo insuper haberent. Horreo ad has voces, adeo monstrosæ sunt compositionis. dicere tamen voluit, Quosdam sibi ipsi manus intulisse. O os Svadæ! quam lepidè implet genti tuæ Arcadicæ longas aures!

41. TE VSVRPEM] sic loqui amat Plautus & Lucret. *usurpare quid oculis, pedibus*, &c.

43. VIXISSE] i. mortuum esse. V. N. Capt. 3. 3. *Nunc illud est, cum me fuisse, quàm esse, nimio mavelim*.

43. SATIV'ST JAM] ita MSS. ambo.

45. PLENOS SANGVINIS.] i. animosos, calidos & iracundos: ut contrà, *Exsangues*, timidi: L. & P. Vict. l. 25. c. 21. Alii, *plenos sanguinis*, exponunt ad illud Vigilii, 2. Æn.

——*quibus integer ævi sanguis*:

ideoque adultos & robustos: quos non vult amplius sibi discipulos.

46. VACIVOM VIRIVM] Sic Mamertinus dixit, *Annonæ vacuum*. Et Eumenius, *vacuum commodorum*.

47. FIAM, VT EGO OPINOR, HERC.] ita MS. Cam. prior. alter, *Fia mutet Ego op.* E quo feceris: *Fiam ut & eg.* Linus Herculem in Musicâ discipulum objurgans, ab ipso allisâ in caput citharâ occisus fuit. Lipsius lib. 2. Antiq. Lect. c. 7. legit è Vaticano: *Eja! nunc esse ego opinor Hercules*, &c. neque aliter edd. primæ & seqq. Arnobius libr. 1. *A quo ipsam deitatem sortiti esse sentiunt*. Virgil. 2. Æn. *sensit medios delapsus in hostes*. Vide & Comment. ejus in Tacit. lib. 4. Histor. itemque Not. Asin. 3. 3. Meursius è suo leg. *Eja, nunc esse ego od opinor Hercules* &c. ut sit Octonarius, at suavius is procederet versus transmutatione vocis; *nunc ego esse op.*

48. NE PHOENIX] *Phœnix* enim Achillem discipulum à Paride ad Trojam interfectum Peleo nuntiavit.

48. TVIS FACTIS] Meurs. putat rectè legi posse; *tuis satis*. quod dissimulanter editioni suæ intulit Pareus.

50. SATIS HISTORIARVM EST] *Historiarum* appellatione intelliguntur apud Plautum etiam fabulæ, & omnia, quæ ad cognitionem antiquitatis pertinent: *L.*

50. HIC VERERI PERDIDIT] τὸ αἰδεῖσθαι, i. τὴν αἰδῶ. Sic Lucret. l. 4. *meminisse jacet*. i. memoria Cic. 2. de Finib. *videamus, beatè vivere vestrum, quale sit. L.*

53. OCCISVS HIC, &c.] Meursius è conjecturâ l. *Occisus hic homo es*. quod illico in contextum intulit sagacitas Parei.

53. IN MENTEM EST TIBI] ita MS. primus, & quæd. Edd. V. N. Amphitr. act. 1. 1.

54. TIBI EGO] Gruterus lepido sarcasmo suspicatur: *tibi ego; haud tu mihi servus es*. quod & in contextum recepit Pareus, quoniam MS. pr. haberet *aut*, sec. *an*, qualis

A ratio? imò præposuerim, *an*: quod etiam in ceteris edd. antiqq.

58. LIBERTAS DATA EST. ORATIONIS SAT.] ita MSS. ambo, & probatur etiam D. F. & Acidalio. Alii distinguunt:

——*data est* —

Orationis. satis est. sequere me ac tace.

Sanè τὸ *hâc* & numeri & omnes vett. meæ. edd. respuunt. Præterea Acidalius totum hunc locum ita transformat:

PI. Omitte Lyde, ac cave malo. LY. quid cave malo?

O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem libens?

Video nimio jam multò plus quàm volueram.

Vixisse nimio satius est quàm vivere.

Magistron' quenquam discipulum minitarier?

Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis:

Valens afflictet me vacivom virium.

PI. Fiam ego, ut opinor, Hercules; tu autem Linus.

LY. Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam,

Teque ad patrem esse mortuum renunciem.

B *PI. Satis historiarum est. LY. hic vereri perdidit.*

Compendium edepol haud ætati optabile

Fecisti, cum istanc nactus impudentiam.

Edepol fecisti furtum huic ætati malum,

Quum istæc flagitia me celavisti & patrem.

PI. Istactenus tibi, Lyde, libertas data est.

Jam excessit mihi ætas ex magisterio tuo.

LY. Occisus hic homo est. ecquid in mente est tibi,

Patrem tibi esse? PI. tibi ego, aut tu mihi servus es?

LY. Pejor magister te istæc docuit, non ego.

Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,

Quàm ad illa quæ te docui, ubi operam perdidi.

PI. Orationis satis est. sequere me, ac tace.

Omnia sic aptissimè cohærere, nemo negete sic tamen à Plauto esse, fortasse multi.

60. FVRTVM] κλοπὴν, κλέμμα, pro calliditate & astutiâ, quâ quis consilium suum occultat. Sic & κλέπτειν pro fallere & latere, & voluntatem celare, Græci utuntur: L. In edd. vett. omnibus est, *fecisti furtum ætati malum*. Quod rectius censet Meursius & *furtum ætati facere*, dictum ait, quomodo *fraudem*

fraudem facere. neque segnis fuit id alveario suo inferre Pareus, sed primo, cùm non discerneret carduos à lactucis, transmutatus enim in leonem nihil non ordine facit. MSS. leg. *fecisti furtum in ætatem malum.* prior tamen (nam hunc versum casu bis descripsit) primùm habebat, *in ætate*: ut Trin. act. 1. 1. *Immune est facinus, verùm in ætate utile.* quod utrumque Gruterus non negat retineri posse: cùm promiscuè veteres illi dictioni jungant sive accusandi sive auferendi casum. Parei malignitas heic iterum se exerit. carpit enim, tanquam falsò prodidissemus *ætatem* retineri in MS. pr. cùm ipsemet tamen id cogatur fateri iisdem verbis, quibus id expresseramus, & talem sycophantam adhuc ferimus?

ACTUS II. SCENA I.

CHRYSALUS servus.

HERILIS patria salve! quam ego biennio,
Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquus nostris accolis, veneróque te,
Ne Nicobulum me sinas nostrum senem
Prius convenire, quàm sodalem viderim
Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistolam
Mnesilochus misit super amicâ Bacchide.

HERILIS PATRIA SALVE.] Mos erat, ut qui primùm ingrederentur regionem aliquam, ad eamve ex intervallo reverterentur, religiosè eam salutarent: idque, quoniam cuique loco suum quendam Genium præesse arbitrantur. Sticho, act. 5. 2. Muretus ad Catullum, J. Meurs. ad Cassandr. extremam, & Dan. Heinsius in Crepundiis ad XIII. libr. Sillii. Videtur autem hoc principium de Menandræis senariolis expressum: χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν Ἀσπάζομαι, &c.

3. VICINE APOLLO] Apollinem *Prostaterium* intelligit, quem veluti præsidem in vestibulo domus Athenienses colebant: Bacchides autem Athenis agi finguntur. Tur. l. 2. 30. Semel annotabo, quæ pluseulis locis dent lucem, ex Auctuario Philolog. cap. 2. J. Meursii. Apud veteres Roman. *Familia* distinctæ in duos ordines: Servos, qui *Familia* nuncupabantur; Ingenuos, qui *Familia aurea*, quorum dux & princeps generis vocabatur *Pater* & *Materfamiliæ*. Videatur Festus. Auctex familiæ præstites dij *Picumnus* & *Pilumnus*, i. Mars & Romulus. Quorum Picumnus, quia princeps Larum erat, Lar. κατ' ἐξοχὴν fuit appellatus, & quidem *Militaris*; ut à familiari dignosceretur. Capella lib. 1. *Mulciber, Lar cælestis, nec non etiam Militaris.* Et hic præses Larium Hostiliorum. Hic quoque *Noster* vocabatur: Euclio, act. 2. 8.

Hæc imponentur in foro Nostro Lari.

Symmachus *Patrium* appellat lib. 5. ep. 72. Idem est qui toties apud Auctores *Suus* Lar. Diversus ab hoc erat *Lar Familiaris*, cui cura foci & familiæ, i. servorum: qui etiam in foco, tanquam in præsentiâ Dei sui, cibum sumebant. Sed quisnam deorum Lar iste Familiaris? verisimiliter Saturnus, &c. *Lar* autem Hetrusca vox est, & principem ac προστάτην significat, ut docuit Scalig. ad Prop. Hinc *Lares* dicti varii variarum rerum antistites dii. *Lar Cælestis* apud Capellã, & *Cunctalis*: quorũ ille præses ac princeps deus Juppiter; hic autem Janus, quem regere omnia crediderunt, ut liquet ex Macrob. l. 1. c. 9. Præterea & *Lares urbium*, à quibus captivos abducere, nefas existimabatur. Vide Macrob. l. 3. c. 9. Erant etiam *Lares Vicini*, & *Viales*, vicorum præstites: apud Græcos θεοὶ ἀγυιεῖς nominabantur: iique

erant Apollo & Bacchus. Itaque hic falluntur, qui *Vicinum* interpretantur τὸν προστατήριον, cum τὸν ἀγυιέα deberent. Apud Rom. in eodem erat munere *Mater Stata*, ut ex Festo licet haurire, *Larium Vialium* meminit Plautus Mercat. act. 5. 2. Et hi fuerunt in Græcia *Mercurius* ἐνόδιος inde cognominatus; Romæ verò *Hercules Sancus*, cui propter viam sacra a profecturis facta. Livius lib. 40. A *Lares Permarinos* vocat qui θεοὶ θαλάσσιοι in Glossis. Et hi sunt *Neptunus*, *Thetis*, *Glaucus*: nam per mare iter facturi immolabant illi taurum, isti juvencam, huic bovem. Neptunum etiam *Reducis* nomine coluerunt Romani, &c. Hæc excerpsi è Meursio, qui singula testimoniis auctorum illustrat & firmat. Sed ut hoc obiter addam.

ACTUS II. SCENA II.

PISTOCLERUS adolescens, CHRYSALUS servus.

MIRUM est, me, ut redeam, te operè tanto quæsere,
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim:
Ita me vadatum amore vinctumque attines.
CH. Prò dii immortales, Pistoclerum conspicor.
O Pistoclere, salve. PI. salve, Chrysale.
CH. Compendii verba multa jam faciam tibi.
Venire tu me gaudes, ego credo tibi.
Hospitium & cœnam pollicere, ut convenit
Peregrè advenienti: ego autem venturum annuo.
Salutem tibi ab sodali solidam nuncio.
Rogabis me ubi sit? PI. vivit. nempe rectè valet.
CH. Istuc volebam ego ex te percunctarier.
PI. Qui scire possum? CH. nullus plus. PI. quemnam admodum?
CH. Quia si illa inventa est, quam ille amat, vivit rectè & valet:
Si non inventa est, minus valet, moribundus est.
„ ANIMA est amica amanti: si abest, nullus est:
„ Si adest, res nulla est: ipsus est nequam & miser.
Sed tu quid factitasti mandatis super?
PI. Egon' ut, quod ab illo attigisset nuncius,
Non impetratum id advenienti ei redderem?
Regiones colere mavellem Acheruntiças,
CH. Eho, an invenisti Bacchidem? PI. Samiam quidem.
CH. Vide quæso, ne quis tractet illam indiligens.
Scis tu, ut confringi vas citò Samium solet.
PI. Jamne, ut soles? CH. dic ubi ea nunc est, obsecro?
PI. Hic, exeuntem me unde aspexisti modò.
CH. Ut istuc est lepidum: proxumæ viciniæ
Habitat. & quidnam meminit Mnesilochi? PI. rogas?
Imò unicè unum plurimi pendit. CH. papæ!

PI. Imò

PI. Imò ut etiam credis? misera amans desiderat.
CH. Scitum istuc. PI. imò Chrysale, hem non tantulum
Unquam intermittit tempus, quin eum nominet.
CH. Tanto hercle melior Bacchis. PI. imò. CH. imò hercle abiero
Potiùs. PI. num invitus rem bene gestam audis heri?
CH. Non herus, sed actor mihi cor odio sauciat.
Etiam EPIDICUM, quam ego Fabulam æquè ac me ipsum amo,
Nullam æquè invitus specto, si agit Pellio:
Sed Bacchis etiam fortis tibi visa est? PI. rogas?
Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.
CH. Edepol, Mnesiloche, ut rem hanc natam esse intellego,
Quod ames, paratum est: quod des, invento est opus.
Nam istòc fortasse aurum est opus. PI. Philippeo quidem.
CH. Atque eo fortasse jam opus est. PI. imò etiam prius.
Nam jam huc adveniet Miles. CH. & miles quidem!
PI. Qui de amittendâ Bacchide aurum hic exigit.
CH. Veniat quando vult, atque ita ne mihi sit moræ.
Domi est: non metuo, nec cuiquam supplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.
Abi intrò, ego hic curabo. tu intus dicito
Mnesilochum adesse Bacchidi. PI. faciam ut jubes.
CH. Negocium hoc ad me attinet aurarium.
Mille & ducentos Philippos attulimus aureos,
Ephesi quos hospes debuit nostro seni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit nostra: quisnam exit foras?

QUÆSERE.] i. orare. Lucret. lib. 5. A
—— & prece quæsit
Ventorum paces ——
ita noster alibi: *Quæso deos*, i. invoco. Manil. l. 1. *Quæsivere deos*, i. invocarunt. ibid. *quæsitus rector Olympi*, i. invocatus: *Scal.* Notat & Acidalius, *Quæsere* blandientis esse, pro orare: mutatâ caninâ ira in serpentinum sibilum. ad Vellejum.

V. 3. VADATUM AMORE] q. vadibus à me acceptis obligatum apud te retines. *Vadatum* passivè dixit: ut Curcul. act. 1: 3. activè: L.

6. COMPENDII VERBA M. I. FACIAM] ita MSS. ambo. V. N. Mostell. 1: 1. item Rud. act. 2: 3.

11. ROGABIS ME UBI SIT? VIVIT. PI. NEMPE RECTE VALET.] Ita MSS. distinguunt & Vett. Edd. sed J. Gul. malebat: *Rog. m. ubi sit. PI. vivitne & r. valet?* Quasi eripiat ex ore sermonem adolescens servo, de vitâ & salute sodalis cognoscendi avidus.

12. VOLEBAM EGO EX TE PERC.] Ita MSS. & edd. præter Pareanas, in quibus extritum *ex*. in ultima editione, ubi typothetæ
B istud imputat faciens. ergo prius ab ejus est petulantia.

14. QUIA SI ILLA INV.] ita Hieron. Groslotius & MSS. & Edd. vet.

15. MORIENDUS EST] MSS. & vett. edd. encliticam adjecerunt, quæ cùm corrumperet versum, rectè detraxit Camer. at Pareus non eam modo recepit in contextum, sed & syl-

labâ de suo auxit, *moribundus usq; est.* quæ irreverentia erga sæculum? eodem modo vitiat versum seq. dum invitis libris rescribit, *nullu'st.* A

16. NVLLVS EST:] i. mortuus est. *Scal.* ad illud in Catalect. *Et tu nullus eris.*

17. SI ADEST &c.] sc. amica; rem & famam perdit.

19. QVOD AB ILLO ATTIGISSET] ita MSS. ambo & vett. & Edd. & Schoppius τὸ *quod,* dictum esse ait, *propter quod*, quâ de re. ut Epid. 1:2. *empta ancilla est, quod tute ad me litteras missiculabas,* i. quam ob caussam. Ib. 3. sc. ult. Et, *nuncius ab illo*, dictum, sicut illud Lucretii, *fulgor ab auro,* pro auri: Terent. *ab Andriâ est ancilla hæc:* i. hæc est Andria ancilla. Porro eleganter *nuncius attigisse dicitur:* ut vel hâc Fab. act. 4. Sc. pen.

——*si à me tetigit nuncius, &c.*

Suspect. Lect. lib. 1:18. Eadem Gruterus diu antè, ut & pòst Acidalius, notaverant.

21. COLERE] Ita MSS. & Edd. vett. In Cameraria quidem legebatur, *coleres:* sed culpâ typographi. nam τὸ S manu ipsius Camerarii expunctum vidi. Quod tamen Douza arripuit: quasi sic argutiùs magisque præter exspectationem fuerit. quod ad versum attinet, fulcit eum adspiratio. ut enim Græcis interdum χ loco duplicis literæ est, ita & Latinis productionem facit. sic Mil: *Quid ais tu? jam tibi ego Videor oppidò Acheruntìcus?* Mercerus. B

22. SAMIAM QVIDEM] non quamvis, sed Samiam: L.

23. VIDE QVÆSO] Jocus: alludit ad vasa Samia quæ ex luto Samio ficta erant, idcircò fragilia: L. Stich. act. 5: 4.

27. PROXIMÆ VICINIÆ] ita MS. pr. & Ed. Camerarii. Et est casus patrius, auctore L. & olet adverbium. Mostell. act. 4:2.

28. ET QVIDNAM] ita MS. & Edd. nihilo tamen pejus Camerarius *ecquidnam.* quomodo uterque cusus censore Pareo; qui id vitium typographo adscribit, tanquam se nolente factum. credimusne?

30. IMO VT EVM CREDIS?] Vide Not. Curc. Sc. 1. ubi interpretatio Lamb. & Inepta & falsa arguitur.

30. MISERA AMANS] ita MS. sec. & Edd. Acidalius, *miserè.* Nam, inquit, vehementiss. amorem & desiderium voluit exprimere: cui adverbium magis servit quàm nomen. MS. pr. *misera.*

35. ACTOR] Pistoclerus suâ molestâ narratione mihi odiosus est.

37. SI AGIT PELLIO] ita MSS. & Edd. expuncto vulg. *eam P. Pollionem* circa hæc tempora Comœdum minorum partium fuisse, & in artificio suo parùm probatũ famæ populari, docet Jan. Guliel. quem heic à Plauto tangi veri dissimile non est. Nihil autem refert, sive *Pellionem* sive *Poll.* legas: sic enim casci illi enunciabant, *Apollinem* & *Apellinem.* Mentiò hujus & apud Symmachum lib. 10. Epist. 2. *Non idem honor in pronunciandis fabulis P. Pollioni, qui Ambivio fuit, &c.* Vide Not. Epid. 1: 1. Facit huc proprie Lucianus in Nigrino; ubi ostendit sæpe accidisse, ut Tragicorum Comœdorumq; hypocritæ, poemata malè agentes & sibilo exciperentur, & postremo ejicerentur theatro, tametsi ipsæ fabulæ alioqui placerent, vincerentque.

38. FORTIS] i. *formosa,* Servius & Nonius. nimirum *fortes* dicebant veteres quidquid quaque in re excelleret. inde *fortis* pro formoso, pro divite, pro nobili. Mercerus ad Nonium, qui consulatur. De formæ vi Anacreon: νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον καὶ πῦρ καλή τις οὖσα, i. *Ferrum & ignem superat mulier quæ formosa est.* V. N. Mil. 4:3. At verò auctor *Curarum Plautinarum* è Batavis, corrigit; *etiam formis tibi visa est?* ut & Mil. act. 4: 3. *Ecquid formis visa est?* quem vide. Idem in sequenti versu transponit dearum nomina: *Ni nactus Junonem essem, hanc Venerem dicerem.* ut dicat amator, tantâ eam forma esse, ut nisi vereretur iram uxoris sive Junonis suæ, quæ se formosissimam arbitrabatur, ipsissimam hanc esse Venerem diceret. allusione ad contentionem dearum de forma, &c. At Pistoris in altero aperte contradicit. Cur enim, inquit, fateatur suam amicam minus formosam esse alterâ, contra morem amatorum? Sed hoc potius vult. Nisi meam amicam pro Venere haberem, dicerem alteram Junonem esse. Sed quia inter Venerem &

Juno-

Junonem de forma non convenit, ideò non audeo has lites inter ipsas serere, neque alteri præjudicare; etsi mea mihi Venus sit. Doctiss. Batavus hic ita loquitur, quasi inter virum & uxorem res sit: cùm inter amatores hæc gerantur. Pareus etiam illud *formis* intulit editioni suæ, jactatque tam in Lexico suo, quàm in Phraseologia: cùm interim tamen ultima editio præferat *fortis*, monueritque, in Phraseologia secutum se istam ultimam: quæ vanitas!

39. DICEREM] ita MSS. sed Lips. l. *ducerem*.

42. NAM ISTOC FORT.] ita MSS. Cam. *Istoc*, i. ad istam rem: isti rei. *Grut.* iidem MSS. *aurum*, non *auro*. quod respuit responsio sequens. Pareus tamen tali rosa valde superbit.

43. IMO ETIAM PRIUS] Prius quàm, *jam*, si fieri potest: L.

44. CH. ET MILES QUIDEM. PI. QUI] ita J. Gulielmius. Ut illa verba, *& miles quidem!* Servi sint mirantis & suspensi, quo Pistocl. evadat, &c. MSS. personam non agnoscebant, ut neque edd. priores. mirorque cur ab adamantino eorum consensu abierit ille Intuergus.

46. NE MIHI SIT MORÆ] q. d. tantum abest, ut eum sim moraturus in nummis expediendis, ut verear, ne ille me paratum moretur: L.

51. NEGOTIUM AURARIUM] sic Pseud. act. 1: 5. *In commeatum argentarium proficisci.*

52. PHILIPPOS] Nummos Philippi Macedonis imagine signatos. Valebat autem *Philippéus aureus* duos circiter aureos Gallicos: quod Lambinus ait ex uno cognovisse, quem ipsi Clemens Tenevinus ostenderit. V. N. Asin. act. 1: 3.

53. EPHESO QUOS HOSPES] *Epheso-hospes*, antiquè & eruditè dictum, pro *hospite Ephesio*. Nam cave aliter distinguas cum vulgo. sic *hospitem Zacyntho* dixit, pro Zacynthio, Merc. 5: 2. J. Gulielm. & Auson. Popma, De usu antiq. locut. cap. ult. Sic Catoni *Syracusis soleæ*, sunt soleæ Syracusanæ. Trin. *Ficus Zacyntho*, sunt ficus Zacynthiæ. Varr. *cultri Bithynià*, pro cultri Bithyni. Lucil. *Mensa Libano*, mensa cedrina è monte Libano. Idem, *Pasceolus alutà*. Sallust. *tæda pice & sulfure*. Virgil. *ære clypeus*: Palmer. Vide N. Merc. 5: 2.

56. SED FORIS] ita MS. pr. at sec. tantum habet simplex S. ut forte fuerit, *st.* nota silentii.

ACTUS II. SCENA III.

NICOBULUS senex, CHRYSALUS servus.

IBO in Piraeum. visam, ecqua advenerit
In portum ex Epheso navis mercatoria.
Nam meus formidat animus, nostrum tam diu
Ibi desidere, neque redire filium.
CH. Extexam ego illum pulchrè jam, si dij volunt.
Haud dormitandum est. opus est chryso Chrysalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
Phryxi. itaque tondebo auro usque ad vivam cutem.
Servus salutat Nicobolum Chrysalus.
NI. Prò di immortales! Chrysale, ubi mihi est filius?
CH. Quin tu primùm salutem reddis quam dedi?

NI. Sit-

NI. Salvo. sed ubinam est Mnesilochus? CH.vivit, valet.
NI.Venitné? CH.venit. NI.evax, aspersisti aquam.
Benéne usque valuit? pancraticè atque athleticè.
NI. Quid hoc? quâ caussâ eum in Ephesum miseram,
Accepitne aurum ab hospite Archidemide?
CH.Heu cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quáque mentio.
Tun' hospitem illum nominas hostem tuum?
NI.Quid ita obsecro hercle? CH.quia edepol certè scio,
Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quattuor,
Scelestiorem nullum illuxere alterum.
NI.Quámne Archidemidem? CH.quàm, inquam, Archidemidem.
NI.Quid fecit? CH.quid non fecit? quin tu id me rogas
Primùm dum inficias ire cœpit filio:
Negare se debere tibi triobulum.
Continuò antiquum hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit, Pelagonem senem:
Eo præsente homini extemplò ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.
NI.Quid, ubi ei ostendit symbolum? CH.insit dicere:
Adulterinum, & non eum esse symbolum:
Quotque innocenti ei dixit contumelias!
Adulterare eum ajebat rebus cæteris.
NI.Habetin' aurum? id mihi primùm dici volo.
CH.Postquam quidem Prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippûm. NI.tantum debuit.
CH.Porrò etiam ausculta pugnam, quam voluit dare.
NI.Etiámne est quid porrò? CH.hem accipe: trina hæc nunc erit.
NI.Deceptus sum. Autolyco hospiti aurum credidi.
CH.Quin tu audi. NI.imò ingenium avidi haud pernoram hospitis.
CH.Postquam aurum abstulimus, in navem conscendimus,
Domum cupientes. fortè ut assedi in stegâ,
Dum circumspecto; atque ego lembum conspicor:
Longum est rigorem maleficum exornarier.
NI.Perij hercle. lembus ille mihi lædit latus.
CH.Is erat communis cum hospite & prædonibus.
NI.Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem!
Cùm mihi ipsum nomen ejus Archidemidis
Clamaret demturum esse, si quid crederem.
CH. Is lembus nostra navi insidias dabat.

Occœpi

Occœpi ego observare eos, quam rem gerunt,
Interea è portu nostra navis solvitur.
Vbi portu eximus, homines remigio sequi,
Neque aves, neque venti citiùs. quoniam sentio
Quæ res gereretur, navem extemplò statuimus.
Quum jam vident nos stare, occeperunt ratem
Turbare in portu. NI. edepol mortalis malos!
Quid denique agitis? CH. rursum in portum recipimus.
NI. Sapienter factum à vobis. quid illi postea?
CH. Revorsionem ad terram faciunt vesperi.
NI. Aurum hercle auferre voluêre. ei rei operam dabant.
CH. Non me fefellit, sensi: eò exanimatus fui.
Quum jam videmus auro insidias fieri,
Capimus consilium continuò, postridie
Auferimus inde aurum omne illis præsentibus,
Palàm atque apertè, ut illi id factum sciscerent.
NI. Scitè hercle. cedò, quid illi? CH. tristes illico,
Quom extemplò à portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quassantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum deposuimus.
Qui illic sacerdos est Dianæ Ephesiæ.
NI. Qui istic Theotimus est? CH. Megalobuli filius,
Qui nunc in Epheso est Ephesiis carissimus.
NI. Næ ille hercle mihi sit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit.
CH. Quin in ipsâ æde Dianæ conditum est,
Ibidem publicitus servant. NI. occidistis me.
Nimio hîc privatim servaretur rectius.
Sed nihilne attulistis inde auri domum?
CH. Imò etiam. verùm, quantum attulerit, nescio.
NI. Quid, nescis? CH. quia Mnesilochus noctu clanculum
Devênit ad Theotimum: nec mihi credere
Nec cuiquam in navi voluit. eò ego nescio
Quantulum attulerit: verùm haud permultum attulit.
NI. Etiam dimidium censes? CH. non edepol scio.
Verùm haud opinor. NI. fert ne partem tertiam?
CH. Non hercle opinor. verùm verum nescio.
Profectò de auro nihil scio, nisi nescio.
Nunc tibimet illuc navi capiundum est iter,
Vt illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu! NI. quid vis? CH. annulum gnati tui

Facito ut memineris ferre. NI. quid opu'st annulo?
CH. Quia id signum est cum Theotimo, qui eum illi afferet,
Ei aurum ut reddat. NI. meminero, & rectè mones.
Sed divésne est istic Theotimus? CH. etiam rogas?
Qui soccis habeat auro subpactum solum.
NI. Cur ita fastidit? CH. tantas divitias habet:
Nescit quid faciat auro. NI. mihi dederit velim.
Sed qui præsente id aurum Theotimo datum est?
CH. Populo præsente: nullu'st Ephesi, quin sciat.
NI. Istuc sapienter saltem fecit filius,
Cùm diviti homini id aurum servandum dedit:
Ab eo licebit quamvis subitò sumere.
CH. Imò hem tantisper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.
NI. Censebam me effugisse à vitâ maritimâ,
Ne navigarem tandem hoc ætatis senex,
Id mihi haud utrum velim licere intellego:
Ita bellus hospes fecit Archidemides.
Ubi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?
CH. Deos atque amicos iit salutatum ad forum.
NI. At ego hinc ad illum, ut conveniam quantum potest.
CH. Ille est oneratus rectè, & plus justo vehit.
Exorsa hæc tela non malè omnino mihi est,
Ut amantem herilem copem facerem filium:
Ita feci, ut auri quantum vellet sumeret.
Quantum autem libeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Ephesum hinc *ibit aurum arcessere:*
Hic nostra agetur ætas in malacum modum:
Siquidem hic relinquet, nec secum abducet senex
Med & Mnesilochum. quas ego hic turbas dabo!
Sed quid futurum est, cùm hoc senex resciverit?
Cùm se excucurrisse illuc frustra sciverit,
Nosque aurum abusos? quid mihi fiet postea?
Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.
Aufugero hercle, si magis usus venerit.
Si ero reprehensus, macto ego illum infortunio:
Si illi sunt virgæ ruri, at mihi tergum domi est.
Nunc ibo, herili filio hanc fabricam dabo,
Super auro, amicáque ejus inventâ Bacchide.

PIRÆUM] Sic MSS. ſed tamen Cam. ad oram edit. ſuæ ult. correxit, *Piræeum*. vide Not. Trin. act. 4: 4. A

5. EXTEXAM] ſpoliabo illum auro. *Extexere* eſt, telam ſuâ texturâ, aut lanâ nudare. Alii ſic: Ego illius rationes & conſilia omnia pervertam: L.

5. SI DII VOLUNT] i. cum diis volentibus adjuvantibusq;. Catullus:

Paucis, ſi tibi dii favent, diebus.

Et nota religioſam exceptionem; *ſi dii volunt*. ſic, *diis bene juvantibus*. *ſi diis placet*. Sic Græci: ἢν θεὸς θέλῃ. θεῶν τὰ ἴσα νεμόντων. σὺν θεῷ. σὺν θεοῖς δαοῖ. Vide Heraldi Adverſ. lib. 2: 5. ubi copioſè iſta pertractat.

6. EST OPUS CHRYSO CHRYSALO] ita Grut. & Schopp. è MSS. l. *Chryſalo*. quod longè venuſtius, quàm vulgatum, *Chryſale*. quaſi ex nomine aurum promi debeat.

7. FACIAM HIC ARIETEM PHRYXI] Quem ego tondebo & auro ſpoliabo, ut arietem Phryxi, cujus vellus aureum erat. de quâ fabulâ alibi. Parei utraque ed. expunxit *hic* præter MSS. & edd. omnes.

13. ADSPERSISTI AQUAM] Eſt, quod Ter. And. 2: 1. dixit, *Reddidiſti animum*. Truc. *Adſperſiſti aquam: jam rediit animus*. V. N. Mil. 4: 8.

14. BENENE USQUE VALUIT?] Parei prior ridiculè, *benene nusquam*; nec minus rectè ſecunda, *benen' usquam*. ô nos pueros qui talem aſinum tam diu ferimus quælibet innovantem abſque ope MSS. editorumque quorumcunque.

14. PANCRATICE ATQ. ATHLETICE] Vide N. Epid. 1: 1.

19. TUN' HOSPITEM IL. NOM. HOSTEM TUUM] Elegans παρονομασία: quam & Naſo æmulatus:

Qui ſic intrabas, hoſpes, an hoſtis eras?

Idem Faſtor. 2.

Hoſtis, ut hoſpes, init penetralia Collatini. D.

21. VULCANUS, SOL, LUNA, DIES, &c.] ita MSS. & vett. Edd. Et appoſitè hic eos enumerat deos, qui lucem præbent. Ita Cæſar de Germanis: *Deorum numero eos ſolos ducunt, quos vident, Solem, Vulcanum & Lunam.*

22. ILLUXERE] activè: pro *illuſtravere*. Vel dic: Dii quattuor non luxére in ſceleſtiorem alterum: L. Rectè autem, Meurſ. & Acid. τὸ *hoc* expungunt. quibus adſtipulantur mei omnes, & MSS. Cam.

23. QUAMNE ARCHIDEMIDEM?] ita Grut. eleganter è MSS. *Quamne Archidemidem? CH quàm inq.* Itaque omninò leg. Acidalius pertendit. Ambiguum erat illud ſervi, *ſceleſtiorem nullum alterum*: itaque Senex interrogat, An alterum nullum, quam Archidemidem? & ille iterum; Ita verò, inquit, ajo, quàm Archidemidem.

24. QUID NON FECIT?] q. d. Promptiùs dixero, quid omiſerit ſcelerum, quàm quid commiſerit.

25. PRIMUMDUM] Ubique ſcribendum, *primumdum*: ut ſuprà, *primodum*. Talia erant iſta: *Nondum, Necdum, Ebodum*. Meurſ.

25. INFICIAS IRE CÆPIT] inficiatus eſt. ita Petron. *Curſim Aſcylton perſequi cæpi*. Idê: *Per medium lupanar fugere cæpi*, i. fugi. Talia & illa in Sacris dicunt: Lucas in Act. 1. ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: *Quæ JESUS cæpit facere & docere*, h. e. quæ fecit ac docuit. Ita in Hebræo Eſdras & alii ſæpe. Videantur *Symbola* Gerhardi in Petron. pag. 544.

31. OSTENDIT SYMBOLUM] Solebant Græci in pactis conventis uti quibusdam B teſſeris, quæ σύμβολα vocabantur, quæ loco tabellarum & ſyngrapharum erant: atque ex his jus dicebatur. Meminit Ariſtot. & Demoſth. in Philipp. Turn. lib. 2: 30. V. N. Pſeud. act. 2: 1.

35. HABETIN.] Vulg. Codd. *Habet in aurum?* In MS. Cam. ſecunda aliqua manus ſic conjunxit; *Habetin aurum?* idque rectum cenſet Gruterus.

36. PRÆTOR RECUPERATORES DEDIT] *Recuperatores*, judices, qui à Prætore in privatis controverſiis quacunque de re ageretur, dabantur. ita dicti, quod per eos ſuum quisque jus recuperare poſſet. Nunc *Judices delegati* vocantur: *Hotom.* Vide & Corraſ. Miſcell. lib. 3: 18. Et Torrent. in Suet. Nerone, cap. 17. Inprimis Ræyard. lib. 3: 20. qui hunc locum adducit: & item alterum Rudent. act. 5: 1. *Quem modò damnavit ad Recuperatores, &c.*

38. T. DEBUIT.] Rectè: ſine interrogat. notâ, quæ nusquam in MSS. eam tamen utrique editioni ſuæ adplicuit Pareus.

40. TRINA] *Trina* exponit Lamb. triplex: nullo ſenſu. *Trina*, eſt tertia pugna. Nã primò planè negarat, ſe debere. deinde ſymbolum

 adulte-

adulterium dixerat. tertiò insidias struxerat. Et fallor an non *Triarios* respexit: ad quos cum pugna devenit, res in summo periculo versatur. Unde Proverb. *Ad triarios res rediit*. Pist.

41. AVTOLYCO] *Autolycus* Sisyphi filius, Sinonis illius pater. imo Mercurii fuit filius, Ulyssis avus maternus: qui animalium, quæ furtò abstulerat, colorem mutabat. Hom. Odyss. υ. Mart. lib. 8: 59.

Non fuit Autolyci tam piceata manus.

Ita Lamb. nam in his mirificè variant auctores.

44. DOMVM CVPIENTES] *domum cupere*, est in patriam reverti velle: unde & *domuitio* apud Cornif. ad Herenn. lib. 3. Cicer. pro Ligar. *Tum Ligarius domum spectans, & ad suos redire cupiens, &c.* Turn. lib. 2. 30.

44. STEGA] *Stega* tabulatum navis, & quasi proscenium, in quo nautæ ambulant. στέγη Arbitro *constratum puppis* est. hinc Cic. in Verr. *navis constrata*, quæ Cæsari *tecta*. Vide J. VVouvverium.

45. ATQVE] i. *continuò, statim*: L. & Muretus. V. N. Epid. 2: 2. Geminari autem poterat vox *atq. atq.*, versus caussa.

46. LONGVM EST RIGOREM MALEF. EXORN.] ita MSS. & Edd. Longus sim, si velim *rigorem*, i. metum maleficum & noxium describere: L. Muretus Var. L. 12: 19. legit: *Longum, strigonem malef.* Et, *strigas*, inquit, vocabant mulieres maleficas, quas etiam noctu volare arbitrabantur. eodemque modo *Strigones*, homines maleficos: quorum vocabulorum utroque vulgus hodieque in Italia utitur. Vafer igitur servus, quem lenibum maleficum vocaturus erat, quod eo piratas vectos esse simularet, eum prius, quasi idem valente vocabulo, *strigonem* nominavit. Hæc Muretus. Cujus tamen correctionem, ut vanam, rejicit Acidal. & leg. *triconem*. quod ipsum statim in textum retulit Pareus ed. pr. neque aliter laudat in Lexico suo. Est autem *trico* lentum nomen, & qui creditorem malis strophis circumducere conatur. Lucil.

Lucius Cotta senex Crassi pater hujus Panæ I
Magnus trico fuit nummarius: solvere nulli
Lentus ——

Quid quidem *strigones* sint sive *strigores*, docet Festus & ejus Castigator max. Scaliger.

A Quæ alia hic turbat Acidalius, apud ipsum vide. Nam & hunc versum aliò transfert, & illi statim subjicit: *Adulterare e. a. rebus caeteris. Longum, &c.*

47. LEMBVS ILLE MIHI LÆDIT LATVS] In latere enim sunt κεἰρια, à quo dicitur *tegere latus* alicui, τὸ δορυφορεῖν. Et Virgil. in Catalect. *Tangere latus ferro*, Proverbialiter dixit. *Scalig.* nec dissimilis Passerat. ad Propertii 2. el. 8. v. 22. Parei Lexicon interpretatur, Latus lædere, metum alicui incutere. cur non potius, mi stipes, dolorem?

50. ARCHIDEMIDIS] Alludit ad verbum *demo*; quod exauditur in nom. *Archidemidis*. Vitabant autem Romani mala nomina: *L. D.*

51. CLAMARET] clarè admoneret.

55. REMIGIO SEQVI] Meursius: Vet. Cod. *remulco sequi.* quod si rectum, poterit Festus hic oculos habuisse nonnemini videri, cum scriberet: *Remulco, est cùm scapha remis navis magna trahitur.* Ergò sensus erit hujus loci: sequebantur nos scaphá, navim magnam, cui ea alligata, trahentes. eoque B est major ὑπερβολὴ in istis, quæ addit: *Neque Afes, &c.* Imò ita legerunt & Baysius & Rob. Stephanus. & Francisc. Floridus, quem mihi vide Suboisiv. Lect. cap. 1. copiosissimè contra Doletum, cui *Remulcus* navicula erat, disputantem, docentemque *Remulcum* funem esse, quo major navis religata minorem sequatur remis acta: eoque verbo usum & Cæsarem & Livium. Gruterus tamen non abit latum unguem ab illo *remigio*; quod in utroque MSS. tanquam omnia clament, alteram scripturam esse suppositiciam. in quâ sententiâ & Lamb. est. & ita habent edd. Brix. & Parmens.

57. NAVEM EX... STATVIMVS] *statuere* dixit pro *sistere*. Arnob. lib. 1. *Famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas, &c.* Cyprianus: *Si fontem siccitas statuat; &c.* Meurs.

58. QVVM IAM VIDENT] Ita ferè MS. sec. nempe per compendium *Quoniam*. nam pr. *Quum vident.* quæ autem aliter de iisdem MSS. prodit Pareus, mera sunt mendacia. adeantur modò.

58. RATEM TVRBARE] ratem suam ita agitare, ut non procederet: L. sed Acidalius

daliter nec sibi nec ulli alii apparere existimat, quomodo in portu navem turbarint, qui jam inde exierant, &c. de correctione tamen desperat.

90. RECIPIMUS] sc. navem: *L.*

61. REVERSION. FAC.] ita Varro: *Ad milites facit reversionem*: apud Non. in *Reditus.*

65. QUUM JAM VIDEMUS] Ita proxime à MSS. in quibus aut *Quum vidimus*, aut per compendium *Quoniam vidimus*. fecimus autem *videmus*, versus caussa, sententia non nolente. alii malebant, *Postquam nos vidimus auro &c.* Longius à vestigiis chirographorum & vett. edd.

70. QUOM EXTEM.] ita Schopp. è MSS. *Quom ext.* pro simulac. ut Mostell. *Ædes cum extemplo sunt paratæ*: & alibi.

71. CAP. QUASSANTIB.] ita MSS. & Edd. Tamen Lamb. subposuit *Cassantibus*, i. demissis; & ita mæstitiam indicantibus.

72. DEPOSUIMUS] ita MSS. Cam. hinc Schop. f. *deposivimus*: ut versus constet.

73. SACERDOS EST DIANÆ] ita MSS. Cam. Lamb. & meæ edd. Tamen J. Gulielm. ex suis probat *sacerdos est in Dianæ &c.* sc. æde. &, *Sacerdos in æde*, pro ædis Antistite, merus Ἑλληνισμὸς est. solebant autem veteres res carius in fanis deponere, maximè in rebus dubiis. Ita Cæsar. lib. 3. de Bello *G. Ephesi à fano Dianæ depositas antiquitùs pecunias Scipio tolli jubebat.* Vide Brodæi Miscell. l. 4. cap. 17.

74. MEGALOBULI FILIUS] Meursius; Lego, inquit, *Megalobuzi*: vel, quod idem valet, *Megabyzi*. Suidas: Μεγάβυζος, ὄνομα κύριον. Quintil. lib. 5. cap. 12. *ut Megabyzum aliquem in exemplum operis sumerent sibi statuarum artifices?* Quod autem maxime hanc emendationem stabilit, invenio eidem illud muneris fuisse, quod filio Theotimo. Clare Plinius lib. 35. cap. 10. *Pinxit & Megabyzi Sacerdotis Dianæ Ephesiæ pompam.* Et mox cap. 11. *Ephesi verò est Megabyzi Sacerdotis Ephesiæ Dianæ sepulcrum.* Diogenes Laertius lib. 2 in Xenophonte: Μεγάβυζος ὁ τῆς Ἀρτέμιδος νεωκόρος ἧκεν &c. Strabo lib. 14 ubi de Dianæ Ephesiæ templo agit, commemorat, generali nomine ita omnes ejus sacerdotes appellatos: eunuchosque fuisse, & custodiæ socias virgines habuisse. Sed hoc quid est, quod Plautus dicit, *Theotimum filium Megabyzi*, si ille Megabyzus eunuchus? explico. *Megabyzi filium* idem valet, ac si dixisset *Megabyzum*: nam appellativum illud nomen fuit: quomodo ἰατρῶν παῖς, pro eo quod est ἰατρός. Meminère præterea *Megabyzi* Cicero in Oratore, & Plutarch. in vita Alexandri. Hæc scripseram, cum monuit me Eitzo Tiarda, Turnebum jam olim hunc Plauti locum emendavisse lib. 18. cap. 31. Advers. Hæc ille. Etiam meæ Edd. pleræque l. *Megabyzi.* quod & Lambino probatum. MSS. tamen & Edd. Mediol. & Veneta, & Saraceni, omnium primæ, *Megalobuli.* sanè ita MSS. ne quis forte fidem adhibeat Pareo, affirmanti in iis *Megalobusi.*

76. CARIOR] i. damnosior, sumtuosior, ἀμφιβολία.

90 DE AURO NIHIL SCIO, NISI NESCIO.] Sic Socrat. τοῦτο μόνον οἶδα, ὅτι οὐδὲν οἶδα. i. *Hoc tantum scio, quod nihil scio.* Sidonius: *Nullus scit, mihi crede, quantus nescit.*

91. NUNC TIBI] ita MSS. nam edd. *Ne tibi.*

98. QUI SOCCIS HABEAT AURO SUPPACTUM SOLUM] *Solum*, hic est calceamenti solea. Ergo aureis clavis calceos ille fixit: de quo V. N. Trin. act. 3. 2. Summa etiam terræ, quæ solo teri possunt, *Sola terræ* vocarunt Poetæ; auctore Varrone. Ennius:

Tarquinio dedit imperium simul, & sola terræ.

Catullus de Atyde:

Etiam recente terræ sola sanguine maculans.

V. etiam N. Trin. act. 3. 4. Groslotius legit: *Qui floccis habeat auro suppactum solum.* Malè MSS. solum & edd. vett. aliter ordinant, *Qui auro habeat soccis.*

99. CUR ITA FASTIDIT?] ita Mil. act. 4. 2. *facere fastidij plenum.*

106. TANTISPER] ὀλίγον τινά: L.

110. ID MIHI HAUD UTRUM VELIM] Mihi haud istud esse liberum video navigare aut hic quiescere: Turn. lib. 2. 30. putidissimè Parei ed. præf. *re verum* pro *velim* quia ita fuerit in uno libro.

115. ILLE EST ONERATUS] Allegoria à jumentis aut navibus onerariis. L.

116. EXORSA HÆC TELA] *Exorsa*, passivè dixit etiam Cicero. V. N. Pseud. act. 1. 4.

117. COPEM] i. copiosum. Pseud. act. 2. A 3. fatuè & heic Pareus expressit *quopem*. si enim talis omnis orthographia revocanda: excutiatur sanè Saturni podex omnis; una cum intestinis.

128. CRUCISALUM] quasi in cruce seu in crucem salientem.

129. SI MAGIS USUS VENERIT] si utilius fuerit: L.

130. REPREHENSUS] V. N. Epid. 1. 1.

131. HERILI FILIO] Sic edd. omnes; præter Pareanam, quæ invito versu intrusit amplius, *filio ejus*, quod extaret sc. in MSS. at idem videre poterat ab eadem manu deletum in primo quæ formaverat; ac pertinuisse potius ad versum sequentem.

ACTUS III. SCENA I.

LYDUS pædagogus.

PANDITE, atque aperite properè januam hanc Orci, obsecro?
Nam equidem haud aliter esse duco. quippe quò nemo advenit,
Nisi quem spes reliquère omnes, esse ut frugi possiet.
Bacchides, non Bacchides, sed Bacchæ sunt acerrimæ.
Apage istas à me sorores, quæ hominum sorbent sanguinem.
Omnis ad perniciem instructa domus opimè atque opiparè.
Quæ ut aspexi, me continuò contuli protinam in pedes.
Egone ut hæc conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut despoliabula?
Quibus patrem, & me teque amicosque omnes affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellere unà & perdere.
Neque mei, neque tui intus puditum est factis, quæ facis:
Quibus tuum patrem, meque unà, amicos, affines tuos,
Tua infamiâ fecisti gerulifigulos flagitij.
Nunc priusquam malum istoc addis, certum est jam dicam patri.
De me hanc culpam demolibor jam, & seni faciam palàm,
Ut eum ex lutulento cœno properè hinc eliciat foras.

VERSUS sunt tetramentri catal. trochaici: B quales etiam seqq. duar. scenarum.

5. HOMINUM SORBENT SANGUINEM] Cic. Philip. 2. *Gustaras civilem sanguinem, vel potiùs exsorbueras.* Ita *Limaces* dicuntur *meretrices* à Plauto in Nervol. V. N. Curcul. act. 3. 1.

6. OMN. AD PERNICIEM] Ter. Heaut. 3. 1. *Ea nunc instructa pulcrè ad perniciem.* Grut.

9. DESPOLIABULA] MSS. *desidiabula*, h. e. loca ad desidiam apta. Nonius legit, *despoliabula*, ut & pleræque Edd. non solùm antiquissimæ, & propriè huc facit. quid enim ineptius, post hominum sanguinem, ac perniciem, post flagitia & damna, subjicere verbum lenius? At MSS. duo alterum servant. quid refert? aliæ editiones suos habuerunt chirographos libros: multorum instar vel ipse est Nonius Marcellus in cujus MSS. etiam istæc lectio.

10. ADFECTAS APPELLARE] pars προσαγγίζειν. translatum à navi, quam ad portum nautæ appellunt. MSS. Cam. l. *adflictas*. non malè: nisi obstarent edd. principes & Nonij auctoritas, qui istam vocem disertè laudat ad priorem formam; unde & eandem reti-

retinuit Camerarius, quem verberat scutica Parei, sub Saxonici editoris persona.

14. GERVLIFIGVLOS FLAGITII] *Gerulus*, inquit Scaliger, apud veteres non ὁ βαστάζων, ut postea, sed ὁ πράττων καὶ πραγματευτὴς dictus est. ut h.l. Plautus *Gerulifigulos* dixit gerulos & figulos, hoc est, πραγματευτὰς καὶ πλάστας: Hæc ille. Sie müssen deine Schand tragen. Casaubonus in Sueton. *Geruli*, sunt οἱ μισθῷ φέροντες. Attici προυνίκους & μισθωτοὺς vocant. Latini etiam *bajulos* & *gerones*: ut Cic. ad Atticum. Idem ad Theophr. *Famigeratorem* Plaut. Trin. dixit λογοποιόν, novorum rumorum, quos Demosth. λόγους μαλακοὺς vocat, *fictorem*, sive ut cum Plauto dicam, *gerulifigulum*. Sanè Impp. in extr. Cod. *gerulum nunciorum* appellant, qui novi aliquid nunciat. *Gerulifiguli* autem & fingunt & nunciant. Ammian. Marcell. *rumigerulos* nuncupat. Seneca, *sermones gestare*, dixit pro λογοποιεῖν. Demosth. λόγους πλάττων, &c. Mel. Haiminsfeldus in S. Valerian. Mens horum est, inquit: Tu fecisti tuis infamibus dictis ut tuus pater, & ego tuus præceptor dicamur quasi auctores horum flagitiorum: quòd pater ita te fecerit, & ego te finxerim ac docuerim, ut tam flagitiosus existeres. *Gerulus*, propter patrem; *Figulus*, propter præceptorem. Nam *Gerulus*, ut Scalig. & Glossæ docent; non erat, qui aliquid portat, sed qui efficit. Sic, *agi res*, dicuntur pro effici & produci, quia à motu & gestione, secundum Epicurum, omnia gignuntur, &c. Inde &, *Gestare vitia*, dixit Seneca epist. 123. *Pessimum genus hominum videbatur, qui verba gestarent; sunt quidam qui vitia gestant.*

17. EX LVTVLENTO COENO] ita MSS. & Ed. Cam. & Lamb. & plæreque meæ. id est, ex ganeo seu lupanari. Catullus Carm. 3.

——ó lutum, lupanar!

At Mediol. & Ven. l. *luculento*. quod J. Gulielmius amplexus est, versus etiam caussâ. Est enim (inquit) troch. septen. qui aliâs claudicat. quod Lamb. etiam queritur. Et acutè dictum, *luculentum cœnum*, pro meretricum amœnitatibus & blanditiis, quæ in speciem luculentæ & splendidæ; sed vitam & famam, si in iis volutêre, collutulant.

19. ELICIAT] ita MSS. ambo. & Edd. Lambini. etsi ille *ejiciat* tenuerit, quod & in antiqq. edd. Sed alterum aliis etiam videtur elegantius. *Elicit*, inquiunt, qui foris stans alium evocat: *Ejicit*, qui ingressus foras turbat & propellit. Illud seni convenientius. Ita Men. act. 5. 6. *Neque ut eum ex hoc saltu damni salvum scio eliciam foras.*

ACTUS III. SCENA II.

MNESILOCHUS adolescens.

MVLTIS MODIS meditatus egomet mecum sum, & ita esse arbitror:
HOMINI AMICO, qui est amicus, ita uti nomen possidet,
Nisi deos, ei nihil præstare. id operâ expertus sum esse ita.
Nam ut in Ephesum hinc abii, (hoc factum est fermè ab hinc biennium)
Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem literas
Misi, amicam ut mihi inveniret Bacchidem. illum intellego
Invenisse, ut servus meus mihi nunciavit Chrysalus.
Condignè is quàm technam de auro adversum meum fecit patrem,
Ut mihi amanti copia esset! sed æquum id ei reddere.
,, *Nam pol quidem, meo animo, INGRATO HOMINE nihil impensius est.*
,, *Malefactorem amitti satius, quàm relinqui beneficum.*
NIMIO PRÆSTAT impendiosum te, quàm ingratum dicier.
,, *Illum laudabunt boni; hoc etiam ipsi culpabunt mali.*
Quâ me caussâ magis cum cura esse eâ quàm obvigilatè est opus.

Nunc,

Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur:
Sisne nec ne, ut esse oportet; malus bonus; cujusmodi;
Justus, injustus, malignus, largus; commodus, incommodus.
„CAVE SIS te superare servum siris faciundo bene.
Utut eris, moneo, haud celabis. sed eccos video incedere
Patrem sodalis, & magistrum. hinc auscultabo quam rem agant.

MULTIS MODIS MED.] Ita MSS. & omnes quotquot vidi editiones, Primus, opinor, Camer. edidit, *multimodis*: & hunc secutus Monstroliensis, & alii: quod eodē redit. nam ut constet versus, exterenda est litera S in *modis*: & alioquin vox ab se non improba. Ennius 7. Annal.

——*multimodis consumitur anxia curis.*

Glossarium Forneri: *Multimodus*, πολύτροπος, sic & *Omnimodus*, apud Lucret.

2. HOMINI AMICO] V. N. Trin. act. 3:1.

8. C. IS QUAM] ita MSS. sed Lamb. *qui* pertendit legendum, non, *quàm*. quod etiam Acidal. tolerari posse ait, si per admirationem sententia efferatur: ipse verò malit *quoque*. ut Aulul. *Condignè etiam meus* &c.

9. SED ÆQUUM ID EI REDDERE.] Vulgati omnes & MSS. duo; *Sed eccum video incedere*. At verò Muretus, Var. lib. 13. 18. Quis, quæso, ille est, inquit, quem ait se videre incedere? Certè nemo eorum, quos nominarat. Legendum igitur, *sed æquum id ei reddere*. idque apertè declarant, quæ statim subjicit; *Nam pol. q.* &c. Negat committendum sibi esse, ut ingratus habeatur: ideoque diligenter sibi videndum, quomodo gratiam Chrysalo referat. ingeniosa profectò correctio. Pareus tamen hujusmodi tricentas hariolationes ne tanti quidem facit quanti fidem MSS. Ergo eis unà cum porcellis suis gaudeat. nos membranas ridemus, cùm quid nobis oggerunt, quod sensui non cohæret, quæ nec cœlum tangit nec terram. at idem ille rigidus Orbilio versu 11. contra eosdem MSS. & edd. vett. recepit in contextum, *beneficum*, cùm ij omnes *beneficium*. quæ subita varietas! quæ incredibilis oblivio?

10. INGRATO HOMINE NIHIL IMPENSIUS EST,] i. quod minus pensi habeat, quodque incogitantius, & imprudentius sit: Turn. lib. 2. 30. *Pensum*, inquit Nonius, *significat exæquatum; quòd sine inclinatione sunt, quæ penduntur.* Ex his, *Pensum*, est æquale: quia quæ *pensa*, i. ponderibus examinata sunt, justa & æqua sunt. Quæ igitur *impensa*, i. non pensa sunt, iniqua atque injusta sunt. Vel sic: *Ingrato homine nihil impensius est*, i. nihil est minoris pretii, nihil contemtius. Nam quæ *pensa* sunt, bona & cara sunt. quæ igitur *impensa*, levia, & parvi pretii sunt. Sticho act. 1:2.

Utra sit conditio pensior, virginem an viduam habere.

Pensior, i. melior, majoris ponderis. *Vel sic*: Ingrato homine nihil est remissius, negligentius, inconsideratius. Quæ *pensa* sunt, intelligantur interdum, quæ nobis curæ sunt, vel quæ accuratè cogitata sunt. Ergo quæ *impensa*, eadem sunt inconsiderata, neglecta, dissoluta. Crebro hac metaphorâ utuntur Sallust. Tacitus, Suetonius &c. *Lamb.* Verùm Grutero tres istæ interpretationes Lambini circa B vocem *Impensius*, non satisfaciunt. jubetque auctorem interpretari prius illud Epidici, act. 4. 1. *Alias res illest impensè improbus*. Utrumque æstu suo liberat Pistoris, & , *Impensius* hoc loco, inquit, id est, in quod multum & magnâ cum jacturâ impenditur. ut mox, *impendiosus*, qui multum impendit. Et quia ejusmodi merces quilibet aversatur, ideo generaliter sumitur pro eo, quod odiosum est. Et certè nihil inutilius impenditur, quàm in hominem ingratum. Es ist nichts das einem mehr kostet. Ad hanc faciem est illud Milite act. 3. *In mala uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est.* Ita quod in ingratum impenditur. ideoque eo nihil impensius. A Pistore nostro non abit L. Bisciola, tom. 1. lib. 14. 18. Hor. Subsecivar. ubi ait, Plautum significare, homini benefico ingratum magno constare, id est, *Che costa multo.*

11. MALEFACTOREM AMITTI] Præstat malefactorem non retineri ad pœnas. *Sen.*

Melius

Melius est, acceptam injuriam negligi, quàm A non referre gratiam benemerito. Tractat hæc Cic. in Orat. post. redit. ad Quirit. L.

12. IMPENDIOSUM] i. sumtuosum, profusum,

13. HOC ETIAM] ita MSS. Cam. Lamb. hunc: Meursius, *hone*.

14. ESSE EA QUAM OBVIGILATE EST OPUS] ita Grut. è vestigiis MSS. quod & illicò invasit instabilitas Parei, cùm tamen iidem tantum præferrent: *magis eum cura esse ea cum obvigilato'st opus*. At olim Lamb. l. *atque advigilare est opus*. Vel sic: *Quâ mi caussâ magis accurrato atque advigilato est opus*.

15. SPECIMEN SPECITUR &c.] Nunc specimen datur experiundum: nunc periculi faciendi potestas datur. Cas. 3. 1, L.

17. MALIGNUS, LARGUS] Hæc rectè inter se opponuntur. nam *Benignus* & *Largus*, idem valent. id est, sisne illiberalis, an liberalis. L.

17. COMMODUS, INCOMMODUS] *Commodi* sunt, qui sese ad aliorum mores vel suo judicio accommodant, vel sunt accommodati naturâ, & qui aliis facilè obsequuntur & prosunt. Δεξιοὺς Græci appellant. Vide L. ad Horat. 4. Od. 8.

19. HAUD CELABIS] haud falles, haud latébis: ex factis tuis declarabis, qualis sis. D.

ACTUS III. SCENA III.

LYDUS pædagogus, PHILOXENUS senex, MNESILOCHUS adolescens.

NUNC experiar, sitne acetum tibi peracre in pectore.
Sequere. PH. quò sequar? quò ducis nunc me? LY. ad illam, quæ tuum
Perdidit, pessumdedit tibi filium uni unicum.
„ PH. Eja, Lyde, LENITER qui seviunt, sapiunt magis.
„ MINUS MIRANDUM est, illæc ætas si quid illorum facit,
„ Quàm si non faciat. feci ego istæc itidem in adolescentiâ.
„ LY. HEI MIHI! hei mihi! istæc illum perdidit assentatio.
Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum:
Nunc propter te tuamque pravus factus est fiduciam
Pistoclerus. MN. dii immortales, meum sodalem hic nominat.
Quid hoc negotii est, Pistoclerum Lydus quòd herum tam ciet?
PH. Paulisper, Lyde, est libido homini suo animo obsequi:
Jam aderit tempus, cum sese etiam ipse oderit: morem geras:
Dum caveatur, præter æquum ne quid delinquat, sine.
LY. Non sino. neque equidem illum me vivo corrumpi sinam.
Sed tu, qui tam pro corrupto dicis caussam filio,
Eadémne erat hæc disciplina tibi, cùm tu adolescens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuisse primis copia,
Digitum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante Solem exorientem nisi in palæstram veneras,
Gymnasii præfecto haud mediocris pœnas penderes.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur malum,
Et discipulus & magister perhibebantur improbi.
Ibi cursu, luctando, hastâ, disco, pugillatu, pilâ,

Saliendo sese exercebant magis, quàm scorto, aut saviis:
Ibi suam ætatem extendebant, non in latebrosis locis.
Inde de hippodromo & palæstrâ ubi revenisses domum,
Cincticulo præcinctus in sellâ apud magistrum assideres:
Cùm librum legeres. si unam peccavisses syllabam,
Fieret corium tam maculosum, quàm est nutricis pallium
MN. Propter me hæc nunc meo sodali dici discrucior miser.
Innocens suspicionem hanc sustinet caussa meâ.
PH. Alii, Lyde, nunc sunt mores. LY. id equidem ego certò scio.
Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
Quàm magistro desinebat esse dicto-obediens.
At nunc, priusquam septuennis est, si attingas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.
Cùm patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater:
,, *NOSTER ESTO, dum te poteris defensare injuriâ.*
Provocatur pædagogus: eho senex minimi precii,
Ne attigas puerum istac caussâ, quando fecit strenuè.
It magister quasi lucerna uncto expretus linteo.
Itur illinc jure dicto. hoccine hic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?
MN. Acris postulatio hæc est, cùm hujus dicta intellego.
Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.
PH. Sed quis hic est, quem astantem video ante ostium? LY. ô Philoxene.
MN. Deos propitios me videre, quàm illum, mavellem mihi.
PH. Quis illic est? LY. Mnesilochus, gnati tui sodalis Pistocleri:
Haud consimili ingenio atque ille est, qui in lupanari accubat.
Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit sibi.
PH. Salvus sis, Mnesiloche: salvum te advenire gaudeo.
MN. Dii te ament Philoxene. LY. hic enim ritè productu'st patri.
In mare it, rem familiarem curat, custodit domum:
Obsequens obediensque est mori atque imperiis patris.
Hic sodalis Pistoclero jam puer puero fuit.
Triduum non inter est ætatis uter major siet:
Verùm ingenium plus triginta annis majus est, quàm alteri.
PH. Cave malum, & compesce in illum dicere injustè. LY. tace:
STVLTVS ES, QVI illi male ægrè patere dici, qui facit.
Nam illum meum malum promtare malim, quàm peculium.
PH. Quî dum? LY. quia, malum si promtet, indies faciat minus.
MN. Quid sodalem meum castigas, Lyde, discipulum tuum?
LY. Periit tibi sodalis. MN. ne di sirint. LY. sic est, ut loquor.
Quin ego cùm peribat vidi, non ex audito arguo.
MN. Quid factum est? LY. meretricem indignè deperit. MN. non tu taces?

LY. At

LY. At quæ acerrimè ac æstuosè absorbet, ubi quemque attigit.
MN. Ubi ea mulier habitat? LY. hic. MN. unde eam esse ajunt? LY. ex Samo.
MN. Quæ vocatur? LY. Bacchis. MN. erras, Lyde: ego omnem rem scio,
Quemadmodum est. tu Pistoclerum falsò atque insontem arguis.
Nam ille amico & benevolenti suo sodali sedulò
Rem mandatam exsequitur. ipsus nec amat: nec tu creduas.
LY. Itáne oportet rem mandatam gerere amici sedulò,
Ut ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens?
Nullon' pacto res mandata potest agi, nisi identidem
Manus ferat ad papillas, labra à labris nusquam auferat?
Nam alia memorare, quæ illum facere vidi, dispudet:
Cùm manum sub vestimenta ad corpus detulit Bacchidi,
Me præsente, neque pudere quicquam. quid verbis opus est?
Mihi discipulus, tibi sodalis periit, huic filius.
„ *Nam EGO ILLUM periisse duco, cui quidem periit pudor.*
Quid opu'st verbis? si opperiri vellem paulisper modo,
Ut opinor, illius inspectandi mihi esset major copia:
Plus vidissem quàm deceret, quàm me atque illo æquum foret.
MN. Perdidisti me sodalis. egone illam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis málim modis.
„ *SATIN UT QUEM tu habeas fidelem tibi, aut cui credas, nescias?*
LY. Viden', ut ægrè patitur gnatum esse corruptum tuum,
Suum sodalem! ut ipsus sese cruciat ægritudine!
PH. Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.
Serva tibi sodalem, & mihi filium. MN. factum volo.
PH. In te ergo hæc onus omne impono. Lyde, sequere hac me. LY. sequor.
Melius esset, me quoque unà si cum illo relinqueres.
PH. Affatim est, Mnesiloche: cum, & concastiga hominem probè,
Qui dedecorat te, me, amicos atque alios flagitiis suis.

NUNC EXPERIAR, SITNE ACETUM TIBI COR ACRE] ita MSS. & Edd. vett. quod placet, hac constructione, *sitne tibi cor acre acetum*, hoc est, quod ita resipiat acetum, ut acetum dici possit. antea suspicabatur, *sibi peracre in pect.* quod Pareus statim occupavit utraque editione, adeo quavis aurâ facilè impellitur homo sine sensu communi. *Peracre* ut alibi *perimitus, perbonus, pergraphicus, persolm*: & *peracescit*, hac eâdem Fab. act. 5. 1. Lambinus leg. *sitne aceto tibi cor acre in p.* quod probat Dousa, atque hanc allegoriam ita construit: *Sitne in pectore tibi cor acre aceto*, i. senilis ac maturi judicii acrimoniâ justaque in rebus flagitiosis indignatione. eodemque accommodat Ausonii illud:

A

Scillito decies si cor purgeris aceto,
Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen.

i. Si ingenii tui acrimoniâ ipsius Samii Lucumonis acumen superes. At H. Stephanus illud, *Cor acre*, inducit. satis audacter. Porrò *acetum* pro acumine & prudentiâ ponitur etiam Pseud. act. 2. 4.

7. ASSENTATIO] i. assensio, assensus. Sic & Petron. *Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem assentationem flectentibus*, &c. id est, assensum commodantibus, & quasi agentibus secundas. *Assentatio* enim idem, quod

assensio:

assensio: nec potest hoc per legem Trochaicorum hic admitti: ut bene monuit Dousa. Sic quoque Vellejus libr. 2. *Et iis, qui à Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur; iis, qui ab ipso, adversabatur.* Et iterum: *M. Fulvio tantum tribuere, ut pæne assentatione suâ quibus vellet principatus conciliaret.* D. & Grut.

8. RECTUM] integrum, non inflexum ad vitium. *Rectum* opponitur hic *Pravo*. Ennius:

Quò vobis mentes, rectæ quæ stare solebant
Antehac, dementes sese flexêre viæ?

ita enim legendum, curiosissimè docuit Scaliger. *Recto* igitur opponitur *vietum*. Namque conqueritur in hoc Ennii App. Claudius, mentes illas πάγιας καὶ ὀρθίας, stantes rigidasque jam incurvatas, vietas & flexiles esse. Quippe τὸ ἐξαιτιῶν contrarium est τῷ ὀρθίῳ.

9. NUNC] *Nunc* adversantis hic est, non temporis: L.

11. TAM CIET!] accusat! διώκει. L. D: invito tamen Acidalio, V. N. Asin. act. 2. 1.

12. EST LIBIDO] Lubet. filio meo. L.

17. EADEM NEBULAT] Totus hic locus de Aristophanis Nubibus adumbratus. Lips. Epist. Quæst. lib. 3. 17. & P. Victor. Var. Lect. lib. 25. 6.

37. DISCIPLINA] *Disciplina* proprium est studium, industria, institutio.

11. NEGO TIBI HOC] ita edd. vett. at MSS. *hæc* aut *hec*. pro quibus pugnat Pareus parum feliciter.

21. GYMNASII PRÆFECTO] γυμνασίαρχῃ: qui in adolescentes animadvertebat: Turn. libr. 2. 30. Ita autem Groslotius hunc locum digessit, aptissimo sensu. quod & Acid. probat, ut & vett. edit. quæ etiam leg. *Idque ubi obtig.* pro, *Id quoi obt.* (ita MS.) quod isti ad præfectum referebant.

22. ARCESSEBATUR] Douza suspicatur, *accensebatur*

28. CINCTICULO PRÆCINCTUS] *Cincticulus* adolescentium erat, ut *Cinctus* virorum, quæ zona latior, seu vestis infra pectus, corpus comprehendens: similis subligaculo Græcè ζῶμα & ζῶσμα dicitur. quo nomine Græcè etiam *Tunica* intelligitur. Et vetustissimi cincto usi, loco tunicæ, solebant: unde Horat. *cinctutos* vocat *Cethegos*. Jam, *Cinctum esse*, erat modestiæ disciplinæ argumentum. contrà, *discinctum* esse, mores

A dissolutos arguebat. Sulla de C. Jul. Cæs. apud Suet. *Male præcinctum puerum caveatis*. quod fluxiore cincturâ uteretur. L. & Turn. 2. 30. Negligentes etiam *discincti* vocantur, autore Servio: ut contrà, *accincti*, industrii, apud Phædrum Fab. 36. *altecinctus atriensis*. Petronius: *Statores altius cincti*. Vetus Glossar. ἀνεζωσμένος altecinctus: item ὑψίζωνος, εὔζωνος, *expeditus*. Etiam apud Senecam Ep. 33. *altè cinctos* legas strenuos & actuosos.

29. CUM LIB.] ita MSS.

30. NUTRICIS PALLIUM] Hoc enim à pueris, dum coluntur & aluntur, variè maculatur. Quòd si intelligatur de pallio *Nutricis deorum*, i. Cybeles, erit venustius. Est enim ex lyncum pantherarúmque pelle varium. Vide Adag. *Nutricis pallium*.

31. INNOCENS] ita MSS. & vett. edd. rectè. nam *suspicio* habet etiam secundam longam. heic infra 4. 8. versu 49. *Jamdudum hercle equidem sentio: suspicio &c.* certè *hic innocens*, manavit ab Aldo, quod putabat adjiciendum Meursius e v. codd. ne mutilus esset versus. cæterùm longè id inconsideratius editioni suæ invexit Pareus.

NAM OLIM] Nam olim honorem prius consequebatur populi suffragio, quàm magi-
B stro parêre desierat; h. e. magistro parebat usque ad eam ætatem, quâ petere magistratus per leges licet: L.

35. Q. MAGISTRO] ita MSS. ambo & vett. Edd. Vulgò, *magistri*.

37. TABULA] literaria, in quâ pueri literas faciunt, i. scribunt, & discunt: Turneb. libr. 21. 23.

38. POSTULATUM] accusatum: seu, ut de filio pœnas sumat: L.

39. NOSTER ESTO.] Da recht! Als Vatern Sohn. V. N. Mil. 3. 3. Terent. Eun. 1. 2. *Item noster, laudo*.

40. PROVOCATUR] Porrò vocatur, accitur, & his verbis increpatur.

42. IT MAGISTER QUASI LUCERNA, UNCTO EXPRETUS LINTEO.] Ita MSS. nam edd. vett. *expletus*. Redit magister à patre discipuli sui uncto linteo, tanquã lucerna; expertus utrũ bene luceat: (experiebantur n. lucernas uncto linteo, quàm bene lucerent, accẽso ellychnio) id est, uncto linteo obligatus ad dolorẽ & vibices leniendas. *Expretus* est expertus: *Expertus* a. passivè, i. tentatus, spectatus. Cic. pro L. Corn. Balbo: *perfecta atque experta*

perta virtus. *Expreta*, inquit Festus, *antiqui dicebant quasi experitia habita*; Porrò hinc conjecturā est facere, moris antiquitus fuisse uncto linteo emungendi, vel (quod verisimilius videtur) exstinguendi potius lucernas. cujus vicem ferreis emunctoriis uti nobis hodie solemne est: L. *Turneb.* lib. 3: 5. & J. Douza. At Pistoris, Nemo mihi horum, inquit, satis facit. nec in Festo praecisè legitur, *Expreta quasi experitia habita*; sed ita potius est in contextu: *Expreta q. expertia habita*. ut *Expretus* idem sit quod *Expers*, & deducatur à *sperno, spretus*: inde *Exsperno, exspretus*. Ita acceperim *unctum linteum* de eo quod nos vocamus den Tacht. Erit igitur, *uncto expretus linteo*, expers uncto linteo. Er zeucht davon wie eine Lampe ohne Tacht. Vel dic; expers habitus uncto linteo, cui ne quidem linteum ad detergenda vulnera concessum: atque ea verè sit tanquam lucerna sine uncto linteo. Posset etiam magis ad sensum Lambini: Magister expretus (contemptus, rejectus) it uncto cum linteo, & quasi lucerna apparet. Er gehet mit eim Fettlappen umbwunden/ wie eine Lampe/ rc.

43. JURE DICTO] sc. à patre, tanquam Praetore.

44. INHIBERE IMPERIUM] adhibere & exercere imperium: L. Turn. & Budaeus. *Inhibere imperium*, inquit Jan. Gulielm. antiqua & germana Latinitas, pro, uti imperio, imperare. Et in eâdem re, *imperium exhibere*: Casinâ: *Mea uxor imperium exhibet*. Sed, *inhibere imperium*, à re nauticâ tralatum est: *ubi inhibere remiges* jubentur, cum cursum flectunt aut corrigunt. Utitur Plaut. Sticho act. 5: 4. & saepè Livius, &c. At Rob. Titius adversus Tyonem Villiomarum legit, *Imbibere imperium*. atque hoc plurimis conatur probare lib. 1. c. 14. qui & hypostygmen post *imperium* censet collocandum: Tyo contrà, post τ *magister*. quia magister dicatur inhibere imperium: & hoc velle Plautum: Magistrum non posse imperare, si ipse primus vapulet. Vide Tyonem in Controversa Titii, lib. 1. cap. 17. Porrò, opinione Acidalii, haec ita etiam formari poterant: *istoccine hic pacto potest Inhiberi imperium, magist.*

45. POSTULATIO] expostulatio. L.

48. DEOS PROPITIOS] *εὐφημικῶς*: voluit enim dicere; Deos mihi iratos quàm illum mallem me videre: id est, mallem me

A videri à diis iratis, quàm à Lydo irato. hic enim iratus, erat gravis & saevus. Vel simpliciter: Mallem me à diis videri, quàm ab illo, hoc est, nollem me ab illo videri, sed illa meliora. L.

55. OBEDIENSQ. EST MORE] Sic MSS. à prima manu; pro *mori*. morem gerit patri. vel: morosum & imperiosum patrem fert aequo animo. Alii l. *morae*: quod nullo modo ferri potest, nec per metrum, nec per sententiam. Pareus tamen utraque editione sua conatur amplectitur. Quod si tamen retineretur, sic explicarem: Non fert molestè, patrem diu vivere. L.

57. TRIDUUM NON INTEREST] ita MSS. & vett. Edd. Alii, *Triduum non inter eos at.*

59. COMPESCE] i. comperce, tempera. *Pascere* & *parcere* in promiscuo usu fuere. Festus: *Pascito linguam, in sacrificijs dicebatur: idest, coerceto, contineto, taceto.* Apul. lib. 9. Milef. *Nec fugientibus saltem compescunt, sed eò magis irritatiores sequuntur.* quod addit Grut. laudatque Pistoris. Ita Menaech. act. 5: 1. *Quare*, pro *quase*. i. roga. De his accuratè A. Popma De usu antiquae locut. lib. 1: 3.

B 61. NAM IL. M. M. PROMTARE] Malim Pistoclerum meum malum profundere, quàm peculium. significat, eum esse prodigum: L. Pareus ut istud legit, Lexico suo intulit, *Promptare*, profundere, perdere, prodigere. Bacch. 3. 3. 61. At ego nego id velle vel Plautum, vel eam esse vim in voce *promptare*. videatur Pseud. 2. 2. v. 33. hinc idem ead. fabula 5. 1. v. 22. *parcipromus*.

65. NON EX AUDITO ARGUO] ita vett. edit. & MSS. non, *auditu*. ita Merc. 5: 1. *An de audito nuncias?* Lucret. 5.

——*petuntque*
Res ex auditis potius quàm sensibus ipsis.

autoribus Lamb. & Grut. & Meursio. In MS. pr. quidem est, *auditu*, sed à manu aliquâ secundâ.

67. AT QUAE ACERRIME, &c.] Sic mss. Lambini. Deperit meretricem, non aliquam moderatam, sed quae instar maris aestuosi rapax & fervida est. Talis illa Hor. 1. Od. 27. J. Gulielm. cum vulg. nonnullis, *Atque acerrime est: absorbet, ub.* Et cave, inquit, quicquam arbitrere sincerius. Meretrix comest & absorbet amatorem, cum eum bonis & fortunis evertit: ut Mostell. act. 1: 1. *Est*

enim pro, *edit*, positum. Edd. aliæ habent. *Atque acerrimè viros ea absorbet, ubiq.* Hinc Acidal. facit, *vivos*, quod Pareus statim approbavit, sed gemente versu. vox enim ea tota redundat. Idem Pareus, sec. editione lectorem tantum implicat, non expedit, h. e. parum fideliter laudat MSS. Pall. nam uterq; initio habuit: *Atq. acerrume aestuose abs.* sic, inquam, pr. ac sec. nisi quod is una litera minus, & vocibus male divisis, *Atq. acerrumea est vos abs.* corrector verò reformavit pr. *ae estuose.*

78. DETVLIT BACCIDI] ita MS. primus: at sec. *retulit*; nihilo pejus. *Grut.*

81. NAM EGO ILLVM] Qui facilè erubescerent, elegantissimè [illegible] appellavit Laert. lib. 7. Hic probus rubor, non inscitè olim *Color virtutis* dictus.

81. PERIISSE DVCO] MSS. ambo, *dico.*

88. VIDEN' VT ÆGRE] Hic servus errat. non enim Pistoclerum corruptum quæritur, sed Bacchidem sibi præreptam. I.

91. IMPONO] MSS. *impone.* sed alterum restat in edd. omnibus, & licet non pervideat Pareus cur illud *impone* improbum sit; nos tamen non recipimus, priusquam nobis dicat rationes cur supra versu 81. rejecerit illud chirographorum codd. *dico*, retento *duco.*

95. ATQ. ALIOS] ita MSS. & Edd. vetustiores, non *amicosq. alios.*

ACTUS III. SCENA IV.

MNESILOCHUS adolescens.

AMICIOREM nunc utrum credam magis
Sodalémne esse, an Bacchidem, incertum admodum est.
Illum exoptavit potiùs? habeat. optimè est.
Ne illa illud hercle cum malo fecit suo, meo.
Nam mihi divini nunquam quisquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurimis planéque amo.
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.
Nam jam domum ibo, atque aliquid surripiam patri.
Id isti dabo. ego istanc multis ulciscar modis:
Adeò ego illam cogam usque, ut mendicet meus pater.
Sed satíne ego animum mente sincerâ gero?
Qui ad hunc modum hæc hîc, quæ futura, fabulor?
Amo hercle, opinor, utpote quod pro certo sciam.
Verùm quàm illa unquam de mea pecuniâ
Ramentâ fiat plumeâ propensior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam edepol viva me irridebit. nam mihi
Decretum est renumerare jam omne aurum patri.
Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur:
Tum; cum meà illud *nihilo pluris referet,*
Quàm si ad sepulcrum mortuo dicat jocum.
Sed antequam illa unquam meis opulentiis
Ramentâ fiat gravior, aut propensior,
Mori me malim excruciatum inopiâ.
Profectò stabile est me patri aurum reddere.

Eâdem

Eâdem exorabo, Chrysalo causâ meâ
Pater ne noceat: neu quid ei succenseat
Meâ causâ de auro, quòd eum ludificatus est.
Nam illi æquum est me consulere, qui causâ meâ
Mendacium dixit. nunc *vos me sequimini.*

AMICIOREM] Ita omnes ad unam edd. etiam Camerariana, & Dousana. habent quidem libri Lambini, & ambo Pall. *Immitiorem*, sive adeò *Inmitiorem*. verùm sec. non expressit literam principem; ut error forte inde natus sit, quod *Amiciorem* expresserint duplici *M.* ut ut est, totus ferè orbis hactenus illud *Amiciorem* cepit, tanquam εἰρωνικῶς à calido adolescente prolatum. quo enim uterque, & Bacchis & Pistoclerus, inhumaniorem atque infideliorem Mnesilocho se præbuit, eo venustius idem suppressit, nimirum qui toties infra statim, aliud loquitur quàm etiam sentit. idem & heic fecit. itaque apage illud *Immitiorem*. apage! tantò quidem magis quia & Pareo complacuit.

4. FECIT SVO, MEO.] Exprimitur adfectus amantis: qui cum dixisset; *cum malo fecit suo:* subjicit statim, quasi se ipse reprehendens, *meo:* religioni vertens scilicet, amicæ malum minari. Idem est, ac si dixisset, Cum malo fecit suo, immò meo, *vel:* Meo potiùs, volui dicere: *Ex L.* Nolui, inquit Cam. mutare vett. scripturam: ut quasi ὄφιν jocans fecerit *suo ——— meo:* id est, suo & meo. sed D. F. *meo* delendum censet. Alii fecerant: *cum malo fecit summo meo.*

5. NAM MIHI DIVINI N. QVISQ.] V. N. Amph. 1:2.

6. PLANEQ. AMO] Oratio insani amatoris mirum in modum fluctuat & turbat. Nam cum esset dicturus; Ni ego illam modis plurimis miseram habebo & ulciscar, subito se ipse revocans, subdit, *planeq. amo:* L.

9. ID ISTI DABO] Iterum exprimitur adfectus amantis: qui dicat, se patri surrepturum pecuniam quàm det Bacchidi, cui modò minatus est, &c. L.

10. VT MENDICET MEVS PATER] Dicturus erat, & verò ita orationem exorsus erat, ut hoc subjiceret, *ut mendicet*, nimirum Bacchis: sed ut homo perturbatus, vel religione quâdam retractus, minas in Bacchidem intentatas in patrem convertit: L.

11. ANIMVM MENTE SINCERA] Lips. lib. 2. Antiq. Lect. 15. l. *Satin' ego animi mentem sinceram g.* V. N. Epid. 4:1. Grutero videtur lectio altera æquè elegans: & firmatur MSS. & Edd. vett.

13. QVOD PRO CERTO SC.] ita MSS. & Editi vetustius. recente excluserant *pro.*

15. RAMENTA FIAT PLVMEA] Ita MSS. ambo. & edd. vett. Verius tamen putat Camerarius è Nonio legi, *plumbeâ.* sed enim cum habeamus absolutè statim, *Antequam meis opulentiis Ramentâ fiat gravior &c.* item Rudente;

Nunquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior:

(V. N. ib. act. 4:3.) vix eripi potest Grutero, ut non etiam sit suum pondus ac pretium lectioni alteri, *plumea.*

15. PROPENSIOR] i. ponderosior.

16. MENDICANDO VINCERE.] Ita ambo MSS. Cam. Lamb. & meus Ven. & Paris. & Argent. & Alex. At Brix. & Col. & Ald. legunt, *vivere*, ut & Frising. quod notat etiam Meursius: & dictum ut illud Amphitr. Prologo, *Virtute dixit vos victores vivere.* Gruterus tamen rectè censet longè lepidius influxisse spectatorum auribus alterum *vincere*, tanquam præter exspectationem natum.

19. IGITVR] i. posteà: D. Parei editio altera insubidè præfert *subblanditur*; nam & versus requirit *subblandibitur.* neque aliter aut membranæ, aut edd.

20. TVM CVM M.] MSS. ambo & veteriores Edd. consensu: *Tum cùm mihi nihilo pluris referet.* alterum à Camerario est.

21. MORTVO DICAT IOCVM] Hoc, quod Lambino ignorabile objectum, Douza

ad

ad carmina illa ſubleſta, caſſa & anilia, quæ in laudes defunctorum à præficis occentabantur, refert; quod genus, *Neniarum* nomine & *Nugarum* veniebat. V. N. Aſin. act. 4: 1.

25. STABILE EST] ſententia, decretum eſt. Hoc Ciceroni in Verrin. *ſolidum* eſt. *At enim ſolidum id eſt, ut me Siculi maximè velint, &c.* P. Victor. l. 14: 9. Var. Lection.

26. EADEM] ſc. operâ, ratione.

30. MENDACIVM DIXIT] Electa Parei nobis tale hinc concinnant axioma: Mendacium officioſum, ut ſervetur amicus, quandoque dici poteſt. Scilicet, huic homini eſt, ſervare amicum, inſtruere ipſum furtiva pecunia quam conſumat inter meretrices. ò ethicum inſignem! Sed enim nihil tale hic vult Mneſilochus, mi Aſelle. Imò tantum abeſt ut mentiturus erat quidquam patri pro ſodale, ut ei contra indicare velit ſervi ſui mendacium. Et iſte talis ſcholam regit?

ACTUS III. SCENA V.

PISTOCLERVS.

REBVS alijs antevortar, Bacchis, quæ mandas mihi:
Mneſilochum ut requiram, atque ut eum mecum ad te adducam ſimul.
Nam illud animus meus miratur, ſi à me tetigit nuncius,
Quid remoratur. ibo, & viſam huc ad eum, ſi fortè eſt domi.

VERSVS hujus Sc. ut & ſequentis tetr. cat. troch.

V. 2. MECVM] ita MSS. & omnes vet. At Lamb. legit, *meditum*, unde Coler. & Meurſius, *medecum*, Ῥοχμικῶς, pro *mecum*, ſcripſiſſe Plautum affirmant.

2. ADDVCAM] ita vett. edd. & MSS. non *ducam*, ut recentiores.

3. TETIGIT] ſc. ipſum, i. pertigit, ſeu pervenit ad eum: D. At Iſaac. Pontan. leg. *Si amecum tetig. n.* pro, *amicum.* Vide ejuſdem Analect. lib. 3: 19.

ACTUS III. SCENA VI.

MNESILOCHVS, PISTOCLERVS.

REDDIDI patri omne aurum. nunc ego illam me velim
Convenire, poſtquam inanis ſum, contemtricem meam.
Sed veniam mihi quàm gravatè pater dedit de Chryſalo!
Verùm poſtremò impetravi, ut ne quid ei ſuccenſeat.
PI. Eſtne hic meus ſodalis? MN. eſtne hic hoſtis, quem aſpicio meus?
PI. Certè is eſt. MN. is eſt. adibo contra, & tollam gradum.
PI. Salvus ſis, Mneſiloche. MN. ſalve. PI. ſalvus cum peregrè advenis,
Cœna detur. MN. NON PLACET MIHI cœna, quæ bilem movet.
PI. Num quæ advenienti ægritudo objecta eſt? MN. atque acerrima.
PI. Vnde? MN. ab homine, quem mihi amicum eſſe arbitratus ſum antidhac.
,, *PI. MVLTI MORE iſto atque exemplo vivunt, quos cùm cenſeas*
,, *Eſſe amicos, reperiuntur falſi falſimonijs;*
,, *Linguâ factioſi, inertes operâ, ſubleſtâ fide.*

Nullus

Nullus est, quoi non invideant rem secundam obtingere.
Sibi ne invideatur, ipsi ignavi rectè cavent.
MN. Edepol ne tu illorum mores per quàm meditatè tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt suo:
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis habent.
Atque ii se cum frustrantur, frustrari alios stolidi existimant.
Sicut est hic, quem esse amicum ratus sum, atque ipsus sum mihi:
Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali
Facere, & in me inconciliare copias omnis meas.
PI. Improbum istunc esse oportet hominem. MN. ego ita esse arbitror.
PI. Obsecro hercle loquere, quis is est? MN. benevolens vivit tibi.
Nam ni ita esset, tecum orarem, ut ei, quod posses mali
Facere, faceres. PI. dic modò hominem, qui sit: si non fecero
Ei malè aliquo pacto, me esse dicito ignavissimum.
MN. Nequam homo est, verùm hercle amicus est tibi. PI. tanto magis
Dic, quis est. NEQVAM hominis ego parvipendo gratiam.
MN. Video non potesse, quin tibi ejus nomen eloquar.
Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus.
PI. Quid istuc est? MN. quid est? misine ego ad te ex Ephesio epistolam
Super amica, ut mihi invenires? PI. fateor factum, & repperi.
MN. Qui, tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibus cum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi?
Occiperes tu te amare, & me ires consultum malè?
PI. Sanun' es? MN. rem repperi omnem ex tuo magistro, ne nega.
Perdidisti me. PI. etiamne ultro tuis me prolectas probris?
MN. Quid amas Bacchidem? PI. duas ergo hic intus eccas Bacchides.
MN. Quid, duæ? PI. atque ambas sorores. MN. loqueris nunc nugas sciens.
PI. Postremò, si pergis parum mihi fidem arbitrarier,
Tollam ego ted in collum, atque intrò hinc auferam. MN. imò ibo: mane.
PI. Non maneo, neque tu me habebis falsò suspectum. MN. sequor.

ET TOLLAM GRADVM] Ita MSS. & Edd. A vett. Personas hi: Acid. reposuit. *MN. st est. PI. adhibe contra. MN. contollam gradum*; statimque id arripuit Pareus ed. pr. è modo, qui nostro in nóscitatione fréquens est. Aulul. extremâ: *STR. Herumne ego &c.* Rudente act. 2:3. *TR. Estne Ampelisca hæc &c.* Epid. act. 4:1. *PE. Noscito ego hanc, &c.* Inspice & contende inter se loca. Illud *contollam* est à Cam. versus caussâ: quod Pareus aliis litteris expressit in secunda sua, sed pessimè extrusit voculam *&*, quæ in edd. & mss. omn.

8. COENA DETVR] V. N. Epid. 1:1.

8. QVÆ BILEM MOVET] ut ab inimico data.

9. ACERRIMA] MSS. & edd. vett. *acerrumè.*

12. FALSIMONIIS] ob falsimonias suas. In MSS. est, *falsis f.* In edd. *falsis testimoniis.*

13. LINGVA FACTIOSI] *Linguâ factiosi* dicuntur largiloqui ac dites dapsilium dictorum, hoc est, ad promittendum promi potius quàm condi: ad largiendum non item. *Factiosi* enim pro opulentis seu potentibus accepti ab antiquis: D. & Turneb. lib. 2. cap. 30. Muretus Var. Lect. lib. 17. cap. 3.

Factiosi olim dicti impigri, aptique ad res gerendas, qui Græcis ἐργαστικοί: & opponuntur *inertibus*. Sallstius: *Cæteri omnes strenui, boni, factiosi, gnobiles, vulgus fuimus.*

13. SVBLESTA FIDE] Festus: *Sublesta sunt infirma, tenuia.* Nonius: *Sublestum est leve, frivolum.* V. N. Persa, 3: 1. Acidal. l. *Sublesti f.* ut respondeat cæteris: quod continuò in carnificinam editionis primæ suæ intulit Par. MSS. l. *sulvesta, subvecta, subversa.*

14. NVLLVS EST QVOI N.] ita Douza & Acid. nisi quòd hic versum etiam alterum in numeros suos cogit: *Ne sibi invideatur ipsis*: quod & illico invasit idem Pareus. MSS. Cam. & Edd. *Nullus est qui non invideat &c.* Lamb. l. *Nullus est, qui non invideat, rem secundam obtingere alteri: sibi ne.* Nullus est, qui non doleat, res secundas alteri obtingere: contra ipsi ita se gerunt, ut nemo eis invideat: quoniam sunt miserabiles potius quàm invidiosi. Ex quo Pind. Ed. a. Pith. κρέσσων οἰκτιρμῶν φθόνος. Vide Plaut. Truc. act. 4: 2.

18. NVLLI] Nemini sunt amici. Potest & rectus casus esse pluralis. L.

18. INIMICOS IPSI] Notetur elegans locutio: *Inimicos in se*. Similis Ter. Phorm. *Nunquam tam graves caperem inimicitias in vostram familiam.*

22. INCONCILIARE] irritare, inimicas reddere: *inimicare*, ut loquitur Horat. L. D.

27. ALIQVO PACTO] Sic & infra. 5. 2. v. 50. & 59. Cic. 2. LL. *Movemur nescio quo pacto amore patriæ.* pro Muren.: *Nescio quo pacto semper hoc fit.* Donat. in Andr: *Eo pacto.* i. *modo, inquit quoniam antecedit pactum, modus sequitur.* sic ille, sed obscure. *pactum* pro *modo*, quia modus certus, & certa formula cuique pactioni adhibetur. Passerat. ad 2. El. 27. Proper.

34. QVI, TIB.] ita MSS. & Edd. vetust. sed Lamb. *Quid.*

36. OCCIPERES TV TE AMARE] ita MSS. ambo & Ed. Cam. sed & omn. vet. solus Lambinus: *Occ. eam tute am.*

36. ME IRES CONSVLTVM] mihi consuleres malè: injuriam faceres. *Me*, pro, *mihi*, dixisse antiquos docet Festus: L. D.

38. VLTRO TVIS M. PROLECTAS] ita MS. pr. & optimus, & ita quidam etiam Lambini, idque rectius & ipse opinatur, quàm vulg. *projectas*, i. insectaris & conculcas. *Prolectas*, i. provocas, lacessis.

41. PARVM MIHI FIDEM ARBITRARIER] sc. esse, vel, habendam esse. Vide Lamb. At Jan. Gulielm. Non opus est, inquit, in sano membro medicinâ. Sic Terent. Phorm. act. 5: 3. *Itane parum mihi fidem esse apud te? Parum fides*, parva est. ut contrà, *satis consilium*; *satis otium*, multum & abundans. Cic. lib. 12. Att. *Si satis consilium quadam de re haberem.* Etiam illud notandum, ut non vulgare, *fidem arbitrari*, pro habere. quomodo & Scipio Gentilis exposuit. Sic Apul. Apol. 2. *Cui ego fidem arbitratus.* P. Colvius idem probat, & addit ex 7. Apul. *Ne vinum quidem potatui affatim habemus.* Cajus L. XIX. D. opert. Libert. *Satis tempus ad quæstum faciundum, unde ali possit, habeat.* Vide Not. Menæch. Prologo.

ACTUS IV. SCENA I.

PARASITVS, Puer.

PARASITVS ego sum hominis nequam atque improbi
Militis, qui amicam secum avexit ex Samo.
Nunc me ire jussit ad eam, & percunctarier,
Utrum aurum reddat, anne eat secum simul.
Tu dudum, puer, cum illa usque isti simul;
Quæ harum sunt ædes, pulta: adi actutum ad fores.

Recede

Recede hinc dierectè. ut pulsat propudium!
Comesse panem tris pedes latum potes,
Fores pultare nescis! ecquis his in ædibus est?
Heus ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?
Ecquis exit?

TU DUDUM] Ex conjecturâ Camerarius: *Tu qui dudum.* at in edd. vett. & MSS: *Tu dudum puer cum illa usq. isti s.* Aldus habebat *I tu puer, qui dudum &c.* nimis licenter.

6. QUÆ HARUM S. ÆDES] Ex his ædibus, eas, quæ sunt Bacchidis, pulsa.

7. DIERECTE] V.N. Trin. 2:4.

7. RECEDE] Abigit puerum ab januâ, quòd fores leviùs pulsasset.

11. ECQUIS EXIT] Est à Camerario, neq; quidquam apud Græcos Latinosq; frequentius. quàm ut versus sic dividatur, supplendus scenâ proxima. At Pareus adsecla MSS. adtexuit versui superiori; nescitque quo artificio singulari ex binis his vocibus novum versum constituant editores alii. facile credo. quid enim sciat, qui se ipsum nescit? quid sciat cui novum est artificium, quo nihil theatricis usitatius.

ACTUS IV. SCENA II.

PISTOCLERUS, PARASITUS.

QUID istuc? quæ istæc est pulsatio?
Quæ te mala crux agitat, ad istunc qui modum
Alieno vires tuas extentes ostio?
Fores penè effregisti. quid nunc vis tibi?
PA. Adolescens, salve. PI. salve. sed quem quæritas?
PA. Bacchidem. PI. utram ergo? PA. nihil scio, nisi Bacchidem.
Paucis me misit miles ad eam Cleomachus,
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat secum simul.
PI. Non it. negato esse ituram. abi, & renuncia.
Alium illa amat, non illum. duc te ab ædibus.
PA. Nimis iracundè. PI. at scin' quàm iracundus siem!
Næ tibi hercle haud longè est os ab infortunio,
Ita dentifrangibula hæc meis manibus gestiunt.
PA. Cum ego hujus verba interpretor, mihi cautio est,
Ne nucifrangibula excussit ex malis meis.
Tuo ego istæc igitur dicam illi periculo.
PI. Quid ais tu? PA. ego istuc illi dicam. PI. dic mihi,
Quis tu es? PA. illius sum integumentum corporis.
PI. Nequam esse oportet, cui tu integumentum improbus es.
PA. Sufflatus ille huc veniet. PI. diruptum velim.
PA. Num quid vis? PI. abeas celeriter. facto est opus.

PA. Vale dentifrangibule. PI. & tu, integumentum, vale.
In eum nunc hæc revenit res locum, ut quid consilij
Dem meo sodali super amicâ, nesciam,
Qui iratus renumeravit omne aurum patri,
Neque nummus ullus est, qui reddatur militi.
Sed huc concedam. nam concrepuerunt fores.
Mnesilochus eccum mæstus progreditur foras.

VERSUS similes superiorum, senar. Iamb.

V. 1. QUID ISTUC? QUÆ IST.] ita MSS. & edd. vett. at Parei editio utrumq; infarctum habet, *Quid istuc est? quæ nam istæc est pulsatio.* prorsus stultè. nam versus iste pars est antecedentis, ut diximus.

3. EXTENTES] contendas, seu experiaris. frequentat. ab *extendo.*

9. ELATIAM] Ἐλάτεια, urbs maxima Phocidis. Est & alia Thessaliæ.

10. NEGATO] Acid. l. *negat esse ituram.* ut versus & oratio sit melior: quod ocyus arripuit jejunitas Parei.

11. DUCTE AB ÆDIBUS.] Terent. Hec. 4:1. *duxit se foràs.* Asinius Pollio 10. Epist. 32. ad Cic. *duxit se à Gadibus.* Aul. 4:8. *duco me de arbore.* Amph. 4:3. *Ad regem me ducam.*

14. DENTIFRANGIBULA] pugni, qui gestiunt tibi dentes comminuere. Quanquam Gruterus malit ita vocari articulos digitorū: ut præripiatur licentia calamis eorum qui nescio quæ antiquata nobis obtrudunt. Amph. *gestiunt pugni mihi.* Meursiana domi videas.

16. NUCIFRANGIBULA] dentes, quibus nuces franguntur. Casaubono ad Athen. *Nucifrangibulum* exponitur μυακοδάκτ©.

16. EXCUSSIT] pro, *excusserit*: ut, *orasso*, pro, *oravero.* L. D.

16. MALIS MEIS] *Malas* fuisse etiam partes intra os, cùm hîc, tum alibi confirmatur: *Grut.*

19. INTEGUMENTUM CORPORIS] σωματοφύλαξ seu δορυφόρ©, custos & stipator corporis, satelles: Lambinus. quod & Parei Lexicon præ se fert. planè frigidè. Græcorum enim imitatus est sermonem, qui sic vocabant, *amicum intimum indivisumq.* unde & D. Paulus præcipit *ut Salvatorem induamus.* de qua phrasi sic D. Chrysostomus Homilia 25. cap. 14. ad Romanos: οὕτω καὶ ἐπὶ φίλων λέγουσιν, ὁ δεῖνα τὸν δεῖνα ἐνεδύσατο, τὴν πολλὴν ἀγάπην λέγοντες, καὶ τὴν ἀδιάλειπτον συνουσίαν. ὁ γὰρ ἐνδυόμεν©, ἐκεῖνο φαίνεται ὅπερ ἐνδέδυται. quibus similia habet Homilia 13. cap. 4. ad Ephesios.

20. CUI TU INTEGUMENTUM IMPROBUS ES] ita MSS. Cam. Integumentum enim debet ei, quod tegitur, convenire: nec rei pretiosæ vile tegumentum accommodandum: L. At Turn. lib. 24:11. Jocus, inquit, frigidus est, imò ne jocus quidem, ob unius vocis prætermissionem, quæ desiderata facetias Poetæ lepidissimi corrumpit. Emendo igitur: *Nequam esse oportet scutum: integumentum improbum est* Nam integumenta vocantur & tegmenta, operimenta scutorum & sagmata. Cæs. 2. de B. Gal. &c. Utrâque sententiâ significatur, militem esse nequam dominum, qui utatur tali ministro. Gruterus stat à vulgatâ scripturâ, quæ vult utique, integumentum nequaquam esse eo melius quod tegit ac custodit. itaque non sentit ullum argumenti frigus: sed dogma œconomicum.

21. SUFFLATUS] πεφυσημένος, iracundiâ turgidus. Casinâ, 3:3. *Nescio quid se sufflavit uxori suæ.*

21. DIRUPTUM VELIM] Aptum responsum. nam quæ inflantur, interdum dirrumpuntur. Horat. 2. Sat. 3. L. Parei editio nobis heic obtrusit MSS: Smaragdum, *dirrumptum.*

23. DENTIFRANGIBULE] qui dentes hominibus frangis: L.

24. N. HÆC REVENIT RES] ita Grut. è MSS.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA III.

MNESILOCHUS, PISTOCLERUS.

PETULANS, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo & modestia sum, sine bono jure atque honore,
Incredibilis, imposque animi, inamabilis, illepidus vivo,
Malevolente ingenio natus. postremò id mihi est, quod nolo
Ego esse aliis. credibile hoc est? nequior nemo est, neque indignior,
Quoi dij benefaciant, neque quem quisquam homo aut amet, aut adeat.
Inimicos quàm amicos æquius est me habere: malos quàm bonos
Par magis me juvare. omnibus probris, quæ improbis viris
Digna sunt, dignior nullus est homo: qui patri reddidi
Omne aurum amans, quod fuit præ manu. sumne ego homo miser!
Perdidi me, atque operam Chrysali.
PI. Consolandus hic mihi est. ibo ad eum. Mnesiloche, quid fit? MN. perij.
PI. Dij melius faciant. MN. perij. PI. non taces insipiens? MN. taceam?
PI. Sanus satis non es. MN. perij. multa mala mihi in pectore
Nunc acria atque acerba eveniunt. criminin' me habuisse fidem?
Immeritò tibi iratus fui. PI. eja bonum habe animum.
MN. Unde habeam? mortuus pluris pretii est, quàm ego sum. PI. militis
Parasitus modò venerat aurum petere: hinc eum ego meis
Dictis malis, his foribus atque hac repuli, rejeci hominem.
MN. Quid mihi id prodest? quid faciam? nihil habeo miser. ille quidem
Hanc abducet, scio. PI. si mihi sit, non pollicear. MN. scio, dares.
Novi. sed nisi ames, non habeam tibi fidem tantam.
Nunc agitas sat tute tuarum rerum: egone opem mihi
Ferre putem posse inopem te? PI. tace modò: deus respiciet nos aliquis.
MN. Nugæ. PI. mane. MN. quid est? PI. tuam copiam eccam, Chrysalum, video.

CONVERSI numeris versûs sunt. rediguntur tamen ad tetrametros. Sed de distinctione nihil affimare habet Camerarius.

1. INCOGITATO] Activè, incogitabili. Unbedachtsam. L.

2. SINE MODO ET MODESTIA] ἄμετρος καὶ ἄκοσμος. L.

2. SINE BONO JURE] *Bonum jus*, est Æquum & Bonum, τὸ ἐπιεικές: L.

2. ATQ. HONORE] Acidal. malit, *more*. nam *jus* & *mos* solere ita jungi ait sexcentis locis. nec mora, arripuit id ed. Parei.

3. INCREDIBILIS] indignus, cui quisquam credat. *L. D.*

4. MALEVOLENTE INGENIO NATUS] ita MSS. ambo, & veteriores Edd. cæteræ, *Genio*, quod præfert S. Bosius & Palm. ut Horat. *iratis diis natus*, 2. Sat. 3. & Terent. Heaut. act. 3. 1. *Aut ego profectò genio egregio ad miseriam natus sum.* Laudat hoc & Schoppius in Phædro & os verberat Lambino, quod scribat; *Malevolente Genio natum.* dici minus Latine. Vide N. Mil. act. 2. 3. Meursius etiam verum omnino putat *Malevolente Genio natus*. nam veteres *Genium* natalitii diei præsidem

existimasse. De quo is fusè in Spicileg. Theocr.cap.4. Contrà omnes tamen Acidal. unicè probat & hic & in illo Terentii, *ingenio*: &, *Ingenio tali* vel *tali natum esse*, merum sapere Latium. Infrà, *eo est ingenio natus*. Ennius: *Eo ego ingenio natus sum: Amicitiam atque Inimicitiam in fronte promptam gero.*

4. ID MIHI EST, QVOD NOLO] In uno Paris. est, *nolo* quod editioni suæ intulit Camerarius. in cæt. omnibus, *volo*; etiam in MS. pr. à primâ manu. Et rectius est, inquit Meurs. *quod volo*, pro, *quod potius volo*. Consuetum est & aliis scriptoribus ita concisè loqui, ut *Magis*, *Potius*, subintelligant. mos autem olim, cùm mala à se amoliri vellent, aliis ea, hostibus maximè, imprecari. verùm revocandum *Nolo*. nihil enim inhumanius in rerum naturâ illo altero; neque usurpare potest homo mentis compos. Pareus id tamen ostentat utraque editione.

7. INIMICOS QVAM AMICOS] V.N. Menæch.act.5.1.

7. ÆQVIVS EST] Ita restituit Grut. è MS.Cam.sec.

11. HOMO MISERI PERDIDI.] Ita MSS. & edd.vett. Lambinus è Clerici libro interposuerat, quod is habebat ad oram: *miser! Sumne ego nullius pretii!* verùm cùm sic nullus habeat scriptus editúsve, editus, ejiciendum fuit. versum enim egregiè suppleamus, repetito illo: *Sumné ego homo miser! perdidi me &c.*

15. CRIMININ' HABVISSE F.] Itáne levis esse debui, ut Lydo criminanti te crediderim? L. Sed hoc non probat Pistoris: cùm sit sensus: Menè tuam fidem in crimen vocasse? *Crimini habere aliquid*, est aliquid in crimen vocare. sic etiam Sc. seq. *propter crimen*, est ex suspicione criminis, in quod ego eum vocavi. Suspicabar eum malè mihi consuluisse *propter crimen*, i. in eo quod crimen commisisset, &c. Vide N.Sc. seq.

18. HINC E.EGO] J.Guliel.l. *hunc eum ego*. Sic Cic. Acad. *Jampridem ad hunc eum (ipsum me autem dicebat) quædam institui, quæ sunt magna sanè*. Acidal. distinguit:

——*aurum petere hunc. eum*, &c.

20. MI. QVID MIHI] Versûs, qui sequuntur ad finem Sc. Acidalius ita constituit, ut Trochaici omnes fiant. Laudo ingenium & industriam amicissimi hominis: sed eos in Textum non receperim.

21. SI M.SIT] MSS. *Si mihi est, n.* aut *Si mihi'st*, quod admisit Pareus.

21. NON POLLICEAR] sed ultrò dem.

22. SED NISI AMES] Nunc autem quia amas alteram Bacchidem, facilè credo, te nihil habere, quod mihi dare possis. L. Pareus in pr.ed. habet *sed enim nisi amares*; in altera, *sed enim nisi ames*. at illud *enim* nuspiam est in MSS. aut edd. idem in prima mirè voces transponit, obsecutus, conjectaneo Acidali.

23. AGITAS SAT] i. exerceris & laboras incerto eventu negotiorum tuorum. sic & *agere satis* dixit Mercat. act. 2. 1. *In somnis egi satis, & fui homo exercitus*: Grut. Glossæ: *Satagit, ἀγωνιᾷ*. Hinc & Seneca epist. 98. *Et istos satageos ac sibi molestos*, &c. *Satagens* à satagendo. ita enim Erasmus, Lipsius, & Gruter. legunt.

24. DEVS RESPICIET] V. N. Capt. 4: 2.

25. ECCAM] ita MSS. & vett. Edd.

25. CHRYSALVM VIDEO] Parei utraque editio contra MSS. & Edd. expressit *video Chrysalum*. cur obsecro? an ne Legi ulli subesse videatur? sic & in utraque habet versu præcedente, *Deus nos aliquis respiciet*, cùm restet in omnibus libris, *Deus respiciet nos aliquis*. sunt quidem istæc inania: sed de talibus si convincere potest Taubmannum, sacrilegium est, & crimen majestatis.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA IV.

CHRYSALUS servus: MNESILOCHUS, PISTOCLERUS adolescentes

HUNC hominem decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro.
Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus spoliis sum affectus.
Herum majorem meum ut ego hodie lusi lepidè! ut ludificatus est!
Callidum senem callidis dolis compuli, & perpuli, mihi omnia ut crederet.
Nunc amanti hero, filio senis, quî cum ego bibo, quî cum edo, & amo,
Regias copias aureasque obtuli, ut domo sumeret, neu foris quæreret.
Non mihi isti placent Parmenones, Syri, qui duas aut tres minas
Auferunt heris. nequius nihil est, quàm egens consilij servus, nisi habet
Multipotens pectus, ubicunque usus siet, pectore expromat suo.
Nullus frugi esse potest homo, nisi qui & bene & male facere tenet.
Improbis cum improbus sit, harpaget: furibus furetur quod queat.
Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus cui sapit.
Bonus sit bonis, malus sit malis, utcunque res sit, ita animum habeat.
Sed lubet scire, quantum aurum herus sibi demsit: & quid suo reddidit patri.
Si frugi est, Herculem fecit ex patre: decumam partem ei
Dedit, sibi novem abstulit. sed, quem quæro, optimò ecce obviam
Mihi est. num qui nummi exciderunt, here, tibi, quòd sic terram
Obtuêre? quid vos mœstos tam tristesque esse conspicor?
Non placet, nec temerè est etiam. quin mihi respondetis?
MN. Chrysale, occidi. CH. fortassis tu auri demsisti parum.
MN. Quî, malùm, parum? imò verò nimio minus multo parum.
CH. Quid igitur, stulte? quoniam occasio ad eam rem fuit
Meâ virtute parta, ut quantum velles, tantum sumeres,
Sic hoc digitulis duobus sumebas primoribus?
An nesciebas, quàm ejusmodi homini raró tempus se daret?
MN. Erras. CH. at quidem tute errasti, cum parum immersti ampliter.
MN. Pol tu quàm nunc me accuses magis, si magis rem noveris.
Occidi! CH. animus jam istoc dicto plus præsagitur mali.
MN. Perij. CH. quid ita? MN. quia patri omne cum ramento reddidi.
CH. Reddidisti? MN. reddidi. CH. omnéne? MN. oppidò. CH. occisi sumus.
Quî in mentem venit tibi istuc facinus facere tam malum?
MN. Bacchidem atque hunc suspicabar propter crimen, Chrysale,
Me malè consuluisse: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri. CH. quid, ubi reddebas aurum, dixisti patri?
MN. Id aurum accepisse extemplò ab hospite Archidemide. CH. hem,
Istoc dicto dedidisti hodie in cruciatum Chrysalum:

Nam

Nam ubi me aspiciet, ad carnificem rapiet continuò senex.
MN. Ego patrem exoravi. CH. nempe ego hoc ut faceres, quod loquor?
MN. Imo tibi ne noceat, neu quid ob eam rem succenseat.
Atque ægrè impetravi. nunc hoc tibi curandum est, Chrysale.
CH. Quid vis curem? MN. ut ad senem etiam alteram facias viam.
Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina,
Ut senem hodie doctum doctè fallas, aurumque auferas.
CH. Vix videtur fieri posse. MN. perge, ac facilè hæc feceris.
CH. Quàm, malùm, facilè? quem mendacii prehendit manifesto modo:
Quem si orem, ut mihi nihil credat, id non ausit credere.
MN. Imo si audias, quæ dicta dixit me adversum tibi.
CH. Quid dixit? MN. si tu illum Solem sibi Solem esse dixeris,
SI illum Lunam credere esse, & noctem qui nunc est dies.
CH. Emungam hercle hominem probè hodie: ne id nequiquam dixerit.
MN. Nunc quid nos vis facere? CH. enim nihil, nisi ut ametis, impero.
Cæterum quantumlibet me poscitote aurum, ego dabo.
Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?
Sed nunc quantulum usiiʼst auri tibi, Mnesiloche? dic mihi.
MN. Militi nummis ducentis jam usus est pro Bacchide.
CH. Ego dabo. MN. tum nobis opus est sumtu CH. ah, placidè volo
Unumquidque agamus: hoc ubi egero, tum istuc agam.
De ducentis nummis primùm intendam balistam in senem.
Ea balistâ si pervortam turrim & propugnacula,
Rectâ portâ invadam exemplò in oppidum antiquum & vetus:
Si id capso, geritote amicis vestris aurum corbibus,
Si cui animus sperat. PI. apud te est animus noster, Chrysale.
CH. Nunc tu abi intrò, Pistoclere, ad Bacchidem, atque effer citò.
PI. Quid? CH. stilum, ceram, & tabellas, & linum. PI. jam faxo hic erunt.
MN. Quid nunc es facturus? id mihi dice. coctum est prandium,
CH. Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.
MN. Sicut dis. CH. Pistoclero nulla amica est. MN. imò adest.
Alteram illi amat sororem, ego alteram, ambas Bacchides.
CH. Quid tu loqueris? MN. hoc ut futuri sumus. CH. ubi est biclinium
Vobis stratum? MN. quid id exquiris? CH. res ita est: dici volo.
Nescis quid ego acturus sim, neque facinus quantum exordiar.
MN. Cedò manum, ac subsequere propius me ad fores. intrò inspice.
CH. Evax nimis bellus, atque ut esse maximè optabam, locus.
PI. Quæ imperavisti (imperatum bene bonis) factum illico est.
CH. Quid parasti? PI. quæ parari tu jussisti omnia.
CH. Cape stilum propere & tabellas tu has tibi. MN. quid postea?
CH. Quod jubebo, scribito istic. nam propterea te volo
Scribere, ut pater cognoscat literas, quando legat.

Scribe.

Scribe. MN. quid scribam? CH. salutem tuo patri verbis tuis.
PI. Quid si potius morbum & mortem scribat? id erit rectius.
MN. Ne interturba. jam imperatum in cerâ inest. CH. dic quemadmodum?
MN. Mnesilochus salutem dicit suo patri. CH. adscribe hoc citò.
Chrysalus mihi usquequaque loquitur nec rectè, pater,
Quia tibi aurum reddidi, & quia non te defraudaverim.
,, *PI. Mane, dum scribit. CH. CELEREM oportet esse amatoris manum.*
,, *PI. Atque idem hercle est ad perdundum magis, quàm ad scribendum, citus.*
MN. Loquere: hoc scriptum est. CH. nūc, pater mi, proin tu ab eo ut caveas tibi,
Sycophantias componit, aurum ut abs te â auferat:
Et profectò se ablaturum dixit. planè ascribito.
MN. Dic modò. CH. atque id pollicetur se daturum aurum mihi,
Quod dem scortis, quodque in lustris comedim & congræcem, pater.
Sed pater vide ne tibi hodie verba det: quæso cave.
MN. Loquere porrò. CH. adscribe dum. MN. etiam loquere, quid scribā, modò?
CH. Sed, pater, quod promisisti mihi, te quæso ut memineris,
Ne illum verberes, verùm apud te vinctum asservato domi.
Cedò tu ceram ac linum actutum. age obliga, obsigna citò.
MN. Obsecro, quid istis ad istunc usu st conscriptis modum?
Ut tibi ne quid credat, atque ut vinctum te asservet domi?
CH. Quia mihi ita lubet. potin. ut cures te, atque ne parcas mihi?
Meâ fiduciâ opus conduxi, & meo periculo rem gero.
MN. Æquum dicis. CH. cedò tabellas. MN. accipe. CH. animum advortite.
Mnesiloche & tu Pistoclere. jam facite in biclinio
Cum amicâ suâ uterque accubitum eatis. ita negotium est.
Atque ibidem, ubi nunc sunt lecti strati, potetis citò.
PI. Nunquid aliud? CH. hoc, atque etiam ubi erit accubitum semel,
Ne quoquam exsurgatis, donec à me erit signum datum.
PI. O imperatorem probum! CH. jam bis bibisse oportuit.
MN. Fugiamus. CH. vos vostrum curate officium, ego efficiam meum.

VERSUS similes superiorum, æquè numeris confusi, usque ad hunc: *Chrysale occidi*, à quo deinceps sunt tetr. cat. Troch.

1. AURO EXPENDI] auro liberari: *Alii*: cum auro comparari: auro contrà ponderari, de se gloriosè hæc prædicat: L.

7. PARMENONES, SYRI] Servus unde apud comicos imponi solita sint nomina, memorat Helladius Besantinus, apud Photium Biblioth. pag. 870. Οἱ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὸ μὲν πλεῖον ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ὀνομάζουσιν. οἷον, Σύρον, Καρίωνα, Μύσον, Γέταν, καὶ ὅμοια. ὀνομάζουσι δὲ A καὶ τὰ ἐξ ἐπιθέτων. ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος. μέλανα, πυῤῥίαν καὶ ξανθίαν. ἀπὸ τοῦ τρόπου δὲ παρμένοντα, καὶ πιστὸν καὶ δρόμωνα. ὀνομάζουσι δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ὠνήσαντο τὸν οἰκέτην. ἐξ οὗ καὶ τοὺς νουμηνίους ὠνόμαζον. Quæ mihi suggessit Rittersh. Et monet etiā, præter hæc Frid. Lindebruch. Observat. in Andr. act. 3. Sc. 1. ex Athenæo, Comica nomina Servorum duarum syllabarum; Tragica verò plurium fuisse antiquitùs. Etiam Casaubonus Athen. lib. 4. cap. 1. notat, Servorum apud Græcos nomina vel unius syllabæ fuisse; ut *Mus*, servus Epicuri. unde vetus verbum, πᾶς δοῦλος [illegible]

μονοσύλλαβος.vel duarum, ut *Davus, Geta*, A *Dromo, Cion &c.*

9. MVLTIPOTENS PECTVS] ita vet.Edd. & ambo MSS.à primâ manu. Al.*multipatens*, i.amplum, & omnis generis fallaciarum capax.

12. VERSIPELLEM] V.N.Amph.Prol.

13. VTCVNQ.RES SIT] Animum scil. habeat Fortunæ aptum.

15. HERCVLEM FECIT] Herculi pars decima bonorum de præda dabatur. V. N. Sticho act.2.1.

18. VOS MÆSTOS TRISTESQVE] *Mæstus*, qui animo angitur: *Tristis*, qui vultu ægritudinem prementem ostendit.

19. RESPONDETIS?] MS.sec.*respondeas*? Idem etiam alia hic turbat.

21. QVI, MAL. P.] MSS.& Edd. *Quia*.& omnes hunc versum alteri præponunt. Cogita Lector.

21. IMO VERO] imò multo, & nimis minus, quàm parum. *Multo nimio*, ἐν πα[illegible]λῃ posita sunt. vel, *nimio* plus est, quàm *multo*: L.

24. PRIMORIBVS] Suspicatur Gruterus respicere ad modum sacrificandi, quo tura dabantur aris. Lactant. l.1.c.20. *Colunt enim ture ac summis digitis, quæ sensibus intimis colere debuerunt*. iterum lib.5,c.19. Hieronym. in epistolâ ad Heliodorum. item Prudentius Hymno Eulaliæ:

Si modicum salis eminulis
Turis & exiguum digitis
Tangere velis &c.

25. EIVSMODI HOMINI] i. cuivis: non patri tuo, ut vult Lambinus: qui τὸ *ejusmodi* cum dict. *homini* construit: cùm ita debeat: *An nesciebas, quàm rarò ejusmodi tempus*, (sc. argenti sumendi) *se daret?* Dousa. At Isaac. Pontanus l. *ejusmodi nomini*. Juvenalis:

Qui venit ad dubium grandi cum codice nomen.

IMMERSISTI] sc. manus in aurum. Ridicula est ad hanc rem historia de Almæone & Cræso, apud Herod. lib.6. pag.427. edit. Stephanicæ.

28. OCCIDI. CH. ANIMVS] ita Dousa F. *Occidi* continuat cum prioribus Mnes. verbis: ut hoc dicto percussus Chrysalus dicat: *Jam animus ilicet d.* quod & Grutero probatur. aliæ edd. & MSS. illud *Occidi*, attribuunt Mnes. quos cur non sequatur heic Pareus, plus quàm monstrum est, solitus nugacissimis unius membranacei affaniis obsequi.

28. PRÆSAGITVR] pro *præsagit*; Nonius.

29. CVM RAMENTO] Trucul. Prolog. *cum pulvisculo*, quod omnem scobem & pulverem interpretatur Turn. lib.24. 11. Suprà act. 3.4.

31. CRIMEN] Criminationem Lydi. L. D. At Pistoris non putat esse, propter criminationem Lydi. Nimis enim inquit; obscurum illud esset, si adolescens significare Chrysalo voluisset, unde hæc ortum habuisset suspicio, si generaliter dixisset, *propter crimen*: addendus enim fuisset autor criminationis. Sed hoc tantum vult: quod jam dictum Sc. præced. ad vers. 15.

33. ME] pro, *mihi*: Festus. *L. D.*

36. DEDIDISTI] Numeri hoc flagitant, uti in eâdem re Aul. *te dedam discipulam cruci*. Cam. at Pareus mavult adhærere MSS. rescripsitque *dedisti* quæ ineptiæ!

41. CONGLVTINA] Consue dolos.

44. PERGE, AC FACIL.] Ita MSS. Cam. Palm. l. *facile ecfeceris*. quod probat Acidal.

45. MENDACII PREHENDIT] ita MSS. & Edd. vett. *Prehendere mendacii*, ait J. Gul. B Latinè dicatur an non, nihil definio. certè insolens est. legerem; *q.m.pr. manifestum modò*. Nam *manifestus furti, mendacii, sceleris*, meræ lautitiæ sermonis Latini, & obviæ passim. Reperit tamen simile Acidal. lib.9. Met. Apul. *coràm noxa deprehensus*. item Agell. lib. 11.cap.18. *Servos item furti manifesti prensos verberibus affici* &c. V. N. infra act.4.9.v.26.

46. ID NON AVSIT CREDERE] ὡς ἂν τολμῶν πιστεύειν· ἢ ὡς ἂν εὐλαβούμενος: vereatur credere. L.

47. ME ADVERSVM TIBI] i. me præsente in te absentem.

49. ILLVM S.] δεικτικῶς.

50. NEQVICQVAM] sine pœnâ.

53. CHRYSALO] ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ καὶ ἀλλα[illegible] L. Ita Cic. pro Rosc. Amer. *Venio nunc ad nomen illud aureum Chrysogoni*. De hujusmodi Nominum sive etymis sive fatali impositione, copiose disseruit Hier. Columna in Andromachâ Ennii, pag.370. & seqq. V. N. Pœnuli Prol. v.91.

54. QVANTVLVM] MS. pr. *quantillum*.

56. PLA-

58. PLACIDE] moderatè, sine festinatione.

60. OPPIDUM VETUS] senem. Vid. Pseud. act. 2.1.

61. AMICIS VESTRIS] ad amicas vestras.

62. SPERAT] ita MSS. ambo. H. Groslot. l. *fiet. P. at apud.* Schoppius nec Lambini interpretationem, nec Groslotii lectionem probat, sed potiùs suam: *Sicut animus sperat.* suprà etiam dixit: *sperat quidem animus.* Probat hoc Acidal. qui tamen, si quid mutandum sit, Malit; *superat.* immo hoc vult planè. nā nihil (inquit) illis supererat animi, qui totus erat apud Servum. & verò Acidalii illud utraque sua editione dignatus est Pareus.

64. CERAM] *Cera* hic non est tabula ex cerà & ligno compacta: sed ea potius cera, quà more non nimium ab hodiernà abludente, tabellas obsignabant. Sequitur enim inferius: *Obsigna citò*: in quem usum & ceram poposcerat sibi, &c. *Dousa.*

46. TABELLAS] Ante chartæ & membranarū usum, in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribebantur: Isid. lib. 7. Orig. Et ejusmodi tabulæ Homero etiam notæ: apud quem Prœtus litteras Bellerophonti tradit scriptas [illegible], *in tabellà plicatà* sive duplice: Il. VI. vers. 169. Fiebant illæ inductà cerà è fago, abiete, buxo, tiliā sive philyrà, acere, citro, ebore. usi tamen & chartà: sed sive tabellà sive chartà, fuit forma ejus paullò alia quàm hodie. pagellæ enim erant, & species minuti libelli. Hinc Ciceronis illud lib. 2. Epist. 13. *Extrema pagella pupugit me tuo chirographo.* Nisi quòd publicas litteras ad *S. P. Q.* grandiore formà & transversa chartà scribebant, scilicet quasi Historias: hæ siquidem majore modulo scribebantur: Carmina atque Epistolæ, breviore. Et hinc Seneca explicandus ep. 45. *Epistola non debet sinistram manum legentis implere*: quod scilicet referendum ad angustias & minutam libelli formam, &c. Hæc ex Institut. Epist. J. Lipsii excerpsimus.

64. LINUM] Lino tabellas exaratas obligabant: ut Amphitr. 1.2. Cic. 3. Catil. *tabellas proferri jussimus* &c. *signum cognovit: nos linum incidimus*: Vide Grut. Suspicion.

67. SICUT DICIS.] Schopp. ita corrigit: A *MN. Sicut dicis, Pistoclero nulla amica est. PIST. imò adest. MN, Alteram illic*, &c. Ut ego tua verba audio Pistoclerus non habebit, quicū accumbat, amicam. Si erit multò convivius. Pistoris, Non malè, inquit, ad sensum ita ordinant: sed turbat me, quod Pistoclero illa dant, *Imò adest*: cum tamen is paullo ante intro iverit stilum, cedram, & linum allaturus: & postea demum progrediatur, cum ait: *Quæ imperavisti*, &c. Itaque donec hic scrupulus mihi eximatur, vulgatam retineo, sensu manifesto. Etsi enim de tribus tantum ante dixerat Chrysalus, mox tamen, ne ignoraus Pistoclero injuriam faciat, amica ejus exclusa est. ideò quærit: *Pistoclero nulla amica est?* ut unà admittatur in convivium. Cæterùm suspectum mihi admodum est, quod Chrysalus dicit, *coctum esse prandium*: qui tamen, ut ex seqq. apparet, ædes numquam introiit. adeò ut ne quidem de altera Bacchide ipsi quicquam constaret; nec unquam biclinii locum viderit. Immo verba plane sunt Mnesilochi, qui apud Bacchidem pransurus erat ex obsonatu Pistocleri. Ideo ne moretur eum Servus, ait:

B *Quid nunc es facturus, id mihi dice. coctum est prandium.*

Q. d. Animus est in patinis, ne me morare. Id audiens servus, mox convivas divinat. Nempe, inquit, vos duo (tu & Pistoclerus) eritis in convivio, & tua amica.

67. IMO ADEST] Grut. malit, *immo ades.*

69. HOC UT FUT.] Hoc scilicet loquor, quomodo unà erimus.

69. BICLINIUM] nomen ex Latino & Gr. factum, *bis* & [illegible]. Quid si quis dicat legendum, *ciclinium*? L.

70. RES ITA EST] Ea res, quam paro, postulat ut sciam: L.

73. ATQ. UT ESSE MAXUME] V. C. omissà voculà, *atque esse m. o.* Optimè: nam *atque* idem valet quod *ut*: Meurs. Tamen ambo MSS. τὸ *ut*, habent.

74. PI. QUÆ IMPERAVIST.] ita MSS. falsò enim notat Pareus in utroque esse *imperasti*; falsò itē habere *imperatā*. disertè enim uterque & *imperavisti*, & *imperatum*. Acidalius: Tollo digitum, & cedo iis, qui, *bene*, vel, *en paratus*, legunt. Aliàs ipse feceram, *Quod*

 impe-

imperavisti (imperatur bene bonis) factum illico est. Quæ in parenthesi sunt, ita Mil. efferuntur: *facile est imperium in bonis.* quod sequitur Pareus utraque editione, contra MSS. editosque omnes.

74. QVID PARASTI &c.] Sic MSS. & Edd. vett. nisi quod hæ *parare.* inficetè Parei editio, *quæ paravi.* nam etsi ita initio habuerat MS. pr. quis non videt propinquitatem literæ *Y.* cum *V*?

77. QVOD JVBEBO] Ita MS. pr. & requirit versus. Par. ed. ultima, *jubeo.*

81. IMPERATVM IN CERA TENET] Jam scriptum est quod imperâsti.

83. LOQVITVR NEC-RECTE] Ita MSS. & edd. vett. V. N. Pseud. 4. 6. Mostell. 1. 3. Meursius l. *loquitur nerectè*, i. conviciatur. Turpilius: *Nerectè dices mihi quod jamdudum audio.* & Festum libris corruptis usum ait.

85. MANE, DVM SCRIBIT] noli tam propere dictare: I.

92. SED PATER VIDE] Sic plane MS. pr. pro quo recentiores, *Sed pater mi*, quomodo & Pareus. at ita editio nulla vetustior, quæ neque illud *vide* agnoscit: quod tamen requirit versus.

93. ETIAM LOQVERE, QVID] ita omnino MSS. ambo convenientissimum putabat Acidalius, quod est in edd. vett. *loquere dum id scribam modo.* Q. d. Quin tu, dum vel id scribo, loquere tamen interim, quod porrò scribam. satis enim omnia assequor, &c. & id in contextum recepit utraque editione Pareus: adeo quavis aurâ rationis hac illac flectitur.

96. OBLIGA] sc. lino. Et rectissimè Pl. ad litteras faciundas res quattuor simul dinumeravit anteà; *stilum, ceram, tabellas, & linum. D.*

99. POSTIN' VT CVRES TE] q. d. cura tu modò Genium tuum: & de me securus esto.

100. MEA FIDVCIA OPVS CONDVXI] Allegoria est, a redemtoribus ducta, qui datis sponsoribus, & factis syngraphis suo periculo opus aliquod faciundum conduxerunt. *Fiducia* in Lexico Græcolat. est [illegible]. Vide Hotoman. Et Cic. 3. Offic. & pro S. Roscio, & A. Cæcinnâ, *fiducia* pro *deposito*; ut in Orat. pro L. Flacco, pro *pignore* posuit.

104. POTETIS CITO] Sic edd. omnes & MS. pr. etiam sec. à manu recensoris, qui prius habebat *scito* scripturâ ambiguâ, adeo ut videretur etiam cavillatori, fuisse *scitè*, ei innixus fundamento, affirmat nobis Pareus, utroque MSS. restare *scitè*. quod falsum est: ut & alterum ejus facinus. nam editio ejus præfert, *potetis. PI. scitè.* ad quæ jactant Notæ ejusdem: Male etiam vulgò distinguunt: sed omnia optimè ex MSS. sic concinnata sunt. Nimirum Asellus iste Cumanus arbitrabatur neminem exoriturum qui in fidem ejus inquireret: alioquin nunquam prorupisset ad tam projectam audaciam. certe MSS. heic nusquam interponunt Pistocleri personam. præterea *scite* primam habet longam; neque ulla ratione heic tolerari potest. quid jam dicis Proteu?

107. CH. JAM HIS LIB.] ita Acidal. hæc *CH.* dat elegantissimo, ut ait, sensu.

108. FVGIAMVS] Monet Camprarius in postumis notis legi posse *Euge! eamus.* belle nimis.

ACTUS IV. SCENA V.

CHRYSALUS.

INSANUM magnum molior negotium,
Metuoque ut hodie possiem emolirier.
Sed nunc truculento mihi atque sævo usus sene est.
Nam non conducit huic sycophantiæ
Senem tranquillum esse ubi me aspexerit.

Versabo

Versabo ego illum hodie, si vivo, probè.
Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum est cicer.
Adambulabo ad ostium, ut quando exeat,
Extemplò advenienti ei tabellas dem in manum.

VERSVS h. Sc. & 2. sequent. sunt Senarii A jamb.

V. 1. INSANVM MAGNVM] i. valdè magnum. V. N. Trin. act. 3: 2. Observavi Sacras etiam litteras hâc formâ sermonis uti. Jeremiæ cap. 46. v. 9. *Ascendite equi: insanite, ô currus* ubi, *hitholelu*. Q. d. efferatissimo & concitatissimo impetu ac turbine feramini, &c. Is. Casaubonus ad Athen. l. 13. cap. 5. monet, veteres cùm aliquid vehementer extollerent, solitos tanquam exclamantes, orationi suæ vocem *μανία* inserere. Unde manasse illas locutiones, *Μανικὸν, ὅσον μέγα*, &c, *Insanum magnum*.

3. SÆVO] *Sævus* valet veteribus durus, immitis, vehemens, item acer & animosus: quin & Virg. Æneid. 1, *Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector*. Idem, *sævas tempestates* dixit, ut Lucr. *sævas protellas*. Cic. *ventus sævus*, & *turbines sævi, &c.* Vide Non. & Gifan.

4. CONDVCIT HVIC SYCOP.] ita MSS. & Edd. vett. versus caussâ recentiores interjecere *nunc*. quod & perperam in Parcanâ; ut & seq. versu, *qui*: nam & hoc sæculi nostri est additamentum. Aldus *scitum*, quod statim sequitur, aptavit versui. forsan rectè.

5. VBI ME ADSPEXERIT] sc. me arripi & vinciri jubebit. L. D.

6. VERSABO EGO ILLVM] Tractum à piscibus, qui, dum in sartagine aut craticulâ B friguntur, hinc inde versantur. Seneca Epist. 90. *Sollicitudo nos in nostrâ purpura versat*. V. N. Asin. act. 1: 3. ver. 28. sed magis Pers. 5: 2. v. 17.

7. QVAM FRICTVM EST CICER.] Cicer frigi consuevisse, etiam Horat. in Arte indicat:

Nec si quid fricti ciceris probat & nucis emptor.

9. ADVENIENTI EI.] Addidi pronomen, volente utroque MSS. quos & heic negligenter versavit Pareus.

ACTUS IV. SCENA VI.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

NIMIO illæc res est magnæ dividiæ mihi,
Subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum.
CH. Salvus sum, iratus est senex. nunc est mihi
Adeundi ad hominem tempus. NI. quis loquitur propè?
Atque hic quidem opinor Chrysalu'st. CH. accessero.
NI. Bone serve salve: quid fit? quam mox navigo
In Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum?
Taces? per omnes deos adjuro, ut ni meum
Gnatum tam amem, atque ei facta cupiam quæ is velit,
Vt tua jam virgis latera lacerentur probè,
Ferratusque in pistrino ætatem conteras.
Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.
CH. Men' criminatus est? optimè est: ego sum malus,
Ego sum sacer, scelestus: specta rem modò.

Ego verbum faciam. NI etiam carnifex
Minitare? CH. nosces tu illum actutum qualis sit.
Nunc hasce tabellas ferre me jussit tibi.
Orabat, ut, quod istic esset scriptum, id fieret.
NI. Cedò. CH. nosce signum. NI. novi. ubi ipse est? CH. nescio.
Nihil jam me oportet scire: oblitus sum omnia.
Scio me esse servum. nescio etiam id quod scio.
Nunc ab trasennâ hic turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulcrè, ita intendit tenus.
NI. Mane dum parumper: jam ad te exeo, Chrysale.
CH. Vt verba mihi dat! ut nescio quam rem gerat!
Servos arcessit intus, qui me vinciant.
Bene navis agitatur, pulcrè hæc confertur ratis.
Sed conticiscam: nam audio aperiri fores.

DIVIDIÆ] i. molestiæ & dolori. Infra 4: 9. & Sticho. 1: 1. Cas. 2: 2.

—— quod tibi est
Ægrè, idem mihi est dividia.

Dividiam Festus interpretatur *discordiam*: Nonius; *tristitiam*: Glossæ: *Dividia, ἐπάχθεια, διχόνοια*, Zwiespalt.

6. BONE SERVE SALVE] Ironica vituperatio. Ter. *Bone custos salve.*

10. VT TVA IAM] Particula *Vt* iteratur, perspicuitatis caussâ. L.

9. SACER] V. N. Prologo Pœnuli.

10. EGO VERB.] Lamb. *Ego nec ver.* sed nec MSS. nec ed. Cam. nec ulla alia vetus τὸ *nec* agnoscit. Parm. cum interrogatione effert: *Ego verbum faciam?*

18. ID FIERET] Ita Gruterus, cum in MS. pr. ejus loco esset *ut*, nec minus in seq. qui prius illud *ut* statim præcedens, non habet, quod tamen non indicant notæ Pareanæ. solum ineptè eadem lineâ utrunque expressere; intricantes lectorem, non expedientes.

19. NOSCE SIGNVM] Mos vetus notandus. Antequam litteras recitarent, jubebant, adversus quos facerent, ne postea dicerent fictas, cognoscere signum. Quod exemplis è Cicer. Sall. Plauto, Xenoph. probat P. Victorius lib. 14: 4. Vide N. Pseud. act. 4: 2.

21. NESCIO ETIAM ID QVOD SCIO] Terent. Heaut. *Tu nescis quod scis, Dromo, si sapies.* Jam, *Nescire quod scias*, proverbium olet: pro secum habere.

23. NVNC AB TRASENNA] Ita MSS. & edd. vett. Allegoria: quâ significatur, senem lectione litterarum jam jam deceptum, & captum iri. Est autem *transenna* in tendiculâ pedica, sive funiculus extentus, & ex eo apta machinula, quæ adhibetur ad turdos capiendos: *Tenus* verò, pertica seu paxillus seu laqueus qui tenditur: *lumbricus* autem esca, quam turdi captantes in laqueum incidunt. Serv. ad illud 5. Æneid.

—— & volucrem trajecto in fune columbam,

notat; *trajecto, extento: unde transenna dicitur extentus funis.* Pl. Persâ 4: 2. Rud. 4: 7. Lex. Latinogræcum Claud. Puteani *transennam* interpretatur ὑπολήψια & φυλάγματα. Ex L. & Turn. 24: 11. Brodæus Miscell. lib. 4. c. 19. *transennam* hic cratem interpretatur ad decipiendas aves concinnatam. *Ab transennâ cibum petere*, dicitur, qui periculo est proximus. Vide Adag.

23. INTENDIT TENVS] Servius 6. Æn. *Tenus* seu *Tenum*, putat esse partes arcûs extremas, unde *hactenus, protenus, quatenus*: profertque hunc locum. ex quo suspicari licet, Servium accipere hic *tenus*, ut sit numeri multitudinis, & significet duo extrema arcûs cornua, ubi nervus sedet. Gr. κορώνη. L.

27. PVLCRE HÆC CONFERTVR RATIS.] Lambinus, *confertur*, impellitur, seu appellitur ad portum scilicet, interpretatur. Nec benè, nec pulcrè. nam *Bene collata ratis* est, cujus

cujus partes omnes rectè & ordine, statuminibus, tabulatis, ac pluteis suis commissæ ac ferruminatæ sunt. Ennius:

Collatâ pulchrè rate inaratâque peritè:

Douza. Sed Scalig. in Conjectan. notat, *Ratem conferre*, significare συμβάλλειν, aut προσβάλλειν: ut *conferre gradum*. versúmque Ennii legit,

Confertâ rate——

Cui in hoc quidem accedit P. Merula; at non item in altero; malitque,

Benè navis agitatur, pulchrè hac fertur ratis:

A ut versus fit Senar. Acatalect. vel, ut sit brachicatalect. octonarius, *Benè navis agitatur, pulchrè hac confertur ratis.* Prius tamen eidem maximè arridet: ut, *Benè navim agitari*, &c, *Pulcrè ferri ratem*, sint eadem. *Confercire* autem *ratem*, quod naupægorum est, esse id quod Douza hîc commentetur. Vide ipsum lib. 7. ad Enni Annales. Acidalius: *Conferri* dicitur *agitata navis alteri navi*, ut concurrant scil. ac mutuò impingant. qui quidem hîc verus sensus est, non iste Lambini, non Douzæ. ergò Scaligeri, qui idem cum Acid.

ACTUS IV. SCENA VII.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

CONSTRINGE *tu illi, Artamo, actutum manûs.*
CH. Quid feci? NI. impinge pugnum, si muttiverit.
Quid hæ loquuntur litteræ? CH. quid me rogas?
Ut ab illo accepi, ad te obsignatas attuli.
NI. Eho tu! loquitatúsne es gnato meo malè
Per sermonem, quia mihi id aurum reddidit?
Et te dixisti id aurum ablaturum tamen
Per sycophantias? CH. egóne istuc dixi? NI. ita.
CH. Quis homo est, qui dicat me dixisse istuc? NI. tace.
Nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt,
Quas tu attulisti. hem, hæ te vinciri jubent. CH. aha,
Bellerophontem jam tuus me fecit filius.
Egomet tabellas detuli, ut vincirer? sine!
NI. Propterea hoc facio, ut suadeas gnato meo
Ut pergræcetur tecum, tervenefice.
CH. O stulte, stulte, nescis nunc venire te:
Atque in eo ipso astas lapide, ubi præco prædicat.
» *NI. Responde: quis me vendit? CH. QUEM DI diligunt,*
» *Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit.*
Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus jam viginti mortuum esse oportuit:
Terræ odium ambulat. jam nihil sapit,
Nec sentit. tanti est, quanti est fungus putidus.
NI. Tun' terræ me odium esse autumas? abducite hunc
Intrò, atque astringite ad columnam fortiter.

Nunquam

Nunquam auferes hinc aurum. CH. atqui ultrò *jam dabis.*
NI. Dabo? CH. atque orabis me quidem ultrò, ut auferam;
Cùm illum resciſces criminatorem meum
Quanto in periculo, & quanta in pernicie fiet.
Tum libertatem Chryſalo largibere:
Ego adeò nunquam accipiam. NI. dic, ſcelerum caput,
Dic, quo in periculo eſt meus Mneſilochus filius?
CH. Sequere hàc me, faxo jam ſcies. NI. quò gentium?
CH. Tres unos paſſûs. NI. vel decem. CH. agedum, tu Artamo,
Forem hanc pauxillùm aperi, placidè, ne crepa:
Sat eſt. accede huc tu. viden' convivium?
NI. Video exadvorſum Piſtoclerum & Bacchidem.
CH. Qui ſunt in lecto illo altero? NI. interij miſer.
CH. Noviſtine hominem? NI. novi. CH. dic ſodes mihi,
Bellân' videtur ſpecie mulier? NI. admodum.
CH. Quid illam, meretricémne eſſe cenſes? NI. quippini!
CH. Fruſtra es. NI. quis igitur obſecro eſt? CH. inveneris.
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

IMPINGE PVGNVM] Sic l.8. Epiſt. Cic. *Quid ſi filius meus fuſtem mihi impingere volet?* Utitur ſæpe & varie Seneca verbo *impingere.* ut Epiſt. 95. *Et ingentem epiſtolam impingam.* lib.1. de Benef. cap.1. *Gratus adverſus eum quuquam eſſe poteſt, qui beneficium aut ſuperbè injecit, aut iratus impegit?* Idem: *Et illi Ovidium ſuum impingo.* Itâ Cicero: *Impingit mihi epiſtolam Scaptius Bruti.* Vidè H.Steph. lib.2. Prood. c.11. Sed hæc obiter. A

V.1. SI MVTIVERIT] Pareus in Theſauro ſuo, tit. Verberandi, citat, *ſi obmutiverit,* contra libros, & ineptè alioqui.

3. QVID HÆ LOQVVNTVR LITERÆ?] Sic ſæpè Cicero. Ita noſter. Pſeud. 1.1. *literarum ſermonem* dixit, & Propert. 3. el, 23. de tabellis: *Et quædam ſine me verba diſerta loqui.* idem 4. el.1: *Et ſibi commiſſos fibra locuta Deos.* Paſſerat. B

5. EHO TV, LOQVIT.] *Ehò,* MSS. ambo. Inclamandi interjectio eſt. prius erat, *Eo tu.*

8. PER SYCOPHANTIAS] Eſt à Camerario, verſus cauſſa. nam MSS. & edd. vett. *ſycophantiam.* unde Aldus; *per ſycophantiam. CH Egone iſtic dixi unquam? NI. Ita.*

12. BELLEROPHONTEM] Proverb. βελλεροφόντης κατ' ἑαυτοῦ γράμματα. de eo, qui litteras velut commendatitias præfert, quæ contra ipſum ſunt ſcriptæ. Nos vulgo *Litteras Uriæ,* ex Hiſtoriâ 2. Sam. cap. 11. appellamus, Urias Brieff. Bellerophon cùm apud Prœtum hoſpitem ſuum falsò accuſatus eſſet à Stenobœâ (Alii *Anteâ*) ejus uxore, quaſi ad ſtuprum ipſam pellexiſſet, litteras ab illo juſſus eſt ad Jobatam in perniciem ſuam ſcriptas, totius rei ignarus, perferre &c. Vide Hom. Iliad. VII. Item J. Druſii Proverb. Claſſ.1. lib.5. Hujus Bellerophontis caſtitas locum dedit Proverbio: *Bellerophonte caſtior.* cui non abludit illud, *Porphyrione caſtior:* hæc enim avis adſpectâ meretrice mori creditur: ut ait Syneſius.

13. DETVLI] ita MS. ſec. & primus etiam, ſed à ſecundâ manu. nam prius, *tetuli.*

13. SINE!] Minantis eſt.

16. NESCIS NVNC VÆNIRE TE] Germani: Du wirſt verrahten vnd verkaufft.

17. IN EO IPSO ADSTAS LAPIDE] Idem dicit aliis verbis: & adagium eſt in eum, qui præſens, videns audienſque tamen deluditur. *Lapis* autem locus eminens erat, & tamquam ſuggeſtus, unde præco prædicabat atque vendebat: & λίθον Ariſtoph. *ſuggeſtum* vocavit. Unde, *De lapide emtos* Cic. nominat viliſſimos, ut ſervos vænales. & Columell. lib.4:

lib. 4:3. *De lapide noxium*, appellat servum de lapide emptum, non frugi bonæ, sed qui noxæ deditus sit, ideoque venditus. *Turneb. lib.10:3.*

17. VBI PRÆC.] MSS. *ut*.

17. PRÆDICAT] Proprio & peculiari ei rei verbo usus est. *Prædicare* enim est, quod nos, außruffen diceremus D.

18. QVEM DI DILIGVNT, ADOLESCENS MORITVR] Plautus hic (quod notavit Theod. Canterus) Menandri versum æmulatus est:

ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος.

Plato in Axiocho: *Nisi ocius qui vitam, velut æs alienum, reddiderit: adstans supra caput Natura, tanquam fœnerator, reposcit usuram: ab alio quidem visum: auditum ab alio: persæpe utrumque. At si quis diutius cunctetur, debilitat eum, excruciat, membrisque destituit. Alij itaque multâ senectute repuerascunt: animoque bis pueri fiunt senes. Dij quoque propter hoc ipsum (ut quibus notissimæ sint res humanæ) quos plurimi faciunt, eos citius auferunt è vitâ.* Desid. Heraldus, Malè, inquit, explicatur hic locus à Lambino. Exprimit Senarium Menandri; ὃν οἱ θεοὶ &c. Et innuit Chrysalus, senem Nicobolum diis esse invisum: quod adolescens, dum saperet & sentiret, mortuus non esset: lib.2: 5. Sed & olim Gruterus, Ineptè, inquit, hîc de δυσφημισμῷ Lambinus. Non respondet seni servus; sed queritur, ea esse fata hominem, ut supervivat senex, intermoriatur adolescens.

20. PLVS ANNIS DECEM] ita Cic. *plus anno*. item; *plus annum obtinere provinciam*. Ter. *Plus quingentos colaphos infregit mihi*. Livius, *Plus decem millia capta*. In quibus omnibus *plus* pro *plusquam* poni notat H.Stephan. in De Latin. falsò suspectâ, p.256.

22. TERRÆ ODIVM] Ita MSS. & edd.vett. nam Aldus, *Terræ odium inambulat, & nihil sapit.* recentiores, *Qui terræ odium inambulat, & jam nihil sapit.* forte fuit antiquè *Terrai odium &c.* Parei prima admisit Schoppii conjecturam, *& tam nihil sapit.* ἄχθος ἀρούρης. Horat. *Telluris inutile pondus.*

23. TANTI EST, QVANTI EST FVNGVS PVTIDVS] i. inutilis & stolidus est. Vide Adag. *Fungus putidus.*

25. ADSTRINGITE AD COLVMNAM FORTITER] Hoc de flagellatione, quæ expetere solebat in adstrictos ad columnam, accipit Lipsius: quem videas lib. 2:4. De Cruce: etsi ad custodiam modò id factum aliquis pertendat.

26. ATQ. VLTRO] MSS. non habent *ultrò*.

34. TRES VNOS PASSVS] Sic MSS. Edd. vet. legunt, *treunos passus*. Optimè, ait Meursius. *Treuni passus*, valent, *tres uni*, id est, soli. Librarii scioli quum non caperent elegantiam vocis tam lepidè fictæ, atque compositæ, temere correxerunt. & verò Pareus gemmâ eâ ed. suam pr. exornavit, sed iterum ejecit secundâ: adeo rerum omnium subita eum capit satietas. Quid ergo fiet Lexico ipsius, ubi & pyropus ille prior?

34. TVARTAMO] Meursius & hîc, & supra rescribit (quanquam hæsitanter) *Artema*. Varro lib.7. de Ling. Lat. *Tres cum emerunt Ephesi singulos servos, nonnunquam alius declinat nomen ab eo, quòd vendidit Artemidorus, atque Artemam appellat: alius ab regione, quòd ibi emit, ab Ioniâ Ionam: aut ab urbe Epheso Ephesum, &c.*

42. INVENERIS] tu per te invenias, si voles. *vel:* facito ut per te invenias si possis. invenito ipse, & aliunde scito. L.

ACTUS IV. SCENA VIII.

CLEOMACHVS, NICOBVLVS, CHRYSALVS.

MEAMNE hic Mnesilochus, Nicobuli filius,
Per vim ut retineat mulierem? quæ hæc factio est?
NI. Quis ille est? CH. per tempus hic venit miles mihi.
CL. Non me arbitratur militem, sed mulierem,

Qui me meosque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi unquam, neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, si convenero,
Nive exhæredem fecero vita sua.
NI. Chrysale, quis ille est, qui minitatur filio?
CH. Vir hic est illius mulieris, quâ cum accubat.
NI. Quid, vir? CH. vir, inquam. NI. nupta est illan' obsecro?
CH. Scies haud multo pòst. NI. oppidò interij miser.
CH. Quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus?
Age nunc, vincito me, auscultato filio.
Dixin' tibi ego illum inventurum te qualis sit?
NI. Quid nunc ego faciam? CH. jube sis me exsolvi citò.
Nam nisi ego exsolvor, jam manifestò hominem opprimet.
CL. Nihil est lucri, quod me hodie facere mavelim,
Quàm illum cubantem cum illâ opprimere, ambo ut necem.
CH. Audin quæ loquitur? quin tu me exsolvi jubes?
NI. Exsolvite istum. perij, pertimui miser.
CL. Tum illam, quæ corpus publicat vulgo suum,
Faxo, se haud dicat nactam, quem derideat.
CH. Pacisci cum illo paullulâ pecuniâ
Potes. NI. pacíscere ergo obsecro, quid tibi lubet;
Dum ne manifestò hominem opprimat, néve enicet.
CL. Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,
Iam illorum ego animam amborum exsorbebo oppidò.
NI. Hem illoc pacíscere, si potes. perge obsecro.
Pacíscere quidvis. CH. ibo & faciam sedulò.
Quid clamas? CL. ubi herus tuus est? CH. nusquam: nescio.
Vis tibi ducentos nummos jam promittier,
Vt ne clamorem hìc facias, neu convicium?
CH. Nihil est, quod malim. CH. atque ut tibi mala multa ingeram?
CL. Tuo arbitratu. CH. ut subblanditur carnifex.
Pater hic Mnesilochi est. sequere. is promittet tibi.
Tu aurum rogato: cæterùm verbûm sat est.
NI. Quid fit? CH. ducentis Philippis rem pepigi. NI. vah, salus
Mea, servavisti me. quàm mox dico? Dabo.
CH. Roga hunc tu, tu promitte huic. NI. promitto, roga.
CL. Ducentes nummos aureos Philippos probos
Dabin? Dabuntur, inque: responde. NI. dabo.
CH. Quid nunc, impure, nunquid debetur tibi?
Quid illi molestus? quid illum morte territas?
Et ego te & ille mactamus infortunio.
Si tibi est machæra, & nobis veruina est domi:

Quæ

Quâ quidem te faciam, si tu me irritaveris,
Confossiorem sorciniâ neniâ.
Iamdudum herclè equidem sentio, suspicio
Quæ te solicitet, eum esse cum illa muliere.
CL. Imò est quoque. CH. ita me Iuppiter, Iuno, Ceres,
Minerva, Latonæ, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus, dijque omnes ament:
Vt ille cum illâ neque cubat, neque ambulat,
Neque osculatur, neque illud quod dici solet.
NI. Vt jurat! servat me ille suis perjuriis.
CL. Vbi nunc Mnesilochus ergo est? CH. rus misit pater.
Illa autem in arcem abivit ædem visere
Minervæ. nunc aperta est. i, vise, estne ibi.
CL. Abeo ad forum igitur. CH. vel hercle in malam crucem.
CL. Hodie exigam aurum hoc? CH. exige, ac suspende te:
Ne supplicare censeas, nihili homo.
Ille est amotus. sine me, per, te, here, obsecro
Deos immortales, ire huc intrò ad filium.
NI. Quid eò introibis? CH. ut eum dictis plurimis
Castigem, cùm hæc sic facta ad hunc faciat modum.
NI. Imò oro ut facias, Chrysale, & ted obsecro,
Cave parsis in eum dicere. CH. etiam me mones?
Satin est, si plura ex me audiet hodie mala,
Quâm audivit unquam Clinia ex Demetrio?
NI. Lippi illic oculi servus est simillimus:
Si non est; nolis esse, neque desideres:
Si est; abstinere, quin attingas, non queas.
Nam ni illic hodie forte fortunâ hîc foret,
Miles Mnesilochum cum uxore opprimeret suâ,
Atque obtruncaret mœchum manifestarium.
Nunc quasi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promisi militi: quos non dabo
Temerè etiam, priusquam filium convenero.
Nunquam edepol quicquam temerè credam Chrysalo:
Verùm libet etiam mihi has perlegere denuò:
ÆQVVM est tabellis consignatis credere.

FACTIO] i. intoleranda potentia. Glossarium vetus: *Factionem*, συσκευήν. *Factiosus*, νεωτεριστής.

V. 4. SED MVLIEREM.] Proverb. *Muliere ignavior.* Et: *Mulier Imperator*: &, *Mulier miles.* Et Græci timidum in bello γυναικῶν appellant. Sic Mil. 2:6. &c. Ex quo & illa Virg. *O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.*

8. EXHÆREDEM F.] V. N. Menæch. 3: 2.

19. AMBO]

19. AMBO] simul, & uno quasi actu. A Differunt enim *ambo* & *utrique*: ut diximus Bucol.5. è Charisio.

25. QVID TIBI LVB.] Acidal. leg. *quo*, vel ex antiquâ lect. *quid*, faciendum *qui*. ita mox legit *Paciscere quibis*, auferendi casu utrobique. quod utcunque editioni suæ statim intulit Pareus.

35. CH. VT SVBBLANDITVR!] Ita ergo Acidalius Chrysalo hoc ipsi dat: quòd miles dixerat, velut palpans, *tuo arbitratu*. Lamb. εἰρωνικῶς dictum Seni dabat: qui tam procul tamen aberat, ut nihil eorum qui loquerentur audire potuerit.

37. ROGATO] i. stipulator: L. Vide N. Pseud. act. 1:1.

37. CÆTERVM VERBVM S.] Non hoc dicit, unum in rem totam verbum sufficere. sed *verbum* dixit pro *verborum*. ut Rud. act.3: 6. *hic verbum sat est*. & Truc.2:8. *Sequere hàc, verbum sat est*. Jam sensus est: de cætero, sive, quod ad cætera attinet, verborum sat est. q. d. de aliis rebus nihil opus te ad senem meminisse; numos saltem rogato. Metuebat enim ne fallacia appareret, si in sermonem alium descenderet &c. *Cæterum* autem sic absolutè poni, vulgatum est: non item *Reliquum* eâ formâ. Noster Clitellariâ: B

Pol ad cubiturum, mater, magè sum exercita:
Reliquum ad cursuram sum tardiuscula.

Acidal.

38. REM PERICI] Acid. *rem*, & in versu & sententiâ superfluere censet. sic tamen MSS. & edd. vett.

39. QVAM MOX DICO? DABO.] Significat, se primo quoque tempore promittere cupere: & molestum sibi esse, diutius morari. L.

43. NVMQVID DEBETVR TIBI?] q. d. Nihil tibi debetur: aut si quid debetur, ex stipulatu debetur; quo tibi optimè cautum est: L.

44. MORTE TERRITAS?] Propriè. nam *Terror* est metus validus & concutiens. Et quidem (ut Becmanus censet) ex origine Græcâ & Hebraicâ. Benè ergò ad *mortem*, quæ maximè formidabilis. Lucanus lib.1.

——quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus——

Aristotel. 3. Nicom. φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος.

45. MACTAMVS INFORTVNIO] i. magis quasi cumulamus & obruimus.

46. ET NOB.] Acid. *at nob.* quod rapuit statim in editionem suam pr. Pareus, retinuitque in secundâ: aliàs solitus exagitare quosvis vel latum recedentes unguem à MS. fortè uno; cùm hîc ambo conspirent.

46. VERVINA] *Veruina* quattor syllabarum est, & obeliscum significat, i. parvum veru, & tamquam vericulum. sic enim eum minatur veru confossurum. nec enim cæsim ferit veru, sed punctim: nec obtruncat, sed confodit: *Turn.lib.24:11.* Fulgentius: *Veruina, jaculi genus longum, quod aliqui verutum vocant.* Notat & Lipsius Poliorceticωn lib.4. Dialogo 4. Porrò *machæra* militari *verutum* etiam opponit Turneb.2:7.

48. CONFOSSIOREM SORICINA NENIA] *Soricinam neniam*, pro intestino soricis in minutissimas partes conciso sumit P. Daniel Aurelian. *Neniam* etiam edulii genus esse frustillatim profectum, docent ex lib.7. Arnobii. Et hoc genus loquendi confine esse illi, Mil. 1:1. *fartum facere ex hostibus*: item alteri, Curcul.4:4.

Iam ego te faciam ut hic formicæ frustillatim differant.

Verùm Lambino neque horum, neque Turnebi (lib. 24:11.) sententiâ placet, multò autem minus Donati ad Eun. Terentii. sed ita potius explicandum censet: Te magis confossum reddam, quàm intestinû soricinum, cum sorex in muscipulâ deprensus, certâ machinatione confoditur. Vide ibidem. Theod. Marcilius ad Martial. censet rectius legi, *confessiorem*: ut apud Propert. lib.4. el.6.

Hic referat sero confessum fœdere Parthum.

Porrò Scaliger, Omne, inquit, dictum vulgatum *Neniam* vocabant, nempè quod Græci αἶνον: ut illud, *Sorex indicio suo perijt*. Horat. vocat *puerorum neniam* illum versiculum:

Rex eris, si rectè faxis; si non faxis, non eris.

Ita enim ait:

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nenia, quæ regnum rectè facientibus offert?

Vide eundem ad Fest. item Not. Truc. act. 2: 1. Dubitat Joan. à VVovver, an asserere ausit, illa Apul. lib.2. Met. *mustelatis* (alii, *mustelatis*,) *pipletis laceratus atque discerptus*, habere aliquid simile cum hâc *neniâ soricinâ*.

52. ORIS]

52. OPIS] ita MS. sec. sed pr. *Opes.* rectius. *Ops.*

52. POLLVCES] Pro. *Pollux.* Vide Varr. libr.4.de L.L.

54. SVBMANVS] Pluto. V.N. Curc. 3:1.

56. NEQ. ILLVD, QVOD DICI SOLET.] Verbum turpe tacuit. Meursius legit, *neque illud, quod dicis, solet.* Veteribus *solere* nihil aliud erat, quàm συνουσιάζειν. V.N. Cistell act. 1.1. MSS. Cam. *Neque auscultatur, neq. illud quod dici s.* Pareus Meursianum, editioni primæ invexit, ejecitque secundâ. ô mutabilitatem!

59. ÆDEM VISERE MINERVÆ] ut in palliatâ, eâque Atticâ, dictum est. nam Athenis in Acropoli Minervæ ædes erat. Turn. l.24. 11.

60. I, VISE, ESTNE IBI.] Non rectè Lamb. hæc per interrogat. legit. *Estne* valet Plauto *sit ne.* Aulul. *Ne persentiscat, aurum ubi est.* Acidal. At Gruterus malit reponi *vise, sit ne ibi,* quod sæpius deprehenderit illud *sit* degenerare in *est* aut *st*: quemadmodum vel suprà 4.3. v.21.

63. SVPPLICARE] sc. me tibi.

64. SINE ME, PER TE, HERE, &c.] Sermo implicatus: cujus hic est ordo: *Here, te per deos omnes immortales obsecro, sine me huc intro ire ad filium.* Antiquis (Grutero & Scaligero in Ciri monentibus) haud quicquam usitatius, quàm in deprecationibus & obtestationibus inter præpositionem ejusque casum interponere pronomen: ut h. l. & Menæch. 5.5. *Per ego vobis deos atque homines dico.* Terent. Andr. act. 5.7. *Per ego te deos oro.* &c. Virg. 4. Æneid. *Per ego has lacrimas.* Ceiri: *Per te sacra precor*: pro, per sacra te precor. Seneca Agamemnone: *Per te parentis memoriam obtestor mei* Festus: *Ob vos sacro, in quibusdam precationibus est, pro, vos obsecro: ut & sub vos placo, pro, vos supplico.*

69. PARSIS] peperceris.

70. TED OBSECRO] Ita à prima manu MS. pr. & sec. à secunda, postulatque versus. neglexit Pareus.

71. QVAM AVDIVIT V. CLINIA EX DEMETRIO.] Lambinus referendum putat ad aliquam Plauti perditam Comœdiam, in quâ Demetrius aliquis pater inducatur filium Cliniam acriter objurgans. Bosius verò ad aliquam alius veteris referendum censet: &, Potest, inquit, fieri, ut & Plautus & Terent. Heautont. ex Græco aliquo Scriptore suum *Cliniam* mutuati sint. Cui adsentitur Meursius: & addit, ex Turpilii Demetrio. quam Grammatici frequenter citant, desumta videri.

72. LIPPI ILLIC OCVLI SERVVS EST SIMILIMVS.] Quia, quemadmodum, cùm lippus oculus non adest, nemo eum desiderat: cùm adest, nemo potest sibi temperare, quin eum manu tractet; ita, si Chrysalum non haberem, non magnoperè desiderarem: cùm habeo, non possum, quin operâ ejus utar: *L.* Planius est in Persâ, act. 1. sc. 1. Vide adag. *Lippo oculo similis*: &, *Ubi quis dolet, ibidem & manum habet.*

75. FORTE FORTVNA] *Fortuna,* dea incerti eventûs: culta, quæ posset prodesse & abesse. *Fors Fortuna,* dea prosperi eventûs, quæ tantum prodesse. Illa *Dubia* dicta est; hæc etiam *Fors* absolutè nonnunquam legitur. Et colebatur ab infimæ sortis hominibus, operariis, rusticis, servis, & omnibus qui sine arte aliquâ viverent. Invocatur à Comicis servis: ut Hecyr. Ter. 3.3. Phorm. 1.2. & 5.6. Hinc *Forte fortunâ,* Eunuch. 1.2. & 3.5. Alibi, *fors* pro casu: unde *fortè* adverb. id est, fortuitò. Lil. Gyraldus in Hist. deorum, Fabricius, Nonius, Donatus. Vel dic cum Aus. Popmâ: *Fors* est fatorum lex: *Fortuna* est incertus eventus. Illa Græcorum εἱμαρμένη, hæc τύχη: *Forsfortuna* est fatalis eventorum caussa. Interdum tamen *Fors* pro *Fortuna* ponitur. Tibullus: *juvat audentes.* Ovid. 2. F. *audentes Forsque Deusque juvat.* Scaliger ad Manilium, Vulgus indoctum, inquit, nescit distinguere *Forte* à *Sorte*: quæ inter se differunt, ut τύχη & πότμος.

78. PHILIPPIS] MS. pr. *Philippeis,* ἀρχαϊκῶς. quod tamen aliter cepit Pareus, insigniendo accentu Literam penultimam, veluti esset adjectivum.

79. QVOS NON DABO] Ita rectissimè Gruterus & Acid. restituunt: *quos non dabo Temerè etiam, priusquam.* Sic Terent. Phorm. act. 4.5. *Hoc temere nunquam amittam ego à me, quin mihi testes adhibeam, cum dem.* antea leg. *quos non dabo Temere: etiam pr.*

ACTUS IV. SCENA IX.

CHRYSALUS, NICOBULUS.

ATRIDÆ duo fratres cluent fecisse facinus maximum:
Cùm Priami patriam Pergamum, divinâ mœnitum manu,
Armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus,
Millenûm numero navium, decumo anno post subegerunt.
Non Pelides termento fuit, præut ego herum expugnabo meum.
Sine classe, sineque exercitu, & tanto numero militum,
Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab suo patre.
Nunc priusquam huc senex venit, libet lamentari, dum exeat:
O Troja! ô patria! ô Pergamum! ô Priame! periisti senex,
Qui miserè malè mulcabere quadringentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas, quas fero,
Non sunt tabellæ, sed equus, quem misêre Achivi ligneum.
Epius est Pistoclerus: ab eo hæc sumta. Mnesilochus Sinon est
Relictus. ellum! non in busto Achilli, sed in lecto accubat:
Bacchidem habet secum. ille olim habuit ignem, qui signum daret:
Hæc ipsum exurit. ego sum Vlysses, cujus consilio hæc geruntur.
Tum quæ hîc sunt scriptæ literæ, hoc in equo insunt milites
Armati atque animati probè. ita res successit, meliusque adhuc.
Atque hic equus non in arcem, verùm in arcam faciet impetum.
Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro senis.
Nostro seni huic stolido, ei profectò nomen facio ego Ilio.
Miles Menelau' st: ego Agamemnon, idem Vlysses Laertius.
Mnesilochus est Alexander, qui erit exitium rei patriæ suæ:
Is Helenam abduxit, cujâ caussâ nunc facio obsidium Ilio.
Nam illic eidem audii Vlyssem, ut ego sum, fuisse & audacem & malum.
Dolis ego deprensus sum: ille mendicans penè inventus interiit,
Dum sibi exquirit fata Iliorum. assimiliter mihi hodie obtigit.
Vinctus sum, sed dolis exemi. item se ille servavit dolis.
Ilio tria fuisse audivi fata, quæ illi forent exitio:
Signum ex arce si periisset: alterum etiam est Troili mors:
Tertium cùm portæ Scææ limen superum scinderetur.
Paria item tria eis tribus sunt fata nostro huic Ilio:
Nam dudum primò, ut dixeram nostro seni mendacium
Et de hospite, & de auro, & de lembo; ibi signum ex arce jam abstuli.
Jam duo restabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Pòst ubi tabellas ad senem detuli, ibi occidi Troilum.
Cùm censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis,

Ibi vix me exsolvi. atque id periclum assimilo, Vlyssem ut prædicant
Cognitum ab Helena, esse proditum Hecubæ. sed ut olim ille se
Blanditiis exemit, & persuasit, se ut amitteret:
Item ego dolis me illo expuli periculo, & decepi senem.
Postea cum magnifico milite, urbes verbis qui inermus capit,
Conflixi, atque hominem repuli: dein pugnam conserui seni:
Ego eum adeò uno mendacio devici, uno ictu extemplò
Cepi spolia. is nunc ducentos nummos Philippos militi,
......quos dare se promisit, dabit.
Nunc alteris etiam ducentis usus est, qui dispensentur
Ilio capto: ut sit mulsum, quî triumphent milites.
Sed Priamus hic multo illi præstat. non quinquaginta modò,
Quadringentos filios habet; atque equidem omnis lectos sine probro:
Eos ego hodie omnes contruncabo duobus solis ictibus.
Nunc Priamo nostro si est quis emtor. coemtionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplò ubi oppidum expugnavero.
Sed Priamum astantem eccum ante portam video. adibo atque alloquar.
NI. Cujánam vox prope me sonat? CH, ô Nicobule. NI. quid fit? quid,
Quod te misi, ecquid egisti? CH. rogas? congredere. NI. congredior.
CH. Optimus sum orator. ad lacrumas coegi hominem castigando,
Maléque dictis, quæ quidem quivi comminisci. NI. quid ait? CH. verbum
Nullum fecit: lacrumans tacitus auscultabat, quæ ego loquebar:
Tacitus conscripsit tabellas: obsignatas mihi has dedit,
Tibi me jussit dare. sed metuo, ne idem cantent quod priores.
Nosce signum. estne ejus? NI. novi. libet perlegere has. CH. perlege.
Nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium Ilio.
Turbat equus lepidè ligneus. NI. Chrysale ades, dum ego has perlego.
CH. Quid me tibi adesse opus est? NI. volo, ut quod jubebo facias,
Vt scias quæ hic scripta sient. CH. nihil moror, neque scire volo.
NI. Tamen ades. CH. quid opus est? NI. taceas. quod jubeo, id facias. CH. adero.
NI. Euge literas minutas. CH. qui quidem videat parum:
Verùm, qui satis videat, grandes satis sunt. NI. animum advortito igitur.
CH. Nolo, inquam. NI. at volo, inquã. CH. quid opus est? NI. at enim id, quod te
,, *CH. Justum est, TVVS TIBI servus tuo arbitratu serviat.* (*jubeo facias.*
NI. Hoc agesis jam nunc. CH. ubi lubet, recita: aurium operam tibi dico.
NI. Ceræ quidem haud parsit, neque stilo. sed quicquid est, perlegere certum est.
Pater ducentos Philippos quæso Chrysalo
Da, si esse salvum vis me, aut vitalem tibi.
CH. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. NI. quid est?
CH. Non prius salutem scripsit? NI. nusquam sentio.
CH. Non dabis, si sapies. verùm si das maxumè,
Næ ille alium gerulum quærat, si sapiet, sibi.

Nam

Nam ego non laturus sum, si jubeas maxumè:
Sat sic suspectus sum, cùm careo noxiâ.
NI. Ausculta porrò, dum hoc, quod scriptum est, pellego.
CH. Inde à principio jam impudens epistola est.
NI. Pudet prodire me ad te in conspectum, pater.
Tantum flagitium te scire audivi meum,
Quòd cum peregrini cubui uxore militis.
NI. Pol haud derides. nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
CH. Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.
NI. Stultè fecisse fateor. sed quæso, pater,
Ne me, in stultitiâ si deliqui, deseras.
Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui:
Persuasum est facere, cujus nunc me facti pudet.
„ *NI. PRIVS TE CAVISSE ergo, quàm pudere, æquum fuit.*
CH. Eadem istæc verba dudum illi dixi omnia.
NI. Quæso, ut sat habeas id, pater, quòd Chrysalus
Me objurgavit plurimis verbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis suis,
Vt te ei habere gratiam æquum sit bonam.
CH. Estne istuc istic scriptum? NI. hem specta, tum scies.
„ *CH. VT QVI deliquit, supplex est ultrò omnibus!*
NI. Nunc si me fas est obsecrare abs te, pater,
Da mihi ducentos nummos Philippos, te obsecro.
CH. Ne unum quidem hercle, si sapis. NI. sine pellegam:
Ego jusjurandum verbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante vesperum,
Priusquam à me abiret. nunc, pater, ne pejerem,
Cura: atque abduce me hinc ab hâc quantum potest,
Quam propter tantum damni feci & flagitij.
Cave tibi ducenti nummi dividiæ fuant.
Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.
Vale, atque hæc cura. Quid nunc censes, Chrysale?
CH. Nihil ego tibi hodie consilij quicquam dabo:
Neque ego haud committam, ut, si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de meâ sententiâ.
Verùm ut ego opinor, si ego in istoc siem loco,
Dem potiùs aurum, quàm illum corrumpi sinam.
Duæ conditiones sunt: utrum tu accipias, vide.
Vel ut aurum perdas, vel ut amator peieret.
Ego neque te jubeo, neque veto, neque suadeo.

NI. Mi-

NI. Miseret me illius. CH. tuus est, non mirum facis.
Si plus perdundum sit, perisse suavius est,
Quàm illud flagitium volgo dispalescere.
NI. Næ ille edepol Ephesi multo mavellem foret,
Dum salvus esset, quàm revenisset domum.
Quin ergo istic, quod perdundum est, propero perdere?
Binos ducentos Philippos jam intus efferam:
Et militi quos dudum promisi miser,
Et istos. mane istic: jam exeo ad te, Chrysale.
CH. Fit vasta Troja, scindunt proceres Pergamum.
Scivi ego jamdudum fore me exitium Pergamo.
Edepol qui me esse dicat cruciatu malo
Dignum, næ ego cum illo pignus haud ausim dare,
Tantas turbellas facio. sed crepuit foris:
Effertur præda ex Trojâ. taceam nunc jam.
NI. Cape hoc tibi aurum, Chrysale. i, fer filio.
Ego ad forum autem hinc ibo, ut solvam militem.
CH. Non equidem accipiam. proin tu quæras qui fuerat.
Nolo ego mihi credi. NI. cape verò: odiosè facis.
CH. Non equidem capiam. NI. at quæso. CH. dico, ut res se habet.
NI. Morare. CH. nolo inquam aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me servet. NI. ohe, odiosè facis.
CH. Cedò, si necesse te. NI. cura hoc. jam ego huc revenero.
CH. Curatum est, esse te senem miserrimum.
Hoc est incepta efficere pulcrè, veluti mihi
Evenit, ut ovans prædâ onustus incederem.
Salute nostrâ atque urbe captâ per dolum,
Domum reduco integrum omnem exercitum.
Sed spectatores, vos nunc ne miremini,
Quòd non triumphò. pervulgatum est, nihil moror.
Veruntamen accipientur mulso milites.
Nunc hanc prædam omnem jam ad quæstorem deferam.

HÆc Scena Plautinissima est: & πρεσχλὼ exscidii Trojani habet. In versibus autem, numeris & legibus suis restituendis, multus est & varius Acidalius: quem vide.

1. ATRIDÆ] Agamemnon & Menelaus Atrei filii. In MS. sec. est, *Atrides.* in MS. pr. prius fuit, *Atridas duos fratres*: sed erasum est deinde *S* in *duo*, & superscriptum voci primæ, *Al. Atride.* Velit ergo Gruterus *Atridas* retineri, ut *duo* sit accusativi casus.

A

2. PERGAMVM] *Troja* regio est: *Ilium* sive *Ilios*, civitas: *Pergamos* sive *Pergama* arces Trojanæ: auctore Steph. de Urbb.

2. DIVINA MOENITVM MANV] Neptuni & Apollinis manu munitam, & muro cinctam, jussu Jovis. Vide Lamb. ad Horat. 3. Od. 3.

4. MILLENVM NVM. NAVIVM] ἐν πλάτει rem definit: ut Poeta 2. Æneid. & Propert. lib. 2. 18.

Et Danaûm Euboico littore mille rates.

Nam ut ex catalogo apud Hom. Iliad. 2. liquet, naves M C L X X X V I. fuerunt. Ita quidem Lamb. & alii. Sed Scipio Gentilis, Parerg. lib. 1. cap. 35. auctoritate Livii lib. 5. dec. 5. cujus verba sunt: *A Chalcide trajicit trium millium spatio distantem, portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniæ classis* &c. refelli eos ait, qui numerum finitum pro finito Virgilium & Plautum posuisse asseverent. MSS. ambo, ut & Edd. *Mille cum n.* quod ipsum, tanquam sæculo nostro dignissimum, postliminio revocavit Musa Parei, nihil sollicita de versu. Al. *Cum mille num.*

5. NON PELIDES TERMENTO FVIT, PRÆ VT EGO] Non Achilles detrimento (hoc enim *termentum* est, autore Festo) æque fuit mœnibus Trojæ evertendis, &c. Observavit idem Cæl. Sec. Curio: & probat Lamb. nisi quod legat, *Non P. ei terment.* Vulgata lectio & MSS Cam. est, *tormento*: quam sic Lamb. explicat: Non Achilles factis suis præclaris, quibus Trojanos, tanquam tormentum quoddam, oppugnavit, ita & capiendam Trojam adjuvit Neoptolemum & cæteros Græcos, ut ego &c. Vide & Canter. Nov. Lect. l. 3. 8.

9. O TROJA! ô PATRIA!] Talia sunt illa ex Ennii Hecuba: *O pater! ô patria! ô Priami domum!* Et 2. Æneid.

O patria! ô divum domus Ilium, & inclutа bello
Gloria Dardanidûm!

Et suspicatur Lamb. hæc Plauti ex aliquâ antiquâ Tragœdiâ sumtâ esse.

12. SED EQVVS, QVEM MISERE ACHIVI, LIGNEVM] ἵππος δούρειος, seu δουράτεος. Lucret. 1.

Nec clam durateus Trojai Pergama partu
Inflammâsset equus.

Horat. *equum Minervæ* nominat, 4. Odâ 6. Virg. 2. Æneid.

Instar montis equum divinâ Palladis arte
Ædificant.

Legendus de his Q. Calaber, lib. 12. & Homer. Odyss. δ. & θ. In hoc equo totius Græciæ Principes, Menelaus, Ulysses, Diomedes, Pyrrhus, Mnestheus, Teucer, aliique complures inclusi fuere. Sic Cic. 2. de Orat. scribit, *Ex Isocratis ludo, tanquam ex equo Trojano, meros principes exiisse*: L. Videatur Pet. Victor. 18. cap. 5.

A Narrantur ab aliis in eo delituisse MMML. armati; ab aliis XXIII. atque hoc verum, illud Poeticum reor: quemadmodum & illud, quando Nuncius apud Aristoph. in Avibus, dicit centum ulnarum fuisse: additque, ut persuadeat, se illum dimensum esse. Lycophron eleganter μορμὼ vocavit, quod Trojanis magno terrori fuerit. Miræ magnitudinis eum fuisse, arguunt & illa P. Arbitri Satyrico:

——— *cæsi vertices*
Idæ trahuntur, scissaque in molem cadunt
Robora, minacem quæ figurarent equum.
Aperitur ingens antrum, & obducti specus,
Qui castra caperent. huc decenni prælio
Jurata virtus abditur. stipant graves
Equi recessus Danai, & in voto latent,

i. in equo, quem voverant. *Meursius.*

13. EPIVS] Ἐπειὸς nomen fabri, qui equum istum durateum fecit. V. 2. Æneid. *Et ipse doli fabricator Epeus.* Hunc Epeum & cocum fuisse docet P. Victorius, libr. 19. cap. 18. item Cælius lib. 29. cap. 25. Varro lib. 6. de L. L. hunc Epeum *fumificum cocum* a Plauto vocari ait. *Epeum fumificum, qui legioni nostræ habet coctum cibum.* Illud, *habet coctum*; est coquere. V. & N. Merc. act. 2. 3. De equo hoc *du-* B *rateo* multa veteris elegantiæ collegit J. Meursius in Comment. Lycophron.

13. SINON EST] Hic simulaverat se à Græcis fugientibus esse relictum: & in Achillis busto delituerat.

14. RELICTVS ELLVM!] Sic MS. pr. nam sec. *illum*, & non ut editi prius; *ille*. J. Meursius, Lego, inquit, *relectus*, id est, religione destinatus. Porro Achillem pro Palamede posuit: quales nominum propriorum confusiones etiam ad Lycophronem observavimus. Vide historiam Sinonis fraude Ulyssis manibus Palamedis destinati, ut ajebat, apud Virg. 2. Æneid. Observanda autem hîc verbi *Relegere* secretior notio. Ita *relegere* posuit Arnob. pro *religiosum esse*: servato ejus nominis etymo, quod tribuit Cic. De nat. deor. lib. 2. & vetus scriptor apud Agell. lib. 4. c. 9. *Relegentem esse oportet, religiosum nefas.* Hæc Meursius.

15. ILLE OLIM HABVIT IGNEM] *Sinon* enim sublatâ face Græcis à Tenedo redeuntibus noctu signum dabat. Alii aliter.

15. QVI

15. QUI SIGN.] ita MSS. ut mox, *Hunc ipsum*..

16. HÆC IPSUM EXURIT.] Bacchis Mnesilochum: ita Cam. At Lamb. malit, *hic*: sc. ignis, i. Bacchis. Palm. l. *Hæc ipsum eccum urit*. Ait Mnesilochum Sinonem esse: & quidem ut ille olim intentus occasioni, ignem apud se habuerit, ita Mnesilochum suum quoque ignem, i. amicam apud se habere. Et quidem, inquit, eccum nunc ignis ille urit. MSS. *Hunc ipsum*, ut & olim cusi.

16. C.C. HÆC GERUNTUR] ita MS. pr. & Edd. vett. at Brix. *gerunt*: quod præfert Acid. sequiturque Pareus ed. utraque, ut ejusdem fere omnia editione pr.

18. ARMATI] Dico, Plautum non expeditos, sed verò *armatos milites* potissimùm nominâsse: ad differentiam *Adscriptivorum ad legionem*, qui erant inermes: D. Vide N. Menæch. act. 1. 3.

18. ATQ. ANIMATI.] bene utrunque conjungitur. neque enim sufficit arma habere si desiat animus. hinc ferè mentio apud auctores notæ utriusque: quorum exempla multa apud Savaronem lib. 4. Epist. 20. Sidonii.

18. MELIUSQ. ADHUC] Atque ad hoc usque tempus res nobis melius successit, quàm ipsis Græcis. Cam. l. *res successit melius. culè adhuc*. quod placet Lambino. Scribit tamen Acidal. hoc ita nec commodè explicari, nec mutari: aliudque nescio quid, conatur extricare: quasi Plautus *belli usque*, scripserit &c. quod mihi quidem subtilius videtur. arripuit id tamen ed. pr. Pareus.

20. EXLECEBRA] Festus ait, *Exlecebras* esse dictas *argentarias* meretrices, ab eliciendo argento. Cum autem præcedentia vim potius quàm dolos spirent, fingebat olim adolescens Gruterus *exterebra*: ut in Persâ: *argenti exterebronides*.

22. MILES MENELAU'ST.] Nam ut Menelaus Helenam, quam rapuerat Alexander Paris, repetebat: ita hic miles Cleomachus Bacchidem suam repetit: L.

22. LAERTIUS] vox hæc contrahenda, quasi *Lartius*: Homeri exemplo, qui non semel λαερτιάδης. Acid. & verò sic restat in MSS. Pall. quorum pr. *Lercius*. sec. *Lertius*; ne quis forte credat mendaci pennæ Pareanæ, tanquam restaret in pr. *Laertius*.

23. MNESILOCHUS EST ALEX.] quia ut A Paris fuit exitio Trojæ, patriæ suæ: ita Mnesilo. hus erit exitio rei patriæ. L.

24. IS HEL. ABDUXIT] Mnesilochus Bacchidem.

24. CUIA CAUSSA] Vulg. *cui c.* hinc Bosius, *cuia* pro *cujus*: ex quo *cuicuimodi*, pro *cujuscujusmodi*. At MSS. Cam. *cujá caussá*.

25. ILLIC EIDEM] ita MSS. & pr. à prima manu *audi*. non *audivi*. Alex. Ed. *illic ibidem*, Cam. Notat. tamen Acid. τὸ *eidem* nec numeros nec vett. libros ferre. velitque *illicdem*. quod festinè editioni suæ pr. intulit Pareus.

26. DOLIS EGO] Acidal. mâlit, *Doli ego deprensus sum: il. m. p. inventu' interiit*, V. N. act. 4. 4. v. 45.

27. FATA ILIORUM.] ita J. Gul. sed MSS. I. *illorum*. *Ily*, pro *Iliensibus*. Sic *Ilius Hector*. Meursius laudat eam lectionem: atque è V. ed. insuper corrigit, *dum sibi exquirit*. & elegantis phrasis, *sibi exquirit*, affert exempla quoque aliorum. quomodo etiam legunt omnes mei: & utrumque probat Acid.

29. ILIO TRIA FUISSE AUDIVI FATA] *Fata* sive *Oracula Trojanorum* dicuntur fuisse tria: B *Vita Troili*, Priami omnium natu minimi filii: *Conservatio Palladii*, quod in Minervæ templum cælo delapsum credebant Trojani: Et ut *sepulcrum Laomedontis*, quod erat in portâ Scæâ, servaretur integrum. Secundum alios plura fuerunt. Hæc autem fata omnia vicerunt Græci. Nam Achilles *Troilum* secum congressum interfecit: *Palladium* verò ab Ulysse & Diomede (alii aliter) ablatum est: *Porta* verò *Scæa* diruta fuit ab ipsis Trojanis, ut Equus ille fatalis introduceretur. Vide Serv. 2. Æneid. & Stephan. Dissert. de Crit. itemque Jos. Castalion. Var. Lect. c. 26. ubi contra J. C. Scalig. pugnat pro versu Ovid.

Illi victa suis Troica fata canunt.

31. PORTÆ SCÆÆ] MSS. ambo, *forte Phrygiæ*: ex quibus liquet, melioribus membranis usam principem editionem, in qua conspicitur lectio verior.

32. NOSTRO HUIC ILIO] ita Acidal. & Meursius, multò elegantius. MSS. *nostro h.*

33. PRIMO UT D.] Meurs. ex Aldinâ rescribebat, *Priamo*: quod Pareus in textum rapidè admisit: non necessariò; certè contrà MSS. & vett. edd.

35. R. FATATVM] Acid. l. *famdum*.

35. NEC MAG. ID CEP. OPIDVM] & nihilo magis ceperam opidum: L.

39. PRODITVM HECVBÆ] Sequitur hic Plautus Euripidem in Hecubâ. nam in Homero nihil tale est: L. Vide etiam Franc. Campani Quæstion. Virgil p. 261.

41. EXPVLI PERICVLO] ita consensus est librorum, tamen Acidal. l. *exsolvi periculo*. ut i superius: *Ibi vix me exsolvi*. Cæterùm MSS. ambo: *Ilio expuli*. secundus etiam, *è periculo*. ita seq. v. ambo, *inermus*.

42. VRBES VERBIS QVI INERMVS CAPIT.] Nimis urbanè dictum: quod genus Mil. act. 4. 2. *Urbicapos* nominat, qui verbis strenui, manu inertes. Sic Theophr. περὶ Λογοποιίας. De *Famigeratione*: εἰσὶ δ' οἱ καὶ πόλεις λόγῳ κατὰ κράτος αἱροῦντες παρεδειπνήκασι: *Quibusdam etiam, cum urbes verbis suis fortiter caperent, cœna interea loci periit*. *Urbes* igitur *capit*, qui urbium ἁλώσεις narrat. Casaub. ad Sat. 5. Persii:

Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebunt.

i. si qui tragœdias horum component &c.

48. MVLSVM] Mulsum militibus dari solitum in triumpho, testatur Livius. Vide J. Lips. & Turn. lib. 14. 11. ut & Andr. Querneum cap. 4. Egregiorum.

50. FILIOS] i. nummos Philippeos. L.

50. OMNIS LECTOS SINE PROBRO] non vitio aut volgivagâ Venere conceptos, quæsitosque, ut spurii solent: verum legitimo fatu partuque in lucem editos. eóq; potius, quam ad nummos electos & sine vitio (id quod Lamb. autumat) hæc metaphoræ festivitas accommodanda: D. nam *Filij lecti sine probro*, sunt legitimè nati.

52. PRIAMO NOSTRO] Alludit ad *Priami* etymon, quod est παρὰ τὸ πρίασθαι. historia est apud Eustathium & Servium.

52. COEMPTIONALEM SENEM] Senem planè utilem ad coemptiones faciendas. Et *senem Coemptionalem* dixit, ad commendationem senis, quasi mancipii vænalis; facetè & urbanè: L. Cur autem senes adhiberentur in coemptionibus faciendis, docet Turneb. l. 1. 28. ubi *senes c.* vocari ait, qui ad coemptiones libenter accedunt, & libenter emunt. Vide Cic. Epist. lib. 7. 29. Eam. & quæ ibi annotarunt P. Manutius, & D. Godofredus. De *senibus coemptionalibus* legatur etiam Cic. pro Murænâ, & Livius l. 3. sub finem: item Hotoman. De ritu Nupt. cap. 25. quæ propria huic loco: ut etiam quæ scribit Gutherius lib. 2. c. 6. de vetere jure Pontificio. Sibertus Ciceronis locum ita accipit, tanquam innuat inter servos senes coemptionales, h. e. in foro, aut in loco ubi senes coemuntur ac veneunt. dictum ut, *inter sicarios defendere*, & *servire inter sicarios*, quæ & ipsa Tullii sunt. Mei tamen omn. leg. *Comitialem*]. præter MS. pr. in quo *coemptialem*, & sec. qui *comptialem*.

53. VENALEM] Cicero Verr. *fidem habere venalem* dixit: & Propert. l. 3, 13. *auro venalia jura*: & Silius, *animas venales*: & Tertull. *dote venales maritos*, elegantissimè: & Gunth. ex Lucano, *venales manus*: item *venalia castra*. Græcis hæc sunt μισθαρνικά: C. Rittersh.

54. PRIAMVM] Nicobulum.

63. NVNC ADES I] Acid. l. *nunc propè ad*.

64. TVRBAT EQVVS] V. N. Musicell 3. 1.

68. EVGE LITERAS MINVTAS] Meursius: In epistolis si læta essent scribenda, utebantur genere literarum contractiore & accuratiore. Sic Nicobulus cum resignasset epistolam, quæ tamen magnis erat litteris conscripta, utpote tristia nuncians, ait exultans tanquam læta foret lecturus: *Euge literas minutas*. Chrysalus autem de miseriâ filii certus subjicit: *qui quidem v.*

68. QVI QVIDEAT PARVM] Jocus est ex ambiguo. Nam homini, qui parum sapiat, has litteras ait esse minutas; sapienti, satis grandes. L.

73. CERÆ QVIDEM H. PARSIT] significat, litteras satis esse longas. L.

76. TIBI DICO] videtur malum precari Mnesilocho: sed mera simulatio est. mox enim corrigit: & aversus, *Tibi dico*, inquit, scio Nicobule, non Mnesilocho.

92. OCVLIS INDOMITIS FVI] Notum est illud, κράτει ὀφθαλμῶν, γαστρὸς, αἰδοίων: *Contine oculos, ventrem, & quæ sub ventre sunt*.

97. ME OBJVRGAVIT VERBIS] Petronius etiam *colaphis objurgare* dixit. Sueton. Calig. c. 21. *ferulis objurgari*. Cic. ad Att. lib. 2. ep. 1. *molli brachio objurgare*.

100. HEM SPECTA, TVM] Grut. legit: *hem spectadum, scies*. sed alterum æquè elegans est, inquit Pareus.

107. PA-

107. PATER, NE PEIEREM] Vox *Pater*, non est in MS. sec. habetque pr. *perjurem* pr. quod cùm vitiaret versum, Aldus sedem ejus, mutavit, fecitque *ne perjurem pater*; quod imitatus est Pareus. idem tamē, nimis quàm absurdè, versu 119. fine versus posuit *perjuret:* monetque plus quàm ridiculè in Lexico suo, *Periemre* fere dicendum non *pejerare*: quando & *perjuria* dicatur, non *pejuria*. Truc. 1. 1. 1. v

108. Q. POTEST] MSS. *potes*.

110. DIVIDVÆ FVANT] ægritudinem seu molestiam afferant. supra, 4. 6. In MSS. utroque tamen & Edd. *divitiæ*.

111. SEXCENTA TANTA REDDAM] triplo plura reddam: L. ita Propert. lib. 1. 5.

At tibi curarum millia quanta dabit!

114. NEQ. EGO HAVD] Duæ negationes magis hîc negant: more Græcorum. ita Epid. *Neque ille haud objiciet mihi &c.* Lamb. & Acid. & MSS.

115. DE MEA SENT.] MSS. *de me meâ s.* quod præter omnem rationem in contextum recepit Pareus, ne aliquid scilicet periret de membranaceis edictis.

122. PERDVNDVM SIT] Pareus *perd. est.* præter rationem versus. frustraque se tueatur auctoritate MS. pr. ibi enim disertè, licet neget, *sit*.

123. DISPALESCERE] palàm fieri: L.

126. PROPERO PERDERE?] Miram, inquit Acidal. immò ridiculam comminiscitur explicationem Lambinus, malâ distinctione inductus. Interpunges, *Quid ego istuc, quod perd.* Optabat senex, Ephesi hærere filium potius, quàm domum rediisse. quod deinde vanum votum rejicit: Et quid ego, inquit, hoc frustrà? satius est ut festinem perdere, quod esse video perdundum. itaq; statim argentum abit promere &c. Idem alia etiam molitur. Nos tamen Gruterum hîc sequimur, qui è vestigiis MSS. l. *Quin ergo istic quod perdundum est propero perdere?* apertè enim contradicit veritati Pareus, dum edit; *Quid ego istic, quod perdundum'st, properem perdere?* annotatque; Expressi totidem literis lectionem MSS. codd. quippe MS. pr. præfert *perdundu'st*. sec. verò; *Quid ergo istic quod perdundum est propere perdere?*

130. FIT VASTA TROIA: SCIND. PR. &c.] Troja vastatur: Græciæ Principes, qui in equo erant, Trojam exscindunt. Intelligit literas in tabellâ ceratâ scriptas: L.

134. TANTAS TVRBELLAS FACIO.] Corrigo, *turbelas*. nec est quod quisquam ὑπεροχικὸν mihi oggerat: nihil audio. Geminus locus Pseud. act. 1: 1. *quantas soleam turbellas dare*. Etiam ibi *turbelas* scribendum. Vide Festum: Veteres autem dicebant, *Turba, turbela*, ut *Suada, suadela*; *Fuga, fugela*: unde & apud Festum: *Confugelam antiqui confugium dicebant*. Jam & hoc argumentum esse potest, quòd veteres consonantes non geminabant. *Meursius*. quod, ut aras focosque propugnat nudis verbis Pareus in Lexico.

137. SOLVAM] absolvam.

141. MORARE] sc. me aliò properantem.

144. CVRATVM EST, ESSE TE S. M. &c.] Priora verba sene loquitur audiente; posteriora aversus ad spectatores. Parei utraque editio incestat versum, admisso, *esse te senem omnium miserr.* quæ vox nuspiam in MSS. aut edd. exoletis.

147. SALVTE NOSTRA] i. salvis nobis.

148. INTEGRVM OMNEM EXERCITVM.] Alii versus caussa interserunt *hinc*. at suavius repetatur, *omnem omnem exercitum*.

152. AD QVÆSTOR. DEF.] Nam prædæ ex hostibus facta ad Quæstores urbanos deferebatur.

ACTUS IV. SCENA X.

PHILOXENVS.

QVAM magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet,
Quam se ad vitam, & quos ad amores præcipitem inscitus capessat,
Magis curæ est, magisque afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.

 Scio

Scio, ego fui illâ ætate, & feci illa omnia; sed more modesto.
Neque placitant mores, quibus video volgo gnatis esse parentes.
Duxi, habui scortum: potavi, edi, donavi. & enim id raro.
Ego dare me ludum meo gnato institui. ut animo obsequium
Sumere possit, æquum esse puto. sed nimis nolo desidiæ
Ei dare ludum. nunc Mnesilochum, quod mandavi, viso:
Ecquid eum ad virtutem aut ad frugem operâ suâ compulerit:
Sicut eum si convênit, scio fecisse. eo est ingenio natus.

VERSUS tetram. catalect. Hipponactei: *Cam.* Sed Acidal. non in hâc modò Sc. sed & in seq. numeros variè variat.

V. 2. AD MORES] ita MSS. *amores*, editi.

2. INSCITUS] i. *stultus*: Festus. Cur. act. 1: 3.

3. MAGIS CURÆ EST] Omittitur *tam*: quod solet fieri: *Quam magis. tam magis.* V. N. Menæch. act. 1: 1.

5. GNATIS] ita editio omnis. MSS. Cam. *gnatos.* quod esset *natos.* sed alterum est clarius.

6. HABUI SCORTUM] Ter. Adel. act. 3: 3. *An domi est habiturus?* ad quod Donatus: *propriè: quia* haberi mulier *dicitur, cùm coit.*

6. EDI] ita Jos. Mercerus, & J. Gulielm. verissimè. Semper id verbum cum amore conjungitur: neque immeritò. nam, ut habet parœmia vetus, *Sine Libero & Cerere friget Venus.* Pænulo: *domi est, quod edas, quod ames affatim.* Neque quicquam frigidius istâ tautologiâ; *dedi, donavi.* Corruptelæ occasio fuit antiqua scriptio, *potavid, ed.* Porrò Hier. Groslotius Lislæus hos v. ita digerit: *Magis curæ, &c. Scio ego, &c. Duxi, habui scortum, potavid, edi, &c. Neque placitant, &c. Ego dar.* Et verò Pareus illud *potavid, edi,* expressit; neque eo contentus, inquit in Notis; Sic sanè uterque MSS. Pall. ut τὸ *d* hiatum impediat. Verùm hoc est vim facere Palatinis, in quibus distinctæ sunt voces, *potavi,*

A *dedi.* cur non potius tacuit, quàm ut voluerit deprehendi in mendacio?

6. ET ENIM] ita MSS. & Edd.

7. EGO DARE ME L.] Tuo Villiomarus lib. 5. cap. 3. ad Robertum Titium super illo Horatii 3. Od. 12.

Miserarum est, neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
Animari metuenteis patriæ verbera linguæ:

Negas, inquit, *Amori dare ludum*, esse amori indulgere. Quare? An quia Latinum non est? atqui Plautus bis in Bacchid. usurpavit: *dare ludum desidiæ. dare ludum filio.* quod Lambinus olim annotavit. Quare igitur displicet? Quia ab Horatii mente alienum est, qui ἐρωτομανίαν in Neobule notat potius. Quid? Contraria sunt, *Indulgere amori*, & ἐρωμανία? &c. ò acutum Etruscum? sententia est! Neobulen uri amore Hebri, ita ut lanificium, & omnes alias res posthabeat: in uno autem Hebro animum occupatum habeat: non audere tamen eum ludum dare amori, quem quintâ parte sui nectaris imbuit Venus; metu castigationis. solutio ἐρωμανίας illius, nónne est ἡ συννοία? An non ab eâ abstinent metu correptionis? Hæc Tuo. Plura vide Casinæ Prolog. ad illud: *Ludi sunt: ludus datus est argentariis.* Parei prior ed. præfert, *Ergo dare*, conjectaneum Acidalii.

9. EI] D. l. *Em*, pro, *eum.* id est, sed nolo eum nimis laxare habenas ad desidiam. Ego, *ei desidiæ*, conjunxerim, quomodo habent & MSS. & edd. vett.

9. QUOD MANDAVI] suprà, act. 3: 3.

ACTUS

ACTUS V. SCENA I.

NICOBVLVS, PHILOXENVS.

QVICVNQVE ubique sunt, qui fuêre, quique futuri sunt posthac
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longè antedeo stultitiâ, & moribus indoctis.
Perij. pudet. hoccine me ætatis ludos bis factum esse indignè?
Magis quàm id reputo, tam magis uror, quæ meus filius turbavit.
Perditus sum, atque etiam eradicatus sum: omnibus exemplis crucior.
Omnia me mala consectantur, omnibus exitijs interij.
Chrysalus me hodie laceravit, Chrysalus me miserum spoliavit:
Is me scelus usque attondit dolis doctis indoctum, ut lubitum est.
Ita miles memorat meretricem esse, quam ille uxorem esse ajebat.
Omnia, ut quidque actum est, memoravit. eam sibi hunc annum conductam.
Reliquum id auri factum, quod ego ei stultissimus homo promisissem.
Hoc, hoc est, quod peracescit, hoc est demum quod percrucior,
Me hoc ætatis ludificari; imò edepol sic ludos factum!
Cano capite, atque albâ barbâ miserum me auro esse emunctum!
Perij. hoc servum meum non nauci facere esse ausum? atque ego, si alibi
Plus perdiderim, minus ægrè habeam, minusque id mihi damno ducam.
PH. Certò hic prope me mihi nescio quis loqui visust. sed quem video,
Hic quidem pater Mnesilochi. NI. euge, socium ærumnæ & mei mali video.
Philoxene salve. PH. & tu. unde agis? NI. unde homo miser atq; infortunatus.
PH. At pol ego ibi sum, esse ubi miserum hominem decet atque infortunatum.
NI. Igitur pari fortunâ, ætate ut sumus, utimur. PH. sic est. sed, tu,
Quid tibi est? NI. pol mihi par idem est quod tibi. PH. nunquid nam ad filium
Hæc ægritudo attinet? NI. admodum. PH. idem mihi morbus in pectore est.
NI. At mihi Chrysalus optimus homo···
Perdidit filium, me, atque rem omnem···
Meam. PH. quid tibi ex filio nam, obsecro, ægrè est? NI. scies id: perijt
Cum tuo: atque ambo æquè amicas habent. PH. qui scis? NI. vidi. PH. hei mi-
NI. Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras? (hi, disperij.
PH. Haud moror. NI. heus Bacchis, jube sis actutum aperiri fores,
Nisi mavoltis fores & postes comminui securibus.

HVIVS scenæ versus sunt similes ferè Scenæ superioris: sed tres ultimi τροχαΐζουσι.

V. 1. QVICVNQ. VBIQ. SVNT] ita MS. pr. at sec. *ubi*; quod fuerit ἀντὶ τοῦ *ubique*: ut ple- A ri, pro *plerique*, aliaque talia: D. & Popmæ autoribus. Acidal. conjiciebat, *Quicunque ubi ubi sunt*, quod comparet in utraq; Pareana.

2. STVLTI] *Stulti* & *Fatui* discrimen ita effert Isidorus lib. 10. *Stultus, hebetior corde: si-*

sive

aut quidam (Afranius) *ait: Ego me ipsum stultum etiam existimo, fatuum esse non opinor: id est, obtusis quidem sensibus, non tamen nullis.* Ergo *stultus* est, qui ineptè & imprudenter vel agit vel loquitur. *Stolidus*, hebes & vecors. *Fatuus*, qui omnino desipit.

2. BARDI] V.N. Epid.3:3.

2. BLENNI] βλέννα muccus est. βλεννὸς, *muccosus pædidus*: & peculiariter de homine ignavo & stulto usurpatur, teste Hesych. & Festo, V.N. Cur.act.2:3.

2. BUCCONES] Glossarium: *Buccones*, περπερόλογοι, Βυκκίωνες Isid.lib.10. *Bucco, garrulus: quòd cæteros oris loquacitate, non sensu exsuperet.* Idem: *Jactat*, βυκκίζει. Inde nostrum *Bocchen* derivat Meursius. cum Buccones non tam garruli sint, quàm arrogantes, plenisque buccis suas virtutes deprædicantes. Lamb. affirmat, Physiognomicos testari, eos, qui amplas sive longas habent buccas, esse stolidos & futiles. Lipsius Epist. Quæst. l.2:2. *Maccus* & *Bucco*, personæ sordidæ, fatuæ, stultæ Poetis Attellanarum. Apulejus in Apologiâ 2. *Omnes isti, quos nominavi, & si qui præterea fuerunt dolo memorandi, si cum hâc unâ Ruffini fallaciâ contendantur, Macci prorsus & Buccones videbuntur, &c.*

4. ME ÆTATIS LUDOS BIS FACTUM.] Pareus heic tacet, tanquam si MSS. accederent vulgatis. at enim uterque ostentat *ludos*; verissimè. quippe *ludos aliquem facere*, plus est quàm *ludificare*. sicque iterum loquitur hac scena versu 14. item Aul.2.2. versu 75.

5. REPUTO] ita MSS. Al. *repeto*.

5. QUÆ MEUS FIL.] MSS. & Edd. vett. *quem meus*. quod an uspiam usurparit Comicus nescio.

9. USQ. ATTONDIT] Franci mei: Er hat mich wol geschoren. Sc.seq.

11. OMNIA UT QUIDQUE] Sic Grut. & Pall. quorum pr. *omnia ut quidquid*. sec. *omniaque ut quidque*. itaque minimè credendum Notis Parei.

13. PERACESCIT] peracerbum & molestum est. L.

16. NAUCI] V.N. Mostell.5:1.

20. UNDE AGIS?] Donatus in Andr. act. 4:2. *Agere se*, tardi & tristes dicuntur. ita Virgil. *sese Palinurus agebat*. Palmerius, Accusandi, inquit, casus, quem, ut nunc ætas Latinæ linguæ, postulare id verbum videtur, rectius omittitur. Sic Terent. Andr. *Proinde hinc amolimini*. Ib. *quò hinc agis?* & alia sexcenta: quod homines inepti ita demum esse plenum arbitrati sunt, si *Te* superflueret. Ita, *moveo*, pro, ire pergo, in Eun. *Move verò ocius, mea nutrix.* cui respondet Sophrona: *moveo*; nec ait: *moveo me*. sic *promovere*, dicimus; nec addimus quicquam. Sic Phorm. *aufer hinc*: nam, *aufer*, est, abi; etiam cum solum capitur. Adelph. *Quomodo ex hâc expediam turbâ?* Hecyrâ: *& corripui illicò.* Andr. *optumè mihi offers.* Hecyrâ: *quid agam? quò vortam?* Ibid. *morbus qui auxerit.* Talia apud Cic. Livium, Sallustium, Tacitum & optumos quosque non dici potest quot reperiantur. Vide ibidem longè plurima hujusmodi, à pag.238. ad 244.

23. POL MIHI PAR IDEM EST] Par, atque adeò idem est, quod tibi: par mihi est, immò verò idem, quod tibi. L.

ID] sc. mihi ægrè est: periit filius.

29. EVOCARE AMBOS] ita MSS. & Acidal. *ambos*. filios enim, non Bacchides evocaturi erant: quos & emitti postulant sequente Scenâ. Pareus edidit, *evoc. ambo.* nec id satis facinoris; etiam annotat, sic in utroque vetere Codice haberi; quod profectò falsissimum est. Palatini enim ambo omnibus apicibus agnoscunt *ambos*.

ACTUS V. SCENA II.

BACCHIDES duæ Sorores. NICOBULUS, PHILOXENUS, senes.

QUIS sonitu ac tumultu tanto, nomine nominat
Me, atque pultat ædes? NI. ego atque hic. BA. quid hoc est
Negotij? nam, amabo, quis has huc oves adegit?
NI. Oves nos vocant pessumæ. SO. pastor harum

Dormit,

Dormit, cùm hæ eunt sic à pecu palitantes.
BA. At pol nitent, haud sordidæ videntur ambæ.
SO. Attonsæ hæ quidem ambæ usque sunt. PH. ut videntur
Deridere nos! NI. sine, suo usque arbitratu.
BA. Rerin' ter in anno tu has tonsitari? SO. pol hodie
Altera jam bis detonsa certò est. BA. vetulæ
Sunt thymiamæ. SO. at bonas fuisse credo.
SO. Viden' limulis, obsecro, ut intuentur!
BA. Ecastor sine omni arbitror malitiâ esse.
PH. Meritò hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.
BA. Cogantur quidem intrò. SO. haud scio quid eo opus sit,
Quæ nec lactem, nec lanam ullam habent. sic sine astent.
Exoluêre, quanti fuêre. omnis fructus
Iam illis decidit. non vides, ut palantes
Solæ liberè grassentur? quin ætate credo esse mutas:
Ne balant quidē, cùm à pecu cætero absunt. SO. stultæ atque haud malæ vidē-
BA. Revortamur intrò, soror. NI. illico ambæ manete: hæ oves volunt vos. (tur.
BA. Prodigium hoc quidem est: humanâ nos voce appellant oves.
PH. Hæ oves vobis malam rem magnam. quam debent, dabunt.
BA. Si quam debes, te condono, tibi habe, nunquam abs te petam.
Sed quid est, quapropter nobis vos malum minitamini?
PH. Quia nostros agnos conclusos istîc esse ajunt duos.
NI. Et, præter eos agnos, meus est istîc clam mordax canis:
Qui nisi nobis producuntur jam, atque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus, jam in vos incursabimus.
BA. Soror, est, quod te volo secretò. SO. eho amabo. NI. quò illæ abeūt? BA. se-
Tibi dedo ulteriorem, lepidè ut lenitum reddas: ego ad hunc (nem illum
Iratum aggrediar. possumus nos hos intrò illicere huc? SO. meum
Pensum ego lepidè accurabo. quanquam odiosum est mortem amplexari.
BA. Facito ut facias. SO. taceas. tu tuum facito, ego quod dixi haud mutabo.
NI. Quid illæ illîc in consilio duæ secretò consultant?
PH. Quid ais tu homo? NI. quid me vis? PH. pudet dicere me tibi quiddam.
NI. Quid est, quod pudeat? PH. st! amico homini tibi quid volo credere. cer-
Nihili sum. NI. istuc jampridem scio. sed, quid nihili sis, memora. (tum est,
PH. Tactus sum vehementer visco: cor stimulo foditur. NI. pol tibi
Multo æquius est coxendicem.
Sed quid istuc est? etsi jam ego ipse, quid sit, propè scire puto me, (est mulier.
Verùm audire etiam ex te studeo. PH. viden' hanc? NI. video. PH. haud mala
NI. Pol verò ista mala, & tu nihili. PH. quid multa? ego amo. NI. an amas?
NI. Tun' homo putide, amator istâc fieri ætate audes? PH. quî nō? (PH. necas.
NI. Quia flagitium est. PH. quid opus verbis est? meo filio non sum iratus.
Neque te tuo est æquum esse iratum: si amant, sapienter faciunt.

BA. Sequere hâc. NI. eunt. eccas tandem probri perlecebræ & persuastrices.
Quid nunc etiam redditis nobis filios & servum? an ego
Experior tecum vim majorem? PH. abin hinc?
Non homo tu quidem es, qui istoc pacto tam lepidam illepidè appelles.
BA. Senex optime, quantum est in terrâ, sine hoc exorare abs te,
Vt istuc delictum desistas tanto opere ire oppugnatum.
NI. Nisi abeas, quanquam tu bella es, malum tibi magnum dabo jam. BA. pa-
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. NI. ut blandiloqua est! (tiar.
Hei mihi, metuo. SO. hic magis tranquillu'st.
I, i hàc mecum intrò, atque ibi, si quid vis, filium concastigato.
NI. Abin' à me, scelus? BA. sine, mea pietas, exorem. NI. exores tu me?
BA. Ego quidem ab hoc certè exorabo. PH. imò ego te oro, ut me intrò abducas.
SO. Lepidum te! PH. at scin', quo pacto me ad te intrò abducas? SO. mecum ut
PH. Omnia quæ cupio, commemoras. NI. vidi ego nequam (sis.
Homines, verùm te neminem deteriorem. PH. ita sum.
BA. I, i hàc mecum intrò, ubi tibi sit lepidè victibus, vino atque unguentis.
NI. Satis, satis jam vestri est convivij: me nihil pœnitet, ut sim acceptus.
Quadringentis Philippis filius me & Chrysalus circunduxerunt,
Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.
BA. Quid tandem, si dimidium auri redditur? isné tu hàc mecum
Intrò, atque ut eis delicta ignoscas? PH. faciet.
NI. Minimè. nolo, nihil moror. sine sic. malo illos ulcisci ambo.
,, *PH. Etiam tu homo nihili, QVOD DII dant boni, cave culpâ tuâ amissis.*
Dimidium auri datur, accipias, potesque, & scortum accumbas.
NI. Egon', ubi filius corrumpatur meus, ibi potem? PH. potandum est.
NI. Age jam id, utut est, etsi est dedecorum, patiar: facere inducam
Animum. egon, cum hæc cùm illo accumbet, inspectem? BA. imò equidem pol
Accumbam: te amabo, & te amplexabor. NI. caput prurit: perij. (tecum
,, *Vix negito. BA. non tibi venit in mentem, amabo, si DVM VIVAS,*
,, *Tibi benè facias. jam pol id quidem esse haud perlonginquum:*
,, *Neque si hoc hodie amiseris, post in morte id eventurum esse unquam?*
NI. Quid ago? PH. quid agas, rogitas etiam? NI. lubet, & metuo. BA. quid me-
NI. Ne obnoxius filio sim, & servo. BA. mel meum, amabo, istæc fiunt. (tuis?
Tuus est. unde illum censes sumere, nisi quod tute illi dederis?
Hanc veniam illis sine te exorem. NI. ut terebrat! satin' offirmatum
Quod mihi erat, id me exorat? tuâ sum opera & propter te improbior.
BA. Nusquam me à te avelles. satin' ego istuc habeo offirmatum?
NI. Quod semel dixi, haud mutabo. BA. it dies, ite intrò accubitum.
Filij vos exspectant intus. NI. quam quidem actutum emoriamur.
BA. Vesper hic est, sequimini. PH. ducite nos quò lubet, tanquam quidem ad-
BA. Lepidè ipsi hi sunt capti, suis qui filijs fecère insidias. ite. (dictos.

CONFUSI numeris versus sunt trimetri, tetram. dimetri, catalect. & acatalectici, nonnulli τροχαΐζοντες, ut ultimi quinque manifestò, ante quos Grex præscribitur.

V. 3. OVES] Etiam Græci *stolidos* πρόβατα vocant. ut & nos: Es ist ein einfeltig Schaff. Propert. lib. 2: 13.

Et stolidum pleno vellere carpe pecus.

ad quem locum egregia multa Passeratius.

5. A PECU PALITANTES] à grege errantes. *Pecus* maximè oves significant. ut hoc cùm dicimus, *pecus*, neq; addimus; *oves* accipiendæ sint: *Palm.* MSS. & edd. vett. *balitantes.*

6. HAUD SORDIDÆ] non scabiosæ: D.

7. ATTONSÆ HÆ Q.] à filiis & servis expilatæ.

10. BIS DETONSA EST] bis à Chrysalo auro emuncta est.

11. VETULÆ SUNT THYMIAMÆ] In MS. pr. *thimiame.* sec. *thimame.* Vulgati *Thymianæ:* ad quod Turnebus, A thymo, inquit, dici videntur. Nam in Narbonensi Gallia lapidei campi thymo abundabant, eoque infinita pecudum millia conveniebant. *Thymianæ* tamen hìc malæ erunt. credo propter longinquitatem viæ macrescentes. Camerarius utriusque linguæ hodie princeps, *thymiamæ* se reperisse scribit: de quâ voce oraculum Apollinis consulendum: nisi thymum amantes explices, &c. Hæc Turnebus lib. 24: 11. Lambinus defendit *thymiamæ:* & est, inquit, *thymiama*, suffimentum & odor incensus ex aliquo aromate. quæ autem incenduntur, arida sint necesse est. Hos senes igitur significat ita esse macros atque aridos, ut thymiatis usum præbere, si incendantur, possint.].Palmerius Spicileg. reponit; *vetulæ sunt, Thynæ, minæ.* Cum enim, inquit, altera quæsivisset, Ecquid putet ter anno eas oves tonderi: quoniam toties Græciæ oves tondebantur: tum reliqua, quòd, inquit, tu generis Græci illas esse arbitreris, *Thynæ* sunt, & amplius etiam, *minæ. Thynæ*, sunt *Bithynæ*; quomodo *thynas merces* legimus: & *Thynia, Bithynia* apud Catullum. *Minas* autem *oves* esse, glabras, de Varrone notum. Turnebus hoc loco emendando plus decem pondo autoritati A amisisse videri potest. De Lambino ne dicam: qui nusquam magis Lambinus est. Hæc ille. Colerus simpliciter, *minæ, ambæ*, i. glabræ. Varro lib. 2. cap. 2. Ego nunc etiam cum Camerario dixerim: Quid sit quæramus?

11. BONAS] pingues.

12. LIMULIS] *Limus oculus*, est obliquus, transversus: Ter. Eun. act. 3: 5. *Limulis adspicere*, in lasciviæ notis fuisse, & per ludum objici solitum, docet Palm. Seneca Suasor. 1. *jam sidere limo*, i. obliquo. Etiam Frid. Lindenbruch *Limos oculos* propriè amatorum esse ait. Quinctil. lib. 2. cap. 3. *quâdam voluptate suffusi, aut limi, & ut sic dicam, Venerei.* Apul. Miles 2. *Ad me conversa limis & morsicantibus oculis.* Hinc Varro apud Nonium: *Multi qui limina intrarunt integris oculis, strabones sunt facti. habet quiddam ἑλκυστικὸν provincialis formosula uxor.* Vide & Not. nostras ad Virgilii Bucol. 3.

13. SINE OMNI AR. MALITIA ESSE] ἀδαμάντινες, & ad decipiendum faciles. L.

15. COGANTUR Q. INTRO] Loquitur ut de ovibus. Virg. *Tityre coge pecus.*

B 16. QUÆ NEC LACTEM NEC LANAM HABENT] *Lac* non habent, quia sunt vetulæ: nec *Lanam*, quia sunt probè attonsæ. *Hæc lactis, is, & hoc lacte* veteres dixerunt. Etiam Merula hìc *lactem* unicè probat. Glossographus: *Lactem*, γάλα.

17. EXOLVERE] Exsolvêre pretium, quanti emtæ sunt. i. tantum lactis & lanæ eis detractum est, ut pretium, quo emptæ sunt, exsarserint, nihilque amplius eis detrahi possit. ita Lamb. quem sequitur ut ovis ovem Pareus. stolidè. nam vox ea non derivata est ab *exsolvere*, verùm ab *exolescere*; vultque oves jam esse exoletas, idq; sequentia verba planè requirunt.

19. GRASSENTUR] *Grassari*, propriè est incedere: quanquam hoc (*incedere*) Nobilium personarum esse, Servius velit. Sallust. *Ad gloriam Virtutis grassari.* MSS. *crassentur.*

19. MUTAS] MS. pr. *mutatas.* sec. *ruttas.* Porrò Pareus utraque editione exhibet, *ante eas, jam credo esse mutas*; cùm tamen illud *eas jam* neque sit in MSS. aut Edd. vett.

20. HAVD MALÆ V.] non malitiosæ. Alii, non deformes. Cæterum τὸ *haud* nec in MSS. est, nisi à manu secunda: nec in Edd. vett. splendidè igitur cavellaturne, an calumniatur, Pareus, dum affirmat in pr. comparere. neque enim id *negatum*, sed *negatum* comparere à manu prima. nam vel atramento arguatur.

24. TE CONDONO] Ter. Phorm. act. 5: 7. *Argentum quod habes, condonamus te.* Afran. *Id aurum me condonat.*

26. NOSTROS AGNOS CONCLVSOS] Plus est venustatis in dicto isthoc quàm prima fronte appareat. allusum enim ad morem pastorum qui agnos non producebant ad pascua cum matribus, sed retinebant domi clausos. Virgil. Ecloga 7. vers. 15. Silius lib. 15. vers. 709. Martial. 3. Epigr. 57. Varro lib. 2. rei rusticæ cap. 2. Columella lib. 7. cap. 3. Gruterus.

30. SECRETO] χωρὶς, seorsim ab his senibus.

31. VLTERIOREM] remotiorem, Philoxenum. Priscian. lib. 3. & 6. hic legit, *veteriorem.* quare totum versum sic restituit Colerus; *Tibi dedo veteriorem lapide, ut lenitum reddas.* quod facetius ei & Plauto dignius. *Veterem* etiam pro duro Latinè dici non dubitat. Sanè *veteriorem* in omn. est edd. vett. quare mihi fides MSS. suspecta est, qui *ulteriorem.* sic quidem Terent. Phorm. 3. 3. circa finem: *Sed eccum: quis est ulterior.* interim tamen nihil est stultius, quàm admittere *veteriorem lapide*, quod non solum comparet in ed. pr. Parei, sed in Electis ejus, titulo Lapidum. ô Saxo durioremné an stolidiorem!

33. MORTEM AMPLEXARI] senem exsanguem atque Acheronticum adeò, i. mortuo quàm vivo similiorem. Sic facetè Stratonicus ille locum insalubrem notans, & homines valdè pallidos, *mortuos* appellans, inversâ sententiâ dicebat; tam salubrem esse, ut etiam mortui in eo ambularent: cum significaret, ex hominum ejus loci pallore, eam regionem esse morbidam: L.

34. FACITO VT FACIAS] Schopp. è MSS. Cam. l. *facito ut taceas. tu tuum f.* sed aliorum oculis temerè credidit. membranæ enim eæ non abeunt à vulgato.

37. STVLTO AMICO HOMINI] ita Gruterus.

A

38. QVID NIHILI?] i. cur, quamobrem?

40. ÆQVIVS EST COXENDICEM] debet tibi coxendix potius, ut equo aut asino segnius eunti, stimulo fodi, quàm cor amore.

41. HAVD MALA] non invenusta est. L. D.

43. ISTA MALA] Ambiguum in *mala*: quæ vox & improbam, & deformem notat. L.

45. NECAS] sc. me: cum toties vis eadem iterari. Horat. *occidis sæpe rogando.* Annotat Cam. in suo MS. fuisse adscriptum, alibi legi, *ne carpe.*

47. SEQVERE HAC. NI. EVNT.] Parei prior editio habet: *Sequere: hac eunt.* secunda, *Sequere hac. BA. eunt NI. eccas.* omnia contra MSS. quæ petulantia!

47. PERSVASTRICES] Fortunatianus Rhetor. 3. δυσπρόσφορον, inquit, *est, si quis dicat, persuastrices, præstigiatrices, atque inductrices.*

49. EXPERIOR TECVM VIM MAIOREM?] Ita MSS. nisi quod sec. *major.* At Douzæ & Gul. magis placet altera lectio, *vi majore.* quæ & in omnibus meis est. Sic Cistel. 2: 1. *maritumis moribus mecum experitur.* Cic. pro P.

B.

Quinctio: *si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur.* Jam, *Vi majori* opponitur *vis festucaria* apud JC. Vide Ræward. in LL. XII. Tabul. J. Langlæus J.C. lib. 8. cap. 6. Otii Sem. docet, hoc de vi aut vindictâ publicâ accipiendum: quàm privatâ majorem esse, majoreque pœnâ affici constet: eumque, qui hominem dolo malo incluserit, Lege Juliâ de vi publicâ teneri. Verissimum item esse, quod dixerit Ulpianus: *Persuadere plus est quàm cogi, &c.* Idem tamen vero propius censet, si *vis major,* h. l. de violentia, quæ non jure, sed facto infertur, accipiatur. quo sensu vox ista non solùm à JCtis, sed & à Cic. usurpetur, in Orat. pro Cn. Plancio: *Si vitam mihi sors ademisset, aut vis aliqua major reditum peremisset.* Probatur hæc interpretatio ex præced. *Qui nisi nobis producuntur &c.*

51. SINE HOC EXORARE ABS TE] Notat hoc loquendi genus Gruterus. V. N. Amph. Prolog.

52. IRE OPPVGNATVM] i. oppugnare. Terent. And. *Cur te is perditum?* Hor. 1. Od. 2. *Ire dejectum templa.* Vide N. Persâ act. 1: 2.

53. MA-

53. MALUM TIBI MAGNUM DABO] suprà: *hæ oves vobis malam rem magnam dabunt.* Atque ita intelligendum est illud in Phallicis:

Quod movear, non est: quia si furaberis ipse
Grandia mala, tibi mala dabo βραχία.

ita enim Lips. Antiq. Lect. lib. 3. hæc legit (etsi aliter Lamb. P. Victorius lib. 9. 17. & Scalig. in Carm. libero, & legant & explicent) & per *grandia poma* intelligit hortensia illa: per βραχία, ista minuta, qualia, Catullo teste, fuerunt, *quæ puellæ pernici zonam solverunt*, &c.

54. NE QUID MIHI DOLEAT, QUOD FERIAS] quà vel nullam mihi corporis partem feries; vel si ferias; eam feries, quæ viriles impetus non reformidat, &c. inquit L. valde inepte. respicit auctor ad morem amantium, quaslibet contumelias perferentium animo æquissimo; ut notum ex mille auctorum locis. Videatur etiam Cicero 5. Paradox. Josephus lib. 11. antiq. Jud. cap. 4. de rege concubinæ alapas libenter excipiente.

55. HEI MIHI] Hæc Acidal. meretrici dat, non Seni, ut qui diutiusculè adhuc in suo rigore constet. & id illicò editionibus intulit Pareus, invitis MSS. & Edd.

61. ITA SUM] talis sum. adverbium pro nomine. Terent. Phorm. *Sic sum: si placeo, utere.* Ib. *sic est ingenium.* Cic pro Roscio. *sic vita hominum est*. L.

63. ME NIHIL POEN. UT SIM ACCEPTUS]. Ironia est. Non queror, me à vobis parum lautè esse aceptum. Q. d. satis me expilâstis. Vide N. Mil. act. 3. 1. In omnibus edd. hæc ita leguntur ——*unguentis. Satis jam satis vos tristes. PH. convivii me n.* quod arripuit editio pr. Parei malè. debuerat potius rescribi, *NI. Satis jam vostri est convivij. PH. me nihil pœnitet, ut ut sim acceptus. NI. Quadring.* &c.

67. ISNE] pro, *Ibune?* Pareus nobis fabricat, *In' hac mecum intro.* ex vitiato Ms. sec. nam pr. sanè, *Is ne in hac mecum intro.*

69. SINE SIC] οὕτως, δεικτικῶς. gestu enim ab actore animandum est. Vide Donat. ad illud Terent. Andr. act. 1. 2. *Mirabar hoc si sic abiret.*

70. AMISSIS] amiseris.

73. DEDECORUM] Ita C. Tacitis lib. 3. Annal. pag. 87. Lipsianæ & ult. ed. *Sex. Pompejus M. Lepidum ut secordem, inopem & majoribus suis dedecorum incusavit.*

A 73. PATIAR: FACERE IND. AN.] ita Acid. interpunxit, cui durius visum *patiar facere*. Terent. Andriâ: *ne illis animum inducas credere.* V. N. Asin. act. 5. Sed Guldenastus notat, hoc ita dictum, ut illud S. Valeriani, *præcepta disciplinæ patior negligere*, pro, *negligo*. Cic. ad Att. lib. 12. *Ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur.* Sedulius in hymno, de Deo infante:

Fœno jacere pertulit.

Sed & *velle* cum effectu accipi Ulpian. l. 6. D. de divers. reg. jur. ent. *Non vult heres esse, qui ad alium transferre voluit hereditatem*, hoc est, transtulit, autore Decio. Pareus hæc improbat, tanquam vix Latina, in Thesauri titulo, *Animi*; & tantum non sibi adscribit interpunctionem priorem.

75. CAPUT PRURIT] V. N. Pseud. act. 1. 1. v. 44. Pareus in Electis notat, Amantibus caput prurire dicitur, cùm sentiunt se amore perire. Bubulci effatum, non Grammatici, qui legere potuisset Horatii; ——*in versu faciendo sæpe caput scaberet.*

79. QUID AGO?] Dubitantis & consultantis est sermo. Cic. pro Quinctio: *Quid ago? si mehercule hæc duo verba fecisses, Quid ago? respirasset cupiditas atque avaritia paullulum.*

B 79. LIBET, ET METUO] Talis describitur ab Aristotele lib. 7. de Moribus, in quo pugnat cũ Libidine Ratio. Talis adulter apud Horat. 2. Sat. 7. Talis Verres apud Cicer. *Itaque æstuabat dubitatione: versabat se in utramque partem, non solum mente, verùm etiam corpore: ut omnes, qui aderant, intelligere possent, in animo ejus metum cum cupiditate pugnare.* L.

80. NE OBNOXIUS FILIO] quod fiet, si idem peccâro, quod in iis reprehendo: & si mei flagitii sint conscii. L.

80. ISTHÆC FIUNT] sc. vulgo. Ter. Heaut. *Vulgò id faciunt.*

82. UT TEREBRAT!] quo pacto mihi animum blandis suis dictis fodicat! Persâ. *Nunquam hercle istuc exterebrabis tu.* Alibi dicit, *Electare, expalpare; exsculpere in quæstione.*

85. IT DIES] ita Pseud. act. 1. 3. *It dies, ego mihi cesso.* Catull. *abit dies.* ita Mercat. *Sol abit.*

86. QUAM QUIDEM ACTUTUM EMORIAMUR!] Jocatur suo more. Cùm enim Bacchis diceret, exspectant vos filii; subjicit argutans

ꝛans Senex; Id exſpectant quidem illi, quam- mox emoriamur. non adventum noſtrum, ſed mortem deſiderant: ut liberiùs poſſint vivere. Amatoribus enim paterna mors in votis. Talis Philolaches Moſt. I. 3. *Utinam meus nunc mortuus pater ad me nunciaretur*, &c. Lambinus hîc nihil ſani. *Acidal.*

87. VESPER HIC EST] δειπνικῶς. veſpera & hora cęnæ appetit. φλυαρεῖ Lambinus.

A

87. TANQUAM QUIDEM ADDICTOS.] *Addicti* fuerunt, qui cum non eſſent ſolvendo, creditoribus addicebantur: nec ſervitute eorum liberabantur, niſi debitis quocunque modo perſolutis. De eorum conditione Ræ- vard. cap. 8. lib. ſing. ad Leg. XII. Tabb. Seneca lib. 3. De benef. c. 8. *Pecuniam pro addicto dependit*. Hinc illud Feſti lucem capit, *Addicere, damnare eſt.*

GREX.

HI ſenes, niſi fuiſſent nihili jam inde ab adoleſcentiâ,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent cânis capitibus:
Neque adeò hæc faceremus, ni antehac vidiſſemus fieri,
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres.
Spectatores vos valere volumus, & clarè applaudere.

GREX] In MSS. hæc etiam usque ad finem à Bacchide dicuntur.

2. HODIE HOC] ita MSS. vulg. *hic*. Parei ultima editio verſu iſto excluſit verbum *facerent*, contra omnes libros, damno non verſus modò, ſed & ſententiæ, ò incuriam ſuperbiſſimam!

FACEREMUS] in theatrum produceremus.

4. RIVALES FILIIS FIERENT PATRES.] Tale illud ferè eſt in Cluentianâ Cicer. *Uxor*

B

generi, noverca filÿ, filiæ pellex. Et quod *Jocaſta ejusdem uxor & mater*, in tragœdiâ Oedipo, act. 5. *telum utero inſigens exclamat*:

——hunc dextra, hunc pete
Uterum capacem, qui virum, & gnatum tulit.

Item Thebaide act. 1. *Abigener, patrisque rivalis ſui:*

Frater ſuorum liberûm & fratrum parens:
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes: monſtra quis tanta explicet?

FINIS BACCHIDUM.

MOSTELLARIA.

ARGUMENTUM.

HÆC Fabula hilaritatis & feſtivitatis plena eſt, etiam multis bonis Sententiis inſignis. Et proponitur exemplum in hâc conſiliorum malorum & fraudulentorum: quæ quia firma eſſe non poſſunt, requirunt novas ſemper machinas, quibus fulciantur: donec tandem ruunt omnia deprehenſis dolis. Nomen Fabulæ inditum eſt à *monſtris*. Nam ſenex à ſervo quaſi manium monſtris exterretur. Mentio fit Φάσματος Menandri: ſed & Plauti *Phaſma* memoratur: quod nomen & ipſum monſtri talis habet ſignificationem. Eſt autem *monſtrum, moſtellum*: ſicut, *caſtrum, caſtellum*, in pronunciando *n* literâ

terâ liqueſcente. Inque hâc ſene quodam mercatore abſente, filius illius implicatur libidinoſo & ſumptuoſo ſodalitio: & amicam redimit triginta minis: quam pecuniam, & inſuper in ſumptum decem minas, fœnore ſumpſerat à Daniſtâ, minâ unâ in decem. Redit tandem Senex poſt triennium, cùm fortè potatio eſſet in ædibus ipſis: ſervus autem, qui hoc reſciverat, cum in Piræum abiiſſet piſcium cauſſâ, ſtatim herili filio indicium facit. Sed erat unus in ſodalitate ebrius, qui diſcedere non volebat. Ne igitur inter turbas ſenex ſuperveniret, capit hoc conſilium ſervulus; occludit foris ædes, & obviam procedit ſeni, & perſuadet ei, ædes eſſe infeſtas monſtris mortuorum. Et cum daniſta debitam pecuniam peteret, ait illam arrhaboni datam vicino, cujus domum filius emerit. Sed mox de ſervis adverſitoribus & vicinis rem omnem Senex cognoſcit, & iratus ac imprimis dolens ſe ad illum modum ludibrio à ſervo fuiſſe habitum: tandem à ſuperveniente ſodali filii exoratur, ut & filio veniam det, & ignoſcat ſervo.

NOMINA Perſonarum ſunt hæc: *Tranio* vel τρανίων, ἀπὸ τοῦ τρανοῦς, quod ſignificat liquidum & planum: vel, ἀπὸ τῶν τρανίων, i. ſedilibus. *Grumio* (hæc enim ſcriptura in MSS. exſtat) fortè à grumis, Græca forma: etſi & γρῦμας interpretantur στροβίλους, i. turbines, vel fructus pinûs. Item γρώνους interpretantur vas quoddam coriaceum, & eos qui, cum loquantur, non audiunt. item cavernas rupium: hinc etiam γρωνίων eſſe poſſet. Φιλολάχης, à ſtudio ſortis. Φιλημάτιον, *baſiolum*: à φίλημα. σκάφη, linter καλλιδαμάτης, formæ domitor. δέλφιον *unici* ſignificatione interpretari nunc libet. nam veteres Græci, ut annotat Macrobius l. I. Saturnal. δελφὶ, *unum* & *ſolum* vocarunt. Formâ autem neutrâ fæmininorum nominum eſt apud Græcos, ut ſcimus *Theuropides*, erit Θευρωπίδης, quaſi θεορρωπίδης: haud ſcio, de quâ ſignificatione τοῦ ῥώπου, ἢ τῶν ῥωπῶν. Plautus certè tertiam à fine longam fecit. Poterat alicui etiam in mentē venire eſſe hunc ταυρωπίδην, formâ manifeſtâ à tauro, ſignificatione aſpectus trucis: vel etiam θηρωπίδην. σίμων, denominatum ἀπὸ τοῦ σίμου. *Daniſta*, ὁ δανειστής, argentarius, fœnerator, cujus nomen eſt, ut puto, σατυρίδης. Φανίσκος, ἀπὸ τοῦ φανοῦ, i. face. *Servus alius*, & *Puer* ſunt ἀνώνυμοι. Fit mentio in Fabula & *Diapontij*. is erit Διαπόντιος, marinus: & *Demiphontis*, qui δημοφῶν, lux popularis. Et Φιλονίδου, patronymicâ hoc nomen formâ factum eſt ἀπὸ τοῦ Φίλωνος: Φίλων autem πατρώνυμον τοῦ Φίλου. Hæc Fabula non ſolùm mendosè edita eſt plurimis in locis; quemadmodum & aliæ omnes: ſed diſſipatis etiam verſibus, & diſtractis Scenis: ut ſaltem in reponendis quibuſque in ſuum locum operam navâſſe videri debeamus: *Camerarius*.

I. Gulielmius, Plautinis Quaſt. MOSTELLARIÆ nomen monſtra fecerunt, quæ illic Poeta ridicula multa ciet; ut eadem Romæ, vico Moſtellario: quem in urbis locis Varro collocat. *Moſtrum* enim & *moſtellum* antiqui efferebant, omiſſâ *n* litterâ. Sed eadē Fabula alio quoque nomine cenſetur nō vulgo tantùm doctorū, ſed principibus etiam hodie ignoto. Nam binominē Poeta reliquit, ut alias multas, ita hanc etiā: & ut eædem ejuſdē Plauti Comœdiæ ſunt, *Synapothneſcon-*

thnescontes, & *Commorientes : Clitellaria* & *Astraba : Lipargus* & *Pamsitus piger:* ita eandem Fabulam esse *Mostellariam* Plauti & ejusdem *Phasma*, primus doceo : & sanè Φάσμα monstrum est : quæque solus Festus fragmenta duo è *Phasmate* adducit, ea hâc Fabula perspicuè exstare animadverti : *Hæc ille*. Quæ etiam J. Gruterus, Douza & Meursius valdè probant. Glossarium : Φάσμα, *mostellum*. Ne igitur deinceps requiratur *Phasma* Plauti, latet sub *Mostellariæ* nominis integumento, cujus hæc est analogia. *Monstrum* (unde *monstro*, non contra) fit à *monitum*; ut à *rado, rasum, rastrum : à plaudo, plausum, plaustrum : à claudo, clausum, claustrum. monstrum* verò *mostellum* : ut à *plostrum, plostellum* ; à *castrum, castellum*. inde demum *Mostellaria*, ut *Aulularia, Asinaria, Cistellaria*, &c. Vide Origg. Becmanni.

Deinde *Tranio*, auctore Sibero, est quasi δρανίων h. e. δραστήριος, mutatâ consonâ. Contra Theuropides, δευροπίδης, quasi *redux*. Sic *Deus* dixerunt θεὸς, non *Theus*.

DRAMATIS PERSONÆ.

TRANIO servus.	THEUROPIDES senex.
GRUMIO servus.	SIMO senex.
PHILOLACHES adolescens.	DANISTA.
PHILEMATIUM meretrix.	PHANISCUS advorsitor.
SCAPHA ancilla.	SERVUS alius.
CALLIDAMATES adolescens.	PUER.
DELPHIUM meretrix.	

ARGUMENTUM.

MANUMISIT emptos suos amores Philolaches,
Omnémque absente rem suo absumit patre.
Senem, ut revenit, ludificatur Tranio :
Terrifica monstra ait videri in ædibus,
Et inde primùm emigratum. intervenit
Lucripeta fœnus fœnerator postulans.
Ludúsque rursum fit senex. nam mutuum
Acceptum dicit pignus emptis ædibus :
Requirit quæ sint : ait vicini proxumi.
Inspectat illas. post se derisum dolet :
Ab sui sodale gnati exoratur tamen.

4. AIT VIDERI] Ita Camer. ed. nam antiquiores, *dicit sentiri*. MSS. *dicit sileri*, sed primus ab interpolatore, qui erasit duas priores literas videtur tamen prius fuisse, *dicit feiri* pro *fieri*.

ACTUS

ACTUS I. SCENA I.

GRUMIO, TRANIO, servi duo.

EXI è culinâ, sis, foras mastigia,
Qui mihi inter patinas exhibes argutias.
Egredere, herilis pernicies, ex ædibus.
Ego pol te ruri, si vivam, ulciscar probè.
Exi, inquam, nidorè culinâ quid lates?
TR. Quid tibi, malùm, hìc ante ædes clamitatio est?
An ruri censes te esse? abscede ab ædibus.
Abi rus; abi dierecte; abscede ab januâ.
Hem! hoccine volebas? GR. perij, cur me verberas?
TR. Quia tu vis. GR. patiar. sine modò adveniat senex.
Sine modò venire salvom, quem absentem comes.
TR. Nec verisimile loquere, nec verum, frutex,
Comesse quenquam ut quisquam absentem possiet.
GR. Tu urbanus verò scurra, deliciæ popli,
Rus mihi tu objectas? sanè credò, Tranio,
Quòd te in pistrinum scis actutùm tradier.
Cis hercle paucas tempestates, Tranio,
Augebis ruri numerum, genus ferratile.
Nunc, dum tibi lubet licetque, pota, perde rem,
Corrumpe herilem filium, adolescentem optimum:
Dies noctesque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, pascite
Parasitos, obsonate pollucibiliter.
Hæccine mandavit tibi, cùm peregrè hinc iit, senex?
Hoccine modo hìc rem curatam offendet suam?
Hoccine boni esse officium servi existimas,
Vt heri sui corrumpat & rem & filium?
Nam ego illum corruptum duco, quom his factis studet,
Quo nemo adæquè juventute ex omni Atticâ
Antehac est habitus parcus, nec magis continens:
Is nunc in aliam partem palmam possidet.
Virtute id factum tuâ & magisterio tuo.
TR. Quid tibi, malùm, me, aut quid ego agam, curatio'st?
An ruri quæso non sunt, quos cures, boves?
Lubet potare, amare, scorta ducere.
Mei tergi facio hæc non tui fiduciâ.

GR. Quàm confidenter loquitur! fue. TR. at te Juppiter
Diique omnes perdant, oboluisti allium,
Germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis,
Canes capro commista. GR. quid tu vis fieri?
„NON OMNES possunt olere unguenta exotica,
Si tu oles: neque superior accumbere,
Neque tam facetis, quàm tu vivis, victibus:
Tu tibi istos habeas turtures, pisces, aveis:
Sine me alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus, ego miser: patiunda sunt.
Meum bonum me, te tuum maneat malum.
TR. Quasi invidere mihi hoc vidêre, Grumio.
Quia mihi benè est, & tibi malè est; dignissimum est.
Decet me amare, & te bubulcitarier:
Me victitare pulcrè, te miseris modis.
GR. O carnificum cribrum, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, si huc reveniat senex.
TR. Qui scis an tibi istuc prius eveniat quàm mihi?
GR. Quia nunquam merui: tu meruisti, & nunc meres.
TR. Orationis operam compendî face,
Nisi te malâ re magnâ mactari cupis.
GR. Ervom daturin' estis, bubus quod feram?
Date æs, si non estis. agite porrò, pergite
Quomodo occœpistis: bibite, pergræcamini,
Este, effercite vos, saginam cædite.
TR. Tace, atque rus abi: ego ire in Piræum volo,
In vesperum parare piscatum mihi.
Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam afferat.
Quid est? quid tu me nunc obtuere, furcifer?
GR. Pol tibi istuc credo nomen actutum fore.
TR. Dum interea sic sit, istuc actutum sino.
„GR. Ita est. sed unum HOC SCITO, NIMIO celerius
„Venire quod molestum est, quàm id quod cupidè petas.
TR. Molestus ne sis! nunc jam i rus, teque amove.
Ne tu erres, hercle præterhac mihi non facies moram.
GR. Satin abiit, neque quod dixi flocci existimat!
Pro dî immortales, obsecro vostram fidem,
Facite huc ut redeat noster quàm primum senex,
Triennium qui jam hinc abest: priusquam omnia
Periêre, & ædis, & ager: qui nisi huc redit,

Pauco-

Paucorum mensium sunt relictæ reliquiæ.
Nunc rus abibo. nam eccum herilem filium
Video, corruptum ex adolescente optumo.

QUI MIHI INTER PAT. EXHIBES.] Quia ita patinas tractas, ut sonum quendam argutum & numerosum referant: quod solent coci hodiéque facere. *Vel*: Qui inter patinas argutis & facetis sermonibus uteris. Atque ita quidem Lambinus. Pareus ostentatorem suam antiquariam, & ex MS. pr. depromit nobis, *exibes*, absque aspiratu. ô thesaurum! Idem in Lexico pueros suos docet, *patinas* hîc sumi pro *culinà*. præclarè nimis!

5. NIDOR] *Nidor*, est odor, qui ex eduliis assis coctisve olfactum excitat; ut fiat nimirum illud Horat. 2. Sat. 7. ——*nasum nidore supinor*. & notum est carmen: *Captum te nidore suæ putat ille culinæ*. Hinc sumi potest pro eo qui multum in culinis versatur, aut qui hujusmodi obsoniorum scitamentis præcipuè delectatur. aliàs *Nidor*, pro putore ustrinæ accipitur. Virgil. 12. Æneid. *Nidoremque ambusta dedit*, sc. barba. MSS. referunt, *nidore cupinam*: neque aliter editio princeps; ut forte ficta sit vox *nidoricupina*; sicut *fustidinæ insulæ*, eidem Asin. 1. 1. vers. 21.

6. CLAMITATIO EST?] ita Acid. versûs caussâ, ex MSS. qui habebant, *clamitas*. MSS. Pall. & Edd. *clamat io si*.

8. ABI DIERECTE] V. N. Trin. act. 2. 4.

9. HEM] ita Douza. V. N. Mil. 5 Pareus istud quoque retinet; imò verò sic omninò ait legendum, cùm tamen MSS. *En* aut *In*. ô cultorem chirographorum codicum supinum!

10. QUIA TU VIS] MS. sec. *vivus*. pr. & Edd. *vivis*. quod non displicet.

11. SALVUM] ita quidem à manu extraneâ MS. pr. sed prius erat *salvos*. & verò *salvus* quoque habet MS. sec. & ed. prima. & placet Grutero.

11. QUEM ABSENTEM COMES.] *Comedi* videtur, inquit Turn. lib. 27: 9. cujus bona comeduntur. sic Suet. ait, *Claudium venalem pependisse*; i. prædia ejus pendente titulo & libello proscripta. Hinc illud ex parasiticâ disciplinâ apud Ter. Eunucho extremâ: *Propinare comedendum*; est substantiam ejus dilapidandam & coquendam ponere. Sic Euripid. & Demosth. καταπίνειν τὴν Ἑλλάδα. Alii quoque, ut notat P. Victorius Var. Lect. libro 4. 6. καταφαγεῖν οὐσίαν, dixêre. quemadmodum Men. apud Athenæum, de eo qui agri precium in ventrem absumsisset, γῆν καταφαγεῖν. V. N. Persâ, 2. 2.

22. FRUTEX] Inter contumeliæ verba fuit & *frutex*: convitium nimirum in stupidos & insulsæ mentis homines. Docetque Is. Pontanus, ut & Sc. Gentilis, propriè & signatè rusticanos agrestesque istâ insignitos voce. Eodem sensu *Pulmonem*, πλεύμονα, Epicurus vocabat Nausiphanem quendam. V. N. Epid. 3. 3. v. 40.

14. TU URBANUS VERO SCURRA] *Frutici* hîc opponit *scurram*, qui honestè olim dicebantur urbani, faceti, comes & elegantes; non rustici: quòd sine curâ fortasse & opere omni essent. Turn. l. 19. 13. V. N. Epid. act. 1. 1.

14. POPLI] συνίζησις: ut *vincli*.

15. SANÈ CREDO] ita MSS. At Acidal. *sanè cedo, Tranio. Quid? te &c.* Tu mihi rus objectas? sanè cedo & concedo. Te autem quid putas futurum? &c. & verò conjectanéum istud statim in ed. primam converrit Pareus. editione autem sec. etiam transtulit versu seq. *Quid? te in Pistr.* directè contra MSS. & edd. omnes meliores.

16. TRADIER] rectè: non, *trudier*. Rud. *hunc qui ad carnificem traderent*.

17. CIS H. P. TEMPESTATES] intra breve tempus. Idem Trucul. *Cis paucos dies*: ut notat Turn. lib. 4. 15. & lib. 19. 13. Ita Sex. Victor: *Cum Constantinus cis mensem decimum facundiæ vi dejectum Imperio in privatum otium removit*. Mamertinus: *Cis pauculos dies*. J. Levinejus.

18. NUMERUM] Lamb. & Muret. l. 5. 9. leg. *numerò*; i. brevi. V. N. Mil. act. 5. Pistoris *augebis numero*, pro, numerum eorum auctiorem reddes; non *numerò*: jam enim dixerat, *cis paucas tempestates*. Nos MSS. retinemus: ut, *genus ferratile* sit explicatio, indicetque cui hominum numero sit accessurus Tranio.

18. GENVS FERRATILE.] Trin.act.4.3. vocat *ferriteros*; alibi, *ferritribas*, qui ferreis annulis sunt compediti. Vide Lipſ.Elect.lib. 2.c.15.& C. Rhodig.l.25.20.

20. HERILEM FILIVM] vox *filium* non est in Mſſ.aut edd. duabus primis. invexit primum Aldus. Silet heic Pareus, & vocem eam editioni ſuæ, MSS. ſolis omnia debenti, tacitè intulit. o ! dem! ô conſcientiam!

22 AMICAS EMITE, LIB.] dictum est de diſſolutis & nequam. quod tamen Theodorus rectè fieri diſputavit: ut notat Turn. lib. 16.17. quem vide.

23. OBSONATE POLLVCIBILITER.] parate obſonia opiparè & ſumptuoſè. nam de eſculentis Herculi decimam dabant. idque *pollucere*; & conſecratum quod fuerat, *pollucum* dicebatur: *Cam*. Infrà act.4.2.& Sticho act. 2.1.

32. MAGISTERIO] i. Conſilio & monitu tuo. Alb.Gentil.

35. SCORTA DVCERE] Lexicon Parei affirmat *ducere* verbum eſſe obſcænum. Unde inquit Salluſtius reprehenſus fuit, quod dixit *ducere* vel *ductare exercitus*, propterea quod turpiculum eſſet verbum. Sic ille. ac ipſe noſter Capt.1.2.46 dixit etiam *ducere* exercitum. Quid quod Cicero, *ducere familiam*, alii alia. itaque exſibilandus hic Lexicographus. V.N. infra 3.2.v. 161.

36. FACIO HÆC] Ita ambo Mſſ. Pareus tamen *hoc* retinuit.

37. FVE.] ita rectiſſimè Gruterus è MS. ſuo. eſt enim exprimentis ructum. Et malè Gulielmius, qui de indignatione accepit: repugnantque ſequentia. Immò ferè poſt irarum repoſuerit de ingenii conjecturâ: *Quid vis? fue, fue, Non omn.*

38. OBOLVISTI ALLIVM] anima tua fœtet, ob comeſum allium. Ejuſmodi hominem alliatum & illuvie ſqualloreque fœdum & ſordidum Seneca epiſt. 84. vocat *ſcordalum*, auctore Turneb. lib.7. cap.4. (vel à Gr. σκῶρ, quod *oletum* aut merdam notat, vel à σκορόδῳ, *allio*: quaſi fœtidum dicat: *Lipſ.*) Varro: *Avi & atavi noſtri cum allium & cæpe verba eorum olerent, tamen optimè animati erant. Allium olet*: dicitur in ruſticum: quorum theriacam allium eſſe, Galenus ait. Suet. Veſpaſ.cap.8. *maluiſſem allium oboluiſſes*. idem in Calig.23. *Ille antidotum oboluiſſet*. &c. V.N. Perſâ, act.2.3.

39. GERMANA ILLVVIES] quantus quantus es, nil niſi illuvies & fœtor es. S. Boſius l. 9.ep.10.ad Attic. *Immundi* ſunt *ruſtici*: quòd in immundo opere faciundo plerunque verſentur. ideo ſervus ruſticus appellatur *illuvies* ab urbano: *Germana illuvies, ruſticus hircus, hara ſuis*. Colerus è cod. Eyſtad. reſtituit. *Sus*, pro, *ſuis*. cum etiam Varro *Suem* de homine uſurparit.

40. CANES CAPRO COMMISTA] ita Scalig.ad Carm.Catull.93. Et *canes* antiquè pro *canis*. Turn.lib.19.13.legebat *Canis, capra commixta*. Et *capra commixta* eſt, quæ initur: quæ tum peſſimè olet. Lamb. *Canis, capra, commiſtæ*: id eſt, homo fœtidior cane cum mare commiſtâ & caprâ cum capro. Conſtat autem canis fœminæ & capræ odorem poſt recentem maris commiſtionem, eſſe tæterrimum. Cæterùm in meis legitur, *hircus, hara, moſtellaria, capra c*. In MSS. —— *hara Sus canem capram commixtam*. nec aliter prima ed. niſi quod ea ſuis.

41. VNG. EXOTICA] peregrina, ut Græca, B quæ pretioſiora: Turn.l. 16.13. Apollin.l.2. epiſt.13. *peregrinos odores* vocat. Tale illud, *Non omnium eſt olere moſchum* Plinius lib.13.cap.3. *Certum eſt Antiocho rege Aſiâque devictâ anno urbis quingenteſimo ſexageſimo quinto, P. Licinium Craſſum, L. Julium Cæſarem Cenſores edixiſſe, ne quis venderet unguenta exotica: ſic enim appellavere*. &c. hæc ipſa è Perſarum deliciis Romam profluxiſſe arbitratur Gutherius lib.1.de jure Manium cap.15. *Olere*, ab *olo, is*, pænult. brevi. Vide Diomed. lib.1.& Priſc.lib.8.& 9. In Ms. pr. à primâ manu, *colere*.

42. NEQ. SVPERIOR ACCVMB.] pro, *ſuperiores*. Mutat enim numerum, ſuo more. In vulg. eſt, *ſup. quàm herus acc.* quod Grutero gloſſema viſum: cum in altero MS. Cam. non appareat, verſuique etiam officiat. certè in nullo meorum eſt. Pareus tamen, tanquam à ſe inventas voces oſtentat in editione ſua.

43. FACETIS VICTIBVS] V Voverius è v.c. Florentino reponebat, *Neque tam ſelectis quàm t. & victibus*. Sed monet Gruterus Florentinam editionem mangonum paſſam manus; ut & omnes alias, natas ex quo Sarracenus & Pius rerum potiebantur. certè in primitus excuſis aliquod reſtat illud *facetis*,

45. SINE ME ALLIATO] ita MSS. Gruteri, & Scaliger & Cam. & Turn. & Torrent. ad Horat. Epod. 3. at Lamb. malit, *alliatum*: quod laudat J. Guliel. nam, inquit, *alliati*, qui allium olent: ut *unguentati*, qui unguenta. Turn. lib. 16: 17. & lib. 19. cap. 13. *alliatum* interpretatur *moretum*, cui allium admixtum est: atque adeo de cibis omnibus intelligit, quibus allium intritum est. ad quod Terent. Phorm. 2: 2. respexerit: *Tute hoc intristi: tibi est omne exedendum*; auctore Donato. Q. d. Grumio: sine me fortunis meis, quæ in cibo seu pane allio perunctæ sitæ sunt, patienter fungi & contentum esse. Ita Tvo Villiomar. l. 5: 1. *Alliatum* est moretum. & *moreti* nomine omne intritum intelligitur. Græc. *τρίμμα*. *Sine me alliato fungi fortunas meas*, dictum; quomodo alibi, *suo cibo sua mœnire mœnia.* nam ibi, *suo cibo*; ut hîc *alliato meo.* In MSS. Cam. est, *aleato.* quod dudum à Taubmano indicatum. Pareus tamen ait falsò aliis persuasum, esse in Pall. illis *alliato.* cur non loquitur ut debebat, promitque nomina, vel qui fefellerunt, vel falsi sunt?

47. MEVM BONVM ME &c.] Non recuso, quò minùs ego nunc duriter vivam, tu lautè & opiparè: dum me quidem maneat bonum meum, te verò malum maneat tuum, cùm venerit senex. Muretus Var. Lect. lib. 5: 9.

49. QVIA MIHI BEN.] *Quia*, positum pro, *quando*: sicut vicissim hoc solet pro illo: *Schop.*

51. ME VICT. PVLCRE] V. N. Aul. 2: 4.

52. O CARNIFICVM CRIBRVM] ita MSS. Cam. Significat, corium & tergum ejus *stimulis* (quos oblongos, sive è sudibus præacutis, sive & ferro præfixis gestabant ad hunc usum) ita crebro puncto perforatum iri, ut cribrum repræsentet. Quod autem *patibulatum eum per vias fore*, ait: significat *furcam* sive patibulum laturum: unde *furciferi* dicuntur hâc contumelia affecti. Vide J. Lips. lib. 2. cap. 6. De cruce: item lib. 3. cap. 3. ubi *Furcam* & *Patibulum* eadem, aut non longè dissita videri, ait: atque hoc à *cruce* distinguit: ut *patibulum* sit pars crucis, nimirum patens illa & transversa: *Crux* autem inferior defixusque stipes propriè dicatur. Vulgati hic leg. *Carnificinum cr.* aitque Palmerius, *carnificinum cribrum* esse, quem crebri per vias forant: & *concribrari*, multimodis confici; ut Catull. Carm. 22. *Concribillare nates flagellis.* quod nec Scaligero displicet. At Schop. l: *carnificium*: ut *civitatium*, *hominium*, apud Sallust. quod & Meursius probat. ut sit sensus: O carnificum cribrum, quod credo fore, ita te forabunt (sc. carnifices) stimulis. itaque *stimulu* retinendum: quod & MSS. Cam. ambo habent. Fuisse tamen initio à manu primâ in primo, *stimulus*, monent Schedæ Gruteri: ut & hoc, utrunq; habere *carnificum*: non *carnificinum*, aut *carnificium*. Porro, quid *servus furcifer*, curiosè etiam disquisivit Tit. Popma, *De operis servorum*: item P. Faber J C. lib. 2: 8. Semestr.

57. ORATIONIS OPERAM COMPENDI FACE.] Valet, laborem & operam orationis lucrare: ne tibi sit necesse verba impendere quasi in iis sit etiam sumptus. *Facere compendij*: ut, *facere lucri*: Turn. lib. 4: 13. & lib. 19. cap. 13. Sic Pœn. act. 1: 2. *curam hanc facere compendi potes.* Sic Bacch. act. 2: 2.

Compendi verba multa jam faciam tibi.

Symmachus lib. 1. Epist. 69. *Decet operam verborum facere compendij: quia nihil negotium est &c.* Ita enim Grut. legit è MSS. non, *negotij*. V. N. Menæch. Prologo.

60. SI NON ESTIS] sc. ervum daturi. Date igitur pecuniam, unde alibi emam pabulum, si dare ipsi recusatis: *Cam.*

61. PERGRÆCAMINI] *Græcari* valet hîc intemperantiùs Græcorum more potare. *Græcari*, etiam est Græcanicis ludis exerceri, pila, disco &c. ut apud Hor. 2. Sat. 2. Vide Turn. l. 7: 9.

62. SAGINAM CÆDITE] Turn. lib. 14: 2. *Frondem cædere*, apud Catonem est, eam colligere: & quia fronde saginabatur pecus, existimo Plautum per translationem dixisse, *saginam cædite*, pro dapibus saginamini. Symmachus: *Non deerit, quo famem pellant nam comitibus vestris, utpote sobrijs, cædundæ saginæ cura posterior est.* Scheppius, Dixi, inquit, & dico, *Saginam* pro loco accipi, in quibus animalia, pisces, feræ, alia saginantur, & ad victum reservantur, quod aliter *vivarium* dicitur, eâdem Fabulâ, sc. 3.

Diesque noctesque estur, bibitur, nec quisquam parsimoniam adhibet.

Sagina planè est.

Q.d. Hæ ædes sunt quædam velut vivaria, in quibus saginantur homines. Ita quoque accipio versum Trin. act. 3: 2. *Aut aliquem apud regem in saginam herus se conjecerit meus.* Ut nimirum dicat servus, herum suum ex inopia parasitum futurum, seque apud *regem* aliquem (sic enim dicebantur homines lauti, qui parasitos alebant) probè saginaturum. Posteà *Saginæ* dicuntur ipsa animalia, quæ in saginâ vel vivario pascuntur: sicut multa talia apud Latinos scriptores. Jam ergo claret, quid sit *saginam cædere*, nimirum mactare assiduè boves, oves, aliaque id genus animalia in saginam data, &c. Lambinus in omnibus suis Interpretamentis:

Magnopere à verâ lapsus ratione videtur.

Hæc ille in Suspect. lib. 5. Ep. 9. Idem in Spicilegio, ad illa Phædri: *Frondem bubulcus affert:* notat; Frundibus boves saginabantur Horat. 1. Ep. 14.

——— & urges
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemq.
Devinctum curas, & strictis frundibus exples.

Sic paullo pòst (in Phædro) herus objurgans rusticos, quod parum curent boves; *Cur frundis parum est?*

63. TACE, ATQ. RVS ABI:] MSS. librorum scriptura est: *tace atque abi rus.* Quidam, quo magis probaret, esse alienis pedibus usos Comicos Latinos, maluit, *abi tu rus.* Sed de pedum ratione sententia nostra secundum veterem Grammaticorum doctrinam exposita est: *Cam.*

63. PIRÆVM] Pareus edidit contra MSS. & legem versus, *Piræeum*, quare?

63. IN PIRÆVM] nam rerum venalium ibi magnus proventus, ac velut δεῖγμα. Scholiastes Aristoph. in Equit. Ideoque & adolescentuli (Eun. act. 3: 4.) *coibant in Piræo, ut de symbolis essent.*

A

64. IN VESPERVM] i. cœnam. V.N. Mil. act. 4: 2.

64. IRE VOLO PARARE P.] pro, ibo paratum pisces. Propert. 1. el. 2.

Ibat & hirsutas ille videre feras.

68. DVM INTEREA SIC SIT.] Oratio est hominis præsentia tantùm spectantis, futura negligentis. Dum, inquit, intereà sic sit, ut nunc est: hoc est, lautè opiparéque vivitur, quid actutum futurum sit, non admodum laboro. Muretus; Var. L. 5: 19.

69. NIMIO CELERIVS VENIRE QVOD MOLEST. EST, Q. &c.] Præclara sententia. Ideó Sophocl. βλάβας, i. *damna*; appellat ποδώκεις, *celeribus pedibus euntia.* Sic & Democritus dicebat, Bona vix quærentibus evenire;

B

Mala verò etiam ultrò contingere. L. Pareus heic noluit recedere à scriptura MSS. imo alios carpit qui id ausi, ediditque *molestè.* at quis unquam petiit, quod sibi foret molestum? insanorum est tantum.

72. NE TV ERRES, PRÆTER HAC] Ne fortè te frustreris, tu nunquam me præterea remoraberis. Das du es eben wissen magst/ &c.*

73. FLOCCI EXISTIMAT.] ita MSS. & Edd. Al. *æstimat.*

79. NAM ECCVM HERIL.] Ita omnino rectè v.c. Sambuci: teste Meursio. hæc enim δεικτικῶς à Grum. efferuntur. Sed & MSS. Cam. & omnes ed. *eccum*, habent. Censuitque Gruterus (ut & Acidal.) omninò revocandum: ab iis ejectum, qui nescivêre, *eccum* etiam dici de iis, quæ extra conspectum. V.N. Mil. act. 3: 1. v. 191.

ACTUS II. SCENA I.

PHILOLACHES, adolescens.

RECORDATUS multum & diu cogitavi,
Argumentaque in pectus multa institui
Ego: atque in meo corde, si est quod mihi cor,
Eam rem volutavi & diu disputavi,

Hominem

Hominem quojus rei, quando natus est,
Similem esse arbitrarer simulacrumque habere.
Id repperi jam exemplum.
Novarum ædium esse arbitror similem ego hominem,
Quando hic natus est. ei rei argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur verisimile vobis?
At ego id faciam esse ita ut credatis.
Profectò ita esse, ut prædico, vero vincam.
Atque hoc vosmetipsi scio,
Proinde uti nunc ego esse autumo, quando
Dicta audietis mea, haud aliter id dicetis.
Auscultate, argumenta dum dico ad hanc rem.
Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum.
Ædes quom extemplò sunt paratæ, expolitæ,
Factæ probè, examussim,
Laudant fabrum, atque ædes probant. sibi quisque
Inde exemplum expetunt: sibi quisque simile,
Suo usque sumptu: operæ ne parcunt suæ.
Atque ubi illò immigrat nequam homo indiligensque
Cum pigrâ familiâ, immundus, instrenuus,
Hic jam ædibus vitium additur,
Bonæ cùm curantur malè.
Atque illud sæpe fit; tempestas venit,
Confringit tegulas, imbricesque: ibi
Dominus indiligens, reddere alias nevolt.
Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aër operam fabri:
Nequior factus jam est usus ædium:
„ Atque haud est fabri culpa. sed MAGNA PARS
„ Moram hanc induxerunt, si quid nummo sarciri potest,
„ Usque mantant, neque id faciunt, donicum
„ Parietes ruunt. ædificantur ædes totæ denuò.
Hæc argumenta ego ædificijs dixi. nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium esse similes arbitremini.
Primum-dum parentes fabri liberûm sunt,
Et fundamentum substruunt liberorum,
Extollunt, parant sedulò in firmitatem,
Ut & in usum boni, & in speciem populo
Sint: sibique aut materiæ ne parcunt.
Nec sumptus ibi sumptui esse ducunt:
Expoliunt, docent literas, jura, leges;
Sumptu suo & labore nituntur, ut

Alij sibi esse illorum similes expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt
Tum jam aliquem cognatum suum.
Eatenus abeunt à fabris.
Vnum ubi emeritum est stipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quò eveniat ædificatio.
Nam ego ad illud frugi usque & probus fui
In fabrorum potestate dum fui.
Posteaquam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum. illico oppidò
Venit Ignavia; ea mihi tempestas fuit,
Ea mihi adventu suo grandinem, imbremque attulit:
Hæc Verecundiam mihi & Virtutis modum
Deturbavit, texit, detexitque à me illico.
Postillà obtigere eam neglegens fui:
Continuò pro imbre Amor advenit in cor meum.
Is usque in pectus permanavit, permadefecit
Cor meum. nunc simul res, fides, fama, virtus,
Decusque deseruerunt: ego sum inusu
Factus nimiò nequior. atque edepol ita
Hæc tigna humidè putent. non videor mihi
Sarcire posse ædis meas, quin tota
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam esse auxilio queat.
Cor dolet, cùm scio ut nunc sum, atque ut fui:
Quo neque industrior de juventute erat
Arte gymnasticà, disco, hastis, pilâ,
Cursu, armis, equo. victitabam volupe:
Parsimoniâ & duritiâ disciplinæ alijs eram:
Optumi quique expetebant eam doctrinam sibi.
Nunc postquam nihili sum, id verò meopte ingenio repperi.

VERSUS hujus Scenæ sunt confusi & dubii numeris: τρίμετροι & δίμετροι καταληκτικοί, etiam τετράμετροι.

V. 12. VERO VINCAM] MSS. ambo & vett. Edd. *vera vincam.* Milite: *vero vincat, ut ne viderit.* Terent. *verus vincor.* Pareus heic admisit in contextum *vera*; neque eo contentus; etiam advocatus venit chirographis libris; miratus quos oculos habuerint illi, qui prodiderunt, in MSS. esse, *vero vincam.* quos tangat, ipse viderit: Taubmannus extra noxiam est.

16. AUSC. ARG. DUM DICO AD HANC REM] Pareus heic invehitur in cor. licentiam qui edidere: *Ausc. donec argumenta dixero:* è quorum numero etiam ipse est. sic sanè editio ejus prior.

17. GNARURES] *Gnarures.* i. gnaros. *gnaros* autem *hanc rem*, pro hujus rei dicit: ut, *doctus hanc rem.* Utitur & Prol. Pœn. item Ausonius:

Non cultor instans, non amtor gnaruris:

Item Arnob. 2. *Cur esse dicatis in aliis præceptionibus gnarures?* Et vetus Glossar. *gnarurem* interpretatur γνώριμον, & *gnaruit* γνωρίζει: item, *gnarures* γινώσκοντες: & *ignarures*, ἀγνῶντες. Turn. lib. 19: 12. & lib. 16: 17.

Scalig.

Scalig. in Festo & Auson. lib.2. cap.21. atque in Append. Conjectan. A

18. QVOM EXTEMPLO] simulatq. V.N. Rud. act.4: 3.

22. NEPARC.] *Ne*, antiquè pro *Non*: ut Trin.5: 2. *nisi tu nevis*. Ter. Eun. act.2: 3. *Quid ne es alacris?* pro, cur non es alacris? Turneb. lib.5: 5. & lib.19. cap.13. ad 3. de Leg. Cic. ubi & is ille usus est. *Senatori qui nec aderit, &c.* i. non aderit. Et hic paulò pòst, *nevult*: quod Nonius interp. *Non vult*.

22. SVO VSQVE SVMPTV: OPERÆ NEPARCVNT SVÆ.] Falsò heic Pareus nobis affirmat sic legi in antiquitus cusis. Camerarius auctor est ejus scripturæ. prima ed. ut & Carpent. suis: *sumptu suo operam pascunt suam*: neque aliter Sarac. nisi quod ea, *poscunt*. nam Ald. *sumit, sumptu suo operam pascunt suam*; quod & in Longoliana. Mss. habent à manu prima: *Suo is sua sumptu operam pascunt suam*. factumque deinde in pr. *parcunt*.

25. INSTRENVVS] Mss. ambo *strenuus*, nisi quod sec. *strennuus*.

29. REDDERE] i. *reponere*: Nonius.

30. PERPLVVNT TIGNA] scil. pluviâ tempestate putrefacta. Rinnet allenthalben durch. Ita Petronius: *Detectum parietem nimbo laborare*. Conspirat Salomon Ecclesiast. c.10. *Pigritiâ attenuatur contignatio, & demissione manuum perstillat domus*. Schoppius: *Perpluunt*, pro, *perpluuntur*: sicut *pallium maculat*, pro maculatum est: *Terra movit*, pro mota est, &c. (V. N. Mil. act. 2: 6.) Nam *perpluere* activum est, ut paullo post, *quam mihi Amor & Cupido In pectus perpluit meum*. Posteà usurpatur pro *perplui*, pluviam in se recipere, ut dicto loco, & Trin. 2: 2.

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Et apud Quintil. *Cum cœnaculum ejus perplueret.*

34. MORAM HANC] Alii: *morem hunc ind.* Sanè & MS. pr. initio habuit *hunc*.

35. VSQ. MANTANT] exspectant.

35. DONICVM] pro *donec*. pertendit Gifanius, etiam Ciceronem hâc voce usum.

38. ARBITREMINI] ita MSS. sed Acid. l. *arbitrem* quod arripuit prima Parei ed. infarcto præterea præter Mss. pronomine *vos*.

40. ET FVNDAMENT.] ita MSS. sed J. Gulielm. l. *Ei fund.* sc. parentes. nam hoc sententiam magis erigere ait & quodammodo animare.

40. SVBSTRVVNT] Hinc, *insanæ substructiones*, Cic. pro Mil. Vide & Turn. lib. 19. cap.13.

41. EXTOLLVNT] ἀνεγείρουσιν. Ita Seneca, *Excitare ædificia*: & Livius, *excitare sepulcrum è lapide*. M. Haiminsf. l. *Extulunt, parant, &c.* Cum & apud Diomed. *abstulo* legatur.

41. PARANT SEDVLO IN FIRMITATEM: VT ET IN, &c.] Fundamentum ponunt stabile: id est, liberos à primis statim annis erudiunt: ut hac puerili institutione subnisi, & una cum ætate doctiores & meliores evadentes, cives Reipub. verè utiles & in speciem boni, hoc est, extrorsum sint ornamentum patriæ. *Ex L.*

42. IN VSVM] Ita MS. secund. at prius, *in usu*: Grut. Utrumque probat Acidal. ut & infrà, v. 64. Idem hic pro illo *speciem*, malit *specimen*: cum quo tamen idem esse *speciem* vult Nonius, Lucillius lib. 30. *Sicuti te, quem æqua speciem vita esse putamus*: ut Franc. Douza leg.

B

43. SIBIQ. AVT MATERIÆ NEPARCVNT, &c.] parentes neque labori neque pecuniæ parcunt: nec putant sumptus esse, qui impenduntur institutioni liberorum. Est autem Phalæcius vers. integer:

Nec sumptus ibi sumptui esse ducunt.

Parmens. & Brix. ed. *sibi sumptui*.

43. NEPARCVNT] ita quidem à manu secundâ MS. pr. Cam. sed anteà erat, *reparcunt*: quod & in MS. sec. Certè omnes vett. edd. leg. *reparant*: quod ex hâc scripturâ fluxit.

48. AD LEGIONEM, &c.] Referenda sunt hæc ad morem Roman. quo adolescentibus militaturis primo stipendii anno custodes dari soliti. Turneb. lib.7. c.3. & l.26. c.22.

51. VNVM VBI EMERIT. EST STIPEND.] Ubi tempus militiæ primæ finitum est, tunc specimen apparet, quo evadat ædificatio. V.N. Bacchid. 1: 1. Stevvech. lib.1. c.7. ad Veget. *Stipendiorum* vox etiam annos significat, quibus milites merent. quomodo & Servius interpretatur 8. Æn. & sæpe eadem ita usi Livius, Tacitus, JCti, Vegetius, &c.

51. IGITVR TVM] ita MSS. sed D. F. *tum* glossema putat: nisi quis legat, *igitur demum:* ut infrà. Acidalius anastrophen censet esse, pro, *tum igitur.* imò planè dictum; ut infrà: *Igitur tum accedam hunc, quando, &c.* Quin & simpliciter *Igitur* pro *tum* reperies: Cas. act. 2: 2. *cum otium erit, igitur tecum loquar.* Milit. act. 3: 1.

54. POSTEAQVAM IMMIGRAVI IN INGEN. MEVM] Posteaquam ex magisterio pædagogi excessi, & meo arbitratu cepi vivere. Postquam mihi relictus sum.

58. VIRTVTIS MODVM DETVRB.] Virtutem, quæ instar modi & mensuræ est, quæque ipsa modus & mediocritas est: vel modestiam, quam κοσμιότητα vocant, & σωφροσύνην. L. In MSS. & veteriorib. ed. est, *texit, detexitque à me il.*

61. PRO IMBRE] i. tanquam imber. ut Men. *pro sano loqueris.* Apul. *nec pro amico, nec pro Philosopho facere:* hoc est, ut amicum, ut Phil. decet. Pareus in Electis, talem elicuit ex istis quintam essentiam: Amor velut imber adobruit & prosternit adolescentiam. Admodum rusticè. neque enim imber ædes prosternit adobruitque; potius sensim & sine sensu eas penetrando corrumpit.

64. EGO SVM INVSV] D. F. *eò s. inusu s.*

64. INVSV] *Inusu*, pro ignaviâ: ut, *incultu*, apud Sall. B. Jugurth. & ita MSS. Pall. Grutero teste, qui id etiam unicè probat. Contrà Acidalius damnat: & sensum abhorrere ait; qui sit: vel, in utendo, ut Bacchid. *Eadem in usu, atque ubi periculum facias, aculeatæ sunt.* vel ipsam notet utilitatem: ut Manil. lib. 2. *Effectu minor in specie, sed major in usu.* Suprà, v. 42.

66. PVTENT] MSS. & Edd. *putant.* recentt. *putrent.* Etiam *humida* in MS. sec.

71. INDVSTRIOR] φιλοπονώτερος. Prisc. lib. 3.

72. ARTE GYMNASTICA] Cur ars gymnastica pueris sit addiscenda, Plato docet in Protag. mihi pag. 199. & de Philosophiâ, p. 5. Atque idem l. 7. de Legg. *Gymnasticæ* nomine, ait, exercitationes omnes contineri bellicas: eamque dividit in *Saltationem* & *Luctationem.* Deque his omnibus accuratissimè A tractavit P. Faber, Agonist. & H. Mercurialis item J. C. Scalig. lib. 1. Poet. cap. 22.

73. VICTITAB. VOLVPE] ita MSS. ambo. sed Acidal. *vict. haud volupe.* Minimè delicatum in victu fuisse ait, qui quidem parsimoniâ & duritiâ aliis exemplo fuerit. Scio Lambini glossam: Vixisse duriter, & ita tamen jucundè. Sed interpretatio est Lambini, qui prorsus hic Lambinus. Hæc ille. cogita tamen, Lector. mihi quidem Lambini sententia nondum displicere potuit. At Pareo ita perplacuit altera, ut in utraque editione sua eam nobis ostenteret: prima, veluti genuinam, vel quasi; secundâ, tanquam sine qua auctor mancus. at sic tamen editio nulla.

74. DVRITIA] *Duri homines* sunt ex hoc loco, καρτερικοί, καρτερόθυμοι, tolerantes, patientes: quales memorantur prisci Lacedæmones; quorum institutio omnis erat in patientiæ disciplinâ; inque victûs atque cultûs parsimoniâ. unde *patiens Lacedæmon*, apud Hor. 1. Od. 7. Et benè, inquit Dousa, conjungit *Parsimoniam* & *Duritiem.* Ita Corn. N. de Alcib. *Sic duritiæ se dedisse, ut parsimoniâ victûs atque cultûs omnes vinceret.* Cato: *Ego jam à principio in parsimoniâ atque in duritiâ* B *omnem adolescentiam meam obstinavi;* (vel *obstinui*) *agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis, atque conserendis.*

74. DISCIPLINÆ] documento atque exemplo.

75. EAM DOCTRIN.] MSS. ad hanc alludere videntur scripturam: *expetebant à me doctr.* non, *eam.* sed tamen flexu ambiguo. & verò *eam* aptius est huic loco, minusq; invidiosum altero: quod tamen placuit Pareo, compareretque in utraque ejus editione.

76. NVNC POSTQVAM] ita MSS. Gam. & Edd. plano sensu. Tamen dissectâ voce, Is. Pontanus; *Nunc post quam nihili sum! id v.* Ita, inquit, *Nunc post*; quomodo, *paulò post, multò post, &c.* Ita Men. act. 5: 9. restituend. *O salve insperate, multis annis post quem conspicor.* Nam aliàs pendet sententia: & liquidò hoc poscit sequens responsus: *Et tu, quem ego multis, &c.* Lamb. *Nunc postque nih.* Q. d. Nunc in pòsterum nequam & corruptus sum.

ACTUS I. SCENA III.

PHILEMATIUM mulier, SCAPHA ancilla, PHILOLACHES, adolescens.

IAmpridem ecastor frigidâ non lavi magis lubenter,
Nec unde me melius, mea Scapha, rear esse defæcatam.
SCA. Eventus rebus omnibus, velut horno messis magna
Fuit. PHI. quid ea messis attinet ad meam lavationem?
SCA. Nihilo plus, quàm lavatio tua ad messim. PHILO. oh, Venus venusta!
Hæc illa est tempestas mea, mihi quæ modestiam omnem
Detexit, tectus quâ fui: quam mihi Amor & Cupido
In pectus perpluit meum, neque jam unquam obtigere possum.
Madent jam in corde parietes. periêre hæc oppidò ædes.
PHI. Contempla amabo, mea Scapha, satin hæc me vestis deceat.
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
SCA. Quin tu te exornas moribus lepidis, quum lepida tota es?
,, *NON VESTEM amatores mulieris amant, sed vestis fartum.*
PHILO. Ita me dî ament, lepida est Scapha! sapit scelesta multum.
Ut lepidè res omnes tenet, sententiasque amantum!
PHI. Quid nunc? SCA. quid est? PHI. quin me aspice & contempla, ut hæc me decet.
SCA. Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quicquid habeas.
PHILO. Ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego profectò hodie aliquî:
Neque patiar te istanc gratis laudasse, quæ placet mihi.
PHI. Nolo egò te assentari mihi. SCA. nimis tu quidem stulta es mulier.
Eho, mavis vituperari falsò, quàm vero extolli?
Equidem pol vel falsò tamen laudari multo mâlo,
Quàm vero culpari, aut alios meam speciem irridere.
,, *PHI. Ego VERUM AMO, verum volo dici mihi. mendacem odi.*
SCA. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venusta es!
PHILO. Quid ais, scelesta? quomodo adjurasti? ita ego istam amarem?
Quid? isthæc me; id cur non additum est? infecta dona facio.
Periisti: quod promiseram tibi donum, perdidisti.
SCA. Equidem pol miror tam catam, tam doctam te, & bene eductam;
Non stultam stultè facere. PHI. quin mone quæso, si quid erro.
SCA. Tu ecastor erras, quæ quidem illum exspectes unum, atque illi
Morem præcipuè sic geras, atque alios asperneris.
MATRONÆ, non meretricium est, unum inservire amantem.
PHILO. Prò Iuppiter! nam quod malum versatur meæ domi illud?
Dij deæque omnes me pessumis exemplis interficiant,
Nisi ego illam anum interfecero siti fameque atque algu.

PHI.Nolo ego mihi malè te, Scapha, præcipere. SCA.stulta es planè, quæ
Illum tibi æternum putes fore amicum & benevolentem.
Moneo ego te: te deseret ille ætate & satietate.
,, *PHI. Non spero. SCA. INSPERATA accidunt magis sæpe quàm quæ speres*
Postremò, si dictis nequis perduci, ut vera hæc credas,
Mea dicta ex factis nosce: rem vides; quæ sim, & quæ fui antè.
Nihilo ego, quàm nunc tu, amata sum, atque uni modò gessi morem,
Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deseruitque me. tibi idem futurum crede.
PHILO. Vix comprimor, quin involem illi in oculos stimulatrici.
PHI. Solam illi meo soli censeo esse oportere obsequentem.
Solam ille me soli sibi suo liberavit.
PHILO. Prò di immortales, mulierem lepidam, & pudico ingenio!
Benè hercle factum, & gaudeo mihi nihil esse hujus caussâ.
SCA. Inscita ecastor tu quidem es. PHI. quapropter? SCA. quæ istuc cures,
Vt te ille amet. PHI. cur obsecro non curem? SCA. libera es jam.
Tu jam quod quærebas habes: ille, te nisi amabit ultrò,
Id, pro capite tuo quod dedit, perdiderit tantum argenti.
PHILO. Perij hercle, ni ego illam pessumis exemplis enicasso.
Illa hanc corrumpit mulierem malè-suada vitilena.
PHI. Nunquam ego illi possum gratiam referre, ut meritu'st de me.
Scapha, id tu mihi ne suadeas, ut illum minoris pendam.
SCA. At hoc unum facito cogites, si illum inservibis solum,
Dum tibi nunc hæc ætatula est, in senectâ malè querere.
PHILO. In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficæ illi
Fauces prehendam, atque enicem scelestam stimulatricem.
,, *PHI. EVNDEM ANIMVM oportet nunc mihi esse gratum, ut impetravi,*
Atque olim, priusquam id extudi, quom illi subblandiebar.
PHILO. Dij me faciant quod volunt, ni ob istam orationem
Te liberasso denuò, & nisi Scapham enicasso.
SCA. Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum,
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vitâ,
Soli gerendum censeo morem, & capiundos crines.
,, *PHI. VT FAMA EST homini, exin solet pecuniam invenire.*
,, *EGO SI BONAM famam mihi servasso, sat ero dives.*
PHILO. Siquidem hercle vendundum est, pater venibit multo potius,
Quàm te, me vivo, unquam sinam egere, aut mendicare.
SCA. Quid illis futurum est cæteris, qui te amant? PH. magis amabunt,
Quom videbunt gratiam referri.
PHILO. Vtinam meus nunc mortuus pater ad me nuncietur!
Vt ego exhæredem meis bonis me faciam, atque hæc sit hæres.
SCA. Iam ista quidem absumta res erit: diesque noctesque estur,

Bibitur,

Bibitur, neque quisquam parsimoniam adhibet. sagina planè est.
PHILO In te hercle certum st principium, ut sim parcus, experiri.
Nam neque edes quicquam, neque bibes apud me hisce diebus.
PHI. Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit:
Nec rectè si illi dixeris, jam ecastor vapulabis.
PHILO. Edepol si summo Jovi vivo argento sacrusicassem,
Pro illius capite quod dedi, nunquam aquè id bene collocassem.
Vt videas eam medullitùs me amare! oh! probus homo sum:
Quæ pro me caussam diceret, patronum liberavi.
SCA. Video te nihili pendere præ Philolache omnes homines.
Nunc, ne ejus caussâ vapulem, tibi potius assentabor,
Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.
PHI. Cedò mihi speculum, & cum ornamentis arculam actutum, Scapha:
Ornata ut sim, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.
SCA. Mulier quæ se suamque ætatem spernit, speculo ei usus est.
Quid opust speculo tibi, quæ tute speculo speculum es maximum?
PHILO. Ob istuc verbum, nequicquam, Scapha, tam lepidè dixeris,
Dabo aliquid hodie tibi peculi. Philematium mea!
PHI. Suo quique loco viden capillus satis compositu'st commodè?
SCA. Vbi tu commoda es, capillum commodum esse credito.
PHILO. Vah, quid illâ pote pejus quicquam muliere memorarier?
Nunc assentatrix scelesta est, dudum adversatrix erat.
PHI. Cedò cerussam. SCA. quid cerussa opus nam? PHI. qui malas oblinam.
SCA. Vna operâ ebur atramento candefacere postules.
PHILO. Lepidè dictum de atramento atque ebore. euge plaudo Scapha.
PHI. Tum tu igitur cedò purpurissum. SCA. non do: scita es tu quidem:
Novâ picturâ interpolare vis opus lepidissimum.
,, NON ISTANC ætatem oportet pigmentum ullum attingere.
,, Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.
Cape igitur speculum. PHILO. hei mihi misero, savium speculo dedit.
Nimis velim lapidem, quî ego illi speculo diminuam caput.
SCA. Linteum cape, atque exterge tibi manus. PHI. quid ita, obsecro?
SCA. Vt speculum tenuisti, metuo ne oleant argentum manus:
Ne usquam argentum te accepisse suspicetur Philolaches.
PHILO. Non videor vidisse lenam callidiorem ullam alteram.
Vt lepidè atque astutè in mentem venit de speculo mala!
PHI. Etiamne unguentis ungendam censes? SCA. minimè feceris.
,, PHI. Quapropter? SCA. quia ecastor MVLIER RECTE olet, ubi nihil olet.
Nam istæc veteres, quæ se unguentis unctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Vbi sese sudor cum unguentis consociavit, illicò
Itidem olent, quasi cum unà multa jura confundit cocus.

Quid oleas nescias, nisi id unum, ut malè olere intellegas.
PHILO. Vt perdoctè cuncta callet! nihil hac doctâ doctius.
Verum illud est, maximáque adeo pars vostrorum intellegit,
Quibus anûs domi sunt uxores, quæ vos dote meruerunt.
PHI. Agedum contempla aurum & pallam, satin hæc me deceat, Scapha!
SCA. Non me curare istuc oportet. PHI. quem obsecro igitur? SCA. eloquar:
Philolachem, is ne quid emat, nisi quod tibi placere censeat.
„Nam AMATOR MERETRICIS mores sibi emit auro & purpurâ.
Quid opus est, quod suum esse nolit, ei ultrò ostentarier?
Purpurâ ætas occultanda est: aurum turpe mulieri.
Pulcra mulier nuda erit; quàm purpurata pulcrior.
„Postea NEQVICQVAM exornata est bene, si morata est malè.
„PVLCRVM ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.
„Nam SI PVLCRA est, nimis ornata est. PHILO. nimis diu abstineo manum.
Quid hîc vos duæ agitis? PHI. tibi me exorno ut placeam. PHILO. ornata es satis.
Abi hinc tu intrò, atque ornamenta hæc aufer. sed voluptas mea,
Mea Philematium, potare tecum collibitum est mihi.
PHI. Libet & edepol mihi tecum. nam quòd tibi libet, idem mihi libet,
Mea voluptas. PHILO. hem, istuc verbum vile est viginti minis.
PHILE. Cedò, amabo, decem: benè emptum tibi dare hoc verbum volo.
PHILO. Etiam nunc decem minæ apud te sunt: vel rationem puta.
Triginta minas pro capite tuo dedi. PHI. cur exprobras?
PHILO. Egóne id exprobrem, qui mihimet cupio id opprobrarier?
Nec quicquam argenti locavi jam diu usquam æquè bene.
PHI. Certè ego, quod te amo, operam nusquam melius potui ponere.
PHILO. Bene igitur ratio accepti atque expensi inter nos convenit.
Tu me amas, ego te amo: meritò id fieri uterque existimat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono.
Qui invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsùs commodis.
PHILE. Age accumbe igitur. cedò aquam manibus, puer. appone hîc mensulam.
Vide tali ubi sint. vin' unguenta? PHILO. quid opus est? cum stactâ accubo.
Sed est ne hic meus sodalis, qui huc incedit cum amicâ suâ?
Is est. Callidamates cum amicâ eccum incedit. euge, oculus meus:
Conveniunt manuplares. eccos! prædam participes petunt.

VERSVS sunt tetram. catal. Hippon. usque ad hunc *Cedò mi spec.* nam ille & reliqui deinceps τροχαΐζωσι. Cæterum φιλημάτιον nomen mulieris etiam apud Lucianum est, & Aristænetum.

1. FRIGIDA NON LAVI] VVouwverius ad illa Petronii: *Sudore calefacti (vel, madefacti) ad frigidã eximus.* Tres ædes seu cellæ in balneis: Prima est *Caldaria*, τὸ λακωνικὸν: Dioni πυελατήριον, Senecæ *sudatoriũ*: nam sicco calore sudorem in eo eliciebant. Secunda est *media*, quæ & *Tepidaria*. Tertia est *Frigidaria*. Plinius epist. *Post Solem frigidâ lavabatur.* Senec. epist. 84. *Ab hâc fatigatione in frigidam descendi.*

2. NEC VNDE ME] MSS. *Nec quom*, vel *cum*

eum. secundus: *Nec cum melius mea.* ut suspicetur Gruterus leg. *Nec quâ melius.* Etiam edd. vett. *Nec cum me melius.*

3. VELUT HORNO MESSIS &c.] *Hornum* est, quod ætatem unius anni nondum excedit. Sic *Hornum vinum*, Epod. 2. & *Hornam frugem*, 3. Od. 23. dixit Horat. quod Cicero *frumentum hornotinum*. Sic Prop. lib. 4. 3. *hornos agnos*, vocat anniculos. Plautus igitur eleganti sermone (ut explicat Turn. lib. 16. 17. & lib. 19. 13.) *hornum* hîc annonam sive annuum proventum frugesque vocat. Nam magna messis, annonæ felicissimus proventus est. Sic, *horno se curare*, pro, cibo, & frugibus vinoque ipsius anni foveri & ali, dictum pulcrè à Varrone: ut idem libr. 29. 28. docet. Et, *Horno* quidem Lamb. accipit, ut sit dandi casus: at Cam. adverbialiter: ut sit, *hoc anno.* Dicat igitur Scapha, interprete L. Quemadmodum messis magna frugibus vel annonæ hujus anni respondit: ita eventus rebus nostris omnibus fuit secundus. Significat se ex animi sententiâ lavisse.

7. TECTUS QUA SIT] Pudorem quasi vestem faciunt prisci: quâ animus ingenuus tectus esse debet. Pacuvius: *Nam si te tegeret pudor, sive adeò cor sapientiâ imbutum foret* &c. Apuleius 1. Apolog. *Pudor enim veluti vestis, quanto obsoletior est, tanto incuriosius habetur.* Schop.

8. OBTIGERE] Ita edd. priscæ: neque abeunt MSS. nisi quod ij *obtingere*; quod ineptum textu dignatus est Pareus, cujus oculis monstrum omne merum est miraculum.

8. QUAM M. A. &C. IN PECTUS PERPLUIT] *Perpluo*, ἐνεργητικῶς positum, ut apud Propert. lib. 2. *Niobe depluit lacrimas*. Palm. V; N. Sc. Præced.

8. NEQ. JAM UNQ.] Lamb. l. *jam m. unq.* Acidal. *unquam.*

9. PERIERE HÆC OP. ÆDES] *hæc ædes.* Sic Ter. Eun. 3. 5. ——*hæc adornant, ut lavent*, pro, *hæ.* ut notant Cam. Donatus, & Philarg. ad 3. Georg. v. 305.

12. QUUM LEPIDA TOTA ES?] ita Gruterus. D. F. legit, *quàm lep. tute es.* q. d. Quin mores tibi tùm lepidos assumis, quàm lepida tua forma est? ac si *tam* præcessisset. MSS. *tute.*

13. VESTIS FARTUM] *Fartum vestis* est corpus, id est, ipsa mulier quæ vestem farcit A impletque. ita Columella lib. 5. c. 10. *Ea res efficit uberiorem fructum, & fartum fici pleniorem & meliorem.* Turn. lib. 19. 13.

14. ITA M. D. AMENT, LEPIDA SC.] ita Grut. cùm τὸ *ut* absit MSS. quod invexit primum Aldus:

15. UT LEPIDA.] ita MSS. eddque omnes: solæ Pareanæ, *Et lepida.* quæ petulantia! eædem versus fine retinent *amantium*, contra eosdem libros, & refragante versu.

16. UT HÆC ME DECET] Ita MSS. & edd. vett. nisi quod eæ *hoc.* Paræi ed. prima adjecit vocem versu multum gemente; *ut hoc me decet amiculum*: neque aliter secunda, nisi quod aliis exararit literis, qualis editio! ubi nunc ei est sacrosancta Antiquitas!

17. VIRTUTE FORMÆ] Magna vis est formæ. Sic Apulejus: *Virgo formosa, etsi sit oppidò pauper, tamen abunde dotata est.* Afranius:

Formosa virgo est. Dotis dimidium vocant
Isti, qui dotes negligunt uxorias.

Et Ovid. 11. Met. *dotatissimam formâ* dixit.

20. SCA. NIMIS IU Q.] Rectè hæc omnia B Scaphæ tribuuntur à Gul. Cantero. Nov. lib. 7. 2. usque ad illud, *irridere.*

24. PHILEM. EGO VERUM AMO &c.] Hinc versum suum transcripsit Persius Sat. 1.

Et, Verum, inquis, amo: verum mihi dicite de me.

27. QUID? ISTHÆC ME,] ita Grut. è MSS. formavit. Et hoc requirit sententia. Indignatur juvenis, quòd adjuraret Schapha dominam his verbis; *Ita te Philolaches amet*: nec adderet; *Ita tu Philolachem ames.* hoc additum cupiebat.

27. INFECTA DONA FACIO] Persius Sat. 5.

Quæ dederam suprà, repeto: funemque reduco.

28. T. DONUM] Grut. testatur à primâ manu extare in MSS. *dona.* itaque conjicit: *Periit id quod promiseram tibi: dona perdidisti.* In MSS. Cam. nunc est, *Peristi.* sed primus est interpolatus, videturque fuisse *Perivisti.* Ipse edidit: *Periisti: quod jam promiseram tibi dono, perdidisti.* & sanè *dono* est in MS. pr. à correctore. Quæ heic Pareus declamitat, Pareum decent. [illegible]

30. NON STVLTAM STVLTE FACERE.] A Sic ambo MSS. ut expressit etiam Camerarius, falsoque Pareus eum insimulat, tanquam omiserit *tam*, quod in iisdem MSS. neque enim apex ejus voculæ ibidem. uterque sanè, *Non stait am stultum fac.* adpictumque ad oram pr. al. *stultam.* porrò cur non potius Bucco noster carpit licentiam ungularum suarum, quæ ausa invehere editioni suæ primæ; *Non scire & tam stulte facere.*

31. EXSPECTES] Schoppius: Nescio satis, quid sit *Exspectare*, in verbis aniculæ. nisi fortè & *Exspectandi* verbum de nuptis ac prætextatis est, quo res parum severa denotatur. Sanè *veniendi* verbo ut nequam & Venerio, utuntur Latini: indeque (si vera est originatio mea) *Venus* dicta: quamvis Grammatici reclament. *Exspectamus* autem eum, qui *venturus* est. Properr. lib. 2. 11.

——Contendite amantes:

Sic hodie veniet, si qua negavit heri.

Id. ad Cynth. suam.

Mi formosa satis, si modò sæpe venis.

i. si tui copiam crebro facies. Idem.

Exspectans solum sola puella virum.

Susp. Lect. lib. 4. 21. D. F. leg. *expetas.* Gruterus ait *spectare*, & *exspectare* pro eodem ponit unde P. Syrus:

Ab alio spectes alteri quod feceris.

itaque putat heic, *exspectare* idem esse quod *spectare.* Consulantur Animadversiones ejus in Senecam Philosophum. Fortè *exspectare* potuit usurpare, ut *manere, morari.* Acid. suspicatur *exoptes.* quomodo Cistell. *Ego illum unum mihi exoptavi.*

31. QVÆ QVIDEM] Monet Pareus alios contra MSS. delere illud *quidem*, at ipsemet id delevit in ed. sua prima præterea ead. ed. item habet sequens *omines*, quod nuspiam in MSS. utque hæc vox addita, vitiat versum; sic quoque corrumpit alterius detractio.

33. NON MERETRICVM] ita MSS. Pall. hanc notam nostram sic sugillat Pareus, tanquã oscitanter observaverimus. a prima quidem manu restare in MSS. sed à secunda emendatum in pr. *meretricum.* Aselle; nonne ita habent MSS. à manu legitima? cur opus indicare correctorum peccata, quibus ignotissima alioqui ratio versuum: uti neque eis tuæ longæ aures attendunt. aliàs potuisses cum MSS. & edd. vett. expungere hoc eod. versu tuum illud *unã.*

33. VNVM INSERVIRE] Sic infrà: *si illum inservibus solum:* pro, *illi.* atque ita planè MSS. Cam. Grutero etiam arbitro.

42. REM VIDES, Q.] ita Grut. è MSS. At Schop. l. *hem vide, qua sim. at qua fui antè!* ut demonstret anus puellæ canum caput suum. *At*, pro *Et* scripsit: ad affectum aniculæ magis exprimendum.

45. CREDE] ita Grut. *crede*, maximè ad decorum. MSS. tamen, *Credo.*

46. STIMVLATRICI] quæ Philematium stimulat & urget, ut se multis prostituat. Meurs. legit, *simulatrici*: ut & paulò pòst, *scelestam simulatricem.* Et *simulatrices* ait appellatas sagas & veneficas. Statius: *Colchis, & Ææo simulatrix littore Circe.* V. N. Aul. 1. 2. Veneficas autem mulieres convitio dici, nemo ignorat. Atque ita planè utrumque locum correxerat etiam Gifanius. At Grutero stat nihil mutare; cùm paulò pòst uno versu inveniatur, *veneficæ*; altero, *stimulatricem.*

47. SOLAM ILLI MEO SOLI] ita est in omn. vv. edd. itemque in MSS, *illi meo soli* &c. admodum patheticè: *Grut.*

48. SVO LIB.] ita MSS, versu deficiente, quem alii fulciunt voce *quem* interjecta. at B rotundior fuerit si repetatur verbum primum; *Solam solam ille me Soli sibi suo lib.* Grut.

50. MIHI NIHIL ESSE] me ad egestatis terminos esse redactum: ut loquitur Asin. 1: 2.

51. INSCITA] i. stulta. sic Mil. act. 3. 1. *stultus inscitusque sit.* Bacch. act. 4. 10. Men. act. 2. 3. *Mulier hæc stulta atque inscita est.* Curcul.

Male mereri de immerente inscitia est.

Festus: *Inscitia, est stultitia.* Vide etiam N. Mercat. extremâ.

56. MALESVADA VITILENA.] ita Palm. & Grut. è MSS. Virg. 6. Æn.

Et Metus & malesuada Fames.

Nam talia componebant olim. Sic Cato *vitilitigatores* ex vitio & litigatoribus fecit: sed & *vitimagistratus* Sall. (3. Hist.) Marianos & Cinnanos, qui vitio & per vim creati, vocat.

57. NVNQVAM EGO] MS. pr. & Edd. omnes ferè isthæc verba attribuunt Philematio. duæ Pareanæ solùm fatuè trajecere personam ad initium versus superioris; tanquam eadem ipsi conveniant. quo nihil in rerum natura

natura dici queat importunius. haræ purgandæ manus tales aptiores; non emendando Plauto. unde idem versu 60. utraque editione pompose ostentat, *male quærere*, idque ita probat, ut contra MSS. retinendum censeat, in quibus ait hærere, *querere*; quod & omnis retinet editio; neque alterum ibi tolerari potest ob versum. sed bardus hujusmodi negligit. alioqui debuisset statim sequi MS. & redonasse editioni illi suæ antiquariæ, *Benefica*, pro *venefica*; utique qui alibi rescripserit *Belle* pro *belle*, &c.

61. IN ANGINAM] *Angina*, inflammatio faucium est: κυνάγχη & λυκάγχη Græcis, quod canes ac lupos frequenter afficiat; item συνάγχη, vel à suspendii similitudine, quod non secus quàm laqueus, præfocans enicet: ἀγχόνη enim laqueus est: vel à συνέχειν, quod spiritum continendo respirationem inhibeat, ut inquit Aurelianus. inde & Demosthenes per jocum dictus est συνάγχην ἔχειν. Historia nota est. Glossarium: *Anguina*, ἄγχονη, συνάγχη, κύναγχος. quod interpretatur *Anguinam* ἄγχονην, confirmatur testimonio Cinnæ:

At que anguina regit stabilem fortissima cursum.

Vide Scal. ad Fest. & Turneb. lib. 12. 16. imprimis Jac. Nicol. Loensem Miscell. lib. 9. cap. 22.

64. EXTVDI] blandimentis extorsi: *electavi*: ut loquitur Merc. 1. 2.

67. SPSAT ACCEPTVM EST F.] *Satis acceptum*, valet certum & compertum & firmum, veluti datis fidejussoribus & sponsoribus. *Satis* enim *accipit*, cui prædes & sponsores dantur. unde hæc venusta tralatio est profecta. utitur & paullò post, & Sticho act. 4: 1.

67. VICTVM] ita Grut. auctoribus MSS. Capt. act. 4. 2.

Æternum tibi dapinabo cibum.

68. PROPRIVM] i. perpetuum & stabilem. ut Virg. 6. Æn.

——propria hæc si dona fuissent.

& 1. Æn. *——propriamque dicabo*. Cic. epist. Fam. lib. 7: 30. *Id cujusque est proprium, quo quisque fruitur atque utitur.*

69. CAPIVNDAS CRINES.] Ita etiam Citat Nonius. restat quidem *capiundos* in MSS. sed à manu secunda. nam pr. initio. Turn. lib. 16. 17. & l. 19. c. 13. *capere crines* interpretatur, blandiri & assentiri, levique capillorum tactu ac mulcente manu delenire, sive amatoriè osculandi caussâ capillos prendere: ut & aures solebant. Sed Lipsius Antiq. Lect. lib. 3. Hæc, inquit, sine exemplo & sine teste dicuntur à Turnebo. Ego *capere crines*, non aliud esse puto, quàm *nubere* & *matronam fieri*. nam ornatus matronarum, ut alia quædam propria habuit, exempli caussa, duplicem vittam, stolam &c. sic etiam crines peculiari quadam ratione formatos. itaque Plautus Milite, act. 3. Itemum instrui ancillam ornatu matronarum vult; ait: *Utque eam ornatam adducas matron.* &c. Facit huc illud Festi: *Senis crinibus nubentes ornantur: quòd is ornatus vetustissimus fuit quidam, quòd eo Vestales virgines ornentur.* Ad quod Scaliger: *Seni crines* dicuntur in capite matronæ Romanæ, sex sertæ crinium, vittâ & crinibus ipsis implexæ; quas vulgus *trecias* vocant. Sic apud Martial. lib. 12. 32.

Portabat uxor rufa crinibus septem,

nihil aliud significat, quàm capillos in septem sertas distinctos. ut videmus matronas in veteribus numismatis. puto autem suppositiciam comam hic intelligi. Hæc ille. Sed & ista Lipsii addam è Commentario 3. Annal. Caii Corn. Taciti, ad illud Tertulliani, de virginibus velandis: *Simulque se mulieres intellexerunt, feriunt capillum, & acu lasciviore comam sibi inferunt, crinibus à fronte divertis apertam professæ mulierositatem.* Crinibus enim, inquit, posituque comarum matronæ antiquitus discretæ ab innuptis. Clarum id etiam ex Plauto, Festoque, qui ait, *senis crinibus*, &c. i. sex crinium orbibus sive sertis. Implexi igitur capilli matronales; ut exemplum petere licet à statuis nummisque: virginum puerorumque cirri, & cincinni. Ammianus lib. 14. *Et licet quocunque oculos flexeris, fœminas affatim multas spectare cirratas: quibus si nupsissent, per ætatem ter jam nixus poterat suppetere liberorum. Cirratas*, capio innuptas: uti Persius eodem epitheto de pueris,

Ten' cirratorum centum dictata fuisse, &c.

At J. Gruterus, Illud, inquit, *capiundas crines*, valdè me cruciat. nam ut Turnebi interpretatio frigidior, sic Lipsii subtilior. quoniam, etsi ea esset affectione Philematium, ut uni morem gereret Philolachi: non ideò conti-

continuò sequitur, eandem quoque mentem Philolachi, ut ipsam velit uxorem. Videor potius odorari, eis fœminis, quæ se uni vulgarent, ac quasi in concubinatum darent, permissum capere crines, matrumfamiliâs more. quibus id confirmem nescio. Imò jam nunc aliud venit in mentem; scorta non habuisse longos crines: quòd se scilicet modò transferrent in pueros, modò in puellas: prout conventor hanc illamve expeteret Venerem. Hinc habemus in Suetonii Augusto c. 45. *circumtonsam matronam ei ministrasse in habitum puerilem.*

70. UT FAMA EST H.] Qualis est hominum de aliquo existimatio, talis ei apud illos fides est, &c. Mimus:

Bona opinio homini tutior est pecuniâ.

71. SERVASSO] pro, *servavero.* ita Mimus: *Honestus rumor alterum est patrimonium.*

72. SIQVIDEM H. VENDEND.] si quid mihi vendendum est, ne egeas; patrem vendam potius, q. &c. L.

75. QVOM V.] ita MS. Cam. qui ex conjecturâ versum sic implebat: *Quom videbunt gratiam bene merenti referri.* Sed cum MS. faciunt & vett. edd. nam eæ referentem. illis initio fuit, referenti. Gruterus suspicabatur integrari posse versum repetitis fere literis: *cum me videbunt gratiam referre rem ferenti.* & si Plautus ita non scripsit, non potuit tamen eo Loco substituisse meliora; ut patet ex responso Scaphæ paullò post.

75. PATER AD ME NVNCIETVR] Parei editio pr. exclusit *ad me*, contra MSS. & vett. edd.

77. UT EXHEREDEM] V. N. Men. act. 3: 2.

78. ESTVR] Ovid. 1. de Pont. 1.

Estur, ut occultâ vitiata teredine navis.

83. NEC RECTE SI ILLI DIXERIS.] Bacchid. act. 4: 4. Pseud. 4. 6. *Nec rectè loqui:* &, *dicere necrectè*, est maledicere: Turn. libr. 3. 20. & l. 15: 7. item Festus, qui hanc Fabul. sub titulo *Phasmatis Plautini* citat, & *Nec*, pro, *Non*, poni solitum docet. ita & Q. Ter. Scaurus; *Ne*, pro, *non*, inquit, *positum est apud antiquos: ut Nefrendes porcos, qui fabam frendere non possunt: Nesapius, qui non sapit,* &c. Tale est illud Catulli, in Epithal. Pelei & Thet. *Funera nefunera*, τάφος ἄταφος. Talia sunt, quæ notat Palm. Spicil. fol. 39. *Nejure*, apud A Salust. id est, non jure, injuriâ. *Nerectè* Pl. Asin. 2. 4. ita pleraque omnia componebant: ad quem modum & Ovid. *Nemunera*: Festus, *Nepurus.* sic alibi *Nefas, nefastus, nefandum, nemo, nequeo, nequam, negotium.*

84. SVMMO JOVI, VIVO ARGENTO] Ita primæ edd. & alludit MS. pr. in quo, *summo Jovibo arg.* super scriptumque *jovi vivo.* nam sec. habet, *summo Jovi jovi arg.* Pareus hæc non intellexit, & mala fide citat scripturam cod. pr. ridiculeque in textum retulit *summo ego Jovi ViBo illoc Arg.* ita enim bis ter permerdatur versus. scribendum potius fuerat, *Si summo JoVIBo arg. sacrif..* ita enim numeris suis omnibus constat carmen, illaque variegata vox, binas complectitur, nempe *Jovi vivo.* ceterum *vivo* non applicandum *Jovi*, sed *argento.*

86. VT VIDEAS] Quàm facilè videre est, me usque à medullis amari!

86. OH] interjectio lætitiæ index.

87. QVÆ PRO ME C.] ita MSS. & jure in textum retulit ipsemet Camerarius. Pareus qui alios heic carpit, magis ipse carpendus, quod gemmam hanc inventam in MSS. floccifecerit, retento *Qui pro me.* sic Terent. B Phorm. 5. 3. v. 9. *Virum me natam vellem.*

89. ASSENTABOR] ita MSS. Cam. at Lamb. *assentiar.* sed illud Plauti est. V. N. Amph. act. 2:2.

90. SI ACCEPTVM SAT HABES] Versum hunc totum censura Parei præteriit in ed. sua prima. ut in secunda eis literis expressit tanquam si spurius esset, quoniam, ut inquit, occurrat supra v. 67. at pro genuina agnoscunt & edd. & MSS. omnes.

93. SPERNIT] quæ ætati suæ diffidit: quæ scit se deformem esse: L. Turn. l. *Mulier, quæ se suamque ætatem spernit, speculo elusa est.* Et ita est in meis.

95. NE NEQVICQ.] Ita MSS. Cam. & omnes mei, sententiâ plenâ. Parei ed. pr. *nec quicquam.*

96. PHILEMAT. MEA!] Philolachetis adhuc verba sunt: & separatim pronuncianda: quasi præ nimiâ cupiditate Philematium inclamet.

97. PHILEM. SVO QVIQVE LOCO VIDEN' (vel, VIDE AN) CAPILLVS SATIS COMPOSITVS ST

IVST COMMODE?] Ita mei omnes. Et miror cur tam claram lucem nebulis fatuita inficiat editione pr. Pareus. De capillis primâ & ultima cura est: quippe qui facillimè turbetur, &c. à VVouweren ad illud Petronii: *Dic Chrysis, nunquid incompta sum?* Puellas, inquit, habuerunt in ministerio tum *ornatrices*, tum quæ velut à consiliis formæ: quod stringit Juvenal. Sat. 6. *Est in consilio matrona*, &c. Hieron. *Crines disponebant ancillæ*. Edoctæ autem certis magistris ad hoc ministerium, velut ad artificium. L. 65. §. *Ornatricibus*. D. de leg. III. Dicebantur *Ornatrices* ab officio, uti & Græcis κοσμήτριαι, &c. Juven. Sat. 6.

——*ponunt Cosmetæ tunicas.*

Interpres: *Eos dicit, qui ornamentis præsunt, non tamen & Ornatrices.* Ergo propriè *Ornatrices*, quæ crines disponebant. Sueton. Claud c. 40. *Hæc matris meæ ornatrix fuit*. Juvenalis *Ornatrici* nomen *Psecæ* ab arte imposuit. nam ψεκάζειν Græci dicunt, quando minutum sive rarum pluit. Ornatrices igitur crinem componentes, rarum ac parvum aquæ solent mittere, ac velut ψεκάζειν: ut est apud Interpr. Glossæ; κοσμήτρια, *ornatrix*. Item: *Cinisiones, ornatrices*. Acro ad Hor. 1. Sat. 2. *Cinisiones* & *cinerarii* eâdem significatione apud veteres dicebantur, ab officio calamistrorum. qui acûs & veruta flando calefaciebant, quibus matronæ capillos crispabant, &c. Glossæ: *Ciniflo*, ἐμπλοκιστής. item, γυναικῶν κοσμητής. Plaut. Aul. act. 3. 5. *Cinisiones, patagiarii, indusi.* &c. ita enim omnino e Florent. legendum. Ergò *ornatrices*, quæ composuêre capillum, *Cinisiones* & *Cinerarii*, qui acûs calefactas subministrarunt ornatricibus: quamvis Glossæ pænè confundant. Hæc ille. Glossæ: *Cinerarius*, δοῦλος ἱέρειας. utitur & Catullus. Denique opinatur Acidalius scribendum, *vide capillum, satin' compositust commodè.* absque interrogat. notâ. Plautinum (inquit) est; *vide capillum, estne (pro, sitne,) compositus commodè satis.* Nugatur Nonius de generis mutatione in v. *capillum.*

101. CERVSSAM] Ad fucandam faciem utebantur cerussâ, stibio, melino, purpurisso, rubricetâ & aliis, ut Plautus hic vocat, *offuciis*. *Cerussa*, ψιμμύθιον, Arist. Eth. lib. 1. 6.

101. QVID CERVSSA OPVS NAM? PHILE. M. QVI.] ita egregiè MS. pr. antea erat: *opus. PH. nam qui*, quod & in MS. sec.

102. VNA OPERA EBVR] q. d. quemadmodum, si quis atramento velit ebur candefacere, & stultè ageret, & nativum ejus candorem corrumperet: ita absurdum est, te malas cerussâ velle candefacere, cum malæ ipsâ cerussâ sint candidiores. Vide Adag. Erasmi; qui huic confine esse ait quod statim sequitur, *Novâ picturâ interpolare vis opus lepidissimum.* quod esset, ut Propertius lib. 1. 2. loquitur,

Naturæque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in propriis membra nitere bonis.

namque, ut diem l. 2. 13.

Ut natura dedit, sic omnis recta figura est.

Pareus ex istis a se lectis, concinnavit in Electis suis: Ebur sua natura candidum frustra candefieret atramento. Quæ voces? itane *frustra*? & quidem *candefieret*? ergo in mundo tibi est atramentum quod candefaciat? disce prius loqui, barbare, quàm scribas.

103. EVGE, PLAVDO] Meurs. l. *eugepæ, laudo Schapha.*

B PVRPVRISSVM] *Purpurissum* spuma est collecta effervescente purpurâ, cum ex eâ tinctura efficitur. Loco purpurissi utuntur hodie pictores laccâ mixtâ cum cæruleo: *Dalechamp.* Colores igitur hujus lenocinii sunt præcipui; *Albor*, quem cerussa format: *Rubor*, quem purpurissum: *Nigror*, ad palpebras & supercilia utilis, stibium: atque de hoc Cypriani illud Serm. 5. de Lapsis, capiendum: *Nigro pulvere lineamenta oculorum pingis: cum te Deus aliter fecerit.* Vide Symb. G. Erhardi ad Petron. pag. 581. & N. Fascicul. 2. 2.

105. INTERPOLARE, &c.] q. d. obsoleta quæ sunt, interpolari solent. Cur tu verò quod est pulcherrimum & integerrimum, reconcinnabis?

107. MELINVM] *Melinum*, auripigmentum colore candido: *L.*

110. LINTEVM] χειρόμακτρον, Handtüchlein: Sicut ῥινόμακτρον, ein Schnuptüchlein: illud manuum, hoc narium abstersorium.

111. VT SPECVLVM TENVISTI] *Specula* ex argento facta scribit Plin. 33. cap. 9 Et Cæl. Rhodig. libr. 15. cap. 12. & 13. multa de *Speculis* habet: itemque Meursius Exercit. Crit. parte

parte 2. libr. 2. c. 6. de eorum materiâ, generibus, usuque non protrita: quæ claudit illo Apuleii: *Et cuncta specula vel uda vel suda soli videre.* notatque, *Uda specula* bellissimè vocari fluvios: *Suda*, quæ ex ære argentove. V. N. Epid. act. 3. 3.

116. MULIER RECTE OLET, UBI NIHIL OLET] Sic Cic. 2. ad Attic. ep. 1. *Quanquam tua illa horridula mihi atque incompta visa sunt: sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant: & ut mulieres ideò bene olere, quia nihil olebant, videbantur.* Varro in Sat. Menip. apud Macrob. libr. 3. *Bellaria ea maximè sunt mellita, quæ mellita non sunt.* Mart. lib. 2. ep. 12.

Hoc mihi suspectum est, quòd oles benè, Postume, semper.
Postume, non bene olet, qui bene semper olet.

Lib. 6, ep. 55. *Malo, quàm bene olere, nil olere.* Ita & Plinius scribit, *eam aquam esse optimam, quæ nihil sapiat.* nam hæc natura aquæ est.

117. ISTÆ VETERES] pro, istæ vetulæ.

117. INTERPOLES] quæ se pigmentis interpolant, ut ex vetulis novæ quasi puellæ fiant. Singul. rectus est, *interpolis.*

118. VITIA CORP.] rugas & squallorem &c. L.

118. FUCO OCCULUNT] *Fucum* pro unguento quo mortui madescebant, accipi docet Gutherius lib. 1. cap. 17. de Jure Manium. MS. pr. *fuco occultant*, non, *fuco.* Et ferè placet viro Docto.

119. SUDOR] Hor. Epod. Od. 12. de re tali: ——*nec illi Jam manet humida* (sc. ex sudore) *creta, colorque Stercore fucatus crocodili,* &c.

120. CONFUNDIT] MSS. *confudit.* alterum retinent Edd. vett. imò & recentiores usque ad Pareum, qui notat querulus; receptam in contextum contra expressissimam scripturam MSS. Librorum à novissimis editoribus. Quasi verò bini illi codd. exemplar nobis esse debeant à quo latum unguem recedere non liceat. interim ipsemet ille bucco vel hac una scena ter quater recessit ab iisdẽ. Certè versu 118. MSS. uterque imò & vett. edd. usque ad Camer servant *occultant*; is autem expressit *occulunt.* quæ tyrannis! aliis præscribit quæ ipsus transgreditur.

121. VI. MALE] MSS. *ni mal.*

A 122. NIHIL HAC DOCTA DOCTIUS] Quid sint *docta dicta*, & *docere f.* & *doctus*, dictum Epid. act. 3. 2.

123. MAXIMAQUE ADEO] MS. pr. τὸ *que* non agnoscit, nisi à manu Camerarii: ut nec Edd. vett. quæ tamen omnes cum Mss. exhibent *adeo*, cujus tamen nec vola nec vestigium in Pareana.

123. PARS VESTRORUM] Ostendit hîc Plautus, *vestrum*, esse concisum: ut ὑμῶν dicunt Æolenses: postea factum est ὑμῶν. Vide Scalig. de Caus. L. Lat. lib. 6. c. 129. ubi docet recte dictum a Sallust. *Majores vestrum*, pro, *vestri*, & *milites nostrum*, sicuti, *milites nostri*, &c.

124. QUÆ VOS DOTE MERUERUNT] quæ vos dote emerunt, quarumque proprii estis dotis caussâ. *Meruerunt*, pænult. brevi. *Cam.*

128. NAM AMATOR MERETRICIS MORES, &c.] *Mores* pro morigeratione seu *morigeris modis*, ut apud Lucret. est, accipit Douza: planissimè. Argutatur hîc Lamb. quem vide, si lubido est.

129. NOLIT, EI] MSS. *nolit, te ult.* ita & vett. edd.

130. PURPURA ÆTAS] *Ætas* sc. *mala*, i. senectus purpurâ, & *turpe*, i. turpitudo seu deformitas mulieris, auro occultanda est. De *Purpurâ* (de quâ hodie, ut Budæo, in *De asse*, & Philip. Melanchthoni videtur, nihil superest, præter nomen) scitu non indigna collegit J. Bernartius ad lib. 1. Silv. Statii. MSS. Cam. *atate.*

B

133. COLLINUNT] contaminant. Hor. 1. Od. 15. *Crines pulvere collines.*

134. NAM SI P.] MS. pr. & Edd. quædam, *Nam nisi.* sec. MS. & aliæ, *ne si.*

134. NIMIS DIU ABSTINEO MANUM] Nimis diu me continui, ne eas adirem. Censet Lamb. *Abstinere manum*, hîc opponi illi Aul. 2. 8. *ita illis impuris omnibus adii manum.* MSS. Cam. 1. *abstineo manu.* quod probat Schoppius: &, *Abstinere manu alicujus*, inquit, est ab aliquo abesse; non accedere ad aliquem. Contrarium, *Adire manum alicui*, pro, ad aliquem aggredi.

135. VOS DUÆ] MSS. ambo *dui*, quod etiam fuisse in aliis chirographis, inde colligamus quod vett. edd. quoq; præferant *duu.* & verò si oculatus ille Scholarcha tale quid animadvertisset, jam utique editio ejus antiquaria ostentaret, *duliarchaikôs* scilicet.

139. HEM,

139. HEM, ISTVC VERB. VILE EST VIG. MINIS.] Istuc verbum (*mea voluptas,*) non carè quis emat, si pro eo XX. minas expendat.

140. PHILE. CEDO AM. DECEM: BENE EMPT.] Meræ nugæ hîc Lambini. *Emptum alicui dare aliquid*, est scil. emere sibi. O Plaute! Sed & illa vulgata, *Cedo, amabo, decumbe*; quid sibi volunt? An ad decubitum invitabit amicam in ipsâ viâ? Nihil absurdius: nec falsius quicquam hodiernâ istâ lectione. Quin tu legas:

PHILO. hem! i. v. v. est v. minis.
PHILE. Cedo, amabo, decem: benè emptum tibi dare hoc verbum volo.
PHILO. Etiam nunc d.

Adolescens verbum illud XX. minis æstimabat. Ibi illa, jocóne an serio? si emere velit, non XX. se poscere, sed vel decem, ac pulcrè vendituram, ut benè emat. At hic callidus æquè adversus meretriculam, emptum sibi jam tum id verbum respondet. ac si ratio ineatur, étiam ultrò residuás sibi apud ipsam decem minas præter illas 20. quibus nunc verbum æstimarit. Nam dedisse pro ejus capite 30. minas, quibus si 20. istas demat, superesse scil. etiam decem, quas poscat. Atque hæc veriss. loci hujus sententia est. Neq; quicquam mutatum: nisi quod ex vulgato *decumbe; næ*, fecerim *decem: benè*. in quibus cardo universæ rei versatur: *Acidalius*. Sanè MSS. valdè hîc sunt pro hac sententiâ, in quibus bene, & persona Philematii interposita. sed mirum est Pareum non intulisse textui, *decVm* pro *decem* aliis inculcare solitus MSS. illorum sacrosanctam majestatem.

141. VEL RATIONEM PVTA] vel rem ad calculos voca: si mihi non credis.

146. BENE I. RATIO ACCEPTI, &c.] Uterque nostrum sese obnoxium alteri putat mutuis beneficiis: quod non faciunt, qui beneficia invicem exprobrant: quod alter expendisse se contendit, alter se accepisse inficiatur. Budæus, ad Pandect.

148. HÆC QVI GAVDENT] Cælius Ciceroni lib. 8. Epist. 2. *In theatrum Curionis Hortensius introyt; puto ut suum gaudium gauderemus.* Terent. Andr. sc. ult. *Hunc scio mea solidè solum gavisurum gaudia.* Linac. l. 4.

149. QVI INVIDENT, NE VNQ.] Sint infelices, quis nemo invidet. Mimus:
Miserrima fortuna est, quæ inimico caret.
Mart. lib. 1: 41.
Omnibus invideas, livide; nemo tibi.

149. PRORSVS] ita MS. pr. â manu secundâ. prius erat, *prosus*: quod & in MS. sec. At Schoppius, dum prodit, legi hic *probis*, fortè suis oculis non usus est. Pareus *prosus* textui intulit, & caninum in modum insultat eis, qui alienis oculis lucem fenerantur: tanquam ipse non pluries, graviusque peccaret passim singulis paginis.

150. CEDO AQVAM MANIBVS] V. N. Persâ act. 5: 1.

151. VIDE TALI] E MSS. ita constitutus est locus à Grutero. Priora enim Puero dicuntur, posteriora Philolacheti. Olim publicati & Langii membranæ & Sambuci mirè hîc ineptiunt. De talis V. N. Persâ, 5: 1.

151. CVM STACTA] *Stacte* latex oleumve è cynnamomo & myrrhâ incisâ sudans. *στάζω*, *stillo*.

153. IS EST. CALLID. C. AM. ECCVM INCED.] ita Gruterus ex MSS. & vett. edd.

ACTUS I. SCENA IV.

CALLIDAMATES, DELPHIUM, PHILOLACHES, PHILEMATIUM.

ADVORSVM venire mihi ad Philolachem
Volo tempori. audi; hem, tibi imperatum est.
Nam illic ubi fui, inde effugi foras.
Ita me ibi malè convivij sermonisque

Tasum est. nunc comissatum ibo ad Philolachetem,
Vbi nos hilari ingenio & lepidè accipiet.
Ecquid tibi videor, mamma, madere? DE. semper
Istoc modò moratus vivere debebas.
CA. Visné ego te, ac tute me amplectare?
DE. Si tibi cordi est facere, licet. CA. lepida es.
Duce me amabo. DE. cave ne cadas. asta.
CA. Ohoho! ocellus es meus; tuus sum alumnus, mel meum.
DE. Cave modò, ne prius in viâ accumbas,
Quàm illic, ubi lectus est stratus, coimus.
CA Sine sine cadere me. DE. sino: sed & hoc, quod mihi in manu est,
Si cades, non cades quin cadam tecum.
Iacentes tollet postea nos ambos aliquis.
Madet homo. CA. tun' me ais, mamma, madere?
DE. Cedò manum; nolo equidem te affligi.
CA. Hem tene, age i simul. quo' d ego eam, an scis?
DE. Scio. CAL. in mentem venit modò. nempe domum eo
Comissatum. DE. imò. CAL. istuc quidem jam memini.
PHILO. Num non vis obviam me hisce ire, anime mi?
Illi ego ex omnibus optimè volo: jam
Revortar. PHI. diu est Iam id mihi. CA. ecquis hic est?
PHILO. Adest. CA. eu, Philolaches, salve amicissime
Mihi hominum omnium. PHILO. dii te ament. accuba,
Callidamates. unde agis te? CA. unde homo ebrius.
PHILO. Probè. quin amabo accubas, Delphium mea!
CA. Date illi quod bibat: dormiam ego jam.
PHILO. Num mirum aut novum quippiam facit? quid ego
Hoc faciam postea, mea? DE. sic sine eumpse. PHILO. age tu
Interim da ab Delphio citò cantharum circum.

VERSVS sunt hujus Scenæ confusi & dubii, numeris trimetri catalectici.

V. 1. ADVORSVM VENIRE MIHI &c.] Alloquitur servos, atque inter istos præcipuè *Phaniscum*, quod patet ex act. 4: 1. ut tempestivè sibi advorsum veniant domum Philolachis.

2. TEMPORI] MSS. *temperi.* quod Pareus non recepit in contextum, quod alibi servarent *tempori.* quæ ratio? si illa valet, mi frutex, nullus tibi locus fuerat insigniendus orthographia nova: cùm nusquam scriptura eorum librorum certa sit, aut uniformis.

VENIRE] Aut corrigendum, *Veniri*: aut certè subaudiendum, *Vos*, sive etiam *Te*, ut Plautus ebrii hominis blæsos & imperfectos sermones expresserit: D.

5. COMISSATVM] Hæc scriptura nostri Casauboni est. Lamb. contendit, omninò & hic & alibi apud Ter. & Cic. cæterosque, legendum *comissari*, aut etiam *comassari*: non, *comessari*; neque *commessari*. Mutuati enim sunt, inquit, hoc verbum Latini à Græcis, quibus κωμάζειν, est ebriorum aut intemperantium more se gerere, lascivire, scortatum ire. hinc *comissatio*, convivium meretricium & protervum, compotatio nocturna & petu-

petulans. Festus ἀπὸ τῶν κωμῶν dictum putat: sed errat: melius Varro ἀπὸ τοῦ κώμου. V. N. Lamb. ad Hor. 4. Odâ. 1. item Sticho, act. 5: 4. & Rud. extremâ. Torrentius Comm. Suet. Vitell. cap. 13. notat P. Victorium *m* geminare, & contendere scribendum, *commissari*. ipse tamen mavult, *comessare*, à *comesum*, *&c.* ac docet insuper, *comessari* propriè post cœnam dici: exemplis Suetonii, Livii, &c. MS. Cam. à primâ manu, *commissatum*.

6. HILARI INGENIO] hilaritate non simulatâ &c. L.

7. MAMMA, MADERE?] Lamb. & Vulgg. l. *mammam adire?* Q. d. Nónne tibi videor, tanquam puer, adire matrem, mammæ sugendi & pappandi gratia? nam *fontem illum sanctissimum corporis humani generis educatorem*, (ut Agell. lib. 12: 1. vocat) id est, *mammas*, alumnas, nutrices & matres vocari, notum est. Nonnulli existimant, Callidamatem Delphium osculari, & manum papillis ejusd. admovere. Sed notat Gruterus, Scaligerum (uti repræsentavimus) emendare; *Ecquid tibi videor, mamma, madere?* Et iterum, ubi legitur, *Madet homo. CA. tun' meam &c.* facere illum, *tun' me ais, mamma, madere?* atque ita etiam in MSS. Cam. ferè esse. Pareus hanc emendationem transferre cupit à Scaligero at nescio quos Mss. sed verbis quæ bilinguitatem resipiunt singularem. certè *mamma madere* centum Parei nunquam eruissent ex libris aliis nisi id à nobis antea edocti fuissent.

8. ISTOC MODO MORATUS VIV. D.] verba meretriculæ sunt amatorem admonentis, ut urbanè & venustè jocetur, non inconditè & rusticè: *J. Gul.* illud *bibere* est à Camerario, quod velut insubidum figmentum rejicit excellentia Parei, substituto *tute*, quod esset in MSS. *vita*. egregium correctorem! sed utri credendum? ipsiné, an Camerario? Pareo sanè, adeo emendatio ejus propriè heic facit, scilicet.

10. SI TIBI CORDI EST] i. si tibi placet. Agell. 12: 13. *Cordi mihi fuit, prius quam &c.* V. N. Cist. 1: 1.

19. COIMUS] in lecto dicubitorio accumbimus, epulamur, & de symbolis edimus: ut Ter. Eun. act. 3: 4. Neq; enim verbum turpe hîc est, *Coire*. Turn. lib. 19: 13.

20. SED ET HOC, QUOD MIHI IN MANU EST] Schoppius in his quicquam obsceni latitare pernegat: legitque è MSS. *Sine, sine cadere me.* & versum non puncto, sed commate claudit. Q. d. meretrix: Sinam te quidem cadere, si ita vis; sed & hoc sino, sive, & hoc fieri oportet, quod in mea manû & potestate est, ut nimirum te cadente cadam & ipsa. *In manu esse*, pro in potestate esse, venustè dicitur. At Pistoris è Ven. ed. hæc ita restituit:

CAL. Sine cadere me, sine: sed & hoc quod mihi in manu est.

DEL. Si cades, non cades, quin cadam tecum.

Dicit Callid. *sine cadere*, sed unà sine id quod mihi in manu est. manu autem tenebat Delphium, quæ ipsum ducebat. Quod intelligens & amatori ebrio morigerans Delphium subjicit, *Si cades, non c. &c.* sensu concinno. cui non obest, quòd paullo pòst ait: *Cedo manum.* Interim enim Callid. ebrius se ab amplexu ejus subduxisse aut manum amovisse potuit, ut fuerit reprehendendus Delphio. nam post illa verba: *duce me amabo*: certè duxerat: & ille cum dicto, *Oh ocellus es meus &c.* eam complectitur. Utut sit: facilius hoc admitti potest, quàm ut Delphium palàm dicat, se sinere ut amator cadat. Hæc ille. Acidalius, Lambini interpretatione de spurio aut veretillo amantum, miserè acceptâ, leg. *quod tibi est in manû &c.* non, *mihi*. Potius enim, inquit, Callid. aliquid tenuerit Delphii: quicquid illud fuerit: sive mammia, sive manus, sive ipsam complexus tenuerit, &c.

23. MADET HOMO] *Madidum esse: Madere*, est ebrium esse. contrà, *siccum esse*. Porrò recepi heic Scalig. emendationem: quod proximè ei accederet MS. sec. in quo, *tun meam his mamam adere.* at pr. initio habuit; *tun meam his mammam adere.* ed. pr. *tum mea bu mammam addere.*

24. TE AFFLIGI] V. N. Aul. act. 4: 3.

30. DIU EST, IAM ID, MIHI.] Id *IAM* est mihi tanquam *diu*.

30. ECQUIS HIC EST?] Non satis utitur oculis Callid. ut ebrius & semisomnis: sed ex voce & strepitu sentit hominis alicujus adventum.

31. PHILOL. ADEST.] Da kömmet auch ein gut Brösigen.

36. QUID

36. QVID EGO HOC FACIAM POSTEA, MEA?] O mea Delphium, quid ego Callidamate, qui ebrius, faciam? V.N. Mil. act. 4:1.

37. EVMPSE] ita Grut. è MSS. *sic sine eumpse, PHILO. age tu &c.* Vulg. *sic sine eum quiescere, PH. age &c.*

38. DA] tu puer, aut tu Scapha. Dominus convivii sic sæpe jubebat ab uno in orbem poculum per alios omnes convivas circumagi: quod περισοβεῖν Gr. dicebant: *Turneb.* lib. 19: 13. J. de VVovveren, ad illud Sid. Apollinar. ——*Bacchoque rotato,*

A Eleganter} inquit. Circumferebatur enim phiala grandior, ex quâ omnes bibebant. Athenæus περιφορὰν dixit. Plaut. *dare cantharum circum.* Lucianus Lapith. conv. ἤδη δὲ ἐς τοὺς ἄλλους συνεχῶς περιεσοβεῖτο ἡ κύλιξ, καὶ φιλοτησίαι καὶ ὁμιλίαι, &c. Hinc manavit illud, B *dare ab summo.* nam ab eo, qui summus accumbebat, ordiebantur. Idq; initio cœnæ factum, hoc est, ipsa promulsis seu gustatio circumferebatur. Athenæus, πρόπομα τι πρὸ τοῦ δείπνου περιφέρεσθαι. Ita in Apul. Milef. 9. *Ut primum occursoriam potionem labijs contigerat, &c.* V.N. Persâ. act. 5:2.

ACTUS II. SCENA I.

TRANIO, PHILOLACHES, CALLIDAMATES, DELPHIUM, PHILEMATIUM, PUER.

IUPPITER supremus summis opibus atque industrijs
Me perisse, & Philolachetem cupit herilem filium.
Occidit spes nostra, nusquam stabulum est confidentiæ,
Nec Salus nobis saluti jam esse, si cupiat, potest:
Ita mali mœroris montem maximum ad portum modò
Conspicatus sum. herus advenit peregrè. perijt Tranio.
Ecquis homo est, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie sese excruciari meam vicem possit pati?
Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Vel isti, qui hastis trium numorum caussâ subeunt sub falas?
Ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent?
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit.
Sed eâ lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia.
Ubi id erit factum, à me argentum petito præsentarium.
Sed ego sumné ille infelix, qui non curro curriculò domum?
PHILO. Adest obsonium. eccum! Tranio, à portu redit. (TR. perijmus.
TR. Philolaches. PHILO. quid est? TR. & ego & tu. PHILO. quid & ego & tu?
PHILO. Quid ita? TR. pater adest. PHILO. quid ego ex te audio? TR. absumpti sumus.
Pater inquam tuus venit. PHILO. ubi est is, obsecro? TR. adest.
PHILO. Quis id ait? quis vidit? TR. egomet, inquam, vidi. PHILO. væ mihi.
Quid ego ago? TR. nam quid tu, malùm, me rogitas, quid agas? accubas.
PHILO. Tun' vidisti? TR. egomet, inquam. PHILO. certè? TR. certè inquam.
Si tu vera memoras. TR. quid mihi sit boni, si mentiar? (PHILO. occidi.
PHILO. Quid ego nunc faciam? TR. jube hæc hinc omnia amolirier.
Quis istic dormit? PHILO. Callidamates. TR. suscita istum, Delphium.

DE. Calli-

DE.Callidamates, Callidamates, vigila. CA.vigilo: cedò ut bibam:
DE.Vigila: pater advenit peregrè Philolachæ. CA. valeat pater.
PHILO.Valet ille quidem, atque ego disperij. CA.disperisti? qui potest?
PHILO. Quæso edepol exsurge: pater advenit. CA.tuus venit pater?
Iube abire rursum. quid illi reditio etiam huc fuit?
PHILO.Quid ego agam? pater jam hîc me offendet miserum adveniens ebrium,
„ *Ædis plenas convivarum, & mulierum. MISERVM EST opus,*
„ *Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet.*
Sicut ego adventu patris nunc quæro, quid faciam miser.
TR.Ecce autem hic deposivit caput, & dormit. suscita.
PHILO.Etiam vigilas? pater inquam aderit jam hîc meus. CA.ain tu, pater?
Cedò soleas mihi, ut arma capiam. jam pol ego occidam patrem.
PHILO. Perdis rem, tace. amabo, abripite hunc intrò actutum inter manus.
CA.Iam hercle ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis.
PHILO.Perij. TR.habe bonum animum: ego istum lepidè medicabor metum.
PHILO.Nullus sum. TR.taceas: ego, qui istæc sedem, meditabor tibi.
Satin' habes, si ego advenientem ita patrem faciam tuum,
Non modò ne introeat, verùm etiam ut fugiat longè ab ædibus:
Vos modò hinc abite intrò, atque hæc hinc properè amolimini.
PHILO.Vbi ego ero? TR.ubi maximè esse vis, cum hâc, cum istâc eris.
DE.Quid est igitur? abeamus hinc nos. TR.non hoc longè, Delphium.
Nam intus potate haud tantillo hâc quidem caussâ minus.
PHILO.Hei mihi, quàm istæc blanda dicta quò eveniant, madeo metu!
TR.Potin' animo ut sies quieto, & facias quod jubeo? PHILO.potest.
TR.Omnium primum, Philematium, intrò abi, & tu Delphium.
DE.Morigeræ tibi erimus ambæ. TR.ita ille faxit Iuppiter!
Animum advorte nunc tu jam, quæ volo accurarier.
Omnium primùm-dum ædes jam fac occlusæ sient:
Intus cave muttire quemquam siveris. PHILO. curabitur.
TR.Tanquam si intus natus nemo in ædibus habitet. PHILO. licet.
TR.Neu quisquam responset, quando hasce ædis pultabit senex.
PHILO.Nunquid aliud? TR. clavem mihi harunce ædium Laconicam
Iam jube efferri intus: hasce ego ædis occludam hinc foris.
PHILO. In tuam custodiam meque & meas spes trado, Tranio.
„ *TR. PLVMA HAVD interest, patronus, an cliens probior siet*
„ *Homini, cui nulla in pectore est audacia.*
„ *Nam cuivis homini, vel optumo vel pessumo,*
„ *Quamvis desubitò facile est facere nequiter:*
(Clavem cedò, atque abi intrò, atque occlude ostium)
Verùm id videndum'st, id viri docti est opus,
Quæ designata sint & facta nequitiâ,
Ne quid patiatur, quamobrem pigeat vivere:

Tranquillè cuncta & ut proveniant sine malo.
Sicut ego efficiam, quæ facta hîc turbabimus,
Profectò ut liqueant omnia & tranquilla sint,
Neque quicquam nobis pariant ex se incommodi.
Sed quid tu egrederis? perij! ô! jam jam optumè
Præceptis paruisti! PV. jussit maxumo
Opere orare, ut patrem aliquo absterreres modo,
Ne introiret. adest. TR. quin etiam illi hoc dicito,
Facturum me, ut ne etiam aspicere ædes audeat;
Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu:
Clavim cedò, atque abi hinc intro, atque occlude ostium.
Et ego hinc occludam. jube venire nunc jam.
Ludos ego hodie vivo præsenti hîc seni
Faciam, quod credo mortuo nunquam fore.
Concedam à foribus huc, hinc speculabor procul,
Vnde advenienti sarcinam imponam seni.

HVIVS Sc. epitaticæ versus sunt τετράμετροι καταληκτικοὶ εἰς συλλαβὴν καὶ συζυγίαν τροχαϊκὴν omnes, præter ultimos XXIII. Senarios jambicos.

V. 3. STABVLVM CONFIDENTIÆ] Glossarium: *Stabulum*, ἱπποστάσιον, ὀνοστάσιον, πανδοχεῖον. Onomasticum: ἐπαυλίς. σταθμός. Sed vox latius patet. Nam ut ab exoleto supino *latitum* fit *latibulum*: ita à *statum*, *stabulum*, ut docuit Becmanus.

5. MALI MOERORIS MONTEM MAX.] V. N. Epid. act. 1: 1.

8. MEAM VICEM &c.] Sic Capt. 3: 3. *oppetam pestem, heri vicem, meamq.* Ib. act. 2: 3. *Ut eum redimat, & remittat nostrum huc amborum vicem.* Cic. Ep. l. 1: 9. *Nostram vicem ultus est ipse se*: id est, cum ipsum ulcisci & punire debuerimus, ipse se ultrò ultus est. Sic in Bruto: *magnam partem nostra oratio constat jambis*: pro, magnâ ex parte: P. Manut. & Turn. lib. 14: 10. & lib. 16: 15. Sic dicitur à Livio: *Clamor undiq. ab solicitis vicem Imperatoris militibus sublatus est.* Eodem: *Suam vicem magis anxios, quam ejus, &c.* Curt. 7. *Is tum flere cepit, & os suum converberare, mœstus non suā vicem.* Quanquam hæc non omnia unius fili.

9. PLAGIPATIDÆ] vox ficta ad formam patronymicorum: ut Capt. act. 3: 1.

9. FERRITRIBACES] qui ferrum terunt, hoc est, qui ut plurimum vinculis ferreis compediti sunt. V. N. Trin. act. 4: 3.

10. QVI HASTIS TRIVM NVM. C. SVB.] Ita MSS. & Ed. Camerarii: qui aliorū correctiones & mutationes nihil morari ait. Etiā Sarracenus fatetur in vett. ita legi: & tamen mutat. recentius quidem editi leg. *Vel isti, qui trium n.* quos Pareus in primâ statim secutus, ut solet lupus hians objectam prædam. At idem in Electis ut censor, legi vult *ubi sunt isti, qui trium nummorum c. s. s. falas? ubi alij quiq. hastis corpus transfigi solent.* idq;, inquit ex Pall. & edd. omnino omnibus. sed fallissimè tamen: neq; patitur ratio carminis. Sed autoritas antiquiss. MSS. & modestia Camerarii potior mihi visa. *Tres nummi* autem hîc, tres asses: & ad stipendiū militare (etsi ad Circum etiā referre possis) diserta allusio Comici servi irridētis, quòd tam exiguo pretio auctorati castella & turres ligneas hostiū, (id enim *falæ*) subirent, hastis aliquot configendi. Et mehercule stipēdium vile &c. Videatur Lipsius Elect. lib. 1: 2. & Poliorcet. lib. 5: 5. Sane *falla* (*falsa* scribitur in MSS.) turris lignea est, auctore Nonio etiam & Turnebo lib. 29: 23. & pro fallacia etiam usurpatur, ea ratione, quâ *machina*, *fabrica* & *sutela*. Novius: *Me non vocabit: ob eam rem hanc feci fallam.* φάλαγξ. Juven. Sat. 6. v. 591. *Consuluitq. phalas.*

11. QVINDENIS HAST.] Ita in MS. pr. emendatum à recentiss. manu. anteà erat, *Vbi aliqui quiq. denis h.* Nec aliter sec. aut vett. Edd.

12. EGO D.] Apud Lips. de Cruce l. 2: 7. ita disting. *Ego d. ei tal. primus, q.* sed nescio utrum Lipsii judicio, an typographi errore.

12. Ex-

12. EXCVCVRRERIT] C. Colerus ad *Excursores*, ἐκδρομὰς, i. expeditos & levioris armaturæ milites alludi putat. ita Cic. 2. de Divinat. *sed hac fuerit nobis tanquam levioris armaturæ prima orationis excursio.* Gruterus ad eos, qui muros ascendunt scalis. Cæterum P. Molineus Notis in Epistol. D. Gregorii Nyss. ubi clarissimis argumentis docet, fontes quattuor clavis cruci affigi solitos, & CHRISTI etiam pedes singulos singulis clavis fuisse cõfixos; eosq; pro more insistentes tabellæ prominenti ex medio crucis stipite: hunc quoque locum allegat. Nam quomodo, inquit, in crucem sons insilire aut excurrere potuit, nisi esset lignum, super quo posset rectus insistere? quod clarius etiam explicat Irenæus lib. 2. c. 42. &c. V. N. e Scaligero, Mil. 2:3.

13. VT OFFIGANTVR] ita MSS. Cam. & vett. edd. probantque Nansius & Meursius. quod Valla exponit, *infixi habeantur*. Coler. laudat Cod. Samb. lect. *offringantur:* ut ad *Crurifragium* alludatur. Porrò & Lipsius lib. 2. cap. 9. De cruce, hunc locum allegat; quando probat, *Cruciarios* quattuor etiam clavis olim affixos. Nisi tamen, inquit idem, is sit ibi sensus: ut servulus ad majorem cautionem, & ne facilè se refigeret, voluerit non semel manusque & pedes, sed bis singula figi: ita, ut bini in quoq; membro essent clavi.

13. BRACHIA] *Brachia* dicit, non *manus*. Nam etsi duræ & nervosæ illæ partes & lentæ frangi: quia tamen toti corporis moli, gravioris præsertim, non fuerit interdum ferendæ; non in mediâ semper manûs volâ clavi fixi, sed superiùs paullò, quà cum brachio coit, i. circa carpum. Id quod etiam hinc probat Lipsius de Cruce, lib. 2. cap. 10.

15. SVMNE ILLE] ita MSS. & vet. Edd.

16. ADEST OBSONIVM] Deest versui pes, qui aderit repetita voce prima; *Adest, adest obs.*

17. ET EGO, ET TV.] ita Edd. vett. Est autem ἀποσιώπησις perculsorum & perterrefactorum, per aposiopeses.

19. OBSECRO. TR. ADEST] Numeri non sunt pleni. Cam. adjecit *te;* sed ne sic quidem versus constat. Forsan bis iterandum adhuc, *adest. adest. adest.*

21. NAM QVID TV] ita Douza. Vulgg. *nunquid t.*

22. ACCVBAS] MSS. *accubans.* quod tantum abest, secutus sit Pareus; ut ne meminerit quidem in Notis. imo stultè utraque ejus A editio, *accubes.* sic & ultima ejus, seq. versu expressit *Túne vidisti* cõtra MSS. & Edd. quarum vett. *Tu en vidisti.* isti verò, *Tui invidisti;* ut vel cæco appareat fuisse initio, *Tu im vidisti. im* pro *eum,* nihil vulgatius antiquis.

23. QVID MIHI SIT BONI, SI MENTIAR.] V. N. Epid. act. 5:1. Parei ed. *mentirer.* non sine pernicie versus.

27. PHILOLACHÆ] Sic ex MSS. suis Camerarius, placuitq; editoribus omnibus usq; ad Pareũ, qui glandes prætulit frugibus, atq; utraq; edd. retinuit *Philolachis.* qui stupor!

33. IGITVR DEMVM] *Igitur,* pro, *deinde.* Ita Cas. *Mox magis cum otium erit, igitur tecum loquar.* Ita Propert. l. 3. el. 2. *Ergò Musarum, &c.* ita Virg. 6. Æn. v. 384. *Ergò iter inceptum peragunt.* Imò & Cicero Græc. εἶτα plerunq; per *Ergò* vertit. Vide G. Canteri Nov. Lect. l. 4. c. 26. & Not. Amph. 1:1. Epid. 3: 3. Pareus in Electis docet nos ad istum versum: Puteos è terra fodiebant. hui! quid hoc est? quomodo hîc convenit? quis sic unquam locutus? phy!

37. CEDO SOLEAS] qui accubituri erant, calceos aut soccos ponebant. Vide P. Ciacconium De convivandi modo apud priscos. Cicer. [illegible] *atus Prætor.*

B

37. VT ARMA CAP. &c.] Oratio hominis ebrii, & qui sui non compos.

38. PERDIS REM] negotium nostrum corrumpis.

38. ABRIPITE] Ita MSS. ita omn. edd. Pareo tamen placuit, *adripite.* quæ impudentia! in textum recipere quod nullus liber unquã prætulit? quod respuit ratio? Ita & versu sequenti, utraq; editione exclusit pronomẽ *mihi,* quod & versus requirit, & restat in MSS.

38. INTER MANVS] Cic. *Vt alius inter manûs è cõvivio tanquam è prælio auferretur, &c.* Vide & Schop. Susp. Lect. lib. 3:5.

39. VOS PRO MATVLA HABEBO, N.] permejam vos, sive etiam, immejam vobis: molliore tamen sensu, quàm volunt Interpretes; nimirum eòpse, quo à Catullo Carm. 63. scriptum: *Qui ipse sui nati minxerit in gremium.* Item Sannazario:

Vt scilicet liceret (heu scelus!) patri
Natæ sinum permingere, &c. J. Douza: qui ista etiam ambitiosius explicat, in Centur. suo; & J. Gruterus probat, pluribusq; insuper illustrat, lib. 12. Suspicion. nondum editarum, cap. 12.

40. ME-

40. MEDICABOR METUM] Apulejus in Apolog. *Dum ætatis aliquid superfit, nuptiis valetudinem medicandum.* A

41. MEDITABOR TIBI.] ita MSS. Cam. Quanquam & hic *medicabor* leg. Schoppius. quòd dolos jam antè meditatus fuerit. Idem & Sambucus agnoscit. Q.d. ego tibi medicinam faciam, ut hunc animi tui æstum tranquillem. Pareus in utramque edd. admisit *medicabor:* adeò se semper fatuo arrident deteriora.

42. ITA PATREM FACIAM TUUM.] J.Gul. leg. *ita p. pavefaciam.* quod tamen Grutero minimè probatur contra MSS. cum & Pseud.act.4:6.

——*quid ego cesso Pseudolum*
Facere, ut det nomen ad molas coloniam?

ita Mil. act.2:1. *eumque ita faciemus, ut, quod viderit, non viderit, &c.* Lambinus hic frustrà est.

45. CUM HAC, CUM ISTAC] ita MSS. & vett. ed. longè venustius, quàm ut recentiores, *tu cum isthac.* versui consulamus iteratione voculæ. *FR. ubi? ubi maximè esse vis.*

46. NON HOC LONGE] δεικτικῶς, re aliquâ minimâ demonstratâ. Alii l. *ungue.* Vide N. Amph. act.1:1. In MS. sec. prius erat, *linge.*

48. MADEO METU] plenus sum metu. Sic Lucr. 4. *arte madere,* dixit: & Horatius, *sermonibus Socraticis madere.* Mart.l.1.Ep.40. *madidum esse artibus Minervæ.*

51. TR. ITA ILLE FAXIT IUPPITER] *Ille,* δεικτικῶς; vel, qui illic est in cælo, vel præpotens Deus: Turn.l.16:10. ut Amph. 1:1. oculis sc. aut digito in cælum sublato. *Faxit* autem, ut ex usurâ corporum vestrorum capiam voluptatem. Sic enim ambiguum illud, *morigeræ tibi erimus,* pro se interpretatur servus nequam: cùm aliovorsum ab istis sit dictum; pro, parebimus & introibimus. Rectè autem Tranioni tribuuntur in vett. edd. ut & in MSS. Cam. alii minùs eleganter *Philolachæ* dant. V.N. Cistell. act.4:1.

52. ANIMUM ADVERTE NUNC TU IAM] Ita edd. antiqq. & MSS. versus caussa rescripsit Cam. *advertito.* sed & ei medeamur reperta syllaba, *jam, jam.*

55. NATUS NEMO] ita Sc. seq. & Pseud. act. 1:3. *reddant nato nemini.* kein Mutter Mensch.

57. CLAVEM H. Æ. LACONICAM] *Clavis Laconica* quid sit, docet pluribus, vixq; perdocet Lambinus. Vulgò ejusmodi claves *adulterinas,* & vernaculo idiomate, Dieterich indigitamus. quanquam nostræ & illæ longè divertunt. Scal. in Append. Virgil. *Clausam,* inquit, *Clavem* Autor Moreti vocat, ut puto, quæ intùs aperiebat, aut forinsecus claudebat: quales erant *Laconicæ.* nam, ut ait Theon, οὐχ᾽, ὡς νῦν, ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες, ἀλλ᾽ ἔνδον τὸ παλαιὸν παρ᾽ αἰγυπτίοις, καὶ λάκωσι. quæ iccircò κρυπταὶ κλεῖδες dicuntur Aristophani. Videntur ita vocatæ, quòd impactæ claustris vix apparerent. Quin & Festus Avienus difficilem locum Arati interpretans, quum hebetem lucem Cassiopeæ denotare vellet, ait, non magis eam apparere, quàm clavem Cariam foribus impactam. *Lux hebes est matri, vix qualem Caria quondam Noverit intrantem per claustra sonantia clavem.* Ergò *clausa clavis* & κρυπτὴ, fuerit ea, quæ intùs aperiebat. Nam contraria ei est ὀπτὴ κλεῖς: alioquin apud Homer. κλεῖς est *vectis;* ut & apud Plaut. Cas. act.5:2. *Ubi intrò hanc novam nuptam deduxi, vià rectà clavem Obduxi.* quæ & *sera* Ovid. dicitur, *Excute poste seram, &c.* Hæc ille. qui & ad Manil.lib.1. monet, Laconum etiam claves extrinsecus aperuisse: B quod vel hinc manifestum fit. Camerarius; In Epitomâ Stephani, inquit, mentio fit κλειδὸς λακωνικῆς. Et Eustath. in 2. Iliad. ἔστι δὲ καὶ κλεῖς λακωνικὴ καινοτέρα τις. & θυρωροὶ κλειδοφορεῖς: κλείδια λακωνικὰ κατεσκευασμένα. Vide & Casaub. ad Athen. l.7:14.

59. MEQUE ET MEAS] Sic MSS. & edd. priscæ. utraque Parei male exclusit copulam *que.*

60. PROBIOR SIET.] ita Schoppius: & ita etiam videtur in MS. pr. initiò fuisse, nempe *probrior:* nam à manu secundâ est, *propior.* Q.d. Nihil refert, patronusne an cliens timidus commodior sit homini. Si habeam patronum timidum, si clientem timidum, neuter altero magis mihi proderit; non hic probior mihi erit, quàm iste. Verba illa: *Cui nulla in pectore est audacia:* ad patronum & clientem referri oportet, non ad vocem *Homini,* quæ generatim posita est pro *alicui.* Innuit autem servus, patronum, cui sit audacia in pectore, homini esse commodiorem, ei scilicet, quem defendendum sibi susceperit.

rit. Si quis sit timidus, nihil intererit, sive patronus sit, sive cliens; talis enim nemini probus est sive prodest. *Probus* apud Pl. idem sæpe, quod commodus, opportunus. Mil. act. 3. 1. *probus hic conger frigidus est.* Pœn. *Probus ad istas res.* Casinâ: *Nunc occasio proba est.* Et ita erit dictum, sicut illud Pœn. *gratas gratias,* &c. Sanè ex Lambini interpretatione nihilo fies doctior. Porrò in MSS. post versum illum, lineæ spacium intercedit vacuum, quasi nova constituēda esset scena: quod factū putem à liberario; quia sequeretur aliud genus versuum. ineptissimè igitur Pareus qui asteriscis locum insigniit. ejusdem etiam editio prior, fine hujus versus habet *fuat*, non *fiet*; contra MSS. & vett. edd. quarum hæ alludunt chirographariis, retinentque *fiet*. ô pestilentem licentiam!

64. CLAVEM C.] Hunc vers. in παρενθέσει ad puerum dictum ait L. & est in MSS. & omnibus Edd. ut & infra versu 78.

65. VERUM ID VIDEND. &c.] Verùm id providendum est; id solertis viri opus est, facere; quæ novo more & exemplo (id enim hîc *designare*) malefacta sunt per nequitiam, ea cuncta ut tranquille & sine malo procedant: ne quid patiatur, propter quod vita ei sit acerba. Ter. Adelph. act. 1. 2.

> ——*nam illa quæ antehac facta sunt*,
> *Omitto: modò quid designavit?*

Ad quod Donatus: *Designare, est rem novam facere, in utramque partem, & bonam & malam.* Hæc è copiâ Lamb. excerpsi. MS. tamen, Cam. pr. *dissignata*: sec. *dissignita*. Des. Heraldus Hellenismum ait esse in illo Terentii; aut saltem dictionem Latinam Græcæ σύζυγον designare, quemadmodum ἀποδεῖξαι, φαίνειν, &c. ἀντὶ τοῦ ποιῆσαι, apud Aristoph. Arrianum, alios. At D. F. negat Plautinum esse, *facta nequitiâ*: ideoque l. *facta nequiter*. Sed alterum MSS. & omnes edd. habent, præter primam Parei qui rapuit statim illud *nequiter*.

67. NE QUID PATIATUR] ita MS. pr. sed à manu secundâ. antea erat, *Ne quid potiatur*: quod & in MS. sec. Edd. aliæ, *patiantur*: aliæ, *peccetur*: aliæ, *ponatur*. J. Palm. Hærent, inquit, hæc verba: & libri quidem, *patiantur*: Lamb. mutavit, *patiatur*. Nego ego aliter Pl. scripsisse, quàm ut nunc dicam:

> *Quæ designata sunt, & facta nequiâ,*
> *Ne quid potiantur, q. p. v.*

Hæc vetera sunt; *Consilia potiuntur malum*: *facta potiuntur cladem*, i. malè cadunt. Acid. pro illo, *ne q. patiantur*, malit, *pariant*. Gruterus, *potiatur*; utique cum etiam restet in edd. primis *ponatur*.

69. TURBABIMUS] ita MSS. & Edd.

72. PERII ô! JAM] sic scriptum à prima manu in MSS. nisi quod ibi *perio*.

73. PU. JUSSIT MAXIME] Ita MSS. & edd. primæ. posteriores præposuere, *herus*: sed id vitiat versum, melius subintelligatur.

75. NE INTROIRET. ADEST.] Ita omnes MSS. & Edd. veteriores. primus correxit Pylades, *ad se*. Ego tam pertinacem consensum librorum qui damnem? bono præsertim sensu, & qui Scenam juvet. Ut Puer aut reverà Senem viderit; aut in trepidatione istâ simulaverit. Alii, *ades*: sed nec hoc usquam apparet. Gruterus potius malit: *introiret.* TR. *ades! quin etiam &c.* certe edd. primæ illud *adest* Tranioni tribuunt.

77. CAPITE OBVOLUTO] Caput operiebant in turpi re deprehensi: summo pudore affecti: in rebus desperatis: vitam projicere parantes. Horat. 2. Sat. 3.

> *Nam male re gestâ, cùm vellem mittere operto*
> *Me capite in flumen.*

Liv. 1. Ann. *I lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Et Socrat. apud Platon. in Phædro, de amore verba facturus, caput operit. L. Vide N. Capt. 3. 1.

79. HINC OCCLUDAM] Clavi enim Laconicâ ædes obserabant foris, ita ut nemo, qui intus, eas aperiri posset.

80. VIVO PRÆSENTI] Olet Proverb. ζῶν καὶ ὁρῶν. Sic Amph. *vivus & sanus intereo.* Ter. Eun. 1. 1. *Vivus vidensque pereo.* Lucr. 5.

> *Viva, videns vivo sepeliri viscera busto.*
> Idem lib. 3.
> *Mortua cui vita est propè jam vivo atque videnti.*

Cic. pro Quinct. *Huic acerbiss. vivo videntique funus ducitur.*

81. QVOD CREDO MORTVO] ita vett. A edd. & MS. pr. à manu secundâ, erosis nescio quibus. eò vergit etiam lectio secundi, in quo expressè, *Faciam quo do edo mortuo*. non ut edidit in Notis suis Pareus, qui vix quartam partem è MSS. Lectionum variantias, aut exhibuit, aut exhibuit benè. At J. Gul. *quos credo*. V. N. Amphit. act.1.1. & Aul.2.5.

83. SARCINAM IMPONAM SENI] senem gravi curâ ac molestiâ affectum amoliar. V. N. Mil. act.3.3. Congruit huic illud act.3.2, *Vehit hic clitellas*. &c. L.

ACTUS II. SCENA II.

THEUROPIDES senex, TRANIO, servus.

HABEO, Neptune, gratiam magnam tibi,
Quom me amisisti à te vix vivum modò.
Verùm si posthac me pedem latum modò
Scies imposisse in undam, haud caussa illico'st,
Quod nunc voluisti facere, quin facias mihi.
Apage, apage te à me. nunc jam post hunc diem,
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
TR. Edepol, Neptune, peccavisti largiter,
Qui occasionem hanc amisisti tam bonam.
TH. Triennio pòst Ægypto advenio domum.
Credo, exspectatus veniam familiaribus.
TR. Nimio edepol ille potuit exspectatior
Venire, qui te nunciaret mortuum.
TH. Sed quid hoc? occlusa janua est interdius?
Pultabo. heus, ecquis istas aperit mî fores?
TR. Quis homo est, qui nostras ædes accessit propè?
TH. Meus servos hic quidem est Tranio. TR. ò Theuropides
Here, salve: salvum te advenisse gaudeo.
Vsquéne valuisti? TH. usque, ut vides. TR. factum optimè.
TH. Quid vos, insaniné estis? TR. qui dum? TH. sic, quia
Foris ambulatis. natus nemo in ædibus
Servat, neque qui recludat, neque qui respondeat.
Pultando pedibus penè confregi hasce ambas. TR. eho,
An tu tetigisti has ædis? TH. cur non tangerem?
Quin pultando inquam penè confregi fores.
TR. Tetigistin? TH. tetigi, inquam, & pultavi. TR. vah! TH. quid est?
TR. Malè hercle factum. TH. quid est negotij? TR. non potest
Dici, quàm indignum facinus fecisti, & malum.
TH. Quid jam? TR. fuge obsecro atque abscede ab ædibus.
Fuge huc, fuge ad me propius. tetigistin' foreis?
TH. Quomodo pultare potui, si non tangerem?
TR. Occidisti hercle. TH. quem mortalem? TR. omnes tuos.

TH. Di

TH.Di te deæque omnes faxint cum isto omine!
TR.Metuo, te atque istos expiare ut possies
TH.Quamobrem? aut quam subitò rem mihi apportas novam?
TR.Et heus, jube illos illinc amabo abscedere.
TH.abscedite.TR.ædes ne attingite.tangite
Vos quoque terram.TH.obsecro hercle quin eloquere.
TR.Quia septem menses sunt, cum in hasce ædes pedem
Nemo intrò tetulit, semel ut emigravimus.
TH.Eloquere, quid ita? TR.circumspice dum, nunquis est
Sermonem nostrum qui accupet. TH.tutum probè est.
TR.Circumspice etiam. TH.nemo est, loquere nunc jam.
TR.Capitalis cædis facta est. TH.quid est? non intellego.
TR.Scelus, inquam, factum'st jam diu antiquum & vetus.
Antiquom. id adeò nos nunc factum invenimus.
TH.Quid istuc est, sceleste? aut quis id fecit? cedò.
TR.Hospes necavit hospitem captum manu;
Iste, ut ego opinor, qui has tibi ædeis vendidit.
TH.Necavit? TR.aurumque eii ademit hospiti,
Eumque hic defodit hospitem ibidem in ædibus.
TH.Quapropter id vos factum suspicamini?
TR.Ego dicam, ausculta. Ut foris cœnaverat
Tuus gnatus, postquam rediit à cœnâ domum,
Abimus omnes cubitum, condormivimus:
Lucernam fortè oblitus fueram extinguere;
Atque ille exclamat derepentè maximum.
TH.Quis homo? an gnatus meus? TR.st, tace: ausculta modò.
Ait venisse illum in somnis ad se mortuum.
TH.Nempe ergo in somnis? TR.ita.sed ausculta modò.
Ait illum hoc pacto sibi dixisse mortuum.
TH.In somnis? TR.mirum quin vigilanti diceret,
Qui abhinc sexaginta annis occisus foret.
Interdum ineptè stultus es.
TH.Taceo. TR.sed ecce quæ ille inquit:
Ego transmarinus hospes sum Diapontius,
Hic habito. hæc mihi dedita est habitatio.
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit.
Quia præmaturè vita careo. per fidem
Deceptus sum, hospes hìc me necavit, isque me
Defodit insepultum clam ibidem in hisce ædibus,
Scelestus auri caussâ.nunc tu hinc emigra:
Scelestæ hæ sunt ædes, impia est habitatio.
Quæ hic monstra fiunt, anno vix possum eloqui.

St, st

St, st! TH. quid obsecro hercle factum est? TR. concrepuit foris.
Hiccine percussit? TH. guttam haud habeo sanguinis,
Vivom me arcessunt ad Acheruntem mortui.
TR. Perii, illisce hodie hanc conturbabunt fabulam.
Nimis quàm formido, ne manifestò hic me opprimat.
TH. Quid tute tecum loquere? TR. abscede ab januâ.
Fuge, obsecro hercle! TH. quò fugiam? etiam tu fugis?
TR. Nihil ego formido: pax mihi est cum mortuis.
TH. Heus, Tranio. TR. non me appellabis, si sapis.
Nihil ego commerui, neque istas percussi foreis.
TH. Quæso quid ægrè est? quæ res te agitat Tranio?
Quicum istæc loquere? TR. an quæso tu appellaveras?
Ita me di amabunt, mortuum illum credidi
Expostulare, quia percussisses foreis.
Sed tu etiámne astas; nec quæ dico obtemperas?
TH. Quid faciam? TR. cave respexis: fuge, atque operi caput.
TH. Cur non fugis tu? TR. pax mihi est cum mortuis.
TH. Scio. quid modò igitur? cur tantopere extimueras?
TR. Nihil me curassis, inquam: ego mihi providero:
Tu, ut occepisti, tantum quantum quis, fugies,
Atque Herculem invocabis. TH. Hercules, te invoco.
TR. Et ego, tibi hodie ut det, senex, magnum malum.
Prò dii immortales, obsecro vostram fidem,
Quid ego hodie negotii confeci, malum!

VERSUS hujus & seq. Scenæ sunt sen. jambici, &c. A

2. QUOM AMISISTI] pro, dimisisti. V. N. Capt. 2. 2. versus ea posituta quà expressi legitur in MSS. & edd. antiq. sed ne ruat versus, videtur repetendum, *me me*; nisi potius fuit, *Quoniam me.* Nam *Quom* sæpius in scriptis illis comparet loco *Quoniam.*

2. VIX A TE VIVUM] Nam quid aliud est navigatio, quàm mortis quædam professio? Hinc elegantissimè Phædrus lib. 4.

Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem.

Pulchrè Anacharsid. apud Plutarchum: *Odi vitam, quæ pendet à funibus, ubi navigantes vix tribus digitis absunt à morte.* quod imitatus Juvenal. Sat. 12.

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut septem, si sit latissima teda.

V. N. Rud. act. 3. 6.

4. IMPOSISSE] Ita non solum MSS. sed & edd. vett. non *imposuisse*, quod antiquarius tamen ille Harpax árripere nequiit: adeo interdum matula est.

15. APERIT MI F.] ita è MSS. Grut. in quis erat, *in.*

21. NATUS NEMO IN ÆDIBUS SERVAT] *Servare*, pro custodire; & ut Nonii censura vult, sollicitè ac suspiciosè observare. V. N. Asin. act. 2. 2. & Aul. 1. 2.

Redi nunc jam intrò, atque intus serva.
STA. Quippeni ego intus servem?

Cistel. 1. 1. *sinas hanc hic apud me servare.* Ter. Eun. 4. 6. *solus Sannio servat domi.* J. Grut. in Suspp. & J. Gulielm.

23. HASCE AMBAS. TR. EHO, AN T.] ita vett. edd. & ita probat è MSS. Schop. ut jamb. fiat septen. Vulg. *confregi assulas.*

33. FAXINT] ita Grut. è MS. pr. in quo ita emendatum est à recensore, cùm prius fuisset *axint*, quod & in secundo. Turn. Lib. 16. 10. leg. *perduint,*

perduint, i. perdant. Et meritò illi suspectum fuit monstrum verbi, *perduaxint*, quod in vulgg. erat. Volebat senex plura addere, ut, *dii te faciant, ut malo cruciatu pereas*, vel quid simile: sed servus interpellat. Haiminsfeldus tamen non improbat *perduaxint*, pro, perduant: ut Aul. *adaxint*, pro adigant &c. Ed. Ven. *perduant*. Paris. *perduxint*.

35. REM M. APPORTAS NOVAM?] Donatus: *Quid portas? id est, nuncias: de re novâ & gravi dicitur*.

36. ET HEUS.] Ita antiquitus cusi, item Ms. sec. & forsan etiam initio pr. in quo emendatum *Eheus*. falsum enim, quod Pareus prodit, ita legi in sec. habet enim disertè, *Et heus*.

36. ILLOS] Comites, quos tecum adduxisti: D.

37. NE ATTINGITE] MSS. *attigate*: sed emendatus MS. pr. *attingite*: & sic etiam vett. ed. Vulgò, *attigatis*.

38. TANGITE V. Q. TERRAM] Genus quoddam venerationis erat & ceremoniæ superstitionisque *terram tangere*: sed non nisi in his rebus, quæ ad deos inferos ac mortuos pertinent, usurpari consuetum. Macrob. lib. 3. *Cum tellurem dicit, manibus terram tangit*. Simile est Cic. de Arusp. resp. *Aut puer ille patrimus aut matrimus, si terram non tenuit*: L. & Turn. lib. 16. 10. Pareus in Electis, tit. *Ædium* isto ex Loco persuadet pueris suis, ubi aliquamdiu ædes nō inhabitassent, religionis caussa terram tetigisse. quid dici potest absurdius?

41. SERMONEM N. QUI AUCUPET.] Titin. *Id ego aucupavi: plenas aures affero*. V. N. Mil. act. 4. 1.

44. CAPITALIS CÆDIS &c.] Ita ambo MSS. *cædis*; itaque edidit Camerarius. sed vett. edd. *ædis*, quod probat J. Gulielmius: & *Capitalis*, inquit, *ædis* fit, cum in eâ capital admittitur. Ut *homo capitalis*, nefarius, flagitiosus, qui capital aut facit audacter, aut factum probat. Et *locus capitalis*, ut ait Festus, *ubi si quid violatum est, capite violatoris expiatur*. Passeratius ad Propert. 3. el. 11. interpretatur de Glossar. *Capitalis*, ποινικός.

45. SCELUS ANTIQ. ET VETUS.] *Antiquum* est, quod patrum memoriam excessit: quasi ante ævum. *Vetus* est, quod jam habet ætatem. Et potest tamen res esse *Antiqua*; quia à majoribus accepta: & *Vetus*, quod à nobis, vel ab aliis nostrâ ætate olim usurpata sit. Pers. act. 1. 3. *Veterem atque antiquum quæstum servo*. Mil. 3. 1. *orationem veterem atque antiquam amoves*. Sic *Antiquum Jus* dicitur jus gentium, quod una cum humano genere ab naturâ exstitit. *Vetus vinum* anni prioris vinum, ut loquitur Ulpianus. Vide Popmam.

57. ATQ. ILLE EXCLAMAT D. MAXIMUM] *Atque*, i. statim, continuò. V. N. Epid. 2. 2. *Exclamat maximum*, Poetarum & Græcorum more dixit. Horat. ad Pison. *longum Clamet iò, Cives*.

59. IN SOMNIS] κατ' ὄναρ: dum dormit ipse *per noctem*, ut interpretatur Donatus. Cic. *Concubiâ nocte visum esse in somnis ei* &c. ibidem: *in quiete vidisse dicit*: quod idem est. Amph. 2. 1. *Videre aliquid in somnis*, &, *videre vigilantem*, inter se opponuntur. Falluntur igitur, qui scribendum putant, ut Servius *insomniis*, aut *insomniis* ab *insomnia*, *a*, &c. Lamb.

62. MIRUM, QUIN] Q. d. Qui fieri potuit, ut, qui ab hinc annis sexaginta necatus fuit, diceret aliquid filio tuo vigilanti & videnti? Et est elegans locutio, *Mirum quin*. utitur & Amph. 2. 2. & Trin. act. 4. 2. *Mirum, quin ab avo ejus aut proavo acciperem, qui sunt mortui*. itidem Cist. act. 4. 2. Cæterùm, inquit Dousa, videtur Plautus sibi adversari, quum ante annos sexaginta occisum fingat hospitem: nisi si venditorem istius ædis capitalis octuagenario majorem reconcinnare velimus, ac eandem istam ætate jam inde maturâ, puta vicessimo natali suo, ante LX. annos olim designavisse. Aut dicamus, in hoc ipso etiam τοῦ πρέποντος rationem à Comico habitam esse; in servo præsertim perturbationis plenissimo, &c. Centur. lib. 3. 2. V. N. Mercat. act. 3. 1. Acidal. *Sexaginta* simpliciter pro multis posuisse ait: ut & in illo Merc. pro ætate longiusculâ. MSS. *qui vig*.

64. INTERDUM] Acid. hæc verba vagantia sine lege, nec Plauti, ut ait, genuina, (cum alibi alia legantur) in unum versum ita illigat:

Interd. in stultu's TH. taceo. sed ille quid? quod ipsum Pareus statim editioni suæ primæ intulit. Nos fidem MSS. secuti sumus.

68. NAM ME ACHRUNTEM] *Acheruntem*, adverbii loco positum, censet Lamb. V. N. Capt. 3. 5. Et suspicatur Dousa, ad reconditiorem illam *Orci* (V. N. Pœn. act. 1. 2. signi-

 fican-

ficantiam respectum à Poeta, quâ *Receptorem mortium* intelligi solitum, testis Isidorus. unde & *Orcam* natam & denominatam scribit, pro vase, quod recipit aquas: quam vocem reperies & apud Persium. V. N. Pseud. 3:2. Parei Prima editio habet, *Nam me in Acb.* contra MSS.

69. PER FIDEM] sc. malam hospitis, Cic. *per ejus fidem læditur.* V. N. Asin. act. 3. 2. Schoppio quis dixerat, in MSS. Cam. leg, *perfide*: cùm tamen Gruterus notet, in utroque disertè ac clarè scribit, *per fidem.* nec aliter Livius lib. 2. *cujus ad solenne ludosque, per fas ac fidem decepti, venissent.* interpretatur Valerius Max. lib. 9. c. 2. *Quattuor legiones contrariæ partis fidem suam secutas* &c. Tacitus lib. 4. Histor. *querente sanè Civile & increpante Germanos, tanquam fidem per scelus abrumperent.* Parei Lexicon, isthæc descripsit, & amplius ait, *Fidem* hic notare *perfidiam.* quid dici queat à ratione omni alienius?

71. DEFODIT INSEPULTUM] in terram quidem defossum humavit, sed non *ritè*, i. justo sepulturæ honore carentem. *Insepultus* igitur erit, qui Virgilio *inhumatus.* Æn. 6.

Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

Talium ossa dicuntur à Persio *inhonora*: ut ibi docet Scholiastes. Ceterùm quænam requirat legitima sepultura, quænam imaginaria, pulcrè docet Gutherius lib. 1. c. 11. de jure Manium, qui legatur, ut etiam lib. 2. cap. 16. ubi non uno probat exemplo ædes umbris infestatis ab eis quibus non contigerat sepultura.

74. POSSUM] ita MSS. & Edd. vett.

75. ST, ST. TH. QUID OBS. HERCLE FACT.] cùm MSS. pro vulgato *Secede* habeant *sedet*, finxit Gruterus *St, st.* ut sit nota non tam silentium imperantis. quam aliquem abigentis, quæ & infrà, act 3. 2. revocanda: *At etiam restas? st. abi istinc.* Ut & linea præcedente, *abi dierectè. st abin. h.*

77. ME ARCESCUNT AD. ACH. Dousa putat, *ad*, abundare.

78. PERII: ILLISCE HODIE H. CONTURBABUNT FAB.] Hæc secum Tranio, molestè ferens, eos strepere intus; metuénsque ne res palàm fiat: atque ita tota fabula, quæ à *Monstris* nomen habet, conturbetur. L. Videatur & Douza Cent. lib. 3. 2. ubi & pro *illisce* leg *illice.*

79. NE MANIFESTO] in manifesto mendacio me senex deprehendat: *L. D.*

81. FUGE, OBSECRO] veriss. *Fuge.* ita MSS. Cam. & Samb. & vett. ed. Ineptit Lamb. cum suo *Euge.*

81. ETIAM TU FUGIES] Ita à manu secunda MS. pr. nam sec. *fuges*, quod & in vett. edd. nam Camer. *fugis*; aliæ *fuge.* forsan rescribendum *fugesis.*

82. NIHIL EGO FORMIDO] Propriè. Formido à *formis*, de quibus hic ludi fiunt, i. *spectris.* ut divinus Scaliger acutè de Adfectibus cohærentibus disputavit, Exoter. Exercit. 312.

83. TR. NON ME APPELLAB.] Sermo ad mortuum, à quo se appellatum simulat. Tranio, ob percussas fores.

85. QUÆSO QUID ÆGRE EST?] MSS. Cam. *quid segreges*? Hinc Grut. ac Colerus, *quæso quid segrex es*? Etiam apud Prud. legitur *segrex*, ut apud Horat. & Auson. *Congrex.* Porrò sciendum *Quæso*, in MSS. esse versus initium, & *segreges* illius finem; deinde *este agitat Tranio*, claudit ibidem versum sequentem, media vacant: adeo ut locum hunc habeamus mutilum, versibus scilicet duobus plane mancis.

88. EXPOSTULARE] De sacris depulsoriis, item de postulationibus postulionibusque videnda apud Guther. lib. cap. 15. lib. 4. de jure vet. Pontif.

88. PERCUSSISSES] Omnino hoc adserendum. ut respiciat id, quod senex supra fores tetigerat. idque ad metum Seni injiciendum. Illud Acidalii *Percussissem* friget.

94. Q. QUIS] q. potes.

95. HERCULEM INVOCABIS] ut ἀλεξίκακον ac monstrorum domitorem. Sic apud Aristoph. in Pluto, Chremylus, cum videret horridam squallidamque Peniam, exclamat, ἡράκλεις! Vide Turn. lib. 16. 10. item Guther. cap. 16. lib. 4. de jure vet. Pontif.

96. ET EGO] sc. Herc. invocabo ut &c. Reliqua ad spectatores loquitur.

98. MALUM!] ita MSS. & omnes libri. Acid. tamen legit, *malum*: & particulam *hic* infercit etiam, nescio quo jure, quem sequitur in prima sua Pareus.

ACTUS III. SCENA I.

DANISTA, THEUROPIDES senex, TRANIO, servus.

SCELESTIOREM ego annum argento fœnori
Nunquam ullum vidi, quàm hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem usque in foro dego diem,
Locare argenti nemini nummum queo.
TR. Nunc pol ego perij planè in perpetuum modum.
Danista adest, qui dedit argentum fœnori,
Qui amica est empta, quóque opus in sumptûs fuit.
Manifesta res est, nisi quod occurro prius,
Ne hoc senex resciscat. ibo huic obviam.
Sed quidnam hic sese tam citò recipit domum?
Metuo ne de hâc re quippiam inaudiverit.
Accedam atque appellabo. hei quàm timeo miser!
„NIHIL EST MISERIUS, quàm animus hominis conscius,
Sicut me habet. verùm utut res hæc sese habet,
Pergam turbare porrò. ita hæc res postulat.
Vnde is? TH. convéni illum, unde hasce ædes emeram.
TR. Nunquid dixisti de illo, quod dixi tibi?
TH. Dixi hercule verò omnia. TR. væ misero mihi!
Etiam fatetur de hospite? TH. imò pernegat.
TR. Cape hercule, obsecro, cum eo unà judicem.
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi.
Tam facilè vinces, quàm pirum volpes comest.
Metuo ne technæ meæ perpetuò perierint.
TH. Quid tute tecum? TR. nihil enim. sed dic mihi,
Dixtin' quæso? TH. dixi, inquam, ordine omnia.
TR. Etiam fatetur de hospite? TH. imò pernegat.
TR. Negat? TH. negat, inquam. TR. perij oppidò, cùm cogito.
Non confitetur? TH. dicam, si confessus sit.
Quid nunc faciundum censes? TR. egon' quid censeam?
Cape, obsecro hercule, cum eo unà judicem:
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi:
Tam facilè vinces, quàm pirum volpes comest.
DA. Sed Philolachetis eccum servum Tranium,
Qui mihi neque fœnus, neque sortem argenti danunt.
TH. Quò te agis? TR. nec quóquam abeo. næ ego sum miser,
Scelestus, natus diis inimicis omnibus!

Jam illo præsente adibit. næ ego homo sum miser!
Ita & hinc & illinc mihi exhibent negotium.
Sed occupabo adire. DA. hic ad me it, salvus sum.
Spes est de argento. TR. hilarus est frustra istic homo.
Salvere jubeo te Misargyrides, bene.
DA. Salve & tu. quid de argento? TR. abi sis, belua.
Continuò adveniens pilum injecisti mihi.
DA. Hic homo est inanis. TR. hic homo est certè ariolus.
DA. Quin tu istas mittis tricas? TR. quin quid vis cedò.
DA. Ubi Philolaches est? TR. nunquam potuisti mihi
Magis opportunus advenire quam advenis.
DA. Quid est? TR. concede huc. DA. quin mihi argentum redditur?
TR. Scio te bonâ esse voce, ne clama nimis.
DA. Ego hercle verò clamo. TR. ah, gere morem mihi.
DA. Quid tibi ego morem vis geram? TR. abi quæso hinc domum.
DA. Abeam? TR. redito huc circiter meridie.
DA. Reddetúrne igitur fœnus? TR. reddetur: nunc abi.
DA. Quid ego huc recursem, aut operam sumam, aut conteram?
Quid, si hic manebo potius ad meridiem?
TS. Imò abi domum. verum hercle dico: abi modò.
DA. Quin vos mihi fœnus date. quid nugamini?
TR. Eu, hercle næ tu abi modò: ausculta mihi.
DA. Jam hercle ego illunc nominabo. TR. euge strenuè!
Beatus verò es nunc, cum clamas. DA. meum peto.
Multos me hoc pacto jam dies frustramini.
Molestus si sum, reddite argentum, abiero.
Responsiones omnes hoc verbo eripite.
TR. Sortem accipe. DA. imò fœnus, id primùm volo.
TR. Quid, tu, homo hominum omnium teterrime,
Venisti huc te extentatum? agas quod in manu est.
Non dat, non debet. DA. non debet? TR. nec erit quidem.
Ferre hoc potes? an mavis ut *aliquò abeat foras?*
Urbem exul linquat factus *hic caussa tui,*
Cui sortem vix dare *licebit? DA. quin non peto.*
TH. Eia, mastigia, ad me redi. TR. jam istic ero.
Molestus ne sis, nemo dat, age quid lubet.
Tu solus, credo, fœnore argentum datas.
DA. Cedò fœnus. redde fœnus. fœnus reddite.
Daturin' estis fœnus actutum mihi?
Date mihi fœnus. TR. fœnus illic, fœnus hic.
Nescit quidem nisi fœnus fabularier

Vetera-

Veterator. neque ego tetriorem beluam
Vidisse me unquam quenquam, quàm te, censeo.
DA. Non edepol nunc me tu istis verbis territas.
TH. Calidum hoc est: etsi procul abest, urit malè.
Quod illud est fœnus obsecro, quod illic petit?
TR. Pater eccum advenit peregrè non multo prius
Illius, is tibi & fœnus & sortem dabit:
Ne inconciliare quid nos porrò postules.
Vide num moratur? DA. quin feram, si quid datur.
TH. Quid ais tu? TR. quid vis? quis illic est? quid illic petit?
Quid Philolachetem gnatum compellat
Sic, & præsenti tibi facit convicium?
Quid illi debetur? TR. obsecro hercle, jube
Obici argentum huic ob os impuræ beluæ.
TH. Iubeam? TR. jube homini argento os verberarier.
DA. Perfacilè ego ictûs perpetior argenteos.
TH. Quod illud argentum est? TR. huic debet Philolaches
Paulùm. TH. quantillum? TR. quasi quadraginta minas.
DA. Ne sanè id multum censeas, paulum id quidem est.
TR. Audin'? videturne obsecro hercle idoneus,
Danista qui sit? genus quod improbissimum est.
TH. Non ego istuc curo, qui sit, unde sit:
Id volo mihi dici, id me scire expeto.
Adeò etiam argenti fœnus creditum audio.
TR. Quatuor quadraginta illi debentur minæ.
Dic te daturum, ut abeat. TH. egon' dicam dare?
TR. Dic. TH. egone? TR. tu ipsus dic modò, ausculta mihi.
Promitte: age inquam: ego jubeo. TH. responde mihi;
Quid eo est argento factum? TR. salvum est. TH. solvite
Vosmet igitur, si salvum est. TR. ædeis filius
Tuus emit. TH. ædeis? TR. ædeis. TH. euge, Philolaches
Patrissat. jam homo in mercaturâ vortitur.
Ain tu, ædeis? TR. ædeis, inquam. sed scin' cujusmodi?
TH. Qui scire possim? TR. vah! TH. quid est? TR. ne me roga.
TH. Nam quid ita? TR. speculo claras, clarorem merum.
TH. Bene hercle factum. quid? eas quanti destinat?
TR. Talentis magnis totidem, quot ego & tu sumus.
Sed arraboni has dedit quadraginta minas.
Hinc sumsit quas ei dedimus. satin' intellegis?
Nam postquam hæce ædis ita erant, ut dixi tibi,
Continuò est alias ædis mercatus sibi.

TH. Bene hercle factum. DA. heus, jam appetit meridies.
TR. Absolve hunc quæso vomitum, ne hic nos enecet.
Quatuor quadraginta illi debentur minæ,
Et sors & fœnus. DA. tantum est: nihilo plus peto.
TR. Velim quidem hercle, ut uno nummo plus petas.
TH. Adolescens, mecum rem habe. DA. nempe abs te petam.
TH. Petito cras. DA. abeo; sat habeo, si cras fero.
TR. Malum quod isti di deæque omnes duint!
Ita mea consilia perturbat pænissimè.
,, NVLLVM EDEPOL hodie genus est hominum tetrius,
,, Nec minus bono cum jure, quàm Danisticum.
TH. Quâ in regione istas ædis emit filius?
TR. Ecce autem perii! TH. dicisne hoc, quod te rogo?
TR. Dicam: sed nomen domini quæro quid siet.
TH. Age, comminiscere ergò. TR. quid ego nunc agam?
Nisi ut in vicinum hunc proximum mendacium.
Eas emisse ædis hujus dicam filium.
,, CALIDVM hercle audivi esse optimum mendacium.
,, QVICQVID DEI dicunt, id rectum est dicere.
TH. Quid igitur? jam commentu's? TR. dii istum perduint:
Imò istunc potius. de vicino hoc proximo
Tuus emit ædis filius. TH. bonân' fide?
TR. Siquidem es argentum redditurus, tum bonâ:
Si redditurus non es, non emit bonâ.
TH. Non in loco emit perbono has. TR. imò optimo.
TH. Cupio hercle inspicere has ædis. pulta dum fores,
Atque evoca aliquem intus ad te, Tranio.
TR. Ecce autem iterum nunc quid ego dicam nescio,
Iterum jam ad unum saxum me fluctûs ferunt.
Quid nunc? non hercle, quid nunc faciam, reperio:
Manifestò teneor. TH. evoca dum aliquem foràs:
Roga circumducat. TR. heus tu. at hìc sunt mulieres:
Videndum est primum, utrum eæ velintne, an non velint,
TH. Bonum æquómque oras. percontare & roga.
Ego hìc tantisper, dum exis, te opperiar foris.
TR. Dii te deæque omnis funditùs perdant, senex:
Ita mea consilia undique oppugnas mala.
Euge optimè: eccum dominus ædium foràs
Simo progreditur ipsius. huc concessero,
Dum mihi Senatum Consilii in cor convoco.
Igitur dum accedam hunc, quando quid agam invenero.

CONQUE-

CONQVERITVR industriosissimus Cam. hanc Fabulam non solum mendosè, ut cæteras omnes; sed præter alia, dissipatis etiam versibus & Scenis distractis editam esse. quam ille sic pro acerrimo exercitatissimi ingenii judicio, nimis quàm dextrè, restituit. quippe & codices ejus heic quoq; ambo miserrimè erant dissoluti. Hujus igitur auctoritati & judicio stare ego, maximâ ex parte, nunc etiam malui, quàm Correctores novitios quamvis ingeniosos imitari. Nihilominus tamen inventa cujusque, suo quodque loco, indicavi: etsi in Textum non nisi exploratæ veritatis recepi. Exspectemus Gruteri vel alterius (utinam Heinsii) acumen & industriam: qui collatis vetustiss. MSS. Codd. & suo judicio usus, hæc malè affecta tandem persanet. nam Pareus, istis in locis, non jam Asinum agit, aut Suem, sed Leonem ac Tigrim; variisque exclamationibus exagitat audaciam ac temeritatem optimi senis, tanquam horrendâ metamorphosi, ac diris modis (ita enim vociferatur) scenas dilaceraverit. interim tamen à se nihil præstat, quàm Asinus aut Sus; pedit & grunnit: nihil præterea.

V.1. SCELESTIOREM EGO] Hic *scelestus*, non est μιαρός, sed ὁ ἀτυχής. i. *infelix*, ut apud Horatium 2.Carm.4: *Credo non illam tibi de scelestâ plebe delectam.* Heinsius ibidem. nisi malimus tribuere Pareo, qui asserit in Lexico, ita hunc Flacci locum interpretatum in Commentariis suis Horatianis ante jampridem quàm Heinsianæ notæ prodiissent. quasi diceret; *Pereat qui mea ante me vulgat.*

1. ARGENTO FOENORI N.] sc. *locando.* Hoc enim subintelligendum, non adscribendum. Quâ autem ratione dicatur, *Pecuniam fœnori collocare, & locare.* apud Cic. & Suet. cùm *Fœneratio* quasi locatio quædam pecuniæ videatur: itemque ex contrario apud Horat. 1. Sat.2. *Conducere nummos,* pro, fœnori accipere; docet Fr. Hotom. Quæst. Illustr. 40.

3. NOCTEM VSQVE] Brix.ed. infercit *totum:* quod cæteræ non habent. amplexa id tamen Parei editio prima.

6. ARGENTVM FOENERI] Nusquam istæ voces sunt in MSS. aut edd. ante Camerarianam, ut nec versus sequentis dictionis *opus in sumptus fuit.* adscripsit quidem eas MS. illi primo, sed ex alióne libro, an de ingenio, nescio.

8. NISI QVOD OCCVRRO PRIVS] ita MSS. & Edd. vett. J. Gul. leg. *quod* auferendi casu, pro, *quo:* ut versui sustinendo interjectum sit *d.* ut infra, *Quod ego eam, an scis?* sed frustra est. Lambinus edidit, *quid.* Et tenet Acidal. auctoritate Terentii. Phorm. *Ne quid propter tuam fidem decepta potiretur mali.* & Plaut. hâc Sc. *Ne inconciliare quid nos porrò postules.* & Tacit. etiam Annal.14. *Quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrhus & Seneca expergiscerentur.*

11. QVIPPIAM INAVDIVERIT] Versui implendo Cam. interjecit, *hic*, retinetque Pareus, contra MSS. & edd. vett. malim syllabam repeti, *quippiam jam inaud.*

13. NIHIL EST MISERIVS QVAM ANIMVS HOMINIS CONSCIVS] Salust. *Suus cuique animus ex conscientiâ spem præbet.* Et August. lib.21. de Civit. Dei: *Tranquillitate conscientiæ nihil excogitari beatius potest.* Sic tamen hodie vivitur, ut *Multi Famam, Conscientiam pauci vereantur.* Vide Plin. lib.3. Epist.

15. PERGAM TVRBARE P.] Hoc à Poeta probabiliter scriptum est: & planiùs infrà. Exemplo fuit Pericles, atque alii vel nostrâ memoriâ. Jam, *turbare*, absolutè positum est, pro, turbas excitare. ut Bacchid. 4. 9. *turbat equus ligneus.* Cic. *M. Servilius in rebus omnibus turbarat.* Tacit. lib. 4. *Cùm repentè turbare Fortuna cœpit.*

19. ETIAM FATETVR] Acidalius versus hos quattuor ordine sequentes expungit: quia paulo post iterum legantur. Sed ego nolim sanè hoc mostellum ad hunc modum *urere & secare*, quod ille medicus hìc facere ultrò profitetur: quem tamen masculè secutus in editione sua prima Pareus.

21. SED EVM VIDETO,] vel aperte ludit senem, vel aversus ad spectatores loquitur. L.

22. QVAM PIRVM VOLPES COMEST.] Proverb. de re factu proclivi. quòd nihil sit negotii vulpi dentatissimæ pirum edere, ut expli-

explicat Erasmus. Seneca de Claudio Cæsare; *Tam facilè homines occidebat, quàm canis exta edit*. Alii contra, servum ajunt, significare, non facilè senem victurum. quòd vulpes gallinas & similes aves altiles faciliùs comesse soleat, quàm pira: ut annorat Lambinus. In quâ sententia fuit & Pylades.

25. DIXIN] Aldus ob versum immisit *atq.* sed id in MSS. & edd. vett. non apparet. malim literula addita, *Dixtinè* aut *Dixistin'*.

27. NEGAT.] De duobus istis versibus MSS. nihil habent, nisi primo: *Negat* ······ *quom cogita*, secundo vero ······ *dicam si confessus sit*. neque aliter ferè edd. vett. lacunam implevit manu sua in MS. pr. Camerarius, & de *cogita* fecit *cogito*. sed ex librisne an ingenio, non novi.

28. DICAM, SI CONFESSUS SIT] V. N. Asin. act. 2: 3.

33. TRANIUM] pro, *Tranionem*. ut Sticho act. 2: 5. *Antipho*, pro, *Antiphone*. D.

34. NEQ. FOENUS NEQ. SORTEM ARG.] *Sors*, patrimonium & summa est sive caput illius pecuniæ, quæ confertur in societatem, ut inde lucrum fiat. hinc *consortes*, & *consortium*, ein Gesellschafft/ Compony. & adfini quâdam significatione *Sors* dicitur quælibet pecunia, cui accedunt usuræ, vel reditus. Mart. l. 5: 43.

Debitor argentum pariter cum sorte negabit.

Ter. Adelph. *Etiam nunc de sorte in dubium venio*. Hinc Adag. *Sortem & usuram persolvere*: in eos, qui seriùs quidem, sed graviùs plectuntur, &c.

35. QUO TE ABIS] *tute* alii scribunt. sed propius fuerit MSS. edd. vett. *tete*. ut perierit syllaba ob indiscretam similitudinem.

36. NATUS DIIS INIMICIS OM.] V. N. Milit. 2: 3. Meurs. hos versus hoc modo restituit; —— *næ ego sum miser Scelestus, n. d. i. omnibus. Ita & hinc & illinc exhibent negotium. Jam illa pr.* Ingeniosè, quis neget? ideo statim id in contextum adhibuit Parei editio prior. ô obsequentem!

37. ILLO PRÆS. ADIBIT] Danista me adiens argentum poscet sene præsente.

39. HIC AD ME ADIT] Ita omnis editio. Pareus stolidè reposuit in postrema sua *adis*. scias secutum MSS. hoc satis est ipsi.

41. MISARGYRIDES] Cam. in suis MSS. ait esse *misarcirites* & *Misartirites*. hinc ex conjecturâ faciebat *misaturides*, σατυρίδης, patronymicum, Satyri filius. At J. Gul. Verisl. lib. 1: 1. legit, *Salv. Misargyrides bene*. Et, venustè, inquit, ἀντιφειδὴς argenti-odium: qui ita lucellum inhiaret, ut vel os sibi verberari pugnis, modò argenteis, facilè pateretur. Et in Adelphos T. Donatus liquidò confirmat, *Misargyriden* trapezitæ Plautini nomen esse: quem frustrà alibi quæras, si hunc, quem reprehendi, amiseris. Benè, mi Gulielme: tibi istud debemus, non Pareo; qui ita in Notis suis scribit, ut tyro aliquis id ipsi omnino attribueret.

43. PILUM INIECISTI MIHI] De *pilo* Romanorum telò curiosè God. Stevvech. lib. I. ad Veget. & Lipsius l. 4. Poliorcet. *Pilum injicere*, idem quod Cic. pro Mur. dixit, *Quam te securim injecisse putas petitioni meæ*. i. impedimentum. Idem pro Planco: *Infligere Reip. securim*. quod est magno malo eam afficere. Juven. 10. *impactæ securis cedit*. Simile huic illud censent, *Tragulam injicere*: de quo Epid. 5: 2.

44. EST CARIOLUS.] Rectè divinat, cùm dicit me inanem pecuniæ esse.

45. QUIN TU I. MITTIS TRICAS.] In MSS. Sambuci & Cam. & vett. ed. meis sequitur: *TR. quin quid vis cedò. DA. ubi Philolaches est? TR. nunq.* quæ in editione Cam. & Lamb. omissa.

47. MAGIS OPPORT.] Tres seq. versus in MSS. cum lacunis sunt: quas quidem Camerarius è vett. edd. suâ manu explevit.

58. EU, HERCLE NÆ TU] Oratio perplexa hominis perturbati. subintell. *Odiosus es*, aut aliquid tale. L. D. Parei utraq; ed. præfert, *Euge hercle*. & contra libros omnes, & gemente versu. quæ petulantia!

60. BEATUS V.] dives factus: Ironia. D.

63. RESPONSIONES OMNES HOC VERBO ERIPITE.] Ita Cam. & D. edidêre. ut sint adhuc verba Danistæ. Cum quibus planè facere MS. illum Cam. primum & optimum, Gruterus testatur; & quidem à prima manu, quicquid contra grunniat Pareus. Quod nisi esset, magis fortè placuerit, quod MS. sec. & mei omnes tuentur: *TR. Responsiones omnes hoc verbo eripit. Sort.* Q. d. Tranio: Mei spectatores, responsiones omnes hac oratione mihi eripit Danista, quâ dicit, *Reddite argentum*. Vel illud, *abiero*: alio sensu. Sin, *eripite*, teneatur; pronunciandum *erpite*, sicut *surpite*, &c.

te, &c. sententiâ Camerarii. sciendum tamen personas non comparere in MS. sec. S. Ulricus Pistoris, Vehementer, inquit, turbata est hæc Scena in Ed. Venetâ: adeò ut integri versûs transpositi sint. nec cohærent sanè omnia in Ed. Cam. & Lambini, si paulò diligentiùs & ad sensum & τὸ πρέπον animadvertas. Ego quidem libenter nihil muto: si tamen audaciam & confidentiam eorum, qui totas Scenas reformarunt, transpositis & interdum planè extritis versibus, imitari vellem, valdè placeret versûs ab eo loco; *Responsiones omnes hoc verbo eripit*, partim emendare, partim ita collocare:

Sortem accipe. DA. imò fœnus: id primum volo.
TR. Quid? tute hominum homo omnium teterrume,
Venisti hunc exenteratum? agas quod in manu est.
Non dat, non debet. DA. non debet? TR. neque res quidem
Ferre hoc potest. an mavis ut aliquò abeat foràs:
Urbem exul linquat actus hinc caussâ tui?
Cui sortem vix dare licebit. DA. quin non peto.
Cedò fœnus: redde fœnus: fœnus reddite.
Daturin' estis fœnus actutum mihi?
Date mihi fœnus. TR. fœnus illic, fœnus hic.
Nescit quidem nisi fœnus fabularier.
Tu solus, credo, fœnori argentum datas
Veterator. neque ego tetriorem belluam
Vidisse me unquam quemquam quàm te censeo.
Molestus ne sis: nemo dat. age quod lubet
TH. Eja mastigia, ad me redi. TR. jam istic ero.
THE. Quod illud fœnus est obsecro, quod hic petit? &c.

Ita rectissimè cohærebunt omnia. Sortem offerebat Danistæ Tranio. Ille autem fœnus primùm volebat. nempe ex Juris cautelâ. Periculum enim erat ne sortem primum accipiendo, usuras remisisse videretur: ut olim præsertim obtinuit, & adhuc jure cautum est. Ibi iratus Tranio, quid? inquit: an ideò huc venisti, ut herum meum (eum enim notat vocab. *hunc*, quemadmodum in toto hoc sermone de absente tanquam de præsente loquitur) exspoliares facultatibus fœnoris tui voragine? (notum *exenterare*, ita MSS. Sambuci) vel *exenterare* quid Plauto alibi significet, cum ait, *exenteratum marsupium*) Immò nec dat fœnus: nec debet: facias quod lubet. (hoc enim est: *agas quod in* A *manu est*) Cui cùm Danista opponeret, Non debet? stipulationis procul dubio, quâ sibi caverat, admonens: Tranio aliam rimam reperit: & dicit, facultates heri sui non ferre (hoc enim mihi est, *neq. res quidem ferre hoc potest.* ut supra act. 1:3. *jam ista quidem absumpta res erat.* & Mercat. *Præquam res patitur, studuit elegantiæ.*) ut fœnus solvat: quippe qui vix sortem possit solvere. cui Danista, Atqui non peto sortem, modò interim fœnus (ut faciunt quidam debitores, quibus semper facilius usuras solvere, quàm sortem) mihi detur. & mox de fœnoris jactura sollicitus, atque ut servus intelligat se non sortem, sed fœnus tantùm petere, id quasi *pipulo* (ut alibi noster loquitur) & obvagulatione poscit. Cui rectissimè subjicit Tranio: Nescis tu nisi fœnus fabulari: quasi verò solus esses, qui fœnori argentum locares. (dispiciatur tota scena: nullibi rectius hic versus collocabitur: & eo in loco, ubi in vulgatis libris est, sine sensu languet) Verùm age ut lubet, nihil hinc feres: & cum dicto tergum obvertit Danistæ. quod interpellandi tempus arripiens Theuropides, Tranionem ad se redire jubet. sed quia differt, ipse mox B procedit, & palàm quærit de fœnore, &c. hactenus Pistoris, quæ portenti loco censet, impudens os Parei, quo nullum unquam Natura creavit portentosiorem.

64. SORTEM AC.] τὸ κεφάλαιον, Die Hauptsumma. Horat. 1. Sat. 2. *Quinas hic capiti mercedes exsecat*, i. quinas centesimas de sorte deducit in singulos menses, quas aut accipit, aut in tabulis notat. *Acron*.

64. ID PRIMUM V.] ita consensu omn. MSS. & Edd. tamen Acidalius leviter suspicabatur legi etiam posse *privum*. Sed ut in Textum reciperetur, haud dubiè noluit. fecit id tamè imperitissima impudentia Parei. non hoc tantum loco, sed infra versu 95. item Scenæ seq. versu 62. Et hoc est, Plautum sibi reddere; totius Orbis mutare lectionem arbitrio hominis opinionem suam obiter proponentis.

66. EXENTATUM?] Ita in MS. suo Cam. & in suis ad unum omnibus reperit Lamb. quamvis ille ex conjecturâ, ut ait, substituerit *externatum*. Quod Douza amplexus est. Q.d. Túne huc venisti, ut te clamando men-

te alienares? (Das du dich zum Narren A schryest.) vel, ut clamando mentis statu motus videreris? Nonio *exsternabit*, est, *dementem fecit*. Catull. *Ah misera, assiduis quam luctibus exsternabit!* At nos teneamus *extentatum*. q. d. Quid tu impurissime, venisti extentatum seu extensum vocem tuam? ut vires laterum tuorum clamando experireris, atque ostenderes? Ita & Turn. lib.16: 10. Etiam Acid. præfert *extentatum*. de metro videatur Lamb. Parei editio prima, insignitur illo Pistoris, *exenteratum*.

66. QVOD IN MANV EST] in potestate tuá, & penes te. L.

67. NEC ERIT QVIDEM] scil. daturus. Ita autem MSS. ambo. Lamb. l. *ne cumt quidem*. Acidal. l. *ne gry quidem*, idq; auctori vehementer placet.

68. FERRE HOC POTES?] potes contentus esse sorte, & æquo animo hanc accipere? L. Cæterum tres seq. versus in MSS. caput tantùm & caudam habent. manusq; Cam. intermedia ferè supplevit. Edd. vett. hæc ita habent, tanquam si nihil deesset. MSS. B hoc versu tantum retinent: *Ferre hoc potes an······quo habeat foras*.

69. VRBEM EXVL LINQVAT FACTVS] J. Gul. l.

Urbem exul linquat, actus hinc, caussâ tui?

Actus hinc, hinc ejectus, expulsus. Palmerius l. *Urb. ex. linquat factis hic c. tui.* Acidal. l.

Urbem exul linquat fœnoris caussâ tui,
Cui sortem vix licebit dare?

V. N. Aul. 2: 2. At MS. pr. tantum habet, *Urbem exsul······bu causa tui*, neque aliter sec. nisi quod is, *his causa*.

70. CVI SORTEM VIX] Sambuci MSS. *Quin sortem potius d.* ut & vett. edd. MSS. ambo, tantum præferunt; *Quoi sortem······cebit*.

70. QVIN NON PETO.] Post hunc. v. ambo MSS. ut & vett. ed. locant v. 155: *Euge optime &c.* exclusis intermediis omnibus.

77. NESCIT Q. NISI FOENVS FABVLARIER] Similis Pythermio cantori apud Athen. lib. 14. de quo Hipponax: χρυσὸν λέγει Πύθερμος, ὡς οὐδὲν τἄλλα: *Pythermus aurum loquitur, & aliud nihil*.

78. VETERATOR] i. callidus & astutia vetustâ roboratus: ut exp. *Eugraphius* Commentator vetus Terentii. conjecit istud Camerarius. nam MSS. *Vetrote*, ad oram verò pr. *Vetero*.

78. TETRIOREM] Parei novissima, *deteriorem*; frigidè. certè contra omn. MSS. & Edd.

80. TV ISTIS] Sic MS. sec. robustè. pr. *tu tuis*. quod placuit Pareo. ô cerebrum!

81. TH. CALIDVM HOC EST, ETSI PROCVL ABEST, VRIT MALE.] Hunc versum attribuit seni Gruterus, eoque cessant aliorum commenta; certè Acidalii. Quodnam, inquit, illud est *Calidum?* Infelix explicatio Lambini, cujus me miserè tædet. Non est Danistæ, sed Tranionis versus; hic quidem expungendus, sed eidem infrà post v. 135. restituendus:

Calidum hercle audivi esse optimum mendacium:
Calidum hoc est, etsi procul abest, urit malè.

Jocatur in vocis ambiguitate, quæ & calorem notat & celeritatem, &c. Et hoc verè calidum esse ait, quod è longinquo etiam urat. Simillimus locus Epid. act. 5: 2.

Apage illum à me. nam ille quasi Vulcani irati est filius.
Quaquà tangit, omne amburit: si propè astes, æstu calefacit.

Hæc ille: qui nihil humani aut divini à quoquam sibi credi vult, nisi duos istos vers. ita junxerit Plautus. Unum tamen illi dubium, *Abest* an de mendacio ipso, an magis de sene, cui imminet, accipiendum? an potius scribendum, *abes*, ultimâ productâ, quod Plauto frequens, vel *astes*: ut per secundam personam sententia exprimatur ad quemvis pertinens generatim. Et hoc illi placet. placet & Pareo, qui in prima ed. etiam versum transposuit: in secunda retinuit, *adstes*. MSS. servant, *habes turim male*. nihil certius conjectura Camerarii, quam retinuimus.

85. NE INCONCILIARE QVID.] Ne pergas eos porrò in te irritare, tibique (ut Horat. ait, 4. Od. 15.) *inimicare*. V. N. Trin. 1: 2.

86. VIDE N. MORATVR?] Nunquid senex in morâ est, quin tibi, quod debetur, exsolvat? L.

86. QVIN

86. QUIN FERAM, SI QUID DATUR] immò, ne me jocari putes, ego accipiam, si quid datur. L.

90. DEBETUR? TR. OBSECRO &c.] Videtur requirere versus, *debetur obsecro? TR. obsecro hercle jube*. nam *te* quod alii infarciunt, non est in MSS. aut edd.

92. IUBE H. ARGENTO OS] Schmeiß dem Schinder das Geldt für die Füß. Oder/ In die Fressen.

94. PAULUM] Sic MS. sec. & edd. vett. ne credamus Pareo, affirmanti in utroq; comparere *Paullulum*. ita enim solùm pr. & id improbat Danistæ interlocutio subsequens.

94. QUASI XL. MINAS] *Quasi*, pro, ferè, circiter, aut prӕterpropter. Ter. Heaut. sc. 1. *Quasi talenta ad quindecim coegi*. Cic. Acad. quæst. 4. *Sol quasi pedalis videtur*. Idem in Orat. *Quasi in extremâ paginâ Phædri*. Idem & particulâ *Instar* sic utitur: ut lib. 16. Epist. 5. *Habet Tiro instar LXX. epistolas meas*. Vide C. Rittersh. in Guntheri Ligurinum, lib. 2. cap. 3.

95. DA. NE SANE] Acid. ita transponit: *TH. Paullum id quidem est? DA. ne sanè id multum censeas*. Sed non opus trajectione: si imagineris, Senem admirabundum & irato proximiorem vix statum tenuisse, auditâ pecuniæ summa. quem placans Danista, ita dixerit; *Ne sanè &c.* Pareus tamen in ed. pr. Acidalianam expressit; in sec. verò ita sugillat, tanquam alius quivis huic culpæ obnoxius, non ipse. os impudens!

96. AUDIN? VIDETURNE] MSS. respuunt *ne*. sec. habet, *Audi invidetur*; ut forte fuerit: *Audin? an videtur obs.*

97. GENUS QUOD IMPROB.] Falsum est Parei scriptum, quo asseverat in MSS. extare *quid*. neuter id habet.

99. MIHI DICI, ID ME SCIRE] Haud aliter Pall. nostri. Pareus citat editionem in quo sit verbo amplius, *id me privum scire*. sicque etiam ostentat in sua postrema, tali tamen cum protestatione, tanquam irrepritia sit ac nova illa dictio, quæ ab omnibus Mss. & Edd. exsulet. quo ergo jure conspicitur in ipsius editione prima? Pareano proculdubio: quis hic contemptus eruditorum? quæ irrisio? quæ insultatio?

100. ADEO ETIAM ARG. &c.] quin etiam argenti fœnus Danistæ deberi audio. L.

108. IN MERCATURA VORTITUR] *Vortitur*, i. versatur. propriè & signatè, *in mercaturâ vorti* dicitur, qui mercaturam exercet. hinc *Versura* verbum mercatorum. &, *Vortumnus*, deus invertendarum rerum, hoc est, mercaturæ. De quo Ascon. in Ver.

111. SPECULO CLARAS: CLAROREM MERUM] ædes ita claras tamque politâ & nitidâ facie emit, ut cùm æquore & planicie speculi possint comparari: *vel*, ut loco speculi esse possint: *vel*, ut speculum ex iis confici possit. *Ædes ad speculum claras*, id est, etiamsi cum speculi splendore & lævore conferantur, satis claras. *clar. merum*, id est, æquè claras, atque ipse claror clarus est: L. & Turn. lib. 16: 18. Mss. nostri *canorem*; etiam vetustius cusi.

112. DESTINAT?] i. emit? præsens pro præterito. Vide N. Ep. 2: 1. v. 92.

113. TALENTIS MAGNUS &c.] Pareus, non contentus fine ullo sensu ac ratione retinere posituram veterum librorum, invehitur iterum in Camerarium, tanquam qui novitius censor illa divulserit, ex mera, ut putat, libidine innovandi. quid sentis lector? cui accedis, Paræone an Camerario, cui plus sapientiæ in digitorum unguibus quàm alteri in omnibus Scabiosi corporis membris.

113. QUOT EGO ET TU SUMUS.] i. duobus. *Talentum magnum* hìc 60. minas valere, docet ipse Plautus, qui ædes ait emptas 120. minis. 40. minæ arraboni sunt datæ, & 80. deberi adhuc, fatetur senex Sc. sequenti. Citat hunc locum Servius 5. Æneid. Vide Cam. & Lamb.

114. ARRABONI] *Arrabo*, vel *arra*, quod emptionis nomine datur, ut constet fides de pretio, quod convenerit. Pfandschilling/ Hafftpfenning. Agell. lib. 17: 2.

116. HÆCE ÆDEIS] Sic è vestigiis Mss. publicavit Camer. secutique eum quotquot vidi edd. at Pareus in sua postrema sugillat eos qui nullo jure nulla lege expresserunt, *ecce ædes*. viderunt igitur, inquit, quo-

quomodo cum sacrosancta auctoritate in gratiam redire queant tales innovatores. De quibus hæc dici suspicaris Lector? de alio omni proculdubio quàm qui Pareum ulla contingat proximitate. at contra est. ejus editio prima illud *ecce* retinet. Pareus ipse est innovator verè frontis nullius; verè: sed cogitet quisque quod libet, minus cogitaverit quàm meretur illa vomica nostra.

118. IAM APPETIT MERIDIES.] Hoc non temerè dictum. nam & Danistæ dixerat Servus, ut circiter meridiem rediret: & alioqui post meridiem non fere quicquam rei incipere solebant Romani, præsertim magistratus; nec pacisci. Turneb.lib.16: 10.

119. ABSOLVE H. Q. VOMITVM] *Vomitus*, convitium est in homines impuros. Sic Lucil. de Trebell.

——*marcebat febris, senium, vomitus, pus.*

122. VELIM Q. H. VT VNO NVMMO PLVS PETAS] Jac. Rævardus JC. Varior. lib. 3. c. 13. *De plus petentibus:* Eos, inquit, qui plus petebant, olim caussâ cecidisse, nemo dubitat. An verò leg. XII. Tabul. an edicto Prætoris id fiat, disputant. Ego non illâ, sed hoc censeo factum, &c. Vide & Cujacium & Hotoman. ad §. 28. *si quis agens.* Instit. de action. Brisson. de V. S. item Torrentii Commentar. in Suetonii Claud. cap. 14. & H. Stephanum lib. 2. Proodop. cap. 11. Denique J. Grut. ad Senec. Epist. 48.

126. PÆNISSIME] à *pæne*. ita laudat Prisc. lib. 3. & 15. quanquam MSS. Cam. & Samb. *plenissimè*. Ad hæc ita debachatur noster Ludimagister: *Plenissumè:* Sic MSS. Pall. & Samb. quibus tamen Saxonicus editor refragatus est, & in textum recepit *pænissumè:* quod probum quidem, sed contra pertinacem consensum Antiquitatis. Quin nec in Prisciano omnes MSS. sic legunt. Cur igitur fluctuantem lectionem præferamus certæ & constanti? Sic ille, & scurriliter, & sycophanticè. nam primùm, Taubmannus non recepit in contextum vocem *pænissimè:* factum id ante ipsum natum à Camerario; probarántque & Lambinus & Sambucus & uterque Dousa; & totus denique Orbis; cui nunc oppedit noster iste Orbilius. Deinde impudenter frontem perfricat, ac mentitur, non sic legere omnes Mss. Prisciani. certè nullum inspexit, in quo aliud quid compareret. imò ne inspexit quidem editionem Grammatici hujus ullam, dum isthæc affirmat. quia tam certum est, quàm Solem lucere, nullam aliam lectionem eis locis inveniri posse, nisi apertè viciatam. Audiamus hominem ipsum: A *pene* adverbio, superlativum in *simus* protulit Plautus in Mostellaria &c. Hæc literator iste lib. 3. At 15. sic loquitur: In E correptam, vel primitiva sunt, ut *pone, pene*; ex quo etiam aliud derivavit Plautus in Mostellaria: *Ita mea consilia pervertit penissimè.* Quæ jactat præterea de consensu certæ & constantis Antiquitatis; ejusdem sunt veritatis. edd. enim vett. omnes ad unam servant non *plenissimè*, sed *planissimè*.

128. NEC MINVS BONO CVM IVRE] *Jus bonum* est, quod Cic. in Brut. *Æquum bonum* dixit, i. jus moderatum. Aristot. 5. de Morib. τὸ ἐπιεικὲς, τὸ δίκαιον βέλτιον.

131. NOMEN DOMINI] ita MSS. Cam. Alii, *hominis*.

132. COMMINISCERE] redige tibi in memoriam.

132. QVID EGO NVNC AGAM?] Ita ex utroque suo MS. produxit isthæc Camerarius, & acquievere editores omnes usque ad Pareum, qui nobis & in prima & secunda obtrusit, *quid agam nunc jam?* ubi jam est reverentia debita Antiquitati? ubi fides promissa? nam in Notis, ne meminit quidem hujus loci.

133. MENDACIVM] sc. convertam. L.

135. CALIDVM H. AVDIVI ESSE OPT. MENDAC.] *Calidum mendacium* interpretatur Erasmus, audax & impudens. Aut enim non mentiendum, aut fortiter & audacter. qui enim verecundè mentitur, deprehenditur. Lambinus: quod non est cogitatum, sed ex tempore natum, θερμόν. Et hoc placet. V. N. Epid. Act. 1: 2.

136. QVICQVID DEI DICVNT, ID DECRETVM EST DICERE.] Sic MS. sec. & Samb. imò

imò omnes edd. usque ad Camer. qui edidit, *idrectum est. d.* quomodo extat in MS. pr. tantum. D. F. Leg. *certum est.* Acidalius l. *Quidquid dem sit, nunc id certum est dicere*; quod in contextum primæ ed. admisit Pareus. nam secunde reddidit, *id rectum est*: utrobique infelix, ut solent temeritatis toti, nullius verò judicii homunculi.

137. DI IST. PERD.] sc. Danistam, qui me turbavit, ut nomen venditoris ædium exciderit. Et hæc loquitur, ut senex audiat: illa verò, *imò istunc* (senem) *potius*: ut tantum spectatores.

139. BONAN' FIDE?] sc. loqueris? ut quidem senex vult intelligi. Sed Tranio ad emptionem trahit, ex ambiguo. Fr. Hotom. in lib. 4. Inst. Ex his, inquit, intelligi potest, *Actiones bonæ fidei* eas demum propriè appellari, quibus postulatur, ut fides data, benè, atque uti par est, servetur.

146. ITERUM JAM AD UNUM SAXUM] Pareus postrema edit. ejecit vocem *unum*, planè contra & MSS. & Edd. & versum, ô libidinem carnificis!

147. REPERIO] Prima editio Parei loco hujus, non sine carminis pernicie ostentat *ecce*.

151. NON EMIT BONA] sic MSS. & Edd. vett. & recentiores, ultima Pareana excludit vocem *emit*, suo scilicet arbitratu.

153. DI TE DEÆQUE OMNIS FUNDITUS] Dictionem *funditus*, sine qua tamen non stat versus, hinc ejecit ed. postrema Pareus. ea tamen in MSS. & edd. aliis omnibus.

154. OPPUGNAS MALA] D. l. *malè*.

157. SENAT. CONSIL. IN COR C.] Facetè & eruditè Cor *senatum* appellat: ut & Epid. act. 1. 2. Quod notat Scip. Gentilis ad illud Apul. Apolog. *Cui ulla fandi cura sit, impensius cætero corpore os colendũ: quòd esset animi vestibulum, & orationis ianua, & cogitationum comitium.* scilicet, quia ex ore cogitationes animi in apertum prodeunt. aliàs ineptum sit dicere, cogitationes in ore concipi. Mamertinus: *Versari cepit in sacri pectoris comitio Consulatus.*

ACTUS III. SCENA II.

SIMO, THEUROPIDES, senes. TRANIO servus.

MELIUS anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando esca una meruerit magis.
Prandium uxor mihi perbonum dedit.
Nunc dormitum jubet me ire. minimè.
Non mihi forte visum illico fuit,
Melius quom prandium, quàm solitum, dedit.
Voluit in cubiculum abducere me anus.
,,*NON BONUS SOMNUS est de prandio: apage.*
Clanculum ex ædibus me edidi foras.
Tota turget mihi uxor, scio, nunc, domi.
TR. Res parata est mala in vesperum huic seni.
Nam & cænandum & cubandum est intus malè.
SI. Quò magis cogito cum meo animo;
,,*SI QUIS dotatam uxorem habet,*
,,*Neminem sollicitat sopor:*
,, *Ire dormitum odio est.* nunc *verò* mihi
Exsequi certa res est, ut abeam
Potius hinc ad forum, quàm domi cubem.

 Atque

Atque pol nescio, ut moribus sient
Vostræ: hæc sat scio quàm me habeat malè:
Pejusque posthac fore, quàm fuit mihi.
TR. Si abitus tuus tibi, senex, fecerit malè,
Nihil erit quod deorum ullum accusites:
Te ipse jure optimo meritò incuses licet.
Tempus nunc est senem hunc alloqui mihi.
Hoc habet: reperi, qui senem ducerem:
Quo dolo à me dolorem procul pellerem.
Accedam. dij te ament plurimum, Simo.
SI. Salvos sis, Tranio. TR. ut vales? SI. non malè.
Quid agis? TR. hominem optimum teneo. SI. amicè facis,
Cùm me laudas. TR. decet certè. SI. hercle at te ego
Haud bonum teneo servum. TR. quid ita verò, Simo?
SI. Quid nunc, quàm mox? TR. quid est? SI. quod solet fieri.
TR. Dic igitur, quod solet fieri, *quid id est?*
SI. Quod facitis vos. sed, ut verum Tranio, *loquar,*
,, *Sic decet.* VT HOMINES SVNT, *ita morem geras.*
,, *VITA QVAM sit brevis, simul cogita.*
TR. Quid? ehem, vix tandem.
Percepi super his rebus nostris te loqui.
SI. Musicè hercle agitis ætatem, ita ut vos decet:
Vino & victu, piscatu probo, electili
Vitam colitis. TR. imò vita antehac erat:
Nunc nobis omnia hæc exciderunt.
SI. Quidum? TR. ita oppidò occidimus omnes, Simo.
SI. Non taces? prosperè vobis cuncta usque adhuc
Processerunt. TR. ita ut dicis, facta haud nego.
Nos profectò probè, ut voluimus, viximus.
Sed, Simo, ita nunc ventus navem
Deseruit. SI. quid est? quomodo pessimè?
Quæne subducta erat tutò in terra?
TH. Hei! SI. quid est? TR. me miserum, óccidi. SI. qui? TR. quia
Venit navis, nostræ navi quæ frangat ratem.
SI. VELIM VT VELLES, Tranio. sed *quid est negotij?*
Eloquere. TR. herus peregrè venit. SI. tunc tibi
Chorda tenditur: inde in *ferriterium.*
Postea in crucem rectà. TR. nunc te ego per genua
[illegible]
Ne quid metuas, nihil fiet. TR. patrone salve.
SI. Nihil moror mihi istiusmodi clientes.
TR. Nunc hoc quod ad te noster me misit senex.

SI. Hoc

SI.Hoc mihi responde primùm,quod ego te rogo;
Jam de istis rebus vester quid sensit senex?
TR.Nihil quicquam.SI.nunquid increpavit filium?
TR.Tam liquidus est,quàm liquida esse tempestas solet.
Nunc te hoc orare jussit opere maximo,
Vt sibi liceret inspicere has ædis tuas.
SI.Non sunt venales.TR scio equidem istuc.sed senex
Gynæceum ædificare volt hic in suis,
Et balineas & ambulacrum & porticum.
SI.Quid consomniavit?TR.ego dicam tibi:
Dare volt uxorem filio quantum potest:
Ad eam rem facere volt novum gynaceum.
Nam sibi laudasse hasce ait architectonem
Nescio quem, esse ædificatas has sanè bene.
Nunc hinc exemplum capere vult,nisi tu nevis.
SI.Næ ille malo quidem ab opere exemplum petit.
TR.Quia hic audivit *esse æstatem perbonam:*
Subdiu coli absque Sole *perpetuum diem.*
SI.Imò edepol verò,cum usquequaque umbra est, tamen
Sol semper hic est usque à mani ad vesperum.
Quasi flagitator astat usque ad ostium.
Nec mihi umbra usquam est, nisi si in puteo quæpiam est.
TR.Quid,Sarsinatis ecqua est? si Vmbram non habes.
SI.Molestus ne sis:hæc sunt sicut prædico.
TR.Attamen inspicere volt.SI.inspiciat, si lubet.
Si quid erit quod illi placeat, de exemplo meo
Ipse ædificato.TR.eon'?voco huc hominem? SI.i,voca.
TR.Alexandrum magnum,atque Agathoclem ajunt maximas
Duo res gessisse.quid mihi fiet tertio,
Qui solus facio facinora immortalia?
Vehit hic clitellas,vehit hic autem alter senex.
Novitium mihi quæstum instituti non malum:
Nam muliones mulos clitellarios
Habent: ego habeo homines clitellarios.
Magni sunt oneris: quicquid imponas,vehunt.
Nunc hunc haud scio an colloquar.congrediar.
Heus Theuropides. TH. quis nominat me?
TR.Hero servus multum suo fidelis.
Quò me miseras, affero omne impetratum.
TH. Quid illic obsecro tam diu restitisti?
TR.Seni non otium erat, id sum opperitus.
TH.Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut sis.

TR.Heus tu, si voles verbum hoc cogitare,
,,SIMVL FLARE sorberéque haud facile
Est: ego hîc esse & illîc simul haud potui.
TH. Quid nunc? TR.vise, specta tuo arbitratu.
TH.Age duc me. TR.num moror? TH.subsequor te.
TR.Senex ipse te ante ostium eccum opperitur.
Sed mœstus est se hasce vendidisse.
TH.Quid tandem? TR.orat ut suadeam Philolacheti,
Vt istas remittat sibi. TH.haud opinor.
,,SIBI QVISQVE ruri metit. si malè emptæ
Forent, nobis istas redhibere haud liceret.
,,LVCRI quicquid est, id demum trahere oportet.
,,Misericordias jam habere haud *hominem oportet.*
TR.Morare hercle, cùm verba *facis. subsequere. TH.fiat.*
Do tibi ego operam. TR.senex illic est. hem! adduxi tibi hominem.
SI.Salvum te advenisse peregrè gaudeo, Theuropides.
Dij te ament. SI.inspicere te ædis has velle ajebat mihi.
TH.Nisi tibi incommodum est. SI.imò commodum. i intrò, atque inspice.
TR.At enim mulieres. SI.cave tu ullam floccifaxis mulierem.
Quálibet perambula ædis oppidò tanquam tuas.
TH.Tanquam? TR.ah! cave tu illi objectes nunc in ægritudine,
Te has emisse. non tu vides hunc, vultu ut tristi est senex?
TH.Video. TR.ergo irridere ne videare & gestire admodum,
Noli facere mentionem te emisse. TH.intellego.
Et bene monitum duco, atque te existimo humano ingenio.
Quid nunc? SI.quin tu is intrò, atque ociosè perspectas, ut lubet?
TH.Bene benignéque arbitror te facere. SI.factum edepol volo.
TR.Viden' vestibulum ante ædis hoc? & ambulacrum quojusmodi?
TH.Luculentum edepol profectò. TR. age specta, postes cujusmodi!
Quantâ firmitate facti, & quantâ crassitudine.
TH. Non videor vidisse posteis pulcriores. SI.pol mihi
Eo pretio empti fuerunt olim. TR.audin', Fuerant, dicere?
Vix videtur continere lacrimas. TH.quanti hosce emeras?
SI.Treis minas pro istis duobus, præter vecturam, dedi.
TH.Hercle quin multum improbiores sunt quàm à primo credidi.
TR.Quapropter. TH.quia edepol ambo ab infimo tarmes secat.
TR.Intempestivos excisos credo, id eis vitium nocet.
Atque etiam nunc satis boni sunt, si sint inducti pice.
Non enim hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus? TH.video. TR.specta, quàm arctè dormiunt.
TH.Dormiunt? TR.illud quidem, ut connivent, volui dicere.
Satin' habes? TH.ut quidque magis contemplor, tanto magis placet.

TR.Vi-

TR.Viden' pictum, ubi ludificatur cornix una volturios duo?
Cornix astat, ea volturios duo vicissim vellicat.
Quaeso huc ad me specta, cornicem ut conspicere possies.
Jam vides? TH.profecto nullam equidem illic cornicem intuor.
TR.At tu istò ad vos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si vulturios fortè possis contui.
TH.Omnino, ut te absolvam, nullam pictam conspicio hîc avem.
TR.Age jam mitto, ignosco: aetate non quis obtuerier.
TH.Haec, quae possum, ea mihi profectò cuncta vehementer placent.
SI.Latius demum est operae pretium ivisse. TH.rectè edepol mones.
SI.Eho istum, puer, circumduce hasce edis, & conclavia.
Nam egomet ductarem, nisi mihi esset ad forum negocium.
PUER.Vin' qui perductet? TH.apage istum perductorem! non placet.
Apage istum à me perductorem! nihil moror ductarier.
Quidquid est, errabo potius, quàm perductet quispiam.
PU.Aedes dico. TH.ergo intrò eo sine perductore. PU.i, licet.
TH.Ibo intrò igitur. TR. mane sis: videam ne canis. TH.agedum vide.
TR.Est. TH.ubi canis est? TR.abi dierecta. st! abin' hinc in malam crucem?
At etiam restas? st! abi istinc. SI.nihil pericli est, age.
Tam placida est, quàm est aqua: vise. ire intrò audacter licet.
Eo ego hinc ad forum. TH.fecisti commodè, bene ambula.
Tranio age canem istam à foribus abducat face.
Etsi non metuenda est. TR.quin tu illam aspice, ut placidè accubat!
Nisi molestum vis videri te, atque ignavum. TH.jam ut lubet,
Sequere hâc igitur! TR. equidem haud usquam à pedibus abscedam tuis.

VERSUS hujus Sc. sunt Trim. catal, & acatalectici, usque ad illum, *Do tibi ego op.* à quo deinceps tetram. cat. troch. Sed, ut fatear verum, vereor ne multa sint in hâc Sc. non satis emendata: *Camerarius.*

1. MELIUS ANNO HOC MIHI NON FUIT DOMI] *Benè esse*, γενικῶς, inquit J. Gul. vitam omnem voluptariam complectitur. Bacch. act. 1.1. *Ubi tu lepidè voles esse tibi*, &c. Capt. 4-2. *scis benè esse, si sit unde.* P. Arbiter.

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet
Orcus.
Ergò vivamus, dum licet esse benè.

Origo formulae est, quòd, cui omnia secunda vellent, ei precarentur, *Benè esse.* Sic Horat. 2. Sat. 2.

——Benè erat non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque haedo:

i. bene curabatur pullo, &c. Pers. Sat. 4. *Hoc benè sit*, ubi *Hoc* sextus casus est: ut notat Ca- A saub. Item Hor. Sat. 8. *pulcrè fuerit tibi.* Catull. *Quare non tibi sit benè ac beatè?* Cic. 13. Attic. *Quid quaeris? delectatus est, ac libenter fuit*, i. liberaliter acceptus est. V. N. Men. act. 3.2.

2. NEC QUANDO ESCA] Nec unquam fuit, quando una esca mihi magis profuerit, quàm haec hodie: *L.* Ambo MSS. C. *Ne quod est cauna meruerit*, &c.

2. MERUERIT] Fateor, mira haec vox ad aures mihi quoque accidit. Sed tamen pertinacem istum omnium universorum, etiam vetustissimorum MSS. codd. consensum non minus miror, absque quo fuerit, utrâque manu tenerem, quod nuper Acidalius substitutum ibat, *me iuverit*. i. *iuverit*. Catull.

Non ita me divi, vere gemunt, iuverint.

Jam diu nullâ escâ se magis ait delectatum. *Juvandi* verbum & voluptatem notat & utilitatem. Juvamur enim cibo; qui Graecis exinde

inde ὄνειαρ appellatus: ut eruditè notarunt ad illud Capt.act. 1. 2. v. 27. *Neque unquam quicquam me juvat, quod edo domi,*&c.

6. MEL. QVOM PRANDIVM, QVAM SOLITVM, DEDIT.] ita J. Gul. paula mutatione magnam lucem attulit. Non, inquit, temerè & casu id fieri illicò in mentē venit, cùm lautius cotidiano prandium apponi mihi viderem: & certè illud erat: meridianam à me operam impetrare voluit. *Non fortè*, Plautinum est, οὐκ ἀλόγως, ut apud eundem nostrū, *Non temere est*, in Bacchid. *Non temerarium est*, Aulul. idem valet, *Non de nihilo*. Propert. *Non sum de nihilo blandus amator ego*. Curcul. 3.1. *Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam.*

6. QVAM SOL.] etiam MSS. *quam.*

8. NON BONVS SOMNVS EST DE PRANDIO] Mos erat veteribus, qui etiamnum obtinet, æstivo tempore meridie somnum leviusculum capere. quem Varro De re rust. libr. 1. c. 2. *Somnum insititiū* appellat elegantissimè: *Ego hîc, ubi nox & dies modicè redit & abit, tamen æstivo die, si non diffinderem meo insititio somno meridiem, vivere non possem*, &c. Meursius. Inferciunt hîc numeris credo fulciendis, *homini*, quod nec Cam. nec Lamb. in suis reperit, in solâ meâ. Brix. est: quæ tanti esse non debet, ut consensum reliquorum turbet.

9. ME EDIDI FORAS] Ita omnes phrasis pervulgata, *dare se foràs*. In Cæliana est *me dedidi*. *Ad med edidi*, Pareus edidit, hiatus vitandi caussa: quasi scilicet tale aliquid requireret versus; cujus numeros non magis tenet quam subulcus.

10. TOTA TVRGET] Casin. act. 2. 5.

15. NEMINEM SOLICITAT SOPOR] S. Bosius hunc versum sic explet: *Nem. soll. sopor; at sapor.* hoc sensu: In quâ domo est dotata uxor, in eâ neminem somnum capere posse, omnes esurire. Etiam *Novitius Editor*, è suo Curione variè hîc turbat. sed scio, qui accuratè omnia expenderit, palmam dabit studio & judicio Camerarii. Iste bonus *Curio* sæpè *Necurio* aut *Incurio* est. Locus hic in MSS. ita concipitur:

Si quis dotatam uxorem ..... habet
Neminem sollicitat sopo... t....
Ire dormitum odio est ve... ......
Exequi

24. TE IPSE JVRE OPT. MERITO INCVSES L.] quia tibi ipse malè facis; dum ultrò abis domo, non modò ab uxore non ejectus, sed ab eâ blandè in cubiculum allectus L.

26. HOC HABET] *Hoc habet*: &, *habet*: vox propria in gladiatores vulneratos, aut irretitos: vel insultantis adversarii; vel vulgi acclamantis: Donatus. Turn. lib. 17. 10. Lipsius Saturnal. lib. 2. 21. Ter. And. 1. 1. *certè captus est: Habet* Virg. 12. Æn. *Hoc habet*. i. letali ictu percussus est. Prud.

Hoc habet, exclamat victrix regina.
Seneca Agamemn.
Habet: peractum est: quas petis, pœnas dedit.

Germ. Er hats. Er hat sein theil.

32. QVID ITA VERO, SIMO?] Post h. v. infert Lamb. istum: *SI. Eja mastigia, à meridie amisti serio.* itaque legi in suis Codd. ait: & explicat. cujus tamen explicationem falsè ridit Palm. fol. 83. Spicileg. atque ita legit: *Eja mastigia. nam quid à merendâ abisti, gerro?* Quid, inquit, tu gerro abiisti à merendâ? Quando enim totos dies convivari solerent, miratur Simo, Tranionem, qui caput ei rei esset, à congerronibus discessisse. Sed plura, si tanti, apud utrumque legas malim quàm hîc. MSS. Cam. hîc etiam mutili & manci sunt. nec quidquam juvant edd. vett. nos Camerariana secuti sumus; detestati eum, qui heic clamat: Proh Deum atque hominum fidem? cui cortinam istam dedit Phœbus ut sic explerentur? ita enim rudere solent Asini Cumani Leonis circumamicti exsuvio. nam quid ineptius est, quam ut Simo eum compellet initio *mastigiæ* nomine, quem deinde comiter usque alloquitur.

36. SIC DECET; VT H.] q. d. Philolaches est corruptus & voluptarius: sapienter igitur facis, qui ei non adverseris, sed morem geras. Ter. Adel. 3. 4. *Verùm quid facias? ut homo est, ita morem geras.*

37. VITA QVAM SIT BREVIS, SIMVL COGITA.] Hor. 2. Sat. 4.

Dum licet, in rebus jucundis vive beatus
Vive memor, quàm sis ævi brevis.
Lucretius:
——brevis est hic fructus homillis.

39. SVPER HIS R.] Citat hæc Festus ex *Phasmate Pl.* in *Super.* Ergo *Mostellaria* & *Phasma* una & eadem est Fabula.

40. MVSICE HERCLE AGITIS ÆTATEM] *Musicè vivere*, quid sit, docet hic ipse Plautus. Huic confine; *Tibicinis vitam vivere*, hoc est, lautè

lautè quidem, sed alieno sumptu. *Jus hoc est Cantorum & Poetarum, ut sacrificent sine fumo:* id est, lautè epulentur, nullo suo sumptu. Sie haben frey schuren. de quo Is. Casaub. ad Athen. lib. i. cap. 8. ἄκαπνα ἀοιδοὶ θύομεν.

41. VINO ET VICTU;] Gul. l. *Vino & victu probo, piscatu electili. Victus probus*, lautior est, unde paulò pòst, *probè vivere*, genialiter & opipare vivere. Sic Rud. dixit, *merces improbas*, putiscentes & degeneres. Sed tamen qui indolem sermonis Plautini novit, sentiet istâ collocatione opus non fuisse.

42. IMO VITA ANTE HAC ERAT.] Ita edd. primæ, nec dissentiunt longè MSS.

43. NUNC NOBIS OMNIA HÆC EXCIDERUNT.] Ita Cam. nam MSS. *Nunc nobiscum communia hæc excid.* quod & in edd. vett. Pareus heic notat alios licenter sic edidisse: *Nunc nobis isthæc exciderunt omnia.* At sic ipsamet ejus editio prior, sic ipsemet Pareus.

48. ITA NUNC VENTUS NAVEM DESERUIT] Allegoria. Q. d. fortunati esse desiimus: res non succedit amplius ex sententiâ.

49. QUOMODO PESSIME, QUÆNE SUBD. E. T. IN TERRA] *Quæne*, pro, *Quæ*. V. N. Epid. 5. 2. J. Gul. Verisl. lib 1. 4. l.

—— *quomodo pessum ire potuit.*

Non potest, inquit, ut submersa vobis navis sit, quam in terram dudum subduxistis. Malè, Grutero judice. nec enim navis continuò perit, quæ suo destituitur vento. Et quomodo hic agat de naufragio senex, cùm ejus posteà fiat mentio his, *Venit navis* &c. Verum de hoc loco nihil pronunciare posse se ait, cùm sit in MSS. mutilus. Acidalius etiam Gulielmii illud rejicit, & sic leg. *SI. quid est? TR. quomodo pessime potuit? SI. Quæ ne subd.* dicit navi ita esse, ut pejus non potuerit. quod mirum Seni videtur in eâ, quæ quasi in terram fuerit subducta. Sed quid moliamur in hoc naufragio tabulis spuriis?

NOSTRÆ NAV.] ita MSS. Cam. Acid. l. *nostram vi quæ frangat ratem.* quod in contextum statim admisit ineptia Parei editione prima. cujus item Electa cantant: Cùm ventus navem deserit, periculum est naufragii, quæ verba plus quam puerilia eis qui unquam vel eminus aspexerunt mare, nedum navigarunt.

50. SUBDUCTA] *Subducuntur naves* ex alto in portum: *Deducuntur* ex portu in altum.

53. VELIM UT TU VELLES,] i. velim eveniant. de quâ ellipsi Ant. Popma *De usu ant. locut. lib. 2. c. 11.* Cui boni ac secundi aliquid obtigerat, ei, ominis causâ, gratulabundi dicere solebant, *Feliciter*, aut, *Feliciter quod agis*: cùm significarent, cupere se eum perpetuò eâdem felicitate uti. Juvenalis Sat. 2.

Signatæ tabulæ: dictum Feliciter.

Contrà, cui malè & adversus animi sententiam erat, eū alloquentes dicebant; *Vellem, quæ velles*. cùm indicarent, dolere sibi, quod illi malè esset: ac si dicerent: Vellem tibi ita esset, ut tu quoque velles: mihique ægrè est, quod tibi quicquam præter voluntatem tuam evenerit. Hæc & plura Muretus Var. Lect. lib. 9. 8. Eadémque Lipsius Antiq. Lect. lib. 3. laudans, & hinc stabiliens illud Senecæ Epist. 67. *Aspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus admoventem, & vulnera parum demissa laxantem. Utrum illi tandem dicturus es, Vellem quæ velles: &, Molestè fero? an, Feliciter, quod agis?* At verò J. Grut. Susp. libr. in hoc Senecæ, defendit lectionem Erasmi, *Nollem quæ velles.* Et altero, inquit, utebantur, cùm affectu magis aliquem, quam effectu adjutum ibant. Ei diversum, *Nollem, quæ velles*: quod dissuadendi erat, & ad aliam adhortandi mentem &c. In MSS. Cam. & vett. edd. est, *Velim ut tu velles.*

54. ELOQUERE.] ita è MS. pr. reconcinnavimus.

55. TUNC TIBI CHORDA TENDITUR: INDE IN FERRITERIUM] Nostri simii dixerint: Du kriegst gewis die Strapichorde. Lambinus leg. *ferricernuum*. Sed Palm. Profectò, inquit, quid sit, *venire in ferricernuum*, ne ipsum Apollinem scire opinor, &c. legendum, *ferriterivium.* sic enim carceres & catenas vocat, quòd ferrum in iis teratur. V. N. Trin. act. 4. 3. Et, *tibi chorda tenditur*, æquè minus rectè à Lamb. explicatum est: cùm simpliciter hoc dicat Simo: Tunc tibi vincula nectuntur. Douza retinet *ferriterium*, eâdem formâ, quâ *sphæristerium*. quod & Gruterus in MSS. Cam. signatè scriptum testatur. iidem tamen, *tunc..... cor tenditur Inde ferriterium postea .... ennia obsecro.* supplevit Camerarius. nam edd. vett. non multum abeunt à chirographis, nisi quod ita omnia jungant simul, ac si nihil deesset.

58 Pa-

58. PATRONE SALVE] Sic eos, quorum patrocinio usuri erant, salutabant. Etiam hâc formulâ manumissi patronos suos salutabant.

64. TAM LIQVIDVS EST, QVAM LIQVIDA ESSE TEMPEST. SOLET] *Turbare* & *Liquare*, inquit Turn. lib. 16. 10. contraria sunt, & in liquore ponuntur: quod vel ex Pl. Most. act. 2. 1. liquet: ubi servulus, *lifficiam*, inquit, *quæ facta hic turbavimus, Profectò ut liqueant omnia & tranquilla sint*. Inde ad alia transferuntur: ut, *liquida æthra*, quæ opponitur turbido aeri: *Liquidus ignis* est purus, tenuis, clarus: *liq. auspicium*; de quo V. N. Epid. 2. 2. *liquidus animus*, Epid. 5. 1. & Pseud 1. 3 &c.

69. AMBVL. ET PORTICVM.] Notari meretur, in privatis ædificiis fuisse & ambulationes & porticus: de quibus non inepte Gutherius: lib. 2. Manium cap. 30.

70. QVID CONSOMNIAVIS?] τὸ ἐκεῖνος ὀνειρώττει ; unde hoc ei tam stulte venit in mentem? L. & Turn. lib. 16. 10.

73. ARCHITECTONEM] ita MS. pr. initio: sed a manu extranea factum *architectorem*: quod & in MS. sec. & Samb. est: malitque Turnebus vel antiquitatis gratiâ.

75. NEVIS.] i. non vis.

76. SI. NÆ ILLE MALO QVIDEM AB OPERE EX.] Simo opes suas & mœnia, quod modesti solent, extenuat. Cæterum, hunc locum ita repræsentavi, ex collatione multorum Codd. & sententiarum, quæ mirè variant. Si non ad obrussam Veri ubique: tamen, scio, ad imaginem aliquam illius. nam hic etiam versus cum duobus seq. in MSS. lacunas in medio habent: quorum lectiones parum bona fide citat Pareus, ut ferè semper.

SVBDIV] Sic dictum, ut *interdiu*: D. sed Lamb. & Palm. legebant, *sub dio*, i. Jove.

79. IMO EDEPOL VERO &.] Immò, inquit Simo, contrarium fit. nam cum ubique locorum umbra est, Sol ad vespertinum tempus à matutino usque, quasi creditor importunus, *hic* pro foribus adstat.

80. A MANI] Sic & Servius in 5. Æn. ubi docet, Adverbia, si Nomina fiant, declinari, ita in Milite, *de bessperi suo*.

81. QVASI FLAGITATOR.] Haud dissimili argutia Lysius apud Athenæum fine libri XIII. ait, diluculo statim obsidere Æschinis domum creditores; ut ad exequias ejus convenire alicui videri possint.

83. QVID? SARSINATIS ECQVA EST, SI VMBRAM NON HABES?] Argutè, sed umbrosè & obscurè. *Sarsinatis* enim nominativus antiquus, ut *Summatis, Infimatis, Cujatis*: pro quibus nos *Sarsinâs, summâs*, diceremus. quod olim P. Valla etiam monuit. Et credo ego magistellos istos e trivio ex hâc antiquâ terminatione suum illud Neutrum in ejusmodi Gentilibus finxisse; *Sarsinate Arpinate*, item *nostrate* &c. Cum tamen *Sarsinâs, Arpinâs, nostrâs*, & talia, Gen. Omnis sint, ut cætera Adjectiva unius terminationis. Ita Cicero 16. Attic. 13. *iter Arpinâs*; non *Arpinate*. Livius, *bellum Capenâs*, &c. Alludit autem ad patriam suam Plautus: siquidem *Sarsina* una ex Umbriæ civitatibus. Straboni libro 5. Silius lib. 8. *his Sarsina dives*. Etiam Plinius 3. cap. 14. *Sarsina* agnoscit in editione Dalechampii; ut mirer Ortelii MSS. in quibus *Farsina*, & *Farsinates*; & habet sententiæ suæ suffragatorem L. Parrhasium & alios. Sunt etiam quibus *Sassina* placet. Jam verò umbra bipartitæ notionis est, significans non modò *aerem lumine cassum*; ut ait Lucret. sed & mulierem ex Umbria prognatam. In quo ambiguo Poeta ludit.

89. DVO] pro, *duos*.

91. VEHIT HIC CLITELLAS &c.] *Vehit*, dixit; non, *gerit*: quia mulus, equus, camelus, bos, vehicula sunt: *L. Clitellæ* Horatio 1. Sat. 5. sellæ dossuariæ sunt jumentis imponi consuetæ ad onera commodius gestanda. Sensus ergo hujus versus est: Quemadmodū hero meo clitellas impono, & vehere facio; ut super illis omne onus, hoc est, dolos & fallacias meas imponam: ita & hic alter senex Simo vehit clitellas, &c. hoc est, uterque probe ludificatus est: *Pylades*.

91. VEHIT HIC AVTEM] Venustius est, inquit J. Gulicl. quam ut quivis e vulgo capere possit ita collocatum *autem*. V. N. Mer. act. 1. 2.

95. MAGNI SVNT ONERIS] magno oneri ferendo sunt.

96. HAVD SCIO, AN COLL.] *Haud scio*, inquit *L.* apud bonos scriptores, ait seu ponit; ut hic & apud Cic. passim. P. Manutius Epist. Cic.

Cic. Fam. lib. 9: 9. *Nescio*, vel, *Haud scio an*, pro, *fortasse*, usurpat Cicero. *Quod nescio an ulli unquam nostro acciderit imperatori*. l. 9: 15. *Est idquidem magnum, atq; haud scio an maximum*. lib. 9: 14. *Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini*; pro, quod opinor nemini, vel, fortasse nemini. Est etiam dubitatio quædam; ita rem amplificans, ut species minuatur assentationis. Vide ibid. Porro Victorinus Gram. testatur, hanc vocem, quoties vocalis sequitur, per *d* literam in fine scribendam; alias semper *t*: & ita reperiri in vet. libris, probat L[illegible]us Var. Lect. lib. 3: 29. Phocas Gram. ap[illegible]tè testatur, *Haut scio*, unâ voce scrib[illegible], &c. Porrò S. Ulr. Pistoris; Valdè, inquit, suspectum est, quod dubitat Servus, an colloqui debeat Senem: cum tamen ea mente discesserit à Simone, & quidem re ex sententiâ gestâ. Aliter quoque legitur hic versus in Venetâ: sed æquè ad rem impertinenter. Omninò puto latere ὕπουλον aliquid, quod ad metaphoram *de mulis* sumptam pertineat. Acidalius, Scio, inquit, Tullium illud *Haud scio* in modestâ affirmatione uti. at ei qui hîc locus? neque enim deliberat Servus an herum sit aditurus: qui ideò venerat. Pro *haud scio* igitur scrib. *auspicio*, levi mutatione, at sensu perpulcro & apto. Ait, bono se auspicio herum compellaturum. *Auspicio* enim est *auspicato*, ut in Epid. *Ut importem in coloniam hunc auspicio commeatum*. & verò Acidalii conjectaneum statim editioni suæ primæ invexit Pareus. MSS. Cam. & vulgatum ego teneo. Potuit Servus inter molitiones istas, ut fit in malis consiliis, trepidare: aut certè simulare, novo aliquo & e re natâ consilio sibi nunc subitò opus esse. Quibus omnibus animam dabit histrio aliquis Proteus.

102. ANTIQVVM HOC OBTINES TVVM] Ter. And. act. 4: 5. *Pol, Crito, antiquum obtines*.

104. SIMVL FLARE SORBEREQ. HAVD FACILE EST.] Nam *duas res magnas præsertim* (ait Cic. in Philip.) *non modò agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam possit*. Hinc illud:

Pectora nostra duas non admittentia curas.

Nam quotusquisque Cæsari similis? quem *scribere & legere simul, dictare & audire solitum accepimus. epistolas verò quaternas pariter librariis dictare: & si nihil ageret, septenas*: ut tradit Plin. lib. 7. cap. 25. & Plut. in *Cæsare*. Aut Hadriano? qui, ut est apud Spartianum, *uno tempore scribebat, dictabat, audiebat, & cum amicis fabulabatur*.

111. VT ISTAS REMITTAT SIBI.] venditione rescissâ.

112. SIBI QVISQ. RVRI METIT.] ita MSS. Cam. & Lamb. Proverb. rusticum, quo significatur, sibi quemq; consulere. Tale illud:

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.

Cadente quercu ligna quivis colligit.

S. Pistoris, Scio, inquit, alibi esse: *Mihi nec seritur, nec metitur*. Scio etiam hoc quod legitur, commodè explicari posse: sed verum tamen non semper esse, etiam scio: cum non omnes ruri sibi metant, sed maxima ferè pars aliis, nempè dominis. valde itaque placet, quod est in Venetâ: *Sibi quisque in jure cavet*. vel: *sibi quisque jure cavet*. nisi altera constanti meliorum lib. consensu retinetur. Ex medio certè Jure est id, quod in Venetâ habetur. Eo enim sibi quisque tantùm, non autem alteri stipulari aut cavere potest. §. alteri. Inst. De inutil. stipul. Et res, de quâ agitur, ad Jus pertinet; ideoque etiam mox verbo juridico *Redhibere* utitur. Hæc ille. In Venetâ Papiensi, Paris. & Arg. *sibi quisquam jure metuit*. Parei prima invalit illud *jure cavet*: & laudat in Electis.

113. REDHIBERE &c.] Festus: *Redhibitum id propriè dicitur; quod redditum est improbatumq; ei, qui dedit, itemq; rursus coactus est habere id quod antè habuit*. inde redhibitio, ἀναγωγή: ut docet Briss. ex Hesych. Mercat. act. 2: 3.

115. MISERICORDIAS] Hic versus neque in vet. edit. neque in MSS. hoc loco apparet. Plauti tamen est, & legitur infrà post versum ultimum act. 4: 1. *Postremo minoris &c.* atq; in utroq; MSS. quidem sic concipitur:

Misericordias ······· hominem oportet.

In vulgatis post hæc leguntur ista:

TR. Satius demum est. operæ pretium nunc est inisse.

Sed nec in MSS. nec meliorib. edd. hîc apparent. nimirum isthæc sic connectenda putabat, tanquam in re manifestaria, Joach. Camerarius: placuitque in hunc usq; diem Senatui populoque Critico. at enim Pareus tragica declamatione Plauti fatum deplorat, tanquam spado factus à sectoribus crudelissimis;

ſimis, qui Comicum redegerunt in ordinem contra auctoritatem ſacroſanctorum MSS. codd. is ergo magno niſu membra optimè juncta in antiquum reponit locum, non ſine verborum triumpho excellenti. ὢ οἷα κεφαλὴ καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει!

116. MORARE,] pro, *moraris*. abſolutè. In vulgg. poſt hunc v. legitur: *TH. Quin tu rectè edepol mones: ſubſequere me.* Sed non eſt in MSS. Cam. & Samb.

117. FIAT] Sic MS. ſec. & edd. vett.

121. AT EN. MVLIERES] ſc. domi ſunt, quæ moleſtè ferent meam præſentiam.

122. TANQVAM] Theuropides, cui aliud perſuaſum erat, hoc Adverb. non poteſt concoquere.

122. TE EXISTIMO.] Ita à manu ſecunda MS. pr. ſed prius erat *ſe*, quod & in ſec. nec diſplicet. nam ſanè & edd. vett. *eſſe*.

127. HVMANO INGENIO] MSS. Samb. & vett. ed. *humani ingenij*. Cam. duo, *humani ingenio*. à manu prima. nam quæ heic notat Pareus, inſaniam reſipiunt. contraria enim loquitur de iisdem libris.

129. BENE BENIG.] vett. ed. *Benè bonique*. MSS. *Bene benique*. mutatumque in primo à recenſoris manu, *denique*: quod arripuit Pareus, plus quam ineptè; & repugnante verſu. alterum noſtrum debetur conjecturæ Camerarii oppidò ſanè eleganti, ſed ei tantum cui mens eſt ſua. Porro antea in Cam. & ſeqq. edd. heic poſt duos verſus legebantur alii duo verſus: *Vin qui perductet? Apage iſtum perductorem &c.* quæ cùm ferè repetantur infra verſu 157. utrunq; jugulavi, tanto confidentius quod uterque MSS. hîc trajectiones ſuas ineptas exerceret.

132. QVANTA FIRM.] ita MS. ſec. & Samb. & Edd. Pareus invexit *Quam*, non ſine aperta ruina verſus.

134. EO PRETIO EMPTI F. OLIM] Cum pulcros poſtes laudaret alter, hic reſponderet; Sanè tali, i. *pulcro* pretio ſibi emptos, *Pulcrum*, eſt luculentum pretium: unde, *Pulcrè vendere*, & ſimilia, apud noſtrum. Acid.

134. AVDIN' FVERANT, DICERE?] q. d. audis quòd & ipſe Simo non amplius ædes

A haſce pro ſuis habeat: cum dicat, *Fuerant*. unde id credens Th. rogat Simonem per idem tempus: *Quanti has emeras?* q. d. quando tui erant.

138. AB INFIMO TARMES SECAT.] Ita Scalig. *Tarmes*, is eſt Vitruvio, qui θρίψ Græcè vocatur. Ut intelligat vermiculatos & θριπηδέστους. Jam *ſecare* & *cadere*, aptum verbum ei rei, &c. Lucilius: *Lanæ opus omne perit. ſquallor, tineæ omnia cædunt.* Nam Græci κόπτειν, ut κόπτουσι ὑπὸ σητῶν &c. Vide eundem in Conjectaneis: item ad Feſtum. Ita Servius 1. G. v. 56. *Tempore importuno caſa arbores citò termites (ſ. tarmites) faciunt. ita enim ligni vermes vocantur.* MSS. Cam. *trmmis ſ.*

139. INTEMPESTIVOS EXCISOS CREDO] Conſulatur Plin. lib. 16: 39. & lib. 18: 32. *Omnia*, inquit, *quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius decreſcente Lunâ, quàm creſcente fiunt.*

141. PVLTIFAGVS OPIFEX] Turneb. lib. 19: 12. & Lamb. intelligunt Latinum ſeu Romanum artificem: ut & Lipſius lib. 5: 16. De Milit. Romanâ. At Scalig. in Conject. Pœnum: Hi enim, inquit, lignario opere
B claruerunt. unde multa fabricæ ligneæ opera ab illis nominata, ut, *lecti Punici*, Plin. lib. 33: 11. *feneſtra Punicanæ*, Varroni: & *torculare Pœnicum*, eidem: & *coagmenta Punicana*, quæ fideliter hærebant, nec hiaſcebant, apud Caton. Itaque ab hâc mente Plautus, cum vult oſtendere ædium poſtes hiare, ait non eſſe factos à Pœno fabro. non enim hiaſcerent commiſſuræ; ſi Pœnus faber eas conjunxiſſet. Hæc Scaliger. cum quo facit Auſ. Popma.

143. COAGMENTA] Nonius: *Coagmenta dictæ ſunt conjunctiones arctæ & compares: à cogendo, id eſt; ſtringendo: unde coagulum. hinc coagmentare.* Cic. Cat. M. *Vivendi eſt finis optimus, cum integrâ mente, certisque ſenſibus opus ipſa ſuum eadem quæ coagmentavit, Natura diſſolvit.* Hæc Lectio omnibus jure placuit, utpote liquidiſſima, & firmata omnium librorum conſona auctoritate. Pareus modò eam exturbat, ſuppoſito *ornamenta*, ex neſcio quo MS. quem nemo unquam vidit. neque eo contentus, adhuc in Lexico defendit ſuum facinus, tanquam factum

ctum non sine caussa. Videtur enim, inquit, innuere ornamenta varia ædium præliminaria, aliaque quæ in postibus parietibusque hinc inde visebantur. Nihil minus. nam primum, librarii nunquam ita variè scribebant in vocibus sibi notis. deinde ornamentis illis erant nomina propria. quibus potius insigniisset servus. denique doceat nos, quomodo ea lepidè dicantur *dormire*, aut *connivere*.

142. QVAM ARCTE DORMIVNT] Quia connivere dicuntur, inquit Polit. Miscell. cap. 66. qui dormitant: ut apud Cinnam lectus est versiculus; *Jam gravis ingenti connivere pupula somno.* ideò, cùm in foribus juncturas esse minimè laxas servus ostenderet, dormire eas ridiculè prius, dein etiam connivere jocularitèr dicit, ex oculis dormitantium ductâ metaphorâ. *Inconnivos oculos*, & *inconnivas vigilias*, in Apulejo notarunt. MSS. servant *conivent*, unica litera. quod tamen Pareus non sequitur: cùm aliàs eisdem adhæreat à ratione alienoribus: ut infra in *quidquid*, pro *quidque*, in *velitat*, ubi edd. *vellicat.* &c.

143. DICERE. SATIN' HABES? TH. VT] ita Personas disting. omnes, præter Brix. Indubiè Tranionis verba sunt, quibus rogabat, an jam satisfactum sibi existimaret: ad quod Theuropides respondet, ut magis singula contemplaretur, eò placere magis. Idem Meursio & Pistori visum ac probatum.

145. VIDEN' PICTVM VBI L.] Hoc fingit: nam nusquam hæc pictura in ædibus Simonis erat. Per *Cornicem* autem se Tranio intelligit; per *Volturios* senes duos: vel propter capitum canitiem; vel propter defloccatam calvitii deformitatem; vel etiam ob avaritiam: ut Dousa annotat. V. N. Trin. act. 1: 2. Cæterum *pictum* hic pro *pictura* positum, Turnebus ait: ut in Sticho, *Cursura* pro *Cursu*, & talia.

145. LVDIFICATVR] i. ferit, vellicatque ident dem rostro. Vide Dousam ad illud Tibull.

Ima videbatur talis illudere palla.

i. subinde percutere, interprete Mureto.

A Quanquam Tranio δι' αἰνιγμῶν hoc intelligit.

146. VELLICAT] MSS. Cam. & Samb. *vellitat.* item vett. edd.

147. QVÆSO HVC AD ME SPECTA] Hinc etymon *Theuropidis* derivandum puto: quasi ἀπὸ τοῦ δεῦρο, καὶ ὀπὸς: quod τὴν ὄπα, *visum*, vel ὦπα, *oculum* (quod verius videtur) δεῦρο, i. *huc* flectere juberetur. Sic Simo ad eundem Theur. posteà act. 4: 3. *Quæso edepol, huc me specta* &c. D. F.

148. PROFECTO NVLL.] sunt qui leg. *profecto. nullam eq.* Non malè: si autoritas veterum Codd. juvaret. id tamen in contextum admisit edit. prima Pareus: exclusit secunda. qualis levitas!

149. AT TV ISTO AD VOS OBTVERE] ita MSS. Cam. at MSS. Samb. & vet. ed. meliores, *istâc advos* &c. Cætera sunt interpolatæ. Curionis tamen arripuit, Parei editio prior. *Advos*, i. in eam partem, ubi vos estis. Facetè enim jubet senem in eam partem oculos flectere, ubi ambo sunt: quasi ibi sint duo volturii picti: cum tamen alii nulli volturii essent præter senes ipsos, quos Tranio per *volturios* significat. L. D.

B

151. ÆTATE NON QVIS OBTVERIER.] Hoc est, *Malæ ætatis* vitio *minus sincerè* (ut loquitur Epid. *utilitatem oculis obtines.* Sic Pœnulo, *senes ætate tardiores*, i. per, vel propter ætatem sequiorem. D.

159. APAGE] Duo isti seq. v. in MSS. lacunas habent. dum tamen eos repræsentant integros ante versum 139. non est quod Pareus dicat suppletos à novitiis Criticis. quin præterea, deleta Simonis persona, substitui Pueri; sine auctore quidem, sed ratione volente. inepte enim duobus locis eadem repetebantur.

160. ÆDEIS DICO.] ita MSS & veteriores edd. Nugæ hominis Pylades præposuit *Per.* Totus autem hic locus in ambiguo est. Muretus Var. Lect. lib. 6: 7. docet, *Habere mulierē; mulierem cum aliquo esse*; Græcis συνεῖναι, & συνοικεῖν, *ductare*, eandē rem exprimere.

ut

ut enim, inquit, ductat exercitum is, cui pa- A ret exercitus: ita *ductare mulierem* dicitur is, cui illa obtemperat morigeraq; est in rebus omnibus. Asin. act.1:3. & alibi. Terent.

——*me eam ductas gratiis?*

Atque ita intelligendum est illud Fabii, lib.8. *Ductare exercitus, & patrare bellum, apud Sallustium, dicta sanctè & antiquè, ridentur à nobis, si diis placet.*

160. SINE PERDVCTORE.] V.Ed. *TH.ergò intrò eo: sine perductorem.* *SI. i.licet.* quod rectum putat Meurs.pro, *omitte perductorem.* Etiam Gruterus adolescens hic satagebat. Sanè *ducere* & *perducere*, inter Venerea habentur. Hinc responsio illa senis, &c. Etiam Torrent. ad Sueton. docet, *perductores* Plauto & Ciceroni non multum à lenonibus differre. eosdemque *perducere*, ut & *deducere* ad amoris conciliationem traxisse. Antiq. Lexicon: *μαστροπεύω, lenocinor, perduco. μαστρωπὸς, leno, perductor.*

161. TR. ST. MANESIS:] ita Grut. è MSS. B Cam.& Samb. *TR. st. mane sis.* Revocantis sibilus *st.* Vide Epid.2:2.

161. VIDEAM NE CANIS] sc. sit aliqua mordax in introitu, quæ domûs custos in te ignotum sæviat. quem Seneca lib.3. cap.37. De Ira, *canem catenarium* appellat. Ut sibi caverent, qui domum ingredi vellent, inscriptum erat januæ longis litteris, CAVE CANEM. Quia non solùm vivus canis accubare solebat, sed etiam sculpi vel januæ appingi cum ista inscriptione. Ita Petronius in Trimalcionis domo: *Ad sinistram intrantibus, non longè ab ostiarii cellâ, canis ingens cathenâ vinctus, in pariete erat pictus, superque (quadratâ litterâ) scriptum, CAVE CANEM.* Vide Popmam ad Varronem, & Casaub. ad Theophrast. Et, *Cave canem*, Proverbii more usurpatum fuisse, monet etiam Turn.lib.16:4. V.N. etiam Trucul. act. 2:4.

163. AT ETIAM RESTAS? ST! ABI.] V.N. suprà, act. 2: 2.

164. TAM PLACIDA EST, QVAM EST AQVA.] Ita edidit Camerarius, & ita correctum est in MS. primo, deleris prioribus, quæ videntur fuisse eadem cum MS. sec. qui, *quam feta quævis eire.* Hinc ego fecerim, *quàm fit,* (vel, *sit*) *aqua: Vise. ire intrò aud.* At ingeniosiss. Gruterus: *Tam pl. est, quàm fœta, quævis ire intrò aud.* Et *fœta* quidem vet. etiam editiones præferunt. Q.d. Ne metuas: Canis non minus est placida, quàm est gravida. Sic loquitur Aul. act. 2: 2. *Ætatem meam scis. EV. scio esse grandem, itidem ut pecuniam.* Acidal. ait, quasdam edit. habere *aquila.* hinc ille fac. *ovicula.* Quæ illæ, quæso, editiones? si modò ullæ. Sambuci tamen Chirographi itidem *aqua* agnoscunt. Q.d. Tam placida est, quàm mare, cum tranquillum est. Nam & *aqua* dicitur, cum æquata est, ut in tranquillitate: *Unda,* in tempestate: Turneb.l.16:10. auctore.

166. ABDVCAT FACE.] sc. Ostiarius, aut familiaris aliquis. nam ita MSS. & vetustiores ed. At Gruterus ita explicat: Fac canem istam, ut à foribus abducat, pro, abducat se. *Ducere se aliquò*, pro, conferre. & ut accusandi casus pro nominandi positus sit, usitatè: adeatur & Schopp. lib. 2. Susp. Lect. Ep. 15. Credas etiam verum esse; *canem istam à foribus abduc. at face.* aptè: ut increpatio sit cunctantis.

ACTUS III. SCENA III.

TRANIO servus, THEVROPIDES senex.

QVID tibi visum est mercimonii? TH. totus gaudeo.
TR. Num nimio emptæ tibi videntur? TH. nunquam edepol ego me scio
Vidisse usquam abiectas ædes, nisi modò hasce. TR. ecquid placent?
TH. Ecquid placeant, me rogas? imò herclè verò perplacent.

TH. Cujus-

TH.Cujusmodi gynæceum? quid porticum? TH.insanum bonam.
Non equidem ullam in publico esse majorem hic existimo.
TR.Quin ego ipse & Philolaches in publico omnes porticus
Sumus commensi. TH. quid igitur? TR.longè omnium longissima est.
TH. Dij immortales mercimonij lepidi! si hercle nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro istis præsentaria,
Nunquam accipiem. TR.si, here, te accipere cupies, ego nunquam sinam.
TH. Bene res nostra collocata est istoc mercimonio.
TR.Me suasore atque impulsore id factum audacter dicito:
Qui subegi, fœnore argentum ab Danistâ ut sumeret,
Quod isti dedimus arraboni. TH.servavisti omnem ratem.
Nempe octoginta debentur huic minæ. TR.haud nummo amplius.
TH.Hodie accipiat. TR.ita enimverò: ne qua caussa subsiet,
Vel mihi denumerato: ego illi porrò denumeravero.
TH. At enim, ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi.
TR.Egóne te joculo modò ausim, dicto aut facto fallere?
TH.Egon' abs te ausim non cavere, ne quid committam tibi?
TR.Quia tibi unquam quicquam, postquam tuus sum, verborum dedi?
TH.Ego enim cavi rectè. eam mihi debeo gratiam atque animo meo.
Sat sapio, si abs te modò uno caveo. TR.tecum sentio.
TH.Nunc abi; i rus. dic me advenisse filio. TR.faciam ut voles.
TH.Curriculo abi, jube in urbem veniat jam simul tecum. TR.licet.
Nunc ego me illà per posticum ad congerrones conferam.
Dicam ut hic res sint quietæ, atque ut hunc hinc amoverim.

VISUM EST MERCIMONII] Ita MSS. & Edd.priscæ. recentiores immiserunt, *est hoc merc.* quod & Pareana contra fidem suam retinuit. Gruterus versui succurrebat, repetitione vocis, *totus totus gaudeo.*

V.3. VIDISSE USQUAM] MSS.& Edd.vett. *unquam.* iidem libri, fine versus, *scito.*

3. VIDISSE USQUAM ABLECTAS] Ita Cam. editio & vett. Tamen Turneb. lib.16:10.l. *abjectas.* (ut est in Arg.) abjectas enim dici ædes vilissimo pretio venditas: ut non tam venditæ videantur fuisse, quàm projectæ. Atq; hæc à se etiam jampridē visâ Tur. sc. occupasse, plorat Monstroliensis. Sed nos meritò tenemus: quod & in MSS. utroq.est. J.Scal.ad Fest. *Alegmina* sunt partes, quæ diis porriciebantur, quæ propterea dicebantur *prosiciæ* & *prosecta*, tanquam separata quædam à reliquâ visceratione. Id enim *ablegere*, imitatione Græcorum, qui dicunt ἀπολέγειν. et ò *Ablegmina*, ἀπολεγμοί. apud Plaut. *Ablectas ædes*: neque enim mendum est, quod A putant doctiss. viri. *Ablecta ædes*, ἠξετημελημέναι, & quasi essent pro derelictis, &c.

5. INSANUM BONAM] i. valdè bonam. V.N.Bacchid.4:5. Trin. act.3:2.

9. MERCIMONII LEPIDI!] Græcismus: in quo subintelligitur ἕνεκα, vel potius ὤ. ut Plato lib. 6. de Republ. Ἄπολλον δαιμονίας ὑπερβολῆς! Tale illud, ὢ Ζεῦ, τῆς ἄτης! Item: ὢ Ζεῦ, τῆς λεπτότητος τῶν φρενῶν! Eodem referendum illud 11. Æneid.

Justitiæne prius mirer belline laborum!

B ita Propert. l.4:7. *Fœderis heu taciti!* σχετλιαστικῶς. οἴ μοι τῶν σπονδῶν!

9. SI HERCLE N.F.] *Si* nec MSS.nec Edd. habent.

15. OMNEM RATEM] Allegoricè, omnem rem familiarem.

17. ITA ENIMVERO.] sic MSS. ambo.rectè.

20. EGONE TE IOCULO] MSS. & Edd. veteres, *loculo.* Miror consensum: hoc tantùm dico. Tu ingenium Tranionis cogita, &: sed taceo.

21. EGON' ABS TE AVSIM NON CAVERE, &c.] Itane imprudens sim, ut mihi abs te non caveam? Comici faciunt senes deliros & credulos: sed tamen ita, ut habeant aliquod simulacrum prudentiæ, &c. L.

22. QVIA TIBI VNQ.] Revocavi scripturam MSS. & edd. vett. sequentes *Qui tibi nunquam*. quomodo etiam Pareus, nulla mentione facta lectione alterius. ô superstitiosam diligentiam?

23. CAVI RECTE. EAM M. DEBEO GR.] ita Acid. Quod nunquam, inquit, deceptus sum, id non tibi, sed meæ prudentiæ debeo. Perspicuæ veritatis emendatio. MSS. turbant. nam uterque à manu prima *c. 2. eam de his grat.* mutatum dehinc in pr. *debes.* Edd. vett. *TR. Eandem inis gratiam. TH. atq.* ut videatur Grutero reponendum, *eandem Deis gratiam atq. animo meo*, & subintelligatur, *habeo* vel *debeo*. Camer. ed. *eam mihi debes grat.*

26. CVRRICVLO ABI] ut versus constet, ita legendus est, tanquam *curriculo* exaratum esset.

ACTUS IV. SCENA I.

PHANISCVS advorsitor.

SERVI, QVI CVM culpâ carint, tamen malum
Metuunt, hi solent esse heris utibiles.
Nam illi qui nihil metuunt, postquam sunt malum
Meriti, stulta sibi expetunt consilia.
Exercent sese ad cursuram, fugiunt. sed
Hi, si reprehensi sunt, faciunt à malo
Peculium, quod nequeunt facere de suo:
Augent ex pauxillo, thesaurum inde *parant.*
Mihi, in pectore consilij quod est,
Lubet cavere *malam rem priùs,*
Quàm ut meum tergum exsinceratum fiat.
Vt adhuc fuit, mihi corium esse oportet
Sincerum, atque uti votem verberari.
Si huic imperabo, probè tectum habebo:
Malum cùm impluit cæteros, non impluat mihi.
„ *Nam VT SERVI volunt esse herum, ita solet* esse:
„ *Bonis boni sunt: improbi, qui malus fuit.*
Nam nunc domi nostræ tot pessimi vivont,
Peculî sui prodigi, plagigeruli: ubi advorsum ut
Eant vocantur hero: Non eo, molestus ne sis.
Scio quò properas: gestis aliquò jam hercle,
Ire vis, mula, foras pastum. bene merens
Hoc pretium inde abstuli. ita abij foras. solus
Nunc eo advorsum hero ex plurimis servis.
Hoc die crastini cùm herus resciverit,
Manè castigabit eos bubulis exuvijs.
Postremò minoris pendo tergum illorum, quàm meum.

VErsus sunt trimetri confusis numeris, Catalect. & Acatalect. A

V. 1. CARINT] pro, *careant*. Eadem autem sententia iteratur Men. act. 5: 6. Jam *Pueri advorsitores* sunt, qui heris obviam eunt.

6. FACIUNT A MALO] ita Palm. & Acidal. leg. *faciunt à malo Peculium, q. &c.* dicitur *Peculium facere à malo*, quemadmodum, *as, divitias facere à malo*: quod antiquum est & elegans. Apul. l. 6. *nisi nos putetis as de malo habere.* ubi, *De malo as*, furtis, latrociniis, fraudibusque partum. ita & Ovid. Fast. 5.

Sed jam de vetito quisque parabat opes.

sic & Cistell. *Item ut aliæ pariunt, quæ à malo quærunt sibi.* Sed Plautus in ambiguo ludit. *De malo* enim *peculium* vocat offerumentas & vibices è verberibus. quia, *dare malum*, est, *verberare & plectere.* Ita legit & J. Gul. *Reprehensi* autem, ex fugâ recepti sunt. de quo Epid. 1: 1.

8. AUGENT EX PAUXILLO] J. Gulielm. *ex paxillo*. pendentes enim servi virgis cædebantur. ideò facetè, eos augere peculium ex palo ait, ad quem suspenduntur; & inde sibi varium thesaurum in tergo colligere. Acidalius censet, *paxillo* non mutand. in *pauxillo*, sed ambiguâ pronunciatione pro hoc ipso capiundum. ut Spectatores utrumque exaudiverint, dubii magisne è palo seu paxillo, an paulo seu pauxillo peculium augeri diceretur. Ad hunc jocum & sensum certè singula verba ducunt. Et vide ordinem: Peculium faciunt: id ex pauxillo augent: ita thesaurum parant. Parantur enim thesauri paulatim augendo, &c. B

9. IN PECTORE, &c.] Quicquid mihi in pectore consilii est, huc sc. confero.

11. EXSINCERATUM] V. N. Epid. 1: 1. Est à conjectura Camerarii. nam in MSS. ejus & nonnullis vet. ed. locus hic ita concipitur:

Faciunt à malo peculio, quod nequeunt·····
Augent ex pauxillo···············deparant
Mihi in pectore consilii··········malam rem
prius.
Quam ut meum, ·······
Ut adhuc fuit &c.

planè omissis illis, *tergum exsinceratum fiat: Aut id subjiciam culcitam vibicibus.* qui quidem postremus vers. planè νόθος.

13. UTI VETEM V.] MSS. *ut votem verberare*. Et id *vetem* olim Camerario etiam suspectum fuit: nec *votem*, ex Parei interpretatione huc quadrat.

14. SI HUIC IMPERABO] Ita sine ullâ liturâ MSS. Cam. & Edd. versum concipiunt. Pistoris; Obscura admodum, inquit, sunt ista; nec, credo, genuina: nec placet aliorum expositio. conabar: *usque uti vitem verberari:* hoc sensu: hactenus ita me gessi, ut corium sincerum esse oporteat: *ut usque* (i. porrò in perpetuum) vitem verbera, opus est ut *huic* (manui aut ori) imperem: tunc quidem certè tergum probè tectum habebo. Aut potiùs:

——— *usque uti vitem verberari:*
Sic huic imperabo: probè tectum habebo:

hoc sensu: ut porrò evitem verbera, sic huic ori imperabo (quod cum gestu pronunciandum: ut digito labrum comprimat) probè tectum habebo, scil. os. Notum enim inter præcipuas servi virtutes silentium. Loquitur igitur tanquam de tecto: ut docent etiam quæ sequuntur.

15. MALUM CUM IMPLUIT CÆTEROS] ita MSS. & Edd. Alii, *cæteris*. Cùm cæteris verbera instar imbris incidunt, mihi ne incidant. Sic Eucl. 3: 3. *postquam impluisti fustibus ipsorum caput;* ut legit Palmer.

16. ITA SOLET.] sic MSS. & Edd. nam Camerarius adscripsit illud *esse*.

17. BONIS B.] Variè turbant MSS. & Edd. quod heic Camerarius edidit, propius est à libris ejus, si admittamus, illud *boni* omissum à librariis, quia præcesserat. Gruterus, fingebat, *Bonis boni sunt; improbi sunt, malus fit.* sane MSS. uterque à manu prima, *Bonis sum improbus sunt malus fuit.* Pareus heic insigni protervitate alios editores proclamat vaniloquos, jactatque invenisse ex vestigiis MSS. verissimam lectionem; quæ tamen non nauci est. ut ejus omnia.

19. PECULI SUI PRODIGI] qui non servant tergum suum à loris sartum ac tectum: nempe cùm officii sunt immemores. Sallustius: *Alieni appetens, sui profusus.* Horat. 1. Od. 12. *animæ prodigus.* Licet etiam propriè interpretari: qui peculium profundunt in lustra, &c. L.

21. IRE VIS, MVLA, FORAS PASTVM] Hæc & quæ præcedunt verba sunt servorum domi desidentium, & servum frugi irridentium. Ire vis aliquò in popinam, ut te farcias, sicut mulæ solent fractis retinaculis pastum ire. Horat. 1. Sat. 5. L.

22. BENE MERENS] pro benefactis meis hanc mercedem, dicteria sc. mordacia retuli.

25. DIECRASTINI] Sic in Persa, *die septimi*. V. N. Menæch. Sc. ult. splendidè mentitur A Pareus cum affirmat Ms. pr. habuisse à prima manu *die crastini*. imò utrique initio fuit, *di crastini*.

26. CASTIGABIT EOS BVBVLIS EXSVVIIS] Sic Sticho 1:2. *Vos monumentis commonefaciam* B *bubulis*. Trin. act. 4:3. *bubuli in te cottabi crepent*. V. N. Aul. act. 4: 1. *Abstinebit censione bubulâ*. i. loris è pellibus bubulis, &c.

27. MINORIS PENDO TERG. ILL.] Mâlo illorum tergum loris cædi, quàm meum. L.

ACTUS IV. SCENA II.

PHANISCVS advorsitor, SERVVS alius, THEVROPIDES senex.

ILLI erunt bucædæ multo potius, quàm ego sim restio.
SER. mane tu, atque assiste illico:
Phanisce etiam respice. PH. mihi molestus ne sis.
SER. Vide ut fastidit simia.
PH. Mihi sum. libet esse. quid id curas?
SER. Manésne illico impure parasite?
PH. Qui parasitus sum? SER. ego enim
Dicam: cibo perduci poteris quovis.
Ferocem facis, quia te herus tam amat. PH. vah!
Oculi dolent? SER. cur? PH. quia fumus molestus.
SER. Tace sis faber, qui cudere soles plumbeos
Nummos. PH. non potes tu cogere me, ut tibi
Maledicam. novit herus me. SER. suam
Quidem pol culcitullam oportet. PH. si sobrius sis,
Malè non dicas. SER. tibi obtemperem, cùm tu mihi
Nequeas? PH. at tu mecum, pessime, i adversus.
SER. Quæso hercle, Phanisce, abstine jam sermonem
De istis rebus. PH. faciam, & pultabo fores.
Heus, ecquis hic est, maximam qui his injuriam
Foribus defendat? ecquis, ecquis huc exit, atque aperit?
Nemo hinc quidem foràs exit: ut esse addecet
Nequam homines, ita sunt: sed eò magis cauto est
Opus, ne huc exeat, qui malè me mulcet.
Hic quidem neque convivarum sonitus, itidem ut antehac fuit,
Neque tibicinam cantantem, neque alium quenquam audio.
TH. Quæ illæc res est? quid illi homines quærunt apud ædes meas?

Quid

Quid volunt? quid intrò spectant? PH. pergam pultare ostium.
Heus reclude: heus, Tranio, etiam aperis? TH. quæ hæc est fabula!
PH. Etiámne aperis? Callidamati nostro advorsum venimus.
TH. Heus, vos pueri, quid istic agitis? quid istas ædis frangitis?
PH. Herus hîc noster potat. TH. herus hîc vester potat? PH. ita loquor.
TH. Puer nimium es delicatus. PH. ei adversum venimus.
TH Cui homini? PH. hero nostro. quæso, quoties dicendum est tibi?
TH. Puer, hîc nemo habitat. nam te esse arbitror puerum probum.
PH. Non hic Philolaches adolescens habitat hisce ædibus?
SER. Senex hîc cerebrosus est certè. PH. erras perversè, pater.
Nam nisi hinc hodie emigravit, aut heri, certò scio
Hic habitare. TH. quin sex menses jam hîc nemo habitat. SER. somnias.
TH. Egone? SER. tu. TH. tu ne molestus: sine me cum puero loqui.
PH. Nemo habitat? hem! TH. ita profectò. PH. nam heri & nudiustertius,
Quartus, quintus, sextus usque, postquam hinc peregrè ejus pater
Abiit, nunquam hic triduum in unum desitum est esse & bibi.
TH. Quid ais? PH. triduum in unum est haud intermissum hîc esse & bibi,
Scorta duci, pergræcari, fidicinas, tibicinas
Ducere. TH. quis istæc faciebat? PH. Philolaches. TH. qui Philolaches?
PH. Cui patrem Theuropidem esse opinor. TH. hei hei! occidi,
Si hæc hic vera memorat. pergam porrò percontarier.
Ain tu istic potare solitum Philolachem istum, quisquis est,
Cum hero vestro? PH. hîc, inquam. TH. puere, præter speciem stultus es.
Vide sis ne fortè ad merendam quopiam devorteris,
Atque ibi meliusculè, quàm satis fuerit, biberis. PH. quid est?
TH. Ita dico, ne ad alias ædis perperam deveneris.
PH. Scio quà me ire oportet: &, quò venerim, novi loqui.
Philolaches hîc habitat, cujus est pater Theuropides.
Qui, postquam pater ad mercatum abivit hinc, tibicinam
Liberavit. TH. Philolaches ergo? PH. ita, Philematium quidem.
TH. Quanti? SER. triginta talentis. PH. μὰ τὸν ἀπόλλω! sed minis.
TH. Ain', minis triginta amicam destinatum Philolachem?
PH. Ajo. TH. atque eam manu emisisse? PH. ajo. TH. &, postquã ejus hinc pater
Sit Profectus peregrè, perpotasse assiduò
Tuo cum domino? PH. ajo. TH. quid, is ædes emit hîc proximas?
PH. Non ajo. TH. quadraginta etiam dedit huic quæ essent pignori?
PH. Neque illud ajo. TH. hei! perdis. PH. imò suum patrem illic perdidit.
TH. Vera cantas: vana vellem! PH. patris amicus videlicet.
TH. Heu, edepol patrem eum miserum prædicas! PH. nihil hoc quidem est,
Triginta minæ, præ quàm alios dapsiles sumptus facit.
Perdidit patrem. unus istic servus est sacerrimus
Tranio: is vel Herculi conterere quæstum possiet.

Edepol me ejus patris miseret: qui cùm istac sciet
Facta ita, amburet misero ei corculum carbunculus.
TH. Siquidem istæc vera sunt. PH. quid merear, quamobrem mentiar?
Heus vos, ecquis hasce aperit? TH. quid istàc pultas, ubi nemo intus?
PH. Aliò credo commissatum abisse. abeamus nunc jam.
TH. Puere, jamné abis? libertas pænula est tergo tuo.
PH. Mihi, nisi herum metuam & curem, nihil est quî tergum tegam.

VERSUS similes priorum, unus dimeter est, usque ad illum, *Hic quidem* &c. à quo deinceps tetram. catal. decurrunt. Novam autem Scenam hic sine caussa exorsi sunt; ut rectè etiam monuit Lamb. cum Acidalio. A

1. ILLI BUCÆDÆ] Illi, qui mecum hero adversum ire noluerunt, coriis bubulis cædentur potiùs, quàm committam, ut mihi ad restim res redeat. *Bucædæ* hîc non qui boves cædunt, sed qui à *bobus*, i. bubulis loris cæduntur. Alii mal(u)nt scribi, *bucidæ*: ut *Tyrannicidæ*: tametsi hoc activè, illud passivè sumatur. L.

5. MIHI SUM] Ita edd. ante secundam Pareanam. ea enim præfert, *Miles sum, insubidè*. MSS. nostri à manu prima, *miles sum*: falsum enim est quod idem novator affirmat fuisse in pr. initio, *Miles*. Imò sic aliquis superscripsit manu recenti.

9. POTERIS] MSS. *poteres*. Edd. *potes*. forsan fuit, *potis es*, interim mirum est Pareum nobis non inculcasse illud archaicum, *poteres*, suetus ingerere longè rancidiora.

9. FEROCEM FACIS] ita MSS. & v. edd. quod rectè tuetur Douza contra Lamb. & H. Stephanum, qui *te* inserciunt. Sic Milite: *Facito fastidi plenum.* Laudat hanc Dousæ adsertionem & Gruterus, ac similem locum subministrat Curcul. act. 4.3. (V. N. ibid.) *Nec te mihi facias ferocem.* adeo, inquit, ut, *facere ferocem*, sit Proverbiale: sicut Gallicum *faire le brave*, & Belgicum, den koenaert macken. Acidalius in hoc principio vix ullum versum legitimum agnoscit, & ista proindè sic concinnat: *Etiam respicis? PH. &c.*

——simia,
Manesne ilico, impure Parasite?
PH. Qui Parasitus sum? SER. ego enim
Dicam. cibo perduci poteris quovis.
PH. Mihi sum: licet esse. quid id curas?
SER. Ferocem facis, q. Ibi, *Mihi sum*: libet *esse*, quia Parasiticus sermo, vergunt in *edendi* significatum, decorâ ambiguitate. Cætera non libet huc transferre; multo minus in textum, contra consensum MSS. & Edd. vet. fecit id Pareus in prima ed. at in sec. retractat. ô constantiam!

9. TE HERUS TAM] *Tam*, i. valdè. Plinius l. 7. *Oratores quidem ambo, sed tam dispari eventu.* Vellejus lib. 2. *Nec minora consequi potuit; sed non tam concupivit.* Vide Aus. Popmam, De usu Antiq. Locut. lib. 2. 1.

10. VAH! OCULI DOLENT?] ita Cam. & Douza: ut subaudiatur, *Tibi.* q. d. Meuchte ghyt niet lyden? off: En is sulcx niet wel van uwen sinne? Ter. Phorm. act. 5. 8. *Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam, Nausistrata?* *Et quod tuo viro oculi doleant?* Epist. Famil. lib. 8. *Nunquam tibi oculi doluissent, si in repulsâ Domitii vultum vidisses.*

10. QUIA FUMUS MOLESTUS.] Jocus παρὰ προσδοκίαν: aliud enim responsum exspectabat Conservus, de quo Lamb.

B 11. TACE SIS, FABER, QUI CUDERE SOLES PLUMBEOS NUMMOS.] Tace tu, qui simulatis officiis & speciosis dictis ac factis hero persuasisti te esse frugi servum; cùm nequam sis. Vide Adag. *Nummus plumbeus.* Casaub. ad Theophrast. Charact. *Æratos*, inquit, *obulos* Plaut. vocat Græcorum χαλκοῦς & κολλύβους, quosvis parvi pretii numulos. Tales etiam Roman. *lupini* & *plumbei* illi nummi: de quibus Plaut. & Mart. lib. 10. ep. 74.

13. NOVIT HERUS ME &c.] Plauti versum, inquit Lipsius Ant. Lect. 2. cap. 9. exsulantem in veterem sedem restitui: præsertim cum ei nihil possit objici, præter libertatem sermonis. Lege autem Juliâ non verba mœchantia, sed facta puniri receptum sit. In duobus enim Vatic. hæc inseruntur: *SER. suam Pol ipse culticellam oportet. PH. si sobr.* quæ germana Plauti verba esse, ne Carneades quidem ille dubitaverit, qui dubitare in omnibus solet,

let,&c. Ita & Dolobella Cæsarem, qui *Delitium Nicomedis* audiebat, *spondam interiorem regiæ lecticæ*, ab eâdem caussâ dixit. Et addit Gruterus: *Noscere, & cognoscere* Hebræorum & Græcorum proprium, in re Venereâ putârunt docti. addant licet; Latinorum: ut h. l. Plauti, *Novit*: & Persâ, act. 1. 3. item Cæsar. lib. 6. belli Gall. de Germanis: *Intra annum vicesimum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent*. Ovidius: *Turpiter illa virum cognovit adultera virgo*, &c. Propertius lib. 2. 20.

Non ego tam facilis, sat erit mihi cognitus unus.

MSS. Cam. habent, ut expressi, *Suam quidem pol culcitullam*. quibus cur non obsecuta sit Parei editio mirum nimis; cùm & ei accedant Edd. vett. certe nulla habeat *ipse*.

14. OPORTET] ita verbum *debet* apud Petron. pro necesse est. *Hic boni nescio quid debet esse*.

15. TIBI OBTEMPEREM] ita MSS. tamen Lamb. l. *temperem*, q. d. Parcam maledictis in te, cum tu mihi non possis parcere? quomodo & Hor. 3. Od. 24.

16. I ADVERSUS] Vterque MSS. *Pessimi tu adversus*. itaque verò parcit Pareus, qui ait in eis junctim *itu*. sed & idem ineptè edidit: *I tu*. si sequendi erant ii libri, is restitisset reponere *ito*.

20. QUI HIS INIURIAM FORIBUS DEFENDAT?] qui fores aperiat, ne à me effringantur. Propriè valdè usus est verbo *defendere*, pro arcere, avertere. Sic Cæsar: *Et quòd bellum non intulerit, sed defenderit*, i. repulerit. Propert. lib. 1. 20.

Nympharum cupidas semper defende rapinas.

Cic. de Senect. *Defendit Solis ardores*, i. arcet. Virg. 7. Ecl.

Solstitium pecori defendite.

Lipsius Var. l. 2. 22.

20. ECQ. ECQUIS] ita MSS. quod tamen non expressit Pareana.

23. QUI MALE ME MULCET] ubicunque legitur *mulctare*, aut *multare*, in hâc significatione, legendum *mulcare*, censet P. Victorius: idque Lamb. & hîc & alibi luculenter docet: item Lipsius Comment. ad Tacitum. nec non Torrent. ad Sueton. inprimis Germ. Valens ad Æn. XI. v. 840. V. N. Epid. 1. 1. & Trin. act. 4. 2. MSS. Cam. à prima manu, *mulcet*.

A

29. CALLIDAMATI] Ita è MSS. suis Cam. at Pareus quibus ii sunt vice numinis, exhibet nobis, *Callidamanti*. quæ religio!

32. PUER NIMIUM ES DELICATUS] Quid hoc est? inquit Douza. An quod Stalinoni in Casinâ (act. 3. 1.) Alcesimus exprobrat dicens: *Attate cadundus tu homo es: nimias delicias facis*; interpretamento in obscœnum sensum detorto: an potius pro jocoso ac dicace positum suspicabimur? utut est, certè Lambini interpretatio superiori argumento parum respondet, *delicatum* h. l. pro *molli* & *tenero* simpliciter accipientis. Acidal. versus caussâ leg. *Puere* &c. *es advors*. quem sequitur omnino in utraque editione sua Pareus: cùm restet tamen in MSS. *puer nimium adelicatus. ei adv.* ut appareat potius rescribendum, *nimium, ha, delicatulus*!

35. HISCE ÆDIBUS] Ita Edd. vett. nec abeunt MSS. nostri. quippe pr. *hiscedibus*. sec. *histedibus*. falsò igitur proditum Pareo, hærere in eis, *his ædibus*.

36. CEREBROSUS C. EST.] cerebro malè affectus, mente commotus. Hor. 1. Sat. 5. *Cerebrosus prosilit unus*, i. ἀκρόχολος καὶ ὀξύθυμος, qui Virgil. dicitur *præceps animi*, & *iræ impatiens*.

B

36. ERRAS PERVORSE] *fugit te ratio*: ut loquitur Amph. 1. 1.

42. TRIDUUM IN UNUM] Ita MSS. manu prima, requiritque versus. prius editi, *triduum unum*. sed & seq. versu constanter retinent iidem, *in unum*, ut scribæ error videri nequeat. & istud tam rarum, non visitur in textu Parei; quemadmodum nec versu 41: *sextus usque*; quod non modò extat in MSS. sed & Edd. vett. requiritque iterum versus. ô supinam curiositatem oculatissimi Orbilii!

42. ESSE ET BIBI] ita MSS. sed. *L.* legit *essi*, ab *esur*.

46. HEI! HEI!] duplicavi syllabam ob versum. nam edd. vett. *hei*. recentes, *heu mihi*, præter libros.

49. PRÆTER SPECIEM STULTUS ES] q. d. Formosus quidem es, sed illi formæ mens nō respondet. *L.* Pareus edidit, *stultu's* quo ipso corrumpitur versus. ô medicum.

51. MELIUSCULE, QUAM SAT FUERIT, BIBERIS] J. Gul. Ver. lib. 1. 1. legit, *ne plusculè* q. Gruterus adolescens suspicabatur; *meriusculè*, i. meracius. Du hast dich etwas bereuschet.

ſchet. ut enim dicimus, *Nitidum, nitidius, nitidiusculè*: *Unctum, unctius, unctiusculè*: ſic à *merum, meriusculè*: hoc enim natura ſuâ Adjectivum eſt, quamvis Subſtantivè accipiatur. Nec longè ab hâc notione abit illud Trucul. act. 1. 1. *Si ſemel amoris poculum accepit merè.* Verùm nihil opus mutare. Videtur autem in MSS. fuiſſe, *meliuscul.* uterque ſanè præfert *melius cuiquam.*

53. NOVI LOQVI] ita MSS. & Edd. ſed J. Guliel. Veriſimil. lib. 1, 1 leg. *& quò venerim, novi, loci.* Ait, *Locus, loquus: coquus: cocus: ſecor, ſequor*, & alia promiſcuè ſcribebant. Et παρέλκον elegans eſt; ſimile iſtis, *ubi loci*: *hùc locorum*: *huc viciniæ.* Terent. &, *proximè viciniæ*, Pl. Mercat. Tale illud Cic. ad Attic. *Tu autem longè gentium.* Pareus ſolitus inſanire circa orthographiam antiquariam; adeo ut verſu 50. *copiam* retulerit in textū pro *quopiam*, heic repoſuit, *Loci.* quæ contrarietas in uno eodem cerebro!

55. HINC TIBICINAM.] Ita MSS. contra quos Pareus edidit *hîc.* quare quæſo? idem quoque paſſim recudit, *tibicenam*, invitis eiſdem libris.

57. μὰ τὸν ἀπόλλω! SED MINIS.] Non, per Apollinem, triginta talentis, ſed minis. qua lectione quid clarius? ita profectò extat in vett. edd. aliiſque omnibus. Parei tamen ex MſS. nobis obtruſit, *ἀπόλλω! & ſex minis.* ſtultiſſimè prorſus. ſed nec verum eſt ita extare in utroque MſS. alter enim, non habet illud *&*, ſed ſolummodò *ſex.* Gruterus perſonam *TH.* præponendum putabat; *ſed minis.*

58. DESTINATVM PHILOLACHEM?] Repoſitum id. J. Gul. *deſtinatam Philolachi*: antiquè, ut, *Chremi. Deſtinata*, empta. *Deſtinare* enim eſt emptione factâ arrabonem dare; cæterùm pretium in diem differre. hanc conjecturam, veluti nixā fide membranarum, peſſima fide in textum retulit Pareus. diſertè enim edd. vett. & ambo MSS. *deſtinatum Philolachem?* quod etiam invenit in MSS. ſuis & vett. edd. Mercerus apud Nonium, & probat.

A

60. PERPOTASSE ASSIDVO] Ita MSS. & Edd. vett. recentt. *perp. iſtic aſſiduo.* at verſum plenum habebimus iterando, *aſſiduò aſſiduò.*

66. DAPSILES] i. largas, affluentes. δαψίλεια *copia, abundantia.* Pſeud. 1. 4. *dicta dapſilia*, ſunt larga, munifica. & ejuſdem Sc. 1. v. 21. *corona dapſiles*, abundantes ac copioſæ.

67. SACERRIMVS] omnibus modis exſecrandus. V. 3 Æn. *Auri ſacra fames.* Hor. 1. Sat. 3. *inteſtabilis & ſacer eſto.* Vide Macr. lib. 3. 7. & Feſtum in *Sacer.* itemque Not. Pœn. Prologo.

68. IS VEL HERCVLI CONTERERE QVÆSTVM POSSIET] Hyperbole. dicitur in hominem maximè prodigum. Herculi enim decimæ voventur, quas hîc facetè *queſtum* appellat. V. N. act. 1. 1. item Caſaub. ad illud Perſii Sat. 2.

———ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule!

69. ME EIVS PATRIS MISERET] Sic MSS. & edd. vett. non ſine verſus ruina; qua ſiſtetur, ſi reſcribatur, *miſere miſeret.*

B

70. AMBVRET MISERO EI CORCVLVM CARBVNCVLVS] i. mœrore conficietur & contabeſcet. *L.*

74. LIBERTAS PÆNVLA EST TERGO TVO] Jocus ſenis in puerum: quo ſignificat, pænulam non habere. Libertas, inquit, pænula eſt, ô puer, tergo tuo: & cùm liber non ſis, pænulâ cares, quâ tergum tuum tegas. cui puer reſpondet acutiſſimè & facetiſſimè: ſibi metum domini, & curam officii eſſe loco pænulæ, quâ tergum tegat: ſignificans, ſibi tectum & tutum à verberibus eſſe tergum non pænulâ, ſed domini metu & curâ. Ita ante Lambinum annis plus centum Pyl. Buccardus.

75. NISI HERVM METVAM.] MS. ſec. amplius, *ut metuam*, quod & à manu prima in pr. neque aliter Edd. priſcæ: adeo ut videatur refingendum in, *Niſi herum & metuam &c.*

ACTUS

ACTUS IV. SCENA III.

THEUROPIDES, SIMO, senes duo.

PERII herclè, quid opus est verbis? ut verba audio,
Non equidem in Ægyptum hinc modò vectus fui,
Sed etiam in terras solas, orasque ultimas
Sum circumvectus. ita ubi nunc sim nescio.
Verùm jam scibo: nam eccum, unde ædis filius
Meus emit. quid ais tu? SI. à foro incedo domum.
TH. Nunquid processit ad forum hodie novi?
SI. Etiam. TH. quid tandem? SI. vidi efferri mortuum. TH. hem,
Novum! SI. unum vidi mortuum efferri foras
Modò eum vixisse ajebant. TH. væ capiti tuo.
SI. Quid tu ut ociosus res novas requiritas?
TH. Quia hodie adveni peregrè. SI. promisi foras
Ad cœnam ne me tu evocare censeas.
TH. Haud postulo edepol. SI. verùm cras, nisi quis prius
Vocaverit me, vel apud te cœnavero.
TH. Ne istuc quidem edepol postulo. nisi quid magis
Es occupatus, operam mihi da. SI. maximè.
TH. Minas quadraginta accepisti, quas sciam,
A Philolachete. SI. nunquam nummum, quod sciam.
TH. Quid, à Tranione servo? SI. multò id minus.
TH. Quid arraboni tibi dedit. SI. quid somnias?
TH. Egóne? at quidem tu, qui istoc te speras modo
Potesse dissimulando infectum hoc reddere.
SI. Quid autem? TH. quod me absente tecum hîc filius
Negotii gessit. SI. mecum ut ille hîc gesserit,
Dum tu hic abes, negotii? quidnam? aut quo die?
TH. Minas tibi octoginta argenti debeo.
SI. Non mihi quidem hercle. verùm, si debes, cedò:
FIDES servanda est, ne ire inficias postules.
TH. Profectò non negabo debere, & dabo;
Tu cave quadraginta accepisse hinc ne neges.
SI. Quæso edepol huc me aspecta, & responde mihi.
Te velle uxorem ajebat tuo nato dare,
Ideò ædificare hoc velle ajebat in tuis.
TH. Hic ædificare volui? SI. sic dixit mihi.
TH. Hei mihi, disperii! vocis non habeo satis.

Vicini, interii, perii. SI. nunquid Tranio
Turbavit? TH. imò exturbavit omnia.
Te ludificatu'st & me hodie indignis modis.
SI. Quid tu ais? TH. hæc res sic est, ut narro tibi.
Te ludificatus & me hodie in perpetuum modum.
Nunc te obsecro, ut me bene juves, operamque des.
SI. Quid vis? TH. i mecum, obsecro, unà simul.
SI. Fiat. TH. servorumque operam & lora mihi cedò.
SI. Sume. TH. eádemque operâ hæc tibi narravero,
Quis me & te exemplis hodie eludificatus est.

SOLAS] Vide N. Aul. 4. 6.

6. QVID AIS TV?] Haud aliter MSS. nostri & edd. vett. item Camerar. Pareo tamen placuit, *agis*, quia Pareus. Visum scilicet ei simplicissimo simplicius.

7. PROCESSIT H.] ita MSS. & Edd. Vulgò, *proc. tibi h.* hinc. J. Gul. *ibi h.* non necessariò. nam pronomen natum est ab iis, qui putabant aliquid deesse versui, ignari scilicet aspirationem esse ei fulciendo. Pareus noster etiam ostentat utraque editione *tibi*. ô curatorem versuum!

9. EFFERRI MORT.] Scilicet & funera ducta per forum, præcipuè indictiva. Dion. Halicarn. lib. 4. Ant Rom. Guther. cap. 20. lib. 1. de jure Manium, item cap. 25.

12. PROMISI FORAS] q. d. Ne spem tibi facias, à me ad cœnam te vocatum iri, ut solent peregrè advenientes: quia ipse aliò jam condixi, neque domi cœnabo. P. Victorius lib. 15. 5. *Promisi forâs*, vetus loquendi modus, præceptis Gram. ut videtur, repugnans. Sed non sine caussâ ita dicitur: tunc enim motus intelligitur: valetque sermo ille, *promisi, me iturum forâs.* Utitur hâc formâ in Men. 1: 2. Sticho, & alibi passim Plautus. Vide & Torrentii Comment. Suet. Vitellio, cap. 13. Porrò restitui scripturam MSS. & Editt. vett. recentiores enim *ne me te vocare*, quomodo edidit Pareus, ne factâ quidem mentione lectionis antiquæ, sciàs

A Vacunæ operatum eâ horâ. constructio antiquum sapit.

23. INFECTVM] i. irritum.

25. ILLE HIC GESSERIT.] Parei ed. *Illic.* planè invitis & MSS. & omnib. edd. quæ petulantia? eo minus ferenda quod & versum incesset.

31. NE NEGES.] ita MSS.

36. VOCIS NON HABEO SATIS.] ἀφωνία μ' ἔχει. id quod accidit derepente perterritis: *Cam.*

34. ÆDIFICARE HOC] forsan *hinc*, ut & versu sequenti. ut innuat Simo, voluisse reformare ædes suas Theuropidem ad exemplum domus suæ; sicut supra præ se tulerat Tranio. V. N. Pœn. 5. 4. v. 102.

B 37. VICINI] Malim *Vicine*, vel euphoniæ caussa.

38. IMÒ EXTVRB.] Versui melius fieret repetitione vocis: *Imò imò exturb.*

40. SI. QVID TV AIS? TH. HÆC] Rectè. absurda vulgaris distinctio.

41. TE LVDIFICATVS ET ME HODIE] Elegans Lectio, neque aliter MS. pr. à manu sec. nec divertit alter; quàm quod is, *Deludificatu'st me hodie.* Pareus destitutus omni dote ingenii, repræsentavit ut solet, pessimum quodque.

45. EADEMQVE OPERA] enclytica extat in utroque MSS. neque tamen eam aptare potuit editioni suæ miser Pareus.

ACTUS

ACTUS V. SCENA I.

TRANIO servus, THEUROPIDES, senex.

QVI Homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.
Atque equidem quid id esse dicam verbum nauci, nescio.
Nam herus me postquam rus misit, ut filium suum arcesserem,
Abii illa per angiportum ad hortum nostrum clanculum:
Ostium quod in angiportu est horti patefeci fores,
Eáque eduxi omnem legionem, & mareis & fæminas.
Postquam ex obsidione in tutum eduxi maniplares meos,
Capio consilium, ut senatum congerronum convocem.
Quem cùm convocavi, atque illi me è senatu segregant.
Vbi ego video rem vorti in meo foro, quantum potest,
,, Facio idem, quod plurimi alii, QVIBVS RES timida aut turbida est:
,, Pergunt turbare usque, ut ne quid possit conquiescere.
Nam scio equidem nullo pacto jam esse posse clam senem.
Sed quid hoc est, quid foris concrepuit proxima vicinia?
Herus meus hic quidem est. gustare ego ejus sermonem volo.
TH. Illico intra limen astate illic; ut, cùm extemplò vocem,
Continuò exsilitatis: manicas celeriter connectite.
Ego illum ante ædes præstolabor ludificatorem meum:
Cujus ego hic ludificabo corium, si vivo, probè.
TR. Res palàm est. nunc te videre melius est, quid agas, Tranio.
TH. Doctè atque astutè mihi captandum est cum illoc, ubi huc advenerit.
Non ego illi extemplò ita meum ostendam sensum: mittam lineam.
Dissimulabo me horum quicquam scire. TR. ò mortalem malum!
Alter hoc Athenis nemo doctior dici potest.
Verba dare illi non magis hodie quisquam, quàm lapidi, potest.
Aggrediar hominem: appellabo. TH. nunc ego ille huc veniat velim.
TR. Siquidem pol me quæris, assum præsens præsenti tibi.
TH. Euge Tranio, quid agitur? TR. veniunt ruri rustici.
Philolaches jam hic aderit. TH. edepol mihi opportunè advenit.
Nostrum ego hunc vicinum opinor esse hominem audacem & malum.
TR. Quî dum? TH. qui negat novisse vos. TR. negat? TH. nec vos sibi
Nummum unquam argenti dedisse. TR. abi, ludis me, credo: haud negat.
TH. Quid jam? TR. scio, jocaris nunc tu: nam ille quidem haud negat.
TH. Imò edepol negat profectò: neque se has ædis Philolachi
Vendidisse. TR. eho, an negavit sibi datum argentum, obsecro?
TH. Quin jusjurandum pollicitus est dare, si vellem, mihi;

Neque se hasce ædis vendidisse, neque sibi argentum datum.
Dixi ego istuc idèm illi. TR. quid ait? TH. servos pollicitu'st dare
Suos mihi omnes quæstioni. TR. nugas. nunquam edepol dabit.
TH. Dat profectò. TR. quin & illum in jus jube ire. TH. jam mane.
Experiar, ut opinor: certum est. TR. mihi hominem cedò.
TH. Quid si igitur ego arcessam homines? TR. factum jam esse oportuit:
Vel hominem jube ædis mancipio poscere. TH. imò hoc primùm volo,
Quæstioni accipere servos. TR. faciundum edepol censeo! ego
Interim hanc aram occupabo. TH. quid ita? TR. nullam rem sapis.
Ne enim illi huc confugere possint quæstioni quos dabit.
Hic ego tibi præsidebo, ne interbitat quæstio.
TH. Surge. TR. minimè. TH. ne occupassis, obsecro, aram. TR. cur? TH. scies.
Quia id enim maximè volo, ut illi istoc confugiant: sine.
Tanto apud judicem hunc argenti condemnabo facilius.
TR. Quod agis, id agas. quid tu porrò vis serere negotium?
„*NESCIS TU QUAM meticulosa res sit ire ad judicem.*
TH. Surge dum huc. est consulere igitur quiddam quod tecum volo.
TR. Sic tamen hinc consilium dedero. nimiò plus sapio sedens.
„*Tum CONSILIA firmiora sunt de divinis locis.*
TH. Surge, ne nugare: aspici dum contra me. TR. aspexi. TH. vides?
TR. Video. huc si quis intercedat tertius, pereat fame.
TH. Quí dum? TR. quia nihil quæsti fiet. mali hercle ambo sumus.
TH. Perii. TR. quid tibi est? TH. dedisti verba. TR. quí tandem? TH. probè
Me emunxti. TR. vide sis, satine rectè? num mucci fluunt?
TH. Imò etiam cerebrum quoque omnem è capite emunxti meum.
Nam omnia malefacta vestra repperi radicitùs,
Non radicitùs quidem hercle, verùm etiam eradicitùs.
Nunquam edepol hodie inultus destinaverim tibi.
Jam jubebo ignem & sarmenta, carnifex, circumdari.
TR. Ne faxis: nam elixus esse, quam assus, soleo suavior.
TH. Exempla edepol faciam ego in te. TR. quia placeo, exemplum expetis.
TH. Loquere, cujusmodi reliqui, quum hinc abibam, filium?
TR. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.
TH. Aliud te rogo. TR. aliud ergo nunc tibi respondeo.
Sed eccum tui gnati sodalem video huc incedere
Callidamatem; illo præsente mecum agito, si quid voles.

VERSUS sunt tetram. catal. trochaici: quales & Sq. seq.

1. QUI HOMO TIMIDUS ERIT IN REBUS DUBIIS, NAUCI NON ERIT.] Namque, ut ait Sallustius: *Audacia pro muro habetur.* Jam, *Nauci non erit*, i. nihili & ne- A quam erit. *Naucum* autem seu *nauci* alios dicere esse id, quod in oleâ nuçique (sic l. Ant. Augustinus) intus est; alios omnium rerum putamen: alios, fabæ granum, quod hæreat in fabæ hilo: alios, nucis juglandis medium dissepimentum: alios ex καὶ νοῦ οὐχὶ contra-ctum,

ctum, ait Festus. *Non habeo nauci*, i. non facio flocci, prorsusq; contemno.

5. OSTIUM QUOD IN ANG. &c.] Ordo est; patefeci fores ostii, quod ostium est in angiportu horti. Cam. l. *foris*. Acidal. ita disting. *Ostium quod in angiportu est, horti patefeci fores*. hac Syntaxi: Patefeci fores horti, quod est ostium in angiportu. Figurata Syntaxis: *fores, quod ostium*. Horti fores erant ostium in angiportu.

8. SENATUM CONGERRONUM, &c.] *Gerro* etiam contumeliæ verbum est, apud Ter. Heaut. act. 5 : 4. à *gerris*, i. nugis. V. N. Persa, 1: 3.

9. ATQ. ILLI ME] nullam sibi moram adferunt, quin me segregent. *atque*, pro, statim: *Palmer*.

10. REM VORTI IN MEO FORO] Ubi ego video litem in meo foro agi, ita ut non possim recusare, quò minus judicium accipiam & patiar; tum, quantum fieri potest, facio idem, q. &c. Hoc eò referendum, quòd jure civili extra suum forum nemo judicium accipere cogitur: in suo autem debet. Et actor Rei non Reus actoris forum sequitur. *Ex L.* Erasmus paulò aliter.

15. SERMONEM] Ita edd. & MSS. Parei tamen novissima, *sermones*, suo sibi jure.

16. EXTEMPLO VOCEM] Ita MSS. & Edd. vett. & tamen Pareus, non sine versus dispendio, infarcit, *ext. vos vocem*. quæ impudentia?

18. LUDIFICABO CORIUM] tergum flagris & loris variabo: L.

21. CAPTANDUM EST CUM ILLO] Lamb. perperàm. Immò, *cum illo*, valet, cum Tranione. Insolentius paulo, *Cum aliquo captare*: seq. tamen Sc. etiam dixit, *cavere cum aliquo*. nam absolutè poni magis amat *Captare*. Actius:

Contrà est eundum cautim, & captandum mihi.

Ac gladiatorum planè verbum est: ut hinc apparet; & magis è Lucani Poematis ad Pisonem:

Arma tuis etiam si fortè rotare lacertis,
Inque gradu clausis libuit consistere membris,
Et vitare simul, simul & captare petentem.

Quin *Captatio* in disciplinâ gladiatoriâ legitur etiam apud Quinctil. lib. 5. cap. 14. *Acidalius*.

22. SENSUM.] i. animi mei cogitationem jam antè conceptam. Contra differentiam, quam Nonius facit inter *sensus* & *sensa*. De quâ re Jac. Nic. Loensis Miscell. l. 7: 20.

22. MITTAM LINEAM] Tranionem captabo, ut piscem, missâ lineâ. Est autem h. l. *linea*, illud linum, cujus extremo hamus annexus est. Seneca: *sentit tremulos linea pisces*. J. Alexand. Brassicanus, & Pylades censent, à piscatoribus ductum: quod tamen negant Lamb. & B. Pius.

24. DOCTIOR, &c.] astutior, δεινότερος. Irridet herum: & significat, ei, stolido, facilè esse verba dare.

25. VERBA DARE ILLI] Vox *dare* non est in MSS. aut Edd. vett.

26. NUNC EGO ILLE] sic MSS. Cam. sed Acidal. *illum*.

37. NEQ. SIBI ARG. DATUM] Sic Aldina. neque longè abeunt MSS. quorum pr. *arg. datum est*. sec. *esse*. verum illud *esse*, versui officit. quare abjiciendum, non collocandum ad finem lineæ, ut fecit Pareus.

38. DIXI EGO ISTUC IDEM ILLI] me jusjurandum ei daturum, ædes filium emisse, & argentum dedisse: L. Sed hæc Lambini interpretatio Acidalio ridicula videtur: censetque versum unum aut alterum etiam deesse, quibus Tranio quædam interfatus sit ad Sim. redarguendum, quæ eadem jam senex dicit se quoque ipsi dixisse. Nam quis è verbis eum sensum extorqueat, in quem Lambinus torquet?

39. QUÆSTIONI] ut sc. veritas tormentis exquiratur, &c.

40. IUS IUBE IRE. TH. IAM MANE] Ita Camer. nam MSS. *jussi veniam mane*. Edd. vett. *jus in veniam mane*. recent. *jus convenian Mane*.

41. EXPERIAR] sc. jus. L.

41. UT OPINOR: CERTUM EST] Sic MSS. & Edd. vett. locus minus sanus. versui melius esset, si distingueretur voce repetita: *ut Opinor. TR. Opinor? certum est, mihi ho. cedo*.

42. ARCESSAM HOMINES] i. servos. ut Men. 5: 5.

43. V. HOMINEM IUBE ÆDES MANCUPIO POSCERE.] ita è MSS. Cam. Gruterus. atque ita vanescit illud Dousæ *poscier*.

45. EGO INTERIM HANC ARAM OCCUPABO] Græci moris fuit, ad vim injuriamque arcen-

arcendam, confugere ad templa, statuas, aras. A Eo genere tutelæ frequenter supplices utebantur; frequentissimè servi. Alludit Tibul.4.

Et Veneris sanctæ considam vinctus ad aram.

& benè, *considam*: quia supplicum, *sedere*. Vide Lipsium ad 3. Annal. Taciti. Ræváídus JC. lib.1:6. Abripi, aut in jus vocari non possunt, qui ad aras & fana deorum confugiunt. Cic. pro domo suâ. Pl. Rudent. act. 3: 2. Duo perfugia habebant servi, *Aram* & *Deprecatorem*. unde illud Ter. Heauton. act.5:2. *Nec tu aram tibi nec precatorem pararis.* De *Arâ* habes exempla apud Comicos, & in Jure de servis, ad statuas confugientibus: *Deprecatorum* mentio etiam in Phorm. ubi *precator* dicitur. Meminit & JC. de *Ædilitio edicto*. *Aræ* autem in Scenâ veræ & propriæ: dextra Baccho in Tragœdiâ, Apollini in Comœdiâ: sinistra ei vel deo, vel divo, vel heroi, vel civi, cui fiebant ludi, aut justa aut parentalia. In iis verbenæ imponebantur Apollini, ut est in Andr. Ter. act. 4: 4. Baccho hederæ. Vide Scalig. Poetic. lib.1:21.

47. TIBI PRÆSIDEBO, NE INTERBITAT QVÆSTIO.] in hâc arâ tibi ero quasi in præsidio collocatus, ne intereat quæstio. Quid sit *interbito*, V.N. Capt. act.3:5. *Præsidere*, inquit J. Gulielm. verbum est operantium in *Castro* proprium. in quo Plautus, more suo, ex ambiguo lusit: lib.1:23. V.N: Rud. act.2:3.

52. NESCIS TV QVAM METICVLOSA RES] Vox *tu* non est in MSS. aut edd. vett. ut forsan nocuerit auctori vox repetita: *Nescis, nescis quam meticlosa*, contractim, propter versum. Porro Pareus totum hunc versum editione sua altera, nulla reddita ratione, ejecit. certè ibi non comparet. qualia facinora!

53. IGITVR] *Igitur*, pro, *enim*: Goldast.

54. NIMIO PLVS SAPIO SEDENS] *Romanus sedendo vicit*, inquit ille: &, *Sedendo prudentiores efficimur.* Subest autem jocus ex ambiguo. Nam & qui aram occuparant, quique ad aram deos venerabantur, & precabantur, sedebant: & qui de re aliquâ consultabant, sedebant. Petrus Daniel in *Querolum Plauti*, Scenâ 13. *Sedere*, Judicum & Prætorum est. Propert. lib.3.

Minos sedet arbiter Orci.

Idem lib.4.

——positâ judex sedet Æacus urnâ.

Cic. pro Rab. *Modò vos iidem in A. Gabinium judices sedistis.* Apul. Apol.1. *Quod si modò judices de caussâ istâ sederent C. Fabricius, Cn. Pompejus &c.* Cujus rei caussa fortè ista est, quod Judex animo constante & sedato & benè composito esse debet. Talis autem magis esse potest, cum etiam corpus est quietum. Quo & Plautus hîc, sed ludens, respexit. In Pythagoræ quoque Symbolis fuit: καθῆσθαι προσκυνήσαντας, *Adoraturi sedeãt.* Vide & Fr. Polleti For. R. & Not. Sc. seq. Ita 2.Samuel.7: 18. *Ingressus rex David, restitit coram Jehovâ.* ubi in fontibus Hebræis est, *consedit*, rectiùs.

55. TVM CONSILIA FIRMIORA SVNT DE DIVINIS LOCIS] Itaque apud Rom. plerunque Senatus habebatur in templis deorum, ut in æde Concordiæ, in templo Jovis Capitolini, Honoris, Pacis, &c. Tum reges in templis sedentes suis civibus jura dabant: & item in templis legatos ad se missos audiebant. Virgil. 7. & 1. Æn. L.

56. ADSPICE D. CONTRA ME] βλέψον εἰς ἡμᾶς, &c. Nutu enim signum benevolentiæ dabat. Sed V.N. Amph. act.2:2.

56. VIDES?] iterum dat signum.

B 58. QVIA NIHIL QVÆSTI SIET] q. d. Nos duo adeò probi sumus fallaciarum artifices: ut si quis tertius ex fallaciis lucrum facere, & nobiscum eundem quæstum factitantibus certare velit, procul dubio frigeat ille, fameque pereat. *Ex L.*

60. ME EMVNXTI] sc. argento. quod verbum hic tralatè sumptum, mox Tranio per jocum propriè capit.

64. INVLTVS DESTINAVERIM TIBI] Ita L. secutus, ut ait, vulg. libros. Q. d. Theuropides; Nunquam profectò hodie tibi inultus supplicium in animo meo despondeo, & quasi designaverim. Vide ipsum ad Horat. 2.Od.7. Douza leg. *me obstinaverim*, i. ostenderim: antiquè. Acidal. ita:

Nunquam edepol hæc hodie inultus designaveris mihi.

ut *inultus*, sit *impunitus*. Cam. edidit *destinaverit*. MS. pr. & sec. *destinant tibi*. sed mutatum in pr. à recentissimâ manu; *destinabit*: superscriptumque voci *tibi*, scil. *filius*. Ita pro illo *inultus*, in MSS. pr. est *inditus*: in sec. *invitus*. Edd. vett. *invitus destinavit tibi*. Ald. & seqq. *inulti destinaverim tibi*. Pareus, ne heic

heic videatur fuisse asymbolus, dono nobis dedit, *designaveris mihi*; tanquam proximum lectioni MSS. ô judicium asininum! ô oculos luscitiosos! quid enim longius abit à scriptura calamo exaratorum codd. quàm hæc ipsa? eandem etiam vocem pro Plautina occupat Lexicon ejus, & Phraseologia.

65. IAM IVBEBO IGNEM &c.] Ab arâ neminem licebat vi abripere. ut tamen arcerentur inde, admovebant ignem. atque ita non ab hominibus, sed à deo, (Vulcano) amoveri credebantur. vide Turn. lib. 9: 12. Et Rudent. act. 3: 4. *Vulcanum adducam, &c.*

66. NE FAXIS] Vulg. *faxis sis.* quod nec versus nec vett. ed. admittunt. *Acid.* & verò *sis* erasum est in MS. pr. non à Tarpa novitio, ut placuit censuræ Parei, sed à veteri recensore: qui versus digito callebat & aure. ceterùm ille, qui heic tam rigidus est in retinendis hariolationibus exscriptorum, versu præcedenti expressit tamen, *Iubebo ignem*. omnino contra utrumque MSS. quorum primus *Iubeo*. sec. *Iubo*. quid putidius, quàm uno loco plus quàm mordicus inhærere literis

A chirographorum, altero verò ne dignari adspectu?

66. ELIXVS ESSE QVAM ASSVS SOLEO SVAVIOR] Alludit ad pisces: quorum alios apponi *assatos*, alios *elixos*, alios *fartiles*, ait Apicius lib. 9. L.

66. ELIXVS] Electa Parei, tit. *Piscium*, volunt isto ex Loco: Pisces elixi suaviores quàm assi. Rides Lector? leno homini isti inter pisces. mirum cur non posuerit inter pecudes, pecus ipse Arcadicum.

67. EXEMPLA E FACIAM E. IN TE] *Exempla* veteres pro gravissimis pœnis usurpabant. Ita Ter. Eun. act. 5: 5. *in quem exempla fient.* Id. act. 5: 7. *uterque in te exempla edet.* Vide & Agell. lib. 6: 14. Ich wil ein Exempel an dir statuiren. B

67. QVIA PLACEO, EXEMPLVM EXPETIS.] Iocatur in voce *Exemplum*, quod etiam in re bona locum habet. Suprà, act. 1: 2.

75. ALIVD ERGO] Ita restituendus versus fide MS. sec. quod ipsum quomodo non viderit Pareus ille Lynceus plus quàm miraculum est, solitus videre etiam quod non est.

ACTUS V. SCENA II.

CALLIDAMATES adolescens, THEUROPIDES senex. TRANIO servus.

UBI somnum sepelivi omnem, atque obdormivi crapulam,
Philolaches venisse mihi suum peregrè huc ait patrem,
Quoque modo hominem advenientem servus ludificatus siet.
Ait sese metuere in conspectum illius occedere.
Nunc ego de sodalitate solus sum orator datus,
Qui à patre ejus conciliarem pacem. atque eccum optimè.
Iubeo te salvere: & salvus cum advenis, Theuropides,
Peregrè, gaudeo. hîc apud nos hodie cœnes. TH. sic tale....
Callidamate, dei te ament. de cœnâ facio gratiam.
CA. Quin venis? TR. promitte: ego ibo pro te, si tibi non libet.
TH. Verbero, etiam irrides? TR. quian' me pro te ire ad cœnam autumo?
TH. Non enim ibis. ego ferâre faxo, ut meruisti, in crucem.
CA. Age mitte ista, & ito ad me ad cœnam. TR. dic venturum. quid taces?
CA. Sed tu istuc quid confugisti in aram inscitissimus?

TR. Adve-

TR. Adveniens perterruit me. loquere nunc, quid fecerim:
Nunc utriusque disceptator eccum adest: age disputa.
TH. Filium corrupisse ajo te meum. TR. ausculta modò.
Fateor peccavisse, amicam liberasse, absente te
Fœnori argentum sumsisse, id esse absumptum, prædico.
Nunquid aliud fecit, nisi quod faciunt summis gnati generibus?
TH. Hercle mihi tecum cavendum est: nimis quàm es orator catus.
CA. Sine me dum istuc judicare: surge, ego isti assedero.
TH. Maximè, accipito hanc ad te litem. TR. enim istìc captio est.
Fac, ego ne metuam igitur, & ut tu meam timeas vicem.
TH. Jam minoris omnia facio, præ quàm quibus modis
Me ludificatus est. TR. bene hercle factum, & factum gaudeo.
„ SAPERE ISTAC ætate oportet, qui sunt capite candido.
TH. Quid ego nunc faciam, si amicus Demipho, aut Philonides?
TR. Dicito iis, quo pacto tuus te servus ludificaverit:
Optimas frustrationes dederis in Comœdijs.
CA. Tace parumper: sine vicissim me loqui: ausculta. TH. licet.
CA. Omnium primum sodalem me esse scis gnato tuo.
Is adiji me. nam illum prodire pudet in conspectum tuum,
Propterea quæ fecit, quia te scire scit. nunc te obsecro,
Stultitiæ adolescentiæque ejus ignoscas. tuus est.
Scis solere illanc ætatem tali ludo ludere.
Quicquid fecit, nobiscum unà fecit. nos deliquimus.
Fœnus, sortem, sumtumque omnem qui amica est, omnia
Nos dabimus, nos conferemus, nostro sumptu, non tuo.
TH. Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis,
Quàm tu. neque illi sum iratus, neque quicquam succenseo.
Imò me præsente amato, bibito, facito quod lubet.
Si hoc pudet, fecisse sumtum; supplicij habeo satis.
TR. Dispudet istam veniam. quid me fiet nunc jam?
TH. Verberibus cædere, lutum, pendens. TR. tamen etsi pudet?
TH. Interimam hercle ego, si vivo. CA. fac istam cunctam gratiam:
Tranioni remitte quæso hanc noxiam caussâ meâ.
TH. Aliud quidvis impetrari à me facilius perferam,
Quàm ut non ego istum pro suis factis pessimis possum premam.
CA. Mitte quæso istunc. TH. hem, viden' ut restat furcifer!
CA. Tranio quiesce, si sapis. TH. tu quiesce hanc rem modo
Petere: ego illum verberibus, ut sit quietus, subegero.
CA. Nihil opus est profectò: age jam. sine te exorarier.
TH. Nolo ores. CA. quæso hercle. TH. nolo, inquam, ores. CA. nequicquam ne-
Hanc modo unam noxiam; unam quæso, fac caussâ meâ. (vis

TR. Quid

TR. Quid gravaris? quasi non cras jam commeream aliam noxiam:
Ibi utrunque, & hoc & illud, poteris ulcisci probè.
CA. Sine te exorem. TH. age abi, abi impunè. hem huic habeto gratiam.
Spectatores, Fabula hæc est acta: vos plausum date.

PEREGRE HVC AIT PATREM] Vox *ait* non est in MSS. aut edd. vett. Ald. intrusit, *dixit*, Cam. *narravit*. nostrum insertum, minimum est. etiam versu sequenti Lacuna est in MSS. inter *ad* & *servus*, quam implevit Aldus voce *advenientem*. Edd. vett. habent tantum, *hominem ad servos*. denique iidem MSS. præferunt tantum versu 4. *in conspe*...... *occedere*: sic sec. nam pr. *accedere*, quod Pareus noster cum pompa archaismi contulit in textum.

V. 4. OCCEDERE] ita Gruterus è MS. Cam. *Occedere*, pro, accedere. *Ob*, pro, *Ad*, positum. V. N. Stich. 2:2.

7. ET SALVOS CVM ADVENIS THEVROPIDES] Ita edd. omnes, etiam quæ descriptæ ex membranis. neque aliter fere MS. sec. in quo, *salvos cum advenisset heuropides.* quomodo & à manu fere prima codex primus; factumq; deinde à recentissimo calamo, *& salvum advenisse te Theuropides.* quod oletum, Pareus editioni suæ intulit, veluti si ambrosia esset. ô novatorem stercoreum! tanto quidem majus, quod versum pessimè ea mutatione corruperit.

8. CÆNES. TH. SIC TALE .... CALL. DEI &c.] ita MSS. Pall. & consentiunt omnes edd. vett. præter Brix. quæ pro illo, *sic tale*, leg. *salve & tu.* quod Pylades è fatuo suo cerebello nobis architectatus est: cùm tamen & ipse fateatur in omnibus vett. legi, *sic tale.* Gruterus addita litera faciebat, *sic talem.* Miror itaque *Pareum* delirium hominis sic amasse, ut in Textum etiam receperit. *salve & tu.* Pro illo Lambiniano *te rogo*, Schoppius conjiciebat, *sic face.* quomodo Sticho act. 1:3. v. 31. & act. 3. 2. non malè.

9. DE COENA FACIO GRATIAM] V. N. Men. act. 2.

11. QVIAN'] MS. Cam. *qui an.* Pistoris, *quin'ne me.*

21. NIMIS QVAM ES OR.] Schop. è MSS. Pall. l. *nimis clues or. catus*; quomodo & Aldi editio, & traduces ejus: vel, *nimis tu es.* Vide ejus Suspect. Lect. 1:3. Gruterus affirmat vulgatam minus abire à scripturâ vett. quæ *nimis quis orator catus.* At *nimis clues or.* in utramque suam editionem recepit Pareus, cum affirmatione tali: Certè in utroq MSS. disertim est, *nimis quis o. c.* quasi innueret, minus discessisse ipsum se ab apicibus literarum, quàm Camerarium. quæ comparatio? ulula certat cygno.

22. SVRGE, EGO I. ADS.] Orator surgit: Judex considet. unde dictæ sunt in Jure, *Sessiones judicum.* Orator stat, ad majorem emphasin actionis & pronunciationis. Vide Fr. Poleti Hist. fori R. c. 5. & 7. scripsi, *isti ass.* jubentibus Pall. in neutro enim *istic.*

23. ACCIPITO HANC AD TE LITEM] Tu Callidamate hujus litis dijudicandæ onus tibi imponi patere. vel hanc litem tu solus discepta. L.

24. FAC] sc. Callidamate. sed non ausim præstare, lectionem esse sanam. est enim & isto versu, & superiore, & sequente Lacuna in MS. pr. ipso versus medio, literarũ minimum duodecim. Sciamus ergo versu 24. *igitur* non exstare, ibidem in chirographis, ut nec 25. *omnia fa.*

25. IAM MINORIS &c.] non tanti facio damnum, quàm dedecus. Gruterus suspicabatur emendari posse faventibus numeris, *præ quam me quibus modis Ludificatus est.*

26. BENE HERCLE FACTVM, ET FACTVM GAVDEO.] Hoc antiqui moris erat, tum, quando non pœnitere se facti dicerent, sed voluptatem ex eo capere: *Gaudeo factum, si quid tibi feci, quod placet.* Palm.

28. AVT PHILONIDES?] sc. intelligent, me sic esse ludificatum. Pareus heic in textum recepit conjecturam Camerarianam; nec tamen diversas adhibuit literas, ut solebat, quoties recederet ab religione edictorum Pall. ii enim fatuè, *Dephilo aut Philomontes*; quomodo & vett. edd.

31. VICISSIM] Eodem modo Petronius verbo *invicem* utitur. *Specta invicem quod me spectare voluisti*, i. ex altera parte.

34. PROPTEREA QVÆ FECIT, QVIA TE SCIRE SIT] Ita omnis ætatis lectio; quæ displicuit tamen Pareo. itaque è Mſ. sec. restituit *Propt. quia fecit quæ te scire sit*, nimis temerè: nam idem scriptus non habet quod ipse jactat, *fecit*, sed *facit*. deinde pr. retinet à prima manu, *qui facit quam te scire sit*. quæ libido interpolandi? & quidem contra consensum sæculi.

38. QVI AMICA] ita Schop. è MSS. Cam. atque hanc lectionem prolixè asserit Susp. Lect. lib. 1:3.

40. IMPETRABILIS] πιθανάτης: qui facilè, quod vult impetrat. Sic *suasibilis vox* Gunthero dicitur, ἐντρεπτικῶς, persuadere efficax. *Delenifica & suada facundia* appellatur Symmacho lib. 3. Ep. 6. Sic Ter. Phor. 1:4. *Caussam vincibilem* dixit, quæ facilè vincat; interprete Donato. V. N. Cistell. 2:2.

43. SI HOC PVDET FECISSE] Pudorem & verecundiam pœnæ loco subrogari, culpamque, si levis sit, extinguere: docet pluribus J. Langlæus JC. lib. 10. cap. 1. *De pœnâ honorariâ*.

44. TR. DISPVDET.] Etiam P. Merula ad Annales Enni notat, τὸ *dari*, quod in vulgatis est, nec v. ç. nec Interpretes superioris ævi Joannem Petrum Vallam, Ugelotum & Grapaldum agnoscere. Immò nec Cameraria editio, neque adeò Lambinianæ posteriores illud *dari* agnoscunt. Camerarius quidem ait, si τὸ *dari* advocetur, omnia fore integriora. quod posteà Lambinus sic quasi certum retulit in Commentat. Acidalius ita:

——supplicij jam habeo satis.
CA. Dispudet. TR. dat (vel, *dedit*) *istam veniam.*
quid me f. n. jam?
TH. Verb. c. l. pendens. TR. tamen, si me pudet?
TH. Interimam h.

Q. d. Non modò pudet filium, sed dispudet, &c. Et quia Philolachi veniam pudor conciliaverat, ipse quoque servus indidem eundem sibi sperat: & cum verbera minaretur senex; taménne, inquit, verberabor; si & me pudet? Simul irridet & facilitatem senis, & inanes minas. Gruterus autumat sanari posse auctorem vocis repetitione: *CA. Dispudet. TR. Dispudet istam veniam! quid &c.* Pareus heic Pareus est: nec Mſſ. sequitur nec Edd. verus vespertilio.

45. LVIVM] quod nostri: Du Unflaht.

46. FAC ISTAM CVNCTAM GRATIAM] integram & plenam. ignosce non tantùm filio, sed & servo. Douza l. *Conjunctam grat.* eodem sensu. quod statim Pareus intulit editioni suæ primæ.

49. PESSVM PREMAM] *pessum ire*, perire est: ut *pessum dare*, perdere. & in eâdem significatione, *pessum premere*: ductâ tralatione à re maritimâ: argumento est locus Cistel. act. 2:1. Sine figurâ usurpavit, Rud. *Nunc eam cum navi scilicet abiisse pessum in altum*: J. Gul. Verif. lib. 1:4. Glossarium: *Pessundat*, βυθίζει, καταποντίζει. & alteros καταβυθίζω, *demergo, pessundo*, V. N. Aul. 4:1.

50. CA. MITTE QVÆSO &c.] Quia heic elinguis est noster Plauti Sospitator, non possum quin suspicer omnia propius accessura, & sententiæ, & Mſſ. si reponamus alias voces, alias personas. *TR. Mitte quæso sis tu me. TH. viden' ut rest. &c.* certè propius Mſſ. emendari non potest: extatq; sub ead. persona, in editione principe: *Mitte quæso tu me*, MSS. habent: pr. quidem; *Mitte que sis tum vident.* sec. *mitteque sis tume.* personæ autem istis locis nullæ comparent.

50. RESTAT] Remanet: residet in arâ, exponit Lambinus: minus rectè, judicio quidem Pistoris. Significat enim gestum servi magnificè & confidenter adstantis, in contemptum Senis. (eâdem ferè formulâ Pseud. sc. ult. *Sed vide statum!* Sehe/wie er stehet!) Ideò monet eum Callidamates, ut quiescat, hoc est, modestior sit, & Senem irritare desinat. Quod certè ad sedentem in arâ dicere opus non fuisset. Quid? quod ab arâ jam surrexerat Tranio ad illa verba Callidamatis: *Surge: ego istic adsedero.*

53. NIHIL OPVS EST] Sic Mſſ. Versum alii fulciunt extraneo tibicine: at forte sumi poterat idem ab auctore, vocibus sic repetitis: *age jam sine, jam sine te exorarier*,

56. QVASI NON CRAS IAM COMM.] Sic ex Mſſ. Cam. eumque secuti editores omnes usque ad Pareum, qui in ultima sua versum pedibus suis fraudat, dum omittit syllabam *jam*.

57. Ias

57. IBI VTRVNQVE.] Interponunt alii, certè Pareus editione sua utraque; *Ibi tum utrumq.* at commodius poterat iterari prima illa auctoris vox: *Ibi ibi utrumq.* ea enim medicina simplicissima est, quæ domestica: qua lentum locis restitui posse auctorem iA stum, & ostendi supra, & confirmabo deinceps: vel ideo, ut quivis videat Pareum certè non esse Æsculapium quo melius fieret Plauto; esse potius Tortorem ac Carnificem Furiarum immanissimum.

FINIS MOSTELLARIÆ.

MENÆCHMI.

ARGUMENTUM.

HUIUS argumentum Fabulæ venustum est, & varietate quâdam delectabile, quæ de similitudine nascitur geminorum fratrum. Nam Syracusanus quidam, cùm ex suâ uxore geminos suscepisset liberos, inter se simillimos: & unum ex his abductum secum ad mercatum amisisset: alter non desistendum putavit, dum requisitum illum inveniret. Venit tandem *Epidamnum*, quæ Illyriæ urbs *Durachium* à Rom. appellata fuit. ibi & ab amicâ, & uxore, & socero fratris appellatur, quasi ille ipse esset. Tandem post multiplices ludificationes, & nonnullas turbas, agnoscitur uterque à servo: & re palam factâ servus libertate donatur.

NOMINA Personarum sunt, *Peniculus* à pene, i. caudâ animalium, quarum extremâ parte pilosâ detergebantur calciamenta & mensæ. Μέναιχμος, animosus ad hastæ cuspidem, quæ est *αἰχμή*, i. *bellator*. ἐρώτιον, meretricium nomen, ab amore. Κύλινδρος, à volubilitate, Coci nomen. Est autem *cylindros*, teres suprà infraque complanatus &c. Σωσικλῆς, ἀπὸ τῆς σωτηρίας καὶ τοῦ κλέους, i. salutari fama. Μεσσηνίων erit ἀπὸ τοῦ μεσσηνίου παρώνυμος, vel ἀπὸ τῆς μεσσήνης: sicut ἀθηνίως, ἀπὸ τῶν ἀθηνῶν, &c.

J. Gulielmius: MENÆCHMI & festivissima, & eruditæ varietatis plenissima est Fabula.

Jac. Dalechamp. ad lib. 9. Athen. SUNT qui putent Plautum hoc argumentum ex GEMINIS Menandri sumpsisse.

DRAMATIS PERSONÆ.

PENICVLVS Parasitus.	MVLIER uxor.
MENÆCHMVS surreptus.	ALIVS SERVOS.
EROTIVM meretrix.	ANCILLA.
CYLINDRVS coquus.	SENEX.
MENÆCHMVS Sosicles.	MEDICVS.
MESSENIO Servos.	LORARII.

ARGVMENTUM.

MERCATOR Siculus, cui erant gemini filij,
Ei, surrepto altero, mors obtigit.
Nomen surreptitij illi indit qui domi est
Avus paternus, facit Menæchmum Sosiclem.
Et is germanum, postquam adolevit, quæritat
Circum omnes oras. pòst Epidamnum devenit:
Hic fuerat auctus ille surreptitius.
Menæchmum civem credunt omnes advenam:
Eumque appellant, meretrix, uxor, & socer.
Ii se cognoscunt fratres postremò invicem.

HIC FVERAT AVCTVS] Epidamni adoleverat surreptitius ille Men. atque adeò civitate donatus erat: L. Hoc laxum tamen & ineptum commentum valdè improbat Acidalius. In MSS. Cam. & edd.vett. est *abitus.* hinc Meursius conjecit, *Huc fuerat abectu' ille surr.* & fulcrum ponit illud è A Prol. *Is puerum tollit avehitque Epidamnum.* ita & Acidal. vel certè, *Huc fuerat ductus ill.* nam ea mens (inquit) prorsus est, raptum illuc abductum. Aldus nobis etiam *alitus* hic architectatus est, quod in utraque editione Parei planè triumphat.

PROLOGUS.

SALVTEM primùm jam à principio propitiam
Mihi, atque vobis, spectatores, nuncio.
Apporto vobis Plautum linguâ, non manu:
Quæso ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite atque animum advertite.
Quàm potero in verba conferam paucissima.
Atque hoc Poetæ faciunt in Comœdijs.
Omneis res gestas esse Athenis autumant,
Quò illud vobis Græcum videatur magis.
Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur.
Atque adeò hoc argumentum Græcissat, tamen
Non Atticissat, verùm Sicilicissitat.
Huic argumento antelogium hoc fuit.
Nunc argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, neque trimodio, verùm ipso horreo.
Tantum ad narrandum argumentum adest benignitas.
Mercator quidam fuit Syracusis senex,
Ei sunt nati filij gemini duo,
Ita formâ simili pueri, ut mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat:
Neque adeò mater ipsa, quæ illos pepererat,
Vt quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat.

Ego illos non vidi, ne quis vestrûm censeat.
Postquam jam pueri septuennes sunt, pater
Oneravit navem magnam multis mercibus.
Imponit alterum geminum in navem pater,
Tarentum avexit secum ad mercatum simul:
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi fortè erant, quom illuc venit:
Mortales multi, ut ad ludos, convenerant.
Puer aberravit inter homines à patre.
Epidamniensis quidam ibi mercator fuit:
Is puerum tollit, avehitque Epidamnium.
Pater ejus autem, postquam puerum perdidit,
Animum despondit: eáque is ægritudine
Paucis diebus pòst Tarenti emortuu'st.
Postquam Syracusas de re eâ nuncius redit
Ad avom puerorum, puerum subreptum alterum,
Patremque pueri Tarenti esse emortuum,
Immutat nomen avos huic gemino alteri:
Ita illum dilexit, qui subreptus est, alterum.
Illius nomen indit illi, qui domi est:
Menæchmo idem quod alteri nomen fuit,
Et ipsus eodem avus est vocatus nomine:
Propterea illius nomen memini faciliùs,
Quia illum clamore vidi flagitarier.
Ne mox erretis, jam nunc prædico prius,
Idem est ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum est mihi,
Vt hanc rem vobis examussim disputem.
Si quis quid vestrum Epidamnum curari sibi
Velit, is audacter imperato & dicito:
Sed ita, ut det, unde curari id possit sibi.
Nam nisi qui argentum dederit, nugas egerit:
Quid dederit; magis majores nugas egerit.
Verùm illuc redeo unde abii, atque uno asto in loco.
Epidamniensis ille, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui surripuit alterum;
Ei liberorum, nisi divitiæ, nihil erat;
Adoptat illum puerum surrepticium
Sibi filium, eique uxorem dotatam dedit:
Eumque hæredem fecit, quàm ipse obiit diem.
Nam rus ut ibat fortè, ut multum pluverat,
Ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longulè,

Rapidus raptori pueri subduxit pedes,
Abstraxitque hominem in maximam malam crucem.
Illi divitiæ evenêrunt maximæ.
Is illic habitat geminus surrepticius.
Nunc ille geminus, qui Syracusis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum servo suo
Hunc quæritatum geminum germanum suum.
Hæc urbs Epidamnus est, dum hæc agitur Fabula:
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum:
Sicut familiæ quoque solent mutarier:
Modò enim fit leno, modò adolescens, modò senex,
Pauper, mendicus, rex, parasitus, ariolus.

APPORTO PLAVTVM] i. Plauti Comœdiam. Ita Terent. in Prologo Phorm. *Apporto novam Comœdiam.*

8. OMNES RES GESTAS ATHENIS AVTVMANT.] Interdum tamen fingitur ἡ σκηνὴ τοῦ δράματος esse non Athenis Atticis, sed in aliâ urbe Græciæ. Vide Casaub. Animad. l.3.c. 34. in Athenæum.

11. HOC ARGVMENTVM GRÆCISSAT, &c.] Festus: *Atticissat, i. Atticè loquitur. Sicilissat, i. Siculè loquitur*: hunc locum citans. Sed tamen ambo MSS. Cam. habēt, *Siciliciſſitat*. Q. d. Hoc argumentum Græcum sermonem imitatur: non tamen Atticum, sed Siculum. Siciliam autem eo sermone olim usam, qui neque planè Græcus, neque planè Latinus, sed quasi cinnus quidam ex utroque mistus esset, è Cicerone & Asconio intelligi potest. Immò *trilingues Siculos* appellat Apul. libr. 11. quòd Græcè, Latinè & Siculè loquerentur. Notantur etiam *Siculi logi*, Persâ act.3.1. V. N. ibid. (Et *Siculus*, pro stulto, ut & *momar*, quæ vox Sicula est, dicebatur) Consule & Muretum Variar. lib.3.13. ubi etiam legendum pertendit, *Sicilissitat*: quod negat Lambinus ferri posse: legitque *Sicelissitat*: cùm σικελίζειν sit *Siculè loqui*. At Colerus arbitratur Muretum à *Siciliâ* potius, quàm à σικελίζειν Plauto id formatum censuisse. Et quia hæc Fabula Sicilissitat, jocandi occasionem arripiens Plautus, nomē quoddam finxit è duabus vocibus, alterâ Latinâ & Græcâ alterâ junctum. *Antelogium* enim dixit, pro eo, quod olim Pacuvius *Prologum*: quasi *Anteloquium & Proloquium*. Sanè in Macrob. Sat. l.1.c. 24. & libr. 7. 4.

A *anteloquium* excuditur. quod Meursius ad hujus παράδειγμα suspicatur scribendum, *antelogium*. Nisi tamen (inquit) *anteloquium* ad eam faciem dicatur, quâ à Plauto *multiloquium, pauciloquium*. Ita certè μακρολογία. Isidoro lib.1. Orig. cap.34. *longiloquium* est: περίφρασις, *circumloquium*: ἀλληγορία, *alieniloquium* eidem, capit.36. Verùm enim verò Latinam & germanam loci hujus interpretationem Collega Siberus hanc dedit. ARGVMENTVM (inquit ille) hujus Fabulæ *Græcissat* quidem, (in Siciliam enim plurimi olim Corinthiorum, Achivorum & Doriensium confluxerant) non tamen Atticissat, sed *Siciliciſſitat*, hoc est, meros Siculos (ij Menæchmi potissimùm sunt) repræsentat. Est autem τὸ *Siciliciſſitat*, speciei, ut loquuntur, frequentati-
B væ. Ut enim ab *Italiâ* dicimus *Italus* & *Italicus*; ab *Ætoliâ*, *Ætolus* & *Ætolicus*: à *Getulia Getulus*, & *Getulicus*; ab aliis alia: sic à *Sicilia* fit non solùm *Sicilus* sive *Siculus*, sed etiam, ut hoc loco, *Sicilicus*. Itaque à *Siculo* fit *Sicilisso*: à *Sicilicus* autem *Siciliciſſo*: & tandem *Siciliciſſito*, frequentativum. Hæc est ergo vera loci hujus explicatio.

13. ANTELOGIVM] MSS. *ante elogium hoc fuit* & initio quidem fuit in pr. *elongium*. Edd. vett. *Huic arg. elogium hoc fuit*. neque illud *quoddam*, neque *quidem* usquam apparet. ut mirer, unde Muretus suum *quoddam* mutuatus sit.

13. FVIT] ita omnes; & rectè. D. *fuat*, somniavit, quod Pareus incontinenti intulit editioni pr.

14. DE-

14. DEMENSVM] MS. pr. & opt. à primâ manu, *demensus dabo.* Sanè illud *demensum* παιδικῶς accipiendum.

15. VERVM IPSO HORREO.] Ait se non parcè aut restrictè, sed copiosè & abundanter Argumentum fabulæ narraturum. Cic. lib. 6. epist. 1. ad Atticum: *Sic illa jam habent pleno modio verborum honorem, &c.*

16. TANTVM AD NARRANDVM] ita MSS. Cam. Et malè Muretus, qui conjecit *Tanta*: pejus, qui in contextum recipère. Talis forma Epid. act. 2. 2. *nihil in eâ re captio est.* frustráq; ibi sudat Interpres. Pseud. act. 1. 5. *Cum apud te parum stet fides.* Similis constructio illi Terent. Eun. act. 1. 5. *mihi parum habeat fidem.* Phorm. act. 5. 3. *Itanè parum mihi fidem esse apud te?* (V. N. Bacchid. act. 3, 6.) His affine illud Trinummo act. 2. 1.

Amor amara dat tibi satis, quod ægrè sit.

ut nimirum *amara* pendeat à particula *satis* Cic. ad Attic. quoque dixit, *si satis consilium quâdam in re haberem.* Auctor ad Herennium: *Vix satis otium studio suppeditare possumus.* Sic & Sallust. *Trib. pleb. abundè libertatem rati, quia tergis abstinetur.* item Seneca Prooemio lib. 4. Controv. *parum in illis habuerit fiduciam.* sic pæne MSS. omnes. Immò ipse Ovidius 3. Metamorph.

Fortunamque dies habuit satis:

ita enim MSS. non, *Fortunæque,* &c. J. Gruterus.

19. MATER SVA] Bona reciprocatio, *sua.* Et *mater* hic nutrix est: ut Virgil. 8. Æn. quod notat Nonius & Dalechamp. & L. Ramirez in Mart. l. 1. 101. Ita & P. Joan. Nunesius Notis in Phrynichum pag. 25. τιτθη, inquit, *abia est:* *ubis amita*, aut *matertem.* τιτθη *mater quæ mammam dat; non quæ peperit.* ἀπὸ τοῦ τιτθοῦ. i. *mamma.*

23. EGO ILLOS] Hic versus non est in MSS. sec. Cam. ut nec in vett. edd.

25. ONERAVIT NAVEM] Hinc *navis oneraria.*

33. AVEH. EPIDAMNIVM] ita MS. pr. sed Acidalius, *Epidamnium*, inquit, nuper refinxerunt, qui versui consulebant, scilicet: cùm urbs ea ubiq; *Epidamnus* nominetur: & vett. edit. *in Epidamnum*, habeant. Hinc fecerim, *Is p. tollit, in Epidamnumque avehit.* Nec insolens adjectio *in* particulæ: quæ bis hoc ipso Prologo sic iteratur.

A 38. P. SVBREPTVM ALT.] MSS. ambo *surruptum.* nam etsi in pr. mutatum est, *subductum*: hoc tamen à monachi recentissimâ manu est. Quin & Pylades in antiquiss. *subruptum* legi notavit: quam scripturam semper Plauto adlevit, etiam ubi in membranis non visebatur, decus illud indecoræ Antiquitatis Pareus. Orthographiæ enim fuère variæ aliis aliisque sæculis. sed servanda semper communis, nisi aut euphoniæ serioris, aut energiæ prægnantiores caussa.

46. FLAGITARIER] Per præcones publicos proclamari: ut Gyton ille, apud Petron. D.

49. PEDIBVS REDEVNDVM] Alludit ad pedes Carminum.

51. EPIDAMNVM CVRARI] ita MSS. & vett. edd. quod & Pius monuit.

54. NAM NISI QVI ARG.] MSS. ambo & omnes ed. vett. *Nam nisi qui non arg.* & sequenti versu, *Nam nisi qui d.* prius expressit Pareus, alterum non, ô religionem irreligiosam!

55. MAGIS MAIORES, &c.] quia mihi tam stultè pecuniam dederit nihil suæ rei curatturo. Est autem Hellenismus: quo utitur & Prol. Pœnuli: item Virg. in Culice:

B *Qui magis apt ato queat esse beatior ævo?*

Aristoph. ad verbũ, τίς τῶν γένοιτο μᾶλλον ὀλβιώτερος; Sticho act. 5. 4. *hoc magis est dulcius.* Boetius lib. 1. Prosâ 4. *Et magis essem tutior.* Idem lib. 3. Consol. Metro. 1.

Dulcior est apium magè labor,
Si malus ora prius sapor edat.

Alcimus lib. 1.

Quoque magis naturæ hominis sublimior exstet, &c.

Et Arator lib. 1.

Nona fuit tunc hora, magis quâ rectius horâ
Prodiret jam trina fides.

Eurip. θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος, ἢ ζῶν. Aristotel. μᾶλλον κάλλιον. Chrysost. μᾶλλον μειζόνως παροξυνεῖς. Etiam Scipio Gentil. Parerg. L. 1. c. 37. JCtis frequentari talia, ait: ut, *potius malle*: & *magis malle,* &c. Vide & Francisc. Nansij Not. ad D. Johan. & Mercerum ad Nonii Cinædus.

57. EPIDAMNIENSIS ILLE] Nota, hunc Rectum casum non habere, quò referatur. Sed hoc est Comicum. hæc enim negligentia imitatur sermonem quotidianum, quo maximè Comœdia utitur. Licet tamen dicere referatur

referri posse ad v. *Adoptat*, quod versu 4. sequitur: & versum, *Ei liberorum*, & τὸ πάρεργον legi. *Ex L.*

59. EI LIBERORUM, NISI DIVITIÆ, NIHIL ERAT.] Videtur insolens. Nam particula *NISI*, non nisi similia & ejusdem generis excipere debet: ut, Nullos habet numos, nisi aureos. Nullos amat Poetas, nisi Homerum, &c. At, *Liberi* & *Divitiæ* diversa sunt genere. Veruntamen & alios sic locutos esse scias. *Lamb.*

62. QUAM IPSE OB. DIEM.] ita par MSS. quod valebit, *priusquam.* nam id & in edd. vett. & Langii habemus: ita Amph. act. 2.2. *Gravidam ego illam hic reliqui, quàm abeo;* non, *quom.* Si quis tamen hîc urgeat, *quom ipse obiit diem*, quod habent quidam vetustè editi, ei adstipulabuntur ista Pœnuli: *Et is me heredem fecit, cum obiit ipse diem.* Neç ineptè testamentum postremo vitæ articulo scriptum fingitur. imo planè reponendum *quom.* sic & infra 1.2. versu 46. *mihi quom ob loquere*, MSS. *quàm* habent, &c. iterum 2. 3. v. 13. *domus quàm hæc tua sit.* iidem libri *quàm*, & alibi sæpius, ut desipiat qui eis nimium tribuat. *Gruterus.* Etiam Acidal. l. *quom ipse obiit diem*: non tam adstricto tamen ad ipsum fatalem diem sensu. Nam valdè (inquit) mirum sit, si eâdem demum die, quâ casu raptus obiit, hæres institutus fuerit: quod sanè verba illa (*quâ die*) in vulgatis volunt.

63. PLUVERAT.] à *pluveo*: ut *annubit* apud Enn. ab *annubeo*: ita Scaliger. Vel stabilimentum versus est: ut *subit*, &c. MSS. & edd. *pluerat.*

65. RAPIDUS RAPTORI] fluvius imbribus auctus submovit pedes mercatori illi, qui puerum Menæchmum surripuerat.

65. SUBDUXIT PEDES] MSS. & omn. edd. vet. conjuratim, *fides.*

66. IN MAX. M. CRUCEM] *Crux* hoc loco non in adstrictâ illâ significatione pro gabalo, σκολόπι & patibulo accipitur: sed in laxâ, pro omni angore, cruciatu atque exitio: (ut hic, pro homine aquis merso) ut ipse Pl. Rud. 1. 2. & alibi, cæterique passim Romani scriptores usurpant, *malâ peste.* Sic & Ter. à cruciando, Meretrices dixit *Cruces*: nec dissimiliter noster Aul. *Aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat.* D. Cent. l. 3. 4. & Lips. De Cruce, lib. 1. 2.

74. SICUT FAMILIÆ] Lambinus, nihil sani super hoc loco. Videntur *familiæ* etiam *histrionum* fuisse, *ut gladiatorum.* Cujus rei an exemplum alibi quàm hic exstet, ignoro: *Douza F.* Cui & Pistoris adstipulatur. Videantur Inscriptiones Gruterianæ.

75. MODO ENIM IDEM] J. Gruterus è confusâ MSS. lectione conjecit, *Modò hic agitat leno.* Ibidem in seq. v. legitur *medicus.* Cæterùm extremi hi duo Senarii non exstant in vet. editis, offensis credo vitiosâ illâ scripturâ; *Modo nicaditat leno &c.*

ACTUS I. SCENA I.

PENICULUS parasitus.

IUVENTUS nomen fecit Peniculo mihi,
Ideò quia mensam, quando edo, detergeo.
Homines captivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis servis indunt compedes,
Nimis stultè faciunt, meâ quidem sententiâ.
„ Namque HOMINI MISERO si ad malum accidit malum,
„ Major lubido est fugere & facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti januam lima proterunt,
Aut lapide excutiunt clavum. nugæ sunt ea.

Quem

Quem tu asservare rectè, ne aufugiat, voles,
Escâ atque potione vinciri decet.
Apud mensam plenam homini rostrum deliges.
Dum tu illi, quod edit & quod potet, præbeas,
Suo arbitratu & affatim cotidie,
Nunquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit.
Facilè asservabis dum eo vinclo vincies.
„ *Ita istæc* NIMIS LENTA *vincla sunt escaria.*
„ *Quàm magis extendas, tantò astringunt arctius.*
Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quo jam diu
Sum judicatus, ultrò eo ut me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verùm educat
Recreatque: nullus meliùs medicinam facit.
Ita est adolescens ipsus escæ maxumæ,
Cerealeis cœnas dat, ita mensas extruit:
Tantas struices continnat patinarias;
Standum est in lecto, si quid de summo petas.
Sed mihi intervallum jam hos dies multos fuit:
Domi domitus fui usque cum caris meis.
Nam neque edo neque emo, nisi quod est carissimum.
Id quoque jam cari, qui instruuntur, deserunt.
Nunc ad eum inviso. sed aperitur ostium.
Menæchmum eccum ipsum! video, progreditur foràs.

IUVENTUS NOMEN FECIT PENICULO MIHI] Ut servis conditione Parasiti proximi sunt, ita in eorum quoque moribus lepidè ubique & copiosè exprimendis, Plautus urbanam suam rusticitatem ingenii varietate amœnitatéque temperavit. Vide Adag. *Detergere mensam.* Dicuntur parasiti etiam *attondere mensam*: de quo Epid. act. 2. 3. unde & à Græcis audaciùs, χοροτράπεζοι & τραπεζοκόροι vocantur. *Peniculus* autem spongia est oblonga caudæ similis, ait Festus & Turn. lib. 18. 15. Scal in Moretum: Ad excutiendum pulverem nos magis utimur vulpinis caudis: veteres etiam bubulis quin & peniculos ad extergendas mensas bubulos fuisse credo. immò & pictorios: unde *peniculamentum* pro caudâ Arnob. dixit. Et non solum ad peniculorum, sed & ad muscariorum quoque usum caudis bubulis utebantur. Et quemadmodum Plautus Parasito, quòd mensas extergeret, nomen indidit *Peniculo*: ita etiam A Theopompus Comicus anum, quæ lances lingendo detergébat, σπόγγον λεκάνης, καὶ πτερὸν λοπαστῆς vocavit. Nam & spongiis quoque mensas detergebãt. Rudente act. 4. 3.

--quasi penicillus novus exurgeri solet &c.

3. HOM. CAPTIVOS] Lepidè nimis, & ex disciplinâ parasiticâ Peniculus edocet, edaces homines quo rectissimè modo servari possint, ne fugâ se è custodiâ eripiant. In catenis eos aut compedibus haberi non placet huic Senatori.

B 4. COMPEDES] *Compedes* erant ligneæ: sicut *Catenæ*, ferreæ.

9. TUM COMPEDITI ANUM LIMA PRÆTERUNT] Cam. & Lamb. edidit. *comp. januam lima proterunt.* J. Guliel. l. *Lamnam limâ pr.* nam per *lamnam* seu *laminam* ferream compedem significat, quam eos limâ proterere ait. Et certò eandem in impedimentis ac cruciamentis servorum numerat, Asin. act. 3. 2. Nisi quis hanc aliò referre malit, & cum Propertii illâ confundere;

Lygdamius uratur: candeſcat lamina vernæ: quod verius fortaſſe eſt. *Janua* tamen huc non convenit. nam neque carceris ſignificari poteſt: quâ vel apertâ, qui fugiant compediti? tum pro clauſtro poſitam compedum, multò minus credo: tametſi Turnebus huc inclinet lib.20.27. At P.Colvius lib.9. Metamorph. Apul annotat: *Annulati*, ſunt colligati, vincti. ſic ſuprà, *pedes annulati.* Gloſſæ H.Stephani: *Annatus*, δακτυλιοφόρος, συμποδισθείς. Plauti locum, doctis viris ſæpius tentatum, emendandum ita putavi &c. *Tum compediti annulum limâ pr.* & malè vulgò legi, *januam*: Gulielmio noſtro reponente licet *lamnam.* Nam *lamina* hîc nullus locus, quandoquidem de compede ſermo: & aliud eſt in Lucret. & Prop. quos idem adducit, quàm quod in Plauto denotare vult. Vice verſâ D. Ambroſius pretioſis iſtis annulis oneratas mulieres, vinctis & compeditis in carcere comparat. Locus elegans, & dignus, qui adſcribatur, lib.1. de Virginibus. *Hinc collum catena conſtringit, inde pedem compes includit. Nihil refert, auro corpus oneretur, an ferro. Si cervix premitur, ſi gravatur inceſſus; nil pretium juvat: niſi quòd vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid intereſt, utrum aliena ſententia an veſtra vos damnet? Hinc vos etiam miſerabiliores, quàm qui jure publico damnantur: quòd illi optant exſui, vos ligari* &c. Denique J. Gruterus Suſpp. lib. *Tum c. januam l.* &c. Horum, inquit, verborum ſenſus non ita proclivis eſt, ut imber, quando pluit. *Janua* enim ſententiam minus apertam facit. Ego malim legere è MSS. Cam. item Excerptis Pall. *Tum compediti anum limâ præterunt.* nam v. codex Nonii ante annos C. Venetiis excuſus disertè ſuggerit, *anum l.* &c. vetusque etiam Interp. laudat. itemque teſtatur de MSS. ſuis Joſ. Mercerus. *Anus* ſiquidem idem eſt cum circulo: cujus dimin. *annulus.* Varro: *Tempus à brumâ ad brumam dum Sol redit, vocatur annus: quòd ut parvuli circuli, annuli; ſic magni, dicebantur anni.* Igitur *Annus*, ſive ut vetus eſt ſcriptura, *anus* nihil hîc fuerit, quàm *compes.* Quo etiam ſignificatu *annulum* capit Mart. lib.3.29. item lib. 11. 38. & alii alibi. *Anum* item podicem, ejusdem videri originis dico: præſertim cùm & Græcis δακτύλιος dicatur, & plerisque aliis populis

A utrunque ſignificet, & *annulum*, & *podicem*: neque aliter eſſe in Syriacâ linguâ, monuit me in Varr. Conjectaneis Joſ. Scaliger. Sic Grut. Vide tamen etiam molitiones Acidalii, etſi nihil emolitur. Cæterum ductus litterarum in MSS. eſt, *Compediti janum lima preterunt.* Pylades *janum* interpretatur januam, à deo Jano, cui omne initium ſacrum.

10. NVGÆ SVNT EÆ.] ita MSS. vulgò, *meræ*: quod nuſquam apparet in Edd.

13. MENSAM PLENAM] cui nihil addi poteſt. Propert.2.el.25. *Vidiſti pleno teneram candore puellam.* i. totam lacteam & nivam. idem 2.el.16. *Nunc ſine me plena fiunt convivia menſa.* Paſſerat.

14. EDIT] pro *edat.* Cap.5. 1. Trin. act.1.2.

16. N. EDEPOL FVGIET] MSS. & vett. ed. *N. ed te fugiet jam, etſi c.* quod Pareus reduxit. at potius reſtituendum erat, *Nunquam edepol fugiet, tametſi cap. f.* ut edidit Camerarius. quid enim vulgatius quàm ut *tam* degenerer in *jam*?

16. CAPITAL FECERIT] *Capital facinus* B *eſt, quod capitis pœnâ luitur*: Feſtus. Silius:

Prævetitum namque & capital, committere Martem

Sponte viris. Sic *Capitale admittere*, Calliſtr.l.27. divi fr.§.1. De pœn. V.N. Moſt.2.2. & Ræverd. Var. lib.3.c.19.

18. LENTA] flexibilia: ὑγρὰ Boſio. ſic utitur Hor.15. Epod. Nonius interpretatur, *tenacia*: ut apud V.4.G.

Et viſco & Phrygia ſervant pice lentius Ida.

19. QAM MAGIS EXTENDAS &c.] ita MSS. & Edd. vett. Declarat, quid ſint *lenta vincula.* Notetur autem elegantiſſ. forma loquendi: *Quam magis, tam magis*; vel, *tanto magis.* Lucr. lib.6.

—— *Sicuna cacumina calo*

Quàm ſint quæque magis, tanto magis edita fumant.

plura ſunt exempla apud Paſſeratium ad lib. 2. Eleg. 12. Propertii. Nec minus obvium *quàm, tam*, apud Catonem Sic Bacch. *Quàm magis id repeto, tam magis uror.* Et Salluſt. *Quàm quiſque peſſumè facit, tam maximè tutus eſt.* Ter. Heaut. *Quàm in minimâ ſpe ſitus*

Plus erit, tam facillimè patris pacem in leges conficiet suas. Vide Servium lib. 7. Æneid. & Quintil. lib. 1. item Not. Asin. act. 1. 3.

20. NAM EGO AD MEN.] J. Gul. hæc ita (applaudente etiam Douzâ) distinxit:

Nam. e. a. M. nunc, eò quò jamdiu
Sum judicatus, ultrò eo, ut me vinciat.

Priore loco *eò*, adverb. est. poster. verbum, *eo.* Ego ultrò eo ad M. ut me vinciat. Veteres quædam edit. habent:

Nam ego ad Men. nunc eo, quoi jamdiu
Sum judicatus, ultro ego ut me vinciat.

quod Lamb. interpretatur; cui jamdiu sum damnatus. *Judicati* autem, donec rem judicatam fecissent, vincti & addicti erant ei, qui vicerat. Eo pertinet id, quod sequitur, *ut me vinciat*: quod ambiguè dictum: vel vinciat, ut judicatum: vel vinciat cibo, ut parasitum. Rævardus ad L. XII. tabb. c. 8. hunc locum interpretatur ex illo, quo Decem viri *nexos*, ni suo viverent, à creditoribus alii voluerunt. Trahitq; eòdem illud Ter. Phorm.

Mihi sciunt nihil esse, dices: duces damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem.

MSS. repræsentant quod nos, nisi quod uterque, *Men. hunc eo.* minus rectè. & id tamen Plauto suo allevit Pareus.

22. NON ALIT, VERUM EDUCAT R.] Nonius, qui hunc locum testem laudat: *Alere est victu (cultuque) temporali vitam sustentare: Educare, ad satietatem perpetuam educere.* V. N. Curc. 4. 2. *Recreare*, verbum Lucretianum: quo ita hic Pl. utitur, ut significet, plus etiam esse *Recreare*, quàm *alere*. Vide Rittersh. ad Gunth.

23. NULLUS MELIUS MEDICINAM FACIT] Nullus est medicus, qui præsentiorem medicinam ægris faciat suis, quàm gutturi ventrique meo famelico Menæchmus, D.

24. ITA EST ADOLESCENS IPSUS ESCÆ MAXIMÆ] Menæchmus ipse est cibi plurimi: ac edacitate suâ cæteros manducones multis parasangis antecellit. Varro lib. 1, cap. 23. de Re rust. *In pingui terra rectius seruntur, quæ cibi sunt majoris.* Nec valde dissimiliter Horat. 1. Odâ 36. *multi meri Damalin* vocat &c. Quin immò ubi legitur apud Columel. lib. 6. cap. 2. sub finem: *boves sint multi cibi edaces, verùm in eo conficiendo lenti*: ejecerim illud *edaces*, pro interpretamento. Lambinus falsus est. Hæc Gruterus.

25. CEREALEIS COENAS DAT] i. opimas & lautas ac multis ferculis oneratas: quòd festis *Cerealibus* populariter solerent Genio indulgere: id quod, è Virg. 1. G. intelligi potest. Et *Ceres* dea educatrix hominum erat: inde & *auras Cereales* quæ educant & alunt fructus, Plinius lib. 15. cap. 19. dixit. Ex Turn. Adverf. lib. 18. cap. 14. Ita Varro *Cerealem pompam* vocat longum illum ordinem ferculorum, quæ in Cereali epulo inferebantur.

25. MENSAS EXSTRUIT] Inde *structores servi.* Seneca: *Argentum non temerè collocatur, sed pertè struitur.* Petronius: *Structor imposuerat cibum.* Structores tamen Martiali etiam dicti qui decoro manuum gestu cibos discerpunt: qui propriè *Carptores* Juvenali, *Diribitores* Apulejo, *Scissores* Petr. & eidem Juven. *Cheironomonta*:

——*& Cheironomonta volanti Cultello*——

Vide Tit. Popmam *De operis servor.* MSS. & Edd. ante Aldum, *mensam*, ut fortè fuerit, *Cer. c. Datitat. ita mensam exstr.* ut *datitat* sit frequentativum à *dato.*

26. TANTAS STRUICES CONCINNAT PATINARIAS] Plautus ad verbum videtur Scaligero hunc versum transtulisse ex illo Eubuli Comici, apud Poll. & Athenæum: Καὶ πυκτὰ Σικελικὰ πατάνεια συστάδα. Videatur & Isaacus Pontanus ad illud Macrob. lib. 7. cap. 5. *In mensâ Siculâ vel Asianâ* &c item Casaubonus lib. 9. cap. 12. in Athenæum. *Struices*, ait Festus, hunc locum citans, *antiqui dicebant omnium rerum exstructiones*: ita Livius, *Struices saxeas.* Nævius etiam, teste Servio dixit, *Struix malorum.* *Struere* enim pro adjicere, augere, utebantur. Unde *industrios* quoque dicebant, à *struo.* V. N. Aul 3. 6. *Struere penum* dixit Virgilius; *convivia & epulas*, Tacitus; *fercula*, Columella. & *struix* aliàs est *strues* σωρός. Quin & Cocum hinc *Structorem* vocant. Juven. Sat. 7.

——*qui fercula doctè Componat.*

Ad quod Comment. *Structurâ, ut cocus.* Hinc Lucill. *exstructa mensa.* Colum. lib. 1. *fercula struentes. structor* Athen τραπεζοποιός: Polluci τραπεζοποιός: nam, ut idem, τραπέζας ἐκάλουν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα. uti & Latinis, Virg. 3. Æn. *absumere mensas.* Hisychius vero: τραπεζοποιός, οὐχ ὁ μάγειρος, ἀλλ' ὁ

τῆς πάσης περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς ἐπιμελούμενος. Nazianzenus εἰς γενέθλια. μὴ στιβάδας ὑψηλὰς πηξώμεθα, σκηνοποιοῦντες τῇ γαστρὶ τὰ τῆς θρύψεως. Ad hoc ait Interpres: ἔθος ἦν ἐν ταῖς πανηγυρικαῖς δημοθοινίαις, τίθεσθαι πίνακας, ἐν οἷς κρέατα ἄλλα ἐπ᾽ ἄλλοις ἐπεστίβαζον εἰς ὕψος. ὅπερ ἐκαλεῖτο στίβας. ἐδόκει δὲ οἷον τις σκηνή. Ergo, *struices concinnare*, est, στιβάδας πήξασθαι. Nā in his perpetua est allusio ad solennes epulas &c. *Sib.*

27. IN LECTO] discubitorio & tricliniari. Atque illos his altiores fuisse, docet Scal. Conject.

27. DE SUMMO PETAS.] ita MSS. & omn. editi. Lipsius Antiq. l. 3. malit, *si quid de summâ petas*; patinâ videlicet, aut struice, ἰλειπηκᾶς. Etiam Turn. (lib. 6. 21.) *de summo*, retinet: sed ad potiones refert: quarum tamen hîc nihil meminit Parasitus. Videatur idem l. 13. 6.

29. DOMI DOMITUS] videtur hoc imitatus Lucr. lib. 5.

Si quos ante domi domitos satis esse putabant.

Geminationes autem ejusmodi verborum eorundem aut similium veteribus erant perfamiliares, non solum Poetis, verùm etiam Oratoribus. quod etsi ut vitiosum minores reprehenderint, ego tamen majores libentius sequar, modicè tamen, atque ita, ut quandam vim ferè habeat ista duplicatio, &c. Hub. Gifan. Vide infra act. 2. 3.

29. CUM CARIS MEIS] q. d. Ego perpetuò domi conclusus, fractus & mollitus fui tanquam fera cum caris meis. Et *Caros* cum dicit Parasitus, ex ambiguo ludit festivè. nam & *cari* dicuntur liberi, & cari cibi, quibus vesci assueverat. cùm præsertim mox dicat, se nihil comesse, nisi quod carissimum est: ut cùm de caris liberis loqui videatur, cibo tamen perspicuè auditorem fallens intelligat. Ibidem cum dicit,

Hi quoque jam cari, qui instruuntur, deserunt:

se destitui numis dicit, quibus cibi parantur. vel, ut alii (etiam MSS. Cam.) legunt,

Id quoque jam cari, qui instruuntur, deserunt.

hoc sensu: Id quoque accidit, ut cari cibi & dapsiles; qui instruuntur in mensâ, & tanquam milites in acie collocantur, desertores ordinis sui esse incipiant, nec locum teneant. Itaque hanc scripturam & multo concinniorem, & Plautinis facetiis longe digniorem arbitror. *Caros* autem liberos dici, è Lactantio lib. 6. 12. cognosci potest: *Cùm sciat se caros suos Deo relinquere, nec his unquam præsidium de futurum:* Turnebus & Lamb. At Palm. Spicil. fol. 161. hunc. v. ita constituit:

Id quoque jam, cari quî instruuntur, deserit.

Caros suos appellat *escas*, eæ instruuntur pecuniâ. Cæterùm pecunia jam deficiebat Parasitum. Ita apud Varr. *promum esse caris suis*; est, promere res suas caras, *pecunias* scilicet. Placet hoc & Acidalio: nisi quòd malit,

Id quoniam, (i. postquam) cari quî instruuntur, deserit,

Nunc &c. ne sententia pendeat scilicet. & ultimum istud invasit Parei editio illa verè piratica.

ACTUS I. SCENA II.

MENÆCHMUS surreptus, PENICULUS parasitus.

NI mala, ni stulta sis, ni indomita imposque animi,
Quod viro esse odio videas, tute tibi odio habeas.
Præterhac si mihi tale post hunc diem
Faxis, faxo foris vidua visas patrem.
Nam quoties foràs ire volo, me retines, revocas,
Rogitas quò ego eam, quam rem agam, quid negotii geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim.
Portitorem domum duxi. ita omnem mihi
Rem necesse loqui est quicquid egi atque ago.

Nimium ego te habui delicatam.
Nunc adeo, ut facturus, dicam. quando ego tibi ancillas, penum,
Lanam, aurum, vestem, purpuram bene præbeo: nec quicquam eges:
Malo cavebis, si sapis: virum observare desines.
Atque adeò, ne me nequicquam serves, ob eam industriam
Hodie ducam scortum ad cœnam, atque aliquò condicam foras.
PE. Illic homo se uxori simulat malè loqui, loquitur mihi.
Nam si foris cœnat, profectò me, haud uxorem, ulciscitur.
ME. Evax, jurgio hercle tandem uxorem abegi ab januâ.
Ubi amatores sunt mariti? dona quid cessant mihi
Conferre omnes, congratulantes, quia pugnavi fortiter?
Hanc modò uxori intus pallam surripui, ad scortum fero.
Sic hoc decet dari facetè verba custodi catæ.
Hoc facinus pulcrum est, probum hoc est, hoc lepidum, hoc factu'st fabrè.
Meo malo à malâ abstuli: hoc ad damnum deferetur hinc.
Avorti prædam ab hostibus, nostrûm salute sociûm.
PE. Heus adolescens, ecqua in istâc pars inest præmij mihi?
ME. Perij, in insidias deveni. PE. imò in præsidium. ne time.
ME. Quis homo est? PE. ego sum. ME. ô mea commoditas, ô mea opportuni-(tas,
Salve. PE. salve. ME. quid ais? PE. teneo desterâ Genium meum.
ME. Non potuisti magis per tempus mihi advenire, quàm advenis.
PE. Ita ego soleo: commoditatis omneis articulos scio.
ME. Vin tu facinus luculentum inspicere? PE. quis id coxit coquus?
Iam sciam, si quid titubatum est, ubi reliquias videro.
ME. Dic mihi, nunquà tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?
PE. Sæpe. sed quid istæ picturæ ad me attinent? ME. age, me aspice.
Ecquid assimulo similiter? PE. quid istic est ornatus tuus?
ME. Dic hominem lepidissimum esse me. PE. ubi esuri sumus?
ME. Dic modò hoc quod ego te jubeo. PE. dico: homo lepidissime.
ME. Ecquid audes de tuo istuc addere? PE. atque hilarissime.
ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, nisi scio quâ gratiâ.
Litigium est tibi cum uxore. ob, mihi abs te caveo cautiùs.
ME. Clam uxorem ubi sepulcrum habeamus, & hunc comburamus diem.
PE. Age sanè igitur, quando æquum oras, quàm mox incendo rogũm.
Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus.
ME. Te morare, mihi quom obloquere. PE. oculum effodito per solum
Mihi, Menæchme, si ullum verbum faxo, nisi quod jusseris.
ME. Concede huc à foribus. PE. fiat. ME. etiam concede huc. PE. licet.
ME. Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.
PE. Heu edepol, næ tu, ut ego opinor, esses agitator probus.
ME. Quî dum? PE. ne te uxor sequatur, respectas identidem.

ME. Sed quid ais? PE. egóne? id enim quod tu vis, id ajo, atque id nego.
ME. Ecquid tu de odore possis, si quid fortè olfeceris,
Facere conjecturam? PE. captum sit collegium augurum.
ME. Agedum odorare hanc quam ego habeo pallam. quid olet? abstines?
PE. Summum olfactare oportet vestimentum muliebre,
Nam ex istoc loco spurcatur nasum odore illutibili.
ME. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide. ut fastidis! PE. decet.
ME. Quid igitur? quid olet? responde. PE. furtum, scortum, prandium.
ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.
Mihi, tibi, atque illi jubebo jam apparari prandium.
Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus.
PE. Expeditè fabulatu's: jam fores ferio? ME. feri:
Vel mane etiam. PE. mille passûm commoratu's cantharum.
ME. Placidè pulta. PE. metuis credo, ne fores Samiæ sient.
ME. Mane, mane obsecro hercle: ab se ecca exit. PE. oh! Solem vides.
Satin' ut occæcatus præ hujus corporis candoribus!

VERSVS hujus Scenæ sunt ab initio confusi, trimetri hypermetri pleriq; , & dimeter ultimus. Post quem ab eo, *Nunc adeo, &c.* deinceps decurrunt tetram. catal. plurimi.

V. 1. NI MALA] Turn. l. 3: 12. Propè inauditum est: tamen affirmat Donatus, (at qui Grammaticus!) *Ni*, positum pro, *Ne, &c.* Cui Lambinus tamen non adsentitur, cum (ut ait) optimè currat oratio, si ita explicetur: *Ni mala, &c.* Fæmina sis, id, quod viro tuo odiosum esse videas, tibi ipsi sit odio. At cum Donato facit & Gifanius Ind. Lucr. & *Popma* De usu antiq. locutionis: cap. 1. ubi docet litteras affines locum inter se commutasse antiquitus. Ita libri vett. retinent *Bacchinal*, Aulularià: *specitur*, Cas. 3: 1. *temperi, pignero, diecrastini*, *hoc* pro *huc*: *Lydy* pro *ludy, fontinalia*, & hujus notæ sexcenta. *Derectary, intellego*, Varro: *Beneficere & maleficere*; *fornicator & fornicarius*, qui curam fornacis gerit, Pandectæ Florent. Sed & Virgil. Æneid. 3. *Ni* pro *ne* scriptum hodiéque retinet: *Ni teneant cursum*-versu 686. quod & Servius ibidem animosè tuetur, & hoc ipsum exemplum pro testimonio citat. His igitur apud nos potior sit fides.

3. PRÆTERHAC] ita MSS. Cam. & D. F. *præterhâc*. Pareus statim reposuit *huncce*, ex MSS. ut annotat: sed falsò. sic neuter habet. syllaba ea addita primo quidem, sed à manu A recentissima Camerarii: quod vel atramentum indicat.

5. FORAS IRE] Parei editio utraque destituitur voce *foras*, quæ tamen in MSS. duobus, & planè requiritur. en, quemne minimus quidem apex librorum eorum fefellit!

8. PORTITOREM DOMUM DUXI] Quæ me egredientem & redeuntem curiosè observat atque excutit: more portitorum, qui portoria exigunt. *Lamb.* & *Fruter.* Conjectan. lib. 3: 1.

10. NIMIUM EGO TE HABUI DELICATAM.] nimis leni ac molli genere te tractavi. *Sib.*

12. AURUM] quo ad texendum utebantur B nobiles matronæ. Barthius ad Ceirin.

11. BENE PRÆBEO] largè suppedito, ἀφειδῶς παρέχω.

12. NEC QUICQUAM EGES] Antiquè, *egere aliquid.* Ita Cato apud Agell. lib. 13. cap. 22. *Si quid est, quod utar, utor; si non est, egeo. Suum cuique per me uti atque frui licet. Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.* Frustrà igitur D. F. l. *quiquam.*

14. OB EAM INDUSTR.] Ita infrà 5: 2. *Ob istanc industriam etiam faxo amabit amplius.* Et sic MSS. Cam. Gruterus suspicabatur legend. ——*ne me nequicquam serves, jam ob industriam Hodie, &c.* id est, ne frustrà dicaris obiisse

obiisse laborem mei observandi, jam vel hodie potissimum, ut tibi ægrè faciam, scortum, &c. *Ob industriam: de composito: de compacto: datâ operâ*, notum. Casinâ act. 2:3. *illa autem quasi ob industriam Mihi adversatur.* Conjectaneum istud implet utramq; ed. Parei. ubi ergo membranarum superstitiosa observatio? Idem præterea suillam exercet eloquentiam, ubi in Electis istæc ita facunditer circumscribit loco characterismi: Mariti ægrè ferant se observari ab uxoribus: præsertim si bene illis omnia præbeant: adeoque sponte ruunt sæpe ad flagitia. Intelligisné, Lector, quid grunniat?

15. ATQVE ALIQVO CONDICAM F.] Palmer. fol. 254. interstinxit *scortum, atq. adcænam aliquo.* simillimè Acid. *Hod. d. scortum, atque aliquò ad cæn. c.* Nam, *scortum ducere*, singularis phrasis est: *ad cœnam condicere*, pariter singularis. V. N. Sticho, 3:1. Festus; *Condicere, est dicendo denunciare.* Sic Cic. & Suet. *Condicere alicui cœnam*, pro, indicere cœnam, & denunciare se adfuturum.

18. EVAX] exultantis interjectio. ab *Evoe*, quæ bacchantium vox est, εὐοῖ. unde *Evan* Liberi patris cognomen.

20. QVIA PVG.] MS. à primâ manu, *qui*: elegantius.

22. SI HOC DECET] Ita quidem MSS. sed enim cùm edd. primæ præferant, *Si hic decet*, vix est ut scribi non debeat *Sic decet*, ut edidit Aldus, & versus postulat.

24. MEO MALO A MALA ABSTVLI] pallam abstuli ab uxore meâ malâ, *meo malo*, i. meo periculo: ut sc. seq. *Pist.*

24. AD DAMNVM] ad scortum damnosum. L.

SALVTE S.] salvis sociis. *Socium*, pro, sociorum agnoscit hîc etiam Prisc. l. 7. ut in Pœn. *tuûm parentum nomina.* Trin. *majorum meûm.*

25. PRÆMII MIHI] Sic Gulielmius, ex edd. vett. neque recedunt MSS. nisi quod ii, *præ mihi.* ex eo alii fecere *præda*, cùm potius repetenda fuisset syllaba prima in *mihi.* Pal. pr. emendatur, *parte mihi.* conjungit sæpè Plautus *præmium* & *prædam*: & utrunq; propè idem est: id videlicet, quod hosti aut viatori miles aut grassator manu eripit. Virgil. 11. Æn.

Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat; & longo prædam jubet ordine duci.

Tibull. lib. 1: 2.

Nec sinis occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut raptâ præmia veste petat.

P. Arbit. *Quid aquis dici formosius potest? in publico tamen manant. Solus ergò amor furtum potius, quàm præmium erit?* Urbanè *furto* commisit *præmium*: quòd alterum dolo clam, alterum vi palàm capiatur. Jam pueri norunt, *præmiatores* esse, qui de nocte præmia extexant. Hinc ea vox translatione ad honorem deducta, qui habetur viro strenuo pro operâ navatâ Reip. Et pulcerrimè in Glossis *præmium* explicatur γέρας.

29. QVID AIS?] MSS: *agis.*

29. TENEO DEXTERA GENIVM MEVM] Eum dexterâ teneo, (quod solebant consalutantes) qui me alit, & in vitâ retinet, & quodammodo genuit. Sic Curcul. 2: 3. *Ecquis est, qui mihi commonstret Phædromum, Genium meum?* V. N. etiam Capt. act. 4:2.

30. PER TEMPVS] i. in tempore, ac tempestivè. Andr. 4: 4. *Chreme, per tempus advenis.*

31. QVIS ID COXIT COCVS?] *Facinus luculentum*, obsonium aliquod, ex animi sui sententiâ & ex Personæ decoro, interpretans Parasitus quærit, quis id cocus coxerit. MSS. *quocus.*

33. JAM SCIAM, &c.] ita MSS. Jam sciam, si quid peccatum est, postquam reliquias videro. Significat se usu peritum esse obsoniorum coquendorum artificem. *Ex L.*

34. NVNQVA] ita MS. Camer. pr. *nunqua.* sec. *nunquam.*

35. CATAMITVM] i. Ganymedem. Sic enim Latini illum nominârunt: quem Poetæ finxerunt Jovem in aquilam versum rapuisse. Cic. 2. Philip. pro impudico aut effæminato posuit *Catamitum*: & intellexit Antonium. Videtur, inquit Scal. à γαναμείδης, quod idem est cum γανυμήδης, detortum esse. γάδεος enim & γάνος idem. ut prius diceretur *Gadamidus*, inde *Catamitus.* Sic *Laumedo*, pro *Laomedon*, &c. De raptu hujus vide P. Leopard. lib. 4:4. Emend. & C. Rhodig. l. 15: 9. Porrò homines ab aquilâ reverâ raptos, docet Casaub. ad Flav. Vopisc. Audiatur & D. Cyprianus lib. 1. epist. 2. *Exprimunt in theatris Jovem illum suum, non magis regno, quàm vitiis principem, in terrenos amores cum*

[illegible]

ipsis suis fulminibus ardentem: nunc in plumas olores albescere; nunc aureo imbre defluere: nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire, &c.

35. ADONEVM] pro, *Adonin*. Catullus Carmin. 26.

Aut albulus columbus, aut Adoneus?

ita *Simonideus*, apud Auson.

Concedat Cei Musa Simonidoi.

Vide Scalig. ad Tibull. Turn. l. 10:10. P. Colv. 2. Met. Apul. item El. Vinetum ad Auson.

36. AD ME ATTINET?] Parasitum, qui ventrem cibo, non oculos picturâ pascere cupio soleóque. L.

37. ECQVID ASSIMVLO SIMILITER?] Ecquid Ganymedem & Adonin formâ aut ornatu refero? qui uterque pueri molles & mulierum similes erant. Hoc autem ideò quærit, quòd pallâ uxoris indutus erat. L.

38. VBI NAM ESVRI SVMVS?] Redit Parasitus ad suas curas.

40. ECQVID AVDES] i. Nunquid sustines addere istuc insuper aliquid de tuo? vel: Nunquid nam abs tete impetrare potes, ut prætereà de tuo istuc vel corollarii vicem addas quippiam? Item alibi: *Nunquid audes gratiam mihi aliquam hinc facere argenti?* Nam *Audere* pro *velle* usurpabant. Douza in Præcid. item Acid.

40. ATQVE HILAR.] MSS. *atqui hil.*

42. OH, MIHI ABS TE CAVEO CAVTIVS] ita MSS. Cam. *oh*, vel *ô*. Delirat, (inquit Acidal.) hîc Lambinus. Quid Parasito interest caussam litigii scire? Tum, quomodo cavet hic ab illo sibi, cui manifestò se prodit? denique ultimus versus unde pendet? nisi sic à Parasito cavetur, si uxor celatur. Nugæ. Quin elegantissimè & verissimè sic restitui:

ME. Perge. PE. non pergo hercle ego, nisi scio quâ gratiâ.

Litigium est tibi cum uxore: hoc mihi abs te caveo cautius.

ME. Clam uxorem ubi sepulcrum hab. &c.

Jubet Menæchmus Parasitum pergere in supparasitatione, at ille renuit blandiri gratis, nisi sciat quâ mercede. Atque ob eam caussam, inquit, diligentiùs abs te mihi caveo, & præscire præmium cupio; quia litigium tibi cum uxore est: ut haud facilè me domum sis ad cœnam vocaturus. Respondet Menæchmus; Eo pretio, quicquid dices, dices, ut hunc diem luculentum nobis, clam uxore, habeamus.

A

43. CLAM VXOREM, VBI SEPVLCRVM H. ET H. COMBVR. D.] Hanc sententiam habet, auctore Turneb. lib. 18:14. & 27. ubi mortuo & exacto die Genium curemus, & epulemur? Nam *mori diem* dicebant. Statius l. 4. Silvar.

Jam moriente die rapuit me cæna benigni Vindicis.

Sed & *dies componi*, i. sepeliri, ut mortuus, dicebatur. V. 1. Æn.

Ante diem clauso componet vesper olympo.

Sic ferè Hor. 4. Od. 5. *Condere diem*, dixit. Eo autem tempore cœnare veteres solebant. Ita ex *morte* & *sepulcro* diei, tempus cœnandi intellexit: proinde quasi cœna sit *diei bustum* & sepulcrum.

44. QVAM MOX INCENDO ROGVM.] jam statim committo prælium sive prandium?

45. DIES Q. IAM AD VMBILICVM EST DIMIDIATVS MORTVVS.] inclinatus jam in pomeridianum tempus est dies: atque ita jam quasi dimidiatus mortuus: igitur comburendus. Fulgentius, de Solis equis: *Lampos dicitur, dum ad umbilicum diei centratum conscenderit circulum.* Jam, *Ad umbilicum*, i. ad mediam partem: umbilicus enim quasi media pars animalis est. Sic Cicero 6. Verrinâ: *qui locus, quod in mediâ insulâ situs est, umbilicus Siciliæ nominatur.* Livius Dec. 4. l. 5. *Ætolos, qui umbilicum Græciæ incolerent, &c.* Sic *Italiæ umbilicus* in Reatino agro ponitur Plinio l. 3. c. 12. Apud Horat. tamen epod. 14. *promissum carmen, jambos Ad umbilicum ducere*, umbilicus pro fine usurpatur: ad quem locum consulatur Torrentius. Solebant enim veteres librorum tegumenta umbilicis ornare. Martial. l. 4. Epigr. ult.

B

Jam pervenimus usque ad umbilicos.

Idem lib. 5. Ep. 6.

Nigris pagina crevit umbilicis.

Porrò etiam Sophocl. in Trachiniis dixit χέσιν ζῶντι, i. *præsente tempore*. præteritum enim interiit, & futurum quasi genitum non est: Camer. & P. Vict. l. 11: 18. & Turneb. l. 18: 27. Nota mihi autem, quàm accuratè legem allegoriæ noster custodiat: ut, quo in genere translationis cæperit, eo desierit. Quemadmodum autem dies hîc *mori* dicitur: ita *adolescere*, alibi. hinc *Sol adultus* est meridies

Petro-

Petronio & Sidonio lib. 4: 8. quo radii Solis non habent, quò magis adolesc. ant. Parei Lexicon, docet ad hunc locū puellos suos: Dies mori dicitur, quando compotationibus totus insumitur, Genio indulgendo. Statius lib. 4. Silvarum: *Jam moriente die rapuit me cœna benigni Vindicis. &c.* Quid istis puerilius? Statii versus vult, se cœnæ Vindicis adhibitum, sub vesperam. Qui tunc primum incipit convivari, isne totum diem insumit compotationibus? virgis castiganda ignorantia.

45. DIMIDIATUS] Quid *dimidium* & *dimidiato* intersit, docet curiosè Agell. lib. 3. cap. 14.

46. TE MORARE] tibi moram creas, cùm mihi loquendo obstrepis.

46. OCULUM PERSOLUM] oculum planè & omninò solum. Significat se luscum esse. Et particula augendi data est verbo, quod omnis expers est incrementi. Turn. l. 18: 14. & lib. 11. c. 7. *Persolum*, inquit Cam. pænultima brevi vetus est: & significat penitus vel prorsus: ut in Curc. act. 1: 3. *Persolæ nugæ*, i. meræ nugæ.

49. AB LEONINO CAVO] à speluncâ leoninâ, ubi commoratur uxor, quæ ei instar leonis timebatur. Dalechamp. in Comm. Plin. lib. 8. c. 16. *Leoninum cavum* in Menæch. domus est, in quâ mulier habitat gravem halitum & virosum spirans. V. Nonn. c. 5: 2. v. HIR. sed longius petitum est; perperamque Lexico suo id intulit Pareus. Juvenculæ animam non habent tam virosam: decrepitarum potius est, cùm jejunæ sunt.

CAVO] Hor. 1. Epist.

Macm cavum repetes arctum ——

Terentianus: *Tanti per spacium cavi.*

50. AGITATOR] *Agitatores* aurigæ sunt, qui in ludis Circensibus curuli certamine se exercebant. Cic. l. 4. Acad. *Ego, ut agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo.*

RESPECTAS IDENTIDEM] Jocus in v. *Respectare.* Aurigator in ludis Circensibus identidem respicit eos, qui ponè sequuntur. Sic Menæchmus pallam uxoris indutus crebrò oculos retorquet, timens, ne ab uxore conspiciatur.

A

51. ID NEGO.] ita MSS. & edd.

54. CAPTUM SIT] Cam. & vulgg. omnia protelo dant Menæchmo: hâc sententiâ: ut dicat. jam se de illâ pallâ relatum esse velle ad collegium augurum, divinaturo Parasito. Palm. leg. *captum sit conregium aug. &c. Conregium* pro, *conregione*, quod verbum augurale & auspiciale esse ait: sicut & *capere*: quem videas Spicil. fol. 251. Sed Lipsius personâ inditâ legit,

Facere conjecturam? PEN. captum sit collegium augurum.

MEN. Agedum, &c. ——

Roganti enim Menæchmo, ecquid divinare de odore posset; præclarus ille augur; Egonè? inquit: Non ipsum collegium augurum meliùs conjecturam fecerit. Atque hoc interea exhibuimus, ob elegantiam. Quamvis vox *augurum* nec in MSS. nec in ullo vett. cod. appareat. Primus Pylades adsuit. Scalig. in Culicem: *Capere*, verbum Augurum, cùm locum eligebant ad effandos fines templorum. De quo ipsum vide ad Festum in *Minora templa*: & Meursium Exercit. Critic. Part. I. cap. 3. *Sic captus augur, captus judex, captus arbiter.* Videatur & Turneb. lib. 30. cap. 39.

B

54. COLLEGIUM] ingeniosè Gruterus subintelligit *Parasiticum*.

55. QUID OLET? ABST.] ita MSS. Lipsius, *quid olere abstines?*

57. NAM EX ISTOC LOCO NASUM SPURCATUR, ODORE ILLUTIBILI] Q. d. Summam pallæ partem mihi olfaciendam porrige: nam *ex istoc loco*, i. ex infimâ parte, *nasum* (pro *nasus* antiquè) læditur & inquinatur odore fœtido atque illuto, hoc est, qui elui seu lavando abstergi non potest. P. Colv. legit, *Nam ex i. l. spurcare nasum odore mucido.* Lips. Elect. l. cap. 1. cap. 21. suspicatur *odore illætabili*. J. Dalech. ad Plin. lib. 9: 39. l. *odore illutibili*, quomodo editio omnis antiquior. sc. lotii. Romanis turpe fuit atque ominosum, vel lotium tantùm nominare. Plin. lib. 7: 51. Inter signa mortis recenset *neglectum præfandi humoris effluvium*, id est, urinæ cum præfatione honoris nominandæ. Sen. lib. 2: 3. de Irâ, *humorem obscœnum* vocat: & lib. 2: 18. de Tranquil. *aquam immundam*. Sanè MSS. ambo, *modore inlucido*, quod probat Schoppius:

pius: ut sic etiam sit trochaicus. ita tamen, ut ex *modore* fiat *odore*. Quid si? *madore inlucido*. inepte inquit Pareus: qui nobis obtrusit *odore inlucido*. quod tamen quid sibi velit, tam bene novit, quàm alia omnia quæ nescit.

58. PE. DECET.] ita MSS. Acidalio languidum hoc videtur: ideò malit, *licet*, assentiendi formulâ solemni, quod statim editioni suæ pr. intulit Pareus.

61. ILLI IVBEBO] Pareus, non sine labe versus mutat, *jubeo* & sic ait esse in MSS. sed falsò. ita solum pr. certè sec. disertè præfert, *jubebo*.

62. DIVRNAM STELLAM] i. Luciferum: ut hesperum, *Noctiferum* vocat Catullus. *Turn. lib. 18: 14.*

64. MILLE PASSVM COMMORATVS CANTHARVM] ita Cam. & Turn. lib. 18: 14. *Mille-passûm*, ὑφὲν. ita Lucill. apud Macr. lib. 1: 5. *Hinc milli passûm qui vicerit atque duobus* Igitur, *mane mille passûm*, valet, tantum temporis mane, quantum satis est peragrando mille passuum spacio. S. Ulr. Pistoris, Mihi, inquit, nec Turnebus nec Lamb. satisfacit. Tentabam, *Vel jame etiam mille passûs commoratu's cantharum.* Apparet totâ hâc Sc. properare Menæchmum: ut suprà etiam dixerat, *Te morare, mihi cum obloqueris.* Igitur hic dicit; quin tu pulsas januam. nam ut nunc quidem egisti, mille passûs commoratus es cantharum: id est, impedivisti, quo minus cantharus jam aliquot vicibus circumiverit; atque adeò jamdiu ut (per jocum) mille passûs absolvere potuisset. *Jame*, pro, *jam*, ab aliis notatum est: & id, opinor, huic loco fuit corrumpendo. *Commorari* autem, pro moram afferre, legitur etiã Merc. act. 5: 2.

——com. moratur. chlamydem sumam denuo.

Et Pseud. act. 4: 7. *Me nunc commoror, cum has fores non ferio.* Ad hanc faciem legitur Bacchid. act. 4: 4.

O imperatorem probum! jam bis bibisse oportuit.

Sic *cantharus cessare* dicitur Sticho act. 5: 4. Et planissimè ad hanc faciem legitur Truc. A act. 2: 3. *Quæ tibi mille passuum peperit moram mora.* Ita hìc Parasitus *mille passus commoratur cantharum*. Hæc Pist. At verò Acidalius ad hoc exemplum emẽdabat, statimque editionis suæ stercori immiscebat Pareus:

PE. Expeditè fabulatu's. jam fores ferio?
ME. feri.
Vel mane etiam. PE. mille passûm commoratu's cantharum.
ME. Placidè p.

Jam, *mille passûm commoratus es*, solita phrasis Plauto: & indicant hîc Parasiti festinationem & moræ impatientiam: qui cantharo & potationi destinatæ imminens, ægrè fert cohiberi se, quin statim fores pulset. Notabis prætereà; *Expeditè fabulari*, &, *Mille passuum commorari*, per jocum tacitè opponi. Nam itinerum verbum propriè est *expeditè*: à quo cum cæpisset, pergit in eâdem figurâ, & de morâ tot passuum subjungit. Deniq; J. Bapt. Pius *cantharum* hîc exponit *marculum*, i. malleolum pultandis foribus appensum. Si- B bero etiam videbatur *cantharus* hîc esse marculus: locumq; leviter ita concinnabat: *Vel mane etiam mille passum commiseratus cantharum*: τὸν χίλια παθόντα κατελεήσας κάνθαρον. Commiseratus marculum, qui *mille* mala passus est. Ego Acidalii scripturam & sententiam, quæ cum Pistoris incidit, exhibui, ut minus insolentem.

65. SAMIÆ] testeæ: atque ita fragiles. Sticho, *Samiolum poterium*, Ein Dåhen Kreůsla. utitur & Cic. aliquoties.

66. AB SE] Fallitur Lamb. qui, *ab se*, interprètatur, *domo suâ*. nihil enim aliud, quàm *sponte suâ*. Glossæ Isid. *Ab se*, spontaneus. Sic Rud. *Nam hæc litterata est, ab se cantat cuja sit.* Trucul. *ecce ab sese egreditur foràs.* Nos quoq; dicimus: von jhm selber: *Meurs.* Sed Acidal. l.

ME. Mane, mane obsecro hercle. eapse ecce exit. oh! Solem vide:
Satin' ut &c.

Q. d. Nónne vides, Solem hujus Erotii candoribus ex adverso oppositis obscuratum esse?

ACTUS I. SCENA III.

EROTIVM mulier, PENICVLVS Parasitus, MENÆCHMVS surreptus.

ANIME mi, Menæchme, salve. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi.
PE. Idem istuc alijs ascriptivis ad legionem fieri solet.
ME. Ego istic mihi hodie apparari jussi apud te prælium.
ER. Hodie id fiet. ME. in eo uterque pro Ilio potabimus,
Vter ibi melior bellator erit inventus canthâro.
Tua est legio: adjudicato, cùm utro hanc noctem sies.
Vt ego uxorem, mea voluptas, ubi te aspicio, odi malè!
ER. Interim nequis, quin ejus aliquid indutus sies.
Quid hoc est? ME. induviæ tuæ, atque uxoris exuviæ, rosa.
ER. Superas facilè ut superior sis mihi, quàm quisquam qui impetrant.
„ *PE. MERETRIX tantisper blanditur, dum illud quod rapiat videt.*
Nam si amabas, jam oportebat nasum abreptum mordicus.
ME. Sustine hoc, Peniculè! exuvias facere, quas vovi, volo.
PE. Cedò! sed obsecro hercle salta sic cum pallâ posteâ.
ME. Ego saltabo? sanus hercle non es. PE. egóne, an tu magis?
Si non saltas, exue igitur. ME. nimio ego hanc periculo
Surripui hodie. meo quidem animo, ab Hippolytâ succingulum
Hercules haud æquè magno unquam abstulit periculo.
Cape tibi hanc: quando una vivis meis morigera moribus.
Hoc animo decet animatos esse amatores probos.
PE. Qui quidem ad mendicitatem se properent detrudere.
ME. Quatuor minis ego emi istanc annò uxori meæ.
PE. Quatuor minæ perière planè, ut ratio redditur.
ME. Scin quid volo te accurare? ER. scio. curabo quæ voles.
ME. Jube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier,
Atque aliquid, scitamentorum de foro obsonarier,
Glandionidam suillam, laridum pernonidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum:
Madida quæ mihi apposita in mensam, miluinam suggerant.
Atque actutum. ER. licet ecastor. ME. nos prodimus ad forum.
Iam nos hic erimus: dum coquitur, interim potabimus.
ER. Quando vis veni, parata res erit. ME. propera modò.
Sequere tu. PE. ego hercle verò te & servabo, & te sequar:
Neque hodie ut te perdam, meream Deorum divitias mihi.
ER. Evocate intùs Cylindrum mihi coquum actutum foras.

VERSUS sunt tetrametri Catalect. trochaici.

V. 2. IDEM ISTUC ALIIS ADSCRIPTITIIS AD LEG.] Facetè Peniculus: quòd me extra numerum esse dicis eorum, qui tibi cari sunt, solet idem adscriptitiis militibus ad legionem fieri. Varro: *Adscriptivi dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, si quis eorum deperisset.*

3. PRÆLIUM] ita MSS. Et *prælium* urbanè dixit, *prandium* significans, manens in metaph. à re militari. Persâ, 1:3.

4. UTERQ.] Intelligit se & Parasitum suum; ut rectè Lambinus: non se cum Erotio suâ: ut perperam Douza, ob rationem frivolam: quod Peniculum extra numerum sibi esse jam dixerit. Ita & Pistoris opinionem Douzæ ex sequentibus manifestissimè falsam ait apparere. Nam Erotio electionem tribuit, ut dijudicet cum utro, ipsóne Menæchmo an Parasito, esse velit. Eadem Acidalius. Nam, inquit, partes hîc etiam Parasiti esse, vel illa convincunt:

——*adjudicato, cum utro istanc noctem sies.*

Tum quæ Parasiti partes erunt, si cùm amicâ solus Men. est potaturus? Enim verò illi potatio promissa erat anteriore Scenâ. nec infrà excluditur: *Jube ig. nobis tribus apud te prandium accurarier.* Non excludi debuit profectò: & quia casu postea exclusus fuit, inde nimirū omnes turbæ. Ita autem hæc leg.

ER. Anime mi Men. salve. PE. quid ego? ER. extra num. es mihi,

Item ut aliis adscriptivis ad legionem fieri solet.

ME. Ergò isti ac mihi h. apparari jusso apud te proilium;

Hodie ut fiat: in &c.

Scripsit, *jusso*: quia nondum jusserat, &c. vel certè, *jussim.*

4. ER. HODIE ID FIET] ita è MSS. Cam. Gruterus: & ita ferè mei.

4. PRO ILIO POTABIMUS.] Ita Cam. *pro Ilio* autem jocans, pro pugnis Iliacis & Trojæ expugnatione se dicit potare velle. Aliquibus tamen simplici orationis formâ placuit hæc contrahi, & scribi: *in eo uterque prælio potabimus.* Id quod Lamb. & Muretus lib. 6. cap. 4. potiùs probant. P. Ciacconius, & Aus. Popma *proilio* scriptum fuisse ajunt, pro *proelio*: sicut *coilum* pro *cælum*, & talia. ita παρονομασία hic fuerit venustior.

6. TUA EST LEGIO] tu es imperatrix: penes te nostri potestas est. Gruterus quod videret versum minus integrum, suspicabatur, *Tu tuâ ex lege adjudicato, cum utro &c.*

9. INDUVIÆ] *Induviæ* & *Exsuviæ*, militaria sunt. Persistit in Metaph. Vide Palmer. fol. 90.

10. QUI IMPETRANT] ita MSS. Cam. & vett. edd. nisi quòd hæ, *impetrat*. Primus Pylades bliteus correxit, *impetrat.* nam quòd hoc etiam in ed. Cam. visitur, mendum typographiæ est: quod Notæ ejusdem docent. Etiam Lambinus rectè, *impetrant* tuetur. Q. d. Facile à me obtines, ut te pluris faciam, quàm quenquam eorum, qui à me impetrant mei corporis usuram. V. N. infrà, act. 2:3.

12. OP. NASUM ABREPTUM MORDICUS.] Hoc eò dicit, quòd, cùm Erotium tam sæpe Menæchmum oscularetur, neque tamen ulla osculorum nota Menæchmi labris impressa esset, osculari ex animo non videretur. Sic Cic. ad Fratr. lib. 3. *auriculam fortasse mordicus abstulisset*: L. Ex quibus nectar tale nobis propinat Pareus in Lexico: Nasum abripere mordicus dicuntur amasii, quando osculorum vestigia figunt. venustè profectò!

13. SUSTINE HOC] Nostri: Halt mirs. Afranius in Pompâ: *Accipe hoc tegmentum, & sustine.*

13. EXSUVIAS FACERE, QUAS VOVI, VOLO.] Frustra hujus loci emendationem sibi adscribere nititur Pareus. Camerario debetur, qui etiam annotavit, translatum & istud de re militari & imperatoriâ, qui re bene gestâ victimas, quas voverent, persolvebant. Turnebus lib. 20: 27: Hic *exsuvias facere*, est spoliare se, & spolia à se in alterum transferre: quod Men. facit, qui exsuvias uxoris & suas, induvias facit, & tradit Peniculo: cumque, qui saltabant olim in Scenâ & cantabant, aut citharam pulsabant, pallâ ornati essent, idcircò à Parasito petit, ut cum pallâ saltet, &c. Quòd autem saltationis ob pallam mentionem fecerit, illud argumento est, quod act. 3:1. scribitur:

——*non ego te indutum foràs*

Exire vidi pallâ? MEN. væ capiti tuo.

Omnes Cinædos esse censes, tu quia es:

id est, omnes saltatores. J. B. Pius è v. c. legit: *Sustine, Penicule, exsuvias: facere quod suave est*

est Volo. Jubet brachio vestem fulcire, dum osculetur Erotium. J. Meursius: Vett. cod. *facere quasi Jovi Volo.* Rectissimè: nisi quod *pacere* legendum: quod veteres pro *pangere* sive *figere* insurpabant: aut dicendum *F.* pro *P* esse, ut in *Palanga*, *Falanga*. Lepide verò jocatur, velle se pallam uxori ereptam quasi *opima spolia* Jovi figere: alludens ad antiquam consuetudinem, quâ *Jovi Feretrio opima spolia donabantur*, ut ex Festo cognoscimus. In MSS. Cam. est, *quas suo Vivolo.* Et, *q. suo Vibilo.* At verò, gravissimè, inquit Acidal. Personæ errant: & mirum nemini hucusque in mentem venisse. An Men. exsuit pallam & dat Peniculo, ut in eâ saltet? nugæ. Exsuvias facturus Men. id est, pallam Erotio destinatam exsuturus, pallium dat interea Peniculo sustinendum: pallium, inquam, quod palla super induxerat occultandæ, & in quo aliàs prodibat in Scenam, ut solet in Palliatis Comœdiis. Id cùm Peniculus reciperet, simul orat Menæchmum, ut exsuto hoc, in illâ aliquantulum saltet, priusquam deponat, ubi hoc negat alter, quippe adhuc sobrius: statim exsuere jubetur, &c. Ita igitur verbis nihil immutatis, tantùm Personas reconcinnabis &c. uti in Contextu edidimus.

17. AB HIPPOLYTA &c.] Meâ quidem sententiâ, Hercules nō æque unquam magno cum periculo ab Hipp. Amazonum reginâ baltheum abstulit, ut ego hanc pallam Andromachæ uxori meæ surripui. Versus de Laboribus Herculis:

Abstulit Hyppolytæ sextò sua Vincula Victæ.

V. N. Edip. act. 2. 1. & Meursii Cassandr.

20. HOC ANIMO] Ita Grut. versum hunc adhuc dat Menæchmo: sequentem verò solum Parasito: ut interpretetur scitè alterius dictum &c.

22. ANNO] i. ante annum. Et est in Lat. linguâ nō inusitata talis locutio. Prol. Amph. item Truc. act. 2. 4. V. N. ibid. *Me habebat anno uno, dum hic fuit:* i. anno præterito. cui opponitur, *horno* &c. Lipsius, Lamb. Camer. Palm. qui, *pridem*, interpretatur.

24. ER. SCIO. CVRABO Q. VOLES.] Non scit Erotium: nec credam simulanter affirmare. Potius distinctione mutatâ aliter interpretandum: *ER scio, curabo quæ Voles.* Omissâ particulâ *si* fuerit, uti crebro venusteque solet, atque extiterit hic sensus: Si sciam, aut sciero, curabo: *Acid.*

26. ATQ. ALIQVID SCIT AMATORVM DE. F.] Primus Hadr. Turnebus Adversar. lib. 18. 14. correxit, *scit amentorum.* cum in nonnullis olim excusis esset, *sit amentorum.* ut & in secundo MS. Cam. fuit: atque etiam in primo emendatum, *sci omentorum.* At J. Meursius malit, *Atque aliquid, sis, amentorum de f. o.* Dictum autem *Amentum* sive *Ammentum* pars in animalibus mento proxima: quasi *Admentum*. Ita *Submentum*, in Glossis H. Steph. vulgatis. In iisdem etiam *Armentum*: quod idem valet: nam *ar.* pro *ad*, δεκμικὸν est. Arnob. lib. 7. concisè *Amen* extulit: ut *Termen, Momen* &c. vel potius est placenta. Hesychius: ἄμψ, εἶδος πλακοῦντος. Alii codd. ut monet Germaniæ suæ ornamentum insigne, Jo. Camerarius, habent *Omentorum*: quod etiam rectum erit. Glossæ: *Omentum*, ἐπίπλοον: inde *Isicia omentata* Apitio. *Hæc Meursius.*

27. GLANDIONIDAM SVILLAM,] carnem suillam ex glandiis, Sunt autem *glandiæ* seu *glandulæ* partes in sue callosæ, duritie & figurâ glandis; quæ ex gutture & cervice detrahuntur. Colum. lib. 8. 9. Ita Cam. & Lamb. & mei præter fatuum Brix. Quæ *Glandulam* supposuit.

27. PERNONIDEM:] Quod genus obsonii sit, *Peronis*, quærit Lambinus: & quia nil reperit, conjectat legendum, *pernam*, *pedem*, sc. porcinum &c. At vero Gruterus è MSS. suis hæc, uti repræsentavimus, & legit & distinguit: *Glandionidam suillam, laridum pernonidem*: ut sint epitheta fictitia.

28. AVT POL. PORCINA] ita edd. primæ, *Polimenta*, ait Verrius, *antiqui dicebant testiculos porcorum, cùm eos castrabant: à politione segetū, aut Vestimentorum: quòd similiter atque illa curentur.* Arnob. lib. 7. *Polimenta sunt ea, quæ Verecundius proles dicimus.* Idem de prolibus lib. 5. *parte alterâ proles cum ipsis genit alibus occupat.* Scalig. in Festo. In utroque tamen MSS. est, *Sincipis amenta porc.* emendatumque in pr. *sinciput omenta.*

29. MADIDA] i. cocta. Turnebus lib. 18. 15. Veteres, inquit, *madere* pro coqui usurpasse, sat multis exemplis docere possum. V. 1. Georg. *Et quamvis igni exiguo properata maderent* &c. Id

&c. Id ex eo, credo, quòd plerunque quæ cocta sunt, tenerescere & madescere solent. Meursius l. *Madicta quæ* &c. ὑγχαίσμῳ, pro *Madecta*. Et veteres *madectum*, *humectum*, pro *madidum* & *humidum* extulisse ait.

29. APPOSITA IN MENSAM, MILV.] Rectè, *in mensam*. Lambinus contra fidem Codicum suorum & autoritatem Joachimicæ Editionis mutavit: qui verbum *Apponere*, præpositione *in* junctum, Auferendi modò, non etiam accusandi casum regere arbitratur: *Douza*.

29. MILVINAM] quæ milvinam ὄρεξιν & appetentiam mihi suggerant, l. vehementem, de milui rapacissimæ & semper famelicæ avis naturâ. Cam. & Turn. lib. 18. 15. & J. Gul. Verisl. lib. 3. 4. ubi ait, Ciceronem eodem allusisse: *Renunciatur mihi Licinium plagiarium cum suo pullo milvino tributa exigere.*

31. COQVITVR] MSS. *quoquitur*. ut v. ult. *quoquum*.

34. MEREAM DEORVM DIVITIAS MIHI] q. d. Si quis deus mihi dicat: En tibi, Penicule, deorum divitias in manus do, hâc lege, ut hodie Menæchmum deseras ac perdas, accipere nolim. L.

ACTUS I. SCENA IV.

EROTIUM meretrix, CYLINDRUS coquus.

SPORTULAM cape atque argentum. eccos tris nummos habes.
CY. Habeo. ER. atque obsonium affer, tribus vide quod sit satis.
Neque desiat, neque super sit. CY. cujusmodi hi homines erunt?
ER. Ego, & Menæchmus, & Parasitus ejus. CY. jam isti sunt decem.
Nam Parasitus octo hominum munus facilè fungitur.
ER. Elocuta sum convivas: cæterum cura. CY. licet.
Cocta sunt, jube ire accubitum. ER. redi citò. CY. jam ego hic ero.

ECCOS TRIS NVMMOS HABES] Nummos aureos intelligit Lamb. non sestertios. *Nummus aureus* autem (inquit) valebat duos coronatos aureos nostros, & aliquanto plus. Douza, qui hic perperàm Lambinum, postea se ipsum castigavit, Pseudolo act. 3. 2. ubi Notas vide.

4. JAM ISTI SVNT DECEM.] facetè expressit Peniculi edacitatem. Videtur autem Mureto l. 11. capit. 8. Eubulum Comicum imitatus, apud Athenæum lib. 1.

Εἰσὶ γὰρ ἡμῖν κεκλημένοι δύο
Ἐπὶ δεῖπνον ἄμαχοι, Φιλοκράτης καὶ Φιλοκράτης.
Ἕνα γὰρ ἐκεῖνον ὄντα, δύο λογίζομαι,
Μεγάλους, μᾶλλον δὲ τρεῖς.
Convivarum quos accivi duo sunt,
In cœnâ prorsus invicti, Philocrates ac Philocrates.
Vnus quidem ille est: at pro duobus supputo:
Immò verò potius pro magnis tribus.

Ingeniosè Philocratem, cum unus esset, bis nominavit, & pro duobus numerari voluit.

6. CONVIVAS: C. CVRA.] Q. d. Ego convivas enumeravi: cætera jam tuum est curare. Respondet ille, curaturum: immò cœnam jam paratam, nec per se moram esse, quin vel acubitum statim eatur. Id adeò ex disciplinâ *Obsonatoris*, quem pulcrè Martial. describit:

Dic quotus, & quanti cupias cœnare, nec unum
Addideris verbum. Cœna parata tibi est.

His conveniunt illa Pseud. act. 3. 2.

——cœnam coque
Properè. CO. quin in accubitum, &c.

Putide Lambinus ista exponit. *Acidalius*. qui ex vett. edd. addendum putabat, *cura tu*. minus rectè. extat quidem id pronomen ibidem, sed ex Loco *licet*, nihil habent quàm et: nimirum in MSS. fuit, *cura licet*: sic sanè Pall. a manu prima. inde natum illud *tu*.

ACTUS

ACTUS II. SCENA I.

MENÆCHMUS Sosicles, MESSENIO servus.

NULLA est voluptas navitis, Messenio,
Major, meo animo; quàm quom ex alto procul
Terram conspiciunt. MES. major, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas quæ fuerit tua.
Sed quæso quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An, quasi mare, omnis circumimus insulas?
ME. Fratrem quæsitum geminum germanum meum.
MES. Nam quid modi futurum est illum quærere?
Hic annus sextus, postquam ei rei operam damus.
Istros, Hispanos, Massilienses, Illurios,
Mare superum omne, Græciamque exoticam,
Orasque Italicas omnis, quà adgreditur mare,
Sumus circumvecti. si acum credo quæreres,
Acum invenisses, si appareret jam diu.
Hominem inter vivos quæritamus mortuum.
Nam invenissemus jam diu, si viveret.
ME. Ergo istuc quæro certum qui faciat mihi,
Qui sese dicat scire, eum esse mortuum.
Operam præterea nunquam sumam quærere.
Verùm aliter vivus nunquam desistam exequi.
Ego illum scio, quàm cordi sit carus meo.
MES. In Scirpo nodum quæris. quin nos hinc domum
Redimus, nisi si historiam scripturi sumus?
ME. Dictum facessas doctum, & discaveas malo.
Molestus ne sis. non tuo hoc fiet modo. MES. hem,
Illoc enim verbo esse me servom scio.
Non potuit paucis plura planè proloqui.
Verùm tamen nequeo continere, quin loquar.
Audin' Menæchme! quum inspicio marsupium,
Viaticati hercle admodum æstivè sumus.
Na tu hercle, opinor, nisi domum revorteris,
Ubi nihil habebis, geminum dum quæris, gemes.
Nam ita est nec hominum natio Epidamnia,
Voluptarij atque potatores maxumi:
Tum Sycophantæ & palpatores plurimi

In urbe hac habitant: tum meretrices mulieres
Nusquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum est,
Quia nemo fermè huc sine damno divortitur.
ME. Ego istbuc cavebo: cedò dum mihi huc marsupium,
MES. Quid eo vis? ME. jam abs te metuo de verbis tuis.
MES. Quid metuis? ME. ne mihi damnum in Epidamno duis.
Tu magnus amator mulierum es, Messenio:
Ego autem homo iracundus, animi perditi.
Id utrunque, argentum quando habebo, cavero,
Ne tu delinquas, neve ego irascar tibi.
MES. Cape atque serva. me lubente feceris.

MEO ANIMO] Delitiosa illa forma sermonis, & quæ sit notæ Opimianæ, *animo meo*, pro quantum ejus judicare possum: ut opinor: ut mihi videtur. *Palm.*

4. SI ADVEN. T. VID. Q. FVERIT. T.] Vulgg. leg. *Quàm si adv.* pessimè: & pari modo Lamb. explicat. Maximam censet voluptatē Menæchmus, si terra saltem videatur: at majorem Servus, si terra patria videatur: quam & hic unicè desiderat pertæsus itineris, &c. Argutiola etiam Lambini in v. *fuerit*, inanis est: & possis emendare *fuat*: ut omnis ambiguitas tollatur. *Acidal.* Sanè hanc emendationem exhibui: licet MSS. & edd. præferant *Quàm si adv.* Quærit heic Pareus, qui tamen editione prima hanc conjecturam disertè expresserat: At quis contra MSS. libros frustra cupiat esse ineptus? perspicua enim omnia. Sic Lynceus ille, planè pueriliter. nam retrò vulgata & versui officit, & sensus est incommodi. sed cur Palæmon ille noster nullo verbo interpretatur istæc, solitus infinitis modis multo clariora, radiosa verborum suorum nocte illustrare? imò neque heic nobis deest. nam ad oram editionis adscripsit, *Hoc est patriam tuam, quæ sit tua terra.* quâ quid absurdius excogitari queat? quomodo enim, mi frutex jucundius nautis, aspicere quamlibet terram, quàm patriam terram? phy! phy! sensus tibi desit communis: & tu quasi ex alto ceteros despicis? Icarus, aut Phaeton potius.

9. POSTQ. HIC REI] ita Grut. è MSS. conjecit. Vterque enim habuit à prima manu *postquam ire bi operam*, corrector vero deinde illi *bi*, ad primum quidem codicem, adjecit *ne*, ut fieret *bine*. ineptè. meliusque exoletæ edd. *postquam res huic operam damus.* Verùm audiamus heic Sospitatorem illum Plauti. Notæ ejus tinniunt: *eire hinc.* Ita vetus codex, qui tamen antea, ut & Decurt. habuit *ire h. op.* Al. *ri rei operam d.* Ego eò *hinc* non ausus fui expellere, cùm uterque vetustus codex servet. Bone Deus! quoties heic decipitur Lector! primum, V. C. non habet *eire*: deinde Decurt. non agnoscit *hinc*, imo ne quidem V. C. nisi opera recensoris. at quid tamen tua illa lectio significat? ne Pythius quidem intellexerit.

11. MARE SVPERVM] Hadriaticum, Italiæ lavans superiora: dictum ab *Adria* oppido. *Superum* dicitur, quod, si *Inferum* spectetur, Orientalius, vel (ut alii volunt) Arctico polo vicinius, ubi pars Mundi putatur superior. Vide P. Merulæ Cosmogr. P. 1. l. 3. 7.

11. GRÆCIAMQ. EXOTICAM] Quare Græcia dicta sit *Italia*, non dubitatur: sed, quare *major Græcia.* Certissimum est ita vocatam à Romanis, quia propior ea esset illis, quàm transmarina Græcia: quemadmodum contrà Græcos Italos ipsi Græci transmarini vocabant ἐξωτικούς, i. *barbaros*. Nam Messenio apud Plautum vocat *exoticam Græciam*, quam Romani *majorem Græciam*: non quidem ex Personâ suâ, nam erat Siculus: neque vocâsset consultò seipsum barbarum: sed μιμητικῶς ex personâ Græcorum ipsorum, qui Siculos & Calabros vocabant ἐξωτικοὺς, id est, barbaros: ut Plautus cum se vocat *barbarum*, & *Barbariam* Italiam,

Italiam, non ex consuetudine Rom. dicit, sed ex personâ Græcorum, qui βαρβάρους καὶ ἐξωτικοὺς Italos vocabant, &c. Turnebus, qui illam Græciam, quæ in Epiro erat, intellexit, profectò non leviter erravit. *Hæc Scalig. ad Festum.*

12. QVA ADGREDITVR] ita Grut. è MSS. Cam. Vulgati leg. *quas adgreditur mare*. quod probat Meursius, & interpretatur *maritimas*,

13. SI ACVM] Ita J. Gul. dispungit. Et est proverbium ex hyperbole. Pareus retinuit *tam diu*, neque tamen applicat sequentibus, ut faciunt vett. edd. & Camer. Lamb. alii; annotatque: Lectionem ac distinctionem MSS. approbam esse, suillo pecori opinor.

17. ERGO ISTVC QVÆRO] Sic MS. sec. & à prima scriptura fortè pr. nam *istunc* adeptus est largitate correctoris. id tamen maximè placuit Pareo, contra omnes editiones; quibus nemo unquam movit controversiam; neque ratio erat.

17. CERTVM QVI FACIAT] Notetur Phrasis, qua usus & act. 5. 2. *Nec quid id sit, mihi certius facit.* & Pseud. act. 2. 2. *Nimis velim, certum qui mihi faciat, ubi,* &c.

22. VIVVS] D. F. l. *vivum*. Sed Acidal. censet *vivus* retineri posse, bono etiam sensu. Non enim vivum tantùm exequi statuit, sed & mortuum: usque dum mortuum saltem certò sciat, &c. Et nisi *vivus* retineatur, inutilis vox est *aliter*. Ita locutus & Amph. *Tu me vivus h. nunq. facies, quin sim Sosia*: non, *vivo*: ut temerè mutant.

22. IN SCIRPO NODVM QVÆRIS] Ennius:

Quærunt in scirpo, soliti quod dicere, nodum.

utitur & Ter. Andriâ. V. N. Aul. act. 3. 6.

23. HISTORIAM SCRIPTVRI] Spectant huc D. Chrysostomi in cap. 1. Epistolæ ad Galat: Καὶ οὐκ εἶπεν, ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι Πέτρον, ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις καὶ λαμπρὰς καταμανθάνοντες λέγουσι.

24. DICTVM FACESSAS DOCTVM] noli mihi argutari & sententias funditare: *L.*

25. NON TVO HOC FIET MODO] i. arbitratu. *Suo modo aliquid facere*, est, obtemperare libidini: ut sibi rectum videtur, sic facere: *Palmer.* V. N. Amph. 1. 1.

25. HEM ILLOC ENIM VERBO, &c.] Liberi enim hominis ἰσηγορία & παῤῥησία est; non item servi. sed & proprium domini in servos verbum *Cave malo*, cùm verbera minarentur: ut liquet ex Bacch. 1. 1. v. 29. unde cùm apud Livium lib. 4. cap. 49. M. Postumius dixisset: *Malum quidem militibus meis nisi quieverint*, infit Tribunus Pl. *Auditis, Quirites, sicut servis malum minantem militibus?*

29. AVDIN MEN.] Sic MSS. & Edd. vett. nam recentiores *Audi*, minus decorè. neque id tamen advertit noster Satageus.

30. VIATICATI] Sid. Apollinar. lib. 10. *opiparè viaticatus remeabit.*

30. VIATICATI H. A. ÆSTIVE SVMVS] Dictum est ex eo, inquit Turn. l. 18. 15. quòd plura alimenta solent hibernis providere milites, quàm æstivis. Et quòd æstate qui iter faciunt, paucioribus diebus, quo volunt, perveniunt, & de æstatis frugibus inter eundum se interim tolerant: cùm idem hyeme, nudâ tellure, facere non possint, & eâ tempestate lagenam & potionem potiùs, quàm cibum & obsonium quærant: nam in lagenâ est æstivum viaticum. Sic *æstiva supellex* à Prop. dicitur lib. 4. 8.

——Utrique æstiva supellex,
Et Metymnei grata (vel, ut Scal. legit, *Græca*, vel, ut Palm. *Graja*) *saliva meri.*

Probat hæc Lambinus, & putat etiam tertio modo explicari posse: ut Plautus *æstivè viaticatos* dixerit tenuiter & parcè viaticatos, sermone translato ab iis, qui vestiti sunt, ad eos, qui viaticati sunt. Dicere enim solemus aliquem *æstivè vestitum*, qui leviter & expeditè vestitus est, &c. Immo & nos Germ. Er ist gar Sommerlich angethan. C. Rhodig. Antiq. Lect. libr. 6. 11. Latini *æstivum annulum* materiæ levioris intelligunt: quando levissima quæque & subtilissima rectè dicti *æstiva* possint. Cui succinit servus Plautinus, &c.

32. GEMINVM DVM QVÆRIS, GEMES] Parechesis, *geminum, gemes*: οἰμώξεις, plorabis, te miserum dices: L.

33. NATIO EPIDAMNIA] interposuere alii *hic*. sed ita neque scripti, neque Edd. vett. in quibus concorditer: *Natio Epidamnia nam ita est hac hominum.* quod & clausis oculis præteriit Pareus.

39. QVIA NEMO FERME SINE DAMNO] Joco dictum est, inquit Mur. l.3. 13.) Epidamni nomen junctum esse ex ἐπὶ & *damnum*: quia illuc nemo ferè nisi damno suo, divertere soleret. quod omen fugiens populus R. antiquum oppido restituit *Dyrrhachii* nomen. Vide Plut. & Melam. l. 2 item Plin. l. 3. 23. Sed & Palm. fol. 195. ad illud carmen:

——Nescis tu, Magne, tueri
Romanas artes, Epidamnia nomina quare.

41. QVID EO VIS?] Hunc versum, qui incuriâ typographi omissus erat in Camerarianâ ed. & postea à subsequis A Camerarii simiis ultrò expunctus, restituit primus Gruterus: quando in MSS. & omnibus edd. vet. legatur. ita infrà, act. 5: 5. *de illis verbis cave tibi.* Pareus in Notis suis ita loquitur, ac si verba isthæc omnia deberemus ipsius Vigilantiæ. ô laudis jejunum!

41. DE VERBIS TVIS] quia Servus *ἔτυμον Epidamni* deduxerat à *damno.*

44. ANIMI PERDITI.] ita MSS. Cam. ambo: nisi quòd prius fuit in pr. *perditi.* quod ipsum dum observare se potuisse negat Pareus, animo est quàm oculis luscitiosior. Et consentiunt omnes edd. veteres. Lipsius tamen malit, *perciti.*

ACTUS II. SCENA II.

CYLINDRUS, MENÆCHMUS Sosicles, MESSENIO.

BENE obsonavi, atque ex meâ sententiâ
Bonum anteponam prandium pransoribus.
Sed eccum Menæchmum video. væ tergo meo!
Prius jam convivæ ambulant ante ostium,
Quàm ego obsonatu redeo. adibo atque alloquar.
Menæchme salve. MES. di te amabunt! scis quis ego sum?
CY. Non hercle verò! ubi convivæ cæteri?
ME. Quos tu convivas quæris? CY. parasitum tuum.
ME. Meum parasitum? certè hic insanus est homo.
MES. Dixin tibi esse hic sycophantas plurimos?
ME. Quem tu parasitum quæris, adolescens, meum?
CY. Peniculum. MES. eccum! in vidulo salvum fero.
CY. Menæchme, numerò huc advenis ad prandium.
Nunc obsonatu redeo. ME. responde mihi,
Adolescens, quibus hîc preciis porci veneunt
Sacres sinceri? CY. nummo. ME. eum à me accipe.
Jube te piari de meâ pecuniâ.
Nam ego quidem insanum esse te certò scio,
Qui mihi molestus homini ignoto, quisquis es.
CY. Cylindrus ego sum. non nosti nomen meum?

ME. Sein

ME. Seu tu Cylindrus, seu Coriendrus, perieris.
Ego te non novi, neque novisse adeò volo.
CY. Est tibi Menæchmo nomen tantùm, quod sciam.
ME. Pro sano loqueris, cùm me appellas nomine.
Sed ubi novisti me? CY. ubi ego te noverim?
Qui amicam habeas herum meam hanc Erotium.
ME. Neque hercle habeo, neque te quis sis homo scio.
CY. Non scis quis ego sim? qui tibi sæpissimè
Cyathisso apud nos, quando potas. MES. hei mihi,
Cùm nihil est, illi qui homini diminuam caput.
ME. Tun' cyathissare mihi soles, qui ante hunc diem
Epidamnum nunquam vidi, neque veni? CY. negas?
ME. Nego hercle verò? CY. non tu in illisce ædibus
Habitas? ME. dij illos homines, qui illic habitant, perduint.
CY. Insanit hic equidem, qui ipse maledicit sibi.
Audin Menæchme? ME. quid vis? CY. si me consulas,
Nummum illum, quem mihi dudum pollicitus dare,
Jubeas, si sapias, porculum afferri tibi.
Nam tu quidem herclè certo non sanus satis,
Menæchme, qui nunc ipsus maledicas tibi.
MES. Heu hercle hominem multum & odiosum mihi!
CY. Solet jocari sæpe mecum illo modo.
Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest.
ME. Quid agis tu? CY. quid vis, inquam? satin hoc, quod vides,
Tribus vobis obsonatum est? an obsono amplius
Tibi & parasito & mulieri? ME. quas tu mulieres,
Quos tu parasitos loquere? MES. quod te urget scelus,
Qui huic sis molestus? CY. quid tibi mecum est rei?
Ego te non novi: cum hoc quem novi fabulor.
ME. Non edepol tu homo sanus es, certò scio.
CY. Jam ergo hæc madebunt faxo, nihil morabitur.
Proin tu ne quò abeas longius ab ædibus.
Nunquid vis? ME. ut eas maximam in malam crucem.
CY. Ire hercle melius est te interim, atque accumbere,
Dum ego hæc appono ad Vulcani violentiam.
Ibo intrò, & dicam te hîc astare Erotio.
Vt te hinc abducat, potius quàm hic astes foris.
ME. Jámne abiit? edepol haud mendacia
Tua verba experior esse. MES. observato modò:
Nam istic meretricem credo habitare mulierem,

Vt quidem ille insanus dixit qui hinc abiit modò.
ME. sed miror, qui ille noverit nomen meum.
MES. Minimè herclè mirum. morem hunc meretrices habent:
Ad portum mittunt servulos, ancillulas,
Si qua peregrina navis in portum advenit,
Rogant cujatis sit, quid ei nomen siet.
Pòst illæ extemplò se applicant, agglutinant.
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.
Nunc in istoc portu stat navis prædatoria,
Abs quâ cavendum nobis sanè censeo.
,, *ME. Mones quidem hercle rectè. MES. TVM DEMVM sciam*
,, *Rectè monuisse, si tu rectè caveris.*
ME. Tace dum parumper: nam concrepuit ostium.
Videamus qui hinc egreditur. MES. hoc ponam interim.
Asservatote hæc sultis, navales pedes.

BENE OBSONAVI: ATQ. EX M. SENTENTIA BON.] ita Grut. hæc dispungit cum MS. pr. *Ex meâ sententiâ*, id est, prout quidem præsumo, censeo, sentióque. Itaque & Paris. & Mediol. distinguit. V. N. Pseud. 2. 4.

2. ANTEPONAM] Aliàs, *Ponere, Imponere*, & *Anteponere*, verba sunt in sacris solemnia: quod notat Muret. ad vers. Tibulli: *Libatum agricolæ ponitur antè deo.* Curcul. act. 1. 1. &c. sic Gr. θεῖναι & ἀναθεῖναι: unde ἀναθήματα.

3. VIDEO. VÆ TERGO MEO] ita & Gruterus. Vulgati omn. *Men. videon' à tergo meo?* Ad quod Grut. A tergo nemo videt, qui cervicem non flectit; nisi bifrons, aut similis uxori Xanthi. Suspicabar aliquando: ——*à tergo meum? Meum*, blandioris notæ verbum. Sed & familiariorem ei fuisse evincunt, quæ subjicit: *Solet jocari* &c. Sic Petronius de fortunâ:

Tergo tantæ lues divûm quoque numina vidit.

Et alter Satiricus:

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit.

Videbat scilicet tergo Menæchmum Cylindrus, eúmque adeò in sequebatur ipse. Docent seqq. *Prius jam conv.* &c. Posset etiam legi propius MSS. *Videsne tergo meum?* nam in illis est, *videon' è ter. meo?* Sed quid si, *Menæchmum video. væ tergo meo!* Et id certè non admodum displicet. Hæc Grut. in Schedis, quas ad me misit, tumultuariis. Quæ si doctiss. Acidalius legere potuisset, haud dubiè conquievisset. is enim: *videon? an'! tergo meo*, quod statim evasit editio Parei prima. nam secunda affirmat sanè legendum *væ tergo.* quasi videlicet assertioni ejus ullum esset pondus.

7. CY. NON H. VERO!] Acidal malit, *Novi h. verò*, quamvis non neget, per ironiam consistere alteram quoque lectionem.

12. IN VIDVLO SALVVM FERO] Jocus ex ambiguo. Nam Cylindrus quærit de Peniculo Parasito Menæchmi surreptitii: Messenio parvum penem seu caudam salacem intelligit, quam se salvam *in vidulo* i. subligaculo scorteo ferre dicit. L. quod improbat Gruterus, arbitratus loqui de peniculo quo extergebantur baxeæ aliaq; habebatque servus in vidulo qui in humeris.

13. NVMERO.] i. nimis citò. Alciatus hic frustrà est. V. N. Mil. act. 5.

14. NVNC OBSONATV REDEO.] MS. sec. & Vett. edd. omn. leg. *Nunc ipsi (vel, ipso) naturæ deo mihi resp. ad.* quod & Turn. tangit. lib. 2. c. 15.

16. SACRES SINCERI?] *Porci sacri*, sive, ut vet. loquebantur, *P. sacres sinceri*, i. puri & integerrimi, atque ad sacrificium idonei, Laribus immolabantur, ab iis, qui piaculum aliquòd admiserant: aut qui insani fuerant: imò etiam, quibus aucta erat liberorum prole familia. Videatur Varro De

ReRust.lib.1. cap.1. & 4. Muret. Var. lib.3: 7. Turn.lib.29:31. Rævard.lib.3.cap.18.Conject. ubi omninò *satres*, non, *satri* docet legend. Rudente: *Sunt domi agni & porci satres.* Vide & Douzæ Notas in Hor. cap. 7. item Proverb. *Porcum immola.* & Not. Rud. act. 4. sc. 6. Cæterùm Lipsius ita locum restituit. quod probat Plautus infrà, v. 37. *Audin' Men.* &c. Laudat hoc Acidalius: sed putat è vett. lib. adhuc melius sic posse. *CY. nummo. ME. en à me accipe.* Crederem: si illud *uno* vel *unum* in uno vet. cod. legeretur. primus Pylades obtulit, recepitque in contextum editionis pr. Pareus. at secundâ sugillat Taubmannum, ob expressum, *eum*, quod ipsum, inquit, in nullo MSS. apparet. ita est, Lynceu: sed id ex vestigiis librorum eruit Lipsius; primaque omnium editio habet, *sinceri nummum a me*; & sic fuit etiam in MSS. unde descriptæ membranæ Palatinæ. ibi etiam *nummū* litera jacente supra *u* quæ cum esset fili exilioris, scriba cepit pro s. atque ▪ alteri pedunculo *u* annexuit; ut adhuc comparet in Mss. sec. Jam, *nummo eum*, facile degenerare in *nummum*, omnes norunt qui aliquid norunt in Critica. quid jam dices?

A quod rapuit in lutulentam suam ed. Pareus.

24. PROBATO LOQ.] ita MSS. & Lipsius, eleganter. Cæsar: *Nihil tum se absente pro sano facturum ratus, qui &c.*

25. HABEAS] Fatuè nimis Pareus utraq; editione sua, *habebas*; planeq; contra MSS. & Edd. vett.

29. CYATHISSO] κυαθίζω, οἰνοχοῶ. Translatum est significatum à caussâ efficiente in instrumentum. vide J. Cæsii Scal. De causis Ling. Lat. cap. 123. Isti pincernæ dicebantur *Pocillatores servi*, &, *Adcyathos*. Propert. *Lygdamus adcyathos.* Quibus Convivæ subinde dicebant, πλῆον κίρνα, *misce ut bibam.*

35. INSANUS HIC EQUIDEM] ita MSS.

37. NUMMUM ILLUM] Douza l. *Nummo illo, quem &c.* Sed perperam. Illa forma usitata bonis Scriptoribus. Amphitr. *Naucratem, quem convenire volui, in navi non erat.* de *numo*. V. N. Ps. 3: 2.

38. PORCULUM] Ita excusi in hunc usq; diem. Pareus tamen maluit *poculum*. dignus profectò poculo Circes, nisi jam antea exuisset hominem, factus Numen Plauto plus quam salutare. scilicet.

B

17. PIARE] pro *expiare.* idem infra 3. 2. v. 51. Virg. 2. Æneid. *culpâ miserorum morte piabunt.* Propert. 3. el. 4: *clades Crassosq; piate.* idem 4. 1: *Aventino rura pianda Remo.* Passerat.

19. IGNOTO] i. ignoranti, ἀγνῶτι: ut Cic. *Atque illi artifices corporis simulacra ignotis nota faciebant.* L.

21. SEU CORIENDRUS] Arbitror, ait Turneb. lib. 20: 27. tantùm annominatione vocumque similitudine arcessitum leporem, exspectatione tamen interim spectatoris venuste deceptâ; cum præter opinionem repentè proprium nomen ex olere fingatur inauditum & ridiculum. Lamb. mālit, *Coliendrus*: Douza, *Cicilendrus*, &c. Vocabula nihili, & quibus novo OEdipo enucleandis sit opus.

21. PERIERIS] Scal. ad Catull. Carm. 51. *Peri rusticè*: Græcorum ἰοῦ, & φθεῖρε exprimit. ita in Pl. *perierus*, i. ἐφθαρμένος.

23. NOMEN TANTUM] ita MSS. & Edd. omnes. Pist. malit, *tamen*, i. tamen scio te Men. vocari: in eo utique non falsus sum.

41. MULTUM ET OD.] ita Grut. è MSS. *Multus* dicitur, qui negotii plurimum facessit, tanquam si ipse non solus, sed plures cum eo. Nec absimiliter Catullus, Carm. 166. *Multus homo es naso, &c.* ita Gruterus, qui super hāc voce, immò toto Carm. alia etiam eruditè scripsit. Talia fortè sunt illa Cic. 1. Off: *multus est in laudandâ magnificentiâ.* De Nat. Deor. 1. *Multus videri nolo in stellarum ratione.* ita Hor. 1. Od. 7.

Plurimus in Junonis honorem: qui impensè Junonem honorat.

43. QUAMVIS RIDICULUS EST.] i. Nihil magis ridiculum eo ne operari quidem potest. Sic Catull. Carm. 2. 11. *Quamvis sordida res*, i. admodum sordida, interprete Mureto. V. N. Amph. act. 1: 3. Addit Grut. illud Horat. 1. Sat. 3.

——toga quæ defendere frigus
Quamvis crassa queat.

atque hic emendat illud Pseud. act. 4: 7. *Strenue me hercle isti: quamvis pernix hic est homo.* ita Seneca in ἀποκολοκυνθώσει: *Janus pater, homo quantumvis vafer, qui semper videt*

ἅμα γέλοιον καὶ ἀστεῖον. Est autem hic *Ridiculus*, facetus & urbanus: aliàs est risu dignus: ut apud Cic. *quam ridiculum habemus consulem!* Plautusque hoc loco ridiculè addit; *ubi uxor non adest*. V.N.Capt.3:1.

51. IAM ERGO] Acid. *Jam ego h.* quod invitis MSS.& Edd. antiquis in textum recepit Pareus, & deinde ejecit. vomitum ô verè caninum!

51. MADEBVNT] i.cocta sint.

54. IRE H.] Jocus in ambiguo pronunciatu: de quo Epid.1:1. *Dy deperdant. EP.te volo percontari &c.*

54. TE INTERIM] ita MSS. Prius editi *intrò*.

55. AD VVLCANI VIOLENTIAM] i.ad ignem.

58. IAMNE ABIIT? EDEPOL] Sic MSS. & Edd.vett. nam recentiores, vel: *Jamne abyt ille? edep.* vel, *Jam ne ille abivit? edep.* verum clementiori medicina subveniamus versui: repetendo scilicet: *Iamne abyt? abyt. edepol.* talis sanè repetitio, obvia infra 3. 3. v.26.

59. TVA VERBA EXPER. ESSE] ita hunc locum non invitis Musis quà distinxit, quà correxit Lipsius: non tamen ex MSS.uti vult Pareus, sed de ingenio: eaque propter in textum admittere non debebat ille Antiquarius satelles Manuscriptorum.

66. CVIATIS SIT] pro quo, *cujás* vulgo. Sic *Sarsinatis, Insimatis* alibi: ἀντὶ τοῦ *Sarsinás, Insimás*. Enn.

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis,
Quisquis erit, cujatis erit. Douza:

67. POST ILLÆ] J.Gul. *Postilla*. Nam alioqui Latinitatis, inquit, ratio poscebat ut diceret, *post ipsa*. Sed rectè, *illa*: sc. meretrices: ut distinguat à famulitio.

68. AMITTVNT DOMVM] ab se omittunt. Nec opus argutari cum Lamb.

69. NAVIS PRÆD.] meretrix Erotium.

73. ME. TACEDVM P.] ita è Venetâ & vulgg. hæc distinxit Pist. apertiss.sensu.

A 74. HOC PONAM] hanc sarcinam deponam.

75. SVLTIS] Ennius:

Pandite sulti' genas, & corde relinquite
somnum: apud Festum.

75. HÆC, SVLTIS] MSS. & Edd. *hæc, si voltis.* quod versus respuit; nisi velimus primam primæ vocis syllabam adplicandam versus præcedentis fini.

75. NAVALES PEDES.] Intelligit servos remiges, qui in navi loco pedum sunt. Alii *remos* intelligunt. remi enim pedes videntur, quibus naves ambulant. hinc Auson. in Mosellâ: *Remipedes certant medio cum flumine lembi.* Hæc Turnebus lib. 18: 15. Muretus Catulli Carm.4. *Juppiter* (i.ventus) *simul secundus incidisset in pedem*, i.velum: Synechdoche. *Facere pedem* etiam dicitur, pro vela facere. Virg.5.Æn.

Unà omnes fecere pedem, &c.

B Ad quod Servius: *Pedem, i. funem, quo tenditur velum, quod Gr. πόδα vocant.* Hæc Muretus: sed addit, Plautum hic remiges ipsos *navales pedes* videri vocasse: ut Turnebo etiam placuerit. Aliàs (ut dictum) *remi* etiam dicuntur *navales pedes*, auctore quoq; Nonio. unde Ausonius *remipedem navem* dixit, & Callimach. Epigr. 6. ἰσιοσαν πόδα. Etiam Artemidorus lib.1.cap.50. Aristophanes, Euripid.& alii sic utuntur. Inde etiam, quia remi sunt appellati *pedes*, naves rectè *ambulare* dicuntur. ita ut etiam Sallust. *scaphas progressas* dixerit, lubente Agellio lib. 10. cap. 26. quemadmodum eruditè disputat contra Villiomarum J. Meursius ad Lycophron. Cassandram. Breviter, si ex me quæras, quid hic sint *pedes*: dicam, *Pueros* esse: qui Græcis παῖδες. Antiquis enim παῖς *por* dicebatur: ut *Marcipor. Quintipor &c.* unde *Puer* factum. *Puer* autem minister quivis. ita *Hylas*, satelles Herculis. 3. Georg. *Puer* dicitur. ita *Osiris* inventor aratri, 1.Georg. ita Genes. 14. Abrami milites 318. ita Davidis &c. Hic ergo *Pedes* sunt ministri.

ACTVS

ACTUS II. SCENA III.

EROTIUM, CYLINDRUS.
MENÆCHMUS, Sosicles, MESSENIO.

SINE fores sic: abi. nolo operiri.
Intus para, cura. vide quod opus est ut
Fiat. sternite lectos, incendite odores.
MVNDITIA illecebra animo est amantum.
Amanti amœnitas malo est, nobis lucro est.
Sed ubi ille est, quem coquus ante ædeis esse ait?
Atque eccum video, qui mihi est usui &
Plurimum prodest: item huic ultro fit, ut
Meret, potissimus nostræ domi ut sit:
Nunc eum adibo, alloquar ultro.
Animule mi, mihi mira videntur,
Hic te stare foris. fores cui pateant
Magis, quam domus tua, domus cùm hæc tua sit.
Omne paratum est,
Vt jussisti atque ut voluisti: neque tibi est
Vlla mora intus. prandium, ut jussisti, hic
Curatum est: ubi lubet, ire licet accubitum.
ME. Quicum hæc mulier loquitur? ER. equidem tecum. ME. quid mecum tibi
Fuit unquam, aut nunc est negocij? ER. quia pol te unum ex omnibus
Venus voluit me magnificare: neque id haud immerito tuo.
Nam ecastor solus beneficiis tuis me florentem facis.
ME. Certo hæc mulier aut insana, aut ebria est, Messenio,
Quæ hominem ignotum compellet me tam familiariter.
MES. Dixin ego istæc hic solere fieri? folia nunc cadunt,
Præ ut si triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent.
„ *Nam ita sunt hic MERETRICES omnes elecebræ argentariæ.*
Sed sine me dum hanc compellare. heus mulier! tibi dico. ER. quid est?
MES. Vbi tu hunc hominem novisti? ER. ibidem, ubi hic me jam diu,
In Epidamno. MES. in Epidamno? qui huc in hanc urbem pedem,
Nisi hodie, nunquam intro tetulit. ER. eia, delicias facis,
Mi Menæchme, quin, amabo, is intro: hic tibi erit rectius.
ME. Hæc quidem edepol rectè appellat meo me mulier nomine.
Nimis miror quid hoc sit negocij. MES. oboluit marsupium
Huic istuc quod habes. ME. atque edepol tu me monuisti probè.
Accipe dum hoc. jam scibo utrum hæc me mage amet, an marsupium.
ER. Eamus intro, ut prandeamus. ME. bene vocas: tam gratia est.

ER. Cur

ER.Cur igitur tibi me jussisti coquere dudum prandium?
ME.Egone te jussi coquere? ER.certò tibi,& parasito tuo.
ME.Cui, malum, parasito? certò hæc mulier non sana est satis.
ER.Peniculo. ME.quis iste est Peniculus? qui extergentur baxeæ?
ER.Scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi
Detulisti, quam ab uxore tuâ surripuisti. ME. quid est?
Tibi pallam dedi, quam uxori meæ surripui? sanan' es?
Certè hæc mulier cantherino ritu astans somniat.
ER. Qui lubet ludibrio habere me, atque ire inficias mihi,
Facta quæ sunt? ME.dic,quid est id, quod negem, quod fecerim?
ER.Pallam te hodie mihi dedisse uxoris. ME.etiam nunc nego.
Ego quidem neque unquam uxorem habui, neque habeo: neque huc
Vnquam, postquam natus sum, intra portam penetravi pedem.
Prandi in navi. inde huc egressus sum. te conveni. ER.eccere,
Perij misera! quam tu nunc mihi navem narras? ME.ligneam,
Sæpe tritam, sæpe fixam, sæpe excussam malleo,
Quasi supellex pellionis, palus palo proximus est.
ER.Iam me, amabo, desine ludos facere, atque i hàc mecum simul.
ME.Nescio quem, mulier, alium hominem, non me, quæritas.
ER.Non ego te novi Menæchmum, Moscho prognatum patre?
Qui Syracusis perhibêre natus esse in Siciliâ,
Vbi rex Agathocles regnator fuit, & iterum Pinthia:
Tertium Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit.
Nunc Hiero est. ME.haud falsò, mulier, prædicas. MES.prò Iuppiter!
Num istæc mulier illinc venit, quæ te novit tam catè?
ME.Hercle opinor pernegari non potest. MES.ne feceris.
Peristi, si intrassis intra limen. ME.quin tace modò:
Benè res geritur: assentabor, quicquid dicet, mulieri:
Si possum hospitium nancisci. Iamdudum, mulier, tibi
Non imprudens advorsabar: hunc metuebam, ne meæ
Vxori renunciaret de pallâ & de prandio.
Nunc, quando vis, eamus intrò. ER.etiam Parasitum manes?
ME.Neque ego illum maneo, neque floccifacio: neque, si venerit,
Eum volo intromitti. ER.ecastor haud invita fecero.
Sed scin quid te amabo ut facias? ME. impera quid vis modò.
ER.Pallam illam, quam dudum dederas, ad Phrygionem ut deferas,
Vt reconcinnetur, atque ut operæ addantur quæ volo.
ME.Hercle quin tu rectè dicis: eâdem ignorabitur:
Ne uxor cognoscat te habere, si in viâ conspexerit.
ER.Ergo mox auferto tecum, quando abibis. ME.maximè.
ER.Eamus intrò. ME.jam sequar te. hunc volo etiam colloqui.
Ehò Messenio, accede huc. MES.quid negotij est? ME.st! scire vis?

MES. Quid

MES. Quid ergo? ME. opu'st. MES. quid opu'st? ME. scio, ut me dices. MES.
ME. Habeo prædam; tantum incepi operis. i, quantum potest, (tanto nequior.
Abduc istos in tabernam actutum diversoriam.
Tum facito ante Solis occasum ut venias advorsum mihi.
MES. Non tu istas meretrices novisti, here? ME. tace inquam.
Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stultè fecero.
Mulier hæc stulta atque inscita est, quantum perspexi modò.
Est hic præda nobis. MES. peri. ME. jamne abis? MES. perijt probè.
Ducit lembum dierectum navis prædatoria.
Sed EGO INSCITUS, qui hero me postulem moderarier:
Dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi.
Sequimini, ut quod imperatum est, veniam advorsum temperi.

VERSUS sunt numeris permistis ac confusis τετράμετροι καταληκτικοὶ & μονόμετρος unus, usque ad hunc, *Qui cum hac mulier*: à quo deinceps sunt reliqui τετράμετροι καταληκτικοί.

V. 1. SINE FORES SIC.] Notanda phrasis: *Sine fores sic.* Ita Cato: *Vinum sic sinito.* Nec divinatu difficile, cur fores suas *operiri*, i. claudi vetet Erotium, eis præsertim, qui experimentis cognitum habent, nihil pejus homines ama[…]es, quàm occlusas dominarum suarum januas odisse, nihilq; adeò illubentius, quàm *CAVE CAVE CANEM* ostio formosæ alicujus inscriptum spectare. Cui malo ut occurratur, cautionem ferè adhibere didicerunt Iphthiphillæ nostræ,

Ne quis liminum obseret tabellam,
Neu sibi lubeat foras abire:

quoties status condictus cum Phaone suo, Venereis vadimoniis convadato, intercedit dies, &c. *Douza.*

2. VIDE] *Videre* est curare, efficere, & administrare totum lanificium. *Aus. Popmâ.*

3. QUOD OPUS EST, FIAT] Ineptè hic duplex Parei editio, illud *Fiat* attribuit coco. certè contra MSS. suos, & rationem.

3. INCENDITE OD.] Ita apud Athenæum, pueri ad mensam στεφάνους καὶ μύρα καὶ θυμιάματα, *coronas & unguenta & odores* apportant. ita Seneca de Vitâ B. c. 11. *Et ne nares interim cessent, odoribus varijs inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur.* Pulcrè, *parentatur.* Videntur enim sepulcrales epulæ: quia velut mortui efferuntur. Epist. 12. *Cum sibi funeres illis epulis sepelisset, quasi sibi parentaret.* Epist. 122. *Non convivantur, sed justa sibi faciunt.* Verum hæc obiter.

5. AMANTI AMÆNITAS MALO EST] amænitas loci allicit amantem, ut velit in domo meretricia versari: quod ei damnosum, &c. *Amæna loca, dicta sunt: quæ ad se amanda alliciant*: Festus.

9. POTISSIMUS] Ita MS. sec. & vett. ed. sed primus, *potissimum.* J. Gulielmius; *Amator potissimus*, qui primas partes apud amicam tenet. Ter. Eun. *primum* vocat. Hinc Plauto, *amicæ potiorem fieri*, est ita insinuare & conciliare se amicæ, ut pulsis rivalibus solus & primus placeat, & regnet in exoptatis amoribus. Seneca lib. 6. de Benefic. c. 16. *Ego illi potissima cura* (alii, *curatio*) *fui.* Statius 4. Silv.

——tua cura potissima Gallus.

Casinâ act. 1: 1. *hercle me suspendio, Quàm tu ejus potior* (V. N. ibid.) *fias, satius est me mortuum.* Germ. Habn im Korb. Gruterus; Benè, inquit, vett. edit. & MS. alter, *Meret potissimus nostræ domi.* Talem vocat Terentius *eximium*, Hecyrâ Sc. 1. *intimum*, Eunucho act. 1: 2. quod ita mox circumloquitur:

Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere.

De simili noster, Trucul. act. 4: 2.

Solus summam habet hic apud nos. nunc is
est fundus nobis.

Item Sticho act. 1: 2.

Quem æquius est nos potiorem habere, quàm
te?

Eandem rem ita effert Propert. lib. 2. el. 18.

Nunc admirentur, quòd tam mihi pulcra
puella
Serviat: & tota dicar in urbe potens.

quod ante sic extulerat Catullus:

——sis in amore potens.

Hinc originem ducit, quòd tanquam regno

adepto glorientur amatores voti amatorii A compotes. suprà act.1: 3.

Superas facilè, ut superior sis mihi, quàm quisquam qui im[...]nt.

Martial.lib.11.Epigr.41.

Et solam tenet imperatque solùm.

Expressius Propert. lib.2.el.13.

Et subitò felix nunc mea regna tenet.

Nec abit Tibull. lib.1.el.10.

Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna superba tuo.

Juvenal.Sat.6.v.148.

Intereà calet, & regnat, poscitq; maritum, &c.

Deque tali Ovidius 2.Met.

——nulla potentia longa est.

Et alio loco, de se Myrrha:

——aliena potentior essem.

Item lib.2.el.19.Amorum.

Pinguis amor nimiumq; potens, in tædia nobis
Vertitur.

Unde miror ad illa Albii lib.2. el.3.

Nota loquor, regnum ipse tenet, quem sæpè coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes:

miror, inquam, Muretum putare, agere eum de aliquo, qui reverâ è servo rex factus. Sic Seneca Agamemnone v.254.

——sola sed longè eminet,
Tenetque regnum famula veridici dei.

Propert. lib.2.el.ult.

Ut regnem mistas inter convivas puellas.

Sic idem lib.4.el.7.

Longa mea in libris regna fuêre tuis.

Ovid.13.Metam.

Sibi aliquod regnum est in carmine, &c.

Manilius lib.4.

——decus lingua faciet regnumque loquendi.

Atque hæc è Schedis Gruteri.

11. ANIMVLE MI! MIHI MIRA VID.] Sic Camer. sic Lamb. Dousa, Taub. at Pareus in Notis suis ita se heic jactat: Ita totidem verbis ex MSS. Pall. restitui hunc locum, quem alii nimis licenter interpolarunt sic: *Anim. m. Menæchme cur video Hic te &c.* sic ille mente prava, animoq; praviore. nemo enim est, quin arbitretur hujus opera ex diurnis tenebris locum istum redire in lucem. nihil ejus est. omnis quinquaginta annorum editio sic habuit. sola Pareana prior, prior inquam Pareana, licentiosam hanc nobis invexerat lectionem. quid dicemus de tali Impostore? prorupisse ex imo Impudentiæ barathro.

17. VBI LVBET, L.] Totidem eadémque sunt apud Varronem, [illegible]: *Ubi lubet, ire licet accubitum. Accedo strenuus: sufflimus: quòd esurigo findebat costas.* Unde solemnia suspicari liceat fuisse invitationi ad discumbendum. *Acid.*

20. NEQ. ID HAVD] ita MSS. Camer. & Edd. vett. *neque id haud immerito tuo.* illud *haud* displicuit Aldo, & ejecit. Camerarius retinuit; sed *neq;* mutavit in *atq;*, quod sanè perplacet. duplex illa negatio heic ingrata auribus; tanto quidem magis quia ei acquiescit Pareana, nihil probare sueta nisi à Camœnis Gratiisq; abhorrentia.

24. FOLIA NVNC CADVNT] Significat: si comparentur hæc, quæ nunc fiunt, cum iis, quæ intra triduum futura sunt: proinde esse, ac si folia cadentia cum ipsis arboribus cadentibus conferantur, &c. Vide & Gruter. Suspic. ubi ad illa Apul. *folia sunt artis & nugamenta*, docet; *Folia* vocari etiam res nullius pretii aut ponderis.

B 26. ELECEBRÆ] ita Scal. & Grut. è MSS. Cam. Festus: *Elecebra argentaria, meretrices, ab eliciendo argento dicta.* Trucul.1: 2.

30. DELITIAS FACIS] τρυφᾷς: te delicatè jocari video: L. At Muretus ait, *delitias facere*, interdum esse irridere; ut hoc loco: interdum idem, quod in Pœnulo, *facere nequam*, i. indulgere libidini. Catul.

Si quis delitias diceret, aut faceret.

35. ACCIPE DVM HOC. IAM] ita MSS. Cam. & Ed. Veneta, & probat *Pist.* Cum dicto enim tradit marsupium.

36. BENE VOCAS: TAM GRATIA EST.] ita MSS. ambo. sed Lamb. l. *jam*. Q.d. Benignam te & liberalem in eo præbes, quòd me ad prandium vocas: verùntamen habeo gratiam; quod est, gratiam tibi tui prandii facio: prandio tuo non utor. Vide ipsum ad Horat.1. Epistol.7. *benignè.* J. Gul. *tam* pro *tamen*, usurpatum fuisse docet è Festo. *Gratia est*, aut, *gratiam facio*, blandior forma est abnuendi se ad cœnam venturum. Mostell.5: 2. *de cœnâ facio gratiam.* Ich thu mich der Einladung freundlichn bedancken. Notat idem Cam. & Casaub. ad Diogen. Laert. Græcos, cum

cum nollent ire invitati, dixisse, κάλλιστα: & πάνυ καλῶς: quomodo Latini, *Benignè: Gratia est: Facio gratiam.* At qui invitabant, dicebant, *Una erimus hodie.* Terent. *Dionysia hic sunt: hodie apud me sis volo.*

40. QUI EXTERGENTUR BAXEÆ?] Jöculariter ludit in ambiguo significatu *Peniculi*: qui & Parasitus erat, & spongia oblonga caudæ similis; quâ, præter cætera, baxeæ etiam extergebantur. Sunt autem *baxea*, calceamenti genus. Apulejus in Floridis: *Vestem de texternâ emere, baxeas de suternâ præstinare.* Fr. Junius in De Pallio Tertull. *Baxeas* ait crepidas esse, ἀπὸ τοῦ βάζειν: sed Philosophis speciatim attributas. MSS. Camer. ambo *bexea*, & alteri supernotatum, *buxea*. Et suspicabatur Colerus, Plautum *buxeam mensam* innuisse: cum & suprà talis allusio: *quia mensam, quando edo, detergeo.*

44. HÆC MULIER CANTHERINO RITU ADSTANS SOMNIAT.] Jocus ex ambiguo. Nam & *somniare*, somnia est videre inter dormiendum. dormiunt autem equi plerunque stantes, (Somni autem comes somnium est) tamen cantherii magis: qui, quod castrati sunt, mitiores & placidiores somniculosique & dormitantes magis ob torporem videntur. *Somniare*, etiam delirare, nugasque & deliramenta effutire valet: ut Curc. act. 4: 3. *quos tu mihi libertos somnias?* id est, nugaris & blateras. Mulierem igitur insanire & delirare dicit. Turneb. L 18: v. 15.

47. ETIAM NUNC NEGO.] Ita è MS. sec. Gruterus. falsum enim est quod notat Pareus in utroq; comparere, *sed jam nunc n.* habet enim sec. *uxori sestum* à prima manu, moxq; emendatum *etiam*.

50. EM. ECCERE,] pro *ecce*, seu potius, *ecce rem.* Alii l. *acere*: ut sit jusjurandum per ædem Cereris. Vide N. Trin. 1: 2. Ita autem Pist. Personas distinxit, convenientiùs.

51. NAVEM] *Navem* hic poni in obscenis, dictum Mil. act. 3: 3. Et Scipio meus Gentilis (Parerg. lib. 1. c. 28.) Vocabulum *Navis*, inquit, non ignoramus adhiberi interdum ad significandas illas corporis cavas partes, quas, qui dividit, naufragium facere solet

A non Arabicæ aut Sabeæ mercis, &c. Vide ibid. & inprimis Not. Rud. act. 2: 3.

52. EXCUSSAM MALLEO] sæpe malleo, dum tria reficitur, extrà concussam seu agitatam: L.

53. QUASI SUPELLEX PELLIONIS, PALUS P. P.] Quemadmodum in officinâ pellionis crebri & multi sunt pali lignei ad distendendas pelles & siccandas: ita in hâc navi multi sunt, & palus palo proximus est. Hæc sunt urbanè dicta, risûs movendi gratiâ: L. Erasmus hic nihil sani. Turneb. lib. 18. cap. 15. Et in centipellio, inquit, sunt pali ad distendendas pelles: & de palis multis in tabernâ merces suspendebantur, & domi supellex. Atque hoc de *Pellione* homine paupere dicit, cujus supellex præter palos nudos nulla erat. Is autem etiam Comœdiarum actor, sed malus erat. Quem etiam perstringit Bacchid. act. 2: 2. Hæc ille. Sed & Meursius censet, Poetam ludere Pellionem suâ ætate minorum gentium Comœdum. Denique & hoc annoto, quod Servius ad illud 2. Æn.

B *Hic aliud majus miseris multòque tremendum:*

Apud veteres à similibus incipere, vitiosum non erat.

Sed & Turneb. lib. 7. c. 19. Non est, inquit, cur vel à Quinctiliano vel Juvenale (Sat. 10.) versus Ciceronis,

O fortunam natam me Consule Romam,

irrideatur, ob iterationem earundem syllabarum. hoc enim veteres in delitiis habebant. ut Cicer. in Lælio: *eo loco locati sumus:* & Virgil. 3. Æn.

——tales casus Cassandra canebat.

Et hanc figuram venustam posteritas ineptè fastidivit, &c. suprà, act. 1: 1. Etiam Alb. Gentilis Lect. Virgil. cap. 19. de hâc re copiosè tractat.

54. IAM ME AMABO] Est à conjectura Gruteri. V. N. Bacch. 5. 1. v. 4. Camerarius geminarat *Iam jam*. MSS. & Edd: *Iam amabo*, versu indignante.

55. ME. NESCIO QUEM, MUL.] ita Gruterus è MSS.

55. NON ME QUÆR.] τὸ *fortè* nusquam apparet in vett. codd. aut adeo MSS. imò versui efficit. cur ergo ostentat diverso charactere in ultima sua Pareus?

58. ET ITERVM PINTHIA] ita MSS. Camer. Sed Lamb.leg. *Pythia* : ſcil. vicit. ut ſignificet, bis Pythiorum victorem fuiſſe Agathoclem. Atq; ita quidem Hermolaum Barbarum reſtituiſſe hunc locum, itaque codd. omnes ſuos legere, notat Lambinus. Camer. edidit, *Panthia*: aitque Erotium velle enarrare tyrannicam ſucceſſionem in Siciliâ. de quâ tamen ſe nihil habere compertum. cenſetque hæc, ut alia apud Plautum, ἀνισφύτως, ex decoro perſonarum, proferri de induſtriâ. In vett.edd. etiam eſt, *Pinthia*.

59. TERTIVM LIPARO] Ita omnes etiam edit. & MSS. Cam. At Lamb. *Tertium Olympia*, i. ter fuit Olympionices.

60. NVNC HIERO EST.] ſc.regnator.

62. PERNEGARI NON POT.] cedendum: & eundum, quò vocor.

71. SED SCIN'] Sic omninò legendum contra Lamb. docent Palmer. & J. Douza: atq; adeò Lipſius Cent. 1. Epiſt. 15. primævæ edit. Et *amabo* hîc nihil aliud ſignificat, quàm *ombo* : ut & infrà act.3: 3. Terent. Hec. ſc. pænult. *Dic me amare, ut veniat*. Eſt enim blandientis, *Ait te amare*. Sed & Græci haud diſſimili modo στέργω ſuum accipiunt: hoc enim non tam *amo* quàm *oro* ſignificat, ſi Sophocli credimus. immò nos hodieque quippiam ab aliquo poſtulaturi, *Amabo te*, in oratione directâ dictitamus. Quod Cam. etiam obſervavit. German. Ey mein lieber. Ita quoque aliquando, *amo*, ſignificat, *gratiam habeo*: ait Palm. Terent. Eun.act.1:2. *TH.benè facis : merito te amo, &c.*

72. AD PHRYG.] Plin.lib.8:48. *Acu facere Phryges invenerunt : ideoque Phrygiones appellati ſunt, qui acu pingunt.*

74. EADEM IGNORABITVR] eâdem operâ ſeu ratione palla reconcinnata immutabitur, ne ab uxore agnoſcatur.

75. NE VXOR] Acid. diſtinguit: ——*ignorabitur, Ne uxor agnoſcat ; te habere ſi tu v.* quod Pareus pr.editione ſua oſtentat. cæterùm MSS. & omn.ed. *cognoſcat*.

78. ST! SCIRE VIS?] ita Palmerius hunc locum reſtituit. neque valdè abeunt MSS. Camer. quæ cum vet.edd.pro illo, *ſt!ſcire vis*, itidem habent, *ſuſſciri*. unde & Gruterus ſuſpicatus eſt vocem factitiam ſilentium imperantis inibi latere. Ita pro illo vulg. *mendices*, ibi ſcriptum à manu primâ fuit, *medicas &c.* unde fact. *medices*.

79. QVID E. OPVS EST?] Schoppius hæc non intelligere ait: & multa molitur: certi tamen nihil emolitur: Suſpect. Lect.lib.5: Epiſt. 24. Acidalius etiam mirificas Lambini interpretationes ſe non capere ait: & locum ita conatur reſtituere: ——*quid enim eſt? ME. Opus eſt. MES. Quid* (vel; *Quod*) *ergo opus eſt? ME. ſcio ut me dices. MES. tanto neq.* (*es.*) *ME. Habeo pr.* Ait Men. Opus ſibi eſſe: vel, ut ſtatim loquitur, *Opus* ſe incepiſſe. quærit ſervus. Quodnam? veretur hic profiteri ſtatim, metuens convicia, &c. itaque præfatur. Scio, quem me dicturus ſis: nihili ſcil. hominem. At ille: Tanto igitur nequior es, qui ſciens tamen non caves, &c. Formulam, *Ut me dices*, illi non intellexerunt turbatores. Ter. Phorm. *Videte, te atque illum ut narres.* Perſâ, act.2: 2. *conſpicere, ut te autumo?*

80. I, QVANTVM POTES] Eſt à Grut. ſuſpicione, cùm inveniſſet in MSS. & Edd.vett. *& quantum poteſt.* EI enim & ET ſæpe mutuas præſtant vices. recentiores ſubſtituerant, *tu q. p.*

81. ISTOS] navales pedes. act.2: 2.

DIVERSORIAM] Scip.Gentil.Parerg.l.1. c.37. agnoſcit hic, *diverſorium* : ut *taberna diverſorium* eâ formâ dictum ſit, quâ alibi *rete jaculum* : Catullo *ſilice catena* ; Virg. *ferro bipenni*: Varr. *lanienam tabernam, &c.* V.N. Aſin. 1: 1.

82. SOLIS OCCASVM] ita MSS. Camer. ſed Lamb. & Douza ediderunt *Solem occaſum*. de quo V.N. act.1: 2.

83. TACE INQVAM] verſus non eſt integer. neq; aliter MSS. aut Edd. vett. Camerarii editio addidit, *inquam nunc jam*. ſed forte repetendum: *tace; tace, inquam*, ut ſiat vox ultima ſyllabarum trium.

86. MES. PERI.] ita MSS. & edd.

87. DVCIT LEMBVM DIERECTVM N. &c.] Ducit Menæchmum captum, & quaſi in diem erectum & cruci ſuffixum meretrix: L. Vid. N. Trinum. act.2:4.

88. QVI HERO ME POSTVL.] Ita editio princeps, ſenſu manifeſtiſſimo. Camer. ediderat, *qui pro me hero poſt.* & verò MSS. habent, pr. *quod rome poſt.* ſec. *quid roma poſt.* notatumque ad oram pr. *prome* : quod ſane non eſt reiiculum, inquit Pareus. quaſi verò ipſe etiam norit quid bonum ſit vel malum.

90. TEMPERI] ita MSS. *tempert.*

ACTUS III. SCENA I.

PENICULUS parasitus.

PLUS triginta natus annis sum, quom interea loci
Nunquam quicquam facinus feci pejus, neque scelestius,
Quàm hodie, quòm in concionem mediam me immersi miser.
Ubi ego dum hieto, Menachmus se subterduxit mihi,
Atque abiit ad amicam, credo, neque me voluit ducere.
Qui illum dij omnes perduint, qui primus commentus est
Concionem, hàc rèque homines occupatos occupat.
Non ad eam rem otiosos homines decuit deligi?
Qui nisi assint, cùm citentur, census capiant illico.
Affatim est hominum, indies qui singulas escas edunt:
Quibus negotij nihil est: qui esum neque vocantur, neque vocant.
Eos oportet concioni dare operam atque comitiis.
Si id ita esset, non ego hodie perdidissem prandium.
Cui tam credo datum voluisse, quàm me video vivere.
Ibo, etiamnum reliquiarum spes animum oblectat meum.
Sed quid ego video Menachmum? cum coronâ exit foras.
Sublatum est convivium. edepol venio advorsum temperi.

VERSUS sunt tetram. catalect. trochaici.

4. UBI EGO DUM] Palm. l. *dum inhio.* Optimè, inquit, *inhiare oculis*. neque designatius potuit. ita Merc. *hiantes oculi*. Aut certe, *dum hieto*, prisco verbo & ad hunc locum unico. Diomedes lib. 1. *Hietare & hiatare* veteres dixerunt. Plautus: *si qua fortè concio est, ubi eum hietare nondum in mentem venit.* Cæcilius: *Sequere me tu, qui mihi oscitans hietansque restas.* Laberius: *Hietanter fores*, pro eo, quod est, *hiscunt*, i. patent. Glossar. Benedicti: χασμῶμαι, *Oscitor, hieto*. χάσμησις, *Oscitudo*. Da ich Gienaffen / oder Maulaffen feil habe. Da ich mich vergaffe: ut mei VVunsesenses loqui amant. Certè, *hiantem desidiâ populum*, Silius etiam dixit, more Græcorum; qui χάσκοντας, τοὺς μαλθακοὺς & *desidiosos* dicunt. Sanè *hieto* nec Gruterus improbat. Suspicatur tamen, si fortè fuerit, *hittio*. Scaliger ad Festum: *Hetta*, *Ecta*, φλυκτὶς δέρμα. at *Hitta* aliter interpretantur Glossæ: *Hitta*, *Hicta*, ἐμβάφιον, quod *Cicum* dici, alibi diximus: & *Hittio* φωνὴ κυνός. unde factum *Hittio*, ἰχνεύω proprium canum vestigia indagantium, cum aliquâ vocis nictatione. Vulgg. *hæreo*. MS. pr. *dumhi & omen ach.* at sec. *dumihi & omenach.* Ductus litterarum utrobique prodit *hieto*.

9. QUI ILLUM] ita edidit Cam. & ita confusè MSS. uterque sanè à manu prima *que illum*, factumque in pr. *Quem*; quod arripuit Pareus. at enim cùm statim eodem versu ibidem restet, *qui primus*, vero fit similius legendum *Quei illum*; ut nimirum vocalis tertia semel tantum ponatur, bis tamen pronuncietur.

7. HAC REQUE] ita Cam. edidit, MS. pr. *hac requi*.

9. CITENTUR] ita MSS.

9. CENSUS CAPIANT] Turn. lib. 18. 15. Qui in Senatum non venerat, pignoribus captis mulctabatur: ita qui non venerit in concionem, cum pignoribus eum eis coercerí

ceri vult Parasitus. Sed *pignora capere*, dixit, *census capere*. V. N. Rud. act. 4. 8. imprimis Mil. act. 2. 6.

10. QVI SINGVLAS ESCAS EDVNT] qui domi cœnant soli: vel potius, qui uno, non varii generis cibo, vescuntur: L. Scal. Conject. μονοφαγεῖν interpretatur: cujus nemo particeps est. Mihi constat, ait Pistoris, eos hic dici *indies singulas escas edere*, qui semel tantùm de die edunt. qui cœnam tantùm, non prandium sumunt. In eorum numerum se censeri non vult Parasitus, qui jam tamen prandium perdiderat. Ita planè & Acidalius: planiusque ut fiat, ita format: *Affatim est hominum, in dies qui sing. esculas edunt.* quod in editionis suæ primæ haram illicò intulit Parei largitas.

11. EDVNT] MSS. *edint.*

11. VOCANT] *Vocare*, absolutè boni autores usurpant, pro, ad cœnam invitare. Cic. ad Pætum lib. 9. Epist. *Ut Verrium vocare sæpius videamus*. Ter. Eun. *Quæ quom amatores vocant, ligurriunt*. *Vocationes* etiam pro invitationibus, apud Catull. & Justinum hist. Epitom. 37. immò in Sacris quoque litteris eodem modo verbum *vocandi* usurpatur: ut annotat J. Drusius lib. 1. Miscel. cap. 96. *Vocatores* denique (ut Græcis κλητῆρες vel κλήτορες) propriè dicuntur, quibus invitandi homines ad cœnam datur negotium. ita Plin. lib. 35. cap. 10. Vide N. Sticho act. 2. sc. 1.

13. PERDIDISSEM PRANDIVM] Hoc Græcis est περιδειπνηθῆναι; *cœnam perdere*; non, ut putant, *domi cœnare*, vel quod Martial. lib. 11. Ep. 78. eleganter dixit, *affici domicœnio*. Casaub. ad Theophr.

14. VOLVISSE] Douza l. *noluisse*. Sic suprà: *neque me voluit ducere*. Sanè, *noluisse*, est & in vett. edd. sed tamen alterum propugnatur à MSS. nostris, & à ratione ipsâ. Parasitus quidem primo impetu suspicabatur ultrò subduxisse se Menæchmum: verùm ut ad sese redit, & perpendit characterismum, contrarium dicit. itaque à MSS. suis heic recedere non debebat ille acerrimus eorum vindex Pareus; utique editione ultimâ.

17. VENIO ADVORSVM TEMPERI.] commodùm venio obviam. V. N. Persâ act. 5. 1.

ACTUS III. SCENA II.

MENÆCHMUS Sosicles, PENICULUS.

POTINE ut quiescas, si ego tibi hanc hodie probè
Lepidéque concinnatam referam temperi?
Non faxo eam esse dices: ita ignorabitur.
PE. Pallam ad Phrigionem fert, confecto prandio,
Vinóque expoto, parasito excluso foràs.
Non hercle is sum, qui sum, nisi hanc injuriam
Méque ultus pulcrè fuero. observabo, quid agat,
Hominem. post adibo atque alloquar.
ME. Prò dii immortales, cui homini unquam uno die
Boni dedistis plus, qui minus speraverit.
Prandi, potavi, scortum accubui, abstuli
Hanc, cujus hæres nunquam erit post hunc diem.
PE. Nequeo, quæ loquitur, exaudire, clanculum:
Satur nunc loquitur de me & de parti meâ.
ME. Ait hanc dedisse me sibi, atque eam meæ
Uxori surripuisse. quoniam sentio

Errare;

Errare; extemplò, quasi res cum eâ esset mihi,
Cœpi assentari mulier quicquid dixerat,
Idem ego dicebam. quid multis verbis opu'st?
Minore nusquam bene fui dispendio.
PE. Adibo ad hominem: nam turbare gestio.
ME. Quis hic est, qui adversum sit mihi? PE. quid ais, homo
Levior quàm pluma, pessime & nequissime,
Flagitium hominis, subdole, ac minimi pretii?
Quid de te merui, quâ me caussa perderes?
Vt surripuisti te mihi dudum de foro?
Fecisti funus me absenti prandio.
Cur ausu's facere, cui ego æquè ac heres eram?
ME. Adolescens, quæso, quid tibi mecum est rei,
Qui mihi malè dicas homini ignoto insciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Postea? PE. eam quidem edepol te dedisse intellego.
ME. Responde, adolescens, quæso, quid tibi nomen est?
PE. Etiam derides, quasi nomen non noveris?
ME. Non edepol ego te, quod sciam, unquam ante hunc diem
Vidi, neque novi. verùm certò quisquis es,
Æquum si facias, mihi odiosus ne sies.
PE. Non me novisti? ME. non negem, si noverim.
PE. Menæchme, vigila. ME. vigilo hercle equidem, quod sciam.
PE. Tuum parasitum non novisti? ME. non tibi
Sanum est, adolescens, sinciput, ut intelligo.
PE. Responde, surripuistin' uxori tuæ
Pallam istanc hodie, atque dedisti Erotio?
ME. Neque hercle ego uxorem habeo, neque ego Erotio
Dedi, nec pallam surripui. PE. satin sanus es?
Occisa est hæc res. non ego te indutum foras
Exire vidi pallâ? ME. væ capiti tuo:
Omnes cinædos esse censes, tu quia es.
Tun' me indutum fuisse pallam prædicas?
PE. Ego hercle verò. ME. non tu abis quò dignus es?
Aut te piari jubes, homo insanissime?
PE. Nunquam edepol quisquam me exorabit, quin tuæ
Vxori rem omnem jam, uti sit gesta, eloquar.
Omnes in te istæc recident contumeliæ:
Faxo haud inultum prandium comederis.
ME. Quid hoc negotij est? satine ut quenquem conspicor,
Ita me ludificant. sed concrepuit ostium.

SI EGO TIBI H.] Lipſ. notat, in vett. cod. ſcriptum *ſid ego*, pro, *ſi ego*: addito *d*. Sed MS. Cam. pr. *ſed dico tibi*. at ſec. *ſed eo tibi*.

5. EXCLVSO FORAS.] ita MSS. & edd. omnes. Lamb. *foris*.

6. NON HERCLE IS SVM, QVI SVM &c.] Vide P. Victor. Var. Lect. lib. 7. c. 20. Parei Lexicon iſtud ponit inter Proverbialia; aitque formulã eſſe jurandi. perſuadeat id ſui ſimilibus, vel fœnum, vel glandes, eſſe ſuetis: ego nego.

11. PRANDII, POTAVI] Ex conjectaneis Auſ. Popmæ annotabo pluſcul. *Pranſus paratus*, Proverb. elegantiſſimum Varro inſcripſit Satiræ, in qua monet, paratum eſſe ad omnẽ caſum hominem oportere: quò conſtare in omnibus actionibus vitæ poſſit ſibimetipſi, nec in ullo officio claudicare. Sed diverſum ab hoc, & contrarium ſenſum habet, *Pranſus-potus*: quo notatur homo diſſolutus, & temere negligenterque res ſuas agens. Cic. pro Milone: *Adde inſcitiam pranſi-poti oſcitantis ducis*. Mart. lib. 4. 90. *Prandeo, poto, cano, ludo* &c.

13. CLANCVLVM.] Acid. diſtinguit, *exaudire: clanculum ſat*.

12. CVIVS HÆRES] *Hæres apud antiquos*, teſte Feſto, *pro domino ponebatur*. ideo & Bacchid. 4. 8. *exhæredem* legas, pro eo qui deſiit eſſe dominus & poſſeſſor. item Moſt. act. 1. 3.

14. DE PARTI MEA] de meà prandii portione. ita Lamb. & Rigaltius, contra H. Stephanum. Lucr. lib. 2. *colli*, pro *colle*. Cic. *parti miſcetur in unâ*. Idem 4. Ver. *Siculus à civi Romano* &c. Ita enim Priſc. l. 7. citat ita *Jovi, ſorti*: pro *Jove* &c. Manilius frequentat. item Val. Flaccus lib. 5. *alipedi* pro *alipede*. Et miram fuiſſe litterarum *i* & *e* inter ſe commutationem, docent Macrobius, Giſan. Cujacius. Ita *mane, mani*: *herè, heri*: *peregrè, peregri*, &c.

20. MINORE NVSQVAM BENE FVI DISPENDIO] Nuſquam tam bene acceptus & lepide curatus fui minore ſumptu. Citatur hic verſus ab interprete ad id Ter. Eun. act. 3. 4. *Ut de ſymbolis eſſemus*. Et, *eſſe probè*, pro benè admordere & ſuburcinari quicquid intra dentes venerit; notat J. Gul. in Perſâ ſic Truc. 4. 2. *De eo nunc benè ſumus tuâ virtute*. Item Mercat. *quin ergo imus atque obſonium curamus, pulcrè ut ſimus*. Vide Palm. Spicil. fol. 77. *Pulcrè eſſe. benè eſſe* Ib. fol. 174. *Vilius eſſe*, i. non tã ampliter cœnare. V. N. Moſt. act. 4.

22. ADVERSVM FIT] ſic Edd. vett. uſque ad Pareanam. ea enim ſine ex Mſſ. ſcilicet. at quid ſi potius reſcribi debet, *adverſum eit*, h. e. *it*.

23. HOMO LEVIOR QVAM PLVMA] Hyperbole proverbialis: ut Pœn. act. 3. 6. Ita Virgil. in Culice: *Pondere & ſamâ culicis levior*. Cic. ad Att. lib. 8. 23. *Nec me conſules movent, qui ipſi pluma aut folio facilius moventur*.

27. FECISTI FVNVS ME ABS. PRANDIO.] Sepeliviſti, me abſente, prandium, i. conſumſiſti. Seneca ep. 12. *Cum ſe funereis epulis ſepelivisset*. Sic Cic. pro Manil. *bellum ſepultum eſt*. Catil. 3. *ſepultam patriam*, &c. In MSS. utroque, ut & in edd. vet. eſt, *meo abſenti prandio*: quod natum arbitrer à veteri ratione ſcribendi, *med abſente prandio*.

28. CVI EGO ÆQVE AC HÆRES ERAM?] Lipſ. Antiq. Lect. lib. 2. cap. 13. Multarum, inquit, litterarum vir Junius noſter, *æque ac eres haream*, leg. cenſuit: & *erem* interpretatur *erinaceum*. Sed, meo animo, Vaticanâ lectione nihil verius, *æque ac heres eram*. venuſtè. nam funeri juſta ut fiant, hæredis curatio eſt. Huc reſpiciens Paraſitus, cui dè conſumpto prandio ægrius erat, quàm olim Achilli de Patroclo interfecto: Hem, inquit, vappa hominis, cur auſus es ſepelire hoc prandium, & ibi juſta facere; cum ego legitimus heres non adfuerim? De prandio autem ſive cœnâ, ut de hæreditate quàpiam loquitur idem Curcul. Sticho, Trinummo. Joſ. Scal. in Feſtum. l. *Quor auſus facere, quoi ego, quã tu, eres eram?* Veteres, illi *erem* pro *heredem* dicebant. In MS. Cam. pr. *quo* (vel, *quoi*) *ego ea qua heris heram*. In ſec. *Cui ego ea qua heris heram*. Vulgg. leg. *haream*?

30. H. IGNOTO] ita ferè è MSS. & edd. expuncto vulg. *hic*. verùm tales libros non intelligit Pareus, dum porcellos ſuos docet in iis MSS. eſſe *noto*, item *hic*; & nihilominus expreſſit in editione ſua, *hic ignoto*. imò, mi verres, in unum compingendum erat *hicnoto*. id enim talibus membranis idem eſt quod *ignoto*. quo ipſo vides, opinor plane tibi perire tuum *hic*. occupa haram tuam. ſupra eam non ſapis.

31. PRO

31. PRO MALEDICTIS DARI POSTEA] Comicè additum est ex abundanti, *postea*: Palm. Gruteri Florilegium Ethico-politicum:

Mala res frequenter pro dictis datur malis.

33. QVID T. NOM. EST?] MSS. & Edd. *nomen sit.*

41. NON TIBI SANVM EST, ADOLESC. SINCIPVT.] non es sanæ mentis. Vetter/Du wirst unterm Hütlein nicht wol verwahret sein.

46. OCCISA EST HÆC RES] periit hoc negotium. Capt. act. 3. 4. ita in Codice Theodosiano est *interfectum negotium.* ita Aristophan. τὸ πρᾶγμα, τέθνηκέ μοι, pro ἀπόλωλεν, *factum est, periit.* Vide Casaub. ad Athen. l. 8. cap. 6.

47. EXIRE VIDI PALLA] MS, pr. *palam.* ex quo editio Parei *pallam.* qui tamen injuriè eandem formam tribuit secundo. apertè in eo alterum, ut & in Edd. antiquis.

48. CINÆDOS] V. N. suprà act. 1. 3. ubi Tur. *Cinædum* saltatorem hic interpretatur: Lambinus mollem & impudicum, & quem ibi *Catamitum* dixerit.

QVEMQVEM] ita MS. pr. at sec. *quemque conspicatus* & vett. edd.

ACTUS III. SCENA III.

ANCILLA, MENÆCHMUS Sosicles.

MENÆCME, amare ait te multum Erotium,
Ut hoc unâ operâ ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondo unciam,
Jubeasque spinther novum reconcinnarier.
ME. Et istud, & aliud, si quid curari volet,
Me curaturum dicito, quicquid volet.
AN. Scin quod hoc sit spinther? ME. nescio, nisi aureum.
AN. Hoc est, quod olim clanculum ex armario
Te surripuisse ajebas uxori tuæ.
ME. Nunquam hercle factum est. AN. non meministi? obsecro
Redde igitur spinther, si non meministi. ME. mane,
Imò equidem memini. nempe hoc est quod illi dedi.
AN. Istuc. ME. ubi illæ armillæ sunt, quas unà dedi?
AN. Nunquam dedisti. ME. nam pol hoc unà dedi.
AN. Dicam curare? ME. dicito; curabitur:
Et palla & spinther faxo referantur simul.
AN. Amabo, mi Menæchme, in aureis da mihi
Faciundas pondo duûm nummûm stalagmia,
Ut te libenter videam, cùm ad nos veneris.
ME. Fiat, cedò aurum, ego manupretium dabo.
AN. Da sodes abs te, post ego reddidero tibi.
ME. Imò cedò abs te. AN. ego pòst tibi reddam duplex.
ME. Non habeo. AN. at tu, quando habebis, tum dato.
Nunquid me vis? ME. hæc me curaturum dicito,
Ut, quantum possint, quique liceant, veneant.
Jámne abiit intrò? abiit; operuit fores.

Di me equidem omnes adjuvant, augent, amant.
Sed quid ego cesso, dum datur mihi occasio
Tempusque, abire ab his locis lenoniis?
Propera, Menæchme, fer pedem, confer gradum.
Demam coronam, atque abjiciam ad lævam manum,
Ut si qui sequatur, hac me abiisse censeant.
Ibo & conveniam servum, si potero, meum,
Ut hæc, quæ bona dant dij mihi, ex me sciat.

AMARE AIT TE MULTUM EROTIUM] Hic, *amare*, est amanter precari, & à caro homine rogare & optare. Apud Quintil. lib. 6.3. in joco Domitii Afri novitate jucundâ & amœnâ usurpatur. nam cum is, quem defenderat, ejus conspectum vitasset, ubi postea ipsum convenit, *Amas*, inquit, *quod te non vidi*: id est, gratum mihi fecisti: Turn. lib. 20.28. V. N. act. 2.3.

4. SPINTHER] Prisc. lib. 5. docet, *Spinther* esse id, quod *ἐκρεμάσιον* appellant Græci, i. aut fibulam in humeris, aut armillam. Festus, sive Paulus: *Spinther, armillæ genus, quo mulieres utebantur brachio summo sinistro.*

10. NON MEMIN.] Acid. *au! non m.* sed vulgatum *an* neque in MSS. neque edd. est.

15. DICAM CURARE?] Lamb. l. *cumissere*. i. dicam Erotio, te, quæ oravit, curaturum?

17. INAURES, STALAGMIA] cohærent per Appositionem. *Inauris ἐνώτιον, ἐλλόβιον*: monile, quod aurium lobis inseritur, & appendet, *Stalagmium*, ait H. Junius, inaurium genus esse crediderim oblongum, ex baccâ pendulâ: à guttæ similitudine, quæ *σταλαγμὸς* Græcis dicitur. Cæcilius apud Festum: *Ex aure ejus stalagmium habeo domi.* Vide Rævard. l. 1:4. Var. Ita Seneca de B. Vitâ: *Quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Idem: *Duc bene institutam, nec maternis in-*
A *quinatam vitiis: non cujus auriculis utrinque bina patrimonia dependent.*

19. UT TE LIBENTER VIDEAM] Ter. Heaut. *Nam disciplina est eisdem, munerarier ancillas, ad dominas qui affectant viam.*

20. MANUPRETIUM] Varro lib. 4. De linguâ Lat. *Quod manu factum erat, & datum pro eo, manu pretium, à manibus & pretio.* Isidorus libr. XI. Etymol. c. 1. *Abusive manus etiam ars vel artifex. unde manupretium dicimus.* Ita Brisson. Antiq. l. 4. c. 23. docet, ICtos frequentare hanc vocem, ipsumque adeo Cic. eâ uti. Vide ibid.

25. UT, QUANTUM POSSINT, QUIQUE. &c.]
B Ita MSS. Jocatur. Cùm referenda essent, ex sententiâ mulierculæ; ipse futurum ait, ut veniant. *Quantum possint*, est quàm citissimè possint. Alii leg. *quanti possint*, sc. venire. Schop. l. *Ut quantum possit, quique liceat, veneant*, i. ut quamprimum & quanti licet, vendantur. proximè ad vett. edd. in quibus, *ut quantum possit quanque liceat.* Camer. ed. *quamque liceat.*

32. UT SI QUI SEQUATUR] Sic uterque MSS. neque novum in nostro mutatio numeri. Cur ergo eis nolentibus in textum assumpsit *sequantur*, Pareus? nempe libet ei omne quod licet.

ACTUS IV. SCENA I.

MULIER uxor, PENICULUS parasitus.

EGONE hic me patiar in matrimonio,
Ubi vir compilet clanculum quicquid domi est,
Atque ad amicam deferat? PE. quin tu taces?
Manifestò faxo jam opprimes! sequere hàc modò.
Pallam ad phrygionem cum coronâ ebrius

Ferebat,

Ferebat, hodie tibi quam surripuit domo.
Sed eccam, coronam quam habuit. num mentior?
Hem! hac abiit; si vis persequi vestigiis.
Atque edepol eccum! optime revortitur.
Sed pallam non fert. MV. quid ego nunc cum illoc agam?
PE. Idem quod semper; male habeas. MV. sic censeo.
PE. Huc concedamus: ex insidiis aucupa.

EGONE H.M.PAT.IN M.] expuncto esse: quod nusquam est. ut nec id, v. tertio. A

2. VBI VIR COMPILET] *Compilare* verbum militare est, pro *cogere*. Nam *pilatum agmen*, dicebatur pressum ac densum. Scaurus: *pilatim exercitum duxit*, i. strictim ac dense. ab eo *pilare*, est premere, cogere. *pilatim*, & *passim iter facere*, opponuntur. Ab eo igitur *compilare*: non, ut Asconius, eruditus alioqui interpres, à *pilis*: quem saltem syllabæ modulus debuisset inducere, ut aliter existimaret. Qui igitur omnia pressim colligit, dicitur *compilare*, cogere, & in unum condere. i. ut Festus exponit. Hæc Scal. At Lambin. & Bosius suspicantur, *compilare, expilare, suppilare*, à Græco φιλητὴς, quod furem significat, esse nata, mutata adspiratâ in tenuem. Martial. lib. 6. ep. 72. *Compilare Cilix volebat hortum.* Horat. 1. Sat. 1. *Ne te compilent servi.*

4. MANIFESTO] ita MSS. & ed omnes tamen Meurs. mallit. *Manifestum*. Nam, *Manifestum opprimere aliquem*, sive *tenere*, sc. mendacii, erroris, maleficii, phrasin esse optimam. Græci dicerent ἐπ' αὐτοφώρῳ. Ita postea, *nec magis Manifestum ego hominem unquam ullum teneri vidi*. Asin. act 5. 2.

8. HAC ABIIT] lævorsum, quà coronam abjecerat Men. Sosicles D.

9. ECCVM! OPT.] ita MSS. & Edd vett. nam recent. *eccum ipsum! opt.* si quid addendum, potius repetierim, *eccum! eccum! opt.* B

11. MALE HABEAS] i. excipias, tractes, verses maritum. MS. tamen pr. servat ab emendatore, *habeat*. Porrò bellus ille Parens totum istum versum editione sua exclusit. ô manum sospitatricem! quid sector pejus fecisset?

ACTUS IV. SCENA II.

MENÆCHMUS surreptus. MULIER uxor. PENICULUS parasitus.

VT HOC VTIMVR maximè more moro
Molestoque multum! atque uti quique sunt
Optumi maxumi, morem habent hunc:
Clientis sibi omnes volunt esse multos.
„ *Bonine an mali sint, id haud quæritant.*
„ *Res magis quæritur quàm clientium*
„ *Fides cujusmodi clueat.*
„ *Si est pauper atque haud malus, nequam habetur:*
„ *Si dives malus est, is cliens frugi habetur.*
„ *Qui neque Leges, neque æquum Bonum usquam*
„ *Colunt, sollicitos patronos habent.*
„ *Datum denegant, quod datum est. litium*

„ Pleni, rapaces, viri fraudulenti:
„ Qui aut fœnore, aut perjuriis habent rem
„ Partam. mens est in querelis.
Juris ubi dicitur dies, simul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis
Loquantur, malè quæ fecerint: aut ad
Populum, aut in Jure, aut ad judicem res est.
Sicut me hodie nimis sollicitum cliens
Quidam habuit: neque quod volui agere quicquam
Licitum est: ita me attinuit, ita me detinuit.
Apud æediles prœliis factis plurimisque
Pessimisque dixi caussam. conditiones
Tetuli tortas, confragosas: aut plus
Aut minus, quàm opus erat multò, dixeram
Controversiam, uti sponsio fieret.
Quid ille? quid? prædem dedit. nec magis
Manifestum ego hominem unquam ullum teneri vidi.
Omnibus malefactis testes tres aderant acerrumi.
Di illum omnes perdant, (ita mihi hunc hodie corrupit diem)
Meque adeò, qui hodie forum unquam oculis inspexi meis.
Diem corrupi. optimum jussi apparari prandium.
Amica exspectat me, scio. ubi primum est licitum, illico
Properavi abire de foro. irata est, credo, nunc mihi.
Placabit palla, quam dedi, quam hodie uxori abstuli, atque huic
Detuli Erotio. PE. quid ais? MV. viro me malo malè
Nuptam. PE. satin' audis, quæ illic loquitur? MV. satis. ME. si sapiam,
Hinc intrò abeam, ubi mihi benè sit. MV. mane: malè potius erit.
Næ illam mecastor fœneratò abstulisti. sic datur.
Clanculum te istæc flagitia facere censebas posse?
ME. Quid illuc est uxor negoti? MV. men' rogas? Me. vin' hunc rogem?
PE. Aufer hinc palpationes. perge tu. ME. quid tu mihi
Tristis es? MV. te scire oportet. PE. scit, sed dissimulat malus. (PE. quid paves?
ME. Quid negotij est? VX. pallam. ME. pallam? VX. quidam pallam.
ME. Nihil equidem paveo: nisi unum. palla pallorem incutit.
PE. At tu ne clam me comesses prandium! perge in virum.
ME. Non taces? PE. non hercle verò taceo. nutat, ne loquar.
ME. Non hercle ego quidem usquam quicquam nuto, neque nicto tibi.
VX. Næ ego mecastor mulier misera! ME. quí tu misera es? mihi expedi.
PE. Nihil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.
ME. Per Jovem deósque omnes adjuro, uxor (satin hoc est tibi?)
Me isti non nutasse. PE. credit jam tibi de istis: illuc redi.
ME. Quò ego redeam? PE. equidem ad phrygionem, censeo. i pallam refer.

ME. Qua

ME. Quæ istæc palla est? VX. taceo jam, quando hic rem non meminit suam.
ME. Nunquis servorum deliquit? num ancillæ, aut servi tibi
Responsant? eloquere. impunè non erit. PE. nugas agis.
ME. Tristis admodum es: non mihi istuc satis placet. PE. nugas agis.
ME. Cæterùm familiarium alicui irata es? PE. nugas agis.
ME. Num mihi es irata saltem? PE. nunc tu non nugas agis.
ME. Non edepol deliqui quicquam. PE. hem rursum nunc nugas agis.
ME. Dic, mea uxor, quid tibi ægrè est? PE. bellus blanditur tibi.
ME. Potin' ut mihi molestus ne sis? num te appello? VX. aufer manum.
PE. Sic datur. properato absente me comesse prandium:
Pòst ante ædeis cum coronâ me derideto ebrius.
ME. Neque edepol ego prandi, neque hodie huc intrò tetuli pedem.
PE. Tun' negas? ME. nego herclè verò. PE. nihil hoc homine audacius.
Non ego te modò hîc ante ædeis cum coronâ floreâ
Vidi astare? cùm negabas mihi esse sanum sinciput:
Et negabas me novisse: peregrinum ajebas esse te.
ME. Quin ut dudum divorti abs te, redeo nunc demum domum.
PE. Novi ego te. non mihi censebas esse, quî te ulciscerer.
Omnia hercle uxori dixi. ME. quid dixisti? PE. nescio,
Eam ipsus roga. ME. quid hoc est, uxor? quid nam hic narravit tibi?
Quid id est? quid taces? quin dicis, quid sit. VX. quasi tu nescias.
Palla mihi est domo surrepta. ME. palla surrepta est tibi?
VX. Me rogas? ME. pol haud rogem te, si sciam. PE. ò hominem malum!
Vt dissimulat! non potes celare: rem novi probè:
Omnia hercle ego edictavi. ME. quid id est? VX. quando nihil pudet,
Neque vis tuâ voluntate ipse profiteri, audi atque ades:
Et quid tristis, & quid hic mihi dixerit, faxo scias.
Palla est mihi domo surrepta. ME. palla surrepta est tibi?
PE. Viden tu ut scelestus captat! huic surrepta est, non tibi.
Nam profectò tibi surrepta si esset, salva nunc foret.
ME. Nihil mihi tecum est. sed quid tu ais? VX. palla inquam periit domo.
ME. Quis eam surripuit? VX. pol istuc ille scit, qui illam abstulit.
ME. Quis hic homo est? VX. Menæchmus quidam. ME. edepol factũ nequiter.
Quis is Menæchmus est? VX. tu istic, inquam. ME. egóne? VX. tu! ME. quis arguit?
VX. Egomet. PE. & ego. atque huic amicæ detulisti Erotio.
ME. Egon' dedi? PE. tu, tu istic, inquam. vin' afferri noctuam,
Quæ, Tu, Tu, usque dicat tibi? nam nos jam nos defessi sumus.
ME. Per Iovem deósque omnes adjuro, uxor; satin hoc est tibi?
Non dedisse. PE. imò hercle verò, nos non falsum dicere.
ME. Sed ego illam non condonavi, sed sic utendam dedi.
VX. Equidem ecastor tuam nec chlamydem do foras, nec pallium
Cuiquam utendum. MVLIEREM æquum est vestimentum muliebre

Dare foras, virum virile. quin refers pallam domum?
ME. Ego saxo referetur. VX. ex re tuâ, ut opinor, feceris.
Nam domum nunquam introibis, nisi feres pallam simul.
ME. Ego domum? PE. quid mihi futurum est, qui tibi hanc operam dedi?
VX. Opera reddetur, quando quid tibi erit surreptum domo.
PE. Id quidem edepol nunquam erit. nam nihil est, quod perdam, domi.
Cùm virum, cùm uxorem, dij vos perdant. properabo ad forum:
Nam ex hâc familiâ me planè excidisse intellego.
ME. Malè mihi uxor sese fecisse censet, quom excludit foràs.
Quasi non habeam, quò intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi displiceo, patiundum: at placuero huic Erotio.
Quæ me non excludet ab se, sed apud se occludet domi.
Nunc ibo. orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi.
Aliam illi redimam meliorem. heus, ecquis hîc est janitor?
Aperite, atque Erotium aliquis evocate ante ostium.

VERSVS hujus Sc. ab initio trimetri cat. numeris sunt confusis, & dimetri tres: usque ad 20. *Omnibus malefact.* à quo deinceps sunt tetram. catal. troch. quales & Sc. sequentis.

V. 1. VT HOC VTIMVR] ita MSS. nisi quòd sec. *hæc.* Secutus in cæteris sum Lambini & Lipsii judicium. *Mos morus*, i. stultus. Mil. *Ego stulta atque mòra multum.* Trin. *Is mores hominum mòros & morosos efficit.* Ordo & sententia est: *Ut*, hoc est, qui, quo pacto, seu quàm maximè stulto more multumque molesto utimur! &, ut quique sunt optimi & maximi, hunc morem habent: clientes &c. In V. codd. est, *more morum.* hinc Meurs. conjicit Plautum scripsisse:

Ut hunc utimur maxumè morem morum.
Molestomque multum.

10. QVI NEQ. LEGES] mutat numerum. Q. d. Isti, qui neque Leges, neque Æquum bonum colunt, sollicitos reddunt & negotiis molestant suos patronos. Alii hic volunt esse principium novæ sententiæ: quos Lamb. non audit. Cæterùm graphicam invectivam in hujusmodi *Leguleios & rabulas fori*, vide Francisci Polleti in Hist. fori R. l. 2. cap. 3. & 9. Acidalius velit revocari, quod in antiqq. est, *Qui neque leges, neque æquum, neque bon.* Sed qui sunt illi? Una Brixensis editio & ejus traduces, stabula mendarum & A audaciæ, tales tamen patronos secutus est editione prima Pareus. nam secunda, sibi patronus ipsi est; impudentique manu repræsentat nobis, *Qui neq. Leges, neq. bonum usquam*, impudentiore verò ore pronunciat in Notis: *τὸ neq.* in nullo est MSS. ò pudor! ubi abiisti? primùm, vocem ejus versus, quæ & in membranis & edd. omnibus turpiter neglexit, nempe *æquũ.* deinde *neque*, eo charactere literarum expressit quo solet exprimere ea quæ pro spuriis habet. neq; eo contentus, audet præterea asserere, in nullo extare eam MSS. cùm exstet tamen omnibus apicibus in Palatino utroque. scilicet hoc est persanare auctorem! phy! phy! phy!

B 12. QVOD DATVM EST] sive mutuo sive commodato. L.

15. MENS EST IN QVERELIS] ut Ter. Eun. *Animus est in patinis.* Nihil aliud cogitant, quàm querelas. L. *Diem juris dicere*, quid sit, docet Polletus in Hist. R. ita Seneca Hercule fur. *scribere*, pro *præstituere diem*, dixit.

17. SIMVL PATRONIS DICITVR] Rævard. ad Leg. XII. Tabb. cap. 4. hunc locum de prisco jure patronatûs interpretatur. quem vide.

19. AD POPVLVM] comitiis centuriatim calatis. D.

19. IN IVRE] apud Prætorem pro tribunali, sellâve positâ. D.

19. AD IVDICEM.] vel à Prætore datum, ut sunt *Recuperatores*: vel à litigatoribus captum, ut *Arbitrum*. Id ipsum iisdem ferè verbis tradidit etiam Cic. de Orat. lib. 1. ut docet J.Ræward.in Protrib.cap.7. Et Fr. Polletus cap. 4. Lites discutiuntur aut in Comitio pro rostris ad populum: aut in Basilicâ apud Prætorem in jure: aut in Fori areâ apud judices. Cicero: *Nam si quis statuet hunc esse oratorem, qui tantummodo in Jure aut in Judiciis possit, aut ad Populum, aut in Senatu copiose loqui &c.* Vide etiam N. Rud. act. 3:6. Sic autem hæc leguntur in MSS. Cam. & vet. edd. Nec scio, unde suum *seu* Lambinus habeat.

22. ATTINVIT] ita me in suo negotio occupatum retinuit. L.

22. DETINVIT] ita me ab eo quod acturus eram, avocatum tenuit. L.

23. ÆDILES] sc. curules, qui ordinis senatorii: non minores, qui *Agoranomi* dicti. V.N.Capt.act.4:2.

23. PROELIIS E. PLVRIMISQVE] ita MSS. & edd.vett.nisi quod MS. sec. omiserit *que*. pr.vero emendarit, *pro ejus factis*, falsum enim se ipsum heic facit Pareus, dum illud crimen alteri impingit.

24. CONDITIONES TETVLI TORTAS, CONFRAGOSAS] Conditiones tuli adversario obscuras, perplexas, violentas &c. Ex quo apud Ter. Phor. *legum contortor*, qui leges non ex æquo & bono, sed per calumniam perversè interpretatur. L.

26. AVT PLVS, AVT MINVS, QVAM OPVS ERAT, MVLTO] Quidam conjungunt hæc cum superioribus: Cond. tuli adversario aut plus aut minus multò, quàm opus erat, tortas &c. quod & Lambino placet. Alii cum sequentibus copulant. Vide Lamb.qui hunc locum vitii omnino suspectum habet.

27. VTI SPONSIO FIERET] ut Sponsione de controversiâ & lite transigeretur. L. D. Palm. fol.48. Spicil. emendat:

——confragosas aut plus,
Aut minus, quàm opus erat. mulctam dixeram, in
Controversiam ut sponsio fieret.

Dicit, se, post latas tortas condit, auctorem fuisse, ut in certam pecuniam Sponsio fieret, ni actor calumniaretur, aut reus nocens esset. Clientem suum, eundem reum, prædixit dedisse: sed causâ cecidisse. *Mulctam* appellat sacramentum, sive æs, quod pœnæ nomine penditur, inquit Festus: sive eo quis interrogatur, sive contenditur. Gnarus mos antiquitatis, solitos, qui judicio contenderent, invicem provocare sacramento, & certum aliquem pecuniæ conspectum deponere, malo ejus, qui damnaretur. Pro eâ pecuniâ, si forte dare damnâs esset, prædem dabant sæpè, & porrò quanti alterutrius interarat. Huc respicit. In eodem verbo etiam Trinummo commissum, act.3:2. Hæc ille: si non vera, veris haud dubiè proxima: & parum abfuit quin in contextum etiam reciperem.

29. TENERI VIDI.] Hic distinguo. ut sequentibus dicat: Nullum crimen ipsi impactum fuisse, quod non tribus testibus probari potuerit.

36. QVAM HODIE VXORI] Ita Edd.omn. & Ms. sec. ne quis forte credat Pareo, protestanti; Hæc dictio *hodie* non est in MSS. Pall.

40. N.FOENERATO ABSTVLISTI] Næ tu pallam magnâ tuâ mercede, i. magno tuo malo abstulisti. Tralatio est ab iis, qui pecuniam grandi fœnore mutuam accipiunt: L. imò ab iis, qui quod audiunt accipiuntve, bonum malumve fuerit, omnino deinde reddunt, juxta regulam Heliodi cum fœnore luculento. V.N. Asin.5:2. v.53. Gruterus.

40. SIC DATVR] sermo castigantis & pœnas sumentis, aut pœnas sumptas esse gratulantis. V. N. Pœn. 5:5. quare Grut. par istud verborum parasito datum cuperet.

45. VX. QVIDAM PALLAM. PE. QVID P.] Ita Grut. distinxit. nam verba sunt MSS.

46. NIHIL EQ. P. NISI VNVM. PALLA P.] Pist.malebat: *Nihil eq. paveo, nisi: verùm p. p. incutit.* Ut sit oratio concisa metuentis, & tamen dissimulantis. Vel certè: *N. eq. paveo. PE. nobis virum. palla p. incutit. At tu &c.*

46. QVID TV MISERA ES] MSS. *miseres.* miror que Antiquarium nostrum, non divisisse voces, *miser es? miser* sc. pro *misera*. idem parum fideliter expressit scripturam membranarum retinendo *quid.* neq; enim postrema illa litera in Pall. aut edd. antiquioribus. ò Lynceum!

54. I PALLAM REF.] ita Gruterus cum A esset in libri... r. quod Pareo etiam verum videtur, tanquam videlicet sententiæ ejus aliquid insit ponderis.

56. SERVI] ita Grut. è MSS. in quis *serviet*. quod factum è *servei*. Pareus tamen *serva* posuit.

57. RESPONSANT] *Responsare*, nostris wiederbellen.

59. PE. NVGAS AGIS] Ita hæc ubique *Peniculo* dat Pistoris: cum verba sint illudentis potiùs, quàm iratæ uxoris. Et Uxor jam ante dixerat, se tacere velle. Et paulo post ait Men. Peniculo: *Potin ut mihi molestus ne sis &c.* multo concinnius profectò: ita quidem ut etiam secutus sit Pareus refragantibus MSS. suis.

61. DIC MEA VXOR] *mi*, & *meà* blandientis est. Sic Apul. 7. Milef. *mi Trasylle &c.* ut simul cum voce armum ei palpaverit, leniterque demulserit; vel manum delicatius compresserit; vel osculo caput applicaverit. Vide Grut. Suspp.

62. BELLVS BLANDITVR TIBI] *Belli homines* nonnunquam dicuntur, qui ad aliorum quasi nutus se accommodant: Et, *bellè dicere*, qui, quæ alii velint, loqui student. Cicero: *Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit: fatetur se non bellè dicere, non ad voluntatem loqui posse.* Denique *belli h.* sunt, quos Aristot. ἀρέσκους vocat. Muret. ad Catull.

63. NVM TE APPELLO?] ita MSS. ambo: & probat Schoppius, aitque irati adfectui exprimendo convenientius esse.

76. PALLA EST MIHI] Acidal. hunc vers. hinc exturbat in suum locum, nempe v. 81. & cætera sic committit:

——*UX. quasi tu nescias,*

Me rogas. ME. pol. h. quanta licentia verborum! at re ipsa præstitit Pareus, editione sua pr. quod faciendum conjectabat Acidalius. ô fortem Plauti propugnatorem! idem tamen, cùm heic in notis censeat nihil tale audendum contra libros MSS. ipsemet iisdem repugnantibus retinet illud *Men rogas*, quod in nulla editione antiqua. omnes enim *Me rog.* pusillum istud est, & plusquam pusillum. at juratus miles vel minima sacramento dicta observat. & alioquin ob isthæc vetustissima & Camerarii, & aliorum fides otiosè vellicatur à Sycophanta isto.

78. NON POTES CELARE] Quod restaret in MSS. *novi*, Grut. distinguit: *UX. non potes celare: rem novi probè. PA. omnia h.* Ita & Acidal. Vel certè, ut vulgatum retineatur, & corrigatur hoc: —— *rem novit probe.* (scil. Mulier.) *Omnia h.* quod magis placet, & requirit ratio; cui dum non attendit Pareus non solùm contra MSS. & edd. vett. distinctionem mutavit utraque editione: sed imperiosè præterea vult ut etiam ita alii censeant.

83. CAPTAT!] i. verbis captiosè ludit! ut argutus est scilicet! Sic extat in edd. vett. item magis in MSS. nam Edd. *Viden ut scelestus capiat.* MSS. *vident ut scelestus capiat.* nempe *u* bis repeti debebat. recenter. *Viden, uti scelestus captat.*

83. HVIC SVRREPTA EST, NON TIBI] Rectissimè, etiam Pistoris & Gruteri judicio. nec aliter MSS. & omn. editi. *Ipsi* enim (id est, in usum ipsius, ut esset quod daret Erotio) surrepta est: non tibi. Nam si *tibi* (i. in usum B tuum) surrepta esset, salva apud te esset. Lambinus hic sine causâ æstuat. Ita nos vulgò: Du hast Mir das gestolen. Immò, Ich habs Mir gestolen. hoc est, meo bono. Acidalius particulas *huic* & *tibi* permutandas censet, hoc modo: —— *tibi surrepta est, non huic. Nam profectò huic surr.* atq; ad Menæchmum, non uxorem, loqui Parasitū, &c. Sed certè falsus est. Gemina illa sunt Aul. act. 4: 4. & Capt. 4: 2. *HE. Esurire mihi videre. ER. Mihi q. esurio, non tibi.* item Pseud. act. 4: 1. *Jup. te mihi servet. SY. imò mihi.*

90. VIN' AFFERRI NOCTVAM, QVÆ TV, TV &c.] *Tu, tu*, Græcis τῦ, τῦ. unde & τυτὼ *noctua*, apud Hesychium. quippe & hic alluditur ad vocem noctuæ, *tu, tu*, seu *tou, tou*. Sonat autem noctua uberius hoc Germanum, non exilius illud Gallicum. De quibus vide Palmer. Spic. fol. 148. ubi Lambini Annotationem flagellat. item Lipsium, in De rectâ Pronunc. Lat. linguæ cap. 10. ubi de quadruplici sono litteræ *V* disputat: ac Parasitum hic in eo jocum quæsivisse docet. Et noctuinum hunc gemitum (*tou tou*) respexisse etiam Ausonium in versu,

Cecropiis ignota sonis, ferale sonans V.

Ferale ideò, quia refert feralem illam avem. Vide item Jacob. Matthiæ lib. 1. De litteris.

91. NAM

91. NAM NOS IAM NOS] ita MSS. & ed. Camerarii. cæteræ fere: *nam vos jam nos*. videtur tamen alterum *nos* supervacuum.

93. NON DEDISSE] sc. me. Nihili sunt quæ garrit Lambinus. Tantùm cavillatur Menæchmus, & dicit, se non tam dedisse pallam, quàm commodasse: tunc scilicet facilè recepturus, cum planè detrita. nam sequitur: *Sed ego illam non condonavi*. Vocis utriusque discrimen notum JCtis. nec ignoravit Plautus, Trin. 5:2.

Nam beneficium homini proprium quod datur, proprium sumserit:
Quod datum est utendum, id repetendi copia est, quando velis. J. Grut.

SIC] δεικτικῶς.

VTENDAM] Meursius Plauto dignius censet quod est in v. e. *utendum*. De quo A. gell. lib. 1. cap. 7. Etiam in Paris. legitur, *utendum* in cæteris *utendam*: nec aliter MSS. certè pr. nam sec. initio habuit *sicut eandem factumq*; deinde, *sic utendam*. quæ enim ex eo promit Pareus, vera non sunt.

100. EGO DOMVM ?] sc. unquam introibo ? L. Quæ tamen frigere ait Acidal. & nescio quid aliud molitur; nec tamen emolitur. Gruterus conjiciebat, *Eho dominum!* Pareus Acidalianum invexit editioni suæ primæ, Notæq; ejus volunt restare etiam in secunda, dum damnat scilicet MSS. scripturam; sed tamen ab eis non abit. quæ confusio!

103. CVM VIRVM, C. VXOREM] ita è MSS. suspicatur Grut. quod scilicet ii istæc annectant, non superiori versui, ut factum à plerisque editoribus ante Lambinum. habent tamen, *Cum viro, cum uxore, Dij vos perdant*.

105. EXCLVDIT FORAS.] Lambinus hîc, ut & suprà act. 3:2. atque alibi, leg. *foris*. cùm *excludo* (inquit) verbum sit quietem significans: nam is *Excluditur*, cui ingredi volenti ostium non aperitur: *Extruditur*, qui jam intùs est. Sed veniâ doctissimi viri, Genius antiquæ locutionis alterum etiam non respuit.

108. EXCLVDET AB SE] Ita MSS. etiam Edd. omnes, nisi quod ex, *a se*. at Pareana *excludit*. quæ licentia? tale quid potius usurpare potuisset in *occludet* quod sequitur. MSS. enim ambo à manu prima *occludit*: cujus scripturæ ne meminit quidem ille oculeus.

ACTUS IV. SCENA III.

EROTIUM, MENÆCHMUS surreptus.

QVIS hic me quærit? ME. sibi inimicus magis quàm ætati tuæ.
ER. Mi Menæchme, cur ante ædeis astas? sequere intrò. ME. mane.
Scin quid est, quòd ego ad te venio? ER. scio, ut tibi ex me sit volup.
ME. Imo edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde. uxor rescivit rem omnem, ut factum est ordine.
Ego tibi redimam bis tantò pluris pallam, quam voles.
ER. Tibi dedi equidem illam, ad phrygionem ut ferres, paulo prius:
Et illud spinther, ut ad aurificem ferres, ut fieret novum.
ME. Mihi ut tu dederis pallam, & spinther? nunquam factum. relege res!
Nam ego quidem postquam illam dudum tibi dedi, atque abij ad forum,
Nunc redeo, nunc te postillà video. ER. video quam rem agis.
Quia commisi, ut me defrudes: ad eam rem affectas viam.
ME. Neque edepol te defraudandi caussa posco: quin tibi
Dico, uxorem rescivisse. ER. nec te ultrò oravi ut dares.

Tute ultrò ad me detulisti, dedisti eam donò mihi:
Eandem nunc reposcis. patiar, tibi habe, aufer, utere,
Vel tu, vel tua uxor, vel etiam in oculos compingite.
Tu huc, post hunc diem, pedem intrò non feres, ne frustrà sis,
Quando tu me benè merentem tibi habes despicatui.
Nisi feres argentum, frustrà me ductare non potes.
Aliam posthac invenito, quam tu habeas frustratui.
ME. Nimis iracundè hercle tandem. heus tu, tibi dico, mane:
Redi. ER. Etiamne astas? etiam audes meâ revorti gratiâ?
ME. Abiit intrò, occlusit ædeis. nunc ego sum exclusissimus:
Neque domi, neque apud amicam mihi jam quicquam creditur:
Ibo, & consulam hanc rem amicos, quid faciundum censeant.

ÆTATI TVÆ] i. tibi.

V. 3. VOLVP.] pro, *voluptas*: Nonius. In MSS. tamen & edd. vet. legitur *voluptas*. quos cur heic non sequitur Pareus, Nonii auctoritatem solitus trahere pedibus?

9. MIHI VT TV DEDERIS] Ita MS. pr. nam sec. *Mihi tu ut dederis*. Pareus illud *ut* utraque editione sua pessimè exclusit: quia scilicet sapere voluit supra Camer. Lamb. Dousam, qui id admiserunt.

9. NVNQVAM FACTVM. RELEGE RES.] Sic emendat Gruterus è MSS. Pal. quorum pr. *releceris*. sec. *relegeris*. Editi hactenus *reperies*, donec Pareus moveret tripoda, & nobis Pythiæ voce proferetur, *reliceris*. sed id admodum tamen modestè. Verba enim ejus sonant. Ego ex glossa V. C. quæ *redixeris*, conjeci veram esse lectionem *reliceris*, utpote MSS. vestigiis consentaneum. sic ille. rides lector? veram lectionem Pareus ut conjiciat in dubiis, solitus corrumpere sanissima? At vestigiis MSS. consentaneum *confi*-*ceris*. itane? minus tamen quàm *relegeris*: quod nihil est quàm sedere ad rationes paginarum, ad rei examen. sic *putare argumentis* dixit. Amph. 2. 1. v. 45.

12. QVIA COMMISI] scil. pallam. de quâ omnis sermo. Ita enim simpliciter cum Pistore expono. Schoppius malebat, *connisi*: à *conniveo &c.* sed sine auctoritate.

18. NE FRVSTRA SIS] Ita sæpius locutus auctor, in fine Iamb. At Pareus, quod invenisset in MSS. sec. *frustrassis*, ait id sibi non displicere. placeat porrò, dummodò norit versum nullo id admittere modo.

20. FRVSTRA ME DVCTARE] sine mercede me, ut scortum, ductare non potest: vel, me promissis inanibus lactare non potes. Ex I.

23. ER. ETIAMNE ADSTAS?] Acidal. in personis mutat: sine caussâ. invasit id tamen novator Pareus editione prima.

24. EXCLVSISSIMVS.] Sic Petronius: *exclusissimi sumus*. Alibi, *ipsissimus*: *occlusissimus*. Cic. pro Cæcinnâ, *armatissimus*.

ACTUS V. SCENA I.

MENÆCHMUS Sosicles, MULIER.

NIMIS stultè dudum feci, cùm marsupium
Messenioni cum argento concredidi.
Immersit aliquò sese credo in ganeum.
MU. Provisam, quàm mox vir meus redeat domum.

Sed

Sed eccum video: salva sum, pallam refert.
ME. Demiror, ubi nunc ambulet Messenio.
MV. Adibo atque hominem accipiam, quibus dictis meret.
Non te pudet prodire in conspectum meum,
Flagitium hominis, cum istoc ornatu? ME. quid est?
Quæ res agitat te, mulier? MV. etiámne impudens
Muttire unum verbum audes, aut mecum loqui?
ME. Quid tandem admisi in me, ut loqui non audeam?
MV. Rogas me? ò hominis impudentem audaciam!
ME. Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem
Graii esse prædicabant? MV. non equidem scio.
ME. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat.
Itáque adeò jure cœpta appellari est Canis.
MV. Non istæc ego flagitia possum perpeti.
Nam med ætatem viduam esse mavelim,
Quàm istæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
ME. Quid id ad me, tu te nuptam possis perpeti,
An sis abitura à tuo viro? an mos est ita hic,
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?
MV. Quas fabulas? non, inquam, patiar præterhac,
Quin vidua vivam, quàm tuos mores perferam.
ME. Mea quidem hercle caussa vidua victita,
Vel usque dum regnum obtinebit Iuppiter.
MV. At mihi negabas dudum surripuisse te,
Nunc eandem ante oculos attines. num te pudet?
ME. Heu hercle, mulier, multum & audax & mala es.
Tun' tibi hanc surreptam dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem?
MV. Næ istuc mecastor jam patrem arcessam meum,
Atque ei narrabo tua flagitia, quæ facis.
I, Decio, quære meum patrem, tecum simul
Vt veniat ad me: ita rem esse dicito.
Iam ego aperiam istæc tua flagitia. ME. sanan' es?
Quæ mea flagitia? MV. cùm pallam atque aurum meum
Domo suppilas uxori tuæ, & tua
Degeris amicæ. satin' hæc rectè fabulor?
ME. Quæso hercle, mulier, si scis, monstra quod bibam,
Tuam quî possim perpeti petulantiam.
Quem tu hominem me arbitrâre, nescio.
Ego te simitu novi cum Parthaone.
MV. Si me derides, at pol illum non potes,

Patrem meum, qui huc advenit. quin respicis?
Novistin' tu illum? ME. novi cum Calchâ simul:
Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.
MV. Negas novisse me? negas patrem meum?
ME. Idem hercle dicam, si avum vis adducere.
MV. Ecastor pariter hoc, atque alias res soles.

HIC fit ἐπίτασις & quidem turbulenta. Nam hæc Fabula motoria est.

V. 11. MVTTIRE VNVM VERB. AVDES?] *Muttire*, est ne *mu* quidem audere facere: quod Gr. γρύζειν. Glossar. *Muttum*, γρύ. V.N. Mil. 3:1.

12. ADMISI IN ME] Haud aliter MSS. nam Edd. *in te*. eodem res redit, sed favendum antiquitati, cùm & pro ea stat ratio commoda.

14. HECVBAM QVAPROPTER CANEM, &c.] Hecubam, velut canem, Græci lapidibus insectati sunt: quia maledicta in quemvis obvium e Græcis ingerebat. Et propter hanc animi acerbitatem & rabiem, fingitur in canem esse conversa. Juven. 10. Sat.

——*sed torva canino*
Latrabit rictu, quæ post hunc vixerat uxor.

Quin & ejus effigiem canis formâ pingi solitam, canemq; eidem immolatum tradunt. Ejusdem & sepulcrum *Cynossema* vocatum, Plinius auctor est, lib. 4. cap. 11. Vide & Grut. Suspp.

18. APP. EST CANIS.] MSS. *Canes*: benè. Pareus tamen nos carpit, tanquam hæc perperam prohiberimus lectionem membranarum. prorsus injuriè. testes eos laudamus ad vocem *canes*, non ad *appellari*, ubi scimus id tantum in MS. pr. à manu secunda. primam habere *appellare*. Verùm mancipium calumniæ omnem ansam arripit alterum reprehendendi. idem tamen ridiculè, contra suos MSS. edidit *appellar' est canis*.

20. MED ÆTATEM] Sic MS. pr. & sec. à correctore cùm prius fuisset, *Nam metia & à te invidiam*. unde primæ edd. *Nam me jam ætatem*. MS. pr. habet à manu sec. *ætate*. quod dissimulat Pareus, & ut decet hominem, contraria loquitur, dum ait: *Ætatem meam*: hic MSS. ambo, absque τῷ *meam*.

21. QVIN VID. VIVAM] scil. *potius*. Ellipsis Græcanica. Vide Aus. Popmam De V. A.L. lib. 2. c. 11. Sic Cas. *ut quod vir velit Fieri, id faciat, quam adversatrix contra*. sic alibi: *Certum est meriri, quàm hunc pati lenonem in me grassari*. ita Ter. Prol. Eun. *Si quisquam est, qui placere se studeat bonis*, (scil. potiùs,) *Quàm plurimis*: ut observant Æmil. Ferretus, & Muretus. Sic sæpè Tacitus, Livius, Tertull. & JCti, ut observatum B. Brissonio, Lipsio. Tale est illud Lucæ 18. v. 14. κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, ἢ ἐκεῖνος. V.N. Rud. 4:4.

27. MEA QVIDEM CAVSSA] Meinet halben machstu wol / etc. Epid. *quaras meâ causâ vel medio in mari*. item: *Meâ quidem causâ salvus sis licet*. Infrà act. 5: 7. *meâ quidem caussâ liber esto, atque ito quò voles*. id est, quantum ad me res ea attinet: quantum in te est mihi imperii. *Douza*. Ita edd. primæ. & placuit Camerario quamvis videret in MSS. restare *vivito*. ita etiam versu 30. retinuit, *num te pudet* quamvis in membranis ejus *non*. scilicet vir perfectæ doctrinæ noverat quid resiperet antiquitatem, quid deceret theatrum. non est igitur quod Pareus eum alliget MSS. libris.

36. QVÆRE] Non est necesse, inquit Gruter. ut hæc mutet Colvius. nam *Quæro* ac *Quæso* permutantur. Festus: *Quæso, ut significat idem, quod rogo: ita Quæsere ponitur ab antiquis pro Quærere, &c.* Nec aliter ceperim Lucretii illud lib. 5.

Non divûm pacem votis adit, ac prece quæsit
Ventorum pavidas paces, animasque secundas?

Nam & Virg. 4. Æn.

——*delubra adeunt, pacemque per aras*
Exquirunt.

Et alioqui *Quærere* hic propriè habere potest locum: ut nimirum ignoraverit domina, ubi tunc esset Pater, & unde arcessendus. Sic sanè capio Propertii li. 1. el. 15. *optatos quærere Tyndaridas*: nec admiserim cum Dousâ patre positum pro *Quæsere*, sed potius pro *Requirere*: ut oculis nimirum lumen illud serenas vestigârint: quemadmodum in Eleg. Albinovani, De Mecænatis obitu:

Sed

Sed manifestus erat moriens, quærebat amata
Conjugis amplexus, oscula, verba, manus.

41. MONSTRA, QVOD BIBAM, &c.] Allegoria à medicis, qui dant medicamenta quædam, quibus epotis, aut venenum impunè sumi potest, aut jam sumptum tolerari. L. Sed V. N. Rud. act. 3. 6.

44. QVEM TV HOMINEM ME ARBITRARE, NESCIO.] Sic uterque MSS. nisi quod iis absit *me*, ob antiquam scribendi rationem. Pareus contra eosdem interposuit personam, A mulierique tribuit illud *nescio*. admodum pueriliter.

45. SIMITV] Ita egregiè Camer. cùm in MSS. esset *si me tu*, aut *si me non tu novi*; editionesque varias finxissent ineptias.

45. CVM PARTHAONE] *Parthaon*, pater OEnei Ætoliæ regis Dejaniræ patris. MSS. *Porthaone*.

CVM CALCHA] cum *Calchante*, (ut est in MSS.) Thestoris filio: qui arte divinandi plurimum pollebat in exercitu Græcorum ad Trojam. Citat hæc Prisc. lib. 6.

ACTUS V. SCENA II.

SENEX, MULIER, MENÆCHMUS Sosicles.

VT ætas mea est, atque ut hoc usu factum est,
Gradum proferam, progredi propembo.
Sed id quàm facile sit mihi, haud sum falsus.
Nam pernicitas deserit: consitus sum
Senectute: onustum gero corpus; vires
Reliquêre. ut ætas mala, merx mala est tergo!
Nam res plurimas pessumas, cùm advenit, affert:
Quas si autumem omneis, nimis longus sermo sit.
Sed hæc res mihi in pectore & corde dura est,
Quidnam hoc sit negotij, quòd filia sic
Repente expetit me, ut ad sese irem.
Nec, quid id sit, mihi certius facit,
Quid velit, quid me arcessat.
Verùm propemodum jam scio quid siet rei.
Credo cum viro litigium natum esse aliquod.
„ Ita istæc solent, quæ VIROS subservire
„ Sibi postulant, dote fretæ, feroces.
„ Et illi quoque haud abstinent sæpè culpâ.
„ Verùm est modus tamen, quoad pati uxorem oportet.
Nec pol filia unquam patrem arcessit ad se,
Nisi aut quid commissi, aut jurgij est caussa.
Sed quidquid id est, jam sciam. atque eccam eampse
Ante ædeis & ejus tristem virum video.
Id est, quod suspicabar.
Appellabo hanc. MV. ibo advorsum. salve multum, mi pater.
SE. Salva sis salven' advenio? salven' arcessi jubes?

Quid tu tristis es? quid ille autem abs te iratus destitit?
Nescio quid vos velitati estis inter vos duos.
Loquere, uter meruistis culpam, paucis: non longos logos.
MV. Nusquam equidem quicquam deliqui: hoc primùm absolvo, pater.
Verùm vivere hic non possum, neque durare ullo modo.
Proin tu me hinc abducas. SE. quid istuc autem est? MV. ludibrio, pater,
Habeor. SE. unde? MV. ab illo, cui me mandavisti, meo viro.
SE. Ecce autem litigium. quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimoniâ?
MV. Qui ego istuc, mi pater, cavere possum? SE. men' interrogas?
MV. Nisi non vis. SE. quoties monstravi tibi, viro ut morem geras?
Quid ille faciat, ne id observes: quò eat: quid rerum gerat.
MV. At enim ille hinc amat meretricem ex proximo. SE. sanè sapit.
Atque ob istanc industriam, etiam faxo amabit amplius.
MV. Atque ibi potat. SE. tuâ quidem ille caussâ potabit minus,
Sive illic, sive alibi libebit? quæ hæc, malùm, impudentia est?
Unâ operâ prohibere, ad cœnam ne promittat, postules:
Néve quenquam accipiat alienum apud te. serviren' tibi
Postulas viros? dare unâ operâ pensum postules;
Inter ancillas sedere jubeas; lanam carere.
MV. Non equidem mihi te advocatum pater adduxi, sed viro.
Hinc stas, illinc caussam dicis. SE. si ille quid deliquerit,
Multò tantò illum accusabo, quàm te accusavi. amplius.
Quando te auratam & vestitam bene habet: ancillas, penum,
Rectè præhibet; melius sanam est, mulier, mentem sumere.
MV. At ille suppilat mihi aurum & pallam ex arcis modò:
Me despoliat, mea ornamenta clam me ad meretrices degerit.
SE. Malè facit, si istuc facit: si non facit; tu malè facis,
Quæ insontem insimules. MV. quin etiam nunc habet pallam, pater,
Et spinther, quod ad hanc detulerat: nunc, quia rescivi, refert.
SE. Jam ego ex hoc ut factum est scibo. ibo ad hominem atque alloquar.
Dic mihi istuc, Menæchme, quod vos dissertatis, ut sciam.
Quid tu tristis es? quid illam autem iratam abs te destituis?
ME. Quisquis es, quicquid tibi nomen est, senex, summum Jovem
Deósque detestor. SE. quâ de re, aut cujus rei rerum omnium?
ME. Me neque isti malè fecisse mulieri, quæ me arguit
Hanc domo ab se surripuisse, atque abstulisse dejerat.
Si ego intra ædeis hujus unquam, ubi habitat, penetravi pedem,
Omnium hominum exopto ut fiam miserorum miserrimus.
SE. Sanún' es, qui istuc exoptes, aut neges te unquam pedem
In eas ædes intulisse, ubi habitas, insanissime?
ME. Tun' senex ais habitare med in illisce ædibus?

SE. Tu

SE. Tu negas? ME. nego hercle verò. MU. nimio hæc impudenter negas,
Nisi quò nocte hâc emigrasti. SE. concede hâc, filia.
Quid tu ais? num hinc emigrasti? ME. quem in locum, aut ob rem, obsecro?
SE. Non edepol scio. MU. profectò ludit te hic. SE. non tu te tenes?
Jam verò, Menæchme, satis jocatus es: nunc hanc rem age.
ME. Quæso quid mihi tecum est? unde, aut quis tu homo es? quid feci ego
Tibi aut adeo isti, quæ mihi molesta est quoquo modo?
MU. Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur colos
Ex temporibus atque fronte! ut oculi scintillant! vide.
ME. Quid mihi melius est, quàm quando illi me insanire prædicant,
Ego me assimulem insanire, ut illos à me absterream?
MU. Ut pandiculans oscitatur! quid nunc faciam, mi pater?
SE. Concede huc, mea nata, ab istoc quàm potes longissimè.
ME. Evoe, Evie, Bromie, quò me in silvam venatum vocas?
Audio: sed non abire possum ab his regionibus:
Ita illa me ab lævâ rabiosa fœmina adservat canis;
Post autem illic hircus alius, qui sæpe ætate in suâ
Perdidit civem innocentem falso testimonio.
SE. Væ capiti tuo. ME. ecce Apollo mihi ex oraculo imperat,
Ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.
MU. Perii, mi pater: minatur mihi oculos exurere.
ME. Hei mihi, insanire me ajunt, ultro cùm ipsi insaniunt.
SE. Filia, heus. MU. quid est. quid agimus? SE. quid si ego huc servos citò?
Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant, & domi devinciant,
Priusquam turbarum quid faciat amplius. ME. enimvero, nisi
Occupo aliquid mihi consilium, hi domum me ad se auferent.
Pugnis me vetas in hujus ore quicquam parcere?
Ni jam ex meis oculis abscedat in malam magnam crucem,
Faciam, quod jubes, Apollo. SE. fuge domum quantum potest,
Ne hic te obtundat. MU. fugio. amabo, adserva istunc, mi pater,
Ne quò hinc abeat. sumne ego mulier misera, quæ illæc audio?
ME. Haud malè illanc amovi. nunc hunc impurissimum,
Barbatum, tremulum, Titanum, Cygno prognatum patre:
Ita mihi imperas, ut ego hujus membra, atque ossa, atque artua
Comminuam illo scipione, quem ipse habet. SE. dabitur malum,
Me quidem si attigeris, aut si propiùs ad me accesseris.
ME. Faciam quod jubes: securim capiam ancipitem, atque hunc senem
Exossabo. dein dedolabo assulatim viscera.
SE. Enimvero illud præcavendum est, atque accurandum mihi:
Sanè ego illum metuo, ut minatur; ne quid malè faxit mihi.
ME. Multa mihi imperas, Apollo: nunc equos junctos jubes
Capere me indomitos, feroces: atque in currum inscendere.

Ut ego

Vt ego hunc proterum leonem Getúlum, olentem, edentulum.
Iam adſtiti in currum: jam lora teneo: jam ſtimulum in manu eſt.
Agite equi, facitote ſonitus ungularum appareant
Curſu celeri; facite inflexa ſit pedum pernicitas.
SE. Mihin' equis junctis minare? ME. ecce Apollo denuò
Me jubes facere impetum in eum qui ſtat, atque occidere.
Sed quis hic eſt, qui me capillo hinc de curru deripit?
Imperium tuum demutat atque dictum Apollinis.
SE. Heu hercle morbum acrem ac durum! dij voſtrum fidem,
Vel hic qui inſanit, quam valuit paulo prius!
Et derepentè tantus morbus incidit.
Ibo atque arceſſam medicum jam quantum poteſt.

VERSVS hujus Sc, ſunt numeris confuſis. Mercerus omnes ait conſtare ex primo pede, qui jambus aut ſpondæus, dein ex tribus creticis, & ſyllaba quæ claudit verſum. verè.

1. HOC] Ita MSS. Alii, *huic*. ſcil. vel ætati, vel filiæ. At Grut. *facto* tribuit: etſi MSS. *hoc* leg.

4. CONSITVS SVM SENECTVTETE] Ita Ter. Eun. act. 2. 1. *annis obſitus*. V. 8. Æn.
——*ibat rex obſitus ævo*.
Ennius, *obſita tenebris loca*. Catullus:
Cæcà mentis caligine Theſeum Conſitum
Lucr. lib. 2. *Sol lumine conſerit arva*, i. complet. Vide Non. & Turnebum lib. 24. cap. 40. ubi docet, *Obſitum* pro pleno uſurpatum antiquis: eò, quòd locus frugibus obſitus aut ſentibus; iis plenus ſit.

5. ONVSTVM OBRO CORPVS] Duo ſunt hæc onera: nam & corpus hîc Senex gerit; & corporis onus, ſenectutem, ſive annos. Mercat. act. 4. 1.
——*quin is ocius?*
ST. Nequeo mecaſtor: tantum hoc oneris eſt, quod fero.
DOR. Quid oneris? ST. annos octoginta & quatuor.
Sic Cic. *ſenectutem onus Ætnâ gravius* dicit.

6. UT Æ. MALA MERX MALA EST TERGO] ita ed. ipſius Antiq. lect. lib. 2. 13. ac Turn. lib. 17. 21. *tergo*] acutè. Certè Edd. primæ & principes; *Vt ætas mala eſt mors* (vel *merx*) *mala eſt ergo. mala ætas*, i. ſenectus, gravis & oneroſa eſt, nec minus tergo noſtro ponderoſa, quam bajuli dorſo grave pondus. τὸ *mala* autem geminandum, etiam Turnebus innuit: & colligitur è Nonio, qui bis ita citat & placet J. Gulielmio: cum & vett. edd. geminent. *Mala ætas*, pro ſenectute, uſitatum: & *mala merx*, pro homine aut re nihili. Pſeud. act. 4. 1. In MSS. eſt, *Ut ætas mala eſt merx mala ergo ſt*. Mercerus ad Nonium in *Senio*, ſequitur mſſ. in quibus, *ut ætas mala eſt, merx mala eſt ergo*...t velit auctor, ſicuti ſenectus, ætas mala dicitur, ita eſſe etiam malam mercem.

9. CORDE DVRA EST] ita ferè MSS. Cam. ſec. & vett. ed. & placet Grutero. J. Gul. *Sed acris mihi in p. a. c. cura eſt*.

11. Mɛ, ᴠᴛ] ita MSS: ſed J. Gul. ſuſpicatur leg. *expetit me ad ſeſe à me ut irem. A me*, i. domo meâ. Sic Cic. *divertit Clodius ad ſe in Albanum*. Idem: *à nobis diſceſſi*, i. domo noſtrâ. *Ad ſe*, i. in villam ſuam. Vide ipſum, cap. 3.

19. QVOAD P.] ita MSS. pr.

21. NISI AVT QVID] Sic MSS. nam vett. edd. *aliquid*. non malè.

25. MVL. IBO ADVORSVM. SALVE] Ita J. Gul. ordinat. Filia enim officii ſui memor patri obviam procedit: tum ſalutat. nam ita ſolebant parentibus natæ, aut propinquæ honoratiori cognato. ut Sticho: *Ferre advorſum hominem occupemus oſculum. Salve mi pater*. V. N. Amph. 2. 2. reſcriptum autem *ſalven'* ſine diphthongo; ſuadentibus libris & Donato ad Ter. Eun. 5. 6. Videatur Briſſonius lib. 8. de formulis. & Trin. 5. 2. verſu 51.

27. DESTITIT] ita MSS. & vett. ed.

28. VELITATI] V. N. Rud. 2. 6.

28. INTER VOS DVOS] Mercerus reſcribendum cenſet cum Nonio, *duo*.

29. NON LONGOS LOGOS] ſc. fa ias. *Logi ſunt ſermones, vel dicta ridicula & contemnenda*: Nonius. Utitur & Ter. Phor. act. 3. 2. & Cicero.

sero. *Logi* enim, ut ait Palm. vocabulo pane jam ut vernaculo utebantur Romani: & *logos* in nugis, tanquam suam vocem dicebant, qui & Propert. lib. 1. el. 16. *tritalogum*, ut *aretalogum*, voce hybrida, qui tritas illas nugas loqueretur, dixisse autumat. Vide & Proverb. *Λογοδιάρροια*, verborum non concoctorum proluvies.

33. CUI ME MANDAVISTI, VIRO] cui me in matrimonium collocasti, cujusque fidei me commisisti. Multis hic se diffundit Lamb.

37. MU. NISI NON VIS.] ita Personas Grut. ordinavit.

40. ATQ. OB ISTAM INDUSTRIAM] quam adhibes in observando viro. Ita autem MSS.

45. DARE UNA ILLI OPERA P.] ita vett. cod. *unâ illi op.* quod & numeri requirunt.

45. PENSUM] *Pensum*, inquit Isidorus lib. 19. cap. 29. à *pendendo* dictum. obscurè. lanam scilicet appendebant ancillis heræ, quam eodem pondere redderent in filo deductis burrhis & quisquiliis. Titinnius: *Date pensam lanam: qui non reddet tempori Putatam rectè, facilè ut mulctetur malo.* Proper. 3. el. 6. *tristes sua pensa ministræ carpebant.* ibi Passerat.

46. LANAM CARERE] ita vett. edd. neque aliter citat lib. 6. de Ling. Lat. Varro: *Carere* à carendo: quòd lanam tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitiâ. ex quo tum *carminari* dicitur lana, cum caret eo, quod in eâ est nequam. *Carere*, a *caro*, *is*, *it*: quod sine dubio, ut ait Scalig. est a Gr. *κείρειν*, tondere, ἔκειρον: non, ut Varro. unde & *Carduus* (Grempelkamp, Kurten.) quia aptus carendæ lanæ & *Carmen* instrumentum ferreum ad carendum lanam. Lucr. 4.

——*quasi carmine lana trahatur.*

à quo verbum *carminare*: infrà act. 5. 8. Aliud *carmen* à canendo, aliud *carmen* a carendo, &c. Scal. ad Varr. & Tibul. Atque ita hic legunt etiam Tur. Lamb. Lips. Douza, non, *carpere*: quod tamen in MSS. Pall.

48. HINC STAS, ILLINC CAUSSAM DICIS] MSS. *illim*. à meâ parte stas; pro illo caussam dicis. V. N. Cas. act. 3. 3. Hoc Siberus uno verbo ait esse, *prævaricari*.

51. RECTE PRÆHIBERT] Ita quædam edd. & ita videtur fuisse in MS. pr. quod placet & Meursio. Veteres *Præbibere*, dicebant, quod posteriores per concisionem, *Præbere*. In aliis est, *perhibet*. in Ald. & Cam. *præbet*.

51. MELIUS SANAM] Gruterus: *melius sanam est, mulier, mentem s.* ita uterque MSS. & vox ea sic exarata turbas dedit. Amph. act. 5. 1. v. 31. loco *saccam* aut *sartam*. quam scripturam manasse arbitror, quod scribæ virgulam superjacentem putarent esse *m*. Simile mea opinione evenit *thensauro*, *prægnanti*, *totiens*, *vicensies* &c.

52. EX ARCIS MODO] J. Gul. *ex arcis domo*.

53. CLAM ME AD] ita Grut. è vestigiis MSS. nec abiit olim J. Gulielm.

57. ATQUI ALLOQUAR] Nescio an non reponendum sit *eloquar*, quod in Edd. vett. nam & ei alludunt MSS. in quibus *ad quem loquar*; ut *m* natum sit è virgula superjacente quæ indicaret syllabam productam.

58. DISSERTATIS] ita MSS. sed J. Gul. Nihil ▬ lites, *dissertare*: eâ re malim, *desertatis*: aptius certe huic sententiæ. Colv. *disceptatis*. Neuter benè, ait Meursius. Certo certius est scripsisse Comicum, *quod vos dissentatis*. Veteres enim proferebant, *dissentare*, *dissentire*: quâ formâ *Assentare*, *assentiri* &c. inde *dissentaneum*. item *Consentare*, *consentire*: unde *consentaneum*.

59. QUID TU TRIST.] MSS. *Quid tutrixes?* fortè, *Quid tu trux es?* Grut.

B 59. DESTITUIS?] solam relinquis? Ita autem MSS. & omn. ed. tamen D. F. malit: *Quid illa autem irata abs te destitis?* ut suprà. Sed non probo. quamvis id in editione sua ostentet Pareus, ut & supra *desertatis*. Amant hoc verbum in istâ re veteres. Livius lib. 2. de Mutio Scævolâ: *Ante tribunal regis destitutus*. Grachus: *palam in foro destitutus*. Poeta V. *ita me destituit nudum*.

61. JOVEM DEOSQ. DETESTOR] *Detestari* veteres pro *testari* usi sunt. & *De* auget Virgil. 4. Æn. *Testor, cara, deos* &c *Testari* autem *deos*, significat testes deos citare nostri sermonis. Ant. August. JC. In MSS. à primâ manu est, *detestes*. unde conjecit Grut. *deo testes*. haud dubiè verum. quod ipsum in editionem suam recepit Pareus; & valde impudenter, se eam lectionem eruisse jactat: adhucque impudentius asserit esse verissimam. impudentissimè verò versu seq. tacet, de illo, *neque quod me arguit*, quod est in utraq; ejus editione, directe contra MSS. & Edd. vett.

61. AUT CUIUS REI, R.] MSS. & edd.

63. DELIRAT] Debemus istud Camerario. prius enim *delirat*: quod delirè tamen editione suâ primâ servat Pareus, magisque

delirè mutavit in *delurat* editione secundâ, tanquam antiquum. ad corvos talis antiquitas! *delirat*, heic omninò locum habere nequit vel versûs caussâ. est quidem à manu primâ in utroque Pall. *delurat*, sed pr. id rectè mutavit in *dejurat*, quod etiam respuit trochaicus. itaque acquiescamus emendationi Camerarianæ, cui nemo adhuc mortalium cõtroversiã movit, quàm hic noster truncus.

64. PENETRAVI PEDEM] τὸ *pedem* nec in MSS. est nec in edd. ante Aldum.

66. SANUN' ES] Ita MSS. & Edd. omnes vett.

68. HABITARE MED IN ILLISCE ÆDIBUS] Sic reposui suasu MS. sec. in quo *metdin.* de quâ scripturâ nihil tamen monet ille e-millitiis oculis corrector Thamyras.

69. VERÒ. MU. NIMIO HÆC IMPUDENTER NEGAS] Sic cum sensu aliquo nobis isthæc concinnavit Camerarius; cùm prius legeretur, *vero. immo occludere negem.* ita enim vetustissimæ edd. nam Aldi & sequaces ejus; *verò immò si non hac eludere neget.* MS. seq. præfert, *immò hec eludere neges.* pr. verò, *inmo hec eludere negas.* ex quo nimis quam insubidè Pareus finxit. *imò hacce ludicrè negas.* hancque suam prolem illicò in contextum retulit cum insectatione Camerarii, sui verò præconio tali: Ita genuinè hunc locum restituo ex MSS. Pall. Apage hanc restitutionem genuinam! apage! Plautum corrumpere solùm nosti: restitutio ejus, alteri debetur cui ingenium, cui judicium, cui experientia; quorum omnium egentissimus es, ideoque vix aptus mundandis sellis Patroclianis.

91. QUEM IN LOCUM, AUT OB REM,] ita MS. secundus: primus, *aut rem.* Vett. edd. *aut quamobrem.* Verùm enim verò J. Gul. & Douza, & Acid. leg. ——*quem in locum autem Obs.* De Particulâ *autem* V. N. Merc. I. 2. Sed Grut. non probat. Acidalius distinguit:

——*SE. nimio hac impudenter negas.*
Nisi quò nocte hâc emigrasti. concede hâc filia.
Quid tu ais? num hinc emigrasti? MU. quem in locum, aut ob rem, obsecro?

Sed certè histrio aliquis ingeniosior vulgatum etiam nostrum tueri & probare spectaculo possit.

72. SE. NON TU TE TENES?] ita Grut. ex MSS. & edd. divisim scribit *tute.* Jubet enim, inquit, tacere ac quiescere filiam Senex: ipse solus scilicet seriò opus exsecuturus: *Tene te*, i. abstine, cohibe. Cas. act. 3. 2. *Vix teneor, quin quæ decent te, dicam.* Cæteros satageos non sollicito in re planâ.

74. QUID FECI EGO!] Est à Camer. priores: *quid nocui.* at primitùs cusi nihil horum habent, ut nec MSS. nostri. desinunt, inquam in, *quis tu homo es?*

76. VIDEN' TU ILLI OCULOS VIRERE?] Flamma dicitur *virere*, quæ est acris & valida, inquit Lamb. ut apud Hor. Epod. 17. *virens in Ætnâ flamma.* Sic & hominis insani, aut irati, oculi non ineptè dicuntur *virere*, hoc est, flammæ virentis instar flagrare, & ut continuo loquitur, *scintillare.* Sed enim hæc Lambini non probat Gruterus: nec ipsi ullus Auctorum sic videtur locutus, nisi revera talis, qualem se hic fingit Menæchmus. Cam. leg. *viere*, i. flecti & distorqueri. Elmenhorstio placet. ed. Parmens. *urier.* lib. I. observ. in Arnobium. sed alteram lect. firmant sequentia: *ut viridis exoritur color Ex temp.* &c. Ad quæ ita Turneb. lib. 18. cap. 15. *Viridis* hîc *color* subluteus est: quod argumentum est bilis in oculis, qui per iram & furorem flagrare & scintillare videntur: χλωρὸν Gr. vocant: quod & viride & subluteum significat: quam vocem viridi colore exprimere voluit Plautus. Meurs. leg. *ut luridus exoritur color.* Antiquè, pro, *luridus.* Nam veteribus secundam & tertiam declinationem, ut & conjugationem, confundere nimis quàm solens. Vult autem mulier dicere, eum melancholicum esse & insanum: quod ex responsione Menæchmi liquet. Fundus verò emendationi huic geminus locus Capt. act. 3. 4.

Viden tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem.

MSS. *colos*; item *mrere*; ut & *virere*, & *jurere*, esse possit.

77. UT OCULI SCINT. VIDE.] Acidal. pertendit, ab hoc continuò excipi debere illum 90. *ME. Hei mihi! insanire me ajunt, ultrò cum ipsi insaniunt.* nec mora, sic intulit editioni suæ Pareus.

80. VT PANDICVLANS OSCITATVR!] Festus: *Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenduntur: eò quòd pandi fiunt.* Jam, *oscitatio* est, oris citatio & diductio. Glossar. *Oscitatur χασμᾶται.* A

81. QVAM POTES] MS. pr. initio, *potest.* nam dum fidem heic aliorum sugillat Pareus, aut verè insanit, aut manifesto mentitur. Sanè MS. sec. habet *potes*, ut & editio omnis, sed & in MS. pr. ultima litera puncto subnotata est in *potest.* quei legeretur scilicet *potes.*

82. EVOE, EVIE BR.] Quia Menæchmus se furere & bacchari simulat, usurpat vocabula, quibus bacchantes utebantur. *Evoi*, interjectio est ὀργιαστική, εὐοῖ. *Evius* & *Bromius* sunt Bacchi nomina. *Ex* L. Primæ edd. habent; *Euhoe atque heu Bromie.* seqq. *Euhoe atque heu Br.* MS. pr. initio habuit *Eum atque heu Bromie*, emendatumque *Heu atque heu*, nequis fortè credat Pareo, aliter producenti. at sec. *Eubi atque heu Bromie.* nostra hæc extat in Lamb. nam Cam. *Evoe atque heu Bromie*, proximè ad MSS. cui voluere, *Euhoi atque heu Br.*

83. AMPLIVS. ME. ENIMV.] ita Palm. & Acid. interpungunt.

85. HIRCVS ALIVS] Palm. leg. *hircus salius.* Et *hircum salium* accipit, ut *equum admissarium*: qui capras saliat. qui saliunt hirci, fœdissimi sunt odoris; magis etiam, si vetuli: & hoc voluisse ait Plautum. ut igitur Most. act. I. I. *Capra commista*; ita hic, *hircus salius.* & v. istud Palmerianum videtur in utraque editione Parei, qui insuper vult, ita omnino voluisse MSS. in quibus, *Post te autem illi circo salus.* quid dicis lector itanè volunt?

89. PERII, MI PATER] Ita omnis editio ante Pareanam. ea enim *Perii mihi! Pater*, ò venustatem MSS.torum!

89. OCULOS EXVRERE.] Electa Parei hinc eliquant, titulo *Suppliciorum*: Maleficis oculos exurebant. Quibusnam obsecro? nam quomodo socer Menæchmi inter tales? Scilicet quidquid seriò insani, aut simulantes insaniam, minantur aliis per furorem iracundiæ, Pareo vera est historia, imò mos, imò lex. ò profundam sapientiam!

91. FILIA, HEVS! MV, QVID] ita MSS. non, *hem.*

95. PVGNIS ME VETAS, &c.] Hæc iterum clarè loquitur: ut eos terreat. Vetasnè, ò Apollo, me quicquam meis pugnis in hujus mulieris ore arcere? MSS. *votas*, quo editionem suam illustravit Pareus.

97. QVANT. POTES] MS. pr. *potest.* falsoque Pareus eò quoque trahit secundum.

100. NVNC HVNC IMPVRISS.] scil. amovebo. Acidal. notat, in vet. cod. legi, *nunc hunc ego perimam imp.* imò potius versui consulatur, iteratione, *nunc nunc nunc i.*

101. TREMVLVM TITANVM] Ita MSS. Titan, *Titanos*: ex hoc Genitivo factus est nominativus *Titanus*: ut in ἐλέφας, ἐλέφαντος, *hic elephantus*: & aliis multis: ut docet Prisc. lib. 6. *Titanes* finguntur Terræ & Cæli fuisse filii, qui Jovem regno præcipitare conati sint. Hinc & *Titani* à Cic. l. 3. De Leg. appellantur homines sævo ingenio, diis hominibusque adversi. Et proverb. *Titanicus adspectus*, pro torvo & tetrico. Et, *Titanibus*, &, *Chrono antiquiores.* Jam verò Cygno prognatum patre dicit, (ut ait Lamb.) propterea, quòd cano capite esset. Plures autem fuerunt Cygni. unus, Martis filius: alter, Neptuni: tertius, Ligurum rex, propinquus Phaetontis. B Meursius, Extra controversiam, inquit, vera est conjectura mea, *tremulum*, *Tithonum*. Nam conviciatur Seni Menæchmus, cùmque per convicium *Tithonum* nominat. Aristophanes, ἄνδρας τιθωνοὺς σπαράττων, καὶ ἐπιφάττων καὶ κυκῶν. Notum item Proverb. Τιθώνου γῆρας: & Satira Varronis, *Tithonus*, περὶ γήρως.

101. CYGNO PROGNATVM P.] ita MSS. quos tamen mutilatè repræsentat editio Parei, omissa voce *patre.* Sed J. Palm. l. è MS. Berchemi: *Cygno qui cluet patre.* Vt autem, inquit, *cluet*, pro *dicitur*, *celebratur*; ita *audit* quoque Catullus:

Audit falsiparens Amphitrioniades,

i. dicitur. Sed & Colerus è Prisciano antiquissimo & Constantinopoli olim scripto lib. 6. (qui penes Rittershus. est) ubi legitur, *Cygno qui lucet patre*, quomodo item edd. principes; emendat, *Cygno qui cluet patre.* Ita Terentianus:

Et qui venustâ præcluent Comœdiâ.

unde Martianus, *Præcluis* pro nobili & claro. Idem & Meurs. conjecerat in illo Plauti. &

vero vix est ut retineri debeat illud *prognatum*, glossema manifestarium illius *cluet*. A

102. ARTVA] pro *artus*.

105. HVNC SENEM EXOSSIABO DEIN DEDOLABO ASSVLATIM VISCERA] Repræsentavi scripturam receptam, ex quo sua edidit Camerarius. nam Aldus & traduces ejus; *hunc senem exossim reddam. dedolabo ass. visc.* primæ vero edd. h. *Senem exossem. nisi dedol ass. visc.* MSS. ambo *hunc Senem osse fini dedolabo ass. visc.* quod Oraculum antiquitatis ita exsinuat Pareus, ut ediderit, veluti auctoris planè legitimum. *hunc Senem ossetim dedolabo; & assulatim viscera*. quis enim, inquit, non videt, illud *fini* derivatum ex *tim*? Omnes omnes scilicet qui nihil vident. Sed audiamus explicationem Vatis nostri: Est autem *ossetim dedolare*, idem quod alibi noster Trucul. 2. 7. ver. 60. ait *offatim conficere*. ut ab *offa* factum *offatim*; ita ex *osse* fit *ossetim*. O acumen Pareanum! applicet modò rei propositæ, & virum dicam. Sed quis unquam audivit monstrum illud derivationis? *ex osse fit ossetim*. hæc haram, hæc stabulum, hæc pistrinum olent, non Grammaticum. eò te recipe mi Paree! ibi vides, ibi audis, ibi quidvis esse potes, velut in Prytaneo, tibi propriè destinato. B

106. ASSVLATIM] V. N. Merc. act. 1. 2.

110. IN CVRRVM INSC.] ita MSS. Cam.

111. LEONEM VETVLVM] Edd. omnes *Getulum*, quod versus rejicit, itaque cum MSS. tantum habeant *etulum*, secutus sum conjecturam Gulielmii, quam frustra Pareus suæ facit cortinæ: dudum prostitit. Jam de leonis halitu Plin. lib. 11. 53. hoc scribit: *Anima leonis virus grave: ursi pestilens*, &c. V. N. 1. 2.

112. JAM ADSTITI] ita Grut. è MSS.

112. STIMVLVM] Utroque gen. veteres dixerunt, & Masc. & Neutro.

112. IN MANV EST] ita MSS. Sed Vett. cod. Meursii, *in manum est*.

113. SONITVS UNG. APPAREANT] tralatè. sonitus enim non cernuntur aut apparent, sed audiuntur.

114. INFLEXA SIT P.] ita Douza: sensu facili & eleganti. pedum pernicitas enim, nisi inflexa sit, celeri curriculo esse non potest. Vulg. & veteres etiam, *inflexu*: Lamb. *in flexu*.

117. QVI ME CAPILLO HINC DE CVRRV DERIPIT.] Allusum ad Palladem Homericam, quæ Achillem capillis à pugnâ revocavit.

117. DERIPIT.] *Deripere*, est deorsum rapere & detrahere. *Diripere*, diversè & in varias partes rapere, ut fit in expugnationibus urbium: *Popma*.

118. ATQVE DICTVM] ita MSS. quod germanum censeo: quia de Apolline sermo, qui *fatidicus*: cujus & oraculum *dictio* olim nuncupata. Pacuvius: *Flexa, non falsa, autumare dictio Delphis solet*. Ait, tortuosa & obliqua esse oracula, non mendacia: unde & Apollo λοξίας. Accius, apud Herenn. lib. 2.

Apertè fatur dictio, si intelligas.

Et alioqui *Dicta* interdum jussa sunt: unde *Dictator*, & *dicto-audientes*: de quîs Varro lib. 4. & 5. de L. L. Editi prius *edictum*.

B 118. APOLLINIS] Vocandi casus ἀρχαϊκῶς; ut illa nominandi casu, *fulminis*, *vulturis*. Ennius: *Vulturis in silvis miserum mandebat hemonem*: auctoribus quidem J. Gul. & A. Popmâ. Sed, quid si, *suum dictum Apollinis*, eâdem formâ diceretur, quâ illud apud Auson.

——*suum Samii Lucumonis acumen.*

aut Flacci 1. Sat. 4.

——*cùm mea nemo*

Scripta legat vulgò recitare timentis——

aut denique Cic. 2. Philipp. *Tuum hominis simplicis pectus vidimus*. Quod quidem Joh. Neubauero Pegnicensi Franco, juveni eruditiss. unicè rectum videbatur.

120. QVI INSANIT, QVAM VALVIT] *Valere* & *insanire* opponuntur hic inter se. ut apud Gr. ὑγιαίνειν, & μαίνεσθαι: sic Sc. seq. *ut validus insaniam*. L.

ACTUS

ACTUS V. SCENA III.

MENÆCHMUS, SENEX.

IAMNE isti abierunt, quæso, ex conspectu meo,
Qui me vi cogunt, ut validus insaniam?
Quid cesso abire ad navem, dum salvo licet?
Vosque omnes quæso, si senex revenerit,
Ne me indicetis, qua platea hinc aufugerim.
SE. Lumbi sedendo, oculi exspectando dolent,
Manendo medicum; dum se ex opere recipiat.
Odiosus tandem vix ab ægrotis venit.
Ait se obligasse crus fractum Æsculapio,
Apollini autem brachium. nunc cogito,
Utrum me dicam ducere medicum, an fabrum.
Atque eccum incedit. move formicinum gradum.

LUMBI SEDENDO, OCULI] Alii, *oculique*. Sed J.C. Scal. l.6. Poet. illud *que* non agnoscit: neque sex edit. meæ. Sanè MSS. leg. *ocul. expect. d.* ut & vett. ed.

7. DUM SE EX OPERE] Seneca lib. 6. c. 36. De benef. *Gravissima infamia est medici, opus quærere.* ut scil. aut ægri, aut magis ægri sint. Quod tamen vulgò medicis lepidè objicit, & subsannat Philemon:

Τίς ἐστιν οὗτος; ἰατρός. ὡς κακῶς ἔχει
Ἅπας ἰατρός, ἂν κακῶς μηδεὶς ἔχῃ.

Quis iste porro? medicus. ô quàm sese habet
Medicus malè omnis, nemo si malè sese habet!

8. ODIOSUS T.] Heinsius l. *Ociosus t.* ut Rud. act. 4: 5. Pareus isto ex loco generale quid eruit in Electis: Medici, inquit, plerumque arrogantes. plerumque enim nimis morantur, ut magis ægrotos inveniant. Egregia laus Æsculapidarum! nam primùm manifesti arguuntur perjurii, deinde audiunt ea in se dici, quæ aversatur & ratio & experientia omnis. Imò nulla major Medicorum querela, quàm serius ferè advocari se ad ægros *cum mala per longas invaluere moras.* Sed libuit Agyrtæ nostro delegere animum suum, quid sentiat scilicet de ipsis universis. absurdè tamen quamvis unum alterumve talem fortè fuisset expertus.

9. OBLIGASSE CRUS FRACT. ÆSCULAPIO, &c.] Argutatur senex, & ludit in ambiguitate nominum *Æsculapii* & *Apollinis*, quæ tàm pro diis ipsis, quam pro statuis eorum accipi possunt. Si enim statuas restituit, faber fuerit, non medicus. Sin autem ipsis diis medicinam fecit, præstantissimus sit oportet. Ideò dicit senex, se dubitare, utrum medicum ducat an fabrum. *Pistoris.*

12. MOVE FORMICINUM GRADUM.] ita MSS. & mei Codd. quod probat Schoppius. Ut sic inclamet medicum, & ad celerandum hortetur. Et sic etiam legi Pediæ satisfiet. Cæterùm formicarum gradus minutissimus est ac spississimus, atque ideò tardus. Multum quidem movent, sed parum promovent. Pari formâ dixisse Catullum Carm. 39. *incèdere myrmicè*, Muretus adserit: item Douza, qui è Martial. apponit. *Crusculum formicæ*, in Præcid. Catul. cap. 7. Quanquam Scalig. in Catullo legit, *rythmicè* vel certè, *mimicè*.

ACTUS V. SCENA IV.

MEDICVS, SENEX.

QVID esset illi morbi dixeras? narra senex.
Num larüatus, aut cerritus? fac sciam.
Num eum veternus, aut aqua intercus tenet?
SE. Quin eâ te caussâ duco, ut id dicas mihi,
Atque illum ut sanum facias. ME. perfacile id quidem est.
Sanum futurum, meâ ego id promitto fide.
SE. Magnâ cum curâ ego illum curari volo.
ME. Quin suspirabo plus sexcenties in die:
Ita ego illum cum curâ magnâ curabo tibi.
SE. Atque eccum ipsum hominem. ME. observemus, quam rem agat.

QVID ESSET ILLI MORB.] ita MSS. & A mei omn. *Quid esset illi morbi d.* Iidem MSS. & Edd. in seq. versu delent, *est ille.* rectè, Gruteri judicio. nam *larüatus* est quattuor syllabarum. Sic in Priapeis,

Pallorem maciemque larüalem:

etsi ibi *larbialem* malit Turn. lib. 13. cap. 22. Festus: *Larbati, sunt furiosi & mente moti: quasi larbis & spectris exterriti.* De *Cerritu*, V. N. Amph. 2:2.

V. 8. QVIN SVSPIRABO PLVS SEXCENTIES IN DIE.] Hanc veram esse lectionem, multis B argumentis docet Lambinus. Quæ tamen Acidalius omnia, se judice, conterit; & sic rescribit:

Quin suspirabo plus sexcenties: ita
Ego illum cum curâ m.

Camerarius edidit: *plus sescentos in dies.* cujus tamen MSS. præferunt *sescenta indies.* quod secutus Pareus, nec reddit caussam tamen: tanquam scilicet peditus omnis membranarum thus oleret ac rosam.

9. ITA EGO ILL. CVM CVRA MAGNA C. T.] Sic MSS. & vett. edd. probatque Gruterus, nec respuit versus. Et repetere cum aliis verbis Senis hoc quoque Medicus ex decoro debebat. Sententia autem est, auctore Lambino, & jocus ex ambiguo, in verbo *Curare*, quod interdum θεραπεύειν significat; quo modo Senex vult intelligi: interdum curâ aliquâ angi & sollicitari; quo modo Medicus accipit. Vel est potiùs ambiguum in voce *cura*, quæ & angorem animi, & industriam significat: atque hoc modo Senex capit; illo Medicus: quod declarat ejus responsio: nam, inquit, ut intelligas, me curâ magnâ generum tuum curaturum, ego suspiria altè petam plus sexcenta in die.

10. Q. REM AGAT.] ita MSS. etsi versus respuere videatur. qui tamen sanus erit, si pepercerimus elisionibus. editi tamen ad unum omnes *gerat*, quorum consensus non spernendus.

ACTUS V. SCENA V.

MENÆCHMUS surreptus, SENEX, MEDICUS.

EDEPOL ne hic dies perversus atque adversus mihi obtigit:
Quæ me clam ratus sum facere, ea omnia fecit palàm
Parasitus, qui me complevit flagitii & formidinis:

Meus

Meus Ulysses, suo qui regi tantum concivit mali.
Quem ego hominem, si quidem vivo, vitâ devolvam suâ.
Sed ego stultus sum, qui illius esse dico, quæ mea sit.
Meo cibo & sumtu educatus est: anima privabo virum.
Condignè autem hæc meretrix fecit, ut mos est meretricius.
Quia rogo pallam, ut referatur rursum ad uxorem meam,
Mihi se ait dedisse. heu edepol, næ ego homo vivo miser!
SE. Audin' quæ loquitur? MED. se miserum prædicat. SE. adeas velim.
MED. Salvus sis, Menæchme. quæso cur apertas brachium?
Non tu scis, quantum isti morbo nunc tuo facias mali.
MEN. Quin tu te suspendis? MED. ecquid sentis? MEN. quid ni sentiam?
MED. Non potest hæc res ellebori jugere obtinerier.
Sed quid ais, Menæchme? MEN. quid vis? MED. dic mihi hoc, quod te rogo;
Album, an atrum vinum potas? MEN. quin tu is in malam crucem.
SE. Iam hercle occeptat insanire primulum. MEN. quin tu me interrogas,
Purpureum panem, an puniceum soleam ego esse, an luteum?
Soleámne esse avis squamosas, piscis pennatos? SE. Papæ,
Audin' tu, ut deliramenta loquitur? quid cessas dare
Potionis aliquid, priusquam percipit insania?
MED. Mane modo: etiam percontabor. SE. aliâ occidis fabulâ.
MED. Dic mihi hoc: solent tibi unquam oculi duri fieri?
MEN. Quid? tu me locustam censes esse, homo ignavissime?
MED. Dic mihi: en unquam tibi intestina crepant, quod sentias?
MEN. Ubi satur sum, nulla crepitant: quandò esurio, tum crepant.
MED. Hoc quidem edepol haud pro insanò verbum respondit mihi.
Perdormiscin' usque ad lucem? facilen' tu dormis curans?
MEN. Perdormisco, si resolvi argentum, cui debeo.
Qui te Juppiter dique omnes, percontator, perduint.
MED. Nunc homo insanire occeptat. de illis verbis cave tibi.
SE. Imò modestior nunc quidem est de verbis, præut dudum fuit.
Nam dudum uxorem suam esse ajebat rabiosam canem.
MEN. Quid ego dixi? SE. insanis, inquam. MEN. egóne? SE. tu istic, qui mihi
Etiam me junctis quadrigis minitatu's prosternere.
Egomet hæc te vidi facere, egomet hæc te arguo.
MEN. At ego te sacram coronam surripuisse scio Iovis.
Et ob eam rem in carcerem ted esse compactum scio.
Et postquam es emissus, cæsum virgis sub furcâ scio.
Tum patrem occidisse, & matrem vendidisse, etiam scio.
Satin' hæc pro sano maledicta maledictis respondeo?
SE. Obsecro hercle, medice, properè, quicquid facturus, face.
Non vides hominem insanire? MED. scin' quid facias optimum?
Ad me face uti deferatur. SE. itane censes? MED. quippini?

Ibi meo arbitratu potero curare hominem. SE. age ut lubet.
MED. Elleborum potabis faxo aliquos viginti dies.
MEN. At ego te pendentem fodiam stimulis triginta dies.
MED. I, arcesse homines, qui illunc ad me deferant. SE. quot sunt satis?
MED. Proinde, ut insanire video, quattuor: nihilo minus.
SE. Iam hic erunt. asserva tu isthunc, medice. MED. imò ego ibo domum,
Vt parentur, quibus paratis opus est. tu servos jube
Hunc ad me ferant. SE. jam ego illic faxo erit. MED. abeo. SE. vale.
MEN. Abijt socerus: abijt Medicus. nunc solus sum. pro Juppiter,
Quid illuc est, quòd me hic homines insanire prædicant!
Nam equidem postquam gnatus sum, nunquam ægrotavi unum diem.
Neque ego insanio, neque pugnas, neque ego lites cœpio.
Salvus salvos alios video: novi homines, alloquor.
An qui perperàm insanire me ajunt, ipsi insaniunt?
Quid ego nunc faciam? domum ire cupio: at uxor non sinit.
Huc autem nemo intromittit. nimis proventum est nequiter.
Hic ergò usque ad noctem: saltem, credo, intromittar domum.

VERSUS hujus Sc. sunt tetram. troch. catalect. A

V. 4. MEVS ULYSSES] quo utebar consiliario & administro, ut Agamemnon Ulysse ad Trojam.

5. VITA DEVOLVAM SVA] Bosius à Parcarum fusis aut stamine putat sumptum: quod confirmat & Virg. 4. Georg.

Carmine quo captæ, dum fusis mollia pensa
Devolvunt——MSS. ambo, *evolvam*. Passeratius videtur legisse *solvam* ad illud Propertii 2. el. 9: *atque hanc mihi solvite vitam.* qui consulatur & verò *solvam* restat in Edd. primis.

6. QVÆ MEA SIT.] quippe qui non suo, sed meo sumptu vivit. Ita autem MSS. & vett. edd. Vulgati, *est*. B

8. MOS EST MERETRICIVS.] ita vett. ed. & MS. sec. *meretricius*: quod est concinnius, Grutero teste. Vulg. *meretricibus*.

13. NVNC TVO F.] ita MSS. Vulg. *tute* versui officit.

14. ECQVID SENTIS?] Ridiculum est, ita Medicum rogare. & Menæchmus nimis molliter respondeat; si illud ab eo quæsitum. Quin tu personas ita restituas: *SE. ecquid sentis? MED. quidni sentiam? Non pot.* Acidal.

15. ELLEBORI IVGERE] Non potest hujus ægri sanitas tantâ ellebori copiâ obtineri, quanta ex ægri jugere meti potest. Simile Hor. illud 2. Sat. 3.

Danda est ellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

17. ALBVM AN ATRVM VINVM POTAS?] Non temerè hoc quærit Medicus. nam aliud vinum aliis ægris convenit. L.

19. PVRPVR. AN PVNIC. PAN.] *Purpur. panis* qui, diximus Casin. 2: 5. Cæterùm *Purpureus* color, est rubor nigricans: *Puniceus*, dilutior & floridior. Lucr. 2.

Purpura Pœniceusque color clarissimu' multo, &c.

Esse, i. edere.

22. PERCIPIT] i. penitus capit. Ter. Eu. *urbis odium me percipit.* ubi τὸ *per* αὐξητικὸν est. Pareus primâ ed. *percitus*.

23. SE. ALIA OCCIDIS FABVLA] ita disertè MS. pr. initiò. quod cur exclusum sit hactenus non video. Cam. edidit: *aliam occipis fabulam*. In MS. sec. est, *alia occidis falam*. vett. edd. *SE. occidis: fac jam.* quasi facto jam, non dicto opus sit. non minus eleganter. J. Douza malebat, *aliam occipisse fabulam*. vel etiam, *occipito*, vel *occipias*. Esse enim imperantis, ait: idque sensum ipsum non postulare solùm, verùm etiam efflagitare. At Mersius hunc totum locum, quem fœdè luxatum ait, ita restituere conatur:

MED. Ma-

MED. Mane modò. etiam percontabor alia. SE. occipias fabulam.
MED. Dic mihi hoc etiam. solent tibi unquam oculi duri fieri?
Dic mihi, an unquam tibi intestina crepant, quod sentias?
MEN. Quid? tu me locustam esse censes, homo ignavissime?
Ubi satur sum, nulla crepitant; quando esurio, tum crepant.
MED. Hoc quidem edep.
Acidalius ita:
——*etiam percontabor alia. SE. occidis fabulans.*

Cùm alia etiam percontari velle diceret Medicus, gravatur hoc Senex: &, occidis hominem, inquit, tuis fabulis: ad vulgi dictum fortè alludens, quo Medicus garrulus fertur alter ægroto morbus. Pareus utraq; editione pedibus ivit in Acidalii conjectaneum: adeo semper asello suus placet carduus.

24. OCULI DURI FIERI?] Ne hoc quidem temerè quærit Medicus. eorum, quos atra bilis vexat, corpora constat fieri extrinsecus duriora, propter atræ bilis naturam, quæ sicciss. & calidissima est: inprimis oculi, qui sunt texturâ præditi rarissimâ, partesque corporis sunt infirmissimæ. Vide L. & P. Vict. lib. 25. cap. 16. ubi hæc insaniæ signa ab Aristotele ait probari.

25. ME LOCUSTAM CENSES?] Locustæ cùm de insectorum genere sint, palpebris carent: idcircò duriss. sunt oculis. Arist. 2. de Part. Anim. & Plin. lib. 11:37. De Locustis qui tractarint, suggeret tibi G. Erhardus in Symbolis Petronianis, pag. 617.

26. EN UNQ. TIBI INTESTINA CREPANT.] ita MSS. & J. Gul. *En unquam*, vetustè: quod nos, *unquamne?* Eorum autem, quos atra bilis agitat, corpora esse flatuosa constat. Cas. act. 4: 3. *Mihi inanitate jamdudum intestina murmurant.* V. N. Cistell. act. 1: 1.

29. CURANS?] i. cum aliquâ curâ urgeris? *Curans* autem in MSS. & omnib. edd. est. quod alii in *cubans* mutarunt. Acidal. ad hanc faciem refinxit:
Perdormiscin'? MEN. usque ad lucem. MED. facilen' obdormis? MEN. cubans
Obdormisco, si resolvi arg. cui debeo.

A Ita duo interroget. Primùm: totamne noctem continuò dormiat, an somno intervigilet interrupto, aut diu vigilet abrupto. Deinde, an promptè, aut ægrè obdormiscat. Et fatetur, se vixdum lecto compositum incipere statim condormire, si curis argentariis sit liber.

31. QUI TE JUP.] ita Grut. l. cum MS. *Qui te Jup.* ut & mox, *occeptat.*

38. CORONAM SUR. SCIO IOVIS] quod Petilius quidam dicitur fecisse. V. N. Trin. 1: 2. rescripsi, *scio Iovis*, è vestigiis MS. sec. in quo *surrip. io Iovis.* liber enim ille sæpe illud *i* permutat *l.* & *scio* heic omnino requiritur, cùm ter rursus infra iteretur. Pareus jactat se emendasse locum, rescribendo: *coronam surr. aio Iovi*, idque in contextum retulit, ceu auctoris geminum germanum. Amet sua sine rivali!

40. CÆSUM VIRG.] Non enim ad mortem semper cæsi. Lips. de Cruce lib. 3. cap. 2.

42. SAT. HÆC PROS.] Cum in nonnullis edd. esset *hoc*: Acidalius f. *Satin' hoc pro sano? maledicta maledictis respondeo.*

47. ALIQUOS VIGINTI DIES] ita legere
B omn. MSS. Lambinus ait: & valere, *circiter viginti dies.* Varro l. 1. de Re Rust. c. 2. in extr. *Si velis in convivio multum bibere, cœnareque libenter, antè esse oportet brassicam crudam ex aceto, & pòst aliqua folia quinque.* ita & Bosius. Tamen J. C. Scalig. lib. 4: 34. Poet. agnoscit, *aliquot vig. d.* & ἔμφασιν vocat *Expletionis caussâ, &c.* vide. Etiam Acidalius pertendit verum esse, *aliquot hos vig.* quod tamen natum in officina Pii; cùm nostrum extaret in edd. antiqq. item MSS. Pall.

49. I, ARCESSE H.] ita MSS. à primâ manu.

49. HOMINES] *Homines* hic pro *servis* poni, ut & Mostell. act. 5: 1. autumat Douza F.

50. NIHILO MINUS] quattuor satis sunt: nihilo pauciores arcessi oportet. L.

52. TU SERVOS.] MSS. Pall. *tuos*, non male.

54. ABIIT SOCERUS] ita MSS. & edd. *Socerus.* Meursius pertendit scriptum fuisse, *socrus*: ut fuerit in vet. Cod. Priscianus lib. 6. *Vetustissimi communiter hic & hæc Socrus proferebant.* Actius in Atreo: *Simul & Pisæa præmia arrepta à socru possedit suo.*

Bbbbb 56. NAM

46. NAM EQVID.] ita MS. pr. versum inserit: qui tamen in sec. non apparet. & verò Pareus in prima editione præ se fert erutum illud à Schoppio atque Rittershusio; comparetq; in utraq; Taubmanniana jam annis quindecim: verum in sec. jactat, idem; *hunc versum è V.C. restituimus.* Itane vero? quid est impostura, si hæc non est! Et tamen hic talis, contra membranas, carmini isti alterum præponit: *Neq; ego insanio &c.*

57. CÆPIO] ita & Mediolan. ed. & Paris. & Aldi & Camer. at MSS. *cupio.* quod infeliciter revocat Pareus.

61. NIMIS PROVENTVM EST NEQVITER.] nimis mihi infeliciter res processit. Rud. 3: 5. *Equidem proveni nequiter multis modis.* Truc. 2: 4. *Cumque benè provenisti, gaudeo.* V. N. ibid. Palm. fol. 233.

62. HIC ERGO] Ita MSS. editionesq; primæ, & quæcunque secutæ sunt Camerarianam. mediæ aliquot, *Hic ero,* quibus adhæret Pareus: ita ad pejores usque inclinat fatuitas.

62. SALTEM, CREDO, INTROM. DOMVM.] si exclusus sum ab Erotio, saltem intromittar ab uxore. L.

ACTUS V. SCENA VI.

MESSENIO servus.

SPECTAMEN bono servo id est, qui rem herilem
Procurat, videt, collocat, cogitátque,
Ut absente hero rem heri diligenter
Tutetur, quàm si ipse assit, aut rectius.
Tergum quàm gulam, crura quàm ventrem oportet
Potiora esse, cui cor modestè situm est.
Recordetur id, qui nihili sunt, quid ijs pretij
Detur ab suis heris, ignavis, improbis
Viris; verbera, compedes, molæ, magna
Lassitudo, fames, frigus durum.
Hæc pretia sunt ignaviæ.
Id ego malè malum metuo. propterea bonum
Esse certum est, potius quàm malum. nam magis multo
Patior facilius verba. verbera ego odi.
Nimióque edo libentius mólitum, quàm
Molitum præhibeo. propterea heri imperium
Exsequor bene, & sedatè servio.
Atque id mihi prodest. alij sese ita ut in rem
Esse ducunt, sint: ego ita ero, ut me esse oportet:
Metum ut mihi adhibeam; culpam abstineam:
Hero ut omnibus in locis sim præstò.
" *SERVI, QVI culpâ carent, & metuunt; ij*
" *Solent esse heris utibiles. nam illi qui nihil*
" *Metuunt, postquam malum promeritum est, metuunt.*
Metuam haud multum. propè est, quando
Herus, quod strenuè faciam, pretium exsolvet.

Eo exemplo servio, tergi ut in rem esse arbitror.
Postquam in tabernam vasa & servos collocavi, ut jusserat,
Ita venio adversum. nunc fores pultabo, adesse ut me sciat.
Neque utrum ex hoc saltu damni salvum scio eliciam foras.
Sed metuo, ne sero veniam, depugnato prælio.

VErsus h. Sc. sunt trim. numeris confusis catalectici: unus dimeter acatal. & ultimi quinque tetram. cat. troch. ut & Scenæ seq. ad finem usque Fabulæ.

V. 1. SPECTAMEN BONO SERVO] δοκίμιον, probatio & experimentum boni servi. Constructio est, ut illa Mil. 3: 1. *Esset hic annona vilior.* Et potest videri respectum ad formulam antiquam, *Spectatus satis*, de servis. quo significabatur, diu & bene servisse. Terent. Ad. 5: 6. *Nam is mihi est profecto servus spectatus satis, Cui dominus curæ est &c.*

4. QVAM SI IPSE] subintellig. *æque*. quod & centies alibi factum. Lambinus hic nihil sani: Grut. in Priapeis:

Quæ succo caret atque petra pumex.

5. TERGVM QVAM GVLAM &c.] Oportet servum tergo suo potius, quam gulæ consulere; & cruribus potius quam ventri. Nam si officium negligat, futurum est, ut tergum quidem virgis cædatur, crura vero compedibus vinciantur. L.

6. CVI COR MODESTE SITVM EST, &c.] servus, cui animus modestè affectus est, recordetur, quid servis nequam mercedis à suis heris persolvatur: sc. verbera, comped. pistrina, ubi magna lassitudo &c. Vide L.

7. RECORDETVR] ita MSS. Cam. qui & v. seq. *Viri* servant, non, quod posuit Lamb. *Servi*. Grut.

13. MAGIS FACILIVS] pro, *magis facile*. V. N. Prolog. Pareus heic prima ed. tumultuanter obtrusit, *Patior facilius verba quam verbera.* ô intolerandam licentiam!

15. NIMIOQ. EDO LIB. &c.] nimio libentius edo, quod alii servi in pistrinâ misero labore moluerunt, quàm ego aliis id, quod molestè moluerim, edendum præbeo.

18. ALII SESE ITA VT IN] ita Gruterus, ductu MSS. in quibus *Aliis esse*, quod tamen tacet Pareus cùm sequatur emendationem.

20. METVM VT MIHI ADHIB.] quo scil. deterritus in officio maneam.

A 20. CVLPAM ABST.] ita MSS. ambo, à primâ quidem manu: *culpam abstin.* Cæterùm nescio quem *metum comitem* nugator Pylades, contra omnes codd. nobis fabricatus est. Et doleo, in contextum etiam à Vangion. relatum.

22. SERVI QVI CVLPA CARENT, ET METVVNT] ita planè MS. sec. cum vett. edd. In pr. fuit, *Servi, quicum &c.* sed postea deletum: ut & alibi turbatum. Similis sent. Most. act. 4: 1. Guntherus lib. 2. v. 33.

Mentis quippe bonæ proprium est agnoscere culpam,
Culpa ubi nulla subest.

24. POSTQVAM MALVM PROMERITVM EST &c.] *Promeritum* hic & passivè & in malam partem est positum, quod rarius; pro, *commeritum*. sic & Amph. act. 2: 1. Donatus: *Promeruit, est, adjuvit, profuit: cui contrarium est, commeruit.* Sententia est: Nam illi, qui nullo metu afficiuntur, neque metu deterriti à culpâ abstinent, postquam malum commeruerunt, tum denique metuunt. L. B edd. primæ; *priusquam*.

25. METVAM HAVD MVLTVM. PROPE EST QVANDO HERVS QVOD STRENVE FACIAM PRETIVM EXOLVET] Hæc lectio proximè accedit ad MSS. & edd. primas. ex namq;: *Metum haud multum prope est. quando cerusso faciam. precium, exolvet.* neq; aliter MSS. Pall. nisi quod ij *Metum aut.* Pius annotat pro illa monstrosa voce alibi scriptum, *strenuè*.

27. EO EXEMPLO] Minimè istud abit à MSS. & edd. vett. in quibus *Ego*. alii interjecerunt, *Ego hoc exemplo*.

27. TERGI VT IN REM] Ita edd. primæ & seqq. neque divertit MS. sec. in quo *tergr.* nam pr. *tergo*.

30. NEQ. VTRVM EX H. SALTV DAMNI] Dousa malit, *Neque ut eum ex h.* Et, *Saltus damni* sic dictum, ut *Montes mali.* Epid. act. 1: 1. & *montes mærorum*. Most. act. 2: 1. atq; alia talia apud hunc Comicum. Quò etiam referendum Proverb. illud è Casinâ:

Jam ego uno in saltu lepidè apros capiam
duos.

Nec tamen idem Douza negitat, ad obscenam illam, hoc est, malè ominatam civitatis Epidamni appellationem hoc etiam loco respicere Messenionem. Sanè hic versus variè turbatur. MSS. ambo,

Neque utrum ex hoc saltu damni salvom uteduo anfora.

Edd. Mediol. & Veneta:

Neq. meum ex hoc saltem damno alium eluo anfora

A Parisinâ:

Utque meum ex hoc saltem Epidamno album eluam amphora:

quomodo Sarracenus hariolabatur. Aldus totum versum omisit. Pareus etiam heic vires suas experitur, quas tanti facit, ut illud
B quod exstruxit in contextum retulerit: *salvum ut educam foras.* qualem architectonem!

31. NE SERO VENIAM] Vide Proverb. μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία, *post bellum suppetiæ.* Et, *Serò venisti.*

ACTUS V. SCENA VII.

SENEX, MENÆCHMUS surreptus, LORARII, MESSENIO servus.

PER ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum
Sapienter habeatis curæ, quæ imperavi atque impero,
Facite illic homo jam in medicinam ablatus sublimem siet,
Nisi quidem vos vestra crura aut latera nihili penditis.
Cave quisquam, quod illic minitetur, vostrum floccifecerit.
Quid statis? quid dubitatis? jam sublimem raptum oportuit.
Ego ibo ad medicum: præstò ero illic, cum venietis. MEN. *occidi.*
Quid hoc est negotij? quid illic homines ad me currunt, obsecro!
Quid vultis vos? quid quæritatis? quid me circumsistitis?
Quò rapitis me? quò fertis me? perij. obsecro vestram fidem:
Epidamnienses subvenite cives. quin me mittitis?
MES. *Prò di immortales, obsecro, quid ego oculis aspicio meis?*
Herum meum indignissimè nescio qui sublimem ferunt.
MEN. *Ecquis suppetias mihi audet ferre?* MES. *ego, here, audacissimè.*
O facinus malum & indignum, Epidamni cives, herum
Meum hic in pacato oppido
Luci deripier in via, qui liber ad vos venerit!
Mittite istunc. MEN. *obsecro te, quisquis es, operam ut des mihi,*
Neu sinas in me insignitè fieri tantam injuriam.
MES. *Imò & operam dabo, & defendam, & subvenibo sedulò:*
Nunquam te patiar perire: me perire est æquius.
Eripe oculum isti, ab humero qui te tenet, here, te obsecro.
Hisce ego jam sementem in ore faciam, pugnósque obseram.
Maxumo hodie malo hercle vostro istunc fertis. mittite.
MEN. *Teneo ego huic oculum.* MES. *face ut oculi locus in capite appareat.*

Vos scelesti, vos rapaces, vos pradones. LO. periimus.
Obsecro hercle! MES. mittite ergo. MEN. quid me vobis tactio est?
Pectepugnis MES. agite, abite, fugite hinc in malam crucem.
Hem tibi etiam, quia postremus cedis, hoc pramii feres.
Nimis autem bene ora commentavi, atque ex meâ sententiâ.
Edepol, here, ne tibi suppetias tempore adveni modò!
MEN. At tibi di semper, adolescens, quisquis es, faciant bene.
Nam absque ted esset, hodie nunquam ad Solem occasum viverem.
MES. Ergo edepol, si rectè facias, here, me mittas manu. (quid est?
MEN. Liberem ego te? MES. verum. quandoquidem, here, te servavi. MEN.
Adolescens, erras. MES. quid, erro? MEN. per Jovem adjuro patrem,
Me herum tuum non esse. MES. non taces? MEN. non mentior.
Nec meus servus unquam tale fecit, quale tu mihi.
MES. Sic sine igitur, si tuum negas me esse, abire liberum.
MEN. Meâ quidem hercle causâ liber esto, atque ito quò voles.
MES. Nempe jubes? MEN. jubeo hercle, si quid imperij est in te mihi.
MES. Salve mi patrone. SERVUS ALIUS. cùm tu liber es, Messenio,
Gaudeo. MES. credo hercle vobis. sed, patrone, te obsecro,
Ne minus imperes mihi, quàm cùm tuus servus fui.
Apud te habitabo, & quando ibis, unà tecum ibo domum.
MEN. Minimè. MES. nunc ibo in tabernam: vasa & argentum tibi
Referam. rectè est obsignatum in vidulo marsupium
Cum viatico, id tibi jam huc afferam. MEN. affer strenuè.
MES. Salvum tibi item ut mihi dedisti, redhibebo. hic me mane.
MEN. Nimia mira mihi quidem hodie exorta sunt multis modis.
Alij me negant eum esse qui sum, atque excludunt foras.
Etiam hic servum esse se meum ajebat, quem ego emisi manu.
Is ait se mihi allaturum cum argento marsupium:
Id si attulerit, dicam ut à me abeat liber quò volet:
Ne tum, quando sanus factus sit, à me argentum petat.
Socer & medicus me insanire ajebant. quid sit, mira sunt.
Hac nihilo mihi esse videntur secius, quàm somnia.
Nunc ibo intrò ad hanc meretricem: quanquam succenset mihi.
Si possum exorare ut pallam reddat, quam referam domum.

PER EGO V.] V. N. Bacchid. act. 4. 8.

2. SAP. HAB. CVRÆ; QVÆ IMP.] ita MSS. ambo. quibus adpinxit Aldus encliticam *que*. at superiores edd. tantum habent, *Sap. habeatis; utque imp.* quod mihi gemma videtur sermonis. *Sapienter habere alicujus imperium*, dictum quo modo, *Fortunam reverenter habe.* itaque suspectum mihi illud *curæ*, tanquam glossarii additamentum. A versui autem medeamur, repetitione syllabæ, *utque quæ imperavi.*

3. IN MEDICINAM] in Medici tabernam seu apothecam ἰατρεῖον. V. N Epid. 2. 2.

3. SVBLIMEM SIET] Jam primum revocatur lectio MSS. editionumque vett. hactenus ineptè *sublimis*, quod natum in officina Aldi. nihil usitatius bonis auctoribus hac figura.

14. CRURA AUT LATERA] nisi quidem vos vestra crura compedibus vinciri, aut latera virgis cædi velitis. *L.* Stultè autem Pareus edidit *nihil*, cum Pal. pr. cur non potius obtemperavit secundo? in quo *nihili*: quod & versus omnino desiderat, & omnis alioquin retinet editio.

16. MEUM HIC IN PACATO OPPIDO] Versus lepide suppleatur iteratione vocum: *Meum hic oppido in pacato! in pacato hic oppido.*

17. LUCI DERIPIER] Singula habent emphasin, *pacato opido: luci: in viâ: liber.*

18. MITTITE ISTUNC. ME.] ita Grut. è vestigiis MSS. prius editi *Mittitis? ME. nunc.*

23. PUGNOSQ. OBSERAM] Metaph. ab agriculturâ. ita Lucr. lib. 5. *serere vulnera.* Tacitus; *crebra pro portis prælia serebant.* Livius, *pugnamenter se consererent.* Alia metaphorâ Statius, *librare vulnera*, dixit, quasi librato & jacto telo inferre.

25. FACE UT OCULI L. IN CAP. APPAR.] fac ut oculus ei sit erutus: L.

28. PECTE PUGNIS] ita MSS. Utitur & Pœn. act. 1. 2. & Rud. 3. 2. *Pectere* est multare. hinc *depectere*, *circumpectere*, malum aut infortunium alteri dare. Terent. Heaut. *Depexere* & *Exornare* jungit. ——*adeò exornatum dabo, Adeò depexum* &c. *Circumpectere* etiam defraudare & circumvenire significat. Grut. Franci mei, Ich habn dapfer gekempt. Interim notandum, histriones istos serio malè mulctatos. deque eis Juvenal. Sat. 10. ——*ridere potest quis Mamercorum alapas. quanti sua vulnera vendant Quid refert?* carpit enim nobiles qui sua voluntate sipario se locant, & pulpita sponte conscendunt, personam qualemcumque sustinentes. ita & apud Ter. Adel. 2. 1. *pugnis male excipitur Sannio.* Martialis quoque 2. Ep. 72. *Os tibi percisum.* Tertull. de spectac. *contumeliis alaparum sic os objicit.* Behot. 3. Apophor. cap. 13.

30. BENE ORA COMMENTAVI.] Tractum videtur à statuarum fictoribus, qui crebris mallei ictibus statuarum figuras & oris lineamenta commentantur. Fortasse etiam jocans Plautus à *mento* hoc verbum fecit: q. d. mento ornavi: ut notat Cam. cum quo facit in priori quidem sententiâ Turnebus quem vide, quæso, Advers. lib. 2. cap. 28. Ac Meursius. Non intellexerunt, inquit, locum hunc viri magni. Nam *commentare* veteribus illis videtur usurpatum pro *percutere, ferire*: quod liquet ex his Plautinis. atque inde virgæ, quibus sacerdotes iter sibi impedientes verberabant, ut à se amoverent, *Commentacula* appellatæ, ut Festus docet. itaque non rectè ibi *Commotacula* reponunt. Hæc ille. Et quamvis *commentavi*, omnes vet. codd. sed & MSS. Cam. præferant, teste Grutero: tamen Jan. Gul. Verisim. legit *Carminavi*, aut *Carmentavi*. Ut enim, inquit, ab *argumento* argumentari; ita *Carmento*, quod instrumentum lanæ putandæ proprium, *Carmentari*, aut *Carmentare*, videtur fuisse in usu. Certè usitata in eâdem re, *Carmen* & *Carminare*. Lucr. *carmine lana trahatur.* Plin. lib. 9. *lana carminata mergitur.* Benè, inquit servus, illis os depexui & quasi lanam carminavi; alludens ad id, quod Men. dixerat, *Pecte os pugnis.* At idem Gruterus, Malè, inquit, Gulielm. *carminavi.* metaphora enim & altera egregia. nam *commentare* est raptim & sine ordine aliquid memoriæ caussâ indistinctè annotare. Sic & noster Pseud. act. 1. 5.

Quasi in libro cum scribuntur calamo litteræ,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.

Citat præterea Servius 1. Æn. ex Plauto: *corpus tuum virgis inscribam.* Statius Theb. XI. de equo vulnerato:

Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro.

Inde etiam Sarcasmus discipulorum stilis lacerantium Præceptorem apud Prudent. in Cassiano:

Non potes irasci quòd scribimus. ipse jubebas
Nunquam quietum dextera ut ferret stilum,
&c.
Pangere puncta libet. sulcisque intexere sulcos &c.

Nec minus plenè de se Eulalia, apud eundem:

Scriberis ecce mihi domine:
Quàm juvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, tropæa notant.
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.

Idem Hymno Romani:

Charaxat ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis.

Hæc

Hæc Gruterus. Etiam Acid. illorum sententiam unicè probat, qui dicunt, Servum oram illorum pro Commentario habuisse, & in illis commentatum esse, &c. Profectò ingeniosum & venustum est.

31. NÆ TIBI SVPPET.] Vel puero abecedario patet mens Servi. Pareus tamen isthæc sic interpretatur in Phraseologia tit. *Adjubandi*: Ich will dir helffen: Kom nur beyzeit herbey? Arcadici pecoris glossema.

32. AT TIBI D.] ita MSS. nam hâc particula in bene secúsve precando Latini utuntur. Virgil. Æneid. 2.

At tibi pro scelere hoc, &c.

33. NAM ABSQVE TED ESSET] ita MSS. ambo primitùs. sed altero postea interpolato factum est, *Namque absque te essem*. at edd. *Nam si absque te essem*. Etiam Lipsius, Antiquar. lect. lib. 1. cap. 20. è Cod. Rover. citat, *Namque absque ted esset*. Oratio sollemnis & perelegans. *Absque te esset*. notata etiam Turnebo lib. 2. 28. & L. Fruterio Verisimil. libr. 2. 1. Usus eâdem & Terentius, Phorm. act. 1. 4. & Cicero ad Attic. lib. 12. *Scisses enim, mihi dixisses, &c.*

33. AD SOLEM OCCASVM] ita MSS. ambo à primâ manu: ut & editiones.

34. ME MITTAS] ita MS. sec. at pr. *me emittas*.

35. VERVM.] ita MSS. initio.

37. NON TACES] Sic MSS. & edd. antiquæ. juniores addiderunt *taces tu*, non sine versus dispendio. eos sequitur Pareus non inspectis MSS. suis.

39. SIC SINE IGITVR] Quindecim versûs sequentes variè transpositi sunt in MSS. Cam.

46. MINIME] Acidalius non satis aptum hoc putat. quasi aliam orationem addidurus fuisset servus, si sic palàm abnegasset; non istam: *Nunc ibo in tabernam*, &c. Itaque sic locum constituit: *domum. Mane me: nunc ibo*, &c. ut omnia sine Messenionis. ei contradicunt & MSS. & editi omnes.

48. JAM HVC AFFERAM] ita MSS. & probat Grut. alii, *jam nunc. aff.*

A 49. SALVVM TIBI ITEM] ita MSS.

49. REDHIBEBO HIC] ita libuit rescribere ob versum, & quia allluderent membranæ. nam MS. sec. *redhibeo*, sed sine ullo *me mane*. MS. pr. *reddebo*, sine illo, *me* quod tamen in primitus cusis. V. N. Truc. act. 4. 2. Pareus heic antiquum obtinet; aitque, falso proditum à Taubmanno, *item* restare in MSS. falsum etiam quod MS. præferat pr. *reddebo*. at ipsemet Pareus bis splendidè mentitur. adeantur Libri, & apparebit calumnia ejus. nempe Talpa noster oculos non aperuit. In MSS. versus iste bis scribitur. loco posteriore præfert pr. *ita* & *sedhabeo*. priore *item*, ac *reddebo*. sed & præterea in secundo comparet, *ita*; verum situ illo inferiore. superius planè prætulit *item*. hæc talia audere non cogeretur, si Livoris, heri sui, oculos mutuò sumpsisset.

50. MVLTIS MODIS] MSS. *miris mod.*

55. QVANDO SANVS FACT.] Is. Casaubonus cum Scaligero: ad illud Persii, Sat. 5. vers. 88.

——*meus à Prætore recessi*,

Legit *suus factus*, *suus*, i. liber. Priscianus tribus quatuorve locis ex Euripide adfert, ἐγὼ B δ' ἐμὸς εἰμι. quanquam de alio fortè genere libertatis hoc intelligendum. *MSS.* & ed. omnes, *quando sanus f.* Pareus heic planè aut ridiculus est in Notis, aliudque loquitur quàm sentit, aut seipsum magis criminatur quàm alios. dicit enim se non pervidere cur alii negligant vocem *suus*. At hoc ipsemet fecit in ultima & prima; in quibus videamus *sanus*. extatque in Lexico ejusdem voce *Sum*: Ità profectò cum Casaubono ac Scaligero legendum: quod posterius videram quàm editionem Plauti emitterem. judica Lector:

57. SEGIVS QVAM SOMNIA] ita ferè MS. sec. at pr. *secus*: uterque, *somnia*. Meursius mâlit, *sectius* (ut est in vulgatis) *quàm insomnia*. Et hunc, inquit, locum Varro olim in PLAVTINIS QVÆSTIONIBVS sic explicavit: *Nihilo magis narranda esse, quàm si ea essent somnia*. Vide A. gell. lib. 18. c. 9.

ACTUS

ACTUS V. SCENA VIII.

MENÆCHMUS Sosicles, MESSENIO servus.

MEN' hodie usquam convenisse te audax audes dicere,
Postquam advorsum mihi imperavi, ut huc venires? MES. quin modò
Eripui, homines qui te ferebant sublimem quattuor,
Apud hasce ædeis. tu clamabas deûm fidem atque hominum omnium,
Quom ego accurro, téque eripio, vi pugnando, ingratiis.
Ob eam rem, quia te servavi, me amisisti liberum.
Quom argentum dixi me petere, & vasa; tu, quantum pote'st,
Præcucurristi obviam. ut quæ fecisti, inficias eas.
MEN. Liberum ego te jussi abire? MES. certò. MEN. cui certissimum'st,
Méptepotius fieri servum, quàm te unquam emittam manu.

QUIN MODO ERIPUI HOM.] Pistoris Mirè, inquit, dictum, *Eripui homines*. aut igitur distinguendum, *-quin modo Eripui, homines qui te f. quattuor*: ut sit elliptica oratio: aut legend, *Eripui homineis*, pro, *hominibus*. Acidal. verba trajicit: *Eripui te, quem homines sublimem ferebant quattuor*: & putidè hæc explicare Lambinum ait, & insuper nugare de voce *quattuor* unico *t* scribendâ. Gruterus malit transposita vocula *ferebant te*.

5. QUOM E. ACC.] ita ipse Cam. in veteriore ed. quam *G. Major, Magdeburgi* pro Scholis procuravit, anno 1536. Cæteræ ferè, *Quin ego*; quomodo disertè & MS. pr. & sec. ne quis fortè credat Pareo, affirmanti in eisdem restare alterum, *Quom ego*. nullum ibi ejus extat vestigium. nullum.

7. ME PETERE] è tabernâ diversoriâ.

7. Q. POTES] MSS. *q. potes*.

10. MEPTE] meipsum. V. N. Asin. 3, 3.

ACTUS V. SCENA IX.

MENÆCHMUS, surreptus, MESSENIO, MENÆCHMUS Sosicles.

SI voltis per oculos jurare, nihilo hercle eâ caussâ magis
Facietis, ut ego hodie abstulerim pallam & spinther, pessimæ.
MES. Pro dij immortales! quid ego video? M.SO. quid vides? MES. speculum tuum.
M.SO. Quid negotii est? MES. tua est imago: tã cõsimilis est, quàm potest.
M.SO. Pol profectò haud est dissimilis, meam cùm formam noscito.
M.SV. O adolescens, salve, qui me servavisti, quisquis es.
MES. Adolescens, quæso hercle loquere tuum mihi nomen, ni piget.
M.SV. Non edepol ita promeruisti de me, ut pigeat quæ velis.
Mihi est Menæchmus nomen. M.SO. imò edepol mihi.
M.SV. Siculus sum Syracusanus. M.SO. ea domus & patria est mihi.

M.SV.

M.SV. Quid ego ex te audio? M.SO. hoc quod res est. MES. novi equidem hunc.
Ego quidem hujus servus sum, sed me esse hujus credidi. (herus est meus.
Ego hunc censebam esse te, huic etiam exhibui negotium.
Quaeso ignoscas, si quid stultè dixi, atque imprudens tibi.
M.SO. Delirare mihi videre, non commeministi simul
Te hodie mecum exire è navi? MES. enimverò aequum postulas.
Tu herus es: tu servum quaere: salveto tu: tu vale.
Hunc ego esse ajo Menaechmum. M.SV. at ego me. M.SO. quae haec fabula est!
Tu es Menaechmus? M.SV. me esse dico, Moscho prognatum patre.
M.SO. Tun' meo patre es prognatus? M.SV. imò equidem, adolescens, meo.
Tuum tibi neque occupare, neque praeripere postulo.
MES. Dii immortales, spem insperatam date mihi, quam suspicor.
Nam nisi me animus fallit, hi sunt gemini germani duo.
Nam & patrem & matrem commemorant pariter, qui fuerint sibi.
Sevocabo herum. Menaechme. MEN. AMBO. quid vis? MES. non ambos volo.
Sed uter vestrûm est advectus mecum navi? M. SV. non ego.
M.SO. At ego. MES. te volo igitur: huc concede. M.SO. concessi. quid est?
MES. Illic homo aut sycophanta, aut geminus est frater tuus.
Nam ego hominem homini similiorem nunquam vidi alterum.
Neque aqua aquae, neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius,
Quàm hic tui est, túque hujus. postea autem eandem patriam ac patrem
Memorat. meliùs est nos adire, atque hunc percontarier.
M.SO. Hercle quin tu me admonuisti rectè, & habeo gratiam.
Perge operam dare obsecro hercle. liber esto, si invenis
Hunc meum fratrem esse. MES. spero. ME.SO. & ego idem spero fore.
MES. Quid ais tu? Menaechmum, opinor, te vocari dixeras.
M.SV. Ita verò. MES. huic item Menaechmo nomen est. in Siciliâ.
Te Syracusis natum esse dixisti. hic natus est ibi.
Moschum tibi patrem fuisse dixti: huic itidem fuit.
Nunc operam potestis ambo mihi dare, & vobis simul.
M.SV. Promeruisti, ut ne quid ores, quod velis, quin impetres.
Tanquam si emeris me argento, liber servibo tibi.
MES. Spes mihi est, vos inventuros fratres germanos duos
Geminos, unâ matre natos, & patre uno, uno die.
M.SV. Mira memoras. utinam efficere, quod pollicitus, possies!
MES. Possum: sed nunc coite. uterque id, quod rogabo, dicite.
M SV. Ubi lubet, roga: respondebo. nihil reticebo, quod sciam.
MES. Est tibi nomen Menaechmo? M SV. fateor. MES. est itidem tibi?
M.SO. Est. MES. patrem fuisse Moschũ tibi ais? M SV. ita verò. M.SO. & mihi.
MES Esne tu Syracusanus? M.SV. certò. MES. quid tu? M.SO. quippini.
MES. Optimè usque adhuc conveniunt signa. porrò operam date.

Cccc Quid

Quid longissimè meministi, dic mihi, in patriâ tuâ?
M.SV. Cum patre ut abii Tarentum ad mercatum, tum postea
Inter homines me deerrare à patre, atque inde avehi.
M.SO. Juppiter supreme, serva me. MES. quid clamas? quin taces?
Quot eras annos gnatus, cùm te pater à patriâ avehit?
M.SV. Septuennis: nam tum dentes mihi cadebant primulùm.
Neque patrem unquam postilla vidi. MES. quid? vostrum patri
Filij quot eratis? M.SV. ut nunc maximè memini, duo.
MES. Vter eratis, tun' an ille major? M.SV. æquè ambo pares.
MES. Quî id potest? M.SV. gemini ambo eramus. M.SO. dij me servatū volunt.
MES. Si interpellas, ego tacebo. M.SO. potiùs taceo. MES. dic mihi,
Uno nomine ambo eratis? M.SV. minimè. nam mihi hoc erat,
Quod nunc est, Menæchmus: illum tum vocabant Sosiclem.
M.SO. Signa agnovi: contineri, quin complectar, non queo.
Mi germane, gemine frater, salve. ego sum Sosicles.
M.SV. Quomodo igitur pòst Menæchmo nomen est factum tibi?
M.SO. Postquam ad nos renunciatum est, te & patrem esse mortuum,
Avus noster mutavit: quod tibi nomen est, fecit mihi.
M.SV. Credo ita esse factum, ut dicis. sed mihi hoc responde. M.SO. roga.
M.SV. Quid erat nomen nostræ matri? M.SO. Theusimarche. M.SV. convenit.
O salve insperate, multis annis pòst quem conspicor,
Frater. M.SO. & tu, quem ego multis miseris laboribus,
Vsque adhuc quæsivi, quemque ego esse inventum gaudeo.
MES. Hoc erat, quòd hæc te meretrix hujus vocabat nomine.
Hunc censebat te esse, credo, cùm vocat te ad prandium.
M.SV. Nanque edepol hic mihi hodie jussi prandium apparrier,
Clam meam uxorem, cui pallam surripui dudum domo.
Eam dedi huic. M.SO. hanc dicis, frater, pallam, quam ego habeo?
M.SV. Quomodo hæc ad te pervenit? M.SO. meretrix huc ad prandium
Me abduxit. me sibi dedisse ajebat. prandi perbenè:
Potavi, atque accubui scortum: pallam, & aurum hoc......
M.SV. Gaudeo edepol, si quid propter me tibi evenit boni.
Nam illa cùm te ad se vocabat, me esse credidit.
MES. Nunquid me morare, quin ego liber, ut jussisti, eam?
M.SV. Optimum atque æquissimum orat, frater: fac caussâ meâ.
M.SO. Liber esto. M.SV. cùm tu es liber, gaudeo Messenio.
MES. Sed meliore est opus auspicio, ut liber perpetuò siem.
M.SO. Quoniam hæc evenerunt, frater, nostrâ ex sententiâ,
In patriam redeamus ambo. M.SV. frater faciam, ut tu voles.
Auctionem hic faciam, & vendam quicquid est. nunc interim
Eamus intrò, frater. M.SO. fiat. MES. scitin' quid ego vos rogo?

M.SV.

M.SV. Quid? MES. mihi ut praeconium detis. M. SV. dabitur. MES. ergo nunc
Vis conclamari auctionem fore? quo die? M.SV. die septimi. (jam
MES. Auctio fiet Menaechmi mane sanè septimi.
Venibunt servi, supellex, fundi, aedeis, omnia
Venibunt, quiqui licebunt, praesenti pecuniâ.
Venibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit.
Vix credo tota auctione capiet quinquagesies.
Nunc spectatores valete, & nobis clarè applaudite.

SI VULTIS PER OC.] Etsi per oculos velitis jurare, nihilo magis tamen efficietis, ut ego pallam & spinther abstulerim. Alloquitur Erotium & ejus Ancillam. Et hic incipit ἀναγνωρισμός. Non autem *per oculos* tantùm jurabant; ut Ovid. 3. Amor. 2.

PERque SUOS illam nuper JURASSE recordor,
PERque MEOS OCULOS. Sed & *PER CAPUT SUUM*, & interdum *ALTERIUS*, &c. de quibus Brisson. l. 8. Form. Passeratius laudat. *Si vultis oculos jurare*; & componit cum illo Propertii l. 1. El. 15. v. 18. *Hos tu jurabas &c.* sed MSS. meliores agnoscunt nostrum *per*, nec vitiat versum, si *oculos* fiat duarum syllabarum; aut potius *si vultis* contrahatur in *Sultis*.

5. CUM FORM. NOSC.] ita Grut. cum edit. Col. & Venet. volente etiam Acid. nec divertunt MSS.

9. MENAECHMUS NOMEN &c.] Ita MSS. & edd. vett. non *Menaechmo*, quod tamen in ultima Pareana; contra eorum fidem. Porro delevi statim, *id est*, quod abesset MSS. & edd. vett. Versui consulatur, si repetamus, M. SO. *Menachmus nomen imò edepol mihi.*

10. EX TE AUDIO] Edidit Pareus *ted* plane contra MSS. & edd. quo ipso quoque versus corrumpitur sed & idem versu seq. apposuit eandem literam voci *me*, invitis omnibus libris, & versu id non requirente. ô petulantiam!

13. ESSE TE] sic Camer. editio, & retrò omnes. Pareus voluit, *ted esse*, sed nolentibus MSS. qui non agnoscunt literam *d*, corruptionem versus. qualis corrector!

15. SIMUL] Pareus invexit, *semul*, antiquè inquit, & ex MSS. minus verè. nam nostrum restat sanè in sec.

17. SALVETO TU] Negat Pareus sic legi in MSS. sed *tu salveto.* falsò alterùm est omninò in sec. nec non edd. vett.

20. TUN' MEO] MS. pr. *tun à meo.* sec. *túnam meo.* quomodo etiam edd. primogeniae ceterū elegantissimè post Gruterus restitui è MS. sec: *adolescens, meo. Tuum tibi &c.* ubi caecutiit prorsus paediculosus Scholae Ludimagister noster, ac sequenti versu illud *patrem* infulciit; nemine interim monito de versuum distinctione, quam aliàs plus quàm scrupulosè nobis appendit.

22. SUSPICOR.] MS. sec. *suspico.* non malè: quamvis & hîc elinguis sit Pareus. V. N. Casin. 2. 6. vers. 42.

24. NAM ET PATREM ET MATREM] ita MSS. At Lips. Epist. Q. lib. 4. 6. leg. *Nam & patriam & patrem*, &c. Nulla enim, inquit, facta est mentio matris. infrà primùm quaeritur, & nominatur. & firmat hanc lectionem, quod servus idem statim repetit: *postea autem eandem patriam ac patrem Memorat.* Vide apud ipsum plura. At Meursius priscam lectionem probam ait esse. Nam *Matrem* vocari patriā, elegantissimè: siquidē patria unicuiq; meritò mater & censeatur & appelletur. Quòd autē sequitur, *posteà autē eandem patriam ac patrē Memorat:* nihil huic loco infirmādo esse.

25. SEVOCABO] ita Grut. è MSS.

26. UTER VESTRUM] Infarciunt alii *huc*, versus caussa. at ego malim fieri, *uter vestrorū.*

30. NEQ. LACTE EST LACTI] Vide Mil. act. 2. 2. Sic & *ovorum similitudo* est in proverbio, ut Cic. 4. Acad. Quaest. *Lacte* autem veteres in recto casu dixisse, notant Grammatici.

35. SPERO] Personam interposui, ratione poscente, & praeeunte MS. pr. Parei ruditas vestigia nostra premere nequiit, hac illave editione.

42. TANQUAM SI E ME] Hoc totidem verbis Graecè invenitur apud D. Chrysostom. Homil. 20. in Epist. ad Ephes. *Grut.* qui praeterea monet utrumq; e MS. exhibere: *Tā quasi me emeris arg.* quod negligendum non putat. Parei utraque editio, vim facit versui: trajicit,

jicit enim *Tanquam si me emeris.* Idem insi- A gniter insanit, dum versu sequenti, in ultimâ suâ, conspurcat textum rescribendo, *inventuros, Frater, germ.* servus ibi loquitur. neque ullus ei MSS. alludit. imò ne editio quidem ulla. quæ hæc intemperantia? nimirum ei uni licet usurpare in literis: *Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas.* unde versu 45. editio eadem obtrudit nobis *ecficere*, ubi MSS. & Edd. omnes, *efficere.* Et verò ultimum istud perpetuò nobis præscribit.

43. VOS INVENTVROS FRATRES.] ita MSS. Cam. & vett. edd. AL. Lamb. *inventurum.*

46. SED NVNC COITE] ita è MS. Cam. pr. Grut. nam sec. *agite*; nihilo pejus, nisi videretur manasse à *cogite*, quod erat in pr. à manu primâ.

48. MENÆCHMO] Ita MSS. quod cùm probet in Notis Pareus, textus ejus uterque præfert, *Menæchmus.* quæ supinitas!

53. AD MERCATVM, TVM POSTEA] vox *tum* nata à Camerario nec requiritur: præsertim cum absint Mss. & edd. cæteris.

55. SERVA ME] ita MSS. sed Douza mâlit, *servas me.* uti mox: *Dii me servatum volunt.*

DENTES CADEBANT] J. Gruteri Florileg. Ethico-politicum:

Dentes cadunt plerumque septuennibus.

58. VOSTRVM PATRI FILII QVOD ERATIS?] *Vostrûm*, Gen. divisionis: & sic explicandus: Ex vobis, quot eratis filii patri, sc. vestro? L. Colvius legit: *Quid? vos tum patri* &c. Sed hæc refutat Meursius Bacchid. act. 4. 2. Gruterus, quod ego Camerarium, in nullis conspiceretur MSS. aut edd. putabat rescribendum *vestrorum*, quei scilicet consuleretur versui.

64. Q. NVNC EST MENÆCHMVS] MSS. *Menæchmo.* restat alterum in edd. omn. & requirit versus.

68. TE ET PATREM ESSE MORTVVM] Si hoc verum sit, Comœdia tota probetur vana. Nam cur tantoperè fratrem quæreret, si rumor *mortuum* potiùs quàm *surreptum* attulisset? Immò Prologo clarè dicitur; parentem esse emortuum, puerum verò subductum. Quare scribend. *Postquam ad nos renunciatum est de te, & patrem esse emortuum.* J. Is. Pontanus: quem vide lib. 7. cap. 16. Macrob. eam scripturam contra omnes MSS. editosq; retinuit in editione suâ utraque Pareus. quasi non Plautus alia majora peccasset circa decorum.

71. TEVSIMARCHE] Ita edd. antiquæ. at MSS. nostri *Teuximarce*, hoc nimirum esset ἀπὸ τῦ τεύχειν καὶ τῆς νάρκης Camer.

72. POST QVEM CONSP.] ita J. Gul. & Acid. ——*multis annis pòst quem c.* itaque etiam MS. pr. Cam. V. N. Mostell. act. 1. sc. 2.

73. FRATER. M. SO. ET TV] Si reperitum interponeretur verbum *Salve*, esset & oratio perfectior, & numeri pleniores; qui absque hoc διὰ συνιζήσεως sunt explicandi. Camer. in curis secundis ad Plautum, qui servantur à nepote ejus V. C. Ludovico Camerario, consiliario Palatino.

80. MERETRIX HVC] ita Grut. è. MSS. *mer. huc ad pr. Me abduxit.*

82. AVRVM HOC.....] MSS. Cam. & vett. edit. non habent, *mihi dedit.* quod adjecit Camerarii editio & seqq. itaque punctis locum insignivi.

84. ME ESSE CR.] ita omn. cod. & MSS. Cam. Lamb. *me te essi cr.* Meursius conjicit *mepte esse cr.* Pareus, *med esse.* sed tali tibicine non sustentatur versus.

B

85. JVSSISTI] MSS. *ustis*, pro, *jussistis* quod tamen non placuit Pareo, sed, natus versibus corrumpendis, edidit quasi suo jure, *justi.* & sospitatorem Plauti!

88. SED MELIORE EST OPVS AVSPICIO, LIBER PERPETVO VT SIEM.] proinde ac si dicat: Libertas res est magnopere quidem expetenda: sed nisi mihi cum libertate aliquid præ manu dederis, (ut Ter. Adelph. in eodem negotio loquitur) denuò mihi in servitutem redauspicandum est: novo enim liberto opus est, quod paper, ut loquitur Epid. act. 5. 2. Lamb. At Lipsius lib. 13. ad Tacitum, Libertas seu Manumissio, inquit, duplex: Justa, & Non-justa. *Justa*, quæ vindictâ, censu, testamento data: *Non-justa*, quæ inter amicos in conviviis; per epistolam. Justâ illâ qui manumissi, planè pleneque liberi: qui alterâ, vinclo adhuc quodam attinebantur servitutis. Scitè ergò ob hunc iteratæ (hæ sunt *iterationes*, quarum mentio Justin. Novell. 78.) servitutis metum Messenio servus, qui inter amicos manumissus, subjicit.

Sed

Sed meliore est opus auspicio, liber perpetuò ut siem, &c.

Vide & P. Pithœum in Notis ad Moysaicarum & Rom. LL. Collationem, tit. 2. item Fr. Hotomani in 1. lib. Institut. Imp. Comment. sed & N. Mil. act. 4: 1. At Sim. Ulr. Pistoris, Illud Lambini, inquit, ineptum: hoc Lipsii nimis longe petitum. Certo certius est, Messenionem alludere ad id, quod suprà quoque à putativo suo domino Menæchmo surrepto liber esse jussus fuerat, & tamen postea à vero hero in servitutem retrahebatur. Ait igitur opus sibi esse meliore auspicio, quàm paulo antè, cùm etiam liber fiebat, sed non diu. Atque hoc rectum & verum Siberus etiam censet.

89. NOSTRA EX S.] ita MSS. Camer. ed. & seqq. *nobis ex sent.* mallet Grut. voce trajecta, *nostra frater è sent.*

93. MIHI UT PRÆCONIUM DETIS.] ut me in hâc auctione præconis munere fungi sinatis. Ut se heic jactet Pareus, ait esse in MSS. Pall. *ut detis*, & tamen ab iisdem recedit in editione, quæ nihil divertit à nostra. sed nec fideliter rem indicat. nam pr. habet, *mihi præc. ut detis.* sec. *præc. mihi ut detis.* quales Notæ! & talibus tamen omnis ipsi turget pagina.

94. CONCLAMARI] Conclamare proprium præconis ubiq; fuit, quod est *prædicere*. Plaut. Mercat. Prologo. v. 51. *Conclamitare* A *urbe tota & prædicere, Omnes &c.* Gunther. 1. cap. 19. de jure Manium.

94. AUCTIONEM FORE? QUO DIE?] ita Lambinus: cum in omnibus Codd. sit, *fore quidem?* At J. Gulielmius propius scripturam veterem, *qui die?* Et is modus loquendi solemnis in formulis. unde ista, *diecrastini, septimi, noni.* Vide Agell. lib. 10. c. 24.

95. MANE SEPTIMI] quod prius dixit, *Die septimi.* De *Auctione* diximus Epid. act. 2: 2.

96. VENIEUNT] Pareus heic deludit lectorem, edendo tribus continuis versibus *Veneib.* antiquè; tanquam ita restet in Ms. pr. quod falsum est. habet enim planè ter, *Veniebunt.* quanta vanitas!

97. QUIQUI LICEBUNT] *Quiqui*, pro, B *quicunque.* Dicuntur autem res venales *licere*, quibus pretium à venditore præfinitum est, & quæ certo pretio indicatæ sunt. Contrà, *liceri.* de quo curiosè L. Valla lib. 3. c. 28. Elegant. Mart. lib. 6: 66.

Parvo quum pretio diu liceret. V. N. Stich. 2: 1.

99. VIX, CREDO, TOTA AUCT. &c.] Menæchmus vix, ut credo, ex omnibus bonis auctione venditis, rediget sestertiûm quinquagies centum millia, id est, circiter centum quinquaginta aureorum nostrorum millia. *Quinquagesies* autem positum pro *quinquagies:* Lambinus.

100. APPLAUDITE] ita MS. sec. & vett. editi. nam quod Pareus producit ex primo, versum vitiat.

FINIS MENÆCHMORUM.

MILES GLORIOSUS.

ARGUMENTUM.

IN hâc Fabulâ hoc non solum ratione & arte factum esse à Poetâ videri possit, quòd respondet καταστροφῆ, id est, finis ad principium: ut maximæ gloriæ & intolerabilis cujusdam fastus exitus sit turpis & pudendus. Est autem in hâc Fabulâ præcipuum, pictura imperitæ superbiæ: quam Poeta omnibus suis coloribus deformatam ex-

 pressit:

pressit: ut liceat hîc quasi in speculo contemplari ridiculam illam vanitatis imaginem, quâ tument & efferuntur animi feroces hominum indoctorum, in aliquâ præsertim Fortunæ benignitate. Hoc vitium peculiare est adolescentiæ: quòd hæc ætas in quodam quasi impetu decurrentis vitæ & in fiduciâ virium exsultare soleat, & efferri, atque esse indomita. Ideoque negat prudentissimus vir Aristoteles, idoneos esse juvenes ad præcepta virtutis. nam de voluntate & intelligentiâ illorum hæc quasi cautibus impacta resiliunt, neque possunt adhærescere, &c.

NOMEN Fabulæ est, *Miles Gloriosus*: de personâ & re factum. nam *gloriosus* gloriatorem significat: qui est *ἀλαζὼν*, ostentator & vanus. Tale autem est genus hoc militare hominum, qualis & Terentianus Thraso producitur, & alii à Plauto alibi. ARGUMENTUM Fabulæ hoc est. Avexerat amicam adolescentis Attici Miles. hoc factum indicare hero absenti servus dum vult, capitur à piratis: & illi eidem fortè Militi dono datur. statim agnoscit mulierem servus; negotium occultat: rem omnem hero suo Atheniensi litteris exponit: quid fieri oporteat, demonstrat. Advenit ille adolescens Ephesum: ad senem hospitem vicinum Militis divertitur. Erat utriusque domûs paries communis, quo perforato copia fit amantibus congrediendi. Sed Militis alter servus fortè mulierem in amatoris complexû viderat. Id ne vidisse crederet, dolis servi Attici perficitur, qui illi persuadet adesse geminam herilis amicæ sororem. Postea Militi persuadetur, amari ipsum mirificè ab uxore senis vicini: itaque dimittit concubinam: & mox deprehensus per insidias pro mœcho plectitur. Res geritur Ephesi.

PERSONÆ Fabulæ sunt. Πυργοπολινίκης, arrogans nomen: quo significatur *munitionum & urbium victoria*. Ἀρτότρωγος, quasi *panivorus*. Παλαιστρίων à palæstrâ, hoc est, *ludo*. Περιπλεκτομένης, nomen hoc eâ formâ factum, quâ Θηραμένης: significat *vim* quandam *pertinaciæ*. Σκέλεδρος, *lenti* & *segnis* habet significationem, *οἱονεὶ σκέλη ἔχων ἑδραῖα*, i. *minùs agiles pedes*. *Φιλοκωμάσιον*, *comessationum amicam* notat. Πλευσίδης verò *navigator* est. *Lucrio* Græca formâ nominis à *lucro* *λουκρίων*: nisi quis malit, ἀπὸ τοῦ λοκροῦ, quo vocabulo nescio cujus gentis linguâ *calvos* vocatos annotarunt, derivare. De *Melphidippâ* non invenio, quid faciam, ne de *Milphidippâ* quidem, ut aliqui scripserunt: etsi *μυλφὸν* significare Græcis traditur *pilorum in palpebris defluvium*: ut Μυλφίς & Μυλφιδίππη fieri potuerit, quâ formâ fecêre Ἐνίππην & Μεναλίππην. Ἀκροτελεύτιον significat propriè *finem versûs, &c.* (Sibero Ἀκροτελεύτιον videtur dicta, quòd τὸ ἄκρον καὶ τὴν τελευτὴν, nempe actum supremum imponit Fabulæ.) Καρίων vel appellatione gentili, ἀπὸ τῶν Καρῶν, vel denominatione ἀπὸ τοῦ κάρου: ita esset *somnolentus*. Est & alius puer *ἀνώνυμος*. & fit in Fabulâ mentio τῆς Γλυκέρας, quod nomen significationem habet *dulcedinis*.

J. Douza. NON ultimam sanè inter Plautinas Fabulas gloriam jure suo *Miles Gloriosus* meretur. Nam præterquam quòd tota sale, lepôre, politissi-

tissimisque sententiis efferta; graphicè in ea insuper nobis vanitatis imaginem sub Pyrgopolinicis personâ adumbravit Poeta; eos innuens, qui se primos omnium rerum esse volunt, nec sunt, *cælum ipsum* (ut Flaccus ait) *stultitiâ petentes. Quorum animis indomitis superbiæque intolerabili Neque lex, neque tutor capere est qui possit modum.*

Cicero, Offic. I. DEFORME *est, de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari* MILITEM GLORIOSUM.

DRAMATIS PERSONÆ.

PYRGOPOLINICES, miles.
ARTOTROGUS parasitus.
PALÆSTRIO servos.
PERIPLECTOMENES senex.
SCELEDRUS servos.
PHILOCOMASIUM meretrix.
PLEUSIDES adolescens.
LUCRIO puer.
MILPHIDIPPA ancilla.
ACROTELEUTIUM meretrix.
PUER.
CARIO cocus.

ARGUMENTUM.

MERETRICEM Athenis Ephesum miles avehit.
Id hero dum amanti servus nunciare vult
Legato peregrè, captu'st ipsus in mari,
Et illi eidem militi dono datu'st.
Suum arcessit herum Athenis, & forat
Geminis communem clam parietem in ædibus,
Licere ut quiret convenire amantibus.
Obhærentes custos hos vidit de tegulis:
Ridiculus autem, quasi sit alia, luditur.
Itémque impellit militem Palæstrio,
Omissam faciat concubinam, quando ei
Senis vicini cupiat uxor nubere:
Ultrò abeat, orat. donat multa. ipse in domo
Senis prehensus pœnas pro mœcho luit.

ET FORAT] Schop. suspicatur leg. —— atque *ecforat*, pro *efforat*, antiquâ scripturâ. & ne versus ruat, *atqüe* περισπωμένως pronunciat. In altero v. præpositionem *in* inducit. negat enim Latinè dici, *Paries communis in ædibus*: sed potiùs *communis duabus ædibus*. Vide Suspect. Lect. lib. 5: 7. In MSS.

A Cam. l. *& forat*: & in altero versu τὸ *in* disertè scriptum est.

V. 7. LICERE UT QUIRET] MSS. *Liceret*
B *ut quiret &c.* factumque deinde in primo: *Liceret ut coire convenire amantibus.* Acid. f. *Liceret ut qui conv.*

. 12. UXOR] suppositia, Acroteleutium

Erat imperator summus, Neptuni nepos?
AR. Memini. nempe illum dicis cum armis aureis,
Cujus tu legiones difflavisti spiritu,
Quasi ventus folia, aut panniculam tectoriam.
PY. Istuc quidem edepol nihil est. AR. nihil hercle quidem hoc,
Præ ut alia dicam, tu quæ nunquam feceris.
Perjuriorem hoc hominem si quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quàm illic est;
Me sibi habeto; ei ego me mancupio dabo,
Si unum epityrum edam apud illum, esuriens insanè, bene.
PY. Ubi tu es? AR. eccum. edepol vel elephanto in Indiâ
Quo pacto pugno perfregisti brachium!
PY. Quid, brachium? AR. illud dicere volui, femur.
PY. At indiligenter hic eram. AR. pol si quidem
Connisus esses, per corium, per viscera,
Pérque os elephanto brachium transmitteres.
PY. Nolo istæc hic nunc. AR. ne hercle operæ pretium quidem
Mihi te enarrare, tuas qui virtutes sciam.
Venter creat omnes has ærumnas. auribus
Peraudienda sunt, ne dentes dentiant,
Et assentandum est, quicquid hic mentibitur.
PY. Quid illud quod dico? AR. hem, scio jam quid vis dicere.
Factum est hercle: memini fieri. PY. quid id est? AR. quicquid est.
PY. Habes tabellas? AR. vis rogare? habeo & stilum.
PY. Facetè advertis animum tuum ad animum meum.
AR. Novisse mores me tuos meditatè decet,
Curámque adhibere, ut prævolet mihi quò tu velis.
PY. Ecquid meministi? AR. memini, centum in Ciliciâ,
Et quinquaginta centum Sycolatronidæ,
Triginta Sardi, sexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidisti uno die.
PY. Quanta istæc hominum summa est? AR. septem millia.
PY. Tantum esse oportet: rectè rationem tenes.
AR. At nullos habeo scriptos, sic memini tamen.
PY. Edepol memoria est optuma. AR. offa me monet.
PY. Dum talem facies, qualem adhuc, assiduò edis:
Communicabo te semper mensâ meâ.
AR. Quid in Cappadociâ, ubi tu quingentos simul,
Ni hebes machæra foret, uno ictu occideres.
At peditatûs reliquiæ erant, si viverent.
Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales sciunt,
Pyrgopolinicem te unum in terrâ vivere

Virtute & formâ, & factis invictissumis.
Amant te omnes mulieres, neque hercle injuriâ,
Qui sis tam pulcer. ut vel illæ, quæ herè pallio
Me reprehenderunt. PY. quid herè dixerunt tibi?
AR. Rogitabant: Hiccine Achilles est, inquit, tibi?
Imò ejus frater, inquam. innuit illarum altera:
Ergo mecastor pulcer est inquit mihi
Et liberalis visus. cæsaries quàm decet!
Næ illæ sunt fortunatæ, quæ cum isto cubant!
PY. Itáne ajebat tandem? AR. quæ me ambæ obsecraverint,
Vt te hodie quasi pompam illâ præterducerem.
,, *PY. NIMIA EST miseria pulcrum esse hominem nimis.*
AR. Molestæ sunt mihi, orant, ambiunt, obsecrant,
Videre ut liceat: ad sese arcessi jubent.
Vt tuo non liceat operam dare negotio.
PY. Videtur tempus esse, ut eamus ad forum,
Vt in tabellis quos consignavi hic heri
Latrones, ibus dinumerem stipendium.
Nam rex Seleucus me opere oravit maxume,
Vt sibi latrones cogerem & conscriberem.
Regi hunc diem mihi operam decretum est dare.
AR. Age eamus ergò. PY. sequimini satellites.

PYRGOPOLINICES?] Laudatur à Casaubono in Athen. lib. 11. Diphili Fabula, quæ primum quidem Αἰρησιτειχὴς nomen habuerit, ut si dicas *Pyrgopolinices*, aut *Poliorcetes*: deinde emendata prodierit novo titulo; Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης, ut *Miles Gloriosus*. Sed & Servius citat Plautum in *Pyrgopolinice*, ut ita hæc Comœdia sit binominis: quemadmodum *Phasma* & *Mostellaria*, *&c.*

V: 2. OLIM] Simili modo Cicero lib. 15. Epistol. Fam. pæn. *Tu mi Treboni, quando ad amorem meum aliquantulum olim discedens addidisti, &c.* maléque ibi, *olim* expungunt Manut. & Lambinus. est enim Adverbium omnium horarum ac temporum: exulatque immeritò in aliis edit. Asinaria act. 3. sc. 3. v. 126. *an quid est olim homini salute melius?* Gruterus.

4. PRÆSTRINGAT] Ita MSS. ambo. At verò Lambinus pertinacissimè contendit legendum, *præstinguat*, & imperitos linguæ Latinæ, rerumque alienarum fastidiosos clamitat, quicunque contrà sentiant: citatque pro se Asconium in Cic. de Divinat. (ubi tamen Aldi editio anni 1522. *præstringat* expressè legit) & Nonium aut memoriâ lapsum ait, aut mendosè in utroque loco Nonii scriptum esse *præstringere*, pro *præstinguere*. Idemq; inculcat in Commentar. suis ad Horat. & Lucretium. Quòd si *præstigiæ*, inquit, dictæ sunt à *præstinguendo*, ut clarè etiam Cæcilii versûs apud Ciceronem lib. 3. de Naturâ Deorum docent: quis nisi tardissimus dubitet, quin scribendum sit, *præstinguo, præstinxi &c.* non, *præstringo*, neq; *præstrinxi*. Vide ibidem, si operæ est, plura in Lucano lib. 1. v. 154. Pulmanus è v. cod. l.

——obliquâ præstinguens lumina flammâ,

i. obtenebrans. uti & MS. Bersmanni legit, adducentis illud Lucret. lib. 3. de Epicuro:

Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstinxit: stellas exortus ut ætherius Sol.

Quam scripturam etiam Val. Acidalius acerrimè propugnat, in Lect. Vellejanis. Contrà M. Ant. Delrio Comment in Troad. Senecæ, ad illa v. 559.

——aut vinclis manus
Secantibus præstricta;

(quomodo & Grutori edit. habet) notat: *Manus ferro præstringuntur: oculi etiam splendore præstringuntur*: quod posterius nolim mutari in *præstinguuntur*: cùm propter omnium librorum unanimem consensum: tum quia Nonius ait: *Strictura dicuntur propriè scintillæ, quæ de ferro ferventi exeunt: quòd aut strictè emittantur, hoc est, celeriter: aut oculos suo fulgore præstringant*. Et Asconius Pedianus dignissimus cui credatur, in re longè majori, ad illud Cicer. *Præstringat aciem*: VEL à præstigiatoribus, inquit, transtulit verbum; vel à tironibus, qui ignari & rudes pugnæ etiam vano armorum sonitu terrentur præstrictis luminibus. Si à præstigiatoribus *præstringo*, non ab antiquo verbo *stinguo*, deducitur: si à *præstringo*, stricturæ; *præstringo*, non *præstringuo* dicendum: alioqui *stincturas* vel *sticturas* diceremus. quod quis ferat? Idem ibidem rectum probat hoc *præstringere oculos*; non, *præstinguere*; contra Lambinisequos (ut ipse loquitur) logodædalos. Præterea Obert. Gifanius Indice Lucretiano, fide (ut ait) omnium MSS. & V. codd. cum in aliis Scriptoribus, tum h. l. verum contendit, *præstringere*; non *præstinguere*: & hîc interpretatur *obnubere*, ἀμαυροῦν. ita Cic. in Catone M. *Voluptas mentis, ut ita dicam, præstrinxit oculos*: ita enim P. Manutius: quemadmodum & 4. de Finibus. quod Godofredus interpretatur, Validè stringere & claudere. Varro: *Nec mirum, si cæcutis: aurum enim non minùs præstringit oculos quàm ὁ πολὺς ἄκρατος*. ita citat Turneb. lib. 29. cap. 17. Denique ita Lipsius; ita Editio & MSS. Camerarii, quod observavit Gruterus: qui idem cùm apud Senecam de Benef. lib. 7. cap. 9. ediderit, *quæ gentium oculos, regumque præstinguunt, &c.* atque illa ad hunc Plauti locum contendat; addit tamen librum Col. & Palat. sec. & Nazarii legere, *præstringunt*. quanquam Lipsii editio agnoscat, *perstringunt*. Omnes edd. vett. *perstringat*, aut *præstringat*, nulla *præstinguat*, *&c.* Pulcrè autem vim hujus phraseos expressit in Thyest. Seneca act. 3.

——clarus hic regni nitor
Fulgore non est, quod oculos falso auferat.

Laberius apud Agell. lib. 10. cap. 17.

Democritus Abderites, Physicus Philosophus
Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut posset splendore æreo:
Et radijs Solis aciem effudit luminis:
Malis bene esse ne videret civibus, &c.

Rationem reddit Lucretius:

Præterea splendor, quicunque est acer, adurit
Sæpe oculos: ideò quòd semina possidet ignis
Multa, dolorem oculis quæ gignunt insinuando.

Denique pulcrè Vegetius lib. 1. cap. 14. *Plurimum terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cujus dissimulatione, situ ac rubigine arma fœdantur?* Atque hæc de hoc verbo hactenus, & ferè præter decorum multa. Et quidem si hoc vocabulum ex ducentis istis unum est, quæ Gul. Pelisserius Episcop. Monpes. solus tenuit, Lambino quidem teste; & ille verò jampridem mortuus est; quid mirum; si id vel eruditi hodie nesciant? Quid, Grutere mi, renides?

5. MACHÆRAM] non dixit *gladium*, sed *machæram*, ut in palliatâ Comœdiâ, in quâ vocabulis Græcis uti decet: L. Arqui etiam in togatis scriptis, ut apud Juvenalem, adeòque *machærophorus* apud ipsum Ciceronem invenitur. dixit autem potius *machæram*, & propter sonum pleniorem, & ut rem melius exprimeret: quod utrumque personæ, meras glorias flanti, meras cædes spiranti, convenit. nam μάχαιρα παρὰ τὸ μάχεσθαι dicta est, vel, ut Eustath. παρὰ τὸ χαίρειν αἵματι, *quasi* αἱμόχαιρα quòd gaudeat sanguine. unde sequitur; *Quæ mis. gest. frat. fac. ex hostibus*, Siberus.

5. MIHI] παρέλκει. Ter. Phorm. *Qui mihi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.* Ad quæ Donatus: *Eleganter insertum* Mihi: *ut in Heaut. Is mihi ubi adbibit plus paulò sua quæ narrat facinora!*

6. NE LAMENTETUR] Sic & affectus humanos accommodant cuicunque rei inanimatæ. Propert. 3. el. 6. dixit *mœstam vestem*. el. 12. *Neve tua Medæ lætentur cæde sagittæ*. Passerat. ibidem.

8. G. ET FRATREM E.] ita MSS. Camerarii, sed ut habeant tamen, *quam miser agestat & fratrem*. sic inquam pr. à manu pr. correctumque deinde *misera gestit & fratrem*.

nam sec. quam misera gestitet fratrem, sed eadem dextra superscripsit *r*. Lamb. & S. Bosius, leg. *fartum*. Q. d. *Gestit* ἀδίκομμα ἐκ τ̃ πολεμίων ποιῆσαι, ut loquitur Aristophanes. ut sit tractum à fartoribus, qui carnes, unde farcimina, isitia, & similia confecturi sunt, in minutissimas particulas dissecant. Etiam Casaubono non displicuit *fartum f.* translatione è culinâ petitâ. At Camerarius; Liquido, inquit, in nostro vet. libro *fratrem* extat, metaphorâ eleganti. nam gloriosè nugatur Miles, ensem suum gestire cruentari in hostibus: id est, consanguineum sive ὅμαιμον habere hostem. Dicuntur autem *fratres* propriè consanguinei: etsi aliorum quoq; propinquorum est appellatio hæc; ut *popularium* in Pœnulo. sed illa etiam Juris est; ut Institut. lib. 3. *Ex eodem patre nati fratres, consanguinei vocantur.* Palmerius Spicil. fol. 69. Muretus, inquit, emendat, (lib.3.cap.9.) *farctum facere.* hoc Lambinus probat. ne tamen nihil novi reperisse videretur, mutat, *fartum*. nugas hominis! addit, quod ego non credo, in suis vetustis ita esse. At in Camerarii, quod optimum fuisse, res ipsa loquitur, disertè, *fratrem:* nec aliter vetustissima quæque: ut ex Ugoleti & Grapaldi, atque etiam Bapt. Pii, tum Sarraceni editionibus constat. Primi ii conjecerunt, *fractum*, ex, *fratrem*; non ex *farctum:* ne pu es. *Fratres* qui sint hoc loco, Arnobius docebit, lib. 7. *cupientes addiscere, quid cum pultibus Deo sit, quid cum libis, quid diversis cum fratribus, confectionis jure multiplici, atque impensarum* (V.N. Capt. 4:2.) *varietate conditis?* Itaque Sacrorum verbum est: quæ extra rem divinam non ferè profanabantur. Fiunt igitur, ut dixi, *fratres* ex concisâ & comminutâ carne: & sacrificiorum sunt, &c. Sed Theodor. Canterus, Var. Lect. lib.1: 9.1. *frattem facere*, ex eodem loco Arnobii (ait enim ibi scrib. *diversis cum frattibus*) accipitque in eâ significatione, quâ Muretus, *farctum facere*. Mihi tamen magis probatur, *fratrem*, propter auctoritatem vett. Codicum, & rationes jam dictas.

9. ARTOTROGUS] τρώγειν, rodere est. Et Parasitos cum muribus, quorum est rodere, comparari, docet illud Capt. act.1:1. & Persæ act.1: 2. Sic ergo *Artotrogus* videtur deductum ἀπὸ τ̃ ἀρτοτρώγου, terminatione Latinâ. ὁ ἀρτοτρὼξ, qui & ἀρτοτρώκτης seu, ψωμοκόπος, παρὰ τὸ τρώγειν τοὺς ἄρτους, panedo. Brodfresser.

10. FORMA REGIA] *Forma regia*, corporis est dignitas egregia, & superans atq; augusta, qualis regem decet: Turneb. lib.7.c.6. Hinc vetus Poeta apud Aristotel. 1. & 4. Polit. de Priamo: Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. & Priamus apud Homerum de Agamemnone, quem tamen ignorabat, Βασιλῆϊ δὲ ἀνδρὶ ἔοικεν. Propert. 4. el.4: *Obstupuit regis facie.* ibi Passeratius.

11. TUM BELLAT. MARS H.] Meursius: Lego è V.C. *Cum quo bellator Mars haud ausit dicere.* quod statim arripuit Pareus ad ornamentum editionis suæ primæ. Idem est *Mars bellator*, qui *Pugnator* veteribus. Invenio in libello P. Diaconi de Notis: D. D. E. H. L. JO. LIB. PRI. DD. MAR. PV. ET. LI. P. *Dedicatus est hic locus Jovi liberatori primùm: deinde Marti pugnatori, & Libero patri.* Est autem idem cum *Gradivo*, cujus templum in via Appiâ. huic contrarius, *Mars Quirinus*, qui & *Pausus*.

11. DICERE] commemorare. alii l. *biscere: L.*

12. ÆQUIPARARE] MSS. *æquiperare*. per *e*.

13. QUEMNE] Eumne Martem dicis, quem &c. V.N. Epid.5: 2.

13. GURGUSTIDON,] Per jocum à Poeta fictum à *gurgustiis*, formâ gentili: ut *Chalcedonys &c.* Cam. ita & Alciatus Parerg. lib. 9:27. Quicquid se torqueant interpretes, hæc risûs caussâ à Plauto ficta sunt. MS. pr. habet *Curcus lisdonis*. sec. *Curcusculidonis*. ed. pr. *curriculis donis*. Aldi *cuticulindonys*. Sed nec consentiunt in aliis. nam MSS. *Bumbomarides*. ed. primæ *bumbomatides*. sed & deinde MSS. *Clutumistaridis archidis*. ed. pr. *clutum instaridis archidis*. Aldi. *cluninstatides Archides*.

15. NEPTUNI NEPOS] Sic Sextus, Pompeji M. filius, se *Neptuni filium* prædicabat: ex quo *Neptunium ducem* appellat Flaccus, Odâ 9. Epod.

16. NEMPE ILL.] Sic Cic. in Bruto: *Tum ille: Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter, & (ut mihi quidem visum est) perdiligenter complexus est.*

17. DIFFLAVISTI] Simile de Ægyptiorum exercitu Val. Max. lib.9. cap.1. *Quapropter deliciis tam enerves animi spiritum exercitius nostri sustinere non potuerunt.* D.

18. PAN-

81. PANNICULAM TECTORIAM] Ita placuit edere: quamvis editi, ut & MSS. Cam. *peniculum tectorium* legant. Est autem *peniculus tectorius*, quo parietes dealbantur: & constat è setis porcinis, aut e pilis caudæ equinæ: cujus meminit Plin. lib. 28. c. 17. Verùm cùm talis peniculus non tàm facilè à vento dissipetur, quàm folia; non improvidè Lamb. & Douza adsentiuntur Turnebo, qui (lib. 2. cap. 28.) legendum censuit, *panniculam tectoriam*: & *panniculam* interpretatur lanosam comam, qualis est arundinum, quibus integi villaticæ domus solent: cujus itidem Plinius meminit lib. 16. 36. & vocat *tegulum*, i. harundineum, *quâ domus suas septentrionales populi operiunt*. Pareus heic mire indignatur abitum esse a libris. censetque factum nimis dictatorie unius forte critici suffulciri arbitrio. Bone Deus! quomodo imperium suum exerceret hic infimi subsellii orbilius, si præficeretur viris; cui vix unum constituunt criticum, Lambinus, Dousa, Turnebus!

21. HOMINEM] ita Grut. è MSS. Cam.

22. GLORIARUM PLENIOR.] *Gloria*, pro gloriatione: ut Tib. l. 4. 13. *procul absit gloria vulgi*. Propert. l. 2. 15.

Dispeream, si quicquam aliud, quàm gloria, de te
Quæritur—— D.F.

23. MANCUPIO D.] Palm. l. *mancupi d.* V. N. Truc. act. 2. 2.

24. SI UNUM EPITYRUM &c.] Revocavi lectionem proditam Varroni, cui proximissimè accedit editio prima. E deformatâ MS. Cam. tali: *nisi unum Epytir aut apud illa enisturienjanebene*. Christoph. Pflugius formabat, *dabo uno epityro, ut apud illum esuriem insanè bene*. Q. d. Mancupio me illi dabo vel epityro, ut apud illum non lautis, quos tamen Parasiti unicè affectant, epulis accipiar; sed strenuè esuriam. *Esuriem*, pro, *esuriam*: ut, *dicem, faciem*. Cam. & Lamb. ediderunt; ——*dabo, Ni unum ep. edam apud illum, esuriens insanè bene*. De quo anxiè Lambinus. Erat autem *Epityrum*, cibo genus ex oleis côcisis; addito oleo, aceto, coriandro, cumino, feniculo, rutâ, mentâ. eo Græcæ civitates plerumque utebantur, ut ait Columella. Nomen habet, non quòd in eo τυρὸς, id est, caseus esset: sed quòd caseo accederet. Vescebantur enim caseo plurimùm Siculi. Turnebus lib. 6. ad Varr. De ling. Lat. qui in Adversar. suis hunc v. ita legit:

Ni unum epityrum apud illum esuriens insanè edam:

ut Senarius suis constet numeris. Jam de *epityro* copiosissimè etiam Corn. Virellius in Face Artium J. Gruteri, p. 589. at P. Merula in Cosmogr. part. 2. libr. 4. legit,

Ni unum epiturum apud illum esuriens insanè edam.

ut vox, *benè*, glossema fuerit. Denique Acidal. post longam disputationem adserit è vett. edd. & Varrone lib. 6. de L. Lat. hanc lectionem:

Si unum epityrum edam apud illum esuriens, insanè benè.

hâc syntaxi: Insanè bene, si esuriens unum ep. apud il. edam &c. Et est, inquit, elliptica locutio: scil. *Est*, vel *Erit*. ut cum dicimus: *Benè, si hoc, vel illud*. Nam novum diversumq; à præcedentibus orditur ipse, & perficit sententiam. Vide plura apud ipsum cap. 1. Divinat. Plaut. nam Parei postrema editio, non recedit ab hariolatione Pflugiana & idem homo tamen, deridens conjecturas aliorum, concludit: Sed nihil opus est istis tricis, quando MSS. Lectio probè constat. At nihil est in rerum natura ea ipsa monstrosius. ita scilicet imponit hic agyrta lectoribus suis.

24. INSANE] V. N. Trinum. act. 3. 1.

25. ED. VEL ELEPH.] *Vel*, hic non est disiunctivum; sed ponitur pro *etiam* aut *quamvis*: ut hinc non longule: *Vel illa: qua benè* &c. Terent.

Ego illam Eunuchum, si sit opus, vel sobrius.

Colerus distinguit: *Ubi tu es, eccum edepol. ART. Vel eleph.* quæ stella lucet in cælo Pareano editionis primæ; ejecta verò secundæ.

26. PERFREGISTI] MSS. & Ed. *præfigisti*.

26. BRACHIUM] Ad proboscidem elephanti, quæ Latinis *manus*, allusum. Et jocus est ex ambiguo. significat enim obscurè Parasitus, Militem, dum aliquem olim manu cædere conatur, pænè sibi brachium perfregisse. per elephantem notans Militem, quod sit instar elephanti magna bestia & stolidus & quasi ἀναίσθητος, ut elephantus, propter corii duritiem: *S. Bosius*.

28. AT INDILIGENTER] ἀλλ' οὐ πάνυ τι ἐμμελῶς ἐπράχθη. L.

30. PERQ. OS ELEPHANTO] ita Cam. sed Putschius meus è MS. & Prisc. lib. 6. leg. *elephanti*. ut confusè etiam in MSS. Cam. est, *elephante*; correctumq; in pr. *elephanti*.

30. TRANSMITTERES] Ajo Plautum scripsisse, *transmitteras*. Veteres enim Præteritorũ flexiones à Præsentibꝰ formabant. Sic *atterui* pro *attrivi*, Propertius & Tibullus & Tacitus *occanui* pro *occinui*, Sallustius *premi* pro *pressi*, Cato c.66. *Consisti* pro *constiti*. Ennius & alii. Est porrò ἐναλλαγὴ Modi: ut paulò pòst, *occideras*, &c. Meursius. Sanè MSS. Cam. ambo, *transmitteret*, factumque in pr. *transmittere*.

34. PERAUDIENDA] Ms. sec. *perauriendas* & videtur Grutero ita scribendum, uti consonent, *dentes dentiant*. Atq; ita hoc etiam ex iis fuerint, quæ D. Heinsius ad Flaccum disputat: nempe multa esse in Plauto, quæ extra scænam non eant.

34. D. DENTIANT] ne dentes grandescant, vel potius, ne doleant. *Dentire* est, quod Græci dicunt ὀδοντοφυεῖν, i. dentes primum emittere. & ita interpretatur Gaza apud Arist. lib. 7. cap. 10. De hist. Animal. At cum dentes primulum nascuntur, nemo est, qui nesciat, pueris dentes dolere: Hæc Lambinus. Turneb. lib. 7. c. 10. *Dentes*, inquit, esuritorum hîc *dentire* dicuntur. ut enim pueri *dentire* dicuntur, cùm eis primùm oriuntur: sic quibus cessant à terendo cibo, quia non deteruntur, grandescere videntur, atque dentire, populari joco. J. Scaliger in Catalect. ad illud Virgil. *Fameque genuini crepant*, notat: ut famelicis canibus crepare solent. Plautus: *Venter q. &c. ne dentes dentiant.* Græci dicunt μυλιᾶν. ut Hesiodus, δεινὸν μυλιόωντες. In eâdem significatione *dentire* Varroni ἴσως ποτὶ τῶ μῶν: ut & Pluto.

Teges ruinâ, ne jacentem sub deo
Ambesset algus dentientem frigore.

Hipponax, βαμβακίζειν:

Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι. κάρτα γὰρ ῥιγῶ,
Καὶ βαμβακίζω——

Ad quos versus Hipponactis allusit Aristophanes; ὄρνισι.

Σὺ τοῦτον, οὐ μὴν τὴν σπολάδα καὶ χιτῶν' ἔχεις.
Ἀπόδυθι, καὶ δὸς τῷ ποιητῇ τῷ σοφῷ.
Ἔχε τὴν σπολάδα. πάντως δέ μοι ῥιγῶν δοκεῖς.
&c.

A Quod tamen Scholiastes assecutus non est. Hactenus Scaliger.

35. ASSENTIANDUM] ita MSS. Cam. quod merito suo Douza retinet. Lamb. *assentiendum*. pro quo pugnat Theod. Marcilius in Satyra 1. Persii, subnixus Marii Victorini Orthographia, sic Laudantis: minus justè V. N. Bacch. 3. 3. R. 7.

36. HEM, SCIO IAM] Nota graphicum parasitum: qui non ea tantùm, quæ Miles dicit, sed quæ dicturus est, jam prænovit.

37. QUICQUID EST] Quicquid sit istud, memini & scio: & tibi assentio esse verum. L.

38. VIS ROGARE?] Nostri: Das du auch fragen magst. Verdreust dich nicht des fragens? Hanc enim puto esse sententiam. Itaq; ridiculè addit, *Habeo & stilum*. Quasi vero ullus sit usus tabellarum sine stilo! Solebant autem circumferre tabellas, in quibus mercenariorum militum nomina conscribebãt: ut scirent, quibus stipendium deberetur. Inferius hâc Scenâ: *ut in tabellis* &c. V. N. Curcul. act. 4. 4. Palm. l. *vab! rogare? h.* Infrà act. 3. 3. *AR. rogitare?* ubi Not. vide. Acid. *hui rogare?* Grut. suspicatur, *jus rogare*, legi posse: cum eodem modo scribatur in MSS. *jus* ac *vis*. Is. Pontanus: *vis summare? habeo & stilum.* unde & statim summatio instituitur. Nam eum tabellas habuisse, liquet ex eo, quòd addit: *habeo & stilum*. Cur ergò (ut vult Lamb.) utendas rogaret? V. N. Rud. act. 4. 8. & Trin. 2. 4.

B 40. UT PRÆVOLET] ita MS. sec. à manu prima, neq; aliter Edd. vett. scilicet à *prævelando*. Acid. mavult *prævelit*, à *prævolendo*: & legit; *ut prævelim quod tu velis*. quod in editionem pr. statim rapuit Pareus, sine sale ac lepore.

41. QUO] Ita MSS. Cam. & vett. edd. Ac Douza malit *quod*. Pareus editione ultima impudenter nobis obtrudit, *qua*, sine libris ullis.

43. ET QUINQ. CENTUM] Alii distinguunt:

——*centum in Ciliciâ*
Et quinquagingınta; cent. Syc.

Notentur autem Gloriosorum mores, quibus non satis est, summatim facinora sua prædicare: nisi etiam ordine enumerentur. vide Casaub. Com. ad Theophr. c. περὶ ἀλαζονείας.

43. SYCO-

43. SYCOLATRONIDÆ] Jocatur in nomine Plautus, cujus idem esset initium, quo *Sycophanta*: Cam. sed Alciatus l. *Sidolatroniæ*: & ait, confictum esse à Parasito, *Cylum Laconiæ* pronunciare nesciente ob imperitiam. MSS. *in Sycholatronie*, deletumque postea *in* apud pr. factumq; *Sycholatrones*.

46. Q. I. SUMMA EST?] J. C. Scaliger. *De Plantis*, hoc exemplo sententiam suam illustrat. quâ probat, *Summam* rei, in tali loco, nō à *suprema* contractam vocem esse, sed à *sumendo* dici, &c. Vide etiam Christian. Becmanum meum in *Summa summarum* Origin.

46. SEPT. MILLIA.] Collectio perspicuè falsa. Egregiam adsentatoris descriptionem habes apud Lucian. in *Timone*.

49. MEMORIA] sc. tua. Grut. suspicatur, *memoriâ es optimâ*: ut Most. act. 3. 1. *scio te bonâ esse voce, ne clama nimis*.

49 ME MONET] i. memorem facit, & quasi memoriam suggerit mihi. Sic Curcul. *Nil tu me saturum monueris*. D. Pareus dicit illud *me* non comparere in MSS. at nec comparet ejus *monent*. nam pr. *offa emonet*; quod & in edd. primis usque ad Camerarianam, qui versus caussa literam interposuit, cui non magis attendit Pareus, quàm discipulorum gutturis inferioris spiritibus.

50. DUM TALEM FACIES, QUI ADHUC ASS. EDIS:] ita MSS. *edis*, pro, *edes*; quomodo Turn. l. 2. 28. correxit hoc sensu: dum talem me prædicabis, qualem adhuc prædicasti, tibi quod comedas non deerit; semper enim te mensâ meâ communicabo. Terent. Adelph.

——*facio te apud illum deum*.

Plaut. Asin. act. 2. 2.

Facetum facio me atque magnificum virum.

Gruterus; *Edis*, inquit, antiquè pro *edes* positum. Sed nec temerarium est, quod dicit, *assiduo*: nam subindicat eum in subsellio proximo sumpturum cibum. Allusit noster Truc. act. 2. 4.

Posteà ego tota tecum, mea voluptas, usque ero

Assiduo. DI. imò hercle verò accubuo mavelim.

Helias Putschius. è v. c. vestigiis leg.

Dum tale facinus, quale adhuc, assiduò edes; Communic.

Sed profectò calidum est; quid, si & callidum? placuit tamen Pareo, atq; in textū retulit editionis primæ Colvius in v. *edes*, obscœnitatem quærit, ad exemplum illius Curcul. act. 1. 1. & Pseud. act. 4. 7.

52. QUINQ. S. NI HEBES] graphica hyperbole, tacitâ irrisione fermentata.

53. OCCIDERES] MSS. ambo à primâ manu, *occideris*. Douza l. *occideras*, *ἀντὶ τοῦ occidisses*: genere loquendi Poetis perquàm familiari. At Schoppius contra nititur, vel ex illo superiùs paulò,

Perque os elephanti brachium transmitteres, pro, *transmisisses*. Susp. Lect. lib. 5. 7.

54. AT PEDITATUS] At pedites illi 500. totius peditatûs erant reliquiæ, si viverent, i. si ulli essent. Jocus. significat pedites nullos fuisse. L.

54. RELIQUIÆ] Meurs. è v. c. *reliquia erant*, *ἰνκῶς* ut *delitia*. quod in contextum recepit Pareus, ità tamen ut rescripserit *reliquia*. Euge! Antiquitas redit. In MSS. Cam. *At peditas teluquia erant*.

59. HERI!] pro *heri*. Ter. Eun. act. 2. 3. & Hecyrâ act. 3. 1. Ovidius 3. Fast. Juvenal. Sat. 6. Vide Quintil. lib. 1. 12. Prisc. lib. 15. Donat. Phorm. Agel. lib. 10. c. 24.

60. REPREHENDERUNT] ita MSS. Cam. vulgo, *reprehendere*. V. N. Epid. act. 1. 1.

61. ACHILLES] Græcorum & pulcerrimus & fortissimus.

62. INNUIT] Palm. l.

Immò ejus frater, inquam, infit illarum altera,

Ergò m. p. c. inquit, mihi Et l. visus.

63. ERGO] pro *certè*, Persâ: *Ergò edepol palles*: Dousa. Sed enim Servius Bucol. 5. itemque J. Philarg. ad 2. Georg. v. 393. notant, *Ergò*, utrobique *merito* significare, usu antiquo: & ita usum etiam Virgilium.

64. ET LIBER. VISUS.] Suspicor legendum, *& liberalis! juba & cæsaries quàm decet!* juvantque aliquid MSS. codd. in quibus *vida & cæsariis*: aut, *inda & cæs.* Martial. lib. 1. ep. 32.

Dumque decent fusa lactea colla juba.

hæc J. Grut. At Pareus heic prodit cum pædagogico sceptro, eoque dedolat suo more illud *juba*, tanquam belluæ convenientius scilicet quàm homini. *Scitur*, inquit, *quid juba sit*. jubetque adeamus Martialem lib. 8. Epigr. 55. carpitque obiter & ibi eos qui *unda* reposuerunt, ubi MSS. *umbra jubæ*, Miselle Magister! tuum non est transire præscripta barbaræ tuæ pomeria; multò minus judicium tibi sume-

sumere de rebus quas nunquam didicisti. Interim norint pueri tui, *jubam* attribui & viris. Seneca cap. 12. de brev. vitæ: *Quomodo excandescunt, si quid ex juba sua recisum est!* Salvianus libro 8. de Provid. *& recisis comarum fluentium jubis ad cutem tonsum videre &c.* unde *etiam* vident, cur Gruterus maluerit *undam jubæ*, quam *umbram*, apud Poetam Hispanum. Cæterum vide mihi, quàm similia toti huic loco habeat ἔμψυχος Ἀφροδίτης (ita judico) εἰκών, *Aristænetus*, Epist. XI. ἴδε μειράκιον εὐπρεπές: ἴδε κάλλος ἀπηκριβωμένον τῇ φύσει. *Vide formosum juvenem: Vide formam ad amussim à Naturâ exactam.* Ibidem: ἔστι δὲ καὶ ἡ κόμη: καλὴ μὲν καθ' ἑαυτὴν οὖσα, ἔτι δὲ καλλίων περιεκτεινομένη μὲν τῷ μετώπῳ, συγκατιοῦσα δὲ τῶν ἰούλων παρὰ τοὺς ὦς. *Sed hæc cæsaries pulcra per se quidem: sed pulcrior circumplexa sinciput; dein juxta aures descendens mixta lanugini.* Ibidem: μακαρία ἡ συγκοιμωμένη τούτῳ, χλιδῶσα κατ' εὐνὴν, καὶ ἐντρυφῶσα τῷ κάλλει: *Fortunata quæ cum ipso cubat, luxurians in lecto, formâque superbè gaudens.* Et quod hic: *Amant te omnes mulieres*; idem, Καὶ πᾶσαι μοι δοκοῦσιν ἐρᾶν αὐτίκα τοῦ μειρακίου.

64. CÆSARIES] Græci comam alebant. ex quo crebrum est apud Homer. καρηκομόωντες Achæi. Colerus è Junio Philargyro Virgilii interprete ad 2. Georg. & ex ingenio, atque ex hoc maximè, hæc ita constituit:

> ——*hicinè Achilles est? mihi inquiunt.*
> *Immò ejus frater, innuit illarum altera;*
> *Ergò mecastor pulcer est, inquit mihi,*
> *Et liberalis. Vide, cæsaries quàm decet!*

Acid. ita:

> ——*hiccine Achilles est? inquit mihi.*
> *Immò ejus frater inquam. annuit illa. tum altera,*
> *Ergo &c.*

Cætera uti Colerus. videatur & Rutgersius lib. 5. cap. 17. Variar. Lect. nam Pareus serius in orbe natus est, quàm ut sibi adscribere debeat cubilia hujus *vide*: in quæ ultro incurrit Schopp. 4. Susp. Lect. ep. 7; sed rejicit. At enim Pareus si sequitur MSS. cur expungit illud *&* quod extat in utroque.

66. ITANE AIEBAT TANDEM?] hoc genus loquendi usurpabant, quum interrogarent eâ de re, quæ admirationem; atque etiam molestiam afferret. unde sequitur, *Nimia est miseria.* Sic Ter. *Itáne tandem quæso*

A *Menedeme*, &c. Similia sunt illa: *Itáne? Itáne est? Itáne verò? Ain' tu? Ain' tandem?* Siberus.

66. QVÆ ME AMBÆ] ita MSS. q. d. Quid hoc quæris, itáne mecum locutæ sint mulieres, quæ me ambæ obsecraverint, ut te &c. Schoppius Suspect. Lect. lib. 5. 7. *Quanè ambæ* &c. q. d. de illisné quæris, quæ ambæ me rogarunt &c. Sic Epid. act. 5. sc. 2. v. 54.

> *Ain tutè illius invenisse filiam? EP. inveni, & domi est.*
> *AP. Quàmne hodie per urbem uterque sumus defessi quærere?*

V.N. ibid. ita Curcul. sc. ult.

> *Dum quidem hercle ita judices, ne quisquam à me argentum auferat.*
> *MIL. Quódne promisisti?*

Sic Amphit. act. 2. sc. 2.

> *AM. quanè vigilans somniat?*

conjectaneum istud apparet in Pareanâ primâ. adeo charybdis ea omnia ad se rapit.

67. Q. POMPAM] Lips. 2. Antiq. 16. hæc interpretatur ex illo, quo dii solemni pompâ Romæ quotannis, Circensium diebus, in carpentis traducebantur. nam id propriè *Pompam* vocasse ait. Sic Prudentius de Vestâ:

> *Fertur per medias, ut publica pōpa, plateas*
> *Pilento residens molli.*

B ILLA] MSS. à primâ manu, *illam*. sed emendatum in primo *illa*. quod idem cū illac.

68. NIMIA EST MISERIA] Profert hunc versum Donatus ad illud Terent. Eunuch. act. 4. sc. 7. *Omnia prius experiri*, (V.N. Trucul. act. 4. 2.) *quàm armis, sapientem decet*; his verbis: *Animadverte, quantam vim habeant ad delectandum in Comœdiis severæ sententiæ, cùm à ridiculis personis proferuntur. quale est apud Plautum, ubi Miles suam formam admirans ait; Nimia est miseria, h.* &c. Gruterus jubet doctiores excutere scripturam, quæ restat à primâ manu in membranis Pal. sec. *Nimis miseriam.* suspicatur enim eodem modo dici potuisse, ut Ovidio Metam.

> *Fortunamque dies habuit satis.*

sic enim hic etiam MSS. Affirmat Pareus in MS. sec. initio fuisse *Nim' ist* falsissimè. visitur in eo solùm *Nimis miseriam nimis p.*

68. H.N. ESSE PVLCRVM.] *Pulcer*, qui egregiâ facie est, aut splendido ornatu: *Formosus*, qui decorâ specie & apto totius corporis filo excellit. Sueton. de Nerone Claudio c. 51. *Vultu pulcro magis, quam venusto.*

74. LATRONES] i. milites: ἀπὸ τῆς λατρείας. Ii & λειτουργοί. λατρεύειν est obsequi & mercede servire. & *latrocinari* pro militare, Latinis in usu fuisse norunt omnes. Varro lib. 6. de Lingua Lat. eos appellari scribit, quasi *laterones*, quòd adsistant lateri regis; qui nunc sunt *stipatores* & *satellites*: vel quia ad latus ferrum habent: vel quia mercede conducuntur, quæ λάτρον dicitur. (uti *stips* auctore Scal. *stipatoribus* nomen fecit.) Audiatur & Douza Centur. Plaut. lib. 1. cap. 24. maximè verò lib. 4. cap. 4. ubi magnam vim exemplorum coegit. Pœnulo, act. 3. sc. 3. ibidem: *nam hic latro in Spartâ fuit*, i. militari sacramento auctoratus. Grachus apud Nonium: *Qui apud regem in latrocinio fuisti: stipendium accepitasti.* Trinum. *Ibit istic latrocinatum aut in Asiam aut in Ciliciam.* quod ipsum in Heauton. suâ explicat Terentius, quum scribit:

In Asiam ad regem militatum abiit, Chreme.

Ad Regem, scilicet Persarum. Is enim *Rex* absolutè, vel, etiam *Rex regum*: interdum adjecto epitheto, *Rex magnus*, vulgò celebratur. Hæc & plura, ibi Douza. V. N. infrà 4. 6.

74. LATRONES, IBUS] Huc planè eunt MSS. Pall. & ita citat Nonius, itaque omn. edd. præter Pyladæ illam fatuam, cujus tradux est Curionis. *Ibus* autem pro *iis*: ut Curcul. *bibus*, pro, *bis*. Pareus heic ita se gerit, tanquam dictatoria lege moneat, ne aliter legamus: cùm jam sæculum sit quod ea scriptura floreat, producente eam Camerario. quin ipse solus, pro fatuitate sua, Curionis illud in theatrum editionis suæ primæ invexit, nempe *Latronibus ego dinum.* quo liquet censorem agere sui ipsum. Laudo factum. sed nullam tamen hinc famam petas, Ardelio, neque aliis præscribas, homo habere nullo numero inter doctos.

74. DINUMERUM STIPENDIUM.] Militum tam apud Græcos, quàm Rom. duo erant genera: illi sumtu suo militabant, & *Assidui* dicebantur: hi publico; & *Ærarij* atque *Metelli* sunt nominati. Vidi J. Meursii Commentar. in Lycophronis *Alexandram*, sive *Cassandram*, Poema obscurum.

78. AGE EAMUS] sic omnis hactenus editio. Pareana: *Agite; eamus*. sicque, vel jubet, vel judicat (nam cavit sibi dum totam vocem non expressit) legendum ex MSS. quorum pr. habebat initio, *Age ten.....* corrector verò illud *ten.* subductâ lineâ expunxit, implevitq; lacunam hisce, *eamus ergo*. at est in sec. *Age temus ergo*. ubi heic igitur illud Pareanum? quod alioqui vel ipse respuit versus.

ACTUS II. SCENA I.

PALÆSTRIO.

MIHI ad enarrandum hoc argumentum est comitas,
Si ad auscultandum vostra erit benignitas.
Qui autem auscultare nolit, exsurgat foras,
Ut sit ubi sedeat ille, qui auscultare volt.
Nunc, quâ assedistis caussâ in festivo loco,
Comœdiai, quam modò acturi sumus,
Et Argumentum, & Nomen vobis eloquar.
ALAZON Græcè huic nomen est Comœdiæ,
Id nos Latinè GLORIOSUM dicimus.
Hoc oppidum Ephesum est: idem est Miles meus herus,
Qui hinc ad forum abiit, gloriosus, impudens,
Stercoreus, plenus perjurij atque adulterij.
Ait sese ultrò omnes mulieres sectarier.
Is deridiculu'st, quaquà incedit omnibus.

Itáque hîc meretrices labiis dum ductant eum,
Majorem partem videas valgis suaviis.
Nam ego haud diu apud hunc servitutem servio.
Id volo vos scire, quomodo ad hunc devenerim
In servitutem, ab eo cui servivi priùs.
Date operam. nam nunc Argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adolescens optumus.
Is amabat meretricem matre Athenis Atticis,
ET ILLA ILLUM contrà, qui est amor cultu optumus.
Is publicè legatus Naupactum hinc fuit,
Magnai reiipublicai gratiâ.
Interibi ut hic miles fortè Athenas advenit,
Insinuat sese ad illam amicam mei heri,
Occœpit ejus matri suppalparier
Vino, ornamentis, opiparisque obsoniis.
Itáque intimum ibi se Miles apud lenam facit:
Ubi primùm evenit Militi huic occasio,
Sublinit os illi lenæ matri mulieris,
Quam herus meus amabat. nam is illius filiam
Conjicit in navem Miles, clàm matrem suam.
Eámque invitam huc mulierem in Ephesum advehit.
Ego quantum vivus possum, mihi navem paro,
Ubi amicam herilem Athenis avectam scio.
Inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nunciem.
Ubi sumus provecti in altum, id quod volunt,
Capiunt prædones navem illam, ubi vectus fui.
Prius perij, quàm ad herum veni, quò ire occœperam.
Ille me cepit. dat me huic dono Militi.
Hic postquam in ædis me ad se duxit domum,
Video illam amicam herilem, Athenis quæ fuit.
Ubi contrà aspexit me; oculis mihi signum dedit,
Ne se appellarem: deinde, postquam occasio est,
Conqueritur mecum mulier fortunas suas:
Ait sese Athenas fugere cupere ex hâc domu,
Sese illum amare meum herum, Athenis qui fuit:
Neque pejus quenquam odisse, quàm istum Militem.
Ego, quoniam inspexi mulieris sententiam,
Cepi tabellas, consignavi clanculum:
Dedi mercatori, qui ad illum deferat
Meum herum, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat,
Ut is huc veniret. is non sprevit nuncium.
Nam & venit, & is in proximo hîc devortitur

Apud

Apud ſuum paternum hoſpitem, lepidum ſenem.
Itáque ille amanti ſuo hoſpiti morem gerit.
Nósque operâ conſilióque adhortatur, juvat.
Itáque ego paravi hîc intus magnas machinas,
Quî amanteis unà inter ſe facerem convenas.
Nam unum conclave, concubinæ quod dedit
Miles, quò nemo niſi eápſe inferret pedem,
In eo conclavi ego perfodi parietem,
Quà commeatus eſſet hinc huc mulieri.
Et ſene ſciente hoc feci: is conſilium dedit.
Nam meus conſervus eſt homo haud magni pretij,
Quem concubinæ Miles cuſtodem addidit.
Ei nos facetis fabricis, & doctis dolis
Glaucomam ob oculos objiciemus: eúmque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit.
Et mox, ne erretis, hæc duarum hodie vicem:
Et hîc & illinc mulier feret imaginem:
Atque eadem erit, verùm alia eſſe aſſimulabitur.
Ita ſublinitum eſt os cuſtodi mulieris.
Sed foris concrepuit hinc à vicino ſene.
Ipſe exit: hic ille eſt lepidus, quem dixi, ſenex.

HÆc Scena totins argumenti Comici narrationem continet. A

PALÆSTRIO] Alciat. Parerg. l. 9. cap. 11. leg. cenſet *Paleutrio*: aitque nomen eſſe conveniens veteratori.

COMITAS. BENIGNITAS] V. N. Trin. act. 2. 1.

ἀλαζὼν] i. oſtentator. Ariſt. lib. 4. cap. 7. ad Nicomach. huic opponit εἴρωνα. qualis apud Græcos *Socrates*, apud Lat. *Lælius* habeatur: *L.*

10. EPHES.] Cam. ait in ſuo MS. eſſe *Epheſum*, mutato genere: ut & in aliis fecerint Latini.

10. IDEM EST] Lipſius: *inde* vel *indidem*. Cam cod. l. *idem*. ſuſpicabatur tamen leg. *ibidem*. Douza, *indidem eſt*: ut ſignificet, Militem eſſe Epheſium. Schop. τὸ *idem* retinet, demonſtrat enim (inquit) quaſi intento digito herum ſuum Palæſtrio. At verò cùm in vett. editt. nihil horum appareat, ſed ſimpliciter: *Hoc op. Epheſius eſt: miles meus eſt herus*: præfert hoc Acid. ut quod & verſui ſufficiat. Sanè hoc & MS. ſec. Cam. præfert, niſi quod is *Epheſum eſt*.

12. STERCOREUS] Miles hic ſpecimen eſt illius Varronianæ:

Omnes videmur, nobis eſſe belluli
Et feſtivi ſaperdæ: cum ſimus σαπροί:

ut quidem H. Junius reſtituit. Ludit autem in affinibus voculis *ſaperdæ* & σαπροὶ: quarum illâ ſapientes & venuſti ſignificantur, hâc putidi & marcidi. Vide & Luc. Fruter. Veriſ. lib. 2. cap. 4. Lipſius tamen in De unâ religione, leg. *Omnes videmur nobis ſaperdæ, feſtivi, belli: cum ſimus copreæ.* Nam *coprias*, ſcurra eſt, ut docuit Scaliger. unde & *D. Cyprianus* per contumeliam audivit *Coprianus*: B Lact. lib. 5: 2. Turneb. lib. 22. 32. *Copreos* interpretatur *ſtercorarios*. Sed hoc obiter.

16. VALGIS SUAVIIS] Scal. in Catalect. *Salivoſas aquas* Virgil. dicit: ut *ſalivatum* apud Columellam, quicquid ἀναστομοῖ, hoc eſt, quicquid guſtum reficit. (Plin. lib. 23. c. 1. *ſaliva vini*, i. ſapor) *Salivam movere*, dixit Seneca, Epiſt. 79. hoc eſt, guſtum facere. unde etiam Perſius Sat. 6.

——turdorum noſſe ſalivam.

Facetè, *Os usq. lambis ſaviis*, tanquam ſi aliquâ adji-

adjiciali cœnâ acceptus eſſes, *os lambis ſuaviis*, hoc eſt, more canum, quia liquid ligurierūt, labra etiamnum lambis. Hoc enim canes facere, cum ſapidum aliquid guſtârunt, videmus. *Savia* enim ſunt labra, ut Plauto, *valgis ductant ſaviis*. nam *valga ſavia*, labra ſunt diſtorta. ita enim labris conformatis ridebant Militem. nam ibi *ſavia*, labra ſunt: ne, ſi oſcula interpretaris, ſit, quod Græci στρεπτὸν φίλημα vocāt. Heſych. στρεπτὸν· φίλημά τι ποιὸν σκολιόν. Hæc ille. J. Palmerius Spicil. contra Turnebum docere ſatagit, non dicere aliud his verbis Petronium; *Quartilla commovebat valgiter labra, & me tanquam furtivis oſculis ſubindè verberabat*; quâm iſtum in Milite glorioſo; *Itaque hic meretrices* &c. Contrà J. Douza Præcid. lib. 1. cap. 12. Non rectè, inquit, facit amicus noſter, qui illa Petronii cum *valgis* Plauti *ſaviis* confundit, non ſine reprehenſione Turnebi: quem ego quidem à calumniâ libero: hactenus quidem quod ad furtivas illas Quartillæ oſculationes ſcilicet: nam de *valgis* Plautinarum meretricum prudentius conſuli potuiſſe, quis dubitet, qui quidem hæc illius verba examinet, lib. 7. Adverſ. cap. 6. (& lib. 1. cap. 15.) *Valga ſavia, obtortiones ſunt oris ad deriſionem. Nam ſuavium interdum eſt conformatio oris & labrorum adſuaviandum.* Sapienter ſanè uſque adhuc. illa, quæ ſequuntur, non item: *Meretrices autem dum Glorioſum Militem ductabant atque captabant, per illuſionem tamen inter oſculandum os obtorquebant, valgumque reddebant, eum ex animo non baſiantes, atque ludificantes.* Neque movet me ſententiæ ejuſdem ſuccidaneus Lambinus: quem hoc ipſo etiam Petronii exemplo confirmare nititur: perperâm, ut doctum eſt modò. *Suavia* enim non pro ſuaviationibus & meretriciâ collabellandi actione; ſed potius pro *labiis* ipſis accipi oportere, ipſa ſententia clamitat. idque divinitus à Scaligero animadverſum. Igitur non de *valgis* inter baſiandum Militem à meretricum turbâ per irriſum conformatis, ſed de *poſticis ſannis* intelligendum, ſine baſiatione: quibus faſtidioſæ illæ Militem abſentem, ſeu præſentem etiam, ſed adverſum tamen atque à tergo illudebant. Quas quidem ſannas oris obtortione laſcivum in morem adumbrare mos erat. indidemque interpretandum id quod anteceſſerat modò;

A *Itaque meretrices labiis dum ductant eum*. quod proverbialiter dictum aliud nihil ſignificat, quàm quod ipſe mox explicat Comicus, *valgis ſuaviis*: hoc eſt, pravè diſtorto ore Militem ſubſannant ſcilicet, & Glorioſum illum omnibus modis ludibrio ac deſpicatui habent. Hæc Douza. cui calculum ſuum adjicit Gruterus. Porrò Janus Meurſius affirmat, *valgo ſuavio* hîc aliud non eſſe, quàm apud Agell. *ſemihiculo ſuavio ſuaviari*. (V. N. A. ſin. act. 4. 1.) idque confirmat eopſe illo Petronii, *Commovebat valgiter labra, & me tanquam furtivis ſubinde oſculis* (Turneb. l. *oculis*) *verberabat*. Addam & quæ ad hunc locum Petronii Joh. à VVouweren annotavit. Quid ſit, inquit, *valgiter oſculari*, exprimit Lucianus ἑταιρ. διαλ. ἐφίλουν μὲν τὸ πρῶτον, ὥσπερ οἱ ἄνδρες, οὐκ αὐτὸ μόνον προσεφαρμόζουσαι τὰ χείλη, ἀλλ' ὑπανοίγουσαι τὸ στόμα. atque ita valgiter oſculantes colliſione linguarum ludebant. Apul. Miles. 6. *Accepturus ab ipſâ Venere ſeptem ſavia, & unum blandientis linguæ appulſum longè mellitum*. Idem lib. 2. *Arctiùs eam complexus cœpi ſuaviari: jamque patentis oris inhalatu cinnameo, & occurſantis linguæ illiſu nectareo pronâ cupidine allubeſcente*. Tibullus:

Et dare anhelanti pugnantibus humida
B *Oſcula.* (*linguis*

Hoc graphicè Cn. Matius:

Columbatimque labra conſerens labris.

Unde Mecænas: *Si quis fœminæ cirro ſ criſpatæ labris columbatur.* Videatur deniq; & P. Colvius ad lib. 3. Metamorph. Apul. ubi *ſavia* pro labiis à Plauto hîc ſumta exemplis probat. Quicquid tamen ſit, dejerat etiamnum Acidalius neminem tot interpretum veram hujus loci ſententiam animadvertiſſe. Nam *ſuavia*, inquit, rectè quidem labia accipiunt: rectè item *ductationem labiorum* pro contumelioſa non baſiatione, ſed ſubſannatione: ſed minus rectè *valga ſuavia* pro ipſa oris, inter ſubſannandum, obtortione. Non enim hoc ait Plautus, valgis ſuaviis Militem a meretricibus aſſiduò rideri: ſed inde adeò, quod aſſiduè labiis eum ductent, valga ſavia ſive ora pravè diſtorta ſibi ipſis feciſſe meretrices: ut maxima eorum pars ex contemnificâ iſtâ obtortione jam valga ſavia gerat. Judicet Lector. Si vera eſt, nimis profectò Poetica eſt ſententia; nec tamen à Comici noſtri ingenio alienior.

21. MATRE

22. MATRE ATHENIS ATTICIS:] Ita ambo MSS. Cam. & omn. mei, quasi conjuratim. quod fuerit; Athenis quasi matre natam. Cam.tamen & Lamb. edidêre, *æquè*. Schop. è vestigiis antiquæ script.leg.*artè* sive *arctè*. Plin.2.Epist.13. *Hunc ego, cum simul studeremus, artè familiariterque dilexi*. Palm. *mattè*, id est, valdè & efflictim: ut apud Sall. *macta munera*: Ter. *mactas partes*, & *mactum infortunio Chremen &c.* vel: *in acte Ath. Atticis*: ut Creticum admittat. *Athenæ in actâ*, dicebant, pro, *Athenæ Atticæ*. Cic.ad Att. *In acte Athenis statio mea nunc placet*: uti è MSS. doctiores legunt. *Athenis* autem *Atticis* dictum, ut à Lucillio *Capua Campana*, notante Bosio. & ultimum Grutero placet, nisi malimus, *meretricem acrem Ath.*

23. AMOR CVLTV OPTIMVS] Similis locus Cistell. act.1:3.

25. MAGNAI REIPVBLICAI GRATIA.] Sic locum hunc restituit Gabriel Faernus: imò ante eum Marius Victorinus: qui disertè ita Plautum scripsisse asseverat in Orthographiâ. quod annotant Gruterus, & Popma, qui *Reipubl.* scribendum monuit, ut *eij, reij &c.* Agell.lib.11.cap.9. *Legatos publicæ rei caussâ venisse Athenas*. Curionis Editio incuriosa nimis est: aut potius nimis curiosa. satisfecit tamen Pareo, qui ad eum modum primò edidit. at secundò, Victorini facinus sibi accommodare nititur, nimis quàm pueriliter: dum jactat se locum hunc partim ex MSS. suis, partim ex Victorini Orthographia reponere, *Magnai Reiipublicai gratia'st*: addito scilicet *st*; quo ipso sententiam planè corrumpit, impostor merus.

29. VINO, ORN.] Colvius ad Apul. emendat, *Vino, scitamentis opiparisque obs.* Sed hoc pacto & versus corrumpitur, & bis idem dixerit. At *Ornamenta* sunt ea, quæ gestamus corpore induti, quibus mirum quantum inescantur Lenæ sive magis Meretrices. *J. Grut.*

32. SVBLINIT OS ILLI LENÆ MATRI] ita vett. ed. nec abeunt MSS. Cam. Putschius leg. *Sublevit os illi lenæ, matri m.* Namque in MSS. *æ* atque *&* sæpius confundi. Vulg. *& matri.*

34. CONIICIT] ita acutè Camerarius, ex vestigiis MSS. in quibus *contegit*, aut *contigit*. Pistoris mâlit, *compegit* retinere, quod in vulg. est. admodum propriè, & ad vim, A quam Miles adhibuit significandam, & ad navis angustias atque molestias. Sic, *compingere in carcerem*.

35. IN EPHESVM ADVEHIT] Sic Pseud. *in Sicyonem abduxit*. Proper. 2. el. 32. *Cur te in Herculeum deportant esseda Tibur*. unde Cicero temerè sudat sub finem epist. 3. lib.7. ad Atticum. *Passerat.*

36. QVANTVM VIVVS] ita MS.pr. à manu prima: neq; aliter sec. Acidal. Omnes, inquit, vett. *quantum unus possum*. Ejiciatur *unus*, & nihil Plautinius potest, *quantum possum*. vel retine, hoc modo:

Et quantum possum, unus mihi n paro.

Quasi comites non exspectarit, sed solus sibi navem statim conduxerit. J. Guliel. *quantocyus*. Camerariana, *quantum citius*, quod à correctore in MS. pr.

38. INSCENDO] Sic Cic. aliquoties *conscendere*, absolutè, pro, navem conscendere.

39. ID QVOD VOLVNT.] Quod genus istud maximè cupit & solet. At Just. Lipsius malit: *id quod di volunt*. Sic enim, inquit, in rebus subitis loqui solent. Quod Grutero tamen minimè probatur: cùm vel centies ita B soleat Plautus. Amph. act.1:1. *Denique, ut voluimus, nostra superat manus*. Merc. Sc.1.

Omnes, ut volui, vendidi ex sententiâ.

Trin. act. 4:1. *Pol placido te & clementi meo usque modo, ut volui, usus sum, &c.* J. Guliel. ——*illicò advolant Prædones, capiunt nav.* Acid. *Atque advol. Pr. cap.* cui & ipsi non placet illud Lipsianum. *Atque* autem est *statim*: ut Bacchid. Mercat. alibi. sed ferè semper in re subitâ & inopinatâ sic usurpatur. In MS.pr.est, *fit quod v.* at in sec. *fit q.* & verò illud *fit*, huc bellè facit. ed. pr. habet, *sicut volunt*.

42. ILLE ME CEPIT. DAT ME.] Sic MSS. & edd.vett.posteriores immisere, *Ille, qui me cep.* sed quid si potius fiat: *Ille me cepit: datat me &c.* sic & versu seq.duplicato *sese*, non necesse fuerit contra libros reponere *deduxit*.

60. MACHINAS] quas postea *facetas fabricas*, & *doctos dolos* appellat.

61. FACEREM CONVENAS] συνηλύτας. fortasse τὰς συνουσίας εἰς ἀφροδισιασμὸν innuit. *Conventiones* enim & *convenire*, pro, liberis operam dare, legitur apud Arnobium lib.7. Et *conventus*, pro concubitu lib. 2. *Et conventu Jo-*

tu Jovis inseminati & nati sunt. Et hinc explicandus locus Cistell. act.1:1.

——hanc mihi educavi
Ex patribus conventiciis.

Patres conventicii videlicet promiscui adventores fuerant, & qui in unius scorti nidum conspiraverant amatores. quanquam hic Grut. *patres convenas* legit; æquè eleganter. Ovid. 3. Arte:

Conveniunt illas, cum voluêre, viri.

videatur J. Guliel. Plaut. Quæst.

63. EAPSE] ea ipsa: Turn. lib. 2: 28. At Douza malit, *quò nemo nisi ea se inferret pede:* exemplo Catulli:

Quò mea se molli candida diva pede
Intulit——

65. HINC HVC.] MSS. *hic huc.* Edd. vett. *hic huic.* recentt. *hinc huic.*

70. GLAVCOMAM] *Glaucoma* vitium oculorum, quod Celsus lib. 6. *Suffusionem* appellat, Græci ὑπόχυσιν, Plinius semper *glaucoma.* neque aliter heic MSS. nempe *Glaucuma.* alterum tamen restat in edd. pr.

71. QVOD VIDERIT NON VIDERIT] Proverbiale oxymoron. Teren. Eun. 4. 4. *Quod scis, nescis.* Heauton. *Quod scis nescias, si sapis.* Proper. 2. el. 18. *si quid vidisti, semper vidisse negato.* Passerat.

72. H. D. HODIE VICEM] Bis repeti quidem *duarum,* & jungi cum *vicem* simul & *imaginem* durum est, neque sententia valdè

A bona. Credo scripsisse Plautum, *in vicem* i. per vices &c. *Acidal.*

76. FORIS CONCREPVIT] In Græcia omnes omnium ædium fores non introrsùm trahendo, sed in viam publicam pellendo aperiebantur. quoniam autem periculum erat, ne quispiam, qui aut præteriret, aut pro foribus staret, ab impulsâ januâ pelleretur: ideò qui exituri erant domo, solebant priùs ipsimet intrinsecus aut fores ædium suarum percutere; aut crepitu digitorum indicium facere; ut illo strepitu admonerentur, qui foris erant, cavere sibi, atque eatenus absistere, ut ne læderentur. Hinc factum ut in Plauti ac Terentii Fabulis nunquam ferè quisquam egrederetur, ut nō antea *fores crepuisse*

B dicerentur. Vide Muret. Var. Lect. l. 1: 17. & Plutarch. in Poplicolâ. inprimis Turneb. Advers. lib. 11: 12. & lib. 4: 15. ut & Not. Pseud. act. 1:1. Ita Græci habent suum ψοφεῖν & κόπτειν; quorum illud est exeuntium; hoc, ingredientium, quod Latini *pultare* dicunt. Vide Scholiast. Aristoph. in Nubb. item Euripidis in Orestem, pag. 129. Frid. Tiliobroga existimat, publicas tantùm ædes vel Nobilium ita ædificatas fuisse, ut in publicum aperirentur: & conjecturam facit ex Arist. lib. 2. c. 2. Οἰκονομ. Plutarchum quidem de omnibus id scribere: sed uti Comico testimonio: nisi quòd lenonum ædes hoc modo leguntur apertæ: quæ & ipsæ quasi publicæ.

ACTUS II. SCENA II.

PERIPLECTOMENES, PALÆSTRIO.

NI hercle defregeritis talos, posthac quemque in tegulis
Videritis alienum; ego vestra faciam latera lorea.
Mihi quidem jam arbitri vicini sciunt, meæ quid fiat domi.
Ita per impluvium intrò spectant. nunc adeò edico omnibus,
Quémque à milite hoc videritis hominem in nostris tegulis,
Extra unum Palæstrionem, huc deturbatote in viâ.
Quòd ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam
Dicat, disperistis, ni usque ad mortem malè mulcassitis.
Atque adeò, ut ne legi fraudem faciam Talariæ,
Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.
PA. Nescio quid malefactum nostrâ huic familiâ est, quantum audio;
Ita hic senex talos elidi jussit conservis meis,
Sed me excepit. nihili facio, quid illis faciat cæteris.
Aggrediar hominem. éstne advorsum? est quasi collaturus pedem.

Quid

Quid agis, Periplectomene? PE. haud multos homines, si optandum fuerit,
Nunc videre & convenire, quàm te, mavellem. PA. quid est?
Quid negotij est? PE. res palàm est. PA. quæ res palàm est? PE. de tegulis
Modò nescio quis inspectavit vestrorum familiarium
Per nostrum impluvium intus apud nos Philocomasium atque hospitem
Osculanteis. PA. quis homo vidit? PE. tuus conservus est. PA. quis is homo est?
PE. Nescio, ita abripuit repentè sese subitò. PA. suspicor
Me perijsse. PE. ubi abijt, conclamo: heus quid agis tu, inquam, in tegulis?
Ille mihi abiens ita respondit, se sectari simiam.
PA. Væ mihi misero, cui pereundum est propter nihili bestiam.
Sed Philocomasium hìccine etiam nunc est? PE. cùm exibam, hìc erat.
PA. Sis, jube transire huc, quantum possit, se ut videant domi
Familiares: nisi quidem illa nos vult, qui servi sumus,
Propter amorem suum omneis crucibus contubernaleis dari.
PE. Dixi ego istuc; nisi quid aliud vis. PA. volo. hoc dicito,
Paret artem & disciplinam: obtineat colorem. PE. hei, quemadmodum?
PA. Vt eum, qui hìc se vidit, vero vincat, ut ne viderit:
Siquidem centies hìc visa sit, tamen inficias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam:
Qui arguet se, eum contrà vincat jurejurando suo.
Domi habet animum falsiloquum, falsificum, falsijurium:
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam supplicat, si qua est mala.
Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos.
PE. Ego istæc, si erit hìc, nunciabo. sed quid est, Palæstrio,
Quod volutas tute tecum in corde? PA. paulisper tace,
Dum ego mihi consilia in animum convoco, & dum consulo
Quid agam; quem dolum doloso contrà conservo parem,
Qui illam hìc vidit osculantem: id visum ut ne visum fiet.
PE. Quære. ego hinc abscessero abs te huc interim. illuc sis vide
Quemadmodum abstitit, severâ fronte curas cogitans.
Pectus digitis pultat, cor credo evocaturũ st foras.
Ecce autem avortit, nisus lævâ, in femine habet lævam manum;
Dexterâ digitis rationem computat, feriens femur
Dexterum ita vehementer, quod tactu ægrè suppetit.
Concrepuit digitis; laborat; crebrò commutat status.
Eccere autem capite nutat: non placet quod repperit.
Quicquid est, incoctum non expromit: bene coctum dabit.
Ecce autem ædificat: columnam mento suffulsit suo.
Apage, non placet profectò mihi illa inædificatio.
Nam os columnatum Poëtæ esse inaudivi barbaro,
Cui bini custodes semper totis horis accubant.

Euge,

Euge, euge, euschemè hercle astitit, & dulicè & comœdicè.
Nunquam hodie quiescet, priusquam id, quod petijt, perficit.
Habet, opinor. age, si quid agis: vigila, ne somno stude:
Nisi quidem hîc agitari mavis varius virgis. vigila:
Tibi ego dico. au! feriatus ne sis. heus te alloquor, Palæstrio:
Vigila, inquam: expergiscere, inquam: lucet hoc, inquam. PA. audio.
PE. Viden hostis tibi adesse, tuóque tergo obsidium? consule:
Arripe opem auxiliúmque ad hanc rem. properè hoc, non placidè decet.
Antevenito aliquà aliquos, aut tu circumduce exercitum,
Curre in obsidium perduellis, nostris præsidium para:
Intercludito inimicis commeatum, tibi muni viam:
Quâ cibatus commeatusque ad te & legiones tuas
Tutò possit pervenire. hanc rem age. res subitaria est.
Reperi, comminiscere, cedò calidum consilium citò.
Quæ hîc sunt visa, ut visa ne sint: facta infecta uti sient.
Magnam illic homo rem incipissis: magna munis mœnia.
Túte unus si recipere hoc ad te dicis, confidentia est
Nos inimicos profligare posse. PA. dicò & recipio
Ad me. PE. & ego impetraturum dico id quod petis. PA. at te Juppiter
Bene amet. PE. at imperti, amice, me, quod commentu's. PA. tace;
Dum in regionem astutiarum mearum te induco, ut scias
Juxtà mecum mea consilia. PE. salvà sumes indidem.
PA. Herus meus elephanti coriio circumtentus est, non suo:
Neque habet plus sapientiæ, quàm lapis. PE. egomet istuc scio.
PA. Nunc sic rationem incipissam, hancque instituam astutiam.
Ut Philocomasio hanc sororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo,
Tam similem, quàm lacte lacti: & apud te eos hîc devortier
Dicam hospitio. PE. euge, euge, lepidè: laude commentum tuum.
PA. Ut si illic concriminatus sit adversum Militem
Meus conservus eam vidisse cum alieno oscularier,
Eum arguam vidisse apud te contrà conservum meum
Cum suo amatore amplexantem atque osculantem. PE. imò ut optimè!
Idem ego dicam, si me exquiret Miles. PA. sed simillimas
Dicito esse; & Philocomasio id præcipiendum est, ut sciat,
Ne titubet, si quæret ex eà miles. PE. nimis doctum dolum!
Sed si ambas videre in uno Miles concilio volet,
Quid agimus? PA. facile est, trecentæ possunt caussæ colligi:
Non domi est, abijt ambulatum, dormit, ornatur, lavat,
Prandet, potat, occupata'st, operæ non est, non potest:
Quantum vis prolationum; dum modò nunc primâ viâ
Inducamus, vera ut esse credat quæ mentibitur.

PE. pla-

PE. Placet ut dicis. PA. intrò abi ergo, & si isti est mulier, eam jube
Citò domum transire, atque hæc ei monstra: præcipe,
Vt teneat consilia nostra, quemadmodum exorsi sumus
De geminâ sorore. PE. doctè tibi illam perdoctam dabo.
Nunquid aliud? PA. intrò ut abeas. PE. abeo. PA. & quidem ego ibo domum,
Atque hominem investigando sumam operam, hinc dissimulavero.
Qui fuerit conservus, qui hodie siet sectatus simiam.
Nam ille non potuit, quin sermoni suo aliquem familiarium
Participaverit de amicâ heri, sese vidisse eam
Hîc in proximo osculantem cum alieno adolescentulo.
Novi morem ego: & tacere nostrorum *solus scio.*
Si invenio qui vidit, ad eum vineas pluteósque agam.
Res parata est, vi pugnandoque hominem capere certa res est.
Si ita non reperio, ibo odorans quasi canis venaticus,
Usque donec persecutus vulpem ero vestigijs.
Sed fores concrepuerunt nostræ. ego voci moderabo me.
Nam illic est Philocomasio custos meus conservus. atque it foras.

HUius Scenæ versûs sunt quadrati integri, & trochaici τετράμετροι καταληκτικοὶ, ut & Sc. sequentis. A

V. 1. QVEMQVE] ita MSS. Cam. & omn. ed. At Lamb. & Colvius, & J. Gul. l. *quemquèm*. *Quiqui* pro, *quicunque*, etiam Cic. dixit 2. de Fin. *Omnes, quiqui sine dolore sint.* At Palm. *Quemque* tuetur. *Quæque* enim, pro, *quæcunque* non est novum. Ausonius:

Pareto legi, quisque legem sanxeris.

In Epigr. de Virgil.

Longè erit à primo, quisque secundus erit,

i. quicunque secundus erit.

2. FACIAM LATERA LOREA] *latera lorea* sunt latera virgis cæsa & lacerata: quod corium sic vapulantium in lora scindi videatur. nam *lora* corium in corrigias scissum significant. perinde igitur est, ac si diceret, è vestro corio scindam lora virgis. *Turn. lib. 7: 5. & lib. 2: 28.*

3. ARBITRI] i. inspectores: ut *arbitrari*, speculari ac prospicere. V. N. Aul. act. 4: 1. ita & *arbitrium*, prospectum ac speculationem significat. Hor. 1. Epist. 11.

3. VICINI SCIVNT] in duob. MSS. notat Schopp. legi *arbitri & vicini sciunt*. ita τὸ *mihi* esset παρέλκον. V. N. Sc. 1. sed non: natus error à veteri ratione scribendi, *arbitrei*. sæpius enim in iis MSS. illud *et* notat literam præcedentem scribi debere per *ei*.

5. QVEMQ. A MILITE] Sic alibi: *Foris concrepuit à sene*, i. senis. Particula enim *a* vel *ab* Sexto casui juncta inducit vim Patrui. Nec abhorret ab hâc elegantiâ Lucr. *Fulgor ab auro: Ceres ab Jacho*: pro, *auri fulgor: Jachi Ceres.* Mira est illa dicendi ratio apud Cic. Epist. *reus à Milone*, i. accusatore Milone. Vide Gifan. Indic. Lucret. Pareus utraq; editione male expressit, *hic*, certè contra MSS. qui *hoc*. etiam olim cusi, *huc*.

6. HVC DET. IN VIA.] ita MSS. & vet. ed. non *hunc*.

7. QVOD ILLE GALLINAM &c.] Venusta & antiqua locutio: quæ sic explicanda: Quantum ad illud attinet, quod is caussari B velit, se gallinam, aut columbam, aut simiam, quæ domo aufugerit, persequi: nullam accipio caussam, actum est de vobis, nisi ad mortem eum verberaveritis. Sic Aul. act. 1: 2.

Quòd quispiam ignem quærat: extingui volo.
Ne caussæ &c.

Asinariâ act. 4: 1.

Quòd illa aut patronum, aut amicum nominet,
Aut quòd &c. Fores occlusæ sient &c.

id est, quod ad illud attinet, quod illa nominare possit aut patronum aut amicum: illi prætexto vel caussæ hoc oppono: *Fores occlusæ*

Parei audet asseverare in MSS. Pall. extare *bei.* contra apertam veritatem.

31. VERO VINCAT, NE SE VIDERIT] Videtur in MS. sec. fuisse, *berbis binçat, ne se bid.* à manu quidem primâ: nam à secundâ in MS. pr. ferè est, *hero junctam, junctam ne se biderit.* quod utrunque commodè tueri est: Sed valdè tamen confusa & dubia omnis ibi scriptura est: ut & editorum. mera verò sunt deliria, quæ heic ex eisdem MSS. profert Pareus: mera.

33. OS HABET] i. *Os durum & impudens,* ut in Ter. Eun. act. 4: 7. & act. 5: 1. Cicero Epist. 8. lib. 9. *Nosti os ejus adolescentioris Academiæ.* In Verr. *Nostis os hominis.* lib. 5: 10. *Si Appij os haberem*, id est, si essem eâ, quâ Appius impudentiâ. Sic *ferreum os*, in Pison.

35. LINGVAM] quâ mentiatur & pejeret.

36. DOMI HABET &c.] Non necesse habet ab aliis utendum rogare animum falsiloquum &c. Celebratur hæc locutio ab antiquis. Asin. 2: 2. *habeo familiarem tergum, ne quæram foris.* Bacchid. *Regias copias aureasque obtuli: ut domo sumeret, neu foris quæreret.* infrà: *Cum apud te exemplum experiundi habeas, ne petas foris.* Amph. 2: 2. *Domi scire*, (ut legit. Palm. ibid.) est à se conjecturam facere. Tale illud Cic. Lucullo: *Domi nobis ista nascuntur.* Idem, lib. 9: 3. Fam. *Sed quid ego hæc ad te, cujus domi nascuntur?*

37. DELENIFICA FACTA] θελκτικὰ, ἀπατηλὰ: facta ad decipiendum comparata: L.

38. OLITORI] MSS. *holitori.* Alius; *molitori.* quod vel sequentia refutant.

39. DOMI HABET HORTVM] Per *hortum* significat fontem & copiam malitiarum muliebrium. Mirè autem hìc variant libri. Vatic. *Omnes molis milificos:* vel, *omne oles milificos:* Aldus: *molis mellifica.* Latet ὕπουλον ulcus. Schop. in MS. ait fuisse, *moles malificas.* quod si, inquit, retinendum; dixisset *moles* pro dolis, quibus aliquis expugnatur: sicut alias *machina &c.* Sed sciat tamen Schoppius, sic à manu secundâ emendatum esse: cum antea esset, *molis malificos.* at MS. alter, *molis milificos.* Palmer. hic locus, inquit, ἀλληγορίᾳ sentētiam occultat venustissimam; *Nam mulier nunquâ molitori supplicat, si qua [illegible] est mala:*

Domi habet hortum, & condimenta ad omnes molis malificas.

A Sic enim corrigo. Videtur hoc dicere; *Mulier nunquam olitori supplicat:* reverâ dicit, *numquâ molitori supplicat.* scribebant *Nunquâ* sine *m*. Et *molitor* quis sit, notum in vulgus de illo Horatii:

——— *non alienas Permolere uxores.*

Utitur ita *molendi* verbo Lucillius. In illo autem *molis* allusum ad *molas.* In *malificas*, ad *mellificas:* affinitas & agnatio soni quæsita. *Hortum* autem quem dicat, non est Delphis petendum. Noti sunt *horti Hesperidum*, qui profectò non alii in fabulis, quàm id, quod in puellis honestè nominari nequit: & in iisdem hortis *poma* illa decantatissima nil nisi *colei Lanuvini.* V.N. Trucul. act. 2: 2. Ego quidem in tot sententiis ad Camer. accessi. Pareus in pr. ad Palm.

41. QVOD VOLVTAS TVTE T.] ita Grut. è MS. sec. Cam. Et errare Gulielmium censet Meursius, dum putat trochaicum esse, qui Octonarius sit. ac restituit: *Quod volvitas tute te decum in corde?*

41. VOLVTAS T. T. IN CORDE] Virgil. 6. Æn. *Atque hæc ipse suo tristi cum corde volutat.* Æneid. 7. *Volvit sub pectore sortem.* Placi-
B dus Gloss. *Volvere, cogitare, disponere, pati, tolerare.*

46. ABSTITIT] i. secessit: *Cam.* nec aliter MSS. at edd. *astitit.* quod est, interprete Acid. *adstitit.* Non enim à Sene Palæstrio, sed ab hoc ille absistebat, qui priore, v. dicit, se abscessurum. Et status servi designatur: ut infrà, *euschemè h. astitit.*

46. SEVERA FRONTE CVRAS COGITANS] Graphicè, inquit Douza, vultum statúmque ac gestus omnes hominis cogitabundi exprimit. Q. d. astrictâ, caperatâ seu corrugatâ ac matutina fronte curas unà pariter cum superciliis adducens, & velut sursùm compellens ac *cogens:* à cujus simplicis verbi fonte frequentativum illud *cogitans* deductum videri potest, velut *coagitans* unum in locum. *Cogere* enim simul agere est, quasi tu *coigere* dicas. *Cogitare*, pro, *curas congregare*, etiam Cam. in suo notatum esse ait. Nec abit à vi propriâ verbi illud Virgil. 1. Georg. ——— *quid cogitet humidus auster.*

47. PECTVS DIGITIS PVLTAT] Sic Merc. act. 3: 4. *Tristis incedit, pectus sarret,* (pro *sarrit* bareo, *quassat caput.*) videbatur enim pectus digitis quasi sarrire: *Palmerius:* Jubet hæc

Gruterus conferre cum istis Quintil. lib. 11. cap. 3. Orat. Instit. *Illud quoque rarò decebit, cavâ manu summis digitis pectus appetere, si quando nosmet ipsos alloquemur cohortantes, objurgantes, miserantes &c.* Videatur totus locus.

48. ECCE AVTEM AVORTIT] Repræsentatur hoc loco ritus computandi antiquis illis frequentatus: qui non manus tantùm occupabat, sed & assumebat alias corporis partes. de quo P. Colvius 2. Apol. Apul. omnium autem accuratissimè J. Gruterus: quorum nos quædam retulimus Epid. 1: 1. Heic sufficiat unum Bedæ locum annotasse. *Veteres,* inquit, *cùm X. millia significabant, medio pectori lævam supinam admovebant, digitis ad collum erectis: cùm XX. millia, eandem expansam pectori apponebant: cùm XXX. millia, eâdem manu pronâ & tamen erectâ pollicem ad cartilaginem medij pectoris adfigebant: cùm XL. millia, eandem in umbilico erectam supinabant: cùm L. millia, ejusdem pronæ & erectæ pollicem umbilico applicabant: cùm LXX. millia, eandem supinam femori item lævo imponebant: cùm LXXX. millia, eandem pronam femori admovebant, &c.* Ex hac ratione computandi lucem fœnerantur etiam versus Juvenalis, de Nestore trisæclisene:

> *Felix nimirum, qui per tot sæcula mortem*
> *Distulit, atque suos jam DEXTRA computat annos.*

Nam veteres ab 1. ad 90. in sinistrâ; â centum reliqua in dextrâ computabant: quod Nestor, qui centum annos jam superaverat, facit. Vide & Andr. Tiraquell. in Alexandrum lib. 1. cap. 14. item Philologic. Epist. Centur. 1: 24. per Goldastum edd.

50. QVOD TACTV ÆGRE SVP.] Ita Lipsius, *tactu,* pro *tactui.* Vatic. *ictu.* MSS. *quod acta.* Sed mei omnes mirè variant. Lambinus ex iis hoc præfert: *ita vehementer quod facto opus est, ægrè suppetit.* idque maximè probat Acid. Q. d. Femur ferit. (per iram fortè, aut desperationem) adeò ægrè suppetit, quod vehementer est facto opus. Atque ita & versus integer fuerit, qui aliàs uno pede brevior. Etiam Cam. notat in suo corruptos esse numeros, & ibid. *acta* legi.

51. LABORAT, CREBRO] An fieri potest, *laborat cerebro: commutat st.* Sic sanè corrigitur in MS. uno *J. Grut.*

52. CAPITE NVTAT] *Rejectum caput, abnuentis; Relatum, annuentis est.* quod vel ex istis Agellii lib. 10. cap. 4. liquet. *Sicut cum annuimus, & abnuimus, motus ille quidem vel capitis vel oculorum à naturâ rei, quam significat, non abhorret, &c.* Et his Apuleii; *verbis nutum accommodare; ut quod nollem rejecto capite; quod vellem, relato monstrarem.* Gruterus, *Nutare,* inquit, hic significat abnutûs: ita Sueton, Vespas. cap. 8. *nutû aspernatus.*

53. QVICQVID EST, INCOCTVM N. EXPROMIT: B.] Acid. leg. *expromet.* Quicquid id consilii est, benè percoquet, ut maturum det, non crudum. Qua metaphorâ noster libenter utitur. Persâ: *Usque ero domi, dum excoxero lenoni malum.* Porc. Latro in Declam. in Catilin. *Consilia nefaria facinorus in amplissi. ædibus M. Leccæ domo decoquebantur.* Sidonius, 1. ep. 11. *Cùmque de capessendo diademate conjuratio Marcelliana coqueretur, &c.*

54. ECCE AVTEM ÆDIFICAT] ædificantis speciem præbet: & brachium instar columnæ mento supponit suo. Er setzet die Gramseul unter.

55. NON PLAC.] MSS. rectè: non, *nunc.*

55. ILLA INÆDIFICATIO.] ita Grut. è MSS. qui leg. *illam ædificatio.*

56. NAM OS COLVMNATVM] Apparet jam tum etiam, cùm hanc Fab. commentaretur Plautus, Nævium, ob maledicentiam Romæ in vinculis Triumviralibus seu custodiâ publica fuisse: unde posteà, cùm *Hariolum* & *Leontem* Fabulas scripsisset, in iisque petulantias dictorum, quibus multos antè læserat, diluisset, per Tribunos-pl. liberatus est. Vide Douzæ Cent. l. 2: 4. & Agel. 3: 3. & Turn. l. 2: 28. Nævium autem Poetam esse hunc *barbarum,* id est, Latinum, docet etiam Festus. Epitaphium ejusdem plenæ *Campanæ superbiæ,* est apud Agell. lib. 1: 24. *Os columnatum* autem jocans vocat os brachio tanquam columnâ subnisum. Nævius enim in commentando solebat manum mento suffulcire. Et esse, qui *columnatum,* Participium sine origine verbi dicant, cujusmodi sint, *galeatus, chlamydatus, speratus, virgatus,* Lambinus notat.

57. BINI

57. BINI CUSTODES] Veteres illi *canes* vocabant *custodes*: & contrà, qui custodiæ præfecti erant, *canes*. Sic Columella *mutos custodes*, & carmen Phallic. *custodes* dixit canes. Quô Plautũ hic *αἰνιγματικῶς* allusisse, Scalig. in Conject. docet. *Canem* v. genus, esse vinculi, nemo paulò humanior ignorat. itàque *custodes* vocavit, quia ita *canes* quoque vocabantur. Sunt etiam, qui existiment, Nævio oris obscœnitatem hîc à Plauto objectum: & id probari sequentibus. Jam Constat, *Columnam* pro *nervo* illo masculo aut sicâ, quam nec lex Cornelia vetat, gestare, dictũ reperiri. Existimant præterea *binos canes* dici binos testiculos, &c. Quin iidem volunt, in voce *bini* aliquid subesse flagitii, ut apud Cic. Epist. Fam. l. 9. 22. *Cum loquimur, terni, nihil flagitii dicimus; at cum, bini; obscœnum est.* nam *βινεῖν* apud Theocritum & Aristoph. coire est. Vide P. Manut.

58. EUSCHEME] *εὐσχήμως*, *decore*, *speciose*.

58. DULICE] ita J. Gul. *dulicè*, *δουλικῶς*, *serviliter*, Ait enim, servum personam suam præclarè agere, & statum in Comœdiâ servilem egregiè repræsentare. Cæteri, *dulcè*.

61. VARIUS VIRGIS] cruentus virgis. V. N. Epid. 1. 1.

61. V. VIRGIS. VIRGILA.] ita consensu vet. editit: quod tenui. Lamb. *quin vigilas*? sed quo auctore? MSS. Cam. *v. virgis, vigilas.* quod noster Grut. accipit quasi *vigilans*: ut *prægnas &c.* Sine auctoritate, ogganit Pareus. at tamen auctoritate codicum Pall. quibus solenne omittere talem litteram. nam vel hac ipsa scena versu 46. ubi legimus *cogitans*; iidẽ MSS. *cogitas.* sed & infra versu 113. pro *odorans* MS. pr. servat *odoras.* At idem reprehensor, insubidè nimis utraq; sua editione, nobis obtrusit, *ni vigilas*; quæ vox tamen in nullo libro, & alioquin jam ante præcesserat.

62. AU! FERIATUS NE SIS.] Lipsius Antiq. Lect. l. 1. 11. Monstrum verbi in vulgatis est, *aneuritatus*: quod consensu damnant veteres libri. Ego puto, *ἀρχαϊσμὸν* in scripturâ fuisse: legendumque, *au! heriatus ne sis. Au*, interjectio, ut Litteratores nostri loquuntur, excitantis. *heriatus*, interpretor *feriatus*, priscâ ratione scribendi *H* ἀντὶ τοῦ *F.* quod notat & Quintil. Turnebus lib. 2. 29. l. *an heri jus nescis*? i. nescis hero licere loris te cædere? vide

A ibid. Quod tamen nec Lipsio nec Palmerio satis placet. Lamb. l. *ebriacus ne sis*, *herus te* &c. Et hanc lectionem conatur longis logis probare. Sed eum & oleum & operam perdidisse, præter cæteros, affirmat Palmerius. At Schoppius Verisim. l. 2. 4. leg. *Tibi ego dico; an ebriacus? ne sis. herus t. a.* &c. Idem tamen in Suspect. Lect. *an heri artùs nescis*? ut senex quasi prædicat Palæstrioni, fore ut ipse pugnos heriles devoraturus sit, si Miles hoc resciverit. Sic Curcul. *novi ego hos pugnos.* Sic alibi servus virgatorum valentiam prætimẽs, *Novi nostros. Ebrius ne sis*, dicebatur alterius excitandi caussâ. Idem est, ac si dixisset, *Vigila.* Ita Hesych. *Νῆφε, γρηγόρει.* Contrà etiam *abstemii καὶ ἄοινοι* exponuntur à Suida, *ὡς καὶ νήφοντες καὶ μὴ μέθην παρέχοντες* &c. Notat Cam. in suo MS. fuisse, *an heriatus nescis.* in Palatt. extat, *anheriatus uestis beus te atloqui Palæstrio.* Cogita Lector. mihi quidem inter monstris humanissimum visum est quod repræsentavi, MSS. certe atque adeò plerisq; edd. proximum. Tamen & hoc addam quod in sermone à Collega Sibero didici. Is ergo vulgatum illud *aneuritatus* utraque manu tenendum censebat, acsi *aneuritatus*, vel *aneuretatus* sit Græcanicum *ἀνδρήλατος*, aut *ἀνδρίλατος*: idque dictum pro *ἀνδρεπέλατος*, quomodo *πηλάζατος* & *χολάζετος* dicunt, pro *πηλαιολάτος* & *χολαιολάτος* &c. hac sententiâ: Age irrepertus ne sis: domi, inquam, & apud te inveniaris: ne animo peregrineris: ne extra te positus sis, &c. Pareus B istæc deridet ceu somniorum somnia. quid ergo ille melius? idem conjicit quod Schoppius; *Eri artùs nescis? heus! te adloquor Palæstrio.* scurriliterque addit: Hanc puto, imò juratè affirmaverim, verè Plautinam esse Lectionem: quam repræsentant optimi ac vetustissimi nostri MSS. Pall. *an heriatus vestis.* alii varie & ridiculè ingeniosi fuere. Sic ille. At quid est abire à membranaceis, si istud non est? nam primum iidem *herum* semper exprimunt sine aspiratione. cur ergo heic ea uterentur? deinde *atus* non habet literam illam caninam. præterea *vestis* longe divertit à *nescis.* denique *adloquor*, nec in Pall. est, aut edd. vett. sed *adloqui.* quid ad hæc dicis os impudens? adhucne paratus es jurare lectionem tuam verè esse Plautinam! ô religiosum! Porrò quis non videt *artus*, hic nimis quàm esse improprium? manus vel pugnos dicere

dicere potuisset. sed non. heri servos verberabant ipsi cùm repente irascebantur. pœnam vero exigebant per alios in graviori & præmeditato peccato. itaque peccat in Militis magnificentiam qui verbera ejus metuit.

63. LVCET HOC] δεικτικῶς, cælum. *Turneb.*

65. PROPERE HOC, NON PLACIDE DECET.] hoc calidè & celeriter decet accurari. Ita Pist. distinxit.

66. ANTEVENITO] Omn. mei, *Antemœnia*. Hinc Putschius l. *Antemœni aliquà nos.* ita *mœrus* antiquis murus: *mœnia*, munia: hinc *amœnus*. Vide Ind. Lucr. Gifanii. MSS. Cam. *anteveni*: &, *anteveniet*.

66. CIRCVNMDVCE EXERCITVM] *Circumduci* & *explicari* nonnunquam *exercitum* ab Imperatoribus, licet ex Frontino, Livio, cæterisque intelligere.

67. CVRRE IN OBSIDIVM PERDVELLEIS] Curre, ut obsideas hostes. ut nomini *obsidium* intelligamus junctum esse accusandi casum *perduelleis*. proinde ac si id nomen eundem casum postulet, atque verbum *obsideo*. Verùm omninò mihi placet conjectura Camerarii, qui *coge* legendum suspicabatur: *Lambinus*. Sed *curre* præfert Lipsius, ex antiquâ scripturâ, *Corre*.

72. QVÆ HIC SVNT VISA, VT VISA NE SINT] Mirabar cur Pareus annotaret: *Ita hic locus ex MSS. Pall. corrigendus.* cùm ita alioqui exstaret in Camer. Lamb. Dousa, Taub. verùm ut recurro ad editionem Parei primam, ibidemque reperio, *Quæ hic est visa, ut visa ne siet*; intellexi ipsum sibi istud potiꝰ dixisse, quàm alteri. quæ varietas! quæ inconstantia! nam de licentia quid dicisque at?

73. MAGNAM ILLIC HOMOREM INCIPISSIS, MAGNA MVNIS MOENIA] ita Gruterus. Douza l. *Magnum illinc honorem indipisces: m.* ad eadem, inquit, sententia strictim à Sall. expressa est his verbis: *Magna curæ magna merces est.* Nisi si quis hâc correct. prætulerit: *Magnum illic honorem incipissis, m.* vel potiùs Camerarianam illam, *Magnam illic hanc rem iucipissis; m.* &c. J. Gul. leg. *Magnum illic honorem incipis, & magna m,* &c. Quam lectionem & Schop. probat. *Honorem* enim, inquit, pro onere, & *Onus* vicissim pro honore veteres notum est frequentasse. Dixisset itaque Peripl. Magnum tu quidem Palæstrio, & plenum periculi onus incipis, & magna

A mœnia defendendæ urbi tuæ & tergo à virgis probè muniendo ædificas. At verò Meursius (ut & Acidal.) verissimam lect. putat, *Magnam illic homo rem incipissis: magna munis mœnia.* atque ita (ut dixi) diu etiam Gruterus ex MSS. Cam. qui habent, *Magnam illic honorem incipis, sed magna munitus menia*. nam quæ de eis scribit Pareus, aut pura sunt mendacia, aut meræ imposturæ. Gamerarius putat non longè à vero abiturum, qui legat, *Magnam illic hanc rem incipissis, magna munis mœnia*: ut & Douzæ aliquando videbatur.

74. SI RECIPERE HOC AD TE DICIS] Tûte unus si dicis, te tuo periculo promittere fore, ut hoc negotium abs te conficiatur; certa spes est, nos inimicos posse perdere. *Recipere*, ἀναδέχεσθαι, &, ἐφ' ἑαυτῷ δέχεσθαι. Nos: Etwas auff sich nemen.

75. PROFLIGARE] i. *ad interitum seu internecionem adducere*: Nonius.

76. ET EGO IMPETRATVRVM DICO &c.] Ita legunt Bosius, Lamb. & Passeratius. id est, Et te dico optatorum seu conatorum tuorum compotem futurum. MS. sec. Cam. *Et egom impetrarem dicom.* at pr. *Et egom impetrare d.* Censetque Gruterus, *impetrare* valere *impetraturum*. Pareus heic alios reprehendit, quòd

B visâ viâ, eam non ingressi sint; legitque, *& ego impetrare me dico.* At enim non minus nobis est quàm ipsi sapientiæ. superat nos temeritate. neque enim libri istud ipsum præcisè præcipiunt, extatque in edd. primis, *impetratorem*.

79. JVXTA MECVM] æquè atque ego. V. N. Aul. act. 4. 7.

79. SALVA SVMES INDIDEM] id est, rectè & tutò apud me deposueris, seu mihi credideris; non enim ea cuique vulgabo; sed salva & integra, qualia accepero, ex eodem loco, in quo deposueris, tolles. Tralatio à rebus depositis & creditis. Sic Hor. 1. Od. 27. --*quicquid habes, age, Depone tutis auribus*: L. Vide & Not. Trin. 1. 2.

80. HERVS MEVS ELEPHANTI CORIO CIRCVMTENTVS EST, NON SVO.] Ita è MSS. Cam. Gruterus. Respexit autem non ad naturam animalis, quod teste Cic. acutissimi sensus est, & belluarum prudentissima; sed ad nudam duntaxat pellem: quæ quò durior est & crassior, hoc belluæ est congruentior: quò autem tenerior, eo homine magis digna, & divino ejus ingenio accommodata. Duritiem

corii

corii elephantini perstringit etiam Casaub. ad Athen. l.3.c.30. Cæl. Rhodig. Lect. Antiq. l. 6.1. docet, *cur cutis crassitudo hebetudinis indicium sit*; & hæc etiam eò trahit; ut & Turnebus l.2.29. Colerus leg. *circumjectus*. Arnob. lib.2. *habitare jussæ sunt has partes, & humani corporis circumjectione vestiri.* Varro: *Amictus est dictum amjectum; id est, circumjectum: à quo etiam, quòd vestes se involvant, circumjectum.* prima editio facit nobiscum. seqq. *circumtectus.* A

81. NEQ. H. PLVS SAPIENTIÆ] MSS. à primâ manu heic iterum referunt, *plus sapientiam.* quod arbitrentur cordatiores. sed non opus est. nam iidem Pall. etiam præterea præferunt, *plus sapientiam equam lapis*, ut appareat *m* supervacuum, & *e* loco ejus ponendum. Pareus tamen utramque ed. suam ornavit illa syntaxi altera satis licentiose.

82. PRÆCIPIENDVM] MSS. & ed. vet. *recipiendum.*

85. TAM SIMILEM, QVAM LACTE LACTI EST] Proverbium de rebus indiscretæ similitudinis. sic Cic. *ut similia sunt & ova ovorum, & apes apum*, &c. utitur & Men. act. 5.8.

85. DEVORTIER] ita MSS. hîc & alibi: non, *divort.*

94. CONCILIO] i. cœtu.

94. CAVSSÆ] προφάσεις, prætexta, excusationes: L.

95. COLLIGI] V. edd. hab. *concini.* sed Gruterus retinet *colligi*, docetque alias lectiones natas à scripturâ veteri *conlici*; quomodo est in uno Pal. in altero vero *concili*, emendatumque in pr. *conici.* quod in editione sua ostentat Pareus; satis imperitè.

97. OPERÆ NON EST] i. non est vacua. Infrà, act.3,2. *Non operæ est Sceledro.* V. N. Casina, act.5.2.

98. QVANTVM VIS PROLATIONVM] procrastinationum, ἀναβολῶν. Pareus detrimento versus, omisit voculam *vis*, cùm tamen in MSS. ejus loco compareat *is*, pr. verò, illo delecto supponat, *est*. O Argum minimè oculatum?

99. QVÆ MENTIBITVR] ita MSS. à primâ manu. deinde factum, *mentibimur.*

100. SI ISTI EST MVLIER. EAM IVBE] Ita MSS, voculaque *eam* adest quoque vett. edd.

101. DOMVM] sc. Militis, seu nostram.

101. EI. MONSTRA. PRÆCIPE] Nihil verosimilius est, quàm repetendum, *ei monstra, monstra.* idque versus postulat.

105. AT QVEM H.] Putschius è. v. c. concinnat:

——ibo domum,
Atque investigando hominem operam hanc dissimulavero.

Milite, *Operam investigando sumere.* Et hanc lectionem secuta est Parei editio prior. Verùm nondum adhuc incidi in librum in quo talis extaret lectio. Primitus sanè cusi: *At quem hominem investigando operam hanc dissimulando.* Aldina: *Ego ibo domum, atque hominem investigabo, operam hanc dissimulans.* Charpent.: *Ego ibo domum hominem investigando: operam hanc dissimulando.* Camerariana: *At quem hominem investigando sumam operam, hinc dissimulavero.* proximius ad MSS. Pall. quorum sec. *At quem hominem investigandos operam huic dissimulando.* neque aliter initio pr. qui à correctore habet, *At quem, & vestigando sumo.* Lectio nostra, Lambini est. Ex quibus omnibus liquet, illud *sumo* non esse à libris sed recensore: ut fortè fuerit, *Atque in homine investigando operam hanc dissimulavero*, &c. B

110. SI ET SECTAT.] ita MSS.

110. TACERE NOSTRORVM HVLVS SCIO] Illud *nostrorum*, est à Camerario. ejus loco est in MSS. *nequeo*, quod ineptissimum est; & tamen inlatum editioni à Pareo. Primitus cusi solùm habent: *& tacere solus scio*, sine alia voce media.

111. AD EVM VINEAS PLVTEOSQ. ARAM] Allegoria à re militari: quâ significatur, se machinas omnes & artes adhibiturum, quibus Sceledro & Militi persuadeat, sorores germanas inter se similimas esse. Quid *vineæ pluteique*, omnium accuratissimè docet J. Lipsius in Poliorceticis.

ACTUS II. SCENA III.

SCELEDRUS, PALÆSTRIO.

NISI quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis,
Certò edepol scio me vidisse hîc proximæ viciniæ
Philocomasium herilem amicam sibi alium quærere.
PA. Hic illam vidit osculantem, quantum hunc audivi loqui.
SC. Quis hic est? PA. tuus conservus. quid agis, Sceledre? SC. te, Palæstrio,
Volupe'st convenisse. PA. quid jam? aut quid negotij, fac sciam.
SC. Metuo. PA. quid metuis? SC. ne hercle hodie, quantum hic familiarium est,
Maximum in malum cruciatum insiliamus. PA. tu sali
Solus: nam ego istam insulturam & desulturam nihil hîc moror.
SC. Nescis tu fortasse, apud nos facinus quod natum est novum.
PA. Quod id est facinus? SC. impudicum. PA. túte scis solite tibi,
Mihi ne dixis, scire nolo. SC. non enim faciam, quin scias.
Simiam hodie sum sectatus nostram in horum tegulis.
PA. Edepol, Sceledre, homo sectatu's nihili nequam bestiam.
SC. Dij te perdant. PA. te istuc æquum; quoniam occœpisti eloqui.
SC. Forte fortunâ per impluvium huc despexi in proximum:
Atque ego illà aspicio osculantem Philocomasium cum altero
Nescio quo adolescente. PA. quod ego, Sceledre, scelus ex te audio?
SC. Profectò vidi. PA. túten? SC. egomet duobus his oculis meis.
PA. Abi, non verisimile dicis, neque vidisti. SC. num tibi
Lippus videor? PA. medicum istuc tibi melius percontarier.
Verùm enim tu istam, si te dij ament, temerè haud tollas fabulam.
Tuis nunc cruribus capitiq; fraudem capitalem hinc creas.
Nam tibi jam, ut pereas, paratum est dupliciter; nisi supprimis
Tuum stultiloquium. SC. quî verò dupliciter? PA. id dicam tibi.
Primúmdum, si falsò insimulas Philocomasium, hoc perieris:
Iterum, si id verùm est, tu ei custos additus perieris.
SC. Quid fuat me, nescio: hæc me vidisse ego certò scio.
PA. Pergin' infelix? SC. quid tibi vis dicam, nisi quod viderim?
Quin etiam nunc intus hîc in proximo est. PA. ehò, an non domi est?
SC. Vise, abi intrò túte. nam ego mihi nihil credi postulo.
PA. Certum est facere id. SC. hîc te opperiar: eâdem illi insidias dabo,
Quàm mox horsum ad stabulum junix recipiat se è pabulo.
Quid ego nunc faciam? custodem me illi miles tradidit.
Nunc si indicium facio, interij: si taceo, INTERII tamen,
,, Si hoc palàm fuerit. quid pejus *muliere atque audacius!*
Dum ego in tegulis sum, illàc hæc se hospitio edit foras.

Edepol

Edepol facinus fecit audax, hóccine si Miles sciat?
Credo hercle has sustollat ædes totas, atque hinc in crucem.
Hercle quicquid est, mussitabo potius, quàm interream malè.
„ NON EGO POSSUM, quæ ipsa sese venditat, tutarier.
PA. Sceledre, Sceledre. SC. quis homo interminat? PA. est te alter audacior?
Quis magis diis inimicis natus, quàm tu, atque iratis? SC. quid est?
PA. Juben' tibi oculos effodiri, quibus id, quod nusquam est, vides?
SC. Quid, nusquam? PA. non ego nunc emam vitam tuam vitiosâ nuce.
SC. Quid negotij est? PA. quid negotij sit, rogas? SC. cur non rogem?
PA. Nonne tibi istam prætruncari linguam largiloquam jubes?
SC. Quamobrem jubeam? PA. Philocomasium eccam domi, quam in proximo
Vidisse ajebas te osculantem atque amplexantem cum altero.
SC. Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.
PA. Quid jam? SC. quia luscitiosus. PA. væ verbero! edepol tu quidem
Cæcus, non luscitiosus. nam illam quidem eccam domi.
SC. Quid? domi? PA. domi hercle verò. SC. abi: ludis me, Palæstrio.
PA. Tum mihi sunt manus inquinatæ. SC. quî dum? PA. quia ludo luto.
SC. Væ capiti tuo. PA. tuo istuc, Sceledre, promitto fore,
Nisi oculos orationémque aliam commutas tibi:
Sed fores concrepuerunt nostræ. SC. at ego illas observo fores.
Nam nihil est, quà hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio.
PA. Quin domi eccam. nescio, quæ te, Sceledre, scelera suscitant.
SC. Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum:
Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his ædibus.
Hîc obsistam, ne imprudenti huc ea se surrepsit mihi.
PA. Meus illic homo est: deturbabo jam ego illum de pugnaculis.
Vin' jam faciam, ut stultividam te fatearis? SC. age face.
PA. Neque te quicquam sapere corde, neque oculis uti? SC. volo.
PA. Nempe tu istîc ais esse herilem concubinam? SC. atque arguo
Eam me vidisse osculantem hîc intus cum alieno viro.
PA. Scin' tu nullum commeatum hinc esse à nobis? SC. scio.
PA. Neque solarium, neque hortum, nisi per impluvium? SC. scio.
PA. Quid nunc, si ea domi est, si faciam ut eam exire hinc videas domo,
Dignus es verberibus multis? SC. dignus. PA. serva istas fores:
Ne tibi clam se subterducat istinc, atque huc transeat.
SC. Consilium est ita facere. PA. pedes ego jam illam huc tibi sistam in viam.
SC. Agedum ergo face. volo scire utrum ego id quod vidi, viderim:
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea sit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Sed hic illi supparasitatur semper, hic ei proximus est,
Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur:

Nam illic noster est fortasse circiter triennium.
Neque cuiquam, quàm illi, in nostrâ melius famulo familiâ.
Sed ego hoc quod ago, id me agere oportet, hoc observare ostium.
Hic obsistam hàc quidem. pol certo verba mihi nunquam dabunt.

HIC PROXIMÆ VICINIÆ.] Sic MSS. rectè, *hic vicinia*, & quidem *proxima*.

3. AMICAM SIBI ALIAM QV.] Versus vitium tollebat Acidal rescribendo, *amicam amicum sibi al.* vel, *amicam clam sibi.* forte fuit, *amicam sibi alium quem quærere*, Grut. ut delicuerit id verbi in syllaba quærere.

8. CRVCIATVM] Ita Meurs. & Acid. è v. cod. *Maximum in malum cruciatum insil.* id est, quod alibi dicit, *maximam in malam crucem.* A sciolo aliquo copula illa est adjecta: ne hiaret versus: quod tamen non ubique cavit Plautus. restat tamen à prima manu in MSS. & edd. antiqq.

8. INSILIAMVS] Duo præcipua in historiâ *Crucis* sunt, τὸ ὑπο πόδιον, καὶ τὸ ἐξέχον πῆγμα, & tertium funes. Nam supplicio afficiendi pede in suppedaneum posito, crucem adscendebant. unde *Ascendere in crucem*, &, *Insilire*, & *Crucisalus* in Bacchidibus: *Scaliger.* qui pluscula post Lipsium *De Cruce* observat. quem omnino vide ad Euseb. pag. 110. Vide & Not. Most. 2:1.

9. ISTAM INSVLTVRAM ET DESVLTVRAM] Jocatur: & fortassis alludit ad *Desultores*, qui duobus absque ephippiis utentes equis ex uno desiliebant, & in alterum mirâ celeritate insiliebant. Hinc *desultoria levitas*: & *desultorius*, inconstans, instabilisque ingenii homo. Sic Ovid. Amor. 1.3.

——non sum desultor amoris:

ubi tamen à nonnullis *desertor* legitur.

10. FACINVS QVOD NATVM EST NOVVM] Expressi quod erat in MS. sec. & edd. vet. nam Pareana editio & versum corrupit, & fatua est; *facinus est quod gnatum 'st hic novum.* At habet ita MS. pr. quasi verò vitiis destituantur membranæ ex!

11. SCIS] contractio prisca est, pro, *scias.* Tute, inquit, tibi soli scias, mihi ne *dixis*, pro *dixeris*: J. Guliel. Alii; *sci.* Palm. Spicil. p. 67. legit, *tute scis solite.* & hanc scripturam vehementer sensum approbare ait. Continuò enim hæc præcedunt: *Nescis tu f. apud n. facinus quod natum novum, impudicum.* Quare Palæstrio: *Ego nescio: at tu solite scis.* Impudi-

A cos enim *consuetos & solitos* vocabant. hoc est, quia *consuescere & solere* usurpant pro *rem habere cum quiquam.* Cistell. 1.1. & verò sic MSS. & edd. vett. Pareus inquit, fortè legi posse *solidè.* potest quidem, sed si volumus permutare violam urticâ. eadem judicii perversitate infra, vers. 14. cùm invenisset in MS. pr. *mihi* pro *nihili*, voluit forte esse παρίλκον. at cui sanum est sinciput, animadvertit omnem vim veneremq; consistere in illo *nihili.*

13. TE ISTVC ÆQVVM. QVON.] Palm. Spic. fol. 138. sic distinguit: *Dy te perdant. PA. te, istuc æquum: quon.* Plautinus jocus: & sæpe ab eo repetitus: ut Capt. act. 4.2. *Juppiter te dyq. perdant. ER. te hercle mihi æquum gratias agere.* Vid. Not. ibid. Sic Pœn. act. 3.2.

Dy perdant. MI. vos quidem hercle: commendo quum quiqui tamen
Et benè & benignè facitis.

Jocus in distinctione est; ut post, *hercle*, interpungatur. Nam quòd Turnebus hæc mutat, tollit ex hoc versu, quod Plauti est, ut sine joco exanimus frigeat. Sic Amph. act. 2:2. *Væ capiti tuo. SO. tuo. istæc refert si cumberis.* ita enim B & hæc legit & distinguit Palm. V. N. Epid. 1:1.

16. DESPEXI IN PROX.] ita Gruterus è MS. *huc despexi in proximum.* quî enim (inquit) impluvium proximum (ut in vulgatis est) dici queat, non video. *In proximum*, eleganter, pro, in ædes vicinas sive proximas.

17. CVM ALTERO] i. alio. V. N. Truc. act. 1:2.

18. EX TE AVDIO] Pareus ignarus omnis carminis, nedum trochaici, putavit ruere versum, nisi sustentaret adulterino fulcro *tede*; quo ipso tamen corrumpitur; neque extat aut in MSS. aut Edd. ô mulo-medicum!

22. ISTAM, SI TE DII AMENT, TEMERE HAVD TOLLAS FABVLAM.] Nisi tibi deos iratos habere velis, cave istum sermonem sine magnâ ratione efferas & vulges. God. Stewechius ad Veget. lib. 2:24. hoc de tollendâ fabulâ explicare conatur ex illo Rom. loquendi genere, *Ponere & Reponere*: de Fabu-

lis proponendis ac denuò redhibendis. Juven. Sat. I.

Pone Tigillinum.

Horatius in Arte:

Fabula, quæ posci vult & spectata reponi, &c.

Gruterus suspicabatur; *haud dolas fabulam*. quòd esset in MS. à primâ manu, *haud ollas*; sed penitius inspicienti, visa est recepta lectio optima, metaphoramque habere à parentibus, qui liberos, quos agnoscunt voluntque sibi adnasci, tollunt.

23. TVIS NVNC CRVRIBVS CAPITIQ. FRAVDEM CAPITALEM HINC CREAS] *Cruribus* tuis compedes, & *capiti*, id est, vitæ extremam pœnam hoc sermone, si palàm fiet, paras. Veteres enim *fraudem* pro pœnâ ponebant.

25. TVVM STVLTILOQVIVM] Ita Plauti amator, D. Hieronymus: *Stultiloquium & scurrilitas non decent Christianum.* μωρολογία, Narrentaiding. Ita alibi noster dixit *Multiloquium, pauciloquium*: πολυλογίαν, μικρολογίαν.

31. MIHI NIHIL] Sed rei potius.

32. FACERE ID. SC. HIC TE OPERIAR] forte, *facere*. Sc. *i, hic te operiam.* nam MSS. à prima manu habent *operiam*. estq; in pr. *faceret.* neuter verò agnoscit illud *id.*

32. EADEM ILLI INSIDIAS DABO.] eâdem operâ ex occulto loco Philocomasium observabo, quàm tempestivè, hanc partem versùs, se in ædes nostras recipiat è domo vicini.

33. REC. AD STABVLVM] quia pasta jumenta redeunt domum ad stabulum; festivè usurpavit de muliere, ab amatore, tanquam à pabulo domum redeunte. Virg. *Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.* Passer. ad 2. el. 33.

33. JVNIX] δάμαλις. *Junix*, (inquit Cornutus, ad Pers. Sat. 3.) *tenera ætatis fœmina bos est, quæ iam desiit vitula esse. mares eâdem ætate dicuntur juvenci.* Ita autem nominat Philocomasium. Ein junge Metz. Porrò præclara heic opera Camerarii, qui & ex versus ratione, & vestigiis MSS. suorum, immisit *horsum*, quod prius desiderabatur. ii enim: *Quam uxor ad stabulum juvenis recip.* quæ lectio, quāvis ineptissima, syllabam primam retinet illius *horsum*, in *uxor*. at eam tamen scripturam exosculatur, adoratque Pareus, in cujus edit: *Quòm uxor ad stabulum juvenis recip.* in Notis verò paratragœdiatur dum ait: Sic totidem verbis extat in MSS. Pall. Alii depravarunt contra libros MSS. *Quam mox horsum à st. junix &c.* Sed novitium commentum hoc est. quod miror etiam placuisse Editori Saxonico. bellè quidem, sed contra Libror. MSS. consēsum. Sic ille, nimis absurdè. nā quid ineptius quàm par membranarum habere pro consensu? cùm tot passim restent chirographarii codd. ex quibus concinnatæ editiones Italicæ primæ? quid autem falsius, quàm vocare, nuperum inventum? quod ante centum annos & amplius orbi toti publicarunt, Sarracenus, Mulingus, Charpentarius: deincepsque confirmarunt auctoritatis suæ prærogativâ; Aldus Manut. Rob. Stephanus. Gisb. Longolius, Joach. Camer. Dion. Lamb. Janus Dousa, aliiq; omnes? nihil est igitur quod mireris Paree Taubmanno placuisse quod orbi toti placuit. nos potius miramur te hiscere ausum contra orbis Europæi communem concordiam præcipuè cum lectione plus quam stercorea. sed quid? talis quoque cibus Suillo pecori, pro cerebro est Jovis.

34. CVSTODEM TRADIDIT.] ita MSS. & omn. libri editi. tamen Douza l. *addidit*. V. N. Aul. act. 3: 6. quod ipsum invasit & Pareus editione pr.

37. ILLAC HÆC SE HOSPITIO EDIT FORAS.] ita MSS. sed Lipsius l. *illæc se hospitio dedit f.* Lamb. *illæc se ex nostro h. eduxit foràs.* Et hoc, ut ait, è vestigiis antiquæ scripturæ. si quid mutandum, mallem *edidit.*

39. CREDO H. HAS SVSTOLLAT ÆDES TOTAS, ATQ. HINC IN CRVCEM.] scil. sustollat. ita enim simpliciter capio. Cæterùm J. Douza Cent. lib. 3. 8. de semetipso loqui Servum μεταφορικῶς existimat: Sicuti Pœn. act. 1. 3. v. 3. idemq; sentit Passeratius ad lib. 2. el. 6. Tibulli. Quod tamen Grutero minus placet: nec tamen aliam suppetere sibi, ait, rationem, nisi quòd norit, antiquitus moris fuisse, ut in magnis sceleribus non modò animadverteretur in homines ipsos, qui deliquerant, sed eorum quoque sedes. quod probat ex Varrone, Val. Max. l. 6. c. 3. Cicerone, Livio, Quint. Lib. 3. cap. 7. aliisque: etiam Truculento Plauti act. 2. 8.

Quantillo mihi opere persuaderier potest,
Ut ego his suffringam talos totis ædibus.

Si enim illic (inquit) de ædibus loquitur, tanquam de homine: cur non & his iis interminetur crucem? Sic & Seneca Thyeste v. 430: *Partemque regni reddit, & lacera domus componit artus.* & Catull. ——*alnus in fossa Liguri jacet suppernata securi.* Vide & Ræward. Var. lib. I. cap. 7. Douza F. expungit distinctionem post *totas*: & interpretatur *atque* statim, vel continuò. Hoccine, inquit, si Miles resciverit, continuò me hinc rectà in crucem tollat. Def. Heraldus: *Hunc in cr.* seipsum δεικτικῶς intelligens. Sic Ter. *Hero parata sunt verba, Huic homini verbera.* Denique MS. pr. l. *atque me hinc in crucem*. habet enim *atquem hinc*. quod Gruteri sententiam priorem firmat. Acidalio tamen ista non probantur. sed hic & Trucul. *Totas ædes* capit totam familiam domûs, sive *cunctos contubernales*, ut suprà loquitur. Verùm Pistoris hæc quoque ad ædes Periplect. refert, quas tanquam capitales Miles funditus eversurus sit. nam generale est, *in malam crucem*, de quovis infortunio. Places, Pistori: & hic fastus Militis pro cæteris ejusdem magnidicis minis fuerit. Pareus, dum inhæret apicibus literarum liberariis corruptarum, exhibet nobis horribilem versum: *cr. hercle has sustollat æ. totas: tollat atque in crucem.* verùm quis lepos, quæ dos in verbis corruptione hac versus?

4'. SESE VENDITAT] i. vendere & prostituere cupit: *Turneb.* Tale est Propertii l. 2. el. 5.

Nam nihil invisæ tristis custodia prodest.
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

V. N, Sticho, 2. 1.

42. INTERIMANT?] minaci voce me inclamat? sic legunt, sic distinguunt omnes edd. qua lectione Pareus quidquam negat insulsius. distinctione verò ineptius: quoniam restet in MSS. *quis homo interemat est alter audacior.* ex quibus, si Porcellis placet, sic locum restuit: *quis homo interim'st autem alt. aud.* an non despuis Lector hujusmodi restitutionem? præcipuè cùm ingerat, totidem penè literis sic scriptum in MSS.

43. QVIS MAGIS DIIS INIMICIS NATVS] *Diis est iratis natus*, Proverbiale, de nomine invenusto ac misero, cui nihil benè succedit.

A Sic Persius: *Diis iratis genioque sinistro.* Horat. 2. Sermon. 3.

Iratus natus paries diis atque Poëtis.

Nec absimili modo dixit Plautus alibi *Genio adverso.* Hæc enim opinio fuit; Diis iratis nihil feliciter geri. Contraria sunt, *Diis secundis. Diis hominibusque plaudentibus.* Atque adeo felicem denotare volentes ac venustum, dicebant, *Ipsi nascenti deos risisse. Ipsum placido lumine*, vel, *numine vidisse*, aut *aspexisse.* Virg. I. Æn.

——*haud, credo, invisus cælestibus auras*
Vitales carpis.

Dicebatur quoque, *Dÿ bonum nascenti omen sternutasse.* De quo Schopp. Verisimil. lib. 4. c. 12.

45. VIT. NVCE] *Nux cassa* alibi à Pl. & Hor. dicitur. Petronius, *inanem & sine medullâ ventosam* appellat. contrà; *Nux gravis & pleno integra fructu.*

50. MIRVM EST LOLIO VICTITARE TE, TAM VILI TRITICO] q. d. Si triticum carum esset, non esset mirum te lolio vitam tolerare: nunc verò cum tam vile sit triticum &c. Constat autem, *lolium*, propter vapores acres quos in cerebrum tollit, non solùm ebrietatis speciem quandam creare, sed oculos vitiare

B & obtundere. Ovid. Fast. 1. *Et careant loliis oculos vitiantibus agri*: L. Vide Polit. Miscel. c. 66. & Jac. Delechamp.

51. LVSCITIOSVS ES] *Luscitionem* dici putat Ulpian. ubi homo lumine adhibito nihil videt. cui & Nonius adstipulatur, & Varro. Sed Festus ait, vitium esse oculorum, cùm quis clarius vespertino tempore, quàm meridie cernit. quo morbo laborasse Tiberium, Dio scribit: & Suetonius eundem etiam noctu in tenebris vidisse refert.

51. VÆ VERBERO.] ita Grut. reponit, volentibus MSS.

52. ILLAM Q. ECCAM DOMI.] ita è MSS. Grut. ut & antea Cam. in quibus, *illam quidem illa domi*. ad quæ Pareus: Quæ hæc fides est? ipse verò retulit in contextum, *ellam quidem! illa domi.* At quæ hæc etiam fides? *ellam* non extat in MSS. cur igitur exprimis? verùm quæ argutia est in illo tuo? haram olet, & quidem commotam. ceterum quæ heic quæris de fide aliorum, de tua quæri nemo possit: adeo vel hac una scenâ centies subtecuisti variantes lectiones Manuscriptorum;

ptorum; quas affirmasti alibi, adeò accuratè ac superstitiosè excussisse, ut ne apicem quidem prætermiseris. nega, si audes; plus demonstrabo quàm dixi.

53. LUDIS ME PAL. PA. TUM MIHI SUNT MANUS INQUINATÆ.] Ita sine interrogatione ἀποφαντικῶς leg. Lamb. & Douza. ut jocus sit ex ambiguo. Nam Sceledrus *ludis me*, sic accipit, ut *me*, sit acc. casûs: Palæstrio, ut sit septimi: ut cùm dico, *Ludere, pilâ, disco.* In MSS. est: *Tam mihi sunt m. inquinatæ?* Sed emendatum in pr. *Tum.*

54. QUIA LUDO LUTO] quia, inquit, cùm ludo te, (*te*, sept. casûs) proinde est, acsi luto ludam: tu enim homo lutulentus es. qui autem lutum manibus tractant, inquinantur. Douza laudat hanc Lamb. explanationem, aitque, *Ludo luto*, consimiliter dictum, ac de Prometheo Mart. illud lib. 14:182.

Saturnalitio lusit & ipse luto.

Lipsius legendum putat ——*quin luto jam*, ut jocus fuerit in vicinâ pronunciatione litterarum D. & T. ut apud Cic. 2. de Orat.

55. VÆ C. TUO. PA. TUO. IST.] Jocus in distinctione. De quo paullo antè.

56. AT EGO ILLAS OBSERVO FORES] Ita omnes ab ultima origine editiones: nisi quod mediæ *observasso.* Pareus nobis obtrusit *illic*, cum tali nota: Vetus codex *ilico*, post *illas.* Decurtatus *ila*. unde certò liquet, *illic* rectum esse. Quis unquam ita invitâ Dialecticâ argumentatus est? suæ mentis sanè nemo. eadem enim, imò meliore ratione dixero: *Illâ* certò rectum esse, quod disertim opposuit *hinc* noster Mostellar. 3. 3. versu 27. & sic est, *illâ* locum heic potius habuerit, vel versus gratia.

58. RECTO OSTIO] *Rectum ostium* opponitur *postico.*

62. HIC OBSISTAM] Pueris suis, in Lexico, persuadere studet Pareus, *obsistere* heic & versu 82. esse *consistere, præstolari.* at illi credant potius Passeratio, qui vult poni semper pro *sese opponere ruentibus, & occurrere*; heic verò, pro *obstare exire volenti.* videatur ad Tibulli Paneg. scriptam Messallæ.

62. SURREPSIT] pro, *surrepserit.*

63. MEUS ILLIC HOMO EST] Curc. act. 3:1. Pseud. 2:2. Er muß mir ein Katzen halten.

63. PUGNACULIS] i. propugnaculis. ita Ammianus lib. 21. *susceptus ad pugnaculum solus.* Alii l. *pinnaculis.*

64. STULTIVIDUM] Sic Mart. Capella noctuam vocavit *alitem nocti vidam.* Pareus dum fingit obsequi se auctoritati Manuscriptorum, vocem de suo adjicit, characterum quidem diversitate insignitam. Sed unde ei illa potestas imperiumq;, ut aliquid Scriptori affingat, quod in nullis est editis, in membranis nullis? Habet, inquam, *Vin' jam faciam ut stultividum te fateare? SC. age; face.* *Volo.* è stabulo suo adtulit illud *volo*, dum *fateare* rescribit cum MSS. ubi Camer. & seqq. *fatearis.* quasi non sit levius peccatum *e* mutare in *is*; quàm allinere vocem spuriam?

66. AIS ESSE] Pareus dum lectionem marginalem præfert, reponitq; *dicis*, versum enormiter deformat.

68. HINC ESSE A NOBIS?] MSS. *hinc esset à nobis:* sine illo vulg. *etiam.* Benè: ut *t* sit loco, *d*, propter elisionem: Grutero arbitrante.

69. SOLAR.] *Solarium*, locus ubi solent apricari. Fiebat autem in ædibus ad excipiendam auram & vaporem Solis. Dicitur & *heliocaminus*: Turnebus. Vide P. Victorium de variâ notione hujus verbi lib. 21:13.

69. NISI PER IMPLUVIUM? SCE. SCIO.] Ita omninò leg. cum J. Gulielmio.

73. PEDES.] q.d. non volans: ut Lambino placet. Acidalius tamen hoc frigere ait, & malit *pede* aut *pedibus*: eo modo, quo Curc. dicitur, 2. 3. v. 8. ——*quin capite sistat in viam.* Capt. 4. 2. v. 13. *ore sistet.* Mil. 2. 3. v. 36. *capite sistebas cadum.*

79. CIRCITER TRIENNIUM] Majus est & longius spacium, quàm velit aut argumentum Fabulæ, aut narratio Palæstrionis. Nihil tamen invenio quod alludat, præter, *trinundinum.* Sed hoc fortassis brevius est. *Gruterus.*

82. HIC OBSISTAM HAC QUIDEM] Pareus dum heic alienos oculos deridet, ipse & suis facit convitium. neq; enim, ut ait, MSS. uterque *Hic obs.* habet sanè pr. *Sic.* Porrò *certo* notat *ἀδιδόν*: quod penetrantius, quàm si sumas adverbialiter.

ACTUS II. SCENA IV.

PALÆSTRIO, PHILOCOMASIUM, SCELEDRUS.

PRÆCEPTA facito ut memineris. PH. toties monere mirum est.
PA. At metuo, ut satis sis subdola. PH. cedò vel doctas, docebo:
Memini malas, ut sint malæ: mihi solæ è quo superfit.
PA. Age jam nunc insiste in dolos: ego abs te procul recedam.
Quid astas, Sceledre? SC. hanc rem gero: habeo auris, loquere quidvis.
PA. Credo ego istoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis manibus patibulum cùm habebis. SC. quámnam ob rem?
PA. Respice dum ad lævam: quis illæc est mulier? SC. prò dij immortales!
Heri concubina est hæc quidem. PA. mihi quoque pol ita videtur.
Age nunc jam, quando lubet. SC. quid agam? PA. peri perproperè.
PH. Ubi iste bonus servus, qui propudij me maximè innocentem
Falsò insimulavit? PA. hem tibi. hic mihi id dixit. SC. tibi. PH. quei dixti
Tu, te vidisse in proximo hic, sceleste, me osculantem?
PA. Atque cum alieno adolescentulo, dixit. SC. dixi hercle verò.
PH. Tun' me vidisti? SC. atque his quidem oculis. PH. carebis, credo,
Qui plus vident, quàm quod vident. SC. nunquam hercle deterrebor,
Quin viderim id quod viderim. PH. ego stulta & mora multùm,
Quæ cum hoc insano fabulem: quem pol ego capitis perdam.
SC. Noli minitari: scio crucem futuram mihi sepulcrum:
Ibi mei majores sunt siti; pater, avus, proavus, abavus.
Non possunt mihi minacijs tuis hisce oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palæstrio. obsecro, unde
Hæc exit huc? PA. unde, nisi domo! SC. domo? PA. me vidente. SC. video
Nisi mirum est facinus, quomodo hæc hinc potuerit transire!
Nam certò neque solarium est apud nos, neque hortus ullus,
Neque fenestra, nisi clatrata. nam certò ego te hic intus vidi.
PA. Pergin', sceleste, intendere, & hanc arguere? PH. ecastor ergo
Mihi haud falsum eveniat somnium, quod noctu hac somniavi.
PA. Quid somniasti? PH. ego eloquar. sed, amabo, advortito animum.
Hâc nocte in somnis mea soror gemina germana visa
Venisse Athenis in Ephesum cum suo amatore quodam:
Hi ambo hospitio huc in proximum mihi devorti sunt visi.
SC. Palæstrionis somnium narratur. PA. perge porrò.
PH. Ego læta visa, quia soror venisset, propter eandem
Suspicionem maximam sum visa sustinere.
Nam arguere in somnis me familiaris meus mihi visu'st

Me cum alieno adolescentulo, quasi nunc est, osculatam esse:
Cùm illa osculata mea soror gemina esset suumpte amicum.
Ita me insimulatam perperàm falsum esse somniavi.
PA. Satin eadem vigilanti expetunt, quæ in somnis visa memoras?
Heus hercle præsentia omnia! abi intrò, & comprecare.
Narrandum ego istuc Militi censebo. PH. facere certum.
Neque me quidem patiar probri falsò impunè insimulatam.
SC. Timeo quid rerum gesserim: ita dorsus totus prurit.
PA. Scin te periisse nunc quidem domi certo? SC. certa res est
Nunc nostrum observare ostium, ubi ubi sit. PA. at Sceledre, quæso,
Ut ad id exemplum somnium quàm simile somniavit,
Atque ut tu suspicatus es eam vidisse te osculantem!
SC. Me eam non vidisse arbitraris? PA. næ tu hercle, opinor! obsecrò
Resipisce. si ad herum hæc res pervenerit, peristi pulcrè.
SC. Nunc demum experior, prius ob oculos mihi caliginem obstitisse.
PA. Dudum edepol hoc planum quidem: quæ hîc usque fuerit intus.
SC. Nihil habeo certi quid loquar: non vidi eam, etsi vidi.
PA. Næ tu edepol stultitiâ tuâ nos pænè perdidisti.
Dum te fidelem facere hero voluisti, absumptus es pænè.
Sed fores vicini proximi crepuerunt. conticiscam.

HUius Sc. versus sunt quadrati catalecti- A ci, jambici: ut & sequentis, usque ad v. 15. *Quicum nisi t. &c.* à quo deinceps τροχαΐζουσι.

V. I. PRÆCEPTA F. VT MEMINERIS] *Mendacem* enim, ut ait Terent. *oportet esse memorem*. Inde Quintilian. *Mendacia plerunque confutari solent inconstantiâ sermonis.*

2. CEDO VEL DOCTAS, DOCEBO.] q. d. Tantum abest, ut docenda sim, ut ego vel doctas docere possim. Cæterum, unde nata sit hæc lectio, nescio. in meis nihil tale est: ut nec in MSS. Cam. sed confusum quid: un- B de Gruterus aliquis facilius exstruat, *cedò vel decem, docebo.* Pareus tamen ex eis format palmarium, *Cedo! vel doctam edocebo.* at quid heîc acuminis est? ô conjectorem pessimum! habent enim MSS. à manu pr. *cedo, vel dice me docebo.* emendatumq; in pr. *doce.* Est autem *Philocomasium*, quasi ἡ φιλοκωμάζουσα, ἡ φιλόκωμος, *comessatricula*: Germanis, Eine Gelack Schwester/Fiedel Els.

3. MEMINI MALAS, VT S. M.] Memini malas mulieres quo modo sint malæ.

3. MIHI SOLÆ E QVO SVPERFIT] Hoc cum Schop. malui, ut MSS. proximum, in

A quîs à primâ manu, *mihi sola equo superfit.* Ait, non esse quod servus vereatur, ne non satis subdola futura sit: quippe cui soli de malitia mulieribus cæteroqui propriâ supersit. *Solæ* pro *soli.* J. Palmer. Spicil. fol. 72. l. *mihi pol ego supersum.* Et affirmat sic omnes legisse ante Cam. At mei tamen omnes ante Camer. leg. *mihi sola ego supersum.* Polletus Hist. for. R. l. ——*ne doceto malas, ut sint malæ: Mihi sola ego supersum.* i. ego una mihi strenuam operam dabo, & meas agam probè partes. Ideo *superstites* rectè *advocati* dicuntur, quasi iidem cum præsentibus. Asi- B naria: *Nunc mihi licet quidvis loqui, quando nemo adest superstes.* Etiam Servius ad 3. Æn. v. 339. notat *Superstitem* significare præsentem: ut Cic. in Muræniana: *suis utrisque superstitibus*, i. præsentibus. Polleti lectionem è Col. & Florent. & Ald. probat etiam Acid. Q. d. Ad alias malas collatam se à nullâ, nisi à se ipsâ, superari. Nisi, inquit, potius legas, *mihi epol quoque superfit.* Q. d. Aliis malitiæ multum est: mihi uni plus satis, & nimio nimis. *Superesse alicui*, pro, esse patronum, aut advocatum: an integrè dicatur, disputat Agell. lib. 1. 22.

6. CREDO

6. CREDO EGO ISTOC EXEMPLO] Cùm Sceledrus in ostio staret, mulierculam redituram exspectans, ne quà elaberetur: ad eum Palæstrio, Benè est, inquit, forma & status in te, qui mox erit; cùm herus alligatum te patibulo per urbem ducet. Atqui stetisse eum opinatur Lipsius manibus ante se projectis & leviter diductis, habitu quo solent captantes & apprehensuri. Vide De Cruce lib. 3: 5. Douza existimat, ipsum *manibus post tergum complicatis* adstitisse. Etiam Schoppius verba Plauti minimè à sententiâ Lipsii facere existimat. atque ex MSS. Cam. legit, *Credo ego istuc extemplò t.* et particulam, *actutum*, ut glossema inducit. *Istuc extra portam*, δεικτικῶς. Susp. Lect. lib. 5: 3. At libri ambo servant illud *actutum*, alterque tantùm habet *extemplo*. unus disertè à primâ manu, *exemplo*, (uti omn. etiam edd.) quod perplacet, accipioque, ut Lipsius.

6. EXTRA PORTAM] sc. *Metiam*: quam eandem esse cum *Esquilina*, præter Octavium Pantagathum, Lipsius docet lib. 2. ad Tacit. ubi hunc locum allegans ita commentatur: Supplicia pleraque apud Romanos sumi solita extra portas. credo, ne frequenti sanguine & cæde contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas. Itaque & carnifex domum habuit extra urbem. Pseud. act. 1: 3. & Cas. act. 2: 6. Vide & Muret. Var. lib. 9: 13. Is. Casaubonus ad Theophr. Fuit, inquit, Athenis, sed & in aliis urbibus, janua una, quam χαρώνειαν θύραν vocabant, quâ ad supplicium educebantur capitis damnati. Hinc apud Plaut. Mil. Proverbium, *Extra portam ire*. Seneca Controv. lib. 1. *Extra portam istam virginem*. Respondet istis Græcorum, ἐς μακαρίαν: &, ἐς κόρακας. Tertul. *Malum foras*.

7. DISPESSIS] Quòd à *pando* dicatur *passum*, non, *pansum*, veteribus, docet Agell. lib. 15: 15. hunc etiam locum citans. Contrà Gifanius *Pansum* & *Passum* rectè ab autoribus dictum contendit: æquè ut à *scando*, *scansum*. Prudent.

Pansis in altum brachiis.

Idem:

Vix panso poterat currere carbaso.

Ita Virg. 4. Georg.

Proderit & tunsum gallæ admiscere saporem.

Georg. 1.

Vomeris obtunsi dentem.

Sic enim utrobiq; legi docet Priscian. lib. 10. in veteri codice: nam vulgatus mendosissimus est. MSS. Cam. *Dispersis m.*

10. PERI PERPROPERE] ita MSS. & edd.

11. ME MAXIME INNOC.] Miror cur libeat affirmare Pareo restare in MSS. *maxumei*, cùm nullo apice divertat à vulgato.

12. SC. TIBI. PH. QVEI DIXTI] ita libuit rescribere, propius ad MSS. quàm ii qui reposuerant. *PHI. Tibi quæso? dixti?* MSS. enim & vett. edd. *PHI. tibi quem dixti.*

17. MORA] Lat. *insipiens*. Ita autem MS. pr. à primâ manu: item Lamb. At in meis est, *ego stulta moror multum*. quod præfert Meursius. Nam, inquit, *morari* primâ productâ efferebant cavillantes, pro μωραίνειν. Sic Nero, teste Suetonio, *Claudium dicebat desiisse inter vivos morari*. Vide infrà act. 4: 7.

18. CAPITIS PERDAM] vitâ privabo. L.

19. SCIO CRVCEM FVTVRAM MIHI SEPVLCRVM] Hunc locum Lips. lib. 1: 12. de *Cruce*, laudat.

20. SVNT SITI] *Siti* sunt mortui, ut testantur Cic. lib. 2. De legg. & Agellius l. 20: 2. unde *Siticines*, qui canebant ad *sitos*: i. τυμβαύλαι. Vide Scaligerum & Muret. ad Catull. Ita in tumulo P. Scipionis Afric. erat:

Heic est ille situs, quoi nemo ceivi, neque hostis
Quibit pro facteis reddere opræpretium.

In tumulo Annibalis: *ANNIBAL HEIC SITUS EST.*

21. NON P. M. MINACIIS T. HISCE OCVLI FODIRI] Q. d. Non potes minis efficere, ut non viderim, quod viderim, & ut oculis caream: L. Jam *hice*, pro *hi*, legit D.

23. VIDEO] Grut. è MSS. concinnat, *PA. me viden? SC. te video.* quod Pareus contra MSS. recepit in contextum.

24. NISI MIR.] Gruterus conjiciebat, *Nimis mirum*. At Meursius ex Aldina, *vides. Nisi m.* emendat, *quid est, Nisi &c.* Ita alibi: *Quid est nisi hæc impudentia est?* Sanè MSS. habent, *Nisi mir.* Sed veteriores edd. τὸ *nisi* non agnoscunt.

26. CLATRATA] clatris vallata. *Clatri* seu *clatra* virgæ sunt ligneæ aut ferreæ, quibus fenestræ muniuntur. hinc *clatrare* etiam apud Colum. lib. 9: 1.

27. INTENDERE] Donatus ad Ter. Eun. act. 3: 3. notat. *Intendere, est crimen in adversarium*

sarium jacere. Ita *Intertrahere, est contumeliam intorquere*. Fest.

31. CVM SVO AMAT.] ita edd. omnes. at MSS. Cam. diserte, *meo*. alterum tamen audacter retinendum, uti displiceamus Pareo; arbitranti ab oraculis Gemellorum suorum nemini recedendum. Nos, quibus mens nondum emota est sua sede, tunc demum auscultamus pluteariis cùm non recedunt ab æquo & bono, cùm ratio eis suberit.

33. SC. PALÆSTRIONIS SOMNIVM NARRATVR.] ita, *Palæstrionis*, non, *Palæstrioni*: ipsa sententiâ clamitante: ut significet Sceledrus, se ita matulam & stupidum non esse, ut non percipiat somnium quod sibi & Palæstrioni à Philoc. narratur, Palæstrionis ipsius commentum esse, eámque de compacto verbisque adeò conceptissimis hoc agere: D. Acidalius tamen negat, Sceledrum scire, hæc omnia consilio Palæstr. geri. itaq; Personam mutat: *PA. Palæstrionis somn. narratur. perge p.* Ad spectatores versus Palæstrio somnii hujus auctorem se jactat. mox illam narrare porrò jubet, &c. Vide ibid. c. 4.

35. SVSPICIONEM MAXIMAM SVM VISA SVSTINERE] Versus Catullianus: quales sæpius reperiri in Plauto, Muretus annotat.

37. QVASI NVNC] ita restituit Grut. è MSS. & ita etiam in meis est. i. sicut nunc res se habet. Mostell. *Dum intereà sic sit, &c.*

38. ESSET SVVMPTE AMICVM] Ita reposui ex vestigiis MS. pr. in quo à manu prima *sumptu*. secundus ejus, ut & edd. vet. ordinant *esset suum amicum*, versu fatiscente nisi sustineatur.

39. PERPERAM FALSVM ESSE] ita MSS. Cam. Sed Edd. *falsum* non habent: & placet iis, quibus videtur invenustum duo adverbia sic copulari. At mihi judicium antiquitatis magis placet.

40. VIGILANTI.] legit Schop. è lib. Cam. *in vigilantes expetunt*. Nobis vigilantibus omnia illa eveniunt, quæ tu somniaveras. Tritum est, *Expetere alicui*: &, *in aliquem*. at in MSS. τὸ *in* non apparet, sed, *vigilantis*. alterum tamen secutus utraq; ed. Pareus; non sine pernicie versus.

41. H. H. PRÆSENTIA OMNIA!] Passerat. legendum putat, *omina*. Quod tamen Grutero ineptum videtur: probatque lect. MSS. *heus hercle præsentia omnia!* deleto *quàm*, quod est in prioribus edd.

41. COMPRECARE] *Comprecari* nihil aliud est, quàm molâ salsâ aut ture devenerari, id est, deprecari somnia, pacémque ac veniam à Prodigiali Jove *diisque Averruncis*, i. malorum depulsoribus omni suppliciorum ac piamentorum genere exambire. Quò item pertinent ea, quæ habes infrà act. 3: 1. de *Precatrice, Conjectrice, Hariola*, atque *Aruspicâ*. Sic Amph. 2: 2.

——*somnium narrat tibi, &c.*

Tibullus:

At natum in curas hominum genus, omina noctis
Farre pio placant & saliente sale.

Consulas J. Douzæ Centurionatum lib. 3: 9. ubi exemplis Propertii, Ovidii, Martialis, Festi, ipsius Plauti è Curc. act. 2: 1. & 2. uberrimè ista pertractat. Item Des. Heraldi Advers. lib. 2: 6.

42. CENSEBO] Douza l. *censeo*.

44. DORSVS TOTVS PRVRIT] Germ. Es juckct mich der Buckel. Dorsum totum plagas sibi imminere præsagit. Amph. 1: 1. v. 138. *perij: dentes pruriunt*: Bacch. 5. 2. v. 74. *caput prurit: perij*. Pœn. act. 5: 5. v. 36. *Num tibi, adolescens, malæ an dentes pruriunt?* Pseud. 1: 1. v. 105. *supercilium salit*. Vide Adagiorum Collectores.

45. D. CERTO] Scil. Philocomasium est.

46. OBSERVARE] Palm. pag. 75. l. *observare*. prorsus ineptè. V. N. Asinar. 2. 2. v. 7.

VBI VBI SIT] ita Grut. restituit. Acid. è vet. scriptura, *ubi esset*, facit, *ubi est*. Camer. editio; *Observ. ost. voluisse*. Lamb. *N. n. obs. ostium, ne evolet*. J. Gulielm. *Nunc nostrum observ. ostium volup est*. MSS. quidem Cam. *ubi isset*. sed aliud quid fuit in primo, quod præ rasura non apparet, nisi quòd videatur fuisse, *Ul*. Hinc illud Gruteri natum. Pareus negat tot opus commentis, cùm scriptura MSS. dilucida sit. persuadeat id cæcis.

47. SOMN. Q. SOMNIAVIT.] Ad hanc figuram multa alia dicta sunt à Latinis & Græcis. *Servire servitium: dolere dolorem: dormire somnum: nocere noxam: sequi sectam: cœnare cœnam saliarem: metuere metum: cogitare cogitationes: pugnare bellum: ridere risum: insanire insaniam: furere furorem: errare errorem: peccare peccatum: donare do-*

num: ire viam: proficisci iter: ὕϐριν ὑϐρίζειν. λῆρον ληρεῖν. μανίαν μαίνεσθαι. φυγὴν φεύγειν. χαρὰν χαίρειν. ὀδύνειν ὀδύνην. τίκτειν τόκον. ἱερῶν ἔρωζα. πονεῖν πόνον. γελᾶν γέλωτα. ἀρχὴν ἄρχειν. τολμᾶν τόλμαν. λέγειν λόγους. πάθος πάσχειν, & alia: quorum magnam vim collegit C. Rittershusius in Comment. Oppian. Halieut. lib. 4. item Budæus in Comment. Gr. ling. & Fulv. Ursinus ad 12. Æneid. Quin & *navem navigare.* Ulpianum dixisse in l. 1. ff. *Nauta caup.* D.F. notat.

49. NÆ TU H. OPINOR. MAG.] Accessi proximè ad MSS. item edd. vett. J. Douza, adjutus Lipsii codice (Antiq. Lect. lib. 5. 5.) locum hunc confragosum sic expediebat: *Na tu opinor magnum malum Reperies si a. h. h. r. p. peristi pulcrè.* non sine sannis tamen Parei, tanquam si nimis remote à Cynosura Antiquitatis, quam ineptus ille adstringit ad suos libros duos: è quibus nihilominus Acid. ita malebat: —— *arbitraris? PA. opinor? obsecro resipisce. Na tu hercle, si ad herum h. r. perv. peristi pulcrè.* quod conjectaneum ferè recepit in contextum Pareus, testatus divinationibus aliis nihil esse opus. ita se totum hunc locum ex vestigiis MSS. expressisse. Quæ ludibria oculis nostris objicere audet impudentia commixta inscitiæ? At enim in MSS. istæc ita leguntur: in secundo quidem, nullam passo interpolaturam; *PA. ne tu hercle opinor obsecro. respicis si ad erum hæc res prius ob oculos pervenit peruis pulcre.* Prius erat in MS. primo: *ne tu hercle opinor obsecro Resipiscis. ad erum hæc res prius ob oculos creverit pervis pulcre.* at dextra recensoris inde fecit, *Respicis si ad erum hæc res prius ob oculos pervenit peribis pulcrè.* Edd. vett. servant: *na tu hercle opinor Obsecro respice si ad herum hæc res pervenit, peristi pulcrè.* ubi apparet nusquam locum fuisse trajectioni Pareanæ. quâ si abuti velimus, nihil manebit in libris sincerum, nihil firmum.

51. CALIGINEM OBSTITISSE] ita Servius citat, *cal. obstitisse.* quod, ut magis Latinum, Colerus multis conatur probatum reddere, vel è Cicerone. atque idem aliquando etiam significare *Obesse* & *Officere.* Glossarium, *Obesse,* ἀποσκοτεῖν. *Officeret,* ἀποσκοτήσῃ &c. Vulgg. & MSS. Cam. *obtigisse.* sed Servii auctoritas antiquior est.

54. NÆ TU ED. STULT.] Vett. edd. *Na te ed. stultitia tua penè perdidit.* MSS. Cam. *Ne tu edepol stultitia tua nos penè* (antea in MS. pr. erat, *nostra*) *perdidit.* sed *perdidisti requirit* versus. atque ita concinnavit Camerarius.

ACTUS II. SCENA V.

PHILOCOMASIUM, PALÆSTRIO, SCELEDRUS.

INDE ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ lauta laudes
Gratésque agam, eique ut Arabico fumificem odore amœnè:
Quæ me in locis Neptuniis templisque turbulentis
Servavit, sævis fluctibus ubi sum afflictata multum.
SC. Palæstrio, ô Palæstrio. PA. ô Sceledre, Sceledre, quid vis?
SC. Hæc mulier, quæ hinc exit modò, éstne herilis concubina
Philocomasium? an non est ea? PA. hercle opinor, ea videtur.
Sed facinus mirum est, quomodo hæc hinc potuerit transire:
Siquidem ea est. SC. an dubium tibi est eam esse hanc? PA. ea videtur.
Adeamus, appellemus. SC. heus, quid istuc est, Philocomasium?
Quid tibi istic hisce in ædibus debetur? quid negotii est?
Quid nunc taces? tecum loquor. PA. imò edepol túte tecum:

Nam

Nam hæc nihil respondet. SC.te alloquor, vitij probríque plena,
Quæ circum vicinos vaga es. PH.quicum tu fabulâre?
SC. Quîcum, nisi tecum? PH. quis tu homo es, aut mecum quid negotij est?
SC.Men' rogas, hem, qui sim? PH. quin ego hoc rogem, quod nesciam?
PA.Quis ego sum igitur, si tu hunc ignoras? PH. mihi odiosus, quisquis es
Et tu, & hic. SC.nos non novisti? PH.neutrum. SC.metuo maximè.
PA.Quid metuis? SC.enim ne nósmet perdiderimus uspiam.
Nam neque te, neque me novisse ait hæc. PA.perscrutari hîc volo,
Sceledre, nos nostri, an alieni simus: ne dum quispiam
Nos vicinorum imprudenteis aliquis immutaverit.
SC.Certè equidem noster sum. PA.& pol ego. quæris tu, mulier, malum.
Tibi dico, heus Philocomasium. PH.quæ te intemperiæ tenent,
Qui me perperàm perplexo nomine appelles? PA.ehò,
Quis igitur vocáre? PH.Glycere nomen est. SC.injuria est.
Falsum nomen possidere, Philocomasium, postulas.
At istuc non decet, & meo adeò hero facis injuriam.
PH.Egóne? PA.túte. PH. quæ heri Athenis Ephesum adveni vesperi
Cum meo amatore, adolescente Atheniensi. PA. dic mihi,
Quid hîc tibi in Epheso est negotij? PH. geminam germanam meam
Hic sororem esse inaudivi: eam veni quæsitum. PA.mala es.
PH. Imò ecastor stulta multùm, quæ vobiscum fabuler.
Abeo. SC.abire non sinam te. PH.mitte. SC. manifestariæ
Res est, non mitto. PH.at mihi jam crepabunt manûs; mâlæ tibi;
Nisi me omittis. SC.quid, malûm, astas? quin retines altrinsecus?
PA.Nihil moror negotiosum mihi esse tergum. quî scio
An ista non sit Philocomasium, atque alia ejus similis sit?
PH. Mittis me, an non mittis? SC.imò vi atque invitam, ingratijs,
Nisi voluntate ibis, rapiam te domum. PH. ostium hoc mihi
Domicilium est: Athenis domus ac herus. ego istam domum
Neque moror: neque vos, qui homines sitis, novi, neque scio.
SC.Lege agito: te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem;
Te huc, si omisero, intrò ituram. PH.vi me cogis, quisquis es.
Do fidem, si omittis, istoc me intrò ituram, quò jubes.
SC.Ecce omitto. PH.at ego abeo missa. SC. muliebri fecisti fide.
PA. Sceledre, manibus amisisti prædam. tam ea est, quàm potis,
Nostra herilis concubina. vin' tu facere hoc strenuè?
SC.Quid faciam? PA. affer mihi machæram huc intus. SC. quid facies eâ?
PA. Introrumpam rectà in ædes, quémque hic intus videro
Cum Philocomasio osculantem, eum ego obtruncabo extempulò.
SC.Visáne est ea esse? PA. imò edepol planè ea est. sed quomodo
Dissimulabat! abi, machæram huc effer. SC. jam faxo hic erit.
PA.NEQVE EQVES neque pedes profectò quisquam, tantâ audaciâ,

,, Qui æquè faciat confidenter quicquam, quàm quæ mulieres
Faciunt. ut utrobique orationem doctè edidit!
Ut sublinitur os custodi cauto, conservo meo!
Nimis beat, quòd commeatus transtinet trans parietem.
SC. Heus Palæstrio, machærâ nihil opus. PA. quid jam, aut quid opus est?
SC. Domi eccam herilem concubinam. PA. quid? domi? SC. in lecto cubat.
PA. Edepol næ tu tibi malam rem repperisti, ut prædicas.
SC. Quid jam? PA. quia hanc attingere ausus mulierem hîc in proximo.
SC. Magis hercle metuo. sed nunquam quisquam faciet, quin soror
Ista sit germana hujus. PA. eam pol tu osculantem hîc videras.
Et quidem palàm est eam esse, ut dicis. SC. quid propius fuit,
Quàm ut perirem, si locutus fuissem hero! PA. ergo si sapis,
,, Mussitabis. PLVS OPORTET scire servum, quàm loqui.
Ergo abeo à te, ne quid tecum consilij commisceam:
Atque apud hunc vicinum. tuæ mihi turbæ non placent.
Herus si veniet, si me quærit, hîc ero, hinc me arcessito.

INDE IGNEM IN ARAM] Philocomasium, ea ipsa, quam Sceledrus cum Pleuside osculantem vidit, domo Periplectomenis exiens, quasi soror sit germana Philocomasii, non Philocomasium: qualique peregrè paulò antè venerit, & ex adversâ tempestate servata sit, hic Dianæ Ephesiæ sacrificare & gratias agere, & vota solvere parat. Alloquitur autem ancillam: L.

V. 1. LAVTA LAVDES GRAT.] MSS. Pall. *latas*. sed pr. nondum interpolatus, *lata*. hinc Gruterus fecit *lauta*: aptè ad rem. Alii l. *latas*: nempe ab effectu. Douza, *lautas*: ut præter paronomasiæ venustatem ad solemnem lavationem illam (quæ veteribus *Lustratio* dicta; etiam *Purificatio* Mart. & Plinio) sacrificia ac rem divinam præcedere solitam respectum sit à Comico.

2. EIQ. VT ARABICO FVMIFICEM ODORE] Festus: *Arabicè olet*. Notetur autem, Plautum affingere Philocomasio sermonem pæne tragicum, hoc initio: ut Trin. act. 4: 1. Charmidi.

3. TEMPLISQ. TVRBVLENTIS] Idem, quod *loca Neptunia*. Sicut legimus apud Ennium, *Cæli templa*, & *Acherusia templa*; ita & *Neptuni* seu *Neptunia templa*, pro mari. Varro lib. 6. in principio: *Templum tribus modis dicitur, ab naturâ, ab auspicio, ab similitudine. Naturâ in cælo; ab auspicio, in terrâ: ab similitudine, sub terrâ, &c.* Vide ibid. ut & Turneb. atque Scalig. ad illum. Ita Lucr. dixit *Templum*, pro quovis edito loco, quem intueri & contemplari liceat. item *Templum mundi*: sed & *Templum mentis*: immò & *Templum linguæ*, egregiâ tralatione, palatum: ὐρανὸς Græcè. Denique Virg. 4. Æn. pro sepulcro posuit,

——fuit in tectis de marmore templum
Conjugis——

quæ observat Gifan.

12. IMO EDEPOL TVTE TECVM] Ita edd. vett. versu volente. MSS. interserunt *nunc*, sed id non patiuntur numeri. quod tamen non solum admisit Pareus, sed & utraque editione repetiit *imò imò*, tanquam id versus requireret. ô supinam ignorantiam! quam iterum ostentat versu sequenti, dum sequitur scribarum errores, rescribitq; *Nam hæc, nihil est; respondet.* quod est, in nullo videtur codice edito, vitiatq; turpiter & sententiam, & versum. sic sequitur ibidem *alloquar* unius MS. & quidem pejoris, cùm alter referat *alloquor*, & id secutus sit Camer. ceteriq; omnes, postulante sententia. At idem versu proximo deserit auctoritatem MS. primi in quo initio *bagas*, recepitq; secundi, *bagæ es*. ô prodigiosam μεταποίησιν!

16. QVIN

16. QVIN EGO] V.N. infra act. 3:3.

19. NE NOSMET PERDIDERIMVS USPIAM] Sic. Amph. 1: 1. *Ubi ego pery?* &c.

20. PERSCRVTARI] Ita omnes ad unam edd. MSS. tamen Pall. *perfectari*. quod tam divinum est Pareo, ut serió affirmet eapropter alterum in textum recipi non deberi. ô Taubmanne, quid fecistis?

21. NOSTRI AN ALIENI SIMVS] nostræ familiæ an alienæ. ita mox, *Certè equidem noster sum. L.*

23. QVÆRIS MALVM] Sic & Cistel. 1. 2. v. 23. pro *ultro persequi*. Proper. *ocelli* 1. *malum sibi accersunt jumento suo*. Passerat. Pareus insulsè edidit, *quares*; ex MSS. ignarus eosdem mille aliis locis permutare solitos vocalem secundam cum tertia.

25. GLYCERE NOM.] Hoc ita tuetur Gruterus contra CL. Meursium, quem vide, si operæ. Vide & Not. act. 3:1. extremâ.

26. INIVRIA EST] ita MSS. at Douza l. *injuria es*. i. injustè facis, quæ alienum nomen tibi assumas.

28. AT ISTVC TE NON DECET, ET MEO ADEO HERO FACIS INIVRIAM] Ita versus supplevit Camer. nam vett. edd. *at istuc non decet, & meo hero facis injuriam*. verum MSS. longe aliud cantant: ambo enim: *Adice testu non dicat ei & meo ero non facis injuriam*. ita inquam, ambo, nisi quod pr. *aero*, pro *ero*.

35. MIHI CREPABVNT MANVS; MALÆ TIBI:] ita Grut. è MSS. eruit. Hoc fuerit Terent: *colaphos infringere*: & Paulo IC. *pugnum servo ducere*. Princeps hodie Poetarum Melissus, popularis meus, facetè *quatidentium* hujusmodi vel alapam vel potius percussorem dixit. Nisi omittis, inquit, crepabunt mihi quidem manus, tibi verò malæ: sententiâ clarâ.

36. QVIN RETINES] contra mentem auctoris Pareus edidit, *quid detines*.

40. NISI VOLVNTATE IBIS] Ridiculè è MSS. Pareus nobis exhibet, *Nisi votuptate ibis*. & næres indignissima est ferre Germaniam talem sanissimorum locorum corruptorem.

40. OSTIVM HOC MIHI DOMIC. &c.] ita edimus. quanquam enim MSS. & edd. *hostium* legunt: tamen tralatitio scribendi modo *ostium* est. Ait igitur δεικτικῶς, ibi hospitium suum esse, ubi illud ostium. Cæterùm J. Lipsius, Antiq. L. 1. cap. 19. litterâ insertâ emendavit, *hosticum hoc*, id est, peregrinum. Nam *hostis*, inquit, antiquitùs, qui nunc *peregrinus*. callida igitur illa mulier, cùm Servus eam vi conaretur domum abstrahere, dissimulans se eam esse: Mi homo, inquit, vide, ne erres: equidem hîc non habito: sed hoc Periplectomenis hospitio tantùm utor, ut peregrina. Athenis est vera domus. Res clara, ex Fabulæ argumento.

41. AC HERVS: EGO] Quid, *herus*? an ergò servam se ferebat? minimè. & Sc. seq. Senex eam profitetur ingenuam & liberam. Legerem itaque, *atque heus tu, ego istam d.* aut etiam simpliciter: *atque heus, ego ist*. Crebra in jurgiis & objurgationibus formula: *Pistoris*. Grutero in mentem aliquando veniebat, *Athenis domus est Sc. Acheruns*! ego ist. ut servus indignatus, ei imprecetur illam domum perpetuam ac stabilem Orci, qui neminem remittit, ut semel nactus. Sed longiùs id ei quæsitum videbatur: quare malebat ferè *domus acrus*. etsi neque id quoque satisfaceret. Sanè in MS. pr. expressè est *domus acherusa*. Pareus qui nusquam dubitat, ubi alius ei præiit, heic in contextum admisit, *domus est Acherusia*. asseveratque ita profectò legendum; tanquam si ei credendum nobis esset homini ab alterius arbitriis pendulo. Idem statim, insigni impudentia asserit, in MS. sec. legi, *domus est Achorus*. imò ibi planè restat, *domus est ac erus*.

43. LEGE AGITO] *Lege agito, dicebatur ei, cujus intentio contemptibilis adversario videbatur*: ut notat Donatus Phorm. act. 5. 7. Vel, *Lege agere*, est in jure id, quod lege aliquâ institutum est, agere. Ita, *Lege vendere*, i. legitimè: Recht und Redlich-

43. NISI DAS FIRMATAM FIDEM] Firmabatur fides jurejurando, sponsoribus, fidejussoribus &c. quanquam hîc simpliciter, pro, *dare fidem certam*, positum videtur. L.

46. MVLIEBRI FIDE] fluxâ, sublestâ. vide Adagium: *Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem*.

47. PRÆDAM. TAM EA &c.] Ita Personas ferè ordinavit MS. pr. ut & J. Is. Pontanus lib. 1. cap. 2. Analect. itemque Acidalius: quanquam hic etiam aliter. Certè, ut vulgatæ est, actio fit absurda.

49. MACHÆRAM HVC-INTVS] Eâdem formâ dixit Amph. *intús-pateram*, τὸ ἐντὸς ποτήριον. Epid. *Fidicinam-intus*. Rud. *Signũ-intus*.

50. PA. INTRORVMP.] Simulat Palæstrio, se injuriam hero illatam vindicaturum &c.

56. VTROBIQ.] Et ubi Philocomasii partes agebat, & ubi ejus sororis.

56. DOCTE EDIDIT! VT SVBLINITVR] Non sine causa Camer. locum istum osterisco insignivit. nam in MSS. extat *ducta*.

58. TRANSTINET TRANS PAR.] MS. pr. *transtinet tam p.* quod Bosius exponit, transversum tenet. cùm *tigna* dicantur propriè transtinere duos parietes disjunctos. Sed hæc Acidalius non intelligere ait, quomodo ut ligna transtinere duos parietes dicuntur; sic & commeatum dici posse parietem hunc transtinere. itaque emendat, ut edidimus: & A ut est in MS. sec. Cam. Simillimum illi Sticho act. 3. 1. *-referam obsonium per hortum: utrôque commeatus continet.* q. d. simul tenet. In meis est, *quod commeatus est trans parietem*. Camerarius edidit, *transtinet jam p.* ubi pro *jam* Gul. l. *clam*. Suprà ipse Palæstrio; *Quà commeatus clam esset.*

67 PLVS OPORTET SCIRE] ita Veget. lib. 2. c. 14. *Centurio magis ad facienda, quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus sit.* Ita Julianus dicebat: *Plus mehercules audire, quàm loqui militarem hominem decet, actibus coalitum gloriosis.*

68. ABEO A TE] τὸ *à te* nec in MS. sec. in vett. ed. est. MS. pr. initio habuit *te*, sine *à* illo, quam facilè omittatur, norunt qui circa membranas assidui. certè vel versus caussa addendum erat.

ACTUS II. SCENA VI.

SCELEDRUS, PERIPLECTOMENES.

SATIN' abiit ille, neque herile negotium
Plus curat, quàm si non servitute serviat?
Certò quidem illæc nostra intus est in ædibus.
Nam ego & cubantem eam modò offendi domi.
Certum est nunc observationi operam dare.
PE. Non hercle hisce homines me marem, sed fœminam
Vicini rentur esse servi Militis:
Ita me ludificant. meámne hic in viâ hospitam,
Quæ heri huc Athenis cum hospiti advenit meo,
Tractatam, & ludificatam, ingenuam & liberam?
SC. Perij hercle! hic ad me rectà habet rectam viam.
Metuo illæc mihi res ne magno malo fuat,
Quantum hunc audivi facere verborum senem.
PE. Accedam ad hominem. tun' Sceledre hic scelerum caput,
Meam ludificavisti hospitam ante ædis modò?
SC. Vicine, ausculta quæso. PE. ego auscultem tibi?
SC. Expurgare volo me. PE. tun' te expurges mihi,
Qui facinus tantum támque indignum feceris?
An quia latrocinamini, arbitramini
Quidvis licere facere vobis, verbero?
SC. Licétne? PE. at ita me di deæque omnes ament,
Nisi mihi supplicium virgarum de te datur
Longum diutinúmque à mane ad vesperum,
Quòd meas confregisti imbrices & tegulas,
Ibi dum condignam te sectatus simiam,

Quód-

Quódque inde inspectavisti meum apud me hospitem
Amplexum amicam cùm osculabatur suam,
Quódque concubinam herilem insimulare ausus es
Probri, pudicam, méque summi flagitij:
Tum quòd tractavisti hospitam ante ædes meas:
Nisi tibi supplicium stimuleum de te datur,
Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quàm magno vento plenum est undarum mare.
SC. Ita sum coactus, Periplectomene, ut nesciam
Utrúmne postulare priùs tecum æquom siet,
An me expurgare hîc tibi videatur æquius.
Nisi istæc non est hæc, neque ista sit mihi:
Sicut etiam nunc nescio quid viderim:
Ita est istæc hujus similis nostra tua,
Siquidem non eadem est. PE. vise ad me intrò, jam scies.
SC. Licétne? PE. quin te jubeo. at placidè noscita.
SC. Ita facere certum est. PE. heus Philocomasium! citò
Transcurre curriculò ad nos, ita negotium est.
Pòst, quando exierit Sceledrus à nobis, citò
Transcurrito ad vos rursum curriculò domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infuscaverit.
Si hîc non videbit mulierem, aperitur dolus.
SC. Prò di immortales! similiorem mulierem,
Magisque eandem, utpote quæ non sit eadem, non reor
Deos facere posse, PE. quid nunc? SC. commerui malum.
PE. Quid igitur, eán' est? SC. etsi ea est, non est ea.
PE. Vidistin' istam? SC. vidi & illam, & hospitem
Complexam atque osculantem. PE. ean' est? SC. nescio.
PE. Vin' scire planè? SC. cupio. PE. abi intrò ad vos domum
Continuò, vide sitne istæc vostra intus domum.
SC. Licet: pulcrè admonuisti. jam ego ad te exibo foràs.
PE. Nunquam edepol hominem quenquam ludificarier
Magis facetè vidi, & magis miris modis.
Sed eccum egreditur. SC. Periplectomene, te obsecro
Per deos atque homines, pérque stultitiam meam,
Pérque tua genua. PE. quid obsecras me? SC. inscitiæ
Meæ & stultitiæ ignoscas. nunc demum scio
Me fuisse excordem, cæcum, incogitabilem.
Nam Philocomasium eccam intus. PE. quid nunc, furcifer,
Vidistin' ambas? SC. vidi. PE. herum exhibeas volo.
SC. Meruisse equidem me maximum fateor malum,
Et tuæ fecisse me hospitæ ajo injuriam:
Sed meam esse herilem concubinam censui,

Cui me custodem herus addidit Miles meus.
Nam ex uno puteo similior nunquam potest
Aqua aquæ sumi, quàm hæc est, atque ista hospita.
Et me despexe ad te per impluvium tuum,
Fateòr. PE. quid ni fateare, ego quod viderim?
SC. Sed Philocomasium me vidisse censui.
PE. Ratúsne me istic hominem esse omnium minimi pretii,
Si ego me sciente paterer vicino meo
Eam fieri apud me tam insignitè injuriam?
SC. Nunc demum à me insipienter factum esse arbitror,
Cùm rem cognosco: at non malitiosè tamen
,, Feci. PE. imò indignè. namque HOMINEM servum suos
,, Domitos habere oportet oculos & manus
Orationémque. SC. egóne? si post hunc diem
Muttivero, etiam quod egomet certò sciam;
Dato excruciatum me: egomet dicam me tibi.
Nunc hoc mihi ignoscas quæso. PE. vincam animum meum,
Ne malitiosè factum id esse abs te arbitrer.
Ignoscam tibi istuc. SC. at dij tibi faciant bene.
PE. Næ tu hercle, si te dij amant, linguam comprimes
Posthac: etiam illud quod scies, nesciveris:
Ne videris, quod videris. SC. bene me mones.
Ita facere certum est. sed satine oratus abis?
Nunquid nunc aliud me vis? PE. ne me noveris.
SC. Dedit hic mihi verba. quàm benignè gratiam
Fecit, ne iratus esset! scio quam rem gerat:
Vt Miles, cùm extemplò à foro adveniat domum,
Domi comprehendat. unà hic & Palæstrio
Me habent venalem: sensi, & jamdudum scio.
Nunquam hercle ex istà nassà ego hodie escam petam.
Nam jam aliquò aufugiam, & me occultabo aliquot dies,
Dum hæ consilescunt turbæ, atque iræ leniunt.
Nam jam nunc satis & plus nimiò merui mali.
Veruntamen de me quicquid est, ibo hinc domum.
PE. illic hinc abscessit. sat edepol certò scio,
Occisam sæpe sapere plus multò suem,
Cùm manducatur. ne id, quod vidit, viderit!
Nam illius oculi atque aures atque opinio
Transfugère ad nos. usque adhuc actum est probè.
Mimium festivam mulier operam præbuit.
Redeo in senatum rursus. nam Palæstrio

Domi

Domi nunc apud me: Sceledrus nunc autem foràs.
Frequens senatus poterit nunc haberier.
Ibo intrò: ne, dum absum, illis sortito fuam.

VERSVS hujus Sc. sunt senarii jamb. A

1. SATIN' ABIIT] Hæc MSS. sincera scriptura est, & nostro usitata, etiam Gruteri judicio. Alius volebat, *Itane abiit*, transpositis litteris: acsi τὸ *S* nota fuerit nominis Sceledri. Cod. Samb. l. *Satur abiit ill.* videtúrque Colero *Satur* dici ἐν λόγῳ ἐχημαπεσμένῳ, *negligens*. quemadmodum act. 2: 2. *ebriacus*.

2. QVAM SI] Acidal. *quasi non servit*. de quo V. N. Trin. act. 2. 4. Sane & MS. pr. initio *quasi* habuit: falsum tamen quod Pareus adnotat, ita sic quoque fuisse in sec. is enim, à prima manu, servat *quam si*, neque ei quis adhibuit Scalpellum. idem quoque sec. exhibet *servite*: quod excutiet novitatis captator. Porrò versu 4. idem Pareus exhibuit *excubantem*, tanquam ita extaret in MSS. Pall. sed minus verè. primus præfert, & *cubantem*, rectè; ut statum indicet in quo eam offenderit. excubiæ hoc loco quod agant nihil habent. at quæ cubat, jam deposuit ornatum, soleas, alia &c.

2. SERVITVTE SER.] Ita Grut. è MSS. *servitute serviat*. ut infrà act. 3. 1. *diu videor vitâ vivere*.

5. OBSERVATIONI OPERAM DARE] diligenter fores nostras observare, ne Philoc. exeat.

6. HISCÈ HOM.] ita MSS. Cam. & edd. quod probat Meurs. & exemplis, & illo Prisc. lib. 12. *Inveniuntur etiam nominativum pluralem Hisce proferentes antiqui: ut Ter. in Eunuch.* (act. 2: 2.) *Hisce hoc munere arbitrantur Suam Thaidem esse*. Malè ergò *Hice* hactenus ibi excusum est.

10. TRACTATAM ET LVDIF.] Loci hujus scripturam egregiam sic è MSS. Cam. restituit Gruterus. Ita tamen ut autumet propius accessurum ad eosdem libros, si legeremus: *meanè hic in via hospita Quæ h. h. A. c. b. a. m. Tractata & ludificata, ingenua & libera*. ita sanè iidem versu postremo. nam priori loco præferunt. secundus quidem; *me mane hic invita hospita*. pr. verò *me amane hic invita hospi*... emendatumque deinde à recensore, *invitiant hospitam*. & verò editio pr. servat: *meanè hic in via hospita &c.* At Meursius aliquando putabat verum esse, *Raptant & ludificant ingen.* Cùm *raptare* pro conviciari posuerit etiam auctor Argum. Amphit. *atque invicem Raptant pro mœchis*. item Aul. 4: 4. *Quid me afflictas? quid me raptas?* sed idem hæsitabat tamen, cùm legeret etiam illa, v. 30.

11. HABET RECT.] ita priùs MS. pr. deinde factum, *abiit*: sec. *abit*. sed uterque præterea exhibet, *ad me recta ab. recta via*. unde Pareus fecit, *hic ad me rectâ abit rectâ viâ*. carpitque Camerarium, à quo lectio nostra altera. non est tamen quod ei acceptum feramus tale acumen: id a Schoppio habet: qui videatur lib. 4. Epist. 7. Susp. Lect.

19. A. Q. LATROCINAMINI] i. quia homines militares estis &c.

21. LICETNE?] sc. expurgare me.

22. NISI MIHI SVPPLIC. VIRGARVM &c.] Si cujus servus alteri damnum intulerat, vel arbitrio ejus, qui damno affectus erat, servus plectebatur: vel noxæ dedebatur: vel dominus litis æstimationem sufferebat: vel, ut ex
B hoc loco apparet, dedecore afficiebatur, &c. Et sanè notanda verborum mira congeries seni iratum se simulanti à Poetâ adfictâ: quæ uno fere spiritu ab ipso continuatur. L.

24. IMBRICES] Serv. 4. G v. 296. *Imbrex dicitur, quod imbrem arceat!* Est enim incurvum genus tegularum. Glossarius liber: *Imbrex, καλυπτήρ*.

25. CONDIGNAM TE SECTATVS SIMIAM] Da ein Aff den andern jagt.

31. TIBI SVPPL. STIMVLEVM] Ita palàm in MSS. *tibi*, inquam. nam pr. non agnoscit *de te*: secundus verò ejus loco habet *dedatur*. quod ipsum in contextum admisit Pareus, repugnante vocaliter versu. sed sic est; olet..m librorum ei unguentum videtur. eadem insulsitate versu 35. exscripsit ex eisdem, *Utrum me exp.* cùm omnes edd. ad unum firment *Utrumne exp.* ac probat se Grutero: ut virgis cædi velit, ob fractas tegulas; forari vero stimulis, ob alia peccata quæ recensuit ibidem ordine.

33. QVAM MAGNO V.&c.] i.cùm magnus ventus est. & est hyperbole.

34. ITA SVM COACIVS] i.in angustiam redactus.

37. NISI ISTÆC NON EST] ita Lipsius Antiq.L.5.5. ordinavit versus. quod præposterè factum censet censura Parei, quia sit contra MSS.quasi non mille tales trajectiones antea occurrerint: hujusq; adeò scenæ versu antepenultimo ipsemet unam habeat ratam.

41. QVIN TE JVBEO] ita Lips.ex Cassinati legit: aptè. Et eò vergit ductus etiam litterarum qui est in MSS.*quinte jubeo & pl.*

41. PLACIDE NOSCITA] Dummodò ne dictis factisque injuriis sis in hospitam nostram, placidè omnia peragas: *Grut.* Nihili sunt Monstroliensis somnia.

46. NE QVID INFVSCAVERIT.] ita MSS. Cam. Ne quid Philocomasium eorum, quæ ei præcepta ac præmonstrata sunt, turbaverit, seu corruperit. *Infuscare*, est vinum aquâ diluere: quòd, cum vini generosi nigrior sit color, dilutior mixtâ aquâ fusciórque reddatur. Vide Turn. lib.16.22. At Palm. Spic. fol.67.l. *infutaverit.* idque probat, inquit, Sambuci v. codex. *Futari vinum* docet Festus, cùm miscetur lymphâ. Quod ergò merum non est, id est infutatum. Nec abhorrent vett. editiones, in quibus legas, *infucaverit*. Alii aliter. utitur etiam Cist. act.1.1. Meursius, *infucaverit*. *Infucare*, fuco inficere, fucum facere: quod & in textu, & in Lexico Parei.

47. APERITVR DOLVS] Sic omnes editi. at MSS. Pall. à prima manus *ap.fobus*, emendatumq; in pr. *ap.foris*: adeò ut punctum præcedat vocem primam. Pareus exclamat: Nescio unde sit dictio *dolus*: quid? an non arbitraris alias esse membranas à vestris? Sed ne quid dissimilem; aut Plautus heic alia interposuit quibus interim teneret populum, dum Sceledrus exit theatrum; aut peccavit indecorum.

55. SITNE ISTÆC VOSTRA INTVS DOMVM] ita verba concepêre, sed alio positu, MSS. & probat Gruterus, *Intùs domum*, pro, in domo. Adverbia enim sæpe locum Præpositionum occupabant. Lucr. *intùs sedibus*, pro, in sedibus. Vide Auf. Popmam, De usu antiq. Locutionis.

A

61. TVA GENVA] Debemus istud Camer. nam MSS. cum notâ defectus, *gea,*. Edd. ceteræ *tuam gratiam*.

70. NAM EX VNO PVTEO] ita Lipsius rectissimè ex libro Cassinati, *Nam ex uno put*, &c. Ita MSS. Cam. *Nam ex umo*. factumque in pr. *ex uno*.

71. SVMI] i.bibi. *Simpulum*, ait Varro, *à sumendo*, i.bibendo, *unde sumi pote puteus*: id est, unde bibi potest. Cic. *Si sumpserit meraciùs*: Scal in Conject. Vide & J. Guliel.

78. A ME INSIPIENTER F.] ita Lipsius è Vatic. Et hanc lectionem in plerisque etiam libr. antiquioribus esse, notat Acidalius: illoque etiam quod sequitur, firmari *at non malitiosè tamen feci*.

80. HOMINEM SERVVM] Notum & illud Periclis: *At enim Prætorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere*. apud Cicer. 1. Offic.

83. MVTTIVERO] *Mu*, canum est, inquit Charis. unde dicuntur *Muttire*: sicut γρῦ porcorum: unde *grunnire*. Scal. Conject. *Muttiunt* canes, cùm incipiunt irritari: ab eo, quod *M* vel *Mū* videntur edere. Lucillius:

Nec laudare hominem quemquam, neque mu facere unquam.

B

V.N. Menæchm.5:1.

84. DATO EXCRVC.] Douza & H. Steph. *Dato me excruciatum, ni eg.* &c. i. ad excruciandum. Acidal. ita: *Da tu excr. me egom.* Egomet tibi me dedam: tu me porrò da excruciandum tuo arbitratu.

89. ETIAM ILLVD, QVOD SCIES, NESCIVERIS] ita te componas, ut etiam illa, quæ nosti, ita habeas, ut si ignores. Donatus ad illud Eun. Ter. act.4.4. *tu pol, si sapis, Quod scis, nescis*: notat: hoc dictum, ut illa, *Concordia discors*, Hor. &, *sequitur quæ sequentem*, Virgilii. ita Heaut. *Tu nescis id, quod scis*.

91. SATINE ORATVS ABIS] ita MSS. nisi quod sec. *abit*, pr. *abiit*, quomodo vulgati: quos Acidal. ineptos: neque Senex abierit, etiam post ipsum remanens. Proinde rescribit, à vett. edd. levissimè adjutus:

Ita facere certum est. sed satin' oratu's? PE. satis.

SC. Nunq. Vel; sed satin' oratus? PE. abi.

& verò primum istud Acidalii exhibuit Pareus editione primâ; posterius secundâ. Scilicet hoc est duabus sedere sellis.

92, NE

92. NE ME NOVERIS] Sage hinfort nicht mehr/das du mich kennest/ oder das du jemals etwas mit mir habst zuschaffen gehabt.

93. GRATIAM FECIT] sc. culpæ: culpam condonavit. V.N. Trin.2.2.

96. COMPREHENDAT]Sic MSS. & edd. vett. at Parei prima *comprehendar*.

97. ME HABENT VENALEM] Germ. Ich werde verrathen vnd verkaufft.

98. NUNQ. H EX ISTA NASSA E. H. ESCAM PETAM.]Significat, se domum heri non iturum: ubi futurum sit, ut tanquam piscis capiatur; & unde periculum virgarum sibi imminere videat. *Nassa*, ait Festus, *est piscatorii vasis genus, quò cum intravit piscis, exire non potest*. Vid. Adag. *E nassâ escam petere*. Pareus heic insigni frontis est firmitudine, dum notat, vel, sic hunc locum se emendare, vel verò sic emendandum e MSS. sec. ubi extet, *ex ista massa ego hodie capetam*. ut quis unquam è tam corruptis isthæc corrigat? imò contra est: sic omnino legitur in editionibus vett. eæque suos quoque habuêre MSS. nam Pal. pr. initio, *massa ego odie captam*; factumque deinde, *hodie captar*.

100. IRÆ LENIUNT]Quia in vulgus parum adhuc nota est hæc orationis figura, exemplis aliquammultis eam illustrabimus. Agellius lib.18. 12. docet, id quoque habitum esse in oratione faciendâ elegantiæ genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent: ac deinde vice versa hæc inter se mutua verterent. Cicero, *Terra movet*, patiendi significatu, pro *movetur*. idem pro C. Rab. Post. *Satis est homines imprudentiâ lapsos non erigere, urgere verò jacentes, aut præcipitantes impellere, certè est inhumanum.* Livius: *Mores populi R. quantum mutaverint.* Vellejus, *Tempestas sedavit*. Sall. *mortis metu mutabant*. Tacitus: *Taciturnitate mutans*, pro, *mutatus*. Agellius: *Pallium maculat*. Virgilius: *Tunc venti posuêre*: Id. *volventibus annis*: ut, *anno vertente*, passim. Id. 1. Æn. *prora avertit*: ad quod vide Servium. Id. *Insinuat pavor*. Id. *adglomerant*, pro *adglomerantur*. Id. *Turbant*, pro *turbantur*. Id. *nox humida cælo Præcipitat*. Noster Cas. act. 2.3. *Palliolum rugat*.

101. NAM JAM NUNC SATIS ET NIMIO MERUI MALI]Mirum est, non etiam heic monere Pareum, sic locum hunc correctum corrigendumve ex MSS. suis; ubi pingitur: *nam tunt satis populo impio merui mali*. imo adhuc magis mirum, passum esse in textum irrepere adscititium istud minimè corroboratum munitúmq; venerandæ Antiquitatis consensu: contra dictum sacramentum.

105. NE ID, QUOD V. VID.] Acidalius multa hic turbabat. sed postea vidit nihil deesse nisi interrogationis, vel admirationis potius notam. Ut per interrogationem secum admiretur & per admirationem seipsum interroget: Utine non viderit id, quod omninò vidit? *Ne*, pro *nonne*. V. N. Truc. act. 2. 2. Ey nu/ ey nu ist das nicht ein Narr? lest sich vberreden/er habe nicht gesehen/ was er doch warhafftig mit seinen Augen gesehen hat.

105. OCCISAM SÆPE SAPERE PLUS MULTO SUEM CUM INDUCATUR]Ita & primogeniæ edd. Festivus senex ludit in ambiguâ notione verbi *Sapere*: ex eo, quod sapidissima omnium quadrupedum æstimetur vulgo suilla caro. MSS. Pall. longè divertunt ab hac scripturâ. nam sec. *quod inadimitatur ne id &c.* pr. *quod inadi matur ne id*. correctumque postea, *quod ei adimatur ne id &c.* Schoppius hæc ita legit & interpungit,

Occisam sapere plus multò suem.

Cum inducatur, ne id, quod vidit, viderit.

Rationē, cur eū minùs quàm suem sapere putet, reddit hanc; quòd se induci ac persuaderi sibi patiatur fungus ille, ut ne viderit, quod vidit. Ita in versu *Cum in* non eliditur: ut Amph. *Cum Alcumenâ uxore usurariâ*, ubi tamen Ritterhus. l. *uxored*. Gruterus conjicit ex ambiguâ scripturâ MSS. *Quoniam animatur, ne id*, &c. Acidalius varia quoque heic molitur, sed nihil emolitur. Pareus nihil à se potest. Schoppium secutus in textum recepit: *Quòd inducatur, ne id &c.* at quid syllabæ, quid characteres codd. manu exaratorum simile habent cum tali emendatione?

106. ILLIUS OCULI ATQUE] Sceledrus nihil videt, nihil audit, nihil opinatur; nisi quod volumus eum videre, audire &c. L.

108. NIMIUM FESTIVAM MUL. OPERAM PRÆBUIT.] Adnotat Pareus perstare in Pall. codd. *Non festiva mulier opera scribunt*, ô inimitabilē diligētissimi Exscriptoris fidē, ne an perfidiam! nam si ego rectè oculis utor, iidem

dem libri servant, *Nimium festiva mulier opera peribunt.* ex qua scriptura vel sic eruimus, voluisse *præbibuit.*

109. REDEO IN SENATVM] zum Vörsichen.

110. SCELEDRVS NVNC AVTEM F.] Pist. l. *Scel. nunc haut forâs.* nam introierat cum dicto; *ibo hinc domum.* senatum autem foris erant habituri. *Forâs* autem habent omn. MSS. & editi. subintellig. *ibit, veniet*, aut tale quid.

112. ILLIS SORTITO SVAM]. Ita edidit Cam. & Turnebus. Lamb. leg. *sortitio suat.* quem vide, si hîc: anti. Palm. l. *ne, dum absim, mulctai sortitio suam.* & addit: Qui senatu abesset, mulctabatur. Ibidem sortiebantur provincias. Jam ergo Senex, Ibo, inquit, intrò: ne mihi sorte mulcta obtingat. *Sortitio multæ*, hoc modo elegantissime: ut apud Petron. *Quid ais amoris alieni concessio?* nam *Concessionem amoris* dicit Petr. pro *amasio*, qui alteri concessus sit: ut *optio*, pro *milite*, qui ab alio in rem legitur. Neque diversum, *optio*, qui optatur, Asin. act. 1:1. Sic Bibaculus Orbilium *literarum oblivionem* vocat, qui scilicet literas oblitus esset. Lipsius & libris antiquis & judicio usus, sic legit & explicat: *Ne, dum absum, multæ,* (vel potius *multai*) *sortuitò suam*: venustâ, inquit, sententiâ. Nam cùm lepidus ille senex de concessu congerronum suorum, qui concilium habebant, mulieris liberandæ, tanquam de senatu magnificè lo- A cutus esset: in eodem nunc ludens, & simul veterem ad morem respiciens, addit: se quoq; tanquam unum aliquem senatorem in curiam iturum: ne forte absenti multa imponatur. Moribus enim Rom. senatori, qui die Senatûs non adesset, multam dici solere, Consulemque jus habuisse pignoris capiendi, vel ex uno Cicerone nota res est, de Oratore lib. 3. De Leg. 2. & Phil. 1. Quanquam eâdem hâc sententiâ legi etiam possit, *multisortitio*, voce non abhorrenti à Comicâ compositione. uti *multisortitionem* dixerit, qui multam sortitur. Ita emendetur Pœnul. 5:5. *Injuriarū multam dici satius est*, &c. Antiq. Lect. l. 2. c. 5. Videatur & Plinius lib. 2. epist. 29. Acid. è priscis B libr. malit: *illi in sortito liens:* pro *sortitu*, i. in ipso actu sortiendi. Siberus leg. *Nedum absum, illis sors itio suam.* quasi dicat, ne absentiâ meâ efficaciam, quo minus frequens senatus habeatur; tum præterea caussa ipsis sim, cur id consilii capiant, quo seorsum ac separatim à me sentiāt, atq; abeant. *Sorsitio* valet seorsum itio. factum, ut *Domuitio.* MSS. *multisortito suam*, à manu prima, emendatumque in pr. *multis.* Vetus Pii editio, *multisortito suam.* quod ille variè variat. neque aliter Merula.

112. DVM ABSVM] Sic MSS nostri & edd. omnes, nisi fallor ante Parei primam, in qua *absim.* qui tamen falsò in ultima annotavit, ita esse in MSS. non *absum.* contrarium est, Lector.

ACTUS III. SCENA I.

PALÆSTRIO, PLEUSIDES, PERIPLECTOMENES.

COHIBETE intra limen etiam vos parumper, Pleusides.
Sinite me prius prospectare, ne uspiam insidiæ sient
Concilio, quod habere volumus. nam opus est nunc tuto loco,
Unde inimicus ne quis nostris spolia capiat consiliis,
Unde inimicus ne quis nostrum spolia capiat auribus:
,, Nam BENE CONSULTUM, inconsultum est; si inimicis sit usui:
,, Neque potest, quin, si id inimicis usui est, obsit mihi.
,, Nam BONUM CONSILIUM surripitur sæpissimè,
,, Si minus cum curâ aut catè locus loquendi lectus est.
,, Quippe si resciverint inimici consilium tuum,
,, Tuopte tibi consilio occludunt linguam, & constringunt manus:

,, Atque

„ *Atque eadem, quæ illis voluisti facere, faciunt tibi.*
Sed speculabor, ne quis aut hinc à lævâ, aut à dexterâ
Nostro consilio venator assit cum auritis plagis.
Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probè.
Evocabo: heus Periplectomene & Pleusides progredimini.
„ *PE.Ecce nos tibi obedienteis. PA. FACILE EST imperium in bonis.*
Sed volo scire: eodem consilio, quod intus meditati sumus,
Si gerimus rem. PE.magis ad rem esse non potest utibile.
PA.Imò quid tibi, Pleusides? PL.quódne vobis placeat displiceat mihi?
Quis homo sit magis meus, quàm tu es? PE. loquere lepidè & commodè.
PA.Pol ita decet hunc facere. PL. at hoc me facinus miserum macerat,
Meúmque cor corpusque cruciat. PE. quid id est, quod cruciat? cedò.
PL.Me tibi istuc ætatis homini facinora puerilia
Objicere, neque te decóra, neque tuis virtutibus
Ea te expetere; te ex opibus summis mei honoris gratiâ,
Mihique amanti ire opitulatum, atque ea te facere facinora,
Quæ istæc ætas fugere facta magis, quàm sectari solet.
Eam pudet me tibi in senectâ objicere solicitudinem.
PE.Novo modo tu homo amas: siquidem te quicquam, quod faxis, pudet.
Nihil amas: umbra es amantum magis, quàm amator, Pleusides.
PL. Hanccine ætatem exercere me mei amoris gratiâ?
PE. Quid ais tu? itáne tibi ego videor oppidò Acheruntícus,
Tam capularis, támne tibi diu videor vita vivere?
Nam equidem haud sum annos natus præter quinquaginta & quatuor:
Clarè oculis video, pernix sum manibus, sum pedes mobilis.
PA. Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex.
Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles.
PL.Pol id quidem experior ita esse, ut prædicas, Palæstrio.
Nam benignitas quidem hujus oppidò ut adolescentuli est!
PE.Imò, hospes, magis cùm periculum facies, magis nosces meam
Comitatem erga te amantem. PL.quid opus nota noscere?
PE.Ut apud te exemplum experiundi habeas, ne petas foris.
„ *Nam QUI IPSE HAUD AMAVIT, ægrè amantis ingenium inspicit.*
Et ego amoris aliquantum habeo humorisque meo etiam in corpore:
Neque dum exarui ex amœnis rebus & voluptarijs.
Vel cavillator facetus, vel conviva commodus
Item ero: neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio.
Incommoditate abstinere me apud convivas commodè
Commemini, & meæ orationis justam partem persequi:
Et meam partem itidem tacere, cum aliena est oratio.
Minimè sputator, screator sum, itidem minimè muccidus.

Pòst Ephesi sum natus; non in Apulis, non in Umbriâ.
PL. O lepidum senicem, si, quas memorat, virtutes habet:
Atque equidem planè eductum in nutricatu Venerio!
PE. Plus dabo, quàm prædicabo, ex me venustatis tibi.
Neque ego unquam alienum scortum subigito in convivio.
Neque præripio pulpamentum, neque prævorto poculum,
Neque per vinum unquam ex me exoritur discidium in convivio.
Si quis ibi est odiosus, abeo domum, sermonem segrego.
Venerem, amorem, amœnitatémque accubans exerceo.
PL. Tui quidem edepol omnis mores ad venustatem valent.
Cedò treis mihi homines aurichalco contrà cum istis moribus.
PA. At quidem illuc ætatis qui sit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec qui amicus amico sit magis.
PE. Túte me ut fateare, faciam, esse adolescentem moribus:
Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens:
Opúsne erit tibi advocato tristi, iracundo? ecce me.
Opúsne leni? leniorem dices, quàm mutum est mare.
Liquidiusculúsque ero, quàm ventus est favonius.
Vel hilarissimum convivam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium parasitum, atque obsonatorem optumum:
Tum ad saltandum non cinædus malacus æquè est atque ego.
PA. Quid ad illas artes optassis, si optio eveniat tibi?
PL. Hujus pro meritis ut referri pariter possit gratia:
Tibique, quibus nunc me esse experior summæ solicitudini.
At tibi tanto sumptui esse mihi molestum est. PE. mòrus es.
,, *Nam IN MALA UXORE atque inimico si quid sumas, sumptus est:*
,, *In bono hospite atque amico, quæstus est, quod sumitur:*
,, *Et, quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est.*
Deûm virtute ut transeuntem hospitio accipiam, apud me est comitas.
Es, bibe, animo obsequere mecum, atque onera te hilaritudine.
Liberæ sunt ædis: liber sum autem ego: me uti volo liberè.
Nam mihi, deûm virtute dicam, propter divitias meas
Licuit uxorem dotatam genere summo ducere:
Sed nolo mihi oblatratricem in ædis intromittere.
PL. Cur non vis? nam PROCREARE liberos lepidum est onus.
PE. Hercle verò, LIBERUM ESSE, id multo est lepidius.
PA. Túte homo & alteri sapienter potis es consulere, & tibi.
PE. Nam BONA UXOR, si ea deducta est usquam gentium,
Ubi eam possim invenire? verùm egóne eam ducam domum;
Quæ mihi nunquam hoc dicat: Eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,

Ne algeas hâc hieme. hoc nunquam verbum ex uxore audias.
Verùm priusquam galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat: Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem juverit:
Da qui farciat, da qui condiat: da quod dem Quinquatribus
Præcantatrici, conjectrici, hariolæ atque aruspicæ:
Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit!
Tum piatricem clementer non potest quin munerem.
Iampridem, quia nihil abstulerit, succenset ceraria.
Tum obstetrix expostulavit mecum, parum missum sibi.
Quid? nutrici non missurus quicquam, quæ vernas alit?
Hæc atque hujus-similia alia damna multa mulierum,
Me uxore prohibent, mihi quæ hujus similes sermones serat.
PA. Dij tibi propitij sunt hercle: nam si istam semel amiseris
Libertatem, haud facilè te in eundem rursus restitues locum.
PL. At ILLA LAUS EST, MAGNO in genere & in divitijs maxumis,
„ *Liberos hominem educare, generi monumentum & sibi.*
„ *PE. Quando habeo multos cognatos, quid opus sit mihi liberis?*
Nunc bene vivo, & fortunatè, atque ut volo, atque animo ut lubet:
Mea bona meâ morte cognatis dicam, inter eos partiam.
Illi apud me edunt, me curant, visunt quid agam, ecquid velim.
Priusquam lucet, adsunt: rogitant, noctu ut somnum ceperim.
Eos pro liberis habeo. quin mihi mittunt munera.
Sacrificant? dant inde partem mihi majorem, quàm sibi:
Abducunt ad exta: me ad se, ad prandium, ad cœnam vocant.
Ille miserrimum se retur, minimum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis. ego hæc mecum mussito:
Bona mea inhiant: certatim dona mittunt & munera.
PA. Nimis bonâ ratione, nimisque apertâ tu multum vides.
Et TIBI SUNT GEMINI, & trigemini, si te bene habes, filij.
„ *PE. Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis.*
Censerem emori: cecidissétne ebrius, aut de equo uspiam:
Metuerem, ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.
PA. HUIC HOMINI dignum est divitias esse, & diu vitam dari,
„ *Qui & rem servat, & qui bene habet, suisque amicis est volup.*
„ *PL. O lepidum caput! ITA ME DII deæque ament, æquum fuit*
„ *Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent:*
„ *Sicuti merci pretium statui, pro virtute ut veneat:*
„ *Quæ improba est, pro mercis vitio dominum pretio pauperet.*
„ *Itidem divos dispertisse vitam humanam æquum fuit.*
„ *Qui lepidè ingeniatus esset, vitam longinquam darent:*
„ *Qui improbi essent & scelesti, ijs adimerent animam citò.*

,, *Si hoc pavivissent, homines essent minus multi mali,*
,, *Et minus audacter scelesta facerent facta: & postea*
,, *Qui probi homines essent, esset his annona vilior.*
,, *PE. QVI DEORVM consilia culpet, stultus inscitusque sit,*
Quique eos vituperet. nunc jam istis rebus desisti decet.
Nunc volo obsonare, ut hospes tua te ex virtute, & mea,
Meæ domi accipiam benignè, lepidè, & lepidis victibus.
PL. Nihil me pœnitet jam quanto sumtui fuerim tibi.
,, *Nam HOSPES NVLLVS tam in amici hospitium devorti potest,*
,, *Quin ubi triduum continuum fuerit, jam odiosus siet.*
,, *Verùm ubi dies decem continuos immorabitur,*
,, *Tametsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.*
PE. Servienteis servitute ego servos introduxi mihi,
Hospes, non qui mihi imperarent, quibus ego essem obnoxius:
Si illis ægrè est, mihi quod volupe est, meo remigio rem gero.
Tamen id quod odio est, faciundum est cum malo atque ingratijs:
Nunc, quod occepi, obsonatum pergam. PL. si certum est tibi,
Commodulum obsona, ne magno sumptu: mihi quidvis sat est.
PE. Quin tu istanc orationem hinc veterem atque antiquam amoves.
Nam proletario sermone nunc quidem, hospes, utere.
Nam hi solent quando accubuêre, ubi cœna apposita est, dicere;
Quid opus fuit hoc, hospes, *sumptu tanto nostrâ gratiâ?*
Insanivisti hercle: nam idem hoc hominibus sat erat decem.
Quod eorum caussâ obsonatum est, culpant; & comedunt tamen.
PA. Fit pol illud ad illud exemplum. ut doctè & perspectè sapit!
PE. Sed ijdem homines nunquam dicunt, quamquam appositum est ampliter.
Iube illud demi: tolle hanc patinam: remove pernam: nihil moror:
Aufer illam offam penitam: probus hic conger frigidus;
Remove, abi, aufer. neminem eorum hæc asseverare audias.
Sed procellunt, sed procumbunt dimidiati, dum appetunt.
PA. Bonus benè ut malos descripsit mores! PE. haud centesimam
Partem dixi, atque, otium rei si sit, possim expromere.
PA. Igitur id, quod agitur hic, primùm prævorti decet.
Nunc huc animum advertite ambo. mihi opus est opera tua,
Periplectomene: nam ego inveni lepidam sycophantiam,
Quî admutiletur Miles usque cæsariatus: atque uti
Huic amanti ac Philocomasio hanc efficiamus copiam,
Vt hic eam abducat, abeatque. PE. dari istanc rationem volo.
PA. At ego mihi annulum dari istum tuum volo. PE. quam ad rem usui est?
PA. Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.
PE. Vtere, accipe. PA. accipe à me rursum rationem doli,

Quam institui. PL. perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.
PA. Herus meus ita magnus mœchus mulierum est, ut neminem
Fuisse adæquè, neque futurum credam. PE. credo ego istuc idem.
PA. Itaque Alexandri præstare prædicat formam suam:
Itaque omnis se ultrò sectari in Epheso memorat mulieres.
PE. Edepol quin te de isto multi cupiunt non mentirier:
Sed ego ita esse, ut dicis, teneo pulcrè. proin, Palæstrio,
Quàm potes, tam verba confer maximè ad compendium.
PA. Ecquam tu potes reperire formâ lepidâ mulierem,
Cui facetiarum cor corpúsque sit plenum & doli?
PE. Ingenuámne, an libertinam? PA. æquè istuc facio, dummodo
Eam des, quæ sit quæstuosa, quæ alat corpus corpore:
Cuique sapiat pectus: nam cor non potest, quod nulla habet.
PE. Lautam vis, an quæ nondum sit lauta? PA. siccam, succidam,
Quàm lepidissimam potes, quámque adolescentem maxumè.
PE. Habeo eccillam meam clientam, meretricem adolescentulam.
Sed quid eâ usus est? PA. ut ad te eam jam deducas domum,
Vtique eam huc ornatam adducas matronarum modo:
Capite compto, crines vittásque habeat, assimulétque se
Tuam esse uxorem. ita præcipiendum est. PL. erro, quam insistas viam.
PA. At scietis. sed ecqua ancilla est illi? PE. est primaria.
PA. Ea quoque opus est: ita præcipito mulieri, atque ancillulæ,
Vt simulet se tuam esse uxorem, & deperire hunc Militem.
Quasique hunc annulum faviæ suæ ancillæ dederit: ea porrò mihi,
Militi ut darem: quasique ego rei sim interpres. PE. audio:
Ne me surdum verbera. PA. tu si audis, ego rectè meis
Dabo: à tuâ mihi uxore dicam delatum & datum,
Vt sese ad eum conciliarem. ille ejusmodi est; cupiet miser.
Qui, nisi adulterio, studiosus rei nullæ aliæ est, improbus.
PE. Non potuit reperire, si ipsi Soli quærendas dares,
Lepidiores duas ad huncce rem, quàm ego. age: habe animum bonum.
PA. Ergo accurato & properato opus. nunc tu ausculta, Pleusides.
PL. Tibi sum obediens. PA. hoc facito; miles domum ubi advenerit,
Memineris ne Philocomasium nomines. PL. quam nominem?
PA. Glyceram. PL. nempe eandem, quæ dudum constituta est. PA. pax! abi.
PL. Meminero. sed quid meminisse id refert? ego te tamen.
PA. Ego enim dicam tum, quando usus poscet: interea tace.
Vt nunc etiam hic agit, actutum partes defendas tuas.
PL. Ego eo intrò igitur. PA. & præcepta sobriè ut cures, face.

VERSUS hujus Sc. sunt tetrametri catalect. trochaici.

V. 2. PROSPECTARE] MSS. *perspectare*, ut & olim cusi ante Camerarianam.

3. CONCILIO] MSS. & edd. *concilium*, & versu seq. *perspectare*.

4. NE QUIS NOST. SPOLIA CAPIAT CONSILIIS] Allegoria à re militari. Acidal. hunc vel sequ. vers. spurium opinatur: adeóq; reliquos etiam aliter ordinat.

6. NAM BENE CONSULTUM, INCONSULTUM EST, SI INIMICIS SIT USUI] Pareus notat in MSS. esse, *si sit inimicis usus*. non malè inquit. Imò pessimè, sic enim ruit versus. at quanto satius fuisset indicare in iisdem libris legi: *inconsultum si sit* (sec. *fit*) *inimicis usus*. sanè omn. edd. sæculi præteriti concorditer exhibent. *Nam bonum consultum, inconsultum si sit, inimicis usu esse potest*. Et verò suspicari libet fuisse prius: *Nam bene consultum, inconsultum fit, si inimicis usui st*.

8. NAM BON. CONS. SURR.] In MSS. prius fuit, *Nam benè consilium s.* Schopp. tuetur: *Nam benè consultum s.* ut est in vett. ed.

8. SURRIPIT. SÆP.] Inculcat hîc *tibi*, quod nusquam est in MSS. & edd. vet. Acidalius: & id statim in contextum retulit Pareus editione prima; sicut & versu præcedente, eodem suasore mutavit *mihi* in *tibi*, contra libros omnes, scriptos editosque. Et mutilum esse versum, Cam. etiam vidit. an fuit fortè *subducitur*, ut à glossa manavit alterum?

9. AUT CATE LOCUS LOQUENDI LECTUS EST] ita Palmerius Spicil. fol. 73. locum innuit ubi sermones conferant; quem esse lectum vult (anteà *tutum* dixit) ne quis arbitrari dicta ipsorum possit. Etiam Lipsius (lib. 1. Antiq. cap. 19.) illud *Catalogo*, quod prius erat in edd. sincerum esse, non ipsi Fidei se crediturum ait. Alciatus & Lamb. hîc frustra sunt. J. Is. Pontanus divinat: *Sin minus cum curâ, aut capto loco loquendi lectum id est*. Festus: *Captus locus dicitur ad sacrificium legitimè constitutus*. ut insigni metaphora Plautus *lectum locum* vocet, quem curiosè admodum & ab arbitris immunem decernendum satagit. Virgilius XI. Æneid.

Telum ex insidiis cum tandem tempore capto
Conjicit.

Alioqui κατάλογος vox castrensis est, ut καταλέγειν: quod Scaliger monet in Catalect. In MSS. primùm fuit in pr. *Catalogos* in sec. *Catalogo*; cùm prius fuisset *Catalogo* τὸ *id* nusquam est.

10. QUIPPE SI RESCIVERINT INIM.] Olim cusi *rescivere*. MSS. *Quippe scire si vere in*. forte, *Quippe scire si valuere in*.

14. AURITIS PLAGIS] *Auritæ plagæ* sunt aures. Virg. 4. Æn. *Retia rara, plagæ*; Glossarium: ἀτοπαρόχος, qui aurem omni loquenti accommodat. ἐξωακουσίλογος.

15. STERIL. HINC PROSPECTUS] Hor. 2. Ep. 2. *Puræ sunt plateæ &c.* Editio Merulæ prima habet *celebris*, sed altera istud nostrum invexit.

17. E. EST IMP. IN BONIS.] Linter bonos. Nam boni, mites magis sunt & obnoxii: atq; ut Sallustius loquitur, *metuentes magis, quàm metuendi*. Cùm contrà, ut idem ait, *pessimus quisque asperrimè rectorem patiatur*. Cæterum ita legunt MSS. Cam. & vett. editi. Acidalius, *in bonos*.

17. IN BONIS.] Sic MSS. & edd. om. præter primam Parei in quâ *bonas*, quia ita videbatur Acidalio.

20. PLEUSIDES] vox ista delenda tota. si volumus versum suis pedibus.

21. SIT M. MEUS, QUI TU ES? PE.] ita Gruterus è MSS. emendavit. atque ita ferè mei. Etiam Acidalius è vulg. probat illud, *Quis homo sit, mag.* Et, *Hominem esse*, frequentari ait à Cicerone: præterea & quatuor hos retrò versus omnes peccare in numeris. Pareus utraq; editione enormiter peccavit in personarum distributione. Versus enim hujus principium tribuit seni, finem adolescenti: quibus repugnat planè versus sequens. sed ita fit, cùm sutor ultra crepidam.

25. TE DECORA] per hypallagen, pro, *te digna*: cùm dictum oportuerit, *tibi decora*: L.

26. EA TE EXPETERE: TE] ita MSS. & vett. ed. legunt & distinguunt. placetque Grutero, ut duo eum crucient. hæc Pareus negligit.

26. EX OPIBUS SUMMIS] i. summâ contentione. Merc. act. 1: 2.

26. HONORIS GRATIA] ita MSS. & antiquitus editi. Benè: quippe erga hospitem. Alii tamen cum Aldo leg. *amoris*: quos sequitur in prima Pareus. Sed minùs placet: quia statim sequitur, *amanti*.

30. QVOD FAXIS PVDET] nam qui seriò amat, eum nullius rei pudet: L.

31. VMBRA AMANTVM] Ovid. 3. Fast: *Quæ cecidit ferro Cæsaris umbra fuit.* Trist. 3. el. 2. *——quid inanem proteris umbram?* Lib. Amor. el. 6. *Nec satis exactum, corpus an umbra forem,* Sen. Herc. Et. *Herculem spectas quidem Mater, sed umbram, & vile nescio quid mei.* Apud Athenæum lib. 6. *panes atros* parasitus non ἄρτους sed ἄρτων σκιᾶς vocat Cic. 1. Ep. 3. ad Q. fratrem: *Vidisses non fratrem tuum, nec vestigium quidem aut simulacrum, sed effigiem quandam spirantis mortui.* Proper. 2. el. 12. *Non ego sed tenuis vapulat umbra mea.* ibi Passerat. quæ tamen heic propriè non quadrant. nam *amantium umbra*, differt *ab umbra suamet.* vult enim si comparetur Pleusidipp. cum amatoribus aliis, vix dici posse umbram eorum.

34. VITA VIVERE] MSS. & edd. *vitâ vivere.* V. N. Persa act. 4: 3. cusi nuperè *vitam vi*.

37. INGENIO EST &c.] MSS. *neutiquam ibi ingenio senex:* Hinc fecit Schop. *neutiq. ab ingenio est s.* Truc. *tamen ab ingenio est improbus.* & istud invasit Pareus. Edd. vett: *neutiquam ubi ingenium senis inest.* ex quo facile fiat: *neutiquam ibi ingenium est senis.* neque ineptum fuerit: *Si albocapillus hic videtur, neutiquam ingenio senet.* Is. Pontanus; *neutiquam id ingenio est senex.* Quo excitari & erigi ait sententiam. Suam tamen conjecturam hanc esse profitetur. Vide Analecta, lib. 3: 17.

38. AMVSSITATA] i. *ad amussim facta*, Festus: *examinata*, Nonius; qui *amussim* esse regulam fabrorum ait, quam, cùm opus probant, rubricâ illinunt. Varro Quæst. Plautin. *Amussis est æquamen, levamentum.* Vetus Gloss. *Examussim, ἰσονίως.* Ita *exacta opera* dicuntur, quæ examinata sunt & inventa perfecta. ita Cic. in Verr. *Columnas ad perpendiculum exigere.* ubi *Exigere* examinare est. Propert. l. 3: 7. *Exactis Calamis se mihi jactat equis.* i. perfectissimis equis. MSS. Pall. *emussitata.* quod cur non propugnarit Pareus mirarer, nisi constaret, videri potius quàm esse antiquarium. hinc nobis obtrusit *amuSsita.* quàm delicatè! at si ei venisset in

A mentem, *defetiscor, depeciscor* usurpatum pro *defatiscor, depaciscor*, jam legeremus, *emuSitata.*

38. SVA SIBI INGENVA INDOLES] sua propria & à naturâ insita. ita *Ingenui fontes*, i. nativi, non manu facti, apud Lucret. *Indoles*, inquit Scalig. incrementum significat primigeniâ notione; ut apud Agell. *mendi indoles.* *Olere* enim, crescere significat; & spem, quam ex vultu colligimus virtutis futuræ in pueris: quæ vocatur χαρακτὴρ à Græcis: ut ab Euripide dictum, ὡς δεινὸς τῆς εὐγενείας χαρακτήρ. Glossæ: *Indoles, καλὴ ἐλπὶς ἐν νεωτέρῳ.*

40. BENIGNITAS] i. liberalitas. Formata hinc videri potest illa sententia, in Ethico Polit. J. Gruteri: *Tristior benignitas senis est, quàm adolescentuli.*

43. PE. VI] i. ubi: quando.

43. NE PETAS FORIS] V. N. act. 2: 2. Ita autem placuit Acidalio & Pistori cum omnibus edit. hæc dispungi. Lamb. nugatur.

44. NAM QVI IPSE HAVD AMAVIT] Ita aptè ad sententiam Cam. sed *haud* non extat

B in ulla ed. habetq; MS. pr. *Nam ipsi qui ipse amavit.* unde formabat Gruterus: *Nam nisi qui ipse amavit.*

45. MEO ETIAM IN] *meo* vett. ed. non habent, & turbat versum.

49. INCOMMODITATE] *Incommoditatem* dixit τὴν ἀηδίαν. ita, *Commodus* est, qui opponitur τῷ ἀηδεῖ. cujusmodi hominis graphica in hâc Scenâ est descriptio: Is. Casaub. Com. in Theophr. Charact.

50. ORATIONIS IVSTAM PARTEM] Pulcrè Cic. 1. Offic. *Sit igitur sermo, in quo Socratici excellunt, lenis minimèque pertinax: insit in eo lepos: nec verò tanquam in possessionem suam venerit, excludat alios: sed cùm reliquis in rebus, tum in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet.*

52. SCREATOR] repetendum ἀπὸ κοινοῦ minimè.

53. POST EPHESI SVM NATVS; NON IN APVLIS, NON IN VMBRIA] Quòd Ephesi natum se gloriatur, (inquit Douza,) credo ideò esse: quòd civitas ea elegantiis facetiisque inprimis dedita, contra morem Umbrorum & Apulorum, qui rustici, illepidi, fu-

 bidi-

bidique habebantur. Quòd verò ad crapulam & helluationem earum nationum exemplum istud retrahere coneris, nihil est, &c. quo innuit Jos. Scal. qui in Conject. prolixè docet, *Umbros* etiam luxûs & deliciarum infamiâ flagrasse, & ei rei allegat hunc quoque locum, qui Apulos & Umbros rusticos & crapulæ deditos innuat: idemque voluisse Catullum, qui Carm. ad Egnat. scribat, *Aut porcus,* (non, *parcus*) *Umber aut obesus Etruscus.* Nam veteres, ut nos quoque hodie facimus, homines obesos vocabant *porcos.* Refutatur & Alciatus; qui, ubicunque fit mentio Umbrorum, apud Plautum, Ovid. & alios; *parcos* vult intelligi. Item, quòd *Umbrica convivia* apud Plutarchum Symposiacon lib. 2. cap. 10. interpretetur (Parerg. lib. 6: 16.) parca & frugalia: cùm locus iste intelligendus non de Umbrorum cœnis, sed de catulorum & ferarum prandio, καὶ τῶ μονοφαγεῖν, cujus nemo particeps est: atque adeò, ut Plautus ait, *cùm quis singulas escas devorat.* Quod & Proverbialiter dictum Plutarcho: & allusit Seneca Epistola 19. *Visceratio sine amico, vita leonis ac lupi est.* Atq; hæc è Conject. Scalig. Porrò versûs hujus lectionem è Junio Philargyro in 2. Georg. v. 134. sollicitat Schop. quem vide lib. 5: 3. Susp. Lect. ut & Janum Rutgersium cap. 17. lib. 5. Variarum Lectionum. In MSS. est, *non enim int Apulis; non sum in imula,* at illud *Umbria* in omnibus mansit edd.

54. PL. O LEPID. SENICEM] Malè hæc Palæstrioni dantur, qui senem jam antè penitus noverat: ut rectè Pist. qui & in seqq. Personas ita restituit. Jam Lips. Antiq. lib. 1. cap. 19. l. *Senicem:* quod & Prisc. probat. Non dissimile, quod apud Pompon. est, *Senica* pro fœminâ sene. In omnibus meis l. *semisenem.* In MS. Cam. pr. *semine*, in sec. *semisemne.* ex quibus liquet Grammaticos libris usos MSS. nostris incorruptioribus.

55. ED. IN NVTRICATV VEN.] educatum à Venere, seu apud Venerem. L.

57. SCORTVM SVBIGITO] i. protervius & nequitius attrecto: L.

59. DISCIDIVM] Lamb. malit, *discidium*, ut apud Lucr. & Ciceron. i. χωρισμὸν, *distractionem.* Gifanius: *Dissidium* animi est; *discidium* corporis, à *discindere*, i. dirimere, &c. V. N. Pseud. act. 1: 1. Quam differentiam non ubiq; veram esse, probat Schop. Verisim. lib. A 2: 8. versib. Prop. lib. 1. el. 11. & 12. ad quem quoque locum consulantur Prælectiones Passeratii ostendentis dissentientes & inimicos simul sedere atq; assidere minimè solitos.

60. SERM. SEGREGO] finem loquendi facio. Lamb.

62. TVI QVID. &c. VALENT] ita Cam. & Lamb. & huc vergunt MSS. in quibus est, *vacet, & vicet.* In editis, *Et q. &c. venust atem jugiter.*

63. CEDO TRES M. HOM.] Da mihi tres istis moribus præditos: & ego tibi æqui ponderis orichalcum dabo. V. N. Epid. act. 3: 3. Lipsius legit: *contra emsim istis*, sive *emissim.* Nam *emere auro contrà:* ut apud Var. *ubi poma veneunt contrà auro.* Nisi (inquit) placet; *contrà mutim istis*, id est, *mutem.* sicut, *edim* pro *edam.* verùm nihil mutandum. nam illud *emptum*, quod extat in edd. vett. & *emptos*, quod in recentioribus usque ad editionem Camerarii, natum est ex membranarum lectione vitiosa, quæ adhuc restat in Pall. *auricalco contram tum histis moribus,* quos ipsos si attentius considerasset Pareus, ultima saltem editione sua exclusisset pestem B eam versus *emptos.* quam quasi postliminiò ipse nobis revocavit. Idem quoq; in Electis, notavit ad istum versum: laus propria sordet, vultq; hæc εἰρωνικῶς dicta: insulsè profectò.

65. NEC QVI AMICO AMICVS SIT MAGIS] Sic nulla litera discrepante edd. vett. ut & recentes, usque ad Pareanam. ea enim gloriatur legendum ex utroq; MSS. *nec magis quid Amicus Amico fiet:* ita tamen ut *d* in *quid* tantùm adsit sustentando versui. ô tortorem Plauti! ô trochæorum carnificem! sed tamen an ita est in MSS? minimè sane. uterq; enim à manu prima: *nec magis quid amicus amicos sint magis.* correctumq; in primo, *qui amicus amico sit,* ejecto altero *magis.* en! cæcum recensorem sequitur Tiresias ille noster, mente magis captus quàm oculis.

67. ITA APVD OMNES] ita MSS. & vett. ed. sed Douza malit, *Itad adomn.* hàc sententiâ: Ita ad omnes res frequens comparebo tibi comitate & benefactis meis, hoc est, *frequentibe* (ut in Cist. est) *utilisque habebor.* Consonantem *d* syllabâ sustinendæ, hoc est, hiatûs vitandi gratiâ, Antiquitas excogitavit: ut in Provocabulis *med, ted,* manifestum est. & verò conjectaneum istud comparet in Pareana prima.

69. LE-

69. LENIOREM DICES, QVAM MVTVM EST MARE] Sic Stich. *tranquillus magis, quàm mare*. Non dissimile est Poen. *Ita hanc canem faciam tibi ego oleo tranquilliorem*. ex L.

70. LIQVIDIVSCVLVSQVE] aliquanto liquidior, serenior, quàm ventus Favonius, qui est, ut & Boreas, αἰθρηγενέτης, æthræ seu serenitatis genitor. L. Turneb. l. 29. c. 28. levem mollemque exponit.

71. HINC INDIDEM] ex eodem me. L.

MALACVS ÆQVE EST ATQVE EGO.] Ita P. Pithœus è vet. C. Nonii, & Lipsius ex Vaticano: teste Grut. è MSS. Cam. Jam, *Malacus*, mollis est & delicatus Plaut. Bacch. 1. 1. & paulò pòst: *malacum pallium*: & Truc. 2. 7. *maschum malacum* dixit.

75. H. PRO MERITIS] Douza l. *promeritis*, unicâ dictione.

78. NAM IN MALA VXORE ATQVE INIMICO &c.] Nota, Malam uxorem & Inimicum eôdem poni. L.

78. SVMAS] pro *insumas*, impendas. Sic Picud. *diem sumere*, pro, *consumere*. Vide Palm. Spicil. & Grut. Suspicion.

81. DEVM VIRTVTE VT TRANS.] Ita felicissimè è ductu literarum MSS. restituit Gruterus. Ut velit: tantum sibi superesse bonorum, ut non gravatim prætereuntes excipere possit. porrò ut constet versus abjiciendum est illud *hospitio*, glossam vocis *accipere*. Camerarius fatetur, se neque de libro vet. neque de Nonio, qui *virtutem* interpretetur *auxilium*, emendare hunc versum potuisse. *Deûm virtute*, V. N. Trin. act. 2. 2.

82. ANIMO OBSEQVERE] Indulge Genio: χαρίζου τῇ ψυχῇ. L.

82. ONERA TE HILARITVDINE] Sticho, *Nos oneremus voluptatibus*. V. N. act. 3. 3.

83. EGO: ME VTI VOLO LIBERE] *Uti aliquo*: & *uti seipso*, perinde dicunt Latini. Hor. 1. Ep. 12.

Utere Pompeio Grosphò: & si quid petet, ultrò Defer.

Idem Epist. 17.

——regibus uti.

Plaut. Cap. 4. 4. *siquidem sese uti volet*. i. siquidem volet esse frugi & sibi utilis. L. At Palm. legit; *liber sum egomet: colo liberè*. *Colere*, pro vivere, perquam bellè, aut ita simpliciter, aut, ut Ter. *vitam colere*. Potest ita quoque: se liberum liberas ædes colere; i. habitare. Ita Nonius quoque: & laudat Virgilium: *Hic mater cultrix Cybele*: i. hic habitabat Cybele. Aul. Prol. & Mostell. 3. 1. Hoc ergo hîc est, *colo*: ait Palmerius. Lambinus aliâ viâ nititur, minus rectè. Ego cum Acidalio simpliciter restitui, quod est in omnibus edd. *Liberæ sunt ædes: liber sum autem ego: me uti volo liberè*. παρήχησις, *uti*. Numeros autem explicabis, si pedem primum amphimacrum capias. De hoc verò usu τοῦ *autem* elegantissimo, V. N. Men. 5. 1. & infrà 4. 4.

87. LEP. EST ONVS.] Cam. *Lepidissimum est*. Douza l. *Non procreare liberos, lepidissimum est*. Palm. *Cur nevis? nam procreare liberos, lepidust bonos*. Rectè sanè, inquit: nam quæ illa tempora erant, publicè honos lepidior non erat alius, quàm liberorum parentem esse. Hinc apud Græcos barbarósque præmia ipsis procreantibus: & *jus trium liberorum Romæ*, aliaque talia. Nos repræsentavimus, quod probatum est Lipsio;

——lepidum st onus.

cui proximè accedere MSS. Cam. (in quis, *lepidus sonus*) annotavit Gruterus: additque, iisdem exulare versu sequenti vocem, *verum*; B neque eam putat requiri. immò in nullo etiā meorum apparet; itaq; delevimus. si cui tamē libet arbitrari omissam à librario; per nos licet. Si nihilominus promere licet suspicionem, arbitrer desiderari adhuc vocem, *idmulto lepidiū st onus*. eamque omissam à librariis, quia præcesserat. contra MSS. sed an & contra rationem? ea nobis omnibus libris potentior.

90. SI EA DEDVCTA EST] Lips. l. *educta est*: quod J. Gulielm. Plaut. Quæst. improbat: aitque, *Deducere* proprium verbum esse, cùm nova nupta ad novum maritum domum ducitur. quod illustrat exemplis Tibulli & Cicer. MSS. *deducta*, sed variant in reliquis. neq; agnoscunt Aldinum *quidem*. ut fortè exciderit vox ob similitudinem quæ ei cum priori, *deducta est cuipiam usquam gentium*. Sic certè redintegratur versus.

96. DA MIHI] ita MSS. edd. quod melius.

96. CALENDIS] sc. Martiis. Calendas omnes Junoni tributas, ut & Idus omnes Jovi; docet Macrob. Saturn. lib. 1. 9. Hinc *Juno Calendaris* dicta. Sed Martiis Calendis Junoni, præcipuè *Matronæ*, sacrificabant, ut is

ut is annus ab exordio totus eis felix esset & A faustus, & in partu & amore conjugali: atque etiam munera sibi invicem missitare solebant. Et hæc festa *Matronalia* dicebantur. Juvenal. *Cal. Martias* nominat *fœmineas: Munera fœmineis tractat secreta Calendis.* Martial. vocat *Saturnalia muliebria*. lib. 5:86. Legantur & Tibulli el.1.lib:3.& 2.lib.4.Lamb. & Cruquius ad Hor.3:Od.8.Et Servius 8. Æneid.sed magis Torrentius ad Horat.lib.3.Oda 8. v.1.

96. MEAM QVOD MATREM JVVERIT:] meæ quod matri voluptati futurum sit. Meurs.è vv.edd.rescribit: *Da mihi, vir, quæ Calendis mittam, Martiæ quom venerint*: ut sit octonarius. Sed Grut.probat vulgatum, ut MS.primo.proximum: qui tamen à prima manu primus quidẽ, *meã quod matrẽ venerit.* sec.*meam qui matrem venerit.* nam Pareus ubi linguâ maximè opus est, ibi tacet.

97. DA QVI FARCIAT, DA QVI CONDIAT.] ita Turneb.restituit. i. Da fartorem, da cocum. Fartor enim facit: cocus condit. Quia in MSS.Cam.deest copula, conjecit etiam Grut. *Da qui faciat, da qui condiat*, &c. Sanè, *faciat*, non *farciat*, in editis est. etiam MSS. Camer. *da qui faciat, condiat.* Indignatur heic Par.quod *farciat* receperimus in contextum, contra MSS.? Sed an & contra rationem? ea nobis omnibus libris potentior. B

97. QVOD DEM QVINQVATRIBVS] Diebus festis Minervæ. *Quinquatres*, πεντάθηναια, Sosip.1.Inst.Grammat.Idem eodẽ; *Quinquatrûs pluraliter, non, Quinquatria: non enim dicti sunt quinque dies atri, sed quòd quinquatrûs antiqui dicebant, à quinquando, id est, lustrando: quòd eo die arma ancilia lustrari sint solita.* Ovid.2.Fast.

> *Una dies media est, post fiunt sacra Minervæ,*
> *Nomina quæ à junctis quinque diebus habent.*
> *Sanguine prima vacat*, &c.

Varro *Quinquatrum diem* ait appellatum, quòd erat post quintum diem idûs Mart. id est, XIV. Kal.April. &c. Adi & Manut. Com. Epist. Cic.lib. 2.12. Fuerunt & *Quinquatrûs minusculæ*, quæ Idibus Juniis à tibicinibus personatis celebrabantur, in honorem Minervæ: de quibus Ovid. lib. 6. Fast. *Et jam Quinquatrus* &c.

98. PRÆCANTATRICI] ita edd.vett. item MSS.Lamb.& ferè etiam Gruteri, item Turn.lib.2.29.i.quæ profitetur se carminibus & incantamentis mala ab hominibus amoliri posse. Cam.l. *Precatrici.* V.N. 2.4.v.41. sed id respuit versus. quamvis sic quoque Pal.pr. nempe *precatrici*. nam sec. *precatrici.*

98. CONIECTRICI] *conjectrix*, quæ interpretatur significationem somniorum. Et apparet viros conjectoribus, mulieres conjectricibus usas fuisse: ac sexibus officia artium distincta fuisse. Turnebus lib.2.29. V.N. Curc.act.2.1.Idem tamen Turnebus Comm. in Jocos Cicer.agnoscit hîc, *Præcantrici, collectrici*, &c. Et est illi *collectrix*, quæ religionis caussâ stipem sive collectam exigit. & verò *conlectrici* fuit initio in utroque MSS. sed nihil usitatius quam *L* Migrare in *I.* primus præterea emendavit *collactrici.* editio Merulæ utraq; & *lectrici.*

98. HARIOLÆ] dictæ vel à *fatis* & *fando*, quasi *fariolæ*; vel ab *halando*. nam halitũ solent mortalem animam velut excludere seu exhalare, ut divinam recipiant. unde & vocem cujusmodi dabant, quæ est *OE*: quòd *OE* sonus exhalandi vim præstat. Notat Donatus ad illud Ter. Phor.act.4.4. *interdixit hariolus.*

99. QVO SVPERCILIO SPICIT!] Wie schielt Sie vber die Nasen / *Supercilia tollere*, signum esse voluit Catullus irati hominis, & qui malum alicui minaretur. Diphilus verò eâdem notâ usus est, cùm tristem hominem significare vellet. P.Victorius Var.Lect. lib. 8.1. Etiam Dousa in Præcidaneis ad Catull.notat, *Tollere supercilia*, solemnem esse minantium & excandescentium habitum: eandémque fastûs & superbiæ sedem esse. Petronius: *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit.* Explicationem à Plinio arcessit lib.11.cap.37. *Frons & alia; sed homini tantùm tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. In ascensu (velut τὰ γεισήποδα, i.suggrundia quædam) ejus supercilia homini, & pariter & alternè mobilia: & in iis pars animi. Negamus annuimus. Hæc maximè indicant fastum. Superbia alicubi conceptaculum: sed hic sedem habet. in corde nascitur: hic subit, hic pendet.* De fronte quidem Juvenalis:

Fron-

Fronti nulla fides.
Sed & Martial. lib. I. 25.
Nolito fronti credere, nupsit heri.

100. TUM PIATRICEM CLEMENTER NON POTEST QUIN MUNEREM.] Omninò *piatricem* probo cum meo Colero. Nam die infantis lustrico sive Nominali, quo nomen illi indebatur, (Ὀνομαστήρια Gr. nominant) lustrandi partes propriè piatricum mulierculàrum, quæ anus recoctæ, fuerunt: dicebantùrque ἀπομάκτριαι vel περιμάκτριαι. De totâ hâc superstitione legatur inprimis Casaub. ad Sat. 2. Persii, & Commentar. ad Char. Theophrasti. Festus *Piatrix dicebatur sacerdos, quæ expiare erat solita, quam & sagam & simpulatricem* (ita mavult Casaub.) *vocant.* Hoc igitur hic inter nugas muliebres toleretur, donec verisimilius quid à Persiis nostris alicunde eruatur. Turn. Adversf. lib. 7. 6. Hîc *patritam* vidi (inquit) qui legeret, quod verbum concinit versûs modulo: cùm, *patrica* (ita MSS. Cam.) dissonet. Eo autem nomine veniet ancilla à patre data. ut enim *avita* dicuntur, quæ ab avo obveniunt; sic *patrita*, quæ à patre. quod haud parum ingeniosè excogitasse arbitror. Recordor me etiam *patricam* pro *patricia* explicavisse, nempe lib. 2. 29. ubi *patriciè*, magnificè, splendidèque patricium in morem interpretatur: ad Cas. act. 3. 5. versu 4. Grutero aliquando obversabatur, *Tum picatricem*. sed nescit an conveniat satis sæculo, retinetque omnino *piatricem*; pro ea scilicet, quæ quotiescunque domus facta esset piacularis, operam suam impenderet. Marcilius, ad Sat. 2. Persii, *patrimam* probat, nutricem scilicet. sed sic versus nimium laborat. Pareus *patricam* mordicus retinet pro ancillæ patricia, splendida, magnifica. Omninò stultè. quid enim matrifamilias cum ancilla patricia: aut si, cur uni tantum obligatior? idem noster Palæmon quærit, quo tibicine sustineamus illud *piatricem*? tibicine ratione, versuque volente; qui cum ipsius *patrica* miserè ruit. Quin potius nobis bona fide, homo ingenii judiciiq; sterilissimi, adnumerat variantes MSS. lectiones, nam Pal. sec. heic habet: *Tum patricam daementer non pota est hinc quam munerem.* primus verò: *Tum patricam clementer non potest esse hinc quam munerem.* correctumque postea, *non potest hinc quin munerem.* Merulæ editio servat, *Tum pratica clementer non pota est* inquit *munere.*

100. CLEMENTER] *Clementer*, non ad *munerem*, ut ineptit Lambinus; sed ad, *non potest*, referendum. ut cum dicimus: *Honestè non potest, quin faciam.*

101. CERARIA] ita Douza leg. *ceraria*, i. mulier, quæ cereos ad sacrificiorum solemnitates rite patrandas suppeditare consuevit. Turneb. lib. 7. 6. legit, *geraria*, pro, puerorum gerulâ. Alii l. *cellaria*: sed falli censet Turnebus. In omn. edd. vett. est, *celaria*. in MSS. *ceraria*: quod tamen & antiquâ ratione scribendi c. pro g. esse queat *geraria*. ita mox v. 123. *fily g. & tricemini*, pro *trigemini*. v. 165. *concer* pro *conger*.

105. MIHI QUÆ H. SIMILES S. SERAT.] quæ uxor mihi sermones hujus, quam descripsi, similes fundat. *Prohibere quem re aliquâ*: Et, *serere sermones*, usitatum Classicis.

98. MAGNO IN GENERE] ita MSS. & omn. mei, *magno*; non, *magna*. Frustrà igitur satagit L.

109. GENERI MONUMENTUM ET SIBI] Liberi genus suum immortale reddunt. Sic Euripides *Mares familiæ calumnas* vocat, Iphig. in Taur. act. 1. Sc. 1. v. 57. Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.

114. PRIUSQUAM LUCET] *Lucere*, valet, diem esse. Cicero: *nondum lucebat.* Nonnunquam etiam dicebant, *Lucet hoc*, aut, *Lucescit hoc*: cum videlicet cælum, aut inane spacium illud intelligerent. Plautus Amph. 1. 3. Curcul. &c. Ter. Heaut. 3. 1. Vide Muret. ad Catull. Carm. 14. Jos. Scaliger lib. 1. de Emendat. Temp. p. 178. Quod Cicero scribit, *Si cras erit*: hoc idem est cum eo Catulliano, *Nam si luxerit*, &c. item cùm Virgil. *Postera si radiis auroræ retexerit orbem*, &c.

114. UT SOMN.] ita MSS.

115. QUIN MITTUNT MUNERA.] Versus non est plenus: nec juvant libri. illud *quin*, est ab Aldo. priores *qui*. MSS. initio *quā*, emēdatūque in pr. *quòm*. Pareus in electis ex isto loco talem fabricavit morem: Amici cognati, hereditatis herciscundæ gratia, munera solent mittere. Scias huic homini exactam inesse cognitionem jurisprudentiæ, sed quam didicit in hara inter pecora grunnien-

grunnientia. quid à rerum natura alienius, quàm ut dividatur hæreditas vivi? quid? sed pudet tam monstrosæ ignorantiæ.

116. SACRIFICANT?] Si sacrificant.

117. ABDVCVNT AD EXTA] Sacrificiorum exta intelligit: quæ *exta lustralia* Maro vocat, 8. Æn. quorum partem diis reddebant: partem in epulatione comedebant. Porrò adhibebantur his tantùm carissimi. Vide Turneb. Adv. lib. 7. cap. 6. & 23. item Not. Amph. 3. 3. Convivia (inquit Is. Casaubon.) rem sacram olim comitabantur. Aut si nollent convivium celebrare, è victimâ partes ad amicos mittebant. Vide Comment. ejusd. ad *Theophrasti Characteres.*

120. CERT. NVTRICANT ET MVNERANT] ita Lipsius è Vaticanis. Haud dubiè germana lectio. Nam & mei omn. *nutricant.* Vulg. *Cert. dona mittunt & munera.* MSS. *nutricant & munera.* Parei utraque editio admisit: *certatim ideo nutricant*; quod *ideo* in nullo usquam libro, natum in capite Acidalii.

121. TV MVLTVM VIDES.] i. tu sollers & cordatus es. contra, *Parum vides.* usus & Cic. Pareus sanissimum hunc locum, erutum ex primariis editionibus à Cam. approbatumque omnibus, fœdè contaminat, dum reponit, *nimiumque ad te, & tua multum vides.* Ita profectò inquit, ambo membranacei. quasi verò iis perpetuo serviendum, ubi ratio & decorum id abnuit: ut heic.

122. ET TIBI S.] Acidal. *Ei, tibi.* scil. cognati. non malè, si consensus libr. firmaret.

122. SI TE B. HABES] Acidal. *si te b. habent.* scil. nutricando & munerando: quod præter omnes libros scriptos editosque utrique editioni suæ allevit Pareus; eos aliàs mirè solitus exagitare qui vel latum unguem à MSS. suis recedunt.

123. LIBERIS] i. ob liberos: vel ex liberis. Demea Ter. Adelph. act. 5. 4. *Duxi uxorem. quàm ibi miseriam vidi! nati filii* &c. Boetius lib. 3. *Euripides liberis carentem infortunio dixit esse felicem.* Tertullianus noster lib. 1. cap. 5. ad Uxorem. De bono univiratûs, *liberos* appellat *amarissimam voluptatem.* Porro hanc parentum sollicitudinem adumbrasse ex Umbro hoc Afrum illum, verbis Mitionis, loquer.

124. CENSEREM EMORI:] Exoptarem mortem, ob miseriam ex curâ & metu contractam. *Alij*: Existimarem mihi moriendum esse pro liberis meis, propter curam liberorum: *L.* Ego simpliciter: Censerem me mori, hoc est, æque male me haberet ac si ipse obirem, audito aliquo liberorum infortunio. unde P. Syrus: *Homo toties moritur, quoties moritur, quoties amittit suos.* Chr. Pflug. & Gifanius, legunt:

——satis cepisse miseriarum liberis
Censerem: è muro cecid.

quod ipsum utrique editioni suæ allevit Pareus, admodum ineptè. neque enim ebrii tantum cadunt è muro. imò qua ratione cadere possint è muro, quæro qui me doceat. præcipitatos è muro multos, lego, cecidisse ebrium, neminem.

125. CERVICES &c.] Hic duo versus antea sequebantur. sed neque in MSS. neque in ed. prima visuntur. rectè. sunt enim ex Schyge Liturgo. itaq; consulantur fragmenta Plautina. ibi iis locum dedimus.

125. AMICIS EST VOLVP.] ita restituit Grut. ex edd. primis in quibus, *amicis volupe,* quomodo forte esse debuit in Pall. in quibus tantum comparet *vult*, non *vult bene*: quomodo tamen quoque edidit in postremâ suâ Pareus qui ex scriptorum tamen pætos oculos perstringit, ubi vel unico aberrarunt apice.

128. ÆQVVM FVIT DEOS PARAVISSE] Æquum fuit, deos fecisse, ne omnes uno modo viverent: sed viri boni, comes, liberales &c. essent locupletes, fortunati ac longævi: homines contrà improbi, incommodi, & illiberales &c. essent egentes, infortunati, & brevis vitæ. Vide & P. Victorium 12: 21.

130. SICVTI M. PR. STATVI] κἀν κοινῷ repetatur, *æquum est.* Lamb. Primus Pylades blitus ille substituit, *sicuti m. pr. stat, uti &c.* nec malè: sed tamen in alieno curiosè. Nollem Veneris etiam illum pullum manûs hoc luto toties lusisse. nam Pareus, mancipium ejus, quid reprehendam? aliter non potest. heróque suo sponte obsequitur: utpote à se nihil invenire qui queat, quam convitia.

130. PRO VIRTVTE] i. pro dignitate suâ. Nonius, in *Virtus.*

131. PRO MERCIS VITIO] Ita requirit versus, ita citat Nonius, neque aliter MS. sec. aut edd. ante Pareanam. quippe prima ejus, *Qua improba est merces, pro vitio dom*: ut volebat Acidalius. at secunda ostentat, *Quæ improba st pro mercedis vitio &c.* additque: Alii prodiderunt in codd. Pall. Legi *pro mentis viti.* sed palam protestor, aliter non exstare quàm ego modò indicavi. At ego contra testor, neminem debere tibi credere, nisi decipi velit. certè Pal. sec. diserte retinet *mercis.* an non hoc est deprehendere mendacem? eadem facilitate fatuitatem tuam producam. primùm nemo prodidit unquam, legi in codicibus Palatinis illud *mentis.* Gebhardus quidem lib. 2. Antiq. Lect. cap. 24. unius codicis Palatini meminit: neque tamen intellexit de membranis ullis, in quibus descriptæ essent Plauti Comœdiæ. intellexit de Nonio Marcello ejusdem Bibliothecæ; quem Nonium illis libellis tantum meliorem facere tentabat. En quò prolabaris studio calumniandi! intra haram mane, mi Elpenor. ea tibi ara erit & asylum. tectum si ascendis, rues.

133. QVI LEPIDE INGENIATVS ESSET &c.] Vulg. *ingenuatus.* sed scribendum, *ingeniatus.* dum vulgatam lectionem explicare nititur Lambinus; nihil minus quàm boni Commentatoris officio functus est. nam A. Gell. lib. XII. cap. I. *Corpusque & animum benè ingeniatis primordiis inchoatum, insitivo degenerique alimento lactis alieni corrumpere.* Et J. Gulielm. Rarum, ait, verbum, *ingeniari*, ab ingenio deductum: ut ab *auxilio, auxiliari.* MSS. tamen, *ingenuatus*

134. QVI IMPROBI ESSENT AC SCELESTI] Sic elicuit ex vitiosâ MSS. scripturâ Camerarius. At Pareus, ne inspectis quidem eis membranis, adhæsit primæ suæ editioni, in quâ: *Atqui improbi & scelesti*; quæ versum omnibus modis destruit. Viderint alii, an non illud sit dolus malus; abire à MSS. & antiquitus cusis, neque tamen indicare diversitatem chirographorum codicum, quorum tamen ne literulam quidem, falsam, veram, pretermisisse, sanctè testatus est in præfatione.

137. ESSET HIS ANNONA VILIOR.] pro, *eorum*, sc. proborum hominum: ut Hor. loquitur I. Ep. 15.

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.

Q. d. proborum virorum esset major ubertas; neque eorum tanta caritas, i. raritas & pænuria. Allegoria à rebus venalibus, iis præsertim, quæ sunt ad victum: quarum si est magna ubertas, earum est & vilitas: sin pænuria est, etiam caritas est. τὸ γὰρ σπάνιον, τίμιον, ut ait Plato, &c. Ex Lamb. Sententia P. Victorii. Var. Lect. lib. 12. 21. (judice quidem eodem Lambino, ut & Douza) valdè ridicula est: quam iste hanc esse dicit: Q. d. Si dii longam vitam viris bonis dedissent, brevem improbis: futurum fuisse, ut esset rerum ad victum necessariarum proventus vilior. Quasi indignum sit, sententiam tam gravem ac pænè tragicam re tam humili terminare. ut scil. dicatur, tanta immutatione rerum effici, ut annona vilis sit. Licet autem ridiculum hoc vocetur, *Pistori* tamen probatur: cùm Plauto solemne sit, seria joco claudere. Quamvis pro Lambini interpretatione facere censeat, quod alibi habetur: *Utinam talium virorum messis esset paullò uberior*, eâdem metaphorâ. Illud certè & Grutero placet; non solùm Pistori.

140. OBSONARE, VT HOSPES TVA TE EX VIRTVTE ET MEA &c.] Haud longè ab hac facie abit Pal. sec. sensu admodum rotundo. is enim omninò, *obsonaredut hospaes tuam te ex virtute & mea.* itaque pudendum est, notare Pareum ibidem extare, *velut hospes.*

142. NIHIL ME POENITET JAM Q. SVMPTVI F. TIBI] Q. d. magno jam sumptui fui tibi: *Vel sic*: Non parvo sumptui videor tibi fuisse. Ter. Heaut. *At enim dices, quantum hic operis fiat, pænitet. L.*

143. NAM H. N. TAM] ita MSS. & edd. vett. quod etiam Acidalio probum. pro, Nemo ad tam amicum deverterit, quin, quæ mox narrat, experiatur. prius erat, *jam amici.* Ad rem quod attinet, exemplo fuerit Admeti servus, Herculi intempestivo hospiti iratus in Euripidis Alcestide vers. 747. πολλοὺς μὲν. &c. Pareus heic ignem spirat, miraturque, alios ipsi porcellisque ejus toties imposuisse falso manuscriptorum glaucomate. sed tamen, inquit, ita fit, dum alienis oculis lucem nobis fœneramur. Quid ergo vis? ex quo creditum est tuis gemellis, puram putam veritatem omnes aspicere? imo contra est. ne vigesimam partem chirographicorum codi-

cum discrepantes scripturas produxisti, & plerumque falsas. ceterùm hæc quiriatio minimè omnium heic locum habet; ubi tantum controversia est de vocula *jam.* nā quis enim tam est fatuus, ut cum MSS. tuis recipere velit, *tam inimici hospitium*; cùm omnium edd. editores retineant, *in amici.* A

145. DIES DECEM CONTINVOS IMMORABITVR] vox postrema est à Camerario, cùm reperisset in MSS. atque edd. primis, *continuos ite astodorum illas.* nam Parm. & Brix. *cont. ire ad eundem instat*; quomodo & Aldina; unde Pareus, credo, formavit in prima sua editione, *ire ad eundem restat.* at enim Saracenus ante centum annos conjecerat, *continuos iterasti domum illos*, quod ejus ævi editores aliquot admiserunt: unde & Charpentariana exstat *iterasti domum il.os.* verùm, à literis in Germania renatis, nemo has nugas Sarraceni aspicere dignatus est; adeo nihil in se habebant veneris, nihil gratiæ. quare pependerunt palam venales usque ad censuram Parei; cui omne quod splendet, plus est quàm aurum. is non contentus recipere iterum in cōtextum illud, *continuos iterasti domum illius*; meras præterea efflat glorias; tanquam qui verissimè, (ita enim loquitur) locum hunc restituerit, qui huc usque vitiosè lectus fuerit: & addit; Quid proclivius ista lectione, quàm posui? Alii mira commenta & deliria nobis prostituunt &c. Nonne videris audire aretalogum Lector? at ita tamen verissimè hunc locum restituit ex MSS. Pall. de se si credimus ipsi. quid impudentia confidentius! B

146. NON INVITVS PATITVR] Ita omnes retrò editi. Pareus addidit, *patitur id*, non sine versus corruptela.

147. SERVIENTEIS SERVITVTE] Valgati hactenus *servitutem*, quod non erat necesse, ut Pareus admitteret in editionem novissimam, cùm alterum etiam haberent Pall. V. N.3.1. vers.34. porrò videndum, leginè debeas *induxi mihi*, ob versum.

149. MEO REMIGIO REM GERO] i. Illis, velint nolint, parendum est, cùm mei sint. Aliis enim remigibus fortasse imperare, quod vellem, invitis non possem: nunc verò meis remigibus & servis rem gero, qui mihi dicto audientes esse coguntur: *Turnebus* lib. 7. 6.

150. QVOD ODIO EST, FACIVNDVM] In hanc scripturam inclinant magis MSS. nostri, quàm *odiosum est*, ut antea vulgabatur.

151. NVNC, QVOD OCCEPI, OESONAT.] Notabis, *quòd*, poni, pro *quò*; & sustinendo versui interjectum *d.* nam, *quod occepi*, est, quò intendi, quò ire volui. *J. Gul.*

152. COMMODVLVM OBSONA] i. *ne magno sumptu*, &c. ita autem MSS. Cam sed edd. omnes, *Commodum.* Pistoris suspicabatur: *Cum modo obsona, nec magno sumptu.* volebat enim ne nimium obsonaret. *Commodum* autem *obsonare* qui jubet, is certè copiam obsonii non prohibet. Nec objiciatur, *cum modo*, &, *nec magno sumptu*, idem esse. Differunt enim. *cum modo*, ad copiam pertinet obsonii: *non magno sumptu*, ad vilitatem. potest enim obsonii parum esse, & tamen carè comparatum, atque ex pretiosissimis. Et si ex commodo suo obsonare debuisset Senex, is certè pro facultatibus, quibus abundabat, magnam parare potuisset obsonii copiam sine incommodo. Id verò nolebat hospes. Refertur autem inter elegantias linguæ Latinæ etiam hæc phrasis: *cum modo*: vel, *cum bono modo aliquid facere.* Mercat.

——*quod bono fiat modo.*

quæ hìc aptissima est. Siberus leg. *cum modulo.* h.e. nō tantū intra modum, sed & infra. Pareus jure suo reposuit in editione sua *Cōmodū obsona*, planè contra metrū. sed nimis impudens est dum asseverat, sic quoque legi in Ms. sec. in eo enim, *cum modulum.* & omninò retinendum *commodulum.*

152. MIHI QVIDVIS SAT EST.] Ein gut Freund nimbt mit Käß und Brodt vorlieb. Vide Proverb. *Salem & caseum edo.* Turpilius:

Profectò ut quisque minimo contentus fuit,
Ita fortunatam vitam vixit maximè:
Uti Philosophi ajunt isti, quîs quidvis sat est.

Lucillius:

Cum tectum est, quidvis satis est.

153. VET. ATQ. ANTIQVAM] i. obsoletam: seu, usitatam & pervulgatam: L. Quid *vetus* differat *antiquo*, dixi Mostell. 2.2.

154. PRO-

154. PROLETARIO SERMONE] i. plebejo & vili. *Proletarij* erant, qui nihil Reip. exhibebant, sed tantùm prolem sufficiebant. iidemque tenuissimi in plebe Romanâ: *Assidui* contrà. Vide Non. & Agell. l. 16. 10. A

157. INSANIVISTI] *Insanire* interdum dicuntur, qui nimis magnos sumptûs faciunt, & *insania*, pro immoderato sumptu usurpatur. Ut apud Gr. Μαίνεσθαι & Μανία: L. Vide N. Trin. act. 3. 2.

161. JUBE ILLUD] ita Grut. è MS. sec. Cam. Certè τὸ *demi* in meis est.

162. OFFAM PENITAM] Ita omnis editio. *Penem*, caudam vocabant: unde & *offam penitam* dicebant *offam porcinam cum caudâ*: Festus. vel, ut Nævius appellat, *absegmen carnis cum codâ*. utitur & Arnob. lib. 7. Vide & Palmer. Spic. p. 69. ubi Cam. reprehendit, qui hic *off. porcinam* substituerit perperàm. Est tamen *porcinam* in utroq; MSS. nisi quod sec. *portinam*.

162. PROBUS HIC CONGER FRIGIDUS EST] Neminem hæc seriò dicere audias; Servetur hic conger in diem crastinum: nam frigidus probi erit saporis. Kalt schmeckts auch wol.

164. PROCELLUNT] MSS. *procellunt*. ut & vett. edd. nam neotericæ *percellunt*. scripsi etiam *sed procumbunt*, volentibus iisdem primariis edd. nam MSS. *se & proc.* isto Loco. verùm alio primus disertè præfert *sed*. B

164. DIMIDIATI, DUM AP.] ita post τὸ *dimidiati* aptissimè distinguit Acidalius. Lipsius Antiq. Lect. 3. hæc ita emendabat: *Sed procumbunt, & se percellunt, dimidiati d. ap.* Ut enim apud Hor. fastidiens, & *Langvidus in cubitum sese conviva reponit*. ita contrà inhians & imminens toto corpore in cibum procumbebat, & à decoro illo habitu recedebat. Casaubono ad lib. 13. cap. 5. Athen. *Dimidiatum aliquid appetere*, est, ἀνίστασθαι εἰς τι τῶν παρατιθεμένων. Turnebus olim legebat, *dimidiatim*: ut vett. habent edd. & grandes bolos &c. interpretabatur, lib. 7. 6.

165. BONUS BENE] ita Lipsius ex Vat. libro, *Bonus benè ut* &c. pulcrâ antithesi. neq; aliter erat in MSS. Gruteri.

166. OTIUM REI SI SIT] ita è MSS. Cam. Gruterus, & in edd. Acidalius. aliæ *otium nunc si sit*.

167. AGITUR HIC PRIMUM] Pareus nobis heic ludos facit. in prima habet *agitur hinc primum*; in secunda, *agitur nunc huic primum*, cùm illud *nunc* non restet in MSS. aut edd. vett. habeantq; membranæ *hic*.

170. QUI ADMUTILETUR MILES USQ. CÆSARIATUS] quâ sycophantiâ Miles quantumvis benè capillatus, usque ad cutem tondeatur. Significat, se fallaciam reperisse, quâ Miles probè decipiatur. Sic Capt. act. 1. 4. *strictim tondere senem*. Infrà act. 3. 3. *Tibi dixi, Miles quemadmodũ potis esset assecari*. vel, ut aliis placet, *deasciari*. act. 4. 4. *Ut lepidè detruncavit* (al. *deruncinavit*) *militem!* Capt. 3. 4. Vide Turn. lib. 7. 6.

173. DARI IST. RATIONEM VOLO] volo mihi exponi, quî id fieri possit. L.

173. QUAM AD REM USUI EST] Pareana fatuè *usu'st*. præterquam quod ita nullus liber editus scriptusque, mutilat versum.

176. PERPURG. A. DAM. T. OPER. AURIB.] Persius: Sat. 5:

Purgatas inseris aures Fruge Cleanthea.

Idem.

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Horat. 1. Epist. 1.

Est, mihi purgatam crebrò qui personet aurem.

De intelligenti homine, cuique aurium judicium subtilissimum. contra Martialis de crassa Mente, *auris Batava* & Calpurnius *aures Obesæ*. Propert. 2. 13. *Auribus & puris scripta probasse mea*. Huc pertinet fabella Melampodis apud Apollodorum lib. 1. cujus aures ubi linguis suis extersissent angues, intelligebat voces ac sermones avium. Passeratius ibi. unde liquet male informari juventutem à Paræo, qui in Lexico ad hunc locum adpinxit *Aures perpurgatæ: attentæ*. Asinus arrigere potest aures nec tamen ideò assequetur dicta.

178. FUISSE ADÆQUE] Sic allubentibus MSS. Gruterus, propter versum. iidem tamen *credo* proferunt, non *credam*.

178. PE. CREDO] ita Acidalius: ratione, ut ait, & contextu clamante; vel ibi: *PE. Edepol quin te d.* Rectius enim Periplectomenes Militem civem & vicinum nosse potuit.

179. ALEXANDRI] Paridis Trojani.

181. EDEPOL, QVIN TE DE ISTO MVLTI CVPIVNT NON MENTIRIER.] Hanc lect. Camerarii, quæ MSS. proxima, sequitur & Lambinus. sed sententia difficilis & obscura est. An sentit Periplect. multos esse, qui velint uxores suas esse adulteras, & mœchos ultrò appetere: scilicet ut illis deprehensis dotem lucrentur? *An* multos esse alienarum nuptiarum insidiatores, qui se à matronis alienis ultrò appeti cupiant; Prius illud malit Pistoris: & huc citat ea Mercat. act. 4. sc. ult. *Ecastor lege d.* Sed & hoc est, inquit, in tenebris micare. videndum tamen, an non ita explicari possit: Edepol quàm multi viri sunt, qui te de isto (quòd omnes mulieres ipsos ament) cupiunt non mentirier. Multi sunt qui idem volunt: ut omnes mulieres ipsos ament. Id si non procedit, extremum erit personarum distinctione locum illustrare, hâc formâ.

PLEV. *Edepol quid de isto multa? scio te non mentirier.*

PERIPL. *Et ego ita esse ut d.*

Acidalius, Pro illo, inquit, *non*, legend. *nunc mentirier.* Cum Palæstrio ambiguâ locutione dixisset, omnes ultrò mulieres Militem sectari, bonus Senex, esse quidem ita, subjicit; & verùm se scire: sed esse multos vel hîc nunc in theatro isto, qui mentiri eum cupiant, optentque falsum utrumvis, sive ab uxoribus eorum appeti herum suum, sive contrà ab hoc illas, prædicasset. Nolint omninò Militem talem, qualis memoratur, uxoribus suis, atque etiam vel amicis vel filiabus metuentes. Hæc ille. cujus conjectaneum Pareus recepit in contextum cum tali nota: Expressi locum quomodo erat in utroque MSS. nisi quod ibi, *qui te*, &, *non mentier.* ha, ha, he! hocné est exprimere lectionem MSS. cùm tua contrarium dicat ab ista? Miser nugo! Jocus est ab inexpectato. arripit senex sensum qui in verbis, non qui in mente Palæstrionis: *omnesque mulieres* habet accusandi casu. haud aliter Pythius, atque reges intellexere illud: *Crœsus Halim penetrans magnam pervertet opum vim.* item: *Ajo te Æacidem Romanos vincere posse.* vult ergo senex, multos esse in civitate qui cuperent ut miles adsectaretur eorum uxores: sic enim futurum, ut lautiusculè & ipsimet viverent,

A huicque interpretationi propriè convenit versus sequens. Pareus ut se ostentat omnivolum, priore editione expresserat; quod in vulgatis est:

PE. *Edepol quid de isto multa? scio te non mentirier:*

Sed &c. quæ lectio quidem etsi primâ fronte probabilis apparet: negat tamen Lambinus ferri posse: quem vide. noster tamen Intuergus asserit in tali scriptura, omnia esse perspicua. ita est; sed non vera.

185. CVI FACETIARVM COR CORPVSQ. SIT PLENVM.] Sic leg. Cam. cui probabili conjecturæ se ferè assentiri ait Lambinus: legit tamen cum omnibus libris, *fallaciarum*: item, *mens corpusque*: ut est in Brix. Vide ipsum. Palmerius malit, *pellaciarum*: Spicileg. p. 73. In MSS. est, *Cui fatiarum corp.*

186. ÆQVE ISTVC FACIO] Cam. & Douza ita legunt, *æque.* i. Mihi tantidem est. nihil refert. Cui lectioni ait Gruterus favere MSS. in quibus *atque.* Lamb. l. *æqui*: & ita ait in suis scribi. Unum etiam addere, *flocci*: sed glossema esse.

187. QVÆSIVOSA] i. *Quæ alat corpus corpore*, ut ipse addit. Eadem & *quæstuaria* Ulpiano, Tertulliano, aliisque dicta, quæ rem B corpore facit. Glossar. *Quæstuaria*, πρακτικὴ πόρνη. Nic. Rigaltius in Not. ad Onosandri Strategicum, χώραν λαμπρὰν. Græci dicunt pinguem, solidam, ac succidam, regionem: ex quâ multæ percipiuntur utilitates. Quo pacto *Neæram* meretricem Demosthenes λαμπρὰν vocavit; i. *succidam* quæ corpus alit corpore, ut Plautus loquitur: nec solum σώματι ἐργαζομένην, ut frigidè interpretatur Lambinus: verùm σώματι σῶμα θρεψαμένην. vel fortasse χώραν λαμπρὰν dixit Onosander ψιλὴν, nudam glabram, nitidam: quam sterilitas aut vis aliqua quotannis converrit. quomodo *domus illustris* dici possit ea, quæ crebrò perlucet, dereptis ab *Aquilone imbricitore tegulis.* Sic Plaut. Rud. initio. *Detexit ventus* &c. *Illustriores fecit, fenestrasque indidit.* Nec placet etiam quod affert Lãbinus. Quin potius hîc fecerit Comicus ὕστερον πρότερον. nempe, *Ventus fenestras indidit, illustrioresque fecit.* Illustriores, non propter crebra fulgura, sed datâ etiam de tecto luce, tegulis vi ventorum deturbatis, unde novas de superâ ædium

ædium parte fenestras indidi : & eas, quæ jam erant, illustriores feci.

188. NAM COR NON POTEST, QVOD NVLLA HABET] Q.d. Rectè dixi, *Cui sapiat pectus*, non *cor*: quasi omnes mulieres sint excordes & amentes. *Cor* pro mente & sapientiâ usitatum: hinc *cordati* & *excordes* & *vecordes*. V.N. Cistell.1:1.

189. LAVTAM VIS AN QVÆ NONDVM SIT LAVTA?] Lipsius Antiq. lib.4: 22. Ambigi de sententiâ video. Opinor, per *lautam* intelligi fæminam, quæ muliebris patientiæ legem jam acceperit: per *illautam*, virginem; & quæ jugum nondum tulerit. Nam moribus Rom. virgines à balneis publicis arcebantur: sicut & pueri ante pubertatem. Inde Juvenal.

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Potest tamen & simpliciùs ac fortasse veriùs capi *lauta* pro eleganti, mundâ: ut sequentia addita sint per vanum, ut solet, jocum. Palmerius: Quòd viri docti *lautam* hic grandiusculam, & virum jam sæpe expertam accipiunt: contra, eam, de quâ Satiricus, *quæ nondum ære lavatur*: sanè nollem dictum. Minùs verò aberat, *lautam* esse, quæ desiisset virgo esse: nec hoc ad publicas lavationes referendum fuit: sed quòd continuo, si caput cum viro limassent, aquam sumerent: quâ de re Ovidius,

Dedecus hoc sumptâ dissimulavit aquâ.

Et illud ludicrum Virgilianum:

Vade per has vites: quarum si sumseris uvas,
Quas aliter sumas, hospes habebis aquas.

Et Cic. pro Cæl. *Num ideò aquam ego adduxi, ut eâ tu incestè uterêre?* Atque eo modo Mart. & multi alii sæpe usi. Sed ne hoc quidem verum. Quid enim attinuisset quæri? nam jam præcesserant illa:

Ingenuámne an libertinam? P. parvi istuc facio, dum modo
Eam des, quæ sit quæstuosa &c.

Nil potè illustrius. Ait, meretricem velle se: ne addam, illa de lavationibus publicis ad ingenuas spectare: quibus virginibus loqui in Scenâ non licuisset; multò minùs sycophantiari. Et illud cogitasse Plautum, ostendit Pal. responsio. Omninò autem *lauta* est Lucinam experta. nam à partu lavationibus multùm utebantur. Ostendit Sosia Amphit. act. 2: 2. Sed & *lautos pueros* appellatos opinor Curc. act. 1. qui novæ nuptæ cereum lucerent: quòd antè nimis quàm lavarent. Hæc Palm. Gruterus simpliciter *lautam* accipit, pro ea quæ in re bona est. Videatur infra act.4.sc.2. v.11. & Gellius 1.cap.14.

189. SICCAM] Scal. Conjectaneis: Palæstrio vult scortum *siccum succidum*: *siccum*, non tamen succo carens & exhaustum: ideò *succidum*, ut Ter. *succi plenum*. Itaq; *siccam*, minimè sputatricem, &c. Aliàs *siccus* pro sobrio legitur apud Afranium, Plautum, Cic. alios. sicut contrà *madidus* & *madulsa*, pro ebrio. Ita etiam ξηρὸς Græcè. Notum est Epigramma:

Quæ succo caret, ut putrisque pumex:
Nemo viderit hanc ut exscreantem:
Quam pro sanguine pulverem scobemque
In venis medici putant habere.

Ubi *screantiam* notat, quæ tussiendo & exscreando exhausta est: ut Curc. act.1: 2. Hæc Scaliger. At verò Turn. lib.7: 6. eam intelligi à Comico putat, quæ nondum lavet, sed sicca sit; quæ tamen sit succulenta & benè habita. Hoc autem, inquit, eò est lepidiùs, quòd allusum est ad lanam, quæ illota, succida est: lauta, jam non succida. Ex istis, morale quid electavit in Electis suis Pareus: Multi, inquit, parvi faciunt quam ducant, ingenuámne an libertinam, dummodo quæstuosa sit, quæ alat corpus corpore, & lepidissima, itemq; adolescentula. Nescio quibus isthæc objiciat. hoc scio & sæculo nostro, & pietati summè esse opprobrio: tanto quidem magis, quia nihil alienius à loco isto Plauti; ubi non quæritur alicui uxor, sed ancilla nihili, quæ aliquantisper militem circumtectum corio elephantino deludat.

191. ECCILLAM] J. Gruterus hinc docet, *Eccum*, non tantùm dici de iis, qui in conspectu sunt; sed etiam qui in viciniâ. Prol. Amph.

Nam meus pater intùs nunc est eccum Juppiter.

Aul. act. 4: 10. *eccillam domi*. Sticho act.4: 1. V.N. Capt. act.1: 2. & Pers.2.2. v.44.

191. MERETRICEM] Parei editio, *electricem* nobis concinnavit, non de suo, ne erremus, sed è Plutearlis libris: sic sanè, inquit uterq; MSS. at id sanè falsum est: nam MS. sec. præfert *dientame letricem*. & verò *electrix* locum heic non habet; cùm nesciret senex, in quem usum & cui operæ eam impende-

pendere vellet Palæstrio. ut taceam lingua A Latina dicendam *electricem* eam quæ eligit, non quæ electet; ut visum fatuitati Pareanæ. aliàs & *pelliciendo* formassemus *pellectrix*, nō *pellex*; ab *illiciendo illectrix*, non *illex*. verùm, cedo auctorē, apud quem videri liceat saltem tuam *electricem*. ò egregium Grammaticum! opilionem meliorem dares.

193. ADDVCAS] J. Douza in Sched. Succidan. ad Tib. docuit, *Adducere*, propriè esse *puellam alicui conciliare*, ut loquitur Petronius. unde *adductrices* pro stupri sequestris & conciliatricibus. Tibull. *Hæc mihi te adduxit tenebris &c.* loquitur de matre lenâ. Acidal. versum & libros ait suadere: *huc orn. add. in m. modum.* Sed nimis velim scire quibus libris usus sit. Sanè in MSS. & omnibus edd. meis est, ut edidi.

194. CAPITE COMPTO, CRINES VITTASQ. &c.] De ornatu matronarum proprio dicit aliquid J. Lipsius Antiq. Lect. lib. 3. ubi Plauti illud Mostell. act. 1:3. *Capere crines*, nubere & matronam fieri, interpretatur contra Turnebum.

196. EST PRIMARIA] Ita Cam. & Lamb. At vett. editiones habent, *est primita*. quod B probat Meursius. quòd antiqui etiam *primitus* dixerint: unde *primitivus*: ut *satus*, *sativus*: *natus nativus*. In MSS. Cam. est, *primicata*. quod ego quidem, si mei arbitrii res sit, unicè teneam. q. d. *inprimis catam*. ein Außbund von eim verschmitzten Mädlin. & verò Pareus, prima editione publicavit *primita*; ultima *primicata*. egregium desultorem!

199. FAVIÆ SVÆ ANCILLÆ] Florent. editio, *famesa anc.* Mei omn. *Famesca.* Hinc Meursius putat scriptum fuisse *Fanesca*, pro *Phanisca*, ἀρχαικῶς, ita *Phaniscus* servulus est advorsitor, Mostellaria. MS. pr. *famose ancille d.* at sec. *famasa ancilla.* Scaliger ad Tibul. lib. 4. el. 7. leg.

Quasique hunc anulum Favia sua dederit, ea porrò mihi.

Glossæ: *Favea*, παιδίσκη: *Faveus*, παῖς. Juvenal. Sat. 6.

——*& Faveam, cui det mandata, puellam.*

& id verum est. Lipsius enim diu est quod indicavit Vatt. duos servare *fama sua*, Cassinatem verò *famesa*: quæ omnia favent illi *favia sua.*

201. NE ME SVRDVM VERBERA] ne me ut surdum, eadem sæpiùs iterando, obtunde. Sunt autem adhuc verba Periplect. L.

202. A TVA MIHI VX. &c.] MSS. non habent illud *a*, voluntq; *Dabo tuam mihi uxorem*, vel *Dabo tua mihi uxorem*, ut fortè fuerit, *Dabo: tuaq. mihi ab uxore.*

203. VT SESE AD EVM CONCIL.] ita omn. editi. quod probat J. Gulielmius. Acidalius vulgatum probat Camerarii. *Ut se deamet, concil.* nec suum tamen damnat; *Ut sed eomet concil.* i. eo ipso anulo.

204. REI NVLLÆ] pro, *nulli*. Notetur nomen *studiosus* Dativo junctum. L.

206. HANCCE REM QVAM EGO. AGE HABE] Ita è vestigiis MSS. Grut. *age* absorbuit *ego*. Alii ejus loco, *dabo*, ediderant, nullo alludente scripto.

208. PL. TIBI SVM OBEDIENS] MS. sec. *hoc facto.* at pr. *huc facito.* Palmer. ita distinguit: *PL. Tibi s. obediens. PA. hoc facto, mil.* Nisi quis, inquit, veriùs putabit: *Tibi sum obediens facto.* ut, quemadmodum, *audientem dicto esse*, dicimus; ita, *obedientem facto.* Gruterus medium secutus; expediit quod potuit, sententia clarissima.

210. A. GLYCERAM.] Ita Lips. è Vatic. qui habet, *Glycerim.* Argumento est argumentum Fabulæ. simulabatur enim advenisse Athenis germāa soror Philocomasii, cui *Glycere* nomen esset: eam Pleusidippus jubetur ad navem arcessere. Suprà act. 2: 5. *Quis igitur vocare? PH. Glycere nomen est.* Vulg. *dicam jam.* vel, *dic eam.*

210. PAX] *Pax* Interjectio comprimentis, & quasi cum verecundiâ silentium sibi aut alteri imponentis. Hesych. πάξ, ἐπὶ τῶ τὸ τέλος ἔχειν. Pax, *Græcum est, quando significat tantummodo*, ait Prisc. lib. 15. Diphilus, πάξ τὰ πάξ &c. Scal. ad Auson. l. 1: 19. Satis constat, *Pax* tum Græcum esse, tum etiam silentii esse, non admirationis, quod volunt quidam. Dum enim sibi silentium imponebant, opposito ad os digito, tanquam ulteriùs sermonē procudere vererentur: aut cùm, quæ dicta erāt, indicta vellēt: aut cùm ex sermone præsentes dimitterent, tùm πάξ dicebant, &c.

213. VT NVNC ETIAM] Acidalius miratur. Interpretes hîc tacuisse: & aliquid in histriones sive actores dici suspicatur. nihil tamen certi, & cui insistas, ipsius etiam sententiâ, expedit. Pistoris ita conatur:

Ei

Et nunc etiam hic agit: actutum partes defendes tuas.

Q.d. Hic, scil. Periplectomenes, nondum absolvit partes suas, sed etiamnum agit quod ipsi mandatum est, de inveniendâ muliere. Id si expediverit, tunc tuæ erunt partes: nempe ut abducas Philocomasium. Elegans similitudo ex mediâ disciplinâ histrionum sumpta; atq; adeò ex re præsenti. Posset etiam sic:

——interea tace,
Ut nunc etiam hic agat: actutum partes defendes tuas.

A Hic, vel Periplect. qui modò aderat: vel sine ipsius Palæstrionis, qui dicat, sibi adhuc restare quæ agat. In Basil. est:

Ut quom etiam hic agit, act. p. defendas tuas.

Sed prima sententia haud dubiè vera. Hæc B ille. Etiam in omnib. edd. hæc posterior lectio apparet, ut item in Pal. sec.

214. ET PRÆCEPTA SOBR.] J. Gul. legit, *Ei, prae. Ei*, pro *i.* sed sine ratione. retulit tamen cum pompâ in utramq; ed. Pareus: quoniam tali Heroi omne quod libet, etiam licet: imo adhuc plus.

ACTUS III. SCENA II.

PALÆSTRIO, LVCRIO puer.

QVANTAS res turbo! quantas moveo machinas!
Eripiam ego hodie concubinam Militi,
Si centuriati bene sunt manupulares mei.
Sed illum vocabo. heus Sceledre. nisi negotium,
Progredere ante ædis: te vocat Palæstrio.
LV. Non operæ est Sceledro. PA. quid jam? LV. sorbet dormiens.
PA. Quid, sorbet? LV. illud stertit volui dicere.
Sed quia consimile est, quòd stertas, quasi sorbeas.
PA. Ehò an dormit Sceledrus intus? LV. non naso quidem:
Nam eo magnùm clamat. tetigit calicem clanculum,
Demisit nardini unam amphoram cellarius.
PA. Ehò tu scelestè, qui illi suppromus es, ehò!
LV. Quid vis? PA. quî libitum est illi condormiscere?
LV. Oculis opinor. PA. non te istuc rogito, scelus!
Procede huc: periisti jam, nisi verum scio.
Prompsisti tu illi vinum? LV. non prompsi. PA. negas?
LV. Nego hercle verò: nam ille me vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo exprompsi in urceum,
Neque ille hîc calidum exbibit in prandium.
PA. Neque tu bibisti? LV. dij me perdant, si bibi,
Si bibere potui. PA. quî jam. LV. quia enim obsorbui.
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.
PA. Alij ebrij sunt, alij poscam potitant.
Bono suppromo & promo cellam creditam!
LV. Tu hercle idem faceres, si tibi esset credita:
„ *QVONIAM æmulari non licet, nunc invides.*

PA. Ehò

PA. Ehò an nunquam promsit antehac? responde, scelus.
Atque ut tu scire possis, edico tibi,
Si falsa dixis cocio, excruciabere.
LV. Ita verò, ut tu ipse me dixisse delices;
Postea saginâ ego ejiciar cellariâ,
Vt tibi qui promat, alium suppromum pares.
PA. Non edepol faciam. age loquere audacter mihi.
LV. Nunquam edepol vidi promere. verùm hoc erat:
Mihi imperabat, ego promebam postea.
PA. Hui! illecebrose! capite sistebas cadum?
LV. Non hercle tam istoc validè casabant cadi.
Sed in cellâ est paulum nimis loculi lubrici,
Ibi erat bilibris aqualis, hic propter cados.
Ea sæpè decies complebatur die.
Eam plenam atque inanem fieri maximam
Vidi. bacchabatur hama, casabant cadi.
PA. Abi, abi intrò jam. vos in cellâ vinariâ
Bacchanal facitis. jam hercle ego herum adducam à foro.
LV. Perij, excruciabit me herus, domum si venerit,
Quum hæc facta scibit, quia sibi non dixerim.
Fugiam hercle aliquò, atque hoc in diem extollam malum.
Ne dixeritis obsecro, huic vostram fidem.
PA. Quò tu te agis? LV. missus sum aliò: jam huc revenero.
PA. Quis misit? LV. Philocomasium. PA. abi, actutum redi.
LV. Quæso tamen tu meam partem infortunij,
Si dividetur, me absente, accipito tamen.
PA. Modò intellexi, quam rem mulier gesserit:
Quia Sceledrus dormit, hunc subcustodem suum
Foris ablegavit, dum ab se huc transiret. placet.
Sed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
Nimis lepidâ formâ ducit. dij hercle hanc rem adjuvant.
Quàm dignè ornata incedit, haud meretriciei!
Lepidè hoc succedit sub manûs negotium.

VERSVS sunt Senarii Jambici.

V. 7. QVID, SORBET?] Sic Cælius *soporem sorbilem.* vocat, in quo maximus stertor efficitur. Hier. Mercurialis, lib. 1. cap. 10.

8. SED QVIA CONSIMIL.] ita Cam. & omn. libri. Sed eò dixi, *sorbet*, pro *stertit*: quia consimilia sunt *stertere* & *sorbere*: L. Acidal. malit: *Nisi q. c. est, quòm stertas, q. s.*

A 9. NON NASO QVIDEM:] sc. dormit. Nam eo clarè stertit & ronchos edit. Juvenal.
Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.

10. TETIGIT CALICEM] i. exhausit ca-
B licem. [illegible]. L.

11. DIMISIT NARD.] Fatetur Cam. scripturam vett. libr. ita confusam & pravam fuisse, ut nihil certi elici potuerit. Ea autem talis in primo MS. *Dormis ita arclimi-*

nam

nam phorum. In secundo: *Domisit amar dimi nam amphoram.* Ego sanè, si omnes apices & momenta expendo, arbitror Douzæ lectionem, quam & repræsentavi, vero proximam esse: ita tamen, ut vox *unam*, quæ in omnibus ed. est, & quò ductus litterarum in sec. MS. vergit, inseratur. Nam quòd Lamb. *Deprompsit* suppositum it, gerræ germanæ sunt & liræ liræ. Ita autem Douza: Mihi caussa nulla est quò minus legendum, *demisit*, pronunciem; atque explicandum ex more sæculi prisci, quo *testas*, i. cados, dolia, amphorasque cortice & pice supernè obstrictas signoque herili obsignatas in editiore vinariæ loco collocabãt. unde necessum erat de summo petere, si quis *Corticem adstrictum pice* (ut apud Hor. est) *dimovere cuperet*. Qui idem 3. Odâ 21. *Testam* suam *descendere* & vina promere jubet: atq; alibi *deripere amphoram, &c.* Porrò idem & vocem, *vini*, ut glossema, ejicit, quam etiam Lat. linguæ elegantia & Senarii modulus spernat. De v. *demittere*. V. N. Rud. act. 3: 5. *Vinum nardinum* autem est, quod vel nardo vel unguento nardino conditum est. Veteres enim (ut Theophrast. auctor) unguentum miscebant vino: idq; nonnulli in compotatione ipsâ subitò faciebant: alii autem jam antè sic medicatum & curatum habebant. Vide Turn. lib. 2:29. Acidalus ex conjecturâ & libris: ——*t. calicem. clanculum Demisit nardini unam a. c.* & ferè Palæstrioni ista dederit. Pareus Acidalium secutus est in ed. suâ, eamque veram lectionem autumat, factam ex confusa illa scriptura MSS. at cur non Dousanam? quia posterior sententia ubiq; stultis est potior. In meis est, *dimisit nardini unam amph. c.* non, *vini*.

12. SUPPROMUS] V. N. Pseud. 2:2.

14. OCULIS] Respondet, quasi quæsierit Pal. quâ parte corporis dormierit. cum quærat, Quamobrem dormierit. Mercat. 1:2. *Qui potuit eam videre? AC. oculis.*

19. NEQ. ILLE HIC CALID. EXBIBIT.] Palm. l. *Neque æquè illic cadum exbuvyt in prandium.* Noluit, inquit Lucrio, me dicere: & ut parcam, nego. Itaque neque ego octo heminas prompsi, neq; ille cadum vini hausit. Intelligi vult autem contrà planè; & se hausisse, & bibisse illum. quæ omnia mirificè Plautus, ut solet, ad risum movendum.

A Cæterùm illud, *neque æquè*, Comicum prorsus est. ubi τὸ *æquè* ita superfluat. Atque id insuper hîc significat; verum esse, Sceledrum cadum vini non eduxisse, quàm illud sit, se octo heminas non exprompsisse. *Exbubit* vel *ebubyt*, subjeci è V. C. nisi quòd *ebunt* aut *exuunt* reperitur: quomodo in suis etiam libris invenerunt Grapaldus & Sarracenus. Sed *u* pro *b* tralatitius error. Ad rem quod attinet, ita tibi placeam, ut Plautus non Plautinius potuit: & sic quoque Lucill. ridiculi caussa *vinibuas* vocat, quos intelligi vult avidos vini. *Buæ* enim nutricum ineptia est inter infantiæ nenias, pro potu. Varro de liberis educandis hoc, ut pleraque alia vetera, indicat: *Cùm cibum ac potionem buas ac papas vocent; matrem mammam; patrem tatam.* Sed & infantes *exbuas* dicebant, ablactati cum essent; ut *agnos abrumos*. Hoc si sequius esset, sufficerem, *eduxit*, verisimili conjecturà. nam *educere* & *obducere* Ciceroni & Plauto valet, *ebibere*. Porrò Meursius, Vetus, inquit, cod. habet, *calidum exuunt*. Corrigo, *calidum exbit*, ἀρχαϊσμῷ, pro *exbuit*. Dicebant autem *buo* pro *impleo*. Græcum est βύω. B Aristophan. εἰρήνῃ: οἱ ξένοι Χρυσίῳ τῶν ταὧ ποιοῦνται ἔβυον σῆμα. Scholiastes, ἔβυον) ἐπλήρουν, ἔφραττον. hinc paragogικῶς βύζω. unde ἀκρόβυστος. inde composita *Exbuo*, exinanio, exhaurio. *imbuo*, impleo. Sed Latini prisci etiam ad pocula transtulerunt: unde Lucillius *Vinibuas* vinibibas & vinolentas dixit. Apud Festum quoque legitur: *Exbuæ, quæ exbiberunt.* Item, *Imbutum est, quod cujuspiam rei succum bibit. unde infantibus, cum velint bibere, dicentibus BU syllabam, contenti sumus.* Inde *bua* omnis potio, non tantùm puerilis, ut nugator Nonius vult. *Simpuvium* quoque quasi *simbuvium*: quia omnes sacerdotes simul bibebant (ut ait Juvenalis Interpres ad Sat. 6.) Nam Sabini, à quibus translata ea vox est, *P* pro *B* efferebant. Origo autem hujus dictionis, ut dicere cœperam, Græcanica: quia βῦ pro magno ponebant: & Sophron βύβα pro plena, &c. Itaque ut à βῦ *buo* fit, & *imbuo*: ita à βύβα *bubino* & *imbubino*: ut *domo*, *domino*, & talia. Hæc ille. MS. Cam. pr. *exvibit*: sec. *exivit*. ut facilè appareat *exbibit* retinendum, sive veteri scripturâ, *exvibit*, quod lepidè editioni suæ invexit Pareus. Versus tamen vel sic ruit. sustineamus repetito. *calidè calidum exbibit &c.*

21. OBSORBVI] raptim & uno spiritu ductuque, quasi jus calidum exsorbui. De usu calidæ potionis V.N. Trin. act.4:3.

23. ALII POSCAM POTITANT.] Mirè variatur. In MS.pr. *postquam potatam Bono &c.* at sec. *postcam pota itam bono.* antea erat *potest cam*: in meis est: *alij ebrij sunt, postquam potarunt.* Camerarii editio: *aliâ postquam potant via.* Lamb. legit, *alij poscam p. viâ.* id est, vinum ex aquâ & fece seu aceto confectum potant in viâ. cui tamen *via*, pro *in via*, insolens videtur. Palmerius (fol.62.) l.

Alij ebrI sunt, alij poscam potant truâ.

Indignatur suppromum ebrium esse, alios servos poscam pollâ truâ bibere. Si tamen Lucrionem hæc putabis dicere, restituam,

Alij ebrI sunt, alij post jam potant amâ.

Sententia erit; Reliquos jam non scyphis aut trullis, sed ipsis aqualibus (nam eæ sunt *amæ*, sive *hamæ*) vinum invergere. Sed nihil certiùs, quàm Palæstr. hæc loqui, & *poscam* scribendum. De cætero ita potest videri rectum:

AlI ebrI sunt, alij poscam potant de hamâ.

ut *hama*, præter quòd aqualis, etiam sit, in quo posca. Hier. Mercurialis, lib. 3: 22. docet, vinum acidum aquæ mixtum pro vili plebeculâ vænire solitum: quod *poscam* appellaverint. Et sicut *escam* pro cibis, ita *poscam* pro potibus esse antiquitùs usurpatam. *posculenta* item pro potulentis legi. Denique (quod nos repræsentavimus) Lips. l.

Alij ebrij sunt, alij poscam potitant.

i. alii servorum vino ebrii, alii misclli poscam bibunt. V.N. Rud.4:2. Lectio Lipsiana haud displicet etiam Grutero, sed interpretatur, *poscam potitare* eos, qui jam crapulam edormierant ferè, & cruditatem stomachi corrigere volebant leniore potu; ut nunc etiam solent ebrii. Studiosi nostri mit Covent/oder Bawren Julep. Et hos insecuta editio Parei cum nota: Lectio quam posui, cùm non multum abludat à MSS. citra controversiam retinenda. En Alexandrum, qui Gordii nodum solvat! Idem in Electis suis notat: *Ebrij sunt*, scilicet ex optimo vino. quasi verò aliter inebriari nemo possit. Acidalius etiam versus transponit. quo profectò nihil opus.

29. SI FALSA DIXIS, COCIO, EXCRVCIABERE.] Ita malui cum Palm. Spic. fol. 92. ex ed ipsius Basil. & aperto MSS. ductu. nam ambo, *Si palsa dixis vocio excruciaberet.* & è

A Lipsii vet. codicib9, in quis, *nocio excr.* quamvis ille hinc, *ociùs*, fabricaverit. Contemptos autem fuisse cociones, ostendit proverb. *Nihili cocio.* de quo Asin. 1: 3. Fatetur Cam. ubi ipse *loris* fecerit, in antiquo suo fuisse scripturam ἀτέκμαρτον. Nec in ullâ edd. legitur illud *loris*: licet Editor Vang. in editione prima dicat, in omnibus esse: qui tamen in sec. obtrusit nobis ex vestigiis, ut ait MSS. *Si falsa dixit, cocio, excr.* ô novatorem semper ineptum!

30. ELICES.] Schop. è MSS. Cam. in quis *delices*, leg. *dedices.* i. dicas, affirmes. de quo Nonius. idq; utramque Parei editionem occupat: cum tali nota in Lexico: Sic profectò ibi legendum ductu MSS. Camerarii. Prorsus absurdè. nam *delices* retinendum erat cum utroq; MSS. quod idem esse, cum *prodere, indicare*, duobus locis monuit Marcellus. Itaq; viderit Lector quid de vanitate hujus Ludimagistri sentiendum sit, qui heic etiam in Notis ultimæ ed. clamat: Jusjurandum lubens interponam veram hanc esse Lectionem è MSS. erutam, ubi disertè *delices.* τὸ *d* & *l* promiscuè sæpè scribuntur in MSS. Jusjurandum libens? ô pectus merè B profanum! viri boni summa coacti necessitate huc veniunt. tu ultrò te sistis, ob remnihili?

36. HVI ILLECEBROSE! CAPITE SISTEBACADVM?] ita Palmerius. Et deinde: *Ea sæpe decies plena depletur die.* Tun' illecebrose, inquit Palæstrio, capite sistebas cadum? Negat Lucrio. tam enim validè quassasse cados, ut non posset: sed propter cados aqualem bilibrem fuisse: eo se vinum indidisse, ac posteà deplesse. *Deplere vinum* aut *vas*, pro exanclare, emiscere atque exhaurire, notum est. Nec *plena*, ad diem referendum, sed ad *aqualem*. Rectè enim Douza vidit, *Capite sist. cadum*, conjungenda. quod est, in caput invergebas & inclinabas cadum. Vulgg.

Huic illecebroso capite sistebas cadum.

De quo anxiè Lambinus. Turnebus, *cadi caput illecebrosum* exponit, quod ad potandum illiceret: lib.2:29. In MS. pr. est,

Hic illecebro capite sistebat cadi.

in secundo:

——*hic illi celebro capite sistebas cadi.*

37. NON HERCLE TAM ISTOC VAL. CASAB. CADI] *istoc*, accipiendum δεικτικῶς: ut intelli-

intelligamus, eum gestû aut manû ostendere, se cados haud magno admodum negotio loco movisse aut vertisse: quia sine vi in lubrico loco & levi impulsu casabant, id est, nutabant & inclinabantur. *quassabant* h. l. ferri non potest. sic Asin. 2: 2. *Casanti capite incedit*. Et Bacch. *capitibus casantibus &c.* L. cum quo facit Turnebus lib. 2: 29. & lib. 23: 17. Ennius:

Risi egomet mecum casabundum ire ebrium.

à cadendo, casare. MS. pr. *cessabit*. at sec. *cassabat cad.*

39. BILIBRIS AQVALIS] vas duas libras aquæ continens.

40. D. COMPLEBATVR DIE] Hæc lectio MSS. in quis, *compleuatur*, & vett. ed. proxima est. Cam. edidit, *completur plena die*.

42. BACCHABATVR HAMA] Hæc, inquit Douza, non alió quàm ad vorsuram illam, quam dixi, antiquitus factitatam referenda sunt. ut sit sensus: *Hama*, i. *urceus*, sive *bilibris aqualis* illa (ita enim ex superioribus interpretor) propter cados astituta proximè, *bacchabatur*, i. Baccharum ritû temetum in se avariter ingurgitantium, vino ex cadis meâ comitate largiter defuso, decies sæpe in die complebatur. Quæ res casantes seu casabundos, id est, cernuum in morem nutantes ac pronos prorsus inclinatosque (proinde ac si ebrii forent) cados efficiebat. Vide ibid. l. 3: 13. Cent. Plaut.

42. HAMA] Vas aquarium. Juven. 4. *Dispositis prædives hamis:* Turneb. 2: 29. At Lips. è v. codd. qui habebant *avia*, leg. *aula*, i. *olla*. Etiam MSS. Cam. habent, *auia:* unde facillimè fit *ama* sive *hama*. Porrò Alciatus, *Bacchari*, inquit, *aula*, videtur dictum à sono, quando bibitur: quoniam olla *bac bac* fictitium sonum facit: sicut cadi quassant, id est, *quas quas* strepunt. Sanè *bacchari* est valdè commoveri, Nonio autore. *Hæc ille*. Ita *glut* est imitatio soni, quem edit liquor per angustum tramitem means. Vet. Poeta de rustico ebrio:

Percutit & frangit vas. vinum defluit: ansa
Stricta fuit. glut glut murmurat unda sonans.

Gluttus, βρόγχος, βρόχθος. gluttire &c. Notat Casaub. ad Pers. Sat. 5. VVonsesenses mei poterium ejusmodi nominant, Ein Glüterkrug. Pareus hisce lectis, retulit in Electa sua: Dolia cùm replentur, dicuntur bacchari, καθ' ὀνοματοποιΐαν *bac bac*. Ingeniose nimis, nisi legisset Rabelesium. Sed quis unquam audivit talem sonum cùm dolia replerentur? imo fieri non potest fatue, non potest.

42. CASABANT C.] MSS: *cassabat c.*

44. BACCHANAL FACITIS] bacchaminis sacrificium Baccho facitis. Aul. act. 3: 1.

49. QVO TV TE AGIS?] MSS. *Quod tu agis?*

49. REVENERO] Cicero: *Cum miles domum revenisset.*

52. SI DIVIDETVR] sc. inter me & Sceledrum, vel alium conservum. Wann der Herr daheim Stöß außtheilet / so nim du mein Theil vnter dessen.

55. FORIS ABLEGAVIT, DVM AB SE HVC TRANSIRET PLACET.] Ita MSS. & vett. edd. itaq; ineptè Pareus: *Foris ablegavit à se, dum eapse huc tr.* quid enim stultius quàm spurias voces retinere ne versus ruat, cùm absq; eis nihil ipsi desit?

59. SVCCEDIT SVB MANVS NEGOTIVM.] Sic infrà, 4: 4. & Persa, act. 4: 1.

Si quam rem accures sobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè sub manus succedere.

ACTUS III. SCENA III.

PERIPLECTOMENES, MILPHIDIPPA, ACROTELEVTIVM, PALÆSTRIO.

REM omnem Acroteleutium tibi, tibique, mea Milphidippa,
Domi demonstravi ordine. hanc fabricam fallaciasque
Minus si tenetis, denuò volo percipiatis planè.
Satis si intellegetis, aliud est quod potius fabulemur.

AC. STVLTITIA atque insipientia insulsa atque maxima hæc sit,
Me ire in opus alienum, aut tibi meam operam pollicitari,
Si eâ in opificinâ nesciam aut mala esse aut fraudulenta.
PE. At melius est monerier. AC. meretricem commoneri,
Quàm sanè magni referat, mihi clam est! quin ego me frustro,
Postquam adbibêre aures meæ tuam moram orationis.
Tibi dixi, Miles quemadmodum potis esset deasciari.
„ *PE. At NEMO SOLVS SATIS SAPIT. nam ego multos sæpe vidi*
„ *Regionem fugere consilij, priùs quam repertam habere.*
AC. SI QVID faciendum est mulieri malè atque malitiosè,
Ea sibi immortalis memoria est meminisse & sempiterna:
Sin bene quid aut fideliter faciundum est, eò deveniunt,
Obliviosæ extemplò uti fiant, meminisse nequeunt.
PE. Ergo istuc metuo, quò venit vobis faciundum utrumque:
Nam id proderit mihi, militi malè quod facietis ambæ.
AC. Dum ne inscientes quid bonum faciamus, ne formida.
Mala nulla est meretrix, ne pave, pejora ubi conveniunt.
PE. Ita vos decet. consequimini. PA. cesso ego illis obviam ire.
Venire salvum gaudeo. lepido herclè ornatu incedit.
PE. Bene opportunéque obviam es, Palæstrio. hem! tibi assunt,
Quas me jussisti adducere, & quo ornatu. PA. heus! noster esto.
Palæstrio Acroteleutium salutat. AC. quis hic amabo est,
Qui tam pro notâ me nominat? PE. hic noster architectus est.
AC. Salve architecte. PA. salva sis. sed dic mihi, ecquid hic te
Oneravit præceptis? PE. probè meditatam utranque duco.
PA. Audire cupio, quemadmodum. ne quid peccetis paveo.
PE. At tua præcepta: de meo nihil his novum apposivi.
AC. Nempe ludificari Militem tuum herum vis? PA. elocuta es.
AC. Lepidè & sapienter, commodè & facetè res parata est.
PA. Atque hujus uxorem esse te volo assimulare. AC. fiet.
PA. Quasi militi animum adjeceris, simulare. AC. sic futurum est.
PA. Quasique hæc res per me interpretem, & tuam ancillam geratur.
AC. Bonus vates poteras esse, nam quæ sunt futura, dicis.
PA. Quasique annulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem ego Militi darem tuis verbis. AC. vera dicis.
PE. Quid istis nunc memoratis opus est, quæ commeminêre? AC. melius est.
„ *Nam, mi patrone, hoc cogitato: VBI PROBVS EST architectus,*
„ *Bene lineatam si semel carinam collocavit,*
„ *Facilè esse navem facere, ubi fundata & constituta est.*
Nunc hæc carina satis probè fundata & constituta est.
Assunt fabri architectique, à me, à te, haud imperiti.
Si non nos materiarius remoratur, quod opus sit, qui det,

Novi indolem nostri ingenii;citò erit parata navis.
PA.Nempe tu novisti Militem meum herum? AC.rogare mirum est!
Populi odium quid ni noverim?magnidicum,cincinnatum,
Mœchum unguentatum. PA.num ille etiam te novit? AC.nunquam vidit;
Qui noverit me, quis ego sim? PA.nimis lepidè fabulare.
Eò potuerit lepidius pol fieri. AC.potiné ut hominem
Mihi des? quiescas cætera. ni lepidè ludificata
Ero, culpam omnem in me imponito. PA.agite igitur intro abite,
Insistite hoc negotium sapienter. AC.alia cura.
PA.Age, Periplectomene,has nunc jam duc intrò,ego ad forum illum
Conveniam,atque illi hunc annulum dabo,atque prædicabo
A tuâ uxore mihi datum esse, eámque illum deperiere.
Hanc ad nos,cùm extemplò à foro veniemus, mittito tu.
Quasi clanculum ad me missa sit. PE.faciemus.alia cura.
PA.Vos modò curate.ego illum probè jam oneratum huc accibo.
PE Bene ambula,bene rem gere.at egóne hoc si efficiam planè,
Ut concubinam Militis meus hospes habeat hodie,
Atque hinc Athenas abeat;si hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris? AC.dátne ab se mulier operam?
PA.Lepidissimè & comissimè. AC.confido confuturum.
Ubi facta erit collatio nostrarum malitiarum,
Haud vereor,ne nos subdola perfidia pervincamur.
PE.Abeamus ergo intrò, hæc uti meditemur cogitatè:
Ne quid,ubi Miles venerit, titubetur. AC.tu morare,
Ut accuratè & commodè,hoc quod agendum est,exequamur.

MILPHIDIPPA] Nomen hujus delet Acidal.cùm adhuc κωφὸν πρόσωπον heram saltem pedissequio comitetur.

4. QVOD POTIVS FABVLEMVR.] Ita MSS.& meæ edd.

5. STVLTITIA ATQVE INSIP. INSVLSA ATQVE MAX.HÆC SIT] Ita Cam.è suis MSS. interposita voce ob versum *maxima.* nam pr. *Stultitiaq. insipientiam falsa hæsit.* nec aliter sec.nisi quod S initiale duplicarit, habeatque *falsta.* Pareus heic,tanquam detecta conjuratione Catilinæ,exclamat,testari se omnes Musas; ipsamque adeò fidem,Veteres longissimè hinc abire.Imò,propius abiri non poterat.Licebit tamen supplere versum repetitione vocis,*insulsa insulsa næ sit. Stultitia atque insipientia, non fallacia sit.*

9. QVIN EGO ME FRVSTRO &c.] Immò me ipsa destituo & prodo,atque à meis ipsius

A consiliis aberro,dum orationem tuam, quæ me moratur,ausculto.L.

10. ADBIBERE] ita Lipsius ex Vatic. & Grut.è MS.Cam.in quibus clarè, *adbibêre:&, tuam.*Sed J.Gul.lib.3.c.11.Verisim.l.---*quin ego ultrò, Postquam adbibêre aures meæ tuæ oram orationis,Tibi d.* Meretricem(ait) in maleficio monere nihil opus esse,palàm est:utpote quæ omnes moles maleficas domi habet. Etenim me vide, quæ tibi simul ex-

B orsus es narrare de circumveniendo Milite, ultrò modum ejus rei perficiendæ ostendi.*Orationis oram adbibere*,est sermonem degustare: translatione à ripis,quæ aquam imbibunt, venustissimè ductâ. Et est *ora non tantùm terræ ,sed cuiuscunque rei initium*, ait Festus. Cæcilius:

Oram reperire nullam, quam expediam, queo.

Ennius:

Qui potis ingentes oras evolvere belli.

Grutero somnianti succurrebat;

Postquam adbibere aures meæ tuæ loram orationis:

ut de ingratâ oratione loquatur. Nostri in adfectu simili: Mich verdreust der losen vnnd lahmen fratzen! Jam, cætera, tales metaphoræ frequentes. Mostell. act. 5. 1. *gustare eius ego sermonem volo.* Asin. act. 3. 3. *Mea dicta devorate.* Sic., *lapides loqui*, Aulul. act. 2. 1. Sic Pœn. act. 1. 2. *frictas nuces* &c. Somniũ istud Gruteri in editionem suam recepit Pareus: neque id tantum *Lora* comparet in Lexico ejusdem, cum nota: sic legendum ex decreto optimi maximi Criticorum. Vanidice: somniumné tibi alicujus, decretum est? sed sic est. ceteros æstimas ex te. adeoque places tibi in somniis tuis, adeo es perfrictx frontis, ut ea etiã velis adorari ab aliis pro decretis. Deniq; Acidal. *quin egomet ultrò, Postq. adbibêre aures meæ tuæ merum orationis, Tibi dixi, miles q. p. esset deasciari.* Ingeniosè: utinam sic verè!

11. DEASCIARI] Hoc verissimum puto cum Palmerio & Acidalio. Cùm in MSS. etiam Lamb. sit, *deasdare*: in MSS. Cam. *deasdarei*, & *asseda rei*: ipseque Cam. neget se affirmare τὸ *assecari* verum esse, licet posuerit. Pareus in omnibus libb. legi, *assecari*, ait; quod ego quidem, nisi in illâ vulg. Curionis geminâ, nusquam reperi: sed *deartuari, deruncinari, detruncari, olea dare, solus dare*, &c. Prudentius: *Deasciato supplicare stipiti.* V. N. act. 3. 1.

11. AT NEMO SOLVS SATIS SAPIT.] Ita MSS. Cam. & vett. edit. Huc illud pertinet, εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. itemque Gnomologici alterum: οὐδεὶς ἀνθρώπων αὐτὸς ἅπαντα σοφός.

13. REPERTAM HABERE.] MSS. & omn. ed. *reperto habere.* Lamb. *haberent* malebat, quod in contextum temere admisit Pareus ultima ed.

15. EA SIBI IMMORTALIS] ita MSS. edd. sed Lamb. *Ejus illi immort.* quod in Parei prima.

15. MEMINISSE] ἐπὶ τοῦ μεμνῆσθαι, vel, ὥστε μεμνῆσθαι. Lamb.

16. EO DEVENIVNT] Mutat numerum, suo morte: L.

18. ERGO I. METVO QVO VENIT VOB.] ita MSS. Q. d. Ergo istud quò evadat metuo. Lamb. & edd. *Ergo i. mecum convenit vobis.* i.

A gitur consentimus. vobis faciundum est utrumque, i. malè & malitiosè.

19. NAM ID PRODERIT] Prius cusi *malitia.* Quis hinc commodus sensus elici possit, non video. fortè fuerit: *Nam id proderit mihi malitiæ, malè, q.* Jam, *Id malitiæ*, i. ea malitia, mihi profutura est: Douza. Acidalius l. *Ergo i. m. quòd venit vobis f. utr. Nam id pr. mihi, militi malè q. f. a.* Dixerat Acrot. Malè memoriter agere mulieres; bene, obliviosè. Tum igitur, inquit Senex, id ipsum in vobis metuo; quibus utrumque est agendum, malè & benè simul. Dum enim Militi malè facietis, mihi facietis benè: quando quod illi obest, idem mihi prodest. MSS. uterque *militia.*

20. AC. DVM NE INSCIENTES &c.] Ita Acidalius & Pist. hunc locum restituerunt. nam Lambini ineptissima sunt. Dixerat senex: Vereor ne peccetis jam. Ad me quod attinet, mihi malitia vestra profutura est, atque ita mihi benè facietis, quod vobis difficilè fuerit. Respondet Acrot. Non esse quod vereatur. Illud bonum enim, quod ad senem rediturum sit, quasi imprudentibus ipsis contingere. principalem ipsarum scopum esse, Militi malè facere. Ita in seq. versu, Ne ti-

B me, inquit Acrot. nos quod malæ sumus: quia n. occasio est ut pejora adhuc facere possimus, malitia nostra tibi non nocebit. Possumus enim Militi pejus facere: quem volumus (ut antè dixerat) *deasciari.* itaque tu quidem à nobis securus eris. Atque ita se quasi interpretatur Acrot. infrà act. 4. 6. *Edepol nunc nos tempus est malas pejores fieri.*

21. MALA NVLLA M.] MS. sec. Cam. *Mala milla mer est.* non *meretrix*, quod tamen in edd. vett. quãquam Lamb. malit, *Non mala null.* quem vide. MS. pr. servat, *Mala mulier est. AC. ne pavet pejoribus conv.*

21 PEIORA VBI CONVENIVNT] Cam. edidit, *ACR. ne pave, pejoribus conveniunt.* nempe vobiscum, qui nos etiam, quamvis meretrices, malitia superatis. Lamb. ita: Ne time, quòd meretrices omnes malæ sunt: nam cum pejoribus conversantur: nempe cum viris, & amatoribus. *Aly sic:* Ne time, quòd meretrices malæ sunt: pejoribus enim conveniunt, i. ad facinora pejora idoneæ sunt. Acid. l. *Mala n. m. est, ne pave: pejoribus conveniunt.* Non malæ vocandæ meretrices sunt: sed pejora

jora iis nomina conveniunt. Neque tamen hoc valdè probat ipse auctor. Pareus nihilominus in contextum recepit.

23. LEPIDO H. ORNATV INCEDIT.] ita Cam. & vett. ed. sed in MSS. est, *lepide hercle ornatus incedit*.

24. OBVIAM ES] ita MSS. non *is*.

25. PA. HEVS, N. ESTO, PAL.] Ita rectè Acidal. hæc distinguit: *PA. heus noster esto. Palæstrio Acr. sal. AC. q.* & Acroteleutio nullo ait modo convenire; Palæstrioni optimè: qui Senem laudet, ob conciliatas tam lepidas mulieres. quo facto, mulierem etiam salutet &c.

25. NOSTER ESTO] *Noster esto*, familiaris locutio alterius laudandi & confirmandi. Sic Truc. act. 5. *Tanto melior: noster esto*. Bacchid. *puero sic dicit pater: Noster esto, dum te poteris defensare injuria*. Virg. 2. Æn. *Noster eris* &c. Terent. Eun. act. 1. 2. *Eris, noster! laudo. vir es*.

26. ARCHITECTVS] Sic Cic. pro Rosc. Am. *Nonne quivis potest intelligere, omnium architectum & machinatorem unum esse Chrysogonum?* Idem in Cluent. *ipsum principem atque architectum sceleris absolverent*.

28. HIC TE ONERAVIT PRÆCEPTIS?] cumulatè instruxit? Sic Pseudolo act. 2. 4. Et, *onerare maledictis*, ib. act. 1. 3. Mercat. *onerare dictis*. Ter. Phor. *commoditatibus onerare diem*. Cic. 3. Ep. *Te quibus mendaciis homines levissimi onerarunt?*

30. AT TV. PR.] sub. *sunt*. Ita autem MSS. & omn. editi. Ranutius quidem Gerus *At* pro *ad* scriptum putabat. sed quid illo *his* faciemus?

33. VOLO ASSIMVLARE] ita Lamb. & Acid. vulgo, *assimulari*.

36. ANCILLAM GERATVR] Edd. primæ *curetur*. non malè forsan. nam & MSS. ferè *ceretur*, quod esse potest *cæretur*.

38. AC, VERA DICIS.] ita Gruter. cujus MSS. ut & meæ edd. Illud, *nunc*, non agnoscunt. versus quidem una syllaba destituitur, sed eam petendam putat ex primi verbi scriptura quæ restat in MS. pr. *Quarem ego mil.* quam alius eruat.

40. UBI PROBVS EST ARCHIT.] Significatur per *navem* negotium de decipiendo Milite: per *carinam* commentum & fallacia, totius denique Fabricæ ratio & fundamentum: per *fabros*, Peripl. & meretrices: per *architect.* Palæstrio: per *materiarium*, Miles: L.

43. PROBE FVNDATA ET CONSTITVTA EST.] MSS. *profundata & bene statuta est*. sed cùm hic versus exulet edd. primis, id verosimile est accidisse, quod similis esset cum priori. Acidal. ignotum v. *profundare* non agnoscit, & ridet Lambini explicationem, malitque *N. h. c. satis probe fundata: & benè st. est*. Lipsius Epist. Quæst. lib. 5. 3. *Navem* hic in obsceno significatu positam ait, pro saltu & horto muliebri: quemadmodum & Menæch. act. 2. 3.

44. A ME, A TE HAVD] ita Grut. è confusâ MSS. liturâ. Camerar. ediderat, *eam quidem ad rem haud imp.* Veteres edd. *At sunt ebrii architecti qui te amant & imperiti*.

47. ROGARE M.] J. Gul. legit; *rogare? mirum, Populi od.* Palm. Spicil. fol. 68. l. *rogitare?* & illa, *mirum est*, delet. *Populi odium*, i. hominem populo odiosissimum. ita Cic. in Vat. Acidalius præstat scripturam vulgatam sanam: quam non videri fecerit ignotior usus particulæ *quin*, pro, *quidni*: ut & Amphitr. ubi frustra id sollicitat Guliel. Ita indubitatò supra act. 2. 5. *Men rogas homo qui sim? PH. quin ego hoc rogem quod nesciam?* Terent. *Ab rogitare? quasi difficile sit*. Horat. l. pod.

Rogare longo putidam te seculo, &c.

Jam, *rogare mirum est*, simile habet suprà, *totiens monere mirum est*. illud nostrum *quid ni*, loco *quin*, extat in olim excusis ante Cam. omnibus, alluditque MS. sec. in quo, *quin ni*.

48. MAGNIDICVM] ita MSS. Cam. μεγαλήγορον. Edd. vett. *magnum dicunt*. Hor. 1. Sat. 3.

——modò reges atque tetrachas,
Omnia magna loquens.

Meursius è v. c. l. *magnum illum*. Nam, *magnum*, pro stolido usurpabant. Lucillius apud Varr. lib. 6.

Nequam & magnus homo, laniorum immani canes ut.

(Wie ein grosser Fleischers Hund) Mart. l. 7. epig. 99.

Pontice, per reges discurris, & omnia lustras,
Magna quidem sequeris, Pontice: magnus homo es. lib. 9. ep. 51.

Qui scribis Priami prælia, magnus homo es.

Sic *Longus* Apud Catull. Carm. 68. ut observavit Douza F.

Longus

Longus homo est, magnas cui lites intulit olim.

Falsum mendaci ventre puerperium.

Ita μέγας apud Aristoph. ponitur pro insulso ac inepto.

48. CINCINNATUM] cincinnis, i. capillis crispis & calamistratis comptum. Truc. *Jam ego istos fictos, compositos, crispos, cincinnos tuos unguentatos usque ex cerebro exvellam.* Sic apud Cic. *cincinnatus ganeo*, & *cincinnatus consul.*

51. POTINE UT HOM. MIHI DES? Q.C.] q.d. Da mihi tantùm hominem: quod ad cætera attinet, otiosus sis: ego curabo. L.

52. LUDIFICATA ERO] pro, *ludificavero*: Nonius, emendantibb. Lipsio & Douza.

53. IMPONITO] ita MSS. at vett. edd. *impingito.* quod probat Meurs. Illud *igitur*, quoniam id versus desideraret, sumpsi à vett. edd. in quibus *age igitur*; nec aliter Pal. sec. quamvis taceat Pareus, canis ferè mutus, nisi cùm editori alicui allatrandum videtur.

59. AD ME MISSA S.] MSS. Cam. & omn. edd. vett. *clanc. admissa sit.* sed id respuit versus.

59. ALIA CURA] tu aliam rem, sinas me hanc curare. Ita loquebantur, si quem de re aliqua securum esse juberent.

60. PROBE ONERATUM] Sic Most. 2. 1. *sarcinam imponam seni*, i. gravi curâ ac molestiâ afficiam: L.

60. ACCIBO] Acidal. versûs caussâ, è vett. edd. legit *acciebo.* quod in contextum recepit Pareus; & quidem ut adhuc præferret insigniorem rancidioris antiquitatis florem unica c. majuscula scilicet, quomodo extat in Pal. sec. verùm isti nesciunt adspirationem h, ejus esse dotis ut non solùm literam præcedentem, non elidat, sed etiam producat: quod primum heic locum habere, animadvertit Camerarius.

63. ATH. ABEAT] fortè: *Ath. abebat.* sc. concubinam: *D.* quod utramque Pareanam occupat.

64. DATNE AB SE. M. OPERAM?] Adjuvatnè hoc negotium suâ operâ Philocomasium? L. At rectius, inquit Lipsius, Vaticani & vetus ed. *des ne aliæ mulieri operam*, i. ne cum aliâ muliere delicias facias, aut rem habeas. A Appositè enim ita optat illa, quæ seni huic ad lectum & pro concubinâ erat. *aliæ* pro *alij.* Lipsii tamen sententiam contra sensum Plauti esse, docet Acidalius, & illud, *Quid tibi ego mittam muneris*: non per interrogationem, sed per admirationem, intelligendum: ut Pseud. act. 4. 1. Idem pro *ab se*, leg. *eapse.* Gruterus defendit receptam lectionem, *ab se*, tanquam MSS. subnixam: vultque idem valere, quod *spontè, ultrò, non-coactè.*

65. PE. LEPIDISSIME ET COMISSIME.] Ita hoc Gruterus è MSS. Cam. eruit. Ipse Cam. ediderat, PE. *Lepidus sum & comis sum.* Lambinus tamen nihil tam ἀπρεπ@-διάνοιαι ait, quàm hæc sit lectio: emendatque, *Lepidæ sunt, & comes sunt.* q. d. Noli dubitare de mulieribus (mutat enim numerum: cùm de unâ tantùm quæsitum esset) quin sint ambæ huic rei operam daturæ: sunt enim lepidæ & comes. De hac tamen Lambini lectione omninò idem dicendum putat Acidal. quod ille de Camerarianâ: legitq; cum Schoppio, *Lepidissimam & comissimam.* Palmer. leg. *datne eapse mulier operam? PE. Lepidast, & comist.* Senex amplius respondens, Lepida, inquit, est & comis. Jam ergo negat illa difficile fore: & quantumvis ea ingenium dolis factum B habeat, non vereri se, ne inferior reperiatur. Hæc ille.

65. CONFIDO CONFUTURUM] Ter. And. *Spero confore. Confieri*, Lucr. & Virg.

66. COLLATIO] συμφόρησις. Horat. Arte: *Undique collatis membris.* MSS. habent *militiarum*, nec temerè spreverim: collatis enim signis pedibus, manibus, pugnari notum est.

70. UT ACCURATE &c.] J. Gul. versûs transponit. Et solet inquit, in Comœdiis Scenas sæpe claudere, *tu morare, num moror?* hic quidem ita aptè, ut neminem nisi ineptum aut malivolum mihi non assensurum arbitrer. Et verò, talem ut se ostentet Pareus, ita declamat: Alii versus transpositos malunt, satis ineptè. Si enim ultimus detur eidem Periplectomeni, quæ futura est ταυτολογία? nihil quippe differet à priori. Jam verò Acroteleutium aliis verbis eandem sententiam Periplectomenis repetit; & caussam moræ explicat eleganter. frustra igitur heic paratragœdiantur quidam, ita noster Orbilius, ex personæ suæ decoro.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA I.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

VOLUP EST quod agas, si id procedit lepidè & ex sententiâ.
Nam ego hodie ad Seleucum regem misi parasitum meum,
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui ejus regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.
PA. Quin tu tuam rem cura potius, quàm Seleuci: quæ tibi
Conditio nova & luculenta fertur per me interpretem!
PY. Imò omnis res posteriores pono, atque operam do tibi.
Loquere: aures meas profectò dedo in ditionem tuam.
PA. Circumspicito dum, ne quis nostro hìc auceps sermoni siet.
Nam hoc negotii clandestinò ut agerem, mandatum'st mihi.
PY. Nemo adest. PA. hunc arrabonem amoris primùm à me accipe.
PY. Quid hic? unde est. PA. à luculentâ atque à festivâ fœminâ,
Quæ te amat, tuámque expetissit pulcram pulcritudinem,
Ejus nunc mihi annulum ad te ancilla porrò ut deferrem, dedit.
PY. Quid? ean' ingenua, an festucâ facta è servâ libera est?
PA. Vah! egóne ut ad te ab libertinâ esse auderem internuncius,
Qui ingenuis satis responsare nequeas, cupidis tui!
PY. Nupta ea est, an vidua! PA. & nupta & vidua. PY. quo pacto potis
Vidua & nupta esse eadem? PA. quia adolescens nupta est cum sene.
PY. Euge! PA. lepidâ & liberali formâ est. PY. cave mendacium.
PA. Ad tuam formam illa una digna est. PY. hercle pulcram prædicas.
Sed quis ea est? PA. senis hujus uxor Periplectomeni in proximo,
Ea demoritur te, atque ab illo incipit abire: odit senem.
Nunc te orare atque obsecrare jussit, ut tui copiam
Sibi potestatémque facias. PY. cupio hercle equidem, si illa vult.
PA. Quæ cupit! PY. quid illâ faciemus concubinâ, quæ domi est?
PA. Quin tu illam jube abs te abire, quò lubet: sicut soror
Ejus huc gemina venit Ephesum, & mater, arcessuntque eam.
PY. Ain tu, advenit Ephesum mater ejus? PA. ajunt, qui sciunt.
PY. Hercle occasionem lepidam, ut mulierem excludam foras.
PA. Imò vin' tu lepidè facere? PY. loquere, & consilium cedò.
PA. Vin' tu illam actutum amovere, à te ut abeat per gratiam?
PY. Cupio. PA. tum te hoc facere oportet. tibi divitiarum áffatim est:
Jube sibi aurum atque ornamenta, quæ illi instruxsti mulieri,
Dono habere, auferreque abs te quò lubeat sibi.
PY. Placet uti dicis: sed ne istam amittam, & hæc mutet fidem,

Vide modò.PA.vah delicatus, quæ te tanquam oculos amet.
PY.Venus me amat.PA st! tace.aperiuntur fores: concede huc clanculum.
Hæc celox illius est, quæ hic egreditur internuncia.
PY.Quæ hæc celox? PA.ancillula illius est, quæ hic egreditur foras,
Quæ annulum istunc attulit, quem tibi dedi. PY.edepol hæc quidem
Bellula est. PA.pithecium hæc est præ illâ & spinturnicium.
Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?

VERSVS hujus sc. sunt tetrametri catal. trochaici; quales & sequentis.

1. VOLVP EST] Ita MS. sec.& editiones vett. nam *Voluptas* Cam. & Lamb.

2. MISI PARASITVM] Egregium verò legatum, ad Regem!

11. ARRABO] purum putum Hebræum esse, Ph. Melanchthon adserit: Græcósq; & Latinos retinuisse, & congruere cum significatu ejus Latinum *Spondeo, sponsio & sponsio.*

15. QVID? EAN' INGENVA AN FESTVCA FACTA &c.] Lambini & Lips. & Douzæ lectio erat,

Quid ea? ingenuà an festucâ facta? serva an libera est?

i. Reveràne ingenua & liberis parentibus nata est, an per festucam ingenua facta, i. liberta? ita enim Douza P. explicat. Sed Douza F. Si hanc, inquit, lectionem retinemus, *facta* illud quò referemus? nam quòd *ingenua* subintelligi volunt, hariolantur. Deindè bis pænè idem dixerit; seu *liberam* ingenuam interpretentur, seu libertinam. postremò, nullam servæ mentionem à Milite factam, arguit responsum Palæstrionis. dixisset enim, *à servâ*; non, *ab libertinâ*. Quæ si omnia attendis, fateberis, verè à nobis emendatum:

Quid? ea ingenua, an festucâ facta è servâ libera est?

Per festucam enim *liber* quis fieri potest, *ingenuus* non potest, nisi qui antè fuerit. Scio in his argutari posse; at frustrà. Hæc ille. Immò verò inquit Acidal. facti sunt ingenui, etiam qui non nati: prorsus uti liberi: sed non nisi antè liberi. quomodo forsan & Douzæ F. verba capienda: ut ambiguitas tantùm in iis, non inconsideranti culpanda sit. Post libertatem indultam quidam & ingenuitatem asserebantur. Neque hæc est autem plena & justa libertas; ut alii opinantur. Non

A enim Ingenuitatis jus datum omnibus, qui manumissi justâ etiam libertate. de quâ eruditissimè Lips. ad Annalem Taciti 13. *Ingenuos & Libertinos* clarè discriminat Seneca De beatâ v.c.24. & Sueton. Octavio, cap.74. *Valerius Messalla tradit, neminem unquam Libertinorum adhibitum ab eo cœnæ, excepto Menâ; sed adserto in Ingenuitatem post proditam Cn. Pompeji classem.* Ad quæ Casaubonus: Ante Justinianum & editam ab eo Novellam LXXVIII. assertis in libertatem ac manumissis, alio actu legitimo opus fuit, quo jura Ingenuitatis consequerentur, & natalibus restituerentur. At dictâ Novellâ conceditur omnibus libertinis Ingenuitas & jus aureorum annulorum, & restitutio natalium, &c. Est autem *festuca* idem, quod *Vindicta*, nimirum virga Prætoris manumittendis à Lictore imponi solita: neque alio sensu (ut Hotom. ait) Persius dixit, Sat. 5.

B *Vindictâ postquam meus à Prætore recessi:*
quàm ibidem superius;

Non in festucâ lictor quàm jactat ineptus. &c.

Hor. 2. Sat. 7.

——quem ter, vindicta quaterque
Imposita haud unquam miserâ formidine privet.

Plut. κάρφος appellat, ut notat S. Bosius. Manumissionem autem Vindictâ sic fieri consuevisse, docet Jacobus Rævardus Var. lib. 4. cap. 9. item de Auctoritate Prudent. cap. 7. ut dominus apud Prætorem vel Consulem Romæ, & in Provinciis apud Præsidem aut Proconsulem, servi, quem vindictâ manumitti volebat, caput aut aliud membrum tenens hæc verba solemnia pronunciaret; *HUNC HOMINEM LIBERUM ESSE VOLO*: & emittebat eum è manu; autore Festo. Tunc Prætor Vindictâ ejusdem servi, qui manu-

manumittendus erat, capiti impositâ, hac uti formula solebat: *AJO TE LIBERUM MORE QUIRITIUM.* Et licet hac formula videbatur famulus *esse jugo laxatus herili*, ut utar Claudiani verbis: tamen ad lictorem per quam expediri Manumissio solebat, Prætor conversus, hæc quoque videtur solemnia verba pronunciasse: *SECUNDUM SUAM CAUSSAM, SICUTI DIXI, ECCE TIBI VINDICTA.* Tunc à Prætore acceptâ vindictâ caput servi visus est etiam lictor percussisse, & faciem palmâ, tergúmque festucâ verberasse. idque satis ex Juvenali constat. Sic enim Sat. 5.

——pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

(Ita hodièq; Germani Nobiles, quibus *JUS GLADII CONCEDUNT*, die sie Wehrhafft machen, etiam alapam infringunt.) Porrò simulatque peracta esset hujusmodi Manumissio, statim in Acta nomen Manumissi referebatur, adjectâ Manumissionis caussa. Certè quia sic in Adelphis scripsit Ter.

——Edepol hodie, meâ quidem sententiâ,
Judico Syrum fieri esse æquum liberum. M. istunc liberum?
Quodnam ob factum?

In hunc enim locum ad hæc verba: *Quodnam ob factum?* sic scribit Donatus: *Jure: adscribi enim caussas manumissionis in jure formula est.* Nomen autem manumissi in Acta referri olim consuevisse, Plautus auctor est, Persa 4. 3.

——dic bonâ fide: jam libera est?
DO. I, i ad Prætorem; exquire, siquidem credere non vis mihi.

Hæc ille. Atque tribus modis fieri Manumissionem; *Vindictâ, Censu, Testamento*; notat Acron, ad Hor. 2. Sat. 7. Vide & Alex. ab Alex. lib. 4. c. 10. Optimum item & eruditiss. Eilh. Lubinum, super illa Persii superiùs citata; & hæc eâdem Sat. 5.

——Heu steriles veri quibus una Quiritem
Vertigo facit!

id est, quibus una manûs impositio, & in gyrum ductus & circumactio (quæ scilicet illos jam sui juris esse, & in quamcunque partem velint, migrare posse significatur) ex servo nequam etiam & vilissimo civem Rom. facit. unde & *servus ambactus* & *circumactus* Festo. Hæc etsi fortasse poterant abesse: quia tamen creberrima hujus rei fit mentio, placuit eam semel pleniùs notare. Vide & Notas Menæch. act. 5. 9.

17. CUPIDIS TUI.] Hoc tenuit Camerarius. quoniam in edd. vett. omnia incerta sunt: ut & in MSS. quorum pr. *responderet nequeas capiti uti.* sec. *respõsaret neq. as q. cupit uti.* ex quo Schop. hariolatur: *quæ cupiunt tui.* quomodo Donatus ex Pl. Trinumo citet: *Quanquam domi cupio, opperiar tamen.* Symmach. l. 1. 8. *Vestri cupiunt mulieres.* Poeta apud Cic. 3. De nat. d. *qui te nec amet, nec studeat tui.* & verò Schoppii conjecturam conspicias in editione Parei utraque; indicium raræ constantiæ.

18. ET NUPTA ET VIDUA] V. N. Sticho act. 1. 1.

19. QUIA ADOLESCENS NUPTA EST CUM SENE] Ita Fracastorius Poeta Putipharis eunuchi uxorem subinde *virginem* appellat.

21. AD TUAM] Illa una digna est, cujus forma cum tuâ comparetur. *Ad* hîc comparationem significat. Sic Ter. Eun. *At nihil ad nostrum hanc.* L.

22. PA. SEN. H. UX. PERIPLECTOMENE IN PROXIMO: EA] ita Douza F. restituit, elegantissimè. Meursius tamen vulgatum tenet, hâc interpunctione: *PY. in proximo? PA. Ea demoritur te*, &c. *Ea*, sc. est. Eleganter, si actione juveris. *Demoritur* autem *te*, dictum, ut *deperit te*, i. perditè amat. infrà act. 4. 2. & 4. 9.

23. INCIPIT ABIRE] Suspicatur Grut. tenuiter; *atque ab illo imbibit abire.* ut Lucr. lib. 6. *pœnas repere imbibit acres* &c. Urgeret ampliùs, nisi haberet ferè MS. secund. *atque ab illo occipit abire*: ut etiam potuerit fuisse, *cupit* aut *cæpit*; quomodo & vett. edd. Pareus *oCipit* expressit secunda litera capitali, ut loquimur, cujus significationi stultè quadrat scholion marginale.

24. ORARE ATQUE OBSECRARE Q.] ita Sallust. *Quod ego vos oro atque obsecro. Orare*, est humiliter & cum veneratione petere: *Obsecrare*, quasi per sacra & res cariss.

26. QUÆ CUPIT?] q. d. Quis dubitet, eam velle, quæ cupiat? Plus enim est *cupere*, quàm *velle*. unde etiam multum differunt *Cupiditas* & *Voluntas*. Notat autem Acidal. ita vett. plerosque cum interrogatione legere, *Quæ cupit?* sed quosdam, *Næ cupit.* inde ille, *Quæne cupit?* Ego quidem τὸ *næ* nusquam reperi; alterum in

in solâ Brix. & traduce Parmens. & tamen id A statim arripuit prima ed. Parei.

26. QUID ILLA FACIEMUS CONCUBINA?] Sic Aul. 4.10. *Tum me faciat, quod vult magnus Juppiter.* Mostell. *Quid eo argento est factum?* Ter. act. 4.4. *ut neque quid me faciam, neque quid agam certum siet.* Idem Andr. 4.2. *Quid me fiet?* Id. Heaut. *incertum est etiam, quid se faciat.* Phorm.

Quid illâ filiâ amici nostri quid futurum est?

Cic. lib. 14. Epist. 1. *Quid, obsecro, te (me miserum!) quid futurum est? & si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet?* Idem: *quid Tulliolâ meâ fiet?* Notavit pleraque Douza. Talia sunt Casinâ act. 5.3. *Nec quid agam meis rebus scio.* & Sc. 4. *Quid fecisti scipione?* item: *tuo quid factum est pallio?* Capt. 5.2. *meo minore quid sit factum filio.* Cic. 3. Verr. *Quid hoc homine faciatis?* Sed sciamus tamen, non hanc modò, verum & illam loquendi rationem esse Latinam, quantumvis negent nonnulli: *Quid de me fiet? Quid de illâ re factum est?* &c. Cic. ad Attic. l. 2. *Quid de P. Clodio fiat, rescribe.* Immò & cum Dativo usitata est. Cicero pro Cæcinnâ: *Quid tu huic homini facias?* Id. 4. Academ. *Quid enim faceret huic conclusioni?* V. etiam N. Epid. act. 1.2. & Aul. 4.10.

28. EJUS HUC GEMINA] Sic Gruterus, ex scriptura inepta MSS. in qua, *uggeminam.*

30. EXCLUDAM] ita omn. MSS. & editi. tamen Lambinus obtrudit, *extrudam.* V. N. Men. act. 4.2.

32. ABEAT PER GRATIAM?] cum bonâ gratiâ. infrà.

34. JUBE SIBI AUR.] ita MSS. prius edd. *jube sis.*

35. AUFERREQUE ABS TE] Ita Camerarius manu suâ adscripsit ultimæ editioni. Acid. cùm videret aliquid adhuc versui deesse, addendum putabat: *habere sibi abire quò lub.* quod illicò in primam suam edit. contulit Par. etiam in secundam, sed charactere diverso. At quanto proclivius ejecto illo *sibi* quod nusquam etiam in MSS. aut edd. vett. repetere verbum versus sequentis: *Dono habere, auferreq; abs se quo lubeat sibi placet?*

40. CELOX] *Celox* navigium breve & celere, quod majoribus & tardioribus subservit. κέλητιον. Hic Acroteleutii ancillam appellat celocem: L. Asin. 2. 1. v. 10.

42. PITHECIUM] πίθηξ, *simia.* πιθήκιον, *simiola.* Ennius:

Simia quàm similis, turpissima bestia, nobis!

Ein äfflgin. Ein Affengesicht. *Spinturnicium,* diminutivum à *spinturnix*, quæ deformis & inauspicata avis; eademque *ambustanea*, sive *incendiaria* dicta: quòd de busto seu rogo aliquid carbonis in tecta deferebat, & incendi- B um portendebat Græco nomine appellata est, παρὰ τὸν σπινθῆρα. σπινθὴρ est strictura ignis. Vide Scalig. Festo, in v. *Bustum.* & P. Pithœi Advers. lib. 1.10. & Plin. lib. 10.13.

43. VENATURAM FACERE.] Sic Sc. sequente, *Tu cætera de meis venator* (i. conjicito) *verbis.* & suprà, 3.1.

sed speculabor,
Ne quis nostro consilio venator assit cum auritis plagis.

Aucupare sermonem, huic nostro familiarissimum: quod observat etiam Gruterus: item C. Rittersh. ad vers. Phædri

——*tres reliquit filias:*
Unam formosam, & oculis venantem viros:

Quia ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν. Sic & Ovid. dixit: *amores venari.* nam formosa fœmina, tanquam visco volucres, sic ipsa adolescentes capit & attrahit.

ACTUS VI. SCENA II.

MILPHIDIPPA, PYRGOP. PALÆSTRIO.

IAMNE est ante ædis circus? ubi sunt ludi faciendi mihi?
Dissimulabo, hos quasi non videam, neque esse hîc etiam dum sciam.
PY. Tace: subauscultemus, ecquid de me fiat mentio.
MI. Numquis nam hîc prope adest, qui rem alienam potius curet quàm suam?
Qui aucupet me quid agam? qui de vesperi vivat suo?

Eos

Eos nunc homines metuo mihi ne obsint, néve obstent uspiam,
Domo si ibit, ac dum huc transibit, quæ hujus cupiens corporis est,
Quæ amat hunc hominem nimium lepidum, & nimiâ pulcritudine
Militem Pyrgopolinicem. PY. satin' hæc quoque me deperit:
Meam laudat speciem. edepol hujus sermo haud cinerem quærit.
PA. Quo argumento? PY. quia enim loquitur lautè & minimè sordidè:
Tum autem illa ipsa est nimium lepida, nimisque nitida fæmina.
Hercle verò jam allubescit primulum, Palæstrio.
PA. Priúsne, quàm illam oculis tuis? PY. video id, quod credo tibi.
Cùm hæc locutu illam autem absentem subigit me ut amem? PA. hercle hanc quidem
Nihil tu amassis. mihi hæc desponsa est: tibi si illa hodie nupserit,
Ego hanc continuò uxorem ducam. PY. quid ergo hanc dubitas colloqui?
PA. Sequere hàc me ergo. PY. pedissequus tibi sum. MI. utinam, cujus causâ
Foras sum egressa, conveniendi mihi potestas eveniat!
PA. Erit; & tibi exoptatum obtinget: bonum habe animum, ne formida:
Homo quidam est, qui scit, quod quæris, ubi sit. MI. quem ego hic audivi?
PA. Socium tuorum consiliorum, & participem consiliarium.
MI. Tum pol ego, id quod celo, haud celo. PA. imò, etiamsi non celas.
MI. Quo argumento? PA. infidos celas: ego sum tibi firmâ fide.
MI. Cedò signũ, si harunc Baccharum es. PA. amat mulier quædam quendam.
MI. Pol istuc quidem multæ. PA. at non multæ de digito donum mittunt.
MI. Enim cognovi nunc. fecisti modò mihi ex proclivo palàm rem.
Sed hic nunquis adest? PA. vel adest, vel non. MI. cedò te mihi solæ solum.
PA. Brevin' an longinquo sermone? MI. tribus verbis. PA. jam ad te redeo.
PY. Quid? ego hic astabo tantisper cum hàc formà, & factis, sic frustra?
PA. Patere, atque asta. tibi ego hanc do operam. PY. properando excrucior.
PA. Pedetentim! tu hæc scis, tractari ita solere hásce hujusmodi merces.
PY. Age, age ut tibi maximè concinnũ est. PA. nullum est hoc stolidius saxum.
Redeo ad te. quid me voluisti? MI. quo pacto hoc dudum accepi
Istuc fero ad te consilium. PA. quasi hunc depereat. MI. teneo istuc.
PA. Collaudato formam & faciem, & virtutes commemorato.
MI. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonstravi.
PA. Tu cætera cura & contempla, & de meis venator verbis.
PY. Aliquam mihi partem hodie operæ des denique: jam tandem ades illico.
PA. Assum: impera, si quid vis. PY. quid illæc narrat tibi? PA. lamentari
Ait illam miseram, cruciari, & lacrumantem se afflictare.
Quia tis egeat, quia te careat. ob eam rem huc ad te missa'st.
PY. Jube adire. PA. at scin' quid tu facias? face te fastidij plenum,
Quasi non lubeat. me inclamato, quia sic te vulgo vulgem.
PY. Memini, & præceptis parebo. PA. voce ergo hanc, quæ te quærit?
PY. Adeat, si quid vult. PA. si quid vis, adi mulier. MI. Pulcer salve.

PY. Meum cognomentum quis commemoravit? dij tibi dent quæ optes.
MI. Tecum ætatem exigere ut liceat. PY. nimium optas. MI. non me dico,
Sed heram meam, quæ te demoritur. PY. multæ aliæ idem istuc cupiunt,
Quibus non est copia. MI. ecastor haud mirum, si te habeas carum
Hominem tam pulcrum, & præclarâ virtute, & formâ, & factis.
Ecquis dignior fuit, homo qui esset? PA. non hercle humanum est ergo:
Nam vulturio plus humani credo est. PY. magnum me faciam
Nunc, quoniam illæc me collaudat. PA. viden' ignavum, ut sese infert!
Quin tu huic responde? hæc illæc est ab illâ quam dudum.
PY. Quà nam ab illarũ? nam ita me occursant multæ: meminisse haud possum.
MI. Ab illâ, quæ digitos despoliat suos, & tuos digitos decorat.
Nam hunc annulum ab tui cupiente huc detuli huic, qui *porrò.*
PY. Quid nunc tibi vis, mulier? memora. MI. ut, quæ te cupit, eam ne spernas.
Quæ per tuam nunc vitam vivit. sit, nec ne sit, spes in te uno est.
PY. Quid nunc vult? MI. te compellare, & complecti, & contrectare.
Nam nisi tu illi fers suppetias, jam illa animum despondebit.
Age, mi Achilles, fiat quod te oro: serva illam pulcram pulcrè:
Exprome benignum ex tete ingenium, urbicape, occisor regum!
PY. Heu hercle odiosas res! quoties hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne sic vulgo pollicitere operam? PA. audin' tu mulier?
Dixi hoc tibi dudum, & nunc dico: nisi huic verri affertur merces,
Non hic suo seminio quámquam porculam impertiturus est.
MI. Dabitur quantum ipsus pretij poscet. PA. talentum Philippum huic opus (auri est.
Minus ab nemine accipiet. MI. heu ecastor nimis vile est tandem.
PY. Non mihi avaritia unquam innata est: satis est divitiarum.
Plus mihi auri mille est modiorum Philippei. PA. præter thesaurum.
Tum argenti montes non massas habet. Ætna mons non æquè altus.
MI. Heu ecastor hominem perjurum. PA. ut ludo! MI. quid ego? ut sublecto os! (PA. scitè.
MI. Sed amabo, mitte me actutũ. PA. quin tu huic respõdes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum. quid illam miseram animi excrucias,
Quæ nunquam malè de te merita est? PY. at jube eámpse exire huc ad nos.
Dic me omnia quæ vult facturum. MI. facis nunc ut facere æquum;
Quod quæ te vult, eadem tu vis. PA. non hic insulsum habet ingenium!
MI. Quumque me oratricem haud sprevisti, sivistique exorare ex te.
Quid est? ut ludo! PA. nequeo hercle quidem risu me admoderarier.
Ob eam caussam huc abs te avorti. PY. non edepol tu scis, mulier,
Quantum ego honorem nunc illi habeo. MI. scio, & istuc illi dicam.
PA. Contrà auro alij hanc vendere potuit operam. MI. istuc pol tibi credo.
PA. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes fecit.
Et pueri annos octingentos vivunt. MI. væ tibi nugator.
PY. Quin mille annorum perpetuò vivunt, ab seculo ad seclum.

PA. Eò minùs dixi, ne hæc censeret me advorsum se mentiri.
MI. Perij, quot hic ipse annos vivet, cujus filij tam diu vivunt?
PY. Postriduo natus sum ego, mulier, quam Jupiter ex Ope natus est.
PA. Si hic pridie natus foret, quam ille est, hic haberet regnum in cœlo.
MI. Jam jam sat amabo est. sinite abeam, si possum, viva à vobis.
PA. Quin ergo abis, quando responsum est. MI. ibo atque illam huc adducam,
Quam propter opera est mihi. nũquid vis? PY. ne magis sim pulcer, quàm sum:
Ita me mea forma sollicitum habet. PA. quid hic nũc stas, quin abis? MI. abeo.
PA. Atque adeò, audin' tu? dicito doctè & cordatè. MI. ut cor ei saliat.
PA. Philocomasio dic, si est hic, domum ut transeat: hunc hic esse.
MI. Hic cum meâ herâ est, clam nostrum hunc sermonem sublegerunt.
Lepidè factum est: jam ex sermone hoc gubernabunt doctiùs porrò
Rem. MI. me morare. PA. abeo; neque te moror, neque te tango, neq; te, taceo.
PY. Jube maturrimè illam exire huc. jam istic rei prævortemur.

JAMNE EST ANTE ÆDIS CIRCVS, VBI SVNT LVDI FACIENDI MIHI.] Ita Camer. ex conjecturâ: quamvis in textum receperit *ludificandi*: & Scaliger ita laudet in Conjectan. nec aliter MSS. & edd. habeant. Est autem allusum ad ludos Circenses. Cæterùm ita, & sine interrogatione legendum, etiam Acidalius & Casaub. probarunt. Tamen Lipsius, Antiq. Lect. 5:15. Quanquam, inquit, hæc lectio (*circus*) valdè proba & imaginis notæ est: non displicet tamen Vat. alterius lectio;

Jamne est ante æd. hircus, qui est ludificandus mihi?

Senes, per contumeliam *hircos* vocabant: ut Men. act. 5:2. Verùm & Palmerius, *circus*, germanum asserit. Sic noster in Cornicularia:

Quid cessamus ludos facere? circus noster ecce adest.

Denique & Gruterus probat, *circus*: laudans illud Posidippi in Saltantibus: Ἱππόδρομος ὄντως ἐστὶ σοὶ μεγαλοπρεπής. item Ovidii 4. Trist. eleg. 9.

Circus adhuc cessat; spargit tamen acer arenam Taurus

Pareus postremò edidit *ludificandi*, quo ipso secutus quidem est MSS. sed versui pessimè consuluit.

4. HIC PROPE ADEST] Douzâ F. L. *hinc prope abest* Acidalius insuper etiam, *qui alterna pot.* Sed nolim viros doctos in alienâ tam curiosos esse. Certè quod edidi, omn. MSS. & edd. agnoscunt. neque versus ullâ syllabâ superabundat, ut aliis visum est. unde non sine nota Pareus, primâ editione Dousæ-Acidalianum secutus est molimen: neque eo contentus, *Numquis* præterea mutavit, in *Nunc quis*. idem secundâ etiam ed. male retinuit, illud *hinc*.

5. VESPERI VIVAT SVO] Jac. Durant. JC. Var. L. 1:5. ad vers. Hor. Sat. 1.

Fallacem circum, vespertinumque pererro
Sæpe forum;

notat: Acron & Porphyrio de Suburrâ majore hunc locum accipiunt, in qua vesperi furtivæ res semper venundabantur. itaq; *vespert. forum* dixit, quia occidente Sole rerum furtivarum mercatus inciperet. Hinc Plautus falsè proverbii loco usurpavit, *Vesperi suo vivere*, pro eo, quod est, furtis suis vitam sibi parare. V. N. Trin. act. 4:2. Ea de caussâ *vigilacem Suburram* Propertius dixit, lib. 4. el. 7. Nota: & vide mihi etiam Lipsium, Asin. act. 4:2. Lambinus *Vesperum* exponit cœnam. Rud. 1:2. *Si tu de illarum cœnaturus vesperi es.* Vide, si tanti. magis enim hæc interpretatio hic convenit quàm altera. domicenio enim se sustentantes otiosi sunt fere ac curiosi. ut passim liquet ex Parasitis Comicorum.

7. DOMO SI IBIT, AC DVM] Ita MSS. Cam. & Lamb. & quos vidi. Acidalius unus divortium facit, tantùm ut numeros cogat: & legit; *Domina si domo huc transibit, q. b. c. corpori sit*, cujus missile statim in editionem suam pr. retulit Pareus ejecitq; secunda.

10. HVIVS

10. HUIUS SERMO HAUD CINEREM QUÆRITAT] Secutus sum auspicia MSS. in quibus *quæritat.* quare cùm versus respueret *sermones*, syllabam quoq; ultimam abjeci, quæ hactenus perstat in aliis edd. Non quærunt aridum & capularem senem, sed virum vividum & ætate integrâ. *Vel sic:* Hujus ancillæ verba sordidum & obsoletum aliquid non quærunt, sed lautum & luculentum: L. Adagiorum novitius Collector, *Cinerem quærere,* usurpari ait, pro esse abjectum, vile, & sordidum. Ab actione, quæ una est inter cæteras abjectissimas mediastini functiones. Alii putant, Militem iis verbis dicere, debere eorum sermonum perpetuam esse memoriam. Gruterus interpretatur: haud quærit abscondi abstrudique. cinere enim tegi, si quid in pavimento pueri forte cuniverint &c. Adamus Th. Siberus simpliciter accipiebat, *Non quærunt cinerem:* scilicet quo tanquam eluantur & nitidentur: (ut solent hodiéque vasa ex orichalco) quippe jam tum tersi ac splendidi. Atque adeò rationem Miles ipse & explicationem addit: *Quia loquitur lautè & minimè sordidè.* dignum videlicet loquendi genus Pyrgopolinicis sive elegantiâ, sive magnidicentiâ. Ita planè & Acid. quod vero proximum. unde mirum potuisse etiam placere Pareo. qui tamen semper est Simiola, semper præbet quod rideamus. Affirmat enim in Lexico suo, neminem ignorare elui ac nitidari orichalcum cinere. ego id ignoro, & multi mecum, nisi modo orichalcum precio æquat aurum, ut dicere videtur noster in Electis, titulo *Moneta.* I nunc & nega cum duo idem dicunt, non esse idem.

11. QUO ARGUMENTO] Ita MSS. & olim cusi. at Parei prima ed. *Quo hoc arg.* & tanquam syllabam eam posceret versus, etiam retinuit in secunda. inscitê; quin versum viciat.

12. TUM AUTEM ILLA IPSA] ita MSS. & v. edd.

14. OCULIS TUIS? PT. VIDEO ID, &c.] Secutus sum MSS. quàm proximè: in quibus: *Prius ne quam illam oculis tuis? P. ideo id quod credo tibi Cum hac locuta illam autem absentem subigit metuit. PA. Amen hanc &c.* sic MS. pr. sed qui à manu prima forte *video* habuit. At sec. *P. video ut quod credo tibi. PAL. Cum hac elocutam illam autem absentem subi-*

A *git me ut Amem hercle h. q.* J. Lipsius putabat legendum:

PT. Video, idque credo tibi:
Eccum hac elocutam. PA. illam autem absentem? PT. subigit me ut amem, &c.

Decorum, inquit, in libidinoso Milite servans Plautus facit eum ad conspectum ancillulæ statim adhinnire: quem reprehendens quasi Palæstrio. Minimè gentium, inquit, tunc ut huic te des, priusquam illam absentem videris? Palmerius ita:

Priusné, quàm illam oculis tuis? PT. Video: idque credo tibi,
Cùm hac celox tam bella: illa autem absens subigit me, ut &c.

Bucco miles, qui non nisi de verbis servi saperet, quando is ancillam *celocem* appellasset: quia, inquit, hæc celox tam bella est, fidem mihi facit, lepidiorem longè esse dominam. Sed nimis quam elegans erit, si scribamus.

——video! idque credo tibi,
Cum hac celox tam: illa a. &c.

Ita enim Militi verba defuerint imperitiâ: aut alioqui de trivio inepti hominis similis
B oratio exiverit. Id monet vetus Interpres Eunucho act. 3: 1.

——tum sicubi eum satietas
Hominum, aut negoti si quando ceperat,
Requiescere ubi volebat, quasi: nostin?

ad quod Donatus: *Gratè expressit stulti militis infantiam, qui ante vult intelligi quod sentit, quàm ipse dicat. Et propterè hoc morale est stolidi sive ruditer loqui entis.* Sed & poni ita amat illud, *tam.* Casin. 4: 4. *Quid tu ergò hanc q. tractas tam?* Acidalius malebat. *PT. tuis video id, quod credo tibi. Quid illa autem absens cùm hac locuta subigit me ut amem. PA. hercle.* Pareus & heic simbolum dedit, sed, suo more, ridiculum: *P. tuis video id, quod credo tibi. Quin hac locuta illa autem absentem subigit me ut amem. PA. hercle.* negligit enim enormiter omnem rationem numerorum. hanc tamen corruptionem haberi vult planissimè pro restitutione insigni. ô philautiam!

16. DESPONSA EST] Sic Pal. pr. antea *desponsata est*, sed versu nolente.

24. FIRMA FIDE] MS. pr. *firma fides.* at sec. *firmè fidelis*, quod & in edd. vett.

25. CEDO SIGNUM SI HARUNC BACCHARUM ES.] Ritus observandus. Et est allegoria à sa-

à facris Bacchi, quæ erant reconditiſſima: neque ulli, niſi ſacris ejuſdem initiato, cognita. Sic Apul. in Apol. 1. *Si qui forte adeſt eorundem ſolemnium mihi particeps, ſignum dato.* Arnob. *ſymbola* appellat; Clem. Alexandrin. συνθήματα, Apulejus etiam *memoracula.* In vulgg. eſt: *ſi verum eſt.* quos ſequitur in prima ſua Pareus: at in ſecunda, planè contra verſum, & Mſſ. & antiquitus cuſos intruſit, *Cedo mihi ſignum &c.* vellem ſcire cui bono.

15. AMAT MVL.] Jam ſignum prodit Palæſtrio.

17. FECISTI MODO MIHI EX PROCLIVO PALAM REM] J. Gul. legit; *ex proclivo planam rem.* aut, quod mavult, *ex proclivo planum. Proclivum,* inclinatum ut fiat, nondum tamen certum: *planum:* exploratum, manifeſtum. Et ita hæc ſibi etiam Aſin. act. 3: 3. Plautus jocans opponit. Palmer. l. *ex proclivo patale.* Nam *proclive,* inquit, *& patale* contraria ſunt. *Patalia loca* eadem ſunt, quæ patentia, à patendo. itaq; *patales boves;* quorum cornua patentia. V. N. Truc. act. 2: 2. Ego Camerarii teneo. Q. d. facillimo negotio omnem mihi rem aperuiſti. Quanquam ſcripturam Cod. ſui corruptam dicit, ut pro illo *palam rem,* apparuerit etiam *patrem.*

29. J. AD TE REDEO] ſc. Militem.

30. SIC] δεικτικῶς. Et nota orationem Militi glorioſo convenientem.

31. PROPERANDO EXCR.] ita conſenſu omn. MSS. & editi, & planâ ſcripturâ: & bono etiam ſenſu, ex affectu amatoris qui omnia feſtinabat. Tamen P. Colvius l. *properandum excrucior:* Meurſius; *propera, amabo, excrucior.* Meurſius; *propera, amabo, excrucior.* Siberus, *propera: ſtando excrucior.* quòd præceſſerit, *Ego hic aſtabo?* &, *patere atque aſta.* & iſtud ſtatim arripuit editio prima Parei.

34. REDEO AD TE.] ad Milphidippam ſcil.

34. QVO PACTO HOC &c.] Ita Cam. ex veſtigiis MSS. nam anteriores edd. hæc omnia, ut & tria verba præcedentia, & quinq; verſus ſequentes non agnoſcunt. Et vero pr. à manu prima; *quo pacto hoccilium accepi Velis ut fero ad te conſ.* emendatum verò *Vtelis.* at ſec. *quo pacto boccilium apeli. Vaeliſte fero ad te conſ.* monſtroſa omnia! at Pareus ſeſe hinc expedit, reſcribendo, *accepi utile iſtuc*

A *fero, &c.* gloriaturq; : Sic hunc locum ex veſtigiis MSS. emendavi. Tune quid ut emendes? carnificinæ aptior. interim patet, in illo *apeli,* latere *aperi.*

35. PA. QVASI H.] Rectiſſimè dantur Palæſtrioni, neq; aliter MSS. ineptiſſimè enim editio Parei prima iſtæc adhuc tria verba ancillæ tribuit.

38. TV CÆT.] Male Milph. hæc tribuuntur ab Acidalio, pejuſq; admiſit in utramque editionem Pareus: certè contra utrumq; MSS. Pall. perperam præterea, *cetera* mutavit in *contra.* hoccine eſt agere medicum!

42. AD TE] Ita MSS. & edd. vett. at Pareanæ *me.* cur? niſi libidine omnia innovandi.

43. FACE TE FASTIDII PL.] ita MS. ſec. Cam. & Iſ. Pontanus. at pr. *facite.* Vulgo, *facito fuſt.*

46. PVLCER] Erat cognomentum Clodiorum, quo diſtinguebantur à Marcellis in gente Claudia, qui erant plebeji, non patricii.

52. ECQVIS DIGN.] MS. ſec. & edd. *Heus, dignior fuit quiſquam homo q. eſſet?* & huc vergit etiam MS. pr. in quo, *Heius dig. fuit quam h. q. e?*

B 52. NON HERCLE HVMANVM EST ERGO: NAM VVLT. &c.] Palæſtrio averſus à Milite orationem ancillæ in contrarium torquet. Ergò, inquit, ſi hic unus omnium digniſſimus eſt, qui ob mores ſuos humaniſſimos, homo naſceretur; nulla usquam eſt humanitas. Quid ita? quia vulturio plus humanitatis eſt, quàm huic Militi: L. At Douzæ omnis joci argutia in ambiguitate ſententiæ videtur conſiſtere. Ambiguitas verò in vocibus illis duabus; *Eſt,* & *Volturio.* Nam cum videatur dicere; Volturio plus humanitatis ineſſe, quàm Glorioſo huic; aliud longè diverſum ſalſè ſignificat; primùm in caſu τοῦ *Volturio* Comicè ludens, qui tametſi pro Dativo poſitus exiſtimari poſſit, tamen Nominandi caſus intelligendus; ut ſit, *Volturio, Volturionis.* (Sic *lanio,* & *lanius: longurio* & *longurius;* aliaque multa.) Deinde *Eſt* haud quidem pertractatè aut ſimpliciter, verùm pro *edit* poſitum accipere debemus. innuitque, *Vulturium plus humani,* i. humanæ carnis (interim dum in cadaveribus depaſcendis deditus eſt) roſtro vellicatim carpere, quàm Pyrgopolinicem poſſidere: ſententiâ

nimiæ verisimilitudinis ergò quamvis urbana vel ridiculâ potiùs.

55. QVIN TV H. RESPONDE?] ita MSS.& vett.edd.omnes, præter spuriam Brix.& traduces: quæ & *tibi* hic interciunt, quod nusquam. ea tamen insignitur utraq; Pareana: & ultima quidem, tanquam requireretur ad versum.

58. DETVLI HVIC] sc. Palæstrioni.

58. QVI PORKO] sc. tibi traderet.

60. SIT, NEC NE SIT,] salva sit hera mea, an nulla sit.

63. SERVA IL. PVLCRAM PVLCRE] ita MSS.Cam.Sed Meurs. l. *Pulcere*, antiquo vocandi casû. quod falsò Pareus adfingit Palatinis. Nam *pulcerus* veteres extulisse ait: ut *Puerus* pro *Puer, &c.* Vocat autem Militem *Pulcrum*, ut suprà, *Pulcer salve &c.*

64. VRBICAPE] πολίπορθε. Sic apud Fest. *hosticapax.*

67. HVIC VERRE] porco non castrato: cui opponitur *majalu.*

68. N. H. SVO SEMINIO QVAMQVAM PORCVLAM &c.] Porculam sui seminis hic verres admissarius participabit. Turneb. lib.21. c. 2. ad illud Lucr. lib. 3. —— *suo cum semine seminioque docet*; *seminium* hîc & semen & prolem esse posse: quem vide J. Gulielm.ex V.C.(quod & mei & Turnebi agnoscunt) legit, *porculenam*, i. porculam: eâdem formâ, quâ *facienum, dubienum, alienum* fecerunt. Et eleganter in hâc re *seminium* dixit etiam Lact. de Opificio DEI, XII. *Vena in maribus quæ seminium continet, duplex est.*

69. PHILIPPVM] MSS. *Philippium.*

70. NIMIS VILE EST] Acidal. l. *vilest*, pro, *vilis est.*

72. PLVS MIHI EST AVRI MILLE M.] *Mille modiorum*, sic dictum, ut *mille hominum*, *mille numum*. Cic. Philip. 6. & Milon. Sic. Hor. *Mille ovium.* Nonius hîc dormitavit: L.

72. PRÆTER THESAVRVM &c.] Vide ut assentator mendacium Militis augeat! *Thesauri* autem nomine hoc loco argentum non comprehendi Douzæ videtur.

73. TVM ARGENTI MONTES, NON MASSAS HABET] Pseud. act. 1: 2. *Montes frumenti.* Ter. Phor. *Montes auri pollicens.* Sallust. *Maria montesque polliceri cepit.* Valer. Max. *parvarum rerum cælo æquatus cumulus*, libr. 2: 9. V.N. Epid. 1: 1.

74. QVID EGO? VT SVBLECTO OS?] quasi dicat, ei palpando os demulceo! V. N. Cas. act. 5: 4. Meursius è v. c. *quid ergò tu sublestu's?* Acidal. putat non rectè dici, *sublectare os.* itaque, ne & versus ultra mensuram integro pede trahatur, leg. *quid ego? ut sublecto! Sed am.* quod invasit illico editio Parei pr. Idem utraq; editione oggerit, *hic responde aliquid*, cùm tamen MSS. & Edd. vett. præferant, *huic respondes al.*

76. MIS. ANIMI EXCRVCIAS] ita Lipsius, MS. sec. Cam. at pr. *miseram & amicam crucias.* Douza: *exanimam crucias.*

77. MALE DE TE MERITA EST?] Hanc lectionem Grut. & Schop. è Cam. MS. tuentur. Nam altera *male tibi dixerit*, est inepta: cùm sermo sit de Acroteleutio, quæ nunquam nec *bene*, nec *male* ipsi *dixit*, quippe quæ nihil unquam cum ipso verborum fecerit.

77. EAMPSE] ita Rittersh. *eampse*, ductu MSS. Pall. in quibus *jubeam ipse.*

79. QVOD QVÆ TE VVLT, EANDEM TV VIS.] Ita restitui, ex ambigua scriptura MS. sec: *Quod ij te vult eandem.* insulsissimè enim & falsò ex eodem edidit Pareus, *Quod ipsa vult, eadem tu vis.* certe & MS. pr: *Quodque vult, eadem tu vis;* ubi iterum nobis imponit, dum enotat. *Quum quæ.* juvit nos quoq; ed. prima, *Qua te vult eadem tu vis.*

79. NON HIC] ita hoc interrogatione figurandum est: ut Miles notetur. aut legendum *hac:* scil. Ancilla: *Acid.* at MSS. *hoc insulsum hinc ingenium.* attamen edd: *hic insuls. habet ing.*

79. INSVLSVM INGENIVM?] Sic Sall. *absurdum ingenium* dixit.

80. EXORARE EX TE] *ex*, videtur tollendum Douzæ. & verò non id solum expunxit in prima Pareus, sed & sequens *te.* Acidal. numerorum caussâ l. *sistique te exorare.* Ambo MSS. *sprevistis istique exorare ixste.* Si licet, suspicer illud *iste* è margine irrepsisse in contextum, cùm scriba notare vellet *sisti* scriptum pro *sivisti.*

81. RISV ME ADMOD.] MS. sec. *risu me mod.* quomod & antiquitus culi.

85. MERI BELLAT.] Gifanius, *Merum*, inquit, quid sit, aut eo ut veteres usi, paucos reperias, qui intelligant; nullum, qui explicarit. Putant vulgò, nihil esse aliud, quàm *so-lus.*

lus: & errant. *Merus* igitur à linguæ Latinæ auctoribus ponitur pro vero, præstanti; non ficto, aut simulato; pro insigni, vehementi. Ita *merum lac*, in Lucret. est recens, bonum, purum putumque. Cicero: *scelera mera loquuntur*. Idem, *meras proscriptiones, meros Sullas attendere*. Idem, *meram bilem, mera monstra nunciare. meros Principes è Scholâ Isocratis exiysse*. quem locum tentarunt scioli. *Meros bellatores* dixit Plautus. Hoc autem totum à Græcis sumptum est, apud quos admirabili venustate ἀκρατής ponitur: ἄκρατος ὀργή, ἄκρατον ψεῦδος, &c.

85. PRÆGNANTES] MS. pr. *prægnatis*. quod mirum cur speluncæ suæ non intulerit Antiquitatis Harpax Pareus. & ineptè idem versu seq. utraq; editione expressit, *occing. qui bibunt*. neq; enim pronomen id in MSS. aut edd. antiquis, officitq; versui; cui Cacus iste non magis attendit, quàm alius quis bubsequam.

90. EX OPE] *Ops*, quæ & *Cybele*, & *magna-Mater*; & *Mater deûm*, & *Terra* vocatur. Videatur Vincentius Chartarius de Imaginibus Deorum, p. 138.

92. VIVA] ἰδιωτισμὸς hominis ab aliqua re abhorrentis. Cùm enim molestam sibi fuisse alicujus garrulitatem volebant indicare, dicebant se adeo fuisse enectos. Sic Horat. metuit, ne à suo illo garrulo enecetur. Ita θάνατον sive *morbum* sibi esse dicebant rem auditu molestam. Sophocles, ἄμοι, θάνατος μοι τάδ' ἀκούειν. Cicero sæpe *mortis instar putare, &c.* Casaub. ad Theoph. Charact. Illud igitur *perÿ*, quod præcedit, & quod Colvius in *Pro dÿ* transformabat, Siberus censet non mutandum. convenire enim τῇ χλευασμῷ, ut etiam alibi.

96. VT COR EI SALIAT] ita Lipsius & libri omn. veteres, *ut cor ei saliat*: idque germanum censet. ut alludat Ancilla ad id, quod Servus dixerat *Cordatè*. in amore autem vehementi cor subsilire solet. lib. 5. Antiq. c. 24. Quin sic extare in altero MS. Cam. prodidit etiam Gruterus. nam primum retinere, *curas aluit*. quod eòdem vergit, si penitius consideremus & ductus literarum, & exerrationes librariorum. ex eo tamen ingeniosissimè extudit Camer. *cura aliud*; quod nescio an non debeamus revocare. nam Pareus heic omnino suo curru vehitur; semper alias solitus pendere ab altero: rescribitq; *MI. ut doctè, ut cordatè curas aluit!* Satis excitarat risus tam informi spectaculo. sed magis adhuc splenem nobis exercet, dum perorat: Ita antiquissimus V. C. & legit & distinguit. at Decurtatus, *ut cor ei saliat*. itidem benè. sed alterum genuinum censeo, hoc verò, interpretamentum Plautinum. O Crasse, cur oppidò mortuus es! si non: ventrem necesse tibi foret comprimere volenti nolenti; ita noster Censor ridiculè blattit; ita Simiæ in morem, quò altius elevatur, hoc magis ostendit natium glabritiem. nam quid hac lectione futilius? ut taceam falsum esse hic distinguere codicem illum!

98. SERMONEM SVBLEGERVNT] simili tralatione dixit Pacuvius, *Ex occulto sermonem clepere*, i. suffurari. Sic Plaut. in Fragm. *Ex occulto sermonem ejus sublegam*. D. F. Parei utraq; editio interserunt *illæ*, præter MSS. & edd. vett.

100. REM. MI. MEMORARE. PA. AB.] ita Grut. è ductibus litterarum, quæ sunt in MSS. legit.

100. NEQVE TE TACEO.] Ita unâ distinctiunculâ obscurum hoc illustraram: & ecce vidi postea in Brix. idem extare. Juvat, quòd omnes MSS. & edd. quasi conjuratim legant, *taceo*. quamvis Gruterus suspicabatur *laceo*. MS. sec. præfert: *neq; remoro neq; te tango, neq; te taceo*. primus: *neq; temoro, neq; & agone que & taceo*. ex quo formavit nobis subtilitas Parei, *neq; te moro, neq; te tago*. euge! bellè litat Moriæ.

101. JVBE MATVRATE ILL.] ita omnes edd. leg. *maturatè*. itaque est Pseud. act. 4: 6. *maturatè propera*. quemadmodum & ibi MSS. ambo & ed. vett. legunt. quamvis iidem hîc *maturare* præferant Livius: *Jussit cæteris quantum maximè possent, maturatè sequi*. Mercerus ad Nonium, *maturatè properare* esse festinationis moderatæ, ut *lentè festinare*, tardioris maturationis, quod commendabat Augustus cap. 25. Sueton.

ACTUS IV. SCENA III.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

QVID mihi nunc es autor, ut faciam, Palæstrio,
De concubinâ? nam nullo pacto potest
Prius hæc in ædis recipi, quàm illam omiserim.
PA. Quid me consultas, quid agas? dixi equidem tibi,
Quo pacto id fieri possit clementissimè.
Aurum atque vestem omnem muliebrem habeat sibi,
Quæ illi instruxisti: sumat, habeat, auferat.
Dicasque tempus maximum esse, ut eat domum:
Sororem geminam adesse & matrem, dicito,
Quibus concomitata rectè deveniat domum.
PY. Quî tu scis eas adesse? PA. quia oculis meis
Vidi hîc sororem esse ejus. PY. convenitné eam?
PA. Convenit. PY. ecquid fortis visa est? PA. omnia
Vis obtinere. PY. ubi matrem esse ajebat soror?
PA. Cubare in navi lippam atque oculis turgidis,
Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.
Is ad hos nauclerus hospitio divortitur.
PY. Quid is? ecquid fortis? PA. abi sis hinc: nam tu quidem
Ad equas fuisti scitus admissarius,
Qui consectâre quà mares quà fœminas.
PY. Hoc age nunc. PA. istuc. PY. quod das consilium mibi?
Te cum illâ verba facere de istâ re volo;
Nam cum illâ sanè congruus sermo tibi.
„ PA. Quin potius, QVVM TVTE ades, tuam rem túte agas.
Dicas uxorem tibi necessum esse ducere,
Cognatos persuadere, amicos cogere.
PY. Itáne tu censes? PA. quid ego ni ita censeam?
PY. Ibo igitur intrò: tu hîc ante ædis interim
Speculare, ut ubi illæc prodeat, me provoces.
PA. Tu modò istuc cura, quod agis. PY. curatum id quidem est.
Quin si voluntate nolet, vi extrudam foris.
PA. Istuc cave faxis: quin potius per gratiam
Bonam abeat abs te; atque illæc, quæ dixi, dato:
Aurum, ornamentáque, quæ illi instruxisti, ferat.
PY. Cupio hercle. PA. credo te facilè impetrassere.
Sed abi intrò, noli stare. PY. tibi sum obediens.
PA. Nunquid videtur demutare, atque uti ego

Dixi

Dixi esse vobis dudum hunc mœchum Militem?
Nunc ad me ut veniat, usu'st, Acroteleutium,
Ancillulâ ejus, & Pleusides. pro Juppiter,
Satin' ut commoditas usquequáque me adjuvat!
Nam quos videre exoptabam me maximè,
Unà exeunteis video hinc è proximo.

VERSUS hujus Sc. sunt jambici senarii.

4. QUID AGAS?] ita MSS. Vulgò, *agam?*

7. HABEAT, AVE.] ita MSS. & omn. edd. sed Acid. *abeat*: non malè, nec mora, statim id occupavit hamus Parei, editione primæ. rejecit verò secunda. scias natum sub Piscib9; utique si *His non una manet semper sententia cordi.*

8. TEMPUS MAXIMUM] ἀκμὴν τοῦ καιροῦ: Nostri: Es ist hohe zeit.

10. Q. CONCOMITATA] ita Grut. è ductu MSS. itemque Acidalius.

13. ECQUID FORTIS VISA EST?] *Fortis* hîc (ut Nonius interpretatur, & Servius 4. Æneid. probat) est *formosa*. at non item (ut Douza ait) apud Lucill.

Omnes formosi fortes: ergò improbus es tu,

i. instrenuus, malus, ignavusque, quippe deformis, ac de Gorgonii Pythonis prosapiâ. Sed *fortem* hoc loco Plauti, validam & ætate integram, adeoque ad res Venereas idoneam exponunt Lamb. & Muretus. teste eodem Douzâ, qui & in Præcid. lib. 1. 5. *Fortiter facere*, exponit, in robustâ & masculâ voluptate deditum esse. *Gruterus*, suasu MSS. in quibus *fortius*, imbibebat leviter suspicari, *ecquid fortiuscula est?* quod, veluti geminum germanum, Pareus utraque editione ostentat: cùm tamen ei apertè obstet v. 38: Bacch. 2. 2. *Quid Bacchis etiam fortis tibi visa est.* J. Cæs. Scalig. De Caus. Lat. linguæ lib. 1. cap. 21. Quare *pulcer*, inquit, inspiretur, ratio declarat. Fuit enim Græcum πολύχειρ, i. *fortis*: sic omnium doctissimus Poeta 7. Æn. v. 656.

——satus Hercule pulcro
Pulcer Aventinus.

Igitur Romani, qui omnia ponerent in fortitudine, eum demum bonum & formosum putârunt, qui esset fortis. Itaque *Fortis* quoque pro pulcro positum est apud Plautum in Mil. neque sine ratione: exemplo enim Græcorum factum est, qui καλὸν æquè & *formosum* A & *bonum* significarunt. at bonus, fortis est: malus autem κακὸς, imbellis: unde *Caculæ*, qui in numero Militum non essent, παρὰ τὸ χάζεσθαι, quod est cedere. χάζεο Τυδείδη.

13. OMNIA VIS] ita MSS. & vett. edd. at Schop. *omnia visa obt.* quod in primam editionem statim intulit Pareus, racemator strenuus.

17. MIHI IS AD HOS] Ita Acid. è vet. edd. locum hunc restituit singulari modestiâ & felicitate: & quidem proximè MSS. quà scripturâ, quà distinctione.

19. AD EQUAS FUISTI] ita omnes edd. MSS. que. Douza tamen opinabatur scribi posse, *fuisses*, idque in textum recepit Pareus.

20. CONS. QUA MARES, Q.] ita Palm. & Lips. *Qui cons. quà mares, quà fœminas*: eleganti phrasi. quomodo frequenter veteres. Plinius lib. 6. epist. 33. *Quà fœminæ, quà viri imminebant.* Idem alibi: *Patruum districtissimum fuisse negotiis quà privatis quà publicis.* B Spartianus in Geta: *& diceret, quà joco, quà serio.* Infrà, 4. 9. *Eum oderunt quà viri, quà mulieres*: Sic enim MSS. Cam. & ibi & hâc Scena legi asserit Rittersh. quem vide & Gunther. Sic Cicer. lib. 3. ad Q. Fratr. 1. *Topiarium laudavi. ita omnia convestivit hederâ, quà basim villæ, quà intercolumnia ambulationis.* Idem ad Attic. lib. 15. 18. *Quoniam intelligo te distentissimum esse, quà de Buthrotiis, quà de Bruto.* Plinius Paneg. *Satisfactum quà civium, quà sociorum utilitatibus.* Pacatus: *Jam teipsum, quà publicè, quà privatim* &c. Mamertinus: *Hi cum in provincias missi erant, quà sacra quà profana rapiebant.* Livius etiam in his multus est. Vide & Modium in Lect. Novantiq. ep. 92. item Joh. Mariæ Catanæi Comment. libr. 3. Plinii Epist.

21. PY. HOC AGE] ita Acid. personas variavit.

21. ISTUC] scil. ago.

 23. NAM

23. NAM CVM ILLA SANE CONGRVVS SERMO T.] ita totum hunc locum è vestigiis MSS, Gruterus restituit. Quem pænissimè adsecutus est Schoppius.

32. PER GRATIAM BONAM ABEAT]. sic JC. dicunt, matrimonium dissolvi *bonâ gratiâ: ἀγαθῇ χάριτι, bonâ veniâ, amicabili separatione, μετ' εὐλόγου αἰτίας: sine querelâ, ἄνευ μέμψεως.*

35. TE FACILE IMPETRASSERE.] Ita optimi illi & vetustiss. MSS. Cam. sive jam Pal- A lat. itémque Lambini quomodo Aulularia act. 4. 7. *Et istuc confido à fratre me impetrassere*, & alibi sexcenties. Quod autem editiones sequiores & à sciolis interpolatæ hic, *impetratum iri*, præferunt; jam olim Augustinus Saturnius etiam vidit nugatorium esse, atque in canonas Grammaticos, immò Latinitatis, impingere: lib. 4. c. 10.

37. DEMVTARE] i. alius esse quàm qualem eum esse dudum dixi?

ACTUS IV. SCENA IV.

ACROTELEUTIUM, MILPHIDIPPA, PLEUSIDES, PALESTRIO.

SEQVIMINI! simul circumspicite, ne quis adsit arbiter.
MI. Neminem pol video, nisi hunc, quem volumus conventum. PA. & ego vos.
MI. Quid agis, noster architecte? PA. egóne architectus? vah. MI. quid est?
PA. Qui enim non sum dignus præ te, ut figam palum in parietem.
AC. Eja verò. PA. nimis facetè, nimisque facundè mala est.
Ut lepidè deruncinavit Militem! AC. at etiam parum.
PA. Bono animo es, negotium omne jam succedit sub manus.
Vos modò, porrò, ut occepistis, date operam adjutabilem.
Nam ipse Miles concubinam intrò abiit oratum suam,
Ab se ut abeat cum sorore & matre Athenas. AC. eu! probè!
PA. Quin etiam aurum atque ornamenta, quæ ipse instruxit, mulieri
Omnia dat dono, se ut abeat: ita ego consilium ei dedi.
PL. Facile istuc quidem est, si & illa volt, & ille autem cupit.
,, *PA. Non tu scis, CVM EX ALTO puteo sursum ad summum escenderis,*
,, *Maximum periculum indè esse, à summo ne rursum cadas?*
Nunc hæc res apud summum puteum geritur: si prosenserit
Miles, nihil hinc ferri poterit hujus: nunc quàm maximè
Opus est dolis. PL. domi esse ad eam rem video silvæ satis:
Mulieres tres, quartus tute es, quintus ego, sextus senex.
PA. Quot apud nos fallaciarum est excisum! certò scio
Oppidum quodvis videtur posse expugnari dolis.
Date modò operam. AC. id nos ad te, si quid velles, venimus.
PA. Lepidè facitis. nunc hanc tibi ego impero provinciam.
AC. Impetrabis, Imperator, quod ego potero, quod voles.
PA. Militem lepidè & facetè & lautè ludificarier
Volo. AC. voluptatem mecastor mihi imperas. PA. & scin' tu quemadmodum?
AC. Nempe ut assimulem me amore istius differri. PA. rem tenes.

AC. Qua-

AC. Quasique istius caussâ amoris ex hoc matrimonio
Abierim, cupiens istius summè nuptiarum. PA ordine is:
Nisi modò unum hoc: hasce esse ædis dicas dotalis tuas:
Hinc senem abs te abiisse, postquam feceris divortium:
Ne ille mox vereatur introire in alienam domum.
AC. Bene mones. PA. sed ubi ille exierit intus, istic te procul
Ita volo assimulare, præ illius formâ quasi spernas tuam,
Quasique ejus opulentitatem verearis, & simul
Formam amœnitatis, illius faciem, pulcritudinem
Collaudato. satin præceptum st? AC. teneo. satin' est, si tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas?
PA. Sat habeo. nunc tibi vicissim quæ imperabo. PL. dicito.
PA. Quàm extemplò hoc erit factum, ubi intrò hæc abierit, tu illico
Facito ut venias huc ornatus ornatu nauclerico,
Causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalassicu'st)
Id connexum in humero lævo, exfafillato brachio,
Præcinctus aliqui, assimulato quasi gubernator sies.
Atque apud hunc senem omnia hæc sunt: nam is piscatores habet.
PL. Quid? ubi ero exornatus, quis tu dicis, quid facturus sim?
PA. Huc venito, & matris verbis Philocomasium arcessito,
Ut, si itum jam est Athenas, eat tecum ad portum citò:
Atque ut jubeat ferri in navim, si quid imponi velit.
Nisi eat, te soluturum esse navim: ventum operam dare.
PL. Satis placet pictura, perge. PA. ille extemplò illam hortabitur
Ut eat, ut properet, ne mora sit matri. PL. multimodis sapis.
PA. Ego illi dicam, ut me adjutorem, qui onus feram ad portum, roget.
Ille jubebit me ire cum illa ad portum: ego adeo, ut tu scias,
Prorsum Athenas protinus abibo tecum. PL. atque ubi illò veneris,
Triduum unum *servire nunquam te, quin liber sis, sinam.*
PA. Abi citò atque orna te. PL. nunquid aliud? PA. hæc ut memineris.
PL. Abeo. PA. & vos abite hinc intrò actutum. nam illum hinc sat scio
Jam exiturum esse intus. AC. celebre apud nos imperium tuum est.
PA. Agite, abscedite ergo. ecce autem commodò aperitur foris.
Hilarius exit; impetravit. inhiat, quod nusquam est, miser.

VERSUS sunt tetrametri trochi. catalect.

2. MI: NEMINEM] ita rectè Basil. ed.

2. QUEM VOLUMUS CONVENTUM. PAL. ET EGO VOS] Palmerius ait, *Constituere, Restituere*, & *Convenire* meretricium esse rei Venereæ: probatque illud exemplis Titinnl, *Scortorus constituit*. Juvenal.

Hic ubi nocturnæ Numa constituebat amicæ.

A Cic. pro Cælio: *Constitutum facere*. item Ter. Hec. act. 1. sec. 2. ——*nam constitui quoidam hospiti, Me esse illum conventurum*, (ita enim Colon. & Mog. cod. leg.) ubi Donatus eadem cum Palmerio: qui & Plautum in eo hic lusisse ait: Atque hinc etiam restituit Cistell. 1. 1. *Ex patribus conventis*;

4. QUI ENIM NON SUM DIGNUS] Tantum abest, ut architecti nomen merear recte

compa-

comparatus, ut dignus non sim, qui palum figam in parietem: quòd tamen quivis potest, etiam architecturæ imperitus. Douza legit *Quia en.*

6. DERVNCINAVIT MIL.] ita MS. sec. nam pr. *denunciabit*: de quo Camerarius fecerat *detruncabit*. etiam Edd. vett. *derunci- nabit*. V.N.act.3.1. & Capt.act.3.4.v.108.

8. ADIVTABILEM] ita Lipsius è Vatic. & ita legendum videri est. Annotavit enim & Gruterus in uno MS. suo restare, *operam bitabilem*, in altero, *atibitabilem*, Vulgg. *amicabilem*.

10. AB SE VT ABEAT CVM SOR.] ita MSS. Cam. & vet. edd. Alii, *Ab se ab.*

10. SE VT ABEAT:] Cam. L. & D. non habent *a*. Sed D.F. *à se* &c. In MSS. est, *dono: se ut habeat.*

13. ET ILLE AVTEM] V.N. act.3.1.

14. CVM EX ALTO PVTEO] Illustris similitudo. *Ex alto* est, ex imo p.L.

14. ESCEND.] ita J. Gul. *escenderis*. Juvant MSS. & vett. ed. quæ habent *descenderis*. Cas. 3.6. quod ipsum insulsè postremæ editioni applicuit suæ Pareus: sic enim versus planè incestatur; dumque inhibetur hiatus, miserè fit longior justo.

16. PROSENSERIT] ita Grut. leg. è MSS. Cam. & Lang. *prosenserit*. Sic Amph. 5.1. *neq. providimus*. Sic *prodicere*, pro *prædicere*: inde *prodigia*, quasi *prodicia*; quæ prodicunt futura, vide Fest.

17. POTERIT HVIVS.] Lamb. post τὸ *poterit* distinguit, & *hujus*, interpretatur, Acroteleutii. quam valde reprehendit Acidalius. quasi verò sossus Acrot. dolis opus foret. Contrà laudat judicium Jani Guliel. qui ὑποστιγμὴν collocat post *hujus*. Nihil hujus rei, inquit, quam struimus, confici poterit, nihilque hujus auferri, si Miles dolos olfecerit. quare nunc cum maximè dolis utendum est cautè.

17. QVAM MAX.] J. Levinejus *summaximè*. Ter. Phor. *Atqui opus est nunc cummaximè* &c. ita Seneca lib.3.3. de Benef. & Plinius lib.6.c.6. utuntur.

18. SILVÆ SATIS] ita Grut. è MSS. extruso illo *salue*: ideòque etiam statim legendum, eisdem MSS. fautoribus, *excisum*, non *excitum*: ut loquatur tanquam de machinis ad expugnationem paratis. quod sequentia planè urgent. Qui *Salis* retinent, explicent cum Lamb. licet astutiam, prudentiam. De formulâ, *domi esse*, V.N. suprà 2.2. Cæterum & Palm. vidit, *excitum* ineptè legi: restituitque, *est exasciatum*: ut suprà act.3.3. vel potius, *Quod apud nos fallaciarum est exercitus*. Ut, *quod exercitus* dictum sit, pro *quantum exercitus*. Stewech. ad Veget. lib.4.cap.15. legit, *Quod ap.n.f.est: esse exercitum c.scio*: ut sit allegoria à re militari, quâ noster gaudet. Pareus iterum theatricum populum risu excitat, dū excudi jubet, *fallaciarum septimum' st!* affirmatque sic planissimè legendum ductu utriusque MS. Pall. quorum hic *sexitum*, ille *sextum*. at quanto promotius fuerat tacere? utique cum illud *septimum*, crambe sit cocta in officina Aldina, neque cuiquam fuerit unquam ad gustum, certè non Camerarii editorumque sequentium palato minimè alioqui fatuo.

21. OPPIDVM QVODVIS VIDETVR] Ferè prurit manus interjicere, *oppidum quodvis ist videtur*.

22. ID NOS] propter id: *L.*

23. HANC T. E. IMPERO PROVINCIAM. AC. IMPETRAB.] ita MSS. Grut. nisi quod ii *hoc*.

26. VOLVPTATEM] Parei editio *voluntatem*; quia ita MSS. at quid heic alienius?

26. ET SCIN'] D.F. *At scin' q.* Sic Aul. 1.1. & 2.4. Amph. sc.1.v.200. Pœn. 1.2. v.109. & alibi sexcenties. Non hoc tamen valdè necessarium aic Acid. sed ut versus bonis sit pedibus, legend. *voluptatem ecast. mi imp.* & secundam in *volupt.* Plauti more corripiendum.

29. NVPTIARVM. PA. ORDINE IS. NISI M.] ita Palmer. & Lips. & Acid. restituêre. Q. d. Rectè atque ordine omnia narras: nisi tamen unum etiam tibi hoc addendum. Lipsius etiam legeb. *nuptiarum ordium*. sed prætulit tamen alterum. Douza leg. *summè nuptiarum ordinis*: i. summo loco seu summatibus viris nuptiarum. Vulg. lectio inepta, quà de verbis, quà de sensu. In MSS. est, *istius omne ordinis nuptiarum*. Pareus etiam post hos olores strepit, sicque verè legi autumat, *istius summè ordinis nuptiarum*, tanquam in qua Lectione nihil sit coacti. At sic versui gula interstringitur. at sic locus ipsi Nocti sufficiat tenebras. abstine obsecro à talibus asfaniis, *Quam quisque norit artem, eam exerceat.*

tene

A tene te inter pueros tuos: virorum partes relinque viris.

30. NISI MODO VNAM HOC] ſc. addas velim.

30. ÆDES DICAS DOTALES TVAS]Ex quo factu,ut, ſoluto jam matrimonio,ad te reverſæ fuerint. reſcripſi *eſſe* pro *etiam* ex MSS.

32. ALIENAM DOMVM]MSS. *alienum damnum.*

36. FORMAM AM.] quæ Militis facies ſit tanquam ipſius amœnitatis formæ: *vel*, quæ ſit ipſa amœnitas: ut per Appoſitionem cohæreant. ita Lamb. At Douza l. *Fama*: Piſtoris, *Forma amœnitatem*: Acid. *amœnitatis* capit *amœnitates*, quanquam malit, *Formam amœnitatem illius ſ.* Ego *formam amœnitatis*, germanius puto. quum in MSS. ſit, *Formam bonitatis* &c, *Forma mœnitatis.*

38. EXPOLITVM]V.N. Aſin. 5.2.

39. VICISSIM] Ita loco Ꝟ *auſculta*, vett. edd. & fere MS. ſec. in quo, *viſſiſim quæ imperabo non diſcitos.* nam pr. *tibi vu''que impembo non diſcitos.* ex quibus finxit valde enormem verſum, inque textum retulit Pareus: *Sat habeo. nunc tibi viciſſim quæ imperabo. PL. nunc dicito ſis.* Scilicet hic non modo bene cuſtodire rem inventam, ſed & augere. Quid ſi tamen legamus: *Sat! habe nunc tibi viciſſim quæ imperabo. PL. dicito: Quàm extēplo hoc erit factum. PA. ubi intro* &c. & ſic quidem perſonas diſtinxit editio Merulæ & Sarr.

42. CAVSIAM]*Cauſia*, pileus latas oras ac margines habens ad prohibendum Solis æſtum: à καίω, *incendo, uro.* Val. Max. lib. 5. c. 1. *Cauſeâ, quâ velatum caput ſuum more Macedonum habebat, texit.* Suidas: Καυσία, εἶδος πίλου βαρβαρικοῦ. Et notetur habitus naucleri, vide Prol. Amph.

42. FERRVGINAM]Sic enim color thalaſſicus eſt, fluctibusque marinis ſimilior: qui & *Venetus* à Vegetio lib. 4. appellatur: Vide Beroald.

42. CVLCITAM]*Tomenta* (inquit Scaliger, in Conject.) propriè ſunt ex ciliciis pilis: *borram* vulgo vocamus. is igitur tomentis aut ciliciis pilis implebant culcitas. Tamen olim, ut etiam hodie, culcitæ inferciebantur acere, & glumis ſpicarum. Et quicquid tomento inculcabant, vocabant *culcitam*: unde ei nomen. itaque *centunculum*, quod Dioſc. πίλημα vocat, i. *pulvillum*, culcitam appellat hic Plautus. Meurſius, Jubet, inquit, ut oculi vitium ſimulet: nam id genus hominum laneum paniculam oculis prætendebat. qui mos etiam hodie obtinet: dicebanturq; *Lanoculi*. Feſtus: *Lanoculus qui lanâ tegit oculi vitium.*

44. EXAFFILATO]Hoc ergô ut verum, aut verò ſimilius, interea teneamus. Editiones omnes leg. *expapillato*. i. *exſerto brachio: quod cum ſit, papilla nudatur*: ut Feſtus exponit. vel, ut Nonius; *quaſi usque ad papillam renudato.* qui & hunc locum citat. At Meurſius, Quomodo, inquit, exſerto brachio papillæ nudantur? meræ nugæ. Deinde, etſi hoc fiat, quæ ratio eſt, ut propterea brachium *expapillatum* debeat dici? Puto corrigendum, *exſipulato brachio*: pro, *exfibulato*, &c. In Feſti Schedis legitur etiam *eſſafilatum*. unde apparet, jam tum variè hunc locum conceptum in Plautinis exemplaribus fuiſſe. Inde ſuſpicio eſſe poteſt, *eſſifulato* quoque non ineptè ſcriptum iri. nam *fifula* & *fifulare* veteres pro *fibula* & *fibulare* dicebant: ut *ſifilare* pro *ſibilare* &c. Etiam Grut. nunc olim docuit in MSS. Cam legi, *exfafillato*: & B explicandum illo Feſti: *Eſſafilatum eſt exertum, quòd ſcilicet omnes exerto brachio ſint exfilati, i. extra veſtimentum filo contextum.* ubi tamen Scalig. malit, *Exfilatum* vel, *exaffilatum.* Piſtoris malit, *expalliato brachio*, i. ut brachium ſit extra pallium, quod & in mentem venit Marcilio Notis ad Tertull. pallium.

45. PRÆCINCTVS]ſc. *ſis*. vel refer ad v. *habeas*. Sis altè cinctus. Auffgeſchürtzt. Douza. Camer. ediderat *Præcinctus atq; aſſ.* ſed edd. vett. *Præcinctus aliquid*, quod repræſentavi id reſtabat in utroq; Palatino.

49. VI SI ITVRA JAM EST ATHENAS.]Ita Gruterus ex ambiguis MS. ſec. literis.

50. SI QVID IMPONI VELIT.] Ita & ante Camer. Aldus ac Stephanus. Pareus ex MS pr. repoſuit, *ſi quid imponunt*. at quis tunc eſt ſenſus? quis tunc verſus? quæ tunc ratio?

52. PICTVRA]fallaciæ in Militem ſtruendæ deſcriptio. L.

53. MVLTIMODIS SATIS]Excurrit hic verſus & ſyllabâ amplius trahit, quàm per legem

Pediam licet. Suspicatur J. Gul. è Nonio legi posse, *modicè sapis*. V. N. Persâ, 3, 1.

56. PRORSUM] ita MSS. & edd. vett. Alii *Prorsus*. J. Palm. l. *Prosus*. V. N. Curcul. act. 5. 2. v. 4.

57. TRIDUUM UNUM] τὸ *unum* nec edd. nec MSS. agnoscunt: sed versus caussa apposite inditum à Camerario; tanquam id periret ob cognationem quæ ei cum voce præcedente.

58. ORNATE] MSS. *orare*. forte, *ornare*.

60. CELEBRE] h. l. opponitur *deserto*. q. d. Nemo nostrum est, qui non imperium tuum studiosè exsequi properet. Pseud. act. 1. 2.

62. HILARUS] MSS. *hilarius*.

ACTUS IV. SCENA V.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

QUOD volui, ut volo, impetravi per amicitiam & gratiam à
Philocomasio. PA. quid nam tam intus fuisse te dicam diu?
PY. Nunquam ego me tam sensi amari, quàm nunc, ab illâ muliere.
PA. Quid jam? PY. ut multa verba fecit! ut lenta materies fuit!
Verùm postremò impetravi ut volui; donavique ei
Quæ voluit, quæ postulavit: te quoque ei dono dedi.
PA. Etiam me? quomodo ego vivam sine te? PY. age, es animo bono,
Idem ego te liberabo. nam si posset ullo modo
Impetrari ut abiret, ne te abduceret, operam dedi:
Verùm oppressit. PA. deos sperabo, téque postremò tamen.
Etsi istuc mihi acerbum'st, quia hero te carendum est optimo,
Saltem id volupe est, cùm ex virtute formæ evenit tibi
Meâ operâ super hanc vicinam, quam ego nunc concilio tibi.
PY. Quid opu'st verbis? libertatem tibi ego & divitias dabo,
Si impetras. PA. reddam impetratum. PY. at gestio. PA. at modicè decet
Moderare animo: ne sis cupidus. sed eccam ipsam, egreditur foras.

UT LENTA MATERIES FUIT!] Sic Cic. *Teucris illa lentum negotium*, item, *lenta umbra*, apud Prop. lib. 3. quia sequaces. ita *lentum vimen, cera lenta*. Virg. 1. Ecl.

——*tu Tityre lentus in umbrâ*.

Vide & Muret. Var. l. 3. 18. ubi multis docet, quid *lentum* sit: atque inter cætera etiam, *lentum solvere*, apud Lucill. accipit de eo, qui facilè solvit, bonúmque nomen est. quòd *lenta* quæ sunt, facilè sequantur, quò velis.

9. IMPETRARI UT ABIRET, NE TE ABD.] Ita egregiè Camerarius, secutus MSS. suorum vestigia. nam pr. *Impetraret ut haberet ne te abd.* At Pareus, qui, ut musca, ulcerosis potiùs assidet quàm sanis, neglectâ lectione illâ, edidit, primò; *Impetrari ne te abduceret*, omissis inter mediis quæ comparent in Lamb. Dous. Taub. &c. at editione secundâ, ut Narcissi modo sese in prioris editionis fonte contemplatur, idque ab aliis omnibus fieri arbitratur animadvertit nævum aliquem in se: quare edidit: *Impetrare, ut abiret; nec te abduceret*. Prorsus male. & tamen vociferare: Ita è V. C. hunc locum restituo. túne ut quidquam restituas? citius cælum ruat. nam primùm in V. C. non est illud tuum *impetrare*; verùm *impetraret*; quod ipsi ferè est loco *ei*. ergo rescribendum tibi antiquario fuerat *impetrarei* seu nostrum *impetrari*. Deinde codex idem non habet, *nec te*, sed *ne te*; quod. & con-

& constructio planè requirit. en testitutionem Pareanam! Hyadum mores qui sequitur criticæ ineptissimus est.

10. OPPRESSIT] pervicit, ut te secum abduceret.

10. DEOS SP. TEQVE POST.] Acid. *deos spembo teque. postremò, tamen Etsi ist.* Cist. 2: 3. *deos teque spero.*

10. TAMENETSI] Ita legendum. Sic in Persâ act. 3. 1. *Tamenetsi id futurum non est.* Rud. act. 5. 1. *Tamenetsi non hoc, aliud fabulemur.* Trin. 3. 2. *Datur ignis, tamenetsi ab inimicis petas.* Elegans verbum: quod & Ciceronem, & Cæsarem, & Lucanum, & Senecam aliosque sæpiusculè usurpasse, probant multis Cujacius, & Muretus Var. Lect. lib. XI. cap. XVII. Cic. in Verr. *tamenetsi animo æquo provincia tulisset* &c. Id. lib. 5. ad Attic. *Nos tamenetsi hoc te ex aliis audire malo.* Id. 12. ad Attic. *Et tamenetsi continuò congressuri sumus* &c. lib. 4. epist. fam. ult. lib. 5. ad Attic. 17. De Petitione Consul. *Quæ tamenetsi ita scripta sunt* &c. Id. ad Plancum: *Sed tamenetsi antea scripsi* &c. ita Ter. And. *Tamenetsi hoc verum est.* Cæsar; de B. Gall. lib. 7. *Quæ tamenetsi Cæsar intelligebat: tamen* &c. Eod. libro: *Ac tamenetsi dextris humeris exsertis animadvertebantur.* Lucanus ad Pison.

——tamenetsi bella quierunt:
Non periit Virtus.

Seneca lib. 5. de Benef. &c. Ulpianus JC. lib. 12. *Interdum tamenetsi scientia noceat: tamen restitutio facienda erit.* Charisius: *Tamenetsi nulla regula possit esse certior.* Immò & *Salvianus*, Gallicæ gentis Episcoporum magister, qui floruit circa ANNUM Domini CCCC. LXXX. hâc voce ita usus est, lib. 3. Contra Avaritiam: ut docuit opt. & doctiss. Rittershusius. Vide etiam Mureti Varia, & Comment. P. Manut. ad Epist. fam. Cic. lib. 4. 15. item Aus. Popmæ De usu Antiq. Locut. lib. 1. cap. 6.

12. SALTIM ID VOLUPE EST,] ita MS. sec. & edd. vett. quod valdè probum Grutero. at MS. pr. *Saltim voluptas est.* unde edd. jam annos ferè per quinquaginta, *saltem mihi voluptas est.*

ACTUS IV. SCENA VI.

MILPHIDIPPA, ACROTELEUTIUM, PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

HERA, eccum præsto Militem. AC. ubi est? MI. ad lævam videto.
Aspicito limis oculis, ne ille nos se videre sentiat.
AC. Video. edepol nunc nos tempus est malas pejores fieri.
MI. Tuum est principium. AC. obsecro, tute ipsum convenisti?
Ne parce voci, ut audiat. MI. cum ipso pol sum secuta
Placidè ipsa, dum libitum est mihi, otiosè, meo arbitratu, ut volui.
PY. Audin' quæ loquitur? PA. audio. quàm læta est, quia adit ad te!
AC. O fortunata mulier! PY. ut amari videor! PA. dignus es.
AC. Permirum ecastor prædicas, te adisse atque exorasse.
Per epistolam, aut per nuncium, quasi regem, adiri eum ajunt.
MI. Namque edepol vix fuit copia adeundi atque impetrandi.
PA. Ut tu inclitus apud mulieres! PY. patiar, quando ita Venus vult.
AC. Ueneri pol habeo gratiam, eandémque & oro & quæso,
Ut ejus mihi sit copia quem amo, quémque expetesso,
Benignusque erga me ut siet, quod cupiam ne gravetur.

 MI. Spero

MI. Spero ita futurum, quanquam illum multæ sibi expetessunt,
Illa illas spernit segregatque ab se omnes, extra te unam.
AC. Ergo iste metus me macerat, quòd ille fastidiosus est,
Ne oculi ejus sententiam mutent, ubi viderit me.
Atque ejus elegantia meam extemplò speciem spernat.
MI. Non faciet, bonum animum habe. PY. ut ipsa se contemnit!
AC. Metuo, ne prædicatio tua nunc meam formam exsuperet.
MI. Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior sis.
AC. Si pol me nolet ducere uxorem, genua amplectar,
Atque obsecrabo: alio modo si non quibo impetrare,
Consciscam letum. vivere sine illo scio me non posse.
PY. Prohibendam mortem video mulieri. adibon? PA. minimè.
Nam tu te vilem feceris, si te ultrò largiere.
Sine ultrò veniat, quæritet, desideret, exspectet.
Summovere istam vis gloriam quam habes? cave sis, faxis.
Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus,
Tibi & Phaoni Lesbio, tam miserè ut amarentur.
AC. Eo intrò. abi tu: illum evocato foras, mea Milphidippa.
MI. Imò opperiamur, dum exeat aliquis. AC. durare nequeo,
Quin eam intrò. MI. occlusæ sunt fores. AC. effringam. MI. sana non es.
AC. Si amavit unquam, aut si parem sapientiam hic habet ac formam,
Per amorem si quid fecero, clementi animo ignoscet.
PA. Ut, quæso, amore perdita est hæc misera! PY. mutuum fit.
PA. Tace, ne audiat. MI. quid astitisti obstupida? cur non pultas?
AC. Quia non est intus, quem ego volo. PA. qui scis? AC. scio edepol, scio.
Nam odore nasum sentiat, si intus siet. PY. ariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eam ut divinaret.
AC. Nescio, ubi hic propè adest, quem expeto videre: olet profectò.
PY. Naso pol jam hæc quidem videt plus, quàm oculis. PA. cæca amore est.
AC. Tene me obsecro. MI. cur? AC. ne cadam. MI. quid ita? AC. quia astare
Nequeo, ita animus per oculos meos desit. MI. Militem pol
Tu aspexisti! AC. ita. MI. non video. ubi est? AC. videres pol, si amares.
MI. Non edepol tu illum magis amas, quàm egomet, si per te liceat.
PA. Omnes profectò mulieres te amant, ut quæque aspexit.
PY. Nescio, tun' ex me hoc audieris, an non: nepos sum Veneris.
AC. Mea Milphidippa, adi, obsecro & congredere. PY. ut me veretur!
PA. Illa ad nos pergit. MI. vos volo. PY. & nos te. MI. ut jussisti,
Heram meam eduxi foras. PY. video. MI. jube ergo adire.
PY. Induxi animum ne oderim, item ut alias, quando hoc orasti.
MI. Verbum hercle facere non potis, si accesserit prope ad te.
Dum te obtuetur, interim linguam oculi præciderunt.

PY. Levandum morbum mulieri video. MI. viden' ut tremit atque ex-
Timuit, postquam te aspexit? PY. viri quoque armati idem istuc faciunt:
Ne tu mirêre plus mulierem. sed quid vult memet agere?
MI. Ad sed eas: tecum vivere vult atque ætatem exigere.
PY. Egon ad illam eam, quæ nupta sit? vir ejus est metuendus.
MI. Quin tuâ caussâ exegit virum à se. PY. quid? quî id facere potuit?
MI. Quia ædes dotales hujus sunt. PY. itáne? MI. ita pol. PY. jube eam do-
Jam ego illic ero. MI. vide ne sis in exspectatione; (mum ire.
Ne illam animi excrucies. PY. non ero profecto. abite. MI. abimus.
PY. Sed quid ego video? PA. quid vides? PY. nescio quis eccum incedit
Ornatu quidem thalassico. PA. jam nos volt hic profectò:
Nauclerus est hic quidem. PY. videlicet arcessit hanc hinc. PA. credo.

VERSUS h. Sc. sunt septenarii Hipponactei.

V. 3. TEMPUS EST] Parcus, dum contra MSS. & Edd. omnes rescribit, *tempu'st*, versum miserè mutilat. adeo nec aure, nec digitis numeros callet. id heic semel seriò libuit monere. centies enim minimum heic peccavit toto opere.

5. SECUTA &c.] Ancilla pulcrè os sublectans Militi, audiente illo, ut magnum beneficium prædicat, quòd hominis tam pulcri conveniendi copia fuerit. Ita Lipsius, qui *locuta* legit, Antiq. lib. 1. cap. 13. *Secuta* autem omnes vett. ed. itemque MSS. Pall. quomodo ipse etiam edidit Camerarius: & temerè interpolatum à doctis viris queritur Meursius: cùm sit probissimum. Nam, *seco*, inquit, & *sequor*, antiqui pro *dicere* usurpabant. hinc *sequester* & *insequo*. Livius Andronic.

Inseque Musa virum versutum.

Ovid. 13. Met.

——Refer, ô carissima, dixit:
Neve tui caussam tege, sum tibi fida, doloris.
Nereis his contra resecuta Crateide natam est.

Dixit *resequi*, ut Sabini *reloqui*. De quo in Amphitr. Sed & Palmer. ac Gruterus *secuta*, diu antè probarunt, & exemplis firmarunt, *sequi cum aliquo, esse sermonem cadere*. videantur illius Spicileg. fol. 63. hujus Suspp. libri. Sed & quæ de hac sermonis forma ab aliis disputata sunt, castigat Becmanus in Origg. qui consulatur.

6. VT VOLVI] Resipiunt istæc Grutero glossam: certe sunt supra numerum quem requirit Trochæus.

A 8. ACR. ô FORTVNATA] Verba sunt Acrot. quæ ancillam beatam prædicat, quòd cum Milite sermonem miscuerit. Totum autem exordium, quod languidum erat & exanimum, ita ut repræsentavimus, erexit & animavit *Acid.* Agat Roscius aliquis: scio placebit. & jam Pistori mirè placuit.

10. QVASI REGEM] *Regem* hîc dicit Plautus κατ' ἐξοχὴν Regem Persarum, quem per epistolam aut per nuntium adibant: ut vulgò notum. In hoc autem ἑλληνίζει. nam Græci βασιλέα ἁπλῶς τὸν Πέρσην appellabant. Sed & Μέγας βασιλεὺς dicebatur. Et eodem modo explicandum apud Ter. Phorm. act. 1. sc. 2. —— *oh, regem me esse oportuit.* (V. N. suprà act. 1.) Scio tamen *Reges* dictos πλουσίους καὶ εὐδαίμονας. Sed hîc nullum locum habebunt. Vide B. Brissonium, De
B regno Persarum lib. 1. & Des. Heraldum Advers. lib. 2.

13. EANDEMQ. ET ORO] ita Gruterus è vestigiis MSS. Probant Meurs. & Acid.

20. ELEGANTIA] Ita MS. sec. & editiones omnes, præter Pareanam, in qua *flagrantia*: quia scilicet ita esset in MS. pr. en! cui credidimus editionem Plauti. præcipuè cùm omninò insaniat in hac sua interpretatione: id est, desiderium ejus me videndi, quo huc usque flagravit. Nam de eo nihil omnino dictum; & repugnat ex diametro Comici argumento. Imaginem morum norit oportet candidatus critices, quam Ludimagister iste ne per somnum quidem vidit, nedum ut agnoscat.

21. VT IPSA SE CONTEMNIT] J. Isacius Pontanus hæc ita disponit:

PYR. ut ipsa se contemnit!
Metuo &c.
MILPH. Illuc cur.

Quæ curiosè pertractat lib. 2. Analect. c. 7.

24. NOLET DVC. VXOR.] ita Grut. è MS. sec. restituit, pro vulg. illo *volet:* & seq. versus, *alio modo.* alioquin absurda fuerint. nam cur Militem supplicuè rogare vult, si ultrò volet illam sibi uxorem ducere? Itáque ait; vel genua ipsi amplectar, vel alio modo illum rogabo dum impetro. haud tamen præfractè damnat, *aliquo.* quod & in edd. primis.

26. CONSCISCAM LETHVM.] Hoc ipso summam præ se fert amoris vehementiam. Eodemq; mimo feminæ heredipetæ, à Simone neglectæ, minantur sibi se illaturas necem, ut refert Lucianus in Somnio.

27. VIDEO. ADIBON'?] ita Gruterus è MSS. suis.

30. SVMMOVERE] ita MS. sec. At Acid. malit, *Nisi imminuere ist. vis gl. q. habes, cave faxis.*

32. PHAONI L.] quem perditè amavit Sappho: & ob cujus in Siciliâ tum peregrinantis amorem, ex Leucate Epiri promontorio in mare præcipitem sese mactavit. Cujus Epistolam molliss. legere est apud Ovid. numero XXI. Operæ pretium quoque maximum fuerit, legere, quæ Scaliger annotavit in Auson. lib. 2. cap. 18. de hoc *Leucate,* & cur Sappho *mascula* sit dicta.

33. EVOCATO F.] Gruterus testatur, MSS. habere, *an tu illuc evocatum,* unum etiam *evocatus.* itaque suspicari, fuisse, *ab! tu illunc evoca. dum foras &c.* Acid. *Eho, intrò abi tu.* Nec enim ipsa it, sed ire ancillam jubet. quà recusante, eundum sibi ait esse. Pareus heic simiola est ridicula, dum sequitur Taubmannianæ editionis vitia, textuiq; impudenter inserit.

36. SI AMAVIT VNQVAM] Pareus, dum omnia undique venatur ad ornamentum editionis primæ, ex Aldina rapuit, *simula inquam,* neque attendit tamen eis quæ ibidem sequerentur, *AC. parem sapientiam &c.* itaq; illud *simula inquam* appendicem fecit versus præcedentis. valde ridiculè: præsertim cùm statim adjecerit post, *Si amavit unquam.* sed nec in secunda editione oculatior fuit, nisi quod *simula inquam,* alio literarum expresserit genere; tanquam quod non extaret in MSS. versui tamen videretur necessarium. at nihil minus, quàm versum juvat: eum permerdat potius. Atq; ut etiam constet Lectori de supina hujus nostri censoris negligentia; sciat licet, loco illius nostri *Si amavit unquam,* extare in primis edd: *simulavit unquam.* inde Aldi officina alterum illud efformavit: Pareus verò utrumque, pro fatuitate sua, editionibus suis intulit. Sic litatur Deo quidem Agonio, sed non Fidei, non Veritati.

40. SCIO EDEPOL, SCIO] ita MS. pr. Cam. at sec. *scio ed. facio.* quod, auctore Grutero, in *facil.* mutari possit.

41. NAM ODORE NASVM S.] ita MSS. *Sagax nasum,* Curcul. 1. 2.

43. OLET PROFECTO] Palmerius conjiciebat, *hu! hu! olet prof.* sed versus id respuit, neque est in ullis libris nisi Pareanis, & similis farinæ latrinis. Olfactûs enim seu vestigationis atque indagationis nota *hu,* vel, *hy,* erat. Id probat Aristoph. maximè Pluto extremo: ubi, in simili, hàc notâ sæpe iteratâ utitur. Non enim solùm imperium silentii (*st*) scribebant: sed & *olfactandi,* & *videndi,* & *lugendi* notas. Hæc ille. Agnoscit & Douza hanc Interject. Centur. lib. & cap. 1.

44. CÆCA AMORE EST.] ita Gruterus conjecit: qui monet extare in uno MS. *cacare est;* in altero, *ceca ore est.*

50. NEPOS SVM VENERIS] Hæc enim formosos & fortunatos atque adeo venustos facit amatores. Vide infrà act. 5. Acidal. ait in vet. quâdam edit. vidisse, *ut mei veretur?* nec dubitat veteres ita locutos. Apulejus. l. 2. Metamorph. *Quin etiam ipse parentem tuam accedis & salutas? vereor ignota mihi famina.*

51. ME VERETVR] ita MSS. & omn. edd. nullus, *mei ver.* quod rapuit in primam suam ed. Pareus.

55. NON POTIS] sub. *erit.* i. non poterit. Pistoris l. *pote st.* D. F. *poterit.* Silentium unum est ex amoris indiciis. Sic Hor. Epod. 11.

In quis amantem & languor (i. pallor) *& silentium*
Arguit, & latere petitus imo spiritus.

56. LIN-

56. LINGUAM OCULI PRÆCIDERUNT.] ita Lipsius Antiq. L.1. c. 13. *Dum te obtuetur, interim linguam oculi præciderunt.* eleganter. Nam in amore, cum oculi cupidè, quod amant, intuentur; non solùm mens, sed etiam lingua obmutescit: ita fit, ut quasi præcipi & præcidi verba ab adspectû videantur. Et notat Grut. in MS. sec. & edd. vett. etiam ita legi. Aristoph. in Pluto: ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι τούτῳ τέμνεται. Vulgo: *lingua atque oculi perierunt.*

58. PT. VIRI Q. ARMATI] Hunc locum miserè adfectum J. Gulielmius ita sanavit, *Plautinarum Quæstion. Capite 4.* persanavit Valent. Acidalius, *cap. 12.* ut quidem ille sanari aut persanari sine ope meliorum & veterum Codicum potuit. Hâc fiducia ego in textum etiam recepi. Nec tu consilium meum, quod te quæso, Lector, in ordinem coge, priusquam utriusque argumenta, quæ splendida habere & fortia mihi visi sunt, domi & apud ipsos videris, & ad obrussam Veri examinaveris.

58. IDEM ISTUC] Palm. mavult, *Viri q. armati diem istuc faciunt. Diem,* adverbium, pro, jamdiu, jamdudum. Glossarium tamen veteris Cod. Terentiani, *Diem* interpretatur breve tempus: ut *Ætatem*, tempus longum. Eadem quoq; antea in sententia fuit Georg. Fabricius Castigationibus in Terentii Eunuchum act. 4. sc. 7.

60. AD SED EAS.] ita MS. pr. interposito *d* numeris fulciendis. MS. sec. *ad se ut eas.* quomodo & edd. vett. neq; improbem.

61. VIR EIUS EST METUENDUS] ita quidem MS. pr. sed non etiam secundus, ut falsò affirmat Pareus: is enim, *Virum ejus metuere bendast.* & verò edd. vett. *Virum ejus metuere æquum est.* quod habuerim pro magis genuino, quàm alterum.

63. IUBE EAM D.] Sic proximè MSS. quorum hic, *jubeam domum ire*; ille, *jubeam.*

64. IAM EGO ILLIC ERO. MI. VIDE NE SIS IN EXPECTATIONE.] Ita Cam. non longè à MSS. nam pr. *Itam ego illi mero. MI. Vide ne sis expectatione.* sec. *ita ego illi ero. MI. Vide ne sis inspectatione.* Pareus ex istis fecit *Iam ego illim ero. MI. Vide ne sis exspectationi.* At quomodo hæc scriptura explicabit pedes versûs? præterea cur non potius sequitur MS. sec. in quo *illi*, cùm ferè semper præeat bonitate suâ primum; atq; æquè *illi* notet *illic*, quàm *illim*. Et verò dispiciat mihi Criticus junior illud *inspectatione.* nam sic quoq; edd. antiquæ, in quibus etiam; *Ita ego illic ero.*

67. ORNATU THALASSICO] i. marino. supra sc. 4. dixit, *orn. nauclerico.*

68. PT. VIDEL. AC. H. HINC. PA. CREDO] ita Acid. melius certè ad Scenam. Et alternari sermonem verba ipsa quoq; suadent, *videlicet*, &, *credo*: quæ inelegantiùs conjunguntur. Pareus, ut heic etiam se notabilem faceret, edidit: *videlicet accersit hanc. PA. it jam hinc, credo.* Istamq; lectionem ait se formasse ex vestigiis MSS. ubi, *accersit hac itam hic credo.* At scire vellem, quid sibi velit illa neoterica emendatio: & qua ratione *itam* versu 64. fuerit ipsi *jam*, heic verò signet *it jam*. Edd. vett. præferunt; *accitam hinc credo.*

ACTUS IV. SCENA VII.

PLEUSIDES, PALÆSTRIO, PYRGOPOLINICES.

ALIUM alio pacto propter amorem ni sciam
Fecisse multa nequiter, verear magis
Me amoris caussâ hoc ornatu incedere.
Verùm cùm multos multa admîsse acceperim
Inhonesta, propter amorem, atque aliena à bonis:
Mitto jam, ut occidi Achilles civis passus est.
Sed eccum Palæstrionem, stat cum Milite:
Oratio alio mihi demutanda est mea.
MULIER profectò nata est ex ipsâ morâ.

Nam

„ *Nam quævis alia, quæ mora est æquè, mora*
„ *Minor ea videtur, quàm quæ propter mulierem est.*
Hoc adeò fieri credo consuetudine.
Nam ego hanc arcesso Philocomasium. sed fores
Pultabo. heus! ecquis hic est? PA. adolescens, quid est?
Quid tu ais? quid pultas? PL. Philocomasium quærito,
A matre illius venio: si itura est, eat:
Omnes moratur: navim cupimus solvere.
PY. Iamdudum res parata est. heus! Palæstrio,
Aurum, ornamenta, vestem, pretiosum omne ut ferat!
Duc adjutores tecum ad navim, qui ferant.
Omnia composita sunt, quæ donavi, ut ferat.
PA. Eo. PL. quæso hercle propera. PY. non morabitur.
Quid istuc, quæso? quid oculo factum est tuo?
PL. Habeo equidem hercle oculum. PY. at lævum dico. PL. eloquar.
Moris caussâ hercle istoc ego oculo utor minus.
Nam si abstinuissem amare, tanquam hoc uterer.
Sed nimis morantur me diu. PY. eccos, exeunt.

VERSUS sunt Sen. jambici.

V. 1. ALIUM] Ita Grut. è vestigiis MSS. & Edd. vett. certè vulgatum illud Si, in nullo Libro apparet. idem mox versû sexto vulgatam lectionem, ut ineptissimam, sic è MS. reformat:
Mitto jam, ut occidi Achilles cibis passus est.
Objicit enim Achilli, quòd desidens apud naves Græcorum perniciem non averterit. *Cibis*, est *cibeis*. prius legebamus, *ut occidit Achilles, quid passus est.* vel cum vetustioribus, *ut occidit Acchilles, quibis passus est.* Pareus utraque editione ridiculam præfert distinctionem: *Mitto jam, ut occidi. Achilles cibis passus est.* estque monstri simile, non admisisse illud MSS. *Achillis.* vel ob saporem antiquitatis, qui quo rancidior, hoc ei magis est ad gustum.

3. ME AMORIS C.] Malè quidam, *Mei.* Nam τὸ *me* Plautinissimè abundat. ita Merc. *Certum est hinc exulatum tre me,*

5. INHONESTA] ita J. Guliel. & Acidal. probant Pii & vulgg. editiones, quæ leg. *Inhonesta p. am. a. aliena à b.* Et indecorè Pleusides de inhonesto amore meminerit. Absolutæ autem sententiæ suæ cùm exempla vellet subjungere, videt Militem cum Palæstrione: ideóque orationem aliò commutat.

A 10. QUÆ MORA EST ÆQUE MORA] Hîc medio versû, inquit Palm. *môra* longa priore, idem, quod *stulta*, est. Vide Spicil. ejusdem fol. 220. ad illud Terentii,
Dum moliuntur, dum comantur, annus est.
& Proverbium ibi: *Moræ mulierum.* Quæ nos majorem partem retulimus Truc. act. 3:1. Vide & Not. suprà act. 2:4.

19. PRETIOSUM OMNE UT F.] ita MSS. & edd. vett. Pareus semper impingit. in notis habet istud nostrum; at editio ultima præfert, *preciosam omne.*

21. QUÆ DONAVI, UT FERAT] ita Grut. sec. MS. consensu, & edd. vett. quod secutus est Pareus in prima ed. at in secunda extat B *auferat*, quia ita MS. prior, & pejor: cùm tamen Notæ ejus innuant alterum. adeo semper est quod in eo carpamus, dum carpit alios.

23. QUID ISTUC QUÆSO] Si operæ putas, adeas Lambini comment. Ego quidem quid velit, non pervideo.

25. MORIS] ita MSS. ambo & edd. proximæ à vetustissimis. nam veterrimæ, & *maris* habent, & statim *à mari.* Vide v. seq.

26. NAM SI ABSTINUISS. AM.] Jocus, inquit Muretus libr. 3: 17. elegantissimus & Plauti-

Plautino dignissimus ingenio. Nam cum Pleusides oculum sibi lævum, ne agnosceretur, obligasset: interrogatus à Milite, cur id faceret, urbanissimè respondet, se id maris caussâ facere. nam, inquit, si à mare abstinuissem, eo æquè atque altero uterer. ludit autem Militem ambiguitate vocabuli. cum enim dicere videatur duabus vocibus, Si *à mare* abstinuissem; non id dicit; sed si *amare* abstinuissem. revera enim amor ipsi in caussâ fuerat, ut eo oculo minùs uteretur: aut saltem ita fingeret. *Mare* autem sexto casu usitatum. Ovidius:

——*Libyco de mare carpat aquam.*

Idem lib.3.Trist.2.

Exiguum pleno de mare carpat aquæ.

Et l.4. de Ponto,6. ——*Euxino de mare vertet iter.* Probant hanc explicationem Lamb. & Douza. forsan etiam Passeratius ad Catulli Epigramma 4. Verùm Palm. Ut quæq; (inquit) dicuntur, scribenda sunt; non, ut audiuntur. Nam hoc quidem modo *omnia verba ambigua sunt*; quomodo Chrysippus dicebat. Ita hîc *amare* scribendum; non *à mare*, A tametsi hoc intellexerit Miles. quod commentum cur sibi Vir quidam doctus adscriberet, caussæ non erat: de quo Ugoletus cum Sarraceno & Baptistâ Pio contenderat. Mecum faciunt v. codd. qui repræsentant, *amore*, (ita & MSS.Cam.) & priore versû, *moris*, pro, *amoris*. Nam *a* in *amoris* usq; eo tenuiter & exiliter sonabat histrio, ut *moris* fieret: atque id deinde pronunciatione temperabatur ac dissimulabatur, ne aliud audienti quàm *maris* videretur. quomodo Pseudolo, B Menæch. Pœnulo. Truc. alibi, ita vocum affinitate ludit, &c. vide fol. 96. Spicileg. Post hæc, ecce, Pareus exoritur, & tanquam Hercules inter Pygmeos sic paratragœdiatur: Ita è cubilibus MSS. lib. hunc locum legendum censeo: *Nam si abstinuissem Amore, tanquam.* Miror verò aliorum oscitantiam, qui tam segniter expresserunt chirographorum lectionem: nempe quia alienis usi sunt oculis. At nos miramur, animi tui mentisque fatuitatem, miramur oris frontisque duritatem; qui alios docere vis quæ antè sæculum jam noverunt.

ACTUS IV. SCENA VIII.

PALÆSTRIO, PHILOCOMASIUM, PLEUSIDES, PYRGOPOLINICES.

QUID modi flendo, quæso, hodie facies? PH. quid ego ni fleam?
Ubi pulcerrimè egi ætatem, inde abeo. PA. viden' hominem tibi,
Qui à matre & sorore venit? PH. video. PY. audistin', Palæstrio?
PA. Quid vis? PY. quin tu intus jubes efferri omnia, quæ isti dedi?
PL. Philocomasium, salve. PH. & tu salve. PL. materque & soror
Tibi salutem me jusserunt dicere. PH. salvæ sient.
PL. Orant te ut eas, ventus operam dum dat, ut velum explicent.
Nam matri oculi si valerent, mecum venisset simul.
PH. Ibo, quanquam invita facio omnia: pietas sic cohibet. PL. sapis.
PY. Si non mecum ætatem egisset, hodie stulta viveret.
PH. Istuc crucior, à viro me tali abalienarier.
Nam tu quamvis potis es facere uti fluat facetijs:
Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior:
Eam nobilitatem amittendam video. PY. nimium hæc flet. PH. nequeo,
Cùm te video. PA. habe bonum animum! scio ego, & quid doleat mihi.
Nam nihil miror, si libenter, Philocomasium, hîc eras.

Forma hujus, mores, virtus, animum attinuêre hic tuum.
Quin ego servus, quando aspicio hunc, fleo, quia dijungimur.
PH. Obsecro licet complecti, priusquam proficisco? PY. licet.
PH. O mei oculi, ô mi anime. PA. obsecro tene mulierem:
Ne affligatur. PY. quid istuc? PA. postquam abs te abit, animo malè
Factum est huic repente miseræ. PY. accurrite intrò, atque afferte aquam.
PA. Nihil aquam moror. PY. cur? PA. málo merum. *ne* ipse *interveneris,*
Quæso, dum resipiscit. PY. capita inter se nimis nexa hicé habent.
Non placet: labra labellis ferruminant. PL. acre malum!
Tentabam, spiraret an non. PY. aurem admotam oportuit.
PL. Sin' magis vis, ambos mittam. PY. nolo: retineat. PA. fleo miser.
PY. Exite, atque efferte huc intus omnia, isti quæ dedi.
PA. Etiam nunc saluto te, Familiaris, priusquam eo,
Conservi conservæque omnes bene-valete & vivite.
Bene, quæso, inter vos dicatis & mihi absenti tamen.
PY. Age Palæstrio, bono animo es. PA. eheu! nequeo quin fleam,
Quoniam abs te abeam. PY. fer æquo animo. PA. scio ego, quid doleat mihi.
PH. Sed quid hoc? quæ res? quid video? lux salve.
PL. Iam resipisti? PH. obsecro, quem amplexa sum
Hominem? perij, sumné ego apud me? PL. ne time, voluptas mea.
PY. Quid istuc est negotij? PA. animus hanc modò hic reliquerat.
Metuoque & timeo, ne hoc tandem propalàm fiat nimis.
PY. Quid id est? PA. nos nunc secundum ferre per urbem hæc omnia,
Ne quis tibi hoc vitio vortat. PY. mea, non illorùm dedi.
Parvi ego illos facio: agite; ite cum dijs benevolentibus.
PA. Tuâ ego hoc caussâ dico. PY. credo. PA. jam vale. PY. & tu bene vale.
PA. Ite citò: jam ego assequar vos: cum hero pauca etiam *loquar.*
Quanquam alios fideliores semper habuisti tibi
Quàm me, tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium:
Et si ita sententia esset, tibi servire mavelim
Multò, quàm alij libertus esse. PY. habe bonum animum. PA. hau mihi,
Cùm venit mihi in mentem, ut mores mutandi sient;
Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.
PY. fac sis frugi. PA. jam non possum, amisi omnem lubidinem.
PY. I sequere illos, ne morêre. PA. bene vale. PY. & tu bene vale.
PA. Quæso, ut memineris, si fortè liber fieri occeperim,
Mittam nuncium ad te, ne me deseras. PY. non est meum.
PA. Cogitato identidem, tibi quàm fidelis fuerim.
Si id facies, tum demum scibis, tibi qui bonus sit, qui malus.
PY. Scio & perspexi sæpe: verùm cùm antehàc, tum hodie maximè.
PA. Scies: imò hodie verum factum faxo pòst dices magis.
PY. Vix reprimor, quin te manere jubeam. PA. cave istuc feceris.

Dicent

Dicent te mendacem, nec verum esse, fide nullâ esse te.
Dicant servorum præter me esse fidelem neminem.
Nam si honestè censeam te facere posse, suadeam:
Verùm non potest: cave faxis. PY. abi, jam patiar quicquid est.
PA. Bene vale igitur. PY. ire melius est strenuè. PA. etiam nunc vale.
PY. Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servum pessimum,
Eum fidelem mihi esse invenio. cùm egomet mecum cogito,
Stultè feci, qui hunc amisi. ibo hinc intrò nunc jam
Ad amores meos. & sensi, hinc sonitum fecerunt fores.

VERSUS sunt tetram. catal. trochaici. V. 1. QUÆSO, HODIE FACIES?] Parei prior editio versui lumbos frangit, dum illud *hodie* omisit, contra MSS. & Edd. omnes. quæ petulantia!

2. QUIN TU INTUS JUBES] Ita MS. pr. nam sec. deceptus affinitate literarum quæ ei erat voci cum illis *quin tu*, omisit; quem tamen utraq; sua editione perperam sequitur Pareus: cùm debuisset obedire Camerario verbum id recipienti ex codice primo.

9. PIETAS SIC COHIBET] Nimis temerè mutavit Lambinus in *cogit*. Rectissimè editio Cam. & edd. vett. *cohibet:* Meursius. At MSS. Cam. mirè variant: nec sine causâ suspicatur Gruterus aliud quid adhuc latére ulceris. Acidalio etiam probatur *cohibet*, aut certè *sicce jubet*. Pareus in his tenebris planè agit Luciferum quavis nocte obscuriorem. edidit enim, *facio omnia. Pietas sit! PL. Ebo! sanè sapis.* neq; id satis, sic præterea declamat: Provoco, inquit, ad Legitimum Senatum Criticum; num aptius quid debuisset Poeta scribere. Nihil quippe à MSS. antiquiss. Pall. est discessum: ubi V.C. *omni pietas scio. PL. chant sapis.* Dec. *omni pietassit eo chant sapis.* Utrum alii propius mentem Comici assecuti sint, ex arbitrio suo, omni MSS. auctoritate sequestrata, judicent mihi Musarum intemerati Mystæ &c. pudet enim plura describere: quæ nisi sunt ægri somnia, haberi debent deblateramenta hominis plus quam insanientis. quid enim est in ista lectione, quo capiamur? aut quod accedat ad apices membranarum? si aliquid sani potuisset ex eis erui; præstitisset id dudum Camerarius, aliiq; *Serò natus in orbe es, Intuerge!*

11. QUAMVIS] fœminam quamcunque, vel insulsissimam.

A 12. FLUAT FACETIIS] ita Ter. *Diffluere luxuriâ, & lasciviâ.* Cic. *mollitiâ & luxu fluere.* Livius Andron. *Asiatico ornatu affluere.*

13. PROPTEREA ANIMO ERAM FEROCIOR] Gruterum raritate suâ valdè capit scriptura MS. sec. *animum eram ferocior.* quanquam in pr. est *animum eram fortior.* Mercerus ad Nonium suspicatur scripsisse Plautum, *nimio enim ferocior.*

14. NEQUEO] Acidalius, Mœcha hic, inquit, est aut potiùs adultera Lambini interpretatio. Legitimus sensus talis est: Cùm ipse diceret Miles, nimis eam flere: illa hoc ait; non posse nimis se flere, ubi illum talem virum videat ultimò; & cogitet amplius non videndum.

18. QUIN EGO] ita Grut. *Quin ego servus q.* Rectissimè. MS. sec. *Quem* pr. *Cum.* ut &

B vulgati.

19. PROFICISCO] ita ambo MSS. & vett. edd. pro, *proficiscor.* quod obsoletum est & usurpari planè desitum, ut & alia nonnulla in hoc nostro, & Terentio.

20. TENE MUL.] ita Grut. è vestigiis MSS. *te mul.* at Lambinus ex v. c. *retine.* Cam. ediderat, *mitte.* Cùm enim Philocomasium se exanimatam esse simularet, & jamjam casuræ speciem præberet, Palæstrio hortatur Militem, aut Pleusid. ut eam retineat: ne ad terram gravi casu allidatur.

21. QUID ISTUC? PA. POSTQUAM] MSS. *q. istuc que post qui abs te.* ex eis emendat, ita enim loquitur Pareus, *q. istuc quæso?* idque, tanquam legitimum, intulit editioni suæ.

22. AFFERTE AQUAM] Frequentiss. Plauto, animo defectis aquulam obsipare & offundere.

23. PA. MALO MERUM. NE INTERVENERIS QUÆSO, DUM RESIPISCIT.] ita Lamb. atque etiam è Basil. cod. post Palmerius: & valdè probant Douzæ. Et quia Pleusid. & Phil. inter se osculabantur amatoriè, cùm Pleusid. simularet, se illam, quasi defectam, retinere: Palæstrio veritus, ne res palàm fiat; orat Militem, ne interveniat, donec Philocomas. ad se redeat. Grut. tamen scribit, vocis *meri* nullum extare vestigium in codd. suis: habere tantùm junctim: *Nihil aquam moror quot malone interveneris*.

24. PT. CAPITA] Hæc ita cum seq. Palmerius & Acidal. dant Pyrgopolinici.

25. LABRA LABELLIS FERRUMINANT.] ita Palmerius inhærens veteris scripturæ Basiliens. vestigiis scribit, *ferruminant*. quod & Douza & Acid. seriò amplectuntur. & vergit huc etiam ductus MSS. Eleganter, *labra labellis ferruminare*. Quid sit *ferrumen*, & *ferruminatio*, vel pueris notum est. Vet. glossæ; *Ferrumen*, σύμπομα: *ferruminat*, συμπ. Plinius solens utitur, ut lib. 16: 36. Restituit id aliquot locis Politianus. Hæc, immò plura de toto hoc loco Spicil. fol. 70. & 71. Palmer. veterrima editio: *labra labellis ferruminavit acre malum*. MS. sec. *labram ab lauellis ferinant ace malum*. pr. *labram ablauellis fer ad macellum*.

25. PH. ACRE MALUM!] ita antiqui codd. omnes: teste etiam Acid. qui tamen inde facieb. *labra labellis ferruminant artè admodum*.

26. SPIRARET, ANNON. PT. AUREM ADMOTAM OPORTUIT] Nempe ventus & spiritus æquè aure quàm ore percipiuntur. sensu valdè arguto. Atque hujus loci sanitas *Grutero Æsculapio* potissimum debetur. Etiam Nobiliss. Pistoris hìc satagit: & opinatur insigne aliquod mendum latere in hâc Scenâ, quod nō facile emendatu. Pareo tamen heic omnia proclivia. quippe in textum retulit: *Temptabam; spiraret, non non. PT. aurem admotam oportuit*. Impudenter. nam illud geminum *non*, heic ineptum est, neq; usquam visitur. nam MS. pr. *spirarent an non. aut eum ad nostam hoc oportuit*. sec. *spirarent an non aurem at nostam hoportuit*. editio prima: *Tentabam spirarent an non aura. at nos jam oportuit*. Camer: *Tentabam spiraret an non, aut eam ad nos jam oportuit*.

27. AMBOS MITTAM] Palæstr. & Philoc. hìc relinquam: loquitur enim Pleusides. quæ persona non est in editione Parei ultima: prorsus injuriè.

27. PT. NOLO: RETINEAT. PA. FLEO MISER.] Nolo, inquit Miles: & retineat Philocomasium etiam servum, quem dono semel dedi. Ita restituit è vett. Pist. & Acid. Alii etiam leg. *PL. Flet miser*. non invenustè, & parùm refert, utrum velis.

29. FAMILIARIS] scil. Lar. ita Lamb. & Douza. nec abeunt in cæteris etiam MSS. Gruterus aliquando etiam conjiciebat, versu favente,

Etiam nunc salvete, familiares, priusquam eo,
Conservi cons.

31. BENE, Q. I. V. DICATIS] *Bene dicere*, omninò valet *Bene precari*. Asinar. act. 3. sc. ult. *Ejabenedicite*. Casinâ act. 2: 5. *Benedicite. dijs sum fretus*. Aul. act. 4. sc. ult. *Bono animo es, & benedice*. Ita contrà, *Maledicere*, est imprecari. Briss. Form. lib. 1. pag. 83. At Jos. Scaliger ad Tibulli lib. 2. el. 1. ex eo ritu interpretatur, quo potantes acclamabant; *Bene me, bene te, &c.* de quo V. N. Persâ act. 5: 4.

31. MIHI ABSENTI TAMEN] Conjunctionem *tamen*, novo modo hìc positam, Douza annotat: pro eo, quod nos diceremus, *quamvis absenti*. quomodo etiam Amph. 1: 3. *Ut cum absim me ames, me tuam absentem tamen*. Cas. Prol. *Sciens ejus mater ei dat operam, absenti tamen*. Meursius probat *mi abs*. quod in v. c. est. MSS. Cam. *me*.

33. QUONIAM ABS.] Sic breviatura Pal. pr. versu non nolente. hactenus fuit, *Quòm*.

34. SED QUID HOC?] Ita edd. & Ms. pr. nam sec. *Set inquit hoc?* unde Pareus non contentus formasse, *Sed hem! quid hoc?* etiam statim retulit in contextum. At quid si potius fuit: *Sed en quid hoc?* aut *Sed enim quid hoc?* nimis certè protervum est mutare lectionem vulgatam de conjectura, nedum ut id liceat Pareo, cui nullum jus in bonos auctores.

34. LUX SALVE] Phhilocomasium, tanquam ad se rediens, & lucem diei, cujus usuram videbatur amisisse, revisens, hæc loquitur. quod solemne iis, qui ex deliquio animi sibi restituuntur.

38. PROPALAM FIAT.] Antiquitus cusi *palam*. MS. pr. *proilla fiat*. sec. *proalla fiat*.

39. QUID ID EST?] quod metuis, ne palàm fiat. L.

39. PA.

39. PA. NOS SECVNDVM FERRE] ita Cam. Et vide, ut Palæstrio verba superiora hic in aliam sent. torqueat! Lectionem Cam. maximè probat Palm. Nam, *secundum ferri*, dicuntur, quæ à servis sectatoribus feruntur: ipsiq; pueri à pedibus, *secundum ire*, Amph. act. 2. I. *I tu secundùm: sequior*. Sed nec Lambinus hanc lect. improbat; immò & explicat: etsi malit, *nos palam sic ferre nunc p.*

41. PARVI EGO] Sic omnis editio & MS. sec. at enim Pareus legendum censet *Parbid*, non sine versus ruina. audiamus rationes quibus movetur. Corruptè, inquit, V. C. *Parbos ego*. nam *i* & *d* coaluerunt. postea imperitus scriba dissolvit in *os*. quis unquam sanus ita argumentatus est?

47. HAV MIHI!] Latet insigne mendum. nam membranæ concorditer, *hacum*. tantum agnoscitur. Et verò hæc vox suspirioso cum fletu efferenda: aut aliud quid excogitandum: Grut. Editio Cam. leg. *heu mihi!* Samb. *hau mihi!*

48. CVM VENIT MIHI IN MENTEM] Sic edd. nam versus iste non est in primo. at sec. *convenit*. & verò versus adhuc desiderat pedem. an fuit, *cùm modò venit in mentem*. versu sequenti Pareus furtim ejecit vocem, usque transpositione edidit, *Discendi muliebres oblivisscendi stratiotici*. ô medicinam carnificis!

50. AMISI OMNEM LVBIDINEM] Ridiculè voluntatem aut rationem dixit *libidinem*. nam *libido* est rationis expers vuluntas: L. At Meursius, Latet, inquit, hic jocus à nemine animadversus. Miles hortabatur Palæstrionem, postquam cum scorto Philocomasio abiret, ut benè se gereret, prout deceret frugi servum. ille nequiter ludit, tanquam de Venere loqueretur, respondetque, non posse se: amisisse enim omnem libidinem. Fuit autem Romæ *Venus Frugi*, cujus templum *Frucinal* sive *Fruginal*, apud Festum &c. *Venus* verò *Frugi* ea est, quam veteres honestis amoribus præsidere credebant: quam ἀρετῖνον Græci nominabant. Si cui tamen simpliciter accipiendum videbitur, non magnópere repugnabo.

53. NE ME DESERAS] ut mihi victum & cultum præbeas. L.

53. NON EST MEVM] sc. benè meritos deserere.

57. VERVM FACTVM FAXO &c.] ita edd. vett. & ferè MSS. in quibus *eorum* D. F. *verum factis faxo pòst dicis magis. Factis*, i. reipsâ. Acidal. ita: *PA. Scis immò hodie: verùm factis faxo pòst disces*. (vel, *dices*) *magis*. Pareus ex omnibus aliquid sumit, editque; *Scies imò hodie: verum factis faxo* &c.

59. FIDE NVLLA ESSE TE] Sic omnis editio; præter Pareanam, in qua *fidelem nullum esse te*: manifesto versus detrimento. eam tamen emendationem vult debeamus MSS. ejus. ridiculè. neque enim servo suo fidelis esse potest herus, sed hero servus.

66. IBO HINC] ita Grut, è vett, edd. & MSS. Camer.

ACTUS IV. SCENA IX.

PUER, PYGOPOLINICES.

NE me moneatis! memini ego officium meum
Ego jam conveniam illunc: ubi ubi est gentium,
Investigabo: operæ non parco meæ.
PY. Me quærit illic. ibo huic puero obviam.
PV. Ehem te quæro. salve, vir lepidissime,
Cumulate commoditate: præter cæteros
Duo di quem curant. PY. qui duo? PV. Mars & Venus.
PY. Facetum puerum. PV. intrò te ut eas obsecrat.
Te volt, te quærit, téque exspectans deperit:

Amanti fer opem: quid ſtas? quin intrò is? PY.eo.
PV.Ipſus illic ſeſe jam impedivit in plagas.
Paratæ inſidiæ ſunt.in ſtatu ſtat ſenex,
Ut adoriatur mœchum, qui formâ eſt ferox.
Qui omnes ſe amare credit,quæque aſpexerit,
Mulier: eum odêre quà viri, quà mulieres.
Nunc in tumultum ibo: intus clamorem audio.

NON PARCO] Ita omn. edd. vett. & MSS. *non parco.* hinc Meurſ. *non parſo*, ἀρχαϊσμῷ, pro, *pepercero.* Omnes etiam, *inveſtigabo.* recent. edd. *parcam*, interjectâ præterea voce *ego*, ſed præter MSS. Acidalius finxit, *Inveſtigando operæ ego non parcam.* cujus particulam invaſit prior editio Parei, in qua, *Inveſtigando ego operæ non parſo meæ.* Poſſet potius fieri, *operæ non parcus meæ.*

8. INTRO TE VT EAS OBSECRAT] Parei utraque, *illa obſecrat*, ſed præter vett. edd. & MSS. falſò enim id adſcribit Pal. ſec.

9. TEQVE EXPECTANS DEPERIT] Ita primum Aldina. priores vel *perit*, vel *petit.* & verò *petit* eſt in primogeniis edd. neque aliter MS. ſec. falſò enim Pareus ait in eo extare *perit.* ut forte fuerit, *teque expectans expetit.*

12. IN STATV STAT SENEX] Facetè alludit ad modum, quo gladiatores ſe componebant, & colligebant in arma, inſigni curâ ſui A defendendi, alterius petendi. Quam ex arte poſituram, vocabant *ſtatum.* Sic Petron. de anu: *ſtatum præliantis componit.* hinc illud, *Stare in ſtatu: Stare in gradu.* Petron. *ego intorto circa brachium pallio, compoſui ad præliandum gradum.* Alluſit D. Hieronymus ad Demetr. *Quaſi in procinctu & acie ſtemus ſemper ad pugnam. Vult nos loco movere hoſtis, & de gradu decedere: ſed ſolidanda ſunt veſtigia.* Lucifer Caralit. *Vobimus Chriſtiani, nec proſperis nec adverſis de gradu dimoveri.* Vide B Lipſ. Saturnal. l. 2. cap. 20. Parei prior editio monſtroſum verſum præbet: *Paratæ inſidiæ ſunt: namq; in ſtatione ſtat ſenex.* etiam ſecunda *namq;* oſtentat præter MSS. & edd. vett.

14. QVÆQVE ASPEXERIT MVLIER.] Ita Camerarius edidit rectè. & convenienter veteri MS. pr. *Qui omni ſe amare credit quæque aſpexerit Mulierem.* ſec. *Qui omnus ſe amare credit quemque aſpexerit Mulieres.* Edd. vett. *Qui omnis ſe amare credit quæque aſpexerit Mulieres &c.*

ACTUS V.

PERIPLECT. PYRGOPOLINICES,
CARIO cocus, SCELEDRUS.

DUCITE iſtum: ſi non ſequitur, rapite ſublimem foras;
Facite inter terram atque cælum ut medius *ſit: diſcindite.*
PY.Obſecro hercle, Periplectomene, te. PE. nequiquam hercle obſecras.
Vide ut iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probè.
CA. Quin jamdudum geſtit mœcho hoc abdomen adimere,
Ut faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia.
PY.Perij! CA.haud etiam.numerò hoc dicis. jámne in hominem involo?
PE.Imò etiam priùs verberetur fuſtibus. CA.multum quidem.
PE.Cur es auſus ſubigitare alienam uxorem, impudens?
PY.Ita me dij ament, ultrò ventum eſt ad me. PE.mentitur: feri.

PY.Mane,

PY. Mane, dum narro. PE. quid cessatis? PY. non licet mihi dicere?
PE. Dic. PY. oratus sum ad te venire huc. PE. quare ausus? hem tibi.
PY. Oh! hei! sum satis verberatus, obsecro. CA. quàm mox seco?
PE. Ubi lubet: distendite hominem divorsum, & dispennite.
PY. Obsecro hercle te, ut mea verba audias, priusquam secat.
PE. Loquere: nondum nihili factus. PY. viduam esse censui:
Itáque ancilla, conciliatrix quae erat, dicebat mihi.
PE. Jura, te nociturum esse homini nunc hâc de re nemini,
Quod tu hodie hîc verberatus, aut quod verberabere,
Si te salvum hinc mittimus Venereum nepotulum.
PY. Juro per Dianam & Martem, me nociturum nemini,
Quod ego hîc hodie vapulo: sed mihi id aequè factum arbitror.
Et si intestatus non abeo hinc, bene agitur pro noxiâ.
PE. Quid si id non faxis? PY. ut vivam semper intestabilis.
CA. Verberetur etiam, pòst tibi amittendum censeo.
PY. Dii tibi benefaciant semper, cùm advocatus mihi benè es.
CA. Ergò des minam auri nobis. PY. quamobrem? CA. salvis testibus
Ut te hodie hinc amittamus Venereum nepotulum:
Aliter hinc à nobis: ne sis frustrà. PY. dabitur. CA. magis sapis.
De tunicâ & chlamyde, & machaerâ ne quid speres, non feres.
Verberone etiam, antequam amittis? PY. mitis sum equidem fustibus.
Obsecro vos. PE. solvite istum. PY. gratiam habeo tibi.
PE. Si posthàc prehendero ego te hîc, arcebo testibus.
PY. Caussam haud dico. PE. eamus intrò, Cario. PY. servos meos
Eccos video. Philocomasium jam profecta est? dic mihi.
SC. Jamdudum. PY. hei mihi! SC. magis dicas, si scias, quod ego scio:
Námque ille, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.
PY. Quis erat igitur? SC. Philocomasio amator. PY. qui tu scis? SC. scio.
Nam postquam exierunt portâ, nihil cessarunt illico
Osculari atque amplexari inter se. PY. vae misero mihi!
Verba mihi data esse video. scelus viri Palaestrio,
Is me in hanc illexit fraudem. jure factum judico.
Si sic aliis moechis fiat, minus hîc moechorum fiet:
Magis metuant, minus has res studeant. eamus ad me. Plaudite.

VERSUS sunt quadrati catalect. troch:

4. ACUTUS] MSS. & vett edd. *actus*. quod Pareus in contextum recepit: prorsus ineptè. neque enim *culter probè actus* Latinum est, nedum ut notet quasi in corpus adactus. sed & ineptius idem exclusit pronomen *tibi*, quod in MSS. editionibusque omnibus, & sine quo versus turpiter ruit. o eximium Plauti restitutorem!

A 5. GESTIT] ita vett. edd. & MSS. Cam. *gestit*, sc. culter.

6. UT FACIAM] ut faciam ei pendere abdomen, seu caudam salacem, (nam hanc fortè, quae stat in imo ventre, per abdomen significat: ut & P. Victorio lib. 20. 10. videtur) quemadmodum pendent puero in collo crepûdia. Aldhelmus: *Crepûdia collo cõmiseria lunulis pendentia*. Vide Des. Herald. Advers. in

Jam-

Jamblichum, cap.7.& Is.Casaub.ad Theoph. Charact.item Frid. Lindenbruchi Observat. Ter.Eun.act.4.6.Sed & Not.Cistell.4.1.

7. CA. HAVD ETIAM. N.] Pessimè hoc vulgò interpungitur. Ait, Nondum peristi: numerò hoc dicis. præmaturè periisse te dicis, præut peribis. Du schreyest noch all zu früe. *Acidal.*

7. MVLTVM QVIDEM] Editio Parei utraque versum corripit fœdum in modum, addito *PT. pery*, quod in neutro est MSS. in nulla editione. sed nec ratio erat, cur in ultima rescriberet *equidem*, cùm alterum *quidem* extaret in MS. pr. & edd. omnibus.

7. NVMERO] ita MSS. & edd. *Numerò*, pro, *nimium citò*, cur dictum sit antiquitùs, docet Festus, & omnium rectissimè ad eund. Scaliger. Sed & Douza Cent. Plaut. lib.4.6: è lib.2. Macrobii, ubi scribitur: *His Geometricis rationibus applicatur natura numerum. Et Μονὰς Punctum putatur: quia sicut punctum corpus non est, sed ex se facit corpora: ita Μονὰς numerus esse non dicitur, sed origo numerorum*, &c. Atque hinc *Puncto* aliquid & *Numero fieri*, dictum conjicit Douza: ac pro iisdem planè usurpatum: indidémq; natum fortasse etiam verbum illud vetus: *Ingenium habere in numerato.*

10. MENTITVR FERI.] Ita Grut. è MSS. & Aldina edit. *prius* erat, PT. *Pery*!

12. ORATVS SVM] Grut. conjicit *Oratus sum ad te à muliere.* nam in MS. sec. *ad te amuttire. Ad te*, i. domum tuam.

12. QVARE AVSVS?] cur ausus es venire, quamvis rogatus?

12. HEM] *Hem*, interjectio verberantis.

13. OH HEILSVM SAT.] ita Grut. Vulg. *Hodie f.* In MSS. est, *Olei.*

14. DISPENNITE] Scalig. in *Diras* Val. Catonis: In Italia, inquit, perticis metabantur antiquitus agros: Propert. l.4.1.

Abstulerat miseras pertica tristis opes.

Barbari verò funibus: ut est in Sacris Literis; & apud Herodotum. posteà hunc funem etiam Romanis *arbipendium* nominatum invenio. In vet. Glossario peroptimo exponitur χοῖνος γεωμετρικός. Quare cùm in Galliâ diceretur *Arpennium* pro jugero, non puto magis Gallicam vocem esse, quàm Latinam, Gallis receptam, quasi *arbipennium*. Sic Plauto *dispennere*, pro *dispendere*, &c. Hæc ille. quo verbo quidem & Pater ejus, Julius Cæs.

A usus est, in *Teretismat.* Etiam H. Junius l. *dispennite.* quod Nonius tractum ait à pennis & volatu avium. nec displicet Gulielmio. Quin & Francones mei de brachio hominis interdum sic loquuntur, verbi caussâ: Er hieb jhm ein Flügel ab: cum brachium intelligunt. Ut ita *dispennere*, esset brachia, ut etiam crura, distendere, ad exemplum volantis avis. Meursius legit, *dispennite hominem d. & distennite*, manifestâ παρηχήσει. *Tennere* veteribus verbum aucupale. Terentius Phorm. 2.2. *Quia non rete accipitri tennitur, neque miluio.* ita enim rectissimè Donatus, &c. vide Meurs. c. 5. In omnib. editis expressè legitur, *dispennite.* priore loco, *distendite* posteriore. In MS. sec. prius est, *distendite*: nam pr. *dispendite*: posteriùs in MSS. utroque *dispendite*: ita tamen, ut prius potuerit fuisse in MS. pr. *dispennite*; nam litera tertia à fine experta est censorem.

15. PR. SECAT.] ita MSS. & vett. edd. laudatq; Schop. ut Carionem cultrum manu attinentem intelligat.

16. NONDVM NIHILI FACTVS] nondum eviratus, seu castratus es. Ex h.l. intelligere licet, Eunuchos, spadones, & similes, qui *virilitatem*, sive (ut Phædrus loquitur) *corpus amiserunt*, esse *homines nihili.* Vide Nic. Rigaltium ad Phædri Fab.50. Schop. leg. *Loquere! nondum nihili factus?* ut increpet tarditatem servorum in evirando & detestando Milite, quem jam diu intestabilem factum oportuit. Sed enim, quia turbæ subitò conquiescunt; vulgatum malui. Attende histrioniam; &, puto, non displicebit.

B

17. CONCILIATRIX] Propriè. *Concilio*, in re lenocinii usurpant etiam Petronius, & Ovid.

Non me nupsisti conciliante seni.

unde & *Conciliatrix*, pro, *adductrice*, id est, lenâ seu stupri sequestrâ (vulgo Kuplerin) Comicis frequentata.

18. JVRA, TE] ita Lamb. & Acidal. sensum & versum composuerunt. In omnibus tamen quos vidi, etiam in MS. Cam. sec. est:

Jura, te non nociturum esse hominem de hac re neminem.

geminatâ etiam negatione. quem quidem ἀρχαϊσμὸν elegantiss. & nostro digniss. ait Meursius, retulitq; in contextum Pareus. In pr. tamen Cam. MS. expressè legitur, ——*hominem*

minem de hâc re nemini. unde Grut. *hominum d.h.r. nemini*: quod sibi ferè accommodare superet, tanquam à se inventum, Pareus.

20. MITTIMUS] Sic MSS. & edd. vett. Camer. transposuit, *mittimus hinc.* at qui si potius, *mittemus.*

20. VENERIUM NEPOTULUM] Suprà, act. 4.6. dixerat se esse Veneris nepotem.

21. PER DIONAM] Meurs. mâlit, *Dianam.* quæ perjuria gravissimè vindicare existimabatur, quod in contextum recepit Pareus utraque editione; planè contra MSS, quorum pr. *per idum & martem*, sec. *per idam.* editio vetus, *per Venerem & Martem.* & verò Diana heic non convenit. totus enim decor in eo est; quod putidus iste mæchus post verbera & verba ignominiosa, retineat adhuc arrogantem eam præsumptionem pulcritudinis ac fortitudinis; eaque propter per Deos earum præsides jurare pergit. Porrò Pareus hoc loco non simpliciter insanit, dum adductâ scripturâ MS. sec. quem ipse Decurratum vocat, exclamat: Quantum igitur nefas est, Antiquissimis Membranis affingere hanc lectionem? *Jura te non nociturum esse, hominem de hac re neminem.* At enim quis talem lectionem affinxit eis Palatinis? non Taubmannus, non Gruterus. Nimirum ita est! adeo te transversum rapit Livor invidiæ, ut ea etiam videas quæ non sunt. ad versum 18. talem adduximus scripturam, mi Ajax flagellifer, non ad versum 21. de quo heic agitur. nega etiam, si audes, ita ibi esse.

22. H.H. VAPULO: SED MIHI ID ÆQUE FACTUM ARBITROR] ita MS. sec. Cam. & omnes editi. Camerarius edidit:

Quod ego hic hodie vapularim. jurêque id factum arbitror.

Nec hoc male. nam omnino pr. *jure qui factum arb.* Pareus, ut decet instabilitatem ejus, in prima editione tenuit ultimum istud, in secunda reposuit, *vapularo: sed mihi id æquè factum arbitror.* quod *vapularo* in nullo visitur libro, versumque quasi fidiculis miserè extendit ultra quam debet. Phy! Comico facere vult medicinam, qui nondum novit quot pedes admittat versus trochaicus nisi quod pro altero major auctoritas.

23. ET SI INTESTATUS &c.] Ludit in ambiguo significatu verbi *intestatus*, & *intestabilis*. Potest enim accipi pro eo, qui testiculis privatus est; & qui propter fraudem aliquam capitalem, quam admisit, neque testis alteri esse, neque testes in suâ re adhibere, neque testamentum facere potest: Ex Lambino. Sic *intestabilis* alibi in Plauto est ἀτελής: ut contrà τέλειος, ἔνορχος, Heraldo auctore. V.N. Curc. act. 1.1, Rigaltius leg. *Et si intestatus nunc abeo hinc, b.*

25. POSTTIBI] Pist. *postibi*, pro, postea. quod Pareus non modò recepit in contextũ, sed asseverat totidem syllabis legere MSS. quo quid velit; nescio. nam tot sunt syllabæ in *postibi*, quam *post tibi*. sin autem vult, illud *postibi* extare totidem apicibus in membranis Pall. (& quis est, qui hoc eum dicere non putat?) falsissimum est. uterque liber omnibus literis præfert alterum. Sed sic est homo ambidexter istud suum dictum trahet adverbum sequens, *admitte-dum.* sic enim ineptè uterque MSS. ejusque editio. qui tamen sermo, quid commune habet cum gratia & venere alterius, quod servat omnis ævi editio? At ita tamen est in MSS, quid tum? in iisdem etiam habemus suprà 2.3.v.1. iterumque 3.2.v.6. *dormies*, pro, *dormiens*, item 3.1.v.62. *accubas* pro *accubans* & similia multa: neq; ideo tamen talia sphalmata amplectimur. quid? quod & versus rejicit illud Pareanum.

29. ALITER HINC A NOBIS:] Oratio inter minas imperfecta. intelligetur autem, *Non abibis*: Cam.

31. ANTEQUAM AMITTIS?] ita MSS. Cam. & Schopp. V.N. Capt. 2.2. Visne, Periplectomene, ut etiam vapulet, priusquam eum missum facis? Et est venusta allusio, ut notat Cam. in *mittis* & *mitis*. Bosius monet, *mitem* hic positum, pro eo, quem Gr. dicunt ἄπονον.

33. ARCEBO TESTIBUS.] Ita omnis editio præter Pareanam: ea enim plus quam ridiculè, *cestibus*; id est, inquit, vinculis te coercebo.

34. CAUSSAM HAUD DICO] non recuso, οὐ δικαιολογοῦμαι, quin hic testibus coherceat: L. Sed tamen non omittendum, in MSS. Cam. utroque pro, *testibus*, legi, *arcebo cestibus*: quod non temerarium est.

41. SCELUS VIRI] Hâc phrasi vix alia A Comico nostro usitatior. Persa: *Scelus tu pueri es.* Neque dissentaneâ ratione idem alibi: *delitiæ pueri: monstrum, flagitium hominis.* ita Apulejus 4. Met. *senile facinus* pro anu posuit. Vide N. Trucul. 2. 7. Porrò exitus Comœdiæ hujus commistus est; lætus simul ac mœstus; ut Asinariæ, Casinæ, ac Persæ: item Phormionis Terentianæ. De quo Jul. C. Scaliger lib. I. c. XI. Poet.

41. SIET] Parei ed. pr. *fiet.* stultè.

44. HAS RES STUDEANT] Cic. Tuscul. *Hæc disputant, hæc student.* Id. in Anton. *Unum sentitis omnes: unum studetis.* Id. de Red. suo: *Cum verò litteras studere incipit, & belluo immanis cum Græculis philosophari &c.*

FINIS MILITIS GLORIOSI.

MERCATOR.

ARGUMENTUM.

ARGUMENTUM hujus Fabulæ futile & flagitiosum est. Quemadmodum autem prodest, venena nota esse, ut respuantur: ita talia, dum legimus exsecrari debemus. Sed neque venena nulli prorsus usui sunt; & hæc ad turpitudinem fugiendam & convertendos animos ad timorem DEI, adsumi possunt. PRODUCITUR Senex immitis, & tamen dissolutus: itemque alter levis atque iners. Hic iniquior in filium juveniliter peccantem sævis dictis illum in mercatum abigit. Qui reversus ancillulam adduxerat, quam animi caussâ sibi paraverat. Hanc visam amare Senex cepit, & amatam præripit astutè filio, allegato Sene amico, qui illam præmercaretur. Nam & suum sodalem Adolescens subornarat, ut illam emeret, Postea adductâ muliere in ædes Senis vicini, & conductis cocis ad cœnam coquendam, advenit illius Senis uxor, & turbas movet: & tandem res per Adolescentes componitur. Χαρῖνος est *gratiosus.* Ἀκανθίων denominatus ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, i. *spinis.* *Demipho,* δημοφῶν. Λυσίμαχος, *prælij diremptor.* Εὔτυχος, *fortunatus:* nisi fortè εὐτύχης. Πασικόμψη, *omnimodò compta & bella.* Δωρίππη, *ab equestri dono.* *Syra* gentile nomen. Πίστος, proprium villici, à fidelitate.

DRAMATIS PERSONÆ.

CHARINUS adolescens.
ACANTHIO servos.
DEMIPHO senex.
LYSIMACHUS senex.
LORARII.
EUTYCHUS adolescens.
PASICOMPSA meretrix.
DORIPPA uxor.
SYRA anus serva.
COCUS.

ARGUMENTUM.

MISSUS Mercator ab ſuo adoleſcens patre
Emit atque apportat ſcitâ formâ mulierem.
Requirit quæ ſit, poſtquam eam vidit, ſenex.
Confingit ſervus emptam matri pediſequam.
Amat ſenex hanc, ac ſe ſimulans vendere
Tradit vicino. eum putat uxor illius
Obduxe ſcortum. tum Charinum ex fugâ
Retrahit ſodalis, poſtquam amicam invenerat.

MERCATOR] Ita Cam. & Lamb. at MSS. & vett. Edd. *mercatum.* A

1. AB SVO ADOL. PATRE.] Charinus à Demiphone.

2. MVLIEREM] Paſicompſam.

4. SERVVS] Acanthio.

4. PEDISEQVAM] Rectè: non, *pediſſeq.* ut in ſeq. Arg. v. 5.

5. AC SE SIMVLANS] Cam. invenit in pr. MS. *ad ſe ſimulans* v. & ait eſſe tmeſin, pro, *adſimulans*, ut illud Virgil. *-inque ligatus.* At J. Gul. negat: aitque *ad* pro *at*, antiquos ſcripſiſſe mutuâ litterarum permutatione: ut contra in poſteriore Argumento ſcriptum fuiſſe, *- atvehit, navi exſilit*: quod nos uſitatius & mollius, *advehit.* totámque ait Periochen perpetuis commatis decurrere. Porro tamen placuit *ad ſe ſimulans.* nobis, *ac ſe ſimulans.* MS. ſec. & edd. vett. *hanc: ſe adſimulans.*

6. VICINO] Lyſimacho.

6. UXOR ILLIVS] Lyſimachi Dorippa.

7. OBDVXE SIBI SCORTVM] Sic MS. ſec. *Obducere* eſt in Plauto, aliquem contrà ducere, qui alteri adverſetur; fumum ſcilicet, hoc eſt, dolorem æmuli ſeu competitoris ſui oculis concinnaturus. Cic ad Att. 1. *Ut mihi videatur non eſſe ἀδύνατον Curium obducere.* Tralatio à candidatis. B Vide Douzæ Centur. & P. Victor. Var. l. 15: 7. & Turn. l. 24. 34. Infra act. 4. 4. *ſcorta obductari*, dixit. Porrò, pro *Obducere* Ovid. in Heroid. dixit *Adducere.*

Ante meos oculos adducitur advena pellex.

8. SODALIS] Eutychus.

8. AMICAM] Paſicompſam.

8. INVENERAT] Omnes MSS. & editi, *invenit.*

ALIUD ARGUMENTUM.

MERCATUM à ſe dum filium extrudit pater.
Is peregrè unius redimit ancillam hoſpitis
Amore captus. ut venit, navi exilit.
Pater advolat, viſam ancillam deperit.
Cujus ſit, percontatur. ſervus, pediſequam
Ab adoleſcente matri emptam ipſius.
Senex ſibi proſpiciens, ut amico ſuo
Vaniret, natum ombat: natus, ut ſuo.
Hic filium ſubdiderat vicini; pater
Vicinum. præmercatur ancillam ſenex.
Eam domi deprehenſam conjunx illius
Vicini ſcortum inſimulat: protelat virum.

Mercator exspes patriâ fugere destinat:
Prohibetur à sodale, qui patrem illius
Orat suo cum patre, nato ut cederet.

MERCATVM A SE DVM FIL.] Ita MS. sec. A nam pr. *M. ad sotium filium.* unde alii edidere, *ad socium.*

2. UNIVS RED.] ita Cam. ex conjecturâ. Omnes edd. leg. *militis red.* MSS. *milis*, quod Pareus in textum recepit, vultq; esse gignendi casus antiquè, pro *militis*. at debebat potius probare Charini hospitem fuisse *militem*; quod nusquam dicitur in Comœdia. ineptè igitur ponatur in Argumento.

12. PROTELAT VIRVM] *Protelare*, est abigere & longè propellere: vel ab ἐλᾶν, vel ab assiduo telorum jactu: ut explicat Donatus ad illud Ter. Phor. act. 1. 4. *Ne te iratus suis sævidicis dictis protelet.* quanquam in hoc Ter. ut & Plauti loco, *protelare* interpretantur *exagitare*, irritare & perturbare. Atq; ut vis hujus vocabuli magis innotescat, e Catalect. J. Scaligeri quædam annotabo. *Strigare*, inquit ille, dicuntur equi, quoties interquiescunt. dictum à *strigâ*, quod erat μεταίχμιον & spacium turmarum, in quo equi stringebántur. à quo nomen habet, ut docet Charisius. Hinc factum, ut quoties interquiescunt equi & jumenta, dicantur *strigare.* sicut in vulgari sermone B Thusco & Germanico *stallare* equos dicunt perorigæ, seu potius prurigæ, cum ad urinam emittendam quiescunt. quia cum recenter veniunt in stabulum, quod nunc *stallam* vocant, tunc ferè urinam solent emittere. Ergò *strigare* est à *strigâ*: quod castrense vocabulum. Nam etiam rustici *strigam* vocant in arando sulcum, qui uno ductû prorsus peragitur in longitudinem, ut *scamnum* in latitudinem. Atque ut *strigare* equi dicuntur in actû intermittendo: sic cùm continuant actum, hoc dicitur *protelo ducere.* Lucillius:

Quem neque Lucanis oriundi mentibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' possent.

namque *protelum* est continuatio & tenor. Lucret. lib. 2.

Undique protelo telorum continuato.

In vetere illo Glossario: *Protelum*, ζευγλάμπρον, vel ἐξάμπρον, hoc est, ζεύγλης ἄμπρευμα: A *Cobum* vocari ait Festus. Et quod Lucillius dicit, *protelo ducere*, est ἐξαμπρεύειν Aristophani Lysistratâ. Sed omittendum non est, eodem modo *strigosum* dictum à Lucil. non ἰσχνὸν, ut vulgò accipimus, sed in hanc significationem, hoc est, morabundum & tergiversatorem. Postea verò jumenta macilenta ita dicta: quasi strigare dicantur præ macie, & quia malè curata. Ejus verba sunt:

Hicê strigosu' bovinatórque, ore improbu' duro.

Bovinator enim ibi est tergiversator: à bubus, qui in medio actû strigare solent, neque uno protelo continuare, &c. Ad Catulli Carm. 53. idem Scalig. *Protelo* est, quod ICtus dicit, *in continenti.* Idem ad Varr. *protelum*, est incitamentum vel potius impulsio. Turn. lib. 24. 42. *Protelo ducere*, est promovere & protrahere. Et *protela boum*, in Plinio sunt tractûs boum, &c.

13. MERCATOR EXSPES.] Ita Camerarius, teneruntque ceteri editores, utpote nixum ratione. Pareus reduxit quod erat in edd. prioribus, *expers.* quia restaret in MSS. at si iis ubique standum in omnibus per omnia, exorietur monstrosa facies rerum verborumque omnium. quid enim heic notare potest, *expers*, quod serviat rei præsenti? *orbatus ne omni spe potiundæ Pasicompsæ?* ut interpretatur noster Intuergus. credat id Asinus aliquis aut Mulus. explicatio ea convenit potius alteri *exspes.* & verò ad eam vocem adplicarat editione priore. quibuscum ludibriis mihi conflictandum est!

15. ORAT] ita MSS. & omn. editi Ar J. Gul. Quàm emendati, inquit, hi versûs, nescio; mendaces certè. nam Senex amicam filio cedit non *oratus*, sed multis malis verbis *oneratus.* quod ipsum verbum eâ caussâ libenter hic, ex sententiâ certè, reposuerim: *Onerat suo cum patre.* nam suadere videtur ipse Plautus, in quo hâc eâdem de re est, *Quibus est dictis dignus oneremus usque ambo.*

ACTUS

ACTUS I. SCENA I.

PROLOGUS.

CHARINVS.

DVAS res simul nunc agere decretum est mihi,
Et Argumentum & meos amores eloquar.
Non ego idem facio, ut alios in Comœdijs
Vidi facere amatores, qui aut Nocti, aut Die,
Aut Soli, aut Lunæ miserias narrant suas.
Quos pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.
Vobis narrabo potius meas nunc miserias.
Græcè hæc vocatur EMPOROS Philemonis,
Eadem Latinè MERCATOR Marci Accij.
Pater ad mercatum hic me meus misit Rhodum.
Biennium jam factum est, postquam abij domo.
Abij: amare occœpi formâ eximiâ mulierem.
Sed, eâ ut sim implicitus, dicam; si opera est auribus,
Atque ad advertendum huc animum adest benignitas.
Et hoc parum etiam more majorum institi:
Priùs, ac percontatus sum vos, sumsi indicium illicò.
Nam AMOREM HÆC cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, nimiáque elegantia:
Hæc non illum modò qui amat, sed quemque attigit,
Magno atque solido multat infortunio.
Nec pol profectò quisquam sine grandi malo,
Præquàm res patitur, studuit elegantiæ.
Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Insomnia, ærumna, error, terror, & fuga,
Ineptia, stultitiáque adeò, & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas & malevolentia:
Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria,
Inopia, contumelia, & dispendium,
Multiloquium, pauciloquium. hoc ideò fit, quia
Quæ nihil attingunt ad rem, nec sunt usui, hæc
Amator profert sæpe adverso tempore.
Hoc pauciloquium rursum iccirco prædico;
,, Quia NVLLVS VNQVAM amator adeò'st callidè
,, Facundus, quæ in rem sint suam, ut possit loqui.

Nunc vos mihi irasci ob multiloquium non decet:
Eodem quo amorem Venus mihi hoc legavit die.
Illuc reverti certum, ut conata eloquar.
Principiò atque animus ephebis ætate exiit,
Atque animus studio amotus puerili est meus,
Amare validè cœpi hîc meretricem: illico
Res exulatum ad illam abibat clam patris.
Leno importunus, dominus ejus mulieris,
Vi summâ quicque ut poterat, rapiebat domum.
Objurgare pater hæc me noctes & dies,
Perfidiam, injustitiam lenonum expromere:
Lacerari validè suam rem, illius augerier.
Summo hæc clamore: interdum mussans colloqui
Abnuere: negitare adeò me natum suum:
Conclamitare totâ urbe & prædicere,
Omnes tenerent mutuitanti credere.
Amorem multos illexe in dispendium.
Intemperantem, non modestum, injurium,
Trahere, exhaurire me, quod quirem, ab se domo.
Rationem pessimam esse; ea, qua ipsius optimâ
Omnes labores invenisset perferens,
Amoris vi diffunditari ac deteri.
Convitium tot me annos jam se pascere,
Quod nisi puderet, ne luberet vivere.
Sese extemplò ex ephebis postquam excesserit,
Non, ut ego, amori, neque desidiæ in otio
Operam dedisse, neque potestatem sibi
Fuisse: adeò arctè cohibitum esse se à patre:
Multo opere immundo rustico se exercitum:
Neque nisi quinto anno quôque posse tum visere
Vrbem, atq; extemplò inde, ut spectavisset peplum,
Rus rursum confestim exigi solitum à patre.
Ibi multo primùm se familiarium
Laboravisse: quom hæc pater sibi diceret:
Tibi aras, tibi occas, tibi seris; tibi eidem metis:
Tibi denique iste pariet lætitiam labos.
Postquam recesset vita patrio corpore,
Agrum se vendidisse, atque eâ pecuniâ
Navim, metretas quæ trecentas tolleret,
Parasse, atque câpse merces vectatum undique.
Adeò dum, quæ tum haberet, peperisset bona.
Me idem decere, si, ut deceret me, forem.

Ego me ubi invisum meo patri esse intellego,
Atque odio esse ei me quoi placere æquum fuit,
Amens, amánsque, utut animum offirmo meum,
Dico esse iturum me mercatum, si velit:
Amorem missum facere me, dum illi obsequar.
Agit gratias mihi, atque ingenium allaudat meum.
Sed mea promissa non neglexit persequi.
Ædificat navim Cercurum, & merces emit:
Paratâ navi, imponit. præterea mihi
Talentum argenti ipsus suâ annumerat manu:
Servum unà mittit, qui olim à puero parvulo
Mihi pædagogus fuerat, quasi uti mihi foret
Custos. iisce confectis navim solvimus:
Rhodum venimus. ubi, quas merces vexeram,
Omnes, ut volui, vendidi ex sententiâ,
Lucrum ingens facto, præter quàm mihi meus pater
Dedit æstimatas merces. ita peculium
Conficio grande. sed, dum in portu illi ambulo,
Hospes me quidam agnovit, ad cœnam vocat.
Venio, decumbo, acceptus hilarè atque ampliter.
Discubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
Mulier, quâ mulier alia nulla est pulcrior:
Ea nocte mecum illâ hospitis jussu fuit.
Vosmet videte, quàm mihi valdè placuerit!
Postridie hospitem adeo, oro ut vendat mihi.
Dico ejus pro meritis gratum me & munem fore.
Quid verbis opus est? emi, atque advexi heri.
Eam me advexisse nolo rescistat pater.
Modò eam reliqui ad portum in navi, & servolum.
Sed qui currentem servum à portu conspicor?
Quem navi abire vetui. timeo quid siet.

VERSVS hujus Scenæ, ubi προλογίζει Charinus, sunt Senarii jambici. A

V. 1. DVAS RES SIMVL] M. Ant. Muretus hoc reprehendit, quòd is ipse adolescens, cujus primæ partes in fabulâ sunt, fabulam eam esse confitetur, & tum Græci tum Latini Poetæ nomen eloquitur: & attentionem à Spectatoribus postulat. itemque, quòd in Cistellaria tum demum προλόγιζει, cùm jam inter se multa locutæ mulieres essent. Var. Lect. lib. 18. cap. 9.

3. NON EGO IDEM] ita vett. edit. & MSS. Cam. *idem*. alii, *item*.

4. AMATORES] MSS. Cam. *amoris facere*. edd. vett: *amantes facere*.

4. QVI AVT NOCTI AVT DIE] Ut nutrix Medeæ, apud Euripidem: & Electra, apud Sophoclem. Tale est illud in Theogneti Comici *Phasmate*, apud Athen. γῇ καὶ οὐρανῷ λαλεῖν, *frustra verba facere*, &c. Notat P. Vict. lib. 4:7. *Die* autem, pro, *diei*. Servius agnoscit, *dij*: quod idem est cum vulgato *diei*: ut *fames*, *fami* &c. B

7. Non

7. NON TANTI FACERE] δεικτικῶς gestu exprimendum. Ita sola verba non possunt mentem hujus versûs concipere, nisi adjuventur gestu.

9. GRÆCE H.] Nescio quid Mureto l. 18. c. 9. Var. hic claudum videatur.

Taubmanno certe recto stant omnia talo.

Idem versû seq. è suis, ubi corruptè (ut & in MSS. Cam.) *Mattici* legitur, *M. Atti* legit: nomenque illud per *T.* non per *C.* litteram scribi oportere contendit. Sed & Festus, in *Barbari*, nostrum titulo *M. Atty* laudat. Videatur & Casaub. ad Athen. lib. 6. c. 2.

13. ABII: AMARE OC.] ita MS. Cam. teste & approbatore etiam Grutero. Q. d. Ut abii, ut amavi. sanè eleganti affectu. Poteras & legere, *Ibi amare oc.*

14. SIM IMPLICITUS] Stupor Nonii hæc ut vocem unam producit, *simplicitùs.* En vos Grammatici!

14. SI OPERA EST AURIEUS] Si commodum est, & potestis. J. Gul.

15. ATQUE AD ADV.] Illud *huc* sumpsi ex Aldina. nam ea priores, *ut* quod & in MSS. *ad* præterea addidi è Cameraria; gnarus sæpe omitti talia; aut majusculis, literis scripta, bis legenda. Voluit Acid. *Atque adv. ad an.* versûs causâ: quem secutus utraq; editione Pareus.

16. ET HOC PARUM &c.] Quæ afferunt Lamb. & Alcidr. Parerg. lib. 4: 21. Muretus deliria vocat & febricitantium somnia. versusque hos è suis libris ita exhibet:

Et hoc parum esse more majorum instìti
Per me percontatus, sumque index illicò.

& addit: Sed & hi aut mirabiliter corrupti sunt; aut quod mihi verisimiliùs videtur, aliunde huc invecti. Nulla certè sententia ex eis extundi potest. Hæc ille, immò plura, lib. 18. c. 9. Var. Lect. Acidal. legit, reperitq; adjectam Pareum, qui id statim editioni pr. inferret:

Et hoc parum etiam more amatorum instìti:
Percontatus sum vos, neque sum index illicò.

Q. d. Se non pro ingenio amatorum fecisse, qui cum ratione parùm agant scilicet; quòd percontatus sit, utrum vacaret spectatoribus audire amorum suorum seriem, &c. Vide ipsum Acidalium, si libet. qui tamen, cùm ambitiosissimè omnia excutiat, statuere certi nihil habet. Ego sanè, præter MSS. Gruteri, consului aliquam multas Editiones: sed duas exactè sibi respondentes non inveni. Camerarius etiam, ut solet, ingenuè fatetur, se lectionem suam præstare non posse quæ habet, *Et hoc parum etiam more majorum instìti, Per me ea percunctatus sum vos, sumq; index illicò.* Interim, ut sententia aliqua loci esset, tenui quod Pistoris extricavit:

Et hoc parum etiam more majorum instìti:
Prius ac percontatus sum vos, sumpsi indicium illicò.

Ut dicat: se parùm ex more majorum egisse, (qui statim in procemiis benevolentiam auditorum capturum) cùm priùs indicandi amoris sui facultatem sumpserit, quàm percontatus sit, an liceat &c. Pareus, ut etiam videretur inter tot poma natantia, secundæ editioni invexit; *more Amatorum instìti, Per me percontatus sum vos, sumq; index illicò.* prima editio habet: *Et h. p. esse more majorum instìti. Per me percontatus sum. sumq; judex illico.* MS. pr. *Fit hoc parum esse more majorum instìti Per mea perconatus sum vos sumq; inde exilico.* sec. *Et hoc parum esse more majorum instìti. Per me perconatus sum vos sumq; inde exilio.* sed statim correctum, *exilico.*

20. QUEMQUE] i. quemcunque. ita MSS. Cam.

21. MAGNO ATQ. SOLIDO MULTAT INFORTUNIO] Sic in fabulis Milesiis de Asino aureo: *Paveo, & formido solidè*, hoc est, vehementer, admodum. Ter. Andr. act. 4. Sc. 1. *gaudium solidum*, i. magnum & insigne: vel, ut Donatus; *plenum & integrum.* Epid. *malefacta solida*, i. insignita: J. Gul.

21. MULTAT] vel, *mulctat.* ita enim omn. MSS. & Edd: quod fatetur & Lambinus: & tamen contra omn. obtrudit nobis *mactat*, ex inani suspicione. Itaque nihil miror Pareum talia in Contextum etiam admisisse ed. prima, ubi novatorem agebat planè recoctum.

23. RES] i. census. D.

23. STUDUIT] MSS: & omn. edd. *studet*, Hoc nostrum, carpit Pareus; & falsum ait sic legi in MS. pr. habere enim *studit ac leg.* addit: Quod quamvis minutum est, tamen moneo, ne injuria fiat optimis membranis Pall. sic ille. sed falsissimè Lector. nam liber ille omnino retinet, *tudit aclegantie.* Annon *Turpe est Doctiori, cùm culpa redarguit ipsum?*

25. IN-

25. INSOMNIA] ἀγρυπνία. Cic. in Catone: A *vacaret vinolentia & cruditate & insomnia.* Ter. Eun. 2:1. *Aut mox noctu te adiget horsum insomnia.* Sallust. Catil. *Dies noctesque festinare, vigilare, neque insomnia neque labore fatigari.* Cæcilius: *Consequitur comes insomnia: ita porrò insaniam adfert.* Passeratius ad Propertii illud 2.el.25: *cum satis una tuis insomnia portet ocellis*, capit pro visis nocturnis, ut Græcis sunt ἐνύπνια; quibus amantes terreantur. non malè, nisi sequentia omnia, suo quasi jure, postularent numerum singularem non pluralem. & verò hanc nostram faciem verbi agnoscit idem Passer. ad lib. 3. Propertii el. 8.

26. INEPTIA, STVLT.] ita MSS. Cam. & Editi omnes, quos vidi, & quos etiam Muretus, qui & unicè probat. Neque, inquit, metuendum est versui, nam duæ consonantes, à quibus vox sequens incipit, producunt vocalem, quæ antecessit: ut ἵππω πτερόεντι: in illo Ennii,

Cæsa accidisset ad terram abiegna trabes.

& Catulli:

Et inde tot per impotentia freta.

Addantur licet & ista. Manilius lib. 2. B

Ne magna brevibus careant compendia dictis.

Ibidem:

Quaque loca triplici &c.

Statius 6. Theb.

Præceleres, agile studium &c.

Tibullus:

Pro segete spicas, pro grege ferte dapem.

Grammaticos autem habeo nauci, qui ineptè *ineptiam* dici vetant, *ineptias* jubent. Magis me Terentius movet:

Ita me di ament, ut video ego tuam ineptiam.

27. INCOGITANTIA] Hæc conformandi ratio antiquis usitata. hinc apud Cic. *negantia, repugnantia, decentia, profluentia, audientia, despicientia, curantia, discrepantia.* Sallust. *properantia, loquentia.* Lucr. *variantia, &c.* Gifan.

29. DESIDIA] Sarraceni editio, *vesidia*. quod Palmer. rectum putat: ut *vecordia, vesania* à sedendo, *ses*: atq; inde *veses*. At MSS. Cam. l. *residia*: quod Grutero suaviter aures titillat. Cur enim, inquit, non æquè à *reses* fiat *residia*, ut à *deses* fit *desidia*? Glossæ Isidori: *Subses, qui subtus sedet.*

A 29. INIVRIA] Acidal. l. *incuria*. quod statim in primam suam ed. retulit Pareus.

31. MVLTILOQVIVM, PAVCILOQVIVM] πολυλογία, μικρολογία. P. Syrus: *Lingua est multiloquax mentis indicium malæ.* Ita Isidoro lib. 1. cap. 36. μακρολογία est *longiloquium*: περίφρασις, *circumloquium*: ἀλληγορία, *aliniloquium*. MSS. Pall. *parumloquium*; quod emblema in editione secunda Parei lucet,

Ut inter igneis Luna minores.

32. ATTINGVNT] i. attinent: ut *pertinent*, pro, pertingunt: & contrà.

35. CALLIDE FACVNDVS] MS. sec. & edd. *callidus Facundusque*. in reliquis turbant.

38. EODEM, QVO AMOREM &c.] ita MSS. Camer. & edd. vet. Venus eodem die me fecit multiloquum quo amatorem. At Scal. Pater leg. *Eodem, quo Amor & Venus, me hoc legârunt die.* Sed alterum planius.

39. CONATA] Ita V. Codd. atque etiam MSS. Camerarii: qui tamen tentat reponere *incoata*. Quod Meursi. rejicit, exemplo Accii, *Ego incipio: conata exsequar.* ubi *conata* similiter παθητικῶς sit positum. Lucr. l. 5.

B ——*neque adhuc conata patrantur.*

Virg. in Ciri, v. 383. Sed nec Grutero displicet *conata*. quippe, inquit, conatus etiam, ubi sermonis res est. Apul. 2. Florid. de Psittaco, & alibi. Persius Prologo:

Picasque docuit nostra verba conari.

40. PRINCIPIO ATQ. &c.] D. F. leg. *Principio atque ætas ex ephebis exiit.* ut ex sequenti versu repetitum sit *animus*. Quod idem & Mureto visum. Et quia ridiculum putat dicere, *animum exisse ex ephebis*; quasi animi quoque pubescant, ut corpora, emendat,

Principio ut ex ephebis ætate exij,
Atque an.

quomodo & Acidalius, minori mutatione. At Meursius divinat;

Principiò atque anni ephebitate exij.

ut declinetur ab *Ephebus*, *ephebitas*: sicuti ab *anus*, *anitas*. Gruterus verò suspicatur, sed levissimè,

Principio atque annis ephebijs ætate exij.

certè uterque MSS. disertè præfert *phebus*, quod nullo negotio nasci potuit ex *ephebijs*. Mihi videtur tutius retineri quod est in edd. Cam. & vett. omnibus: etsi aliter animatus sit Pareus; utpote qui aliorum commenta,

uti loquitur, meritò insuper habeat, cùm non nitantur fundamento MSS. codd. itaq; legit, *Principio atq; animus ephebus ætate exIt.* synecdochicè. At quæ tunc verborum horum constructio? Præterea, quàm stultè contra MSS. scribit *exIt!* eo ipso syllaba versus turpiter perit. Idem in Thesauro suo tit. *Ætatis* invadit Gruteri conjecturam, nisi quod scribat *ephebis:* exclamatque: Sic ex MSS. vestigiis expressimus in editione nostra. Probent alii suum nasturtium: mihi hoc allium placet. Rusticè, masculè! Sed quid interim agemus cum istac bilinguitate?

43. CLAM PATR.] Ita Gul. *clam*. Et id probat lex ludicra, quâ hæc Fab. concluditur: *Si quis prohibuerit &c.*

44. LENO IMPORTVNVS] Aptum Lenoni epitheton. *Importunus* enim est, qui alios quiescere non sinit. Sic *importuna pauperies,* apud Hor. 3. Od. 16. & *argenti sitis importuna,* 1. Epist. 1. & *importunus tyrannus,* Cic. & *uxor importuna atque incommoda,* Plaut. Asin. Isidorus: *Importunus, inquietus: quia non habet portum, i. quietem.*

46. HÆC ME] ita MSS. & edd. i. propter hæc: L. At J. Gul. *heic* leg.

48. LACERARI VALIDE SVAM REM] Ita Cic. *conturbare & decoquere rem,* dixit. Vide Bud. Annot. post. in Pandect. p. 364.

49. MVSSANS, COLLOQVI ABNVERE:] Ita Palm. leg. *interdum mussas, conloqui Abnuere mussas,* pro, *mussans:* ut in Pand. Flor. *pregnas,* pro *prægnans.* Solebant enim antiqui *n* abijcere. Cujus conjecturæ accedit Gruterus, quòd eò etiam ferè ducat lectio codd. MSS. quorum pr. *missa conloqui.* sec. *massa conl.* Et verò ed. pr. *mussat.* seqq. *mussans.* Camer. *interdum mihi se colloqui.* At Turnebus è sanctuariis bibliothecarum reponebat,

Summo hæc clamore, mussans interdum loqui.

49. MVSSANS] submissè & compressis labris. de lectione Cam. consule Lamb.

52. OMNES TENERENT MVTVITANTI CREDERE] Omnes abstinerent, caverent & parcerent credere pecuniam volenti mutuò sumere. Ita enim veterrima quæque editio habet, *mutuitanti.* Rectè. nam hujusmodi verba præter eam quæ omnibus nota, frequentandi significationem, etiam cupiditatem interdum & conatum notant. Certè

A *venditare*, est venditionis causâ ostentare, vendere cupere, apud Cic. Ita hîc, *mutuitanti*, mutuari gestienti; ut mutuetur, omnia molienti. J. Gulielmius, Camer. Turneb. lib. 17: 3.

53. DISPENDIVM] Varro 5. L. L. *Dispendium quod in dispendendo solet minus fieri.* Scilicet dispendia damna, ab ære pendendo. unde dispensatores. Festus in Dispensare. Passer. ad Proper. 2. el. 24.

54. INTEMPER.] sc. me pater esse dicebat. L.

55. EXHAVRIRE] *exhauriuntur* propriè fontes, putei, vasa, cùm illis anima, id est, liquor intertrahitur, ut jocatur Plautus. Cicero 2. Offic. *Largitio fontem ipsum benignitatis exhaurit.* Orat. in Pison: *exhaurire bonis civitates.* 7. Verr. *exhaurire ærarium.* Sed & 5. ad Attic: *exhaurire mandata*, pro conficere, ut Virg. 4. Æn. *exhausta bella.* Passerat. ad 3. el. 13. Proper.

55. ABS SE DOMO.] i. extra domum & familiam. Palm. fol. 122. & Camer. at Gruterus prodidit, extare in utroque MSS. & edd. primis *domum.* quod alium sensum inducat, & fortè meliorem. ideoq; statim intulit utriq; B editioni suæ Pareus, ac nescit cur non præ altero in contextum admiserimus. Quia scilicet alteri scripturæ sua vis; exq; *domu* à scriba fieri potuerit *domum.*

56. IPSVS OPTIMA] sc. ratione. Ita autem Cam. & Lamb. ex conjecturâ, ut hic ait, Scaligeri, locum illustrarunt. At fuit, cùm J. Meursius adolescens probaret Aldini lectionem:

Ratione pessimâ, eâque ipsius optimâ:
Omni quod modo, quoi juvenis ipse parserit,
Me rem videret funditare, ac perdere.

Ait, *eâque ipsius optuma:* & lenonem intelligit. Sic paulò antè dicit: *Lacerari valide suam rem, illius augerier.* Sed quia interpolata hæc manifestò est, tenui alteram, quæ MSS.tis & vetustiss. edd. proxima; Lambini etiam sententiâ. certè edd. veterrimæ: *eaque ipsius optima omnesque mores inveniße perferre.* MS. pr. *pessumam ea eaque ipsius optuma omnis labores inveniß et perferu.* sec: *pessima eaque ipsus optuma omnis labores inveniße perferis.* Pareus primâ editione secutus est Aldinam: secundâ obtrusit nobis: *eâque ipsius optumâ. Omnis labores invenis esse perditos.* quo quid velit, conjectores consulendi. interim quâ

quid est ingenii philautiâ, hanc putat germanissimam utriusq; versus lectionem.

58. DETERI] MS.pr. *dieheret*. at sec. *diedere*.

59. CONVICIVM TOT ME ANNOS IAM SE PASCERE, QVOD N.] ita Lamb.& Douza, ut dicat adolescens; Etiam hoc sibi à patre per contumeliam indignè objectum, se *convicium*, i. opprobramentum & ipsi & generi suo vivere, ac sine spe bonæ frugis fruges paternas inutiliter depascere. cujus nisi pudere maturè occipiat, indignum esse adolescentem, qui vitam colat. *Convicium* autem κατὰ συνέχειαν positum. Quanquam Lamb. ex vett. cod. pro *convicium* malit *commulcium*: eâdem sententiâ. *Commulcium* enim vibicem, livorem, ὑπώπιον significare, à *mulcando*, i. cædendo. Nec damnat hæc Palmerius: sed, ut Augustus Juliam filiam, inquit, *vomicam suam* appellabat; Catullus *Pisonis scabiem*, Portium quendam; alii alia: sic, *commulcium patris*, filius nepos: tanquam dicas vibicem. Sed & alterum illud venustè dictum est, *convicium domûs & familiæ*, filius nequam. *Vicium* enim *domûs*, pars aliqua corrupta: cum plures partes vitium trahunt, *convicium*: ut est in vetusto monumento Veronæ; Gruterianis Inscript. pag. CVIII. 1: *Convicium refecerunt. Salvas, limen de suâ pecuniâ Laribus dant*. Ita accipiendum est igitur, ut se dicat pater *convicium* domus pascere. filii enim flagitiis casurum decus familiæ: ut, cùm plures partes ruinam trahunt, parva mora est, & tota domus, eò inclinatur. Aut, ut filius ipse dicatur convitium domûs pascere: quo exemplo illa sunt, *alere probrum*: & *probrum expergefacere*, in Curculione, act. 1: 3. Hæc Palmerius. At verò M. Ant. Muretus, lib. 18. cap. 9. illud *commulcium* explodit, ut à Lambino confictum: atque è vett. membranis corrigit,

Convicium tot se annos jam mihi facere:
Suisque ingratiis me vitam agere perperam.
Quod nisi p. &c.

restituto insuper versû, qui in omnibus editis libris exsulat. *Suis ingratiis* autem, est, se invito ac renitente. V.N. Epid. act. 3: 4. & Cas. act. 2: 5. Tandem J. Gul. totum hunc locum ita censet emaculandum;

Amoris vi diffunditare, ac didere.
Convicium tot me annos jam si poscerem.

Pessimè mecum agitur, ait Senex, si, quæ ego optima ratione & magnis laboribus peperi bona, ea tu adolescentum dedecus modis pessimis & amoribus te postulas dilapidare ac disperdere. *Didere*, est disperdere, & ut Don. interpretatur, *diffundere in multos*. Denique Pistoris hoc ita refingit:

Rationem pessimam esse, ea quæ ipsius optumè
Omnes labores invenisset perferens,
Amoris vi diffunditari ac deteri:
Convicio tot me annos jam sic poscier:
Quod nisi p.

Tot annos, inquit Senex, hoc convitium ex me audis, nec tamen te corrigis, &c. Ego quid ex his probem, vides: nempe quod in contextum recepi, ut optimis libris maximè conveniens, & sententiæ. absit enim ut accedam ad vanitatem assertationis Pareanæ: Hæc vera est lectio. MSS. ubi *conjurium*: perperam; scribæ vitio. Sic ille, tanquam divinitus novisset, quādo corrupissent legitimam scripturam librarii, quando non.

64. COHIBITVM ESSE SE A PATRE] ita MSS. & vett. ed. sed sine τὸ *se*, quod infultum versui sustinendo. Gruterus noster aliquando suspicatus est, *cohibitum sese à patre*: ut & in illo Pseud. act. 2: 4. *Is mihi hæc sese effecturum dixit*.

65. IMMVNDO RVSTICO SE EXERCITVM] Sic mâlit J. Gulielm. quàm diviso verbo, *in mundo*. ut, *Immundum rusticum* sordes agrestium vocet. Contrà Palm. duabus dictionibus mâlit legi, ut & G. Longol. *in mundo rustico*: Et sic, inquit, vocat vitam, victum & labores rusticos. Varro: *Quorum etiam vitam quasi mundum perpetuum fructuosumque dixeris*. Etiam Meursius refert, *Multopere in mundo r*. Et eleganter, *Mundus rusticus*, pro ipso rure: in quo vivere & exerceri, quid est aliud, quàm rusticum esse? Simile est, quod nos in nostro idiomate, *In puerili mundo esse*, dicimus senes jam secundùm pueros factos. Alii leg. *immundu rustico*: quemadmodum Sallust. dixerit, *Omnia vasta incultu*. In Paris. est, *Multopere in modum rustici exercitum*. Grutero lectio vulgata sincerissima videtur, & meritò. quippe quam & MSS. & vetustiss. edd. tuentur.

66. NEQ. NISI QVINTO QVOQ. ANNO POSSE IVM V.] ita Cam. & vetustiss. editiones. at J.Gul.l. *Neque nisi q. anno quoque assuetum visere*,

visere. Sequi enim statim, *rus exigi solitum à patre.* quod verbum huic respondeat. Sed negat Meursius: & *pôsse* per crasin positum ait, pro *potuisse.* Gruterus simplicissimum putabat, *anno quoque positum visere:* ut habet MS.Pal.sec.nam pr. solummodò servat, *positum est Vrbem.* at Pareus non modò id *positum visere*, recepit in contextum, sed & affirmat, eam lectionem adprobam esse sibi; tanquam si aliquis exinde damnasset: aut ipse ejus esset auctoritatis velut Pythagoras; cui contradicere summum nefas.

67. VT SPECTAVISSET PEPLVM] Sic in Fragm. *Nunquam in urbem venio, nisi cùm infertur peplum.* Nam Panathenaicis magnis, quorum feriæ quinquennales erant, (*Panathenæa* enim *parva* singulis annis celebrabantur) *peplus* seu *peplum* Athenis Minervæ consecrabatur, cui intexta erat Titanomachia & victoria Palladis de Encelado. Videatur & Servius ad illud Æneid. I.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant.

Ad quod Turn. lib.14:15. Peplum Trojanæ mulieres ferunt, ut eâ veste Minervæ simulacrum induant: & deam propitiam habeant. Magnis enim in periculis deorum fidem & opem implorantes, eos vestibus etiam ornabant; illo cultu favorem numinis emere se credentes. Vide Virgilii Cirin, itemque Notas ibidem Scaligeri: qui inter cætera docuit, Strenuorum quoque Ducum Athenis gesta in peplo intexta templo Minervæ imposita fuisse. Et Aristotelem librum suum, quem de Heroum tumulis confecerat, *Peplum* ideò vocâsse. Pepli autem oblatio in templo Minervæ & Homerica est, Il. ζ. Lutatius Statii vetus & doctus interpres: *Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris fiebat, &c.* Servius *pallam fœmineam* exponit: quanquam & viri vestis. Vide & Marc. Donatum, Dilucidat. pag. 999.

69. IBI MVLTO PRIMVM SE FAM.] ita MSS. & editi. Tamen in suis Muretus legi ait, *multò plurimum.* quod ille præfert, etiam constat. Idem & tertio v. leg. *met es.* itidem contra omnes nostros codd. Neque opus erat in re planâ curiosum esse.

70. LABORAVISSE] *Laborare* etiam dicuntur, qui buccas inflant. ita Plinius de ranis loquitur; auctore Scaligero. obiter.

73. RECESSET] pro, *recessisset.* MSS. *recessit.* quamvis id neget Pareus ille autoptes: cujus etiam editio ineptè *vitâ* insignivit virgula, tanquam esset ablativi casus.

75. METRETAS] Pondus *amphoræ* sive *doly* sive *metretæ* vini, centum libris æstimat diligentiss. harum rerum scrutator, Georgius Agricola. *Amphora* autem *Attica* Romanam dimidio, id est, urnâ superat.

75. TOLLERET] gereret. L.

76. ATQ. EAPSE MERCES VECTATVM VNDIQ.] Ita Scaliger hunc locum restituit. ut *Vectatum* deponens sit: & subintell. *esse:* pro, *vectavisse.* At J.Gul. Ingeniosè, inquit, Scal. emendat: paullo tamen propiùs ad antiquam scripturam ego; *Pavisse, atque eâ se in Persis vectatum undique:* & convenit aptissimè sententiæ. Solebant enim Attici cives in Persiam aut Asiam aut Ægyptum rei quærendæ caussâ navigare; tum illîc circumvehi & mercaturæ operam dare. donec onusti opibus & quæstu magno facto, de reditu cogitarent. Id ex Persâ, Mostell. Sticho, Trin. & Terentii locis clarissimè videre est. At Acid. leg. —— *atq. eâ semet sic vectatum undique.* Nam & in illo *vectatum* agendi significatu trepidat. Pareus, Princeps licet hujus senatus, sequitur tamen Gulielmium; sed ita ut alios dicat mira confinxisse deliria ex suo ingenio. verissimam esse lectionem quam repræsentant MSS. quorum pr. *atq. eam sempersciis vect.* sec. *sempereis vectatam.* falsò interim Pareus vult in MSS. hærere, *vecta' undiq.* sic neuter. sed nec sec. habet ejus, *semperis.*

77. ADEO DVM, QVÆ TVM HAB.] ita Douza F. & Muretus. MSS. & edd. *quæstum.*

81. ATQVE ODIO ESSE EI ME] Ita Grut. proximè ad MS. pr. in quibus *esset me.* Pareus utraq; editione, *Atq. odio me*, cum manifestissima ruina versus, contraq; omnes libros scriptos editosq;. in quibus, *Atq. odio esse me*, vel *Atq. esse odio me*, vel, *Atq. odiosum &c.* quod ultimum non displicet.

86. ÆDIFICAT NAVIM] ita Cicero: *Navem tibi ædificatam esse Messanæ.* ita Virgil. 2. Æn. *Ædificant equum.* ubi vide quæ ex Schedis MS. Fuldens. Virgilii notavimus.

86. CER-

86. CERCYRUM] *Cercurus, navis Asiana prægrandis*, ut docet Nonius: à Corcyrâ vel Cercyrâ insulâ, ut Alciatus. Cam. τὴν κέρκουρον, inquit, & τὴν κάρβωνα Græci navibus nomina fecerunt, ἀπὸ τῆς κερκύρας καὶ τῆς κάρβου. Sticho 2.3. Sanè Nonius *Cercurum* hîc agnoscit: sed MS. sec. & omn. edd. præferunt *navim geruriam*, nullum *cercurum*. tale tamen aliquid fuisse antiquitus scriptum, arguit Pal. pr. in quo, *navem gubernatorum, & mercis suæ*. imperitè igitur Pareus, qui *geruriam* heic nobis iterum oggessit; imperitior dum ait, alios heic finxisse *cercurum*; imperitissimus, asserendo, absque auctoritate MSS. in textum retinuisse alios editores. Marcelli MSS. ita ha- A buisse, fidem fecerit, accuratæ solertiæ Josias Mercerus. nam Pal. *navem circerus*.

94. FACTO] ita MSS. & vett. edd. Alii, *facio*.

96. ILLI AMB.] ita MSS. *illi*, pro *illic*. antea erat, *ibi*.

104. MUNEM] ita MSS. & ed. omnes *munem*, i. *consentientem ad ea, quæ amicus velit*: Nonius & D. At Rævard. Var. lib. 3. 2. Idem est, inquit, ac si dixisset; Pro meritis ejus me obligatum illi agnosco. nam immunibus rebus *res munes* contrariæ sunt. Rob. Stephanus ex Festo certum & officiosum interpretatur, ἀρχαϊκῶς. Lamb. è MSS. Clericano & Pithœano l. *memorem*; & pernegat, *munem* heic convenire.

ACTUS I. SCENA II.

ACANTHIO, CHARINUS.

EX summis opibus viribusque usque experire, nitere,
Herus ut minor operâ tua servetur: agedum, Acanthio,
Abige abs te lassitudinem. cave pigritiæ prævorteris:
Simul enicato suspiritûs. vix suffero herclè anhelitum,
Simul autem plenissimè eos, qui adversum eunt, aspellito,
Detrude, deturba in viam. hæc hîc disciplina pessima est,
Currenti, properanti haud quisquam dignum habet decedere.
Ita tres simitu res agendæ sunt, quando unam occœperis:
Et currendum, & pugnandum, & autem jurgandum est in viâ.
CH. Quid illud est, quòd ille tam expeditè exquirit cursuram sibi?
Cura est, negotii quid sit, aut quid nunciet. AC. nugas ago,
Quàm maximè resisto, tam res in periculo vertitur.
CH. Mali nescio quid nunciat. AC. genua hunc cursorem deserunt.
Perii! seditionem facit lien, occupat præcordia.
Perii! animam nequeo vertere. nimis nihili tibicen siem.
CH. At tu edepol sume laciniam, atque absterge sudorem tibi.
AC. Nunquam edepol omnes balineæ mihi hanc lassitudinem eximent.
Domin' an foris dicam esse herum Charinum? CH. ego animi pendeo,
Quid illud sit negotii: lubet scire ex hoc me, ut sim certior.
AC. At etiam asto? at etiam cesso foribus facere hisce assulas?
Aperite aliquis. ubi Charinus herus? domin' est, an foris?
Num quisquam adire ad ostium dignum arbitratur? CH. ecce me,
Acanthio, quem quæris. AC. nusquam est disciplina ignavior.
CH. Quæ te res malè agitat? AC. multæ, here, te atque me. CH. quid est negotii?

 AC. Perii-

AC.Periimus.CH.principium inimicis dato.AC.at tibi sortitò id obtigit.
CH.Loquere id negotii,quicquid est.AC.placidè:volo acquiescere.
Tuâ caussâ rupi ramices,jamdudum sputo sanguinem.
CH.Resinam ex melle Ægyptiam vorato,salvum feceris.
AC.At tu edepol calidam picem bibito,ægritudo abscesserit.
CH.Hominem ego iracundiorem,quàm te,novi neminem.
AC.At ego maledicentiorem, quàm te,novi neminem.
CH.Sin saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo.
AC.Apage istiusmodi salutem , cum cruciatu quæ advenit.
„ CH.Dic mihi,AN BONI QVID VSQVAM EST,quod quisquam uti possiet
„ Sine malo omni: aut,ne laborem capias, cùm illo uti voles ?
AC.Nescio ego istæc:philosophari nunquam didici,neque scio.
Ego bonum,malum quò accedit, mihi dari haud desidero.
CH.Cedò tuam mihi dexteram agedum,Acanthio.AC.hem,dabitur: tene.
CH.Vin' tu te mihi ob esse-sequentem, an nevis? AC.operâ licet
Experiri,qui me rupi caussâ currendo tuâ ,
Ut quæ scirem, scire actutum tibi liceret. CH.liberum
Caput tibi faciam,paucos cis menses.AC.palpo percutis.
CH.Egon' ausim tibi usquam quicquam facinus falsum proloqui ?
Quin jam priusquam sim elocutus,scis, si mentiri volo. AC.ah ,
Lassitudinem hercle verba tua mihi addunt,enicas.
CH.Siccine mihi obsequens es? AC.quid vis faciam? CH.tun'?id quod volo.
AC.Quid est igitur,quod vis? CH.dicam.AC.dice.CH.at enim placidè volo.
AC.Dormientes spectatores metuis ne è somno excites.
CH.Væ tibi.AC.tibi equidem à portu apporto hoc.CH.quid fers? dic mihi.
AC.Vim,metum, cruciatum,curam,jurgiúmque atque inopiam.
CH.Perii,tu quidem thesaurum huc mihi apportavisti mali.
Nullus sum.AC.imò es.CH.scio.jam miserum dices. AC.tu dixti.ego taceo.
CH.Quid istuc est mali? AC.ne rogites: maximum infortunium est.
CH.Obsecro,dissolve jam me:nimis diu animi pendeo.
AC.Placidè,multa exquirere etiam prius volo,quàm vapulem.
CH.Hercle verò vapulabis,nisi jam loquere,aut hinc abis.
AC.Hoc sis vide, ut palpatur! nullus est,quando occœpit, blandior.
CH.Obsecro hercle oróque,ut,istuc quid sit,actutum indices :
Quandoquidem mihi supplicandum servulo video meo.
AC.Tandem indignus videor.CH.imò dignus. AC.equidem credidi.
CH.Obsecro,num navis periit? AC.salva est navis,ne time.
CH.Quid alia armamenta? AC.salva & sana sunt. CH.quin tu expedis
Quid siet,quòd me per urbem currens quærebas modò.
AC.Tu quidem ex ore orationem mihi eripis.CH.taceo. AC.tace.
Credo si boni quid ad te nunciem,insles acriter :

Qui

Qui nunc, cùm malum audiundum'st, flagitas me ut eloquar.
CH. Obsecro hercle te, istuc uti tu mihi malum facias palàm.
AC. Eloquar, quandoquidem me oras. tuus pater. CH. quid meus pater?
AC. Tuam amicam. CH. quid eam? AC. vidit. CH. vidit? væ misero mihi!
Hoc quod te interrogo, responde. AC. quin tu, si quid vis, roga.
CH. Qui potuit videre? AC. oculis. CH. quo pacto? AC. biantibus.
CH. I hinc dierectus: nugare in re capitali meâ.
AC. Qui (malum) ego nugor, si tibi, quod me rogas, respondeo?
CH. Certen' vidit? AC. tam hercle certè, quàm ego te ac tu me vides.
CH. Ubi eam vidit? AC. intus intra navim, uti propè astitit,
Et cum eâ confabulatus est. CH. perdidisti me pater.
Ehò tu, ehò tu, quin cavisti, ne eam videret, verbero?
Quin, scelestе, abstrudebas, ne eam conspiceret pater?
AC. Quia negotiosi eramus nos nostris negotiis:
Armamentis complicandis & componendis studuimus.
Dum hæc aguntur, lembo advehitur tuus pater pauxillulo:
Neque quisquam hominem conspicatu'st, donec in navi super.
CH. Nequicquam mare subterfugi sævis tempestatibus.
Equidem jam me censebam esse in terrâ atque in tuto loco:
Verùm video me ad saxa ferri sævis fluctibus.
Loquere porrò quid sit actum. AC. postquam aspexit mulierem,
Rogitare occœpit, cuja esset. CH. quid respondit? AC. illico
Occucurri, atque interpello, matri te ancillam tuæ
Emisse illam. CH. visu'st tibi credere id? AC. etiam rogas?
Sed scelestus subigitare occœpit. CH. illámne, obsecro?
AC. Mirum, quin me subigitaret. CH. edepol cor miserum meum,
Quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem.
Perii. AC. hem istuc unum verbum dixisti verissimum:
Stultitia istæc est. CH. quid faciam? credo, non credet pater,
Si illam matri meæ emisse dicam. post autem mihi
Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium.
Neque ille credet, neque credibile est formâ eximiâ mulierem
Eam me emisse ancillam matri. AC. non taces, stultissime?
Credet hercle. nam credebat jam mihi. CH. metuo miser,
Ne patrem prehendat, ut sit gesta res, suspicio.
Hoc quod te rogo, responde, quæso. AC. quid rogas?
CH. Num esse amicam suspicari visus est? AC. non visus est.
Quin quicque ut dicebam, mihi credebat. CH. verùm, ut tibi quidem
Visus est. AC. non; sed credebat. CH. væ mihi misero! nullus sum.
Sed quid ego hîc in lamentando pereo; ad navim non eo?
Sequere AC. si istàc ibis, commodùm obviam venies patri.

Postea

Posteaquam aspiciet te timidum esse atque exanimatum, illico
Retinebit, rogabit, unde illam emeris; quanti emeris;
Timidum tentabit te. CH. quin hàc ibo potius. jam censes patrem
Abiisse à portu? AC. quin eâ ego huc præcucurri gratiâ,
Ne te opprimeret imprudentem, atque elect̃aret. CH. optimè.

VERSVS sunt tetr. catal. trochaici. Vide tamen & Acidal.

SEIPSVM & pedes suos ad cursuram hortans Acanthio ita loquitur: *Ex summis opibus* &c. i. summo opere. Grammatici, qui *opem* significare tantùm *auxilium*, *opes*, *divitias*, censent; Sallustio respondeant, & pereant: *Palm.* V.N. Stichæ. I. I. Des. Heraldus ad illud Arnob. lib. I. *deos ex malleis fabricatos*, notat, auctorem abuti hâc præpositione, veterum exemplo; Lucretii & Plauti. Mercatore, *Ex summus opibus* &c. Pseud. I. I. *Expressam in cerâ ex anulo imaginem*. Sticho, act. 2. I.

Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.

3. CAVE PIGRITIÆ PRÆVORTERIS] i. ut Douza explicat, cave à pigritiâ prævorsus fueris. Est enim præterit. perfectum ἀπὸ τ͂ *prævorto*, pro *prævortor*, quomodo & simplex ejus *vorto*, solemne & frequens est Latinæ ætatis scriptoribus. Lambinus: Cave te ad pigritiam priùs verteris. Ita autem planè est in MSS. Pall. nisi quod ii *prævorteris*. Sed ed. quædam vett. *Cave pigritie prævorti.*

4. ENICATO SVSPIRITVS.] Ita Douza legit. *Enicato suspiritus*, i. crebras istas atque identidem repetitas anheli pectoris reciprocationes (vitium asthmaticis peculiare) facito enices atque pervincas animi invicti pervicaciâ ac firmitudine. V.N. Cistell. I. I. Cam. & Lamb. *Emicato suspiritus.*

4. VIX SVFFERO H. ANHELITVM] Idem quod mox dicit: *Pery: animam nequeo vortere*, i. recipere anhelitum; nempe ut sursum adscendat, *emicetque* quasi *in pectus*, ut loquitur alibi. D.

5. PLENISS.] ita omn. mei: non, *planissimè.*

5. ADV. EVNT] Vetus ed. *erunt.* quod probat Acid. *Esse, & fieri adversum alicui*, Plautinum.

5. ASSPELLITO] ita MSS. & omn. ed. i. abs te seorsum pellito, ut P. Valla explicat. Eodem significatu legitur hoc verbum Trin. act. 3. 2. *Ille qui aspellit, is compellit.* Sed J. Palm. audacter hoc refingit in *cispellito.* quod sit, diversum & ex eo loco pellere: *aspellere*, contrà. Amph. act. 3. 4. *cispellam virum.* V.N. Capt. 3. 3.

9. ET AVTEM JVRG.] ita MSS. Gruter ore uno efferunt, *autem*: non, *ante.* atque ita planè etiam conjecerat Acidal. Elegantiss. usus particulæ *autẽ*: quomodo & Casinæ Prologo, & Most. 3. 2. & Aul. Prol. Lucr. lib. 6.

Nec sunt multa parum tactu vitanda, neque autem
Adspectu fugienda.

Apul. I. Florid. *Nec revocare illud, nec autem mutare licet.* Etiam J. Gul. hoc observavit.

9. IN VIA] V.N. Curc. act. 2. 3.

10. QVID ILLVD EST] Pareus ejecit *illud*, præter MSS. editosque. masculè.

11. CVRA EST] ut sciam scil. L.

QVAM MAX. RESISTO] Indubitatò ita melius vett. libri: *Quàm maximè resisto, tam r.* Ita jamb. tetram. versus est: quales & priores videntur, & seqq. ad illum usque, *AC. At tu edepol calid.* A quo mutari in septen. troch. incipiunt. *Acid.*

14. SEDITIONEM FACIT LIEN] lien mihi currenti molestus est, & in præcordiis movetur huc & illuc: lien intumescit, &c. Tractus sermo à civitate, quæ seditione conflictatur. Lamb. V.N. Cas. 2. 6. & Turn. l. 7: 15.

15. NIMIS NIHILI TIBICEN SIEM!] Ich dochte zu keinem Pfeiffer. his enim largo & expedito spiritu opus est. *Anima*, spiritus est, quo calamus inflatur. Varro: *Phrygio per ossa cornu liquida canit anima.* Apul. *Nondum quidem tam infessa anima sono, nec tam pluriformi modo; nec tam multiforatili tibiâ.*

16. LACINIAM] V. N. Asin. act. 3: 2.

17. OMNES

17. OMNES BALINEÆ &c.]Ita MSS.Balneæ veterum à via, & aliàs, lassitudini eximendæ, Amph. act.2.2.Epid.5.1.Truc.act.2.3.

19. LVB.SCIRE EX HOC ME,VT S.]ita Grut.è MSS.vestigiis.Etiam Coler. & Acid. è vett.ed.*lub.sc.ex hoc med, ut s.cert.* Abundat τὸ *me*.Infrà, *certum est exulatum hinc ire me*. Vulgg.*ex hoc metu ut.*

20. FORIBVS FACERE.H.ASSVLAS] i.ita arietabo in fores, ut dissiliant in minutas assulas.Gloss. *Assula,σχινδαλμός*.Capt.act.4.2.

——aperite hasce ambas fores,
Priusquam pultando assulatim foribus exitium afferam.

Die Thür in drummer zerstossen.

20. UBI CHARINVS HERVS?]ita MS.sec.& omn.editiones at primus. *ubi Charinum servus*?S Pistoris mâlit: *ubi Charinus herus! domine* &c.

23. IGNAVIOR]sc.quàm domi nostræ: ubi nemo familiarium pulsanti neque respondent neque fores aperiunt.L.

24. RES]intemperiæ. D.

25. PRINCIPIVM INIMICIS DATO]Mos deprecandi scæva & infelicia solemnis veteribus.Asin.act.5:1.

Utinam malè qui mihi volunt, sic rideant!
Terent.Heaut.*istud inimicis nostris fiet.*
Ovidius:
Hostibus eveniant convivia talia nostris.Vide & Lamb.in Hor.3.Od.27.&Adag.*Si quid mali,in Pyrrham.*

26. PLACIDE: VOLO ACQVIESCERE]ita interpungas.Neq; enim hoc dicit Servulus, velle se placidè quiescere: sed jubet herum placidè singula exquirere.sibi enim cursu defatigato quiete opus esse.*Placidè*, i. lentè, cum morâ,paullatim.cui è regione respondet,*properè*.Mil.*Properè hoc,non placidè decet.* J.Gulielm.& Acidal.ad Rud. 4.4.

27. RVPI RAMICES: JAMDVDVM SPVTO SANGVINEM.]*Ramex*,Plauto est,quæ Martial. *herniæ*;vitium scroti & tunicarum, quæ inguina attingunt:ut notat L. ad Pœn.act.3.1. Juven. Sat.10.

——jacet exsanguis cum ramice nervus.

Jac.Dalechamp.ad Plin.20.13. *Ramices* ait *pulmonis venas* à Plauto dici. quod à Nonio habet. Hier. Mercurialis lib.1.20.Scio inquit, quid alii hîc dicant. Ego verò & omnes docti negant, sputum sanguinis scrotum sequi diruptum. Proindè *ramices* hoc loco explico venas pectoris latas: quas fortasse sic nominat, quòd populari ac rustico vocabulo quæque venæ amplæ,ut *varices* nuncupatæ,etiam *ramices* vocarentur. Vide Hippocr. seu Polybium lib.1.de morbis &c. Obiter hoc addo: Lasciviâ quâdam *herniæ* nomen παρὰ τὸ ἔρνος formarunt,ut & *Ramicis*, utrumque enim,, quod cùm intestinum incipit in scrotum decidere,videtur Ramum facere de quo Scal.in Catalect.consulatur etiam, Mercerus ad Nonii *Ramices*; ubi ostendit frustra medicos à poetis requirere opinionum vera;sequi enim vulgum.

28. RESINAM EX MELLE]Veritas hujus responsi in scholis medicorum exploranda est. Discorid. lib. 1. 93. & Plin. lib.14.6. Neque verò,inquit Mercurialis, *Resinam ex melle Ægyptiam devorare*(quod Charinus ludens Acanthioni suadet) ramicum est remedium. quas solâ Chirurgica operatione curari, magni medicinæ autores docent. Nos nostrum agamus. & quidem, *Resinam ex melle*, valet, *Resinam cum melle*: μετὰ μέλιτος, ut loquitur Discorid.Sic Var.3.de Rust.*Pullis apponitur nasturtium ex aquâ in vas.* Et Hom.Od.19. χῆνες πυρὸν ἔδουσιν ἐξ ὕδατος, *Anseres triticum ex aquâ comedunt*.Sed & in pronunciatu & mensura vocis *Resinæ* mirum quàm vulgo halucinentur: quos ut rectiùs sentirent, & Græcum ῥητίνη, & eruditæ antiquitatis consensus & autoritas poterat docere.Mart.lib.3.67.

Cessatis pueri,nihilque nostis
Vejentone alináque pigriores:

sic enim legi in germanis Cod. non, *Veterno resináque p.* docent Schalig. Turneb. lib.13.19. Lipsius Epist.Q.lib.1.5.H. Junius, alii majorum gentium doctores. vel certè, ut in MS. Pallat. antiquissimæ & optimæ notæ legi annotavit nuper Gruterus,

Vaterno Rasináque pigriores,

quæ duo nomina rivulorum fuisse,per quos navigabat Martialis, ipsa sententia flagitat. Nam frustra fuit Hispanus interpres *Laur. Ramirez de Prado*, qui vulgatum, *Veterno resináque*, contra Gruterum tueri, conatur. Nam sic geminum esset vitium. Molossus pes in secundâ regione; & jambus in primâ: quod in Martiale monstrum est,qui Phalæcium versum spondeo semper orditur,&c.Ita Juve-

Juvenal.Sat.8.in codd,in corruptis Venetæ editionis & Antwerp.

Despicias meritò. quid resinata juventus:

non, *quid enim resinata.* (quod primus Joh. Britannicus,ut opinor,in Edit. suâ anno 1511. ita corrupit.) Ne sententia, ut ait Turnebus, corrumpatur,& duæ syllabæ, naturâ longæ, invitis omnibus doctis corripiantur. Ergo par hoc exemplorum,quod isti Calepini pro se ex suo Calepino allegare poterant, nihil probat. Cætera sunt planissim, Martial. lib.3.74.

Quid faciant ungues? nam certè non potes illos
Resinâ,Veneto nec resecare luto.

Ibid.Epigr.77.

Resinata bibis vina,Falerna fugis.

Idem lib.12.32.

Nec plena turpi matris olla resinâ,
Summœniana quâ pilantur uxores.

sunt versus scazontes. Jul. C. Scal. in Teretism.

Tus,resina,siser,vitrum,jentacula,sulphur, &c.

Serenus:

Nec non resinas ex Oriciâ terebintho.

idem:

Resinâ ex facili,cerâ,viscoque coacta.

Sed quid me ita diffundo? Auruncis istis, qui pro consuetudine vitiosâ etiam,ut pro aris & focis pugnant;nunquam persuasero,etsi persuaserim.

29. CALIDAM PICEM BIBITO] Meursius: Mos exsecrantibus ferventem picem potandam precari. In veteri inscriptione apud Gruterum pag. MCXCI. 9: HÆC. STIGMATA. ÆTERNA. ACTE. LIBERTÆ. INVSTA. SVNT. VENENARIÆ. ET. PERFIDÆ. DOLOSÆ. DVRI. PECTORIS. CLAVOM. ET.RESTIM.SPARTEAM. UT.SIBI. COLLVM. ALLIGET. ET.PICEM. CALENTEM. PECTVS. MALVM. COMBVRAT. SVVM.

29. ÆGRITVDO] sc.amoris D.

30. HOMINEM EGO IRACVNDIOREM] Sic MS. pr. nam sec. abest *ego*, quod nec in vett.edd.Parei utraque editio illius particulæ loco habet *pol.* protervè.

DIC MIHI, AN BONI &c.]ita nos olim: *Puncta feres apium, si mel habere voles.* V. N. Amph. 2.2.

37. QVO ACCED.]ita edd.vett. & MSS. sec. nisi quod is *accidit.* at pr. *quod accedit.* unde Rittershus. divinab. *quoi acc.*

38. HEM, DAB.] ita MS.sec.sed pr. *em.*

39. OB ESSE SEQVENTEM] Ita MSS. & vett.edd.voce divisa. Vulgo *esse obsequentem.*

40. QVI ME RVPI]ita concinnitis alter MS. *qui.* nam nec in primo extat nostrum *qua*,sed verò *quam*: quod fortè fuerat, *quoniam*.Gruterus.

41. P.CIS M.]ita Gruter. & Acid. at Douza, *cis paucos m.* Lamb. *paucos post mens.*

42. PALPO PERCVTIS] V. N. Amph. 1.3.

49. APPORTO HOC] sc. *va*, & infortunium. L.

51. THESAVRVM MALI]maximam vim mali.V.N.Epid.1.1.& infrà:3.4.

52. TV DIXTI, EGO TACEO.CH.] ita MS. Cam.eleganter.

54. DISSOLVE JAM ME. NIMIS DIV ANIMI PENDEO.]Solve jam me, ut vinctum ac suspensum tuâ ancipiti oratione. Meursius sermonis ἀκολυθία, ut ait, motus,censet Plautum hos versus ita ordinasse:

CH.Obsecro,d.&c.
AC.Hoc sis vide &c.
CH.Hercle v.&c.
AC.Placide m.&c.

Nos, quod in utroque MSS.Cam.optimis illis & antiquiss.est, tenuimus.

55. QVAM VAPVLEM]Sic MSS.Pistoris leg. *vapules.* dixerat Charinus: *Dissolve me: nimis diu animi pendeo.* metaphorâ à servis aut aliis, qui in quæstione funibus torquentur, ductâ. cui servus in eâdem metaphorâ persistens subjicit: immò nondum tempus est dissolvere: multa enim à te pendente adhuc exquirere volo, antequam vapules; hoc est, si verba spectes, antequam huic cruciatui, quo pendens distineris, etiam virgas addam. vult autem: antequam malum, quod tibi dicturus sum, plenè cognoscas. Qui mutarunt in *vapulem*, putarunt Servo minus convenire, ut hero hæc dicat: cùm tamen totâ hac Scenâ admodum verniliter ipsi insultet. Et herus mox ipsi ex joculario verum malum interminatur, *hercle verò vapula-*

Vapulabis &c. Quod si omninò, *vapulem*, retinendum est, activè oportet accipias, quod mox adolescens invertit, & passivè usurpat. Posset etiam dici, Servum per jocum aliàs Plauto usitatum, sermonis formam mutare, & quod de hero dicere inceperat, in sese flagitribâ desinere.

47. UT PALPATUR] εἰρωνικῶς.

60. EQUIDEM CREDIDI] me dignum esse, cui supplices. *Alij*: me indignum videri tibi, cui supplices. L.

62. SANA] ita MSS. At L. leg. *sarta*.

69. QUID EAM?] MS. pr. *quidam*.

70. HOC QUOD TE INTERROGO] ita MSS. *Hoc quod*. nec displicet Grut. Acid. versûs transponit. quem vide.

71. OCULIS] Jocus ex ambiguo. V. N. Mil. 3. 1.

75. PROPE ADSTIT.] Grut. è MSS. sec. & vett. edd. depromit quidem, *uti prora adstitit*: quod & videantur probare sequentia: sed verius ei, *propè*, quod restat in priore MS. Pareus ultimò edidit *prora*, ex MS. sec. uti quidem notæ ejus cantant, sed minus verè? habet certè *prora*.

80. ET COMPONENDIS STUDUIMUS.] Scaliger: Malè hodie sic legitur, pro *tumicibus*, id est, velis carbasinis: quæ Græcis θώμιγγας. Lucil. *Indimus ei tomices canabinas*. Dicebant etiam, *tumiculas* & *tumiclas*: ut, *tumicla spartea*, apud Apul. Etiam *tumicem* pro vibice usurpabant. Glossar. *Tumex*, σμῶδιξ, ἱμαντώδης τύπος. Sed tunc Latinum est, à *tumendo* scilicet. Vide Scalig. ad Fest. atque etiam Turneb. lib. I. 27. Contrà Gruterus vulgatum propugnat: illudque *tumicibus* rectum hîc non esse, docet simili loco Stichi, act. 5. 3.

Lectis sternendis studuimus munditiisque apparandis.

82. CONSPICATU'ST, DONEC IN NAVI SUPER.] i. in superiore navis parte. Nam qui in navis superiore parte est, is & super & in navi est. Solebant autem præpositiones interdum geminare: ut *In circum*, pro, circumquaque: *In super*, *in ante*, *ad ex*, *ad ultra*, *ab ante*, *in coram*, *in palàm*, *ab usque*, *ex usque*, *in usque*. Papinianus: *strictam rationem insuper habere*, hoc est, ejus, quod superabũdabat, loco habere: & quia id quod abundat, negligere plerumque solemus, iccirco rectissimè Cujacius *in super habere*, pro negligere positum, arbitratus est. Eodem sensu Agell. lib. I. 19. *Tarquinius ore jam serio atque attentiore animo fit: eam constantiam confidentiamque non in super habendam intelligit*. Et hujusmodi geminatas propositiones, separatas fuisse, non conjunctas, probari facilè potest, &c. (Conjunctas tamen Muretus Var. lect. l. II. cap. 17. pertendit) Cic. *in ante diem*, &, *ex ante diem Non Junii. ad ex Cal. Mart.* Ter. Eun. *Ex Æthiopia est usque hæc*. (Tacitus lib. 13. *Tiberio ab usque*: quod Lipsius notat) Cic. pro L. Flacco: *sed ab usque Tmolo petivit*, &c. Hæc è Variis Jac. Rævardi JC. mutuati sumus, quibus addas licet Notas Inscriptionum Gruterianarum, pag. CCCLXXVIII, i.

87. CUIA ESSET] ita Rittersh. è MS. Cam. in quo *cui ess.* ut etiam versus troch. constet. Rud. 1. 4. *Cujanam vox mihi propè hic sonat*. Virg. *Cujum pecus*?

87. QUID RESP.] ita Grut. Senex n. (ut apparet) ipsam mulierem compellavit.

90. SUBIGITARE] per lasciviam nequiter attrectare. V. N. extremâ Capt. Ita autem Gruterus è MS. *subigitare*: ut in eadem Capt. *subigitationes*. Vulgò, *subagitare*.

94. CREDO, NON CR.] ita Grut. è MS. Cam. quod longè elegantius. nec aliter olim excusi.

101. RESP. QUÆSO. AC. Q.] ita Gruterus & Pistoris distinguunt. desperabundus enim adolescens quasi supplex fit servo. τὸ *mihi* non est in MS.

111. ELECTARET] Incogitanter sanè Lamb. substituit, *eluctaret*, verbum nihili, nec hîc Latinum, *Electaret*, sincerum & probum est; quod valet, rogando & appellando blandè eliceret, erogitaret. idem, quod alibi dixit, *exterebrare*, *expalpare*, *in quæstione exsculpere*: J. Gul. Dousa, & J. Grut. V. etiam. N. Trin. act. 4. sc. 1. Passeratius ad 2. el. 29. Propertii, videtur heic legisse *ejectaret*, & ita quoque est in sec. MS. nostro. sed id accidit ignorantia librarii haud satis oculati in discernendis characteribus.

ACTUS II. SCENA I.

DEMIPHO senex.

MIRIS modis dij ludos faciunt hominibus.
Mirisque exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hâc, quæ præteriit, proximâ
In somnis egi satis, & fui homo exercitus.
Mercari visus mihi sum formosam capram,
Ei ne noceret, quam domi antè habui capram,
Neu discordarent, si ambo in uno essent loco;
Posteriùs quam mercatus fuerum, visus sum
In custodiam eam Simiæ concredere.
Ea Simia adeò pòst haud multo ad me venit,
Malè mihi precatur, & facit convicium:
Ait sese illius operâ atque adventu capræ,
Flagitium & damnum fecisse haud mediocriter.
Dicit capram, quam dederam servandam sibi,
Suæ uxoris dotem ambadedisse. oppidò
Mihi illud videri mirum, ut una illæc capra
Uxoris Simiæ dotem ambadederit.
Instare factum Simia: atque hoc denique
Respondet, ni properem illam ab sese abducere,
Ad me domum intrò ad uxorem ducturum meam.
Atque oppidò, hercle, bene velle illi visus sum.
Ast non habere cui commendarem capram:
Quò magis, quid facerem, curâ cruciabar miser.
Interea ad me hœdus visus est aggredirier,
Insit mihi prædicare, sese ab Simiâ
Capram abduxisse, & cœpit irridere me.
Ego enim lugere, atque illam abductam conqueri.
Hoc quam ad rem credam pertinere somnium,
Nequeo invenire. nisi capram illam suspicor
Jam me invenisse quæ sit, aut quid voluerit.
Ad portum hinc abii manè cum luci simul,
Postquam hic id quod volui transegi; atque ego conspicor
Navem ex Rhodo, quâ heri est advectus filius.
Collibitum est illud mihi, nescio quî, visere:
Ascendi in lembum, atque ad navim advehor: atque ego
Illam conspicio formâ eximiâ mulierem;

Filius quam advexit meus matri ancillam suæ.
Quam ego postquam aspexi, non ita amo ut sani solent
Homines: sed eodem pacto ut insani solent.
Amavi hercle equidem ego olim in adolescentiâ:
Verùm ad hoc exemplum nunquam, ut nunc insanio,
Vnum quidem hercle jam scio, perijsse me.
Vosmet videte cæterum quanti siem.
Nunc hoc profectò sic est: hæc illa est capra.
Sed simia illa, atque hœdus, timeo quid velint.
Sed conticescam. vicinum eccum! exit foràs.

MIRIS MODIS &c.] Eadem Rud. act.3: 1. Sciendum autem, non Sabinos solùm, ut habet vetus adagio, sed etiam Poetas, quod volunt, somniare: ita lepidum hoc somnium est & nimium præsenti eventu. *J. Gul.*

V.2. SOMNIA IN SOMNIS] ita Grut. l. *In somnis*, vocibus binis. nam insomnem non fuisse sequentia docent. V.N. Bacch. act.4:3. v. 23. Passeratius ad lib. 4. Propertii Eleg. 4. emendandum ait *omina in somnis*. non malè, sed tamen non necessariò, nisi tribus quatuorve aliis locis etiam volumus emendare auctorem.

4. EGI SATIS] inversum per μετάθεσιν, pro *sategi*, ἀντὶ τοῦ *sat agere*. Cato: *Jam apud vallum nostri satis agebant*: D.

7. AMBO] ita MS. pr. & omn. edd. vetustiores usq; ad Aldum, qui *ambæ* maluit. ejecit tamen Camerarius, mansitq; alterum, usq; ad censuram Parei. is utraque editione redhibuit *ambæ*; quoniam scilicet ita hæreret in MS. altero: quem tamen tam vilem habet infra versu 12. ut *sese* alteram syllabam eo charactere expresserit, quo solitus est spuria; quamvis totidem literis compareret in eodem codice; quia abesset MS. pr.

17. DOTEM AMBADEDERIT] Acid. hîc jocum quærit hactenus nulli animadversum. Ludit, inquit, in verbo *ambadedere*. Sonus in eo est vocis *ambo*: cui opponit *unum*. Et ait mirari se, quomodo una capra dotem ambadederit. Hoc ita nisi accipias, nihil in iis verbis salis est: quanquam & illud simul ridiculè miratur, quomodo capra unica totam domum arrodere circum quàque potuerit, &c.

21. ATQ. OPPIDO H.] Hunc v. præpono alteri, *Ast non h.* Caussas enim sollicitudinis A duas ponit Demipho, suam benevolentiam in capellam, & quòd eam abstrudere nusquam posset: *J. Gulielm.* carpit hoc factum Pareus tanquam contra MSS. quid tum? tantò magis nobis debet placere.

32. POSTQ. HIC ID] ita MSS. Cam. non *illic*. Nam quid ad portum negotii transigendum fuerit Seni, excogitare nequeo. Putabam enim Senem non aliâ de caussâ ad portum vidisse, quàm ut de reditu filii quid cognosceret. *Schop.*

32. ATQ. F. C.] i. continuò.

34. ILLVD M.] J. Gul. *illic*. Notæ formulæ, *ad forum, in theatrum, domum visere*. id in textum recipit Pareus contra omnes libros.

35. ASCENDI IN LEMBVM.] MS. prior: *E scendum Lemb.* ut videatur revocandum, *E scendi*. V.N. infra 5.2. v.90.

B 36. ILLAM CONSPICIO] Grut. è MS. Cam. fingit *atque ego Ellam conspicio*. Ita superiùs v.9. cum vox *eam* absit MSS. & omnibus editis malebat, *In custodelam Simiæ concredere*. quomodo etiam legi posset initio Asinariæ: *facient obsequentiam*. Pareus heic superciliosus fit, & miratur cur editores novissimi hæc figmenta, *ellam conspicio* in textum admiserint. At id nemo fecit, quàm ipsemet Pareus. is enim prima editione ita ostentat, præterea nemo. Quid tibi, Lector, videtur de tali monstro, quod miratur proprias absurditates? & ita tamen dissimulanter, ut cuivis potius impactas velit, quàm sibi? ad hoc exemplum nemo unquam insaniit; nedum literis amentiam suam produxerit.

43. QVANTI SIEM] Schop. l. ex MS. primo *qui*, ἀνωμάλως. at Gruterus retinet alterius scripturam, *quanti*, expertus jam sæpius codicem istum meliorem.

ACTUS II. SCENA II.

LYSIMACHVS, DEMIPHO, LORARII.

PROFECTO ego illunc hircum castrari volo,
Ruri qui nobis exhibet negotium.
DE. Nec omen illud mihi, nec auspicium placet.
Quasi hircum, metuo, ne uxor me castret mea,
Atque illius hæc nunc simiæ parteis ferat.
LY. I tu hinc ad villam, atque istas rastros villico
Pisto ipsi facito coràm ut tradas in manum.
Vxori facito ut nuncies, negotium
Mihi esse in urbe, ne me exspectet. nam mihi
Tris hodie lites judicandas dicito.
I, & hoc memento dicere. LO. nunquid amplius?
LY. Tantùm est. DE. Lysimache, salve. LY. euge! Demipho
Salve. ô quid agis? quid fit? DE. quod miserrimus.
LY. Dij melius faxint. DE. dij hoc quidem faciunt. LY. quid est?
DE. Dicam, si videam tibi esse aut operam aut otium.
LY. Quanquam negotium est, si quid vis, Demipho,
NON SVM occupatus unquam amico operam dare.
DE. Benignitatem tuam mihi experto prædicas.
Quid tibi ego ætatis videor? LY. Acheruntîcus
Senex, vetus, decrepitus. DE. perversè vides.
Puer sum, Lysimache, septuennis. LY. sanun' es?
Qui puerum se esse dicas. DE. vera prædico.
LY. Modò hercle in mentem venit, quid tu diceres:
SENEX CVM extemplò est, jam nec sentit, nec sapit,
Ajunt solere eum rursum repuerascere.
DE. Imò bis tanto valeo, quàm valui prius.
LY. Bene hercle factum, & gaudeo. DE. imò si scias,
Oculis quoque etiam plus jam video, quàm prius.
LY. Bene est. DE. malam rem dico. LY. jam istuc non bonum est.
DE. Sed ausimne ego tibi eloqui, si quid velim?
LY. Audacter. DE. animum advorte. LY. fiet sedulò.
DE. Hodie ire in ludum occœpi literarium,
Lysimache: ternas scio jam. LY. quid, ternas? DE. AMO.
LY. Tun' capite cano amas, senex nequissime?
DE. Seu canum, seu istuc rutilum, sive atrum est, amo.
LY. Ludificas nunc tu me hic, opinor, Demipho.
DE. Decide collum, si falsum est uti loquar:

Vel,

Vel, ut scias me amare, cape cultrum, seca
Digitum vel aurem, vel tu nasum, vel labrum:
Si movero me, seu secari sensero;
Lysimache, auctor sum uti me amando hîc enices.
LY. Si unquam vidisti pictum amatorem, hem! illic est.
Nam meo quidem animo vetulus, decrepitus senex
Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.
DE. Nunc tu me, credo, castigare cogitas.
LY. Egon' te? DE. nihil est jam quod tu mihi succenseas:
Fecêre tale antè alij spectati viri.
,, *HVMANVM amare est, humanum autem ignoscere est.*
Ne sis me objurga. hoc non voluntas me impulit.
LY. Quin non objurgo. DE. at ne deteriorem tamen
Hoc facto ducas. LY. egóne te? ah, ne dî siverint.
DE. Vide sis modò etiam. LY. visum'st. DE. certen'? LY. perdis me.
Hic homo ex amore insanit. nunquid vis? DE. vale.
LY. Ad portum propero: nam ibi mihi negotium est.
DE. Bene ambulato. LY. bene valeto. DE. bene sit tibi.
Quin mihi quoque etiam est ad portum negotium.
Nunc adeò ibo illuc. sed optimè gnatum meum
Video, eccum! opperiar hominem: hoc nunc mihi viso est opus,
Huic persuadere quomodo potis siem,
Vt illam vendat, neve det matri suæ:
Nam ei dono advexe audivi. sed præcauto opus,
Ne ad illam me animum adjecisse aliquâ sentiat.

PISTO] Sic MSS. sic edd. vett. Primùm Aldus supposuit *Præstò*. minus rectè. est enim servi nomen: unde & id iterum auctori restituit Camerarius; nec quisquam ei controversiam movit ante Pareum, qui utraq; editione ostentat *præsto*. scias ignorasse vim vocis prioris.

V. 10. LITES IVDICANDAS] Lites judicio disceptandas, & peragendas. Notandum, reo tribui, quod proprium est judicis. Pari ratione *condemnare adversarium* dicitur is, qui litem vincit, ac judicatum reum facit: *Siberus*. Cæterum scriptura MSS. est, *Tris hodie litis jud.* ut & vett. edd.

8, 10. FACITO. DICITO &c.] Nota, quàm discretè & propriè noster loquatur. Servum ad villam ire jubet: & huic rei utitur *Præsenti* tempore Imperativi, *I tu &c.* At verò cùm mandata dat, *Futuro* seu Mandativo modo (ut appellant) utitur: *facito tradas; judicandas dicito &c.*

11. I, ET HOC MEMENTO DICERE.] *Ei*, προχαίρειν in Plaut. & Ter. semper scribitur, quod nos, *i.* Jubet enim puerum abire, & quæ imperârat, rectè nunciare: *J. Gulielm.*

13. SALVE. Ô QVID] ita MS. Cam. & vett. edd. Vulgo, *Salveto q.*

20. SENEX, VETVS] ita uterq; MSS. Lambinus suspicatur, *vietus*: ut & Pighius, qui Valerii Max. lib. 6. cap. 2. *vietas cicatrices* interpretatur veteres quidem, sed putres ac malè curatas. Terent. Eun. *Hic est vietus, vetus, veternosus senex. Vietus*, interprete Festo, est languidus, sine vi ac naturalibus. V. N. Bacchid. 3:3. H. Steph. interpunctionem tollit, & legit; *Senex vetus*: ad exemplum illius Tibulli, *In veteres esto dum puella senes. Vietus* quoq; extat in Aldina & eam secutis, etiam Pareana prima.

25. Re-

25. REPVERASCERE] Proverb. *Bis pueri, senes.* Theopompus Comicus: δὶς παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῷ τῷ λόγῳ.

26. VALEO] *valeo*, sc. ab animo: hoc est, bis plus sentio ac sapio quàm olim,

Jucundum cùm ætas florida ver ageret. D.

33. TERNAS] sc. litteras, *A.M.O.*

35. SEV CANVM] In MSS. est, *Si canum &c.* quod probat Schoppius. *Si*, pro, *sive*, elegantissimum. Capt. 1:2. *Sinito ambulare, si foris, si intus volent.* Curc. 1: 1. *Si media nox est, sive est prima vespera.* Stich. 3: 1. *Here, si ego taceam seu loquar, &c.* V. N. Rud. 4. 7. Adi etiam Anacreontem Carm. XI. cui initium, Λέγουσιν αἱ γυναῖκες, & habebis egregium par capitalium amatorum.

37. AD TE LOQ.] Sic edd. vett. & MS. sec. nam pr. *falsam stati loquar.* ex quo fecit Camer. *falsum est uti loq.* non malè. Acid. *si f. est, nec uti loquor.* Sed mera opinio est. recepit id tamen in contextum primæ Pareus; nisi quod is, *loquar.* qui de hoc suo facinore, ita ipsemet loquitur: Al. *f. est, nec uti loquar.* quam lectionem alii prætulerunt manifestæ lectioni MSS. lib. adeo improbitas paullò post & sibiipsi odiosa fit. nam sic nemo unquam edidit præter Pareum.

44. TANTIDEM EST, Q. SIT SIGN.] ita opt. MS. nec debuit sollicitari à Pareo; *Tan-*

A *tumdem est, quasi si signum p.* ut conjecerat Acidalius.

49. NE SIS ME] ita Schop. ex MS. pr. At J. Gul. & Acid. *Ne sis ne objurga*, quomodo ferè MS. sec. & edd. vett.

49. HOC NON] pro, *ad hoc*: L. Sed. J. Gul. & Acid. *hoc*, antiquâ ratione scribendi ajunt esse, *huc*. Libri tamen vett. aliter: neque malè distinguunt, *ne objurga hoc*: quasi sit, propter hoc. At pessimè Pareana ultima: *ne objurga: hoc voluntate me impulit.* prorsus contra mentem auctoris, contra rationem metri, contra omnes libros scriptos cusosque. quò non evaderet inscita licentia, nisi nunc ei

B alas reciderem?

51. NE DII SIVERINT] Proverbialis deprecatio fuit hæc veteribus. Græci, μὴ γένοιτο. Nostri: Da sey Gott vor.

61. PRÆCAVTO OPVS, NE] Sic edd. primæ, optimè ad versum. nam MSS. *præcauto est opus.* unde & Acidalius maluit *opust.* quod prior Pareana sequitur; non etiam secunda: adeò ignorantia maximè est instabilis.

62. NE AD ILLAM] Ita quidem edd. vett. verùm uterq; Pall. *Ne hic illam me.* an fuit, *Ne hic illai me animum.*

ACTUS II. SCENA III.

CHARINVS, DEMIPHO.

HOMO me miserior nullus est æquè, opinor,
Neque adversa cui sint plura sempiterna.
Satin, quicquid est, ut *quam rem agere occœpi,*
Proprium nequit mihi evenire quod cupio?
Ita mihi mala res objicitur aliqua,
Bonum quæ meum comprimit consilium:
Miser amicam mihi paravi, animi caussâ, pretio,
Ratus clam patrem meum posse habere.
Is rescivit, & vidit, & perdidit me.
Neque is, cum roget, quid loquar cogitatum est,
Ita animi decem in pectore incerti certant.
Nec, quid corde nunc consilij capere possim

Scio,

Scio, tantus cum curâ meo est error animo.
Dum servi mei perplacet mihi consilium,
Dum rursum haud placet: nec pater potis videtur
Induci, ut putet matri ancillam emptam esse illam.
Nunc si dico ut res est, atque illam mihi me
Emisse indico; quemadmodum existimet me?
Atque illam abstrahat; trans mare hinc venum asportet.
Scio, sævus quàm sit, domo doctus. igitur hoccine est
Amare? arare mavelim, quàm sic amare.
Iam hinc olim invitum domo extrusit ab sese,
„ *Mercatum jussit ire: ibi hoc malum inveni. VBI*
„ *VOLVPTATEM ægritudo vincat, quid ibi inest amœni?*
Nequiquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam.
Musca est meus pater, nihil potest clam illum haberi.
Nec sacrum, nec tam profanum quicquam est, quin
Ibi illicò adsit. nec, qui rebus meis
Confidam, mihi ulla spes in corde certa est.
DE. Quid illuc est, quod solus secum fabulatur filius?
Sollicitus mihi, nescio quare, videtur. CH. attate!
Meus pater hic quidem est, quem video. ibo, alloquar. quid fit, pater?
DE. Vnde incedis, quid festinas, gnate mi? CH. rectè, pater.
DE. Ita volo. sed istuc quid est, tibi quòd commutatu'st color?
Nunquid tibi dolet? CH. nescio quid meo animo est ægrè, pater.
Postea hâc nocte non quievi satis meâ ex sententiâ.
DE. Per mare ut vectus, nunc oculi terram mirantur tui.
CH. Magis opinor. DE. id est profectò. verùm actutum abscesserit.
Ergo edepol palles: si sapias, eas ac decumbas domi.
CH. Otium non est, mandatis rebus prævorti volo.
DE. Cras agito, perendie agito. CH. sæpe ex te audivi, pater:
„ *REI MANDATÆ omnes sapientes primùm prævorti decet.*
DE. Age igitur, nolo adversari tuam adversus sententiam.
CH. Salvus sum, siquidem isti dicto solida & perpetua est fides.
DE. Quid illuc est, quòd ille solus se in consilium sevocat?
Iam non vereor, ne illam me amare hic potuerit rescïscere.
Quippe haud etiam quicquam ineptè feci, amantes ut solent.
CH. Res adhuc quidem hercle in tutò st: nam hunc nescire sat scio
De illâ amicâ. quod si sciret, esset alia oratio.
DE. Quin ego hunc aggredior de illâ? CH. quin ego hinc me amolior?
Eo ego, ut quæ mandata, amicus amicis tradam. DE. imò mane!
Paucula etiam sciscitare prius volo. CH. dic quid velis.
DE. Vsquéne valuisti? CH. perpetuò rectè, dum quidem illic fui:

Verùm, in portum huc ut sum advectus, nescio quî animus mihi dolet.
DE. Nauseâ edepol factum credo: verùm actutum abscesserit.
Sed quid ais? ecquam tu advexti tuæ matri ancillam Rhodo?
CH. Advexi. DE. quid? ea ut videtur mulier? CH. non edepol mala.
DE. Vt morata est? CH. nullam vidi melius meâ sententiâ.
DE. Mihi quidem edepol visa est, cùm illam vidi. CH. eho an vidisti, pater?
DE. Vidi: verùm non ex usu nostro est, neque adeò placet.
CH. Quî verò? DE. quia non nostrâ formam habet dignam domo.
Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,
Lignum cædat, pensum faciat, ædis verrat, vapulet,
Quæque habeat cotidianum familiæ coctum cibum.
Horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum.
CH. Eâ caussâ equidem illam emi, dono quam darem matri meæ.
DE. Ne duis, neu te advexisse dixeris. CH. dÿ me adjuvant.
DE. Labefacto paulatim. verùm quod præterÿ dicere,
Neque illa matrem satis honestè tuam sequi poterit comes,
Neque sinam. CH. quî verò? DE. quia illâ formâ matremfamilias
Flagitium sit, si sequatur. quando incedat per vias;
Contemplent, conspiciant omnes, nutent, nictent, sibilent,
Vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium.
Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.
Atque, ut nunc sunt maledicentes homines, uxori meæ,
Mihique, objectent lenocinium facere. nam quid eo est opus?
CH. Hercle quin tu rectè dicis: & tibi assentior ego.
Sed quid illâ nunc fiet? DE. rectè. ego emero matri tuæ
Ancillam viraginem aliquam non malam formâ malâ,
Vt matrem addecet familiâs, aut Syram, aut Ægyptiam:
Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro, neque
Propter eam quicquam eveniet nostris foribus flagitÿ.
CH. Quid si igitur reddatur illi unde empta est? DE. minimè gentium.
CH. Dixit se redhibere, si non placeat. DE. nihil istoc opu'st:
Ligitare nolo ego vos. quàm tuam autem accusari fidem.
Multò edepol, si quid faciendum est, facere damni mavolo,
Quàm approbramentum aut flagitium muliebre efferri domo.
Me tibi illam posse opinor luculentè vendere.
CH. Dum quidem hercle ne minoris vendas, quàm ego emi, pater.
DE. Tace modò: senex est quidam, qui illam mandavit mihi
Vt emerem ad istanc faciem. CH. at mihi quidam adolescens, pater,
Mandavit ad illam faciem, ita ut illa est, emerem sibi.
DE. Viginti minis, opinor, posse me illam vendere.
CA. At ego, si velim, jam dantur septem & viginti minæ.

DE. At

DE. At ego. CH. quin ego inquam. DE. at nescis quid dicturus sum, tace.
Treis minas accudere etiam possum, ut triginta sient.
CH. Quò vortisti? DE. ad illum, qui emit. CH. ubi nam est is homo gentium?
DE. Eccillum video. jubet quinque me addere etiam nunc minas.
CH. Hercle illunc dij infelicent, quisquis est. DE. ibidem mihi
Etiam nunc adnutat; addam sex minas. CH. septem, mihi.
Nunquam edepol me vincet hodie. commodis poscit, pater.
DE. Nequiquam poscit: ego habebo. CH. at illic pollicitu'st prior.
DE. Nihili facio. CH. quinquaginta poscit. DE. non centum datur.
Potine ut ne licitere adversum animi mei *sententiam?*
Maximam hercle habebis prædam; ita ille est, cui emitur, senex:
Sanus non est ex amore illius. quod posces; feres.
CH. Certò edepol adolescens ille, cui ego emo, efflictim perit
Ejus amore. DE. multo hercle ille magis senex, si tu scias.
CH. Numquam edepol fuit neque fiet ille senex insanior
Ex amore, quàm ille adolescens, cui ego do hanc operam, pater.
DE. Quiesce, inquam. istanc rem ego rectè videro. CH. quid agis? DE. quid est?
CH. Non ego illam mancupio accepi. DE. sed ille illam accipit. sine.
CH. Non potes tu lege vendere illam. DE. ego aliquid videro.
CH. Post autem communis est illa mihi cum alio. qui scio
Quid sit ei animi; vænirène eam velit, an non velit?
DE. Ego scio velle. CH. at pol ego esse credo aliquem, qui non velit.
DE. Quid id meâ refert? CH. quia illi suam rem esse æquum est in manu.
DE. Quid ais? CH. communis mihi illa est cum alio: is nunc hîc non adest.
DE. Prius respondes, quàm rogo. CH. prius tu emis, quàm vendo, pater.
Nescio, inquam, velit ille illam, nécne abalienarier.
DE. Quid illic quidam, qui mandavit, cùm ille nolet? nihil agis.
Nunquam edepol quisquam illam habebit potius, quam ille quem ego volo.
Certum est. CH. censen' certum esse? DE. quin ad navim jam hinc eo.
Ibi vænibit. CH. vin' me tecum illò ire? DE. nolo. CH. non placet.
DE. Meliu'st te, quæ sunt mandatæ res tibi, prævortier.
CH. Tu prohibes. DE. at tu excusato, te fecisse sedulò.
Ad portum ne bitas, dico jam tibi. CH. auscultabitur.
DE. Ibo ad portum, & ne hîc rescifcat cauto opu'st. non ipse emam,
Sed Lysimacho amico mandabo. is se ad portum dixerat
Ire dudum: me moror, cum hîc asto. CH. nullus sum, óccidi.

VERSVS sunt trimetri confusis numeris, A catalectici & acatal. usq; ad eum: *Quid, illoc est, q.* unde deinceps tetrametri procedunt catal. προχαΐζοντες. quorum similes sunt & seq. Scenæ versus.

V. 4. PROPRIVM] i. diuturnum, stabile. V. N. Trin. act. 5: 2.

11. ITA ANIMI DECEM] ita MSS. Cam. Sed J. Gul. Senarium recolligit: *Ita animi in pectore incerti certant decem.* Sic Bacch. *decem linguas* dixit ἀντὶ πολλῶν, act. 1: 2. & istud illicò invasit editione prima Pareus. At J. Palm. legit,

Ita animi mede cura in pectore incertant.

Mede pro *me*. Sententia est: Ita me curæ animi incertum reddunt. hoc enim est, *incertare animi*. P.Syrus, A

Amans, quid cupiat, scit: quid sapiat, non
videt.

quod Scaliger Græcè:

Ἐρῶν τι λῇ μὲν οἶδεν, οὐχ' ὁρᾷ δέ τι φρονεῖ.

13. MEO EST ERROR ANIMO] Sic MS. sec. nam pr. *meus terror*. falsò enim ex eodem Pareus edidit *meu'st error animo*. quid tamen illo sibi vellet, monitum oportebat.

18. QVEMADM. EXIST. ME?] V.N. Curc. act. 1:1.

19. ATQVE ILLAM ABSTRAHAT] M. Piccardus hoc impeditum sic expeditum ibat, legendo: *Atque illam abstrahet, trans mare hinc venum asportans*. Ut τὸ *atque* sit *statim*, nostro usitatum. sed eodem redit lectio prior, quæ & in vett. edd. & MSS. malè igitur Pareus *hic* in textum recèpit pro *hinc*: quod huc magis convenit.

20. SCIO, SÆVOS QVAM SIT, DOMO DOCTVS.] ita è MSS. Cam. Gruterus & Schop. Elegantissima & quantivis pretii lectio. *Domo doctus*, vel, *domi didicisse* dicitur, qui ex seipso quid expertus est, nec opus habuit, ut aliunde disceret. Amph. 2:1. *experior domo*. B V.N. Cist. 2:1. & Mil. 2:2.

21. ARARE MAVELIM, QVAM SIC AMARE] Mart. l. 9:22.

Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Pareus ad istæc notat in Electis suis: *Amor fastidit omnia adversa*. Appositè, per Asinum & Suem!

26. MVSCA EST MEVS PATER, N.] Vide Al. Brassicani Adag. *Musca est*. Non enim parasiti solùm *musca* dicti sunt olim, sed etiam homines curiosi, qui nihil non exquirunt & penetrant. Itaque Ægyptios Orus tradit cùm *impudentiam* signare vellent, muscam pinxisse, quòd nimirum vix abacta nihilominùs continuò redeat. Vide J. Lips. Antiq. Lect. 3. & Not. Pœn. 3:3. Germ. Es ist ein vnnütze Fliege.

27. QVIN IBI IL. ADSIT] Hæc scriptura est Codd. Cam. & vett. edd. Tamen è sua ed. Meurs. *quin Tibi assit*. Elegans phrasis, quid ni?

31. ATTATE,] ita J. Palm. *attate, Meus &c.* Interjectio est in re subità & timidâ. Ita & MS. sec. & primitus cusi. at pr. cum edd. *attate*.

33. RECTE, PATER] q.d. Non festino pater. *Rectè* enim usurpabant interdum veteres, cum negare vellent: negationis tamen particulam religione obstricti ponere nollent. Ter. Hec. *quid es tam tristis? P. rectè, mater*. Ad quem locum Donatus: *Sic loquimur, cum sine injuriâ interrogantis aliquid retinemus*. Es hat gute weg. V.N. Bacchid. act. 1:1.

34. ITA VOLO] i. opto. D.

34. SED ISTVC QVID EST, TIBI QVOD COMMVTATVST COLOR?] Ita Gruterus è MS. sec. & edd. vett. itaque Acid. ex conjecturâ.

36. POSTEA] i. præterea. D.

37. MIRANTVR TVI.] ita MSS. Pall. Sed J. Gul. distinguit: —— *tui Magis. CH. opinor. DE. id*. Scilicet qui diu in mari vectus erat, magis terram mirabatur, quàm solitus erat. & hoc utraq; editione retinuit Pareus contra omnes quoq; editiones.

38. ABSCESSERIT] sc. ægritudo.

39. EDEPOL PALLES] Parei prima ejecit *palles*, quamvis id è MSS. revocarat Cam. & omnino requireret versus.

51. EO EGO, VT QVÆ MANDATA, AMICVS AMICIS] Sic MS. sec. neque aliter pr. quàm quod is *amicum*. unde Cam. *Eo ego, atque mandata amicum amicis*. Pareus utraque; *Eo ego ut quæ mandat amicus*. ineptè; & contra MSS.

57. NON ED. MALA.] i. non deformis: ut Catull. D. Vide N. Mil. act. 3:4.

58. NVLLAM VIDI MELIVS] Haud aliter edd. veteres usq; ad Aldinam, in quâ, *nulla ut melius*. quod veluti spurium correxit in suâ Camerarius: motus præterea auctoritate MSS. in quibus illud alterum. & verò omnes recensores eidem deinde lectioni acquieverunt præter Pareum, qui utraque suâ revocavit scripturam fictitiam. cur? quia in quâ libet stultitia.

59. MIHI QVID.] ita MSS. Pall. & omnes edd. vett. præter Aldinam & sequaces. quas Acid. probat. At Grut. suspicabatur; *Mihique idem edep*. at Pareus in primâ, maluit accedere Acidalio. rediit tamen ad MSS. in secunda. ô Chamaeleontem!

61. DE. QVIA NON NOSTRA] Versui melius fieret, repetito: *DE. qui? quia non nostra*.

63. ÆDES VERRAT] σαίρειν δῶμα, Eurip. Vide P. Vict. l. 11:1.

64. QVÆQ.

64. QUÆQ. HABEAT] Coquam significat, & quæ panem faciat; non, ut censet Palmerius, quæ avidè vescatur miseris his quotidianis servilibus escis, in quā quidem sententiam legebat is, *Quæque abeat quotid.* Est ergo hæc circumlocutio coquæ. &, *habere coctum cibum*, nihil aliud, quàm cibum coquere. Ita idem noster apud Varron. lib. 6. L. L. *Plautus Epeum fumificum, coquum: ab Epeo illo, qui dicitur ad Trojam fecisse equum Trojanum Argivis, & aptè cibum curasse. Ideò ait; Epeum fumificum, qui legioni nostra habet coctum cibum.* Jocosè cocum ait vocari à Plauto *Epeum fumificum.* Talis autem formula loquendi & illa est Cic. 3. de Rep. *infestum habere*, pro infestare, & similes alibi. *J. Gulielm.* & *V. Acidal.*

67. NE DUIS] MSS. Cam. *Ne duas.* nam pr. *tuas.*

73. OCCENTENT OSTIUM:] Festus: *Occentare, dicebant pro convicium facere, cùm id clarè & cum quodam canore fieret, ut procul exaudiri posset: quod turpe habebatur: quia non sine caussā fieri putatur.* Addit Scaliger; *SI. QUIS. CARMEN. OCCENTASSIT. QUOD. ALTEREI. FLAGITIUM. FAXIT. CAPITAL. ESTO.* *Flagitium* apud veteres significabat infamiam. Itaque Plautus (Epid. 3. 4.) *majore cum flagitio reddes posteà*: hoc est, cum infamiâ: & Cato: *intercutibus stupris flagitatus*, i. intestinis probris infamatus. unde *Flagitatores* dicti posteà Fœneratores, quòd convicio repetant fœnus. Nam odio fœneratorum hæc in illos appellatio obtinuit. cùm alioqui leg. XII. *flagitare*, i. conviciis alicujus existimationem lædere, capital esset. Itaque rectè Festus ait, *turpe haberi, quia non sine caussā fieri putetur.* Vix enim quisquam eò audaciæ proveheretur, ut alicujus famam peteret, nisi justissima caussa subesset. Quare occentare non licebat, cùm aliquis rem suam repetebat. hoc enim propriè dicebatur *flagitare*: quod idem, ut puto, lex vocabat, *pipulo poscere.* Plaut. Aul. 3. 2. *Pipulo hîc differam te ante ædes.* quod idem in Persa 4. 4. *occentare ostium*, dixit. Isidorus in Glossis: *Pipulo*, i. convicio, ploratû. Curc. act. 1. 2.

74. IMPLEANTUR] *Implere*, cum genitivo positum: ut Lucr. *ararum impleverat urbes.* Aul. act. 3. 7. *omnes angulos furum implevisti.* Men. 5. 5. *me implevit flagitiï & formidinis.* Vide & Turn. lib. 7. 15. ubi etia n nomen *elogii* ab *elegio* manâsse suspicatur: quod in utramque partem accipitur: ut & *elegy* nomen tam laudi, quàm vituperationi servit. Et Scal. in Culicem annotat, *Elogium* propriè esse, quod Gallicè *blason*: quod tam in bonam, quàm in malam partem accipiendum. Item, *Elogium* ex Gr. & Lat. voce conflatum esse, ut in *Prologo* & *antelogio*: neque dici *elogium* quasi *eclogium*, quicquid alii dicant, &c. Vide ibid. copiosiss. ut & Scip. Gentil. Parerg. lib. 2. cap. 29. Casaubonus tamen in Sueton. lib. 1. contra omnes docet, *elogium* planè nihil esse aliud, quam *ἐκλόγιον*, id est, *titulum, caussæ brevem explicationem*, *præfationem.* & Valer. Maximum *præfationem* sæpe usurpasse pro *elogio* &c. Passerarius ad lib. 1. El. 16. Propertii stat à lectione vulgata *elegiorum.* quod utique *τὸ ἐλεγεῖον* sit versus elegiacus & amatorius. Ovid. lib. 3. El. 1. *Ab quoties foribus duris incisa* (Elegia) *pependi, Non verita à populo prætereunte legi.* Item El. 7. *Ad rigidas canto carmen inane fores.* Interpres Persii ad Sat. 5. *Fores amicarum solent unguento perfundere, & ante januam earum noctem vigiliis & cantu transigere.* Ovid 4. Fast. *Primus amans carmē vigilatum nocte negata. Dicitur ad clausas concinuisse fores.* Cæterùm quâ ratione carbones impleant fores elogiis, quæstio est. Ego id fieri arbitror, inquit Gruterus, cùm face extinctâ inscribebatur famosum aliquod ostio carmen. Jam enim diu est quod Lipsius docuit, amantes cùm non reciperentur à puellis intra ædes, deficientes faculas sub auroram ad ostium abjicere solitos. Sed hoc fuerit patientiorum. callidiores, accensa etiam lumina ostio illidebant, & minitabantur exustionem domûs: ut Persa, 4. 4. Inter hos medii erant, quibus sufficiebat januas amicarum calcibus impetere, aut ferro incidere, aut cōscribillare extincto titione. P. Arbiter alludit; *totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra humerosque sopitis titionibus pinxit.* Eleganter: *sopiti titiones*, contrarii sunt *ardentibus* & *vigilantibus.* Virg. 8. Æn.

Impositum cinerem & sopitos suscitat ignes.

 hunc

hunc *inaspicuum* nominat Ausonius, quod sc. non videatur, & ipse etiam quasi cæcus sit. Atque ista eò libentius fiebant à petulanti juventute: quia mala, carbone; bona, cretâ solita erant notari. Persius Sat. 5.

Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notâsti, &c.

Nihil tamen vetat, quin & carbone uterentur; ubi scilicet januæ eo essent colore ut creta in iis minus appareret. unde Martial. 12. Epig. 62. *Qui carbone rudi, putrique creta Scribit carmina* &c. Sed neque quidquam prohibet quin hæc etiam interpretemur in melius: velitque senex, futurum, ut juventus amore accensa cantet ad limen formosæ hujus, prætereaque laudes ejus breviter foribus inscribat, quemadmodum & aliis locis publicè factum, satis notum est, ex Clemente Alexandrino & Arnobio, exhibentibus nobis *Pantarcen pulcrum*; ex Aristophanis Acharn. quo loco affirmatione quidem Sitalcis, pinguntur Ἀθηναῖοι οἱ καλοί. ex Luciani amoribus, ubi *Venus pulcra*, ex Epistola 10. lib. 1. Aristineti, jactante Κυδίππην καλὴν &c. ad quem locum videantur Merceri notæ, quemadmodum item ad Persii Sat. 5. Casauboni ac Marcilii annotamenta. *Occentare* in bonam partem occurrit supra apud nostrum Curcul. 1. 2. v. 57. In MSS. est: *f. carbonibus elegeorum*. quam positionem cur dissimulat Pareus?

76. OBIECTENT] ita MS. Cam. sec. & vett. ed.

81. EA MOLET CONFICIET PENSVM] Pareus ex MS. pr. intulit versu gemente, *Ea molet, coquet, conf.* quæ vox in nullo præterea libro edito: spernitq; eam alioqui MS. sec. codex castigatior altero.

81. PINSETVR FLAGRO] verberabitur. tralatio est. L. MSS. & edd. vett. *pensetur*.

84. SE REDHIBERE] pro, *redhibiturum se*. Nam *Redhibere* est recipere & quasi iterum habere: litterâ *d* interjectâ, ut in *redamare, redintegrare* &c. Vide Scipion. Gentil. & N. Most. 3. 2.

85. QVAM TVAM] Inconcinnum Acidalio visum, ut diversæ sententiæ utrinque secus adhæreant isti uni, *multo malo volo*. Leg. igitur, *Litig. n. c. vos: neque* (subintell. *volo*) *tuam autem accus. fidem Mult*. De particulâ *autẽ*, suprà, act. 1. 2. & vero commentũ istud cõspicitur in Pareana prima. Pistoris illud, *neq; tuam autem* non respuit: putat tamen in sermone Senis præ amore tantùm non delirantis & perplexi, posse vulgatum ferri. Quod & retinui: cum MSS. Cam. consentirent etiam.

87. EFFERRI DOMO] Acidalius hoc suspectum habet. Pist. malit: *afferri domo*. i. quàm ut in domum meam aliqnid flagitii, occasione istius mulieris, inferatur.

88. LVCVLENTE] cum lucro: bene.

90. QVI ILLAM] Acid. *olim*. quod textu in continenti dignatus est Pareus.

91. UT EMEREM AD ISTAM FACIEM] Locutio perelegans. Cist. 1. 1. *Ad istam faciem est morbus*.

92. ITA VT IL. EST, EMER.] ita MSS. & edd. expuncto illo, *mulierem*.

95. AT NESCIS] Sic edd. vett. MSS. tamen *ah. nescis*.

98. ECCILLVM] Ita edd. & MS. sec. non *Eccum illum*.

100 ADNVTAT] ita MSS. Cam. & vett. edd.

100. SEPTEM, MIHI] At is cui emi, innuit mihi ut septem addam.

101. COMMODIS] *Commodæ minæ*; *sunt integræ, totæ*; justi ponderis, non adulterinæ: *Nonius*, & *D*. Pseud. 4. 7. Rudente act. 5. 2. *talentum argenti commodum magnum erat in crumenâ*. Sic apud Ter. Adel. 1. 2. *Commodum dabitur*. ubi Palm. notat: *Commodum dari*, aut *aliquam rem commodam dare*, pro, ampliter & prolixe dare. At Nannius lib. 2. cap. 2. legit, *hic commodius poscit, pater*. i. majori commodo nostro licetur, utpote qui majus pretium offerat. Et *poscere* hic pro liceri & auctionari omninò ponitur. ita Charinus, *At illic pollicitus est prior*, hoc est, licitatus est. Sed & Alciatus in Parerg. *Pollicitationem* vult esse illud primum pretium, quod ultrò offert emptor, antequam præconem venalem proclamet; quòd ab eo tempore fieri possit licitatio. Hæc Nannius: cujus interpretationes quidem aliquatenus admittit, at emendationem planè rejicit Gruterus.

102. EGO

101. EGO HABEBO] ita MS. sec. Vulgo, *habeo*. quod & in primo. A

103. QVINQVAGINTA POSCIT] sc. minis sibi emi.

104. LICITERE] MS. sec. & vet. ed. *litigere*. pr. *liceret*.

111. MANCVPIO ACCEPI] V.N. Trin. 2, 4. & Pers. 4.3. & Curcul. 4.2.

112. DE. SED ILLE ILLAM] ita cogente sententiâ distinguendum. Rejicit pater objectionem filii. Nihil referre de mancupio. quoniam licet ipse non acceperit, accipere tamen illum senem: nec deterreri ab emptione, quòd evictionis periculum non præstetur. *Acidal.*

113. LEGE VENDERE.] Vide Rævard. ad Ll. XII. tab. c. 16.

116. EGO SCIO VELLE] Hunc versum magno sententiæ bono reduxit è MSS. Cam. & exoletis editionibus Gruterus.

117. IN MANV] in potestate, væneat an non væneat. *L.E.*

121. ILLIC QVIDAM] ille quidam, qui mihi mandavit, ut sibi emerem. Ita Lambinus. Sed nugæ meræ sunt. Quin hoc vult: Cur nūc demum dicis, illum, cum quo tibi ancilla communis est, nolle eam vendere: cùm antea dixeris, tibi mandatum ab alio ut emeres? Si ille non vult vendere, quid fiet illo, qui tibi B mandavit ut emeres? Nihil agis: non constas tibi. Ita mox de mandato eum captat. Senex: *Melius est te quæ sunt mandata res &c.*

123. AD NAVIM JAM HINC EO.] ita MSS. Pall.

124. CH. NON PLACET] Levius hoc, quàm pro affectu Charini, itaq; continuand. *DE. nolo non placet. Melius st. t.* Acid.

127. BITAS] eas. V.N. Epid. 1.2. MS. tamen sec. *bites*. nihilo pejus.

ACTUS II. SCENA IV.

CHARINUS, EUTYCHUS.

PENTHEUM diripuisse ajunt Bacchas. nugas maximas
Fuisse credo, præut quo pacto ego divorsus distrahor.
Cur ego vivo? cur non morior? quid mihi est in vitâ boni?
Certum est, ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo:
Quando id mihi adimitur, quâ caussâ vitam cupio vivere.
EV. Mane, mane obsecro, Charine. CH. qui me revocat? EV. Eutychus
Tuus amicus & sodalis, simul vicinus proximus.
CH. Non tu scis, quantum malarum rerum sustineam. EV. scio.
Omnia ego istæc auscultavi ab ostio: omnem rem scio.
CH. Quid id est quod scis? EU. tuus pater vult vendere. CH. omnem rem tenes.
EV. Tuam amicam. CH. nimium multum scis. EV. tuis ingratiis.
CH. Plurimum tu scis. sed quî scis esse amicam illam meam?
EV. Tute heri ipsus mihi narrasti. CH. satin' ut oblitus fui,
Tibi me narravisse! EV. haud mirum factum est. CH. te nunc consulo.
Responde, quo leto censes me ut peream potissimum?
EV. Non taces? cave istuc dixis. CH. quid vis me igitur dicere?
EV. Vin' patri sublinere pulcrè me os tuo? CH. sanè volo.
EV. Visne eam ad portum? CH. quî potius, quàm voles? EV. atque eximam
Mulierem pretio? CH. quî potius, quàm auro expendas? EV. unde at erit id?

CH. Achil-

CH. Achillem orabo, aurum mihi det, Hector quî expensus fuit.
EU. Sanun' es? CH. pol sanus si sim, non te medicum mihi expetam.
EU. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi? CH. auctarium
Adicito, vel mille nummûm plus quàm poscet. EU. jam tace.
Sed quid ais? unde erit argentum, quod des, cùm poscet pater?
CH. Invenietur, exquiretur, aliquid fiet. EU. enicas.
Jam istuc, aliquid fiet, metuo. CH. quin taces? EU. muto imperas.
CH. Satin istuc mandatu'st? EU. potin' ut aliud cures? CH. non potest.
EU. Bene vale. CH. non edepol possum, priusquam tu ad me redieris.
EU. Melius sanus sis. CH. vale & vince & me serva. EU. ego fecero.
Domi maneto me. CH. ergo actutum face cum prædâ recipias.

PENTHEVM] Pentheum Thebarum regem Agave mater sua & materteræ Ino & Autonoe cæteræque mulieres Bacchi œstro percitæ discerpserunt, & quasi particulatim excarnificarunt. De quo Horat. 2. Od. 19. & 2. Sat. 3, Ovid. 3. Metam. Seneca in Theb. Eurip. in Bacchis, alii.

5. QVANDO ID MIHI ADIMITVR] Utraque Parei non admisit *id*, quod in MSS. tamen & edd. vett. exclusumque ab Aldo iterum textui reddiderat Camerarius.

8. NON TV SCIS] verba sunt hominis lamentantis; non interrogantis. valeat ergo Lamb. cum suo *Num*. Grut, ineptè verò Parei postrema, *Non tu scis?* ita nemo loquitur. Idē contra utrumque Pall. & edd. vett., omisit versu decimo verbum *omnem*, quo turpiter mutilatur metrum.

12. SED QVIS SCIS ESSE] ita MSS. & vet. edd. expresso τῷ *scis*, quod Lamb. vult subintelligi.

13. NARRASTI. CH. SATIN] Ineptè *Steph.* transfert personarum interpunctionem. Similis Trin., act. 4. 3. *Ecce hominem te Stasime nihili! satin in thermopolio* &c. Gruterus. quæ dum non assequitur Pareus, stultè nimis ipsum laudat, tanquam quo auctore ejecerit personam Charini. itaque ridiculè bis apparet Eutychi persona, cùm nulla interveniat alia. neque contentus, ita peccasse editione prima, vitium id continuat etiam secundâ, MSS. & edd. omnibus aliis reclamantibus. ô stuporem!

14. TE NVNC CONSVLO, RESPONDE] Antiquè & propriè. utrumque enim, tam *Consulii* quàm *Respondere* JCtorum est. Horat. 2, Sat. 3.

Ergò Consulere, & mox Respondere licebit?

sunt Relativa. *D.*

18. QVI POTIVS QVAM VOLES?] Ita Douza ex Camerariâ scripturâ. id est, Quî verò aut quâ caussâ potius eas, quàm voles? q. d. An verò non justa caussa est, quò *Dædaleo ocyor Icaro* voles potius, quàm eas? Idem de sequenti hemistichio dicendum: *Qui potius, quam auro expendas?* Scitum est Sallustii: *Animo cupienti nihil satis festinatur. D.*

19. UNDE AT ERIT ID?] Ita Cam. & Lamb. At Pylades, & ab hoc Acidal. τὸ *erit* expungunt: ut quod versum corrumpat, & in libris melioribus non appareat. Meliores libros quos dicat nescio. hoc scio in Pall. MSS. esse *ateritis*: inque edd. vett. aut *atteritis*, aut *arteritis*. inde formes, *at erit id?* Alterum manavit ab Aldina; quam tamen sequitur Pareana prima.

21. MEDICVM] MS. sec. *medicinum*.

22. QVANTI POSCIT] sc. emi. & alterum, *tanti* πλεονάζει: L.

22. ILLAM EMI] non, *illanc*: ob trochaicum versum. Desit tunc quidem pes: sed deesse mâlo, quâm nothos supponi tibicines: & possint alioqui aut sustineri elisionibus, aut dividi syllabis. nam alioquin si quid inserendum, mallem; *emi?* CH. *imò auctarium*, ut vox ea exciderit ob similitudinem antecedentis.

25. ALIQVID FIET.] Videtur vox desperatorum; quique insigne aliquod scelus facturi videntur potius, quam non exsequi

quod

quod destinarant. Gruter. Passeratius ad Proper.3.el.12. putat habitam mali ominis eam formulam tanquam respiciat ad eam quæ habet *Si quid de me fuat*. Apul. 10. *aliquid de se tristius cogitare*.

29. MELIUS SANUS SIS] melius tibi consulueris, si sanus sis. L.

30. DOMI MANETO ME. CH. ERGO ACT. F. CUM PR. UT RECIP.] Sic Camerariana, *cum pr. ut recipias.* quam lectionem probat ac defendit Palm. Spic. p. 82. contra nugas (ut ait) Lambini Item Schoppius in Suspect. lib.3.11. Nam *Recipias*, absolutè dictum: pro, Recipias te domum cum prædâ, sive amicâ meâ, quam

A patri eripies. ita Bacchid. ——— *rursum in portum recipimus.* V. N. Asin.2.3. ad illud: *quassanti capite incedit.* At verò Douza F.l. *cum prædâ me ut recip.* Q.d. da operam, ut cum amica mea, quæ amissa est, me quoque, qui jam perditus & nullus sum, recipias & recuperes. Sic paulò antè: *Vale & vince & me serva.* Pareus utraque editione jactat, *cum præda recipias*; & ita, inquit ambo MSS. quod tamen falsum est: ii enim, *cum prædam recip.* quomodo & edd. vett. nam Aldina, *face, prædam ut recipias.* posset fortè legi, *face te cum præda recipias.* sic Trinum.4.3. *Recipe te.* Nec aliter ferè Asin.2.1. *Quin ad ingenium versutum te recipis tuum.*

ACTUS III. SCENA I.

LYSIMACHUS, PASICOMPSA.

AMICE amico operam dedi: vicinus quod rogavit,
Hoc emi mercimonium. mea es tu: sequere sanè:
Ne plora: nimis stultè facis, oculos corrumpis tales.
Quid? tibi quidem quod rideas magis est, quàm ut lamentere.
PA. Amabo ecastor, mi senex, eloquere. LY. exquire quid vis.
PA. Cur emeris me? LY. téne ego? ut quod imperetur facias.
Item quod tu mihi imperes ego faciam. PA. facere certum est,
Pro copiâ & sapientiâ, quæ te velle arbitrabor.
LY. Laboriosè nihil tibi quicquam operis imperabo.
PA. Namque edepol quidem, mi senex, non didici bajulare,
Nec pecua ruri pascere, neque pueros nutricare.
LY. BONA SI esse vis, bene erit tibi. PA. tum pol ego perij misera.
LY. Qui? PA. quia illim unde advecta huc sum, malis bene esse solitum 'st:
Nec mos meu'st ut prædicem quod ego omnes scire credam.
LY. Oratio edepol pluris est hujus, quàm quanti hæc empta 'st:
Quasi dicas NULLAM mulierem bonam esse. PA. haud equidem dico.
LY. Rogare hoc unum te volo. PA. roganti respondebo.
LY. Quid ais tu? quod nomen tibi dicam esse? PA. Pasicompsæ.
LY. Ex formâ nomen inditum 'st. sed quid ais, Pasicompsa?
Possin tu, si usus venerit, subtemen tenue nere?
PA. Possum. LY. si tenue scis, scio te uberius posse nere.
PA. De lanificio neminem metuo unâ ætate quæ sit.
LY. Bonam hercle te & frugi arbitror, maturâ jam inde ætate.

Quoniam scis facere officium tuum, mulier. PA. pol docta didici.
Operam accusari non sinam meam. LY. hem, istæc hercle res est.
Ovem tibi ancillam dabo natam annos sexaginta
Peculiarem. PA. mi senex, tam vetulam? LY. generis Græci est,
Eam si curabis, perbona est, tondetur nimiùm scitè.
PA. Honoris caussâ quicquid est quod dabitur, gratum habebo.
LY. Nunc, mulier, ne tu frustra sis, mea non es, ne arbitrere.
PA. Dic igitur, quæso, cuja sum? LY. tuo hero redempta es rursum,
Ego redemi te: ille me oravit. PA. animus rediit,
Si mecum servatur fides. LY. bono animo es, liberabit
Ille te: homo: ita edepol deperit te, atque hodie primùm vidit.
PA. Ecastor jam biennium est, cùm mecum rem cœpit:
Nunc, quando amicum te scio esse illius, indicabo.
LY. Quid ais? tu? jam biennium est, cùm tecum habet rem? PA. certò.
Et inter nos conjuravimus, ego cum illo, & ille mecum,
Ego cum viro, & ille cum muliere: nisi cum illo, aut ille mecum,
Neuter stupri caussâ caput limaret. LY. dii immortales,
Etiam cum uxore non cubet? PA. amabo, an maritus est?
Neque est, neque erit. LY. nolim quidem. homo hercle perjuravit.
PA. Nullum adolescentem plus amo. LY. puer est ille quidem, stulta.
Nam illi quidem haud sanè diu est, cùm dentes exciderunt.
PA. Quid, dentes? LY. nihil est: sequere sis huc me. diem unum oravit
Ut apud me præhiberem locum: ideo, quia uxor ruri est.

VERSUS hujus Sc. sunt tetram catal. Hipponactei.

1. OPERAM DEDI, UIC.] Acidal. τελείαν στιγμὴν ponit post *rogavit.* uti Casinâ: *Quam istanc operam à me impetres quod postulas.* Et frustra quosdam ait abhorrere locutionem: *Dedi operam quod rogavi.*

3. OCUL. CORR. TALES] dictum, sicut illud Ausonii: *Et quicquid vocum bellua talis habet:* Grut. ceterùm turpiores fiunt oculi fletu, quia & rubent & intumescunt. Catul. *Fletu turgiduli rubent ocelli.* Tibul. *Tam fletu lumina fessa tument.* idem. 2. El. ult. *Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces.* Proper. 1. el. 18. ——*tua flendo Lumina dejectis turpia sint lacrimis.* Amph. 1. 3. *Ne corrumpe oculos.* Passerat.

4. QUID? TIBI QUIDEM] ita Grut. è MS. suo. vel etiam cum Venetâ Aldi: *Quin tibi quidem q.*

6. CUR EMERIS ME] Ita omnis editio. Pareus ait extare in MSS. *cur empris me.* vanè, sic solum sec. nam prior, *Curem prim me.*

6. QUOD IMPERETUR FACIAS.] Pareus: notat MS. pr. habere, *factas.* quid mirum? is millies peccat in tali litera: & alioquin secundus servat omnium ætatum scripturam. itaque frustra conjicit *factes.*

9. LABORIOSE] Revocavit Camer. Lectionem MSS. editionumq; vett. nam Aldina. *Laboriosi*, quod ut labris suis aptiorem Lactucam, utraque editione sua nobis itidem objecit Pareus.

11. NEC PECUA RURI PASCERE] Ita editi omnes. sed MS. pr. *pecuLia*, sec. *pecula*, quod ultimum antiquariis moveret salivam; non modò quod *r* migret in *l* unde *pellego*, *Latiale, Palilia*, usitata, pro *perlege*, *Latiare*, *Parilia*: sed quia etiamnum hodie hinc nobis reliquum adhuc sit *peculium.*

13. ILLIM] Ita uterque MS. Pal. antiquè pro *illinc.* cujus formæ multa exempla in Indice Lucretii Gifaniani.

13. MALIS BENE ESSE SOLITUM EST.] censet Palmer. risum captare Plautum ambiguitate

quitate vocum. Et, *malis*, valere, *maxillis*: & *esse*, edere. Solitum autem maxillis edere. Pareus in Electis dictum istud pronunciari putat joco. quod quid velit, nescio; nisi ei forte paradoxon est absurdissimum, alicubi malis benè esse solitum. At eis ubique locorum melius esse, quàm probis viris, omnis testatur experientia.

18. QVOD NOMEN] Pareus monet Pall. retinere, *quid*. minus verè. sic solum pr. nam alter binis literis expressserit. cum linea superjacente. id notare *quod*: inde liqueat, quia supra talis appareat hujus scenæ versu primo. Pareana editio præfert *quid*, cùm tamen contrarium indicent ejusdem Notæ.

20. SVBTEMEN] ita MSS. Cam. & Lamb. *subtemen*. Fr. Junius in Notis ad Tertull. de Pallio; Aliud, inquit, *Subtegmen* est, aliud *subtemen*. Nam *Subtegmen*, sive (ut Augustinus in Grammaticâ legit) *Subtegimen*, est interior pannus, quo vestis suffulta est commoditatis aut ornatûs ergò: *Subtemen* verò pars est interior panni, velamentum, ἡ ἔνδον ἐπιπολή, quæ stamini subest; ut *trama*, ἡ ἔξωθεν ἐπιπολή, superior pars, quæ trameat stamen: diciturque ut *tela*, à texendo *temen*. hinc, quod subtexitur, *Subtemen* dictum. Varronis itaque locus lib. 4. de L. L. sic emendandus: *Stamen a stando, quòd eo stat omne in telâ velamentum* (exterius puta corium, ut ita dicam, & interius panni; ἥ τε ἔξωθεν ἐπιπολὴ καὶ ἡ ἔνδοθεν: *Subtemen, quòd subit stamini: Trama, quod trameat. Phrygius, id genus vestimenti* &c. est enim *Tutulus* Fulgentiò, quem *Phrygium amictum* Virgil. dixit 3. Æn. &c.

23. MATVRA JAM INDE ÆTATE] ita MSS. At Lipsius l. *indu*, pro, *in*, antiquè. quod editioni suæ primæ intulit Pareus, ejecit verò secundâ.

24. QVON. SCIS] MS. sec, *Cùm scis*, *pr. quoniam* quod tamen falsò sibi persuasisse non neminem (Camerarium sc. & Gruterum) indicat Pareus. ubi vis enim MS. illum sumere *qm*: pro *quom*. ô putidum mendacium! imò *qm*. cum linea superjacente ibidem, notare *quoniam*, videre est Amphitr. Prologo versu 62. item. 1.1. v. 29. &c. & v. 110. aliisque locis infinitis

41. PA. POL DOCTA DIDICI] ita MSS. at D. F. legit, *pol à doctâ didici*. Parei ed. prima: *Pol à muliere doctâ didici*, quod in nulla editione veteriore: ne dicam corrumpere versum miseris modis; tanquam si in eculeo extenderet eum suus carnifex.

26. OVIM TIBI ANCILLAM] Vulg. *Quin etiam t.* Meursius, De lanificio, inquit, hic sermo: & cur donet ei ancillam, quam benè tonderi dicat? Deinde, cur generis Græci? nam matresfamiliâs in ancillas eligebant deformes, quæ essent: ut Afræ, aut Ægyptiæ. Colligimus ex Comœdiæ hujus act. 2. sec. 3. ——*ego emero matri* &c. Et Trucul. act. 2. 6. Itaque, *pithecia* aliquando vocabantur. Secus, lenocinium facere dictitabantur. Clarè idem in verbis præcedentibus——*illâ formâ matremfamiliâs Flagitium sit, si sequatur*, &c. Rescribendum ergo ex V. Cod. *Ovim tibi eccillam dabo natam an. sexag.* Ludit Lysimachus ὑπερβολικῶς in ætate. Itaque jam convenit, quod ait, *generis Græci est*. eæ enim laudabantur. De quâ re Plinius lib. 8. c. 48. & Columella lib. 7. c. 2. *Hæc ille*. Etiam meus Carp. Paris. expressè legit, *Ovem tibi eccill.* Cæteri *eccillam* etiam omnes habent, nullus *ancillam*: ut & MS. secundus. at primus tamen *ancillam* agnoscit, quomodo Cam. edidit. Quin & Gruterus maluit; *Ovim tibi ancillam dabo natam annos sexaginta*. Et dignitatem, inquit, ei conciliat ab ætate: ponitque certum prò incerto, more Poetarum: ut etiam Mostell. act. 2. 2. *Qui ab hinc LX. annis occisus foret*. Nam absit ut ibidem aliquid mutem, putemve Theuropidem extremæ senectutis, aut nimis perturbatum Tranionem. Suspicor potiùs, voluisse augere rei absurditatem numero tam grandi. Et bene Camerarius ad istud, *generis Græci est*, notat: proprium fuisse pecus illo nomine. deque eo Plin. initio lib. 8. c. 48. & Col. l. 7. 4. Eæ enim erant, quæ ob lanarum præstantiam domi ferè alebantur, non foris. Jam, alicujus *ancillam*, dici *ovem*, nihil vetat; cùm eo nomine veniat Apuleo *gallina*, Virgilio *cerva*, aliis alia animalia. Interim alludi heic ad Demiphonem, non dubitat Grut. Denique Pistoris tentabat: *Quin etiam tibi ovillam dabo*. quæ quidem vox aut proba est, aut joco facta: cùm revera de ove non loquatur, sed Demiphonem intelligat, qui Pasicompsæ peculiaris futurus erat. *ovem* autem appellat eâ formâ, quâ in Bacchid. duo senes

senes ita dicuntur. Quod verò Palm. *peculiarem* simpliciter ovem notare scribit, caret opinor exemplo.

27. GENERIS GRÆCI EST] Turneb. lib. 7: 15. Ad oves, inquit, Tarentinas allusum, quæ tectæ & pelliræ pascebantur, ob lanæ velleris que præstantiam. Jani Palmerii molitiones vide apud ipsum Specileg. fol. 89. In MSS. pr. est. *generis Gracist.* in secundo *g. grāst.* in vett. edd. *generi gratiast.* Pareus dum heic bonam fidem aliorum suggillat, suammet ipse pessimam prodit

30. NE. FRVSTRA SIS] V. N. Amphitr. 2:2.

31. ANIMVS REDIIT] Ita MSS. & vett. edd. constabit versus si scribatur *redivit.*

34. ATQVE HODIE PRIMVM VIDIT] pro simulatque vidit: seu, statim ut vidit. Virg. *Atq; illum in præceps prono rapit alveus amni.* Vicissim dicebant *simul* pro *simulatq;* Liv. *Q. Fabio, simul primũ magistratu abiit, ab C. Martio Trib. pleb. dicta dies est.* Siberus. Lectionem quam exhibemus, est à Camer. qui versui sustentando nonnihil immisit: quod tamen auferri queat, si admittimus adspirationem, non solum supplere syllabæ hiatum, sed & ipsam producere. extat enim in MSS. & edd. vett. tantùm, *Ille te :homo edepol deperit, atque hodie &c.*

A 35. REM CEPIT] Haud aliter MSS. & edd. vett. nam mediæ: *cum mecum ille cepit.* posteriores adjecere vocem *rem cæpit habere:* non necessario, pedes redibunt versui illata litera, *cæpibit.* nisi malimus, *cùm medecum rem cæpit.*

40. NEVTER STVPRI CAVSSA CAPVT LIMARET] *Limare caput, conjungere* interpretatur Nonius: sed conjungere ex eo significat, quòd qui amatores cum amicâ caput jungũt, tanquam terunt & limant sese mutuò fricando, dum osculantur. *Limare* Vetus Lex. *sociare* explicat: συνδυάζειν. Turn. lib. 15. 6.

B 41. LY. NOLIM. Q.] ita Acidal. verba Personis interpretatus est. Nam magis convenit, Lysimachum loqui secum de perjurio vicini senis, quàm de adolescentis Pasicompsam. neque aliter aut Pall. aut edd. veterrimæ.

41. AN MARITVS EST] Sic MSS. & edd. antiqq. nam Aldi & traduces ejus, *an maritus est is?* posteriores, *an maritus ille est?* Versui consulamus tralatione voculæ; *amabo an est maritus?*

46. UT APVD ME PRÆHIBEREM LOCVM] Est à Pall. & vetustè cusis, nisi quod cusi habeant, nunc *prohibeantur*, nunc *perhibeantur.* recentiores admiserunt pronomen *perhiberem sibi locum.* ex supervacuo.

ACTUS III. SCENA II.

DEMIPHO.

TANDEM impetravi, ut egomet me corrumperem.
Empta est amica clam uxore meá & filio.
Certum est; antiqua recolam, & servibo mihi.
Decurso in spacio, breve quod vitæ reliquum est,
Voluptate, vino & amore delectavero.
„ *Nam HANC SE BENE habere ætatem nimio est æquius.*
„ *ADOLESCENS cùm sis, tum cùm est sanguis integer,*
„ *Rei tuæ quærendæ convenit operam dare:*
„ *DEMUM IGITUR cùm senex sis, tunc in otium*
„ *Te colloces, dum potestur: id jam lucro est*
Quod vivis. hoc ut dico, factis persequar.
Interea tamen, huc intrò ad me invisam domum.
Uxor me exspectat jamdudum esuriens domi.
Jam jurgio enicabit, si intrò rediero.

Verùm

Verùm hercle postremo utut est, non ibo tamen,
Sed hunc vicinum prius conveniam, quàm domum
Redeam. ut mihi ædeis aliquas conducat volo,
Vbi habitet istæc mulier. atque eccum it foras.

VXORE MEA] in MSS. est: *clam uxorem & jam filio.* Quid si? *& clam f.* nam τὸ *meâ* in nullâ etiam edd. v. apparet. Pareus istud conjectaneum nostrum recepit in contextum, & tantum non sibi attribuit, dum notat: Sic sanè legendus hic locus ex MSS. Pall. ubi *clam uxorem etiam f.* ô affirmationes lubricas!

V. 4. DECVRSO IN SP.] ita MSS. tamen Grut. mālit, *Decursô jam spacio.* Ita Ter. Adelph. act. 5: 4. *Prope jam decursô spacio:* Sic enim per leg. Prisc. lib. 8. & 11. & 18. ubi alii, *excursô spacio.*

7. ADOL. CVM SIS, TVM CVM E.] ita Grut. è v. editt. & altero MS. Quærit autem P. Victor. an *integer sanguis*, copiam ejus significet, an sincerum illum & purum, lib. 25. cap. 21. Var.

10. DVM POTESTVR] ita Cam. & Lamb. edidit: uterque ex conjecturâ. nam illud *potestur* in nullo MSS. est, neque in edd. vett. sed *pot es* vel *potest:* & hæc quidem porrò, *si vales, id i.* Acid. pedes restituit: *Te, dum potestur, coll.* Palm. l. *pote, es, Savies: id i.* nempe *Saviare,* pro totâ illâ re Veneris: & ei conjecturæ accedit Gruterus: habet autem MS. pr. *Te conloces. dum potest uersidiam lucrost.* sec: *Te colloces dum potest ave sidiam lucrost.* Quid tamen ex istis Pareus noster format? A prima editione expressit hariolationem Acidalii. secundam suo remigio instruxit, legitque, *Te conloces dum potestur. si vales id; jam lucro est.* præcoque talis sui triumphi, exclamat: Ita hic locus à me restitutus est ex MSS. Pall. qui totidem penè literis sic habent; absque tamen *vales*, quod nescio, unde irrepserit è scriniis novitiorum Correctorum. Nolim verò tam temerè ac protervè alios pronunciasse, τὸ *potestur* in nullo MSS. reperiri. Ecce enim sic in antiquissimo V. C. Pall. &c. Quis non videt? expressè *potestur* inibi legisse imperitum exscriptorem &c. Sic noster Vates; & temerè & protervè, et: B sed omnia exsuperant tam ferreæ frontis impudentiam. quis enim nisi asinus, videre potest illud *potestur*, in tali barbara literarum confusione?

11. HOC, VT DICO, FACTIS PERSEQVAR] Sic Sall. *Dicta factis exæquanda sunt.*

12. HVC INTRO AD ME INVIS. D.] ita MSS. & omn. ed. tamen D. F. legit, *huc ad me intervisam d.* Sic Aul. 2: 2. & Sticho 1: 2. quod Pareus, velut auctoris legitimum, Lexico suo intrusit. at in secunda editione alterum admisit; nec minus tamen lectorem remittit ad Lexicon illud. quæ est ea sibimet ipsi dissentiens veritas? suillâne an asinina?

ACTUS III. SCENA III.

LYSIMACHUS, DEMIPHO.

ADDVCAM ego illum jam ad te, si convenero.
DE. Me dicit. LY. quid ais, Demipho? DE. est mulier domi?
LY. Quid censes? DE. quid si visam? LY. quid properas? mane.
DE. Quid faciam? LY. quod opus est facto, facito ut cogites.
DE. Quid cogitem? equidem hercle opus hoc facto existimo
Vt illuc introeam. LY. itáne verò, vervex, intrò eas?

DE. Quid aliud faciam? LY. prius hoc ausculta, atque ades.
Prius etiam est, quod te facere ego æquum censeo.
Nam nunc si illò introieris, amplecti voles,
Confabulari atque osculari. DE. tu quidem
Meum animum gestas: scis quid acturus siem.
LY. Pervorsè facies. DE. quódne ames? LY. tantò minus.
Iam plenus ætatis animâque fœtidâ,
Senex hircosus, tu osculere mulierem?
Utine adveniens vomitum excutias mulieri?
Scio pol te amare, quum istæc præmonstras mihi.
DE. Quid si igitur (unum factum hoc si censes) coquum
Aliquem arripiamus, prandium qui percoquat
Apud te hic usque ad vesperum? LY. hem istuc censeo.
Nunc tu sapienter loquere atque amatoriè.
DE. Quid stamus? quin ergo imus, atque obsonium
Curamus, pulcrè ut simus? LY. equidem te sequor.
Atque hercule invenies tu locum illi, si sapis.
Nullum hercle, præter hunc, diem illa apud me erit:
Metuo ego uxorem, cras si rure redierit,
Ne illam hîc offendat. DE. res parata est, sequere me.

ME DICIT.] Ita Grut. è MS. sec. & vett. edit. *Me dicit.* ut sit conjectantis. Vulgo: *dicis?*

6. VERVEX] homo ad Venerem ineptę, ut aries castratus est. L. Parei tamen Dialectica pertendit in Electis, ideo senes dici *berbeces*, quia vomitum excutiant mulieri osculo.

7. AVSCVLTA ATQ. ADES] ita MSS. at Gruterus adolescens suspicabatur: *ausculta atque adis.* i. priusquam adeas puellam. *atque* est, *quàm.* Vide Non. quam conjecturam non solum admisit Pareus in editionem primam sed & secundam: tanquam sic ferè legatur in MSS. quo nodo teneas hunc Protea?

10. OSCVLARI] MS. sec. *ausculari.* ut & v. 14. *tu ausculere*, uterque: quod nectar visum Pareo.

12. QVOD NE AMES?] pervorséne facit is, qui, quod amat, id osculetur &c.

13. JAM PLENVS ÆTATIS, ANIMAQ. FOETIDA] Nonius MS. si non Had. Junii, at Jos. Merceri, præfert *Jejunitatis plenus anima fœtida.* P. Vict. lib. 4: 2. Fœtorem quendam at imæ, qui non vitio aliquo oris provenit, sed in omnibus fere est, qui nihil gustarunt,

A Græci significare volentes, νηστείας ὄζειν, quasi *jejunium olere*, dicebant. Cæcilius: *Quæ mihi, ubi domum adveni, adsedit; exemplò savium dat jejunâ animâ.* In MS. Cam. sec. est, *Janutatis plen.* unde fortè Nonii *Jejunitatis*, quod Gruterus habet pro genuino auctoris: tum ob rotunditatem numerorum, tum quod versu sequenti senectutis iterum fiat mentio. Parei censura clamat quidem, illud Nonii jejunum non admittendum, neq; ullo modo è MSS. defendi posse; sed tanto sanè magis amplectemur. ecquis enim quæso liber Plauti calamo exaratus, antè Nonianos? B nullus hercule nullus. ecquis judicii sequioris Pareo? nemo hercule nemo? quid quod uterq; Palatinus habeat, *anima*, non *animaque.* quo ipso apparet magis ruina versus, nisi sequamur Nonium, cui etiam omnino alludit Pal. pr. in quo, *Iam ætatis plenus*, non ut priores publicarunt, *Iam plenus ætatis.* Electa Parei nobis hic obtrudunt hunc characterismum: Senum vitium est plerumque male olere sub axillis, fætidamq; habere animam. At idem prius de iisdem tale finxerat axioma: Senes plerumque sunt molles. utrumq; autem verum esse nequit. Sed sic est, Imperitus iste artis omnis, maximeq; ejus quæ ad natu-

naturam pertinet; commune crimen facit totius ordinis, quod unius fortè est alteriusq;.

14. HIRCOSUS] Cujacius l. 11. Observat. cap. 19. existimat *hircosum* eum esse, cui os malè oleat. idque hinc etiam probat. Etiam Trebatio in l. 12. ult. de ædil. edict. *Hircosus* est, cui os malè olet. Sed docet Laur. Ramirez Hisp. duo vitia diversa notari in hoc sene: quòd illi anima fœtida sit, & quod graviter oleant axillæ. quem vide Comment. ad lib. 3. Epigram. Martial. item Jo. Savaronem Gallum in Sidon. Apollinar. l. 3. ep. 13. ubi Sidon. scitissimè *species alarum hircosos*, dixit. Alæ & ascellæ *subhirci* etiam dicti, Isidor. lib. 2: 1.

17. DE. QUID SI IGITUR (UNUM &c.] Palmer. l. *Quid igitur si hoc bonum factum censes.* Erat formula hujus rei usitata, BONUM FACTUM: & in edictis adscribebatur. Ideò respondet etiam tanquam in Senatûs consulto Lysimachus. Eleganter, ait J. Gul. sed fortasse melius ita: *Quid si igitur unum faciam? hoc si censes, coq.* ut alludat ad superiùs à se dicta Demipho, *Quid aliud faciam?* Posset hoc, inquit Gruterus, consistere, & liberari ab emendationibus aliorum, si distingueretur hoc modo: *Quid si igitur* A *(unum factum hoc si censes) coquum &c. Unum factum*, pro *factum*: eâ ratione, quâ *Bonum factum*. nec aliter ferè Aul. act. 2: 7. —— *cura maxima est, Nisi unum hoc, faciam, &c.* Acidal. distinguit:

Quid si ig. unum faciam hoc? si censes, coq.

Et, *faciam*, quidem apertè lib. vett. Jam, *unum hoc.* Ter. Ad. act. 2: 2. *ST. Labascit. unum hoc habeo: vide, si satis placet.* Nam ineptè ibi mutant. Bacch. *Magis unum in mente est mihi, &c.* Casinâ: *mane: unum venit in mentem modò.* Men. act. 4: 2. *Nihil eq. paveo: nisi unum, palla pallorem incutit.* Suprà: *Unumq.* B *hercle jam scio, periisse me.* Terent. Heaut. *Magis etiam unum instare, ut h. conficerentur nuptiæ.* Hæc ille. nos in context. recepimus Gruterianam distinctionem, & cum MSS. Demiphoni dedimus.

20. NUNC TU SAPIENTER] Sic MSS. & edd. vett. Pareana prior corrupit versum extruso pronomine *tu.* at secunda in Notis imponit nobis, dum asserit ambos MSS. servare *amatorio.* imo uterq; tantum habet *amatori.*

22. PULCRE VI SIMUS] V. N. Menæch. act. 3: 2.

23. LOCUM ILLI] Pareus *illi* accipit pro adverbio *illic*. ineptè: refellitq; versus seqūes.

ACTUS III. SCENA IV.

CHARINUS, EUTYCHUS.

SUMNE ego homo miser, qui nusquam bene queo quiescere?
Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi est.
Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium:
Ni oculos lacrimæ defendant, jam ardeat, credo, caput.
Spem teneo, salutem amisi: redeat an non, nescio.
Si opprimit pater, quod dixit; exulatum abiit salus:
Sin sodalis, quod promisit, fecit; non abiit salus.
Sed tandem si podagrosis pedibus esset Eutychus,
Iam à portu rediisse potuit. id illi vitium maximum'st,
Quòd nimis tardus est, advorsum mei animi sententiam.
Sed isne est, quem currentem video? ipsus est. ibo obviam.
Divûm atque hominum quæ Spectatrix atq; Hera eadem es hominibus,
Spem speratam cùm obtulisti hanc mihi, tibi grates ago.
Nunquid restat? eheu disperii! vultus neutiquam hujus placet:

Trist.

Tristis incedit, pectus ardet: hæreo, quassat caput.
Eutyche. EV.heu! Charine. CH.priusquam recipias anhelitum,
Vno verbo eloquere: Vbi ego sum? hîccine an apud mortuos?
EV.Neque apud mortuos, neque hîc es. CH.salvus sum: immortalitas
Mihi data est: hic emit illam: pulcrè os sublevit patri.
Impetrabilior qui vivat nullus est. dic obsecrò:
Si neque hîc, neque Acherunti sum, ubi sum? EV. nusquam gentium.
CH.Disperij: illæc interemit me modò hîc *oratio.*
„ *ODIOSA EST ORATIO, cùm rem agas, longinquum loqui.*
Quicquid est, ad capita rerum perveni. EV.primum omnium
Perijmus. CH.quin tu illud potius nuncias, quod nescio.
EV.Mulier alienata est abs te. CH.Eutyche, capital facis.
EV.Qui? CH.quia æqualem & sodalem civem liberum enicas.
EV.Ne dij sirint. CH.demisisti gladium in jugulum: jam cadam.
EV.Quæso hercle, animum ne desponde. CH.nullus est, quem despondeam.
Loquere porrò aliam malam rem. cui est empta? EV. nescio.
Iam addicta atque abducta erat, cùm ad portum venio. CH.væ mihi,
Montis tu quidem mali in me ardentes jamdudum jacis.
Perge, excrucia carnifex, quando quidem occœpisti semel.
EV.Nec tibi istuc magis dividiæ est, quàm mihi hodie fuit.
CH.Dic, quis emit? EV.nescio hercle. CH.hem! istuccine est operam dare
Bonum sodalem? EV.quid me facere vis? CH.idem, quod me vides,
Vt pereas. quin percontatu's, hominis quæ facies foret,
Qui illam emisset: eo si pacto posset indagarier
Mulier? EV.heu miserum! CH.flere omitte, istuc quod nunc agis.
EV.Quid ego feci? CH.perdidisti me & fidem mecum tuam.
EV.Dij sciunt, culpam meam istanc non esse ullam. CH.eugepapæ!
Deos absentis testes memoras: quî ego istuc credam tibi?
EV.Quin tibi in manu est, quod credas: ego quod dicam, id mihi meâ in ma-
CH.De istâc re argutus es, ut par pari respondeas: (nu est.
Ad mandata claudus, cœcus, mutus, mancus, debilis.
Promittebas te os sublinere meo patri. egomet credidi
Homini docto rem mandare: is lapidi mando maximo.
EV.Quid ego facerem? CH.quid tu faceres? men' rogas? requireres,
Rogitares, quis esset, aut unde esset, quâ prosapiâ,
Civis ne esset, an peregrinus. EV.civem esse ajebant Atticum.
CH. Vbi habitaret, invenires saltem, si nomen nequis.
EV. Nemo ajebat scire. CH.at saltem hominis faciem exquireres.
EV. Feci. CH.quâ formâ esse ajebànt ergo? *EV.ego dicam tibi:*
Canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum,
Subnigris oculis, oblongis màlis, pansam aliquantulum.

CH.Non

CH. Non hominem mihi, sed thesaurum, nescio quem, memoras mali.
Nunquid est, quod dicas aliud de illo? EV. tantum quod sciam.
CH. Edepol næ ille oblongis mâlis dedit mihi magnum malum.
Non possum durare, certum est exulatum hinc ire me.
Sed quam capiam civitatem, cogito potissimum:
Megaram, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, Cretam, Cyprum,
Sicyonem, Gnidum, Zacynthum, Lesbiam, Bœotiam.
EV. Cur istuc ceptas consilium? CH. quia enim me afflictat amor.
EV. Quid tu ais? quid, cùm illuc, quò nunc ire paritas, veneris?
Si ibi amare fortè occipias, atque item ejus sit inopia,
Iam inde porrò aufugies? deinde item illinc, si item evenerit:
Quis modus tibi exilio tandem eveniet? qui finis fugæ?
Quæ patria aut domus tibi stabilis esse poterit? dic mihi.
Cedò, si hâc urbe abis, amorem te hîc relicturum putas?
Si id fortè ita sat animo acceptum est: id pro certo si habes:
Quanto te satiu'st rus aliquò abire, ibi esse, ibi vivere:
Adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit?
CH. Iam dixisti? EV. dixi. CH. frustra dixti, hoc mihi certissimum est.
Eo domum, patrem atque matrem ut meos salutem: postea
Clam patrem patriâ hâc effugiam, aut aliquid capiam consilij.
EV. Vt corripuit se repentè, atque abijt! heu misero mihi!
Si ille abierit, meâ factum omnes dicent esse ignaviâ.
Certum est præconum jubere jam quantum est conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant. pòst ad Prætorem illico
Ibo, orabo ut conquisitores det mihi in vicis omnibus.
Nam mihi nihil relicti quicquam aliud jam esse intellego.

VERSUS sunt tetram. catal. trochaici.

V. 6. SI OPPRIMIT PATER] si occupat id facere, quod dixit. Vel sic: Si pater me opprimit alienando Pasicompsam, perii. Palmerius:

Si opprimit pater nos, vixid: exulatum abijt salus.

Vixid, pro, *vixi*. i. perii. Gruterus leg. aliquando suspicabatur,

Si opprimit pater (quod ei sit) exsulatum abijt salus.

ut mortem ei imprecetur. Nos tenuimus, quod MSS. & edd. omn. habent, *quod dixit*. Parei editio prior, valde impudenter Gruteri hariolationem textui immiscuit.

6. EXULATUM] MSS. pr. *exsolatum*: sec. *exsulatum*, inserto *s*.

8. PEDIBUS ESSET] Palm. *isset*. Sed ne primam in *podagrosis* produxisse videatur

A Plautus, Acid. ita l. *Sed tandem jam si p.p.e. Eutychus, A port.* quod utraque Parei editio admisit, insigni licentiâ. Nos Cam. & vulgatam tenuimus; dũ quis melius aliquid eliciat ex scripturâ MSS. quorum pr. *Sed tamen demsipo dragosis.* sec: *Sed tamen dempsi podagrosis.* An forte fuit? *Sed tamen tandem si podagr.*

11. SED ISNE EST] Sic editi omnes. Pareus è MSS. ostentat, B *Sed in'est?* antiquè inquit, pro *isne*. Sibi habeat!

12. QUÆ SPECTATRIX &c.] *Fortuna* ab antiquis censebatur *Spectatrix* atque *Hera hominum*. Inde illud Ennii apud Cic. 1. Off.

Vósne velit an me regnare Hera.

infrâ, 5:2. Turn. lib. 7: 15. Atque hanc *Heram*, quam & δέσποιναν Græci vocant, tradit Pausan. in Arcadicis, apud eas gentes maximo honori fuisse. Ptolemæus autem Fortunæ

partem *Heram* appellavit: Catullus deos omnes, *Heros*, Carm.64.

Hostia cælestes pacificasset Heros.

Ibidem:

Quem temerè invitis suscipiatur Heris.

Videatur H. Columna ad lib.V.& VIII. Annal.Ennii.

14. NVNQVID RESTAT?] Num quid reliquum est quod sperem? L.

15. PECTVS ARDET] ita ambo MSS. Verba sunt inconstantis & pænè amentis exspectatione adolescentis. Itaque cùm videret tristem advenire Eutychum, *pectus ardet*, ait: hoc est, discrucior animi maximo angore. Nam in summo dolore hanc formulam usitatam docet Cicero his Poetæ verbis; *Nunc demum mi animus ardet.* quibus è contrario respondere censet illa gestientis lætitiâ, *Tantâ lætitiâ auctus sum, ut mihi non constem:* J. Gul. At Palm. l. *pectus sarret*: pro, *sarrit.* quod enim digitis tanquam sarriret pectus, ita dicit. Sic Mil.2:2.

Pectus digitis pulsat: cor credo evocaturus est foras.

17. HICCINE, AN] Ita Gruterus è MS. sec. optimè ad versum, neq; aliter in vetustè cusis. recentiores *hic an* quos insequitur ille MSS. codicum compilator oculatus nimis Pareus.

20. IMPETRABILIOR] *Impetrabilis*, qui aliquid impetrare potest. Lamb. *impenetrabilior* in suis MSS. legi notat: neque aliter est in MS.sec.Pal. V.N. extremâ Mostellar.

20. QVI VIVAT] ita MSS. nam vulg. *vivit.*

21. NVSQVAM] i. plus quam mortuus. Ovid. 1. Met. —— *nescit vitane fruatur, An sit apud manes: sed quem non invenit usquam, Esse putat nusquam.* Stat.10.Theb. —— *nusquam capita ardua belli.* i. interiere duces. Propert.3. el.12: *Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.* ad quem locum plura Passeratius.

23. CVM REM AGAS.] Acidal. l. *cum rem abeas*: quod in editionem primam recepit Pareus. MS. Cam. sec. *Odio sanè or. c. r. agas.* neq; aliter edd. vett. at MS. pr. *Hodie sat si or. c. r. agas.*

24. AD CAPITA RERVM PERVENI] dic summatim: L.

30. LOQVERE PORRO ALIAM MALAM R.] ita MSS. & Brix. sed reliquæ; *Loquere porrò aliam rem, malum! cui est empta?* Nam, *Malùm*, notum est indignabundos dixisse: ut cōtrà pacatos, *Bonum.* quod observat Meurs. ex Apul. Milesf. 10. *Sciscitatus denique, quid (bonùm) rideret familia: cognito quod res erat, ipse quoque per idem prospiciens foramen, delectatur eximiè.* Palm. leg.

Loquere porrò alia. quoi, malùm, est empta?

Et fuit, inquit, cùm suspicarer verum esse:

Loquere porrò, Aliensis.

Alia enim flumen, & *Aliensis clades* perniciosa Romanis fuerunt: unde ominosa & exitiosa dicebantur: ut à *Cannis*, *Cannenses*, qui fugaces essent. Gruterus ad scripturam MS. leg.

EV. Loquere porrò alia: CH. i in malam rem: cui est &c.

ut Eutychus cum apprehenderit brachio: ipse verò Charinus excusserit. Res ex gestu pendet. Pistoris: *Loquere porrò alia: (in malam rem.) cui est empta?*

31. IAM ADDICTA ATQ. ABDVCTA ERAT] Non tantum damnati in judicio, sed etiam venales addicuntur primum in emptione; deinde abducuntur. V.N. Pœn.3:3.

32. MONTES T. Q. MALI IN ME ARDENTES I. IACIS.] Videtur allusum ad genus tormenti, cùm ferventi pice instillata corpora hominum urebantur. Lucret.

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.

Plautus, Capt.3:4. *Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat.* Vel allusum est ad tedas ardentes: de quo cruciatu Eusebius: ut notat D.F. & Jac. Dalech. ad Plin.l.14:20. V.N. Most.2:1. & Brod. Miscell. l.2:10.

33. EXCRVCIA, CARNIFEX] Pareus edidit *carnufex, ha!* quod invenisset in MSS. *carnifexa.* at Grammaticus interim non videt ea additiuncula versum longiorem quàm oportet.

39. ISTVC QVOD NVNC AGIS] s. age: ut sis miser.

41. ISTANC] ita MSS. at D.F. legit, *istæc*, i. in istâ re.

41. EVGE PAPÆ] Ita MS. pr. nam sec. *Eugipe.* unde Parei editio *eugepæ*, corruente versu. Edd. vett: *Eutyche.*

43. EV. QVIN TIBI IN MANV EST] quia licet tibi credere; quod libet. ita autem Gruterus versus disposuit è vett. edd. nec abeunt MSS. Pistoris autem, *Quin tibi*, è quibusdam edd. cum verba sint cōtemnentis. Vulg. *Quia.*

47. LAPIDI M. MAXIMO] i. homini stolidissimo.

48. CH. QUID TU FAC.] Grut. è MSS. prius deerat *tu*.

50. CIVEM ESSE AIEBANT] Versui melius esset, ejecto illo *esse*.

53. QUA FORMA ESSE AIEB. ERGO?] Ingeniosè Camerarius interseruit *ergò*. sed tamen non est in MS. málimque ego sic transponi: *quâ forma esse ajebant ergo? EV. ego &c.* Sic enim & versus integrior erit: & videri queat excidisse, ob similitudinem, quæ ei cum *ego*. Grut. prius erat, *forma ergo esse a?*

55. PANSAM] Sic MSS. & edd. Cam. ac Lamb. Dousæ. Etiam Plinius lib. 11. cap. 45. *pansam* ait qui πλατύπους & latipes est. Interpolatæ & novitiæ edd. *pausi*, & *pansi*, quod ultimum applicuit sibi Pareana pr.

56. THESAURUM M. MALI] Nonius: *Thesaurus etiam pessima rei copia dici potest.* Sic Euripides Jone, θησαυρὸν κακῶν dixit. Propertius lib. 2. etiam *examen stuprorum*. sic Lucan. 2 ——— *tantóne novorum Proventu scelerum?* Nam & *proventum malarum rerum* dici veteres voluisse, Nonius annotavit. Vide C. Rittersh. ad Gunther. Et Notas, suprà act. 1: 2.

61. ERETRIA] Thessaliæ urbs. V. N. Pers. 2. 3. v. 7.

61. CHALCIDEM] *Chalcis*, urbs Eubœæ insulæ præcipua.

62. SICYONEM] *Sicyon*, Sicyoniæ regionis in Peloponneso urbs.

62. CNIDUM] *Cnidus*, sive *Gnidus* Asiæ oppidum in Doride regione est. Est & insula Rhodi.

62. ZACYNTHUM] insulam maris Jonii.

70. SI ID FORTE ITA SAT AN.] ita MS. Pal. secund. ut exhibuimus: itaque vet. edd. nisi quod nonnullæ leg. *certum id profectò si h.* quod nulli MSS. agnoscunt. Acidal. insulsam istam (ut ait) ταυτολογίαν, vulgatorum ita corrigit: *Si id fore ita sat animo acceptum est certò: id pro certo si habes &c.* quod Pareus in prima posuit. nam secunda nostram sequitur; ita tamen ut qui eam non vidisset, arbitraretur ab ipso primitus auctori exhibitam.

78. PRÆCONUM IUBERE &c.] Stat sententia quotquot sunt præcones, συνάγεσθαι & in unum cogi. Ad conquirendas autem res amissas etiam præconibus olim utebantur. Illustrat his versibus disputationem suam; *Furtum per lancem, & licium conceptum*, P. Pithœus Adversl. lib. 1. cap. 2. quæ ibi legere operæ pretium est, ut & apud Agell. lib. 11. c. 18. & lib. 16. cap. 10. item Marq. Freheri lib. 2. cap. 20. Parergωn. Brisson. lib. 2. Antiq. *Pretium* autem *indicij* Græcis μήνυτρον dicitur. immò *Indicium* ipsum pro præmio quod indicibus datur, Petronius dixit. sicuti Cic. ad Attic. *nuntium* & *evangelium* dixit præmium nuntii & evangelii. Vide G. Erhardi Symb. Petron. At verò pro, *præconum*, J. Gul. è vett. cod. leg. *præconium*, gignendi casû: quomodo & Cic. in membranis pro P. Quinctio: *Tollitur ab atrijs Licinius, atque à præconium consessu in Galliam Navius.* Sed in MSS. est *præconum*, uti & in Parisinâ: in cæteris om. *præconium*.

81. NIHIL RELICTI] ita MSS. & Brix. & Paris. & Mediolan. edd. Cæteræ, *relictum*, aut *reliqui*. Sunt, quibus & *reliquum* placet: Grutero, quod dedimus.

81. INTELLEGO] ita MSS. ambo, non *intelligo*.

ACTUS IV. SCENA I.

DORIPPA mulier, SYRA anus.

QUONIAM à viro ad me rus advenit nuncius,
Rus non iturum, feci ego ingenium meum,
Reveni, ut illum persequar; qui me fugit.
Sed anum non video consequi nostram Syram.
Atque, eccam, incedit tandem. quin is ocius?
SY. Nequeo mecastor, tantum hoc oneris est, quod fero.

DO. Quid oneris? SY. annos octoginta & quattuor:
Et eôdem accedit servitus, sudor, sitis:
Simul hæc, quæ porto, deprimunt. DO. aliquid cedò
Qui hanc vicini nostri aram augeam, Syra.
SY. Da sanè hanc virgam lauri. DO. abi tu intrò. SY. eo.
DO. Apollo, quæso te, ut des pacem propitius,
Salutem & sanitatem nostræ familiæ,
Meóque ut parcas gnato pace propitius.
SY. Disperij, perij misera, væ miseræ mihi!
DO. Satin' tu sana es, obsecro? quid ejulas?
SY. Dorippa mea, Dorippa. DO. quid clamas, obsecro?
SY. Nescio quæ est mulier intus hîc in ædibus.
DO. Quid? mulier? SY. mulier meretrix. DO. verón' serio?
SY. Nimium scis sapere, ruri quæ non manseris:
Quamvis insipiens poterat persentiscere
Illam esse amicam tui viri bellissimi.
DO. Credo mecastor. SY. i hàc mecum, ut videas simul
Tuam Alcumenam pellicem, Iuno mea.
DO. Ecastor verò! istuc eo, quantum potest.

VERSUS sunt trim. jambici acatalectici. A ejusdemque modi deinceps omnes usque ad hunc: *Limen superum inferumque s.* unde deinceps omnes reliqui sunt tetram. catal. trochaici. At MS. Cam. sec. alios versus habet: quales scil. editio Pii.

V. 2. FECI EGO INGENIUM MEUM] morem gessi ingenio meo. L.

6. ONERIS] V. N. Menæch. act. 5:2.

7. QUATTUOR] MS. sec.

11. DA SANE] i. in aram impone.

12. APOLLO] προστατήριος Apollo, vel ἀγυιεὺς significatur: cujus statuam consecratam ante ædes ponebant: Turnebus lib. 7. cap. 15. V. tamen N. Bacch. act. 2:1.

19. VERON' SERIO?] Acid. *DO. veron'? SY. serio. Nim.* Tamen nec vulgatum damnat.

24. TUAM ALCUMENAM PELLICEM] Ut Alcumena Amphitruonis uxor, cum quâ rem habuit Juppiter, Junonis fuit pellex; sic hæc Pasicompsa pellex est Dorripæ. Arnobi- B us lib. 4. *An uxore contentus haud unà, concubinis pellicibus atque amiculis delectatur.* Sed *Pellex* apud antiquos significavit concubinam, quam Græci παλλακὴν vocant, ut JCti. annotarunt, D. De verbor. signif. L. 144. & sic Justinus dixit *Cyri pellicem*: Curtius, *regis pellicem*, de Alexandro. Quibus in locis Valla & Budæus non benè reponunt, *pallacam*: qua voce, ut Latinâ, utuntur Plinius lib. 35. & Suetón. in Vesp. Vide A. Popmam De diff. verb.

ACTUS IV. SCENA II.

LYSIMACHUS.

PArum-ne est malæ rei, quòd amat Demipho,
Ni sumptuosus insuper etiam siet?
Decem vocasset si ad cœnam summos viros,
Nimium obsonavit. sed coquos, quasi in mari

Solet hortator remiges hortarier,
Ita hortabatur. egomet conduxi coquum.
Sed eum demiror non venire ut jusseram.
Sed qui hinc nam à nobis exit? aperitur foris.

DECEM VOCASSET SI AD COENAM] Ita Cam. ex Aldina. Priores cum MSS. *Decem si ad cœnam vocasset*, gemente versu. id tamen revocavit, antiquitatis reverentiâ, Pareus.

5. HORTATOR] κελευστής. Vide Not. Asin. act. 3. 1. VIR illustr. è Diomede legebat, *Solet horitator r.* Acidal. τὸ *t* in *solet* produci A ait, aut deesse *olim*: quod sic interjici soleat in re comparationis; *Solet olim hortator.* Ita Mil. *Quàm Solis radii esse olim cum sudum est, solent.* Et verò illud *olim*, tanquam requireretur omninò ad versum, ultimæ suæ immisit Pareus, pessimè: cùm nuspiam extet, & alioquin frequenter producat syllabam quam sequitur.

ACTUS IV. SCENA III.

DORIPPA mulier, LYSIMACHUS vir.

MISERIOR mulier me nec fiet, nec fuit,
Tali viro quæ nupserim. heu miseræ mihi!
Hem! cui te, & tu quæ habeas, commendes viro!
Hem! cui decem talenta dotis detuli!
Hæc ut viderem? ut ferrem has contumelias!
LY. Perij hercle: rure jam rediit uxor mea:
Vidisse credo mulierem in ædibus.
Sed quæ loquatur, exaudire hinc non queo.
Accedam propiùs. DO. væ miseræ mihi! LY. imò mihi.
DO. Disperij. LY. ego equidem hercle oppidò perii miser.
Vidit. ut omnes te Demipho di perduint!
DO. Pol hoc est, ire quod rus meus vir noluit.
LY. Quid nunc ego faciam, nisi ut adeam, atque alloquar?
Jubet salvere suus vir uxorem suam.
Urbani fiunt rustici. DO. pudicius
Faciunt illi, quàm qui non fiunt rustici.
LY. Numquid delinquunt rustici? DO. ecastor, minus
Quàm urbani, & multò minus mali quærunt sibi.
LY. Quid autem urbani deliquerunt? dic mihi.
DO. Quia illa mulier intus est. LY. vidistine eam?
DO. Vidi. LY. cuia ea sit, rogitas? DO. resciscam tamen:
Cupio hercle scire. sed tu me tentas sciens.
LY. Vin' dicam cuja est? illa, illa. edepol! væ mihi,
Nescio quid dicam. DO. hæres. LY. haud vidi magis.
DO. Quin dicis? LY. quin, si liceat. DO. dictum oportuit.

LY.Non possum,ita instas: urges quasi pro noxio.
DO.Scio,innoxius. LY.audacter quamvis dicito.
DO.Dic igitur.LY.ego dicam.DO.atqui dicundum est tamen.
LY.Illa est.num etiam vis nomen dicam? DO.nihil agis:
Manifestò teneo;in noxià es.LY.quâ noxiâ?
Ista quidem illa est.DO.quæ illa est? LY.illa.DO.johia!
LY.Jam si nihil usus esset, jam non dicerem.
DO.Non tu scis quæ sit illa? LY.imò etiam scio:
De istâc sum judex captus. DO.judex? jam scio:
Huc tu in consilium istam advocavisti tibi.
LY.Imò sic sequestro mihi data est. DO.intellego.
LY.Nihil hercle istius quicquam est. DO.numerò purgitas.
LY.Nimium negotij reperi.enimverò hæreo.

HEM! CVI TE, ET TV QVÆ] Ita omnes editi. Pareus è MSS.reposuit, *cui te & tua, quæ tu habeas.* sine omni gratia ac venere.

4. DOTIS DETVLI]V.N.Persâ act.3.sc.1.

7. VIDISSE CREDO MVL. IN ÆDIB.] Sic MSS.& edd.obsoletæ.Aldina, *mulierem hanc in æd.* Camer.*Vid.eam credo.* Quid si potius? *mulierem intus in ædibus.*

8. NON QVEO] ita hactenus omnis editio.nam Pareana, *non quo*, antiquè, inquit, pro *queo.* bellè nimis! sed ubi illud usquam lectum? deinde quomodo dimetiemur versum?

11. VIDIT]Pasicompsam.

14. JVBET SALVERE SVVS VIR VXOREM SVAM] J.Cæs.Scal.lib.6.c.129. De Caus.Lat. ling.Hunc dicendi modum, inquit, temerè nimis, *inusitatum* appellarunt: quum etiam *Plautus qui Romanæ linguæ lex quædam fuit:* etiam *Terentius, qui veteris novique Latij lima quædam habitus est*, ita & scripserint, & scripta totius urbis judicio approbarint, &c. Cicero pro Sylla: *Sylla, si sibi suus pudor & dignitas non prodesset, nullum auxilium requisivit.* Videas ibid.longè plurima.V.N.Asin.3.1.26.

15. URBANI FIVNT RVSTICI] Hoc propter uxorem dicit, quæ ex urbe rus ierat, & ita ex urbanâ facta erat quasi rustica. L.

20. QVIA ILL.] Ita MSS.& v.codd. quod germanum censeo. J.Gul.& Meurs.l. *Cuja illa m. i.est?* ἐρωτηματικῶς. ut sit etiam *mulier intus*, ea quæ intùs est. ut Amph. *intus pateram efferto foràs.* atque istud statim editioni primæ adplicuit Pareus.

21. DO.RESCISCAM TAM.] Pistoris ita refingit: *DO.resciscam tamen.LY.Cupio hercle: scin? an tu me tentas sciens? vin' dicam* &c. Cupio hercle te resciscere omnem rem: quia adeò te scire puto: & me tentas tantùm. Et mox ad priora perturbatus relabitur; *vin' dicam, cuja sit illa?* Si Dorripæ relinquantur, languent.accedit, quòd fæmina *per Herculem juret*, quod prodigii instar Palmerius etiam habuit Spicil.pag.98.Sed contra consensum MSS.& vett.edd.nolui quicquam immutare. fecit id tamen Pareus, recepitque prima editione Pistorianum. secundâ adhæsit vulgato, sed personam anteposuit Lysimachi versui sequenti, *Cupia &c.* at indicatum oportebat, quidnam sibi isthæc vellent.

23. CVJA EST? ILLA, ILLA ED.]ita è MSS. Grut. At I. Meursius Personas ita constatuit: *LY.Vin' dicam quoja est illa? DO.edepol. LY. væ mihi, Nesc.q.d.* Sed pace ingeniosissimi hominis vulgatum mihi Plautinius. Similes paventium hæsitationes in hoc poeta alibi plures. Trin act.4.2.versu 62. ——*quid est ei nomen? ST.quod edepol homini probo. CH. Lubet audire.ST.illi edepol, illi illi. væ misero mihi.*

26. VRGES]Pareus edidit *urge.* non sine ruina sententiæ, & contra omnes libros.idem versus sequenti fine addidit vocem *dicam,* præposita Lysimachi nota; valde puerìliter. nam & dictio ea versum toto pede longiorem facit, quàm esse possit: ne dicam, jambum requiri, non spondæum, si quid modò deesset. sed nec sic ulla editio, ullus MS. ô impudentiam! ô ignorantiam!

27. INNOXIUS] sc. es.

29. ILLA EST. NUM ETIAM VIS] Ita egregiè Cam. ex corruptis MSS. nam pr. *Illa sunt etiam.* sec. *Illa sunt etiam.* edd. vett. *illa scin ut etiam.* Ald. *Illa est scin? etiam,* quod retinuit utraque Pareana; interposito nihilominus nostro *num,* hoc modo: *Illa'st. Scin? num etiam tus nomen dicam. DO. nihil agis.* ô versum verè horribilem! sed ita fit, ubi Asinus ad lyram.

30. MANIFESTO TENEO, IN NOXIA ES.] ita MSS. At D.F. mâlit: *Man. teneo in noxiâ.* sc. *te.* ut Cas. *Manifestò teneo in noxiâ inimicos meos.* & sic statim nobis oggessit Pareana prior; cloaca exerrationum omnium opportunissima.

31. DO. JOHIA.] ita MSS. & Editio Cam. *DO. Johia.* Vulgò, *jò, illa.* Parei prior enormem iterum versum ostentat, DO. *jo! illa!* Sicque, inquit emend. ex MSS. ubi *Johia.* at ea vox, mi stipes, non constituit spondæum, quemadmodum stercorea tua emendatio. Idem versu sequenti, distinguit: LY. *Jam si nihil? usus* &c. quo quid velit, è Pythiâ quærendum, adeo obscurum est barbarumque.

34. DO. JUDEX? JAM SCIO: HUC T.] ita Grut. cum vett. edit. & MSS.

35. IN CONSILIUM ISTAM ADVOCASTI

A TIBI.] Facetè scriptum ex consuetudine antiquâ. Nam qui judex olim captus vel datus erat, is sibi qui in consilio essent, amicos advocabat: ut verius & melius de re cognosceret & judicaret: (*Vide Cic. Verr.* 4.) iique subselliis iisdem considebant: ut & in Tribunali: qui à magistratibus advocabantur. Cic. 1. de Orat. Est autem hîc sermo irrisionis amaræ plenus. Turnebus l. 7. 15.

36. SIC SEQUESTRO MIHI DATA EST.] *Sequester* dicitur, apud quem plures rem, de quâ controversia est, deponunt. Græcis ὁ μέσος & μεσίγγυος, i. *interventor.* Vocabulum

B à *sequendo* factum est: quod ejús, qui electus sit, utraque pars fidem sequatur. Sed quod apud *sequestrum* depositum erat, *sequestrò positum* per adverbium dicebant. Agell. lib. 20. 11. Isid. 10. Vide Andr. Cludii Tract. De Jure Sequestrat. & alios ex illo genere. V. & N. Trucul. 2. 2. Cæterùm Rævardus ad L. XII. Tabb. c. 6. hinc etiam probat, *Homines quoque apud sequestres deponi potuisse;* sed & Judicibus olim datos fuisse. Quæ autem res mobiles apud sequestrem non posita fuerit, eam in æde sive fano custoditam esse.

36. INTELLEGO] ita MSS. semper nusquam *intelligo.*

37. NUMERO] i. nimium citò. V. N. Mil. extremâ.

ACTUS IV. SCENA IV.

COQUUS, LYSIMACHUS, DORIPPA, SYRA.

AGITE, ite actutum. nam mihi amatori seni
Coquenda'st cœna. atque equidem *cùm. recogito,*
Nobis coquenda est, non cui conducti *sumus.*
Nam QUI AMAT, QUOD AMAT, si id habet, id habet pro cibo:
Videre, amplecti, osculari, alloqui.
Sed nos confido onustos redituros domum:
Ite hàc. sed eccum qui nos conduxit, senex.
LY. Ecce autem, perii! coquus adest. CO adveni mus.
LY. Abi. CO. quid? abeam? LY. st, abi. CO. abeámne? LY. abi.
CO. Non estis cœnaturi? LY. jam saturi sumus.
Sed interii! DO. quid ais tu? etiámne hæc illi tibi
Jusserunt ferri, quos inter judex datus?

CO. Licet

CO. Haccine tua est amica, quam dudum mihi
Te amare dixti, cùm obsonabas? LY. non taces?
CO. Satis scitum filium mulieris! virum hercle avet,
LY. Abin' directus? CO. haud mala est. LY. at tu malus.
CO. Scitam hercle opinor satis concubinam hanc. LY. non abis?
Non ego sum, qui te dudum conduxi. CO. quid est?
Imo hercle tu istuc ipsus. LY. va misero mihi!
CO. Nempe uxor ruri est tua, quam dudum dixeras
Te odisse æquè, atque angueis. LY. egon istuc dixi tibi?
CO. Mihi quidem hercle. LY. ita me amabit Juppiter,
Uxor, ut ego illud nunquam dixi. DO. etiam negas?
CO. Non te odisse ajebat, uxorem verùm suam.
DO. Palàm istæc fiunt, te me odisse. LY. quin nego.
CO. Et uxorem suam ruri esse ajebat. LY. hæc ea est.
Quid mihi molestus? CO. quia me non novisse ais.
Ni metuis tu istanc? LY. sapio: nam mihi unica est.
CO. Vin' me experiri? LY. nolo. CO. mercedem cedò.
LY. Cras petito; dabitur. nunc abi. DO. heu misera mihi!
LY. Nunc ego verum illud verbum esse experior vetus:
ALIQUID MALI esse propter vicinum malum.
CO. Cur hic astamus? quin abimus? incommodi
Si quid tibi evenit, id non est culpa mea.
LY. Quin me eradicas miserum. CO. scio jam quid velis,
Nempe hinc me abire vis. LY. volo, inquam. CO. abibitur,
Drachmam dato. LY. dabitur. CO. dari ergo sis jube.
Dari potest, interea dum illi ponunt. LY. quin abis?
Potin' ut molestus ne sis? CO. agite, apponite
Obsonium istuc ante pedes illi seni.
Hæc vasa aut mox, aut cras jubebo abs te peti:
Sequimini. LY. fortasse te illum mirari coquum,
Quòd venit, atque hæc attulit. dicam quid est.
DO. Non miror, si quid damni facis, aut flagitij.
Nec pol ego patiar, sic me nuptam tam malè,
Measque in ædes sic scorta obductarier.
Syra, i rogato meum patrem verbis meis,
Ut veniat ad me jam simul tecum huc. *SY. eo.*
LY. Nescis negotij quid sit, uxor. obsecro!
Conceptis verbis jam jusjurandum dabo,
Me nunquam quicquam cum illâ. jámne abiit Syra?
Perij hercle. ecce autem hæc abiit. va misero mihi!
At te vicine dii deæque perduint,
Tuâ cum amicâ, cúmque amationibus.

Suspi-

Suspicione implevit me indignissimè:
Concivit hostes: domi uxor est acerrima.
Ibò ad forum, atque Demiphoni hæc eloquar,
Me istanc capillo protracturum esse in viam,
Nisi hinc abducit, quò vult, ex hisce ædibus.
Uxor! heus uxor! quanquam tu irata es mihi,
Jubeas, si sapias, hæc intrò hinc *auferrier:*
Eâdem licebit mox cœnare rectius.

ATQ. EQVID. CVM RECOGITO] MSS. & omn. edd. vett. τὸ *equidem* respuunt.

3. NON CVI CONDVCTI S.] MSS. ambo, *non ducti sumus*: ut & Pius, & omn. edd. vett. præter Ald. qui Brix. tradux. hi enim, *non ei cui ducti s.*

4. NAM QVI AMAT] Verè & scitè nimis amantium sententias exprimit hæc sententia. Et rara dicenda Venus est. *Habere* pro *cibo*. quâ usus est & alibi: *Qui pro cibo habeas te verberari*: D. At H. Steph. ita interpungit:

——id habet pro cibo Videre, ampl.

5. AMPLECTI, OSCVLARI, ALL.] ita MSS. & omn. edd. vett. nisi quod Brix. *atque alloq.*

6. ONVSTOS] saturos probè saburratos.

11. SED INTERII] Acid. *St. interii.* quòd alterum sit nimis languidum. Ita silere Coquum iterum juberet.

15. FILVM] oris lineamentum, ac species. *Filum*, extremitatem corporum ac rerum sæpe vocant, inprimis Lucretius.

15. VIRVM HERCLE AVET] Nihil minus abit à MSS. & Aldi editio, *verùm hercle an net hoc?* quod Lamb. agnoscit, & explicat. Jocus amarus in Senem, consentaneus ei, quod dixerat, *Satis scitum filum mulieris.* An net hoc filum, inquit, tam scitum? Colvius: *virum hercle habet.* J. Gul. *virum hercle avet.* ut designarit, virosam esse, & sibi virum quærere, quod maximè solent, quibus forma sua videtur, ut colatur & exerceatur. Et Valla, *avet*, hic agnoscit: nec aliter v. edd. Palm. l. *Nereum hercle amat.* Hominum omnium formosissimus Nireus celebratur. itaque Plautus, Bella est inquit, amica tua: sed & ipsa Nirea amat, cùm te deperit. ut ironia sit in formam Lysimachi. Gruterus prodit in primo MS. Cam. hærere, *verum hercle amet*: in altero, *an. et.* ut suspicetur tale quid heic reponendum, quale Rudentis act. 2. 4. *nam unde nihil est qui te manem.* sic enim ibi uterque codex. Meursius, Totus, inquit, versus ita à Plauto constitutus fuit: *Satis scitum filum: mulier is verùm hercle an net hoc?* nam *Is* & *Quis* genere communi efferebant. Scioli duas voces in unam contraxerunt, & corruptelæ ansam præbuerunt. Ergò sic intelligendus est locus hic. Cocus Dorippæ formam irridens, laudat εἰρωνικῶς, dicens scitum esse filum: rogatque an ea mulier hoc neret, Syram intelligens, δεικτικῶς digito illâ commonstratâ. Innuere volens tam esse deformem, quàm ipsa anus Syra. Pareus Aldinam expressit, eoque ait tueri vestigia librorum MSS. scilicet.

19. TV ISTVC IPS.] ita MSS. &, præter Brix. omnes vett. edd. etiam Cam. & Lamb. Pareus tamen nobis obtrusit in prima, *istic* ex vett. edd. inquit. at quænam illæ?

28. NI METVIS TV IST.] ita vett. ed. & MSS. Cam. *Ni metuis tu istanc?* id est, *ne metuis*, pro, *metuisne?* Meurs.

29. VIN' ME EXPERIRI?] ita MSS. Cam At J. Gul. Emendatur, inquit, argutè (sc. à. Palm.) *expediri*, sed non verè. *Experimur mercenarios*, cùm eorum operâ utimur. suprâ, hâc Fabulâ: *opera licet Experiri*: & hoc rogat Cocus, velitné operam suam experiri in percoquendo prandio Lysimachus. cùm abnueret ille: at tu, inquit, mercedem cedo, quæ conducto debetur. Hæc ille, & Schoppius in Spicilegio ad Phædrum.

29. NOLO] MSS. & omn. vett. *volo.* Cam. & L. *nolo.* & verò heic inter Scyllâ ac Charybdim constituitur Pareus. parum enim abfuit, quin probaret τὸ *expediri*, tametsi ambo MSS. habeant *experiri*, quod esset in eis *volo.* at quid

quid tunc, bone vir, versui fieret, quæ rejicit eo loco trochæum? nempe tu talis pedes non curas, dum capiti bene sit.

30. DO. HEV MISERÆ MIHI! LY. NVNC.] ita Edd. Brix. Parif. Lamb. & Douzæ. At MSS. Cam. Veneta, & Argent. ab illis, *Heu miseræ &c.* omnia dant Dorippæ, usque ad, *COC. Cur ô.* Sed verum esse quod repræsentavi, sequentia videntur evincere.

32. ALIQVID MALI] Tale illud proverb. Ebreorum: *Væ malo:* &, *væ vicino ejus.* item: *Contubernales improbi cum eo vapulant.* Vide proverbia *Ben-Siræ*, qui creditur fuisse nepos Prophetæ Jeremiæ: & Comment. J. Drusii in eadem.

38. DVM ILLI PONVNT] discipuli obsonium.

39. APPONITE] Ita MSS. Pall. ita edd. omnes vett. utraque Pareana *opponite*. cur obsecro?

46. SCORTA OBDVCTARIER] in conspectum duci. Lucanus: *tenebræ obduxere oculos.* Cic. *Cicatricem Reip. jam obductam refricare.* vide suprà.

55. SVSPICIONE] ita MS. sec. opt. & omn. vett. edd. &, puto, germanum est. Vulgo *suspicionibus.* hinc D. F. *suspicionum implevit.* ut Men. act. 5. 5. *Qui me implevit flagitij.* Firmabat conjecturam suam, quòd *suspicio* nunquam nisi secundâ productâ in Plauto legatur: ut in Amph. act. 1. sc. 2. Bacch. & Trin. bis terve, item Asin. act. 4. 1. Pseud. act. 1. sc. 5. Immò, mi Douza, non facilè reperias in Classicis Scriptoribus etiam aliis, incorruptis quidem. Martial. lib. 11. epigr. 46.

Oblinitur, minima si qua est suspicio rima.

P. Syrus Mimus:

Suspicio sibi ipsa rivales parit.

Idem:

Ad tristem partem strennua est suspicio.

Etiam J. Cæs. Scaliger:

Suspiciosus, lacrimans, gemens, amens,

item J. Lipsius:

Suspiciosos, fraudulentos, duplices.

Et verò Douſæ conjecturam secutus in prima Pareus.

56. CONCIVIT HOSTIS] concitavit mihi hostes.

59. ABDVCIT] ita MSS. ambo, & vett. ed.

62. EADEM] sc. operâ, vivemus lautius.

ACTUS IV. SCENA V.

SYRA serva, EUTYCHUS.

HERA quò me misit ad patrem, non est domi:
Rus abisse ajebant. nunc domum renuncio.
EV. Defessus sum urbem totam pervenarier,
Nihil investigo quicquam de illâ muliere.
Sed mater rure rediit. nam video Syram
Astare ante adeis. Syra. SY. quis est, qui me vocat?
EV. Herus atque alumnus tuus sum. SY. salve, alumne mi.
EV. Jam mater rure rediit? responde mihi.
SY. Suâ quidem salute ac familiæ maximâ.
EV. Quid istuc negotij est? SY. tuus pater bellissimus
Amicam adduxit intrò in ædeis. EV. quomodo?
SY. Adveniens mater rure eam offendit domi.
EV. Pol haud censebam istarum esse operarum patrem.
Etiam nunc mulier intus est? SY. etiam. EV. sequere me.

HERA

HERA QVO ME &c.] Ita MS, Cam. sec. & Brix. ed. Cæteræ, *quæ*, vel *quem*.

7. ALVMNVS] *Alumnum* in Lat. linguâ ἀντὶ τοῦ τροφοῦ pariter & τροφίμου sumi, hoc est, activè & passivè, tam pro eo qui alit, quàm qui alitur, contra Vallam & supsequas ejus, clariss. auctoribus Nonio, Capro, Isidoro, & exemplis, docuit Jac. Cruquius ad Horat. 3. Odâ 18. Barthius in Ceirim, & nos è cunctis ambitiosissimè in Culicis Commentario.

9. SVA QVIDEM SALVTE] Cato: *Si quid bona salute usus venerit, benignè defendent.* Turnebus lib. 14. 2. *Bonâ salute*, putat verbum esse, quo bonam valetudinem & salutem ominabantur, contrariaque deprecabantur. Ita ergò fuerit, *bonâ salute*, tanquam, *salute propitia.* Pareus hanc restitutionem Camerarii, nulli non docto proboque in hunc usque diem approbatam, editione sua ejecisse non contentus (in quâ substituit, *Cum quidem salute familiæ maximâ*) considerare mandat Lectorem, quàm perperam alii, repudiata Antiquitate, novitias sordes in textum admiserint: cùm uno consensu & MSS. & omnes edd. sic legant uti exhibuit. sic ille. sed nimis impudenter. uno consensu non legunt MSS. editique sicut ipse exhibuit. Imò vim majorem adhibuit MSS. editisque Pareus, quàm Camerarius. nam ad sensum quod attinet; Camerariana ambrosiam resipit, Pareana nauseam: ut omittam lectione eâ versum turpiter claudicare destitutum integro amplius pede. Planè in edd. vett. & MS. pr. extat: *Cum quidem salute à familia maxuma*, neque aliter sec. falsò enim asserit in eo esse *maxumæ.* habet sane *maxima*: punctumque positum ad ultimam literam non pertinet ad *a*, uti inde fiat *æ*, sed claudit sententiam. Verùm quænam est malignitas, exagitare alios, tanquam si edidissent unquam, *Sua quidem salute ex familiâ maximâ.* Nego quenquam sic edidisse: certè non Camerarium, non Lambinum, non Dousam, non Taubmannum.

9. SVA Q. SALVTE] MSS. & omn. vett. edd. quasi conjuratim, *Cum q. salute à familia maximâ.* una Brix. infersit *omni.* unde suum *omnis* architectatus est Acidalius.

13. ISTARVM ESSE OPERARVM] V. N. Amph. Prologo.

ACTUS IV. SCENA VI.

SYRA.

ECASTOR lege durâ vivunt mulieres,
Multóque iniquiore miseræ, quàm viri.
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impunè est viro.
Uxor viro si clam domo egressa est foràs,
Viro fit caussa, exigitur matrimonio.
Utinam lex esset eadem, quæ uxori est, viro!
„ Nam UXOR CONTENTA EST, quæ bona est, uno viro.
Quî minus vir unâ uxore contentus siet?
Ecastor, faxim, si itidem plectantur viri,
Si quis clam uxorem duxerit scortum suam,
Ut illæ exiguntur quæ in se culpam commerent;
Plures viri sint vidui, quàm nunc mulieres.

IMPVNE EST VIRO.] Cato, apud Agell. l. 10. c. 23. *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares; illa te, si adulterares, digito non auderet contingere: neque jus est.* De hac lege, quam cum Plauto *duram* Plutarch. vocat, luculenter Alb. Gentil. lib. 6. cap. 21. de Nupt. A

6. EXIGITVR MATRIMONIO.] Gruterus: Facilè inducor, antiquitus repudiaturos conjuges adjecisse caussam: ideoq; assentior Ful. Ursino retinenti Phil. 2. Oic. *Mimam suas res sibi habere jussit? ex XII. tabulis caussam addidit, exegit.* Et huc respicit hic Syra: item ipsius *Repudij* etymon, quod allegat Festus: *Repudium, Verres ait dictum, quod fit ob rem pudendam.* Si sic, eam ipsam rem enunciasse, fit simile vero, &c. Vide & N. Asin. 5, 2.

6. EXIGITVR] propriè. Ita Bacchid. *Hodie exige, aurum hoc?* Exigo ἐξάγω. Et notatur motus de loco. Terent. Prol. Hecyr.

Partim sum earum exactus, partim vix steti.

Ita Prudent. *exactas tenebras* dixit, dispulsas, dissipatas. De quibus curiose Christian. Becmanus in Manuduct. ad linguam Lat.

7. UTINAM LEX] Ita locum pessimè antea interpunctum concinnavit Gruterus. Optabat enim, ut non minore periculo peccarent viri quàm fœminæ.

8. UXOR CONTENTA EST, QVÆ BONA EST VNO VIRO] Hor. 3. Od. 24.

Dos est magna, parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.

ACTUS V. SCENA I.

CHARINUS.

LIMEN superum inferúmque salve, simul autem vale.
Hunc hodie postremum extollo meâ domo patriâ pedem.
Usus, fructus, victus, cultus jam mihi harunc adium
Interemptu'st, interfectu'st, alienatu'st, óccidi.
Dij penates meum parentum, familiaque Lar pater,
Vobis mando, meûm parentum rem bene ut tutemini.
Ego mihi alios deos penates persequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem: ab Atticis abhorreo:
,, Nam UBI MORES deteriores increbescunt indies,
,, Ubi, qui amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere,
,, Ubique id eripiatur, animo tuo quod placeat maximè:
,, Ibi quidem si regnum detur, non est cupida civitas.

LIMEN SVPERVM INFERVMQ. SALVE] Qui domum in perpetuũ deserere animati erant, limina salutare solebant. Romani enim religionis aliquid liminibus & postibus tribuebant. Hinc apud Tib. l. 1. 2. *liminibus* oscula dantur: ut apud V. 6. Æn. *postibus*. Et qui ædem dedicabat, postem tenebat, ad deorumque placandam iram poste caput tundebat. Vide Turn. l. 26. 23. & l. 12. 5. B

5. DII PENATES] Aul. 2. 8.

10. UBI QVI AMICI, QVI INFID.] ita Palm.

11. UBIQ. ID ERIP.] MS. Cam. l. *Ubi quid erip.* Hinc Grut. conjecit, *Ubique id erip.*

12. NON EST. CVPIDA CIVITAS] i. cupienda, expetibilis: D. Non sum ejus cupidus civitatis: *Cam.* qui in pr. MS. legerat *cupida*. Sed in secundo est, *cupita* idque rectum putat Meursius. quòd Veteres *D* pro *T* scripserint. Gruterus tamen hæsitat, an debeat admitti, versu etiam refragante. Pareus, qui versus nunquam metitur, nisi ulnis suis, utraque editione admisit: negatque versum illud respuere posse, cùm alternos

tale

tales numeros in hac scena cuivis facilè sit animadvertere. Itáne cuivis? at non etiam Camerario, non Lambino, non Dousæ, non Taubmanno; quibus alioquin cognitissimum erat, alterum illud *cupita* extare in MS. altero: certè in editionibus antiquioribus.

A Sed indicari velim nobis, quid iste affirmator intelligat per numeros alternos. totâ sanè scenâ talis pes non occurrit, neq; potest per rerum naturam: adeo ut appareat merum agere agyrtam, qui istac publicè venditare audet.

ACTUS V. SCENA II.

EUTYCHUS, CHARINUS.

DIVUM atque hominum quæ Spectatrix atque Hera eadem es hominibus,
Spem speratam quòm obtulisti hanc mihi, grates ago.
Ecquis nam deus est, qui meâ nunc lætus lætitiâ fuat?
Domi erat quod quæritabam. ibi *sex sodales repperi,*
Vitam, Amicitiam, Civitatem, Lætitiam, Ludum, Iocum.
Eorum inventu res decem *simitu pessimas pessundedi,*
Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitium, Pertinaciam,
Mœrorem, Lacrimas, Exilium, Inopiam, Solitudinem.
Date dî, quæso, conveniendi mihi ejus celerem copiam.
CH. Apparatus sum, ut videtis: abjicio superbiam.
Egomet mihi comes, calator, equus, agaso, armiger:
Egomet sum mihi imperator, idem egomet mihi obedio:
„ *Egomet mihi fero, quod usu'st. ô CUPIDO, QUANTUS ES!*
„ *Nam tu quemvis confidentem facilè tuis factis facis,*
Eundem ex confidente actutum diffidentem denuò.
EV. Cogito, quónam ego illum curram quæritatum. CH. certa res.
Me usque quærere illam, quò quò hinc abducta est gentium,
Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons, neque adeò mare;
Nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem.
Imbrem perpetiar, laborem sufferam, Solem, sitim.
Non concedam, neque quiescam usquam noctu, neque interdius
Priùs profectò, quàm aut amicam aut mortem investigavero.
EV. Nescio cuja vox ad aurem mihi advolavit. CH. invoco
Vos Lares viales, ut me bene tutetis. EV. Iuppiter!
Estne illic Charinus? CH. cives bene valete. EV. illicò
Sta, Charine. CH. qui me revocat? EV. Spes, Salus, Victoria.
CH. Quid me vòltis? EV. ire tecum. CH. alium comitem quærite,
Non amittunt hi me comites qui tenent. EV. qui sunt ei?
CH. Cura, Miseria, Ægritudo, Lacrimæ, Lamentatio.
EV. Repudia istos comites, atque hòc respice, & revortere.
CH. Siquidem mecum fabulari vis, subsequere. EV. sta illico.

CH. Male facis, properantem qui me commorâre: Sol abi.
EV. Si huc item properes, ut istuc properas, facias rectius,
Huc secundus ventus nunc est; cape modò vorsoriam:
Hic favonius serenust, istic auster imbricus:
Hic facit tranquillitatem, iste omnes fluctûs conciet.
Recipe te ad terram, Charine, huc. nónne ex adverso vides?
*Nubis ater imberque instat. aspice nunc ad sinistram**
**Cælum ut est splendore plenum, ex adverso vides.*
CH. Religionem illic objecit: recipiam me illuc. EV. sapis
O Charine. contrà pariter fer gradum, & confer pedem,
Porrige brachium, prehende. jam tenes? CH. teneo. EV. tene.
Quò nunc ibas? CH. exulatum. EV. quid ibi facere is? CH. quod miser.
EV. Ne pave, restituam jam ego te in gaudia, antequam is. CH. eo.
EV. Maximè quod vis audire, id audisis, quod gaudeas.
Sta illico. amicus advenio multum benevolens. CH. quid est?
EV. Tuam amicam. CH. quid eam? EV. ubi sit, ego scio. CH. tun' obsecro?
EV. Sanã & salvã. CH. ubi eam salvã? EV. quò ego scio. CH. ego me mavelim.
EV. Potin' ut animo sis tranquillo? CH. quid si animus fluctuat?
EV. Ego istum in tranquillo & tuto sistam; ne time.
CH. Obsecro te, loquere ubi sit, ubi eam videris.
Quid taces? dic. enicas me miserum tuâ reticentiâ.
EV. Non longè hinc abest à nobis. CH. quin ergo commonstras, si vides?
EV. Non video hercle nunc, sed vidi modò. CH. quin ego videam, facis?
EV. Faciam. CH. longinquum istuc amanti est. EV. etiam metuis? omnia
Commonstrabo: amicior mihi nullus vivit, atque is est,
Qui illam habet; neque est cui magis me velle melius æquum siet.
CH. Non curo istuc, illam quæro. EV. de illâ ergo ego dico tibi.
Sanè hoc non in mentem venit dudum, uti tibi.
CH. Dic igitur, ubi illa est? EV. in nostris ædibus. CH. ædis probas,
*Si tu vera dicis, pulcré*que *ædificatas arbitror.*
Sed quid ego istuc credam? vidistin'? an de audito nuncias?
EV. Egomet vidi. CH. quis eam adduxit ad vos? EV. iniquè rogas.
CH. Vera dicis. EV. nihil, Charine, te quidem quicquam pudet.
Quid tuâ refert, qui cum istàc venerit? CH. dum istuc siet.
EV. Est profectò. CH. opta ergo ob istunc nuncium quid vis tibi.
EV. Quid, si optabo? CH. deos orato, ut ejus faciant copiam.
EV. Derides. CH. servata res est demum, si illam videro.
Sed quin ornatum hunc reicio. heus aliquis, actutum huc foras
Exite, illinc pallium mihi huc ferte. EV. hem, nunc tu mihi ut places!
CH. Optimè adveniens, puere, cape chlamydem atque hac. istinc sta illico:
Ut, si hæc non sint vera, inceptum hoc itiner perficere exsequar.
EV. Non mihi credis? CH. omnia equidem credo, quæ dicis mihi.

Sed

Sed quin introducis me ad eam, ut videam? EV. paulisper mane.
CH. Quid manebo? EV. tempus non est introeundi. CH. enicas.
EV. Non opus est, inquam, nunc intrò te ire. CH. responde mihi,
Quâ caussâ? EV. operæ non est. CH. cur? EV. quia non est illi commodum.
CH. Itáne? commodum illi non est, quæ me amat? quam ego contrà amo?
Omnibus hic ludifiratur me modis. ego stultior,
Qui isti credam. commoratur: chlamydem sumam denuo.
EV. Mane parumper, atque hoc audi. CH. cape sis, puer, hoc pallium.
EV. Mater irata est patri vehementer, quia scortum sibi
Ob oculos adduxerit in ædis, dum ruri ipsa abest:
Suspicatur illam amicam esse illi. CH. zonam sustuli.
EV. Eam rem nunc exquirit intus. CH. jam machæra est in manu.
EV. Nam si eò te nunc *introducam. CH. tollo ampullam, atque hinc eo.*
EV. Mane, mane Charine. CH. erras! me decipere haud potes.
EV. Neque edepol volo. CH. quin tu ergo itiner exsequi meum me sinis?
EV. Non sino. CH. ego me moror. tu puere, abi hinc intrò ociùs.
Iam in currum escendi, jam lora in manus cœpi meas.
EV. Sanus non es? CH. quin pedes, vos in curriculum conjicitis
In Cyprum rectà? quandoquidem pater mihi exilium parat.
EV. Stultus es. noli istuc quæso dicere. CH. certum est exsequi,
Operam ut sumam ad pervestigandum ubi sit illæc. EV. quin domi est.
CH. Nam hic quod dixit, id mentitu'st. EV. vera dixi equidem tibi.
CH. Iam Cyprum veni. EV. quin sequere, ut illam videas quam expetis.
CH. Percontatus non inveni. EV. matris jam iram neglego.
CH. Porrò proficiscor quæsitum. nunc perveni Chalcidem,
Video ibi hospitem Zacyntho: dico, quid eò advenerim:
Rogito quis eam vexerit, quis habeat, si ibi inaudiverit.
EV. Quin tu istas omittis nugas, ac mecum huc intrò ambulas?
CH. Hospes respondit, Zacyntho ficos fieri non malas.
EV. Nihil mentitus est. CH. sed de amicâ sese inaudisse autumat,
Hic Athenis esse. EV. Calchas iste quidem Zacynthiu'st.
CH. Navem conscendo, proficiscor illico. jam sum domi.
Iam redij exilio. salve mihi sodalis Eutyche:
Ut valuisti? quid, parentes mei valent? cœna dabitur.
Bene vocas, benignè dicis: cras apud te, nunc domi.
Sic decet; sic fieri oportet. EV. ehò! quæ tu somnias?
Hic homo non sanus est. CH. medicari amicus quin properas?
EV. Sequere sis. CH. sequor. EV. clementer quæso, calces deteris.
Audin tu? CH. jamdudum audivi. EV. pacem componi volo
Meo patri cum matre: nam nunc est irata. CH. i modò!
EV. Propter istanc. CH. i modò! EV. ergo cura. CH. quin tu ergo i modò!
Tam propitiam reddam, quàm cùm propitia est Iuno Iovi.

QUÆ

QVÆ SPECTATRIX] V.N. act.3:4. Atque hæc Scena desperati amoris affectibus abundat.

V.2. QVOM OBSTVLISTI] ita Gruterus cùm esset in MSS.& vett.edd. *quam*. alii maluerunt, numeris coactioribus, *quoniam*.

3. FVAT] MS. pr. *fiet*: sec. *fiat*.

4. DOMI ERAT] Numeris & sensui aliquid deest. Germanum puto: *Domi erat, quod foris quæritabam*. Et solet ita Plautus conjungere *domi, foris*. Acidal. ineptè satis: id tamen utraq; jactat editione Pareus, nolentibus libris.

10. ABIICIO SVPERBIAM] Hoc eò dicit, quòd eat sine comite, servo, equo & cæteris ad iter necessariis: L.

16. CERTA REST.] *rest*. ita MS. Cam. rectè prorsus, Grutero judice.

18. VLLA OB. AMNIS] Nonius & Priscianus docent, veteres in masc. æquè ac fæminino *Amnis* protulisse. neq; aliter heic MSS.

19. NEC CALOR] Notabam *Calor* hîc positum neutro genere, pro *calus*: ut *ador* & *adus*: *decor* & *decus*. nec dubitabam quin ad hanc faciem corrigendus apud Nonium locus in *Calor*. ineptè enim ibidem legitur *calorem*. cùm adducat exempla, quæ utrumque recipiant genus. Sed & Junius Philargyrus ad lib. 2. Georg: Virg. v. 349. ita citat hunc versum:

Neque frigus neque calor metuo, neque ventum neque grandinem.

Calor, inquit, pro *calorem*: aliter hypermetrus versus erit: Gruterus hæc: neq; alia fuit in sententia Josephus Scaliger, ut prodidit Rutgersius lib.5. Var.Lect.cap.17: qui tamen & Nonium & Philargyrum arguit oscitantiæ, tanquam distinguendum potius sit: *Neq; calor, nec frigus, &c.* ut *calor* applicetur illi *obsistat* versus præcedentis. quod item monuit Josias Mercerus; sed tamen acquiescit distinctioni alteri, ob legem septenariorem & consensum librorum mss.

21. NON CONCEDAM] ita MSS. & vett. edd. *Concedere*, est quiescēdi caussâ aut consistendi, in locum quempiam secedere. Rud. *Paullisper remitte restem, dum concedo & consulo*. Palmer.leg. *considam*.

23. INVOCO VOS LARES VIALES] Turn. l.7:15. *Lares Viales*, dii sunt, qui viæ præsunt, ut sint θεοὶ ἐνόδιοι: quos invocare solent, qui peregrè proficiscuntur, & ad viam se accin- A gunt: quo etiam cognomento colebatur Mercurius &c. Scaliger in Catalect. ad illud, *Semitalibus deis*: ἐνοδίῳ, καὶ ἐνοδίᾳ. hoc est, ἐμπῷ καὶ ἱκέτῃ. Sed & alii dii peculiares *semitales*: quos *Lares Viales* vocat Plautus. Est & *Bibia* dea Arnobio. Nam in ambiviis & triviis olim carri & cisia conducebantur. hinc igitur *Semitales dij*. Sed & *Dij Vij* erant &c. de quibus ibid. Scaliger. Sed vide mihi Not. Bacch.act.2:1.

24. BENE TVTETIS] MS. alter & Nonius, & olim cusi, *bene tutetis*: nec improbat Grut. pr. *vivetis*. ex quo Camerarius finxit *juvetis*; cujus sententiæ approbatores inscitè allatrat Pareus.

32. SOL ABIT] Sic Catull. *abit dies*. Bacchid.5:2. *It dies*.

34. CAPE MODO VORSORIAM] Turneb. l.20:4. *Vorsoria*, funis est, quo vertitur velum secundum auram. Alciatus: *Vorsoria* instrumentum est nauticum, quo secundum auram navis vertitur. Nonnulli (*inquit idem*) existimant, eo cognosci solitum, unde flaret ventus: inde, *Cape versoriam*, id est, ut vulgo dicitur, *Verte manum*. V.N. Trin.4:3.

B 35. HIC FAVONIVS SERENVST] Gifan. ad illud Lucr. lib.1.

——fluctifrago suspensæ in littore vestes
Vuescunt: eædem dispansæ in sole serescunt;

notat: *serescere*, i. siccari, ut rectè Nonius: nam *serenus* veteribus etiam sonat *siccus*. hinc Georg.1.

——unde serenas
Ventus agat nubes:

quas alibi vocat *arida nubila*, i. sicca. Plautus, *Hic favonius serenus, &c.*

35. AVSTER IMBRICVS] *Auster imbricus*, &, *fluctus conciens*, Ennio est *Imbricitor*, ὀμβροφόρος.

Concurrunt, veluti venti, quom spiritus Austri
Imbricitor, Aquiloque suo cum flamine contra
Endo mari magno fluctûs extollere certant.

36. FACIT TRANQVILLITATEM] Ex quo *favonius dictus* αἰθρηγενέτης.

37. RECIPE TE AD TERRAM,] ita ferè MSS. ambo, & quos Lamb. secutus est. Vett. editt. *Respice ad dextram, Charine, huc*. quod probant Meursius & Colerus: ajuntque firmari illo, quod subdit, *aspice nunc ad sinistram*. & verò eos sequitur editione pr. Pareus.

reus. at secunda malè omisit *huc*, quod in omnibus edd. & membranis nostris.

38. AD SINISTRAM] Labat sanè à fine versus. ego tibicine litteræ inserto sic fulcio: *ad sinisteram.* ita dicebant: sicut *Superà, inferà,* & (quod noviter observo) *propterà.* ita enim vers. Ennii lego & constituo diu inter Criticos jactatum:

Subulo finitimas propterà stabat aquas: non, *propter astabat.* Cent.1. Epist.15. primævæ edit. Lipsius. Et quidem in MS. sec. Cam. expressè legi *sinistera*, observavit Grut. Sed Acidal. illud, *aspice nunc ad sinistram*, & posterius illud, *ex adverso vides*, inculcata censet, &c. Et verò scriptura MSS. liquido arguit locum mutilum. nam in pr. est: *adspiciat non ad sinistram atque detis Celum &c.* sec. *aspice non at sinistera atque ut detis Cælum &c.* Pareo nusquam hæret aqua; ideoq; efformavit nobis, versu plus quàm sesquipedali; *Nubis atra inVerg, instat: adspice nunc ad sinisteram; atq; videsis; Cælum &c.* phy! phy! illud autem *inVer* vult restare in Pal. pr. sed nimis falsò: habet enim *inber.*

40. RELIGIONEM ILLIC OBIECIT] Scalig. Conject. *Rejicit à se religionem*, qui omen ad alium transfert. Sicut contrà, *Objicere religionem*, ἐπιθειάσαι: nimirum ex observatione ominis δεισιδαιμονίαν incutere: ut h. l. Plauti. Sic Horatius religionem objicit Galateæ profecturæ, ab omine: sc. ab exemplo Europæ. Suetonius dixit, *Afferre cui religionem.* Hæc ille. Budæus Annot. prioribus in Pandect. *Religionis* verbo significantissimè antiquitas usa est, &c. Ita Columella *religiosè* pro solicitè & accuratè dixit. *Obstringere religione*, & *Obligare* dicebant, pro eo quod dicimus, conscientiæ metum incutere. Cic. 2. Philip. *Obstrinxisti populum Rom. religione.* Idem de Arusp. resp. *Quæ tanta religio est, quâ non in nostris dubitationibus &c.* id est, ut nunc loquimur, qui tantus conscientiæ scrupulus? Livius lib.6. Sec. bell. Pun. *In religionem ea res apud Pœnos versa est.* i. Pœni interpretati sunt, id diis non placere, ut Roma oppugnaretur. Curcul. act. 2:3. *Vocat me ad cœnam: religio fuit, denegare nolui.* V. N. ibid. Cicer. Phil. 1. *Cum innumerabiles religiones in Rempub. inducerentur*, i. anxietates & formidines adventantis iræ divinæ. *Exsolvere religione*, est hujusmodi scrupulum adimere. Livius lib.9. lib.3. &c.

42. PREHENDE.] Requirit istud omnino metrum. at Pareus edidit *prende*, quod ita esset in MSS. stultè; sed nec verè. nam pr. habet *pende.*

43. QVID IBI FACERE IS?] Sic restituit Gruterus, cùm invenisset in MS. sec. *bis.* nam pr. *vis*, quod in omnibus hactenus editionibus; sed repugnante versu.

44. IN GAVDIA ANTEQVAM SIS. CH. EO] Ita ingeniosè Cam. ex scriptura fatua MSS. quorum hic, *ingaudiantq, ut sis Max.* sec. *in gaudi antique ut sis Max.* Pareus, cum posset tacendo videri sapiens, edidit, *in gaudia antiqua; ut sis Max. quod.*

45. ID AVDI SIS QVOD GAVDEAS.] ita proxime ad MSS. Gruterus quorus sec. *it audis quod gaudeas.* nam & primus, *audis.* rotundior adhuc exiret oratio abjecta litera, *quo gaudeas.*

46. AMICVS] ita MSS. & Edd. Acidalius malebat, *nuncius*, ob numeros. Sed non opus: cùm in MSS. mirè varient. nam pr. accedit edito, nisi quod is, bene voles, sine illo: *CH. quid est?* quo destituitur & sec. in quo tamen: *studio amicus atvenio multum bene voles.*

48. QVO EGO SCIO] sc. loco.

53. H. ABEST A NOBIS.] ita MSS. & vett. ed.

56. OMNIA COMMONSTR.] ita MSS. & vett. ed. At Valens, Quæ sunt illa? inquit. atqui ille unicam amicam videre cupit! Persona interposita liticulam hanc dirimat: *EV. etiam metuis? CH. omnia. EV. Commonstr.* Sic Ter. Heaut. *C. ita ajunt, & tu credis? M. omnia.* Sed qui orationem ex affectu insani amatoris æstimaverit, vulgatum præfert, scio.

56. NVLLVS VIVIT] *vivit*, pro, *est.* Trin. act. 2:2. *lepidus vivus.* V. N. ibid.

57. NEQ. EST CVI MAGIS ME] ita ferè MSS. sed Meurs. *neque quin magis me v.* ἀρχαϊσμῷ: pro, *neque quem magis mi v.* Aliter, inquit, si legis, perit decor & acumen sententiæ. Dicit Eurychus, amasiam se Charini vidisse apud quendam amicum suum, & quidem talem, quo nemo magis sit obstrictus, ut bene sibi vallet, &c.

59. SANE HOC] Hic vers. Acidalio alienus videtur. Nisi fortè, inquit, eò ponendus, ut sit 82. *pallium. EV. Sanè hoc non in mentem venit*

venit dudum, uti tibi dicerem: Mater irata &c. Delevi autem à fine versus voculam *dicerem*, quod non extaret in MS. pr. nam sec. *dudum ut ob.* neq; aliter edd. primæ. Aldina implevit verba *obambulo*.

61. PVLCREQ. ÆDIFICATAS] Videas ab amatore esse scitam hanc ædium, in quâ amica erat, commendationem. nam quid his obsecro urbanius? Allusum enim ad illam venditionis formulam; cujus enim ad illam venditionis formulam; cujus Officiorum 3. ita comminit Cic. *Quòd si qui proscribunt* VILLAM BONAM BENEQ. ÆDIFICATAM; *non existimantur fefellisse, etiamsi illa nec bona est, nec ædificata ratione.* Cato: *Patremfamilias villam rusticam* BENE ÆDIFICATAM *habere expedit.* unde in proclivi posthac fuerit intelligere, quid sit, quod *ÆDES PULCRE ÆDIFICATAS* prædicet Charinus, id est, *cum ratione*, ut quidem explicat Cicero: *Douza.*

62. SED QVID] Vett. ed. *sed qui ego ist.* Credo, *d* sustinendo versui additum.

62. DE AVDITO] ita MSS. ambo, & edd. Brix. V.N. Bacch. act. 3:3. Carpent. & Pap. Veneta, *an tu audita nuncias?* Vulgata: *an de auditu nuncias* ut & Camerarii.

63. ADD. AD VOS?] Acidal. l. *quis e. a. ad vos? quis? EV.* propter versum.

65. DVM ISTVC SIET.] Pareus distinguit: *Quid tuâ refert, quicum istâc venerit, dum istic siet? EV. Est prof.* plus quàm pueriliter. bis enim ponitur persona Eutychi, nullâ interveniente aliâ.

66. OB ISTVNC NVNCIVM] Grut. l. cum MSS. *ob istuc nuncium*: ut sit gen. neutrius: quod in contextum admisit Pareus.

67. DEOS ORATO &c.] ita MSS. & vett. ed. Respondet autem facetè παρὰ προσδοκίαν. Brix. edit. l. *orabo*, quod præfert Acidalius: atque in hoc, inquit, jocus elegantior fuerit, & irrisio apertior. Nam cum optare jussisset Charinus, ipsius erat optatum præstare. Is autem in miseriâ etiam suâ facetus, non se præstiturum quod sodalis exspectabat, sed, quod non exspectabat, oraturum deos ait, qui præstent.

70. HVC FERTE] Sic omnes editi. at MS. sec. *hac ferte*, quomodo fortè etiam à prima manu pr. in quo *hac ferte*; unde Gruterus promtissimè fecit *ecferte*: quod Pareus, pro auctoris genuino in textum recepit; sicq; se legere profitetur è MSS. quàm vane.

72. INCEPTVM HOC ITINERE P. EXSEQVAR] ita MS. sec. optimè. nec aliter edd. vett.

74. SED QVIN ORNATVM H. REICIO?] Sed cur non rejicio chlamydem viatoriam & cætera ad iter instructa?

75. INTROEVND.] ita numeros fulcit Brix. ed.

79. LVDIFICATVR] pro, *ludificat.*

79. ME MODIS] ita MSS. & Lamb. Alii, *dolis.*

80. QVI ISTI CREDAM, COMMORATVR:] J. Gul. legit, *Qui isti credam commoratur*. ut in se dixerit, qui sibi moram injecerit ipsi, dum Charino auscultaret. Meursius, *Qui isti credam. commutatur.* Nam, *com*, pro, *cum*. V.N. Milit. act. 2:4. & ultimum illud editioni suæ primæ intulit Pareus: secunda verò exhibet, *Quid isti credam. commor.* adnotatumq; ita positum pro *qui. d.* enim impedire hiatum. ineptè. sive enim adsit absitve, primus pes absumet voces primas duas.

84. ZONAM SVSTVLI] Verba sibi dari putat ab Eutycho Charinus. itaque dicit se zonam sumpsisse, quasi iter inceptum perfecturus. Condebant autem viatores in zonâ pecuniam, ut & milites. Jul. C. Scalig. in Orat. de verbo *INEPTI*, p. 423. multis ad hanc rem præmissis, addit: Veteres usi sunt verbo ζῶσαι, pro eo, quod erat, *induere*, præsertim arma: quoniam ζώνη inprimis militi debeatur. sicut de baltheo dicere videtur Justinianus. Inde *Minerva Zosiria*, & *Juno Cinxia*; alio tamen fini. Itaque X. Iliad. non potuit Homerus tacere Nestoris baltheum: sed eum magnæ ipsi curæ esse scripsit. Inde Plauti jocus Merc. *Zonam sustuli.*

85. EAM REM NVNC.] Ita MSS. ita edd. vett. nam Aldina *Eam nunc rem*, quod cùm vitiaret versum, mutavit Camerarius, tenueruntq; editores deinde omnes præter Pareum, qui utraque editione alteram posituram præfert.

85. MACHÆRA EST IN MANV] Græci enim, ut & Romani, non gerebant gladium in urbe. In

86. Tol-

86. TOLLO AMPULLAM] In apparatu viali recensentur etiam *Zona* & *Ampulla*, quibus instructus iter porrò suum exsequi cogitabat Charinus. Consimillimus locus Persianus:

Jam pueris pellem succinctus & œnophorum aptas.
Ocius ad navem.

Nam *Pellem* hîc esse, quod in Plauto *Zona*; & *Oenophorum*, quod *Ampulla*, si non verum, at certè aliquam veri speciem habere videtur: *Douza*. Est autem Ampulla, *vas* (ut vetus Horatii interpres ait) *ventriosum*. Inde μεταφορικῶς *Ampullæ* dictæ sunt verba magnifica, turgida, grandiloqua. Horatius in Arte:

Projicit ampullas & sesquipedalia verba,

quod est, Orationis amplitudinem & superbiam omittit, ἀπελαθεὶς, ἀπελαθεὶς, scilicet Telephus & Peleus, uterq; jam exul factus: ut observant Turnebus lib. 7. c. 19. & lib. 9. c. 3. H. Steph. in Schediasm. Cruquius, atque alii. Sic Yvo Villiomarus, *Loqui ampullas*, inquit, non est verba, quæ magnitudine sui ampullas expleant, sed ampullosa & tumentia verba loqui: ut, *Loqui lapides*, est dura loqui, non, quæ magnitudine suâ æquent saxa. Falluntur & ii, qui putant, *ampullas* & *sesquipedalia verba* idem esse. *Ampullæ* sunt διανοίας, *sesquipedalia*, λέξεως. Nam turgentia & tumor verborum, sensus est; compositio autem, λέξεως; &c. Vide Animadvers. in Loc. Contr. R. Titii, lib. 2: 7. In quem verò usum peregrè proficiscentes ampullam secum tulerint, docet Meursius. Mos, inquit, erat pedes oleo ungere, antequam calceos induerent. itaque peregrè abeuntes ampullam secum portabant, quæ oleum in eum usum suppeditaret. Posterius ex hoc Plauti loco apparet, prius ex Hesychio, cujus ea verba, ἠλείφοντο τοὺς πόδας οἱ ἀρχαῖοι, πρὶν τὸ ὑποδήσασθαι. hinc λιπαροὶ πόδες apud Poetas.

89. EV. NON SINO] H. Steph. cum interrog. leg. *Non sino?* pro, *Nonne sino?*

89. EGO ME MOR.] ita MSS. & vett. edd. omnes. *Ego me.* Sic enim irati ferè dicere solent, &c. Pseud. act. 1: 3. *It dies: ego mihi cesso.* Vulgo, *Ergo*.

89. OCIUS] Pertendit Gifanius, *ocius* per *i* simplex scribendum, autoritate omnium libr. vett. ipsiusq; Prisciani: si vel sit ab ὠκύς.

A 90. IN CURRUM ESCENDI] Benè MSS. Pall. *in currum escendi*: quæ vox sæpissimè restituenda auctoritate Gruteri. V. N. Supra 2. 2. v. 35.

92. EXILIUM PARAT] ita MSS. Blanditur tamen Grutero, quod est in edit. Mulingi; *pater mihi exilium imperat.* & verò id in editionem pr. recepit Pareus.

94. AD PERVESTIGANDUM] MS. pr. *ad vestigandum.* quod si temerarium non est, tunc lepidè repetatur, *ubi ubi sit illæc.*

95. ID MENTITU'ST.] ita vett. edit. & MS. sec. *mentitu'st.* quod non fuit resolvend. in *mentitum est*, sed, *mentitus est.* ita Pseud. act. 4: 6. leg. *pol haud mentitus est.*

98. PROFICISCOR] Haud aliter ambo MSS. haud aliter primitùs cusi. Pareus tamen retinuit *proficiscar.*

99. VIDEO IBI HOSPITEM ZACYNTHO] *Hospes Zacyntho*, hospes est Zacynthius, vel à Zacyntho: ζακυνθόθεν, λεσβόθεν &c. Turneb. lib. 7: 15. Sic Terent. *Uxor Lemno: anus Corintho*, ut notat Palmerius. *Vinum Chio*, Varro: *Servus Limmoniâ*, Cicero: *Paganus Medulis*, Ausonius. dicitur ut illud Virgil. *unde domo?* V. N. Bacch. 2: 2.

B 102. ZACYNTHO FICOS FIERI NON MALAS.] Quam sententiam habet? inquit Turnebus, l. 7: 15. Opinor dici, ut fici, quæ acerbæ immaturæque insuavitatem habent: percoctæ tandem ad suavitatem & dulcedinem mitescunt: sic ejus juventutem acerbam esse etiamnum & indomitam, quæ ætate emansuescet & domabitur. Sic enim obliquâ figurâ sermonis adolescens perstringitur. Immò simpliciter hoc vult, Hospitem nihil ad rem respondisse: sed quærenti poma obtrusisse pira.

104. CALCHAS] i. verus vates.

107. PARENTES MEI VALENT? COENA DABITUR] Ita ingeniosissimè Cam. nam MSS: *Parentis metuat mater dati*, neq; aliter edd. exoletæ. Aldina *parentes mei? valent? tibi gratia est.*

110. HIC HOMO NON SANUS EST] Ita omnis editio, neq; aliter fere Pal. sec. Pareus tamen maluit *Hic homo insanu'st*, tanquam ita restaret in Pal. pr. sed falsò. ibi enim, *insanus* tantum, sine *st.* & utrovis modo legamus, vitium infertur versui manifestarium.

110. MEDICARI AM.] Si non sanus sum: cur tu, qui te amicum profiteris, mihi non mederi properas? *Properas* autem pronunciandum κατὰ συγκοπὴν, *propras*. Cam. & Acid.

111. CLEMENTER QVÆSO: CALCES DETERIS.] Thut gemachs. Et mira decori observatio est; ubi Charinus, cui, ut amatori, res omnes pro spisso videbantur procedere, ad amicam in ædes festinè nimis introire gestiens, sodali illi suo, ponè subsequendo, calces fingitur deterere. D.

ACTUS V. SCENA III.

DEMIPHO, LYSIMACHVS.

QVASI tu nunquam quicquam assimile hujus facti feceris.
LY. Edepol nunquam. cavi ne quid facerem. vix vivus sum miser!
Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.
DE. At ego expurgationem habebo, ut ne succenseat.
LY. Sequere me. sed exeuntem filium video meum.

QVASI TV &c.] Ita hæc Scenula integritati suæ nunc demum restituta est, magisterio potissimum Pistoris & Acidalii: cum antea turpissimè luxata esset. Vide, si operæ est, hujus disputationem sanè curiosissimam, in *Plautin. Divinationibus & Interpretationibus*, c. VI.

V. 2. EDEPOL NVNQ. CAVI NE QVID] Palmer. hunc versum exturbabat. Neq; poterat hîc locum habere, nisi ita transpositus. antea præponebatur isti versus tertius.

2. VIX VIVVS SVM MISER] Sic quidem antiquitus cusi. sed tamen MS. pr. pro his solum habet, *facere multum miser.* sec. *facerem vix vivum ser.* ut videatur prius fuisse: *vix vivo miser.*

3. VXOR TOTA IN FERMENTO IACET.] *In fermento jacere*, ἐν τῇ ζύμῃ κεῖσθαι, dicebantur, qui animo essent ægro, quique iracundiâ turgerent. Nota tralatio. Fermentum enim & acorem habet & tumorem, &c. V. N. Cas. act. 2:5. Etiam Casaub. ad Pers. Sat. 1. notat, *fermentum* hîc pro irâ poni: ut *Esse in fermento*, sit θυμοῦσθαι, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. Juvenal. *istud Fermentum tibi habe*, i. indignandi caussas. Etiam Hebræos *fermentare* pro irâ turgere & βιάζεσθαι accipere. Quin & de aliis affectibus dici: ut Prudent. *Cum fermentati turgescant mores.*

4. EXPVRGATIONEM HABEBO] i. apud tuam uxorem te purgabo. Ita Pistoris, qui Lambinum in his desipere ait, Acidalium sapere. MSS. priùs habent *At ergo excus.* sine vocula *eam*, quod an non mutari queat in *A tergo excusationem habebo*, viderint doctiores.

5. LYS. SEQVERE ME. SED &c.] Nam hæc ultima Lysimachi esse, docet seqq. Eutychus enim prodit, non Charinus. Et Lysimachus, credo, Demiphonem ad uxorem adducere volebat, ut se purgaret. ideò ait: *Sequere me.*

ACTUS V. SCENA IV.

EVTYCHVS, LYSIMACHVS, DEMIPHO.

AD patrem ibo, ut matris iram sibi esse sedatam sciat.
Iam redeo. LY. placet principium. quid agis? quid fit, Eutyche?
EV. Optimâ opportunitate ambo advenistis. LY. quid rei est?
EV. Uxor tibi placida & placata'st. cette dextras nunc jam.

LY. Dij

LY.Dij me servant.EV tibi amicam nullam esse nuncio.
DE.Dij te perdant.quid negotij est nam quæso istuc? EV.eloquar,
Animum advertite igitur ambo. LY.quin tibi ambo operam damus.
„ *EV. QVI BONI SVNT genere nati, si sunt ingenio malo,*
„ *Suâpte culpâ genere capiunt genus, ingenium improbant.*
DE.Verum dicit hic.LY.tibi ergo dicit.EV.eò illud verum est magis.
Nam te istâc ætate haud æquum fuerat filio tuo,
Adolescenti amanti amicam emptam argento eripere suo.
DE.Quid tu ais? Charini amica st illa? EV.ut dißimulat malus!
DE.Ille quidem illam sese ancillam matri emisse dixerat.
EV.Propterea igitur tu mercatus? novus amator, vetus puer.
LY.Optime hercle: perge! ego aßistam jam hinc altrinsecus.
Quibus est dictis dignus, usque oneremus ambo. DE.nullus sum.
LY Filio suo qui innocenti fecit tantam injuriam.
EV. Quem quidem hercle ego, in exilium cùm iret, reduxi domum:
Nam ibat exulatum.DE.an abiit? LY.etiam loquere, larüa?
TEMPERARE istâc ætate istis decebat artibus.
DE Fateor: deliqui profectò. EV.etiam, loquere larüa?
„ *VACVVM esse istâc ted ætate iis decebat noxiis:*
„ *Itidem, ut tempus, anni, ætatem aliam aliud factum convenit.*
Nam si istuc jus est, senectâ ætate scortari senes,
Vbi loci res summa nostra est publica? DE.hei.perij miser!
EV.Adolescentes rei agendæ isti magis solent operam dare.
DE.Jam obsecro, vobis hercle habete cum porcis, cum fiscinâ.
EV Redde filio, sibi habeat.DE jam ut vult, per me sibi habeat licet.
Temperi edepol! quoniam, ut aliter facias, non est copia.
DE.Supplicij sibi sumat, quid vult ipse, ob hanc injuriam,
Modò pacem faciatis.atis.oro, ut ne mihi iratus siet.
Si hercle scivissem, sive adeò joculo dixisset mihi,
Si illam amare; nunquam facerem, ut illam amanti abducerem.
Eutyche, ted oro, sodalis ejus es, serva & subveni:
Hunc senem para me clientem: memorem dices beneficii.
LY.Ora ut ignoscat delictis tuis atque adolescentiæ.
DE.Pergin' tu autem, eja! superbè invehere? spero ego mihi quoque
Tempus tale eventurum, ut tibi gratiam referam parem.
LY.Missas jam ego istas artes feci. DE.& quidem ego dehinc jam. LY.nihil.
CONSVETVDINE animus rursus te huc inducet. DE.obsecro,
Satis jam ut habeatis.quin loris cædite etiam, si lubet.
LY.Rectè dicis. sed istuc uxor faciet, cùm hoc resciverit.
DE.Nihil opust resciscat.EV.quid istuc? non resciscet, ne time.
Eamus intrò? non utibilis hic locus factis tuis,

Dum memoramus, arbitri ut sint, qui prætereant per vias.
DE. Hercle quin tu rectè dicis: eàdem brevior Fabula
Erit. eamus. EV. hîc est intus filius apud nos tuus.
DE. Optimè est. illàc per hortum nos domum transibimus.
LY. Eutyche, hanc volo prius rem agi, quàm meum intro refero pedem.
EV. Quid istuc est? LY. SVAM QVISQVE homo rem meminit. responde mihi:
Certon' scis non succensere mihi tuam matrem? EV. scio.
LY. Vide! EV. me vide. LY. satis habeo. at quæso hercle, etiam vide!
EV. Non mihi credis? LY. imò credo, sed tamen metuo miser.
DE. Eamus intrò. EV. imò dicamus senibus leges censeo,
Priusquam abeamus, quas leges teneant, contentique sint.
Annos natus sexaginta qui erit, si quem scibimus,
Seu maritum, seu hercle adeò cœlibem, scortarier,
Cum eo nos hîc lege agemus: inscitum arbitrabimur.
Et per nos quidem hercle egebit, qui suum prodegerit.
Neu quisquam post hac prohibeto adolescentem filium
Quin amet, & scortum ducat; quod bono fiat modo.
Si quis prohibuerit, plus perdet clàm, quàm si præbibuerit palàm.
Hæc adeò, ut ex hacce nocte primùm lex teneat senes.
Bene valete, atque adolescentes, hac si vobis lex placet,
Ob senum hercle industriam, vos æquum est clarè plaudere.

A AD PATREM IBO.] Ita hæc Pistoris è Sarac. item Brix. & Aldinâ & Parmensi edd. ingeniosissimè, levissimâ tantùm mutatione in Personis factâ, restituit. quod & Meurs. observat, & Acidal. summâ defendit industriâ: nisi quod illud, *placet princip.* Demiphoni dat. Pareus, qui superiori scenula versus mutaverat, Doctorum duorum motus arbitrio, & prima præterea editione heic quoque eosdem rursus secutus fuerat, cum nota: *Etiam hos versus restituit divinus Acidalius*: in secunda editione, in alteram partem obtinet palmam, asseritque levi du- B ctos ratione lineas invertisse alios, imo nulla. De Pistorio, de Meursio istud forte dicere excusatius poterat noster Dictator, qui tamen ipsemet nullam dissensionis hujus rationem reddit; at quei hoc quadret in Acidalium, divinum illum? nec verum, nec verisimile loqueris, frutex. nam quod adjicis: *Displicet verò illa libido innovandi & bonos Auctores in ordinem redigendi*: id in neminem magis locum habet, quàm in te; mille modis innovantem Plautum, ideo tantum quia non intelligis.

1. AD PATR. IBO] Hæc Eutychus ad Charinum in ædibus Lysimachi restitantem.

1. SEDATAM] ita MSS. nam edidit Camer. & Lamb. & Douza *securam*. Cæteræ edd. habent *sedatam*. Ita v. 4. omnes hab. *placam*. Imprudenter ergò Editor novitius *pacata* ex ed. Acidalii arripuit: cùm sphalma sit typographicum.

2. PLACET PR.] quippe nuncii boni omen in se continens, ob placatam mulierem.

4. CETTE DEXTRAS] i. date: ab eo, quod est, *cedò*: Nonius. Jam, in *dextris* quoque religionem fuisse, earumque conjunctione amicitiam firmatam esse, docet Tiraquell. ad Alex. l. 1. cap. 19.

5. DII ME S.] Acidal. utrobique aut *me* aut *te* legendum censet. ut pares & inter se respondentes sibi senum sint responsiones. Sed à consensu MSS. & Edd. nolui divortium facere. fecit tamen priore editione Pareus.

8. SI SVNT] MSS. τὸ *si* non habent.

9. SVAPTE CVLPA GENERE CAPIVNT] ita MSS. Camer. at Lamb. legit,

Suapte

Suâpte culpâ degener capiunt genus.

ut *degener genus* opposuerit *generi ingenuo.* Liceat etiam leg. *degenere*: ut sit neutrum è masc. & fœmin. *degeneris.* Jos. Scal. in Conject. ad illud Varronis; *capiuntur sequi matrem*: hoc est, naturâ duce sequuntur; notat: Sic apud Plaut. legendum:

Suapte culpâ genere capiuntur,

hoc sensu: ut animantia naturâ prona, ipso cupidinis impetu feruntur ad gignendum culpâ suâ. Nam *gignere culpâ suâ*, & *vitio suo*, est, ut Lucret loquitur, *volgivaga Venere liberos suscipere.* Et, *filii vitio*, sunt spurii. Et, *facere patrem vitio*, dicitur mœchus. Ovid.

Ut vitio factus sit pater ille meo,

hoc est, ut vitio patrem illum fecerim, scilicet falsò patrem: qui vulgò dicitur *putatitius.* Mart. lib. 12.

Huic semper vitio pater fuisti.

Sic dicebatur *Vitiolitigare*: unde *vitilitigatores.* Palm. quoq; ita legit: ut *genere* sit *gignere*, ab antiquo *geno*, *is*: de quo V. N. Cist. act. 2. 3. P. Colvius è v. c. Paris. divinat leg.

Suapte culpa degeneres abeunt: genus ingenio improbant.

Opposita hæc inter se, inquit, *Genus bonum*: *malum ingenium*: hoc qui præditi illud improbant & corrumpunt. Non dissimile Truculento, 4. 3.

Verùm qui improbus est, aquam si bibit,
Sive adeò caret temeto; tamen ab ingenio est improbus.

Lipsius Centur. 1. epist. 15. primæ editionis: Scio, inquit, quî viri docti explicent, sed involucra hæc sententiarum nunquam ceperint prisci illi Quirites. facilè cum iis ego, si legas;

Suopte culpam genere capiunt.

Capiunt culpam, inquit, nobiles â suo ipsi genere, si degenerant. Meursius è v. c. in quo erat, *ex genere capiunt*, emendat:

Suapte culpa ex genere cadunt:

pro, *ex genere excidunt.* ut respondeat illi Græcorum, ἐκπίπτειν τοῦ γένους: cui contrarium, ἀπαλλαξυβάλλειν ἐς τὸ γένος, &c. quomodo & Acidalius divinabat:

Suâpte culpâ genere cadunt: genus ingenuum ingenio improbant.

Vel:

Suâpte culpâ culpam generi addunt, genus ingenio improbant.

At verò Pistoris, conjunctâ Lipsii & Colvii operâ legit:

Suopte culpam genere capiunt: genus ingenio improbant.

Ipsum genus, inquit, quod aliâs ornamento ipsis esset, culpam eorum aggravat, seu facit, ut plus culpæ contrahere videantur, dum ingenio id improbant. & istud prima editione in contextum recepit Pareus. Haiminsfeldus ita corrigit:

Sua à culpâ genere castiunt, ingenium ingenuum improbant.

hoc sensu: Qui sunt nobili genere nati, ubi facinus patraverint malum, solere generis sui claritate id excusare, & eo se culpæ ulli obnoxium negare: cæteros, quos more modestiori vident vivere, rusticitatis & ignobilitatis insimulare. Et addit: Hanc sententiam postulat sequens hypothesis. *Castire* autem dictum, ut *ustire*; *capsire*, pro includere, & talia. *Castus* est purus & vitii expers. Pœn. act. 5. 4.

Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse à culpa castas.

Jam, *Ingenium ingenuum*, è MS. Schobingeri est, & Augustino (sive is Dionysius martyr sit & Pontifex Rom.) lib. 2. cap. 16. de Doctrinâ Christianâ: *Ingenium*, inquit iste, *ingenuum non potest non moveri, quid sibi velit, quòd & Moses & Helias, & ipse Dominus quinquaginta diebus jejunaverunt.* In tot sententiis quid nunc etiam dicam aliud, quàm quod olim Camerarius? *Quærimus.*

15. VETUS PUER.] Idem alibi: *Stultus es adversus ætatem & capitis canitudinem.* Vide Adagia Zehneri Cent. 4. 53. *Puer centum annorum*, Esaiæ c. 65. Philostratus: ἐν παισὶ μὲν γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς. Hæc licet legisset Pareus, tamen in Electis suis tale ex isto versu formavit axioma: Sæpe ætate pueri ingenio senes sunt. monstrosè! portentosè!

16. ALTRINSECUS] alterâ ex parte. Pseud. act. 1. 3. Porrò cum vox *jam*, non sit in MSS. aut edd. priscis; videndum repetiné queat; *perge, perge! ego assistam hinc.*

20. LY. ETIAM LOQUERE LARVA?] Sic alibi: *Etiam muttis?* Persâ: *scelerate etiam loqueris?* D. Larvia trisyllabum est. recentiores quidem adjecere *tu*, tam heic quàm infrà; sed sine MSS. & edd. priscis. In Priapeiis: --*adfert Pallorem maciemque larualem.* Parei Lexicon innuit *Larvam* hîc sumi de homine impudenti, insulsè!

24. ALIUD

24. ALIVD FACTVM CONVENIT] Quia *conVenit*, idem valet, quod *decet*, eandem illi constructionem attribuit. L.

28. VOBIS H. HABETE CVM PORCIS CVM FISCINA.] Turnebus lib. 7. 15. Videtur mihi, inquit, lusisse ut in scrophâ, quam vel abalienamus sæpenumerò, vel cedimus cum suo fœtu, & fiscinâ, quâ sordes & stercora haræ effeτu, & fiscinâ, quâ sordes & stercora haræ efferimus: ac proinde perinde esse, ac si nihil quicquam illi sibi reliqui faceret, sed omnia crederet sine exceptione. Sic igitur figuratè cavillatur in amica, quæ significatur, quámque adeò aliis transcribit à se amandatam. (Nemet sie hin mit Haut vnnd Haar / Mit Hosen vnnd Wammes / wie man die kleun Fischlin isst.) Acidalio tamen non satis videtur explicatum: & suspicatur leviter, pro *porcis* legend. aut *porris* aut *sportis* &c. ut illi nostrati simile sit: Den Beutel mit dem Geldt.

30. TEMPERI EDEPOL:] ita Grut. & Acid. emendant: ut derideat eum. Et sic ferè MSS. *Temperi*, vel *Tempori*, pro maturè, suóq; tempore. cui, per ironiam, contrarium hîc notat.

32. FACIATIS. ORO] Sic MS. sec. & editio omnis vetus recentior, *faciatis, misero ut*. ex MS. pr. in quo, *faciat misero, ut*.

36. HVNC SENEM PARA ME CL.] esto mihi patronus, & patrocinio isto tuo me tibi clientem para: L. versus melius procederet ejecto *me*.

37. LT. ORA VT IG. D. TVIS] Ipsumne Demiphonem Lysimachus orare jubet? At quem? filium suúmne an ipsius? Equidem non aderat Charinus, qui orandus esset: & oratorem verò sibi parat ille Eutychum, non ipsum orat. Nam hic quid oretur? Ignoscere Charini erat, in quem deliquerat pater. Non convenit igitur vulgata lectio: quam in sensum aptissimum refinges levi mutatione, si pro *tuis* scripseris *hujus*. Inequitat æquali suo Lysimachus, & filium orat, orare atque intercedere apud filium illius pro illo velit. Sallissimè rem indignam perstringens, cum, quo modo, quibus delictis, quam veniam filii rogare solent a patribus, eodem iisdem eandem patri è filio nunc rogari cupit. *Acidal.* cujus scripturam perperam in recepit contextum Pareus editionis primæ. nam in sec. visitur *delictis*, pro *dele-* A *ctis*, ex MSS. quidem, sed contra omnes retrò editiones.

38. S. INVEHERE] mihi inequita. Tummel mich nur wol.

40. ISTAS ARTES FECI.] ita Grut. ductum MSS. secutus, atque ità in Venetâ etiam omnibusq; adeò vett. legi, Acid. notat. idquè unicè probat Pistoris. cui subjicit Demipho, se in posterum facturum quod hîc jam olim fecit.

41. CONSVET. ANIMVS RVRSVS TE HVC] Pareus dum vocem licentius transsponit, corrumpit metrum *Cons. animus te rusus huc*, & petulanter admodum *rusus* nobis præscribit, cùm aliter restet in MSS.

44. QVID ISTVC?] sc. metuis. L.

45. NON VTIBILIS] MS. sec. & edd. vet. legunt: *Non utibile'st hic locus factis tuis*. V. N. Amph. act. 1. 3. v. 39.

51. SVAM QVISQ. HOMO REM MEMINIT] Notat hominum mores, qui in alieno negotio dormitant, in suo quisque vigilat. Ennius rectè monet:

Hoc tibi sit argumentum semper in promptu situm,
Ne quid exspectes amicos, facere quod per te queas.

B Sic Pœnulo:

Itáne tentas, an sciamus nos meminisse nostra?

53. VIDE. EV. ME VIDE] Asin. act. 3. *Me spectes*. Sey du derhalben vnbekümmert. Sieh vff mich. MSS. ambo. *Video me Vide*, unde Pareana: *Video*. EV. *Me Vide*. contra formulam. & edd. omnes; arguitque alioquin vox postrema versus.

55. DE. EAMVS INTRÒ. EV. IMÒ DICAMVS S. LEG. C.] Ita ed. Veneta, & Paris. & Argent. immò & MSS. Cam. Eleganter, ut in contemptum Senum Leges ipsis ferat adolescens.

56. QVAS LEGES TENEANT.] J. Gul. Vulgarius mihi videtur, *leges tenere*, & vix dignum Plauto. paululâ certè mutatione politissimam loquendi formam restituas: *quâ se lege teneant contentique sint*. Sic Lucill.

His te Versibus intereà contentu' teneto.

neque est, quod quem moveat numeri mutatio, quam inferius iterum persequitur: *Hæc adeò ut ex hàcce noćte lex primùm teneat senes*.

Grute-

Gruterus suspicatur: *abeamus, queis sese ten.* cùm Gulielmianum illud etiam insuave sit, ob repetitam vocem *leges.* In MSS. est: *quas elege t. contentique... sint.* Sic secundus, cum lacuna.

CUM EO NOS HIC LEGE AGEMUS] i. pœnas legibus indictas infligemus, & legem in eum consequemur. In eo significatu capitur apud Tacit lib. 12. Est igitur, *Lege agere*, quod Cic. alibi dicit, *facere judicatum*. i. exsequi implereque latam sententiam. *Franc. Polletus in Hist. fori Rom.* V. & N. Mil. 2.5.

59. INSCITUM ARBITRABIMUR] *Scitum* in re Venereâ usurpatum antiquitùs, docuerunt alii, tum Plautus Trucul. Sc. ult.

Quanquam hic horridus, quanquam hic squalidu'st:
At scitus bellum init. (V. N. ibid.) Isti contrarium *Inscitus* hoc loco Plauti. Sic enim hunc versum à nemine hactenus, quod sciam, intellectum interpretor: nec hunc solum, sed & alium Ter. Hec. act. 5.1.

Nam si facis facturave es, bonas quod par est facere,
Inscitum offerre injuriam tibi immerenti, iniquum est.

A Sic enim omninò dispungendum, & verb. *me*, vel autoritate Donati, & codd. Bemb. ejiciendum. Vult senex; iniquum esse, si homo, qui ex rebus amœnis & voluptariis exaruit, injuriam inferat meretrici: cum hoc sit potiùs calidæ juventutis, &c. Longè aliter hæc explicant de trivio magistelli, secuti Faernum. Vide ib. plura. *Grut.*

60. ET PER NOS QUIDEM] Multò concinnius & non sine joco legeretur hic versus post illum: *Si quis prohib. &c.* Hæc enim, *Et per nos quidem* &c. quasi sanctio est, quâ pœna in eum statuitur, qui id, quod de sumptu adolescentibus subministrando dicitur, violaverit, aut potius servaverit, nempe EGESTAS. B Sim. Ulr. Pistoris JC. Nob. & unius omnium optimi Principis Elect. Brand. JOH. SIGISMUNDI, atque in me seorsim etiam clementissimè affecti consiliarius. In quo bono & Germano nomine Mercatoris Romani sive Græci merces non valde bonas amitto.

62. QUOD BONO FIAT MODO.] modò nil fiat contra leges & supra modum. L. Vide etiam N. Mil. act. 3. sc. 1.

FINIS MERCATORIS.

PSEUDOLUS.

ARGUMENTUM.

HUJUS Fabulæ laudatio exstat Ciceroniana: in cujus *Catone* ipse Cato dicit: *Quàm gaudebat bello suo Punico Nævius; quàm Truculento* PLAUTUS, *quàm* PSEUDOLO! Ac est Truculentus quidem ita depravatus, ut nulla alia Fabula Fabularum Plautinarum magis, tam in expressis, quàm in MSS. libris. PSEUDOLUS autem & beneficio veterum librorum, & nostrâ diligentia, maximâ parte restitutus integritati, facile probat lectori, se non sine caussâ tantopere placuisse Ciceroni. ARGUMENTUM est varium & planè mirificum. Senes duo satis commodi. Adolescens amore perditus. Servus veterator & fraudulentus. Leno sceleratus & perfidus: à quo per fallacias subitæ occasionis abducitur amica filii herilis consilio servuli. Hæc exponuntur admodum copiosè & luculentè, cum actione multiplici.

PERSONARUM nomina ſunt, Ψεύδολος, qui totus ex mendaciis compoſitus eſſet. Καλλίδωρος, à formæ ſeu pulcritudinis munere. Βαλλίων, nomen videtur eſſe ἀπὸ τοῦ βαλιοῦ denominatum, & ſignificare *verſipellem*. Φοινίκιον, gentile deminutum. Ἡδύλιον deminutum ἀπὸ τοῦ ἡδύλου, quo nomine Poeta fuit Elegiacus, ducto à ſuavitate. Ξυστιλὶς, ἀπὸ τοῦ ξυστοῦ, quæ forma fuit porticûs in veterum ædificiis. Αἰσχροδώρα, à turpitudine munerum. Πολυμαχαιροπλακίδης, glorioſè factum nomen militare à copiâ enſium, & ſine gentilis appellationis. *Camerarius*.

ERASMUS: Nomina quædam, ob inſignem improbitatem, abierunt in proverbium. Nam Cic in Act. ſuis ſubinde C. Fannium Chæream quendam, *Ballionem* appellat, veluti pro Roſcio Com. *Qui iccirco capite & ſuperciliis ſemper eſt raſis: ne ullum pilum viri boni habere dicatur*, &c. à βάλλειν, quòd ſemper aliquid prædæ venetur leno: vel à βαλλίζω, quòd laſciviarum ac ſaltationum ſit architecton.

AGELLIUS hanc Comœdiam *feſtiviſſimam* appellat.

DOUSA: *Quàm Pſeudolo ſuâ Plautus gaviſus fuerit, neſcio: hoc ſcio, nullam me ex Poetæ illius Comœdiis jampridem æquè lubentem pellegiſſe, neque animo unde defæcatiore me diſceſſiſſe exiſtimem. ita ut mirandum non ſit eam Ciceroni tantopere complacitam. Eſt enim Comœdia illa (ut multa ſanè paucis eloquar) ocellus Fabularum Plauti: ideoque (qui meus animus) extra omnem notæ Cenſoreæ aleam poſita, digna hercle, non à me aut Lambinis modò, verùm & à Lipſiis quoque ac Scaligeris lectitari &c.*

J. GRUTERUS Ubi deſcribitur *Pſeudolus* (act. 4:7. v. 120.) puto ibi depingi ipſum *Plautum*. nam ubi id faceret potiùs, quàm in Fabula ſibi acceptiſſimâ? Sed nec alioquin inuſitatum ipſi, alludere ad hæc talia. Fidem fecerit Moſtell. act. 3.2. ubi patriam prodit: *Quid, Sarſinatis ecqua eſt?* Certè à magnis pedibus ei nomen vult palàm Feſtus apud Paulum.

DRAMATIS PERSONÆ.

PSEUDOLUS ſervos.
CALIDORUS adoleſcens.
BALLIO leno.
LORARII quattuor.
SIMO ſenex.
CALLIPHO ſenex.
HARPAX cacula.
CHARINUS adoleſcens.
PUER.
COQUUS.
SIMIA ſycophanta.
PHOENICIUM meretrix.

ARGUMENTUM.

PRÆSENTES numerat quindecim Miles minas.
Simul conſignat ſymbolum, ut Phœnicium
Ei det Leno, qui eum cum reliquo afferat.
Venientem Caculam intervortit ſymbolo,

Dicens

Dicens Syrum se Ballionis, Pseudolus:
Opémque berili ita tetulit: nam Simiæ
Leno mulierem, quem is suppofuit, tradidit.
Venit Harpax verus: res palàm cognoscitur:
Senéxque argentum, quod erat pactus, reddidit.

EUM QUI CUM REL.] Symbolum cum reliquis quinque minis.
6. HERILI] sc. filio, Calidoro.
9. QUOD ERAT PACTUS] Senex præsenferat Pseudolum Ballioni fallaciam struere: A præmonueratque ipsum, sibi caveret. Leno usque adeò sibi confisus ultrò Seni XX. minas promittit, si circumveniretur. Circumventus igitur, pactum dependit: L. Vide act.4.6.

PROLOGUS.

STUDETE hodie mihi: bona in Scenam affero:
Nam BONA BONIS FERRI reor æquom maxumè;
Ut mala malis: ut, qui mali sunt, habeant mala:
Qui boni, bona. bonos quòd oderint mali,
Sunt mali: malos quòd oderint boni, bonos
Esse oportet. vósque ideò estis boni: quandoquidem
Semper odistis malos; & lege, & legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi,
Qui bonus est, & hodie ad bonos affert bona.
Aures, oculi, animus, ampliter fient saturi.
In Scenam qui jejunus venerit, aut sitiens,
Is risu & ventre raso vigilabit sedulò:
Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici.
Nunc si sapitis, cedite jejuni, atque discedite:
Vos saturi state, imò sedete, atque attendite,
Non argumentum, neque hujus nomen Fabulæ
Nunc proloquar ego: satis id faciet Pseudolus:
Satis id dictum vobis puto jam atque deputo.
Ubi lepos, joci, risus, vinum, ebrietas decent;
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio;
QUI QUÆRIT alta, is malum videtur quærere.
Curas malas abjicite jam, ut otiosi hodie.
EXPORGI meliu'st lumbos, atque exsurgere.
PLAUTINA longa FABULA in Scenam venit.

BONA IN SCENAM AFFERO] J. Gul. Verisim. lib.1.4. legit, *bonam scævam*: ut hæc dicat; auspicatò, sive bono & liquido auspicio in Scenam se progredi. Nam & Ludi auspicatò & bono cum omine committebantur; & B aliter si fieret, instaurativis opus erat. *Bona scæva*, idem quod *auspicium bonum*, infrà act. 4.7. *bona scæva est mihi*. V.N. ibid.
8. FUGITASTIS] *Fugitare*, hîc non à *fugio*; sed novo more ἀπὸ τοῦ *fugo* derivatur: D.

8. SUCCESSIS] *Successa bona*, quæ benè successerant. Sic Cic. Filius lib. 16. Epist. Fam. 21. *Nam cum omnia meâ caussâ velles mihi successa, tum etiam tuâ.* Sic, *homo ventus*, & *adventus*, qui advenit, apud Terent. & Sallustium: ut docet Palm. Spicileg. Ita, *discessus*, qui discessit: *antecessus*, qui antecessit. Ita, *Sol occasus*, in legibus XII. Tabb. qui occidit. Vide Schop. Verisim. lib. 2. c. 2. Ubi & H. Stephano os verberatur, qui in suo *Pseudocicerone*, illud Ciceronis, ut barbarè dictum ausus sit flagellare. item C. Rittershusii JC. Notas in Phædri Fabulas.

11. AVRES, &c.] Numeros reponit Acid. *Aur. oc. an. saturi fient ampliter*, ita seq. versu: *qui jejunus aut sitiens venerit*.

13. VENTRE RASO] Est jocus inexpectatus; alludens ad rasum caput, cui capilli deerant; ut hic ventri cui cibus. Pareus pro hac voce ostentat in Lexico suo *lasso*, id est *laxo*: hoc ideo inquit, quoniam nemo hactenus professus sit se intelligere illud *raso*. Atqui nemo etiam hactenus professus est se id non intelligere. Et quæ est tua potestas Ludimagister? an arbitraris licere passim in libris mutare stoliditati tuæ ignotum verbum in notius? En, cui Tyranno servimus. Liberi.

20. UBI LEPOS, JOCI &c.] Qui quærit alta in eo loco; ubi lepos &c. decent, is malum videtur quærere: L. Sed hic ordo & sententia, inquit Douza, sine lepóre omni est & Gratiis. legendum, *Qui quærit alia, is mal.* &c. sensu & aperto & eleganti. Quid enim probabilius, A quàm eum hominem malum, & mœrorem sibi quærere, qui alia consectatur, quàm *lepôrem, jocos, lusus, vinum*, & cætera quæ hic commemorantur? At J. Gulielmius; Primis, inquit, versibus mallem sanè *Jocus*, & altero, *Gratia*, numero unitatis: ut omnia sibi æqualia essent. Et apparet autorem Prologi respexisse ad locum Bacchidum, act. 1. 2.

Jocus, ludus, sermo, suavis suaviatio,
Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium.

Tertio omnino corrigendum moneo, *Qui quærit alia his, malum vid. q.* nam *Alia his*, ab his diversa, his pugnantia. Horatius.

Alium sapiente bonoque.

quam emendationem laudat Schop. ad illud Phædri, l. 3. *alius Sejano*. additq; Sallust. exemplum: *Aliud bello mallet*. & Horatii,

Ne quis sese alius Lysippo duceret ære.

B

24. EXPORGI MELIVS EST LVMBOS] Acidalius vanum hic Lamb. ait esse versumque unum aut etiam alterum deesse. ut sensus fuerit. Abjicite jam malas curas, ut otiosi nobis operam hodie detis. Si qui autem negotiosi sunt, eos exsurgere atque abire melius est: nam longa fabula in Scenam agenda venit V. N. Epid. extremâ. Sanè PROLOGVS hic in MSS. Pall. præter ultimos versus duos, desideratur: quem tamen antiquum Camerarius censet. Etiam in Venetâ & Argentina tantùm illi versiculi duo extremi apparent: *Exporgi &c.* Sarracena editio habet quidem: sed nihil in eam commentatus est aut ipse, aut Pius, aut Valla.

ACTUS I. SCENA I.

PSEUDOLUS servus, CALIDORUS adolescens.

SI ex te tacente fieri possem certior,
Here, quæ miseriæ te tam miserè macerant,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei te rogandi, & tui respondendi mihi.
Nunc, quoniam id fieri non potest, necessitas
Me subigit, ut te rogitem. responde mihi:
Quid est, quod tu exanimatus jam hos multos dies
Gestas tabellas tecum, eas lacrumis lavis,
Neque tui participem consilii quenquam facis?

Eloquere,

Eloquere, ut quod ego nescio id tecum sciam.
CA. Miserè miser sum, Pseudole! PS. id te Iuppiter
Prohibessit. CA. nihil hoc Jovis ad judicium attinet.
Sub Veneris regno vapulo, non sub Jovis.
PS. Licet me id scire quid sit? nam tu me antidhac
Supremum habuisti comitem consilijs tuis.
CA. Idem animus nunc est. PS. fac me certum quid tibi est.
Iuvabo aut re, aut operâ, aut consilio bono.
CA. Cape has tabellas, túte hinc narrato tibi,
Quæ me miseria & cura contabefacit.
PS. Mos tibi geretur. sed quid hoc quæso? CA. quid est?
PS. Vt opinor, quærunt literæ hæ sibi liberos,
Alia aliam scandit. CA. ludis me ludo tuo.
PS. Has quidem pol, credo, nisi Sibylla legerit,
Interpretari alium potesse neminem.
CA. Cur inclementer dicis lepidis literis,
Lepidis tabellis, lepidâ conscriptis manu?
PS. An obsecro hercle, habent quoque gallinæ manûs?
Nam has quidem gallina scripsit. CA. odiosus mihi es.
Lege, vel tabellas redde. PS. imò enim pellegam:
Advortito animum. CA. non adest. PS. at tu cita.
CA. Imò ego tacebo, tu hinc ex cerâ cita,
Nam istic meus animus nunc est, non in pectore.
PS. Tuam amicam video, Calidore. CA. ubi ea est, obsecro?
PS. Eccam in tabellis porrectam, in cerâ cubat.
CA. At te dij deæque quantus es. PS. servassint quidem.
CA. Quasi solstitialis herba, paulisper fui:
Repente exortus sum, repentino occidi.
PS. Tace, dum tabellas pellego. CA. ergo quin legis?
PS. Phœnicium Calidoro amatori suo
Per ceram & linum literasque interpretes
Salutem mittit, & salutem abs te expetit,
Lacrimans titubanti animo, corde, & pectore.
CA. Perij! salutem nusquam invenio, Pseudole,
Quam illi remittam. PS. quam salutem? CA. argenteam.
PS. Pro ligneân' salute vis argenteam
Remittere illi? vide sis, quam tu rem geras.
CA. Recita modò: ex tabellis jam faxo scies,
Quàm subitò argento mihi usus invento siet.
PS. Leno me peregrè militi Macedonico
Minis viginti vendidit, voluptas mea!

Et priusquam hinc abijt, quindecim Miles minas
Dederat; nunc una quinque remorantur minæ:
Eâ caussâ Miles hîc reliquit symbolum,
Expressam in cerâ ex annulo suam imaginem,
Vt qui huc afferret ejus similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret. ei rei dies
Hæc præstituta est, proxima Dionysia.
CA. Cras ea quidem sunt. propè adest exitium mihi,
Nisi quid mihi in te est auxilij. PS. sine pellegam.
CA. Sino. nam mihi videor cum eâ fabularier.
Lege, dulce amarumque unà nunc misces mihi.
PS. Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
Iocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
Compressiones arctæ amantum comparum,
Teneris labellis molles morsiunculæ,
Papillarum horridularum oppressiunculæ,
Harum voluptatum mihi omnium, atque itidem tibi
Distractio, discìdium, vasticies venit,
Nisi quæ mihi in te'st aut tibi est in me salus.
Hæc quæ ego scivi, ut scires, curavi omnia:
Nunc ego te experiar quid ames, quid simules. vale.
CA. Est miserè scriptum, Pseudole! PS. ô miserrimè!
CA. Quin fles? PS. pumiceos oculos habeo: non queo
Lacrumam exorare ut exspuant unam modò.
CA. Quid ita? PS. genus nostrum semper siccoculum fuit.
CA. Nihilne adjuvare me audes? PS. quid faciam tibi? CA. heu!
PS. Heu? id quidem tibi hercle, ne parsis, dabo.
CA. Miser sum; argentum nusquam invenio mutuum,
Pseudole. PS. heu! CA. neque intùs nummus ullus est. PS. eheu!
CA. Ille abducturus est mulierem cras. PS. eheu!
CA. Istócine pacto me adjutas? PS. do id quod mihi est:
Nam is mihi thesaurus jugis in nostrâ est domo.
CA. Actum hodie de me est. sed potes nunc mutuam
Drachmam dare mihi unam, quam cras reddam tibi?
PS. Vix hercle opinor, si me opponam pignori.
Sed quid de drachmâ facere vis? CA. restim volo
Mihi emere. PS. quamobrem? CA. quî me faciam pensilem.
Certum est mihi ante tenebras, tenebras persequi.
PS. Quis mihi igitur drachmam reddet, si dederim tibi?
An tu te eâ caussâ vis sciens suspendere,
Vt me defraudes drachmâ, si dederim tibi?

CA. Pro-

CA.Profectò nullo pacto possum vivere,
Si illa à me abalienatur atque abducitur.
PS.Quid fles, cucúle? vives. CA. quid ego ni fleam?
Cui nec paratus nummus argenti siet:
Neque cui libellæ spes sit usquam gentium.
PS. Vt literarum ego harum sermonem audio,
Nisi tu illi drachmis fleveris argenteis,
Quod tu istis lacrumis te probare postulas,
Non pluris refert, quàm si imbrem in cribrum geras.
Verùm ego te amantem, ne pave, non deseram.
Spero, alicunde hodie me bonâ operâ, aut hâc meâ,
Tibi inventurum esse auxilium argentarium:
Atque id futurum, unde unde dicam nescio;
Nisi quia futurum est: ita supercilium salit.
CA. Vtinam quæ dicis, dictis facta suppetant!
PS.Scis tu quidem hercle, mea si commovi sacra,
Quo pacto & quantas soleam turbellas dare!
CA. In te nunc sunt omnis spes ætati meæ.
PS. Satin est, si hanc hodie mulierem efficio tibi,
Tua ut sit, aut si tibi do viginti minas?
CA. Satis, si futurum est. PS. roga me viginti minas.
Vt me effecturum tibi, quod promisi, scias,
Roga obsecro hercle: gestio promittere.
BA.Dabísne argenti mihi hodie viginti minas?
PS. Dabo, molestus nunc jam ne sis mihi.
Atque hoc ne dictum tibi neges, dico prius,
Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.
CA. Dij te mihi omnes servent! verùm si potes,
Pietatis caussâ, vel etiam matrem quoque.
PS. De istâc re in oculum utrumvis conquiescito.
CA.Oculum utrum, anne in aurem? PS.at hoc pervolgatum est minus.
Nunc, ne quis dictum sibi neget, dico omnibus,
Pube præsenti, in concione, omni poplo,
Omnibus amicis, notisque edico meis,
In hunc diem à me ut caveant, ne credant mihi.
CA. St! tace obsecro hercle. PS.quid negotij est? CA. ostium
Lenonis crepuit. PS. crura mavellem modò.
CA. Atque ipse egreditur penitùs perjurum caput.

SCENA

SCENÆ hujus versus sunt senarii jambici. Continetur autem hâc argumentum Fabulæ.

V.4. MEI TE ROGANDI &c.] Palmer. Non est vulgarissima figura hæc loquendi. Sic Hecuba, apud Ennium, *Miserete mei anis, date ferrum. Mei anus*, i. mei, quæ sum anus. Scal. in Auson. Notandum, inquit, genus loquendi, *tuum acumen Samy lucumonis.* Tale illud JC. *Cùm mens mea fuerit facientis testamentum* : & Græc : ἡ ἡμετέρη γνώμη ὄντω βουλεύσαντος & similia. hoc igitur modo hic dictum; *tuum acumen lucumonis.* intelligendum enim τὸ σοῦ genitivus secundæ personæ: quod à Plauto rectè expressum est, *Duorum lab. &c.* tanquam si diceret; nostro labóri, mei & tui. Quid quod eodem modo dicitur, *Noster utriusque labor &c.* Agell. lib. 20: 6. *Mei*, inquit, hoc in loco Plautus non ab eo dixit, quod est *meus*, sed ab eo, quod est, *ego.* itaque si dicere velis, *patrem mei*, pro, *patrem meum*, quo Græci modo τὸν πατέρα μου dicunt, insolitè quidem, sed rectè profectò, eâque ratione dices, quâ Pl. dixit, *labori mei*, pro, *labori meo &c.* vide ibid. ut & Linacr. lib. 2. Denique J. C. Scal. de caus. Lat. Ling. lib. 6. cap. 129. Sunt, inquit, qui hoc non probant, &c. Ego verò puto Plautum non solùm Latinè, sed etiam purè locutum: neque defuisse illi aut usum pro duce, aut rationem pro suasore. Principio Græci sic loquuntur, πόνος μου. deinde lepor nitidior est orationis: tum priscos usos esse primitivo priùs, quàm derivativo, verum est. Postremò Cic. quoque sic scripsit ad Ciceronem: *Eam unius tui studio me assequi posse confido.* neque enim mendum librariorum, ut ajunt, &c. Aus. Popma lib. 2. cap. 10. de Usu Antiq. locut. laudat, & *tes respondendi*; quomodo tamen nulli Pall. ij enim *te resp.*

13. SVB VENERIS REGNO V.] Apud veteres, juvenes virginesque sub Veneris se esse imperio arbitrabantur. Et si quid mali accidisset, ejus id ipsum iræ imputabant. Mathematici quoque à decimo anno ad XVIII. sub Venere esse, dicunt. Sacra itaq; ei faciebant, ut amore suo potirentur. Et virgines icunculas ei consecrabant; ut Persius meminit Sat. 2. eodem modo vestes *Fortunæ Virginali*, cui apud Capenam portam Serv. Tullius ædem exstruxit. Arnob. lib. 2. *Puellarum togulas Fortunam defertis ad Virginalem.* Sed eadem hæc cum *Venere*. nam illæ deam istam Fortunam suam appellabant, utpote à quâ & bona & infortunia accidere sibi existimabant. Sic *Fortuna Muliebris* eadem cum Junone, in cujus curatelâ matronæ. Præterea, cùm amoris sui compotes factæ nupsissent, coronas ei suspendebant; Juvenes quoque, zonas amasiarum suarum, &c. Hæc Meursius, qui singula argumentis illustrat & firmat, in Exercit. Crit.

17. JVVABO TE] Hæc accepit Ter. Heaut. *Aut consolando, aut consilio, aut re juvero.* Quæ Cic. Epist. l. 7: 10. Fam. rursus ab hoc mutuatus est: ut & lib. 9: 6.

19. CONTABEFACIT] Parei editio prima *contabescit*: absurdissimè, & contra MSS. editosque vett. etiam Cam. & seqq. correctorum, denique contra versum.

21. ALIA ALIAM SCANDIT] Litteræ sc. non erant rectâ lineâ collocatæ, sed, ut à puellâ scriptæ, alia alii quasi incubabat, &c.

23. NISI SIBYLLA LEGERIT] quæ etiamsi legere non possit, divinare tamen possit. V. N. Pœn. 1: 3.

24. INTERP. AL. POTESSE NEMINEM] Ita eximiè Cam. pro vulgari *posse*; quo ruebat versus. at Pareus pr. ed. vulgavit, *Interp. al. potesse reor neminem*; pedemque adstruit metro quo non indiget, planè pueriliter. at sec. editione prodidit ex MS. pr. *Int. al. posse reor neminem.* omninò præter verum, atque adeo, si verba ejus imitari libet, perfidè. neq; enim illud *reor* in ullo conspicitur Pall. aut edd. exoleta.

27. HABENT QVOQVE] Ita quidem Aldina. at ea priores, *habentq.* neque aliter MSS. Pall. probo.

28. GALLINA SCRIPSIT.] Ludit in ambiguo, & quasi ex insidiis puellam convitio verberat. Nam meretricibus varia & ferè malè nominata indebant nomina. Ita *charybdis domestica* dicitur Sidonio lib. 9. epist. 6. *Ut primum intelligere cæpit & retractare, quantum de bonusculis avitis paternisq; sumtuositas domesticæ charybdis abligurisset &c.* Ita *lupæ* dictæ sunt, à rapacitate istius animalis. Item *Capræ*: item *Ignis*: Donatus Eunucho, Act. 1. Sc. 2. ad illa: *accede ad ignem*, i. e. ad meretricem; quia avida & avara est: ut ignis alimentorum. Item *Gallinæ*: quia, ut gallinæ

gallinæ absumunt & spargunt omnia. Fulgent. in Mytholog. lib. 2. de Siren. Inde *Gallinaceæ pedes:* quia libidinis affectus omnia quæ habet spargit. Vide & Joh. Savaro.

35. AT TE DII] ita MSS. & edd. vett. Pareus in Lexico monet, invenisse in Schedis Passeratii, *quantum est.* & sic legendum putat noster iste. verùm, non puto necessitatem nobis impositam sequendi talem arietem.

36. QVASI SOLSTITIALIS HERBA] Turn. lib. 24: 38. *Herba solstitialis* est, quæ æstate crescit: & propter anni vaporem mox exarescit. Sed sic *æstivam* herbam debuisset dicere, non *solstitialem.* Erasmus de herbâ ephemero intelligit, sic dicta, quòd ultra diem non vivat. Vide Adag. *Ephemeri vita.* Sed qui Dioscoridem lib. 4. cap. 82. & 83. περὶ κολχικοῦ, & ἐφημέρου, & Interpretes ejusd. itemque J. C. Scaligerum, Exoteric. Exercit. legerit, & cum Plautinis contenderit, parum & hæc convenire intelliget. J. Baptista Pius *heliotropion* interpretatur, vel quam Celsus *herbam solarem* dixerit. Hermolaus Barbarus fatetur se ignorare, quid sit in Plauto *herba solstitialis.* Mihi sententia Christiani Becmani probatur, qui *herbam solstitialem* de quavis intelligit, quæ tempore solstitii, nocte præsertim frigidiusculâ, ut solet, & rorulentâ subnascitur, & postea à calore Solis diurni, qui tunc maximè sævit, moritur, aut certè languescit. Scal. Aus. Lect. l. 1: 11. ad illos versûs,

> *Ostentatus*
> *Raptusque simul;*
> *Solstitialis*
> *Velut herba solet:*

Imitatus est, inquit Plautum. quod Proverbia iter dicitur de re fugaci & non diuturnâ. Observavit idem Muretus Var. Lect. lib. 9: 6.

36. HERBA, PAVLISPER] Non conjunctim omnia efferenda. neque enim paulisper velut herbam se fuisse dicit: sed paulisper fuisse, uti herba solst. est paulisper. *Acid.*

36. FVI.] i. vixi. Propert. 2. el. 28: *Invidiam quod habet non solet esse diu.* Passer.

40. PER CERAM ET LINVM] Rectè *linum.* ita enim MSS. & vett. edd. Neque, auctore Grutero quidem, uti & Douzâ Cent. l. 2: 24. debuit sollicitari à Mureto, & mutari in *lignum.* neque enim consistat magis cera sine ligno, quàm ædificium sine areâ. at per *ceram & linum*, litteras intelligit signatas, quibus ideò habenda fides: ut vult senex Bacchid. act. 4: 7. Lipsius tamen Epistol. Instit. cap. 1. retinet *lignum.* V. N. Bacch. 4: 4. & Brisson. Formul. & Auson. Epist. 22. item Merceri Opin. lib. 2: 23.

45. LIGNEAN SALVTE] quia tabellæ e ligno. undè & Ovid. 1. El. 12. Amor. eas vocat *inutile lignum.* Propert. 3. el. 23: *Quis pro divitiis ligna retenta velit?*

53. RELIQVIT SYMBOLVM] Is. Casaubonus Animadvers. in Athen. lib. 3. cap. 31. differentiam inter συμβολὰς & σύμβολα ostēdens, συμβολὴ, inquit, est collatio cranistæ ad convivium: quisque enim quod ad manum erat, conferebat. Ex partes dictæ συμβολαὶ, & convivium hujusmodi ἔρανος, vel δεῖπνον ἀπὸ συμβολῶν. Mutato verò genere, σύμβολον vocabant anulum vel quidvis aliud arræ loco solitum dari ei sodalium, qui jubebatur cœnam parare. Terent. act. 3: 4.

> *Heri aliquot adolescentuli coïvimus in Piræo,*
> *In hunc diem ut de symbolis essemus: Chæream ei rei*
> *Præfecimus; dati anuli: locus, tempus constitutum est.*

De hoc anuli usu loquitur Plin. lib. 32. *Celebratior anuli usus &c.* Non solùm autem anuli continentur appellatione συμβόλου, sed generaliter quicquid arræ loco datur. Quin & tesseræ illæ, quarum olim in contractibus usus, loco præsentis pecuniæ, σύμβολα dicebantur. sic apud Theophr. in Charact. ab eo, qui *lucar*, (i. θεατρικὸν χρῆμα, quod ludis & histrionibus impendebatur) péndere debuit, pro pecuniâ exhibetur σύμβολον. De his symbolis accipiendum Isidori l. 5. *Veteres quando aliquid sibi promittebant, stipulam tenentes frangebant: quam iterum jungentes sponsiones suas agnoscebant.* Describit *tesseram ligneam*, qualis olim fuit, interdum, quâ utebantur, qui jus hospitalitatis inter se colebant. Plautus imaginem ceræ impressam & in similem usum relictam vocat *symbolum*, sed genere masculino, *Eâ caussâ &c.* Idem Bacch. act. 2. sc. 3. vide ibidem plura: ubi & Proverb. in hominem pauperem jactatum explicatur; *Ne symbolum quidem habet.* Vide etiam Not. Epid.

Epid. act.1:2. Sed & Turn.lib.3. c.6. *de symbolâ*, sive (ut Cic. vocat) *collectâ* illâ vel pecuniariâ vel penuariâ, itemque de *ἐράνῳ* tractantem. Pareus nobis persuadere vult MS. pr. habere hei *symbulum*: sed fallit aut fallitur. librarius initio scripserat *symbolum*, quod cùm compararet deinde cum exemplari, inque eo esset *symbulum*, non delevit quidem *o*, sed ei superscripsit *u*: sicuti centum aliis locis deprehendamus: unde & versu deinde altero iterum occurrit *symbulum*.

58. CA. CRAS EA QVIDEM SVNT.] Verba hæc non pars epistolæ, sed Calidori, qui fatalem quasi diem sibi instare conqueritur: ut clarè docuit Pistoris. Nam litteræ ante plures dies scriptæ erant, non pridie Dionysia. Ita & Acid. qui tamen & à Pseudolo ea verba reliquis subjici potuisse censet.

64. AMANTVM COMPARVM] ita MS. sec. & Lips. ex v. c. l. *arta amantum comparum*. Compares sunt *σύζυγοι*. usurpatur in amore de duobus, qui inter se amant. Horat. 2. Od. 5. *Nondum munia comparis Æquare valet*. Catull.

Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo
Compar.

Eò eunt & omn. edd. vett. Vulgò, *Corporum*.

65. MORSIVNCVLÆ.] Parei postrema, *morsiunbulæ*. errorne est typothetæ? an voluit obtrudere *morsiunkulæ*? contra MSS. tamen. quod k multis locis ingessit sua ex libidine, præterq; fidem membranarum.

65. MORSIVNCVLÆ] Catullus: *Cui labella mordebis?* Horat. lib.1. Od.13.

——sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.

In Veneriis deliciis illud quoque numeratur, labella inter basiandum teneris morsiunculis stringere. Sic Apul. *Illi, purpurea delibantes oscula clemente morsu rosea labella vellicent.*

66. P. HORRIDVLARVM] i. *prominentium, exstantium*: Nonius. Rectius tamen *duriusculas* exponi à Lambino, censet Acidal. Tales, opinor, describit politiss. Politianus:

Nam quæ tibi mammillulæ
Stant floridæ, & protuberant
Sororiantes primulùm:

& Lipsius *virgines papillas*, interpretatur nondum compressas & maritas. pulcrè Mart. 11:64.

Et talis tumor excitat papillas,
Quales cruda viro puella servat.

Sic (notante Palmerio) Ovid. 6. Met. *baccantia ubera* dixit, ut scriptum exemplar Prisciani repræsentat) *Papillæ* enim *baccantes*, lepidissimè, quas Catullus *luctantes* appellat, tuberantes scilicet, & instar baccarum turgentes. Ita in Pervigilio Veneris, *surgentes papillas* exponit tumescentes & veluti strophio obnitentes, quas Plautus *horridulas* vocet. Etiam Turn. *horrid.* hic exponit, tumentes. aliàs & *plenum* significat. ut cùm Varro *horreum ab horrido* deducit.

68. DISCIDIVM] *Discidium* pro distractione, interdum pro divortio. *Dissidium animi est; Discidium verò corporis*, à discindere, i. dirimere, dispellere. ut *excidium* ab exscindere. Vox apud omnes bonos scriptores depravata est, Catullum, Plautum, Tibull. Terent. Ciceronem minimùm septies. In Pandect. Florent. 1. & Tac. l. 2: mansit integra. Tibul. el. 5.

Asper eram, & benè discidium me ferre loquebar.

Catullus:

Sed fratris cari flebile discidium.

Ter. Hecyra act. 5: 2. bis, in vett. libris: & Andr. *valeant, qui inter nos discidium volunt.* Ovid. 14. Metamorph.

Non benè discidium Phrygij latura mariti
Sidonis.

i. discessum: ita enim (teste Gifan. Naug. & Bersmano) MSS. & vett. lib. omnes: quidam etiam *discidia*: ut notat Hub. Gifanius Ind. Lucret. V. & N. Mil. act. 3:1. Etiam MSS. Cam. *discidium*.

71. NVNC EGO TE EXPER.] ita MSS. Cam. at Douza & Schop. leg. *N. e. re exp.* quod statim rapuit in ed. primam Pareus.

73. PVMICEOS OCVLOS HAB. &c.] Ita Paulinus:

Pumiceum cor est lacrimis.

V. N. Aul. act. 2:4.

74. LACRVMAM VT EXSPVANT] Tralatio ridicula & servo digna: alioqui putida & inepta. L.

76. ADIVVARE ME AVDES?] ita omnis editio. Schop. probat MSS. lectionem, *me ades?* quam Pareus in textum admisit utriusque editionis.

69. AVT TIBI EST IN ME SALVS] Matthæus Lanoius conjiciebat, *haud tibi.*

76. CA. HEV! &c.] ita Douza ex priscæ monetæ excusis Cod. distinguit. atque ita Aldina item Basil. & Col. sed MSS. & edd. vett. non agnoscunt *id* pronomen.

77. NE PARSIS] i. ne peperceris: ne parcè ejules. suppeditabo enim tibi magnam copiam vocum harum flebilium. Meursius leg. *neparcus:* ut *invitus, ingratis.* Veteres enim (inquit) *neparcus, nepurus*, & talia dicebant. Cum Pseudolus rogasset Calidorum, quid vellet sibi fieri, atque ille præ animi mœstitiâ ejulans *Heu* dixisset, ludens verniliter, *Heu?* inquit: id tibi hercle *neparcis*, id est, abundè dabo. At C. Pflugius (quod & Acid. in uno vidisse ait: & ita Arg.) dispessis vocibus legit, *ne parsis*, i. ut sat esse non queas. Acidal. tamen præfert, *neparcus.* ut Mostell. *Sibique aut materia ne parcunt.* act. 1: 2.

81. ADIVTAS] MSS. *adtuas.* forte, inquit, Pareus, *adduas*, antiquè. at quomodo id hìc quadrat. imò forte *adjuvas*; ut bis repetatur v.

82. IVGIS] perennis: propter incommoda servitutis scilicet. *Thesaurum* verò de re etiam malâ dici, Mercat. notavimus. Sic Oppianus, ὄλβον ὀλέθρου, *thesaurum interitûs*, pro mundo & copiâ sive δυνάμει: ut observat Rittersh. JC.

85. OPINOR, SI ME] MSS. *opinor est, si me.* quos dum sequitur Pareus, versum miserè corrumpit.

85. OPPONO PIGNORI] Locutio circa pignus & hypothecam propria. Terent: *Ager oppositus est pignori.* Catull: *Villula nostra opposita est ad millia quindecim.* Seneca: *Rebus meis in securitatem creditoris oppositis.*

86. DE DRACHMA F.] ita omn. edd. quotquot vidi. MSS: *Sed quidem à drachuma &c.* Acidalius: *sed quid te dr.*

87. QVI ME FACIAM PENSILEM] i. *Ullam*, aut *litteram longam ex me faciam*, ut loquitur Aul. 1: 2. Ter. *Ad restim mihi res redyt.* Juvenalis:

Ferre potes dominam, salvis tot restibus, ullam?

Scitum est illud Epigrammatarii in Avarum, qui à suspendio sui solâ restis caritate fuerit deterritus.

88. ANTE TENEBRAS TENEBRAS PERSEQVI] ita Acid. in numeros reponit. Decretum est, antequam nox adveniat, mortem oppetere.

94. CVCVLE] mediâ productâ: rectè. nam ita debet. V. N. Asin. extremâ; item Ulyssem Aldourandum Ornithologiâ lib. 5. ubi itidem pertendit, *Cuculum* pænultimâ producendum & unico *l.* scribendum.

94. VIVES] Ita & MSS. Sed quid ea vox heic agit? quæ ejus dos? quæ gratia? an auferenda litera, ut fiat? *bibe.*

96. LIBELLÆ] *Libella* numulus erat argenteus, decima denarii pars. Proinde *As, libra, libella argenti* Plauto, & *libella* Ciceroni & *assis*, pro eodem accipiuntur. Hinc illa, *Ad libellam debere, Sumptum reddere ad assem.* Aliud est apud Plin. *Ad libellam & normam exigere.* V. N. Capt. act. 5: 1.

99. QVOD TV ISTIS LACR. TE PROBARE POSTVLAS] quòd censes, te existimari ab illâ probum amatorem, ob lacrimas, falleris, &c. Meursius ita leg.

Quid tu istis lacrimis te probare postulas?
Ut liter. e. h. s. audio,
Nisi tu illis dacrumis fleveris argenteis,
Non plur. &c.

Olim *dacruma* pro *lacruma* in usu fuit.

99. PROBARE] ita MSS. nisi quod pr. *prouare.* Sed Acid. malit, *plorare* quod in editionem primam admisit Pareus.

102. BONA OPERA, AVT HAC MEA] Ita MSS. huic proximè: nam leg. *hac mea.* i. rectà ratione, aut viâ aliqua dolosâ ac me servo dignâ. J. Gul. Ulcus, inquit, ὕπουλον subest, &c. Suspicor scripsisse Plautum,

Spero alicunde hodie me bonâ avi, operâ malâ, &c.

Simile est illud vet. Poetæ apud Cic. *solvere imperat secundo rumore atque adversâ avi.* Sic hoc loco Pseudolus inventurum se argentum pollicetur *avi bonâ, operâ malâ &c.* De auspicio etiam infrà agit; *Avi sinistrâ, auspicio liquido &c. Mala opera* est, alteri damnosa: cujusmodi servorum est, cum heros argento circumducunt. Captivis:

Sed hoc mihi ægrè est, me huic dedisse operam malam.

Neque alia opera servorum ulla est, cùm heris minoribus pecuniâ subveniunt. Asinar. *Hic inerunt viginti minæ bonæ malâ operâ partæ.* Ecce, *bonas minas* ait, *operam malam*: ludens eodem ἀντιθέτῳ, quo hic, *bona avi, opera mala*. Et ad malam operam servorum respici puto etiam Persâ, act.4:7. Nam leno, emptâ Parasiti filiâ, cum pulcrè servum Toxilum sibi conciliasse crederet, ait,

Immò equidem, Toxile, tibi gratiam habeo. nam sensi te sedulò
Mihi dare operam:

respondet Servus conscius fallaciæ sibi suæ; *tibin' ego? immò servij.* Et arguta hîc etiam ἀμφιβολία est. *Servire* enim ii nobis dicuntur, qui commodis nostris ope, consilio studioque suo adsunt. quod fecisse Toxilum, de ejus verbis intelligit Dordalus. at ille significat, immò *servij*, id est, cujusmodi servus versutus & nequam solet, ejusmodi operam dedi tibi, damnosam videlicet. nam *Servij* à *servus*. Neque me fugit multis placere *mala opera, aut hac meâ.* ut manu se usurum dixerit malè. quod frigidum est, præ nostro; & certè falsum. neque enim furto aut rapina, sed fraude & fallaciis rem conficit. Hæc ille. Meursius tamen, Nihil, inquit opus hic acumine Gulielmii. leg: *Opera bona aut mala*, idem est, ac si dixisset; Quo jure, qua injuriâ. & istud statim rapuit in editionem suam primam Pareus, evomuitq; altera. qualis physeter!

104. ATQ. ID FVTVRVM] ita MSS. Sed Ald. Cod. ita hæc ordinat: *CH. At id futurum unde? PS. unde? unde dicam, nescio.* Et in MS. sanè Camer. sec. τὸ *unde* ter etiam repetitur. Sed Argent. Brix. *CA. At id futurum unde? PS. unde dicam nescio.* quod & Meursio probatur.

105. ITA SVPERCILIVM SALIT.] Proverbium è stulta illa veterum superstitione ductum, qua credebant, si pars aliqua corporis suapte sponte subsiliisset ac mota esset, ejusmodi palpitationibus aut prosperi aliquid aut adversi portendi. hinc & *Salisatores* (Muret. *salitores*) *vocati sunt: quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid exinde sibi prosperum seu triste significari prædicunt. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ exsecrabilium remediorum, quæ ars Medico-*

A *rum condemnat &c. id est, Fascina*: Isidor. lib.8. Eodem referendum & illud Asin.2:2. *Scapulæ gestibant mihi &c.* Ex Muret. lib.9:6. & J. Douza. Ominandi scientia, inquit Scaliger, à veterum superstitione diligenter culta fuit: quam κληδονιστικὴν vocabant. Quòd Ausonius ait, ejus tres species esse: non dubito, quin hæ fuerint: πταρμὸς, παλμὸς, & *tinnitus auris*. De *sternutatione* multi; ut Propert. *Aridus argutum sternuit omen Amor.* Cujus ominationis solicitudinem cùm deprecabantur Græci, dicebant, Ζεῦ σῶσον. In Epigrammate:

οὐδὲ λέγει, Ζεῦ σῶσον, ὅλως πταρῇ.

De *palpitatione* autem Theocr.

ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιὸς, ἦ ῥά γ' ἰδησῶ αὐτάν;

Plaut. *Supercilium mihi salit.* Unde *salisatio*, παλμὸς dicitur à veteri Glossario, &c. De *tinnitu auris* Plinius & Epigr. Græcanicorum liber septimus. sed & elegans vetustissimi P. Epigramma:

Garrula quid totis resonas mihi noctibus Auris?
Nescio quem dicis nunc meminisse mei, &c.

B Vide etiam Adag. *Dentes pruriunt.* Et *Oculus dexter salit mihi.* Inprimis Lect. Theocr. *Is. Casauboni*, c.5.

107. MEA SI COMMOVI SACRA] i. meas artes, meas τέχνας; inquit Passeratius ad l.3. el.1. Propertii. Alii putant interpretandum de sententia Servii scribentis ad illud Virgil. Æn.4. ——*qualis commotis excita sacris Thyas, ubi audito &c. Commotis sacris* ideò dixit: quia in Sacrorum renovatione commovebantur simulacra: unde Horatius 1.Od.18. ——*non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam.* quod ad *trieterica*, triennalia Bacchi pertinet. Ea enim Sacra tertio quoq; anno innovabantur. Sane sciendum ὄργια apud Græcos dici Sacra omnia, sicut apud Latinos *Ceremoniæ* dicuntur. sed jam abusivè Sacra Liberi *Orgia* vocant, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, i. *furore*, vel ἀπὸ τῶν ὀρῶν, i. *à montibus.* Hactenus Servius. Quanquam & ad Catonianas illas commotiones in sacris allusum videri possit. verbi caussa: *Priusquam porcum fœminam immolabis, Jano struem commoveto sic*: IANE PATER, TE HAC STRVE COMMOVENDA BONAS PRECES PRECOR. Et mox: *Ferculum Jovi moveto, & mactato sic*: IVPPITER TE HOC FERCTO OBMOVENDO, &c.

Quæ

Quæ conjuncta *strufertum* efficiunt. unde *strufertary* apud Festum: *Douza.* vide ibid. Scalig. & Turneb. lib.21.21. & Guther.4.1.de jure Pontif. qui vult commotionem sacrorum nihil aliud fuisse quam institutionem quandam, qua certis & solennibus precationibus, aut consulebantur Dei, aut placabantur. exemplum extat lib.29.Ammiani cap.7. ex quo interpreteris lib. 21. ejusdem cap. 25. *dum movere permitterent sacra.* hoc est, dum secretis carminibus Deos consuluisset, quid facto opus esset. Sic Dii per sacra nefaria consulebantur, & per solennes preces ivocabantur: quod propriè est sacra commovere. cùm ii in reb. trepidis dormitare videntur, excitandique in prosperis.

108. TVRBELLAS] ita MSS. Sed Meursius malit, *turbelas.* V. N. Bacchid. act. 4. 9.

110. SATIN' EST &c.] De hoc contractu vide Alberic. Gentil. lib.3.cap.13. de Nupt.

114. ROGA OBSECRO] ita Pistoris extritâ Persona *Calidori*, omnia dat *Pseudolo*. quemadmodum legitur act.4.6. *Rogato hercle obsecro. gestio promittere.* atque ita planissimè etiam Acidalius. prius cusi, *Rogo. CA. obsecro hercle. PS. gestio* &c.

118. TVVM TANGAM PATREM] μείωσις. Germani dicunt: Einen berücken/ beneppen. V. N. Epid. act.5.2.

120. V. S. POTES, PIET. C.] ita Acidal. interpungit. Per pietatem liceat tibi non patrem tantùm, sed matrem quoque tangere. *Pietatis caussâ*, sicut, *mea caussâ*, per me. Sententia Lamb. absurda est: hæc unicè vera. *Hæc ille.*

122. OCVLVM VTRVM, ANNE AVREM] ita MSS. & vett. Codices.

124. PVBE PRÆSENTI] ita MSS. Cam. & vett. ed. Jam, *Pubes*, autore Festo, συνεκδοχικῶς *ab iis, qui puberes sunt, omnem populum significat.* Doctissimus Romanorum Virgilius, ait Scaliger, inter alia conditæ antiquitatis arcana & hoc posuit; cum ait, *puppesque tuæ, pubesque tuorum.* ex eâ enim consuetudine dixit, cùm exprimeret Homericum:

——σὺν νηΐτι σῇ καὶ τοῖς ἑτάροισι.

A Ibidem: *Pubes, adolescens, qui etiam Vesticeps vocatur. Cui contrarium Investis. Pubes, & pro plurium puberum nemero dici solet:* Festus.

127. CA. ST! TACE OBSECRO] ita Grut. è MS. Pal. prius aberat nota illa silentii.

127. OSTIVM LENONIS CREPVIT.] Cur apud Comicos toties dicatur, *fores intùs crepuisse*, cùm quis exiturus est; Helladius Besantinus πραγματείας χρηστομαθειῶν caussam aperit, ex quo hæc refert Photius patriarcha, pag.857. Bibliothec. Τούτου χάριν κόπτουσι παρὰ τοῖς κωμικοῖς οἱ ἐξιόντες τὰς θύρας, διότι οὐχ ὡς παρ' ἡμῖν νυνὶ, τὸ παλαιὸν ἀνεῴγνυντο αἱ θύραι, ἀλλ' ἐναντίως τέτραπται. ἔξωθεν γὰρ αὐτὰς ἀναπτύσσοντες, ἔνδοθεν ἐξῄεσαν. πρότερον δὲ τῇ χειρὶ ψόφον ἐποίουν κρούοντες, ἐπὶ τῷ γνῶναι τοὺς ἐπὶ τῶν θυρῶν καὶ φυλάξασθαι, μὴ πληγεὶς ἴσως λάθῃ, τῶν θυρῶν ἀθρόως ἀφθεισῶν. τὸν Λοξίαν γὰρ προσεκύνουν. ὃν πρὸ τῶν θυρῶν ἕκαστος ἱδρύοντο· καὶ πάλιν βωμὸν παρ' αὐτῷ στρογγύλον ποιοῦντες, καὶ μυρσίναις στέφοντες, ἐξιόντες οἱ παριόντες. τὸν δὲ βωμὸν ἐκεῖνον, ἀγυιᾶ Λοξίαν ἐκάλουν, τὴν ἐκ τῆς παρ' αὐτοῖς θεοῦ προσηγορίαν νέμοντες τῷ βωμῷ. τὸ δὲ κνισᾶν ἀγυιὰς παρὰ ποιηταῖς τοῖς θεοῖς θύειν κτλ. V. N. Mil. act. 2. 1.

B 128. CRVRA MAVELLEM MODO.] Crura mallem crepuisse, i. fracta esse. De *crurifragio* supra, Asin. act.2 4.

189. PENITVS PERJVRVM CAPVT] ita MSS. Pall. & vett. edd. nisi quòd MS. pr. habeat *perjuri.* quod & Schop. observat lib. 1. Ep. susp. lect. Muretus lib.9.7. legit, *Pœnus perjurem caput.* Pœnum, inquit vocat Lenonem: cùm significet esse perjurum & fraudulentum, quales Pœni meritissimò & habebantur, & habentur. Rittershusius & Acid. l. *intus perjur.* V. N. Persâ, 2.4. item Rud. 4.4. sicque utraque editio Parei, præterquam quod ambo præterea habeant *perjurij*, qui in ultima stomachatur quod Saxonicus editor præpostere heic admiserit *perjurum*, cùm altero alibi usus fuerit Plautus. & cur, inquit, heic non idem servetur auctoritate optimi ac vetustissimi V. C. Cur non? Quia alter MS. aliud habebat: de quo tu ipsemet ita scribis Notis Mercat. 5.1.v.12. *Certe MS. Decur. multis nominibus passim censeo præferendum V. C. quod me res ipsa docuit.* Verùm quid tu Saxonicum editorem reprehendis tanquam heic præpo-

Vorsa, præsterga, strata, lautaque coctaque omnia uti sint.
Nam mihi hodie natalis dies est. decet eum omnes vos concelebrare.
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aquâ jaceant. satin' audis?
Magnificè volo enim summos viros accipere, ut mihi rem esse reantur.
Intrò abite, atque hæc scitò celebrate, ne mora quæ sit, cocus cùm veniat
Mihi. ego in macellum, ut piscium quicquid est pretio præstinem.
I puere præ: ne quisquam pertundat crumenam cautio est.
Vel opperire: est quod domi dicere penè fui oblitus.
Auditin'? vobis mulieres hanc habeo edictionem:
Vos quæ in mundiciis, molliciis, deliciisque ætatulam agitis,
Viris cum summis inclitæ amicæ: nunc ego scibo, atque hodie experiar,
Quæ capiti, quæ ventri operam det, quæque suæ rei, quæ somno studeat:
Quam libertam fore mihi credam, & quam venalem, hodie experiar.
Facite hodie, ut mihi munera multa huc ab amatoribus conveniant.
Nam nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos.
Natalem scitis mihi diem esse hunc. ubi isti sunt, quibus vos oculi estis?
Quibus vitæ? quibus deliciæ estis? quibus savia? nam illæ? mellitæ?
Manipulatim mihi munerigeruli facite ante ædis jam hic assint.
Cur ego vestem, aurum, atque ea quibus est vobis usui, præbibeo? quid mihi
Domi, nisi malum, vestrâ operâ est hodie? improbæ! vino modò cupidæ estis:
Eo vos vestros panticésque adeò madefacitis, cùm ego sim hìc siccus.
Nunc adeò hoc factum est optimum, ut nomine quámque appellem suo:
Ne dictũ esse actutum sibi quæpiã vestrarũ mihi neget. advortite animũ cũctæ.
Principio, Hedylium, tecum ago, quæ amica es frumentariis,
Quibus cunctis montes maximi acervi frumenti sunt domi:
Fac sis sit delatum huc mihi frumentum, hunc annum quod satis
Mihi, etiam familiæ omni sit meæ: atque adeò ut frumento affluam;
Ut civitas nomen mihi commutet; meque ut prædicet
Lenone ex Ballione regem Jasonem. CA. audin! furcifer
Quæ loquitur. satin magnificus tibi videtur? PS. pol iste,
Atque etiam malificus. sed tace, atque hanc rem gere.
LE. Æschrodora tu quæ amicos tibi habes lenonum æmulos
Lanios, qui item ut nos jurando jure malo quærunt rem, audi:
Nisi carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi hodie
Mihi erunt cras, te quasi Dircam olim (ut memorant) duo
Gnati Jovis devinxêre ad taurum, item hodie stringam ad carnarium: id tibi
Profectò taurus fiet. PS. nimis sermone hujus irâ incendor.
Huncine hìc hominem pati colere juventutem Atticam?
Ubi sunt, ubi latent, quibus ætas integra est, qui amant à lenone?
Quin conveniunt? quin unà omnes peste hâc populum hunc liberant?
Sed nimis sum stultus, nimium fui indoctus, ne illi audeant

Id

act.5.3. *expurgationem habere.* Varro, *conventionem habere.* ita Eurip. ἴχειν τινὶ μεμφθῶ, &c. & verò illud *habeo* Pareus rapuit in editionis suæ primæ Charybdim, ejecit autem secunda.

11. AMOVETIS] Pareus utraque editione admisit *amovebitis*, contra MSS. & edd. vett.

12. VALIDE VARIA] V.N. Epid. act. 1.1.

13. PERISTROMATA] Sic & Cic. vocat, item *peripetasmata*, 4. Verrina: Juvenal. *Velaria*.

13. CAMPANICA] in Campaniâ laborata: vel, quibus Campani utebantur. Notum est Adag. *Campana superbia.*

14. ALEXANDRINA] Notæ etiam sunt, vel ex Quintil. *Alexandrinæ delitiæ*: quæ in proverb. iêrunt, ab illo nobili emporio. Sed vide mihi B. Brisson. lib. 2. de regno Persico, pag. 224.

14. BELLVATA] in quibus erant belluæ acu pictæ. Ita D. Hieronymus ad Lætum: *In quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata picturæ.* Tibull. lib. 1. 2. *stragula picta* vocat. Admodum bellè depingit talia tapetia Sidonius lib. 9. Epist. 13. item Carmine 15.

14. CONCHYLIATA TAPETIA] ita Camerarius. *Conchyliatus color* est è cæruleo & rubro, qualis Martiæ violæ. Dicitur & *purpureus*, *ostrinus*, *Sarranus*; *Thessalicus* etiam Lucretio: *blatteus* &c. Et *tapetum*, vel *tapetem* Nonius exponit *tegmen unitè pictum de variis coloribus.* Cicero: *Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres.* Non dubitavit Gruterus aliquando suspicari, *Consiliata tapetia.* quod eò duceret scriptura MSS. Pall. in quibus *consiliat appetia*, item *consilia tappetia*: sed cùm tapetia ista non ferant fullonem, malit, *consuta*, tam hîc quàm in Sticho 2.3. utique cùm edd. vett. id servent, isto loco. Et verò consideret quis literarum ductus quæ in membranis, eò etiam planè tendet. Pareus tamen utraque editione obtrusit nobis *consiliata*; & interpretatur in Lexico suo; in quibus belluæ pictæ, & quæ à fullonibus bene subacta sunt: sic enim legendum se statuere. At ego statuo, neminem tale quid statuere, nisi mente captum. quidquid enim diversis constat coloribus, non patitur fulloniam.

18. VINCITE HOC DVRITIA ERGO] ita MSS. habere tergum hâc scuticâ durius. Meurs. è vet. ed. leg. *ita animati estu, vos vincere hoc duritiâ tergi.* quod in editionem primam retulit Pareus.

21. TERGINVM] *Terginum* pro scuticâ & corio dixerunt antiqui. Lucill.

——*dum salvo tergo & tergino licet.*

Turn. lib. 29. 2. & Scalig. V.N. Asin. act. 2. 2.

22. QVI NVNC] ita MSS. Cam. & Ed. Arg. Amph. *Qui nunc? mulier.*

22. HEM, SIC DATVR] V.N. Mil. act. 4. 2.

24. INGERE] Parei Lexicon explicat, *intus gere.* nullo jure.

25. TE CVM SECVRI, CAVDICALI PRÆFICIO PROVINCIÆ.] Sey du Holtzhacker/ Capitler. ut lignum findas, & in tabulas ac fragmenta minuta disseces. *caudex* seu *codex*, arboris truncus. Virg. 2. Georg. *Quin & caudicibus sectis &c.* est & interdum plurium tabularum contextus. Varro apud Non. hinc Claudius qui primus Romanis persuasit conscendere navem, cognominatus *Caudex*. Seneca de brevit. vitæ.

26. RETVNSA EST] V.N. Mil. act. 2. 4.

29. TV ESTO LECTISTERNIATOR] Germ. Bereite/ oder/ Richte du Tisch vnnd Benck zu. Sticho act. 2. 3. *lectos sternite.* Quid *Lectisternia*, docet Livius, Turneb. lib. 30. 32. alii.

29. IDEM EXSTRVITO] è thecis exprompt um disponito: L. imo, in abaco ordine collocate; Pareus in Lexico, argentum ait hîc sumi pro patinis argenteis. ineptè. imò pro vasis potoriis. nam seculum non patitur, ut Lances habuerint argenteas.

31. VORSA] *Vorsæ*, à *verrendo*, σεσαρωμένα. Hunc versum videtur in animo habuisse Diomedes, cum scribit lib. 1. 4. *Verro, meto, furio*, horum verborum non facilè reperimus tempus perfectum: & tamen, quod est *verro*, in passivâ significatione *versus* habet: ut apud Senec. *Versa templa*; & Plaut. *Versa, sparsa*. In eâdem porrò significatione idem verbum & apud Cic. reperias Verr. 3. *Etenim quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris?* D. F.

31. PRÆSTERGA] Non aliter edd. priscæ: & Auf. Popma in De usu antiq. Locut. l. 1. cap. 4. laudat: ubi docet veteres litteram *S.* verbis sæpe proposuisse: ut *obstineo, obstrudo* (Curculione) *præstergeo*: pro *obtineo, obtrudo, prætergeo*, &c. Rob. Titius legit, *Vorsa præstega*, addens; *Præstega, æ*, προστέγιον, tecti longior prominentia ad arcendos imbres & æstûs; tan-

 tùm

tùm patulâ reliquâ parte, ubi otii causâ sumus tanquam sub porticû. Itàque ante natum Titium, Rob. Stephanus hæc laudat in suo Foro Rom. At Acidal. è loco illo Diomed. corrupto expetit hanc lect. quam germanissimam esse ait, & cum quâ numeri etiam trepidantes alacriter exsurgant: *Vorsa, sparsa, tersa, strata, lauta coctaque om.* spargi enim prius, deinde verri ædes velle à verritore &c. & vero sic in primam editionem suam statim intulit Pareus. MSS. habent, *Vorsa sprasterga.*

31. COCTAQ.] Ita MSS. & edd. vett. Quid hic facit, *cocta*? Nam infra demum coquos se adducturum dicit. Putarem igitur aut *coactaque* legendum: *Cogere* enim pro componere & arctè collocare sumi potest: ut referatur ad vasa argentea, quæ lauta extrui jusserat. aut certè, *stroctaque*, pro, *structaque*. Et ita singula singulis respondebunt: *Versa prasterga*, ad illa, *ut niteant ædes*: *strata*, ad illa, *tu esto lectisterniator*: *lauta*, ad illud; *argentum eluito*: *structa*, ad illud; *idemque extruito*: Pistoris.

33. SATIN' AUDIS? MAGNIFICE] J. Guliel. Non mirum, inquit, in Personarum collocatione sæpiùs peccatum, quas oppidò paucæ membranæ præferunt; & à Grammaticis superioris ætatis ferè ita, ut nunc religiosè retinemus, factæ & ordinatæ sunt. Hunc locum ita interpungo:

——*in aqua ut jaceant. PS. satin*
Magnificè? BA. Solo enim.

Nam cum fastidiret commemorandis delitiis suis & convivii apparatû Ballio; Pseudolus ad Calidorum conversus, *Satinè*, inquit, *magnificè*? Oratio quidem hâc mutatione tanquam Sole illustrari videtur. Qui edunt, *satin' audis*? sciant vetustiss. editiones dissentire. *Hac ille.* Sed ego scire velim, quænam sint illæ vetustissimæ. Sanè Brixiensem solet ille sæpius hoc titulo honestare, quæ prodiit anno M. D. VI. in quâ nihil tale: ut nec vetustiores. solùm Aldina primùm omisit illud *audis*.

34. ACCIPERE] Serv. ad illud Virg. 3. Æn. v. 353.

Illos porticibus rex accipiebat in amplis;
ut & Æl. Donatus ad illud Eun. Sc. ult.

Accipit homo nemo melius prorsum, neque prolixius;

notat: *Accipere, est pascere, invitare.* Et τὸ *melius* quidem apparatum indicat, *prolixius* copiam. V. N. Cist. act. 1. 1.

35. HÆC CITO CELEBRATE] Scio quid sit, *imperium celebre*, & *imperium celebrare*. verùm hoc loco sententia postulat potiùs, *atque hac citò celerate*: J. Guliel. Sed enim cum Grutero vulgatum retineo: cùm *celebre* nón solùm frequens, sed etiam velox significet, auctore Nonio.

36. PRÆSTINEM] ita omnis editio vetus. MSS. *præsentinem*.

37. PERTUNDAT CRUMENAM] Germ. Einem die Taschen klopffen. Metuit leno sectores zonarios: de quibus Trin. act. 4. 2.

37. CAUTIO EST] i. *cavendum est*: Donatus Andr. act. 2. 3.

42. CAPITI] saluti & libertati.

49. PRÆHIBEO] i. præbeo. MS. sec. *perhibeo.*

51. VINO MODO] *Vino cupidæ*, dictum ut illud Milite, *Qui nisi adulterio studiosus*: & alterum Ennii:

——*studiosum robore belli.*

Ita Virg. in Culice, *Compos mente*, Idem: *Illa ferax oleo est.* Notant Scaliger, Lips. Epist. Q. lib. 5. c. 12. & Popma.

51. PANTICES] *Pantices* Nebrissensis vocat intestina illa pelliculata, & multiplicia volumina, ceu pagellas, habentia. Germ. Der Pantsch. Etiam nostri VVittebergenses hominem cerevisiæ perpotandæ nimiò plus deditum vocant Einen BierPantsch. V. N. Epid. 5. 1. J. Dalech. ad Plin. lib. 11. 37. *Lactes*, ait, prisco & obsoleto verbo *pantices* Plautus appellat. Jos. Scalig. in Phallicis; ad illud.

——*inter atra cu us inguina*
Latet jacente pantice abditus specu, &c.

notat: A *pantice*, vulgò ventrem vocamus *panciam*. Nisi sit à *pane*, quasi *panitiam*. quod facilè credo.

51. CUM EGO SIM H. SICCUS] Da ich muß Durst leiden. Horatius 4. Od. 5.

——*dicimus integro*
Sicci mâne die: dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano subest.

Ita *abstemius* sæpe dicitur non qui *in vinis* prisc is illis; ὁ μὴ μετέχων οἴνου, sed ὁ νήφων, qui pro horâ diei nihildum vini bibit. quem *Sobrium* vel *Siccum* dicimus. Apul. Apologiâ 2 *Nam dicitur ante horam diei secundam, jejunus adhuc & abstemius, testimonium istud vendidisse* ἄοιν☉ καὶ ἄοιν☉. Ita utitur & Tertull. & alii: ut docent Casaub. & Sc. Gentilis.

51. HOC FACTUM EST OPTIMUM] Rectè ita

ita MSS. Nec benè aliter legit Lambinus. Sic Aul. *Nunc hoc mihi factum est optimum; ut* &c. Pœn. *Bonum hercle factum, pro se quisque meminerit.* Tertull. de Pudicitiâ: *O edictum, cui adscribi debeat, BONUM FACTUM!* Plautus Prol. Pœn. *BONUM FACTUM, edicta ut servetis mea.* (V.N. ibid.) Ex quâ formulâ suspicari est hunc loquendi modum manasse. *P. Colvius.*

54. PRINCIPIO, HEDYLLIUM] P. Colvius l. *Principio, Ædilis sum, tecum ago,* &c. Ego, inquit, varia hic imperabo: ac primùm, ut Ædilis, edicam, quæ ad rem annonariam, &c. At hoc ineptum esse evincit auctoris testimonium. Præmisit enim versu 52. *ut nomine quanq; appellem suo* &c. adeò ut nomen mulieris requiratur necessariò. Ita Grut. pariter & Acidal. & est in MSS. *Hedyllum.*

55. MONTES MAXIMI ACERVI] acervi maximi instar montium: *vel,* montes & maximi acervi. Sunt, qui *max. acervi,* glossema censent τοῦ *montes.* Sed ita & MSS. & ni ita sit, versus etiam ruat. V.N. Epid. 1.1. & Mil. 4.2. Acidalius malebat, *ac acervi.* quod in utraque editione Parei conspicitur, malè; præterque MSS. omnes atque editos.

59. REGEM JASONEM] Jasonem Thessaliæ tyrannum, qui ætate Epaminondæ floruit, malit Lamb. intelligi, quàm illum Argonautam. Passeratius legendum autumat *Jasionem,* cujus meminit Homerus 5. Odyss. Apollodorus lib. 3. Hyginus lib. 2. in Arctophylact. Ovid. 9. Metamorph.

61. LENONUM ÆMULOS LANIUS] V.N. Capt. act. 3.1.

63. JURANDO JURE MALO] i. perjurio, *ἐπιορκίᾳ*: L. Douza tamen mâlit *malam quærunt rem*: invito Acid. qui nec *malo perjurio* conjungit; sed, *malo quærunt.* ut simile sit illi: *de,* vel *à malo quærere.* Mostell. act. 4.1.

64. ONERI UBERI] tergoribus onere uberi. sic *parti* pro *parte* &c. Cæterùm in MSS. est *gravida tegoribus.* Edd. vett. *grandia tergorib.* docetque Meursius *Ingens,* & *Grande,* pro gravido etiam poni. quomodo & populares sui de muliere prægnante, Sy is groot. Item, Sy is met dem grooten Bunck. hinc illud *grandia* textu intulit editione prima Pareus. quid pote ineptius?

65. ERUNT CRAS QUASI] Sic distinxit Gruterus. hactenus editi absurdè, *erunt, cras quasi.*

65. DIRCAM] ita MSS. Zethus & Amphion Jovis ex Antiopâ filii, Dircen, quam Lycus, Antiopâ eorum matre ejectâ, uxorem duxerat; quæque Antiopam in vincula conjecerat; caudæ bovis indomiti alligarunt, Lycumque interfecerunt. Vide & Propert. l. 3. 13. ibidemque Passeratium.

67. Ps. NIMIS] Ita hæc omnia dat Pseudolo Acid.

68. PATI COLERE] *Colere,* absolutè, pro, *incolere* & degere aliquo in loco.

69. QUI AMANT A LENONE] Vide N. Mil. act. 2.2. & Pœn. act. 5.2.

71. NE ILLI] J. Guliel. ut & Acidal. & Popma ajunt anastrophen esse, pro *illinè.* Terent. Andr. *Audivi jam omnia. D. ah ne tu omnia?* i. tune? V.N. Aul. Prol.

74. OBSONAS] i. obstrepis. Passeratio probabilius videtur, *obscævas,* i. scævum & malum omen adfers, ut Asin. 2.1. v. 18.

77. DYNAMIN] vim, copiam. In Tarvisinâ, Paris. Basil. & Venetâ edit. est, *amatores olivinam domi h.* Hinc emendo: *quojus amatores Olivitam domi h.* nam veteribus *Olivita* sive *Oliveta,* idem erat quod *Olivetum*: ut *menda, mendum* &c. Ergò errat Festus, qui putat esse illud tempus, quo olea colligebatur: quod tamen *Olivitas* dicebatur: *Meursius.* Sanè in vett. etiam edd. est *Olivinam.* unde conjiciebat Passeratius, *olivin demiam.* Sed auctoritatem tamen MSS. nolui furcillare.

79. PERGULAM] Quæ de pergulis disputat Turnebus lib. 8.1. ea refutans Scalig. in Lectionibus Auson. & ad Propert. lib. 4. el. 5. Nullæ, inquit, unquam fuerunt pergulæ publicæ, sed tantùm appendices ædificiorum, quæ in publicum spectabant. Et ob id artifices & magistri, qui minus noti erant, in illis primùm solebant opera sua proponere aut docere, ut populo innotescerent. Juvenal.

Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula.

Et, quod idem Turnebus producit ex Plauto de Lenone, qui interminatur mulieribus, se eas expositurum in pergulâ, est ipsius Lenonis pergula: qui vult eas mulieres venales prostare. propterea eas exponit in eo ædium loco, qui omnibus in conspectu esset: quo nomine vetus Glossar. exponit *Pergulam* *προφάνειν.* At in Propertio & Auson. *Pergula* est casula seu tuguriolum arundinibus tectum. Hæc, & plura ibidem Scaliger. Ideo; in Edit. Propertii recognitâ notat: *Pergula*

 est

est quod Græcis τέγος, ἤγουν οἴκημα προεστηκὸς, A quale est, in quo mulieres, quæ sub lenonum imperio prostabant *publicarum libidinum*, ut Tertull. loquitur, *victimæ*. unde Græcè dicuntur ἑστάναι ἐπὶ τέγους. ita vocatur Helena scortum Simonis Magi, apud Justinum Martyrem. &c.

81. USQ. AD LANGVOREM.] Verbum turpe tacuit.

81. QVORSVM HÆC TENDANT?] ita editio vetus. recentior, *hæc se tend.* Gruterus, & Acid. suspicantur, *quorsum haccè tendant?* alterumque vix Plautinum putant. In MSS. tamen est, *tenes quo se hæc t.* quod non contentus recepisse in textum Pareus; fuit & liberalis a se additione syllabæ, *hæce*. cur obsecro?

82. EN EXCETRA] Ita in iracundia appellat illam oleariam amicam: quasi dicat, *tu vipera*. V. N. Cas. 3. 2.

83. TVA T. OPERA] quæstu meretricio ex olearius facto &c. L. & Palm.

84. NITIDIVSCVLVM CAPVT] Egregiè, vetustius cusi, ut & MSS. *Nitidissimum*: quod utrobiq; in editione sua expressit Pareus: tanti nimirum est homini religioso veneranda Antiquitas. at nobis, Ratio longè potior.

85. UNCTIVSCVLO] Sic apud Caton. *uncta brassica*: & Persium Sat. 3. *uncta pulmentaria*. Sat. 4. *uncta patella*: & alibi, *cœnare sine uncto*. itemque, *Ungue puer, caules*—— Parei Electa isto è loco coquinam instruunt, monentque, Etiam unguenta, ex oleo fiebant. Unguenta ex oleo? imò non magis quàm, ex oleo offa, ex oleo puls, ex oleo moretum. Alphabetariorum ista resipiunt ineptias.

85. VINO TE DEVINCIS] Hæc est scriptura MSS. Pall. & edd. vett. Ita conterraneus Plauti Propertius, lib. 3. 3.

Me juvat & multo mentem vincire Lyæo.

quamvis contra rationem (ut vides) etymi ejus nominis ἀπὸ τοῦ λύειν deducti; unde & Latinis *luere* est solvere; item *reluere*, resolvere: Dousa. Certè Ovid. dixit,

Turpe jacens mulier multo resoluta Lyæo.

Et Petron. *Aniculæ solutæ mero ac libidine*. Idem: *Solutus mero amisissem ebrias manus*.

&c. At J. Palmer. legit, *vino ted uncis*, i. te ungis: *d* immisso, ut *te* non elidatur. sententia (ait porrò) id probat, & quia sequitur *unctiusculo*. Sanè, *Vino te devincis*, parùm Latinè dici puto. Acidalius etiam probat *deungis*: quia Xystilis pro vino oleum habebat: itaque de vino ut de oleo loquitur Leno. Hæc illi. probo: nihil tamen mutare ausus contra libros: tanto quidem minus quod vulgatam nostram tueatur quoque Passeratius ad poetam illum Umbrum, ubi scribit *vincire* esse vincere ac domare, quia *victi* scilicet *vinciri* soleant. Sic Virg. de vite, 2. Georg. v. 94. *Tentatura pedes olim, vincturaque lingua*: & apud Apul. 7. habemus *colligatos vino*. Festus etiam in Hederà ait: *Putabatur in tutela Liberi, quia ista omnia, sicut iste, mentes hominum illigat*. Pareus, tanquam si suis auspiciis, ascendisset triumphalem currum, legit prima editione, *deungis*, secundo *deuncis*, nec dubitat (quid enim dubitet tantus heros?) ita fuisse primitus in MSS. pro *deungis*; postea que à nescio quo factum *devincis*; quod pullus ille Jovis in novissima editione Saxonica protinus ut Plautinum arripuit: eò quod conterraneus Accij nostri dixerit, *mentem vincire Lyæo*. bellè. Sic noster iste Camillus. An potuit B ridiculè magis? qui crambem nobis heic reponit; & pueris suis persuadere nititur, Plauto id primitus invectum à Taubmanno, quod omnes ab omni ævo occupavit editiones.

86. REPREHENDAM &c.] Omnia hercle tua peccata unà operà corrigam & animadvertam, nisi q. &c. Ita quidem Lamb. qui in vulgatis legi notat, *rependam*. quod valde placet Pistori. quamvis in nullo meorum appareat: in quibus tamen typographiæ incunabulis proximi sunt. ut mirer quas editiones Lambinus habuerit. MSS. Cam. *reprehendam*.

88. NVMERAS] verbis, non re.

91. OMNE PENVS] ita MSS. Cam. Quos antequam Grut. viderat, conjiciebat, *annua huc penus*. Sed non dubito quin nunc alia viro mens.

92. PHOENICIO CORIO] *Ph. corium*, rubrum vocatur, Turn. lib. 17. 19. Hîc tergum flagris cruentum significatur.

ACTUS

ACTUS I. SCENA III.

CALIDORUS, PSEUDOLUS, BALLIO leno.

PSeudole, nõ audis quæ hic loquitur? PS. audio here equidẽ atq; animũ advor-
CA. Quid mihi es auctor, huic ut mittã, ne amicã hic meam prostituat? (to.
PS. Bene curassis: liquido es animo! ego pro me & pro te curabo.
Iamdiu ego huic bene & hic mihi volumus, & amicitia est antiqua.
Mittam hodie huic suo die natali malam rem magnã & maturam. (cor duru.
CA. Quid opus est? PS. potin' aliã rẽ ut cures? CA. at. PS. bat. CA. crucior. PS.
CA. Non possum. PS. fac possis. CA. quónam pacto possim vincere animum?
PS. In rem quod sit prævortaris, quàm re adversa animo auscultes.
CA. Nugæ istæc sunt: non jucundum est, nisi amans facit stultè. PS. pergin'?
CA. O Pseudole mi, sine sim nihili: mitte me sis. PS. sine. modò ego
Abeam. CA. mane, mane: jam ut voles me esse, ita ero. PS. nunc tu sapis.
BA. It dies: ego mihi cesso. i pra, puere. CA. heus! abijt. quin revocas?
PS. Quid properas? placidè! CA. at priusquam abeat.
BA. Quòd hoc malum? tam placidè is, puere.
PS. Hodie-nate, heus! hodie-nate, tibi ego dico, heus hodie-nate, redi &
Respice ad nos, tametsi occupatus moramur. mane! sunt colloqui
Qui volunt te. BA. quid hoc est? quis est qui morã occupato molestam obtu-
CA. Qui tibi sospitalis fuit. BA. mortuus est, qui fuit: qui est, vivus est. (lit?
PS. Nimis superbè. BA. nimis molestus. CA. reprehende hominem: assequere.
BA. I, puere. PS. accedamus hàc obviam. BA. Iuppiter te perdat, quisquis es.
PS. Te volo. BA. at vos ego ambos. verte hàc te, puere. PS. non licet
Colloqui te? BA. at mihi nõ lubet. CA. sin tuam est quippiam in rem? BA. licet
Ne obsecro vivere, an non licet? PS. vah! manta. BA. omitte. CA. Ballio
Audi. BA. surdus sum: profectò inanilogus es. CA. dedi, dum fuit.
BA. Non peto quod dedisti. CA. dabo, quando erit. BA. ducito,
Quando habebis. CA. heu, heu! quàm ego malis perdidi modis,
Quod tibi detuli & quod dedi! BA. mortuà re, verba nunc facis.
„ *STULTUS ES, REM ACTAM AGIS. PS. nosce saltem hunc quis est. BA.*
Scio qui fuit: nunc quis est is, ipsus sciat. ambula tu. (jam diu
PS. Potin' ut semel modò, Ballio, huc cum lucro respicias?
BA. Respiciam istoc pretio. nam si sacrificem summo Jovi,
Atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram.
PS. Non potest pietate obsisti huic, ut res sunt cæteræ!
Deos quidem, quos maximè æquum est metuere, eos minimi facit.
BA. Compellabo. salve multum, serve Athenis pessume.

 PS. Di

PS.Di te deæque ament vel hujus arbitratu,vel meo:
Vel si dignus alio pacto,neque ament,neque faciant bene.
BA.Quid agitur,Calidore? PS.amatur, atque egetur acriter.
BA.Misereat,si familiam alere possim misericordiâ.
PS.Eja! scimus nos quidem te qualis sis, ne prædices.
Sed scin' quid nos volumus? BA.pol ego propemodò : ut malè sit mihi.
PS.Et id,& hoc:quod te revocamus,quæso,animum advorte. BA.audio.
Atque in pauca,ut occupatus nunc sum, confer, quid velis.
PS.Hunc pudet quod tibi promisit,quâque id promisit die,
Quia tibi minas viginti pro amicâ etiam non dedit.
BA.NIMIO ID quod pudet facilius fertur,quàm illud quod piget;
Non dedisse,istum pudet:me,quia non accepi,piget.
PS.At dabit,parabit:aliquot hos dies manta modò.
Nam hic id metuit,ne illam vendas ob simultatem suam.
BA.Fuit occasio,si vellet,jampridem argentum ut daret.
CA.Quid,si non habui? BA.amabas? invenires mutuum,
Ad Danistam devenires,adderes fœnusculum:
Surripuisses patri. PS.surriperet hic patri,audacissime?
Non periculum est,ne quid rectè monstres. BA.non lenonium est.
CA.Egon' patri surripere possim quicquam? tam cauto seni?
Atque adeò,si facere possem,pietas prohibet. BA.audio.
Pietatem ergo istam amplexator noctu pro Phœnicio.
Sed quoniam pietatem amori video tuo prævortere,
Omnes tibi patres sunt? nullus est tibi quem roges
Mutuum argentum? CA.quin nomen quoque jam interijt Mutuum.
*BA.Heus tu,postquam hercle isti à mensâ surgunt saturi,poti***
Qui suum repetunt,alienum reddunt nato nemini,
Ab alienis cautiores sunt,ne credant alteri.
CA.Nimis miser sum,nummum nusquam reperire argenti queo:
Ita miser & amore pereo, & inopiâ argentariâ.
BA.Eme die cæcâ hercle olivum, id vendito oculatâ die.
Iam hercle vel ducentæ fieri possunt præsentes minæ.
CA.Perij! an non tum Lex me perdit quina vicennaria?
Metuunt credere omnes. BA.eadem est mihi lex, metuo credere.
PS.Credere autem? ehò,an pœnitet te,quanto hic fuerit usui?
BA.Non est justus quisquam amator,nisi qui perpetuat data,
Dátque usque: quando nihil sit, simul amare desinat.
CA.Nihilne te mei miseret? BA.inanis cedis : dicta non sonant.
Atque ego te vivum salvúmque vellem.PS.ehò,an jam mortuus est?
BA.I'tut est:mihi quidem profectò cum istis dictis mortuus est.
ILLICO VIXIT amator, ubi lenoni placet.

Semper

Semper tu ad me cum argentatâ accedito querimoniâ.
Nam istoc, quod nunc lamentare, non esse argentum tibi,
Apud novercam querere. PS. eho, an unquam tu hujus nupsisti patri?
BA. Dij melius faciant. PS fac hoc, quod te rogamus, Ballio,
Meâ fide, si isti formidas credere. ego in hoc triduo
Aut terrâ aut mari alicunde evolvam id argentum tibi.
BA. Tibi ego credam? PS. cur non? BA. quia pol, quâ operâ sic credam tibi,
Unâ operâ alligem fugitivam canem agninis lactibus.
CA. Siccine mihi abs te bene merenti malè refertur gratia?
BA. Quid nunc vis? CA. ut opperiare hos sex dies saltem modò,
Ne illam vendas, neu me perdas hominem amantem. BA. animo bono es.
Vel sex menses opperibor. CA. euge, homo lepidissime.
BA. Imò vin' etiam te faciam ex læto letantem magis?
CA. Quid jam? BA. quia enim non venalem jam habeo Phœnicium.
CA. Non habes? BA. non herclè verò. CA. Pseudole arcesse hostias,
Victimas, lanios; ut ego huic sacruficem summo Iovi:
Nam hic mihi nunc est multo potior Iuppiter, quàm Iuppiter.
BA. Nolo victimas: agninis me extis placari volo.
CA. Propera, quid stas? arcesse agnos. audin, quid ait Iuppiter?
PS. Iam hîc ero: verùm extra portam Metiam currendum est prius.
CA. Quid eò? PS. lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.
Eâdem duo greges virgarum inde ulmearum adegero,
Ut hodie ad litationem huic suppetat satias Iovi.
In malam crucem istic ibit Iuppiter lenonius.
BA. Ex tuâ re non est, ut ego emoriar. PS. quî dum? BA. ego dicam tibi:
Quia edepol, dum ego vivus vivam, nunquam eris frugi bonæ.
PS. Ex tuâ re non est, ut ego emoriar. BA. quî dum? PS. sic, quia
Si ego emortuus sim, Athenis te sit nemo nequior.
CA. Dic mihi, obsecro hercle verum seriò, hoc quod te rogo.
Non habes venalem amicam tu meam Phœnicium?
BA. Non edepol habeo profectò. nam jampridem vendidi.
CA. Quomodo? BA. sine ornamentis, cum intestinis omnibus.
CA. Meam tu amicam vendidisti! BA. valdè! viginti minis.
CA. Viginti minis? BA. utrum vis, vel quater quinis minis,
Militi Macedonio. et jam quindecim habeo minas.
CA. Quid ego ex te audio? BA. amicam tuam esse factam argenteam.
CA. Cur id ausus facere? BA. libuit, mea fuit. CA. eho! Pseudole,
I, gladium affer. PS. quid opus gladio? CA. quî hunc occidam, atque me.
PS. Quin tu te occidis potius? nam hunc fames jam occiderit.
CA. Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjurissime,
Iuravistin' te illam nulli venditurum nisi mihi?

BA. Fa-

BA.Fateor. CA. nempe conceptis verbis. BA. etiam consultis quoque.
CA.Perjuravisti, sceleste. BA.at argentum intrò condidi.
Ego scelestus nunc argentum promere possum domo:
Tu, qui pius es istoc genere gnatus, nummum non habes.
CA.Pseudole, assiste alterinsecus, atque onera hunc maledictis. PS.licet.
Nunquam ad Prætorem æquè cursim curram, ut emittar manu.
CA.Ingere mala multa. PS. jam ego te differam dictis meis:
Impudice. BA.ita est. PS.sceleste. BA.dicis vera. PS.verbero.
BA.Quippini. CA.bustirape. BA.certè. CA.furcifer. BA.factum optumè.
CA.Sociofraude. BA.sunt mea hæc ista. PS. parricida. BA. perge tu.
PS.Sacrilege. BA.fateor. CA.perjure. BA.vetera vaticinamini.
CA.Legirupa. BA.validè. PS.pernicies adolescentum. BA.acerrimè.
CA.Fur. BA.babæ. PS.fugitive. BA.bombax. CA.fraus populi. BA.planissimè.
PS.Fraudulente. CA. impure leno. PS. cœnum. BA.cantores probos!
CA. Verberavisti patrem atque matrem. BA.atque occidi quoque,
Potius quàm cibum præhiberem. num peccavi quippiam?
PS.In pertusum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.
BA. Nunquid alium etiam voltis dicere? CA.ecquid te pudet?
BA. Ted amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem.
Sed quanquam multa maláque in me dicta dixistis mihi,
Nisi mihi attulerit Miles quinque quas debet minas,
Sicut hæc est præstituta summa ei argento dies:
Si is non aderit, posse opinor facere officium me meum.
CA. Quid id est? BA. si tu argentum attuleris, cum illo perdiderim fidem.
Hoc meum est officium: ego, opera si sit, plus tecum loquar:
Sed sine argento frustrà est, quòd me tui misereri postulas.
Hæc mea est sententia, ut tu hinc porrò, quid agas consulas.
CA.Iámne abis? BA. negotij nunc sum plenus. PS. paulo pòst magis.
Illic homo meus est: nisi omnes di me atque homines deserunt.
Exossabo ego illum simulter itidem ut muranam cocus.
Sed nunc, Calidore, operam te mihi volo dare. CA.ecquid imperas?
PS.Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur, volo.
Ad eam rem usu'st hominem astutum, doctum, scitum, & callidum,
Qui imperata effecta reddat; non qui vigilans dormiat.
CA. Cedò mihi quid es facturus? PS.tèmpori ego faxo scies:
Nolo bis iterare: sat sic longæ sunt Fabulæ.
CA.Optumum atque æquissimum oras. PS. propera, adduc hominem citò.
„ *PAVCI EX MVLTIS sunt amici, homini qui certi sient.*
CA.Ego scio istuc. PS. ergo utrimque tibi nunc delectum para:
Ex multis exquire illis unum, qui certus siet.
CA.Iam hic faxo aderit. PS. potin' ut abeas? tibi moram dictis creas.

ET

ET hi versus sunt tetrametri plerique numeris, ut Scenæ præcedentis, confusi; usque ad hunc vers. 31. *Respiciam istoc pretio.* unde decurrunt deinceps troch. tetram. catal. per totam Scenam.

V. 3. BENE CVRASSIS] ita MSS. & omnes edd. Gruteri suspicio tenuis erat: *Benè curassis*, ad cutim curandam pertinere: aut fuisse, *Ne curassis.* Pistoris leg. *Tu ne curassis.* Pistoris leg. *Tu ne curassis.* Non opus est, inquit, ut cures, quod munus mittas Lenoni: ego pro utroq; mittam. Etiam Acidalius nugis Lambini explosis, leg. *Ne curassis.* vel *Benè: ne c.* vel *Sine curâ sis &c.* & medium ejus, theatro editionis suæ primæ traduxit Pareus, versu invitissimo, distinctione adhuc ineptiore: *Bene ne curassis.*

3. LIQVIDO ES ANIMO] de istâ re securus esto. ita Cic. ad Attic. l. 5: 18. *Bono animo es:* pro *sis*, antiquâ locutione. V. N. Epid. 5: 1.

3. ET PRO TE] ita MSS. & omn. edd. Parei utraq; voculam *pro* expunxit, sine omni præterea ratione.

5. DIE NATALI] Haud secus omnes editi. Pal. pr. *natalio*, sec. *natalitio*, quod textu dignatus Pareus; & annotat; id cur spreverint Novissimi Editores in consensu isto sacrosanctæ Antiquitatis, mirum fortasse alicui videri queat. Alicui, fateor: sed fatuo. nam quis heic consensus obsecro? sic solùm Pal. sec. deinde cur Taubmannus textum hactenus nemini controversum, sollicitaret, cùm & metrum alioqui adversaretur illud *natalitium*?

6. QVID OPVS EST?] ita MSS. & edd. Tamen Acid. leg. *Quid opis est?*

6. AT. PS. BAT] Charis. de sententiâ Cæsellii Vindicis, lib. 2. ait, *bat* sonum esse cornicinis lituum ex ore eximentis.

6. COR DVRA] καρτέρει, animum obfirmato. Ita Ovidius: *durare animum*; Tacitus, *mentem*: Catullus *obdurare se*, dixit. ita Seneca Contr. 2. *Anime dura: heri fortior eras.* Virgil. 8. Æn.

——*quemvis durare laborem.*

Horat. 1. Od. 14.

——*sine funibus*
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor——

8. QVAM RE ADVERSA] Aut corrigend. *quàm rei adversa an. ausc.* aut *re* pro *rei* est, ut *die, fide &c.* Q. d. Potius quod ex re est, agas, quàm obtemperes animo iis agendis, quæ abs re sunt, sive rei adversa. *Animo aliquid auscultare*, dictum, ut, *Obsequi alicui quid.* Lambini interpretamentum futile. *Acidal.*

10. SINE MOD.] ita ferè MSS. quanquam & ipsi turbant.

11. IT DIES] V. N. Bacch. extrema.

12. MIHI CESSO] id est me moror. Passerat. ad 4. Eleg. lib. 1. Propertii.

13. QVID PROPERAS?] Hæc dicit Calidoro; non Lenoni: L.

15. HODIE NATE, HEVS] Ita Lenonem appellat, quòd superiore Scena dixerat, sibi hodie natalem diem esse. *Nascuntur* etiam, qui honores adipiscuntur: & *nascuntur*, qui ab exilio reducuntur: ut docet Turneb. ex Cicerone. Sed hoc obiter.

16. OCCVPATVS] ita MSS. & vett. ed. sed Lamb. malit, *occupatum moramur.*

18. SOSPITALIS FVIT] Sic omnis editio. Pareana *sospitali.* quare? quia MSS. *sospitali.*

18. MORTVVS EST, QVI FVIT] V. N. Capt. act. 3: 3.

20. ACCEDAMVS HAC OBVIAM] ut ei à fronte occurramus. J. Gul. & Jo. Passeratius legunt, *Occedamus hac obviam. Occedere*, pro, contrà cedere, Plauti proprium & familiare. Asin. *Quisque obviam hic huic occesserit irato, vapulabit.* Ibid. *cum magno malo tuo obviam occessisti.* Sticho, Trin. *Sed accedamus* est in MSS. & vett. edd. non tenuit tamen se Pareus, quin primæ editioni inveheret, *occedamus*; & tanquam Plauti genuinum Lexico insereret.

21. TE VOLO] Ambiguum. vel, Te volo convenire: vel, Te Juppiter perdat, volo. Atque hoc modo Pseudolus intelligit, idque non fefellit Lenonem, qui sic respondit; *At ego volo vos ambos perdat Juppiter.* Vide N. Epid. 1: 1. & Mil. 1: 3.

22. COLLOQVI TE] V. N. Asin. 3: 1.

22. LICETNE OBSECRO VIVERE] q. d. vos me enecatis odio vestro & molestiâ: L. & Acidalius. ita Mil. *Mittite me obsecro, si possum hodie vivâ à vobis.* V. N. act. 4: 2. At Lips. l. *bitere*, i. ire. (V. N. Epid. 1: 2. Indignatur leno; & hem, inquit, liberumne est ire mihi quò insti-

institui, an non? lib.1.Epist.Q.14.Lipsianum illicò intulit editioni suæ Pareus primæ. Sed clarè ita scriptum in codd. antiquis, ut dedimus.

24. INANILOGVS ES] i.cui non sit argentea querimonia, inanis, quia nihil affert. Mostell.1:4: *Hic homo est inanis.* Asin.3:3. *Ego bajulabo crumenam: tu ut dominum decet, ante me ito inanis.* Passerat. ad.4. el.5. Propertii. MSS. Pall. *inanilogistæ.* An vero an falso? Sanè Schop. suspicatur, *inanilogista es.* quod in utraque editione Parei. prorsus injuriè. si enim quid mutandum contra omnes edd. recipienda potius erat scriptura trium membranarum *inani logistæ.* nam & sic quoq; Excerpta Palat. Videndum tamen num fuerit; *surdus sum profectò inani logis. CAL. at dedi.*

25. DVCITO] sc. Phœnicium. V.N.Epid.3:2. & Trin.2:1.

28. REM ACTAM AGIS] Donatus Andr. act.3:1. *Hæc res secundum jus civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud judices repetat.* Idem ad Eun.act.1:1. *Actum est,* sumptum à Jure; *ilicet,* à Judicio; *peristi,* à supplicio. V. N. Epid. act.5:2.

27. MORTVA RE VERBA NVNC FACIS.] Parei prima editio, *mortuo verba fabulare nunc,* contra MSS. & edd. vett. alterum enim natum in officina Aldi, ejeceratq; Camerarius.

29. AMBVLA TV] sc. Puer.

30. HVC CVM L.] ita Grut. & ita in MS. pr. emendatum. Vulg. *hunc.*

31. ISTOC PRETIO] istâ mercede; lucro.

32. VT PORRICIAM] *Porriciendi* verbum ex disciplinâ haruspicum & ex præcepto Pontificum solemne sacrificantibus fuisse, Macrob. l.3:2. tradit. Nævius: *Simul atrocia porricerent exta ministratores.* Virg.3.Æn.

——paternam tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus.

Livius lib. 9. Decad. 3: *Secundum eas preces exta cæsâ victimâ (uti mos est) in mare porricit, tubâque signum dedit proficiscendi.* Varro lib. 5. de L. Lat. *Inter hostiam cæsam & exta porrecta.* Vide & Briss. de Form. & Turneb. l.24:13.

34. NON POT. PIET.] Nihilominus Acid. hæc Ballioni adhuc dat: *——deseram. Non p. p. obs. huic. PS. ut ut res sunt ceteræ, Deos q.* Nullâ pietate lucrum impediri posse

A ait. Et hoc arripuit statim editione pr. Pareus, retinuitq; secunda; contra MS. pr. & edd. omnes in quibus quidem *pietati,* sed tamen personarum ea collocatio quam modò exhibemus. nam secundus heic personas non habet.

47. NIMIO ID] viro bono indigna sententia; cui famæ & existimationis jactura gravior, quàm rei. Sophocles:

Τὸ κέρδος ἡδύ, κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἴῃ.

Vide Adag. *Lucrum pudori præstat: Κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον.* item Notas Trin. 2:2.

48. NON DEDISSE ISTVM] MSS. & edd. vett: *dedissetis eum,* ut fortè fuerit, *dedisse id istum,* vel *dedissed istum.*

49. PARABIT: ALIQVOT] D. legit, *parabit aliquid: tres dies manta.* i.exspecta. Schop. è MSS. Cam. in quibus *aliquod,* colligit, *parabit: aliquot hos dies m.* idque verum putabat & Acidalius.

52. AMABAS?] ita Grut. è lituris MS. pr.

54. SVRRIPVISSES PATRI.] Sic omnes MSS. & edd. vett. ante Aldum, qui *Surriperes.* quod in utraq; Pareana: nimis licentiosè. erat potius scribendum, *Surpuisses patri.*

B 55. NON LENONIVM EST] sc. Rectè monstrare.

59. PRÆVORTERE] i. Pietatem te ponere atque habere ante amorem tuum: D.

60. NVLLVS EST TIBI QVEM ROGES MVTVVM] Distinctio est à Grutero, petita è MS. pr. antea *mutuum* versui isti addebatur, detrimento sequentis simul & hujus. at deest pes! verùm is aderit, si repetamus, *nullus, nullus est tibi quem roges.*

62. HEVS TV, POSTQ.] Hujus versus finem ab se reperiri non potuisse, Camerarius affirmat. Suspicabatur sermonem esse de trapezitis. Autore autem Lambino, sententia horum trium versuum hæc est: Heus tu, postquam hercle isti heluones è mensâ benè curatâ cute surgunt, qui suum quidem, i. quod sibi debetur, acriter reperunt; alienum autem, i.quod aliis debent, nemini reddunt; ii omnes, qui solebant anteà mutuum dare, cavent sibi, ne pecuniam alteri credant. In antiquis Cod. idem ait reperiri *saturi, & uvidi, & distenta cute.* Sed mutilus est hic versus, (*Heus tu, p.*) eritque; usque dum è MSS. suis membra restituat Grut. Æsculapius! qui præ-

præ se ferebat, literas tendere ad *Saturnipeta.* fictum ut *heredipeta.* Atque ut vestigia ostendam: in MS. sec. est, *surgunt saturi, poti.* nec aliter in primo: nisi quòd videtur habuisse *satura.* inter estque spacium postea duarum litterarum. Cæterum ineptissima, inquit Pistoris, illa sunt Lambini mensam de cibariâ mensa accipientis: cum manifestò mensam trapezitarum intelligat. Et verborum quidem quæ in vulgatis hodie habentur, hunc sensum esse puto: ut sit jocus in astutos trapezitas, qui cùm bonis cedere & mensam relinquere decreverunt, prius omnia quæ ipsis debentur, exigunt & abscondunt, ne ii, quibus ipsi debent, ea occupent. Q.d. Postquam ii, qui bonis cedunt, tam astuti facti sunt, ut non prius à mensa surgant, quàm debita sua exegerint, sanè cavent omnes mutuari. *A mensa surgere*, est quod nos etiam de talibus (die Banckerott spielen/vel, ut Franci mei dicunt, das Rohtlauff flie gen) dicimus, Auffstehen.

64. NE CRED. ALTERI] in MSS. est, *nec reddant alteri.*

67. EME DIE COECA] i. solutione in diem prolatâ. Contrà, *Oculatâ die emere*, est præsenti pecuniâ emere: L. Ita Cato dixit, *die vendere*: de quo Auf. Popma, Sic JC. vocant *Cæca testimonia*, quæ scripto perhibentur absentibus. Vide Adag. Collect. ita Scalig. in *Ætnam* ad illud,

Atque oculis hasura tuis.

notat; Hoc est quod Græc. Poetæ dicunt βλέποντα μαρτύρια. Plautus verò aliter extulit: ——*rem tibi auctorem dabo.* Sic infrà,

Non illic duce me occultas scrutabere caussas:
Occurrent oculis ipsa.

Eodem modo, *oculatam diem* dixit Plautus. Hæc ille.

70. LEX ME PERDIT QVINA VICENNARIA?] Ita duplici *nn* rectè scribit Meursius. nam *viceni* sunt οἱ εἴκοσι τὸν ἀριθμὸν: *vicennes* verò εἰκοσαετεῖς. *Lex* enim *Lætoria* vetabat filium familiâs minorem viginti quinq; annis stipulari, id est, ἐπερωτᾶν, ut ait Priscianus, (lib. 8. & 18.) sive stipulanti respondere: aut spondendo obligari: ut JCti loquuntur. Vide Lips. Comm. in Tacit. lib. XI. & Fr. Hotomani Indicem Legg. Rom. & Notas Rud. act. 5: 3. Alciat. Parerg. lib. 6. 16. Turneb. lib. 11. cap. 23. Acid. l. *an non me lex dum porcet q. &?* *Porcet dum*, est, adhuc prohibet. neque enim lex, inquit, vetabat mutuo sumere, si posset: sed ne quis daret: nam qui dedisset, repetendi nullum jus habebat. Sed callidum nimis. Nos MSS. expressimus. alterum Pareus excepit statim editione prima.

71. QVANTO HIC F. VSVI?] ita MSS. Cam. & J. Guliel. Verif. lib. 1: 4. *quanto hic fuerit usui.* Musæum planè loquendi genus: pro, Videturne tibi parum fuisse utilitati & lucro? Ter. *At enim, dices, me quantum hic operis fiat, pœnitet.*

72. NON EST IVSTVS] ita MSS. & vulg. libri. Dictum, ut *justus eques, justa pugna,* teste Grutero. quomodo nos, Ein rechtschaffener Löffler. quanquam Lipsius leg. *Non est usui quisq.* Similis autem locus Truc. act. 2: 1. & apud Propert.

Qui dare multa potest, multum & amare potest.

Jam, *data*, pro muneribus dixit etiam Asin. act. 1: 3. item Auson. Epigr. 90. Idem in Ephemer.

Nil ex invidiâ retinens, plenusque datorum &c.

Vide C. Rittersh. ad Gunth.

73. DATQ. VSQ.] Grut. *Detque usquequò nihil sit.* i. quousque. Et sic ferè MS. pr. in quo tantum *usq. nihil*, absque illo *quando.* quam hariolationem utraq; editione ostentat Pareus, nullo bono jure; utiq; si ei deliberatum non recedere à MSS. fide & auctoritate.

74. CEDIS] accedis. Gruterus suspicatur, *inane cedis*, dicto Proverbiali: hoc est, aerem verberas.

74. DICTA NON SONANT] Ita nostri: Taler klappen/ Wort lappen. Handschrifft klingen nichts. Tinnulæ rationes plurimum habent virium ad persuadendum.

76. BA. VTVT EST] Hunc versum Gruterus è MS. suo Pal. pr. inseruit nunquam antea vulgatum: quem tamen se reduxisse in Notis jactat Pareus, cùm jam annorum aliquot hebdomadas publicus fuisset. Simillimum locum vide Trucul. act. 1: 2. *Dum vivit, hominem noveris, &c.*

77. VBI LENONI PLACET.] ita MSS. & vett.ed. Sed Acid. suspicatur, *lenoni neplacet.* vide ipsum: qui varia molitus, nihil tamen certi emolitus est. id tamen commentum utraq; sua editione exhibet Pareus.

78. CVM ARGENTATA ACC. QVERIMONIA] sonanti tinnientique & quæ argentum unà adferat secum, mihique sit lucro: D.

78. QVERIMONIA] *Querela* & *querimonia* promiscuè usurpatur bonis etiam autoribus. Tamen Casaubonus μεμψιμοιρίαν attentè vertit *querelam*, non *querimoniam*; autoritate Corn. Frontonis, qui ait: *Querimonia, certæ rei est: Querela, supervacua est. itaque prior gravitatis est, posterior levitatis.* Glossarii auctor: *Querela*, μέμψις ματαία. *Querimonia.* μέμψις.

79. LAMENTARE] hoc rectiss. probat è vet. ed. Acid. sed & sequens v. *querere*. In MSS. est, *clametare*: item, *querere*.

80. APVD NOVERCAM QVERERE] Pseudolus illud *querere*, ἀντὶ τοῦ *quereris*, per ridiculum accepit: cùm sit Imperantis. estque jocus scurrilior, &c. Porrò *durities novercarum*, in Proverb. est. D.

80. PS. EHO, AN VNQVAM TV HVIVS NVPSISTI PATRI? BA. DI MELIVS FACIANT] Ita MSS. Pall. nam Lipsii membranæ *nunquid*, qui hæc duo hemistichia in suum locum postliminiò reduxit: quæ abfuisse editionibus, dum secundam suam vulgaret Pareus, certò sibi persuaderet, qui ejus Notis haberet fidem. Argutus, sed licentior sanè jocus, qui in verbo *Nubendi* consistit, quod verbum antiquitus inter ea fuit, quæ custos ille hortorum libentius quàm Virgines Vestæ usurparent. Inde Festo, *Nupta verba*, obscena; & Petronio, *Nuptias facere*, τὸ συνουσιάζειν. inde Virgini Vestali crimen incesti intentatum apud Declamatores, quòd versum scripsisset: *Felices nuptæ: moriar, nisi nubere dulce est.* Antiq. Lect. l.2: 9. Vide N. Cistell. act.1: 1. & Mostell.4: 2.

85. ALLIGEM F. CANEM AGNINIS LACTIBVS.] Nostri: Den Hund nach Würsten schicken.

93. LANIOS] Ita vocat popas hostiarum mactatores, qui malleo ipsas impeterent, dum à victimario interim tenerentur &c. Gutber.2. cap.14. de jure Pontif.

A

95. AGNINIS ME EXTIS PLACARI VOLO] J.Scalig. in Catalect. ad illa:

——*& maxima taurus Victima,*

notat: Vides doctiss. Poetam (Virgil.) *victimam* de magnis dixisse, certum veteribus illis, qui purè loquebantur, ita observatum fuisse. Quod verum esse, manifesto Plautus docet in Pseud. ex verbis Lenonis:

Nolo victimas: minimis med extis placari volo.

Nam *minima exta* opposuit *victimis*. Sed lusit Comicè in voce *minimis*, respiciens ad minas viginti, quibus sibi litari volebat. Adolescens verò jocum non percipiens, jubet arcessi agnos: quia eæ sunt *minimæ hostiæ*, & quæ verè victimæ dici non possunt, quum ait; *Propera; quid stas? arcesse agnos.* itaque malè legitur hodie *agninis extis*: quum pleræque calamo exaratæ membranæ habeant, *minimis extis.* ubi sanè verè Plautinus latet jocus. *Hæc ille.* Quibus non abludentia dixit Palmer. Spicileg. fol.96. Doúza hæc annotat: Lipsius ex antiquis libris, in quibus omnibus *minimis* erat, *minis*, vel *mininis*; voce ductâ à *mina*, scribendum auguratur, hoc modo; pro *agninis at minis* scilicet, nimium eleganti sententia, atque ad Lenonis mores planissimè accommodatâ. Nam cùm amator plus æquo credulus, propter servatam, uti existimabat, amicam, facere victimam Lenoni

B

vellet, ut deo & auctori fortunarum suarum, ille, qui aliud spectaret, negat se victimas & inania honorum morari, sed minas & argentum velle. Hæc hactenus ἐπιεικῶς: sequentia non item. Ista porrò verba (inquit Lipsius) *mininis* (nam in ambiguâ pronunciatione jocus fuit) Leno ita extulit, ut adolescens minimè malus intellexerit, eum *agninis* dixisse. ergò subjicit: *Quid stas? arcesse agnos &c.* Immò arbitror, Calidorum verba Ballionis, ita ut ab eopse illo pronunciata, utique ea cum Lipsio rectissimè legenda censeo, nimirum; *At minis me extis &c.* planè & probè percepisse, diverso tamen intellectû. Leno enim in ambiguâ significatione verbi *minis*, quo lutulentus ille aurû & argentum merum intelligi volebat, lusisse videtur: adolescens contra *mina exta*, adjectivè posita accepisse ἀντὶ τοῦ *agnis* sive *ovillis extis*. nã *ovem minam* pro glabrâ, sive eâ quæ ventre glabro est, veteres dixisse, testimonio est haud Varro modò, sed verò & Plautus ipse in Truc. act.3: 1. ubi manifesto ejusdem dicti ambiguitas com-

comparet in personâ adolescentis rustici; his verbis: A

——ego properè minas

Oves crumenâ hâc in urbem detuli:

ita enim scribo emendoque. Hæc Douza. In MS. Pal. pr. est, *acninis*, in sec. *acnimis*, aut adeò *acminis*, contra quam retulit in Notis Pareus.

97. EXTRA PORTAM METIAM CURR. &c. LANIOS INDE ARCESSAM] Intelligit carnifices, *inquit Lipsius*, quorum extra eam portam domus, ad solemnem suppliciis locum. Idem ad lib. 15. C. Taciti notat, locum certum fuisse extra urbem, quem *Sestertium* dixerint, quia semitertio ab urbe milliari: ubi cruces, patibula defixa, cadavera abjecta, aliaque quæ ad supplicia plebis. V. & N. Mil. act. 2. 4. In MSS. Cam. est; *extra portam mi etiam c.*

98. DUOS] ita MSS. sed edd. *duo*.

98. CUM TINTINNABULIS] Scalig. *Sirpea* seu *sirpiculæ* & *tintinnabulum*, duo genera sunt vehiculorum. De *sirpeis* habes apud Varronem: de *tintinnabulo* apud Plautum, quod vocabulum Scholasticorum & Grammaticorum nationi antea ignotum fuit. Turnebi sententiam retulimus Trucul. act. 4. 3. *Tintinnabulatos greges* memorat etiam Apollinar. lib. 2. epist. 2. Notat H. Magius in lib. *De Tintinnabulis*, quosdam legere *tintinnaculis*, & virgas interpretari, male.

99. EADEM] viâ, seu operâ.

99. DUO GREGES] Continuat cœptam metaphoram.

100. SATIAS] Ter. Eun. act. 5. 5. *Ubi satias cœpit fieri, commuto locum.* utitur & Sall. 3. Histor. Dicitur & *saties*: de quo in Novantiq. Lect. Fr. Modius. Gruterus ita hæc restituit ac distinguit:

——satias Jovi.

BA. I in malam crucem! PS. istic ibit Juppiter lenonius.

Cæterùm ista verba versus sequentis, *quidum?* MSS. & vett. edd. Pseudolo dant, non Calidoro; contra quàm videri velit de Palatinis membranis Pareus, dant solum ei alterum *quidum* versus 104. quare contra libros editio ipsius expunxit ibi Pseudoli personam, eandem etiam infra ridiculè pedem *Sic quia*, à versu suo avellit, datque sequenti.

109. SINE ORNAMENTIS, CUM INTESTINIS OMNIBUS] i. nudam vendidi. Et inest in his verbis faceta antithesis.

111. QUIND. HABEO] Vulg. *hic habeo*. Sed τὸ *hic* neque MSS. neque vett. ed. agnoscunt.

113. ARGENTEAM] eum argento commutatam. L.

116. FAMES OCCIDERIT] sc. te occiso, qui ei victum suppeditas.

117. QUANTUM TERRA TEGIT HOMINUM] Lipsius. l. *quantum in terrâ degit h.* Rob. Titius *quantum terra tegit h.* id est, sustinet, quod tamen risit Schoppius excipit. V. N. Rud. act. 1. 3. v. 16. Sed Tvo Villiomarus l. *quantum terram tegit, h. p.* Latinum est, *Quantum hominum tegit terram.* Homines vivi tegunt terram; mortuos tegit terra. Indubitata, ut ait, emendatio. Vide ib. in Locos Controv. Rob. Titii. lib. 9. cap. 11. & 12. Des. Heraldus; Qui rescribunt, *quantum terra gerit*; confirment correctionem suam Pœnuli loco in Prolog. *Quantum hominum terra sustinet* &c. Nos, quod omnes MSS. & edd. uno consensu præferunt, retinuimus; acquiescentes interpretationi Passeratianæ ad. El. 6. lib. 1. Propertii, qui vult, *terra tegi mortuos*, B ideoq; vocari lenonem perjurissimum omnium qui unquam fuerunt. Noster Pœn. 3. 2. *Quantum est Acheronti mortuorum.* Idem Propert. 2. El. 26. *Me licet unda ferat, te modò terra tegat.* Interim an non versus desideratur hominum omnium perjur.

118. JURAVISTIN' TE ILLAM N.] Tali interrogatione utuntur Scriptores veteres, etiam cùm responsionem ajentem subjici volunt. L.

119. CONCEPTIS VERBIS] *Verbis conceptis jurare*, est alio præeunte & jusjurandum verbis certâ comprehensis formulâ dictante, jurare: quæ talis erat, *Ex animi mei sententia juro.* Cic. 3. Offic. *Non enim falsum jurare, perjurare est, sed quod ex animi tui sententia, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est.* Et dicitur ad discrimen ejus jusjurandi, quod sermoni subinde nostro inteximus: ut cùm, *Me hercule, Ita me Jup. amet, edepol*, dicimus; aut ultrò sponteque sacramentum fidei aut adseverationis religiosæ addimus. Hoc jusjurandum multò religiosius erat, quàm reliqua. Hujus generis erat

& *Præjuratio.* cùm quis ante conceptis verbis jurabat, post quem alter in eadem verba jurans, tantummodò dicebat, *Idem in me*. Huic igitur Præjurationi addebatur *Exsecratio*, &c. Vide Turnebum lib.3.cap.10. utitur Asin. Cistell. Bacch. Mercat. &c. Petronius: *Tetigit puer oculos suos, conceptissimisque verbis juravit.*

121. EGO SCELESTUS &c.] Seneca Philosoph. Epist.115. è v. Poetis: *Sine me vocari pessimum; ut dives vocer. An dives, omnes quærimus: nemo, an bonus. Non, Quare & Unde: Quid habeas, tantùm rogant. Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit*, & quæ sequuntur.

123. ONERA HUNC MALEDICTIS] Ter. Andr.5.1.*onerare injuriis*.V.N.Mil.3.3.

124. AD PRÆTOREM &c.] V.N.Mil. 4.1.

125. TE DIFFERAM DICTIS MEIS] Palmer. *dicta*, pro conviciis, accusationibus, criminationibus, etiam Ciceroni usitata ait; & omnino, quod *maledicta*; idem ejus simplicia, *dicta*, & *mala*. Ter. Andr. act.4. sc.1. *Ingerem mala multa*. ita & Eugraphius ad illud Eun. Prolog. *Responsum, non Dictum esse*; notat; *Dictum* hîc esse *maledictum*, ut apud Cic. de Oratore. V. & N. Epid.1.2.

126. ITA EST] συγχώρησις Lenonia: qualis & Ter. Adel.2.1. Hosce improborum mores, quibus convicia, laudes sunt, lepidè etiam Aristoph. Nubibus expressit.

127. BUSTIRAPE] J. Gulielm. Verisl. lib.3. 21. *Silicernium*, convivium funebre erat manibus defuncti ab exsequiis oblatum; neque fas fuit degustare ex eo quicquam qui intulissent; sed tantum *cernere silentio*: unde veriloquium ejus nonnulli deducunt. Auctor in Adelphos (act.4.2.) Donatus & Glossar. vetus: *Silicernium*, περίδειπνον. λίχνος τῶν ἀπτεῶν [?] ... Hesychio ὀψοφάγοι sunt: ij aderant quidem, sed nihil gustabant. ne scilicet funestarentur. Inde in exsecrationibus, *cœnam è rogo rapere*: apud Catull. & Tibull. & alios. Et qui lucri caussâ nefanda omnia subire non verebantur, *bustirapi* audiebant. Vide J. Kirchman. de Funeribus Ro. lib. 4. Not. Aul.2.4.

129. VETERA VATICINAMINI] Adagio: ἀρχαῖα λέγειν, *frivola loqui*.

130. LEGIRUPA] Rud. act.3.4. *leguripio* dicitur.

A 131. BABÆ] *Babæ*, ut & *Bombax*, hoc loco Interjectiones sunt hominis cum admiratione approbantis, vel negligentis; aut etiam lætè alterius dicta ferentis: L.

132. CÆNUM] Terentio Phor.3.2. *Sterquilinium* est: Græcis κόπριος ἀνήρ.

134. PRÆHIBEREM] i. præberem. ita MSS. sed vet. ed. *perbiberem*. Merc.3.1. *perhibere locum*.

135. IN PERTUSUM] Proverb. à fabulâ Danaidum. Ita Lucr. lib.3.

Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxêre, atque ingrata interiêre.

136. NUNQUID ALIUM] ita Schop. è MSS. *alium*. q.d. Num præter superiora illa cognomina, quæ mihi fecistis, insuper aliud mihi facere vultis? quod elegantius est. Gruterus suspicabatur excidisse *alium me etiam*, versus caussa. Vulgo, *aliud*. in iisd. MSS. postea est est, *ecqui*, non, *ecquid*.

137. QUASI CASSAM NUCEM] *Cassa nux*, Petronio *nux ventosa sine medulla*.

140. PRÆSTITUTA &c.] ita Lipsius, *præstituta summa argento dies*. *Summa*, i. suprema. Persâ: *Hæc dies summa hodie est, mea amica sitne libera.* Probum hoc & Acidalius censet: nisi quod versus labat, & proinde rectissimum ait: ——*præstituta summa argento ei dies*. Gruter. vero *summa et arg*. nam MS. pr. *summa*, &c. vett. ed. *summe*.

B

141. OFFIC. MEUM.] *Officium lenonis*, est perfidia. ut Capt. *Servile officium*, fuga.

142. CUM ILLO PERDIDERIM FIDEM] Mihi fidem fefellerim L.

143. OPERÆ SI SIT] si sit plus rei, quàm verborum scilicet: L. Sed vide mihi Indicem in, *si operæ est*.

144. FRUSTRA EST] Ita MSS. at Schop. l. *frustra es*, i. falleris, vel erras.

146. PAULLO POST MAGIS] plus negotii tibi facessam.

147. EXOSSABO &c.] *Exossare*, est ossa adimere. contrariâ tamen notione usurpat Persius Sat.6. versu 52; ut fere videtur Casaubono, sed non tamen necessario adeatur modo ibid. item N. Amph. act.1.1.v.161. *De muræna*, Pers. act.1 3.

148. SIMULTER] MSS. Cam. & vett. quæd. Editiones *similiter*. At Brix. & Paris. & qua-

quã usus est Nonius, leg. *simulter* & *simultè*: quod hic exponit, *similiter*, & locum hunc adducit testem. Probat hanc lect. & Meursius, sed *simulter* derivat à *simul*: ut *Facul*, *faculter*. Passeratius putat Nonii *simultè* mutandum in *simulter*.

149. ECQVID IMPERAS?] ita MS. sec. & vet. ed. at pr. *quid imperas*.

150. ADMOENIRE] fossa & vallo cingere. L.

154. SAT SIC LONGÆ F. FAB.] Palmer. Spic. fol. 212. Plautum hic in ordinem redigit, quem vide.

157. UTRINQ.] ita MSS. & vett. ed. omnes, *utrinque*. Rectissimè. Alii tamen leg. *utrumq.*, quod Acid. capit, quasi *utrorumque*: certorum scil. amicorum, & incertorum.

158. EXQVIRE ILLIS VNVM] Adjiciunt recentiores versui implendo *tibi*, sed sine libris. an potius iteranda vox? *unum unum qui &c.*

159. ABEAS? TIBI MOR.] ita MSS. & Vett. edit. distinguunt. *PS. potin ut abeas? tibi m.* MSS. etiam, *habeas*, ut & vett. edd. leg. pro *abeas*. longè melius. Quærit tamen Pareus, cur eam lectionem rejecerimus, cùm fateri non erubuerimus longè melius sic legi? vult nimirum recipiendam fuisse in contextum, ut ipse fecit. Verùm nos illá exoleta suspicimus: vulgoq; sua tamen relinquimus. Imò ex eo etiam quæramus licet, cur hac scena versu 90. non expresserit cum MS. pr. *habis* pro *abis*, cùm & ei scripturæ alluderet sec. in quo *habis*. quid absurdius est, quàm in uno libro, in una scena, duplicem usurpare orthographiam? id tamen facit qui omnes in ordinem redigere quærit, cùm tamen Dictaturam gerat sine cujusquam suffragio.

ACTUS I. SCENA IV.

PSEUDOLUS.

POSTQUAM illic hinc abiit, tu astas solus, Pseudole.
Quid nunc acturus, postquam herili filio
Largitus dictis dapsilis? ubi sunt ea?
Cui neque parata gutta certi consilii,
Neque adeò argenti: neque nunc quid faciam scio,
Neque exordiri primùm, unde occipias, habes,
Neque ad detexundam telam certos terminos.
Sed quasi Poëta tabulas cùm cepit sibi,
Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen,
Facit illud verisimile quod mendacium est.
Nunc ego Poëta fiam: viginti minæ
Quæ nusquam nunc sunt gentium, inveniam tamen.
Atque ego huic jampridem me daturum dixeram:
At volui injicere tragulam in nostrum senem:
Verùm is nescio quo pacto præsensit prius.
Sed comprimenda est mihi vox atque oratio.
Herum, eccum video huc unà Simonem simul
Cum suo vicino Calliphone incedere.
Ex hoc sepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.
Nunc huc concedam, ut horum sermonem legam.

POSTQVAM ILLIC] Dactylus est. Suntque v. hujus & seq. Scenæ senarii jambici.

3. LARGITVS DICTIS DAPSILIS?] Ita *largior* cum auferendi casu etiam in Sticho est: *Sed quid ego properās cōcesso pedib9, linguâ largior?* V.&N. Persa act.2.3. Porrò *dapsilus* priscis illis æquè ac *dapsilis*, in usu fuit. V. Centur. Douzæ, & N. Most.act.4.2. J. Guliel, Distinguo, inquit,

——postquam berili filio
Largitus, dictis dapsilus.

Dictis dapsilem dixit Epidico, oratione beneficum. aut certè bis sumendum, *dictis*: ut multa multis locis alia. At Lips. Antiq. lib.1. cap.17. leg. *Largitus dict' es dapsilia*, i. munifica & larga. Sed nos merito tenuimus quod MSS. & omnes ed.

4. GVTTA CERTI CONSILII] Vid. Adag. *Ne guttam quidem.*

6. EXORDIRI] *Ordiendi* verbum proprium artis Minervæ: Lipsius Epist. Q. lib. 2. cap.24.

7. DETEXVNDAM] *Detexere*, de perfecto panno aut telâ: quod Theocritus elegantissimè dixit, καταβαίνειν ἀφ᾽ ἱστῶ: alii καθαιρεῖν ἱστόν. Vetus Glossarium: *Detexo*, καθαιρῶ ἱστόν. Titinnius Fullonibus: *Quæ inter annos decem nequisti togam unam detexere.* Significantius tamen alii, *deponere*. P. Diaconus lib.2.cap.5. *talem se eidem telam ordituram, qualem ipsa dum viveret, deponere ac detexere non posset.* Dixi, significantius. nam

A propriè *detexere* non est aliud quàm τὸν ἱστὸν ὑφαγκῖναι: & ita sæpe apud Plaut. & Ciceronem. Quare non omnis *detexta tela*, utique & *deposita*. Casaub. ad Theocrit. cap.16. vide & Amph.1.1.

8. TABVLAS] ita MSS. intelligit illas ceratas, in quibus scribebant. In aliis est, *quasi Poeta fabulas cum cœpit, sibi Quærit* &c.

14. AT] Lamb.1. *Ac vol.* MSS. ambo & veterrimæ Edd. leg. *At volui incipere trag.* quod in contextum recepit Pareus, cum explicatione, *struere fallaciam*. debuisset potius locutionis hujus proferre exemplum. nempe error librariorum manavit à veteri scriptura *ineigere* pro *injicere*: quod quàm facilè degeneret in *incipere*, quilibet videt.

14. TRAGVLAM INIICERE] V. N. Epid.5.2.

B

19. EX HOC SEPVLCRO V. ERVAM] Freherus Parerg. lib.1. cap.4. putat respectum ad aperturam sepulcrorum, ad eruendos thesauros. Veteres enim partim luxûs, partim securitatis caussa, pecuniam ibi condebant. De quo Kirchmanus in De funeribus Rom. lib.3. c.24.

19. SEPVLCRO] facetè senem Acheronticū & capularem, *sepulcrum* vocat. haud longè secus apud Macrobium lib. 2. Saturn. cap. 7. Laberius de se: *Sepulcri similis nihil nisi nomen retineo.* & diserte Eurip. in Heraclia. v.168. ὦ γέροντος οὕνεκα τύμβον τὸ μηδὲν ὄντος &c. *si propter senem, qui est sepulcrum nihil existens.*

ACTUS I. SCENA V.

SIMO, CALLIPHO senes duo. PSEUDOLUS servus.

Si de damnosis, aut de amatoribus,
Dictator fiat nunc Athenis Atticis,
Nemo antecedat filio, credo, meo:
Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus,
Eum velle amicam liberare, & quærere
Argentum ad eam rem. hoc alij mihi renunciant,
Atque id jam pridem sensi, & subolet mihi.
PS. Occisa est hæc res, hæret hoc negotium.

Quò in commeatum volui argentarium
Proficisci, ibi nunc oppidò obsepta eſt via.
Præsensit: nihil eſt præda prædatoribus.
,, *CA. HOMINES QVI GESTANT, quique auſcultant crimina,*
,, *Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,*
,, *Geſtores linguis, auditores auribus.*
Nam iſtæc quæ tibi renunciantur, filium
Te velle amantem argento circumducere,
Forſitan ea tibi dicta ſunt mendacia.
Sed ſi vera ea ſunt, ut nunc mos eſt, maximè,
Quid mirum fecit? quid novum? adoleſcens homo
Si amat, ſi amicam liberat? PS. lepidum ſenem!
SI. Vetus nolo faciat. CA. at enim nequiquam nevis.
Vel tu ne faceres tale in adoleſcentiâ.
,, *PROBVM PATREM ESSE oportet, qui gnatum ſuum*
,, *Eſſe probiorem, quàm ipſus fuerit, poſtulet.*
Nam tu quod damni, & quod feciſti flagitij,
Populo viritim potuit diſpertirier.
Idné tu miraris, ſi patriſſat filius?
,, *PS. ὦ ζεῦ, QVAM PAVCI eſtis homines commodi!*
Ehem, illuc eſt patrem eſſe, ut æquum eſt, filio!
SI. Quis hìc loquitur? meus hic eſt quidem ſervos Pſeudolus.
Hic mihi corrumpit filium, ſcelerum caput,
Hic dux, hic ille eſt pædagogus: hunc ego
,, *Cupio excruciari. CA. jam iſtæc INSIPIENTIA EST,*
,, *Sic iram in promptu gerere. quanto ſatius eſt,*
Adire blandis verbis, atque exquirere,
Sint illa, nec ne ſint, quæ tibi renunciant?
,, *BONVS ANIMVS in malâ re dimidium eſt mali.*
SI. Tibi auſcultabo. PS. itur ad te, Pſeudole:
Orationem tibi para adverſum ſenem.
Herum ſaluto primùm, ut æquum eſt: poſtea
Si quid ſuperſit, vicinos impertio.
SI. Salve. quid agitur? PS. ſtatur hìc ad hunc modum.
SI. Statum vide hominis, Callipho, quaſi baſilicum.
CA. Bene confidentérque aſtitiſſe intellego.
,, *PS. DECET INNOCENTEM, qui ſit atque innoxius:*
,, *Servum ſuperbum eſſe, apud herum potiſſimùm.*
CA. Sunt quæ te volumus percontari, quæ quaſi
Per nebulam noſmet ſcimus atque audivimus.
SI. Conficiet jam te hic verbis: ut tu cenſeas
Non Pſeudolum, ſed Socratem tecum loqui.

PS. Ita est. jampridem tu me spernis, sentio,
Parvam esse apud te mihi fidem ipse intellego:
Cupis me esse nequam, tamen ero frugi bona.
SI. Fac sis vacivas, Pseudole, ædis aurium,
Mea ut migrare dicta possint quò volo.
PS. Age loquere quid vis, tametsi tibi succenseo.
SI. Mihin' domino servus tu succenses? PS. jam tibi
Mirum id videtur? SI. hercle qui, ut tu prædicas,
Cavendum est mihi abs te irato: atque alio tu modo
Me verberare, atque ego te solvo, cogitas.
CA. Quid censes? edepol meritò esse iratum arbitror,
Cùm apud te parum stet fides. SI. jam sic sino,
Iratus sit: ego ne quid noceat cavero.
Sed quid ais? quid hoc? quod te rogo? PS. si quid vis, roga
Quod scibo, Delphis tibi responsum dicito.
SI. Advorte ergo animum, & fac sis promissi memor.
Quid ais? ecquam scis filium tibicinam
Meum amare? PS. negare meum est. SI. liberare quam velit?
PS. Καὶ τοῦτο, καὶ τοῦτο nego. SI. ecquas viginti minas
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Paritas ut auferas à me? PS. abs te ego auferam?
SI. Ita: quas meo gnato des, qui amicam liberet.
PS. Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναί· καὶ τοῦτο ναί.
CA. Fatetur. SI. dixin', Callipho, dudum tibi?
CA. Memini. SI. cur hæc, ubi tu rescivisti illico,
Cælata me sunt? cur non rescivi? PS. eloquar.
Quia nolebam ex me morem prægigni malum,
Herum ut servus suum criminaret apud herum.
SI. Juberes hunc præcipitem in pistrinum trahi.
CA. Nunquid peccatum est Simo? SI. imò maximè.
PS. Desiste: rectè ego rem meam sapio, Callipho.
Peccata mea sunt. animum advorte nunc jam.
Quapropter te expertem amoris nati habuerim.
Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi.
SI. Non à me scibas pistrinum in mundo tibi?
Cum ea mussitabas. PS. scibam. SI. cur non dictum est mihi?
PS. Quia illud malum aderat; istuc aberat longiùs.
Illud erat præsens; huic erant dieculæ.
SI. Quid nunc agetis? nam hinc quidem à me non potest
Argentum auferri, qui præsertim senserim.
Ne quisquam credat nummum; jam edicam omnibus.
PS. Nunquam edepol cuiquam supplicabo, dum quidem

Tu

Tu vives: tu mihi hercle argentum dabis:
Abs te equidem sumam. SI. tu à me sumes? PS. strenuè.
SI. Excludito mihi hercle oculum, si dedero. PS. dabis.
Jam dico, ut à me caveas. CA. certè edepol scio,
Si abstuleris, mirum & magnum facinus feceris.
PS. Faciam. SI. si non abstuleris? PS. virgis cædito.
Sed quid, si abstulero? SI. do Jovem testem tibi,
Te ætatem impunè habiturum. PS. facito ut memineris.
SI. Egon' ut cavere nequeam cui prædicitur?
PS. Prædico, ut caveas: dico, inquam, ut caveas: cave.
Hem! istis mihi tu hodie manibus argentum dabis.
CA. Edepol mortalem graphicum, si servat fidem!
PS. Servitum tibi me abducito, ni fecero.
SI. Bene atque amicè dicis: nam nunc jam meus es.
PS. Vin etiam dicam, quod vos magis miremini?
CA. Studeo hercle audire, nam ted ausculto libens.
SI. Agedum! nam satis libenter te ausculto loqui.
PS. Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius
Dabo aliam pugnam claram & commemorabilem.
SI. Quam pugnam? PS. hem, ab hoc lenone vicino tuo
Per sycophantiam atque per doctos dolos
Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit,
Ea circumducam lepidè lenonem. SI. quid est?
PS. Effectum hoc hodie reddam utrumque ad vesperum.
SI. Siquidem istæc opera, ut prædicas, perfeceris,
Virtute regi Agathocli antecesseris.
Sed si non faxis, nunquid caussæ est, illicò
Quin te in pistrinum condam? PS. non unum quidem
Diem modò, verùm hercle in omnis, quantum est. sed si effecero,
Dabin' mihi argentum quod dem lenoni illicò.
Tuâ voluntate? CA. jus bonum orat Pseudolus:
Dabo, inque. SI. at enim scin' quid mihi in mentem venit?
Quid si hice inter se consenserunt, Callipho,
Aut de compacto faciunt consutis dolis,
Quî me argento circumvertant? PS. quis me audacior
Sit, si istuc facinus audeam facere? imò sic, Simo,
Si sumus compecti, sive consilium unquam inivimus
De istâc re, aut si de eâ re unquam inter nos convenimus;
Quasi in libro cùm scribuntur calamo literæ,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito.
SI. Indîce ludos nunc jam, quando lubet.
PS. Da in hunc diem operam, Callipho, quæso mihi,

non vult, ut vetus & antiquum illud filius faciat suus.

22. TALE] Passeratius arbitratur scriptum fuisse *tali*, detrita litera ut solet, scribendumq; *talia*.

26. POPVLO VIRITIM P. DISPERTIRIER] Ita vixisti, ut tuorum flagitiorum suam quisque è cuncto populo partem sumere potuerit. Ita Lamb. qui aliquid vidit, non omnia. Certum est alludi ad viscerationes, in quibus singulis, qui aderant, certa pars cibi dabatur. Et hoc vult: Tam magna sunt flagitia tua, ut cuilibet è populo, tanquam in publicâ visceratione, pars aliqua inde dari possit. Ad magnitudinem igitur pertinet. non, quód quilibet è populo suam partem ibi inventurus sit. *Pistpris.*

30. QVIS HIC LOQVITVR] MSS. & edd. antiquæ præmittunt, *si quis*. fuit fortè *st! quis heic*. nam centies MSS. illi *si* positum habent pro *st*.

31. HIC ILLE EST PÆDAGOGVS] Rectius J. Gulielmio videtur, *hic illi est Pædagogus*. Sed MSS. & vett. *ille*. Antiquo illo ævo *Pædagogi* distincti à *Præceptoribus*. Nam isti nihil nisi asseclæ erant, & ut puerorum progressus, actiones, mores observarent aut formarent. At *Præceptores* docebant, & artes scientiasq; infundebant. Seneca l. 2: 22. De Irâ: *Præceptores pædagogiq; pueris placidi dentur*. ubi Lipsius hoc docet: Passeratius amplius, vocem eam interdum convitii loco jactatam; ut Sueton. Galbæ cap. 14. & Senecæ Epist. 90.

34. IRAM IN PROMPTV GERERE] in vultu & fronte. ut quidem est in cordatâ illâ Enni sententiâ: *Amicitias atq; inimicitias in fronte promptas gero*. Sic Cic. pro Cn. Plancio: *Hic, quod cum cæteris animo sentiebat, id magis quàm cæteri, & vultu promptum habuit & linguâ*. Apul. *In primori fronte animum gestare*.

38. AVSCVLTABO. PS. ITVR] ita MSS. & vett. ed. nullus, *ego*.

38. ITVR AD ME.] pro *contra*. Ter. Heaut. 3. 2. *ad senem aliquam fabricam fingit*. Attius Tereo: *Ut vim contendas ad majestatem viri*. Gell. 18. *ad sophistas utebatur eo*. i. adversus. Proper. 2. el. 24. *Lernæas pugnet ad hydras*. Passerat.

41. SVPERSIT] ita vett. omnes. In MSS. ambiguum, utrum *superfit* an *supersit* scriptum.

41. VIGINOS IMP.] ita MSS. & omnes edd. ut planè frustra fuerit J. Kotteritius, qui interpolavit. Quid usitatius nostro, quàm ejusmodi mutatio numeri?

43. STATVM H.] *Status*, est habitus & facies standi. V. N. Amph. 1. 1. Rittershus. legendum è MSS. Cam. conjicit, ——*h. quàm basilicum*. quia ibi scriptum, *quiam*. quomodo edidit utraque impressione Pareus. at quid tunc fit versui? alterum sanè omnes occupat Europæ ed.

45. DECET INNOCENTEM, QVI SIT, ATQ INNOXIVS] Similis locus Amph. 2: 2. ubi Not. vide: & Capt. 2: 5. Ita autem expressè MSS. Tamen Edd. leg. *innocens &c.*

48. QVASI PER NEBVLAM N. SCIMVS] Sic Cic. 5. de Finib. *In infirmâ ætate, imbecillâque mente, vis naturæ per caliginem cernitur*. V. N. Capt. 5: 3. Plato 7. Legum, καθ' ὄναρ ... τ...

49. CONFICIET IAM TE H. VERBIS S.] Non abit illud, *Oratione aliquem conterere*: item Cicer. *in caussis conteri*. Quæ notat G. Erhardi.

54. FAC SIS VACIVAS] V. N. Cas. Prologo.

58. HERCLE QVI, VT TV PRÆD.] ita MSS. & Edd. tres opt. & Palm. leg. & τὸ *qui* extra sententiam, ad ornatum quæsitum, ait: probatque exemplis è Plauto & Ter. Sed Pistoris probat, quod est in Venetâ, & Colon. *hercle quin, ut tu pr.* Forma Plauto etiam familiaris: ut illa, *Hercle quin tu rectè dicis*. Sic & Acidal.

59. ALIO TV MODO] Tu me dolis; ego te flagris.

62. CVM APVD TE PARVM STET FIDES] i. Vacillet, infirma sit. Sic Tullius pro lege Manilia dixit, *fidem concidisse*. Passerat. ita Paris. & Brix. & Ven. & MSS. nisi quód iis scriptum sit, *ste*, non *stet*. Lips. Antiq. Lection. l. 3: 4. l. *parum siet fides*, antiquè: aut certè, *fide*, pro *fides*. Sed *stet* stare potest. Et, *parum fides*, usitatum priscis. V. N. Men. Prol. Virgil. 4. Æn. *Et bene apud memores veteris stat gratia facti?* versus tamen melius curreret transposita vocula, *stet parum*, quomodo Aldina.

65. DELPHIS TIBI RESPONSVM DICITO] Ex oraculo Apollinis tibi responsum putato. Cic. ad Brut. *Hæc ex oraculo Apollinis Pythij edita tibi puta. nihil potest esse verius*. Idem

lib.1. de Divin. *Oraculi Delphici veritatem omnis ætas experta est : L.*

68. NEGARE MEVM EST] Hæc Pseud. ad spectatores. Hunc autem locum repræsentavimus, ut eum ex MSS. suis Plauti sospitator ille Camerarius collegit, fide haud dubiè verum proximâ, & qui conatûs aliorum facilè contuderit; nedum Parei: qui cùm priore editione expressisset: *Meum amare? PS.* ὑ δεῖ *negare. mea est. SI. liberare quam velit? PS.* Πρίατον καὶ τοῦτο *negari &c*; quibus miris miserisq; modis injuria fit versibus; scripsit in secunda cum interrogatione: καὶ τοῦτο; adeo omnia alia amat, quàm quæ placita senum doctissimo. *Conveniet nulli qui secum dissidet ipse.*

71. PARITAS] i. paras.

73. FATERI δεῖ καὶ τοῦτο] Alciatus ex vestigiis vet. scripturæ, *Fatere. PS.* δικείτω, ἵνα καὶ ἀυτ' ἐῤῥύσαι, i. *Judicetur, ut & idem absolvatur.* Parerg. lib.7: 12. Alii Curiones aliud; quos turpiter secutus in primâ suâ Pareus: qui tamen in secundâ, ita se gerit, tanquam nihil ei unquam cum tali lectione commune fuerit.

77. PRÆGIGNI] ita vett. edd. omnes & MS. pr. elegantissimè: non, *progigni.*

78. HERVM] herilem filium apud herum majorem, Patrem.

78. CRIMINARET] ita Grut. è vett. ed. & MSS. Cam. quanquam ambiguâ scripturâ.

79. IVBERES HVNC] An non potius? *Luberet,* sanè *luberes,* visitur in utroq; Pall.

80. PECCATVM EST SIMO] Sic collocant MSS. & edd. vett. requiritq; versus. recentiores *Simo est.* quod nec animadvertit Pareus.

84. IN MVNDO] i. certum & præsens. Charis. lib. 2. hunc locum laudans. V. N. Epid. 5: 1. MSS. tamen *in mundum:* unde edd. vett. *ineundum.*

84. FAXEM] fecissem. L.

88. HVIC ERANT DIECVLÆ] Ita Acidal. è vet. ed. & conjecturâ. Omnia sibi respondent: *Illud* à filio: *istuc* à te. *Illud* aderat *præsens,* hoc erat *in diem,* ut Ter. loquitur. Douza l. *hoc erat d.* scil. spacium. prius edebatur: *Quia aliud &c. erat diecula.*

100. ÆTATEM] V. N. Asin. act. 2: 2.

104. GRAPHICVM] V. N. Epid. 3: 3.

106. NAM NVNC I.] Grut. legendum suspicatur. *nam nunc haud meus est.* argutâ sententiâ. quod in utramq; editionem suam A admisit Pareus. In MSS. tamen est: *nam nunc nam meust.*

110. PRIVSQ. I. PVG. PVGNABO] priusquam abs te argentum auferam. Lucillius: *Vicimus, ô socii, & magnam pugnavimu' pugnam.*

115. EA CIRCVMDVCAM] ita D. F. legebat, nec aliter MSS. editi olim *Eam circ.* nihilo Pejus. sic Cic. ad Sulpic. *Illud quod supra scripsi, id tibi confirmo.* Frequenter enim Pronomina sic abundant, aut potius magis confirmant. Vide Aus. Popmam *De usu ant. locut. lib. 2. cap. 10.*

115. SI. QVID EST?] Acidal. legit; *lenonem: & quidem Effect.* at Parei prima; *lepidè & quidem;* sine *lenonem;* non absque ruina versus.

120. IN DISTR. CONDAM?] Acidal. *condam.* glossema censet, & versum turbare. qui tamen ne sic quidem satis sibi constat.

126. CONSVTIS DOLIS] Sic Gr. dicunt. συῤῥάπτειν δόλους. V. N. Amph. 1: 1. inde *sutelas,* pro fraudibus.

128. AVDEAM FACERE?] ita quidem MS. pr. sed sec. & omnes Edit. *dicere?* & vero vox ea salvo versu salvaq; sententia abesse poterat.

B 129. SI SVMVS COMPECTI] ita Pistoris, Acidal. & Meursius conjecerant, ἀρχαϊσμῷ, *Si sumus compecti,* pro, *compacti:* & ecce ita supra legi in MS. pr. *de compecto,* notat Gruterus. ut scilicet sequentia magis interpretentur priora, & avertat suspicionem Senis, qui prius dixerat, *Quid si hice inter &c.* Vulg. *conspecti.* sed quid referat, conspectos? aut conspici qui potuerant, si clam convenissent? Ad quod respondet Passeratius; negans derivari à *conspicior,* sed à *conspecißcor,* quod idem cum *compecißcor.* sic & MSS. Suetonii cap. 15. Aug. *conspecti.* ita pictum *cosmittere* pro *committere. pesna, cesna, &c.*

132. STILIS VLMEIS] Rectè, *stilis,* pro virgis dicit: ut perpetuetur metaphora.

132. CONSCRIBITO] simile Virg. 1. Æn.
——*versâ pulvis inscribitur hastâ.*
Sidonius lib. 2. *mundus incanduit, glacies Alpina deletur, & hiulcis arentium rimarum flexibus terra perscribitur.* Meurs. in Cassandr.

142. NON DEMVTABO] Omnes MSS. editionesq; has voces seni tribuunt, præter Pareanam, ea Pseudolo accommodavit. neque tamen hujus mutationis meminit in notis. A consi-

confidentiam effrontem! Eadem mox, versu 148. publicavit: *At ego forum ibo;* cùm tamen omnes hactenus cusi scripti, *At ego ad forum ibo.* ô licentiam immanem! tanto quidem magis quia & Notæ ejus hîc silent: an non hoc est hominibus imponere?

144. AMOVEMINI] ita MS. fec. & vet. edd. at pr. *amolimini.*

A 156. INVENTUM] ita MSS. sed D.F. & Passerat. inducit hoc, versus potissimùm caussa, ut censet Acidalius. quod tamen non necessarium ait; si illa, *Novo modo*, unum pedem constituant, &c.

159. CONCENTURIO] i. in album refero. Cic. ad Att. *Brutus centuriat Capua.* V. N. Triu. 4: 2.

ACTUS II. SCENA I.

PSEUDOLUS servus.

Pro Iuppiter, ut mihi, quicquid ago, lepidè omnia prosperéque eveniunt!
Neq; quod dubitem, neq; quod timeã, meo in pectore conditum est consilium.
„ Nam ea STULTITIA EST, FACINUS magnũ timido cordi credere. nam
„ RES PERINDE sunt, ut agas, ut eas magnifacias, nã ego in meo (OMNES
Pectore prius ita paravi copias duplicis, triplicis, dolos,
Perfidias; ut ubicunque cum hostibus congrediar, malorum meorum
Fretus virtute dicam, meâ industriâ & malitiâ, fraudulentiâ,
Facilè ut vincam, facilè ut spoliem meos perduellis meis perfidijs.
Nunc inimicum ego hunc communem meum, atque vostrûm omnium
Ballionem exballistabo lepidè. date operam modò. hoc ego oppidum
Admœnire, ut hoc die capiatur, volo: atque ad hoc meas legiones
Adducam. si hoc expugno, facilem ego hanc rem meis civibus faciam.
Pòst ad oppidum hoc vetus continuò mecum exercitum protinus obducam:
Inde me & simul participes omnes meos prædâ onerabo, atque opplebo:
Metum & fugam perduellibus meis injiciam, *me esse ut sciant natum.*
Ego sum genere gnatus, magna me facinora decet efficere,
Quæ pòst mihi clara, & diu clueant. sed hunc quem video, quis hic est,
Qui oculis meis obviam ignobilis objicitur? libet scire
Quid hîc velit cum machæra; & huic, quam rem agat, hinc dabo insidias.

NAM EGO &c.] τὸ *Nam*, datâ operâ toties iterat, ad exprimendam Servi nòn nimis accuratè loquentis negligentiam. L.

V.6. MALORUM MEORUM] ita MSS. & omnes editi, constanter. J. Douza, Ridiculè, inquit, imò præter auditorum exspectationem: quum in eo potiùs esse videretur, ut diceret: *majorum meorum.* Nec minor in illius dicti insolentiâ festivitas,

Ego sum genere gnatus, magna me facinora decet efficere,

non sine amphiboliæ gratiâ, quæ ambiguo illo τῷ *facinora* vocabulo occultatur. Q. Curtius lib. 9. ex persona Alexandri: *Eâ stirpe sum genitus, ut multam prius, quàm longam vitam debeam optare.* Gruterus, etsi adolescens, maluit: *majorum meûm Fretus virtute dicam, an meâ ind.* cùm posteà dicat: *Eo sum genere natus &c.* scio tamen MSS. nunc non abire. at Pareus *majorum* illud, utraq; ostentat editione: neq; eo contentus, asserit ita profectò legendum ex MSS. Pall. ubi *malorum* quidem perscriptum, sed manifestè τὸ *l* pro τῷ *i* positum, ex ratione & consuetudine istorũ codd. Bona profectò verba! sed quomodo id probat? in eo vertitur caussæ controversia, quod ipse pro confesso sumit! quæ puerilitas!

B

10. BALLIONEM EXBALLISTABO] Similis huic planè metaphora est Bacch. 4:4.

11. ADMOENIRE] i. obsidere. V. N. Cist. 2: 2.

11. ATQ. AD HOC M.] ita in Brix. & Ven. *ad hoc.* quod miratur *Pistorus* à Cam. & Lam. mutatum esse in *ut*. Tamen τὸ *ut* MSS. & Parif. & Arg. & alii pertinaciter tenent. Pareus ejecto *atq.*, quod est in Pall. & edd. omnibus edidit, *Volo, ut hoc meas.* annotatq; : Sic retinui lectionem MSS. Pall. itáne? cùm tamen integram dictionem subdolè subduxeris.

12. FACILEM EGO H. R.] ita MSS. Cam. at D.F. legit, *facilè.* Pareus heic typothetæ errorem aliis impingit, contra conscientiam. nam editio Dousæ *facilè.* Passeratius legit, *facilè ego hinc &c.* i. ex hoc oppido expugnato opes civibus comparabo. id enim valet, *rem facere.*

13. OBDVCAM] adducam, vel circumducam: ut cum dicimus, *Urbem obsidere*, pro,

A circumsedere: *obvallare*, pro circumvallare. Vide Fest. in *Ob. L.*

14. PARTICIPES] συμμάχους κοινωνούς.

15. PERD. MEIS INIICIAM] τὸ *injiciam* neq; in MSS. neq; in ullis vetustè editis apparet: nisi in Brix. & qui fortè ejusdem traduces sunt.

15. ME ESSE VT SCIANT NATVM.] λιτότης: ut sciant, qui vir sim: L.

B

16. EO SVM GENERE] ita ex MSS. binis Camerarius. at Pareus utraque editione, *Quo sum gen.* quod quidem in olim cusis, sed ita ut annecterent præcedentibus, non sequentibus, ut ineptè fecit noster Podalirius.

18. IGNORABIL.] Contrà Petronius: *Rusticus quidam familiaris oculis meis.* i. quem vidisse aliàs mihi videbar. Ibid. *Vox penè auribus meis familiaris.*

ACTUS II. SCENA II.

HARPAX Cacula, PSEVDOLVS servus.

HI loci sunt, atque hæ regiones, quæ mihi ab hero sunt demonstratæ:
Vt ego oculis rationem capio, quam mihi ita dixit herus meus Miles,
Septimas esse ædis à portâ, ubi ille habitat leno, cui jussit
Symbolum me ferre, & hoc argentum. nimis velim, certum qui
Mihi faciat, Ballio leno ubi hîc habitat. PS. st. tace tace,
Meus hic est homo, ni omnes di atque homines deserunt. novo consilio
Nunc mihi opus est: nova res subitò mihi hæc objecta est:
Hoc prævortar principio: illa omnia missa habeo, quæ antè agere occœpi.
Iam pol ego hunc stratioticum nuncium advenientem probè percutiam.
HA. Ostium pultabo, atque intus evocabo aliquem foras.
PS. Quisquis es, compendium ego te facere pultandi volo,
Nam ego precator & patronus foribus processi foras.
HA. Túne es Ballio? PS. imò verò ego ejus sum Subballio.
HA. Quid istuc verbi est? PS. condus-promus sum, procurator peni.
HA. Quasi te dicas atriensem. PS. imò atriensi ego impero.
HA. Quid tu! servus ne es, an liber? PS. nunc quidem etiam servio,
HA. Ita vidêre; & non vidêre dignus qui liber fies.
„ *PS. NON SOLES RESPICERE TE, cùm dicas injustè alteri?*
HA. Hunc hominem malum esse oportet. PS. di me servant atque amant.

Nam

Nam hic mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos.
HA. Quid illic secum solus loquitur? PS. quid ais tu adolescens? HA. quid est?
PS. Es né tu, an non es, ab illo milite Macedonio,
Servus ejus qui hinc à nobis est mercatus mulierem?
Qui argenti hero meo Lenoni quindecim dederat minas,
Quinque debet? HA. sum. sed ubi tu me novisti gentium,
Aut vidisti, aut collocutus? nam equidem Athenas antidhac
Nunquam adveni, neque te vidi ante hunc diem unquam oculis meis.
PS. Quia videre inde esse. nam olim cùm abiit, argento hic dies
Præstituta est, quoad referret nobis: neque dum rettulit.
HA. Imò adest. PS. tun' attulisti? HA. egomet. PS. quid dubitas dare?
HA. Tibi ego dem? PS. mihi hercle verò, qui res rationesque heri
Ballionis curo, argentum accepto, expenso, & cui debet dato.
HA. Siquidem hercle etiam supremi promptas thesauros Jovis,
Tibi libellam argenti nunquam credam. PS. dum tu strenuas,
Res erit soluta. HA. vinctam potiùs sic servavero.
PS. Væ tibi! tu inventus verò, meam qui forcilles fidem!
Quasi mihi non sexcenta tanta soli soleant credier!
HA. Potest ut alij ita arbitrentur; & ego ut ne credam tibi.
PS. Quasi tu dicas, me te velle argento circumducere.
HA. Imò verò quasi tu dicas, quasique ego autem id suspicer.
Sed quid est tibi nomen? PS. servus est huic lenoni Syrus,
Eum esse me dicam. Syrus sum. HA. Syrus? PS. id est nomen mihi.
HA. Verba multa facimus! herus si tuus domi est, quin provocas:
Vt id agam quod missus huc sum; quicquid est nomen tibi.
PS. Si intus esset, evocarem. verùm si dare vis mihi,
Magis erit solutum, quàm ipsi dederis. HA. at enim scin' quid est?
Reddere hoc, non perdere, herus me misit. nunc certò scio
Hoc febrim tibi esse, quia non licet hoc injicere ungulas.
Ego, nisi ipsi Ballioni, nummum credam nemini.
PS. At illic nunc negotiosus est: res agitur apud judicem.
HA. Dî bene vortant! at ego quando eum esse censebo domi,
Rediero. tu epistolam hanc à me accipe, atque illi dato.
Nam istic symbolum est inter herum meum & tuum de muliere.
PS. Scio equidem, ut qui argentum afferret, atque expressam imaginem
Suam huc ad nos, cum eo ajebat velle mitti mulierem.
Nam hic quoque exemplum reliquit ejus. HA. omnem rem tenes.
PS. Quid ego ni teneam? HA. dato ergo istum symbolum illi. PS. licet.
Sed quid est tibi nomen? HA. Harpax. PS. apage te! Harpax, haud places.
Huc quidem hercle haud ibis intrò; ne quid harpax feceris.
HA. Hostis vivos rapere soleo ex acie: ex hoc nomen mihi est.

PS. Pol te multo magis, opinor, vasa abenea ex ædibus.
HA. Non ita est. sed scin' quid te orem, Syre? PS. sciam si dixeris.
HA. Ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam,
Apud anum illam diobolarem, cludam, crassam, Chrysidem.
PS Quid nunc vis? HA. inde ut me arcessas, herus tuus ubi venerit.
PS. Tuo arbitratu, maximè. HA. nam ut lassus veni de viâ,
Me volo curare. PS. sanè sapis, & consilium placet:
Sed videsis ne in quæstione sis, quando arcessam, mihi.
HA. Quin ubi prandero, dabo operam somno. PS. sanè censeo.
HA. Nunc quid vis? PS. dormitũ ut abeas. HA. abeo. PS. atq; audin Harpage:
Iube sis te operiri: beatus eris, si consudaveris.

SIMILES versus prox. superiorum, nimirum tetram. catal. & ἀσυνάρτητοι, usque ad hunc, *Ostium pultabo.* unde deinceps sunt trochaici tetr. catalectici. A

V. 2. QVAM MIHI] Lips. l. *nam.* sed MSS. & omn. editi, *quam*, vel *quas.* Pareus tamen Lipsianum illico rapuit in prioris ed. suæ sentinam.

3. HABITAT LENO] Parei editio prior *habuit*, & sic laudat in Lexico, tanquam auctoris geminum germanum; cùm tamen in nulla deprehenderim editione aut MS.

4. CERTVM QVI M. FACIAT] V. N. Menæch. act. 2: 1.

9. PROBE PERCVTIAM.] ita MSS. & vett. edd. Pareus ordine mutato maluit utraq; editione sua, *percutiam probè*, contra metrum.

13. TVNE ES BALLIO] Illepidè Pareana, *ô Ballio!* neque est ita in MS. quamvis affirmet. primus enim clare habet. *Tune ca ballio.* ut appareat *s* degenerasse in *o*. B

13. SVBBALLIO] Sic Cic. ad Att. 10. Epist. 1. *Summarium* dixit, quasi parvum quendam & secundarium Marium. Quanquam Bosius ibi *Summœrium* legit: (i. publicum prostibulum, sub murorum fornicibus prostans: quas meretrices Mart. lib. 3. *submœnianas* etiam vocat) aliique aliud dicunt. ita Mil. act. 3: 2. *Supprenius est.*

14. PROCVRATOR PENI] Glossæ: *Atriensis*, ἐπιμελητὴς, διαιτάρχης. *Diæta* aliis est *cœnatio*: aliis *habitatio in hortis.* Sidonius: *Ex triclinio in diætam sive cœnatiunculam fit transitus.* Glossar. δίαιτα, τὸ ὑπερῷον, *Cœnaculum.* Servius 1. Æn. asserit, veteres in atrio solitos epulari. At *atrienses*, principes servi tricliniares. Vide N. Asin. act. 2: 1.

18. NON SOLES RESPICERE TE] Sic Truc. 1: 2. *Qui alterum incusat probri, eum se intueri oportet.*

20. HIC MIHI INCVS EST: PROCVDAM] Admodum honestè *incudem* appellat, in quo dolos procudat. Sic Tacitus videtur *incudem operis & laboris* nominasse durissimum & exercitatissimum hominem, qui militarium operum gymnasium esset, ut incus malleorum: J. Gul. MSS. *hæc mihi incus.*

29. QVOAD REFERRET] Passeratius malebat *quam ad.* & id tantum non melius Pareo in Lexico, ad *Quoad.*

32. ARGENTVM ACCEPTO] vox *argentum* si deleatur, pedum satis habeat versus.

33. PROMPTAS] Bonus cod. non malè, *promptes.* Cæteri *promptas*, vel *promittas.*

34. DVM TV STRENVAS,] Quid sit illud *strenuas*, inquit J. Gul. arbitror scire neminem. Ego inclinabam scribere: *PS. Dane tu strenuus. Res erit s.* commodè quidem, & ex Plauti sententiâ. *Dane*, i. da. Acidalius, Si, inquit, *strenuas* retinendum, danda omnia Pseudolo ita: *PS. dum tu strenuas, Res erit* (vel erat) *soluta.* Dum negando ita strenuum hominem te ostentas, interim res solvi poterat. Joh. C. Rhumelius Med. leg.

——credam. PS. dum tu sic renuas,
Res erit soluta. HA, non faciam: potius sic servavero. illud sic *renuas* statim editionis suæ primæ stabulo intulit Pareus. Quicquid sit verbi tamen *strenuas*: miror unde ille tantus consensus omnium MSS. & Edd. Exponunt quidem: *dum tu strenuum facis.* sed ego trepido.

35. VINCTAM POT.] ita Plautinum hunc jocum odoratus è MSS. Cam. Gruterus: *similem potius sic servavero*: ut respexerit ad illud

ftud: *Res erit soluta*. Schop. *vinciam potius: sic* f. quod in secunda Pareus.

36. MEAM QVI FORCILLES FIDEM] ita MSS. & Editi. At J. Palmer. Nescio quid illud verbi sit, *forcilles*. nam Lambini quidem interpretatio hujusmodi est, ut absurdiorem aliam reperire, præter eum, possit nemo. *Floccilles*, commentitium est, quod affert: neque tamen sententiam assequitur. Si credere velles, poterat videri rectum verbum, *sucilles*, pro, *sugilles*: & *sugillare fidem*, aperta oratio, &c. Sed longiusculè abest. Conjiciebam ergo ex *forcilles*, *forilles*, à *foriis*: unde item ductum verbum *conforiare*, id est, concacare. ita ergo *foriare* & *forillare*, ut Trinummo, *lutulare*. Nisi tamen propiùs vero abest, *furcilare*, à *fure*, & *incilando* compositum. *Furcilare*, ut furem incessere dictis. Atq; etiam alia verba componere hic ii possunt, quibus licet esse tam disertis: mihi nullum horum valde placet. Totam ergò hanc partem ne legito: aut si legeris, oblivisscitor; at si non oblivisceris, ne nihil agas, emendato: hoc quidem esset nihil agere. *Hæc ille*. Passeratius nihil putat mutandum. nam *forcillare* seu *Furcillare fidem*, est infirmam judicare; ideoq; quasi admota furcilla stabilire. Sic supra, *parum stet fides*. & Persa, *fides sublestior*. i. infirmior, ut exponit Festus. Et sic Cic. *fidem concidisse* dixit in Lege Manilia.

41. QVID EST TIBI NOMEN] Ita etiam locutus Mostell.3.1. v.127. Menæch.5.6. v.60. & 5.9. v.71. & infra sæpius. V. N. Amph.1.1. v.240.

A

42. ID EST NOMEN MIHI] sic Men. *Quid ei nomen siet*.

44. QVOD HVC M.] i. propter quod. Ita autem restituit Acid. hunc locum. Vulgatum sibi non convenit.

48. HOC FEBRIM TIBI ESSE] hoc tibi febris instar esse.

55. CVM EO AIEBAT] ἀνακόλουθον. nam particula, *ut*, quæ suprà posita est, non habet, cum quo cohæreat. L.

58. NE Q. HARPAX FEC.] V.N. Trin. act.4:2.

61. POL TE MVLTO M.] ita MSS. & edd. at Lips. Antiq. Lect. lib.3: 4. è Vatic. l. *Pol tu vivos? magis op.*

63. EXTRA PORTAM.] Electa Parei affirmant: Extra portam erant tabernæ, in quas fæx populi deverti solebat. id quomodo hoc ex versu eliciat, non video. imo elici nullo modo potest, sed neq; aliàs verum est.

B

64. AVM ILLAM DIOBOLAREM] ita MSS. Cam. quæ duobus obolis copiam sui facit. Vide N. Pœn.1: 2. Turneb. l.3: 12. leg. *doliarem*, ex Donato, qui exponit in Andr.4: 4. suffarcinatam & præpinguem tumidamq; & obesam, & tanquam suffartam: de ventre doliorum tumidiore. Probat & Passerat. & Frut. Conjectan. l. 3. neque aliter editi omnes. Et verò auctoritas Grammatici plurimum posset, nisi ratio obstaret. quid enim ineptius quàm post *doliarem* appellare *crassam*.

68. NE IN QVÆSTIONE SIS] Sic Cas.3: 1. *Cave inquisitioni mihi sis*. i. quærendus sis. V.N. Cistell.2:3.

ACTUS II. SCENA III.

PSEVDOLVS servus.

DI immortales! conservavit me illic homo adventu suo,
Suo viatico reduxit me usque ex errore in viam.
Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportuniùs
Advenire, quàm hæcce allata est mihi opportunè epistola.
Nam hæcce allata cornucopia est, ubi inest quicquid volo.
Hic doli, hic fallaciæ omnes sunt: hic sunt sycophantiæ,
Hic argentum hic amica amanti herili filio.
Atque ego nunc me gloriosum faciam ut copi pectore;

Quo modo quicque agerem, ut Lenoni surriperem mulierculam;
Jam instituta, ornata, cuncta in ordine animo ut volueram,
Certa, deformata habebam. sed profectò hoc sic erit:
,, *CENTVM DOCTVM hominum consilia sola hæc devincit DEA*
,, *FORTVNA. atque hoc verum est: proinde ut quisque fortunâ utitur,*
,, *Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.*
,, *Bene ubi quod consilium discimus accidisse; hominem catum*
,, *Eum esse declaramus: stultum autem illum, cui vertit malè.*
Stulti haud scimus, frustra ut simus, cùm quod cupienter dari
Petimus nobis, quasi quid in rem sit, possimus noscere.
,, *CERTA AMITTIMVS, dum incerta petimus. atque hoc evenit,*
,, *In labore atque in dolore ut mors obrepat interim.*
Sed jam satis est philosophatum. nimis diu & longum loquor.
Di immortales! aurichalco contrà non carum fuit
Meum mendacium, hîc modò quod subitò commentus fui,
Quia Lenonis me esse dixi. nunc ego hâc epistolâ
Tris deludam; herum, & Lenonem, & qui hanc mihi dedit epistolam.
Euge, par pari! aliud autem quod cupiebam contigit.
Venit, eccum, Calidorus, ducit nescio quem secum simul.

FORMA & hæc manifesta Archilochiorum τροχαϊκῶν: ut & seq. Scenæ.

V. 4. QVAM HÆCCE ALLATA EST] ita libuit rescribere ob lectionem MSS. versus sequentis. est quidem in eis, ut & edd. vett. hoc loco, *hac cavata*: sed ignoratione scripturæ, qua *u* nihil aut parum discrepat à geminato *ll*. præterea hoc dicendi genus sordes & rus merum olet Lipsio. itaque emendat, *Quam hac allata est.* Meursius, *hæcc' allata*: quod & Schopp. in arte Crit. probat. Douza l. *captata est, &c.* Festus: *Cavitionem dicebant, quam modò cautionem.* ubi Scalig. hinc B annotat: *Opportunè mihi cavita est hac epistola.* Laudat ita & Auson. Popma De usu Ant. L. lib. 1: 4. J.C. Rhumelius l. *quàm hæcce data est.* probari mox ait, v. 25. *qui hanc mihi dedit ep.* & sic priore editione, mobile illud signum, Pareus. nam secunda retinuit *cavata*; ideo quod sequatur versu seq. *ubi inest.* frivolè, & plus quàm pueriliter.

5. NAM HÆC ALLATA, CORNVCOPIA EST] Exhibui MSS. scripturam: quæ & in edd. vett. nisi quod ex *cornucopiæ*, falso enim Pareus in Notis, habere Palatinos *cornuco-* A *pia*, hæc, inquit, epistola allata, non jam mihi est Epistola, sed Cornucopia. Noster Scena seq. v. 46: *Dij immortales! non Charinus mihi hoc quidem est, sed copia.* Lambinus & seqq. aliquot *Nam hæc illud Cornucopiæ*, quod & in edd. Pareanis. an ex fide promissa membranis, ipse viderit. Passeratius acutè conjecerat; *Nam hæc illa ut cornucopia est.* sed adhuc deest pes metro.

8. ME GLORIOS. FACIAM &c.] Alibi, *facere se bardum, vilem*, Mil. 4: 6.) *facetum atque magnificum virum*. Interdum etiam omisso pronomine; quomodo, *ferocem facere*, in Most. V. N. Mil. 1: 1. Lambinus ediderat, *meat gloriosum faciebam, & copi pectore.* sed ita nulli libri, ne quidem Noniani, in quibus & *faciam*.

8. VT COPI PECTORE] tanquam copioso pectore hominem: L.

11. DEFORMATA] delineata. Muretus & Lipsius ad illud Senecæ lib. 7. cap. 2. De Benef. *virum, quem deformamus*, notant: *deformare* est ὑποτυπῶσαι, *describere.* quo verbo & Cicero eodem sensu utitur. vide & H. Steph. 2. Proodop. c. 10.

12. CEN-

12. CENTUM DOCTUM H.] Pleniſſima hujus ſententiæ explicatio à Plinio petenda lib. 5. Epiſt. 21. *Eſt omninò iniquum*, inquit; *ſed uſu receptum, quòd honeſta conſilia vel turpia, prout malè aut proſperè cedunt; ita vel probantur, vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modò diligentiæ, modò vanitatis, modò furoris nomen accipiunt.* Utriusque rei documentum.

Hinc Catti fuerint nobis, atq; inde Cheruſci. de quorum diſpari ſucceſſu vide Tacit. in lib. De morib. Germ. &c. *Douſa.*

13. PROINDE UT QUISQ. FORT.] ut quisq; fortunatus aut infortunatus eſt.

14. PRÆCELLET] ſic MSS. pro, *præcellit*, nam veteres *excelleo* & *præcelleo* dixerunt.

15. BENE UBI Q.] Cic. pro Rab. *Hoc plerũq; facimus, ut conſilia eventis ponderemus: & cui bene quid proceſſerit, multum illum providiſſe; cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus.* Idem ad Attic. l. 9. 10. *Etiam ampliſſimorum virorum conſilia ex eventu, non ex voluntate à pleriſque probari ſolent.*

16. CONSIL. D. ACCIDISSE] uſitatius eſſet, *cecidiſſe*. tamen *accidere*, etiam in eventu: ut Ter. Andr. *Hoc incertum eſt quorſum accidat.* Acid.

17. STULTI H. SC. &c.] Νήπιοι, Homer. Neſcimus, quomodo fallamur, & quàm erremus, cùm quid ardenter concupiſcimus: L.

17. FRUSTRA UT SIMUS] MSS. & ed. *ut ſcimus.*

17. CUM QUOD] ita MSS. at Lipſ. leg. *quid*, i. quippiam.

18. QUASI QUID] Significat, homines ignorare quæ ſibi vel proſint vel obſint: & damnoſa ſibi plerunque exoptare. Sententia Theognidea:

Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν εἰδότες οὐδὲν,
θεοὶ δὲ κτ᾽ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.

19. CERTA AMITT.] Heſiodea ſententia: Νήπιος ὃς τὰ ἑτοιμαλιπὼν ἀνέτοιμα διώκει. quam ſententiam etiam Salluſtius in Catilina & Jugurta uſurpat. Senecæ Philoſophia ſimilis, in Fragmento, De otio ſapientis: *Fluctuamus aliudq; ex alio comprehendimus: petita relinquimus: relicta repetimus. alternæ inter cupiditatem noſtram, & pœnitentiam vices ſunt.*

22. AURICHALCO CONTRA] V. N. Epid. 3. 3. & Mil. 3. 1. Eorum vicem, qui ambitioſiſſimè de orichalco hîc diſputat Lambinus, Sententium vett. Poetæ *Trabea*, ex emendatione Scalig. in Conject. apponemus:

Here, ſi querelis, ejulatu, fletibus
Medicina fieret miſeriis mortalium,
Auro paranda lacrimæ contrà forent.
Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent,
Quàm nenia præficæ ad excitãdos mortuos.
Res turbidæ conſilium, non fletum expetunt.

De orichalco V. N. Curcul. act. 1. 3.

24. QUIA LENONIS] ita MSS. ſed J. Kotteritius l. *Qui è lenonis me eſſe dixi*, ſcil. domo. D. F. *Qui à lenone m.* quod & arripuit Pareana prima.

26. EUGE PAR PARI] ita MSS. & editi. ſed Acidal. *Eugepæ! porrò aliud autem.* quod in primam ſuam incontinenti retulit Pareus.

27. SECUM SIMUL] *Secum* vitiat verſum, ſi tollatur, nihil defuerit.

ACTUS II. SCENA IV.

CALIDORUS, CHARINUS adoleſcens. PSEUDOLUS ſervus.

DULCIA atque amara apud te ſum elocutus omnia,
Scis amorem, ſcis laborem, ſcis egeſtatem meam.
CH. Commemini omnia: id tu modò quid me vis facere, fac ſciam.
CA. Cùm hæc tibi alia ſum elocutus, ut ſcires, ſi ſcis, de ſymbolo.
CH. Omnia, inquam. tu modò quid me facere vis, fac ut ſciam.
CA. Pſeudolus mihi ita imperavit, ut aliquem hominem ſtrenuum,
Benevolentem adducerem ad ſe. CH. ſervas imperium probè.

Nam & amicum & benevolentem ducis. sed istic Pseudolus
Novus mihi est. CA. nimium est mortalis graphicus: heuretes mihi est:
Is mihi hæc esse se effecturum dixit, quæ dixi tibi.
PS. Magnificè hominem compellabo. CA. cuja vox sonat? PS. jo! jo!
Te te te tyranne, te rogo: qui imperitas Pseudolo,
Quæro: quoi ter, trina triplicia, tribus modis, tria gaudia,
Artibus tribus, ter demeritas dem lætitias, de tribus
Fraude partas; per malitiam, & per dolum & fallaciam,
In libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo.
CA. Illic homo est. CH. ut paratragœdiat carnifex! CA. confer gradum
Contrà pariter. PS. porrige audaciter ad salutem brachium.
CH. Dic, utrum Spémne an Salutem te Salutem, Pseudole?
PS. Imò utrumque. CH. utrumque salve. sed quid actum est? PS. quid times?
CA. Attuli hunc. PS. quid? attulisti? CA. adduxi, volui dicere.
PS. Quis istic est? CA. Charinus. PS. euge! jam χαρῖεν οἰωνὸν ποιῶ.
CH. Quin tu quicquid opu'st, mihi audacter imperas. PS. jam gratiam.
Bene sit, Charine! nolo tibi molestos esse nos.
CH. Vos molestos mihi? molestum est id *quidem. PS. tum tu igitur mane.*
CH. Quid istuc est? PS. epistolam modò hanc intercepi, & symbolum.
CH. Symbolum? quem symbolum? PS. qui à milite allatu'st modò,
Ejus servo qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
Tuam qui amicam hinc arcessebat; ei os sublevi modò.
CA. Quomodo? PS. horum caussâ hæc agitur spectatorum Fabula.
Hi sciunt, qui hîc affuerunt, vobis posi narravero.
CA. Quid nunc agimus? PS. liberam hodie tuam amicam amplexabere.
CA. Egóne? PS. túte. CA. ego? PS. ipsus, inquam: siquidem hoc vivet caput.
Si modò mihi hominem invenietis properè. CH. quâ facie? PS. malum,
Callidum, doctum, qui quanto principium prehenderit,
Porrò suâ virtute teneat, quid se facere oporteat.
Atque eum qui non hîc usitatus sæpè sit. CH. si servos est,
Nunquid refert? PS. imò multò mavolo quàm liberum.
CH. Posse opinor me dare hominem tibi malum & doctum; modò
Qui à patre advenit Carysto: nec dum exiit ex ædibus
Quoquam, neque Athenas advenit, unquam ante hesternum diem.
PS. Bene juvas. sed quinque inventis opus est argenti minis
Mutuis, quas hodie reddam: nam unam hujus mihi debet pater.
CH. Ego dabo, ne quære aliunde. PS. ô hominem opportunum mihi!
Etiam opu'st chlamyde & macharâ, & petaso. CH. possum à me dare.
PS. Di immortales! non Charinus mihi hic quidem est, sed copia.
Sed istic servus, ex Carysto huc qui advenit, quid sapit?
CH. Usque à cunabulis. PS. manuleatam tunicam habere hominem decet.

Ecquid

Ecquid habet is homo aceti in pectore? CH. atque acidissimi.
Quid, si opus sit, ut dulce promat indidem, ecquid habet? CH. rogas?
Murrhinam, passum, défrutum, melinam, mel quojusmodi.
Quin in corde instruere quondam cœpit thermopolium.
PS. Eugepæ! lepidè, Charine, me meo ludo lamberas.
Sed quid nomen esse dicam ego isti servo? CH. Simiæ.
PS. Scitne in re advorsâ versari? CH. turbo non æquè citus est.
PS. Ecquid argutus est? CH. malorum facinorum sæpissimè.
PS. Quid, cùm manifestò tenetur? CH. anguilla'st, elabitur.
PS. Ecquid is homo scitus est? CH. plebiscitum non est scitius.
PS. Probus homo est, ut prædicare te audio. CH. imò si scias;
Ubi te aspexerit, narrabit ultrò, quid sese velis.
Sed quid es acturus? PS. dicam: ubi hominem exornavero,
Subditicium fieri ego illum militis servum volo:
Symbolum hunc ferat lenoni cum quinque argenti minis:
Mulierem ab lenone abducat. hem tibi omnem fabulam!
Cæterùm quo quicque pacto faciat, ipsi dixero.
CA. Quid nunc igitur stamus? PS. hominem cum ornamentis omnibus
Exornatum adducite ad me, jam ad trapezitam Æschinum.
Sed properate. CH. prius illic erimus, quàm tu. PS. abite ergo ocius.
Quicquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit,
Nunc liquet: nunc defæcatum est; cor mihi nunc pervium'st.
Omnes ordines sub signis ducam, legiones meas;
Avi sinistrâ, auspicio liquido, atque ex sententiâ:
Confidentia est inimicos meos me posse perdere.
Nunc ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam;
Quid agat, ne quid titubet, doctè ut hanc ferat fallaciam.
Jam ego hoc ipsum oppidum expugnatum faxo erit lenonium.

DULCIA ATQ. AMARA] Benè notat Passeratius ad Epithalam. Catulli, indicare amorem suum. sic Plutarch. eum *γλυκύπικρον* nominat. Musæus *γλυκύπικρον ἐρώτων κέντρον*. Catul. *Curis hominum qui gaudia miscet.* idem ad Mallium, *Dea quæ dulcem curis miscet amaritiem.*

1. ID TU MODO] ita Grut. è MS. primo. nam MS. sec. & vet. ed. q. 6. *facere, faciam.*

4. UT SCIRES, SI SCIS DE SYMB.] Sic Camer. quippe vett. edd. *ut scirem si scis.* Pareana; *Sis scires (sed scis) de symb.* quid pote intricatius? quid putidius? At ita scriptum non sine ductu membranarum; in quibus scilicet, *Sis scires si scis de simb.* ó conjectorem de pago! quanto prudentius acquievisses receptæ scripturæ!

A

5. HEURETES] i. inventor.

12. TE TE RE TYR. TE ROG.] ita MSS. Non nescio, inquit J. Gul. formulam blande adeuntium esse, *Te rogo*, cùm quid exquisituri veniunt. P. Arbiter: *Te rogo, mater, ecquid scis, ubi ego habitem?* hâc Fabulâ: *Ecquid in angiporto hoc hominem tu novisti, te rogo.* Verùm hîc profectò locum non habet: & quorsum referatur illud quod sequitur, *Quæro?* lego: *Te te te tyranne ter ego, qui imp.* Quia iterârat ter pronomen *te*, idcircò Calidorum ter se ait quærere. Putat tamen Acidal. istam lectionem numeros ægrè admittere; Ego etiam Venerem. Passeratius conjiciebat, *tyranne, rex rogo.* ut Pœnulo: *Rex sum, si hominem ad me allexero.* & Capt. *Non parasitus sum, sed rex regum.*

17. VT

17. UT PARATRAGOEDIAT!]ut se magnificè gerit! ut grandia verba facit, & imitatur tragœdiam! *Alciatus.* In MSS. est, *paratragœdat.* Ita autem hæc Gruterus distinxit. De voce *paratragœdiare* vide J. Cas. Scalig. Poet. lib. I: 42.

19. SPEMNE AN SAL.] utrumné te debeam salutare *Spem* meam, an *Salutem*, utrum res tibi mandata confecta sit, an adhuc in spe: I. Lipsius Ant. l.4.8. notat libros vet. consensu legere, *Spemne an matrem te salutem*? nec aliter MSS. Cam.

22. EVGE, JAM] Hæc ita è vestigiis MSS. collegit Camerarius. Lamb. ita: *Euge, jam χαῖρε. δέχομαι probo.* i. Euge! jam salve: omen accipio. Meursius ita: *PS. Euge jam. Charinum volo.* Itaque respondet Charinus: *Quin tu, quicquid est, audacter imperas.* Acidal. ita: *euge! jam χαίρειν χάρινον volo.* Ludit enim, inquit, in Charini nomine, quem valere & missum fieri vult, non usui nunc illi, cui suprà jusserat ejusmodi hominem inveniri.

23. JAM GRATIAM] sc. habemus: *Cam.* sed D.I. *jam gratia est.* Sic & Men. *Bene vocas: jam gratia est.* Cæterùm, *Bene vocas, Benè sit*, idem notare putat Douza, quod alibi apud eundem, itemque apud Ter. & Hor. *Benignè.* V.N. 2.3. Menæch. In MS. pr. est, *tam gratiam*; quod Cam. suspicatur esse *tamen*.

24. BENE SIT, CH.] Palmer. l. *χάρις Charine: nolo t.* &c. Vide Spicil. fol. 141.

25. MOLESTVM EST ID Q.] Vosné, inquit Charinus, mihi oneri & molestiæ esse censeam? Certè id vos suspicari, mihi molestum, ita Pontanus, & Ed. Paris.

33. CH. EGONE? &c.] ita Lamb. Personas ordinat. Meursius è v c. ita: *CA. Egone? PS. tutè. CA. egóne ipsus? PS. inquam: si quid.* Acidal. ita: *CA. egóne? PS. tutè ergo ipsus inquam* probè, si libri juvarent.

33. H. VIVET CAP.] δεικτικῶς se innuit Pseudolus.

37. USITATVS] i. Eum, qui non sæpè in his locis versatus sit. ita MSS. & Ed. ut & Ven. & Arg. & Brix. Sola Paris. habet *visitatus*, i. sæpe conspectus. quod malit Douza & Passeratius: & noster usurpat non semel: ut Curc. *annuo visitasse*, i. frequẽter vidisse. Persa: *Mihi q. tu jam eras mortuus, quia te non visitavi.* Epid. *ubi te visitavi?* Vide N. Trin. 3.3.

37. CH. SI SERV.] ita omn. Edd. vett. rectissimè. at pessimè ultima Pareana, *si servo sit; Nunc quid refert.* elisione ea vitiatur notabiliter versus, & omnis editio militat pro altero: *Numquid*, etiam Pal. sec.

43. NAM VNAM H.] ita MSS. & omn. edd. Tamen Palmerius, Quorsum, inquit, illud? *Unam mihi hujus debet pater.* An, ut sex fierent? at quinque solis opus erat ad deruncinandum lenonem. an, quia mox reddendæ quinque? at quid ineptius, rogare mutuas quinque, quas quidem mox reddas, quòd una tibi debeatur? ne addam quod falsum erat. Viginti enim ex sponsione debebat Simo: quæ vox reponenda est: *Nam viginti m. h.* Natus error ex compendio scripturæ, &c. Etiam J. Gul. *τὸ unam*, ut spurium ejicit; suadente insuper, ut ait, versu. neque aliã fuisse in sententia Camerarium, notæ ejus postumæ fidem faciunt: in quibus; Puto inducendum *unam*; quæ dictio neque sententiæ congruit, & numeros conturbat. Pareana prima, Palmerianum sequitur.

45. OPVS EST CHLAM.] ornatus eorum, qui se ad iter longinquum accingerent, è pluribus locis Plauti eruitur à P. Victorio, lib. I: 24.

47. QVID SAPIT?] ita MSS. & vett. Ed. Sola Paris. *qui*: quod Douzæ placebat. Ac *sapit*, ambiguum est, pro sapiens est, & olet. quomodo & Plinius *sapere* pro *olere* usurpavit: & Cic. 3. de Orat. *Meliora unguenta sunt, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt, &c.* vide Turn. Orat. 2. in Rull. Cic.

48. CH. VSQ. A CVNABVLIS.] ita omn. Ed. veteres. At verò Turneb. l. 20. c. 10. vehementer probat, quod reperit in schedis vetustiss. *Hircum ab alis.* &, Facetissimè, inquit, respondet ex ambiguo, in verbo *sapit*: ac si quæsierit Pseud. quid oleret; non, quàm sapiens esset. ut pluribus etiam explicat Lambinus. *Hircum* autem notare tætrum illum odorem subalarem, vel Catullus docet: & Hor. *-gravis hirsutis cubat hircus in alis*: Epod. 12. At I. Lipsius, Antiq. Lect. lib. 4. cap. 8. Turnebus, inquit, magno consensu totius caveæ, ut ait, emendat, *Hircum ab alis.* A quo tamen unus spectator dissentio. Nam ad eam sententiam, quam effici homo doctissimus vult, sequens responsio Pseudoli hilum non facit. Veteres *cunas* & *cunabula* inter obscenos intellectus habuisse videntur; fortasse, quia alludi-

alluditur ad *cunnum*. infrà act. 4. 7. de cinædo: *Quid ais? tune etiam cubitare solitus es in cunis puer?* Puto igitur, istûc Charinum alludere, nec aliud dicere, quàm servum illum sapere illis partibus, quibus peculium solet facere. docere id liquidò sequens responsum Pseudoli de *manuleata, à tunicâ* videtur. nam pueri meritorii sive cinædi, ut internosci possent, tunicas cum manicis more mulierum gestabant, non aliter, quàm meretrices togas, Pœn. 5. 5. *Quis hic est cum tunicis longis puer cauponius?* Hæc ille. At Palm. *Hircum ab aliis*, retinet: & de cauponiis pueris intelligit. Atque ita etiam MS prim. Pall. At sec. habet, *Hiscum ab aliis*. V. N. Pœn. 4. 2. & Gruteri sententiam infrà 4. 7. vers. 82. qui tamen *cunabula* derivet potius a *cunire*, unde & nomen *deæ Cuninæ*. *cunire* autem est stercus facere, unde & *inquinare*, ut ait Festus. Camerarius quamvis sciret quid esset in membranis, prætulit tamen receptam Lectionem, nec alterius est sententiæ. Acidalius, nisi quod paullò aliter verba constituat: *qui huc advenit usque, quid sapis? CH. A cunabulis?* quem sequitur Parei prima, sed impudenter adhuc unam ejecit, solumque servat, *Cunabulis*. In secunda agyrtam agit, hoc modo: Miror itaque editorem Saxonicum, qui ceteroquin toties consensum MSS. codd. allaudare amat, tam turpiter h eic obscœnam lectionem sacrosanctæ Antiquitati præferre: At idem jam antea facit cum eo, Acidalius, Camerarius, Lipsius, Gruterus. An quisquam dubitet nomina tanta sequi?

48. MANVLEATAM TVNICAM] Ideò dicit, quòd *tunica* vestimentum erat sine manicis: Nonius & Prisc. lib. 5. ubi *manuleatam à manis*, interpretatur. De *manicatâ tunicâ* videatur Agellius l. 7. c. 12. Et Cic. Action. 2. Catilinæ objecit, quòd *manicatus esset*. Ita Sen. epist 33. *Apud me vero Epicurus est fortis, licet manuleatus sit*. de quibus accuratè. J. Meursius Comment. in Lycophronis Cassandram, pag. 289. Colerus in hoc Plauti leg. *manuclatam tunicam*, vel, *maniclatam*: & in isto Senec. *manuclatus sit*; atque aliter non deberi pertendit.

49. ACETI] *Acetum* pro acumine & prudentiâ poni non est novum. Sic Persius dixit, *aurem Stoici acri aceto lotam*: quod ejus auris exercita in dialecticis conclusionibus non

A facilè dicipitur, sed statim percipit captiones &c. Turn. l. 20. I. V. N. Bacch. 3. 3.

50. INDIDEM] ex pectore.

51. MVRRHINAM] *Murrhina*, potio divina, quæ à Græcis *nectar* dicitur, auctore Festo, & Turneb. lib. 28: 6. De *Murrhinis* & quæ *murrhini* nomine exprimantur, accuratè nuper disputavit Nic. Guibertus Lotharingus Med. Vide & Brod. l. 4. 20. item lib. 4. & 5. cap. 26. & 33. & I. C. Scalig. lib. 6. 9. Causs. Theoph. & Hier. Mercurial. lib. 5. 1. ubi cæteros hîc ferè refutat: aitque murrhinam factitiæ potionis genus extitisse, atque inter dulcia potius, quàm vina reponenda; non ob miram aliquam suavitatem, sed quia hujusmodi dulcibus frequenter utebantur; quod nequaquam ebrietatem inducant: ut disputat Plut. 3. Symp. 7. Varro De vitâ P. R. lib. 1. *Antiquæ mulieres majores natu bibebant loram, aut sapam, aut defrutum, aut passum, quã murrhinam Plautum quidam appellare putant*. Pareus etiam hîc argutus est. nam in Electis persuadere conatur pueris suis, mulieres bibisse murrhinam, suavem, inquit, ac dulcem potum ad arcendam ebrietatem. Lexicon autem ejus clamat: Murrha dulcis ac suavis

B potus, qui impediret ebrietatem. Quid absurdius scribi potest? quid cogitari? Si arcere, si impedire ebrietatem, notat prohibere ne quis vino inebrietur, necesse est præcesserit vini potio. at ea interdicta feminis Romanis. Quid ergo ais? imò quid non ais?

51. PASSVM] Vinum ex uvis passis & Sole siccatis confectum.

51. DEFRVTVM] Vinum musto ad dimidias decocto factum: ἕψημα. à defervendo. sed vide Colum. l. 12. c. 20.

51. MELINAM] potionem è melle. H. Junius l. 5. 19. ut & Sambuc. leg. *millinam* τὸ ὑδρόμελι. ita & MS. sec. Citat. hos v. & Plinius l. 14. 13. Vide Notas Persâ, 1. 3.

51. CVJVSMODI] cujusvis modi. D.

52. THERMOPOLIVM] tabernam, ubi dulces potiones vænibant, quas calidas bibebant: unde & nomen. Turn. lib. 20. 10. V. N. Trin. 4. 3.

53. EVGEPÆ, LEP.] ita MSS. Cam. *Eugepæ! lepidè, Charine, me meo ludo lamberas*. Grut.

53. ME MEO LVDO LAMBERAS.] *Lamberare*, inquit Festus, *est scindere, laniare*. Verberari igitur & vapulare se suo ludo Servus dicit: Turn. l. 20:10. Eisdem enim jocis appetitur, quibus lacessiverat. Scalig. in Conject. ait planè idem esse, quod illud in Pœn. act. 1. 2. *here, meo me lacessis ludo*.

54. SIMIÆ] V. N. Truc. act. 2. 2.

56. ECQVID ARGVTVS EST?] Jocus in verbo. Nam cum Pseud. quæsiisset, Ecquid *argutus*, ingeniosus & sollers est? Respondet Charinus, illud esse *argutum*, i. accusatum malorum facinorum sæpissimè, atque adeò convictum Vide Priscian. lib. 10. Solinus: *Peccato argutus*. quod notat Linac. lib. 4.

58. NON EST SCITIVS] ita Cam. edidit: rectè. nam in MSS erat, *non est scitus*. Alii, *non æquè scitum est*: & ita vett. edd.

60. NARRABIT VLTRO] nondum abs te fustitutus. Er wird dirs stracks an der Nasen ansehen.

61. SED QVID ES ACT.] ita omnes editi, expuncto τῷ *illo*. quod recentiores versus caussa adsumpserant. at Pal. pr. habet. *qui eles act. sec. quis es act.* an fortè fuit, *Sed quid sese acturus es?* tale quid sanè numeri requirunt. V. N. Milit. 2. 2. vers. 26.

70. PERVIVM EST] MSS. Cam. *perbiast* item Edit. vett. at seqq. *perbiam est*; quod probat Meursius, &, *perbiam esse*, nihil est, inquit, quam *perbium esse*: ut *Obbiam esse*, dicebant pro *Obbium esse*. Sic Aul. act. 3. 2. *angulos perbiam facitis*.

71. SVB SIGNIS D.] ita omn. Edd. & MSS. V. N. Cas. 3. 5. Lanojus conjiciebat *sub signis ducam Legionis meæ*.

72. AVSP. LIQVIDO] V. N. Epid. 2. 2. I. Grut. ita dispungit: *auspicio liquido. atque ex sententiâ Confidentia est inimicos* &c. ut dicat, omninò confidere se, foro ut pro libitu pessundet inimicos. Sic millies dixit, *Ex sententia*. V. N. Men. 2, 2.

75. FERAT FALL.] ita MSS. & Edd. at Schop. l. *serat fallaciam*. Sicut, *sator scelerum*. Sed rectè Gruterus retinet illud, *ferat*: & carpit I. Gulielmium, qui Pœnulo act. 1. 1. id, *ut ferat fallaciam*, mutârit in *serat*. *Ferre* enim esse *proferre*. Ideò nihil quoque mutandum Casinâ act. 3. 5. *atque hæc dolum proximo huc protulerunt*. ubi etiam præterea perperam Guliel. *Ego hunc missa* &c. nam idem Pronomen proximè præcessit: & dicit ancilla, sese spectatoribus exhibere dolum, quem intùs architectatæ erant vetulæ duæ. Sed & Pistorius, Verba, inquit, *onerabo*, & mox, *ne titubet*, manifestò *ferre* requirunt: ut maneat in metaphorâ. Ita Horat.

Vade, vale: cave ne titubes, mandataque frangas.

ACTUS III. SCENA I.

PUER.

CVI servitutem di danunt lenoniam
Puero, atque eidem si addunt turpitudinem,
Næ illi, quantum ego nunc corde conspicio meo,
Malam rem magnam, multasque ærumnas danunt.
Velut hæc mihi evenit servitus, ubi ego omnibus
Parvis magnisque miseriis præfulcior:
Neque ego amatorem mihi invenire ullum queo:
Qui amet me, ut curet tandem nitidiusculè.
Nunc huic lenoni est hodie natalis dies,
Interminatus est à minimo ad maximum,
Si quis non hodie munus misisset sibi,

Eum

Eum cras cruciatu maximo perbitere.
Nunc nescio hercle rebus quid faciam meis.
Neque ego illud possum, quod illi qui possunt, solent.
Nunc nisi lenoni munus hodie misero,
Cras mihi potandus fructus est fullonius.
Eheu! quàm illæ rei ego etiam nunc sum parvulus!
Atque edepol ut nunc malè eum metuo, miser,
Si quispiam det, quoi manus gravior siet,
Quanquam illud ajunt magno gemitu fieri,
Comprimere dentes videor posse aliquo modo.
Sed comprimenda est mihi vox atque oratio,
Herus eccum recipit se domum, & ducit coquum.

MISERIIS PRÆFVL.] ita MSS. & omn. editi. sed Acidal. l. *ministeriis præfulcior.* Persâ act. 1. 1.

——me suis negotiis præfulciat:

eleganter. Vide ibid.

8. VT CVRET] ita omn. MSS. & Editi. Tamen J. Gul. l. *curet.* Nam in lenonia, inquit, familia lautiùs curantur, qui amatorculos facilè inveniunt: ii enim domino quæstuosi.

11. PERBITERE] i. perire seu periturum: *Nonius.* V. N. Capt. 3. 5. Ennius: *Nunquam scripsistis, qui parentem aut hospitem necasset, quo quis cruciatu perbiteret.*

14. QVOD ILLI QVI POSSVNT, SOLENT] Jo. Mercerus disponit: *quod illi possunt, qui solent. Solere,* obscenum verbum. V. N. Cist. 1. 1.

16. P. FRVCTVS FVLLONIVS] ita MSS. Nomen *Fullonis,* & *Fructus fullonius* in re obscenà ponitur: ut &, *comprimere fullonem.* Vide Turn. l. 7. 20. & l. 16. 6. item Lamb. nec non Franc. Junii Notas in Tertullian. *De pallio.* Passeratius l. *fluctus f.* vide & Schop. Susp. Lect. 1. 1. Putat tamen Marcellus Donatus libro Dilucidat. hæc in æquiorem sensum exponi posse. Cùm enim fulones in dealbandis pannis & expurgandis, eos manibus pedibusque calcent & percutiant, videri puerum timere, ne ad illud exemplum, heri manus & calces experiatur: quod tamen gemens & strictis dentibus se passurum dicat.

19. SI QVISQ. DET QVOI M.] Versus hos 4. à Cam. ob turpitudinem omissos, quilibet videt. quod non erat cur carperet Pareus. omitteremus & nos, nisi ita sæculum omne factum esset, ut tanto cupidius hæc talia persequeretur, quanto magis absconduntur. & vel sic passim in aliis exstant editionibus.

19. MANVS] Explicat I. Dousa Cent. I. 3. 22. Gruterus, hæc capit longè alio sensu, quàm Douza, & tota cohors Criticorum. Nullus hic sermo de Lenone. dicit tantum Puer, se parvulum, eumque metuere quisquis sit, cui manus gravior. Nempe in re flagitiosâ honestiore utitur metaphorâ. *Manus* enim in hominibus id quo viri sunt: metaphorâ ab Elephanti promuscide alluditque iterum noster Persâ act. 2. 2. & Claudianus id voluit omninò in Eutropium:

Quicquid amas, dabit ille manus: communiter omni
Fungitur officio &c.

quæ nisi ita capiantur, perfrigida sunt. *Omne* autem *officium* significat variam Venerem, &c. Itaq; ubi ibid. (v. 367. legitur;

Hoc quoque consiliis meruit &c.

capitur *consilium* (V. N. suprà, act. 1. 2.) pro turpissimâ illâ re, quæ deducta ab arte fullonicâ. Corrige item Senecam lib. 4. Controvers. in Procemio: *lascivam manum misisti,* &c. Porrò de munere Lenoni mittendo, die ipsius Natali, ritus passim notus est. Turn. l. 19. 14. docet, tam libertos, quàm servos dominis aut dominabus suis munera Athenis mittere solitos, *Nuptialia, Natalia,* in *Puerperio,* tum *Nominalibus,* hoc est, simulatque nomen puero imponebatur: quoties Cereri denique liberos suos *initiabant* Athenienses.

ACTUS III. SCENA II.

BALLIO leno, COCUS, PUER.

FORVM coquinum qui vocant, stultè vocant,
Nam non coquinum est, verùm furinum est forum:
Nam si ego juratus pejorem hominem quærerem,
Coquum non potui, quàm hunc quem duco, ducere,
Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem:
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad se noluit,
Vt esset hîc, qui mortuis cœnam coquat.
Nam hic solus illis coquere, quod placeat, potest.
CO. Si me arbitrabare isto pacto, ut prædicas,
Cur conducebas? BA. inopiâ: alius non erat.
Sed cur sedebas in foro, si eras coquus
Tu solus præter alios? CO. ego dicam tibi:
Hominum avaritiâ ego sum factus improbior coquus,
Non meópte ingenio. BA. quâ istuc ratione? CO. eloquar.
Quia enim cùm extemplo veniunt conductum coquum,
Nemo illum quærit qui optimus, & carissimu'st:
Illum conducunt potius qui vilissimu'st.
Hoc ego fui hodie solus obsessor fori.
Illi drachmis iissent miseri: me nemo potest
Minoris quisquam nummo ut surgam, subigere.
Non ego item cœnam condio, ut alij coqui,
Qui mihi condita prata in patinis proferunt;
Boves qui convivas faciunt, herbasque oggerunt;
Eas herbas herbis aliis porrò condiunt,
Indunt coriandrum, feniculum, allium, atrum olus,
Apponunt rumicem, brassicam, betam, blitum,
Eò laserpicii libram pondo diluunt:
Teritur sinapis, scelerata cum illis qui terunt;
Priusquam triverunt, oculi ut exstillent, facit.
Ei homines cœnas sibi coquint. cùm condiunt,
Non condimentis condiunt, sed strigibus,
Vivis convivis in testina quæ exedint.
Hoc hîc quidem homines tam brevem vitam colunt.
Cùm hásce herbas hujusmodi in suum alvum congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modò.
Quas herbas pecudes non edunt; homines edunt.

BA. Quid

BA. Quid tu? divinis condimentis utere,
Qui prorogare vitam possis hominibus,
Qui ea culpes condimenta? CO. audacter dicito.
Nam vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui esitabunt escas, quas condivero.
Nam ego cicilendrum quando in patinas indidi,
Aut sipolindrum, aut macidem, aut sancaptidem,
Ea ipsæ sese patinæ fervefaciunt illicò.
Hæc ad Neptuni pecudes condimenta sunt:
Terrestres pecudes cicimandro condio,
Aut happalopside, aut cataractria. BA. at te Iuppiter
Dijque omnes perdant, cum condimentis tuis,
Cúmque tuis istis *omnibus mendacijs.*
CO. Sine sis loqui me. BA. loquere, atque i in malam crucem.
CO. Vbi omnes patinæ fervent, omnis aperio,
Is odos demissis pedibus in cælum volat:
Eum in odorem cœnat Iuppiter cotidie.
BA. Odor demissis pedibus? CO. peccavi insciens.
BA. Quid est? CO. quia enim demissis manibus volui dicere.
BA. Si nusquam is coctum, quidnam cœnat Iuppiter?
CO. It incœnatus cubitum. BA. i in malam crucem.
Istáccine caussâ tibi hodie nummum dabo?
CO. Fateor equidem, esse me cocum carissimum:
Verùm pro pretio facio ut opera appareat
Mea, quò conductus veni. BA. ad furandum quidem.
CO. An invenire postulas quemquam coquum,
Nisi miluinis aut aquilinis ungulis?
BA. An tu coquinatum te ire quóquam postulas,
Quin ibi constrictis ungulis cœnam coquas?
Nunc adeò tu, qui meus es, jam edico tibi,
Vti nostra properes amoliri omnia:
Tum ut hujus oculos in oculis habeas tuis:
Quoquò hic spectabit, eò tu spectato simul:
Si quò hic gradietur, pariter progrediminor.
Manum si protollet, pariter proferto manum.
Suum si quid sumet, id tu sinito sumere:
Si nostrum sumet; tu teneto altrinsecus.
Si iste ibit, ito; stabit, astato simul.
Si conquiniscet istic, conquiniscito simul.
Item his discipulis privos custodes dabo.
CO. Habe modò bonum animum. BA. quæso qui possim, doce,

Animum bonum *habere, qui te ad me adducam domum?*
CO. Quia sorbitione faciam ego te hodie meâ,
Item ut Medea Peliam concoxit senem:
Quem medicamento, & suis venenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adolescentulum:
Item ego te faciam. BA. ehò, an tu *etiam veneficus?*
CO. Imò edepol verò hominum servator magis.
BA. Hem mane. quanti istuc unum me coquinare perdoces?
CO. Quid? BA. ut te servem, ne quid surripias mihi.
CO. Si credis, nummo; si non, ne minâ quidem.
Sed utrum amicis hodie, an inimicis tuis
Daturus cœnam? BA. pol ego amicis, scilicet.
CO. Quin tu illos inimicos potius quàm amicos vocas:
Nam ego ita convivis cœnam conditam dabo
Hodie, atque ita suavitate condiam,
Vt quisque quicque conditum gustaverit,
Ipsos sibi faciam ut digitos prærodat suos.
BA. Quæso hercle priusquam quicquam convivis dabis,
Gustato túte prius, & discipulis dato,
Vt prærodatis vestras furtificas manus.
CO. Fortasse hæc tu nunc mihi non credas quæ loquor.
BA. Molestus ne sis, nimium jam tinnis, non places.
Hem! illîc ego habito. intrò huc abi, & cœnam coque
Properè. CO. quin is accubitum, & convivas cedò:
Corrumpitur jam cœna. BA. hem! subolem sis vide!
Iam hic quoque scelestus, est coqui sublingio.
Profectò quid nunc primùm caveam nescio,
Ita in ædibus sunt fures: prædo in proximo est.
Iam à me hic vicinus apud forum paulo prius
Pater Calidori opere petivit maximo,
Vt mihi caverem à Pseudolo servo suo,
Neu fidem ei haberem. nam eum circumire in hunc diem,
Vt me si posset muliere intervorteret,
Eum promisisse firmiter dixit sibi,
Sese abducturum à me dolis Phœnicium.
Nunc ibo intrò, atque edicam familiaribus,
Profectò ne quis quicquam credat Pseudolo.

ORCUS RECIP.] *Orcus*, non pro receptaculo mortuorum; sed pro *Summano* seu *Ditepatre* positus videtur: ut Most. 2:2. & Pœn.1.2. ubi Not. vide: *Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiserit*. id quod ad illud Tibull. notavit in Præcid. Douza:

Me vocet in vastos amnes nigramque paludem
Dives in ignavâ luridus Orcus aquâ.

Quòd verò autumat Leno, coquum eum idoneum esse, qui mortuis præeat in cænam, vide sis, ad hoc forte ad *Nundinalem coquum* accommodari possit, Aul. act. 2. 4.

V.6. RECIPERE] C.Colerus ad illud Val. Max. lib. 9. c. 11. *Etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendit*: notat, Formulam hanc de flagitiosissimis & maximè impiis olim usurpatam, *SI TAMEN AB ORCO RECEPTUS EST*. sed melius Passeratii Musa hîc prodit, usum esse Comicum verbo proprio *recipiendi*, quia *debemur morti nos nostraq.* Sic Mostell.2.2: *Me Acheruntem recipere orcus noluit*.

11. SI ERAS COQ.] *Si coquus eras Tu sol.* Si cocum interpreteris præstantissimum. at si comma post ipsum *Cocus* colloces, alia erit sententia, & quæ huic loco aptior, autore Acidalio.

19. ILLI DRACHMIS ISSENT M.] ita Cam. & vett.edit. sed MS. sec. *Drachmis essent*: primus *drachmis sent*. Lamb. substituit *drachmissant*. i. drachmam non amplius unam à conductoribus suis exigunt. quod germaniss. Douzæ videbatur. legi tamen etiam posse opinabatur, *Drachmâ issent mis*. At J. Gul. Verbum, inquit, *drachmissare*, à Lamb. repertum, ego ne coquinis quidem Romanis dignum censeo. Legendum, *Illi drachmis sunt miseri*. *Drachmis esse*, *venire*, sive *operam drachmis locare*; elegantes loquendi formulæ. Cassius ad Cic. *Nam jam ternis tetradrachmis frumentum apud Cassium est*. Acidal. hoc probat, & his exemplis insuper illustrat. Cic. in Verr. *Cum esset tritici modius HS. II. pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse*. Varro: *Asse vinum, asse pulmentarium est. Eas, quò Natura aurigatur necessitudo*. Cistell.act.4:2. *At pol. i. q.m. in nulla operâ grassuit â est*: ita enim leg. ibi.

20. NUMMO] Non alius, quàm *Nummus aureus Romanus*, pluris duobus aureis nostris cōtra æstimatus, nēpe XXV. denariis, intelligi potest: ut & Aul.act.3:2. & Men. act.1:4. A & ibid.2:2. ubi verisimile est, *nummū aureum*, nō sestertiū, significari, quo *porcos sacres sinceros Epidamni venire*, Mænechmo indicat Cylindrus: nimisque eos falli, qui quartam drachmæ seu denarii partem, i.sestertium nummum, eo loco interpretantur: *Douza*. V.N, Trucul. act. 2.7.

23. BOVES QVI] Par cœna Apellis lib. 2. Antholog. titulo 50. apud Ammianum: ὡς κῆπον &c. monuit Behotius lib. 3. Apophor. cap. 10.

25. ATRUM OLUS] *Atriplex* quibusdam dicitur, quòd uterum nigrum & pallorem gignat. Lamb. intelligit *hipposelum*, *agnoselum*. alii aliter. Viderint Medici.

26. RUMICEM] quæ & *Oxalis* & *acetosa*. Saurampffer.

26. BRASSICAM] Dioscorid. vocat εὔκοιλον. vocatur & ἀμέθυστος, & κράμβη. Cato eidem hortorum principatum adscripsit: & Pythagoras ejus laudes ante omnes celebravit.

26. BETAM] dicta, autore Columella, quod figuram litteræ *B* referat.

——*seu littera proxima primæ*
Deprimitur folio viridis pede candida Beta.

Martialis *fatuam* nominat.

B 26. BLITUM] *Blitum* genus oleris, à saporis stupore appellatum esse ex Græco putatur, quòd ab his βλὰξ dicatur *stupidus*: Festus. V.N. Truc.act.4.4.

27. LASERPITIUM] V.N. Rud.act.3.2.

29. EXSTILLENT] Terent. Phorm.5.8.

Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo,
Ut ne restinguas, lacrimis si extillaveris.

Ubi Donatus: *Stillare*, est guttas emittere è corpore. *Exstillare*, ipsum corpus guttatim finire. Columell.l.10.

Seque lacessenti fletum factura sinapis.

30. COENAS SIBI COQUINT] tales coqui cœnas hujusmodi sibi coquant; non aliis, aut mihi.

31. SED STRIGIBUS] *striges*, aves nocturnæ, ut ait Verrius. Græci στρίγγες appellant: unde maleficis mulieribus nomen inditum est: quas *volaticas* etiam vocant. Vide Scalig. ad Fest. & in Catalect. Plinius l.11:29. *Fabulosum arbitror, striges ubera infantium labris immulgere: nec quæ sit avium constare*. Glossar: *striga*, λαμπυγων, καὶ γυνὴ φαρμακίς. Petron: *Quæ striges comederunt nervos tuos?* Significat; condimenta, quæ alii coqui adhibent,

bent, distorquere convivis intestina, ut striges quasdam. Horat. 5. Epod. *nocturna strigis &c.*

33. HOC HIC] ob hanc caussam Athenis &c. L.

34. SVVM ALVVM] ita MSS. Cam. & V. Cod. omnes *suum album.* quod multis etiam exemplis probant Meursius, & Popma.

35. FORMIDOLOSAS DICTV] i. horribiles, activè: ut apud Sallust. *Loca tetra, vasta, inculta, formidolosa habere.* Parem quoq; sententiam argutè expressit Ovid. in Heroidibus:

Ilion & Tenedos, Simoisque & Xanthus & Ida,
Nomina sunt ipso penè timenda sono. D.

37. VTERE] uteris. L.

40. DVCENOS ANNOS] Vide P. Vict. 20: 23. Eadem Cocus apud Philemonem de se gloriosè prædicat: quod notat Lipsius Antiq. Lect. l. 4. 10.

42. CICILENDRVM] In Lexico Parei, habemus opinionem cujusdam, qui nomina istæc aromatum Arabica autumaret. Bone Deus! Arabica? quomodo potest? cùm Plauti sæculo nullum eis esset in re medica nomen? hæc libris committere, est asini asinissimi. Mille annos Arabicorum medicinam præcessit Plautus. Quantò verosimilius Passeratius? qui hæc fictitia putabat.

42. IN PATINAS INDIDI] Ita quidem è Cod. Vatic. Passeratius, Lamb. & Lipsius: neque aliter in secunda sua editione Georg. Merula. & ita edd. Arg. Paris. & Veneta. Camerarii & Brix. Merulæq; prima, *in patinâ scindidi:* ut & MS. primus. secũdus, *in patinas cindidi*, at verò Gifanius legendum putat, *in patinâ sciscidi*, autoritate Prisciani, qui veteres ita quidem locutos monuit lib. 10. haud tamen adduxit ibidem istum Plauti locum. & ut admittamus *sciscidi*, rescribendum adhuc *in patinas*, ob ea quæ sequuntur versu 44; *Ex ipsa sese patina.*

43. MACIDEM] *Macis*, cortex aromaticus, nucis myristicæ amiculum. Parei utraq; *meacidem:* ineptè præterq; MSS. & edd. vett: ut & statim, *sane captidem.* utrobiq; habet, sicut editi ante Camerarium, sed contra Pall. in quibus *sauccaptidem.*

45. NEPTVNI PECVDES] i. pisces. Nævius:

Tum lascivum simum Nerei pecus
Ludens ad cautem classem lustratur:

A Turneb. l. 29: 28. Sic Oppianus vocat pisces φῦλα ποσειδάωνος ἐνναλων, i. *sæcula Neptuni incolarum*, sive *inquilinorum.*

47. CATARACTRIA] MS. pr. *cattamtria.*

49. CVMQVE TVIS ISTIS] τὸ *istis* neq; in MSS. neque in vett. edd. apparet: nisi in unâ Brix.

53. EVM IN ODOR.] ita MSS. Pall. & omn. mei. At J. Gul. & Acid. l. *Eum odorem c.* Et hoc ajunt versum velle. quod non modò secutus in primâ ed. Pareus, sed unâ etiam loco suo movit versum cum Acidalio: quæ transpositio etiam in ipsius ultima, invitis & cusis & scriptis. Ceterùm idem ille Momus, non contentus recessisse à scriptura jam per sæculum & amplius recepta, declamat prætereа: Sic planissimè MSS. ambo, *Eum odorem* τὸ *m* geminatum est, pro more horum codicum. ideoq; indignissimè fero Saxonicum editorem novissimum, literato doctorum choro, ut alibi, ita hîc quoq; falsò persuadere in MSS. legi: *Eum in odorem.* Lector juste! quis heic magis falsarius? Taubmannusné an Pareus? In MSS. extat, *Eum modorem.* hocq; omnes primæ edd. accepere tanquam scriptum esset *Eum in odorem;* neque

B aliter censuit librorum eorum accuratissimus αὐτόπτης Camerarius, ipsiusq; vestigiis institit Taubmannus. quid ni? iidem scripti perpetuò præpositionem ita annectunt nomini sequenti, uti cohæreat. Quid contra Pareus? *m* inquit geminatum est. at cur geminatum est? pro more, infit; horum codd. Ergo semper literas geminant? negabis puto. Quid dices ergo? Tibi uni liquere, quando ex supervacuo iterentur, & quando non. acquiescimus responso. vince! vince!

55. DEMISSIS MANIBVS &c.] MSS. ambo hîc duplicem præferunt scripturam. versu 52. ambo servant *demissis*, ut & versu isto 55. at versu 54. uterque habet *dimissis*. ex quibus liquet falsò alios heic falsitatis damnare Pareum, negantem ambos MSS. agnoscere *Is odos demissis pedibus &c.* Turn. l. 28: 41. *Demissis*, inquit, *manibus currit*, qui currit contentissimè: quia cùm rapido incitati cursu sumus, manûs utrasq; moventes demittimus. At ille cocus *demissis pedibus*, pro *demissis manibus* dixerat: nam pedibus demissis non potuisset subvolare in cœlum odor, sed inferos petere: cùm *demittere pedes*, sit, eos deorsum mitte-

mittere: ita eo odore inferi pasti fuissent, non superi. Sic labes terræ in altum desidentis & depressæ, Poeta *demissis pedibus* factas dicit in Ætnâ:

Cervus & in silvis spaciosa cubilia retrò
Antraq; demissis pedibus fodisse latebras, &c.

Casaub. ad Theophr. Aristoteli, *inquit*, familiare est φεύγειν παρακεκλιμένως: vel παρακεκλιμένας τὰς χεῖρας: quod Plaut. dixit *Fugere demissis manibus*. Origo inde, quòd contentiùs currimus manûs demissas habentes & circum latera jactantes, &c.

56. NVSQVAM] ita MS. prim. at sec. *numquam:* quod arripuit Pareus. nostrum visitur in primis edd. aliquot sex septem, estque venustius.

57. INCOENATVS] ἄδειπνος. Reperitur etiam *Incænare*, apud Sueton. pro, *intus cænare*, ἐνδειπνεῖν. ut *impasci*, ἐννέμειν, ἐννέμεσθαι: apud Columel. lib. 2. 18. &, *inservare volucres*, apud Statium, lib. 8. quod observat Casaubonus. V. N. Cas. 411.

60. PRO PRETIO F.] Facio ut & operis & mercedis ratio constet conductori meo, par pari hostimentum reddens. Cato: *si ei opus non apparet, dicit rusticus sedulò se fecisse, servos non valuisse*; i. sonticum morbum caussatos, quò minus opus facere valuerint: D. Ich machs gut vnd neme es wol bezahlt.

65. CONSTRICT. VNG.] sc. ne quid furêris.

70. PROGREDIMINOR] Turn. & Lamb. & MS. pr. Cam. *progredimino*, προχωρῶμεν, pro *progreditor*. Probat idem Meurs. exemplo Catonis *præfamino*, & Festi *famino*. Sed Acidal. pluralem pro singulari positum ait. ut extremâ Epid.

——*atque arctè colliga, &c.*

facto opere arbitraminor. ut contrà singularem pro plur. eâdem Epid.

——*si placebit, utitor.*

71. MANVM SI PROTOLLET] Mercerus abjiciendum putat voculam *si*.

75. CONQVINISCET] *Conquinire*, decubare est: à quo *Conquinisco*. Est enim *conquiniscere*, cernuum se inflectere, vel inclinare, ut faciunt exoneraturi ventrem. Pomponius Attellanarius: *In terrâ ut cubabat nuda: ad eum ut conquexi, &c.* Hoc etiam *cernuare* dicebant. quanquam & hoc ἀπὸ τοῦ ἀσκωλιάζειν accipiebant. Vide Scalig. ad Fest. ubi Virgil. illud explicat,

——*unctos salière per utres.*

A Mercerus ad Nonium improbat hanc lectionem; corrigiq; vult Plautum è Nonio, ubi extat, *Si conq. istic, ceveto simul.* cevere enim idem quod *conquiniscere*, hoc est inclinari: Itaq; ut *ocquiniscere* interdum pathicis attributum, ita semper *cevere* de iis dictum. Juvenal. *ego te ceventem Sexte verebor?* Et: *Computat, & cevet.* Persius: *An Romule ceves.* Martial: *Sed pulcrè Nævole ceves.* Glossæ, *Cevens*, κύφων. hujus vocis ignoratio corrupit locum Plauti: repertam enim eam in suis libris cùm non intelligerent mutarunt, dein, quia versus nimium excrescebat, quidam vocem simul, rejecere in sequentem versum. alii istic è versu sustulerunt. Mercero subscribit Acidalius, qui eo nomine sugillatur à Pareo in Lexico.

76. PRIVOS CVST. D.] MSS. & omn. editi. *prius*. Nihilominus J. Gulielmius, Non certius, inquit, vixisse Plautum, quàm eundem scripsisse, *privos c. d.* idque vincit ipsa orationis series. *Privi* vetustè, qui nobis singuli. Lucillius:

Culticula accedunt priva centonibu' binis:

B Verif. l. 1:4. idem sentit Mercerus, requiritq; versus. Cæterùm vel hinc apparet, Donatum in Ter. Eunucho, (act. 4. sc. 7.) *Manipulum furum*, Coci discipulos, rectè interpretatum esse: aut, alios ita interpretari, annotasse.

77. ANIM. HABERE] ita MSS. & omn. editi. sed Acid. & numeris & sententia (ut ait) flagitante l. *Animum bonum hab.* nihilq; frequentius quam vocem ideo perire quod proximè præcesserat.

80. VT MEDEA PELIAM C.] De Æsone hoc traditur, non de Peliâ: hunc enim concoquendo necavit. Jocatus igitur est & lusit Plautus sciens. vel est hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα: *Cam.* Muretus Var. Lect. lib. 6. 10. censet Plautum personæ serviisse: & cum loquentem induxisset hominem sordidum, de industriâ perperam ab eo narrari veterem illam fabulam fecisse. Idque Ciceronem quoque in Catone majore, ut sene, sibi indulsisse. Vide ibid. Incogitanter itaque hoc exagitat Claud. Verderius in suâ Censione, quam quidem sub censuram justiss. vocavit nuper Schoppius. Fabulam tractat Ovid. 7. Met. Fab. 2. Etiam Marquardus Freherus JC. lib. 1. de Famâ publicâ, notat, Plautum hîc de industriâ

 industriâ

dustriâ affectasse τὸ πρέπον *Fama*, quæ plurimum mendi, si præsertim de re vetustiori sit, secum trahit. Cum enim, inquit, hæc historia à vulgo depravatè narraretur, Plautus vulgi errorem studio sequi voluit, ex quo errore planè Proverb. originem traxerat: *Tanquam Peliam recoquere.* quo & Cicero ita utitur. Idem intelligas de illis Cistell. act. 2: 1. *Ast ita me dij deæque &c.* P.Vict.l.5:6. ad vers. Catulli,

Tibi & Suffecio seni recocto:

Idem, ut opinor, significare voluit: Senem illum studio & artificio quodam senectam exsuisse; & quasi iterum juvenem factum exquisito cultû corporis. Notat & *Meurs.* ad Cassandr.p.176. Propriorum nominum confusionem frequentatam esse. Ovid.

Sive quis Antilochum narrabit ab Hectore victum.

cum tamen à Memnone sit occisus. Virgilius quoque pro Castore Pollucem posuit;

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.

Vide & Notas nostras in Virgil.Bucol.1:v.63. & Bucol.6. v.74.

85. QVANTI ISTVC VNVM] Fortasse legendum, *quanto istoc nummo*, ex iis quæ sequuntur. Passer.

85. COQVINARE P.] Festus legisse videtur, *Coquitare*. ad eam formam, quâ Bacchid. *loquitari.* tamen pendeo animi, & vulgariam scripturam non damno: à qua præsertim ἀναλογία faciat. Nam ut à *sarcinâ, sarcinare*; ita à *coquinâ coquinare* rectè deducitur. Utitur & Aul.3:1. *J.Gulielm.*

90. QVIN TV ILLOS] Acidal. τὸ *illos* valdè suspectum habet. Pist. leg. *illò*, scil. ad convivium. quod utriq; editioni suæ illicò intulit Pareus, directè contra omnes edd. & membranas, à quibus alii cùm recedunt, sacrilegium autumat: cùm ipse; bonum factum est.

92. ATQVE ITA SVAVITATE CONDIAM] Versus pede uno debilior est: qui aderit repetito, *atq. ita suavi suavitate condiam.*

94. IPSOS SIBI F. &c.] Cum suavitatem alicujus cibi, aut aviditatem eorum, quibus appositum iri deberet, Græci ostendere volebant, ὑπερβολικῶς de illis dicebant, καθεσθίειν δακτύλους. Aristoph. in Pythagoreos utitur &c: immò nos quoque in patrio sermone. Vide P.Vict.3:24. & Lips. Antiq.L.l.4:10.

94. DIGITOS PRÆRODAT] Imitatus hoc est Am.Marcellinus lib.28. *Digitos prærodentes, dum patinæ defervescunt.* nec aliter coquus ille Alexidis apud Athenæum lib. 11: κατεσθίειν τοὺς δακτύλους. Pareus in Thesauro suo dicit istud Germanis esse, Die Finger darnach lecken. insubidè nimis, ut omnia.

99. TINNIS] garris, res futiles loqueris. tralatum ab ære.

99. NON PLACES] Sic omnis retrò editio & MS. sec. Pareo tamen placuit *taces* cum MS. pr. nempe carduos semper lactucis præponat Arcadicum pecus.

100. HEM! ILLIC] Haud aliter cusi omnes. nam Pall. *em.* at Parei editio *He!* absurdè!

100. COENAM COQVE] Similia vide Menæch.act.1:4. MSS. semper, *quoque*, v.65. *canam quoquas &c.*

101. ET CONVIVAS CEDO] ita MSS. at J.Gul. l. *i, convivas cedo.* Ut ita usurparint Latini *cedo*, quemadmodum hic hactenus ceperunt, animum inducere non possum ut credam. Certè exempla nulla proferent: at, ut nos correximus, vel sexcenta promi possunt. Curcul. *Auro contrà cedo modestum amatorem.*

101. QVIN IS ACCVBITVM.] Ita omnis editio excepta Pareana, ea enim, *quin tu is accubitum.* ita libuit Palæmoni nostro, quod esset in MSS. *quin vis accubitum* ingeniosè nimis! sed & licentiosè nimis! tuo tibi suffragio ut Plautinis inferas quod libet? plus quàm putidum est.

103. EST COQVI SVBLINGIO] ita Turn. l.3:21. è MSS. & Lamb. è vett. suis. Q.d. Discipulus coci ad lingendas patinas, quàm ad obsonia coquenda aptior. *Sublingio, nis*, nomen factum à *sublingendo*: quomodo alibi *tocullio*, & *turpio* apud Latinos. Camerarius edidit; *Jam h. q. scelestus est, coquit sub linteo.* In MSS. ejus est, *coqui sub lincio.*

106. IAM A ME HIC] Ita Lambiniana & seqq. at Cameraiana, *Iam me hic.* quod & repræsentavit Pareus, sed pessima fide utitur, dum notat sic esse in MSS. imo uterq; apertè præ se fert, *Iam mihi hic.* neq; aliter ultimæ antiquitatis editiones.

ACTVS

ACTUS IV. SCENA I.

PSEVDOLVS servus, SIMIA Sycophanta.

SI unquam quemquam di immortales voluêre esse auxilio adjutum,
Tum me & Calidorum servatum volunt esse, & lenonem extinctum,
Cùm te adjutorem genuêre mihi, tam doctum hominem atque astutum.
Sed ubi illic est? sumné ego homo insipiens, qui hac mecũ egomet loquor solus?
Dedit verba mihi hercle, ut opinor, malus cùm malos stultè cavi.
Tum pol ego interij, homo si ille abijt: neq; hoc opus quod volui, ego hodie effi-
Sed eccum! video verbeream statuam. ut magnificè infert sese! (ciam.
Hem! te hercle ego circumspectabam: nimis metuebam malè, ne abijsses. (est.
SI. Fuit meum officium ut facerẽ; fateor. PS. ubi restiteras? SI. ubi mihi libitũ
PS. Istuc ego jam satis scio. SI. cur ergo quod scis, me rogas? PS. at hoc volo mo-
SI. Monendus ne me moneat. PS. nimis tandem ego abs te cõtemnor. (nere te.
SI. Quippe ego te ni contemnam, stratioticus homo qui cluear? PS. jam
Hoc volo quod occeptum st, agi. SI. nunquid agere aliud me vides?
PS. Ambula ergo citò. SI. imò otiosè volo. PS. hæc ea occasio est. dum ille dor-
Volo tu prior ut occupes adire. SI. quid properas? placidè. (mit,
Ne time. ita ille faxit Juppiter! ut illic palàm ibidem assiet,
Quisquis ille est, qui adest à Milite. nunquam edepol erit ille potior
Harpax, quàm ego. habe animum bonum: pulcrè ego hanc explicatam tibi
Sic ego illum dolis atque mendacijs in timorem dabo (rem dabo
Militarem advenam, ipse sese ut neget eum esse qui siet,
Meque ut esse autumet, qui ipsus est. PS. quî potest? SI. occidis me,
Cùm istuc rogitas. PS. ô hominem lepidum! te quoque etiam dolis
Atque etiam mendacijs, Juppiter te mihi servet.
SI. Imò mihi. sed vide, ornatus hic satis me condecet?
PS. Optimè habet. SI. esto. PS. tantum tibi boni di immortales duint,
Quantum tu tibi optes. nam si exoptem quantum dignus, tantum dent,
Minus nihilo est. neque ego hoc homine quenquam vidi magis malum
Et maleficum. SI. tun' id mihi? PS. taceo. sed ego quæ tibi dona
Dabo & faciam, si hanc rem sobriè accumssis! SI. potin' ut taceas?
„ MEMOREM immemorem facit, qui monet quod memor meminit. teneo
In pectore condita sunt, meditati sunt doli doctè. PS. probus hic est (omnia.
Homo. SI. neque hic est, neq; ego. PS. at vide ne titubes. SI. potin' ut taceas?
PS. Ita me dij ament. SI. ita non facient, mera jam mendacia fundes.
PS. Vt ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo, & metuo, & magnifico!
SI. Ego istuc alijs dare condidici. mihi obtrudere non potes palpum.
PS. Vt ego te hodie accipiam lepidè, ubi effeceris hoc opus! SI. ha ha he!

PS.Lepido victu, vino, unguentis, & inter pocula pulpamentis:
Ibidem unà aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det.
SY.Lepidè accipis me. PS. imò si efficis, tum faxo magis dicas.
SY. Nisi effecero, cruciabiliter carnifex me accipito.
Sed propera mihi monstrare ubi ostium lenonis ædium.
PS.Tertium hoc est. SY.st! tace, ædes hiscunt. PS. credo animo male'st
Ædibus. SY.quid jam? PS.quia edepol ipsum Lenonem evomunt.
SY. Illiccine est? PS.illic est. SY.mala merx est. PS.illuc sis vide:
Non prorsus, verùm ex transverso cedit, quasi cancer solet.

VERSVS confusi numeris, tetrametri.

V.4. LOQVAR] ita MSS. & vett. edd. posteriores, *loquor.*

5. MALVS CVM MALOS ST.] ita MS. pr. sed omnes mei leg. ut & MS. sec. *malus cum malo st*: quod rectum affirmat Acid. *Cabere cum aliquo.* ita Most. *Hercle mihi tecum cavendum est.* idem: *Captare cum aliquo: orare cum aliquo.*

9. VBI MIHI LIETVM] MSS. & Edd. omn. istud servant. Pareisolum editio utraq; *ut mihi.* quare? Sic volo: sic jubeo Verres, in Sicilia mea.

10. ISTVC EGO] Sic omnis editio; excepta Pareana. ea *Ipsus ego.* ex utroq; MSS. inquit. sed falsò. prius initio habuit, *Ipsum*: deletoq; *m*: litera apparet nulli mortalium agnoscenda. at sec. videtur initio scribere voluisse *Ipsum*, sed tenuit sese, & pedunculum primum literæ ultimæ mutavit in *ipsuc.* hæc veritas est. ne quis eam arbitretur inclusam Parei calamo, millies negligenti lectionem variantem Palatinorum, dignam nota. nunc quid? reduvias curat; ulcera præterit.

11. MONENDVS NE ME MONEAT] i. *Ne sus Minervam.* Horat.1. Epist.17.
Disce, docendus adhuc quæ censet amiculus.
Auson. ad Sym. *Ego te docebo docendus adhuc, si essem id ætatis ut discerem: aut ego te vegetum atque alacrem commonebo. D.*

21. OCCIDIS ME] i. odio & molestiæ es mihi. Ter. Adelph. *Occidunt me. qui &c.* Hor. Epod. *Occidis sæpe rogando.*

22. O HOM. LEPID.] Æstuat hic Acid. sine profectu tamen, ut opinor. Nos scripturam MSS. tenuimus: quæ & Editionum vett. est.

25. TANTVM TIBI BONI &c.] Pœn. act.5:2. *Dii dent tibi omnes, quæ velis.* Quæ proverbialiter extulisse veteres constat. V. N. Sticho 2:2. & Grut. Susp.

28. DONA DABO ET F.] ita MSS. quamquam Douza, *dona facere*, Plauto indignum censet, & leg. *bona dabo & f.*

29. SOBRIE ACCVRASSIS] *Sobriè fieri* dicitur, quicquid cum cura & diligentiâ exquisitâ aggredimur. *Grut.*

31. MEDITATI SVNT] μεμελετημένοι: passivè. *Prisc. l.8.*

34. ET MAGNIFICO] Ita Gruterus legit è MS. sec. & edd. primis. ut & Cistell. act.1:1. *quia me colitis & magnificatis.* atq; idem hoc alibi sæpe vult reduci. V. N. Sticho. act.1.2. & Cistell. act.1:1. vulgo est *magnifacio.*

35. PALPVM] *Obtrudere palpum*, est arte fucoq; decipere. hinc *palpari*, adulari: & *palpones*, adulatores. Tractum ab equisonibus, &c. Amph.1:3.

38. SAVIA SVPER SAVIA] Ita omn. edd. & quid clarius? Pareus tamen arbitratur forte legendum *savia superba*: ideo scilicet quod restet in MSS. *savia superbia.* quid pote divinari venustius, quid gratiosius à tam Lynceo!

40. CARNIFEX ME ACCIPITO] Ambiguitas jocum parit. nam *accipito* personæ secundæ & tertiæ est. dumque hâc carnificem imprecatur sibi, simul illâ carnificem ipsum appellat Pseudolum. *Acidal.*

42. ST! TACE,] ita Grut. è MSS. Pall. in quibus *st.*

42. ÆDES HISCVNT] Laberius: *hietantur fores*, pro, *hietant*, i. patent. *Diomed.* Virgil.6. Æneid. *neq; enim ante dehiscent Attonitæ magna ora domus.* Tibul.1.el.5: *nec verbis victa patescit Janua.* Sic ms. Passerat.

43. LEN. EVOMVNT] Virgil.2.G.
Manè salutantum totis vomit ædibus undam.
Prudentius:
Urbs augusta suos vomit effunditque Quirites.
S. Hie-

8. Hieronymus epist. 26. *Fores, quæ prius salutantium turbas vomebant, nunc à miseris obsidentur.* Inde & *vomitoria* in Spectaculis.

43. QUID JAM?] ita MSS. aliquando Grut. l. *quianam.* Virgil.

Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi!

44. MALAM.] *Merx mala,* de homine aut re nihili. *J. Gul.*

45. NON PRORSUS] Fortasse Leno aliquid servis imperabat domo exiens: atque ideo nõ adversâ fronte, sed secundum parietem transversus egrediebatur. L. Apparet Varroni in animo hunc locum fuisse, lib. 6. de L. Lat. *Ut transversus cedit, quasi cancer; non prorsus, ut homo.* Est igitur *prorsus,* πρόσω; & *transversus,* πλάγιος. nisi Varro etiam *proversus* accepit, ut nomen: *Cam.* Immò, *prorsus* nihil planè à *proversus* differt. ita *quorsum* est *quoversum: horsum, hoc versum: aliorsum, alioversum.* Scaligero in Conject. idem hoc est, quod Cas. act. 2. 8. *imitari nepam.* intelligit καρκίνον λοξοβάτην, ut in Epigr. Græco.

45. EX TRANVERSO CEDIT] Sic Petron. *Morbos dico, funera, debilitates, & cætera ex transverso in vitam humanam incurrentia.* Interim *cedit* hoic positum pro *incedit,* quomodo & Horatius lib. 2. Sat. 1. v. 65. *nitidus qua quisque per ora cederet.* ubi consulatur Torrentius.

ACTUS IV. SCENA II.

BALLIO, PSEUDOLUS, SYCOPHANTA.

MINUS malum hunc hominem esse opinor, quàm esse censebam coquum:
Nam nihil etiam dum harpagavit, præter cyathum & cantharum.
PS. Heus tu! nunc occasio est & tempus. SY. tecum sentio.
PS. Ingredere in viam dolosè: & ego hîc in insidiis ero.
SY. Habui numerum sedulò, hoc est sextum à portâ proximum
Angiportum, in id angiportum me devorti jusserat.
Quotumas ædis dixerit, id ego admodum incertò scio.
BA. Quis hic homo chlamydatus est, aut unde est, aut quem quæritat?
Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.
SY. Sed eccum, qui ex incerto faciet mihi, quod quæro, certius.
BA. Ad me adit rectà. unde ego hominem hunc esse dicam gentium?
SY. Heus tu, qui cum hirquinâ barbâ stas, responde quod rogò.
BA. Ehò, an non priùs salutas? SY. nulla est mihi salus dataria.
BA. Nam pol hinc tantundem accipies. PS. jam inde à principio probi.
SY. Ecquem in angiporto hoc hominem tu novisti? te rogo.
BA. Egomet me. SY. pauci istuc faciunt homines, quod tu prædicas.
Nam in foro VIX DECIMUS quisque est, qui ipsus sese noverit.
PS. Salvus sum! jam philosophatur. SY. hominem ego hîc quæro malum,
Legirupam, impium, perjurum, atque improbum. BA. me quæritat:
Nam illa mea sunt cognomenta, nomen si memoret modo.
Quid est ei homini nomen? SY. Leno Ballio. BA. scivin' ego?
Ipse ego is sum, adolescens, quem tu quæritas. SY. túne es Ballio?
BA. Ego enimverò is sum. SY. ut vestitus est perfossor parietum!
BA. Credo, in tenebris conspicatus si sis me, abstineas manum.
SY. Herus meus tibi me salutem multam voluit dicere.

Hanc epistolam accepi à me, hanc me tibi jussit dare.
BA. Quis is homo'st qui jussit? PS. Perij, nunc homo in medio luto est,
Nomen nescit. haret hac res. BA. quem hanc misisse ad me autumas?
SI. Nosce imaginem: túte ejus nomen memorato mihi,
Ut sciam te Ballionem esse ipsum. BA. cedò mihi epistolam.
SI. Accipe: cognosce signum. BA. ohò! Polymacharoplacides
Purus putus est ipsus: novi: heus! SI. Polymacharoplacides
Nomen est. scio jam tibi me rectè dedisse epistolam.
Postquam, Polymacharoplacida elocutus nomen es.
BA. Sed quid agit is? SI. quod homo edepol fortis, atque bellator probus.
Sed propera hanc pellegere quaeso epistolam; ita negotium est;
Atque accipere argentum actutum, mulierémque mihi emittere.
Nam necesse hodie Sicyoni me esse, aut cras mortem exsequi,
Ita herus meus est imperiosus. BA. novi, notis pradicas.
SI. Propera pellegere epistolam ergo. BA. id ago, si taceas modò,
Miles lenoni epistolam
Conscriptam mittit Polymacharoplacides,
Imaginem obsignatam, qua inter nos duo
Convênit olim. SI. symbolum est in epistolâ.
BA. Video, & cognosco signum. sed in epistolâ
Nullam salutem mittere ne scriptam solet?
SI. Ita militaris disciplina est, Ballio:
Manu salutem mittunt benevolentibus;
Eâdem malam rem mittunt malevolentibus.
Sed ut occepisti, perge operam experirier,
Quid epistola ista narret. BA. ausculta modò.
Harpax calator meus est, ad te qui venit.
Túne is es Harpax. SI. ego sum; atque ipse Harpax quidem.
BA. Qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipi,
Et cum eo simitu mulierem mitti volo.
Salutem scriptam dignum est dignis mittere:
Te si arbitrarem dignum, misissem tibi.
SI. Quid nunc? BA. argentum des; abducas mulierem.
SI. Uter remoratur? BA. quin sequere ergo intrò. SI. sequor.

VERSUS terram. catal. trochaici, usque ad A hunc, *Miles lenoni.* unde deinceps hujus Sc. itemque sequentium quatuor, senarii.

4. DOLOSE; ET EGO] MSS. turbant. huc tamen videntur ire. I. Gul. I. *dolosè. I, ego b.*

6. JUSSERAT.] ita Pistoris cum Venetâ. i-ta & Acid. & ita meæ ed. sola Carpent. *jusseras.* quo modo etiam MSS.

7. QUOTUMAS] *words, quotas.* infrà, 4: 7. *quotumo die.*

8. CHLAMYDATUS] ita Sc. 7. *chlamidatae, &c. Chlamys*; viatoria vestis est: & hinc *Chlamydatos*, qui peregrè advenirent, ab habitu ferè vocabant.

9. PEREO. FACIES] & forma simul & ornatu. Trinum. 4. 2. *Illyrica facies videtur hominis, eo ornatu advenit.* Proper. 2. el. 25. *Vidisti* quan-

quandam Argiva prodire figura. i. Græcarum mulierem facie atque ornatu. Passerat.

11. CUM HIRQUINA BARBA] τραγοπώγων, Bocksbarte Geißbart. Hinc observant Meursius, & Lindenbruch, *hirquinam barbam* pro convitio objectam olim: ut & apud nos. Apulejus Milesiis lib. 11. *Qui pallio baculoque & baxeis & hircino barbitio Philosophum fingeret.* Ammianus Marcell. lib. 22. de Juliano: *Barbam præ se ferens hircinam.* Id. lib. 25. *Hirsutâ barbâ in acutum desinente vestitus.* Hinc & *Capella* vocatus fuit Julianus.

13. DATARIA] *Dataria*, à dando: ut alibi, *ferentarium amicum* dixit.

14. A PRINCIPIO PROBI] ita MSS. *probi*: ut de utroque, qui parissimi invicem, intelligatur. Notavit & Schop.

16. PAUCI IST. F.] Jocus in ambiguo. Difficillimum est, seipsum nosse. Celebratur illud Thaletis, de quo Juvenal. *è cælo descendit*, γνῶθι σεαυτόν.

17. DECIMUS QUISQUE] MSS. & antiquitus impressi, *quisquie*. quod Pareus in contextum transtulit, versui injuriosè sedulus.

18. JAM PHILOSOPH.] ita MSS. Grut. l. *etiam philosophatur.* Capt. act. 2. 2. *Salva res est, philosophatur quoque.*

21. SCIVIN'] nonné ego scivi, me quæritari?

22. IPSE EGO IS ADOLESCENS] Ita erui ex MSS. in quibus, *Ipse ego istum adolesc.*

23. PERFOSSOR P.] τοιχωρύχος. Cic. in Vatin. *Licet impune per me parietes in adolescentiâ perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris.* Iidem & *Effractores.* ICtis dicti: item *vecticularii*, quòd *vecte*, i. palo verreo, muros furandi gratiâ perfodiant. atque hi *vecticulariam facere* dicuntur & eorum vita *vecticularia.* Hinc & Thraso Ter. Donacem cum *vecti venire jubet ad ædium expugnationem.* Vide I. Langlæum Orio Sem. l. 8. c. 3. Porrò veteres Lenonibus versicolorum habitum attribuisse, docet Jul. C. Scaliger: atque eosdem raso capite & calvos in Scenam inductos; Turnebus l. 29. 36.

27. IN MEDIO LUTO EST] i. non potest se expedire. L.

28. HÆRET H. RES] V. N. Amph. 2. 2.

30. TE BALL. ESSE IPSUM.] Ita ambo Pall. falsò ex eis reposuit in textum Pareus *Ballionem te esse ipsum.*

31. COGNOSCE SIGNUM.] Linum fuit vinculum, quo epistola obligabatur, & cui signum ipsum impositum impressumque. Nec epistolam aperire fuit, nisi illo soluto. Inde *linum incidere*, apud Cic. & passiva vulgataq; phrasis, *Solvere epistolam.* Ferè autem signum cum eo fractum: ideóque jubebant semper antè apertionem Signa agnosci, fidei caussâ. ita & Cic. in Catil. *ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi, cognosceretne signum?* Vide Lipsium Instit. Epistol. c. 4. & Not. Bacchid. act. 4. 6. item Amphitr. act. 1. 1.

31. OHO] ita MSS. qui & *hem* illud vulgg. non agnoscunt.

32. PURUS PUTUS] verus & germanus. *Putum*, ait Festus, *pro puro dicebant: unde, putatæ vites; quòd, cum id, quod impedimento erat decisum est, remanent pura*, ut Cornif. ait.

32. NOVI. HEUS.] Acid. personas ordinat: *novi. heus, Polym. Nomen est. SY. scio. j.* Sed bona hypocrisis vulgatum etiam probet.

38. ME ESSE] Pareus contra MSS. & cusos *med esse*; tanquam versus requireret. Si consuluisset prius opiliones aut adeò bubulcos; ab eis didicisset, ita corrumpi.

39. NOTIS] hîc pro iis, *qui norunt*, activè. *Sic ignotus*, qui non novit. Cic. ad Lucejum: *Ignotus nota faciebant.* Vide Aus. Popmam.

43. IMAGINEM OB.] ita MSS. at L. Gpl. l. *Imagine obs.*

48. MANU SALUTEM &c.] elegans dilogia. Lucanus ad Pisones: *Pocula sumit ea qua gessit fulmina dextra?* Virg —— *dextramque potentem sive fide seu quis bello expertus & armis.* Proper 2. el. 16. *Illa qua vicet, condit & arma manu.* Passerat.

50. OPERAM EXP.] Lips. l. *operâ experirier.*

52. CALATOR] Festus: *Calatores dicebantur servi, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quod est vocare: quia semper vocari possent, ob necessitatem servitutis.* Calatores, ἐκβιβασταί ἱερέων. δοῦλοι δημόσιοι. *Calator*, κλήτωρ: Glossæ Græcorum. ita Isidorus: *Calator, minister, sacrorum.* Et erant libertini, ut patet ex Tacito. Vide Scaligerum ad Festum, in *Calatores*: in *Curiales*: in *Respici avis*. item Tit. Popmam.

54. ACCIPI] ita è MSS. Cam. restituo, in quibus est, *accipiet.*

ACTUS

ACTUS IV. SCENA III.

PSEUDOLUS.

PEIOREM ego hominem magisque versutè malum
Nunquam edepol quenquam vidi, quàm hic est Simia.
Nimisque ego illum hominem metuo & formido malè,
Ne malus item erga me sit, ut erga illum fuit,
Ne in re secundâ nunc mihi obvertat cornua;
Si occasionem capsit qui siet malus.
Atque edepol equidem nolo: nam illi bene volo.
Nunc in metu sum maximo, triplici modo.
Primum omnium jam hunc camparem metuo meum,
Ne deserat me, atque ad hostis transeat.
Metuo autem ne herus redeat etiam dum à foro,
Ne captâ prædâ capti prædones fuant.
Cùm hæc metuo, metuo ne ille huc Harpax adveniat,
Priusquam hinc hic Harpax abierit cum muliere.
Perij hercle! nimium tardè egrediuntur foras.
Cor colligatis vasis exspectat meum,
Si non educat mulierem secum simul,
Ut exulatum ex pectore aufugiat meo.
Victor sum: vici cautos custodes meos.

OBVERTAT CORNVA] i. mihi adversetur. Apulejus Apolog. 2. *Superest ea pars epistolæ, quæ similiter pro me scripta in memet ipsum vertit cornua.*

6. CAPSIT] i. ceperit. In MSS. est. *Si occ. ceperit capsti qui sit malus.* In vett. edd. *si occ. ceperit cautio est. q. sit m.*

9. COMPAREM] *Compar*, cujusvis rei aut muneris socius. unde & *conjuges*, qui divinæ & humanæ domûs socii sunt, *Compares* vocat Plin. lib. 18. Vide I. Langlæi IC. Ootium Sem. lib. 7. cap. 5.

11. ETIAM DVM A. F.] ita MSS. at I. Gul. l. *etiam domum à foro.* Nam sic, inquit, numeri pleniores sunt: & res geritur propè do- A mum Simonis: & ille si domum hoc articulo temporis revertisset, insidiator Pseudolus oppressus manifestò esset.

12. PRÆD. FVANT] MS. sec. & vett. ed. *fiant.*

16. COR COLLIGATIS V.] sumptum à re militari, ubi vasa colligunt aut [illegible]antes fugam aut castra mutantes: *D.* Sic Ter. B Phorm. I. 4. *Convasassem aliquid.* Pareus, quo est judicii stupore, sphalma typographicum transcripsit in Electis; dum totidem literis nostra inuncat. edidit enim *castrametantes*, quod falsissimum est. imò tunc milites non colligunt vasa, sed collecta potius expediunt.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA IV.

SYCOPHANTA, PSEUDOLUS.

NE plora! nescis ut res sit, Phœnicium,
Verùm haud multo pòst faxo scibis accubans.
Non ego te ad illum duco dentatum virum
Macedoniensem, qui te nunc flentem facit.
Cujam esse te vis maximè, ad eum duco te:
Calidorum haud multo pòst faxo amplexabere.
PS. Quid tu intus quæso desedisti? quàm diu
Mihi cor retunsum'st oppugnando pectore!
PY. Occasionem repperisti, verbero,
Vbi perconteris me insidiis hostilibus:
Quin hinc metimur gradibus militariis.
PS, Atque edepol, quanquam nequam homo es, rectè mones.
Ite hàc triumphi ad cantharum rectà via.

DENTATVM] vel magnis dentibus, vel mordacem: L.

11. QVIN H. METIMVR] ita MSS. Camer. & omn. edd. vett. nisi quòd *hic* aut *hy*, pro *hinc* scribant, Passeratius: Alii libri *metimur*; ut *viam* subaudias. sed potius est *comitamur*, quod propriè, unà imus. Ovid. 8. Metam: *Et nostros comitate gradus, & in ardua montis Ite simul.* I. Douza, Nescio an hoc satis Latinè, inquit. Rescribo,

Quin hinc metamur gradibus militaribus.

hoc enim purum putum castrense ac militare vocabulum. *Gradus* verò *militares* interpretor, quibus ex militari disciplinâ Caculæ seu Calones ingredi antiquitùs consueti. V. N. Sticho, act. 2. 3. & Pœnulo act. 3. 1. Gradu militari horis quinque æstivis XX. millia passuum conficiuntur: ut annotat Lambinus è Vegetio. V. & N. Asin. 2. 4.

12. NEQVAM] MS. uterque *nequa*.

13. ITE HAC TRIVMPHI] Hunc versum in vett. MSS. Turnebus lib. 20. 10. Lamb. reperisse testantur. Et apparet etiam in Pall. MS. primo.

ACTUS IV. SCENA V.

BALLIO leno.

HA hæ! nunc demum mihi animus in tuto est loco,
Postquam iste hinc abiit, atque abduxit mulierem.
Mihi libet nunc venire Pseudolum scelerum caput,
Et abducere à me mulierem fallaciis.
Conceptis hercle verbis satis certò scio
Ego perjurare mavellem me millies,
Quàm mihi illum verba per deridiculum dare.
Nunc deridebo hercle hominem, si convenero.
Verùm in pistrinum, credo, ut convénit, fore.

Nunc ego Simonem mihi obviam veniat velim,
Ut meâ lætitiâ lætus promiscam siet.

MIHI LIB.] Pes anapæst. Jul. C. Scalig. At Acid. illud *Mihi* & versum & sensum gravare ait, nec vett. libr. agnoscere. neque adeo MSS. Cam. Agnoscit tamen Paris. & Arg. & Ven. edd. primariæ. Pareus livore ebrius, quæ heic adnotata sunt ad versum tertium, ita vidit tanquam si servirent versui primo. itaque exclamat. τὸ *mihi* uterq. MS. Pal. agnoscit. qua confidentia igitur affirmare ausi quidam fuerunt, ab chirographis hanc dictionem abesse? & nihilominus tamen in suo textu reliquerunt. Quantum potest odii malignitas! Lynceos, talpas reddit.

6. EGO PERIVRARE] ita MSS. Sed J. Kotteritius L. *perbitere*, i. perire. quod vorago novitatis Pareus recepit statim in editionem primam; imo & in Lexicon suum, tanquam Plauti germanum.

11. PROMISCAM] i. promiscuè: Festus. ita Varro:

Unam Virtutem propriam mortalibu' fecit:
Cæteras promiscam voluit communia haberi.

In MS. sec. & omn. edd. est, *promiscua.* in MS. pr. *promisca.*

ACTUS IV. SCENA VI.

SIMO senex, BALLIO leno.

VISO quid rerum meus Ulysses egerit,
Jámne habeat signum ex arce Ballioniâ.
BA. O fortunate, cedo fortunatam manum,
Simo. SI. quid est? BA. jam. SI quid jam? BA. nihil est quod metuas. SI. quid est?
Venitne homo ad te? BA. non. SI. quid est igitur boni?
BA. Minæ viginti sanæ ac salvæ sunt tibi,
Hodie quas abs te inde est instipulatus Pseudolus.
SI. Velim quidem hercle. BA. roga me viginti minas.
Si ille hodie illâ sit potitus muliere,
Sive eam tuo gnato hodie, ut promisit, dabit.
Rogato hercle obsecro! gestio promittere.
Omnibus modis tibi esse rem ut salvam scias,
Atque etiam habeto mulierem dono tibi.
SI. Nullum periclum est, quod sciam, stipularier.
Ut concepisti verba, Viginti minas.
Dabin? BA. dabuntur. SI. hoc quidem actum'st haud male.
Sed hominem convenistin? BA. imò ambos simul.
SI. Quid ait? quid narrat? quæso! quid dicit tibi?
BA. Nugas theatri, verba quæ in Comœdiis
Solent Lenoni dici, quæ pueri sciunt:
Malum & scelestum, & perjurum ajebat esse me.
SI. Pol haud mentitu' st. BA. ergò haud iratus fui.

Nam

„ *Nam QVANTI REFERT TE nec-rectè dicere,*
Qui nihili faciat, quique inficias non eat?
SI. Quid est, quod non metuas ab eo? id audire expeto.
BA. Quia nunquam ab me abducet mulierem jam; nec potest.
Meministine tibi me dudum dicere,
Eam vænisse militi Macedonio?
SI. Memini. BA. hem illius servos huc ad me argentum attulit,
Et obsignatum symbolum. SI. quid postea?
BA. Qui inter me atque illum militem convenerat:
Is secum abduxit mulierem haud multo prius.
SI. Bonán' fide istuc dicis? BA. unde ea sit mihi?
SI. Vide modò ne illic sit contechnatus quippiam.
BA. Epistola atque imago me certum facit.
Quin jam quidem illam in Sicyonem ex urbe adduxit modò.
SI. Bene hercle factum. quid ego cesso, Pseudolum
Facere, ut det nomen ad molarum coloniam?
Sed quis hic homo est chlamydatus? BA. non edepol scio,
Nisi ut observemus quò eat, aut quàm rem gerat.

SIGNVM] Phœnicium. ut olim Ulysses ex arce Trojanâ Palladium. Vid. N. Bacch. 4: 9. A

6. QVAS ABS TE INDE EST INSTIPVLATVS] ita MSS. Cam. & omn. edd. At Prisc. lib. 8. legit; *quas abs te est instipulatus.* Camer. & Lamb. ediderunt, *quas abs te indest stip.* ut, sit tmesis, pro, *est instipulatus.* nam *d* versum sustinet. Promiserat autem Simo, se viginti minas daturum Pseudolo, si ab Lenone mulierem abduceret. Rud. 5. 3.

9. SI ILLE HOD.] V. N. Curcul. 1. 1. De vi autem & formâ hujus lenoniæ stipulationis vide N. suprà act. 1. 1. Parei utraque editio *illic*, sed contra MSS. & edd. vett. B

14. NVLLVM PERICVLVM] Qui enim *stipulatur*, se ipse non obligat, nisi accedat *restipulatio.* Pass.

19. NVGAS TH.] Donatus ad Ter. Eun. vocat *convitium Comicum.*

21. MENTITVST.] V. N. Merc. act. 5. 2. Brix. *p. b. mentitus est.*

22. ERGO HAVD IR.] *Ergò*, i. ob eam caussam, quòd non mentitus fuerit. ita Gru. & MS. Al. *ego.*

23. NEC-RECTE D.] *Loqui nec rectè*: vel, *Nec rectè dicere*, est maledicere. κακῶς λέγειν: Turneb. V. N. Bacch. 4. 4.

27. MEMINISTIN T.] ita MSS. & omn. editi. Unus Brix infercit, *obsecro.*

31. QVI INT. M.] Ad symbolum referatur.

33. UNDE EA SIT] falsè *vineta sua ipse cædit*, ut loquitur Horat.

36. ABDVXIT] ita MSS. & edd. præter Paris. qui leg. *abduxit*: nec sic malè.

38. AD MOLARVM COLON.] Alludit ad morem Rom. quo, qui educendi erant in aliquam coloniam, in eam nomen dabant. Sic Asin. 2. 2. *O catenarum colone!* Et docet Scip. Gentilis Parerg. l. 1. c. 35. *Coloniæ* nomen passim in nostro, & apud ICtos, pro quâvis etiam habitatione & conductione coloni seu domicilii sumi. Porrò editio vetus servat, *ad molariam coloniam.* MSS. verò *ad molas coloniam*, quod minimè ineptum.

ACTUS IV. SCENA VII.

HARPAX, SIMO, BALLIO.

MALUS & nequam est homo, qui nihili imperium heri
Sui servus facit. NIHILI EST autem, suum
Qui officium facere immemor est, nisi adeò monitus.
Nam qui liberos esse illico se arbitrantur,
Ex conspectu heri si sui se abdiderunt,
Luxuriantur, lustrantur, comedunt quod
Habent, ij nomen diu servitutis ferunt:
Nec boni ingenij quicquam in his inest, nisi ut im-
Probis se artibus teneant. cum his mihi nec locus, nec sermo
Convenit, neque his unquam nobilis fui.
Ego ut mihi imperatum est, etsi abest, hîc adesse herum
Arbitror. nunc ego illum metuo, cùm hîc non abest;
Ne cùm adsiet, metuam. ei rei operam dabo.
Nam me *in tabernâ usque adhuc sineret Syrus,*
Cui dedi symbolum: mansi ut jusserat:
Leno ubi esset domi, me ajebat arcessere.
Verùm ubi is non venit, nec vocat; venio huc ultrò,
Ut sciam quid rei siet: ne illic homo me ludificetur.
Neque quicquam est melius, quàm ut hoc pultem, atque aliquem
Evocem huc intus. Leno argentum hoc volo à me accipiat,
Atque amittat mulierem nunc *mecum simul.*
BA. Heus tu? SI. quid vis? BA. hic homo meu st. SI. quî dum? BA. quia
Præda hæc mea est: scortum quærit, habet argentum.
Jam admordere hunc mihi lubet.
SI. Jámne illum comesurus es? BA. dum recens est,
Dum datur, dum calet, devorari decet: nam
Boni viri me pauperant, improbi alunt,
Augent rem meam mali; populi strenui
Damno *mihi, improbi usui sunt. SI. malum!*
Quod tibi dei dabunt, qui sis scelestus.
HA. Me nunc commoror, cùm has fores non ferio,
Ut sciam sitne Ballio domi. BA. Venus mihi hæc
Bona dat, at cùm hos huc adigit lucrifugas, damni-
Cupidos, qui se suámque ætatem bene curant;
Edunt, bibunt, scortantur. illi sunt alio ingenio atque tu,
Qui neque tibi bene esse patere; & illis, quibus est, invides.
HA. Heus! ubi estis vos? BA. hic quidem ad me rectà habet rectam viam.

HA. Heus!

HA.Heus! ubi estis vos? BA.heus! adolescens, quid istic debetur tibi?
Bene ego ab hoc prædatus ibo: novi! bona scæva est mihi.
HA.Ecquis hoc aperit? BA.heus chlamydate, quid istic debetur tibi?
HA.Ædium dominum lenonem Balliunem quærito.
BA.Quisquis es, adolescens, operam fac compendi quærere.
HA.Quid jam? BA.quia te is ipsius coràm præsens præsentem videt.
HA.Tun' is es? SI.chlamydate! cavessis tibi à curio infortunio,
Atque in hunc intende digitum: hic Leno est. BA. at hic est vir probus.
Sed tu bone vir flagitare sæpe clamore in foro,
Cùm libella nusquam est, nisi quid Leno hic subvenit tibi.
HA.Quin tu mecum fabulare? BA.fabulor. quid vis tibi?
HA.Argentum accipias. BA.jamdudum, si des, porrexi manum.
HA. Accipe: hic sunt quinque argenti lectæ numeratæ minæ.
Hoc tibi herus me jussit ferre Polymachæroplacides,
Quod deberet, atque ut mecum mitteres Phœnicium.
BA.Herus tuus? HA.ita dico. BA.miles? HA.ita loquor. BA.Macedonius?
HA.Admodum, inquam. BA.te ad me misit Polymachæroplacides?
HA.Vera memoras. BA.hoc argentum ut mihi dares? HA.si tu quidem es
Leno Ballio. BA.atque ut à me mulierem abduceres? HA.ita.
BA.Phœniciúmne esse dixit? HA. rectè meministi. BA.mane:
Iam redeo ad te. HA. at maturatè propera. nam propero: vides
Iam diem multùm esse. BA.video. hunc advocare etiam volo.
Mane modò istic. jam revertar ad te. quid nunc fiet, Simo?
Quid agimus? manifestò hunc hominem teneo, qui argentum attulit.
SI.Quid jam? BA.an nescis, quæ sit hæc res? SI.juxta cum ignarissimis.
BA.Edepol hominem verberonem Pseudolum! ut doctè dolum
Commentu'st! tantundem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui arcesseret.
Pseudolus tuus allegavit hunc, quasi à Macedonio
Milite esset. SI.habésne argentum ab homine? BA.rogitas quod vides?
SI.Heus! memento ergo dimidium isthinc mihi de prædâ dare:
Commune istuc esse oportet. BA.quid, malum? id totum tuum est.
HA. Quàm mox mihi operam das? BA.tibi do equidem. quid nunc mihi es (auctor, Simo?
SI. Exploratorem hunc faciamus ludo supposititium.
BA. Adeò, donicum ipsus sese ludos fieri senserit:
Sequere. quid ais? nempe tu illius servus es? HA.planissimè.
BA.Quanti te emit? HA. suarum in pugnâ virium victoriâ.
Nam ego eram domi imperator summus in patriâ meâ.
BA. An etiam ille unquam expugnavit carcerem, patriam tuam?
" *HA. CONTVMELIAM si dices, audies. BA.quotumo die*
Ex Sicyone huc pervenisti? HA. altero ad meridiem.

BA.Strenuè me hercle isti. quamvis pernix hic est homo!
Vbi suram aspicias, scias posse eum gerere crassas compedes.
Quid ais? túne etiam cubitare solitus es in cunis puer?
SI. Scilicet. BA.etiámne facere solitus es? scin quid loquar?
SI. Scilicet solitum esse. HA.sanine estis? BA. quid hoc quod te rogo?
Noctu in vigiliam quando ibat miles, tum tu ibas simul?
Conveniebátne in vaginam tuam machæra militis?
HA. I. in malam crucem. BA.ire licebit tibi tamen hodie temperi.
HA. Quin tu mulierem mihi emittis, aut reddis argentum? BA.mane.
HA. Quid maneam? BA. chlamydem hanc commemores quanti conducta'st.
BA. Quid meret machæra? HA.helleborum hisce hominibus est opus.
BA. Eho! HA.mitte. BA. quid mercedis petasus hodie domino demeret?
HA. Quid, domino? quid somniatis? mea quidem hæc habeo omnia,
Meo peculio empta. BA.nempe quod femina summa sustinet.
HA. Vncti hi sunt senes, fricari sese ex antiquo volunt.
BA. Responde obsecro hercle hoc verò seriò, quod te rogo:
Quid meres? quantillo argento te conduxit Pseudolus?
HA. Qui istic Pseudolu'st? BA.præceptor tuus, qui te hanc fallaciam
Docuit, ut fallaciis hinc à me mulierem abduceres.
HA. Quem tu Pseudolum, quas tu mihi prædicas fallacias?
Quem ego hominem nullius coloris novi. BA.non tu istinc abis?
Nihil est hodie hic Sycophantis quæstûs: proin tu Pseudolo
Nuncies; abduxisse alium prædam, qui occurrit prior
Harpax. HA.is quidem edepol Harpax ego sum. BA.imò edepol esse vis.
Purus putus hic sycophanta est. HA.ego tibi argentum dedi,
Et dudum adveniens extemplo symbolum servo tuo,
Heri imagine obsignatam epistolam hic ante ostium.
BA.Meo tu epistolam dedisti servo? cui servo? HA. Syro.
BA.Non confidit. sycophanta hic nequam est: nugis meditatur male.
Edepol hominem verberonem Pseudolum! ut doctè dolum
Commentu'st! tantundem argenti, quantum miles debuit,
Dedit huic, atque hominem exornavit, mulierem qui abduceret.
Nam illam epistolam ipsus verus Harpax huc ad me attulit.
HA.Harpax ego vocor: ego servus sum Macedonis militis:
Ego nec sycophantiosè quicquam ago, nec maleficè,
Neque istum Pseudolum mortalis qui sit novi, neque scio.
SI.Tu, nisi mirum'st, Leno, planè perdidisti mulierem.
BA.Edepol næ istuc magis magisque metuo, cùm verba audio.
SI. Mihi quoque edepol jamdudum ille Syrus cor perfrigefacit,
Symbolum qui hoc accepit. mira sunt! Pseudolus est.
Eho tu! quâ facie fuit dudum, cui dedisti symbolum?

HA. Rufus

HA. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus. SI. perdidisti, postquam dixisti pedes.
Pseudolus fuit ipsus. BA. actum est de me. jam morior, Simo.
HA. Hercle haud te sinam emoriri, nisi argentum mihi redditur,
Viginti minæ. SI. atque etiam mihi alia viginti minæ.
BA. Auferetur id præmium à me, quod promisi per jocum?
" *SI. DE IMPROBIS viris auferri præmium & prædam decet.*
BA. Saltem Pseudolum mihi dedas. SI. Pseudolum ego dedam tibi?
Quid deliquit? dixin' ab eo tibi ut caveres, centies?
BA. Perdidit me. SI. at me viginti commodis multavit minis.
BA. Quid nunc faciam? HA. si mihi argentum dederis, te suspendito.
BA. Di te perdant! sequere sis me ergo hàc ad forum, ut solvam. HA. sequor.
BA. Hodie ego peregrinos absolvam, cras agam cum civibus.
Pseudolus mihi centuriata habuit capitis comitia,
Qui illum ad me hodie allegavit, mulierem qui abduceret.
Sequere tu. nunc ne exspectetis dum hàc domum redeam viâ.
Ita res gesta est: angiporta hæc certum est consectarier.
HA. Si graderere tantum quantum loquere, jam esses ad forum.
BA. Certum'st mihi emortualem facere ex natali die.

CONFUSI numeris versûs trimetri plerique: unus dim. jam. acatalect. usq; ad hunc; *Edunt, bibunt*, unde deinceps procedunt tetram. catalect. troch. per hanc reliquam, & proximam etiam Scenam.

V. 3. NISI ADEO MON.] ita Grut. è MS. secundo. & ita omn. editi. Vulgo, *nisi est admonitus.*

6. LUXURIANTUR, LUSTRANTUR] Casinâ; *Ubi lustratus, ubi bibisti?* Scal. ad illud Catull. Carm. 109. ——*tamen ipse est maximus lustro*; notat; *Lustro, lustronis*, est, qui in lustris patrita & avita absumit. Nævius: *Pessumorum pessime, audax, ganeo, lustro, aleo.* Et verbum *Lustrari*, Lucillius:
Quem sumptum facis in lustris circa oppida lustrans.
Plautus, *Luxuriantur, lustrantur, comed.* Et *lustramentum* apud JCtum ἀνάλγη, ἀφροδισιασμός. Jos. Mercerus ad Nonium, monet in mss. suis omnino fuisse *luxantur*. additq; in Festo haberi, *luxantur, à luxu dictum*, id est *luxuriantur*. quasi Plauti hunc locum habuerit in animo. & verò Gruterus non pro nibilo habet, duorum hunc Grammaticorum consensum, autumatq; præterea, legen- A dum: *comedunt quod habent, quod non habent.* excidisse. a. alterum exscriptorum inscitia.

24. IAM ADMORDERE] P. Colvius obscenum hoc putat. At J. Gruterus negat: sed ab aviditate metaphoram esse sumptam ait. Asin. act. 2:2. *Jam devorandum censes.*

29. DAMNO MIHI, IMPROBI USUI SUNT] illud *Damno* manavit à Camerario, sanè in edd. primis solum extat, *strenui mihi improbi usui sunt*: quomodo etiam Pal. sec. nam primus plane respondet nostræ editioni, nisi quod non adsit *Damno*. falso enim Pareus adnotavit MSS. abesse etiam *mihi*. visitur B profectò literis omnibus. Gruterus suspicabatur emendandum, *strenui Inusui, improbi usui sunt.*

33. BONA DATAT] Grut. è MSS. Cam. legit, *Bona datat*. prius erat *dat*.

34. BENE CURANT] *Curandi* verbo, ut & *Præbendi*, in rebus vitæ ac victui necessariis utebantur. hinc apud Hor. —— *bene curata cute*. Apul. *prolixè quàm curabat!* i. quàm benignè & opiparè excipiebat! Cic. *se curare*. Virg. *confecta curant*, Æn. 4. & 8. Ter. Adelph. *curasti te molliter.*

39. BONA

39. BONA SCÆVA] V. N. ſuprà Prologo. *Scævum*, ait Feſtus, *à Græcis; qui ſcævum dicunt ſiniſtrum. Varro: ——ne quid obſit bonæ ſcævæ cauſſâ*, (i. bonæ rei cauſſâ) *Inde Scævola appellatus; à ſiniſtrâ: quòd quæ ſiniſtra ſunt, bona auſpicia eſſe exiſtimantur.* (V. N. Epid. 2:2.) *à quo dicuntur Comitia, aliudve, quod fit ave ſiniſtrâ, ſcæva.* Gloſſar. ἀριστερὰ χείρ. Vide Scalig. Feſto, & Conject. item Turneb. l. 8. 11.

41. ÆDIVM D.] De metro hujus verſûs vide Scalig. Poetic.

44. A CVRIO INFORT.] ita MSS. & omn. editi, (præter Pariſ. quæ l. *à diro infr.*) i. à vita curarum plenâ: cujuſmodi eſt amatorum. nec diſplicet Paſſeratio. Palmerius: De *malo curio* quæ hìc alii nugantur ea ſcilicet ad Luciani libros referenda ſunt, quibus is titulum fecit. *De veritate hiſtoriæ.* Puto verum eſſe, *Thurio infortunio.* nam Longobardicis notis hæ litteræ ejuſdem ſpeciem præbent. *Thurii* ſunt iidem Sybaritæ. hi luxu & lenoniciis deorumque contemptû perierunt, ut locum Proverbio facerent. Qui ergò hoc per jocum monebat, ut à lenone caveret, ita potuit facere familiariter: *cave à malo Thurio.* Id quanto verius eſt, quàm illud *malum Curium? &c.* Lipſius, Antiq. Lect. lib. 5. cap. 9. Quod iſtud, inquit, *Curium infortunium?* An à *cura* ductum? ut *Agnus curio*, in Aulularià? an potius eſt legi, *Curtio infortunio?* nam Curtium ſcimus, cùm Romæ terra hiaſſet, & poſtulionem (i. poſtulationem) dii manes vellent, immiſſo equo præcipitaſſe in foveam. itaq; cùm vulgò utamur, *In foveam decidere*, pro decipi, induci: fortè idem Plautus per ambages indicans, *Curtium infortunium* dixit: id eſt, cave ne Curtii exemplo, in foveam præcipitère. idem Perſâ: *ego ille doctus leno pane in foveam decidi.* & ſic ſtatim editio Parei prior: jactatque in Lexico; eàm Lipſii lectionem ſolam eſſe ad palatum ſuum: niſi forte cum Paſſeratio ex vett. edd. legamus *à diro inf.* At in ſecunda admiſit *curio.* At Iſ. Pontanus, Analect. l. 3. c. 19. leg.

——*cave ſis tibi à crucio infortunio.*

Feſtus: *Crucium quod cruciat.* unde & *vinum* olim *crucium*, i. aut adſtrictiori ſignificatu, *crucium infortunium* capias *ſerviles* (ut Tacitus loquitur) *cruciatus.* Juvenal. *Pone crucem ſervo.*

45. DIGITVM] porrecto medio ſeu infami & impudico, lenonem deride ac contemne. Is digitus, ut notat Pareus in Electis, dicitur Acroni *famoſus*, Græcis ἰατρὸς, ſicut *medicus* Martiali. ſed, inquit *Impudicus* inepta prorſus ratione, meo judicio dicitur, quia Medici eo digito vulnerum putredines tangere ſolent. fortaſſe rectius *medium* dixeris. Qualis Advocatus! imò Paree, adi ſis Apothecariorum pueros, & diſces ab eis quæ neſcis. interim nullo modo hìc obligas tibi Medicinam. Quamvis enim tuo arbitratu *medicus* mutetur in *medium*, obtinet tamen adhuc idem nomen apud Græcos. nugonem verè nugaciſſimum! ab orbe condito iſtis magis fatua nunquam prodiere.

46. FLAGITARE] à creditoribus.

58. MATVRATE PROP.] ita Grut. è vett. edit. *at maturatè pr.* item, Mil. 4:2. *Jube maturatè illam exire.* V. N. ibid. Parei utraque editio, neſcio quare, forte quod putaret ſupra verſum, ejecit dictionem *propria* fecitq; *propere. nam vides*, non modò contra MSS. editosq; univerſos, ſed & rationem metri.

59. DIE] pro, *diei.* V. N. Amph. act. 1: 1.

62. IVXTA CVM IGNAR.] æque neſcio atque ignariſſimi. V. N. Aul. act. 4: 7.

69. QVID MALVM?] Jocus. *Malum* interjectiva particula, in indignatione ſollemnis. ſed & damnum & cruciatum notat. dumq; hoc dicere videtur; Quid adeò commune lucrum iſtuc poſtulas? totum id quidem eſt tuum. illud interim dicit: Quid commune tibi poſtulas mecum? Malum? id verò totum tuum ſit: nec mihi partem inde peto. *Acid.*

70. BA. TIBI D. EQ. Q.] ita Acid. ſenſu cogente, perſonas hìc ordinat. Sed quæ idem porrò turbat, nolui admittere: cùm bonus aliquis Roſcius vulgatum etiam celebret.

71. FAC. LVDO] ita MSS. & omnes editi. Lamb. *ludos*, invaſitq; utraq; editione Pareus carpitq; editores Camerarium, Taubmannum, alios, quod *ludo* in textum receperunt. tànquam id ipſum ſequens verſus arguit. Neq; eſt quod provocemus ad fidem membranarum. Vates enim ille noſter affirmat, ... iis libris Pall. excidiſſe ob ſequentem dictionem, ut ſæpè. ò rationem omni ratione firmiorem! ſed tamen quid ſi negem? quo probas? puerilitatem iſtæc reſipiunt prorſus ridiculam. Et talis infans nobis imperat?

75. NAMQ.

75. NAMQ. EGO] Grut. è MS. *Nam egod eram d.* quod viginti post annos & amplius, Pareus ut industriæ suæ acceptum feramus exigere videtur.

78. ALTERO AD MER.] uno die integro & dimidio.

79. STRENVO] MSS. *strenui.*

79. QVAMVIS PERNIX] ita MSS. & omnes editi. Menæchm. act.2:2. *quamvis ridiculus est*, i. admodum rid. Trin. *Multa ego possum docta dicta & quamvis facundè loqui.* Quod magis etiam arridet Pistori.

82. ETIAMNE FACERE S. ES] Ita edd. primæ. Gruterus maluisset, *Scilicet. BA. Etiamne solitus es puer? scin' quid loquar?* neq; enim pueri meritorii faciunt, sed patiuntur: ignorataque vis illius, *solitus*. Ab eadem mente, *consuetum puerum*, quoque vocat Plautus Asin.3.3. v.113. & Lucr. *canes consuetos*, absolutè, sine præterea verbo; exemplo eodem, sensû alio: *At consueta domi catulorum blanda propago &c.* Nam *consuetos domi*, pellepidè appellat, contrà quàm qui *venatici*. *Consuescere* autem *domi*; ut *servari domi*, Aul. &c. In MS. sec. ita legitur: *Scilicet. BA. etiamnè facere solitum es scin quid loquar.* neq; aliter pr. nisi quod is apertè, *fatere*. ex quo fiat minima licentia, *Scilicet. BA. etiamnè fatere, solitum esse! scin quid loquar.* nam ES majusculis exaratum, valere *esse*, notum è Pandectis Florentinis.

85. CONVENIEBATNE &c.] Cato 21. cap. *Eo fistulam ferream indito, quæ in columellam conveniat & in cupam.* *Convenire*, sich schicken/gerecht sein. Scalig. in Priap. κυλὶς, *vagina*. Et sanè pars illa in nobis, quæ honestè nominari non potest, inde dicta est. quo Plautus alludere videtur.

89. QVID MERET?] quid mercedis pro ea datur domino, à quo conducta est?

89. HELLEBORVM H.] Elleborum insaniæ curandæ perutilem esse, norunt Medici. Rud. *Elleborosus sum. G. at ego cerritus.* Hor.2. Sat.3.

Danda est ellebori multò pars maxima avaris.

Vide Turn. l.21: 8.

90. BA. EHO!] ita MSS. Cam. & vett. edd. Vulgati, *Eo.*

90. DEMERET?] i. meretur?

91. QVID, DOMINO? QVID] MSS. Pall. *Quid; domino? quid socij? quid s.* Hinc Schop. facit; *quid socci? q. som.* recensere enim omnia ornamenta Scenica Lenonem. Vide Suspect. Lect.1:13. In nulla tamen edd. apparet. Pareus id primùm in textum admisit: mutato etiam *Quid* in *Quoi* cum Rittershusio. omnino contra legem trochaicorum. nam si novas has voces retinemus, delendæ, *Quid domino.* & ita forsan quoq; sensit Lambinus, qui etiam in suis reperit *quid socy*, mutabatq; in *socci.*

92. MEO PECVLIO] Ad eam rem dictum etiam in Phallicis: *Pulcrè pensilibus peculiati.* Petronius in Satirico Massiliensi: *prolatoq; peculio stuprum rogare cœpit.* In vitâ Heliogabali leguntur *homines bene vasati & majoris peculy.* *Vasa* quoq; in eam partem dicebant. Unde *vasati* Lampridio, qui in Phallicis *bene peculiati*. Alludit Pl. Pœnulo:

Facio quod manifestò mœchi haud fermè solent.

MI. Quid est? ST. refero vasa salva. Græcorum imitatio. nam apud Medicos ea pars τὸ σκεῦος vocatur. Dicebant & *Res.* Arnobius lib. 5. *Artificy curas tum rebus adhibuisse periturus*, i. genitalibus. in eodem: *Ocriculam imperavisse captivæ, ut intelligeret, & cognosceret, quid sibi res vellent.* Loquitur de illis veteris quæ in foco à Tanaquile, aut Tanaquilis ancillâ inventa fuerant. Idem in versione Orphei carminum:

Objecitque oculis formatas inguinibus res.

Etiam in Galliâ vulgò ita loquimur, honestè rem fœdam circumloquentes: *Scaliger in Phallicis.* Vide & Not. Pœn. act.4: 2.

92. FEMINA S. SVSTINET] nempe eo peculio emisti, quod supremas partes feminum sustinet. *pygam* Horatianam notat. &c. L. Ita Gul. Canterus Nov. Lect. l.7: 16. Ut me, inquit, breviter absolvam; *femina* hic non mulierem, *sed femora* significant: quod cùm non intellexissent nonnulli, *Sustinent* in *sustinet* perperàm mutarunt. Quam quidem corporis partem summa sustinent femina, nemo dubitat. Eam videlicet innuit, quam Gracco Corneliam dicit præbuisse Martialis, lib.11:105. Etiam Cælius Curio *femina* hic de interiore coxâ interpretatur. V. N. Persa 2:2. Sanè in MSS. Cam. & vet. edd. est; *sustinet*, ἰνικῶς. in Paris. *sustinent*, quod etiam amplectitur Passeratius.

93. VNCTI HI S.] Ungebantur priùs veteres, deinde fricabantur. Significat hos senes libidine prurire, & velle fricari. Lambinus. At Pareus hinc talem format aphorismum: Senes etiam nuptias inhiant, & plerumq; libidinosi. Stich.4. 1. v. 65. Quid non excogitat malignitas? At quomodo istud locum habet, si vera sunt, quæ eodem titulo posuit: *Senes plerumq; sunt sputatores, screatores, & muccidi. Senectus hiems vitæ. Senes ad Venerem inepti. Senectus ut Ætna onus gravius.* quomodo, inquam, hæc inter se conveniant, scire aveam. ô præligatum pectus! ô morum præceptorem unicum!

99. NVLLIVS COLORIS N.] qui homo mihi planè est ita ignotus, ut id, quod nullo colore præditum est. Vide Proverb. *Albus an ater sit, nescio.* Phædrus Fab. 54. l.3. *Unde illa scivit, niger an albus nascerer?* Apul in Apolog. *Etiam libenter te, nuper usq; albus an ater esses, ignoravi.* quod summi contemptus indicium.

107. NON CONFIDIT] ut decet mendacem. Milite, act. 2: 4.

107. SYC. H. NEQVAM] imperitus sycophantiarum artifex.

108. EDEPOL H.] Hos tres versus, qui superiùs etiam leguntur, hinc exturbat Acidal. cùm nec in Colon. nec Ald. nec Florent. edd. legantur. In edd. tamen primis omnib. ut & in MSS. hîc etiam leguntur. Acidalianam transmutationem Pareus secutus est in editione sua.

112. MACEDONIS] ita MSS. & omn. edd. at D.F. leg. *Macedonii*.

118. MIRA SVNT! EST PSEVDOLVS] ita MSS. & omn. ed. præter Brix. quæ leg. *ni Pseud.* Sed alterum in hypothesi elegantius. versui egregie consulatur, si concedimus ob iterationem geminam excidisse, *mira sunt! est Pseudolus! Pseudolus est!*

119. QVA F. FVIT] Acid. l. *fubit.* propter versum: sed jam eo nihil opus. detraxi enim à versu præcedenti *eho*, & apposui isti, suadente utroq; MSS. Pall. quibus neglectis, Pareus *ni* utraq; admisit editione, tanquam si invenisset in chirographis. de eo enim totus tacet.

120. RVFVS Q.] Sanè & ipse in iis sum, qui opinantur, Plautum hîc suam ipsius faciem pinxisse.

121. ACVTIS OCVLIS] Quomodo acumen illud oculorum perspici poterat? Legendum fortasse, *argutis*, h.e. vibrantibus & radiantibus, ut apud Ovidium Eleg. 2. & 3. lib. 3. Amorum. Passerat.

124. HA. HERCLE] ita personas ordinat Acidal. sententia flagitante. nam *Harpax* prior reposcit XX. minas, heri sui nomine. deinde & *Simo* suas, quas erat instipulatus.

126. QVOD PROMIS. PER IOCVM] Jus civile stipulationes introduxit, & ex stipulatû actiones. ideoque stipulationes omnes ferè ipso jure sic ex interrogatione & responsione subsistere intelligebantur, ut ad obligationem, etiamsi jocandi animo essent interpositæ, ipso jure prodessent. Ræv. l. 2: 5.

130. COMMODIS M.] V. N. Merc. 2: 3. & Rud. act. 5: 2. nescio tamen an non præponi debeat, quod est in MSS. & edd. usq; ad Lambinianam omnibus, *modicis.* interim mirarer id sprevisse Pareum, chirographorum cultorem superstitiosissimum, si uteretur ratione.

133. HODIE EGO] Loco *Hodie* est in Pall. *Quid ego.* neq; aliter edd. vett.

134. CENTVRIATA H. &c.] Significat Pseudoli consilia omnibus artibus fuisse instructissima & callidissima. Alludit ad *Comitia centuriata*, quæ erant omnium maxima. *Curiata* enim & *Tributa* erant minora. Aul. 4: 7. —— *de capite meo sunt comitia.* Trucul. 4: 3. L.

138. IAM ESSES AD] ita MSS. vulg. *isses.* iidem libri omittunt *quantum*, at edd. vett. non agnoscunt *tantum.* itaq; utrumque retinendum putavi.

ACTVS

ACTUS IV. SCENA IIX.

SIMO, senex.

BENE ego illum tetigi! bene autem servus inimicum suum.
Nunc mihi certum est, alio pacto Pseudolo insidias dare,
Quàm in alijs Comœdijs fit, ubi cum stimulis aut flagris
Insidiantur: at ego jam inultus promam viginti minas,
Quas promisi, si effecisset: obviam ei ultrò deferam.
Nimis illic mortalis doctus, nimis versutus, nimis malus,
Superavit Dolum Trojanum atque Vlyssem Pseudolus.
Nunc ibo intrò, argentum promam: Pseudolo insidias dabo.

SVPERAVIT DOLVM TR.] ita Passeratius, Gruterus & Douza F. *Dolum*, i. Dolonem. Sic *Tranium* dixit pro *Tranionem* Mostellar. 1.3. & *Electri* pro *Electrionis* Prologo Amphitruonis. Quod sic accipiendum; ut per Dolonem Ballio intelligatur, per Vlyssem Simo. Quemadmodum enim Dolo speculator in castra Græcorum missus, ab Vlysse, qui & ipse speculatum venerat, interfectus est, sic & Ballio à Simone tactus. Pareus utraque editione occurrit nobis inversa positione vocum. *Trojanum Dolum*. ob quam venerem, ob quam gratiam? MSS. certè alterum agnoscunt, item edd. vett.

ACTUS V. SCENA I.

PSEVDOLVS servus.

QVid hoc? siccine hoc fit? pedes, statin' an non?
An id voltis, ut me hic jacentem aliquis tollat?
Nam hercle si cecidero, vestrum erit flagitium.
Pergitin' pergere? ah, sæviendum mihi
„ *Hodie est. MAGNVM HOC vitium vino est,*
„ *Pedes captat primùm. luctator dolosu'st.*
Profectò edepol ego nunc probè abeo madulsa:
Ita victu excurato, ita mundicijs dignè. ah!
Itaque in loco festivo sumus festivè accepti.
Quid opus, me multas agere ambages? hoc
Est homini quamobrem vitam amet. hic omnes
Voluptates; in hoc omnes venustates sunt:
Deis proximum esse arbitror. nam ubi amans complexu'st
Amantem, ubi labra ad labella adjungit,
Vbi alter alterum bilingui manifestò
Inter se prehendunt: ubi mamma manicula
Opprimitur alia; aut, si lubet, corpora

Conduplicant: manu candidâ cantharum dulciferum
Propinare amicissimam amicitiam: neque ibi esse alium alij
Odio, ibi nec molestum, nec sermonibus morologis uti:
Vnguenta, atque odores, lemniscos, corollas dari dapsiles.
Non enim parcipromi victu cætero; ne quis me roget.
Hoc ego modo, atque herus minor hanc diem sumpsimus protbymè,
Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi, hostibus fugatis:
Illos accubantis, potantis, amantis, cum scortis
Reliqui, & meum scortum ibidem, cordi atque animo suo
Obsequentes. sed postquam exsurrexi, orant med uti saltem.
Ad hunc me modum intuli, ut illis satisfacerem ex disciplinâ: quippe ego
Qui probè Ionica perdidici. sed palliolatim amictus
Sic hàc incessi ludibundus. plaudunt partim: clamitant me ut revertar.
Occepi denuò hoc modo volvi. idem amicæ dabam me meæ,
Vt me amaret: ubi circumvortor, cado: id fuit næniæ ludo.
Itaque dum enitor (pax!) jam penè inquinavi pallium. nimiæ tum
Voluptati edepol fui ob casum. datur cantharus! bibi. commuto
Illico pallium, illud posivi: inde huc exij, crapulam dum amoverem.
Nunc ab hero ad herum meum majorem venio, fœdus commemoratum.
Aperite, aperite! heus! Simoni me adesse, quis nunciate.

VERSVS confusi, trimetri & tetrametri: & narratio simul ut ebrii inconsentanea.

V. 4. PERGITIN' PED.] pergitisne vacillare? Sic & *Pergere ludos, Pergere iter, culpam, librum,* & hæc talia: pro, in itinere, in libro perficiendo, in culpa pergere, eleganter & usitatissimè dici, probat Palmer. Pœn.1:3. Vide & J. C. Scaligerum in De caussis Ling. Lat. lib.5. cap.123.

4. AH, S.] Paris. ed. *vah.* benè.

4. SÆVIENDVM M.] J. Lipsius è vett. Roverii volebat: *ah sedendum mihi.* Cùm enim pulcrè madidus Pseudolus introducatur, nec vini vim pedes sustinerent, quis, inquit, non videt *sedendi* verbum huic sententiæ esse? Video, mi Lipsi: atque hanc Roverii Cod. lectionem cæteris omnibus, qui *seviendum* leg. præfero, expertus olim etiam adolescens, quàm efficax hoc verbum in histrionia fuerit, quoties in theatro & Schola Heilsbrunensi Pseudolum saltavi. Sed hoc *sedere* tamen non κατὰ ξυρῦ accipiendum; verùm cum sapido, ut sic dicam, interpretationis & actionis condimento. quomodo scilicet sedendo vix soleat sedere Baccho vectatus. J. Rhumelius divinabat, *si viandum mihi Hod.* quam divinationem, tanquam ex Oraculo esset, desubitò Pareus suæ editioni primæ intulit: sed perperam. acquiescamus cum MSS. & vett. edd. illi, *sæviendum,* accedatq; interpretatio Lambiniana, ut scilicet minetur pedibus suis malum, quod ita vacillent. sævitia sanè etiam est verborum. Vid. Cas.3.5. v.20.

6. PED. CAPTAT.] Virg. in Catalect.

——copia vini
Et tentat gressus debilitatque pedes.

Idem de uvá, (2.G. v.94.)

Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.

Ita Chremes apud Ter. Eun. act.4:5.

At at, data hercle verba mihi sunt: (id est) *vicit vinum quod bibi:*

quasi captiosus aliquis. Quia bibere, dulce est: ebrium fieri, turpissimum. ita hic Plautus subtile quasi fraudem ebrietatis inducit de vino, ut notat Donatus.

7. ABEO MADVLSA] Festus: *Madulsa, ebrius: à Græco μαδῶν deductū: vel quia sit madidus vino.* Si hoc rectè Festus, qui hærebit, quin

quin recta mea correctio sit; *probè habeo madulsa! Probè habeo*, i. pulcrè mihi est: vel etiam, *Abeo madulsa*: Lipsius lib. 5. cap. 9. Antiq. Lect. quod postremum & Douza ex Scalig. in Fest. probat. MSS. & edd. l. *habeo madulsam*.

8. DIGNE AH] ita Lips. *dignè ab*. Nam hoc hominis ebrii ebriosa oratio dicit, dignè se & festivè acceptos. J. Is. Pontanus ad Macrob. lib. 1. cap. 24. legit: *Ita munditiis dignati; Itaque*, &c. Ita Maro 3. Æn. v. 475. ita Macrob. *Ut honore vestro hac mensa dignetur*; passivè τὸ *dignor* protulerunt. MSS. & edd. *digni ab*.

15. BILINGVI] V. N. Asin. act. 3. 3. & ita MSS. & omn. editi. Tamen Acidal. malit, *bilinguis*. ut sit, *Prehendere alterum bilinguii*: quemadmodum, *Prehendere aliquem criminis*. Amantes autem cùm καταγλωττίζωσι, alter alterum manifestè deprehendunt duplicem habere linguam, &c: & sic utraque Pareana.

16. MANICVLA] parvâ manu: L.

17. MAMMA M. OPPRIM.] ita Asin. *papillam pertractare*. Aristenæt. lib. 1. epist. 21. ἁπτοῦ τῶν μαστῶν. Ter. Heaut. act. 3. 3. *manum in sinum meretricis inserere*. Ita ex eâdem Venereorum nepotulorum disciplinâ sunt *molles manuum compressiones*; incitamentum puta interioris voluptatis. Hinc in lege, quam juvenis amasiæ suæ dederat, in Asin. *Neque cum descendet, inde det cuiquam manum*. act. 4. Vide Frid. Lindenbruch ad Terent.

18. MANV CAND.] ita MSS. nisi quod sit, *micissimam am.* unde in Edd. vett. *mitiss.* Lipsius legit,

> —*manu candidâ cantharum dulciferum*
> *Propinare suavissimâ amicitiâ, neque esse alium alij*
> *Odio, nec molestiis sermonibus nec morologis uti*.

cum Plautus ferè soleat duo ista conjungere *morus* & *molestus*. & hujus propinationis exemplum sit in Persâ: *Hoc mea manus tuæ poculum donat, ut amantem amanti decet*. Et verò Parei prima Lipsianum illicò subripuit: & quamvis membranaceorum scripturam reduxerit in secundam, male omisit versu sequenti repetitionem, *ibi*.

19. ALII] MSS. & edd. *alio*.

A 21. LEMNISCOS] Festus: *Lemnisci sunt fasciæ coloria dependentes ex coronis: quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum*. vel, ut Casaubonus citat è cod. Viterbiensi: *Lemnisci sunt fasciolæ purpureæ dependentes ex coronis. Solebant enim veteres coronas fasceis laneis ex purpurâ alligatas donare*. Turn. lib. 18. 3. Lemniscum ait Syracusanum verbum esse, quo stricta angustaque tænia significetur. Et lemniscum aut lemniscatam coronam à Maron. 5. Æneid. significari:

> *Puniceis ibant evincti tempora tænis.*

Et *palmam lemniscatam* dici à Cic. pro Roscio. In veteribus agonibus, inquit Scalig. qui vicerant, coronâ & ramo lemniscatis aut torque involutis donabantur. nam qui secundi erant, eorum coronæ & palmæ sine lemniscis erant. Ausonius:

> *Et quæ jamdudum tibi palma Poetica pollet,*
> *Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.*

Vide plura ibid. lib. 1. 10. ubi de origine *Poetarum Laureatorum* disputat, quæ sub Domitiano cepit.

22. PARCIPROMI] ita Acid. l. *parcipromi*, scil. fuimus. Trucul. *Qui cum genius suus belligerant, parcipromi*. MSS. *parcè promi*.

B 23. H. D. SVMPSIMVS] Hæc scriptura MSS. & vett. edd. i. consumsimus: ut apud Terentium Adelph. 2. 4. versu ultimo: *quando hoc benè successit, hilarem hunc sumamus diem*. item Phorm. 5. 5. v. 4: *nam aliquot hos sumam dies*. Nec aliter. Apul. *Sumi venustate alicujus*, pro, consumi. Lucilli.

> *Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet:*
> *Crede mihi, presse auferet omnia*. J. Grut.

23. PROTHYME] προθύμως, benignè, promptè, & alacriter.

27. ORANT MED] MSS. & edd. leg. *me id ut salt*.

29. JONICA] V. N. Stich. 5. 7.

29. PALLIOLATIM] ita editt. quas vidi omnes. MSS. Cam. *palliotatim*. Lamb. l. *palliolatim*. Cæterum *Tunicas palliolatas* memorat etiam Fl. Vopiscus. Auctore Casaubono, mixtum est genus vestis, & formam quodammodo referens & usum præstans duarum, tunicæ & pallii. Utraque vestis tam muliebris quàm virilis. Et opinatur idem, *tunicas palliolatas* non malè pallas manicatas divi-

dici, quibus hodie matronæ domi utuntur, & *mantelia cubicularia* vocant. (Schlafpeltz.) Notavi, si quid forte ad cinædicum hunc saltatorem fecerit.

30. PLAUDUNT PARTIM:] Pleriq; vet. cod. atque etiam MS. sec. *plaudunt partim.* Edit. vulg *parum*, ut & MS. pr.

30. CLAMITANT ME] ita alibi, *clama hominem*; transitivè. καλεῖν. vide Scalig. De causs. ling. Lat.

31. OCCEPI D.] De saltatione Servum agere apparet, qua à se instauratam ait flagitatione sodaliũ, & ut amicæ suæ bellus amasius videretur. Eâ causa non dubium mihi, quin rectè correxerim, *Oc. d. hoc modo volvi.* Volvi, κυλίνδειν, aptum temulenti saltationi verbum. etiam malim, *ubi circumtortor.* nam mirè quàm huc conveniret. Pomponius: *Ubi insilui cocleatum equuleum, ibi tolutim tortor.* verùm tamen loco non moveo *circum vortor.* J. Gulielm. at MSS. & Edd. *nolui.* item ille, *tibi circumvortor*, non, *ubi.*

31. AMICÆ DABAM ME MEÆ] ita Cicero: *ut Crasso se daret.* significans maximam adsensionem, ut Crasso gratum faceret, gratiam ejus captans; & se ei benevolum deditumque ostenderet. Turn. in Joc. Cic. *toto capite.*

32. ID FUIT NENIA L.] is casus cantûs & carminis vicem fuit. Multa ad hunc locum invenies apud Gutherium cap. 23. lib. 1. de jure Manium, qui consulatur. Sed & adscribam ex Auson. Lect. Scaligeri, non ubivis temerè obvia. *Lallus*, inquit, est καταβαυκαλισμὸς, i. A nenia nutricum, quâ pueris inducũt somnos, subinde hoc repetendo *lalla, lalla.* unde *lallare* pueri dicebantur, cùm hâc cantiuncula, somno declinant oculos: Græcè καταβαυκαλίζεσθαι. Dicunt & Italæ & Aquitanæ mammæ seu nutrices pro eodem *nina, nina.* Quod & Græcos factitasse indicio est *Nenia* illa, quæ inde vocabatur νίννιον, &c. Hæc ille. Quin hodieque, in Franconia præsertim, idem æmulantur nutrices suo illo, Ninna Ninna sausa du.

33. PAX] Ter. Heaut. 4. 3. *pax: nihil amplius.* Auson. Idyl. 12.

Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphilæ: pax!

V. N. Mil. 3. 1. Lamb. ex Festo l. *prox*, quasi *proba vox.* B In MS. pr. est, *proxiam.* in sec. *praxiam p.*

35. PALLIUM: N.] ita MSS. & omn. edd. meæ. Sed Cod. Vatic. *pallium temeto. Volupt.* quam lectionem repudiandam non arbitratur Lipsius. nec mora; id in editionis primæ barathrum invexit eam Pareus.

35. ILLUD POSIVI] illud, quod fuit inquinatum, deposui.

36. AB HERO] MSS. *abero.* sed factum in primo *ab eo.* quod Pareo non displicet. sed præter rationem.

36. FOEDUS C.] *Fœdus*, stipulatio est. *Commemorare*, valêt commonefacere, in memoriam revocare. *Acid.* è Nonio: qui Nonius hoc & Ciceronis exemplis probatum it, sed alienissimis.

ACTUS V. SCENA II.

SIMO senex, PSEUDOLUS servus,
BALLIO leno.

VOX viri pessumi me exciet foras. sed quid hoc? quo modo? quid tu video ego?
PS. Cum coronâ ebrium Pseudolum tuũ. SI. libere hercle hoc quidē. sed vide statum.
Num meâ gratiâ pertimescit? magis cogito, sæviter blanditérne alloquar.
Sed hoc me vetat vim facere nunc, quod fero, si qua in hoc spes sita est mihi.
PS. Vir malus viro optimo obviam it. SI di te ament, Pseudole. phu! in malam crucem.
PS. Cur ergo me affuctor? SI. quid tu (malùm) ergo in os mihi ebrius irructas?
PS. Molliter siste nunc me, cave ne cadam: non vides me ut madidè madeam?
SI. Quæ ista hæc audacia est, te sic interdius cum corollâ ebrium incedere? PS. lubet.

SI. Quid,

SI. Quid, lubet? pergin ructare in os mihi! PS. suavis ructus mihi est; sic sine modo!
SI. Credo equidem potesse te, scelus, Maßici montis uberrimos quattuor
Fructûs ebibere in horâ unâ. PS. hibernâ, addito. SI. haud malè mones:
Sed dic tamen, unde onustam celocem agere te prædicem? PS. cum tuo filio
Perpotavi modò. sed, Simo, ut probè tactus Ballio est! quæ tibi dixi, ut
Effecta reddidi! SI. derides? pessumus homo est. PS. mulier hæc
Feci cum tuo filio libera accubet. SI. omnia, ut quidque egisti ordine,
Scio. PS. Quid ergo dubitas dare mihi argentum? SI. jus petis, fateor.
Tene. PS. at negabas daturum esse te mihi, tamen das. onera hunc hominem, atque me
Consequere hâc. SI. ego istum onerem? PS. onerabis, scio. SI. quid ego huic homini faciã?
Satin' ultrò & argentum aufert, & me irridet? PS. væ victis! vorte ergo humerum.
Hem! BA. hoc ego nuncquam ratus sum fore, me ut tibi fierem supplex.
Heu heu heu! PS. desine. BA. doleo. PS. ni doleres tu, ego dolorem.
BA. Quid hoc? auferréne, Pseudole, abs tuo hero? PS. lubentißimo corde atque animo.
BA. Non audes, quæso, aliquam partem mihi gratiam facere hinc argenti?
PS. Novi, me dices avidum esse. nam hinc nunquam eris nummo divitior.
Neque te mei tergi misereret, si hoc non hodie effecissem.
BA. Erit ubi te ulciscar, si vivo. PS. quid minitâre? habeo tergum.
BA. Agè sanè. PS. igitur redi. BA. quid redeam? PS. redi modò; non eris deceptus.
BA. Redeo. PS simul mecum potatum. BA. egóne eam? PS fac quod te jubeo.
Si is; aut dimidium, aut plus etiam faxo hinc feres. BA. eo; duc me quò vis. PS. quid nũc?
Numquid iratus es aut mihi, aut filio, propter has res, Simo? SI. nihil profectò.
PS. I hac. BA. te sequor. quin vocas spectatores simul? PS. hercle, me isti
Haud solent vocare; neque ergo ego istos. verùm si voltis applaudere
Atque approbare hunc gregem & Fabulam, in crastinum vos vocabo.

LONGE excurrunt hi versus confusi numeris in actione petulante.

1. QVID TV VIDEO EGO?] ita MSS. Cam. & edd. Ven. & Arg. *Quid tu video ego?* Sic Epid. *Quis tu is est? inquit altera.* V. N. Epid. 2. 2. Grut.

2. CVM CORONA] V. N. Amph. 3. 4. v. 16.

2. LIBERE HERCLE] quasi diceret, coronatus tu, quasi jam manu emissus. nam manumissos coronatos disertim affirmat Tertull. cap. 13. de corona mil. Coronat & libertas sæcularis. Marcil. ad 5. Persii Satiram.

4. SED HOC] δεικτικῶς.

4. SI. QVA IN H. SPES] si fortè aliquid ex pecuniâ promissâ recipere possim, aut servare. Ineptit Lambinus.

5. PHVI] Lips. l. *Phu.* Charisius: *Fu, fu: cùm putoris aliquid perhorrescimus*, &c. vide De Pronunc. ling. Lat. Etiam Prisc. notat lib. 15. *Phui*, Interjectionem esse tætrum aliquid

A & spurcum adspernentis. Mostell. act. 1. 1. In MSS. est, *Psui.*

6. ME AFFLICTOR?] ita MSS. sed V. E. *afflictem?* D. F. *afflictas?* Acidal. *Cur egomet affli-ctor?* quod Pareus immisit utrique editioni, malè. Legendum *ergò*, indicat responsio subsequens: nec aliter MS. pr.

8. TE SIC INTERDIVS] Dedecus summum fuisse, potare vel scortari de die, multi testantur. Accius P. V.

Nemo unquam vidit ebrium ire interdiu,
B *Neque turbam facere, neque fores exurere.*

V. N. Amph. 1. 1. & Prud. Hymn. Cathemer. matut. & J. Grut. Suspic. ubi etiam ad hanc rem Ovid. Med. versum explicat,

——lucis pars extima mensæ
Est data. &c. *optimam diei partem*, designare horas sex antemeridianas ait: ut & Hor. 1. Od. 1 *solidum diem*, qui nondum proclivis in vesperam, &c.

9. Sic

9. SIC SINE MODO] ita MSS. & vett. ed. sed J. Gul. l. *sic sine: i. modò.* Ea enim, inquit, cum fastidio à se quempiam rejicientis formula est Comicis usitatissima. Sticho 3.2.

10. POTESSE] ita postulat ratio, neque aliter edd. vett. & recentes, excepta ultima Pareana, in qua *potasse*, quomodo MSS. Pall. sed absurdè tamen.

11. FRUCTUS] vindemias.

11. HIBERNA] sc. horâ: quæ brevissimæ sunt. Atque ita strenuior essem potor. Cæl. Rhod. lib. 12. c. 9. Lect.

12. SI. HAUD MALE MONES. SED DIC TAMEN: UND.] Ita Acid. reponit. Et monet, in antiq. aliquot hæc verba omissa: sine dubio per hanc trajectionis occasionem. prius cusi: *Sed dic tamen. Haud male mones*, quod & in MSS. à quibus abire non debebat Pareus, tales trajectiones in aliis extremè solitus carpere.

12. CELOCEM &c.] Per *celocem*, intelligit ventrem cibo & vino probè saburratum. V. N. Mil. 4.1. ver. 40.

14. PESSIMUS H. E.] J. Gul. leg. *pessum is homo iit.* V. N. Mostell. 5.2. Lamb. leg. *p. h. es.*

14. MULIER H. FECI.] ita Pist. & Acidal. l. PS. *mulier hæc, Feci, ut cum tuo f. l. accubet.* i. mea opera effectum est, ut libera jam voluptuetur cum filio tuo. Et ita convenit sequens responsio Senis. errat Lamb.

17. ONERA HUNC HOMINEM] Lambini expositio non convenit. Jam enim dederat argentum Senex illo v. *Tene.* Vult Pseudolus Ballioni, quem nunc conspicatur, ab hero illudi; & maledictis aut aliâ re malâ onerari. Mercatore: *quibus est dictis dignus, oneremus usque ambo.* Ita, *Consequere hac*, scil. ad Ballionem, ad quem ibat. *Pistoris.*

19. SATIN ULTRO] ita Pistor. & Acid. è Venetâ: non, *statim.*

19. VÆ VICTIS] *Væ victis*; (Titulus Satiræ Varronianæ) in Proverb. venisse existimatur, cùm Româ captâ à Senonibus Gallis aurum ex conventione & pacto appenderetur, ut recederent: quod iniquis ponderibus exigi à

A barbaris querente Ap. Claudio, Brennus rex Gallorum ad pondera adjecit gladium, & dixit, *Væ victis.* quem postea persecutus Fur. Camillus cùm insidiis circumventum concideret, & quereretur contrà fœdus fieri, eâdem voce remunerasse dicitur. Vide Adag. *Quid nisi victis dolor?* Hoc autem vulgò Ballioni hîc tribuunt. Sed cum sit formula triumphantis, censuit Pistoris Pseudolo adscribendum, quibus Ballioni insultet. ut & sequentia verba, *Vorte ergò humerum. Hem!* Ut Ballionem aversum, utpote indignabundum, circumrotet illudendi caussâ. Et hoc denotat *Hem.* hoc enim ipso hominem rotat. Ingeniosissimus Acid. hic suadet: sed vereor ut aliquid profecerit. Nam pleraque ad finem Scenæ, turbata esse, vidit etiam Pistoris, & seriò apud me conquestus est.

21. NI DOLERES &c.] Nisi te Phœnicio intervortissem, quod promiseram Simoni, in pistrinum conditus essem.

B 22. ABS TUO H.] Pistoris legit: *aufersne Pseud. abs tuo hero?* sc. argentum. quod statim rapuit in editionum suarum barathrum Pareus. nam MSS. & editi, olim, *auferre non Pseudole abs.* recentt. *auferre ne Ps.*

23. ALIQ. PARTEM] aliqua ex parte.

24. NAM HINC] ita MSS. Pall. & Ald. *nam hinc m.* Meursius etiam pro *nam* leg. *tam*; ἀρχαϊκῶς, pro *tamen.* Festus: *Antiqui Tam etiam pro Tamen usi sunt, &c.* & sic utraque Parei, quæ præterea *tam hoc*, ubi alii *nam hinc*; quomodo & Pall. quibus falsò sese semper adhærere jactat Magister ille, ac si Helice essent, aut Cynosura.

28. SIMUL HEC.] ita MSS. & omn. mei. Acidal. leviter suspicabatur, *i. simul.* quod editionibus suis illicò invexit Pareus.

33. IN CRASTIN.] Vos jam vocabo, ut cras nobiscum potetis. Sic Mart. lib. 2.37.

Cras te, Caciliane, non vocavi.

q. d. non in crastinam, sed in hodiernam cænam te vocavi. Proverbii autem genus est, ut indicat titulus Varronianæ Satyræ: *Cras credo, hodie nihil.*

PLAUTI PSEUDOLUS EXPLICIT, ita MSS. Cam.

POENU-

POENVLVS.

ARGUMENTUM.

A POENO Pœnulus est forma diminutionis. *Pœnus* autem Φοῖνιξ. In Prologo & *Patruus* memoratur. nam Pœnus ille qui introducitur, patruus est adolescentis, cujus sunt primæ partes in Fabulâ. Res autem exposita talis est. Quidam adolescens Carthaginensis furtim surreptus, avehitur Calydona in Ætoliam, & ibi venditur seni civi. hic adoptavit illum, & moriens reliquit hæredem. Amabat adolescens puellam popularem & cognatam: patrui enim ea filia erat, quod ipse nesciebat. nam prædones ruri deprehensas duas parvulas filias hujus, unà cum nutrice abductas lenoni Calydonio vendiderant in Anactorio, quod nomen loci & oppidi fuit in Acarnaniâ. Cum nihil æqui adolescens à Lenone de suis amoribus impetrare posset, usus servi sui consilio, insidias fecit Lenoni, ut ille furti manifesti condemnaretur. Interea indicium fit, puellas esse Carthaginenses ingenuas: & pater illarum, qui ubique gentium ipsas quærebat, advenit, & eas agnoscit: & majorem natu nuptum dat fratris filio. PERSONÆ Fabulæ sunt, Ἀγοραστοκλῆς, à foro, seu forensibus & nundinalibus negotiis, & famâ. *Milphio*, similiter, ut in Milite, de *Milphidippâ*, qui sit, dubito: nisi μυλφίων, est ἀπὸ τοῦ μυλφοῦ. Ἀνελφάσιον factum ad eam formam, quam habet Φιλοκομάσιον: habet *fratris* aut *sororis* significationem. Ἀντεραστυλὶς, à mutuo amore. Λύκος *lupus* est. Ἀνθημονίδης, patronymicâ formâ *floridus*. Κολαβίσκος, sicut συρίσκος, ἀπὸ τῶν κολάβων, *vilibus panibus*: nisi fortè est ἀπὸ τοῦ κολλύβου Κολλυβίσκος, nam in vet. libro alicubi *Cullubiscum* legimus. Συγκέραστος, de hoc nihil & ipse habeo, nisi quod apud Varr. legitur, *Syncerastum est omne medullium, antiquo vocabulo Græco. Hanno & Giddeneme,* Punica sunt nomina. Fit & *Antidamæ* mentio, qui idem est Ἀντιδάμαρχος, à contradomando & principatu, abbreviato nomine. Et δημάρχου quoque vocabulo, Græci interpretati fuêre *tribunos plebis*. Camer.

DRAMATIS PERSONÆ.

AGORASTOCLES adolesc.	ADVOCATI.
MILPHIO servus.	COLLYBISCUS villicus.
ADELPHASIUM meretrix.	SYNCERASTUS servus.
LYCUS leno.	HANNO Pœnus.
ANTHEMONIDES miles.	GIDDENEME nutrix.

PUER.

ARGUMENTUM.

PUER septuennis surripitur Carthagine.
Osor mulierum adoptat hunc emptum senex,
Et facit hæredem. ejus pueri *cognatæ duæ,*
Nutrixque earum nuptæ. mercatur Lycus,
Vexatque amantem. at ille cum auro villicum
Lenoni obtrudit: ita eum furto alligat.
Venit Hanno Pœnus, gnatum hunc fratris repperit,
Suasque agnoscit, quas perdiderat, filias.

EJUS PUERI C.] ita Acidal. è vett. libris. quod & sensus & numeri cupidè recipiunt. τὸ *ejus* in monosyllabon A contrahendum: quod Plauto solemne. in unâ Brix. est τὸ *pueri*, in nullâ aliâ, ut nec in MSS.Cam.

PROLOGUS.

ACHILLEM Aristarchi mihi commentari lubet.
Inde mihi principium capiam ex eâ Tragœdiâ.
Siletéque & tacete, atque animum advortite,
Audire jubet vos imperator histricus.
Bonóque ut animo sedeant in subselliis,
Et qui esurientes, & qui saturi venerint.
Qui edistis, multo fecistis sapientius:
Qui non edistis, saturi fite fabulis.
Nam cui paratum'st quod edit; nostrâ gratiâ,
Nimia est stultitia, sessum impransum incedere.
Exsurge præco, fac populo audientiam.
Jamdudum exspecto, si tuum officium scias.
Exerce vocem quam per vivis & colis.
Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames.
Age nunc reside, duplicem ut mercedem feras.
Bonum factum'st! edicta ut servetis mea.
Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virgæ muttiant,
Neu dissignator præter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in Scenâ siet.
Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo æquo nunc stent; vel dormire temperent.
Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel æs pro capite dent. si id facere non queunt,
Domum abeant, vitent ancipiti infortunio:

Nam

Ne & hic varientur virgis, & loris domi,
Si minus curassint, cùm veniant heri domum.
Nutrices, pueros infanteis minutulos
Domi ut procurent, neu quæ spectatum afferant,
Ne & ipsæ sitiant, & pueri pereant fame:
Nevé esurientes hic quasi hœdi obvagiant.
Matronæ tacitæ spectent, tacitæ rideant,
Canorâ hic voce suâ tinnire temperent.
Domum sermones fabulandi conferant,
Ne & hic viris sint & domi molestiæ.
Quodque ad ludorum curatores attinet,
Ne palma detur cuiquam artifici injuriâ,
Néve ambitionis caussâ extrudantur foras,
Quò deteriores anteponantur bonis.
Et hoc quoque etiam, quod pæne oblitus fui,
Dum ludi fiunt, in popinam pedisequi
Irruptionem facite, nunc dum occasio est,
Nunc dum scribilitæ æstuant, occurrite.
Hæc imperata quæ sunt pro imperio histrico,
Bonum hercle factum, pro se quisque ut meminerit.
Ad ARGVMENTVM nunc vicissatim volo
Remigrare, æquè ut mecum sitis ignarures.
Ejus nunc regiones, limites, confinia
Determinabo: ei rei ego sum factus finitor.
Sed nisi molestum est, nomen dare vobis volo
Comœdiai: sin odio est, dicam tamen:
Siquidem licebit per illos, quibus est in manu.
CARCHEDONIVS vocatur hæc Comœdia,
Latinè Plautus PATRVVS PVLTIPHAGONIDES.
Nomen jam habetis. nunc rationes cæteras
Accipite: nam argumentum hoc hic censebitur.
Locus argumento'st suum sibi proscenium.
Vos juratores estis: quæso, operam date.
Carthaginenses fratres patrueles duo
Fuêre, summo genere & summis divitiis:
Eorum alter vivit, alter est emortuus.
Propterea apud vos dico confidentius,
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.
Sed illi seni qui mortuus est, filius
Vnicus qui fuerat, abditivus à patre,
Puer septuennis surripitur Carthagine,
Sexennio prius quidem, quàm moritur pater.

Quoniam periisse sibi videt gnatum unicum,
Conjicitur ipse in morbum ex ægritudine.
Facit illum hæredem fratrem patruelem suum.
Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico.
Ille qui surripuit puerum, Calydonem avehit.
Vendit eum domino hic diviti cuidam seni
Cupienti liberorum, osori mulierum.
Emit hospitalem is filium imprudens senex
Puerum illum, eúmque adoptat sibi pro filio:
Eúmque hæredem fecit, cùm ipse obiit diem.
Is illic adolescens habitat in illisce ædibus.
Revortor rursus denuò Carthaginem:
Si quid mandare voltis aut curarier,
Argentum nisi qui dederit, nugas egerit.
Verùm qui dederit, magis majores egerit.
Sed illi patruo hujus, qui vivit senex,
Carthaginensi duæ fuêre filiæ:
Altera quinquennis, altera quadrimula.
Cum nutrice unà periêre. à Magaribus
Eas qui surripuit, in Anactorium devehit,
Venditque has omnis, & nutricem, & virgines,
Præsenti argento, homini, si leno est homo,
Quantum hominum terra sustinet, sacerrimo.
Vosmet nunc facite conjecturam cæterùm,
Quid id sit hominis cui Lyco nomen siet.
Is ex Anactorio, ubi prius habitaverat,
Huc commigravit in Calydonem haud diu,
Sui quæsti caussa. is in illis habitat ædibus.
Earum hic adolescens alteram efflictim perit
Suam sibi cognatam imprudens, neque scit quæ ea
Sit; neque eam unquam tetigit: ita eum leno macerat.
Neque quicquam cum eâ fecit etiamnum stupri,
Neque duxit unquam; neque ille voluit mittere.
Quia amare cernit, tangere hominem volt bolo.
Illam minorem in concubinatum sibi
Volt emere miles quidam, qui illam deperit.
Sed pater illarum Pœnus, postquam eas perdidit,
Marique terrâque usquequáque quæritat.
Ubi quamque in urbem est ingressus, illico
Omnes meretrices, ubi quisque habitant, invenit:
Dat aurum; ducit noctem: rogitat postibi
Unde sit, cujatis; captáne an surrepta sit,

Quo genere gnata, qui parentes fuerint.
Ita doctè atque astu filias quærit suas.
Et is omnis linguas scit: sed dissimulat sciens,
Se scire. Pœnus planè est; quid verbis opu'st?
Is heri huc in portum navi venit vespere.
Pater harunc idem huic patruus adolescentulo est.
Jámne hoc tenetis? si tenetis, ducite.
Cave dirumpatis: quæso, sinite transigi.
Ehem! pæne oblitus sum reliquum dicere.
Ille qui adoptavit hunc pro filio sibi,
Is illi Pœno hujusce patri hospes fuit:
Is hodie huc veniet, reperiétque hìc filias;
Et hunc sui fratris filium, ut quidem didici ego.
Ego ibo, ornabor: vos æquo animo noscite.
Hic qui hodie veniet, reperiet suas filias,
Et hunc sui fratris filium. dehinc cæterum
Valete, adeste. ibo: alius nunc fieri volo.
Quod restat, restant alij, qui faciant palàm.
Valete, atque adjuvate, ut vos servet Salus.

LIPSIVS, Amphit. cap. 15. *PLAVTINA Prologus hæc, etsi non Plauti.* A

V. 1. ACHILLEM AR.] Aristarchus Poeta tragicus, æqualis Euripidis, Tragœdiam *Achillem* scripsit: quam posteà in Latinum transtulit Ennius, teste Festo, in *Prolato ære. Achillem* autem *Aristarchi* dixit, ad differentiam *Achillis Æschyli.* Idem tamen annis aliquot triginta pòst, aliò ire visus est, in Epist. ad Franc. Vertunianum, quam Casaubonus cum aliis ejusdem edidit Parisiis anno 1610. Ponam Scaligeri verba: *VERSUS Homeri,* inquit, *illi tantùm admissi sunt, quos Aristarchus probavit: Comœdiæ Terentij, quas Calliopius. sic Tragœdia vetus Achilles Aristarchi: quod ab eo emendata esset.* Hæc ille. Cæterum *Achillis* hujus meminit & Cælius Rhod. l. 27. cap. 15. Porrò Muretus Var. Lect. l. 17. c. 14. tradit, se in v. codice hunc versum ita conceptum vidisse;
Achillem Aristarchi mihi imitari lubet.
Sin vulgata, inquit, lectio præferatur, legendum *Achilem,* unico *l.* more Græcorum: itemq; versum seq. *Inde m. pr. c. ex Tragœdiâ.* Sed ita [illegible] *Trag.* quòd versum corrumpat. [illegible] Van. & Arg. uti hoc exordium repræsentavimus. B

3. SILETEQ. ET TACETE] Fronto: *Silet, cujus loquentis sermo comprimitur,* ficto verbo ab *s.* literâ, quæ nota silentii est. *Tacet, qui ne loqui quidem cœpit.*

4. IMPER. H.] histrio, vel histrionum præfectus. Sic Apul. dixit *decorem Histricum,* Plautum scilicet æmulatus. Quæ allusiones eò magis lepidæ, quòd histriones ex Histriâ primùm venisse dicantur, atque inde nominati, ut ait Lipsius. Alb. Gentilis de Actor. Fabb. c. 11. *Histriones* appellari sic docet voce Hetrusca: & esse eosdem, qui Græcis ὑποκριταί. ut & Scalig. Poet. l. 1. c. 30.

9. EDIT.] pro, *edat.*

10. SESSVM IMPR. IN.] venire sessum; subsellium occupare non antè pransum, ut nos spectet & audiat: L.

11. AVDIENTIAM] proba vox. utitur & Cicero in Catone. ita Livius Dec. 5. l. 3. *Audientiam facere præconem jussit.* Ad Heren. *Illi præco audientiam faciebat.* Prudentius: *Surdis fruendam reddere audientiam, &c.* Arnob. *Utinam daretur in unius speciem concionis toto orbe contracto oratione hac uti, & humani in generis audientia collocari.* iterum lib. 5. item Cyprian. lib. 2. epist. 2. Tertullia-

nus; Salvianus; alii. Græcis est καλεπιτάζειν τὸν δῆμον: linguis favere jubere: εὐφημίαν κηρύττειν sive τὸ ἐπέχειν τὰς γλώττας ἀνακηρύττειν.

13. EXERCE VOCEM] Seneca ep. 15. *Non id agitur, ut exerceatur vox, sed ut exerceat.* Epist. 47. *vocem præco experitur.*

13. VIVIS. &c.] *Vivis*, ad victum; colis, ad cultum referendum: Trin. 2: 4. Hüll vnd Füll.

14. TACITVM OB. F.] tacitus esuries. *Turn. l. 19: 12.*

15. DVPL. VT M.] alteram ob clamorem, alteram ob silentium. Sic Arabicus ille tibicen,

Δραχμῆς μὲν αὐλεῖ, τετάρων δὲ παύεται.

V.N. Prol. Asin.

16. BONVM F.] Formula solemnis, edictis præfigi solita, boni ominis caussa. Brisson. De Form. V.N. Ps. act. 1: 2. & hoc ipso Prologo.

17. SCORTVM EX. NE. Q.] κατὰ σύνθεσιν. Malè de pueris tantùm, inquit Acidal. accipitur. prudentius multò Lipsius, ad Prolog. Casinæ. Ut minùs tamen sit aspera locutio, malim: *Scortûm exoletûm ne quis s.* Et, *quis*, ad utrumq; jam sexum referri potest.

17. NE QVIS] ita MS. pr. & editi. sed MS. sec. *quid.*

18. NEV LICTOR &c.] Quemadmodum *Dissignatores* in funere publico Lictores comitabantur, severioris imperii causâ & ordinis servandi: sic in theatris. Nam qui hoc refert ad lictores magistratuum; errat. nullæ in hâc histricâ Provinciâ eorum partes. Videatur Lipsius Amphit. cap. 15.

19. MVTTIANT] ita MSS. & rectè. iidem pro *neu*, leg. *nive.*

19. DISSIGNATOR] *Dissignator*, & *dissignare* semper scribitur in opt. Vaticano, à quo stant lapides: item MS. Cam. primus. Et *Dissignatores* iidem sunt, quos Martialis *Locarios* vocat: Lipsio quidem auctore. At Fr. Junius in Tertull. De spectaculis cap. 10. discernit: ut *Dissignator* sit, qui loca publica ordine distribuerit inter honoratos publico ministerio: *Locarius*, qui popularia loca promiscuè occuparit, quæ serius venientibus pretio locâric in suum commodum. Martial, l. 5. 25.

Hermes divitiæ locariorum.

Pretium illud *locarium* dicebatur. Videatur super isto quoq; loco Pet. Faber lib. I. ... Agonisticon, & Jac. Gutherius lib. I. cap. 15. de jure Manium. sed magis lib. I. cap. 6. de veteri jure Pontificio.

19. PRÆTER OS OB.] *Obambulet* singulari notione hîc est, adversùm alios ambulet, quasiq; opponens sese atq; in viâ obviam obsistens ambulantibus. Non enim *obambulare*, ultrò citróque ambulare est hoc loco: D. Jam., *præter os*, leg. MSS. & Lamb. cæteri, *præteriens.*

20. NEV SESSVM D.] J. Douza acerrimè propugnat, *lessum*, in suo Centurionatu Plaut. Contrà Gruterus è MSS. & omn. vett. *sessum*. Nam *dissignatores* hîc in ludis erant, qui honestiores per turbam deducerent, in proprias aut conductas sedes: quod vel sequentia docent:

Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo æquo nunc stent, &c.

Solebant enim spectatores summo mane, immò etiam vel nocte occupare locum. Suetonius Caligula c. 26. *Inquietus fremitu gratuita in Circo loca de mediâ nocte occupantium, &c.* centumque locis D. Chrysostomus & alii. Sed & Cic. 3. de Nat. deor. *sessum ite*, dixit. & As. Pollio ad Cic. l. 10. epist. 32. *sessum deducere*. Etiam Frid. Lindebruch. in Not. ad Donat. leg. *sessum*. Possis opinari, hanc Fabulam funebribus ludis actam esse. Deniq; & Seneca De benef. l. 6. c. 38. *Dissignatores & Libitinarios* conjungit. ubi & Lipsium vide.

22. VEL DORMIRE T.] malè Lamb. mavult, *& dorm.* Nam vult Prologus æquo animo istud ferendum, vel manè citius surgendum. *Grut.*

24. ÆS PRO CAP.] Indicat hic locus, receptum fuisse etiam prisco illo ævo, ut servi aliquid pro loco penderent. Hoc Græci ἐκπνῆσαι appellasse videntur: quæ explicant in Callim. Scholiastæ, τὰ ὑπὲρ τῶ ἰδεῖν δῶρα. Nec in servis tantùm, sed receptum hoc etiam in aliis è plebe, qui *Locarys* nescio quid pro sedibus pendebant: ut annotat Lipsius. Muretus Var. Lect. lib. 17. cap. 14. hoc eò pertinere censet; quod subsellia quædam erant, quæ ab ipsis histrionibus locabantur: pro quibus mercedula solvenda erat, si quis in eis sedere vellet. Sunt etiam, qui ... pretio libertatem à domi... interpret... ... inter quos est Gruterus. Merces au-

tem Histrionum ac Saltatorum, quam Editor, i. Prætor aut magistratus dabat, propriè *lucar* dicebatur. à Charisio & Glossis θεατρικὸν vertitur, itemq; μισθὸς ἀπὸ φόρου. Meminit Livius lib.3.& Tertullianus de Præcursore DOMINI: *nec Prophetes sed Angelus dictus, contumeliosa cæde truncatur in puellæ salticæ lucar.* De eo & C.Tacitus 1. Annal. ad quæ Lipsius copiosè etiam de modo *lucaris* disseruit: quemadmodum de eodem magni patris magna prol s ad Fest. Vide & Inscriptiones Gruterianas pag. CCCXXIX. & CDXXXVI.

26. VARIENTVR] lacerentur. V. N. Epid.1: 1.

26. HIC VIRGIS ET LORIS DOMI] Benè distinguit. nam ut magistratus *virgis* in noxios utebantur: ita domini in servos *loris*. vide Nannii Miscel.l.2.c.9.

28. MINVTVLOS] ita MSS. sed edd. aliquot *anniculos*, quod natum ex primitus cusis, qui *miniculos*.

29. NEV QVÆ SP.] Ita MS. pr. nam sec. *neuq.* quod & in edd. primis. utraque Parei *neve spect.* quod natum ex Aldina præcorrupta.

30. PEREANT] ita MS. & omn.mei. Turnebus leg. *peritent*, frequentandi forma, pro, *pereant*. l. 19: 12.

31. OBVAGIANT] *Vagire*, proprium agnorum esse: convenire tamen hanc vocem ploratui etiam infantium, docet P.Vict.l.17:1.

38. AMBIT. C.] gratificandi minus bonis caussa. V.N.Prolog.Amph.

38. EXTRVD.] meliores artifices.

43. SCRIB.] *Scribilita* vel *scriblita*, genus placentæ. Junius *streblitæ* scribit, ab intorsione, quasi στρεβλίτης. VVonsesenses mei vocãt Streubelein. Turn. l.23: 10. *Scriblita*, inquit, eò fortasse appellata est, quòd qui eam fingit, tanquam scribit: aut quòd esset notis quibusdam signata, & tanquam scripta videretur. Ita quidem VVitebergensium nostr. Eisersudien vocari possent. Sunt qui *striblitam* scribunt, quòd sit στρεπτὸς ἄρτος, vel στρέμμα. sed consensum omnium Codd. non temerè damnem. Etiam MS.Cam. pr. *scribilita*: secund. *scriplita*. Martialis: *Circumlata diu mensis scriblita secundis Urebat nimio sæva calore manus*, libr.3.epigr. 17. Pareus in Electis, morem hinc elicit communem: Pedisequi servi, aliiq; delicatiores nepotuli, in popinis scriblitas, & id genus cuppedias absumebãt. quid ineptius, quàm servis adjungere nepotes & quidem delicatiores?

43. OCCVRRITE] ita MSS & omnes editi. Acidal. *accurr.* quod invasit Pareana.

45. BONVM FACTVM] Formula hæc, ait Brisson. lib.3. adsiduum & locupletem adsertorem habet Plautum, illo lepido Histrionum Edicto, quod ab eo ad eorum, quæ à magistratibus proponebantur, speciem ac formam bellè fictum atque compositum, Prologi vice Pœnulo præponitur. à Josepho expressa videtur his verbis, καλῶς ἔχει. vide suprà.

47. REMIGRARE] ita MS.sec.& vett.ed. at MS.pr.& Arg. *Remigare*. Sed, quid est, quod ait, velle se ad Argumentum *remigrare*, cùm ejus nullam prorsus partem attigerit? Nimirum *remigrare*, hoc loco nihil aliud est, quàm *migrare* & *transire*. Sic *reddere* interdum idem est, quod *dare*. Celsus JC. *Verbum Reddendi*, inquit, *quanquam significatum habet retrodandi: recipit tamen & per se dandi significationem.* Pl.Pseud. *Hercle haud te sinam emori, nisi mi argentum redditur.* Sic *redire* dicitur hereditas, quæ tùm primum defertur. Terent. *Eâ ad hos redibat lege hereditas.* ita Sallustius: *Nunc ad institutum redeo.* & tamen in id nondum ingressus erat. Muretus Var.Lect l.17.c.14. & Aus.Popma.

47. IGNARVRES.] Ita legendum, inquit Gruterus, *ut æquè mecum sitis ignarures.* Sic enim disertè uterque MSS. Cam. & imponunt hominibus, qui aliter producunt. istud autem *ignarures* ἀπροσδόκητον risum excitavit: cùm contrarium ejus exspectaret populus. Et verum tamen dixit. nam sanè non minùs ignorabat regiones, limites, confinia; quàm ignarissimus de populo. Glossæ: *Ignarures*, ἀγνῶντες. V. N. Mostell.1: 2. & Turn. l.16:17. & l.19:12.

49. FINITOR] hoc loco penultimâ brevi: *Cam.* ita & MSS. & vett. In Paris. est, *finitor.* quid si auctor captiosâ ambiguitate hic etiam luserit, ut in *ignarures?* At verò Muretus lib.17:14. hoc intolerabile putat, & mutat ordinem vocum, legitque, *ei ego finitor factus sum.* in Brix. & Ald.legitur; *Determinabo: ei rei finitor factus sum ego.* quod unicè probat

probat Acidal. *τὸ determinabo* constituit duos pr. pedes. *ei rei* monosyllaba sunt. *Finitores* autem olim, qui nunc *agrimensores*, Nonio auctore. Etiam Ciceroni in Agrariâ, *finitor* est agrorum metator. qui eidem & *decempedator*. Vide Lipf. De Mil.R.lib.5.cap.12.

51. COMOEDIA 1.] ita Grut. è vestigiis MSS.

52. QVIBVS EST IN M.] V. N. Prol. Amphit.

53. CARCHED.] i. Carthaginiensis. *καρχηδὼν*, *Carthago* Græcis dicta, pro eo quod est *Karchadta*, non *Carthada*, *&c.* Fr. Junius ad Tertull. Et hæc Comœdia *πολυώνυμος* fuit, inquit J. Gul. versusq; alter sic scribendus, *Latinè Plauti Patruus pultiphagonidæ*. Ridiculè Plautus, quòd in Italiâ natus & educatus multâ pulte, consuetudine ejus gentis *Pultiphagonides* dicitur: ut, *opifex barbarus pultiphagus*, Italicus est, Most. 3: 2. Puto ergò hanc Fab. *Carchedonion* Græcè, Latinè promiscuè *Pœnulum* & *Patruum* dictam. illud, ad exprimendum Græcanicum nomen dramatis; hoc ab eventu, quòd Hanno Patruus Agorastoclem fratris sui filium insperatò reperit. Hæc J. Gul. At verò Scalig. in Conject. leg.

Latine Plautus, PATRUUS PULTIFAGONIDES.

Latinè enim, inquit, inscripsit Plautus Pœnulum. ergò *Pultifagus*, Carchedonius est, seu Pœnus. Pœnos pultifagos fuisse, argumento est puls, quæ à Pœnis Punica vocata est, cujus faciendæ rationem docet Cato. Non ergo *Pultifagus* pro Romano intelligendus (quod vult doctiss. Turneb. lib. 19: 12.) sed Pœnus; ut dictum. V.N. Most. 1: 2. Camerarius; *Latinè Plauti patr. p.* Lambinus; *Latinè Plauti Pœnulus pult.* Muretus suspicatur:

Latinè Plauti Pœnulus pultiphagonidæ:

ut seipsum, non Pœnum illum, *pultiphagonidem* vocet. Sam. Glaserus,

Latinè Plautus parvus Pultiphagonides.

Risum enim, inquit, captans noluit dicere, *Pœnus*, sed *Pultiphagonides*: cúmque Fabulam diminutâ voce inscripsisset *Pœnulum*; addit, *parvus*, *&c.* Nos MSS. lectionem, quæ & Scaligeri est, exhibuimus; in iis tamen litera minus, *Platus*.

56. CENSEB.] à vobis spectatoribus, tanquam censoribus judicabitur: L. Sed quia præcessit, *nunc rationes cæt. accipite*, censet Pist. à rationibus ductam metaphoram: atque adeò *Censendi* verbum in his etiam usitatum esse.

57. PROSCENIVM] MS. pr. hanc vocem ferè per *æ* scribit. Ita Lucr. lib. 4: *Postscenia vitæ*, eleganti tralatione appellat actiones, quas celant homines. Vox Romanâ civitate donata, ut *Prologus*, *antelogium*, *elogium*: Vide *Gifan.*

58. JVRATORES ESTIS.] i. testes, qui produci solent jurati. ita Lipsius Epist. Quæst. lib. 2: 24. & falli ait, qui aliter legant, aut explicent. V. tamen N. Trin. act. 4: 2. Sanè doctor regius Hadr. Turn. lib. 19: 12. *Juratores* per translationem interpretatur spectatores, veluti arbitros & censores Fabulæ &c. quem videas.

63. POLLINCTOR] Fulgentius: *Pollinctor, quasi pollutorum, i. cadaverum unctor.* Fr. Junius Theol. format à *Polincio*, sive *polinceo*: vel potiùs, ut Glossar. à *Polingo*, *ἐνταφιάζω νεκρὸν, στρεπλοκῶ, ἐνταφιάζω, poliens ungo.* Polire autem curare est & colere: ut *polire agros*, apud Ennium. Lex. Latino-græcum *νεκροφόρον. νεκροκόμον* interpretatur. Turn. l. 28: 31. quasi *pellis unctorem* dici putat: & *pollingere*, tanquam *pellem ungere*. Cadavera enim odoribus & aromatis omne genus sparsa olim, & peruncta, ad putorem illum letalem abigendum. Tertull. De Resurrect. carnis: *Proinde & corpora medicata condimentis sepulturæ, mausoleis & monumentis sequestrantur.* Persius:

——tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis.

Ennius:

Tarquinij corpus bona fœmina lavit & unxit.

Virgilius:

——corpusque lavant frigentis & ungunt.

Verius *Pollinctores* dictos Servius scribit ad lib. 9. Æneid. quod mortuis os polline oblinerent, ne livor appareret extincti. sed & Tertullianus in Scorpiaco cap. 7. *Sacerdotes* vocat. Gutherius cap. 15. lib. 1. de Manium jure. Multa ad hanc rem notant J. Kirchmanus in De funerib. Rom. Rævard. ad l. XII. tab. c. 12. & P. Colvius 3. Florid. Apul.

64. FILIVS] Acid. *mortuust, ei fil.* quod versus deposcit quidem: sed nihil hujus est in MSS. & edd.

ADDITI-

ABDITIVUS] ita J. Gul. legit. *Abditibus*, qui separatus & sejunctus est, χωρισθεὶς, ἀποσπασθεὶς, &c. Conspirant & MSS. & Edd. Ven. & Arg. in quis est, *abdibitys*. Vulgò, *abductus*.

68. QVONIAM PERIISSE] ita Grut. è MSS. prius cusi *cum jam*.

71. SINE VIAT.] Jocatur. Solebant enim tumbis mortuorum imponere viaticum, aurum, & pretiosa vasa; putantes sine his animas nusquam posse diverti. Etiam *Haiminsfeldius* Not. in Columban. ad illum Gentilium ritum putat respectum, quo nummum (δανάκην) in os mortuis imponebant, Charonti portorium & naulum. Aristophan. in Ran. duorum obulorum meminit, qui essent πορθμεῖον Charontis: postea ad triobulum excrevit.

73. SENI] Antidamanti.

75. HOSPITAL.] hospitis filium.

77. QVOM. I. OBIIT D.] ita MSS.

79. REVERTAR RVRSVS] ita Sueton. Cæsare: *Rursus repetitâ Bithyniâ.* ita alibi: *Ergò igitur*: πάλιν αὖ, ὕστερον αὖθις &c. Quæ licet speciem habent βαττολογίας, atque ἐκ παραλλήλου dicantur: usitatissima tamen sunt. *Casaub.*

80. SI QVID &c.] E Prol. Menæch. v.51. sunt hi tres versus. MSS. & vett. edd. *amandare.*

85. ALT. QVADRIM.] Acid. malit è vett. ed. *alteram autem qu.* & id invasit Pareana. Sed nec MSS. nec ullus Cod. τὸ *autem* agnoscit, præter Brix.

86. MAGARIBVS] Ridicula, inquit Gruterus, de *magalibus* Interpres. reponatur, *Magaribus*, auctoritate MSS. Pall. nec abeunt vett. edit. quæ *megaribus*. Locus fuit in ipsa urbe Carthagine: cujus mentio apud Appianum in Punicis, aliosque. Dicit ergò Prologus, ex Carthaginis illâ parte surreptas filias, & delatas Anactorium. Iterum meminit Persâ act.1: 3. ——*imò alium allegavero,*
Qui vendat, qui esse se peregrinum prædicet:
Siquidem hic Leno nondum sex menses Megaribus
Huc est cum commigravit.

87. ANACT.] Oppidum in Acarnaniâ. L.

90. SACER.] Servius ad illud Virg. 3. Æn.
Auri sacra fames:
Sacra, i. exsecrabilis. Tractus sermo ex more Gallorum. nam Massilienses quoties pestilentiâ laborabant, unus se ex pauperibus offerebat alendus anno integro publicis & purioribus cibis. hic postea ornatus verbenis & vestibus sacris circumducebatur per totam civitatem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala civitatis: & sic projiciebatur. Hoc autem in Petronio lectum est. Festus aliter: quem vide, & Scalig. ibid. & Muret. ad illud Catulli,
Di magni, horribilem & sacrum libellum:
ubi annotat; *sacrum lib.* dixisse, ut Virg. *sacram auri famem*: &; ——*sacras depellere tedas*. Afranius, ——*ô sacrum scurram & malum!* Turpilius,
Etiam me irrides, pessime & sacerrime?

91. CÆTERVM] H. Columna scribit, *caterûm*, pro *cæterorum*.

92. CVI LYCO NOMEN] quasi ex cujusq; nomine de moribus conjectura fieri possit. Sic Bacchid. *Adeon' me f. &c.* Sic ex nomine *Verris* augurabantur homines, fore ut ab eo Sicilia verreretur: *Muretus*. V.N. Bacch. 4: 4.

94. HVC COMMIGR. IN CAL.] ita MSS. & omnes edd. vett. nisi quod illi, *Calydone*, hi *Calydona*. Una Brix. *Huc in Calyd. commigr.*

97. SVAM SIBI C.] suprâ, *suum sibi prosecenium*. Ter. Ad. 5: 8. *Suo sibi hunc gladio jugulo.*

101. TANGERE H. V. BOLO] *Tangere bolo*, dictum, ut illud apud Non. *patrem argenti talento tetigi*, i. circumveni. *Tangere* enim hic fallere & circumvenire est. Tale est Ter. Phor. *Geta ferietur alio munere.* Argum. Trucul. *ingenti militem tangat bolo.* Tralatio ducta à piscatoribus. Vide & Turneb. in Jocos Cic.

106. VBI QVAMQ.] ita MSS. Muretus cum v.c. mâlit, *Uti q. in urbem ingr.*

107. QVISQ.] pro *quæque*.

108. DVCIT NOCTEM] ita è v. ed. Muretus, & Palm. & Acidal. distinguunt: *Dat aurum: ducit noctem: rogitat post ibi, Unde sit.* Etiam Gruterus, Sequor, inquit, MSS. & Palmerii lectionem. neque, *ducere noctes*, significat, rem habere (alioquin incestum committere potuisset iste Pœnus) sed è lupanari in noctem unam ad hospitium suum ducere. quo nihil vulgatius Autorib. Et hinc est, cur cauponæ ita malè passim audirent, aut enim ibi lupanaria, aut introductæ quæ è lupanari.

110. FVVERINT] Rectè. duplici *uu* scribendum, productionis gratiâ. Quin & in

heroo carmine apud Auson. *cuvi*, pro, *cui*, reperitur, & *reii*, pro *rei*, apud Lucr. passim, &c. *Turnebus*.

113. POENVS PLANE EST] Livius de Annibale: *Perfidia plusquam Punica*. Cicero Orat. 2. in Rull. *Pœni fraudulenti ac mendaces*. Id. De arusp. respons. *Nos nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos superavimus*.

116. SI TENETIS, D.] Jocus liberior ex ambiguo.

116. DVCITE] Pluscula, quia pulcra & scitu digna, annotabo è Conjectaneis Scaligeri. *Ducere serram cum aliquo*, est altercari cum aliquo. Tertull. *Quamdiu per hanc lineam serram reciprocabimus?* Sic *Serraculum ducere*, apud JCtum ad Leg. Aquilejam, &c. quanquam & *servaculum* ibi defendi potest: *servaculum* enim clavus est navis, πηδάλιον. Quin & Varro; *fortassean tecum duceret sertam*, verè scripsit: i. tecum particeps laboris esset. *Serta* enim, τὸ χεινίον, *restis*, *funiculus*. Palladius Martio; *suspendendi grossi ex caprifico lineâ sertâ pertusi, &c. Sertam ducere*, Terentio, (Adelph. act. 4: 7.) *Restim ductitare*. Saltantes enim aliàs ἐπὶ καρπῷ χειρὸς, ut apud Poetas Gr. se tenebant: aliàs restim tenentes hærebant. Horatius:

Tortum digna sequi potiùs quam ducere funem.

Erat etiam similis ludus puerorum, qui ducebant sparteam restem; & tamdiu trahebant, donec aut rumperent; aut alteruter, omissa funis prehensione, in nates caderet. alludit Plautus Pœnulo:

Jam tenetis? si tenetis, ducite:
Cave dirumpatis.

Tertullianus: *Sed non decet ultrà de auctoritate Scripturarum ejusmodi funem contentiosum alterno ductu in diversa distendere*. Quare, *sertam ducere cum aliquo* est (ut dictum) proverbiale, quotiescunque contentionem intercedere cum aliquo denotamus. Neque dubium, quin ita potiùs, quàm *serram ducere*, in Var. legendum sit. Hæc ille. Gruterus in Suspic. docet; *Tenere*, in re Veneris utrique sexui commune verbum esse: probaque multis exemplis. Apul. 3. Met. *tenere Fotidem*. Id. lib. 5. Psyche Cupidini: *Teneo te meum palumbulum, meum passerē*. Tibull. 1: 5.

Sæpè aliam tenui: sed jam, cùm gaudia adirem,
Admonuit domina, deseruitque Venus.

A Vim exposuit Cas. act. 4: 3. *Edepol na tu, si esses equus, esses indomabilis. STAL. quo argumento? CH. nimis tenax es.* Ab eo dicta Catullo aliisque Poetis hedera *tenax*. cui alludit Hor. 1. Od. 36.——*nec Damalis novo*
Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.
ab hoc etiam Propert. lib. 3: 10.
Et Circæ fraudes, lotosque herbæque tenaces.
Tenaces, quod detinerent secum Ulyssis socios. nec aliud vult Plautus Prol. Pœn. &c. Quamvis interim tamen respiciat ad ludum illum, quo ducebatur restis. Carmen Liberum:
Prendam te tamen, & tenebo prensam.
Curcul. act. 1: 1. *PH. rectè tenes &c.* Sed pauso: nam exaudire videor Catonem. Hæc Gruterus.

118. EHEM] ita MSS.

122. VT Q. DIDICI EGO] Ridiculè. inde actores *docti* & *conducti*. V.N. infrà, 3: 2.

123. EGO IBO,] ita Acid. versus etiam causâ, non tantùm sententiæ. Vulg. *ibi*.

123. ORNABOR] induam personam Comicam, & alius factus, in proscenium prodibo.

B 127. Q. R. RESTANT AL.] ita Cam. edidit. in MSS. est, *restant aliqui faciant p.* vett. Edd. *Quod restat, alij faciant palàm.* Brix. *Q. r. alij jam vobis facient palàm.* Sed hæc interpolata est.

128. VALETE, &c.] Ego Ludos & Fabularum actiones in religionis parte numerari debere censeo. igitur injicit spectatoribus religionem & spem, si æquo animo audiant, futurum ut vincant, idq; optat. Sic Prol. Asin. *Ut vos item aliàs, p. n. Mars adjuvet.* Prolog. Cas. & Rud. & Cistell. Turneb. l. 19: 10.

128. ATQ. ADIVVATE] Sic Catullus Carm. 29. *illud adjuvato, Ne quis liminis obseret tabellam.* ad quod notat Scalig. Ciceronem etiam in Epist. ad Att. ita locutum: & Petronium: *Quod si non adjuvissetis de hâc medicinâ, quam peto, jam parata erat in crastinum turba.* Douza, Præcid. cap. 2. multis præmissis subjungit: *Adjuvate*, in Pl. Pœn. est, addite operam, adnitimini pariter, atque in eam curam cogitationemq; incumbite. Cæterùm postremo hosce Prologi versus aliter ordinat Acidalius. Sed consensum omnium MSS. & Edd. damnare temerè non potui. cùm sententia sic etiam expeditè currat.

ACTVS

ACTUS I. SCENA I.

AGORASTOCLES adolescens,
MILPHIO servus.

SÆpe ego res multas tibi mandavi, Milphio,
Dubias, egenas, inopiosas consilij,
Quas tu sapienter, doctè & cordatè & catè
Mihi reddidisti opiparas operâ tuâ.
Quibus pro benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem, & multas grates gratias.
MI. Scitum'st, per tempus si obviam it, verbum vetus
Nam tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet,
Gerræ germanæ, atque edepol liræ liræ.
Nunc mihi blandidicus es; heri in tergo m°
Tris facilè corios contrivisti bubulos.
AG. At amans per amorem si quid f.ci, Milphio,
Ignoscere id te mihi æquum est. MI. haud vidi magis.
Et nunc ego amore pereo. sine-e verberem,
Item ut tu mihi fecisti, ob nullam noxiam:
Post id locorum tu mihi amanti ignoscito.
AG. Si tibi lubido est aut voluptati, sino,
Suspende, vinci, verbera, auctor sum, sino.
MI. Si auctoritatem posteà defugeris,
Vbi dissolutus tu sies, ego pendeam.
AG. Egóne istuc ausim facere præsertim tibi?
Quin si feriri video te, extemplò dolet.
MI. Mihi quidem hercle. AG. imò mihi. MI. istuc mavelim.
Sed quid nunc tibi vis? AG. cur ego apud te mentiar?
Amo immodestè. MI. meæ istuc scapulæ sentiunt.
AG. At ego hanc vicinam dico Adelphasium meam,
Lenonis hujus meretricem majusculam.
MI. Iampridem equidem istuc ex te audivi. AG. differor
Cupidine ejus. sed lenone istoc Lyco,
Illius domino, non lutum'st lutulentius.
MI. Vin' tu illi nequam dare nunc? AG. cupio. MI. en! me dato.
AG. Abi directus. MI. dic mihi veriò seriò:
Vin dare malum illi? AG. cupio. MI. hem! eundem me dato.
Vtrumque faxo habebit, & nequam & malum,
AG. Jocare MI. vin' tu illam hodie sine damno & dispendio
Tuo, tuam libertam facere? AG. cupio, Milphio.

MI. Ego faciam ut facias. sunt tibi intus aurei
Trecenti nummi Philippii. AG. sexcenti quoque.
MI. Satis sunt trecenti. AG. quid ijs facturus? MI. tace.
Totum lenonem tibi cum totâ familiâ
Dabo hodie dono. AG. quid facturus? MI. jam scies.
Tuus Collybiscus nunc in urbe'st villicus,
Eum hic non novit leno. satin' intellegis?
AG. Intellego hercle: sed quò evadas nescio.
MI. Non scis? AG. non hercle. MI. at ego jam faxo scies.
Ei dabitur aurum, ut ad lenonem deferat:
Dicatque se peregrinum esse ex alio oppido,
Se amare velle, atque obsequi animo suo.
Locum sibi velle liberum præberier,
Vbi nequam faciat clàm, ne quis sit arbiter.
Leno ad se accipiet auri cupidus illicò:
Celabit hominem & aurum. AG. consilium placet.
MI. Rogato, servos venerit ne ad eum tuus.
Ille me censebit quæri. continuò tibi
Negabit. quid tu dubitas, quin extemplò
Dupli tibi auri & hominis fur leno siet?
Neque id unde efficiat, habet. ubi in jus venerit,
Addicet Prætor familiam totam tibi.
Ita decipiemus foveâ lenonem Lycum.
AG. Placet consilium. MI. imò etiam, ubi expolivero,
Magis hoc tum demum dices: nunc etiam rude'st.
AG. Ego in ædem Veneris eo, nisi quid vis, Milphio.
Aphrodisia hodie sunt. MI. scio hoc. AG. oculos volo
Meos delectare munditijs meretricijs.
MI. Hoc primùm agamus, quod consilium cepimus.
Abeamus intrò, ut Collibyscum villicum
Hanc perdoceamus ut ferat fallaciam.
AG. Quanquam Cupido in corde versatur, tamen
Tibi auscultabo. MI. faciam ut facto gaudeas.
Inest amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quæ elui neutiquam potest.
Itáque hic scelestus est homo leno Lycus,
Cui jam infortunij intenta ballista est probè,
Quam ego haud multo pòst mittam è ballistario.
Sed Adelphasium eccam exit, atque Anterastilis.
Hæc est prior, quæ meum herum dementem facit.
Sed evocabo. heus! i foràs, Agorastocles,

Si

Si vis videre ludos jucundissimos.
AG. Quid istuc tumulti'st, Milphio? MI. hem! amores tuos
Si vis spectare. AG. ô multa tibi di dent bona,
Cùm mihi hoc obtulisti tam lepidum spectaculum.

MIHI REDD. OPIPARAS] ita MS. pr. at sec. *oppiparas*, uti & Arg. & Ven. & Parisina. Brix. & traduces hujus: *Mihi reddidisti certas, opiparas op. tua.* quod probat Meursius. ut *opiparas* opponat egenis & consilii inopiosis; *certas*, dubiis. Itaque sic constitui:

Mihi reddidisti certâ' opiparâ' operâ tuâ.

6. GRATES GR.] Ita MSS. ambo & vett. edd. pleræque. Vulgò, *gratas pr.* quod invitis libris Pareus in textum recepit. cur. quia, inquit, alterum manifestè præferret scribæ errorem: neque enim ullum occurrere exemplum quo posset defendi. Quasi non esse, debeat pro exemplo, ipsamet Vetustas. quænam istæc est argumentatio?

7. SCITUM EST &c.] Significat, *verba vetera*, i. Proverbia & Sententias, scita esse, cum tempestivè usurpantur. *Verbum* autem *vetus* est, quod antè Agorast. dixerat, *deberi ei libertatem & grates gratias*: Turn. lib. 15. 6. Muretus, Quodnam illud, inquit, est Proverbium? nullum video. sequar igitur intereà vet. librum, in quo est:

Scitum est, per tempus si obviam is: verbum est vetus.

quod ita interpretor. Tu mihi sæpè blandiris, sæpe gratiam deberi agnoscis, sæpe libertatem daturum polliceris: sed isthæc omnia verba sunt. nihil enim præstas, præter pugnos, quibus sæpè me pectis. atque hi quidem solvuntur præsenti pecuniâ in probo & aspero: illa autem blandidica dicta in diem differuntur. Verbum autem vetus est: *Scitum est, per tempus si obviam is.* i. scitum atque elegans est, cùm quid promisisti, ne exspectare quidem, dum rogeris; sed suo tempore occurrere atque obviam ire, & promissa patrare: quod tu non facis. Lector judicet. Is. Pontan Analect. l. 3. cap. 15. Mea, inquit, sententia est, illud ipsum veriverbium esse: *Per tempus si obviam is.* Hoc enim dicit Milphio; Vetus est, quod herus blandiatur servo, per tempus videlicet & occasione acre sic poscente. Ita verò capi hîc dictionem *obviam*, apparet ex illo, act. 3. 6. *Quæso in comitio estote obviam.* Et iteratur hæc formula Trucul. *Euge funde & ædes, per tempus subvenistis.* HEM tibi mirificas doctorum molitiones! cùm haud dubiè simplicissima & verissima sit Pistoris, quam repræsentavi, sententia:

A

Scitum est, per tempus si obviam it, verbum vetus.

Verbum autem vetus illud v. est *Gerræ germana &c.* quod apertè ostendunt illa, *quod dici solet.* Et quamvis illud, *Gerræ, liræ &c.* tam magni momenti non sit, ut tantâ cum præfatione proferri debuerit, apparet tamen servum jocari; & quod magno conatu cæperat, in risum desinere: non aliter atque ipse æstimabat orationem adolescentis. Jam, *per tempus si obviam it*, est, si suo loco & tempore in mentem venit: aut si opportunè objicitur in responsionibus, &c. Eadem planè sententia & Lambini fuit. De *gerris* V. N. Epid. 2. 2.

9. LIRAE L.] vox effutitia, pro nugis & frivolis: Turn lib. 3. 20. Etiam Meursius scribit

B

liræ, liræ: Et nihil est, inquit, aliud, quàm Græcanicum λῆροι. manavitque id vocabuli ad Italos ex magnâ Græciâ. hinc *lirare* pro ineptire, & *delirare*: nam *de* hic auget. Nec èst porro quod quis mihi liras rusticorum objiciat: unde hactenus etymologia quæsita. nam aliæ eæ omninò ab his. Sed & Grutero merè Græcanicum est: nam λῆροι, inquit, pronunciatione Latinâ erit *liræ*. Fidem facit Comœdia Terentii *Adelphæ* ἀδελφοί. In MSS. & Vett. edd. melioribus, *lyra*, vel *liræ*, vel *lire*.

13. ID TE MIHI.] Parei postrema malè ejecit voculam *te*, quæ alioquin in edd. & MSS. Utraque verò ejus versu seq. ineptè habet, *Et ego nunc*, invito versu. legendum erat præeuntibus MSS. *Et nunc ego.*

13. HAUD VIDI MAGIS] ita MSS. V. N. Amph. 2. 2. *Haud vidi magis*: genus quoddam loquendi ironicum; quo utebantur, cùm ostendere volebant, id quod dixisset alius, sibi non probari: neque ita esse, ut ille dixisset.

Hic quidem perinde est, ac si diceret irridens Servus: *Nihil vidi unquam æquius.* cùm ex contrario intelligi velit, iniquissimum esse. Dixerat quippe Adolescens, quod per amorem Servum verberasset pridie, *id sibi ignosci æquum esse.* Hæc Muretus Var. lib.17.cap.16. contra Lambinum. Sed melior videbatur Meursio v.codd.lectio: *MI. audi tu magis. Et ego n.*&c.sed Meursio tunc adolescenti.

17. SINO.] Ita postulat loquendi ratio: neque aliter aut MSS.aut Editi. solùm Parcana insubidè *sine*; non hîc modò, sed & infra versu seq.quæ hæc libido?

19. SI AUTOR.POSTEA DEF.] uterque MSS. l.*postera def.*non,*posteà*, Et quis carpat? *Grut.* V.N. Epid.3.2.

25. IMMODESTE] supra modum.*L.*

31. VIN' TU I.NEQ.D.] *Nequam* veteres usurpabant pro nequitiâ & malo, cùm etiam in homine malo & improbo poneretur: unde jocus hîc ex ambiguo. cùm enim dixisset, *vin' illi dare malum* & incommodare; ut, qui respondet, intellexit: quasi tamen de se improbo servo locutus, præter exspectationem subjecit, *En! me dato*, qui nequam sum. *Turn. lib.15.6.* Pareus utraque editione publicavit, *hem! me dato.* contra libros scriptos editosq; universos.

32. ABI DIERECTUS] in crucem ad corvos.V.N. Trin.4.2.

35. JOCARE.] Ita hi versus scribuntur in MSS.& vett.Acidalius sæpe à suâ Brix. quæ mangonum manus cum Aldinâ passa est, *decipitur.* Pareus tamen, utraque editione eum secutus, ejecit, *& dispendio*: cum nota: At quivis sanus videt de glossa esse duas eas dictiones. igitur ejeci è textu. Nescio quos sanos vocet. Camerarius profectò, & Lambinus, & Dousa, nullam eis movere controversiam. & meo Judicio, si quid esset de glossa, dicerem id potius de voce *damno*, quam de *dispendio.* Idem circulator, in Lexico suo, falsa persuadere conatus est discipulis suis, vocem eam minimè extare in membranis. clamat enim: Taubmanus illud quod de glossa alterius est, in contextum recepit. Hoc scilicet est uti MSS.codicibus. Ita non omne aurum est quod splendet. Verè ille hoc ultimum, nam ejus sanè omnia,

A quamvis ea merè facias aurea, vix accedunt ad Lampyrides.

49. LOCUM S.V.LIB.] *Locus liber*, ubi remotis interpellatoribus & arbitris, aliquis voluptati operam dare potest. Turn. lib. 30:32.

57. NEQ. ID UNDE EFFICIAT, HABET] Claud. Chifletius IC. Sequanus, in 2.c.*Leg. Aquiliæ*, disputationem suam his verbis concludit: OMNINÒ ergò dicendum est, servi corrupti maleficium non primùm Prætoris edicto coercitum fuisse; sed Aquiliâ: cui Prætoris edictum successit. Sed nihil mihi fecisse videor nisi legis antiquæ probandæ gratiâ veteris auctoris testimonium arcessam. Prodeat igitur in medium Musarum sermone locutus Plautus, quo meliore antiquitatis auctore non utimur. Ejus Comœdia Pœnulus, in secundi hujus capitis tractatione tota ferè consumitur, & nos primi ad ejus interpretationem adducimus. Juvat insigniores ex eâ locos referre. Milphio servus Agorastoclis domino persuadet, ut si lenonem perdere velit, trecentos Philippeos nummos Collabisco villico suo det, quos ad lenonem deferat, simulans se peregrinum: & ait, *Leno ad se accipiet auri cupidus,&c.unde efficiat, habet.* B Et postea act.3.sc.4. alloquitur Agorastocles advocatos testes, & ait

Vidistis, Leno cùm aurum accepit? AD. vidimus.

AG. Eum vos esse servum meum scitis.

(Meurs. leg. *scistis*, pro *scivistis.*) *AD. scivimus.*

AG. Rem adversus populi sæpe leges? AD. scivimus.

His verbis non dubito quin ad secundum legis Aquiliæ caput respexerit Plautus, quo servi corruptor aut receptator ex infitiatione tenebatur in duplum. Populi enim leges etiam *Plebiscita* nuncupari non est absurdum: cum *Populi* appellatione plebs contineatur. & aliquando *Populus* plebem significet: ut Mart.l.12.epigr.3.

Ille dabit populo, patribusque equitique legendum.

nec Prætoris edictum intellexit Plautus. nam *Edicta* nunquam *Populi leges* dici consueverunt: & ex *Edicto* corruptor etiam sine infitiatione duplo mulctabatur. Non potest pariter ad Legem Fabiam locus ille referri: quam-

quamvis antiquam legem esse sciam, nam ejus Legis fuit olim pœna pecuniaria, non duplum ex infitiatione, &c.

58. ADDICET PR.] De cognitione hac Prætoria vide Ræv. in Protrib. cap. 6. ubi & de tribus Prætoris verbis, *do, dico, addico*, agit.

59 DEC. FOVEA L.] Sumptum à rusticis, qui cæca foveâ factâ lupos capere solent.

60. EXPOLIVERO] V.N. Asin. 5.2. Behotius lib. 2. Apophor. cap. 1. bene notat alludere heic servum ad fullonicam. malletque distingui, *expolivero, magis hoc tum demum dices.* sapere enim formulam. Ter. 2. 3. Eun. *Imo enim si scias, quod domum huic dono contra comparet, Tum magis id dicas.*

63. APHRODISIA] V.N. scena sequenti.

63. OCVLOS V. DELECT.] apud Petron. verbum est, *indelectari. At ille non indelectatus nequitiâ meâ.*

67. FERAT FALLAC.] ita MSS. At I. Gul. l. *ferat f.* ut in personâ villici jocum ex ambiguo captet.

71. SINE DAMNO MAGNO] Parei ultima, abjecit vocem *magno*, cùm extet tamen in MSS. & edd. omnibus, omninoque eam requirat mensura versus.

71. ELVI] Propriè. *macula* enim *elui-* A *tur*. Atque hæc secum Milphio. V.N. Capt. 4: 1.

74. BALLISTAR.] ut *catapulta*, quod tormentum est bellicum, & interdum tragulam vel sagittam significat, quæ catapultâ mittebatur; sic *ballista* interdum non tormentum est, sed tormenti telum: ut hoc loco. quamquam fortasse pro tormento non malè accipietur, quod mitti etiam dicitur, cùm mittuntur ab eo tela. *Ballistarium* autem locus est, undæ ballistæ mittebantur. *Turn. lib. 5. 6.* V.N. Capt. 4. 2. Lipsius in Poliorc. lib. 3. cap. 2. capit, non pro loco, sed pro machina ipsa.

B 76. HÆC EST PRIOR] Elegantius est, auctore Meursio, si transponas: *Hæc prior est, q.* Nam vult dicere, Adelphasium, quam priorem nominaverat, amari ab hero suo Agorastocle. Porrò *Agorastocles*, è quacunque Comœdiâ mutuatus sit Plautus, non alius est, quàm qui per convicium aliter σοφοκλῆς, Latinè *Laudicœnus* dicebatur. de quo hominum genere eorumque vocabulis Plin. lib. 2. epistolâ 14. Etiam Lipsius noster Epist. 48. Cent. 2. ad Belg. ubi *De Recitatione Veterum* agit, notat eos, qui illud σοφῶς, καλῶς, *euge* & *bellè* acclamabant, & modulatè laudabant, sportulis & cænis invitati, *Sophocles* ob id dictos, facetè.

ACTUS I. SCENA II.

ADELPHASIUM, ANTERAST. meretrices duæ MILPHIO servus. AGORASTOC. adolescens. ANCILLA.

NEGOTII sibi qui volet vim parare,
Navem & mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotij
Habent, fortè si occeperis exornare.
Neque unquam satis hæ duæ res ornantur,
Neque eis ulla ornandi satis satietas est.
Atque hæc ut loquor, nunc modò docta dico.
Nam nos usque ab aurorâ ad hoc quod diei est,
Ex industriâ ambæ nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: & unà

Binæ

Binæ singulis quæ datæ nobis ancillæ,
Eæ nos lavando, eluendo, operam dederunt:
Aggerundáque aquâ sunt viri duo defessi.
Apagesis, negotij quantum in muliere unâ est!
Sed verò duæ, sat scio, maximo uni
Populo, cui lubet, plus satis dare potis sunt.
Quæ noctes diesque omni in ætate semper
Ornantur, lavantur, tergentur, poliuntur.
Postremò MODVS MVLIEBRIS nullus est,
Neque unquam lavando & fricando scimus
Facere nam quæ lavata est, nisi*
Perculta est, meo quidem animo, quasi illauta est.
AN. Miror equidem, soror, te istæc sic fabulari,
Quæ tam callida & docta sis & faceta.
Nam cùm sedulò munditer nos habemus,
Vix ægréque amatorculos invenimus.
AD. Ita est. verùm hoc unum tamen cogitato:
MODVS OMNIBVS in rebus, soror, optimum est habitu.
NIMIA OMNIA nimium exhibent negotium hominibus ex se.
AN. Soror cogita, amabo, item nos perhiberi,
Quasi salsa muriatica esse autumantur
Sine omni lepóre, & sine suavitate:
Nisi multâ aquâ usque & diu macerantur,
Olent, salsa sunt, tangere ut non velis: item nos sumus
Ejus seminis mulieres. sunt insulsæ
Admodum atque invenustæ sine munditiâ & sumptu.
MI. Coqua est hæc quidem, Agorastocles, ut ego opinor:
Scit muriatica ut maceret. AG. quid molestus?
AD. Soror parce amabo! sat est istuc alios dicere nobis,
Ne nosmet nostra etiam vitia loquamur.
AN. Quiesco. AD. ergo amo te. sed hoc nunc responde mihi.
Sunt hic omnia quæ ad deûm pacem oportet adesse?
AN. Omnia accuravi. AG. diem pulcrum & celebrem & venustatis plenum!
Dignum Veneri pol, cui sunt Aphrodisia hodie!
MI. Ecquid gratiæ, cùm huc foras te evocavi? num jam
Me decet cado donari vini veteris? dic dari.
Nihil respondes? lingua huic excidit, ut ego opinor. quid, hic, malùm,
Astans obstipuisti? AG. sine amem! ne me *obturba, ac tace.*
MI. Taceo. AG. si tacuisses, jam istuc Taceo non natum foret.
AN. Eamus mea soror. AD. eho! amabo, quid illò nunc properas? AN. rogas?
Quia herus nos apud ædem Veneris mantat. AD. maneat pol: mane.
Turba est nunc apud aram. an te ibi vis inter istas versarier

Prosedas

Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,
Miseras, schœno delibutas, servulicolas sordidas?
Quæ tibi olant stabulum statumque; sellam & sessibulum merum:
Quas adeò haud quisquam unquàm liber tetigit, neque duxit domum;
Servulorum sordidulorum scorta diobolaria.
MI. I in malam crucem! tun' audes etiam servos spernere?
Propudium, quasi bella sit, quasi eámpse reges ductitent:
Monstrum mulieris! tantilla tanta verba funditat:
Qojus ego vel nebulæ cyatho septem noctes non emam.
AG. Dij immortales omnipotentes, quid est apud vos pulcrius?
Quid habetis, magê quî immortales vos credam esse, quàm ego siem?
Qui hæc tanta oculis bona concipio! nam Venus non est Venus.
Hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet posthac propitia.
Milphio, heus! Milphio, ubi es? MI. assum apud te eccum! AG. ego elixus sis volò.
MI. Enim verò, here, facis delicias. AG. de te quidem hæc didici omnia.
MI. Etiámne ut ames eam, quam nunquam tetigeris? nihil illic quidem est.
AG. Deos quoque edepol & amo & metuo, quibus ego tamen abstineo manús.
AN. Heu! ecastor, cùm ornatum aspicio nostrûm ambarum, pœnitet
Exornatæ ut simus. AD. imò verò sanè commodè.
Nam pro herili & nostro quæstu satis bene ornatæ sumus.
„ Non enim POTEST QVÆSTVS consistere, si eum sumptus superat, soror.
Eò illud satiu'st satis quod satis est, habitus plus quàm sat est.
AG. Ita me di ament, ut illa me amet malim, quàm di, Milphio.
Nam illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest.
MI. Pol id quidem haud mentire. nam tu es lapide silice stultior,
Qui hanc ames. AG. at vide sis, cùm illâ nunquam limavi caput.
MI. Curram igitur aliquò ad piscinam, aut lacum; limum petam.
AG. Quid eo opust? MI. ego dicam: ut illi & tibi limem caput.
AG. I in malam rem! MI. ibi sum equidem. AG. pergis? MI. taceo. AG. at perpe- (tuò volo.
MI. Enimvero, here, meo me lacessis ludo, & delicias facis.
AN. Satis nunc lepidè ornatam credo, soror te tibi viderier:
Sed ubi exempla conferentur meretricum aliarum, ibi tibi
Erit cordolium, si quam ornatam melius fortè conspexeris.
AD. Invidia in me nunquam innata'st, neque malitia, mea soror.
„ BONO INGENIO ME esse ornatam, quàm auro multo mavolo.
„ AVRVM IN FORTVNA invenitur, naturâ ingenium bonum.
„ BONAM EGO QVAM beatam me esse nimio dici mavolo.
„ MERETRICEM PVDOREM gerere magis decet, quàm purpuram:
Magisque meretricem pudorem, quàm aurum gerere condecet.
„ PVLCRVM ORNATVM turpes mores pejus cœno collinunt.
„ LEPIDI MORES turpem ornatum facilè factis comprobant.
AG. Eho tu! vin tu facinus facere lepidum & festivum? MI. volo.

AG.Petésne mihi auscultare? MI.possum. AG.abi domum, ac suspende te.
MI.Quamobrem? AG.quia jam nunquam audibis verba tot tam suavia.
Quid tibi opu'st vixisse? ausculta mihi modò, ac suspende te.
MI.Siquidem tu es mecum futurus pro uvâ passâ pensilis.
AG.At ego amo hanc. MI.at ego esse & bibere. AD.eho tu! quid ais? AN. quid
AD.Viden' tu, pleni oculi sordium qui erant, jam splendent mihi? (rogas?
AN.Imò etiam in medio oculo paullum sordi'st. AD.cedò sis dexteram.
AG.Ut tu quidem hujus oculos illotis manibus tractes ac teras?
AN.Nimia nos socordia hodie tenuit. AD.quâ de re, obsecro?
AN.Quia jam non dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus,
Primæ ut inferremus ignem in aram. AD.ah, non facto' est opus:
Quæ habent nocturna ora, noctu sacrificatum ire occupant:
Priusquam Venus expergiscatur, prius deproperant sedulò
Sacrificare. nam vigilante Venere si veniant eæ,
Ita sunt turpes, credo ecastor Venerem ipsam è fano fugent.
AG.Milphio. MI.edepol Milphionem miserum! quid nunc vis tibi?
AG.Obsecro hercle; ut mulsa loquitur! MI.nihil nisi laterculos,
Sesamum, papaveremque, triticum, & frictas nuces.
AG.Ecquid amare videor? MI.damnum, quod Mercurius minimè amat.
AG.Namque edepol LUCRUM AMARE nullum amatorem addecet.
AN.Eamus, mea germana. AD.age sis ut lubet. sequere hac. AN.sequor.
AG.Eunt hæ. quid si adeamus? MI.adeas. AG.primùm, prima salva sis.
Et secunda tu secundo salve in pretio: tertia (DIDI.
Salve extra pretium. ANCIL.tum pol ego & OLEUM ET OPERAM PER-
AG.Quò te agis. AD. egone? in ædem Veneris. AG.quid eò? AD. ut Venerem
AG.Eho! an irata est? propitia hercle est. vel ego pro illâ spondeo. (propitiem.
AD.Quid tu agis? quid mihi molestus, obsecro? AG.ah! tam sæviter.
AD.Mitte amabo. AG.quid festinas? turba nunc illi est. AD.scio:
Sunt illi aliæ, quas spectare ego; & me spectari volo.
AG.Qui lubet spectare turpes, pulcram spectandam dare?
AD.Quia apud ædem Veneris hodie est mercatus meretricius.
Eò conveniunt mercatores: ibi ego me ostendi volo.
„ *AG.INVENDIBILI MERCE oportet ultrò emptorem adducere,*
„ *PROBA MERX FACILE emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.*
Quid agis tu? quando illi apud me mecum caput & corpus copulas?
AD.Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiserit.
AG.Sunt mihi intus nescio quot nummi aurei lymphatici.
AD.Deferto ad me, faxo actutum constiterit lymphaticum.
MI.Bellula hercle! AG.i directè in maximam malam crucem.
MI.Quàm magis aspecto, tam magis est nimbata, & nugæ meræ.
AD.Segrega sermonem! tædet. AG. age sustolle hoc amiculum.
AD.Pura sum: comperce, amabo, me attrectare, Agorastocles.

AG.Quid

AG. Quid agam nunc? MI. si sapias, curam hanc facere compendi potes.
AG. Quid ego nunc te curem? quid agis, Milphio? MI. ecce odium meum.
Quid me vis? AG. cur mihi hæc irata est? MI. cur hæc irata est tibi?
Cur ego id curem? namque isthæc magis tua est curatio.
AG. Jam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis,
Quàm mare est olim, cùm ibi alcedo pullos educit suos.
MI. Quid faciam? AG. exora, blandire, expalpa. MI. faciam sedulò.
Sed vide sis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea.
AG. Non faciam. AD. nos eamus nunc. etiam morare? male facis.
Bene promittis multa. ex multis omnia incassum cadunt.
Liberare juravisti me haud semel, sed centies.
Dum te exspecto, neque usquam aliam mihi paravi copiam:
Neque istuc usquam apparet: ita nunc servio nihilo minus.
I soror. abscede tu à me. AG. perij, eho! quid agis, Milphio?
MI. Mea voluptas! meæ delitiæ! mea vita! mea amœnitas!
Meus ocellus! meum labellum! mea salus! meum savium!
Meum mel! meum cor! mea colostra! meus molliculus caseus!
AG. Méne ego illæc patiar præsente dici? discrucior, miser.
Nisi ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi.
MI. Noli amabo succensere hero meo caussa meâ.
AD. Ego faxo: sine! MI. irata es. nimium pro te dabit.
Atque te faciet ut sis cives Attica atque libera.
AD. Quin abire sinis? quid vis tibi? Qui bene volunt, bene vis item.
MI. Si antè quidem mentitus est, nunc jam dehinc erit verax tibi.
AD. Abscede hinc sis, sycophanta. MI. pareo. at scin' quomodo?
Sine te exorem, sine te prendam auriculis, sine dem savium.
Jam hercule ego faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam.
Atque hic me ne verberet (illud faciet, nisi te propitio)
Malè formido: novi ego hujus mores morosi malos.
Quamobrem, amabo, mea voluptas, sine te exorarier.
AG. Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiæ
Exturbo oculos atque dentes. hem voluptatem tibi!
Hem mel! hem cor! hem labellum! hem salutem! hem savium!
MI. Impias, here, te! oratorem verberas. AG. jam istoc magis.
Et jam ocellum addam, & labellum, & linguam. MI. ecquid facies modi?
AG. Siccine ego te orare jussi? MI. quomodo ergo orem? AG. rogas?
Sic enim diceres, sceleste: Hujus voluptas, te obsecro:
Hujus mel, hujus cor, hujus labellum, hujus lingua, hujus savium,
Hujus colostra, hujus salus amœna, hujus festivitas,
Hujus colostra, hujus dulciculus caseus, mastigia,
Hujus cor, hujus studium, hujus savium, mastigia.
Omnia illa quæ dicebas tua esse, ea memorares mea.

MI. Obse-

MI.Obsecro hercle te, voluptas hujus, atque odium meum!
Hujus amica mammeata, mea inimica & malevola!
Oculus hujus, lippitudo mea! mel hujus, fel meum!
Ut tu huic irata ne sis: aut si id fieri non potest.
AD.Capias restim, ac te suspendas cum hero & vostrâ familiâ.
MI.Nam mihi jam video propter te victitandum sorbilo,
Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito,
Propter amorem vestrum. AD.amabo! men' prohibere postulas,
Ne te verberet, magis quàm ne mendax me advorsum fiet?
AN.Aliquid huic responde amabo commodè; ne incommodus
Nobis sit. nam detinet nos de nostro negotio.
AD.Verùm. etiam tibi hanc amittam noxiam unam, Agorastocles.
Non sum irata. AG.non es? AD.non sum. AG.da ergo, ut credam, savium.
AD.Mox dabo, cùm ab re divinâ rediero. AG.i ergo strenuè.
AD.Sequere me, soror. AG.atque audin' etiam? Veneri dicito
Multam meis verbis salutem. AD.dicam. AG.atque hoc audi. AD.quid est?
AG.Paucis verbis rem divinam facito. atque audin'? respice.
Respexit. idem pol Venerem credo facturam tibi.

VERSUS ab initio aliquot sunt trimetri catalectici confusis permistisque numeris: aliqui etiam posteà longiores; usque ad hunc, *Ecquid gratiæ.* à quo deinceps explicatiores sunt tetrametri catalect. trochaici. A

1. NEGOTIIS Q.V.VIM] Sic Afran. *Nunc est distentus animus sibi negotij.* ita P. Syrus:

Fœminarum curam gerere, desperare est otium.

3. NULLÆ MAGIS RES] contra libros cusos scriptosque Pareana, *Nulla.* ineptè.

7. UT LOQ.] ita MSS. & edd. omnes hunc versum concipiunt; ut Acidalii nostri ingenio opus non fuisset. idem timidè suspicabatur præterea, *domi docta*: quod ilicò sentinæ editionis primæ intulit Pareus; mendacioque manifesto firmat in Lexico suo, dum asserit: Ita omnino multæ editiones ibi repræsentant formulam hanc Plauto quasi propriam. Non itaque opus erat Taubmani suggillatione. At enim *domi* non visas in nulla editione Merulæ, Pij, Sarraceni, Carpentarii, Mulingi, Aldi, Stephani, Longolij, Camerarii, Lambini, Sambuci, Dousæ. ubi igitur legitur? O inverecundum animi ingenium! nec seculum præsens veteris, nec futurum.

8. QUOD DIEI EST] conjiciebat Acidalius *quod est die*, idque statim rapuit in haram suam Pareus.

9. CONCESSAVIMUS] ita MS. Cam. alii &, *concessamus.* Libri vulgari in textum inferserunt talem versum: *Postquam aurora illuxit, nunquam cessavimus.* quem tamen Grut. confidenter expunxit, tanquam prioris glossema. idem & Acid. & Meursius fecerunt. neque in ullo codd. meorum ista, *nunquam concessavimus*, iterantur.

11. PINGI, FINGI] Tralatio à pictura, & ab arte figulari aut statuaria. L.

B 14. AGGERUNDAQ. &c.] ita MSS. sed Ald. *Abgerundaque aq.* quod & in Pareana prima, injuriè. nam & vett. edd. alludunt membranis, ac habent, *adgerundamque aquam*. eadem quoque ut & postrema statim male expressere, *defessi duo*, cùm versus requirat *duo defessi*; neque aliter MSS. aut edd. priscæ. Cæterum, auctore Festo, *Aquarij sunt impudicarum mulierum sordidi adjecla.* Et putat Turnebus, hanc significationem hinc manasse, quòd *Aquarij* dicebantur, qui aquam in ædes portabant, quâ plurimâ egent ad balneum seseque eluendas mulieres. Et hâc occasione amorum

inter-

internuntiis solebant eis uti. Juv. 6. ——*Ve-niet conductus aquarius:* lib.14:12. Hujusmodi aquarioli dicebantur προποδιάκονοι. Vetus Lexicon: *Aquaculat*, i. lenocinatur. Vide & Not. Amph. 2: 2.

16. SED VERO DVÆ] ita MSS. Elegans usus particulæ, *sed*, quâ & Cic. Lucr. alii, sic utuntur.

17. POTIS SVNT] ita MSS. at P. Merula l. *potessunt*. ut Ennius lib.17. Annal. *Spero, si speres quicquam prodesse potessunt*. nam *potessunt*, *sunt potes*. multisque docet, veteres quidem *Potissum* dixisse, non tamen *potissumus*, vel *potissunt*: sed *potessumus* & *potessunt*, servatâ in priore compositæ vocis parte analogiâ numeri, quasi *sum potis*: *sumus* & *sunt potes*. ita *potissit*, quasi *sit potis*. *Potis* etiam, ut & *pote*, communi genere enunciatum esse: ut Lucr. l. 5.

Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur.

Propert.

Quâ pote quisque, in eâ conterat arte diem.

ita *potessint*, sint potes. *Potesse*, pro *pote esse*, vel *potes esse*, frequentissimum. vide ipsum, pag. 575. Etiam Muretus ad Catullum ambitiose docuit, *Potes*, & *pote*, in quolibet genere dici.

21. SCIMVS FACERE] ita MS. secund. at pr. *scimus facerenniam*. Turn. lib. 3: 5. in pervetustis membranis reperisse ait, *facere*, *En jam*. quo quidem verba exprimi putat eorum, qui aliquo perfuncti negotio sunt, ad finemque rei pervenerunt; *En jam perfeci: En jam labi*. J. Palm. & Acidal. l. *scimus Facere pausam*. deinde hic emendat, ——*meo animo quasi musta est*. nam, inquit, verbum *illauta*, ab hoc, *quasi*, refutatur. quod vincit, verbum aliquod per similitudinem dictum à Plauto. *Musta*, adjectivè positum, ut *epula*: quomodo, *epulæ oves*, præpingues, apud Varronem. J. Chunr. Rhumelius l. ——*simus Saturæ*. vel: *scimus Fas, ecere!* an fuit fortè, *facere næniam*. ut ponatur pro fine; quomodo etiam tunc accipiendum esset illud Pseud. 5. 1. v. 32. *id fuit nænia ludo*. sed quo exemplo?

22. QVÆ LAVATA] Sic edd. vett. nam MSS. *qua clavata*; recentt. *quæ elauta*.

23. QVASI ILLAVTA EST] Colv. *quasi illuta est*. Itaque fortassis, inquit, accipiendus odor *illutibilis*, Men. 1: 2. sic Apul. *illutibarbus*,

A i. illutâ & sordida barbâ præditus. Meursius è v. c. hunc locum ita corrigit: —— *& fricando sumus Saturæ: nam quæ lauta est, nisi perculta est, meo q. a. q. invenusta est*. In meis edd. est: *Et fricando scimus facere. nam quæ lavata est, nisi perculta est, meo q. an q. inusta est*. In MSS. pro *illauta*, in pr. *inlusia est*. sec. *injusta est*.

27. AMATORCVLOS] non admodum fructuosos.

29. MODVS OMN. I. REB.] τὸ *in* in nullo MSS. est.

32. MVRIATICA] Turn. lib. 15: 6. Quæ *salsamenta* ab aliis vocantur, ea h. l. *muriatica* appellat. *Muria*, piscium salsorum liquamen. Vide & Scalig. Conject. in Varron. de piscibus muriaticis. Idem Auson. Lect. lib. 2: 28. Aliud, inquit, est *muria*, aliud *garum*. Nam *muria* ex thynnorum, *garum* ex scombrorum tabe conficiebatur. quæ & liquaminis nomine, & liquoris sociorum vocabatur. Et *muria* pauperum tantùm erat: contrà *garum* divitum: unde & *fastosum* à Martiale (lib. 13. epigr. 102.) vocatur. A muria arida ταρίχη piscium vocarunt Romani, quæ omninò uno nomine Septentrionalium lingua
B hodie dicuntur Stockfisch. Nam nisi diu aqua macerata, non coquuntur. Hæc ille. Manilius lib. 5. sub finem, elegantissimè *garum* sive *liquamen* describit.

Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris
Evomit, & misto gustum sale temperat oris.

In sequentibus, salsa muriatica; *Illa putris turba est &c.* Vide ibid. Casaubonus ad Pers. Sat. 6. docet, *Muriam* duo significare: & id quod jam hic dictum, & aquam salsam, in quâ aliquid sit maceratum aut servatum: ut *muria cappari*, apud Cellum lib. 4. cap. 8. Videatur idem in Animad. in Athen. lib. 8. c. 5. ubi docet, Chærephili salsamentarii filios amâsse Pythionicen: istosq; Pythionicæ amatores dictos esse *Scombros*: item *Magnos*, convicio perpetuo stolidorum, qui insipidi & insulsi. unde etiam *Scombrorum* cognomen invenerint, quòd virus salsamentorum redolerent, &c. Rem illustrat his sex septem versibus.

36. EIVS SEMINIS MVL.] ita J. Grut. auctoritate MSS. Pall. quod ad scripturam. nam dispunctio ferè nulla in eis membranis. videatur & Turnebus Comm. in 2. Orat. Cic. in Rull. Macrob. lib. 7. cap. 3. *Tarsius Amphias*,

cum ex hortulano potens esset, & in amicum quasi degenerem nonnulla dixisset: mox subjecit: *Sed & nos de eisdem seminibus sumus.* vulgò, *sumus Ejuscemodi mulieres.*

37. INVENVSTÆ] Glossar. *Venustus*, ἐπαφρόδιτος. ita *Invenustus*, pro eo, qui parum in amore felix est. Vide Muret. Var. lib. 10:18.

39. VT MACERET.] Palmerius probat, *macerant*: & censet dictum ut illud, *Morbus auxit: pereunt fœtus, augentque labores*, pro, *augentur*: absolutè. V. N. Bacch. 5:1. Vel dic: *macerent*, scil. coqui: exemplo Propertiani: *Non ita complebant Ephyreæ Laidos olim.* Utrumque laudatum Acidalio. MSS. Cam. ut & vett. cod. l. *maceret*: quod probat Gruterus, itemque Acidalius. quod fuerit: quomodo macerare debeat. Cæterum in Brix. est: *opinor. AG. quid id? scit &c.* Sed in nullâ alia apparent, ut nec in MSS.

40. PARCE AMABO] MSS. *à malo.*

42. QVIESCO] Lepidiùs legi arbitror, aliter collocatis Personis: *AN. Quiesco ergò. AG. amo te.* ita suprà Asin. *Quid tùm? LE. ausculta ergò, scies.* & venusta formula respondendi, *Amo te*: cùm grata & accepta nobis aut facta aut verba aliorum significamus. J. Gulielm. & ita citra moram editionibus suis intulit Pareus, præter MSS. tamen & edd. omnes.

44. OMNIA ACCVRAVI] Glossarium: *Accuratum*, i. probè curatum. ἐπιμελές.

45. APHRODISIA] Venerem è spumâ maris natam fingebant. de quo Arnob. l. 4. Ovid. 4. Fast. & 4. Metam. Tibullus lib. 1. el. 2. Apulejus, alii. hinc *Aphrodite* dicta est, ab ἀφρὸς *spuma.* hinc & *Aphrodisia*, festum Veneris. & *Aphrodisium jusjurandum*, pro vano & nullius momenti, in Proverbiis: &, *Aphrodisia opera*, pro lascivis amatoriisque. At Didymus putavit *Aphroditem* dictam παρὰ τὸ ἁβρὸν τῆς διαίτης, *à vita mollitie.* Videatur & Plato in Symposio, Lucianus in Iconibus, Plinius, Pausanias.

46. NVM IAM ME] Ita ambo MSS. sed ordine inverso, *jam num.* quomodo & edd. vett. nam recentt. *nunc jam me.* fortè, *nonne jam me decet.*

47. CADO VINI] Poscit Milphio vinum ab Agorastocle, quòd ad tam jucundum spectaculum eum evocâsset, non secus, ac si lætum aliquod nuncium attulisset. Mos autem veteribus vinum læta nunciantibus propinare: eoque Plautus antiquitatis scientissimus allusit. Sic apud Aristoph. πλούτῳ (act. 3. sc. 2.) servus Cario Plutum recepisse visum nuncians à Chremyli uxore id efflagitat: ταχέως, ταχέως φέρ' οἶνον, ὦ δέσποινα, &c. *vinum fer citò, citò huc hera &c.* Meurs.

47. DIC DARI] Douza l. *dic dare*: i. daturum, scil. *te.*

49. ASTANS OBSTIPVISTI?] ita Cam. è MSS. in quibus, *Opstipuisti.* vett. ed. *obticuisti.*

49. AC TACE] MS. pr. *attate.* sec. *aetate.* forte, *ah tace.*

51. EHO AMABO.] ita MSS. nam vet. edd. *oho.* Acidal. è vett. lib. *Eamus soror mea hòc.* (i. huc) *AD. amabo q. illò u.*

53. TVRBA EST] sc. meretricum contemptarum.

53. AN TE IBI VIS] ita MSS. ambo.

54. PROSED.] *à prosedendo in meritoriis vel fornicibus*: Isid. *Prostibula* alibi hæ meretrices dicuntur, *quòd ante stabulum stant quæstus diurni ac nocturni gratiâ*, ut ait Nonius. *Stabulum* enim & meritorium est, quòd inibi consistant: uti & *statio* & *stare*, rectè de lupis. Horat. *nullam nisi olenti in fornice stantem.* Seneca: *Meretrix vocata es; in communi loco stet isti: stetisti puella in lupanari, &c.* Tertullianus lib. 3. ad uxorem, *lupanar* nominat *Consistorium libidinum publicarum.* Tametsi non semper steterint meretrices. interdum enim sellis insidebant: ut vel ex Plauti liquet. Juven. Sat. 6.

Et dubitas alta Chionem deducere sellâ?

ubi Commentator: *Inde Sellariæ dicuntur, &c.* Tertull. de cultu fœminarum: *Thamar illa, quia se expinxerat, idcircò justæ suspicioni visa est quæstui SEDERE.* Ita *Jehova* gentem Israeliticam scortationis spiritualis accusans, Jeremiæ cap. 2. *Ubi*, inquit, *non fuisti vitiata? juxta vias sedisti illis.* Ita *Thamar*, (quod suis modò verbis eruditissimus Poenus dixit) Genes. 38. *operuit se peplo, & obtexit se, consedit que in portâ oculorum*, id est, in bivio vide plura in Animadvers. J. à VVouvveren in Petron. & Coleri Parerg. cap. 8.

54. RELIQVIAS] è multis reliquas: vel macie & egestate confectas: reliquias potius, quàm solida corpora & integra; vetulas, aridas, scabiosas &c. *Lamb.*

54. ALI-

54. ALICAR.] *Alicariæ meretrices appellabantur in Campaniâ solitæ ante pistrina Alicariorum versari, quæstus gratiâ:* Festus. Ibidem: *Alica dicitur, quòd alit corpus.*

55. SCHOENO DELIBUTAS, SERVILICOL.] ita MSS. & vet. edd. item Festus. Est autem *schœnum*, unguenti pessimi genus, quod ex σχοίνῳ, i. *junco odorato* fiebat: auctoribus Turneb. lib.23: 18. & Scalig. in Conj. in Varron. & Festum. Meursius, *Scæno*, inquit, sine aspiratione scribendum. nam Sabini dicebant *Scænum* pro *cænum*: ut *scælum* pro *cælum*: & *scæna* pro *cæna*: ut ad Amph. act.3:1. annotavi. hinc *obscænus*, scœno sive cœno obnoxius: manifestò retentus in compositâ voce Sabinismus. Quin immò & hoc argumento esse potest, quòd eruditi lectores dictionem æquipollentem, sed notiorem (*cæno*) substituerunt. Jam autem illa de *schæno*, unguento nescio quo, meræ nugæ sunt. Sanè ut hîc *scæno delibutas*, ita alibi *lutulentas* & *immundas* nominat. Trucul. (act.4:4.)

Blitea & lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.

Et Synceraſtus de Lenone inferiùs: *neq; tam luteus, neque tam cæno collitus.* Non verò mirum voce Sabinâ eum uti, cùm ex Macrob. discamus, Romanos multa Tuscorum, Oscorum, Sabinorumque finitimorum vocabula usurpasse. Hæc ille. Scripsimus *serbulicolas*, ut veniat à *serbulis*.

56. STATUMQ.] Lamb. *statumque* & *s. Colv.* l. *scatumque*. Sed nos MSS. & vet. editiones expressimus.

56. SELLAM ET SESSIB.] qui satis declarant odore, se toto dies prostare & sedere: dum exspectant sui similes amatores. L.

58. SERV. SORD. SC. DIOBOLARIA] Scalig. Conject. Ad verbum esset: Δουλαρίων οἰκοτρίβων καταπλαδώδεις διώβολοι. V.N. Truc. act.4: 4. *Meretriculæ diobolares*, inquit J. Gul. vilissimi generis, quæq; merebant binos obulos, hoc est, dupondium. id enim, ut opinor, Declamator apud Senec. innuit VI. Controversiarum. *Itanè decem juvenes perierunt propter dupondios duos?* neque alium, quàm nummum dupondium significat Pacuvius apud Planciadem: —— *non ego ita fui, uti nunc sunt meretrices diobolares, suam*

Quæ nonnumi caussâ parvipendunt gratiam.

A φιλικῶς verò, quod hujusmodi scorto stupri caussa datur, *Captura* dicitur. Docet apud eundem Sen. Cœstius Pius: *Pretia stupri accepisti, & manus quæ dijs datura erat sacra, capturas tulit.* Cùm aliàs *captura* mendici stipem aut mercenarii vilem mercedulam significet. Controv. VI. *Tibi captura quotidiana non respondet.* Hæc J. Gulielm. *Captura* etiam est *deceptio*, *vel locus piscosus*, & *ubi sedet actuarius, qui balneare exigit*: ut est in Glossis Isidori. Non pecco fortasse, si & illos versus huc advocem è Clitellariâ Plauti:

Non quasi ut hæc sumtuis limaces lividæ,
Diabolares, schœnicolæ, miraculæ,
Cum extritis talis, cùm crotilis crusculis,
Capillo scisso, atq; excissatis aurib. Puto fuisse, inquit ibi Scal. in Græco, Διώβολοι, καὶ μορμόνες, σχοινοτρίβες: *miraculæ*, φόβητρα & μορμόνας planè exprimi puto. *Miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus utebantur:* Festus. Inde Catullus *monstra*, pro eodem dixit, &c. Qui erant extritis talis, λακκοπέδιοι ab Atheniensibus dicebantur. quanquam nonnulli dicunt λακκοπέδιας eos esse, qui ὀργανώδεις habebant πόδας: B ut sunt, quos à veteribus *Falcones* vocatos esse, testatur Festus. Vide Conject.

TANTILLA T. V. F.] Secuti sumus vestigia MSS. primitus editi *En monstrum mol tantula t.* at Pal. pr. illud non agnoscit, habetq; sec. *Et*.

62. CUIUS VEL NEBULÆ C.] Ita in suis clarè legi annotant Lamb. & Turn. l. 20: 1. nec abeunt ambo MSS. Cam. & vett. meæ edd. Nam *nebulam* pro re nihili ponebant: unde & *nebulones*. Persius: *Grande locuturi nebulas Helicone legunto*, i. nugas & inania & nugacia Poetarum figmenta fumis & nebulis simillima. Camerarius edidit: *Cujus ego obulo ærato s.*

67. ASSUM] Consulendum est auribus & materiæ. ita hic Plautus, quando jocatur, maluit *Assum* dicere quàm *Adsum*: ut subinferret, *Elixum volo*. vide Jul. Cæs. Scalig. De Caus. ling. Lat. lib. 1. cap. 34. Scaliger Filius in Conject. Antiquitus *basta* sine aspiratione scribebatur: & *astare* pro *adstare* dicebant: ut Plautus *assum* pro *adsum*.

67. AG.

67. AG. EGO ELIXVS SIS V.] Ludit in voce *Assum*: quæ nunc verbum est, pro *adsum*: nunc nomen, pro *assâ carne*. Ita & Truc. 4:4. *Mulier assum*. *PH. profestum est, quid &c.* Phronesium assum, inquit, postulas? at nunc profestum est. Elixæ enim carnes viliores: & quibus profestis vescerentur magis. Hi sanè Plautini joci: quos in jocandi perpetuo conatu, ut fit, sæpè frigidos notarunt multi. Palmerius fol. 97.

68. DELITIAS F.] τρυφᾷς, rebus secundis elatus jocaris. L.

69. NIHIL ILLIC Q.] i. nihili, & amore perditus est Agorastocles. ut sint adhuc verba *Milph.* ad Spectatores. *Vel*: Nihil est illic quidem, quod ames, &c. Vide Lamb. ita autem & Cam. edidit. Alii: *AG. nihil illuc q. est. Deos q.*

70. AMO ET METVO] Plerunque in Sacris etiam conjunguntur *Amare* & *Metuere*, aut indifferenter sumuntur. Inde ortum, ut quicquid cum cura faciebant & sollicitè, immò quicquid mirabantur, exprimerent voce *metus*. Virgil.

——multosque metu servata per annos.

Ovid. 1. Met. v. 323.

——aut illâ metuentior ulla deorum.

Et *Timidus* in Tib. 1:3. religiosus est. Ex J. Grut. Susp. quas vide. Parei ultima habent, *ut amo & metuo*. contra edd. vett. omn. & Pal. pr. & rationem loquendi.

71. AN HEV ECAST.] ita Personas ordinandas, sexcentis probat argumentis Acidal. Nam & illa minor semper inducitur procacior. cujus lasciviam corrigit altera maturior & modestior.

73. PRO HERILI ET] ita Rittersh. è MSS. *pro herili & nostro q.*

75. EO ILLVD SAT. &c.] ita in omnibus legitur, etiam MSS. nisi quod alii, *Eò illud satius, si s.* alii *sit satis &c.* Lambinus hic ne mu quidem. Commodissima sententia, auctore D.F. quidem, extricatur hoc modo: *Eò illud satius st, satis quod satis est, habitu, quàm plus quàm sat est*, hoc verborum ordine & mente: Eò illud satis, quod satis est, satiùs est habitu (id est, melius est ut habeatur) quàm illud, quod plus est quàm sat sit. Sic Stich. *Habitû probus*. Probat & Acid. Ut apertior tamen sententia fiat, malit:

Eo illud satiust, satis, quod satis est, habitu, quàm quod plus sat est.

A Eam ob caussam habitu satius est, sive melius habetur haberivè potest illud satis, quod est satis, quàm illud, quod plus sat est. & istud derepentè in unam alteramq; editionem recepit Pareus.

79. LIMAVI CAPVT] *Limare caput*, conjungere, Nonius interpretatur. Sed *conjungere* ex eo significat, quòd, qui amatores cum amica caput jungunt, tanquam terunt & limant sese mutuò fricando, dum osculantur. vetus Lex. *sociare* explicat: Turnebus lib. 15: 6. Etiam Gruterus; In MSS. inquit, est, *at vide sis: cum illâc nunquam limavi caput.* suspicerque hæc in mente Marcello ad vocem *Limare*: *Plautus Schematico: Nam pater tuus nunquam cum illa etiam limabit caput.* scripserimque: *Plautus schemate quodam; Patruo: Nunquam cum illâ limavit caput.* certè illud *etiam*, non extat in vett. edit. Deinde prisci *codam* exarabant pro *quodam*. Deniq; Comœdia ista etiam dicta fuit *Patruus*, ut liquet ex Prologo:

Carchedonius vocatur hæc Comœdia:
Latinè Plauti Patruus pultifagonides.

B 81. VT ILLI LIMEM C.] Jocatur ex ambiguo, quasi Agorastocles *limare*, pro limo inquinare & conspurcare accepisset.

81. IBI SVM EQ.] in mala re. Ita autem MSS. & probat Gruterus. Tamen Lips. l. *inibi s.*

82. PERGIS?] ita edd. at MSS. Cam. *perdis.*

82. AT PERPET. VOLO] *Perpetuam taciturnitatem*, cùm aliquâ argutiâ interpreteris mortem. Aliàs nullas video delitias, quas facere dicitur Agorastocles. *Acid.*

83. LACESSIS L.] V. N. Pseud. 2:4.

86. CORDOLIVM] Scalig. ad Varr. *Cordolium*, antiqua scribendi ratione est *Condolium*. neque enim à *corde* est. Certè veteres *R* & *N* in promiscuo habebant. hinc *cordus* pro *condus*: *proletarius, proletaneus, &c.* V. N. Cistel. 1:1. & Trucul. 2:2. atque ante omnes Christiani Becmani nostri *Origines*.

87. MEA SOROR] Vett. edd. *malitia mala, soror.* quod magis visum Plautinè Meursio. At MSS. Cam. *mea s.* retinent.

88. BONO ING. &c.] Hi septem versus totidem aureis nummis contrà non cari sint fœminæ, cui cor modestè situm est.

96. QVAM

98. QVAM BEATAM] *Beatos* olim vocabant, qui abundarent opibus. Et Græci nonnunquam homines copiosos *ὀλβίους* vocant. Catull.

O quantum est hominum beatiorum!

Muretus, & B.Brisson.lib.2.de Verb.signif.

96. AC SVSPENDE] Particulam *ac*, præter MSS.& edd.omnes ejecit Pareus.

99. PRO VVA PENS.] Alludit ad uvas, quæ sæpe suspenduntur, ut passæ fiant. Hor. 2. Sat.2. ——*tum pensilis uva secundas*

Et nux ornabat mensas.

Turn.lib.15:6. Sic Auctor Priap. *Uvis aridior puella passis*. Et Græci hominem exsuccum *ἀσταφίδα* vocant. Lucill. *passos senes* dixit, Persius *apricos*. Notat Scalig.

102. CEDO D.] ut sordem oculo eximas: L.

102. PAVLLVM SORDET] Sic ferè MSS. nam editi, *parum sordis est*.

105. ANTE LVCEM] Et *officij* & *sacri* caussâ maturè evigilandum fuisse, docet *Casaub.* l.2. ad Sueton.

106. PRIMÆ VT] Turn.l.15:6. *Primâ cum, ut inferr.* ut sit, *prima cum*, pro, cum primâ luce. Atque hanc lect. reperiri ait in pervetustis membranis. At verò Muretus lib. 17. cap.17. Sint illæ, inquit, membranæ per me vel Ogygiæ: nunquam propter eas adducar, ut versum corrumpam: qui si eas sequare, corruit. Est enim Trochaicus, ut cæteri. Retinebo igitur vulg. scripturam, quæ ipsa quoque cariosas & edentulas chartas autores habet. Hæc ille. Et certè in omnibus, quas vidi edd. legitur, *Prima ut inferremus ignem in aram*. Notat Gruterus, in MS. pr.legi, *Prima cum ut inferremus signem in a.* In sec. *Prima cum inferremus signem*. quod cum Turnebianis consentiret.

107. NOCTVRNA ORA] Sic MSS. Pall. Ita *Nocturni oculi*, Curcul. 1:2. sunt deformes, noctuque non interdiu ostendendi. nam deformitas minùs apparet noctu. Sic hîc per *nocturna ora* significantur deformes, velut mali ominis, similesque nocturnis avibus, quæ & ipsæ tantùm noctu visuntur. Turn. L.11:7.

111. VT MVLSA L.] Sic Lipsius Ant.L.2: 10. PROPERTIVM qui non amat, eum profectò Musæ non amant. Tanta ejus versuum suavitas, ut nil nisi *mulsa* (ut ait Comic.) *loqui* videantur: tanta eruditio, ut non nisi Phœbo dictante credantur excepti. Vide Adag. *Rosas loqui*. & Turn. lib. 8:8. Sic B. Hieronymus ad Gaudentium: *Atque ut voce tinnulâ ista meditetur, proponantur ei crepula, mulsa præmia, & quicquid gustu suave est, quod vernat in floribus: quod rutilat in gemmis: quod blanditur in puppis: acceptum festinet.* Hæc Plauti admirator Hieronymus.

112. LATERCVLOS] *Laterculus*, genus pistorii operis, à formâ, in quam fingitur, vocati: *Turn.lib.8:8.* Sic Apul.10. *hic panes, crustula, lucunculos, hamos, laterculos, plura scitamenta mellita.* Scalig. Festo.

113. SESAMVM] Sesamo olim in bellariis usi sunt, veluti re suavissimâ & delicatissimâ: quod etiamnum fit à Lucensibus: ut memorat J.Dalechamp. Medicus, ad Plin.lib.22:25. Muretus, *Sesamum*, inquit, vel principem locum obtinebat inter bellaria. *Papaverem* quoque ex eodem numero fuisse, patet vel ex Petronio: *Mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque tanquam papavere & sesamo* (alii *sampsucho* legunt) *sparsa*. Jam ex *tritico* multa placentarum genera & olim fiebant, & hodie fiunt; & ut *amygdala*, sic & *nuces fricta* ex melle in secundis mensis apponebantur. Sic *cicer frictum*, sic *fabam frictam* ex melle edebant. Dulcia igitur enumerat Servus, *non mulsis dictis* contraria: ut Lamb. delirat. *Hæc ille*, lib.17.cap.15. In MSS. est, *Sesumam*: ut & in vett. edd. Etiam Villiomarus lib. 9: 17. in Titium notat antiquos operibus dulciariis, & placentis interdum palati gratiâ sesamum adspersisse. Hom. Batrachom. *Οὐδὲ πλακοῦς ζαvόπεπλος ἔχων πολλὴν σησαμίδα*. Inde cum aliquid studiosè politum significare vellent, *σησαμόεσσες*, & *papavere ac sesamo sparsum* dicebant. Vide & Casaub. Athen.lib.3:27.

113. FRICTAS N.] i. coctas seu tostas. Hor. Arte;

Nec si quid fricti ciceris probat & nucis emptor,

Nam istud *frictum*, non ad *cicer* modò, sed etiam ad *nucis* mentionem pertinet. Mart.lib.1. ——*otiosa*

Vendit qui madidum cicer corona.

Idem:

Asse cicer tepidum constat, & asse Venus.

Nam *madidum* seu *tepidum* Martiali, quod Hor. *frictum*. & *madidum* pro cocto usurpatum

tum antiquis: item Plauto non semel; sed & Virgilio:

Et quamvis igni exiguo properata maderent.

Inde dilucet error eorum, qui *frictum* pro novello & recenti in Hor. positum sunt interpretati: Douza Præcid. in Petron. lib.1: 1. Nucem, inquit Scal. in Festo, *torreri* solere Plinius, & *frigi* Plautus, ajunt: unde inter delicata edulia *frictas nuces* ponit. esse autem amygdalas, quas & hodie frictas multi edunt in Gallia idem prodidit lib. 9. cap. 18. contra Titium.

114. DAMNVM, Q. MERC.] quippe qui lucris præest, & mercatorum deus. V.N. Amphit. Prol.

115. NAMQVE ED. LVCR.] Amantem enim oportet esse munificum, atq; adeò profusum.

117. QVID SI ADEAM] ita vett. edd. nec abeunt MSS. at Rittersh. continuanda putat:

——*quid si adeamus ad eas? primum pr.*

118. SECVNDO SALVE IN PR.] salve secundo loco, gradu & honore. L.

118. TERTIA] quæ erat pedisequa.

119. ANCIL. TVM POL EGO ET OL. ET OPERAM P.] Ita hæc Pist. & Acid. *Ancillæ* pedisequæ dant. (nam Lamb. hic nihil fatri.) Et hic quidem *operam* intelligit, quam Agorastocli sæpe dederit, dum amores ipsius furtim admittit. Ille potius, & rectius etiam, de ornatu intelligit, quo se in festo Aphrod. procul dubio Ancilla non minus esse pulcram voluit, quàm heræ. Ideò ait, si tam extra pretium sum, operam perdidi, cum me ornavi.

120. IN ÆDEM VENERIS.] nec Veneta, nec Colon. nec Florent. nec Parmensis editio τὸ *ædem* agnoscit. itaq; Acid. ex iisd. porrò etiam numeros statuit:

——*in Veneris. AG. quid eo, tu? AD. ut V.*

blandientis est *tu*. Ita Bacchid. *in Dianæ*. Tamen, in MSS. clarè legitur, *in ædem Ven.* neq; aliter duæ editiones Merulę. Saraceni, Charpentarii Mulingi.

122. QVID TV AGIS?] ita Camerariana. Amantum enim more eam attrectando morabatur: L. MSS. *ais*, & olim cusi; quos perperam sequitur Pareus.

124. ILLA] pro, *illic*. L.

125. QVI LVBET] ita Ven. & Parm. & MSS.

125. SP. DARE?] sc. turpibus: L.

126. MERCAT. MERETR.] Vide Jac. Durantium JC. Var. l.1: 2.

131. QVO DIE ORCVS] Douza in Præcid. Tibul. cap. 11. docet, *Acheruntem* pro ipsis regionibus Acherunticis, puta, pro communi mortuorum receptaculo accipiendum: *Orcum* verò pro loci ejus regnatore sive Dite, i. Plutone: vel etiam Fato seu Morte: non autem pro Charonte portitore, quod voluit Victorius. Ita Mostell. act. 2: 1.

Nam med Acheruntem recipere Orcus noluit.

Ennius:

Acheruntem obibo, ubi Mortis thesauri objacent.

Laberius:

Tollet bona fide vos Orcus nudas in Charonium,

i. Acheruntem. Iterum Ennius:

Acherusia templa Orci salvete infera.

Tibul. lib. 3. eleg. 3. (Vide N. Pseud. act. 3: 2.) Huc & illo *Orchibus thesaurus* Nævii pertinet.

132. NVMI LYMPHATICI] Antiquis *lymphare* idem quod *Oblucinare* erat, utrumque ἐνθουσιάζειν & furore corripi. ut enim à luco *oblucinare* dicebant, quod lucos sacros diis existimarent, & qui in illis multum versarentur, deorum occursu & præsentiâ furore agitari: sic eum, cui conspectæ Nymphæ essent, νυμφόληπτον vocabant: & *Lymphatum*, furiosum &c. Ergo *nummos lymphaticos* dixit Plautus νυμφιῶντας; qui in bulga continere se non possunt: quales prodigorum esse solent. D. Heinsius ad illud Silii l. *inruit ocius amens Lymphato cursu.* & Nor. in Horat.

133. CONSTITERIT LYMPH.] Significat se nummos habere qui exire gestiant nec consistere queant, sed lymphatici sint atque furiosi. Adelphasium pollicetur medicinam, seque effecturam, ut si ad se deferantur lymphatici nummi, consistant, quietiq; reddantur, sanato furore & lymphatico morbo. Sic Cicero dicit, *Ejus mentem non consistere*, qui furore & vecordiâ percitus est. qui enim furiosi sunt, jactantur & agitantur, neque vel corpore vel animo conquiescere possunt. Turneb. l.6: 11.

134. MI. BELLVLA H.] Sunt verba Milphionis: sicuti præcedentia Adelphasii. Néq; aliter sanè Personas ordinandas res ipsa clarum facit. ut significet Servus fastidiosè & contemptim: Bellum verò prostibulum populi,

pili, in quam nummi isti aurei profundantur. D.

135. NIMBATA EST] Meursius; Valde, inquit, æstuant hic tam veteres, quam recentes. *Nimbus* erat fascia frontalis. nam cum frons parva inter formæ decora reputaretur, (Horat. 1. Odâ 33. & 1. epist. 7.) ut magnitudinem dissimulare possent, nonnullæ formæ studiosæ nimbis eam imminuebant. Arnob. lib. 2. *Laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes nimbis, fuligine oculos inumbrarent.* Et hos ipsos *Nimbos* tam callidè dissimulabant, ut ægrè cognosci possent. Inde est, quod dicat hic Milphio, meretricem quò attentius intueretur, eò magis videri nimbatam. Imbuebant enim colore eodem, qui esset capillorum: unde *Fasciæ colorisfea* Oscè à vetere Poetâ nuncupantur, id est, *coloriæ.* Quòd autem *aurum linteo assutum* dicit Isidorus, meræ nugæ sunt: siquidem eo modo internosci potuissent. Hæc ille. SED *Laur. Ramirez* Comment. in Martial. Epigr. 42. lib. 4. Isidorum defendit, & Meursium halucinari pertendit. Quo enim, inquit, colore infici possent fasciolæ frontales, qui oculos deciperet? aut quomodo serico vel linteæ fasciæ capillorum faciem haberent? Fœminarum cosmetica continentissimus juvenis (*Meursius*) ignorabat. Apud nostrates notiora hæc sunt, & ex nostro more antiquum minuendæ frontis artificium facilè deprehendemus. Capillos à vertice in faciem demittunt: fasciolâ deinde sericâ vel lineâ frontem ligant, comprehensis subtus capillis, quos deinde retrò flectunt: & fasciolâ interiore eos detinente frons brevior videtur. Hinc intellige Petronii deliciarum arbitri in hoc artificio scientiam. dixit enim de Circe; *Frons minima, & quæ radices capillorum retrò flexerat:* ne scilicet existimaret invidus aliquis minimam illam frontem à nimbo esse, & capillos non à radicibus, sed à fasciolâ arctâ retrò flexos. unde nullo jure Isidorus reprehenditur. fasciolæ enim illæ quò solidiores & firmiores essent, intexi auro poterant. *Hæc ille.* Est ergò *nimbata meretrix* apud nostrum, quæ nimbo ornata est. Turnebus vilem & quasi pro nebulâ & fumo habendam interpretatur: quem vide lib. 20. 1.

137. PURA SUM,] Dum jubet Agorastocles, ut amiculum, quod humum verrebat, sustollat; & ipse illud tollere annitens, paullo licentius Adelphasium attrectabat: quod ægrè ferens puella, rogat, id ne faciat; cùm sit à viro pudica, &c. L. At Gruterus, Malè, inquit, Lambinus; qui ad concubitum etiam transfert. Dicit enim; se lotam præparatamque rei divinæ. talem vel petulco digito tangere nefas. Et alioquin ex Fabulę commento adhuc virgo erat Adelphasium. De more illo plura ad lib. 1. Thebaid. Statii, versu 678. Hæc ille. V. N. Amphitr. 5. 1. v. 42.

138. CURAM H. F.] Hanc curam minuere tibi potes; si amare Adelphasium desinas. Vide Lamb.

139. Q. EGO N. TE CUREM] ita MSS.

139. QUID AGIS] Ecquid tibi interea curæ sum? Alii l. etiam MS. Pal. *Quid agas?* ut sit sensus; Quid agas, Milphio, si hîc sis, i. si ames, ut ego amo? L. at Acidal. l.

AG. Quid ego non curem? quid ais, mi Milphio? quod protinus editioni primæ intulit Pareus.

141. TUA EST CURATIO] MSS. *mea.*

143. ALCEDO] Varro: *Hac avis Gracè dicitur ἀλκυὼν, à nostris halcedo.* Plin. l. 2. 47. *Ante brumam septem diebus, totidemque postea sternitur mare halcyonum fœturæ: unde nomen hi dies traxêre! reliquum tempus hiemat.* vide Arist. lib. 5. 8. De hist. Animal. & Luciani *Alcyonem*, seu περὶ μεταμορφώσεως: Ex L. Vide N. Prol. Cas.

145. PUG. PECTAS] V. N. Men. 5. 7.

146. ETIAM MORARE? MAL.] ita hæc composuit Acid. MSS. turbant, habentque *Non faciam ... non ac cujus in me esset morare & malefacis.*

147. BENE PROM.] ita J. Gulielm. Geminum huic est hoc inferius: *Multa sunt mulierum vitia: sed hoc è multis maximum est.*

150. NEQUE USQUAM] ita MSS. Acidalius finxit, *expecto usque, neque usquam:* continuoq; editionibus suis intulit Pareus, nullo adstipulante editore.

152. MEÆ DELICIÆ] Legendum videri *mea delicia*, monet Mercerus, auctoritate Gellii ac Nonii, respicientium ad istum versum, utiq; cùm series blanditiarum unitatis numero peragatur. Sic & Trucul. *Ad me delicia?* & Rud. *operam ludo & delicia dabo.* extat & apud Apulejum & alios.

154. COLOSTRA] *Colostra*, sive *Colostrum*, *lac novum in mammis*: Nonius. Mart. lib. 13: 38.

Subripuit pastor quæ nondum stantibus hædis
De primo matrum lacte colostra damus.

Porrò Personas hîc à Lamb. contra fidem Codd. ineptè transmutatas, docet Pistoris. Editum igitur retineatur. In MS. sec. est, *colustra*.

154. MEVS MOLL. CASEVS] Ita & blanditur Galatheæ suæ Polyphemus 13. Met. Ovidii: *Mollior & cygni plumis, & lacte coacto.* Martial. 8. Epig. 64: *Vincas mollicie tremente plumas, Aut massam modò lactis alligati.* Bohot. 3. Apophor. cap. 14.

156. QVADRIGIS] quàm citissimè. V. N. Amph. 1: 1. & Asin. 2: 2. Est autem hîc ἀποσιώπησις: & subintell. *mori non recuso: ne vivam:* aut tale quid. L.

158. AD. EGO FAXO:] Turn. lib. 15: 6. l. ——*caussa mea. Ego faxo, si non irata es, nummulum pro te dabit.* i. pecuniâ suâ te liberabit. Lambinus accipit, quasi vile sit & parvi pretii scortum, ut nummulo liberari potuisset. Muretus lib. 17: 17. Si uno nummulo, inquit, liberari potuisset Adelphasium, non diu servisset. dixerat paullò ante Agorastocles, sibi domi esse sexcentos nummos Philippos. Retineo igitur vulgatam scripturam, nec ipsam exolescentium librorum testimonio destitutam: *AD. Ego faxo. sine! MIL. irata es nimium, argentum pro te dabit.* Minatur enim Puella amatori suo. Ego, inquit, faxo, ut eum pœniteat, quòd mihi verba tam diu de- A derit: sine modò. tum ei Milphio, ut jussus erat, subblanditur. *Argentum autem dare pro aliquo, aut pro capite alicujus*, unde ἀργυρώνητοι, apud Comicos frequentissimum est. Cum Turnebo tamen videntur facere MSS. nam in pr. est: *Ego faxo, si non irata es, nimium pro te dabit.* Secund. *Ego f. s. non irata es nimium &c.*

160. BENE VIS ITEM.] ita Turn. l. 15: 6. *benè vis item.* id est, omnes solent bene velle iis, qui bene volunt. ut Lamb. interpretatur. Et hoc retinui: cum totidem litteris MSS. *benevisitem.* At verò Muretus lib. 17: 17. Ego, inquit, vulgatam probo. Hoc enim quasi Proverbium est:

Qui benè volunt, benè visitent.

id est, ita visitent, quos amant, ut eis boni aliquid faciant; non, ut eos verbis inanibus B pascant, quod tu facis. Lipsius l.

Qui bene volunt, benefici sient.

Cum enim amator ille identidem benevolentiam amicæ oggerebat, sese eam liberam facturum: illa, fastidiens verba, omitte promissa, inquit: & si benè vis, benè fac. Centur. 1. Epist. 15. Edit. primæ. Pistoris: *qui bene volunt, bene usui sient.* eâ formâ, quâ Men. 2: 3. —*qui mihi est usui, & plurimum prodest.* Trucul. *Nam si qui haud nobis usui est, molestus est.* J. Meursius, Manifesto, inquit, totus hic locus luxatus est. nam ecce illo versu, *Benè promittis m. &c.* respondet Adelphasium sæpiùs sibi promissam libertatem, cujus tamen nusquam antè facta unquam mentio, sed in sequentibus tantùm verbis. Restituo pristino ordini, hoc modo:

——AD. nos eamus nunc. etiam morâre? AG. malè facis.
MI. Noli, amabo, succensere hero meo, caussâ meâ.
AD. Ego faxo: sine! MI. irata es nimium: argentum pro te dabit,
Atque te faciet, ut sis civis Attica, atque libera.
AD. Benè promittis multa: ex multis omnia incassum cadunt:
Liberare me juravisti haud semel, sed centies.
Dum te exspecto, neque usquam aliam mihi paravi copiam,
Neque isthuc apparet: ita nunc servio nihilominùs.
MI. Si antè quidem mentitus est, nunc jam dehinc erit verax tibi;
Mea voluptas, mea delitia, mea vita, mea amœnitas,
Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum suavium,
Meum mel, meum cor, mea colustra, meus molliculus caseus.
AG. Méne ego illæc patiar præsente dici? discrucior miser.

Nisi

Nisi ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi.
AD. Quin abire sinis! quid vis tibi? qui benè volunt, benè visitent.
I soror. abscede tu à me. AG perij! ehò quid agis, Milphio?
——AD. Abscede hinc sis, Sycophanta.——

Secundus versus obscurus. Non enim rogat, ne propter se hero suo irascatur: sed, ne hero irascatur: idque in suam gratiam faciat. In reliquis omnia plana &c. Hæc ille.

A

162. AT SCIN' QUOM.] ita Schop. è MSS. Cam. ut verba Milph. sint. q. d. Ego verò tibi parebo, at scin' quomodo? nempe ut te exorem, te osculer. V. N. Mil. 4. 4.

163. PREHEND. AURICULIS] Inter cæteras antiquæ vetustatis blanditias, observandum est hoc osculi genus: quo solebant pueri parentes aut alios, vel amantes inter se, alterius auribus apprehensis, osculari. Id illi χύτραν sive *ollam* vocabant: credo, quòd in eo gestu, ut caput ollæ, ita aures ansarum formam referre videbantur. Pollux, lib. 10.

λαβόμενος τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν,
Ollam prehensis osculator auribus, &c.

Inter Latinos hoc osculi genus primum expressit Plautus hoc loco, & Asin. 3. 3. *prehende auriculis: compara labella cum labellis*. Tibullus deinde inter felicis anni eventûs hunc quoque numerat, lib. 2. 5.

B

Et fœtûs matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.

Gul. Cant. Novant. Lect. 6. 25. quem vide. Est & operæ cognoscere, quæ de *Osculis* annotârunt Rogerius T. de dote, arg. 19. num. 17. & seq. Lipsius Elect. 2. 6.

165. ATQ. HIC ME NE] MSS. Cam. ut & Turnebi & Lamb. leg. *Atque, hic me ne verberet, illũ faciat, n.* Sententia tali: Atq; ego malè formido, nisi te propitiam reddo, ne hic me verberet; & *illũ faciat*. id est, referat illũ herũ sævum, & plagas mihi inferentem. Hæc autem pronuncians Servus gestu fustuario aut virgis vapulantium adjuvabat; herumvé plagas intentantem exprimebat. Sed Muretus l. *Atque hic ne me verberet (illud faciet, nisi te propitio) Malè formido.* Quam scripturam nos expressimus. Ita, inquam, Muretus lib. & cap. 17. Var. ubi & Lambinum pro certiro verberat, qui secundarum partium in omnibus eruditissimo Turnebo accinat. Ita planissim. è & *Acidal.* pro quibus faciunt & edd. quædam.

166. MORES MOR. M.] Sic & MS. pr. Cam. At Schop. è sec. emendabat, *mores mores & malos.* quod actutum editionibus suis adlevit Pareus.

171. IMPIAS, H.] Sic MSS. & Turn. l. 15. 6. *Impias here te: Oratorem verberas. Impias*, i. impiè facis, & scelere te contaminas, qui contra jus gentium legatum verberas. vulgò: *Impie, siccine &c.*

177. HUIUS SAVIUM] Male exulat Pareana Dictio *hujus* quæ in omnibus libris.

177. HUJUS COLOSTRA] Præcedit versum istum alter in MS. primo Cam. nec displicet Grutero: *Hujus colostra, hujus salus amœna, hujus festivitas*: tantùm suboffendit illud *Colostra*, quod statim iteratur. ita tamen fuisse in authentico, inde colligamus, quod Pal. secundus versum totum omiserit; deceptus illa voce recurrente.

178. HUJUS COR, M. ST.] Ita ambo MSS. & edd. vett. pro quo ineptè alii suffecerunt Haimfeldij elumbem restitutionem, *Hujus jecur hujus studium, hujus flagrum masl.* ita enim non constituitur locus è vestigiis MS. sed turpius depravatur. quamvis & Parei Lexicon inoculetur tali nota: *Flagrum*, pro flagrantia seu amore, in blandiciis est. Acid. hunc totum v. exturbat; autoritate Colon. & Florent. edd. at eæ sunt recentiores quam ut sint præjudicio veterioribus.

181. MAMMEATA] i. *mammosa*, Nonius. μαστώδης.

183. FIERI NON POTEST] Adelphasium irata loquentem interpellat.

184. CAPIAS REST.] Nam solebant inimicis restim precari & clavum, cui se alligarent. V. N. Merc. 1. 2. & *Inscriptiones Gruterianas.* utraque Parei editio destituitur pronomine *te* cum ruina versus, contraque libros. ejus quoque prima præfert absurdè, *captas.*

185. NAM MIHI] ita MSS. Vulgo, *Hem.*

 VICT.

185. VICT. SORBILO] Video mihi propter te vapulandum & gemendum. Suspiria enim & gemitus vapulantium imitant r spiritum sorbentium: *Turn. lib. 15. 6.* Hinc apparet *sorbilare* simplici *l* scribendum apud Terent. Ad. 4. 2. A

Et cyathos sorbilans paulatim hunc producam diem:

lib. 25. cap. 21. Rob. Titius, *victitare sorbilo*, inquit, dicitur ab ægrotorum victu: & *ostreatum tergus*, à tumore ostrearum, &c. lib. 3. cap. 13. Adsert. Loc. Contr. Meursius legit: *Hem m. i. v. propter tete victandum sorbitio*, id est, video omnem mihi vitam in suspiriis & gemitibus transigendam: sumptâ metaphora à sorbentibus, quorum spiritum imitari videntur suspirantes. Vt autem *initium* ab *ineo*: ita *sorbitium* à *sorbeo* formatum. Cæcil. in Hymnide; B

——*sine suam senectutem ducat utiq; ad senium sorbitio.* Vide Fest. in *Senium*. Quin & hoc addo. Cum Plinius l. 15. 21. *Sorbus* quadruplicem faciat differentiam. & quartum genus *Torminale* appellet, sunt, qui ad illud hic allusum putent: quasi tormenta & cruciatus intelligat. MSS. leg. *sorbilo*.

186. OSTREATVM] verberibus duratum, velut ostreorum testæ. Vel ut Is. Pontanus interpretatur, puncturis asperum, & ut in Capt. loquitur, *scruposum*, h. e. στραγγώδες, rimosum & cavernosum, quomodo ostrearum testæ.

187. AMABO] Eugraphius vetus Comment. ad illud Ter. Eun. act. 5. 1. *Vide amabo*, notat: *Amabo* dixit: quod semper inter Poetas nullâ significatione est.

187. MEN' PROHIB.] Sent. est: Utrum est æquius me prohibere, ne tuus te herus verberet; an potius, ne sit adversus me mendax? *L.*

191. AD, VERVM. ET.] ita Acidal. distinguit, *Verum. etiam t.* Adsentientis particula passim est, *Verum.* Ter. Eun. act. 1. 3. *Comites secuti scilicet sunt virginem? CH. Verum.* Ubi Donatus notat, *Inceptivam* esse particulam, non *Relativam*. at, melius dicerent, inquit Acid. *Affirmativam* esse. Frequens illi Comico; & valet idem prorsus, quod *imò*.

192. DA ERGO VT CREDAM SVAVIVM] Hoc enim abolitæ injuriæ certum indicium. Petronius: *Præterita aboleri osculis placet.* Petrus Raven. Serm. 93. *Oscula sunt reconciliationis indicia.* Artemidor. 2. cap. 2. de interpret. somnior. Sidonius 4. Ep. 23. fine. ubi Savaro.

194. SOROR. AG. ATQ.] In MSS. Cam. hæc ita concipiuntur. ——*soror.. atque audin... etiam... Veneri.* Ut videantus *Personæ* ibi locandæ, nam (quod & Gruterus meus notavit) nusquam in Pœnulo, nec deinceps in cæteris Fabulis, habentur in MSS *personæ* suæ ubiq; locorum; nisi nescio quàm confusè.

197. RESPEXIT.] ita MSS. Cam. & vett. omnes. Sed Lipsius Antiq. l. 2. 19. emendat: *respice. AD. respext AG. idem* p. ut luserit amator in *respiciendi* verbo: quod interdum, opem ferre significat: ex quo Romanis *Fortuna respiciens*, V. N. Capt. act. 4. 2. Rud. act. 5. 2. *Dy me homnesq; respiciunt: benè ego hinc prædatus ibo.* Quæ tamen Gruteri judicio, emendari non erat necesse. nam sibi respondere potuit adolescens ex eventu.

ACTUS I. SCENA III.

AGORASTOCLES adolescens. MILPHIO servus.

QVID nunc mihi es auctor, Milphio? MI. ut me verberes,
Atque auctionem facias: nam impunissimè
Tibi quidem hercle vendere hasce ædis licet.
AG. Quid jam? MI. majorem partem in ore habitas meo.
AG. Supersede istis verbis. MI. quid nunc vis tibi?
AG. Trecentos Philippos Collybisco villico
Dedi dudum, priusquam me evocasti foras.
Nunc obsecro te, Milphio, hanc per dexteram,

Perque

Perque hanc ſororem lævam, perque oculos tuos,
Perque meos amores, perque Adelphaſium meam,
Perque tuam libertatem. MI. hem! nunc nihil obſecras.
AG. Mi Milphidiſce, mea commoditas, mea ſalus,
Fac quod facturum te eſſe promiſiſti mihi,
Ut ego hunc lenonem perdam. MI. perfacile id quidem eſt.
I, adduce teſteis tecum: ego intus interim
Jam & ornamentis meis & ſycophantiis
Tuum exornabo villicum: propera atque abi.
AG. Fugio. MI. meum eſt iſtuc magis officium, quàm tuum.
AG. Egóne? egóne, ſi iſtuc lepide effexis! MI. i modò.
AG. Ut non ego te hodie! MI. abi modò. AG. emittam manu!
MI. I modò. AG. non hercle meream. ah! MI. vah, abi modò.
AG. Quantum Acherunte'ſt mortuorum. MI. etiámne abis?
AG. Neque quantum aquæ eſt in mari. MI. abiturúsne es?
AG. Neque nubis quantum. MI. pergin pergere?
AG. Neque ſtellæ in cælo. MI. pergin aures tundere?
AG. Neque hoc, neque illuc, neque: enim verò ſeriò.
Neque hercle verò. quid opus eſt verbis? quippini!
Quòd uno verbo dicere hic quidvis licet,
Neque hercle verò ſeriò. ſcin quomodo?
Ita me dij amabunt! vin bona dicam fide?
Quod hic inter nos liceat. ita me Juppiter!
Scin quàm? vide tu. credin, quod ego fabuler?
MI. Si nequeo facere ut abeas, egomet abiero.
„ *Nam iſti quidem Hercle orationi Oedipo*
Opus conjectore eſt, qui ſphyngi interpres fuit.
AG. Illic hinc iratus abiit. nunc mihi cautio eſt,
Ne meâmet culpâ meo amori objexim moram.
Ibo atque arceſſam teſtis: quando amor jubet
Meo obedientem me *eſſe ſervo liberum.*

VERSUS hujus Sc. ut & ſequentis ſunt jamb. Senar.

2. AUCTION.] V. N. Epid. 2. 2.

4. MAJOREM PARTEM IN ORE HABITAS MEO] Hâc lectione, *inquit Lipſius Antiq. Lect. 2. 17.* nihil certius unquam coraicæ Phœbi protulit. Cùm enim Servus frequenter ab immodeſto illo amatore vapulans per indignationem dixiſſet, vende tandem has ædes tuas: demiratus inſolentiam dictionis; Quî tandem ædes? inquit adoleſcens. Nam, reſpondet Servus, ego A tibi pro ædibus ſum, in cujus ore pugni tui magnam partem ſic verſantur, ut habitare in eo videaris. Notum autem eſt, *Habitandi* verbum ita transferri, ut quibus in rebus quis frequens & multus eſt, *in iis habitare* dicatur. Nec me fugit, Solem illum Galliæ Turnebum legere, *majorem partem minore habitas meâ*: ſed (quod manes ejus me condonent) tam illepidâ & tam diverſâ à Plauti mente ſententiâ, ut credam id dicis cauſſâ potiùs, quàm quia revera ita ſentiret, ſcripſiſſe. *Muretus lib. 11, 19.* Licet tibi

tibi has ædes impunè vendere, ut quibus jam opus non sit: ita enim sæpe mihi contundis os pugnis & calcibus, ut non in ædib. sed in ore meo habitare videaris. Probatque etiam Gruterus, & ejusdem figuræ addit illud apud Suidam: μὴ τὸν ἐμὸν οἴκει νῦν. ἔχεις τὸ οἰκίαν, &c. Cic. in L. Pisonem: *Qui familiaritatis licentiâ suorum improbissimorum sermonum domicilium in auribus ejus, impulsu vestro, collocaverunt.* V. & N. Mil. act. 2.3. item Passeratium ad illud 2. Propertii Ep. 12. *siccis habitare medullis.* Etiam Acidalius hæc, non quidem per indignationem, (quod Lips. vult) sed per ludum & jocum dici ait: & per *ædes* intelligi non Milphionem, sed potius ipsam adolescentis domum &c. quod omninò etiam voluisse superiores Criticos, simile vero est.

Sororem L.] Lepida figura. Omnia enim paria vocabant *fratres* aut *sorores*. Videatur Festus in *Fratrare*: Artemidorus Oneirocrit. lib. 1. cap. 26. 28. 42. & 43. Martialis lib. 14. epigr. 148. *lodices sorores.* Autor Moreti:

Interdum fessæ succedit læva sorori,

Alternatque vices. Solinus cap. 28. *exsurgit montibus septem, qui à similitudine Fratres appellati.* Tertullian. lib. advers. Gentes cap. 12. *materias sorores vasculorum &c.* item cap. 51.

A De Animâ: *Corpus & anima sorores substantiæ.* Lactantius l. 5. c. 16. &c. initio statim. Grut.

11. Nihil obs.] *Nihil*, hîc *frustrà* est. Et ideò servus eam obtestationem vanam dicit, quia liber nunquam sit futurus. Flor. ed. *ehem nunc obsecras?* scil. quem antè verberabas.

24. Neque nubis q.] ita Aldina, itaque ferè vett. edd. in quibus, *neque nubes quantum*; quomodo & Pall. sec. venustius, quàm vulg. *Neque nubes omnes quant.* quod solum restat in Pal. pr.

B 24. Pergin' Pergere] V. N. Ps. act. 5.1. vers. 3.

34. Oedipo coni.] Ter. Andr. *Davus sum, non Oedipus.* V. N. Ps. 1. 1. *Urinator Delius.* Martial. lib. 10. epig. 21.

Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.

Ita Antiphanes apud Athen.

ξένα δ' ἐν ἔπη, οὐδ' ἂν Ἀπόλλων μάθοι.

Nec Apollo, quid sibi hæc velint, intelligit.

37. Ne meamet] ita MS. pr. at sec. *Ne meâ culpa &c.* Aliæ edd. *Ne-mea ipse culp.* Hinc Meurs. *Ne meâpse culp.* quod tripudiat in Pareana editione pr.

37. Obiexim] objecerim, objiciam.

Actus II.

LYCUS leno, ANTHEMONIDES miles.

DI illum infelicent omnes, qui post hunc diem
Leno ullam Veneri unquam immolarit hostiam:
Quive ullum turis granum sacrificaverit.
Nam ego hodie infelix dîs meis iratissimis
Sex immolavi agnos: nec potui tamen
Propitiam Venerem facere uti esset mihi.
Quoniam litare nequeo, abij illinc illico
Iratus: vetui exta prosicarier:
Neque ea aspicere volui. quoniam non bona
Aruspex dixit, deum esse indignam credidi.
Eo pacto avaræ Veneri pulchrè adii manum.
Quando id quod sat erat, satis habere noluit,
Ego pausam feci: sic ago. sic me decet.
Ego faxo posthac dî deæque cæteri

Contentiores mage erunt, atque avidi minùs,
Cùm scibunt, Veneri ut adierit leno manum.
Condignè aruspex, non homo trioboli,
Omnibus in extis ajebat portendi mihi
Malum damnúmque, & deos esse iratos mihi.
Quid ei divini aut humani æquum est credere?
Mina mihi argenti dono postillà data est.
Sed quæso! ubinam illic restitit miles modò,
Qui hanc mihi donavit? quem ego vocavi ad prandium.
Sed eccum incedit! AN. ita ut occepi dicere,
Lenulle, de illâc pugnâ pentethronicâ,
Quâ sexaginta millia hominum uno die
Volaticorum manibus occidi meis.
LY. Eh! volaticorum hominum? AN. ita dico quidem.
LY. An obsecro usquam sunt homines volatici?
AN. Fuêre. verùm ego interfeci. LY. quomodo
Potuisti? AN. dicam. viscum legioni dedi,
Fundasque: eo præsternebant folia farferi.
LY. Cui rei? AN. ne ad fundas viscus adhæresceret.
LY. Perge! optimè hercle perjuras. quid postea?
AN. In fundas visci indebant grandiculos globos,
Eo illos volantes jussi funditarier.
Quid multa verba? quemquem visco offenderant,
Tam crebri ad terram accidebant quàm pira.
Ut quisque acciderat, eum necabam illico
Per cerebrum pinnâ suâ sibi, quasi turturem.
LY. Si hercle istuc unquam factum est, tum me Juppiter
Faciat, ut semper sacruficem, nec unquam litem.
AN. An mihi hæc non credis? LY. credo, ut mihi est æquum credier.
Age eamus intrò, dum exta referuntur. AN. volo
Narrare tibi etiam unam pugnam. LY. nihil moror.
AN. Ausculta. LY. non hercle. AN. imò jam elidam caput,
Nisi auscultas, aut is hinc in malam crucem.
LY. Malam crucem ibo potius. AN. certúmne est tibi?
LY. Certum. AN. tum tu igitur die bono Aphrodisiis
Addice tuam mihi meretricem minusculam.
LY. Ita res divina mihi fuit: res serias
Omnes extollo ex hoc die in alium diem.
Profectò festos habeam decretum est mihi.
Nunc hinc eamus intrò. sequere hàc me. AN. sequor.
In hunc diem jam tuus sum mercenarius.

INFELICENT]ita MSS.ambo,ut Brix. & Parisina, & Cam. Cæteri ferè, *infelicitent*: quomodo & Nonius hìc laudat. V.N. Rud. 4.6.

5. SEX IM.AGNOS]Basil.edit. *Sex agnos immolabi*. Meursius: Valdè suspicor excidisse priscam vocem, scribendumque, *sex agonas imm.* Nam veteribus *agones* victimæ, & *agoniæ* hostiæ appellabantur. Isid. in Glossis: *Agones, victimæ: Agonia, hostia.* Vide Fest.& magnum ejus interpretem Jos. Scaligerum. Sed casci illi, cum à Græcis accepissent (nam prima lingua Latina Græca fuit) hanc vocem, latius ejus notionem extenderunt, quam ipsi Græci, qui tantum ea ita vocabant, quæ pro mortuis sacrificantur. Suidas: ἐπὶ τοῖς νεκροῖς τὰ ἔντομα ἔλεγον τῶν τετραπόδων ὡς ἄγονα, τὰ δὲ ἱερεῖα, τοῖς θεοῖς. In Sacris Litteris quoque LXX. Interpretes verterunt ἀγόνας χοὰς, quæ mortuis libarentur: *Meursius*. Etiam Ald. Cod.ut & Colon. *sexagenos* legunt. Cæteri omnes ætate priores, ut & MSS. Cam.verbis quidem sic transpositis, *Sex immolabi agnos*, &c. Pareus hìc mirificè Lectoribus illudit. nam cùm editio ejus ultima præferat: *Sex im.agnas*. ponit tamen in Notis: *Sex immol.agonas*) Ita optimi MSS.Pall.nec non Excerpta. Imò nullus de tribus MSS.habet *agonas*, imò nullus de tribus habet *agnas*: omnes clarè præferunt *agnos*. An non hoc est mentiri de compacto? Sic versu septimo, ubi edidit; *abi illinc illico*. scribit in Notis: *Illinc*) MSS. *illinc*; non *illim*. falsissimè. quippe pr. *abi illi milico*. sec.*abi illim ilico*. hæc annoto ut norit lector, abire hunc hominem à monitu Plautino:

Non soles respicere te, cùm dicas injustè alteri.

Cùm enim Taubmannus scena superiore vers.24. scripsisset errorene suo an typothetæ: *Neque nubis*) Ita MSS.Camer.&c. exurrexit nostra hæc Talpa, atque infit: *Nubes omnes quantum'st*) Jurato affirmo sic esse totidem literis in V.C.Pal.in MS.Decurt. *Neque nubes quantum est*. in neutro verò *nubis*, utique summa cum injuria optimarum membranarum prodiderunt nonnulli Editores. Sic ille, ubi tamen ne sic quidem planè verus est. nam si totidem literis expressisset Palatinum exemplar, non oportebat detractum *e* ab *st*. quod apertè in eodem codice, quos millies alioquin perperam fici-

A tavit in Notis: infinitis verò locis neglexit, cùm tamen haberent lectionem à vulgato diversissimam.

7. LITARE] καλλιερεῖν, vel, ut ait Macrob. lib.3.c.5. *facto sacrificio numen placare*. Etiam Turnebus l.18.c.20. docuit, veteres eo verbo usos, cùm grata acceptaq; diis sacra fuisse intelligerent. *Sacrificare* igitur est offerre sacrum, & veniam poscere: *Litare* est propitiare, & votum impetrare: non quidem ἀπὸ τῶν λιτῶν, i. à precibus: sed à v. *luere*, i.solvere. Varro Hecatombe: *In quo ego, ut puto, quoniam est luere solvere, lutabi.*

8. PROSICARIER] Exta cocta solebant prosecare: unde & *prosecta* dicebantur, ac partem adolebant, partem consecrabant, sacerdotibusque dabant: partem sibi apponebant. Sic lustralibus extis vescuntur apud Virgilium 8.Æn.Suet.in Augusto, cap.1.*semicruda exta rapta foco prosecuit*. Ovid.6.Fast.

Inde ubi libavit, prosecta sub æthera ponit, &c.

Turn. l.15.7. Nonius: *Prosecta exta quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta*. Festus: *Prosicium, quod profectum porricitur*. Vide Scalig. item B.Brisson.Form. & I.Grut.libr. *Opinionum*. Facetè autem dicuntur: quasi probè sese ultus sit Leno; quòd, cùm non litasset, exta deo non reddiderit.

B

10. DEVM ESSE INDIGNAM CR.]Ita Cam. Sambuc.& Lamb. & Douza ediderunt: reliqui, *deam*. Sed alterum reconditiorem antiquitatem sapit. Ita Ennium *Pœnos* dixisse, cùm de fœminis loqueretur, Festus auctor est, ita Virgil.2.Æneid.

——*ducente deo.*

i. Venere. nempe Græcorum imitatione, apud quos ὁ θεὸς, καὶ ἡ θεός. Calvus Poeta:

Pollentemque deum Venerem.

quanquam *deûm* ἀντὶ τῶν *deorum* hìc esse potest, ut *pollens opum*, &c. Vide Scalig. ad Festum. Is. Pontanus Analect.lib.3.cap.15. restituendum censet; *Deam esse indignatam credidi*. vel: *indigetem cr.* quasi nullius rei indigerem: quomodo Lucr.de hâc ipsâ:

Ipsa suæ pollens opibus, nil indiga nostri &c.

vel etiam, *deam esse indigenam credidi*: ut innuatur prisci ævi continentia & sanctitas: ex illo Juvenal. *Quondam hoc indigenæ vivebant more* &c. vide ibi Pontan. SED enim & hunc

& cæteros hariolari censet Pistoris: & videtur ipsi jocus, sive adeo fallacia, quâ Venerem decepisse se Leno gloriatur, in eo consistere, quòd, dum Aruspex ex disciplinâ dixerat, *Exta non bona esse*, i. infausta, Leno illa verba, *non bona*, ita acceperit: quasi putida essent. Unde mox intulit: Si non bona, (ut ais) indigna ergo sunt quæ deæ offerantur: nolo igitur ea prosecari. Eâque fallaciâ abstulit exta integra: atque ita Venerem sub specie pietatis decepit. Pius enim videri poterat, quòd exta vitiosa noluerit prosecari. Atque hinc in eam cogitationem devenit iisdem Pist. ut existimet scribendum, *deâ esse indigna credidi*. Si tamen vulgata retinenda sit, *deam esse indignam credidi*, eodem sensu accipienda fuerit, quo *indignum injuriâ* dicimus, & infrà act. 5. 4. *Ne indigna indignis dij darent*. Ita hic Venus indigna, cui offerantur exta non bona.

11. ADII MANUM] Muretus Var. Lect. lib. 19. c. 16. Erasmi, inquit, & Lambini correctiones & interpretationes ineptæ sunt atque insulsæ. atque ideò quærendum aliquid melius. Ac mihi quidem ita videtur: *Adire manum alicui*, dici eum qui, quod illi tanquam in manum traditurus ostentet: cumque ille manum ad id capiendum, porrexerit, suam ipse manum retrò trahat, eumque inanem atque hiantem destituat. Nunc videamus, ecquid illa interpretatio in omnes Plauti locos conveniat. In Aulul. (act. 2. 8.) hoc dicit Euclio: Veneram in macellum, & multa licitatus eram: ita ut piscatores & lanii lucri se aliquid ex me corrasuros esse sperarent. At ego nihil emi: & sic eis adii manum. In Casinâ (act. 5. sc. 2.) ita insultat & villico & seni Cleostrata. Quid nunc? annon lepidè ludibrio habiti estis, idque merito vestro, cum inhiaretis Casinam, eamque jam à vobis teneri putaretis? Ubi etiam præstabat tacere Lambinum, quàm ita aliena dicere. In Pœnulo autem Leno, Venus, inquit, ut avara est, plures assiduè à me hostias exspectabat: ideoque litare me nolebat. at ego ne prosecari quidem exta volui: eamque hiantem reliqui: & sic ei adii manum. In Persâ (act. 5. 2. ubi N. V.) itidem Leno: Quomodo, cùm ex illo assimulato Persâ magnum lucrum sperarem, tu dolis tuis me in magnum infortunium conjecisti. Hæc, nisi fallor, multò accommodatiora sunt ad Plauti locos, quàm quæ illi commenti sunt. Gutherius lib. 4. de jure vet. Pontif. cap. 6. & 17. putat respicere Lenonem ad genus adorationis, quod fiebat manu tacta. itaque *adiisse* tantum *Veneri manum* cùm illa expectaret prosectas hostias. Pauperiores scilicet, vel facultatibus exhausti quibus nihil in bonis quod Numini offerrent, Osculo testabantur devotionem. Lucian. Dialogo περὶ θυσιῶν: ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν: *Si quis pauper, is ita Deo Litat, ut dexteram duntaxat suam ipsius osculetur*. De quo more Lipsius lib. 2. Elect. c. 6. Gruterus timidè suspicatur, *adire manum*, idem esse cum illo Persii, *Nec manus auriculas imitata est nobilis albas*.

17. CONDIGNE H.] haruspex Venere dignus. L.

25. LENULLE] Prisc. lib. 3. docet, duo diminutiva esse Lenonis *Lenunculum & Lenullum*. Turn. l. 15. 27.

23. PENTETHRON:] ita MSS. Et est vox fictitia: quales solet tribuere Plautus vanis istis & gloriosis &c. H. Steph. *Pelethronicâ* legit: Pelethroniis Lapithis. Videatur Turneb. lib. 21. cap. 9. ad illud Virgil. 3. G. v. 115. *Frena Pelethronij* &c. Heraldus l. *Pteronthicâ*: propter ea, quæ sequuntur, *Hominum volaticorum* &c.

31. Eo] nempe in fundas: D.

32. PRÆSTERNEBANT FOL.] ita MS. pr. nam sec. *Prosternebant*. Pareus de compacto hic lectores decipit. dum edit *præsternebam*; additque: Sic V. C. *prestern*. MS. Decurt. *prostern*. falsum igitur quod Saxonicus Editor ait utrumque MS. legere *prosterneb*. Sic ille. At quicunque isthæc legunt, an non arbitrantur in MSS. hærere *nebam*? contra est. retinent *bant*. interim non mentitur Pareus; solum imponere voluit Lectoribus quare obsecro! procul dubio ut suspicarentur extare Turnebianum in Palatinis. nam aliàs cur tale quid non monuit? Turnebus scilicet, *præsternebam*, antesternebam, substernebam atque inspergebam. lib. 15. 7. edd. vett. *eos prosternebam ut folia farfari*. quod Meursius, ut plenius, ita & melius censet.

32. FARFERI] ita MSS. & Lips. è Vaticanis. Pertinuit ad hunc locum adnotatio Festi: *Farferum, virgulti genus*. Malè vulgò, *farfenum*, vel, *sarsenum*. Vide Turn. l. 15. 7. ubi os verberat Servio, ob hunc locum; atque, *farferum*, herbam esse *nymphea* non dissimilem, populi folio, sed ampliore: quæ *fernnum* etiam & *farfugium* vocetur: & in membranis etiam legi, *farferi*. Apuleius: *Folia sunt farferi & nugæ meræ*. quod Lipsius Proverbii vicem usurpatum annotat, Epist. Q. l. 2. 22. P. Merula in *Cosmographia* suâ lib. 4. part. 1. docet, *Farfarum* hic esse fluvium, qui *Fabaris* Virgilio; & circa illum frequentissimas fuisse arbores & umbrâ gravissimas: unde Ovidio,

——*amœnæ Farfarus umbra*.

36. Eo] scilicet visco. Parei ultima adverbialiter expressit. perperam.

34. PERJURAS] Notat Acid. *Perjurare*, pro mentiri simpliciter. ut infrà, act. 5. 4. *AG. da pignus; ni nunc perjures* &c. Mil. act. 4. 2. *Hem ecastor hom. perjurum!* Merc. act. 3. 1. Ut autem *perjurium* pro simplici mendacio: sic infrà act. 5. 2. *incestum* pro stupro.

35. IN FUNDAS VISCI INDEBANT] ita ex utroque MSS. Gruterus. uti mox etiam fide eorundem librorum leg. *accidebant*, & *acciderat*. vice *decidebant* & *ceciderat*: confirmatque ex iisdem illud *necabam*, quod veniebat in mentem Turnebo & Douzæ.

36. FUNDITARIER] i. fundis peti. inde etiam illud act. 1. 2. *tantula tanta verba funditat*. Turneb. l. 15. 7.

37. QUEMQUEM] ita MSS. i. quemcunq; hominem istorum volaticorum globis visco illitis contigerant legionarii funditores mei &c.

39. EUM NECABAM] Rectè, *necabam*. Se enim, non alios, homunciones illos Icarios interfecisse dicit nugivendus strategus iste viscarius (Leimstengler.)

39. ILLICO] in loco, è vestigio D.

40. PINNA SUA] Auferendi casu, non Recto, sumendum: & *sua*, monosyllabum in morem pronunciandum: neque officit numerorum rationi hic Casus; quod vult Lambinus: cujus sententia ipsis volaticis illis nugis hominum multò etiam nugacior, ac volatica magis videri potest: *Douza*.

A 40. Q. TURTUREM] Solet enim turdus, ut & attagen, aliæque aves, pennæ suæ acumine per cerebrum, quà cervix capiti committitur, ex disciplinâ venatoriâ, adacto necari.

43. ÆQUUM CR.] i. Non credo. nam Lenonibus credi non oportebat, utpotè perjuris & impiis. Vide N. Aul. act. 2. 4.

44. AGE EAMUS.] Perperam hæc Militi dant. Leno enim pertæsus sermonem ipsius intrò properat, &c. *Pist*. turpissimè igitur peccat Pareus, qui non modò militi hæc tribuit, sed & textum mutat, rescribendo *inibi*, tanquam ita expressè restaret in V. C. habuit quidem initio *Narrare inibi*. mutatumque in *Narrare tibi*: sed tamen nihil vetat credere voluisse exhibere, *Narrarem ibi*. certè punctū nusquam superpositum illi *m*. deinde quid *inib*: heic notat?

44. EXTA RER.] V. N. Amph. 3. 3. Stih. 2. 1.

46. IMO IAM ELIDAM.] Sic Camerarius. ante ipsum legebatur: Tuum jam elidam, minus masculè. sic tamen etiam MSS.

49. DIE BONO] Briss. lib. 1. Formul. ut *BONA VERBA*; ita & *BONUM DIEM* dicebant veteres.

B 50. ADDICE] vende, & trade venditam. *Addicere* hic est venditoris: interdum est Prætoris. L.

51. ET. ITA RES DIVINA FUIT:] Ex Orci cancellis jam demum revocatur editio MSS. Pall. sed & personarum distinctio isthæc disertè restat in Pal. pr. & Sarraceni editione, quæ etiam cum vetustioribus *fuit*, non *fuerit*, sæculo nostro primùm natum. Ineptè autem hæc tribuebantur militi: Grut. Pareus ille Argus, Mercurium quem audiit; ita nihil hic vidit; atque absurdè versu antepenultimo in contextum nobis ostentat *Professos*.

52. EXTOLLO] Nonius: *Extollere, differre*. Cæcilius: *hodie extollat nuptias*.

53. PROFECTO] Muretus l. 11. cap. 19. Legendum, *pro festo*. nam *Habere dies festos, pro festo*, ita dictum est, ut *somnia pro somniis* habenda. ut, apud hunc ipsum, *pro sano*: ut apud Juris auctores, *Pro herede: pro domino: pro possessore*: ut apud Apul. *neq. pro amico, neq. pro Philosopho facturum*. Et cū ait, se res omnes serias extollere in alium diem, respe-

respexit ad illud vetus dictum, *εἰς ἀνέμους τὰ σπουδαῖα*. Gruterus Muretum reprehendit, qui vocem *profectò* extrusit. nam, inquit, vim ejus satis exponit Cicero pro P. Quintio: *Si debuisset, Sexte, petisses statim: si non statim, paullo quidem post: si non paullò, at aliquantò: sex quidem illis mensibus profectò; anno vertente, sine controversiâ.* Non abit Agellius l. 9: 11. *Ea res prorsus admirandà, sic profectò est in libris Annalibus memorata.* Sed & Glossarium: *Profectò, δηλονότι, δηλαδὴ, haud dubiè, videlicet, omninò.* Sic Curc. 3: 1. & 4: 2. usurpatur. Douza emendat, *profecto festum hunc habeam, &c.* atque eò, inquit, audacius, quòd Substantivus, *diem*, præcesserit. In MSS. exaratur, *profectos festos h.*

ACTUS III. SCENA I.

AGORASTOCLES adolescens,
ADVOCATI.

,, *ITa me di ament, TARDO AMICO nihil est quicquam iniquius,*
,, *Præsertim homini AMANTI; QUI quicquid agit, properat omnia.*
Sicut ego hos duco advocatos homines spissigradissimos,
Tardiores quàm corbitæ sunt in tranquillo mari.
Atque equidem hercle deditâ operâ amicos fugitavi senes.
Sciebam ætate tardiores. metui meo amori moram.
Nequiquam hos procos mihi elegi loripedis, tardissimos.
Quin si ituri estis hodie, ite, aut ite hinc in malam crucem.
Siccine oportet ire amicos homini amanti operam datum?
Nam iste quidem gradus succretu'st cribro pollinario,
Nisi cum pedicis condidicistis sic hoc grassari gradu.
AD. Heus tu! quanquam nos videmur tibi plebei & pauperes,
Si nec-rectè dicis nobis, dives de summo loco,
Divitem audacter solemus mactare infortunio.
Nec tibi nos obnoxij sumus istuc quid tu ames aut oderis:
Cùm argentum pro capite dedimus, nostrum dedimus, non tuum.
Liberos nos esse oportet: nos te nihili pendimus.
Ne tuo nos amori servos tuos esse addictos censeas.
,, *LIBEROS HOMINES per urbem modicò magis par est gradu*
,, *Ire. servuli esse duco festinantem currere.*
Præsertim, in re populi placidâ atque interfectis hostibus,
Non decet tumultuari. sed si properabas magis,
Pridie nos te advocatos huc duxisse oportuit.
Ne tu opinêre; haud quisquam hodie nostrum curret per vias.
Neque nos populus pro cerritis insectabit lapidibus.
AG. At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis cervum cursu, vel clavatorem gradu.
Nunc vos quia mihi advocatos dixi, & testes ducere,
Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.

AD. An verò non justa caussa est, quò curratur celeriter,
Vbi bibas, edas de alieno, quantum velis usque affatim?
Quod tu invitus nunquam reddas domino, de quo ederis.
Sed tamen quomodocunque, quanquam sumus pauperculi,
Est domi, quod edimus: ne nos tam contemptim conteras.
Quicquid est pauxillulum illuc nostrum, id omne intus est:
Neque nos quemquam flagitamus, neque nos quisquam flagitat.
Tuâ caussâ nemo nostrorum est suos rupturus ramices.
AG. Nimis iracundi estis! equidem hæc vobis dixi per jocum.
AD. Per jocum itidem dictum habeto, quæ nos tibi respondimus.
AG. Obsecro hercle operam celocem hanc mihi, ne corbitam date:
Attrepidate saltem! nam vos approperare haud postulo.
AD. Si quid tu placidè otiosèque agere vis, operam damus:
Si properas; cursores meliu'st te advocatos ducere.
AG. Scitis, rem narravi vobis, quod vestrâ operâ mihi opus siet,
De lenone hoc, qui me amantem ludificatur tam diu,
Ei parata ut sint insidiæ de auro & de servo meo.
AD. Omnia istæc scimus jam nos, si hi spectatores sciant.
Horunc hîc nunc caussa hæc agitur spectatorum Fabula:
Hos te satius est docere, ut, quando agat, quid agant, sciant.
Nos tu ne curassis. scimus rem omnem: quippe omnes simul
Didicimus tecum unà, ut respondere possimus tibi.
AG. Ita profectò est. sed agite igitur, ut sciam vos scire rem
Expeditè, & mihi quæ dudum vobis dixi, dicite.
AD. Itáne tentas an sciamus? non meminisse nos ratus,
Quomodo trecentos Philippos Collybisco villico
Dederis, quos deferret huc ad lenonem inimicum tuum,
Isque se ut assimularet peregrinum esse, aliunde ex alio oppido.
Vbi is detulerit; tu eò quæsitum servum adventes tuum
Cum pecuniâ. AG. meministis memoriter: servastis me.
AD. Ille negabit. Milphionem quæri censebit tuum:
Id duplicabit omne furtum. leno addicetur tibi.
Ad eam rem nos esse testis vis tibi. AG. tenetis rem.
AD. Vix quidem hercle, ita pauxilla est, digitulis primoribus.
AG. Hoc citò & cursim est agendum. propera jam quantum potest.
AD. Bene vale igitur! te advocatos melius celeris ducere:
Tardi sumus nos. AG. optimè itis, pessumè hercle dicitis.
Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim.
AD. At edepol nos tibi in lumbos linguam, atque oculos in solum.
AG. Eja! haud vostrum est iracundos esse, quod dixi joco.
AD. NEC TVVM QVIDEM EST, amicis per jocum injustè loqui.

AG. Mit-

AG. Mittite istæc: quid velim, vos scitis. AD. callemus probè:
Lenonem perjurum ut perdas, id studes. AG. tenetis rem.
Ecce opportunè egrediuntur Milphio unà & villicus.
Basilicè exornatus incedit & fabrè ad fallaciam.

HUIUS Sc. versûs sunt tetrametri, catalect. troch. itemque mox sequentis Scenæ.

V. 3. SPISSIGRADISS.] Nonius: *Spissum, nonnunquam significat tardum.* Cæcil. *Nihil ego Spei credo: omnes res spissas facit.*

4. CORBITÆ] naves onerariæ, tardæ, & grandes. sic dictæ, quòd earum malus præferebat corbem in summo fastigio: ut etiamnum usus obtinuit. V. N. Cas. 4:1.

6. METUI] ita MSS. Cam. & vett. edit.

7. PROCOS] i. Proceres, εἰρωνικῶς. ita Scal. ad Festum. Servius Tullius (inquit Turnebus) in descriptione Classium, quam fecit, perquam antiquè *procos* vocavit *patricios* vel *proceres*, atque id verbum Censores in Tabb. retinebant. Sed hìc irrisionem subesse puto: quòd senes sint, nec eâ ætate, quâ procos quis suis filiabus deligere debeat: lib. 8: 3. & l. 15: 7. At verò Muretus, Contra, inquit, sentio: & *procorum* nomine intelligo adolescentes eâ ætate, ut de uxore ducendâ cogitare possint. Adolescens enim, qui properat, senes sibi advocare noluerat: adolescentes sumpserat: sed id sibi nihil profuisse dicit: cùm præ mollitiâ & delitiis, (ob id enim eos *procos* vocat) nihilo celeriùs incederent, quàm senes. Idq; ipse ita perspicuè dicere videtur: ut mirer, non dico Turnebum, hominem perspicacissimum, sed quenquam omninò fuisse, qui aliter accipere potuerit. Versus hi sunt: *Atque equidem b. deditâ operâ amicos fugitabi-senes: Scib. &c.* Var. Lect. lib. 17. c. 18.

8. QUIN SI ITURI] ita è MSS. Cam. Sic Cas. *Quin agitis hodie: quin datis, si quid datis.* Simile Clitellariâ amissâ: *Quin tu, si iturus es. N. nimium is begrandi gradu.*

10. CRIBRO POLL.] ita Cato c. 18. *Eò calcem cribro succretam indito altè digitos duo.* Interpretum sententias, inquit Douza, intricatas non refellam, meam opinionem proponere contentus. Ajo igitur, *cribrum pollinarium* hoc loco, non quidem setaceum aut excussorium illud è lino, seu pertusâ adeò

A membranâ instrumentum (quod *Incerniculum* à Lucill. & Plinio vocatur) quo hodiéque à furfurum recrementis pollen discerni ac separari consuevit; verùm hercle farinam ipsam à furfuribus expurgatam, quam *florem* vulgò, hoc est, pollinem perhibemus, disertè significare, ut *cribrum*, non id quod cribrat, sive excutit pollinem, sed verè ipsum pollinem potiùs, qui ex cribro farinario cribratur seu excernitur, interpretemur. Notum autem, quàm lentæ inter depsendum ac subigendum materiæ res sit farina, macerata præsertim, humigataque atque in fermento jacens maximè. Porrò quemadmodum *cribrum* pro polline cribrato; sic *molam* itidem haud pro *moletrinâ* (perinde ut nos hodie) sed pro *farre molito ac tosto* eosdem veteres illos dictare solitos quis nescit? Hæc Douza. Scalig. in Ætnâ; *fluctus succernens*, est spissè crispatus fluctus. metaphora à cribro. Plautus: *gradus succretus &c.*

B 11. CUM PED. SIC HOC GRASS.] Hoc perspicuè verum, inquit Lipsius. Est autem *grassari*, ἐξυποδεῖν, ἐπιρεῖσθαι. *Grassa*, βάδισμα, βῆμα. *Grassator*, λωποδύτης: Scalig.

20. SERVULI ESSE] Illud *festinantem* persuasit Grutero, ut amplectatur, quod habet secundus MS. Pal. *Servuli esse.* quamvis posset præterea oriri suspicio, fuisse *festinatim*, quâ voce usus Sisenna apud Nonium. Severi dictum est, apud Lamprid. *Cursorem nunquam nisi servum, dicens: ingenuum currere, nisi in sacro certamine, non debere.* MS. tamen pr. & vett. edd. vulgatum tuentur, *servile esse.*

22. TUMULTUARI] Propriè dixit, *Tumultuari*, quod nos Ein Lerma machen. *Tumultus* enim, quasi *tumor multus*; ut diximus Amph. Arg. Et attende Poetæ Comicum artificium, quàm dissimulanter & quasi aliud agens Romanorum res gestas victoriasque de Pœnis victis qualitas hic attigerit. E Douzæ Cent.

25. CER-

25. CERRITVS] V. N. Men. 5: 4. & Amphit. 2: 2.

26. ÆDEM] Quæ Isid. lib. 15: 3. de originatione *ædis* dicit, nugas censet Acidal. & *Ædem* hic accipit sacram, ex antiquorum ritu: qui sacrificantes, ad templa amicos vocare solebant convivatum. Exemplum est initio Rud. Et aliàs in templis convivia agitabantur: ut cum *Cœna popularis* celebraretur. de quâ Trin. ——— *quid tu, si in ædem ad Cœnam Veneris, &c.*

27. CLAVATOREM] Bapt. Pii, & seqq. edd. *grallatorem*. Glossarium: *Grallatores, πανικὰ φοροῦντες*: immò *Grallatores πανικὰ φορεῖν*, explicat: quod de *ægipanibus* in Festo dicitur: quem vide, & Scal. ad illum, item ad Varronem. *γύπωνες* vocabantur à Græcis. Stelßentreter. *Grallator*, à gradu magno dictus. V.N. Amph. 4: 3. Turn. l. 3: 11. & l. 15: 7. In aliquot, inquit, membranis reperi *clavatorem*. Sunt autem *Clavatores*, qui clavâ utuntur, ut qui *κορυνῆται* est vocatus: sed & *Calones* militum ligneas clavas ferentes, quod genus hominum & laboriosum & velox est, cursorumque interdum officio fungitur. Is, obsecro vos, sensusné idoneus est, qui explodatur, an potiùs qui hilariter excipiatur? cùm lepore Comico nihil indignum præ se ferat. Hæc ille. Et verò in Pall. est, *glabatorem* & *dabatorem*. priusq; etiam retinent primitus cusi, quod nemo non videt accedere potius nostro clavatori, quam *grallatori* aliorum. Porrò, *Gradus militares*, in Proverb. abierunt, pro grandibus, celeribus. V.N. Pseud. act. 4: 4.

32. INVITVS] non quòd reddere nolis, sed quia non possis, quantum cupias: L.

32. DE QVO ED.] Acid. l. *de quojus*, scil. cibo. Geminum illi, *De alicujus vesperi cœnare.* & istud confestim in ed. suam primam intulit Pareus. nam secunda *de qui*, quoniam Pal. pr. *de qui ederis*. restat tamen *de quo* in sec. & vett. edd. omnibus.

34. EDIMVS] *Edim*, pro *edam*: Nonius.

34. CONTEMPTIM CONTERAS] ita Arnob. lib. 1. *Aliorum res premi, & in contemptu humilitate calcari.* Exprimitur verbum *ἐξευτελίζω*. nam *εὐτελὴς* quasi *πατεινὸς*. Des. Herald.

35. QVICQVID EST P.] Quicquid nobis est, id omne domi est, nec aliunde petimus. ut quidem Lamb. explicat. Sed id non satis. Etiam suum id esse totum, quod habeant quantillum habeant, affirmant. Interpunges igitur: *Quicq. est p. illuc, nostrum il.* Acid.

36. FLAGITAMVS] mendicorum ritu. neque nos ullus creditor acerbiùs flagitat. L.

37. RAMICES] V.N. Merc. 1: 2.

40. OP. CELOCEM] Allusio ad *celocem* & *corbitam*: quarum hæc tarda, illa celeris est. V.N. Milite, 4: 1. ineptè prorsus heic expressit Parei ultima, *velocem*. at ita MSS. quid tum? viderat & eos Camerarius; neq; ideo tamen secutus est. viderant idem in primis edd. Critici recentiores: nemo tamen controversiam movit receptæ scripturæ. adeo elegans erat, & gratiosa; adeo, sed hæc frustra cantabuntur Asello Cumano, vel quasi.

41. ATTREPIDATE] Senum est *attrepidare* ac senili gradu approperare. De voce *trepidare*, item *properare*, multa habet Palm. in Spicil. ubi *trepidare* inter cætera significare ait, *festinare & satis agere, ac multo cum metu circumagi.* Virg.

Ne trepidate meas, Teucri, defendere naves.

Sallustius: *Trepidare ad arcem opidi.* Livius: *Moxque dum in sua quisque ministeria discursu trepidat ad prima signa.* Sic vetusta & venusta sunt, *trepidare domum, trepidare in naves, trepidare negotia.* Sic Pl. Truc. *Dic me adesse, cui properet suavium, &c.* V. N. Aul. act. 2: 3.

49. HOS TE SATIVS] ita Grut. è MSS. *Hos te satius.* Nam in illis legitur, *Hostes ad jus est.*

49. QVID AGANT, SC.] ita MSS. sed Acidal. *quid agas, sc.*

51. DIDICIMVS TECVM] Fabulam Poeta docet: discunt Actores, & discunt simul, dum actionem periclitantur. quo facetè hîc allusit Plautus. Vide J. Gul. & Not. Scenæ seq.

51. SIMVL VNA] Rectè hæc conjunxit. *Simul* notat conjunctionem temporis: *Unà*, loci. De quo Aus. Popma. Vel, ut Charisius; *Unà* locum; *Simul* verò spacium designat. Ut, *simul* consules fuerunt: *unà* ambulabant.

58. VBI IS TETVLERIT] Ita excellenter Camerarius, ne versus exorbitet, at Pareus rejecti-

rejectitium ejus rursus collocavit in sedem A non suam, *detulerit*, inquam.

61. ADDICETUR] à Prætore.

63. VIX Q. HERCLE] Jocus in voce, *Rem*. Ausonius:

Imperium, Litem, Venerem cur una notat Res?

B. VValtherus JC. hunc versum aliter legit. V.N. suprà Prol. & Pseud. act.4:7.

63. PRIMOR.] Et in Bacch. & hic relinquitur quærendum, sitnè *primoribus* an *primioribus*. Hoc quidem loco numeris convenire B *primioribus*, ait Camerarius. Apulejus lib. 10. *Saltare sublatis primoribus digitis perdocuit*. Id. *Primore digito*. Varro: *ut in littore cancri, digitis primoribus stare*, Et hæc adducit Colvius non tam genuinæ scripturæ (ut ait) ostendendæ, quàm notionis etiam veræ indicandæ. Cùm sint, qui per *primorem digitum*, secundum à pollice, hoc est, *Indicem* intelligant: cùm de quolibet alio dictum etiam videri possit. id quod exempla illa convincunt.

64. PROPERA IAM] Utraque Parei, non sine ruina versus, *properate*: cùm alterum tamen restet in Pall.

64. Q. POTEST] i. quantùm fieri potest; ὡς δυνατόν: L.

66. OPTIME ITIS] Contrà planè vult Plautus. itaque traduco. *AG. pessimè itis, opt. b. dicitis*. Q.d. Linguâ celeres, pedibus inertissimi estis. Acidalius: quod rapuit in utrâq; editionis suæ cavernam Pareus, nolentibus tam MSS. quàm edd. cunctis: ne dicam contra leporem veneremq;, quo afficiebatur populus theatralis, qui sentiebat, aliter loqui Agorastoclem, aliter sentire; vel per linguæ præcipitantiam, vel àdeo risus captandi caussa.

67. FEMINA] ita MSS. Camer. At Douza F. leviter conjicit, *flemina*. V. N. Epid.5:2. & Pseud. 4:7. Ita & Meursius: qui præter illa, Tertullianum etiam & Isidor. in Glossis testes laudat. Ac si optet Agorastocles, ut Advocati ita festinarent, ut tandem currendo fatigatis flemina in talos decidant.

ACTUS III. SCENA II.

MILPHIO, servus. COLLYBISCUS villicus.
AGORASTOCLES adolescens. ADVOCATI.

IAm tenes præcepta in corde. CO. pulcrè. MI. vide sis calleas.
CO. Quid opu'st verbis? callum aprugnum callere æquè non sinam.
MI. Fac modò ut condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam.
CO. Quin edepol condoctior sum, quàm Tragœdi aut Comici.
MI. Probus homo es. AG. adeam propius. assunt testes. MI. tot quidem
Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Nam istorum nullus nefastu'st, comitiales sunt meri:
Ibi habitant: ibi eos conspicias, quàm Prætorem sæpius.
Hodie juris coctiores non sunt, qui lites creant,
Quàm sunt hi: qui si nihil est litium, lites serunt.
AD. Di te perdant. MI. vos quidem hercle, cum eo! quiqui tamen,
Et bene & benignè facitis; quom hero amanti operam datis.
Sed isti jam sciunt, negotij quid sit? AG. omnem rem ordine.
MI. Tum vos animum advortite igitur. hunc vos lenonem Lycum
Novistis. AD. facilè. CO. at ego pol eum, quâ sit facie, nescio.
Eum volo mihi demonstretis hominem. AD. nos curabimus.
Satis præceptum. AG. hic treçentos nummos numeratos habet.

AD. Ergò nos inspicere oportet istuc aurum, Agorastocles,
Vt sciamus, quid dicamus mox pro testimonio.
AG. Agite, inspicite: aurum est. CO. profectò! spectatores, Comicum:
Macerato hoc pingues fiunt auro in barbariâ boves.
Verùm ad hanc rem agundam Philippum est. AD. ita nos assimulabimus.
CO. Sed ita assimulatote, quasi ego sim peregrinus. AD. scilicet.
Et quidem quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris;
Liberum ut commonstraremus tibi locum & voluptarium,
Vbi ames, potes, pergræcère. MI. heu! edepol mortales malos!
AG. Ego enim docui. MI. quis te porrò? CO. agite, intrò abite, Agorastocles:
Ne hic vos mecum conspicetur leno: neu fallaciæ
Præpedimentum objiciatur. MI. hic homo sapienter sagit.
Facite, quod jubet. AG. abeamus. sed vos! satis dictum sit? CO. abi.
AG. Abeo. quæso, dij immortales. CO. quin abis? AG. abeo. MI. sapis.
CO. St! tace. AD. quid est? CO. fores hæ fecerunt magnum flagitium modò.
AD. Quid id est flagitij? CO. crepuerunt clarè. AD. di te perduint.
Ponè nos recede. CO. fiat. AD. nos priores ibimus.
CO. Faciunt, scurræ quod consuêrunt: ponè sese homines locant.
AD. Illic homo est qui egreditur leno. CO. bonus est: nam similis malo est.
Jam nunc ego illi egredienti sanguinem exsugam procul.

CALLVM APR.] Jocatur in ambiguo verbi *callere*. Sic in Persâ, 2:5. *magis calleo, quam aprugnum callum callet.* V. N. Capt.4:3. Pareus, ne nihil scire videatur, prodit in Electis: Aprugna caro callum obducit. satis abruptè. sed cui obducit? quando? quomodo? istud dictum oportebat.

V.3. CONDOCTA] Turn. l. 15: 7. In utroque, inquit, versu *condoctum* lego, non, *conductum*, & membranis adstipulantibus & favente sensu. *Condocti* autem *Comici* sunt, qui Fabulam, quam acturi sunt, unà fideliter addidicerunt, gestumque agere sciunt. Oportet enim histriones peritos esse, & Fabulam simul edidicisse, antequam in proscenium prodeant: quò, nisi fallor, respexit. Itaque Palmerius; Malè, inquit Camerarius noster, *conducta* & *conductior*. Quis enim *docta dicta* toties apud Plautum iterata ignorat? & ea propria histrionum in Scenâ? *Condocta* autem, hoc est, ad fallaciam accommoda &c. Geminus huic locus Persâ act.4: 2.

——SA. tragici atque comici
Nunquam æquè sunt meditati.

Hoc etiam addo quasi obiter. Cum fabulas A suas proferebant spectandas, *διδάσκειν* eos dicebant: uti Latini, *docere fabulam*. Et qui productis in theatri coronam Poematis de palmâ invicem certabant, non *ἀνταγωνισαὶ* propriè, sed *ἀντιδιδάσκαλοι* vel *ἀντίτεχνοι* nuncupabantur. de quo accuratissimè Casaub. ad Athen. lib.6. cap.7. Terentius Prol. Hecyræ: *Cæcilij didici novas.*

4. QVAM TRAG. AVT COM.] Erasmus hîc non Erasmus est.

5. PROB. H. ES.] Ita Acid. è vett. *es*, productè. B cui obtemperat utraq; editione Pareus. sed quid si *es* non ponatur productè, legamusq;? *Probus homo es. AG. adeamus propius.* sine tali sanè adminiculo non stat versus.

7. NVLLVS NEFASTVS EST.] Varro lib.5. L. L. *Dies Fasti, per quos Prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari. Comitiales dicti, quòd tùm esset populus constitutus ad suffragium ferendum. Contrarij horum vocantur Dies Nefasti, per quos dies nefas fari Prætorem, Do, dico, addico, &c.* quod est, (ut notat Turnebus) Do actionem: Dico jus; Addico aliquid

quid meâ sententiâ. his enim tribus jurisdictio continetur. Vide & Fest. & ibidem Scalig. Ovidius 1. Fast.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.
Fastus erit, per quem lege licebit agi, &c.

7. COMITIAL.] Turnebus: *Comitiales homines* sunt, qui religionem jusjurandi parùm colere noverant. Fr. Polletus Hist. F. R. cap. 8. Plautus de redemptis pretio testibus: *Nam istorum &c.* Alluditur ad istam (de quâ dictum) dierum historiam. sed Amphibologia est in dictione *Comitiales:* nam usurpatur pro *Forensibus*, & qui quotidie in foro sunt exponentes venalem operam & fidem. inde enim conducebantur. idem Trin. act. 3:3. *Ego Sycophantam jam conduco de foro.* Et quasi adversarentur invicem, opposuit *Comitiales* Nefastis: tanquam *Comitiales* iidem essent cum *Fastis*. J. Rævard. Conject. lib. 2. cap. 20. Quem, inquit, Decemviri & JC. *intestabilem* vocant, is hoc loco *nefastus* dicitur. nam sensus est: His testibus non esse nefas testimonium perhibere: & sic nec improbos, nec intestabiles esse: quandoquidem in comitio sedulam quotidie perhibendis testimoniis dent operam. Immò simpliciter hoc vult, metaphorâ à diebus ductâ. Adeò frequentes in foro sunt, ut nullo unquam die abstineant. Quia enim die nefasto jus non dicebatur, ideò is dies quasi in foro non esse, sed forum quasi fugere videbatur. Hoc, ait servus, non faciunt isti. nunquam abiunt à foro: nunquam eximuntur. Et ita se explicat ipse servus: *Ibi habitant: &c.* Pistor.

9. COCTIORES] Turn. lib. 15: 7. *Coctiores* legendum: & ridiculum dictu, *juris coctiorem*, pro *juris doctiorem* dicere: quod urbanitate Comicâ conditum protulit, ambigui occasione usus. nam & jus culinarium coquitur; & *coctus* ac *recoctus* dicitur, qui in aliquâ re tyro non est. Etiam MSS. Cam. ambo leg. *coctiores*, non *doctiores*. Cæterùm MS. sec. & vett. edd. τὸ *juris* non agnoscunt.

10. LITES SERUNT.] Ego, *lites emunt*, in sua jura repono. nam quid controversius & litigiosius esse potest, quàm lites emere? Turn. l. 15: 7. rectissimè, *serunt*, tamen tuetur se auctoritate editionum antiquissimorum; neq; minus est quàm illud *emere.* qui enim serit, fœnerato fructus exspectat. Pareus in Notis malè expressit lectionem MSS. Pall. neq; enim ii exhibent *seriunt*, sed *lites semunt*.

11. DII TE PERD.] ita restituit Palmer. *Dy te perdant. MI. Vos q. hercle; commendo, q.* Jocus in distinctione est, ut post *hercle* interpungatur, aut certè in actione vox ibi suspendatur. Casinâ, act. 2: 4.

Qui illum dy deaque omnes perdant. CH. te uxor ajebat tua.
Me voc.

Sistitur sermo in vocula *te.* vel etiam, *te uxor ajebat tua.* scil. ut dii perderent. V. N. Amphit. 2:2. & Mil. 2:3.

11. VOS Q. HERCLE CUM EO] Alii pro, *cum eo*, magnâ animi libidine scribunt, *commendo:* dum malunt sua somnia, quàm Poetæ sensa proferre. Dicit; Qualescunq; sitis, tamen benignè facitis: Turn. l. 15: 7. Lipsius Antiq. Lect. l. 2. c. 19. l. *cum eo quiquis.* Alterum illud *quom*, inculcatum perperam est ex versu sequenti. Cum Advocati Milphioni malè precarentur, *Dy te perdant:* ille paratus referundæ gratiæ, immò hercle, inquit, di vos perdant, cum eo. Lenonem digito designabat. Acidalius sententiam Palmerii omnium veriss. censet. malit tamen ita disting. *Vos q. h. commendo. quiqui tamen,*
Et benè & h. ejecto illo *quom*, quod & versui sic nocuum. Commendâsse autem eos nunc videri vult istis, quibus erat insectatus: *Hodie juris d. &c.* Quæ satis acerba cum & illi asperiùs acciperent; Ne verò irascimini, inquit; nam in commendationem ac laudem vestri locutus hæc sum, non in culpam. at quicunque qualescunq; estis, benè sanè facitis in eo, quòd hero meo sic operam datis. Sic itaq; duplex fuerit hic sententia: ista, quam dixi, apertior; & altera interior, de imprecatione; quam odoratus est Palmerius. At verò Gruterus, repudiatis omnibus, malit è vestigiis MSS. Cam. *quomodocunq; qui tamen &c.* quemadmodum supra 3. 1. v. 33. *Sed tamen quomodocunq;, quamquam sumus pauperculi. &c.*

20. AURUM EST] Pontan. distinguit: *inspicite, AD. aurum est.* Acidal. ita: *inspic. aurum. CO. est prof.*

20. COMICUM] *Comicum aurum* hic lupini sunt, auctore Mureto. Et sicut (inquit) in Comœdiâ pro aureis nummis annumeratus

lupini, sic & pueros lupini grana pro nummis solitos esse habere, atq; numerare, & inter æs & lupinum parùm distinguere : atq; idem hodieque in Italiâ lusitantes pueros ementiri & æmulari lupinis nummos constat. Refert Turn. l.1:15. & l.19: 7. Jam Alciat. Parerg. l. 7:3. Hi nummi, inquit, ex naporum, sive raparum rotulis confecti erant. Notat & J. Guliel. ob duritiem potissimùm, è lupillo nummos factos esse Comicos. Ideoque & Plautus Stich. act. 5 : 4. *lupilli comminutum crustulam* memorat. De quibus Hor. Epist. l.1: 7. A

Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis,

hoc est: Vir bonus & sapiens novit, quid intersit inter veros nummos, & nummos lupinarios, qui tantùm speciem illorum habent: ut doctiss. Muretus explicat. B

21. MACERATO] nam hoc legumen aquâ maceratum deponit amarorem.

21. IN BARBARIA] i. in Italiâ, hoc auro, i. lupino macerato saginantur boves: L.

22. PHILIPP.] Sic habendum, ac si aurum sit Phil. & optimum. Ita autem & MSS. legunt, non *Philippeum*: ut & sc. præced. v. 55. *Philippos.*

24. NOBIS A. H. ORAV.] *Nobiscum orare*, pro, *nos orare*, archaismus est. Turn. l.15:7.

27. QVIS TE] sc. docuit: nimirum Ego. L.

30. AG. ABEAMVS] ita Pist. è Colon. & Florent.

31. MI. SAPIS] Acid. ex ingenio & Flor. ed. concinnat: *CO. sapis. Attate. AD. q.* Nam illud *tace* singulari numero ad plures non convenire ait.

33. CREPVER.] Alludit ad crepitum ventris, qui non sine flagitio in cœtu hominum editur: L. Ita P. Vict. l.11:8. *Flagitium*, inquit, potiùs nomen est rei fœdæ atq; indignæ polito homine, quàm sceleris alicujus aut iniqui facti.

35. PONE SE H.] qui antecedunt, & alios sequi se jubent. *Scurræ* hic sunt homines urbani (quos *Assiduos cives* in Trin. vocat) Militari hominum generi opponi antiquitùs soliti: ut & inferiùs act. 5: 5. V. N. Epid. 1: 1. Frid. Lindebruch. ad illud in Ceiri:

Cymba velut magnas sequitur cum parvula classes:

notat: Phaselli ita ad majores naves religabantur. Stat. Sylv.

Quæque secutam religent post terga phaselon.

Leges navales Rhodiorum καράβους & ἐφόλκια vocant. Unde etiam convivæ, σκιαὶ aliâs dictæ, ἐφόλκοι vocantur. Latini hos *Umbras vocant*, & *Iscurras*. Isidorus: *Iscurra vocatur, qui escæ caussâ quemlibet consectatur.* Plautus:

Faciunt scurræ quod solent, ponè sese homines locant.

Hæc ille. Unde liquet, quid sit illud, *ponè sese homines locant.*

ACTUS III. SCENA III.

LYCVS leno. ADVOCATI.
COLLYBISCVS villicus.

Iam istuc ego revortar, Miles: convivas volo
Reperire nobis commodos, qui unà sient:
Interibi attulerint exta: atque eâdem mulieres
Iam ab re divinâ credo apparebunt domi.
Sed quid huc tantum hominum incedunt? ecquid nam afferunt?
Et ille chlamydatus quis nam est, qui sequitur procul?
AD. Ætoli cives te salutamus, Lyce:
Quanquam hanc salutem ferimus inviti tibi.
Et quanquam bene volumus leviter lenonibus.
LY. Fortunati omnes sitis, quod certè scio

Nec

Nec fore, nec Fortunam id situram fieri.
„ *AD. ISTIC EST THESAVRVS stultis in linguâ situs,*
„ *Vt quæstui habeant male loqui melioribus.*
„ *LY. VIAM QVI nescit, quà deveniat ad mare,*
„ *Eum oportet amnem quærere comitem sibi.*
Ego malè loquendi vobis nescivi viam:
Nunc vos mihi amnes estis: vos certum est sequi.
Si benedicetis, vostrâ ripâ vos sequar.
Si maledicetis, vostro gradiar limite.
„ *AD. MALO BENEFACERE, tantundem est periculum,*
„ *Quantum bono malefacere. LY. quî verò? AD. scies.*
„ *MALO SI QVID benefacias, id beneficium interit.*
„ *Bono si quid malefacias; ætatem expetit.*
LY. Facetè dictum. sed quid istuc ad me attinet?
AD. Quia nos honoris tui caussâ huc ad te venimus.
Quamquam bene volumus leviter lenonibus.
LY. Si quid boni apportatis, habeo gratiam.
AD. Boni de nostro tibi nec ferimus, nec damus,
Neque pollicemur, neque adeo volumus datum.
LY. Credo hercle vobis; ita vestra est benignitas.
Sed quid nunc vultis? AD. hunc chlamydatum quem vides,
Ei Mars iratus est. CO. capiti vestro istuc quidem.
AD. Hunc nunc, Lyce, ad te diripiendum adducimus.
CO. Cum prædâ hic hodie incedet venator domum.
Canes compellunt in plagas lepidè Lycum.
LY. Quis hic est? AD. nescimus nos istum quidem, qui siet.
Nisi dudum à mani ut ad portum processimus,
Atque istuc è navi exeuntem onerariâ
Videmus. adiit ad nos extemplò exiens,
Salutat: respondemus. CO. mortales malos!
Vt ingrediuntur doctè in sycophantiam!
LY. Quid deinde? AD. sermonem nobiscum ibi copulat.
Ait se peregrinum esse hujus ignarum oppidi.
Locum sibi velle liberum præberier:
Vbi nequam faciat. nos hominem ad te adduximus.
Tu, si te dij amant, agere tuam rem occasio est.
LY. Itâne ille est cupiens? AD. aurum habet! LY. præda hæc mea est.
AD. Potare, amare volt. LY. locum lepidum dabo.
AD. At enim hîc clam furtim esse vult, ne qui sciant,
Néve arbiter sit. nam hic latro in Spartâ fuit,
Vt quidem ipse nobis dixit, apud regem Attalum.
Inde nunc aufugit; quoniam capitur oppidum.

CO. Nimis lepidè de latrone; de Spartâ optumè.
LY. Di deæque vobis multa bona dent, cùm mihi
Et bene pr æcipitis, & bonam prædam datis.
AD. Imo ut ipse nobis dixit, quo accures magis,
Trecentos nummos Philippos portat præsidij.
LY. Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me allexero.
AD. Quin hic quidem tuus est. LY. obsecro hercle hortamini,
Ut devortatur ad me in hospitium optumum.
AD. Neque nos hortari, neque dehortari decet
Hominem peregrinum: tuam rem tu ages, si sapis.
Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus:
Nunc te illum melius capere, si captum esse vis.
LY. Jamne itis? CO quid! quod vobis mandavi, hospites?
AD. Cum illoc te melius tuam rem adolescens loqui:
Illic est ad istas res probus, quas quæritas.
CO. Videre equidem vos vellem, cum huic aurum darem.
AD. Illinc procul nos istuc inspectabimus.
CO. Bonam dedistis mihi operam. LY. id ad me lucrum.
CO. Illud quidem, quorsum asinus cædit calcibus.
LY. Blandè hominem compellabo. hospes hospitem
Salutat! salvum te advenire gaudeo.
CO. Multa tibi di dent bona, cum me salvum esse vis.
LY. Hospitium te ajunt quæritare. CO. quærito.
LY. Ita illi dixerunt, qui hinc à me abierunt modò,
Te quæritare à muscis. CO. minimè gentium.
LY. Quid ita? CO. quia à muscis si mihi hospitium quærerem,
Adveniens huc irem in carcerem rectâ viâ.
Ego id quæro hospitium, ubi ego curer mollius
Quam regi Antiocho oculi curari solent.
LY. Edepol næ tibi possum illum festivum dare,
Siquidem potes esse pati te, in lepido loco,
In lecto lepidè strato, lepidam mulierem
Complexum contrectare te. CO. is leno viam.
LY. Ubi tu Leucadio, Lesbio, Thasio, Coo
Vetustate vino edentulo ætatem irriges:
Ibi te replebo usque unguentûm echeumatis.
Quid multa verba? faciam, ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam.
Sed hæc latrocinantur quæ ego dixi omnia.
CO. Quid ita? LY. quia aurum poscunt præsentarium.
CO. Quin hercle accipere tu non mavis, quàm ego dare.

LY. Quin

LY. Quin sequere me intrò. CO. duc me ergo intrò, addictum tenes.
AD. Quid si evocemus huc foràs Agorastoclem,
Ut ipse testis sit sibi certissimus?
Heus tu! qui furem captas, egredere ocius,
Ut tute inspectes aurum lenoni dare.

VERSUS] hujus Scenæ & duarum seqq. sunt senarii jamb.

A 2. COMMODOS] facetos, urbanos. Vide L ad Hor. 4. Od. 8.

3. EADEM] sc. operâ.

7. AD. ÆTOLI CIVES TE] ita *Grut.* è vestigiis MSS. Cam. Certè, *Ætolos*, legimus infrà act 5. 2. Cam. edidit: *Ætolus haud est. AD. se.* Editt. vulg. leg. *procul Ætolica veste?* quod Meursius rectum censet. Et per *vestem Ætolicam* intelligit tunicam, cui chlamys super inducta. Erant verò *Ætolicæ tunicæ* oblongæ. Strabo lib. XI. Καὶ τὴν ἐσθῆτα δὲ τὴν Ἀρμενιακὴν Θετταλικὴν φασὶν, οἷον τοὺς βαθεῖς χιτῶνας, οὓς καλοῦσιν Αἰτωλικοὺς ἐν ταῖς τραγῳδίαις, καὶ ζωννύουσι περὶ τὰ στήθη.

9. LEVITER] Haud aliter omnis editio, neque aliter admittit ratio. Pareus tamen inculcat nobis, *leniter*. Ita enim MSS. Quæ stultitia: abit ab eis ubi sanè loquuntur. ubi insaniunt, una insanit cum ipsis. nam illud *leniter*, vel versus caussâ repudiendum fuerat.

13. ISTIC EST TH. &c.] Scita sententia, in maledicos ac velut Scyllæos canes. Et D. Hieronymus doctè nuncupat *Plautinæ familia* aut *familiares*, eos qui de triviis producti, nunc hunc nunc illum impudentiùs proscindunt: cujusmodi sunt Interlocutores in Plauto se invicem procaciùs impetentes. Vide Cæl. Rhodig. Antiq. Lect. lib. 15. c. 25.

19. LIMITE] etiam limes de aquis, Martialis 11. Ep. 91: *Carmina nulla probas, molli quæ limite currunt; Sed quæ per salebras altaque saxa cadunt.* Propert. 4. el. 4. *——ascentes fallaci celat limite semper aquas.* el. 10. *——lympha Avia secreti limitis una fluit.* ibi Passerat.

23. ÆTATEM EXPETIT] i. Diu durat. nam vir bonus injustè læsus non facilè placatur, quin sui doloris pœnas repetiverit. L.

26. QUANQUAM B.] Acid. hunc versum, qui suprà legitur, hic exturbat, quanquam in MSS. etiam utrobiq; legitur.

28. BONI DE N.] subintellige *quicquam*; sed de alieno. L. In MS. pr. à manu primâ erat *Bono*: uterque verò fine versus repetit *tibi*: quod dum in contextum recipit Pareus, metrum facit justo longius. qualis Versificator!

30. BENIO.] liberalitas. εἰρωνικῶς dictum L.

32. EI MARS IRATUS EST.] Friget hîc Lamb. Aliud latet elegantius. Ad Lenonem Lycum quasi lupum adducitur diripiendus villicus, tanquam ovis. ideò dicitur ei Mars iratus esse: qui contra propitius Lupo. Lupi enim in tutelâ Martis, cui & sacra. prædam igitur suo Lyco dat istum villicum Mars. Locus simillimus Trucul. act. 3. 1.

Fuit edepol Mars meo periratus patri,
Nam oves illius haud longè absunt à lupis.
Acidal.

32. CO. CAPITI V.] Mars vobis potius sit iratus. Sic sæpè & Græci & Latini. Lib. 8. Epist. Cic. *Subrostrani (quod illorum capiti sit) dissiparant, te periisse.* Virg. 8. Æn.

B *——Di capiti ipsius generiq; reservent.*
Aristoph. εἰς κεφαλὴν σοι. Turn. lib. 15. 7. & l. 11. cap. 11. Et *Colabisci* omninò verba esse, docet *Acid.*

34. CO. CUM PRÆDA] Pistoris & Acidal. Colabisco hæc ita dant, clariss. argumentis. Venationem ex sententiâ sibi successurum ait, semel δεικτικῶς venatorem faciens; Advocatos, canes. Gruterus olim ita distinguebat: *adducimus cum prædâ. COL. hic hodie incedet venator d.*

34. INCEDET] ita MS. Cam. pr. & Acid. *incedet*. Auguratur enim se cum prædâ, id est, lepidè, quæ velit omnibus effectis, domum rediturum.

43. OPPIDI] Calydonis.

45. UBI NEQUAM FACIAT] Pincianus ad illa Senecæ Epist. 123. *una felicitas est bona vita; facere*, (ita enim e suis codd. legit, & è MSS. Pall. adstipulatur Grut.) *esse, bibere, frui patrimonio*; notat: *Facere*, accipit Seneca, pro,

pro, Venereis uti. in quâ significatione apud Plautum invenitur:& vulgò usurpatur, &c. A

45. FACIAT]MSS.*faciet.*

46. TV,SI]*Tu*,quò referatur?Dicendum, Plautum expressisse sermonem negligenter loquentium: vel *Tu* separatim legendum, hoc modo: *Heu tu, si te d.* &c. V. N. infrà,3.5.

48. POTARE, AMARE VOLT. LT. Loc.]ita Mur. Var. Lect. lib.17.18. è v.cod. hæc restituit. atq; idem planè in omnibus etiam Editt. est, adeoq; in MSS.Cam.nisi quòd omnes (etiam Edd.) *clam furtim*, legant; non *clam furtimq;*: & alterum MS. τὸ *clam* non habeat. ut notat Grut. & Pistori probat.

50. H. LATRO IN SPARTA]Nihil hîc Lamb. Ego interpretor: Lepidè dicor latro: utpote qui non tam furtim, quàm palàm prædas suetus agere. At de *Spartâ* optimè. sive rapinarum mearum respectu, quibus deprehensis, flagris cædor; sive adeò, quòd aliis de caussis non semel Spartanam induere patientiam coactus fuerim. De *latrone* habes act.3.6. *Non sum nequicq. miles factus*, &c. De Spartanorum flagris omnia plena. Grut.

52. INDE NVNC.] ita Grut. suasu MSS. Cam. & Sambuci.

52. QVONIAM]Pistoris l.*quom jam c.*

57. PRÆSIDII]ita J. Gul. *præsidy*. Et *præsidium* eleganter pro commeatu sive viatico positum ait, quod fami arcendæ sit, ut Persâ, act.1.3. *Portare* igitur *nummos præsidy*, est in commeatum & sumptum secum ferre. In MSS.Cam.& vulg. *portat præ sibi.* quod Lamb. exponit: præportat sibi, seu, præ se portat. At J. Meurs. corrigit: *portat præs sibi.* ut dicat, eum sibimet prædem esse; nec opus alio habere: cum sit tam benè nummatus. Acidalius lectionem Gul. unicè probat, & *portare nummos præsidy*, geminum illi ait, *dare tot vel tot talenta dotis*. de quo Persâ act.3.1.

58. REX SVM]i.summè felix & gloriosus. Sic Varo 4. De L.L. *Quartus* (gradus) *ubi est aditus & initia, Regis.* Ad quæ Scal. hunc locum citans notat: *Quartus aditus Regis est*: id est, magnum fecerit, qui ad eum accesserit. Turnebus ita: Qui ad quartum gradum pervenerit, is Rex fuerit, & planè numeris omnibus rem absolverit. Tale est illud Horat. *at pueri ludentes, Rex eris, ajunt, Si rectè facies.* Ausonius;

Qui faciat rectè, non qui dominatur, erit Rex.

Sic, *Victor*, qui aliquid absolvit & perficit. Virgil.

——Victorque virûm volitare per ora.

Iterum,

Illi victor ego, & Phrygio conspectus in ostro. itaque *victoriam* Cicero in Bruto, pro absolutione posuit, quæ nos voti compotes reddit. Ejus verba sunt: *Eloquentem neminem video factum esse victoriâ.* Hæc illi. Huic sunt adfinia, *Deus sum. In cœlo sum.* Cicero: *In hoc tu mihi Deus videris*, i. singularis ac summus. Idem: *Bibulus in cælo est.* & Horatius: *Diis miscent superis.* contrà Cic. *Pompejus ex astris decidit* &c.

60. UT DEVORTATVR] ita MSS. & vett. edd. & Lamb. vulgò, *divertatur.*

63. NOS TIBI PALVMB.]V.N. Bacchid. 1: 1.

64. SI CAPTVM]MSS.ambo.*si captum.*

68. VIDERE] Submissâ voce loquitur. Jam, utrùm testes, qui ponè parietem vel aulæum latent constituti, sint legitimi, disputat Langlæus IC.l.4.c.2. Otii Semestr.

B 70. IT AD ME LVCRVM]Varro: *Quod usq; idem it, quoad in aliquo consistit pretium.* ad quod Scaliger: *idem usque it*, dictum vel de Præcone, qui semper vagatur, donec invenerit, in quo consistat pretium: vel de mercede, quæ semper ἐπαλλάζει, & incerta est, donec in eo mancupe consistit, qui auctionem vicerit. Quo in significatu Plautus dicit, *It ad me lucrum:* nimirum ut in eo consistat & quiescat.

71. QVORSVM ASINVS C. CALCIBVS.]Fortasse Lycus gestiens, ob spem lucri, calcibus solum cædebat, aut saltabat. ut quidem Lambini commentum est, sed certè absurdum. Quin potiùs eam sententiam exprimere Collybiscus voluit, quam nos vernaculo idiomate, de eo, cujus spem vanam esse ostendimus, ita solemus: Ja du wirst kriegen: Hindersich mein ich/wie die Bauren die Spieß tragen. Oder/ wie die Hüner scharren. Asinus ferociens retrò jactat calces. Significat igitur, lucrum non proversum ad Lycum iturum, sed veriùs retrorsum ab eodem abscessurum &c. Idem postea à Pistore & Acidal. observatum deprehendi.

77. A

79. A MUSCIS] sc. liberum. Parasitos & ejusmodi nugas hominum, qui alienis conviviis non vocati superveniebant, facetè *muscas* vocârunt. Ita interpretandi hi versus, qui plerisque ænigma videntur. Quærebat adolescens *hospitium à muscis*, id est, liberum ab arbitris & adventoribus. id enim suprà *Advocati* dixerant. Addit deinde ludens de carcere. nam certè in carcerem periculum non erat, ne qui invocatus veniret. Invenio ita locutos & Græcos, &c. *Lips.* V.N. Merc. act. 2. 3.

81. ANTIOCHO &c.] ita MSS. Cam. Antiochum morbo oculorum laborasse, nusquam legi; sed in pugnâ illâ ad Thermopylas commissâ, lapide in os percussum fuisse tam graviter, ut dentibus collabefactis & excussis cedere coactus sit, docet Plutarchus in Catone M. *Lamb.* At verò Meursius, In Ven. inquit, & Basil. erat, *Antiocho curari hospites solent.* In Tarvis. & Paris. (& Argent. & Veneta Pap.) *Q. regi Antiocho curari solet.* Utraq; lectio defendi potest. Ego *oculos* interpretor eos, qui in aulâ Antiochi erant præcipui. Suidas: ὀφθαλμὸς βασιλέως, ἀντὶ τοῦ μέγα δυνάμενος παρὰ βασιλεῖ. οὕτω δὲ ἐκάλουν τοὺς σατράπας, δι' ὧν πάντα ὁ βασιλεὺς ἐπισκοπεῖ. Hesychius: βασιλέως ὀφθαλμός. ἐπέμπετό τις ὑπὸ βασιλέως ἐπίσκοπος, ὃς ἐφεώρα τὰ πράγματα, ὃν τοῦ βασιλέως ὀφθαλμὸν ἐκάλουν. Hæc ille. Addatur J. Pollux l. 2. cap. 37. Ἐκαλοῦντο δέ τινες ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέως &c. Apuleius De mundo: *Inter eos* (Persarum regg. ministros) *Aures regiæ, & Imperatoris Oculi quidam homines vocabantur.* Videatur & Barn. Brissonius, in libris, De regno Persarum.

85. IS LENO VIAM] Germ. Du bist auff'm rechtem Weg.

86. COO] Acid. versum in pedes restituit: *Coo, Thasio, Lesbio.* quomodo olim & Camerario in mentem veniebat.

97. VINO EDENT.] Lepidè dictum, *Vinum sine dentibus*; quasi nimia vetustate. iisdem verbis Alexis Comicus:

Ἔσται γ' ὅσον ἂν βουλώμεθ', ἔσται καὶ μάλα
Ἡδύς γ' ὀδόντας οὐκ ἔχων ἤδη σαπρός:

Lipsius Antiquar. lib. 1. 19. & Heraldus.

88. UNGUENTUM ECH.] ἐκχεύμασιν, i. unguentorum effusionibus. MSS. Cam. *egeumatu.* Alibi legi notant, *ogematis.* hinc Haiminsfeldus l. *ochematis*, q. d. vehicula unguentorum: quomodo in Persâ, *Librorum plenum sarracum*, &c.

89. QUID M. VERBA? FACIAM V. T. LAVERIS, IBI] Ita unguentis balneum, in quo lavabis, effluere faciam, ut non balneum, verùm unguentarii officina potiùs videri possit. Ita interpungit hæc & explicat Douza cum Gulielmio. Et ἀποκοπὴ sermonis usitata est, *Quid multa verba?* Porrò, *facere unguentariam*, eâ ipsâ lege dictum, quâ & *argentariam, topariam, vellaturam, medicinam facere, & pullariam* denique *& scrutariam* dictitabant. D.

91. HÆC LATROCIN.] ita MSS. *Latrocinari*, pro militare, seu jure adeò bellico ac disciplinâ uti militari. V.N. Mil. 1. 1. Et lepidè in rem suam hæc profert Leno. Huic enim generi semper oculatæ sunt manûs, credunt quod vident. quemadmodum & militibus nostris, qui nisi repræsentato priùs auctoramento, hoc etiamnum seculo, sese haud temerè ad bellum pertrahi patiuntur &c. Vide Cent. D. lib. 4. 4.

94. QUIN SEQ.] Acidal. exturbat hunc versum, (qui & seq. Sc. dicimus est.) caussâ (ut ait) ex ipsius rei ordine petitâ. necdum enim villicus in ædes Len. inducitur: sed aurum prius numeratur in publico: tum demum Leno eum sequi jubet, &c. At ego contrà censeo retinendum, quem omnes MSS. & edd. agnoscunt. ut sententiam Lyci villicique subitò reprehenderint Advocati, actione pol eleganti.

64. SEQ. ME] ita MSS. & vett. edd.

94. DUC ERGO ME] J. Gul. l. *Duc me ergo intrò. add.* &c. Arguté alludit ad judiciorum consuetudinem, in quibus damnatus, si solvendo non sit, addicitur adversario, & ab illo domum abducitur Asin. 5. 2. *Judicatum me uxor abducit domum.* Nam *abducendi* verbum in eâ re proprium. V.N. Merc. 3. 4.

97. OCIUS] MSS. *otius.*

98. DARE] ita MSS. Cam.

ACTUS III. SCENA IV.

AGORASTOCLES adolescens: & EIDEM.

QUID est? quid vultis, testes? AD. Specta ad dexteram.
Tuus servus aurum ipsi lenoni datat.
CO. Age, accipe hoc sis: hic sunt numerati aurei
Trecenti nummi, qui vocantur Philippei.
Hinc me procura: properè hosce absumi volo.
LY. Edepol fecisti prodigum promum tibi.
Age eamus intro. CO. te sequor. LY. age, age! ambula.
Ibique relliqua alia fabulabimur.
CO. Eadem narrabo tibi res Spartiaticas.
LY. Quin sequere me ergò. CO. abduc intrò. addictum tenes.
AG. Quid nunc mihi auctores estis? AD. ut frugi sies.
AG. Quid si animus esse non sinit? AD. esto, ut sinit.
AG. Vidistis, leno cùm aurum accepit? AD. vidimus.
AG. Eum vos esse meum servum scitis? AD. scivimus.
AG. Rem adversus populi sæpe leges? AD. scivimus.
AG. Hem! istæc volo ergo vos commeminisse omnia,
Mox cùm ad Prætorem usus veniet. AD. meminerimus.
AG. Quid si recenti re ædis pultem? AD. censeo.
AG. Si pultem, non recludet. AD. panem frangito.
AG. Si exierit leno, censetis hominem interrogem,
Meus servus si ad eum venerit, nec ne? AD. quippini?
AG. Cum auri ducentis nummis Philippis. AD. quippini?
AG. Ibi extemplò leno errabit. AD. qua de re? AG. rogas?
Quia centum nummis minus dicetur. AD. bene putas.
AG. Alium censebit quæritari. AD. scilicet.
AG. Extemplò denegabit. AD. juratus quidem.
AG. Homo furti sese adstringit. AD. haud dubium id quidem est.
AG. Quantumquantum ad eum erit delatum. AD. quippini?
AG. Diespiter vos perduit. AD. te quippini?
AG. Ibo & pultabo januam hanc. AG. ita quippini?
AG. Tacendi tempus est: nam crepuerunt fores.
Forâs egredier video lenonem Lycum,
Adeste, quæso. AD. quippini? quin si voles,
Operire capita, ne nos leno noverit,
Qui illi malæ rei tantæ fuimus illices.

QVID

QUID EST?] Melius fortasse hæc Scena cum præcedente una fuerit.

2. TUUS SERVUS] ita Grut. è MSS. *Tuus servus aurum ipsi lenoni datat.* Sanè τὸ cum nec in MSS. nec Edd. vett. nisi in Brix. apparet. & *dabat* omnes illi; non, *dabit*.

6. PRODIGUM PROM.] Non potuisti eligere promum largiorem, quàm ego sum.

8. IBIQ. RELIQUA ALIA F.] Ita MSS. Cam. & edd. At J. Gul. suspicabatur: *Ibi, quæ relliqua &c.*

9. EADEM] ita Grut. è MSS. pro eâdem operâ, eodem labore.

15. SÆPE LEGES?] Pist. *sæpe-leges* dictum censet, ut *heri semper-lenitas.* i. leges sæpe repetitas: crebris sanctionibus iteratas. Notat Gruterus, τὸ *sæpe* in MSS. etiam pr. apparere, sed aliud quid ejus loco fuisse, quod planè erasum. Cæterùm Acid. ope v. ed. & ingenij leg. *Rem adv. populi leges? AD. sæpe scivimus*, ut duplex sensus, & honesta ambiguitas à Plauto sit quæsita. Vide ipsum. Editiones primæ, *esse leges*.

19. PANEM FRANGITO.] Jocus ex ambiguâ voce *Pultem*: quæ & verbum est, à *pulto, tas*; & nomen accusandi casus, à recto, *puls, tis*. Cujus hæc sententia: Si non aperiat, inquit, aut si vereris, ne nō aperiat fores, cùm pultem fregeris; panem frangito. *vel sic*: Si non aperiet pultem, panem frangito. ut intelligamus histrionem verba illa, *si pultem non recludet*, uno spiritu pronunciasse sine di- A stinctione post vocem *pultem*: ut joco occasionem daret. quasi hoc sentiret: Quid si pultis copiam non faciet? Cui nunc respondent Advocati, *Panem frangito.* Hæc Lambinus, quem tamen Meursius censet nimis hic λεπτολογεῖν. Tarvis. & Paris. edit. leg. *pedem frangito.* Bas. & Ven. *pede frangito*: quod ipsi probum est: & pro auro ostentat Parei prima. Quin nec aliter editt. vett. nisi quòd Brix. *pede ædis frangito.* sed MSS. Pall. expressè, *panem frangito*.

20. SI EXIERIT LENO] Fr. Hotom. lib. 3. Instit. Videtur, inquit, moris fuisse, ut quemquis furem esse sciret, eum testibus præsentibus interrogaret, Nunquid illa res apud illum esset; aut, Nunquid eam contrectasset? Si negaret, res testibus iisdem præsentibus B comperiebatur: ut hoc loco: item Scena seq. *AG. Hoc age sis l.* &c. item aliquanto post: *AG. Negasne apud te esse aurum*, &c.

26. JURATUS Q.] *Juratus* dicitur, qui juravit: Turn. L. 19. 22. Autor ad Herenn. *Ait se non potuisse adesse, ita ut juratus fuerat.* Sic *Injuratus*, qui non juravit. V. N. Amph. 1. 1.

32. FORAS EGREDIER] ita MS. pr. & Lamb.

33. QUIPPINI? QUIN'S.] ita è vet. ed. Acidalius. Omissum autem est alterum verb. *Volumus*; quod ex se subintelligitur. Palatini edd. q; primæ, *quin* non habent.

34. L. NOVERIT.] ita MSS. pr. alii, *viderit*.

35. ILLICES.] V. N. Asin. 1. 3.

ACTUS III. SCENA V.

LYCUS leno, AGORASTOCLES. ADVOCATI.

SUSPENDANT omnes nunc jam se haruspices.
Quid ego illis posthac quod loquantur creduam?
Qui in re divinâ dudum dicebant, mihi
Malum damnúmque maximum portendier,
Is explicavi meam rem post illâ lucro.
AG. Salvus sis leno. LY. di te ament, Agorastocles.
AG. Magis me benignè nunc salutas, quàm antidhac.
LY. Tranquillitas evenit, quasi navi in mari:
„ *UTCUNQUE EST VENTUS, exin velum vortitur,*

AG. Valeant apud te quas volo, atque haud te volo.
LY. Valent ut postulatum est, verùm non tibi.
AG. Mitte ad me, sodes, hodie Adelphasium tuam,
Die festo celebri nobilique Aphrodisiis.
LY. Calidum prandisti prandium hodie? dic mihi.
AG. Quid jam? LY. quia os nunc frigefactas, cùm rogas.
AG. Hoc agesis leno! servum esse audivi meum
Apud te. LY. apud me? nunquam factum reperies.
AG. Mentire. nam ad te venit, aurumque attulit.
Ita mihi renunciatum est, quibus credo satis.
LY. Malus es; captatum me advenis cum testibus.
Tuorum apud me nemo est, nec quicquam tui.
AG. Mementote illuc, Advocati! AD. meminimus.
LY. Ha ha he! jam teneo quid sit; perspexi modò.
Hi, qui illum dudum conciliaverunt mihi
Peregrinum Spartanum, id nunc his cerebrum uritur,
Me esse hos trecentos Philippos facturum lucri.
Nunc hunc inimicum quia esse sciverunt mihi,
Eum allegaverunt, suum qui servum diceret
Cum auro esse apud me. composita est fallacia,
Ut eo me privent, atque inter se dividant.
Lupo agnum eripere postulant, nugas agunt.
AG. Negásne apud te esse aurum, nec servum meum?
LY. Nego: & negando, si quid refert, ravio.
AD. Perîsti leno. nam iste est hujus villicus,
Quem tibi nos esse Spartiatem diximus,
Qui ad te trecentos modò Philippos detulit.
Idque adeò in istoc aurum inest marsupio.
LY. Væ vostræ ætati! AD. id in mundo quidem tua est.
AG. Age omitte actutum, furcifer, marsupium:
Manifestò fur es mihi! quæso, hercle operam date,
Dum me videatis servum ab hoc abducere.
LY. Nunc pol ego perij certò, haud arbitrario.
Consultò hoc factum est, mihi ut insidiæ fierent.
Sed quid ego dubito fugere hinc in malam crucem,
Priusquam hinc obtorto collo ad prætorem trahor?
Eheu! quam ego habui ariolos aruspices,
Qui si quid boni promittunt, pro spisso evenit:
Id quod mali promittunt, præsentarium est.
Nunc ibo, amicos consulam, quo me modo
Suspendere æquum censeant potissimùm.

HARUSPICES] Ingens oportet fuerit haruspicum numerus, si ita passim patebant privatis. quod ipsum innuit quoque locus infra, 5.4. vers. 36. & 37. quinimò locum eis assignat Plautus, ubi ex tempore reperirentur, Curcul. 4.1. v.23.

V. 5. IS EXPLICAVI] i. extendi & quasi dilatavi, atque auxi. Sic Prol. Amph. dixit, *expedire rationes. D.*

9. UTCUNQ. EST V.] A quacunque parte ventus flat, ad eam velum vertitur. Ita qualis est Fortuna, talis est hominum animus, vultus, oratio. Vide N. Epid. 1:1.

11. NON TIBI] Chlamydato enim has puellas jam pretio destinarat. L.

12. SODES] Pall. si *andes*. Edd. vett. si *audies*. & cur non revocatur media?

15. FRIGEFACTAS] J. Guliel. & J. Douza probant, *frigidefactas*. quâ voce, eodem planè sensu, usus in Rud. act. 5:2. *os calet tibi. num git frigidefactas?* V. N. ib. Gruterus è MSS. Cam. in quibus *hos*, emendavit *os*. Et rectè, *os*; non, *hoc*. Nam os rectius frigefactari dicitur, quàm prandium, aliquanto antè scil. absumptum, ex quo caleant fauces. ut monuit etiam Acid.

19. QUIBUS CREDO S.] ita MSS. Cam. at II. Pontan. L. *ibus cr.*

22. MEMENTOTE ILLUC ADVOCATI] Sunt, qui credant *Advocatos* hîc pro testibus rogatis accipi. Verùm de totâ hâc Agorastoclis & Advocat. actione, ubertim *J. Langlaeus*, lib. 4. cap. 2. Otii Semestr. Vide & N. Cas. act. 2:8.

24. HI QUI ILL. &c.] Ii, quorum operâ hic Spartanus ad me venit, molestè jam ferunt, me hos CCC. Philippos lucrifacturum esse. Illud autem, *hi*, non habet, quò referatur, more Comico. V. N. suprà 3:3. Ita quidem L. & Turn. lib. 19: 12. hunc locum è v. cod. restituêre. At MS. Cam. pr. post, *id nunc*, vacat. sec. habet, *bisee crebrò auritur.* hinc fecerit Grut. *cribro hauritur:* nisi lex versus obstaret.

31. LUPO AGN.] Alludit ad nomen suum Leno, λύκος. Vide Adag. *Ex ore lupi.* Lucillius:

Esuriente leoni ex ore exsculpere prædam, &c. Est & aliud Proverb. λύκος μάτην χανών, de iis qui irriti abeunt voti sui. Apulejus in Apologiâ: *Verùm, ut dij voluère, quasi cæca bestia in cassum hiavit.*

A 33. RAVIO] ita fortè MS. pr. sed notis confusis. at sec. refert *abio*. Est autem *ravio*, contentâ voce ad ravim usque clamans pernego: Turn. lib. 19: 12. *Ravere* vel *ravi*, est raucescere; ad ravim clamare: *Palm.* At Meurs. è vestigiis v. edd. eruit, *annuo*.

37. IDQ. ADEO IN IST.] ita è Colon. & aliis edit. numeros restituit Acid.

38. ID IN M. Q. EST TUÆ.] Paris. & Ven. & Arg. & Cam. *id quidem nunc est tua*. sed Brix. *id quidem in mundo nunc est tua*. id est, ad manum, & in promptu. Quòd si numerorum ratio habenda est, fiat, *id nunc quidem in mundo est tua.* ut censent Douza F. Meursius & magnus auctor Gruterus. In MSS. est, *id quidem mundo est tua*.

39. AGE, OMITTE] Hunc *furem* dici *manifestum* non posse, post rem in destinatum locum perlatam, quamvis cum ipsa re deprehendatur: immò ne furem quidem esse, cùm dolo malo rem alienam non contractârit, docet Fr. Hotomanus Coment. in 3. Instit.

42. HAUD ARBITRARIO] Non est, quod quisquam dicat se arbitrari me periisse, sed

B potest hoc liquidò dicere: L. Sticho, 3:2. *Peri planè, non obnoxiè.* V. N. Amph. 1: 1.

45. OBTORTO COLLO] *Rapere obtorto collo*, est veste ad collum prehensa gulam & fauces premere & angere, iisque adstrictis urgere & trahere. Rud. act. 3:6. Turn. lib. 26:2. Vide Adag. *Mento trahere, Gulâ trahere, Pedibus trahere*, apud Cic. ad Attic. 4. &c.

46. ARIOL. ARUSP.] MSS. utrique voci aspirant.

47. QUI SI Q. BONI] ita Colon. & omnes meæ ed. quod prefert Acid. nec numeri spernunt; sed Plautini: quibus qui volebant consulere, substituerunt, *benè*. hoc tamen in utroq; MSS. est. Porrò Pall. omnino destituuntur integro versu, *pro spisso evenit, Id quod mali promittunt;* quod accidit ob illud *promittunt* repetitum versu priore. dubitare autem de germanitate horum verborum; hominis est auris aut nimium erecti, aut nimium jacentis. extantq; alioqui in edd. primis.

47. PRO SPISSO] i. perquàm tardè & serò. Turn. lib. 39: 2.

50. SUSPENDE.] Non quærit remedium mali, sed suspendii genus; quasi re omni jam desperata.

ACTUS III. SCENA VI.

AGORASTOCLES adolescens.
COLLYBISCVS villicus.
ADVOCATI.

AGE tu progredere, ut testes videant te ire istinc foras.
Estné hic servus meus? CO. sum mehercle verò, Agorastocles.
AG. Quid nunc, scelestе leno? AD. quîcum litigas,
Abscessit. AG. utinam hinc abierit malam crucem.
AD. Ita nos velle æquum est. AG. cras subscribam homini dicam.
CO. Nunquid me? AG. abscedas, sumas ornatum tuum.
CO. Non sum nequiquam miles factus: paululum
Prædæ intus feci. dum lenonis familia
Dormitat; extis sum satur factus probè.
Abscedam hinc intrò. AG. factum à vobis comiter.
Bonam dedistis, Advocati, operam mihi.
Cras manè, quæso, in comitio estote obviam.
Tu sequere me intrò. vos valete! AD. & tu vale.
Injuriam illic insignitè postulat:
Nostro servire nos sibi censet cibo.
„ Verùm ITA SVNT ISTI NOSTRI divites:
„ Si quid benefacias, levior plumâ est gratia:
„ Si quid peccatum'st, plumbeas iras gerunt.
Domos abeamus nostras, sultis, nunc jam:
Quando id, quoi rei operam dedimus, impetravimus,
Ut perderemus corruptorem civium.

TE IRE ISTINC F.] Ita omn. edd. vett. Camerarius edidit~: A
Age tu progredere, ut testes videant te, istinc foras.
Est ita est in MS. sec. at in pr. *tere istinc.* ut fortè sit *tete:* quomodo Grut~. suspicatur. malit tamen *ire.*

V.2. CO. SVM MEHERCLE] ita MSS. & omn. ed.

5. SVBSCRIBAM H. DICAM] *δίκη*, *dica~*; B caussa~; actio juris. In Glossario vett. Terent. *Dica* exponitur *scedula~*. Terent. Ph. 1:1. *tibi scribam dicam.* ibid. 2: 2. *Cedò dum, en unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam?* Aul. act. 4: 10.

6. ORNAT. TVVM] Villici; deposito hoc militari,

12. ESTOTE OBV.] estote mihi præsto: *ἐμοὶ ἀπαντᾶτε*. Notat Don~. in Phor. Ter. 2: 3. item act. 2. Sc. 1. *Adesse caussæ*, propriè dicuntur patroni & amici. Veteres enim *amicos* pro testibus & advocatis posuerunt~. Vide suprà act. 1: 1. & Epid. 3: 3. de *Comitio*, Men~. act. 4: 2.

14. INSIGNITE &c.] Agorastocles apertè à nobis rem injustam postulat~. V. N. Cas. extr.

15. NOSTRO S. CIBO] sic Truc. sc. ult. *Noster esto: sed de tuo vivito.* P. Victorius, lib. 7: 12. Est, inquit, quod vulgo dicimus, *Nostro sumptu.* sic Truc. *Quia tuo vestimento & cibo alienis rebus curas.* Contrà Ter. Eun~. act. 2: 2. *Viden' otium & cibus quid faciat alienus!* Opponuntur *Alienus* & *Suus* &c. quanquam longè

longè alia de hoc loco Terent. Palm. argutatur in Spicileg. fol. 106. ubi *ossuum* (*ossua*, ut *artua* &c.) pertinacissimè defendit. sed veriora sunt, quæ Gabr. Faernus in Emendat. suis Terentianis de hoc loco disputavit, è Codice P. Bembi, aliis parum accuratè inspecto.

16. NOSTRI DIVITES] ita MSS. & omnes edd. præter Brix. ex quo Meurs. *ita sunt omnes isti nostri*: ut sit plenus Senarius. At quid si per lusum & jocum repetierint? *Verùm ita sunt isti, isti, isti nostri divites*, nutuq; per cuneos hos, illos aliter atque aliter demonstraverit.

18. PLVMB.] Graves & diuturnas: L. Herodianus in Pertinacis Oratione: καὶ τῶν μὲν A δεινὰ τῶν ἔργων ἀεὶ μνημονεύονται· τὸ γὰρ λυπῆσαν δυσεξάλειπτον· τὰ δὲ χρηστὰ, ἅμα τῇ ἀπολαύσει, καὶ τὴν περὶ αὐτῶν μνήμην συναναλίσκει: *Injuriarum, si qua facta sunt, semper est memoria; & quicquid offendit, ægrè eximitur: at beneficiorum, unà cum ipso fructu usque, memoria perit.* Tacitus IV. Annal. *Proclivius est injuriæ quàm beneficio vicem exsolvere. quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur.* Seneca lib. I. c. I. De benef. *Ita naturâ comparatum est, ut altius injuriæ quàm merita descendant, & illa citò defluant, has tenax memoria custodiat.*

20. QVANDO ID, QVOI REI OP.] Ita Lipsius: itaque est in MS. Cam. pr. at in sec. *quoire*.

ACTUS IV. SCENA I.

MILPHIO servus.

EXSPECTO quo pacto meæ technæ processuræ sient.
Studeo hunc lenonem perdere, velut meum herum miserum macerat.
Is me autem porrò verberat, incursat pugnis, calcibus.
SERVIRE AMANTI, miseria est; præsertim qui, quod amat, caret.
Attat! è fano recipere video se Syncerastum
Lenonis servum: quid habeat sermonis, auscultabo.

QUATTVOR primi versus tetram. jamb. acatalectici: duo ultimi catalectici. Milphio ignarus eorum, quæ evenerunt, eventum suæ fabricæ exspectat. L. B

5. ATTAT!] ita MSS. geminato *tt*. sic tamen ut pr. *Attate fano*. sec. *Attat efano*.

5. SYNCERASTVM LEN.] ita MSS. expuncto v. *Veneris*, quod in vulg. est.

ACTUS IV. SCENA II.

SYNCERATUS.
MILPHIO, servi duo.

SAtis spectatum est, deos atque homines ejus negligere gratiam,
Cui homini herus est consimilis, velut ego habeo nunc hujusmodi.
Neque perjurior, neque pejor alter usquam est gentium,
Quàm herus meus est: neque tam luteus, neque tam cœno collitus.
Ita me di ament! vel in lautumiis, vel in pistrino mavelim
Agere ætatem, præpeditus latera forti ferro mea,
Quàm apud lenonem hunc servitutem colere. quid illuc est genus!
Quæ illic hominum corruptelæ fiunt! di vostram fidem,

Quodvis

Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acheruntem veneris.
Equitem, peditem, libertinum, furem ac fugitivum velis,
Verberatum, vinctum, addictum: qui habet quod det, utut homo est,
Omnia genera recipiuntur: itaque in totis ædibus
Tenebræ, latebræ: bibitur, estur, quasi in popinâ, haud secus.
Ibi tu videas literatas fictiles epistolas,
Pice signatas: nomina insunt cubitum longis literis.
Ita vinariorum habemus nostræ delectum domi.
MI. Omnia edepol mira sunt, nisi herus hunc hæredem facit,
Nam is quidem illi ut meditatur, verba facit emortuo.
Et adire lubet hominem, & autem nimis eum ausculto libens.
SY. Hæc cùm hic video fieri, crucior pretijs emptos maximis,
Apud nos expeculiatos servos fieri suis heris.
„ *Sed ad postremum nihil apparet. MALE PARTVM, MALE DISPERIT.*
MI. Proinde habet hic orationem, quasi ipse sit frugi bonæ,
Qui ipsus hercle ignaviorem potis est facere Ignaviam.
SY. Nunc domum hæc ab æde Veneris refero vasa, ubi hostijs
Herus nequivit propitiare Venerem suo festo die.
MI. Lepidam Venerem! SY. nam meretrices nostræ primis hostijs
Venerem placavêre extemplò. MI. ô lepidam Venerem denuò!
SY. Nunc domum ibo. MI. heus! Synceraste. SY. Syncerastum qui vocat?
MI. Tuus amicus. SY. haud amicè facis, qui cum onere offeras moram.
MI. At ob hanc rem tibi reddam operam, ubi voles, ubi jusseris:
Habe rem pactam. SY. si futurum est, do tibi operam hanc. MI. quomodo?
SY. Vt enim ubi mihi vapulandum est, tute corium sufferas.
MI. Apage! SY. nescio quid viri sis. MI. malus sum. SY. tibi sis. MI. te volo.
SY. At onus urget. MI. at tu appone; & respice ad me. SY. fecero:
Quanquam haut otium est. MI. salvos sis, Synceraste. SY. ò Milphio,
Di omnes deæq; ament. MI. quemnam hominem? SY. nec te, nec me, Milphio:
Neque herum meum adeò. MI. quem ament igitur? SY. alium quemlibet.
Nam nostrorum nemo dignus est. MI. lepidè loquere. SY. me decet.
MI. Quid agis? SY. facio quod manifestò mœchi haud fermè solent.
MI. Quid id est? SY. refero vasa salva. MI. dî te & tuum herum perduint!
SY. Me non perdent, illum ut perdant. facere possim, si velim,
Meum herum ut perdant; ni mihi metuam, Milphio. MI. quid id est? cedò.
SY. Malus es. MI. malus sum. SY. malè mihi est. MI. memorádũ! esse aliter de-
Quid est, quod malè sit? cui domi est quod edis, quod ames affatim, (cet.
Neque triobulum ullum amicæ das; & ductas gratijs.
SY. Diespiter me sic amabit. MI. ut quidem edepol dignus es.
SY. Vt ego hanc familiam interire cupio! MI. adde operam, si cupis.
„ *SY. SINE PENNIS volare haud facile 'st. meæ alæ pennas non habent.*

MI. Ne-

MI.Nolito edepol devellisse, jam his duobus mensibus
Volucres tibi erunt tuæ hirquinæ.ST.i in malam rem. MI.i tu atque herus.
ST. Verùm enim qui homo eum norit, citò homo pervorti potest.
MI. Quid jam? ST. quasi tu tacere quicquam potis sis. MI.rectius
Tacitus tibi resistam,quàm quod dictum est malæ mulieri.
ST.Animum inducam facilè, ut tibi istuc credam,ni te noverim.
MI.Crede audacter meo periculo. ST. malè credam, & credam tamen.
MI.Scin tu herum tuum meo hero esse inimicum capitalem? ST. scio.
MI.Propter amorem. ST. omnem operam perdis. MI. quid jam? ST.quia do-
MI.Quid ergo dubitas,quin lubenter tuo hero meus quod possiet(ctum doces.
Facere, faciat malè, ejus merito. tum autem si quid tu adjuvas,
Eò facilius poterit facere. ST. at ego hoc metuo, Milphio.
MI.Quid est, quod metuas? ST.dum hero insidias parem, ne à te perdeam:
Si herus meus me esse locutum cuiquam mortali sciat,
Continuò is me ex Syncerasto crurifragium fecerit.
MI.Nunquam edepol mortalis quisquam fiet è me certior,
Nisi hero meo uni indicasso, atque ei quoque, ut ne enunciet
Id esse facinus ex te ortum. ST.malè credam, & credam tamen.
Sed hoc tu tecum tacitum habeto. MI. Fidei non melius creditur.
Loquere, locus occasióque est, liberè: hîc soli sumus.
ST.Herus si tuus volet facere frugem,meum herum perdet. MI.quî id potest?
ST.Facilè. MI. fac ergo id facile noscam, ut ille possit noscere.
ST.Quia Adelphasium,quam herus deamat tuus,ingenua est.MI.quo modo?
ST.Eodem,quo soror illius altera Anterastilis. MI.sed quî id credam? ST.quia
Illas emit in Anactorio parvulas, duodeviginti minis
De prædone Siculo. MI.quanti? ST.duodeviginti minis.
MI.Duas illas? ST.nutricem earum tertiam.
Et ille qui eas vendebat, dixit se furvitas vendere:
Ingenuas Carthagine ajebat esse. MI.di vostram fidem!
Nimium lepidum memoras facinus: nam herus meus Agorastocles,
Ibidem gnatus inde surreptus ferè sexennis: post ibi,
Qui eum surripuit, huc devexit, meóque hero eum hîc vendidit.
Is in divitias homo adoptavit hunc,cùm diem obijt suum.
ST.Omnia memoras. quò id facilius fiat,manu eas asserat
Suas populares, liberali caussâ. MI. tacitus tace modò.
ST. Profectò AD INCITAS LENONEM REDIGET, si eas abduxerit,
MI. Quin prius disperibit faxo, quàm unam calcem civerit.
Ita paratum est. ST.ita dî faxint, ne apud lenonem hunc serviam.
MI.Quin hercle collibertus meus faxo eris, si di volent.
ST.Ita dî faxint. nunquid aliud me morare,Milphio?
MI.Valeas,benéque ut tibi sit. ST. pol istuc tibi,& hero tuo,est in manu,

Vale! & hæc cura, clanculum ut sint dicta. MI. non dictum est. vale.
ST. At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur! MI. lepidus, cùm mones:
Et hoc ita fiet. ST. proba materies data est, si probum adhibes fabrum.
MI. Potin' ut taceas? ST. taceo atque abeo. MI. mihi commoditatem creas.
Illic hinc abijt. di immortales meum herum servatum volunt,
Et hunc disperditum lenonem: tantum eum instat exitij.
Satine, priusquam unum est injectum telum, tum instat alterum!
Ibo intrò, hæc ut meo hero memorem. nam huc si ante ædes sevocem,
Quæque audivistis modò, nunc si eadem hic iterem, inscitia'st.
Hero uni potius intus ero odio, quàm hic sim vobis omnibus.
Dî immortales, quid malorum, *quanta advenit calamitas*
Hodie ad hunc lenonem! sed ego nunc est cùm me moror.
Id negotium institutum est, non datur cessatio.
Nam & hoc nocte consulendum quod modò concreditum'st,
Et illud autem inserviendum'st consilium vernaculum.
Remora si fit, qui malam rem mihi det, meritò fecerit.
Nunc intrò ibo: dum herus adveniat à foro, opperiar domi.

VERSVS hujus Sc. sunt tetram. catal. trochaici.

V. 2. CVI HOMINI HERVS] Oratio non satis accurata; utpote quæ pueri est parùm attendentis, quî loquatur. Hoc tamen voluit; Notum esse, deos ei infestos esse, qui herum habeat hero suo consimilem. L.

4. LVTEVS] Eadem vox occurrit Trucul. 4. 4. v. 1. Sic & apud Tullium 4. Verr. *luteum negotium.* apud Prudentium περὶ στεφ: *luteum pectus*, apud Arnobium lib. 5. *lutea persona*, id est; vilissima & nullius precii. Elmenh.

5. LAVTVMIIS] Rectè *lautumias*; quasi λατομίας. ita hîc Lamb. etsi olim in Cic. aliter. ita Cujacius lib. 6. cap. 7. Observ. ita hujus discipulus Jos. Scaliger in Festum: ita semper Pandect. Flor. ita Turnebus lib. 22:17. ita MSS. Camer. ita Asconius, qui ait; *Lautumiæ* sunt loca lapidibus cæsis exsecta, in quæ noxii damnari solebant. Cujusmodi erant lapidicinæ Syracusis in Siciliâ. Videatur J. Gruterus ad Sen. lib. 9. Controvers. 4. itemque Notæ Capt. act. 3. 5.

6. F. FERRO MEA.] ita Cam. & Lamb. edidere. Florentina ed. *f. ferro mea meam.* quod probat Acidal. ut hoc ad *ætatem*, illud ad *latem* referatur, & versus etiam salvus sit. At omnes meæ, præter Brix. *mea* & *meam* non agnoscunt, ut nec MSS. qui & *latere* leg. & quidem pr. *præditus latere*, non, *præpeditus.* falsum igitur quod Pareus annotat, vel *latera*, vel *latero* restare in Pal sec.

7. SERVITVTEM COLERE] Græcorum similia adducit Casaub. lib. 7. cap. 18. in Athen.

10. FVREM AC FVG.] ita Cam. & Lamb. Tamen MSS. & omnes vett. edd. habent, *adfugitivum*; & ferè unicâ dictione.

11. VTVT HOMO EST] Cujuscunque generis homo est. Ita J. Gul. Recipiuntur, inquit, ad nos utut moribus & vita sint, modò quod dent habeant, omnes.

13. LATEBRÆ] Hurenwinckel: Schlupflöcher. Sunt enim lucifugæ, qui res hasce student.

14. EPISTOLAS] Testas seu amphoras literis inscriptas *epistolas fictiles* appellat. Rud. *Urna litterata*; &, *ensiculus litteratus.* Vide interpretes ad illud Arbitri: *statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gypsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo: FALERNUM. OPIMIANUM. ANNORUM.*

NORUM. CENTUM. Idem: *Scedium affixum ampullis, cui inscripta atas vini.* Quas igitur noster hic *epistolas* vocat; ille πιττάκιον, & *scedium*: Glossæ, *Breves*, item *Epistolas breves, & modicas*: Horat. 1. Sat. 10. *Notas.* Juvenal Sat. 5.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit, multa veteris fuligine testæ.

Meursius *litteratas epistolas* hic simpliciter intelligit γραμματικὰ ποτήρια Athenæi. quæ & uno verbo ἐπιστολαὶ sint dictæ.

15. NOMINA] sc. Consulum, quibus condita erant vina.

16. VINARIORUM] ita & MSS. Asin. 2: 4. Estque à re militari quæsita tralatio in voce *Delectum.* Eò dico, ne quis fortè de vasorum vinariorum multitudine Syncerastum loqui autumet, à Lambino inductus, &c. D. At J. Gul. leg. *vivariorum*. Eleganter, inquit, *Vivaria* vocat hominũ turbam sese saginantium malo suo, bono lenonis. neque aliter Horat. Sat. 5. de captatore illiciente in nassam suam orbos senes:

Plures annabunt thunni, & vivaria crescent.

Quod minus tamen probum Grutero videtur. quãdo amphoræ vinariæ pittacia habuerint, quibus continebatur vini patria ac senectus.

18. NAM IS] ita Acidal. at MSS. & edd. *id.*

18. MEDITATUR] *Meditari* hîc est, memorare, loqui. Sic Pseud. 4: 7. *nugis meditatur malè*, i. nugatur. *Acid.* At Pareus in Electis super hoc loco ita commentatur: Heredem faciebant eum, qui laudes decantaret vivi. ridesne Lector, hanc balbutiem? nam de axiomatis veritate quid loquamur?

19. ET AUTEM NIMIS] Sic Pall. revocavitque Camer. expulit verò Pareus, immisso, *equidem nimis.* cur?

21. EXPECULIATOS F.] peculium suum amittere, & tanto fieri heris suis viliores, quàm erant: L.

22. AD POSTREMUM] MS. pr. *ad posterum.*

22. NIH. APPARET.] Tot spolia hominum congesta ad nihilum recidunt. L.

22. MALE PART.] Sallust. *Malè parta malè dilabuntur.*

27. PRIMIS H.] Hoc vult dicere:(de quo tamen Lambinus verbum nullum; haud magis utique, quàm si Agenoriæ, non Veneris sacris operatus litasset) Adelphasium & Anterastilem Aphrodisiis Venerem sibi fecisse volentem propitiam, id est, litasse, pacemque à patronâ suâ ac veniam impetrasse haud gravatim, idque *Primis*, hoc est, *Præcidaneis hostiis*, neque iis *succidaneas* subjici porrò opus fuisse. vide Festum: *Douza.* Sed vide mihi & Scal. ad illa Festi, in v. *Præcidanea*; ubi & Agellius vapulat lib. 4: 6.

33. CORIUM] tuum pro me tergum supponas. L.

35. APPONE] ita MSS. Cam. at Meurs. è conjecturâ, *apone*; sensu (ut ait) flagitante. *aponere* pro *deponere*; ut *afore*, *afugere*.

36. SYNCERASTUM] Varro lib. 5. *Syncerastum est omne edulium, antiquo vocabulo Græco.*

38. ALIUM QUEMLIBET] Ita Cameraria. priores tantùm, *aliquem*, quomodo & MSS. neque enim verum est in iis videri *alium aliquem*, ut innuit Pareus, præfertque textus ejus.

39. NOSTRORUM] pro, *nostrum*. vel dic, *Nostrorum*, i. eorum, qui sunt nostri. L.

40. HAUD FERME] Locutio frequens Sallustio. Pessimè Lamb. hîc, *ferre*. certè & MSS. *fermè*. ceterum ineptè hîc Pareus in prima ed. invexit, *manifestò deprehensi machi*, ineptius autem secunda impressione illud *deprehensi* retinet, cùm vitiet turpissimè metrum, neque conspiciatur in MSS. aut Edd. vett.

41. VASA] Facetè ludit in ambiguo. Nam & *vasa* omne instrumentum & supellectilem significant; notante Turnebo; & eam partem, quæ honestè intérque res serias nominari non potest; quamque dea Bona à sacello suo exsulare voluit. hinc *benè vasatos* Lamprid. dixit *probè mutoniatos.* In Carmine libero:

Hic legimus Circen Atlantiadenque Calypso
Grandia Dulichij vasa tulisse viri.

Plerumq; autem accidebat, ut mœchis ἐπαυτοφώρῳ deprehensis virilia amputarentur. Notavit & Lipsius Antiq. Lect. lib. 1: 8. V. N. Pseud. 4: 7. Pareus in Electis affirmat mæchis istis virilia amputata per ῥαφανισμόν. quid stultius excogitare queat ullus Morychus?

42. ME NON PERD.] Acid. distinguit: *SY. Me non perdant, illum perdant. facere possim, si velim,*

Meum h. ut perdant. quod dum sequi se profitetur Pareus, ridiculè edidit, *Me non perdant! illum non perdant! fac. &c.* idq; utraq; editione. MSS. hìc mirè turbant. verosimile est tamen velle: *Me non perdent, illum ut perdant. facere poss. si velim Meum &c.* sic enim eruamus ex apicibus literarum. nam pr: *Me non perde nullum ut perdant fac. pos. si velim Meum erum ut perdant.* neq; aliter secundus illa ultima refert. falsò enim ea verba abesse testatus est Pareus. nam priora ita concepit: *Me non per hercle nullum ut perdant.* notat autem heic *ut*, quamvis, etsi. quare ausus sum recipere in contextum hanc scripturam, planiorem utique priore: *Me non perdunt &c.*

44. MEMORADVM] i. memora: ut, *iteradum.* Cic. ad Att. *Iterádum eadem ista mihi.* Cam. & Lips. Tamen & MSS. *memorandum.*

44. ESSE AL. D.] i. debet tibi bene esse. L.

45. QVOI DOMI EST, Q.] Habitabat enim Synceraſtus apud Lenonem. Lips. lib. 2. Antiq. 17. Consonat MS. pr. *quo idomi sit.*

45. EDIS] *edim*, pro, *edam.*

46. DVCTAS GRATIIS] V. N. Epid. 3: 2. & 3: 4.

48. ADDE OP.] adjuva, συνέργει: ut pereat.

49. MEÆ ALÆ P.] Schema Proverb. Sic, *Accidere alas*, est adimere materiam facultatemque conandi quippiam. Horatius, 2. Epist. 2.

——me demisère Philippi
Decisis humilem pennis.

Cic. *Qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci.* Idem: *Incidere nervos.* Contrà, *Addere alas &c.* usus & Asin. 1: 1.

49. PENNAS] MSS. *pinnas.* sec. tamen palam habet priore loco *pennis*, etsi id Pareus diffiteatur.

50. NOLITO ED. DEVELL.] Ita Grut. ex utroque MSS. Cam. restituit: optimè. quod tamen confusè & mutilè in Edit. suâ prima exhibuit Pareus, quamvis id ipsum impudenter in Lexico suo neget. *Douza:* Nequam plagitriba, præter omnem exspectationem, ex docti dicti insolentiâ risum aucupatur, alludens ad pilos subalares, i. primam illam & musteam sub alis sive axillis erumpentem lanuginem, quem *florem* vocat Maro; quas *axillas* puer ille investis aliovorsum applicatas pennarum inopiam pati, Adagionis specie fuerat conquestus; easque ipsas brevi fore auguratur, ut volucres fiant, id est, flore illo Vergiliano, veluti plumis quibusdam, vestiantur. *Hircinas* contemptim appellat, ad *hircum subalarem* obliquè respiciens. Lambinus hìc hallucinatur: & mallem sanè, ut volaticam istam alarum metamorphosin potius ad protritum illud servilis supplicii genus accommodasset, quo servos sublimes rapiebant, manibus post terga ad trabem sursum adductis (*Asin. 2: 2*) tanquam in equuleo distentos, æquo ad pedes contupondio alligato; ita ut dispenni (*V. N. Mil. 5: 1.*) aviumque involucrium exemplo, primis quasi volatibus instrui viderentur; prorsus huic generi consimiles, è nido primitus evolare gestientium. Quæ sententia & arguta oppidò fuerit, & concinna, & fortasse etiam priore illâ nostrâ haud paullò probabilior &c. Etiam Palmerius: Ridiculè & ineptè heic omnia Lambinus. leviter emaculanda; *Nolito edepol te vellisse.* Cætera sana sunt. Negârat Synceraſtus suas alas pinnas habere: ubi *ala* volucrium sunt: Milphio accipit, tanquam *axillas* dixisset: simul impudicitiæ hominem arguit: si, inquit, hoc tantùm unum mensem delieris vellere te, (vellebantur autem & pilabantur cinædi) habebis alas hircinas volucres. *ala hircina*; quia impudicis hircus ferè sub alis habitabat. Ita audiendus locus ille Pseud. 2: 4. *CH. Hircum ab alis &c.* V. N. ibi. Ovid. 1. De Arte: *Nec lædat nares virque paterque gregis.* Seneca Epist. 115. *Alter se justo plus colit, alter se justo plus negligit: ille & crura, hic nec alas quidem vellit.* Vide & Theophrast. Charact. cap. 19. Neglectum fortasse iis, quibus longè omnis mollities. Unde de adspirante ad Centurionatum Juvenal. Sat. 14.

——naresque pilosas

Anno-

Annotet, & grandes miretur Lælius alas. A

Eâque puto de caussâ Athenienses illâ parte fætidi, ut patet ex sermone mulieris apud Aristophanem concionantis, quæ inter viros vir videri voluerat: *πρῶτον μὲν γ' ἔχω τὰς μασχάλας λόχμης δασυτέρας.* Et Romanis quidem ars vellendi alas. Seneca epist. 56. *alipilum cogita, &c.* id est, alarum pilos vellentem. Glossæ: *Alipilarius, δρωπακιστής,* qui dropace, i. unguento è pice, aut volsellis pilos alarum evellit. Etiam *resina* in hoc usu. Tertullianus De Pallio: *Unde apud hirtos & hirsutos tam rapax ab alâ resina; tam furax à mento volsella.* Capitolinus in Pertin. *Vasa calefactanda resina divellendis hominibus.* hinc *δεδρωπακισμένοι, resinati.* & Juvenal. Sat 8.

——quid resinata juventus,
Cruraque &c.

Vulsi autem lævigabantur pumicibus: qui Plinio *pumicati*, Senecæ *volsi* & *expoliti* &c. vide & Joan. à VVouweren Animadv. in Petron.

52. QUI HOMO EUM NORIT] Ita MSS. Pall. ambo, ita edd. vett. Aldina *Qui bene eum norit*; quod in utraq, Parei: qui impudenter tamen affirmat, sic legi in MSS. imò neuter sic habet; neuter. fortè reponendum, *qui modò eum norit.* certe hac eadem scena versu 104. ubi habemus, *quod modò concreditum est.* Pal. sec. præfert, *quod homo conc.* Posset etiam, *qui domo eum norit.* B

54. MI. RECTIUS TACITUS TIBI RESIST. Q. Q.] ita MSS. & Lamb. & vett. edd. omnes: nisi quòd *MI.* personam antè *Tacitus* ferè ponant. Certè simplicissimâ sententiâ. ut dicat se longius taciturum, quàm malam mulierem. Audiamus tamen, quid aliis etiam videatur. CAMERARIUS: Puto integrum esse, *Tacitius*, id est, magis tacitum. Scalig. ad illud Varr. *Mulier es, uxor*: Hoc convicio irati dimittebant à se mulieres: sicut & hodie quoque solemus facere in communi sermone. Terent. Heaut. 5.3. *Oh, pergin mulier esse?* Plaut. Cas. 2.2.

——Insipiens, semper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro. CLE. cui verbo? MU. I foras: mulier es.

Pœnulo:

Tacitius tibi resistam, quàm quod dictum est malæ mulieri.

Rixanti enim & garrienti dicunt, *Mulier es.* Itaque garrientem mulierem *malam* vocat: quia videtur fuisse Proverbium, *Mulier, cum tacet, bona est.* Id Rud. act. 4. 4.

Eò tacent; quia tacita bona est mulier semper,
quàm loquens.

Ex illo: *——γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.*

Hæc Scal. in Conjectaneis. At *J. Palmer.* Legendum, inquit; *——MI. tectius*

Tacitius tibi rem sistam, quàm q. &c.

Ita juncta in formulâ Latinæ linguæ erant. Ter. Hec. 3. 3.

Quaque Fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit;
Per eam te obtestamur ambæ, si jus, si fas est: uti
Adversa ejus per te tecta tacitaque apud omnes sient.

Ecce, *Tecta tacita*, ut *Sarta tecta.* Hæc ergo sententia est. Magis tectam tacitam rem tibi præstabo, quàm quod malæ mulieri dicitur. *Sistere alicui rem integram*, eleganter ex hoc loco, pro, non corrumpere rem. At Syncerastus futiliorem etiam eum ait esse muliere malâ. Hactenus Palmerius, cujus scripturam editioni priori immiscuit Pareus. Sed Acidal. ab ingenio & vett. lib.

MI. Quid jam? SY. quasi tacere tu quicquam potis sis. MI. tectius
Tacitius tibi rem sistam, quàm quod dictum est mulieri malæ.

Illud, *Rectius*, nihil est. *Tectum* & *tacitum*, optimè junguntur. Denique Mel. Haiminsfeldus; Probius, inquit, videtur;

Tacitus tibi resistam, quanto dictum est malæ mulieris.

i. Magis tacitus ero, quàm verbum *Tace* est, quod garrulæ fæminæ dici solet. Positivus pro Comparativo, frequenti Hellenismo & Hebraismo; & subticetur particula *magis.* Jam *quantò*, pro *quàm*, obviam est. *Dictum mulieris*, παθητικῶς, ut apud Valerian. *Colloquium meretricis*; *supplicium latronis.* Hæc Melior. Pareus in ultima sua rescribit, *rectius Tacitus tibi sistam*, vultq; ita esse in utroque Palatino. est profectò, sed iidem amplius, *re* præmittunt illi *sistam*, quod tacendum non erat fideliter tractanti libros.

58. MI. PROPTER ADI. IT. OMN. OP. P. MI. QUID JAM? SY. QUIA D. D. MI. QUID.] Ita Personas restituit Pistoris: aptissimè, ex ingenio rerum, quod ille me domi prolixè docuit.

62. PERDEAM.] i. peream, seu perdar. interponitur littera *d*, numerorum caussâ: *Cam.*

sed Acid.conjicit: *ST.dum b.insid.paro ne me-pte perduim*: quod dum suum facit Pareus, ridicule expressum est, *ne inepte perduim*. MSS. *insid.parilem ne a te perdiam*. Vett.edd. *insid. parem ne à te perdiar*.una Brix. *perdar*.

64. CRVRIFRAGIVM] Colerus l. *crurifrangum*. Glossarium: σκελοκοπία ἤγουν σκελοκοπία, *crurifragium* &c. *De crurifragio*, sive *crurifrangio*, vid. Lips. De cruce lib. 2.14. & Notas Asin.2.4.P.Colvius & Acid.ductu vet. Scripturæ l. *exsinceratum fecerit*, quo verbo utitur in Mostell.4.1. V.Not.ibid. & Epid.1.1. At Meurs.è Ven. Bas. & Paris. *med exsynceraſtum fecerit*: ut sit senarius. ludit servulus in nomine suo, dicens *Syncerastum* fore *exsyncerastum*. Ita & Beroaldus.q.d. Ego qui nunc *Syncerastus*, i. medullâ plenus & pinguis vocor, flagris heri emaciatus, rectiùs vocabor *Exsyncerastus* &c. & istud arripuit fidenter editione prima Pareus. In MS. Pall. pr. est, *exsyncerasto cruritfragium fecerit* in sec. *exsyncera* ...fecerit.

68. FIDEI NON M.] MSS. ambo, *Fide*. non malè.

69. SOLI SVMVS] Proverbium olet. Utitur eo Plato: Μόνω ἐσμὲν Vide N.Cas.act.2.2. Sic Gr. αὐτὼ ἐσμὲν: quod Tyo exponit *Soli sumus*, lib.5.cap.5. ad Titium. Vide & *P*. Victorium lib. & cap.23.

70. FAC. FRVGEM.] Non puto ita Latinè dici, sed, *Facere frugi*; ut illud, *facere nequam*, *facere lucri*, *facere satis*: Palmer. Tamen, MSS. & vett.ed. *frugem* tuentur.

71. FAC ERGO] Versus requirit *ego*.

73. EODEM] In sequentibus mirè turbant MSS.

76. DVAS ILLAS &c.] ita & MSS. editionesque vett. Cameriana, *Duas illas tanti quaso emit. ST.nutricem, &c.* quod auctoris arbitratus geminum germanum Acidalius, mutabat in *Duas illas tanti quaso? ST. imò & nutricem earum tertiam*, hoc sensu: Quod tu miraris, duas illas tam vili emptas; accessit etiam tertia: ita ut tres venierint octodecim minis: cùm solemne aliàs pretium unius, ut minimum, triginta. Sed sciendum, puellas tum etiam fuisse parvulas: ut ætas minor partem magnam pretii deduxerit, &c. Sed hoc tamen leviter se suspicari ait. at non ita leviter in editionem primam transtulit Pareus, in secunda, pisce magis mutus est, nisi

A ad convitia. cùm enim Taubmannus minus clarè animi sensum heic circumscripsisset; Orbilius noster exilit hisce verbis: Et hic vacant MSS. neque habent tres has Dictiones. Saxonicus editor iterum magnum crimen falsi heic committit, dum asserit in MSS. legi &c. Mule! disce prius quid sit crimen falsi, priusquam id impingas alteri. Taubmannus diserte testatus est versu 73. mire heic turbare MSS. tuque alioqui, merus Calumniæ verna, lubricum Calami ad pœnam istam trahes? cum tamen nullius in fraudem id scriberet. Verùm valeas noster Mome! videamus an non potius fuerit: *Duas illas? ST. duas illas, nutricemque earum tertiam.*

80. INDE SVRREPTVS] Acid. *surptus*: numerorum caussâ. MSS. *surruptus*.

84. LIBERALI C.] Adserat eas in libertatē caussâ liberali, id est, judicio seu actione de libertate. Ter. Adelph. act. 2. sec. 1. *Nam ego illā liberali assero caussā manu*. ad quem locum Donatus; Ordo est: Ego liberali caussâ manu assero. Et sunt juris verba, à quibus etiam *Assertores* dicuntur, vindices alienæ libertatis. nam & caussa ipsa *Liberalis* dicitur, quæ actionem in se continet Libertatis. Ita Glossar.

B Fest. & 12. Tabb. *Liberali manū asserere*, est liberali judicio natalibus restituere: καρπίζειν, & *Assertor*, *vindex*, καρπιστής: & Glossar. καρπισμός, *Vindicta*, *Assertio*. inde καρπιστὰς, *vindiciæ secundum libertatem*.

85. ST. PROFECTO &c. MI. QVIN PR.] ita Pers. restituit Acid.

85. AD INCITAS L. RED.] De his diximus in Trin. 2.4. v.136. Quibus hæc licet adjicias ex eodem Scalig. Apud Græcos, inquit, alia erat tabula calculorum; quippe quinque linearum. Itaque non in ultimis lineis erant *inciti calculi*, sed in mediâ. Quare cum alteruter ex lusoribus ad incitam lineam cogeretur, tunc movebat calculum ab eâdem mediâ lineâ, hoc dicto, κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς: nam linea illa vocabatur ἱερά. *Calcem* enim vocat hîc *calculum*; alluditque ad Proverbium quod usurpavit. Et ita Lucillius: *Naumachiam licet hæc, inquam, alveolumque putare, Et calces*, nam *calces* hîc *calculi* manifestò. Festus: *Calces, qui per diminutionem vocantur calculi.* Vides ergò, quomodo Pl. dixerit, *Ciere calces*,

κινεῖν

κινεῖν τὰς πεττούς. Vide Turn. quoque lib. 27. 3. & 15. ubi inter cætera hæc annotat. *Ludus latronũ* erat, ut duos concolores unum discolorẽ includerent & perimerent. Cui ludo finitimus erat *Grammismus*, quem & *Grammas* vocabãt. Cic. & Fab. *Scripta* vocant. Fuisse autem è calculis accepimus ordinarios & vagos: illi ordine movebantur, hi velut vagabantur & errabant. Erant & *inciti*, qui moveri nullo modo poterant. unde, *Ad incitas rem rediisse*, in Proverb. abiisse, & à calculis id sumptum esse, quidam referunt. quorum non omnino improbanda auctoritas est. Idem: In libro veteri & velut consuali Lat. linguæ, *ad incitas*, explicatur. πρὸς ἐρημίαν: quòd tum in magnâ inopiâ rerum incitamur ad quodvis tentandum, amentesq; reddimur. Pareus spectatoribus lepidè risum excitat, dum exprimit, *ad incita' lenonem &c.* contra MSS. & edd. omnes; producitque exempla talis elisionis; cùm tamen ne sic quidem versus suos assequatur pedes. imò ea ratione vitiantur.

86. UNAM CALCEM] ita ambo MSS. Pall. & quidam etiam Lambini, & vett. edd. ferè omnes, vulgo *unum*, ut & Nonius.

88. QVIN HERCLE] MSS. & edd. vett. *Qui.*

89. MEMORARE, M.] Perpetuæ discedere cupientium formulæ sunt, *Nunquid vis? Nunquid aliud me vis?* item: *Nunquid memorare?* cui respondet illud, *Nihil te moror.* Non igitur dubium mihi, quin rescribendum hic sit voce discerptâ & ejectâ alterâ irreptitiâ:

——*nunquid aliud me morare, M.*

Non enim solent illi, *Nunquid vis*, verbum adjicere boni autores. *J. Gulielm.* Certè illud *vis* nec in MSS. nec in vett. ed. melioribus apparet. tam bene monentem sequi nequiit Pareus; ac bis contra bonos libros perrexit peccare.

92. DVM CALET.] dum recens est; & occasio præstò. Tralatio à ferro, quod, dum calet, tundendum est; ubi refrixit, frustrà cuditur &c. L.

93. PROBA MAT.] Significat, negotium præclarum à se Milphioni datum, si A modò adhibeat idoneum hominem, qui id conficiat.

97. SATINE] ita MSS.

97. TVM INSTAT] MS. *tum.* hinc suspicatur Grut. *jam.* Iidem MSS. pro *alterum* leg. *iterum.*

98. SEVOCEM] sic MSS. at J. Gul. l. *evocem* Grut. *se evocem.* V. N. Mil. 2. 2. v. 26.

99. AVDIVISTIS] MSS. *audivisti.* Illud *Quaque* est à conjectura Grut. cùm invenisset in MSS. & edd. vett. *Qua aud.* nam recent. *Et qua aud.*

101. QVID MALORVM] versui istud supplendo interiectum à recentioribus. ejus loco nihil comparet in edd. vett. at in Pall. utroque lacuna extat plurium literarum. an repetitio nocuit versui, scribendumque, *Dij immortales! quanta, quanta adv. cal?*

102. SED EGO NVNC EST CVM MEMOROR] Sic omnibus apicibus Pal. pr. neque secus sec. quàm quod is *morer.* primitus cuſi: *sed ego nunc cur me morer.* posterr. *sed ego nunc nil est cur me morer.* Schoppius conjicit, *non est cur me morer.*

B 104. NOCTE CONSVL.] ita MSS. sed J. Gul. l. *doctè consulendum.* Nihil huc *nox* facit. *Docta consilia*; *docta dicta*; *docti doli*, Comicis semper in ore. quod & Schop. probat. recepitque actutum in voraginem editionis suæ pr. Pareus. Verùm ejecit secunda. interpretaturque: Sic Græci, ἐν νυκτὶ βουλή. pueriliter! fabula uno eodemque die peragitur.

105. INSERVIENDVM SET] ita MSS. Pall. & Lamb. & edd. Arg. & Ven. Parei utraque editio *inserendum*, non sine insigni labe versus, & Præter MSS. & vett. edd.

105. VERNACVL.] i. domesticum illud & à nobis natum consilium à me servo adjuvandum. Ita Cic. *crimen domesticum ac vernaculum.* Id. *sapor vernaculus.* Id. *vernacula fest: vitas*, i. domestica. Varro: *verbum vernaculum ac domi natum.* Id. *vinum*; item *uva vernacula.*

ACTVS

ACTUS V. SCENA I.

HANNO POENUS, loquitur Punice.

YThalonim, vualonuth si corathisima comsyth,
Chym lachchunyth mumys tyalmyctibari imischi
Lipho canet hyth bymithii ad ædin bynuthii.
Byrnarob syllo homalonin uby misyrthoho
Bythlym mothym noctothii nelechanti daschmachon.
Yssidele brim tyfelyth chylys chon, tem, liphul
Uth bynim ysdibut thinno cuth nu Agorastocles
Ythe manet ihy chyrsae lycoch sith naso
Byuni id chil lubili gubylim lasibit thim
Bodyalyt herayn nyn nuys lym moncoth lusim.
Exanolim volanus succuratim misti atticum esse.
Concubitum à bello cutius beant lalacant chona enus es
Hujec silec panesse athidamascon alem induberte felono buthume
Celtum comucro lueni, at enim auoso uber bent hyach Aristoclem.
Et te se aneche nasoctelia elicos alemus duberter mi comps vespiti
Aodeanec lictor bodes jussum limnimcolus.
Deos deasque veneror, qui hanc urbem colunt,
Ut quod de meâ re huc veni, ritè venerim.
Measque hîc ut gnatas, & mei fratris filium,
Reperire me siritis: dij vostram fidem,
Quæ mihi surreptæ sunt, & fratris filium.
Sed hîc mihi antehac hospes Antidamas fuit.
Eum fecisse ajunt, sibi quod faciundum fuit.
Ejus filium hîc prædicant esse Agorastoclem:
Deum hospitalem ac tesseram mecum fero:
In hisce habitare monstratu'st regionibus.
Hos percontabor, qui huc egrediuntur foras.

VERSUS hujus Sc. ut & duarum seq. sunt senarii jamb.

A POENORUM autem idioma è Syriaco tractum, docet Casaubonus ad Sueton. Verùm enim verò hîc nobis dicendum, quod in re simili vulgò (quo sensu, non disputo) de Accursio solent: *Hæc Punica sunt, legi non possunt.* Exspectabat hæc Africa cum Taubmanno Germano è Galliâ Proconsulem Scaligerum, aut Optionem ejus Casaubonum, sed frustra! Exortus tamen cum sua Moria Pareus, & hæc peregrina Hebraicis characteribus nobis delineavit; persuasurus omnia pueris de tali ridiculo mimo: ideoque secretum istud nusquam prodidit; contentus annotasse: Ego quæ tum ipse, tum per alios ex analogia linguæ Hebraicæ de isto abdito Pænismo cognoscere potui, cum Lectoribus communicavi. An ullum esse potest stultissimæ imposturæ schema, quod huc accedat? non arbitror.

1. YTHALONIM VUALONUTH] hoc est, Ethhel-

Ethheljonim vaholjonoth, i. *superos superasq*, deos deasque. Jos. SCALIGER in epist. ad Stephan. Ubertum: *PLAUTINÆ Pœnoli dialectus parum abest à puritate Hebraismi, &c.* IBIDEM: *Lingua, quam Hebraicam vocamus, & quâ utuntur sacra Biblia, falsò eo nomine à nobis appellatur: cum sit Phœnicia, &c.* Quæ opinio & VVilh. Postelli est.

19. FRATRIS F.] Agorastoclem Jachonis fratris filium.

21. SURREPTÆ] MSS. *surruptæ*.

24. EJUS FIL.] Acid. numeros ita cogit: *Ejus fil. h. esse pr. Agor.* ut monosyllabon sit *Eius*, dissyllab. *filium*.

25. TESSERAM] Budæus in Pandectas: Apud antiquos hospitia erant privata: quæ magna erat necessitudo. Propterea *hospitium*

A persæpe pro *amicitia* ponitur. Fuit autem antiqui moris tesseram dari hospitibus dimidiatam, quam quicunque attulisset ad hospitem, continuò agnosci posset & hospitio excipi tanquam amicus & vetus hospes. Hoc autem jus necessitudinis ad posteros transibat: propterea *tesseram hospitalem* diligenter adservabant. Qui autem jus hospitii violabat, is *tesseram hospitalem confregisse* dicebatur: ut Cistell. 2. 1. *Deus* autem *Hospitalis*, *Juppiter Xenius* dicebatur: quem invocabant, quemadmodum Amici *Philium Jovem*: & sodales *Hetærium*: & gentiles, id est, cognati *Homognium* &c. Si quem igitur contracti hospitii pœnituisset, renunciare hospitium solebat: ne hospitii jus violaret. Exempla apud Ciceronem, Livium, alios obvia, &c.

ACTUS V. SCENA II.

AGORASTOCLES, MILPHIO, POENUS.

AIN tu tibi dixe Syncerastum, Milphio,
Has esse ingenuas ambas surreptitias
Carthaginiensis? MI. ajo: &, si frugi esse vis,
Eas liberali jam asseres caussâ manu.
Nam tuum flagitium'st tuas populareis te pati
Servire ante oculos, domi quæ fuerint liberæ.
POE. Pro di immortales, obsecro vestram fidem!
Crem est profectò horum hominum oratio.
Quàm orationem hanc aures dulcem devorant!
Ut mihi absterserunt omnem sorditudinem!
AG. Si ad eam rem testis habeam, faciam quod jubes.
MI. Quid tu mihi testis? quin tu insistis fortiter.
Aliqua fortuna fuerit adjutrix tibi.
,, *AG. INCIPERE MULTO EST, quàm impetrare, facilius.*
MI. Sed quænam illæc avis est, quæ huc cum tunicis advenit?
Numnam it à balineis circumductus pallio?
Facies quidem edepol Punica est.***
Servos quidem edepol veteres antiquosque habet.
AG. Qui scis? MI. viden' homines sarcinatos consequi?
Atque, ut opinor, digitos in manibus non habent.
AG. Quid jam? MI. quia incedunt cum annulatis auribus.
Adibo hosce, atque appellabo Punicè.

Si respondebunt, Punicè pergam loqui:
Si non; tum ad horum mores linguam vertero.
Quid ais tu? ecquid commeministi Punicè?
AG. Nihil edepol. nam quî scire potui, dic mihi,
Qui illinc sexennis perierim Carthagine?
POE. Pro dî immortales! plurimi ad hunc modum
Periêre pueri liberi Carthagine.
MI. Quid ais tu? AG. quid vis? MI. vin' appellem hunc Punicè?
AG. An scis? MI. nullus me est hodie Pœnus Punior.
AG. Adi atque appella, quid velit, quid venerit,
Qui sit, cujatis, unde sit: ne parseris!
MI. Avó! cujates estis? aut quo ex oppido?
POE. Hanno muthumballe bechaedreanech.
AG. Quid ait? MI. Hannonem sese ait Carthagine,
Carthaginiensem Muthumballis filium.
POE. Avó! MI. salutat. POE. donni! MI. doni vult tibi
Dare hinc nescio quid. audin polliceries?
AG. Saluta hunc rursus Punicè verbis meis.
MI. Avó donni, hic mihi tibi inquit verbis suis.
POE. Me bar bocca. MI. istuc tibi sit potius, quàm mihi!
AG. Quid ait? MI. miseram esse prædicat buccam sibi.
Fortasse medicos nos esse arbitrarier.
AG. Si ita est, nega esse: nolo ego errare hospitem.
MI. Audi tu, rufen nuco istam. AG. sic volo
Profectò vera cuncta huic expedirier.
Roga, nunquid opus sit? MI. tu qui zonam non habes,
Quid in hanc venistis urbem, aut quid quæritis?
POE. Muphursa. AG. quid ait? POE. mivulechianna. AG. quid venit?
MI. Non audis? mures Africanos prædicat
In pompam ludis dare se velle ædilibus.
POE. Laech lachananim limi nichot. AG. quid nunc ait?
MI. Ligulas canalis ait se advexisse & nuces:
Nunc orat, operam ut des sibi, ut ea veneant.
AG. Mercator credo est. POE. Isam aruinam. AG. quid est?
POE. Palum erga dectha. AG. Milphio, quid nunc ait?
MI. Palas vendundas sibi ait, & mergas datas,
Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat.
Ad messim credo missus hic quidem tuam.
MG. Quid istuc ad me? MI. certiorem te esse volui,
Ne quid clam furtivè accepisse censeas.
POE. Muphonnium sucombim. MI. hem! cave sis feceris,
Quod hic te orat. AG. quid ait, aut quid orat? expedi.

MI. Sub cratim uti jubeas sese supponi, atque eò
Lapides imponi multos, ut sese neces.
POE. Gunebel balsamenierasan. AG. narra quid est?
Quid ait? MI. non hercle nunc quidem quicquam scio.
POE. At ut scias nunc, de hinc Latinè jam loquar.
Servum hercle te esse oportet & nequam & malum,
Hominem peregrinum atque advenam qui irrideas.
MI. At hercle te hominem & sycophantam, & subdolum,
Qui huc advenisti nos captatum migdilybs,
Bisulcilingua, quasi proserpens bestia.
AG. Maledicta hinc aufer! linguam compescas face.
Maledicere huic tu temperabis, si sapis.
Meis consanguineis nolo te injustè loqui.
Carthagini ego sum natus, ut tu sis sciens.
POE. O mi popularis, salve! AG. & tu edepol, quisquis es.
Et si quid opus est, quæso, dic; atque impera,
Popularitatis causâ. POE. habeo gratiam.
Verùm ego hîc hospitium habeo: Antidamæ filium
Quæro. commonstra, si novisti Agorastoclem.
Ecquem adolescentem tu hîc novisti Agorastoclem?
AG. Siquidem Antidamarchi quæris adoptatitium,
Ego sum ipsus, quem tu quæris. POE. hem! quid ego audio?
AG. Antidamæ gnatum me esse. POE. si ita est, tesseram
Conferre si vis hospitalem, eccam, attuli.
AG. Agedum huc ostende. est par probè: nam habeo domum.
POE. O mi hospes, salve multum! nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo, hospes Antidamas fuit:
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.
AG. Ergo hîc apud me hospitium tibi præbebitur.
Nam haud repudio hospitium, neque Carthaginem:
Inde sum oriundus. POE. di dent tibi omnes quæ velis!
Quid ais? qui potuit fieri, ut Carthagini
Gnatus sis, hîc autem habuisti Ætolum patrem?
AG. Surreptus sum illinc. hic me Antidamas hospes tuus
Emit, & is me sibi adoptavit filium.
POE. Demarcho item ipse fuit adoptatitius.
Sed mitto de illo, & ad te redeo. dic mihi,
Ecquid meministi tuûm parentum nomina?
AG. Patris atque matris memini. POE. memorádum mihi;
Si novi fortè, aut si sunt cognati mihi.
AG. Ampsigura mater mihi fuit, Jachon pater.
POE. Patrem atque matrem viverent vellem tibi!

AG. An mortui sunt? POE. factum; quod ægrè tuli.
Nam mihi sobrina Ampsigura tua mater fuit.
Pater tuus is erat frater patruelis meus,
Et is me heredem fecit, cùm suum obiit diem.
Quo me privatum ægrè patior mortuo.
Sed si ita est, ut tu sis Jachonis filius,
Signum esse oportet in manu levâ tibi,
Ludenti puero quod momordit simia.
Ostende, ut inspiciam. aperi. AG. vide, eccum adest.
Mi patrue, salve. POE. & tu salveto, Agorastocles.
Iterum mihi gnatus videor, quia te repperi.
MI. Pol istam rem vobis bene evenisse gaudeo.
Et te moneri num nevis? POE. sanè volo.
MI. Paterna oportet reddi filio bona.
Æquum est habere hunc bona, quæ possedit, pater.
POE. Haud postulo aliter: restituentur omnia.
Suam rem sibi salvam sistam, si illò advenerit.
MI. Facito sis reddas, etsi hîc habitabit tamen.
POE. Quin mea quoque iste habebit, si quid me fuat.
MI. Festivum facinus venit mihi in mentem modò.
POE. Quid id est? MI. tuâ est opus operâ. POE. dic mihi quid lubet?
Profectò uteris, ut voles, operam meam.
Quid est negotî? MI. potin' tu fieri subdolus?
POE. Inimico possum. amico insipientia est.
MI. Inimicus hercle est hujus. POE. male faxim lubens.
MI. Amat à lenone hic. POE. facere sapienter puto.
MI. Leno hîc habitat vicinus. POE. malè faxim lubens.
MI. Ei duæ puellæ sunt meretrices servulæ
Sorores: earum hic alteram efflictim perit:
Neque eam incestavit unquam. POE. acerba amatio est.
MI. Nunc leno ludificatur. POE. suum quæstum colit.
MI. Hic illi malam rem dare volt. POE. frugi, si id facit.
MI. Nunc hoc consilium capio, & hanc fabricam apparo.
Ut te allegemus: filias dicas tuas,
Surreptasque esse parvulas Carthagine,
Manuque liberali caussâ ambas asseras,
Quasi filiæ tuæ sint ambæ. intellegis?
POE. Intellego hercle. nam mihi item gnatæ duæ
Cum nutrice unà surreptæ sunt parvulæ.
MI. Lepidè herclè assimulas! jam in principio id mihi placet.
POE. Pol magis, quàm vellem. MI. heu! hercle mortalem catum,
Malum, crudumque & callidum atque subdolum!

Ut

Vt afflet! quo illud gestu faciat facilius.
Me quoque dolis jam superat architectonem.
POE.Sed earum nutrix, quâ sit facie, mihi expedi.
MI.Staturâ haud magnâ, corpore aquilo. POE.ipsa ea'st.
MI.Specie venustâ, ore atque oculis pernigris.
POE.Formam quidem hercle verbis depinxti mihi.
MI.Vin eam videre? POE.filias mâlo meas.
Sed i, atque evoca illam: si eæ meæ sunt filiæ:
Si illarum est nutrix, me continuò novit.
MI.Heus! ecquis hîc est? nunciate, ut prodeat
Foràs Giddeneme: est qui illam conventam esse vult.

AN' TU TIBI D.] Ita MSS. & vett. edd.

V.2. SURREPT.] MSS. & edd. *surrupt.*

5. POPULARES] Liberali cauſsâ ſuum manu aſſerere popularem cuilibet olim licuiſſe, docet Rævardus, l.1:18. Variar. ſic Curc.

Qui ſcias mercari furtivas atque ingenuas virgines,
Ambula in jus.

8. CRETA] Ita legit princeps literarum Cam. è ſuo MS. quem ſecutus eſt Lambinus, rectè. Nego tamen, quod illi ajunt, *cretam* per appoſitionem ſumi pro ſermone candido & fauſto. Arbitror potius Pœnum dicere, orationem Agoraſtoclis & Milph. eandem vim habere, quam creta. nam ut eâ emaculantur veſtes, ſic illâ omnes animo ſuo ablutas ſordes. Jam cretâ ſordidas veſtes nitidari ſolitas, ſcitur ex Plin. l.35:15. & 17. Quod & Pl. confirmat, Aul. act.4: 9.

Qui veſtitu & creta ſe occultant, & ſedent, quaſi ſint frugi.

Iſid. *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior.*

alluſit Perſius: ——*quem ducit biantem Cretata ambitio*: J.Gruterus.

8. HORUM H. ORATIO] ita MSS. & omn. edd. neq; in ullo τὸ *mihi apparet.*

9. DULCEM] ita MS. pr. at edd. *dulces.* Mercerus malebat, *dulce.* quo mox Pareus oneravit editionem ſuam primam. Pal. ſec. *dulcis.* aliter ac Pareus aſſeveravit.

14. IMPETRARE] Jac. Durantius Var. lib.1.c.9. *Impetrare*, inquit, ad exitum perducere ſive conſummare eſt; laudans hunc locum. *Impetrare* & *perpetrare* ab antiquo verbo *patro* derivata ſunt. *Patrare* eſt conſummare; itaq; *Patratio*, rei Venereæ conſummatio dicta eſt: hinc *Patres*, quòd patratione peractâ filios procreaſſent; teſte Iſidoro, & Cornuto ad illud Perſii;

——*patranti fractus ocello.*

A Gloſſar. vetus: *Patrat*, μασοῦται. Quia verò ſine exemplis dicunt, *impetrare* hîc pro ſimplici poſitum; reponit Acid. *patrare*. Sed quo auctore? certè nullo. nam omn. MSS. & edd. illud propugnant. Paſſeratius ad 4. el.1. Propertii notat: Auguria vel Oblativa erant, quæ non poſcuntur, vel impetrativa, quæ optata eveniunt. Plaut. *Incipere m. e. quam impetrare f. i.* perficere. Livius lib.26. παθηλικῶς *impetrabilis venia.* item, *omina impetrabilia.* ἐυεργετικῶς. Plaut. Moſt. ſc. ult. *Non potuit venire ad me orator magis impetrabilis.* Merc. 5: 4. *Impetrabilior qui vivat nullus eſt.* Epid. 3. 2: *Ut facilem impetrabilem diem mihi*

B *dediſti.* Nempe *patrare* facere, *impetrare* perficere, auget *in*, ut in *inclamare* ſic ille. Et tamen Pareus illud *patrare* oſtentat editione ſua prima, vehementerq; deinde in eos incurrit, Lexico ſuo, qui hîc intrudunt (ita .n. loquitur) compoſitum *impetrare* pro *patrare*, quod non reſpuant multi codices antiquitus excuſi. Quam confidenter tam mendaciter! imò illud *patrare* in nullo usquam extat edito exemplari, quàm ejus. alterum ſanè viſitur in utraq; Merulæ, in Sarracen. in Charpent. in Rob. Steph. in Aldina, in Muling. in Longol. in Camer. in Lamb. in Douſana deniq;. Quid ergo adhuc ferimus deblateratorem iſtum impunè nobis ſcurriliter illudentem?

15. AVIS] Germani in re ſimili: Was iſt das für ein ſeltzamer Vogel! *Avem* nominat Pœnum, ob manicas alarum inſtar utrinque penſi-

pensiles liberéq; fluentes. *Manicatas* autem *tunicas* probro verti, diximus Pseudolo. Vide Fr. Junii Not. ad Pallium Tertull.

16. CIRCVMDVCTVS] spoliatus per insidias; nempe à furibus balneariis.

17. PVNICA EST] Lambinus ex v. cod. addit, *gugga est homo*. gugga autem, i. Afer, seu homo ex Libyâ. Notat & Turn. Comm. in 2. Orat. Cic. in Rullum, & Adverſ. l. 10: 24. In MSS. tamen Pall. & omn. vett. ed. post *edepol* nihil apparet.

18. SERV. VETERES ANTIQVOSQVE] V. N. Most. 2:2.

19. QVI SCIS?] ita MS. se . & vett. edd. omnes, probantque Pist. & Acid. sensu nimiùm concinno. Ajebat Milphio, servos illi Pœno vetulos esse: id unde sciat rogatus, ipsos homines commonstrat cum sarcinis sequentes. Jocatur autem in schema sarcinatorum, qui sub onere curvi incedentes videntur senes assimulare ætatis pondere, quasi Ætnâ depressos. Jocus nunc primùm è latebris erutus ab nostro Valente.

19. SARCINATOS] V. N. Curcul. act. 2:3.

21. ANNVLATIS AVR.] Malè audiebant apud Romanos barbari, præsertim Pœni, qui aures perforatas habebant; neque mediocriter eos aversabantur. Lucillius:

Nequam est, aurum aures cujus vehementius ambit.

unde jocus Cic. in Afrum: *Atqui aurem foratam habes &c.* Servius tamen Fuldens. ad 1. Æneid. notat, Apud Sygeum Achillis statuam fuisse, quæ in imâ auris parte elenchum more fœmineo habuerit.

28. PLVR. AD HVNC MOD.] ita MS. pr. & omn. edd. vet. Una Brix. & ejus traduces, *ut quàm plur.* Acid. *Proh d. im. ut ad h. pl. modum &c.* quod in editionis suæ primæ Scyllam mox rapuit Pareus. Tamen MS. sec. *P. d. im. plurimi ad hunc ····· mod.*

30. MI. QVID AIS TV?] ita MSS. & Merulani, & Brix. Cæteri omnes, quos vidi: *Quid tu ais tu?*

31. PVNIOR] magis Pœnus, callidior: vel, Punicæ linguæ scientior. L.

33. NE PARSERIS] ne peperceris hæc omnia quærere.

34. AVO] Scaliger in Conject. Varron. *Avo*, purum putum Hebraicum. quòd verò dicimus salutantes, *Ave*, Pœnum est: ad verbum est, vive. Nunc verò Pœni dicunt *Ssalem aalech*: ut Hebræi: *ssalom lecha*. Idem Scalig. in Appendice operis, De Emendatione temporum, cùm multa subtilissimè, suo more, in hanc rem disputasset, subjicit tandem: Videmus igitur, quomodo Phœnices deos suos ex vetustis Hebræorum libris mutuati, falsò sint interpretati. ἐλιοῦν Phœnicibus *Deus* vocabatur; ut docet Philo Bybliensis. Omninò quemvis suorum cœlitum ita vocabant; ut in Pœnulo *Ythalonim VValonoth*, hoc est, אֶת-עֶלְיוֹנִים וְעֶלְיוֹנוֹת *superos superasq;*. Et Sisenna ad illum locum notaverat; *Alon*, lingua Pœnicâ esse *deum*. Sic Rex Tyri, quem expugnavit Alexander, vocabatur *Abdalonim*, quem Arrianus *Azemilkum* vocat. Ibidem אֱלִישָׁה *Elischah* fuit verũ nomen: דִּידוֹ *Dido* est [illegible] nutricum: ejus masculinum est דָּוִד *David*. Servius Fr. Modii: *Dido* vero nomine *Elissa* antea dicta est: sed post interitum, à Græcis *Dido* appellata fuit, id est, *virago*, Punicâ linguâ. Certè Punica lingua tum pæne erat Hebraica. In Hebraismo autem *Dido* nihil tale significat. Sed Græci & Latini de peregrino sermone satis multa præposterè comminiscuntur. *Adramyt* est ἔπαυλις πλούτωνος. Nam *Mut* Pœnis erat *Pluto*. ergo *Adramutum* dictum, ob pestilentem tractum oræ Africanæ: quomodo apud Plautum dictum est; *Acherontis ostium est in agro nostro*. Ipsi Pœni neque in Syriâ neque in Africâ Syriacè loquuti sunt. In Syriâ merè Hebraicâ aut proximâ usi sunt; in Africâ, depravatâ quidem ex Hebraismo, sed longè aliâ à Syriacâ: quod planè nos docet Pœnulus Plautina, &c. Sciant tamen etiam aliud nomen Karthagini fuisse, præter Solini illud. Non enim *Karthada*, sed *Chaedreanech* vulgò vocabatur. Plautus:

MI. Havo. cujatis estis? aut quo ex oppido?
P: Hanno Muthumballe be Chaedreanech.
AG. Quid ait? MI. Hannonem sese ait Karthagine
Karthaginiensem Mutumballis filium.

Non dubito esse *Hadreanech*. nam prius membrum est חָצַר ut in *Hadramyton*. Sed & reliqua explicabimus in loco Plautino. (at quando? mi Scaliger.) *Havo* est salutantis. unde Latini suum fecerunt *Have*, pro quo in multis

multis libris legitur *HABE*. Id omninò Pœnicum est ex Hebræo חֲוֵה *vive*, *χαῖρε*, *ὑγίαινε*. Sed cum Personæ ratio habebatur, adjiciebatur *doni*. quod & ipsum detruncatum ex *Adoni*. *Haudoni*, *χαῖρε κύριε*, הֲוֵה אֲדֹנִי Ergò pergit. *P. Havo. M. salutat*. Item:
AG. Saluta hunc rursum Pœnicè verbis meis. M. Haudoni &c. Hæc Scaliger in Emendatâ quidem prædicti Operis editione; quam Auctor nobili illi TYCHONI BRAHE à prælo etiamnum calentem, amicitiæ symbolum, VVittebergam miserat: quamque is porrò mihi, quo tunc perquàm familiariter utebatur, in hunc usum, cùm Fabulam istam commodùm explanarem, concessit.

38. AVO] sic ambo MSS. Cam.

41. DONI] Drusius in Joannem cap. 19. 3. præfert *doni*; quod contractum ait ex *Adoni*, domine mi. hinc Hispanorum *Don*.

42. MISERAM E. PR. BUCCAM] *Miserum* pro ægroto etiam poni, docet Floridus, 2: 23.

44. ARBITRARIER.] ità MSS. Cam. at Vett. edd. *nos esse arbitratur*. Cæterum Schoppius, Rarissima, inquit, & elegantiss. loquendi forma est, cùm *Certè*, *Scilicet*, *Videlicet*, *Fortassis* cum infinitivo junguntur. Petronius: *Et nè Poetas quidem ad testimonium citem, certè neque Platona neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse.* Lucr. 2.
Scilicet esse globosa, tamen cum squallida constet.
Idem lib. 1.
Esse videlicet in nobis primordia rerum.
Ter. Heaut. *Scilicet facturum esse me*. Ibid. *Continuo injecisse verba sibi Dromionem scilicet.* Pl. Sticho 4: 1. *videlicet illum fuisse parcum senem.* Et: *Videlicet fuisse illum nequam adolescentem.* Asin. 2: 3. *Edepol senem Dæmenetum lepidum fuisse nobis.* ita hoc loco, *Fortasse medicos nos arbitrarier*. V. N. Stich. 4: 1. Sed tamen τὸ *esse* in omnibus est; quot vidi.

46. SIC VOLO PR.] Volo ei omnia ferè exponi. idem, quod anteà: *Nolo ego errare hospites.*

48. QUI ZONAM NON HABES] *Zonam perdidit*: castrense Proverb. in ἀχρηματῶς. Horatius:
Ibit eo, quò vis, qui zonam perdidit.

A Sed in his Plauti verbis duplex est allusio: & ad vestem Pœnorum more distinctam; & ad pecuniam, quæ in zonâ gestatur, citra quam in urbe sumptuosâ non sat commodè vivitur. Vide Adag. Erasmi.

51. MURES AFR.] Videtur, inquit Alciatus, *mures Africanos* Plautus appellasse, quos Plinius *Niloticos*, quandoque *Ægyptios*, lib. 10: 65. *Ægyptijs muribus durus pilus, sicut herinaceis, iidem bipedes ambulant, ceu Alpinus, &c.* Ad quod postremum notat J. Dalecham. de certo murium Aphricanorum genere id scribere Herodotum. Lipsius Elect. 2: 4. docet Romanos illos veteres simplicesque (caussas ibi addit) *Elephantem* vocasse Bovem Lucam; *struthionem*, passerem marinum: *Camelopardalim*, ovem feram: *Pantheras*, mures Africanos: *Leones*, Ursos Numidicos sive Libycos; Virg. ——*pelle Libystidos Ursæ*, i. leoninæ, &c.

54. LIG. CANALIS] ita MSS. & vett. ed. Tamen Douza F. Quid hîc de *canalibus* (inquit) dicat, nondum potui intelligere. Alciatus *Cannabes* mavult, à cannabe lino, cujus Africa fertilis. Sed hoc versum turbat. B Scripserim libens; *Ligulas venales ait se adv.* Sequitur enim: *Nunc orat operam ut des sibi, ut ea veneant.* Porrò, *Ligula*, inquit Agellius, *gladiolus est oblongus, in speciem linguæ factus.* Vide Varr. & Festum, in quem ista Scaliger annotat: Græci; *Lingula*, μύστρον (i. *cochlear*) χαὶ γλωσσὶς (*ligula tibiæ*:) mâlo tamen *Ligula*, ut Martialis; & aliæ Glossæ; *Ligula*, μυστίον. Acid. l. leg. *Ficulas, fabulas ait se advexisse, & nuces.* ita conjunxit Sticho: act. 5: 4. ——*nucibus, fabulis, ficulis.* Jam, *fabulas*, pro *fabul.* à *faba.* & istud conjectaneum, pompose in Parei editione prima exultat.

56. ISAM ARVINAM. AG. Q.] ita Pist. & vett. edit. In MSS. *issam. M. arbinam quidem.*

58. PALAS] *Pala* interdum nomen est instrumenti rustici, quo terra fossa vel egeritur vel aggeritur. Schauffel/ Schüppe.

58. MERGAS] *Merga, furculæ quibus acervi frugum fiunt: dictæ à volucribus mergis. quia ut illi se in aquam mergunt, dum pisces persequuntur; sic messores eas in fruges demergunt, ut elevare possint manipulos*: Festus. Rud. 3: 4.

61. ESSE

verſu 97. utraq; impreſſione admiſit *habueris*, loco *habuiſti*, quod in MSS. & edd. omnibus. natum autem alterum ex Acidalii conjectura; quam tamen ipſemet ſtatim ibidem reijcit. Et hic talis, audet tamen præfigere: Plauti comœdias ex ſolis MSS. Pall. priſtinæ antiquitati ſuæ fideliter reſtituas. ô ſæculum! ô patientiam hominum! A

98. SVRREPTVS] MSS. *ſurruptus*: ut & edd. Pareus in prima omiſit *me*, in ſecunda detraxit. præterea *hic*. cùm utrumq; extet in Pall. & edd. primis.

99. EMIT: ET IS ME S.] ita MSS. Cam. & omn. edd. præter Brix. quæ, *& is poſt me ſ.* inculcat.

105. AMPSIGVRA] ita MS. pr. & Edd.

111. PRIVAT. ÆGRE] ita MSS. & Edd. expuncto illo *eſſe*.

115. INSPICIAM. APERI. AG. VIDE. ECCVM ADEST. MI. P.] ita Muret. reſtituit, lib. 11. 19. Quanquam MSS. nil juvant. habent enim, pr. quidem; *inſp:ci jam aperi audiatque ades*. ſec. *inſpice jam aperi audi atq; ades*. an forte fuit: *oſtende. AG. inſpice jam. POE. Ah! perÿ! AG. Ah Dÿ! ecce, adeſt.* certe, *Ah perÿ*, etiam invenitur in repentina admiratione, etiam rei lætæ.

119. ET TE M. NVM NEVIS?] ita Gruterus è MSS. Pall. *num nevis?* pro, *non vis*.

125. SI QVID ME FVAT.] ita MS. pr. & ſec. niſi quod pr. *fuit*. neq; aliter conjecerat Douſa Fil. i. ſi obiero mortem. Lucillius:
Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis.
Cic. *ſi quid mihi humanitus accidiſſet, &c.* V. Trin. 1:2. v. 120.

129. POTIN' TV F.] ita MSS. & Brix. ed. Lipſius, *potine ſ.*

133. AMAT A L.] V.N. Pſeud. 1: 2. *Amare à lenone*, eleganter dictum: *Palm*. Spic. p. 115.

137. NVNC LENO] ita MSS. & Arg. & Ven. Pap. Sed Pariſ. & Brix. *Hunc*. quod cur præferret Pareus alteri, cauſa non erat.

137. INCESTAVIT] i. vitium attulit: Lutatius in 2. Statii Thebaid. ſcribit, Venerem ad non caſtas nuptias non venire cum ſuo cæſto, unde *inceſtum* dictum. Paulus lib. 39. de ritu nupt: *Inceſtum committere intelligitur, qui ex his quas legibus aut moribus prohibemur uxorem ducere, aliquem duxerit.* uterq; verè. nam certè ſcortatio quævis paſſim in uſu nomine *inceſtus*. Servius ad 11. Æneid. *Inceſtus eſt quæcunq; pollutio*. Fulgens: *Inceſtum ab eo venit quod eſt incaſſum*. Paſſerat. ad 3. el. 11. Propertii.

147. POL. MAGIS Q.] Q. d. Non eſt aſſimulatio, ſed verum deſiderium, veraq; oratio. L.

149. AFFLET] Non à *flo* ſed à *fleo*. ſic in Perſâ Toxilus. Gul. Canterus.

151. QVA SIT] *Faciem* pro totius corporis colorisq; habitu dixit. neque enim *Facie* os tantùm & oculi & genæ, i. πρόσωπον notatur; ſed forma omnis & modus & factura quædam totius corporis: à *faciendo*. de quo Agell. lib. 13: 28. Ita & Aſinar. act. 2. ſc. 3.

152. CORPORE AQVILO.] *Aquilus color*, eſt fuſcus & ſubniger: ab aquâ nominatus, B cujus color neque albus neque niger, ſed incertus, vel etiam nigrior: unde *Aquilÿ* prænomen. vide Feſtum; & ad eum Scalig. Gloſſarium: *Aquilum, μέλαν, ὡς λυκίνιος*. Varro:
Atque Ægeus fluctu quam lavit ante aquilo,
Sabus ubi poſuit Neptuni filius urbem.
Aquilum fluctum, μέλαν ὕδωρ, Poetæ. V. N. Rud. 2:4. Vulg. *aquilo eſt*. quod nec MSS. nec vet. ed. agnoſcunt.

153. ORE ATQVE OC.] ita MSS. & vett. edd. recentiores *ore parvo. atq; oculis*. Pareus Gruteri conjectaneum in textum recepit. ex ſupervacuo, ac præter fidem chirographicorum librorum; mentemq; adeò Gruteri, qui *ore* ad *venuſtam* referebat, non ad *nigrorem*. verùm ipſe jam acquieſcit vulgato.

155. VINEAM V.] MSS. *Vinam*, pro *visnam vid*.

ACTUS V. SCENA III.

GIDDENEME nutrix.
HANNO Pœnus.
MILPHIO servus.
AGORASTOCLES. PUER.

QVis pultat? MI. qui te proximus est. GI. quid vis? MI. eho,
Novistin' tu illunc tunicatum hominem, qui siet?
GI. Nam quem ego aspicio! prò supreme Jupiter!
Herus meus hic quidem est, mearum alumnarum pater,
Hanno Carthaginiensis. MI. ecce autem mala!
Præstigiator hic quidem Pœnus probus est,
Perduxit omnis ad suam sententiam.
GI. O mi here salve! Hanno, insperatissime
Mihi tuisque filijs, salve. atque eho!
Mirari noli, neque me contemplarier.
Cognostin' Giddenemen ancillam tuam?
POE. Novi. sed ubi sunt meæ gnatæ? id scire expeto.
GI. Apud ædem Veneris. POE. quid ibi faciunt? dic mihi.
GI. Aphrodisia hodie Veneris est festus dies:
Oratum ierunt deam, ut sibi esset propitia.
MI. Pol satis scio impetrarunt, quando hic hìc adest.
AG. Eho an hujus sunt illæ filiæ? GI. ita, ut prædicas.
Tua pietas nobis planè auxilio fuit,
Cùm huc advenisti hodie in ipso tempore.
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerént que indignum genere quæstum corpore.
PVER. Handones illi havon bene si illi in mustine.
GI. Me ipsi & eneste dum & alamna cestinum.
AG. Quid illi locuti sunt inter se? dic mihi.
MI. Matrem salutat hic suam, hæc autem hunc filium.
POE. Tace atque parce muliebri supellectili.
AG. Quæ ea est supellex? POE. clarus clamor sine modo.
Tu abduc hos intrò, & unà nutricem simul
Jube abire hanc ad te. AG. fac quod imperat.
MI. Sed quis illas tibi monstrabit? AG. ego doctissimè.
MI. Abeo igitur. AG. facias modò, quàm memores, mavelim.
Patruo advenienti cœna curetur volo.
MI. Lachanam vos! quos ego jam detrudam ad molas,
Inde porrò ad puteum, atque ad robustum codicem.
Ego faxo hospitium hoc leviter laudabitis.

AG. Audin'

AG. Audin' tu patrue? dico, ne dictum neges:
Tuam mihi majorem filiam deſpondeas.
POE. Pactam rem habeto. AG. ſpondéſne igitur? POE. ſpondeo.
AG. Mi patrue ſalve! nam nunc es planè meus.
Nunc demum ego cum illâ fabulabor liberè.
Nunc, patrue, ſi vis tuas videre filias,
Me ſequere. POE. jamdudum equidem cupio, & te ſequor.
AG. Quid ſi eamus illis obviam? POE. at ne inter vias
Præterbitamus metuo. magne Juppiter,
Reſtitue certas mihi ex incertis nunc opes.
AG. Ego quidem meos amores mecum confido fore.
Sed eccas video ipſas. POE. hæccine ſunt meæ filiæ?
Quantæ è quantillis jam ſunt factæ! AG. ſcin' quid eſt?
Græcæ ſunt hæ columnæ, ſuſtolli ſolent.
MI. Opinor hercle hodie quod ego dixi per jocum,
Id eventurum eſſe & ſeverum & ſerium,
Vt hæc inveniantur hodie eſſe hujus filiæ.
AG. Pol iſtud quidem jam certum eſt. tu iſtos, Milphio,
Abduce intrò: nos haſce hic præſtolabimur.

VERSUS hujus Sc. aliquot aliter in MS. primo dividuntur: omnes autem in ſecundo.

V. 2. TUNICATUM HOMINEM] Ennius lib. 7. Annal. de Karthaginienſibus —— *tunicata juventus.*

6. PRÆSTIGIATOR] MS. pr. ſcribit, *Præſtrigiator.*

9. FILIIS] pro, *filiabus.*

9. ATQUE EHO] ita MSS.

18. NOB. PLANE] hoc ordine & MSS. verba collocant.

20. MUTARENTUR NOM.] Alciatus l. 10. Parerg. obſervavit, mulieres, quæ ſtupri licentiam apud Ædiles profeſſæ meretricium inſtituerent quæſtum, nomen mutare conſueviſſe, ex hoc Plauti loco. Quod Douza probat, docetque præterea, eas, quæ capturis quæſtuique meretricio renunciabant, liberum ſibi ingenuumque nomen, priore illo cum perſonâ depoſito, aſſumere ſolitas. Idem obſervavit P. Pithœus. ſed & Jac. Durantius JC. Variar. lib. 1. cap. 2. præterea, cellis meretricum ſuperimpoſitos eſſe titulos; item meretricis nomen in fronte pependiſſe. Tertull. *Nomen tuum pependit in fronte, pretia ſtupri accepiſti, & manus, quæ dys datura erat ſacra, capturas tulit, &c.*

A 26. SUPELLECT.] Facetè *muliebrem ſupellectilem* vocat *clarum & immodeſtum clamorem.* Die Klappermül.

27. CLARUS CLAMOR SINE M.] ita Joach. Niſæus March. elegantiſſ. ingenii, reſtituit: cùm anteà eſſet, *Clarus clamor. ſine modò!* Certè ἀστόχως. quod idem poſteà & Acidalio obſervatum.

28. TU ABDUC.] ita MSS. Cam. Porrò docere conatur *Acidal.* plurimis argumentis, ab hoc verſu ad finem Sc. perſonas & verſûs ineptiſſimo ſenſu confuſos eſſe. quæ tamen B hîc ita, ut ille voluit, repræſentare, ob inſolentem verſuum trajectionem, contra omnes libros vett. & novitios, non auſus fui.

29. JUBE AB.] ita MSS. & omn. vet. edd. Et hic verſus in MS. pr. in duos diſpeſcitur. videturq; Grutero aliquid deeſſe.

31. FACIAS] ita MSS.

33. MI. LACHANAM &c.] Non video, cur Milphio debeat ſervis loqui tam inclementer. quare ſecutus Pal. pr. & edd. vett. tres iſtos verſus attribuerim Hannoni; ut contra decorum ſe gerentes increpet; & primâ quidem voce Punicè.

 34. Ro-

34. ROBVST. COD.] *Robur, in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus; quod antè arcis robustis includebatur:* Festus. Livius Dec. 4. l. 8. *ut in carcere inter fures nocturnos vir clarissimus Scipio includatur, & in robore ac in tenebris exspiret.* Horat. 2. Od. 13. *Italum robur:* Plautus alibi *ligneam custodiam* vocat. Vide Comment. Lipsii in Tacit. 4. Annal. ubi docet, quid sit, *de robore præcipitari:* & inter cætera versum Lucani lib. 11. etiam explicat, *Sæva Tribunitio maduerunt robora tabo.* Querneus cap. 3. Egregiorum heic *puteum* eum intelligit, qui sit in sestertio ad excipienda cadavera. sumpto enim supplicio, damnatorum corpora, aut in puticulos ad hanc rem ibi positos projiciebantur; aut demum in ipsis patibulis à custodia asservabantur. *robustum* autem *codicem* accipit pro crucibus ac patibulis prope ipsum sestertium fixis: ita ut sit in versu Plauti ὕστερον πρότερον. quæ omnia Gruterus improbat, acceditque potius Turnebo lib. 23: 2. qui *Codicem* à Robore diversum esse censet, cùm sit ligneus stipes, quem alligati servi, qui deliquerant, trahebant, cuique insidebant vincti; qui hodie apud nos appendi solet simiis. Propert. lib. 4:7.

Codicis immundi vincula sentit anus.

Vide ibid. copiosissimè. item Colv. lib. 2. Apolog. Apul. & Auson. Popmam, ad Catonem.

38. PACTAM R. H.] Cur Agorastocles hîc stipulationem post pactum adhibere voluerit, docet Fr. Hotomanus. MS. pr. τὸ *rem* non habet.

43. INTER VIAS] i. in viâ. V. N. Aul. act. 2:8. Terent. Eun. 4:2.

——cœpi mecum inter vias.
Aliam rem ex aliâ cogitare.

ad quod Donatus: *Inter vias*, figuratè & novè. Ex quâ notâ Acid. & illa censet: Cistell.

Inter novam rem verbum usurpabo vetus.

Trucul. act. 2:6.

Inter tot dies quidem hercle jam actum aliquid oportuit.

Titinnius:

——quæ inter decem
Annos nequisti unam togam detexere.

Tibullus:

Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras.

Lucanus ad Pison.

Mira subest gravitas inter fora.

A 49. GRÆCÆ S. H. COL.] Ita legit Turn. lib. 10:24. & Comment. in Orat. 2. Cic. in Rullum. Græcæ enim columnæ Romanis in pretio & studio. Solent autem columnæ, ut operi accommodentur, erigi & sustolli. ad quam similitudinem respexit. Turnebum secutus & Lamb. & Douza. *Sustolli* autem est sursum tolli. suprà, 1:2. *sustolle hoc amiculum.* Jos. Scalig. in Conject. ita annotat: Varro cum ab *urinando urnæ* veriverbium deduceret; *urinare* quoque unde esset, declarabat. *Urinare*, inquit, *est mergi in aquam in urbum: fictum ab urbo, quod ita flexum, ut redeat sursum versus; ut in aratro, quod est urbum.* Est autem *urvum*, sive *urbum*, τὸ ἀνάσιμον, sursum versus reflexum. Qui in aquam mergitur, ut iterum sursum versus existat, dicitur *urinare*. *Urvare* ergò, ita se jactare, ut sursum denuò excitet se. unde *amburvare* apud Lucill. dicuntur Salii, qui eo modo corpora saltu reciprocabant:

Præsul ut amburvat, sic volgu' redandruat inde.

Græce dicitur κυβιστᾶν, id est, κολυμβᾶν: quod Curetes, (qui iidem & *Salij*) faciebant. id aliter dicitur *reciprocare*. Plautus Astrabâ;

B *Quasi tolleno vel pilum Græcum reciproces planâ viâ.*

Tollenones enim & pila ruderaria modò sursum modò deorsum in opere ipso aguntur. Itaque eleganter & venustè apud Aristoph. citante Polluce, ὥστε κηλώνειον ἀνακύπτων καὶ κατακύπτων. Apud Plaut. Pœnulo:

——sunt Græca celonea: sustolli solent.

Eodem modo dictum, quo in Astraba, *pilum* aut *tollenonem Græcum reciprocare.* quod à nobis sic restitutum est ex veteri scripturâ. ita enim legitur in MS. *Trecæ sunt celonnæ.* Hæc ille. Brodæus Miscell. lib. 3. cap. 7. docet κηλώνειον apud Pollucem & Aristot. esse Vegetii *tollenonem;* quoties scilicet una trabs in terram præaltè defigitur, cui in summo vertice alia transversa longior, dimensâ medietate, connectitur: quâ machinâ & rustici utuntur in hauriendâ è puteis aquâ. Glossario & Isid. *Ciconia* etiam dicitur, à formâ ejus avis rostro clangentis. Porrò *tolleno*, & *pilum Græcum*, quid sit, accuratè docet Turneb. lib. 6. cap. 18. Camerarius legendum suspicabatur, sed levissimè suspicabatur, *Hetruscæ sunt col.* quam conjecturam mirum in modum sibi semper placuisse Gul. Canterus ait;

ait; ac tum maximè, postquā similem in Plauto locum, ex quo iste commodè posset explicari, repererit in Curc. act. 1. 2. A

Pessuli, heus p. &c.
Fite caussâ meâ Lydi barbari:
Sussilite, obsecro, &c.

Nam quod hîc, inquit, *sussilire*: in Pœn. est *sustolli*: qui hîc *Lydi*, illîc *Hetrusci*, iidem tamen. Lydi enim Hetruriam incoluerunt, ut alibi dictum est. &c. lib. 4. 18. Douza F. legit, *Etruscæ sunt Calaminæ*: *s. s.* Galaminæ insulæ in Lydiâ sunt, quas Græca χορευτίδας, Plinius *saltuares appellat*, quoniam Symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur, & quasi sustolluntur. quamvis eas à Calaminis videatur distinguere Plin. Græci tamen confundunt. ut Sotion in Eclogis; cujus verba lege apud Turn. Adverf. lib. 4. 6. Meminit earum & Varro lib. 3. De Re R. & Mart. Capella lib. 6. Hæc Douza. De *Calaminis* vide & Jac. Dalechamp. ad Plin. lib. 2. c. 95. In MS. pr. est, *Thraecæ sunt caelum ne sustollis oleni.* In sec. *Threoe &c.* cum quorum scripturâ vett. edd. conspirant: nisi quòd Parif. *cochlea &c.* Ego, quia omnia hîc incerta, quod voluit Turnebus, interea toleravi.

ACTUS V. SCENA IV.

ANTHERASTILIS, ADELPHASIUM, AGORASTOCLES, HANNO Pœnus.

FUIT hodie operæ pretium ejus, qui amabilitati animum adjiceret,
Oculis epulas dare, delubrum qui hodie ornatum eò visere venit.
Deamavi ecastor illîc ego hodie lepidissima munera meretricum,
Digna divâ venustissimâ Venere: neque contempsi ejus opus hodie,
Tanta tibi copia venustatum aderat, in suo quæque loco sita mundè.
Arabius murrhinusque omnis odor complebat. haud sordere visus est
Festus dies, Venus, nec tuum fanum: tantus ibi clientarum erat numerus,
Quæ ad Calydoniam venerant Venerem. certò enim, quod quidem ad nos duas
Attinuit, præpotentes, pulcræ, pacisque potentes, soror, fuimus:
Neque ab juventute ibi irridiculò habitæ: quod pol, soror, cæteris omnibus factum est.
AD. Malim istuc aliis ita videatur, quàm uti tu te soror, collaudes. AN. spero equidem.
AD. Et pol ego: cùm, ingeniis quibus sumus atque aliæ, cognosco.
Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse à culpâ castas.
POE. Juppiter, qui genus colis alisque hominum, per quem vivimus vitalem avum,
Quem penes spes vitæ sunt hominum omnium, da diem hunc sospitem, quæso,
Rebus meis agundis: quibus annos multos carui, quasque è patriâ
Perdidi parvas, redde his libertatem: invictæ præmium ut esse sciam pietati.
AG. Omnia faciet Juppiter faxo. nam mihi est obnoxius, & me metuit.
POE. Tace quæso. AG. ne lacruma. patrue.
AN. Ut volupe'st homini, mea soror, si quod agit, cluet victoriâ!
Sicut hodie nos inter alias præstitimus pulcritudine.
AD. Stulta, soror, es magis, quàm volo. an verò pulcra vidêre, obsecro,
Si tibi illic non os óblitum est fuligine?
AG. O Patrue, ô patrue mi patruissime!
POE. Quid est, fratris mei gnate? mi gnate, quid vis? expedi.

 AG. At

AG. At enim volo hoc agas. POE. at enim ago istuc. AG. patrue mi patruissime.
POE. Quid est? AG. est lepida & lauta: ut sapit!
POE. Ingenium patris habet, quod sapit.
AG. Quæ res? jam diu edepol sapientiam tuam abusa est hæc quidem.
Nunc hinc sapit, hinc sentit: quicquid sapit, amore meo sapit.
AD. Non eo sumus genere prognatæ, tametsi sumus servæ, soror,
Ut deceat facere nos quicquam, quod homo quisquam irrideat.
MULTA SUNT MULIERUM VITIA; sed hoc è multis maximum est,
Cùm sibi nimis placent, nimisque operam dant *ut placeant viris.*
ANT. Nimiæ voluptati est, quod in extis nostris portentum est, soror:
Quódque haruspex de ambabus dixit. AG. velim de me aliquid dixerit.
ANT. Nos fore invito domino nostro diebus paucis liberas.
Id ego nisi quid di aut parentes faxint, quid sperem haud scio.
AG. Mea fiduciâ hercle haruspex, patrue, his promisit, scio,
Libertatem, quia me amare hanc scit. AD. soror, sequere hàc. AN. sequor.
POE. Priusquam abitis, vos volo ambas. nisi piget, consistite.
AD. Quis revocat? AG. qui bene vult vobis facere. AD. facere occasio est.
Sed quis homo est? AG. amicus vobis. AD. qui quidem non inimicus est.
AG. Bonus est hic homo, mea voluptas. AD. pol istum malim, quàm malum.
AG. Siquidem amicitia est habenda, cum hoc habenda est. AD. haud precor.
AG. Multa bona vobis facere vult. AD. bonus bonis benefeceris.
POE. Gaudio ero vobis. AD. at edepol voluptati tibi.
POE. Libertatique. AD. isto pretio tuas nos facilè feceris.
AG. Patrue mi, ita me di amabunt, ut ego, si sim Juppiter,
Jam hercle ego illam uxorem ducam, & Junonem extrudam foras.
Ut pudicè verba fecit! cogitatè, & commodè!
Ut modestè orationem præbuit! certò hæc mea est.
POE. Sed ut astu sum aggressus ad eas! AG. lepidè hercle atque commodè.
POE. Pergo etiam tentare? AG. in pauca confer: sitiunt qui sedent.
POE. Quid istic, quod faciundum est, cur non agimus? in jus vos voco.
AG. Nūc tene, patrue. POE. tu frugi si bonæ es. AG. vin ego hāc apprehendam?
AD. An patruus est, Agorastocles, tuus hic? AG. jam faxo scibis. (POE. tene.
Nunc pol ego te ulciscar probè; nam faxo mea eris sponsa.
POE. Ite in jus, ne moramini. AN. antestare me atque duce.
AG. Ego te antestabor. postea hanc amabo, atque amplexabo:
Sed illud quidem volui dicere, imò dixi hercle quod volebam.
POE. Moramini: in jus vos voco, nisi honestiū' st prehendi.
AD. Quid in jus vocas nos? quid tibi debemus? AG. dic tu illi.
AD. Etiam me meæ latrant canes? AG. at tu hercle alludiato:
Dato mihi pro offâ savium, pro offâ linguam objicito:
Ita hanc canem faciam tibi oleò tranquilliorem.
POE. Ite, si itis. AD. quid nos fecimus tibi? POE. fures estis ambæ.

AD. Nos-

AD. Nosné tibi? POE. vos, inquam. AG. atq; ego scio. AD. quid furti est id?
POE. Quia annos multos filias meas celavistis clam me, (AG. hunc rogato.
Atque equidem ingenuas, liberas summóque genere gnatas.
AD. Nunquam mecastor reperies tu istuc probrum penes nos.
AG. Da pignus, ni nunc perjures, in savium, uter utri det.
AD. Nihil tecum ago, abscede obsecro. AG. atque hercle mecum agendum est.
Nam hic patruus meus est: pro hoc mihi patronus sim necesse est.
Ei prædicabo, quomodo vos furta faciatis multa:
Quóque modo hujusce filias apud vos habeatis servas,
Quas vos ex patria liberas surreptas esse scitis.
AD. Ubi sunt eæ? aut quæ sunt, obsecro? AG. satis sunt maceratæ.
POE. Quin eloquar. AG. censeo hercle, patrue. AD. misera timeo, quid
Hoc sit negotij, mea soror! ita stupida sine animo asto.
POE. Advortite animum, mulieres: primum, si id fieri possit,
Ne indigna indignis dî darent, id ego evenire vellem:
Nunc quod boni mihi di dant, vobis vostræque matri,
Eas dis est æquum gratias nos agere sempiternas,
Cùm nostram pietatem approbant decorántque di immortales.
Vos meæ estis ambæ filiæ: & hic est cognatus vester:
Hujusce fratris filius, Agorastocles. AD. amabo,
Num hi falsò oblectant gaudio nos? AG. at me ita dij servent,
Ut hic pater est vester. date manus. AD. salve insperate nobis,
Pater: te complecti nos sine. POE. cupitæ atque exspectatæ.
AN. Pater salve: ambæ filiæ sumus: amplectamur ambæ.
AG. Quis me amplectetur postea? POE. nunc ego sum fortunatus:
Multorum annorum miserias nunc hâc voluptate sedo.
AD. Vix hoc videamur credere. POE. magis qui credatis dicam:
Nam vostra nutrix primùm me cognovit. AD. ubi ea, amabo, est?
POE. Apud hunc est. AG. quæso, qui lubet tam diu tenere collum,
Priusquam te mihi despondierit? AD. omitto. AG. sperata salve. AG. omitto
Salutem. AG. & tu altera. AN. nolo ego istuc: enicas me.
POE. Condamus alter alterum ergo in nervum brachialem.
Quibus nunc in terrâ melius est? AG. eveniunt digna dignis.
Tandem huic cupitum contigit. ô Apella, ô Zeuxis pictor!
Cur numero estis mortui? hinc exemplum ut pingeretis.
Nam alios pictores nihil moror hujusmodi tractare exempla.
POE. Di deæque omnes, vobis habeo meritò magnas gratias,
Cùm hâc me lætitiâ tantâ & tantis affecistis gaudiis,
Ut meæ gnatæ ad me redirent in potestatem meam.
AD. Mi pater, tua pietas planè nobis auxilio fuit.
AG. Patrue, facito in memoriam habeas, tuam majorem filiam
Mihi te despondisse. POE. memini. AG. & dotis quid promiseris.

HUJUS

HUius Scenæ versus sunt terram. ferè & jambici, & numeris confusi, itemque excurrentes aliquid longius; aliqui catalectici, tam Hipponactei, quàm archilochii: unus δίμετρος.

1. ADIICERET] Egregiè ita MSS. *adiceret*, i. adjiceret, teste Grutero: qui in nullo Manuexaratorum unquam offendisse ait litteram geminatam, ubi erat illud verbum. Etiam Acid. conjecerat, *adiceret*. qui & Personas in totâ hâc Sc. variè variat. ipsumque principium non Adelphasii, sed sororis junioris ait esse, quæ semper inducatur procacior, &c. prius legebatur *addiceret*.

2. OCVLIS EPVLAS DARE.] ita Joh. Chrysostomus τροφὴ ὀφθαλμῶν θεωρία. Sic auricularum escæ sunt οἱ λόγοι, Pœmata vel orationes. tritiss. Græcis ἐνηχεῖν λόγοις, & ἐνηχεῖν καὶ ἑστιάσεις ἀκοῶν. *colligere escas auribus*. Vide Casaub. ad Sat. 1. Persii, & Not. Aul. act. 3. 6.

4. OPVS] ita MSS. ad Lips. *opes*.

5. SITA MVNDE] ita MSS. & omn. edd. præter Brix. interpolatam, quæ *nitidè*.

6. ARABIVS] Charisius legit, *Arabus*. quæ antiquior inflectēdi ratio. Sic Propertius 2. el. 29. *Arabo odore*. ubi multa de eo odore Passeratius MSS. Cam. & vett. edd. l. *Arabius Murr. omnis od.* benè. *Omnis* autem est *omneis*: Grut. Vulg. *omnia*.

6. MVRRHINVSQVE] Rectè. nam murrhata. potio Deis ad pulvinaria addebatur, cùm illorum festis delubrum ornaretur. Festus in *Murrhata*. Gutherius lib. 1. cap. 26. de jure Manium. V. N. Pseud 2. 4. v. 51.

9. PRÆPOTENTES] pro formosissimis. unde & *fortes* pro formosis, & contra *pulcer* pro forti: *Satus Hercule pulcro Pulcer Aventino*. adeatur Passerat el. 5. lib. 2. Propertii. De forti V. N. Bacch. 2. 2. v. 30. de *præpotente* Menæch. 2. 3. v. 9.

9. PACISQ. P.] quæ potuimus pacem à Venere impetrare &c. L. Vide N. Rud. 1. 5.

11. ITA VID.] sic è MSS. edidimus. quamvis versum in duos dispescat MS. pr.

12. ET POL EGO &c.] Et spero verò, non tales aliis videri, cùm cognosco, quibus nos ingeniis sumus atque aliæ puellæ: L. Porro *ingenium* ad alia etiam pereleganter transfertur. Glossæ: *Ingenium* ἐμφυΐα. φύσις. Sallust. *ingenium loci*. Tertull. De hab. mul. cap. 2. *barbarum ingenia traduxerant*. Nævius: *Ingenio arbust a consita*. Ita *ingenuus*, αὐτοφυής: Auson. *Ingenui fontes*. Apul. *crines ingenio flexi*, sponte aut naturâ flexili. *inaffectatum capillitium*, ut idem alibi.

14. COLIS] Serv. Fuld. MS. *Colere* veteres etiam dicebant; cum major minorem diligeret. ut Virg. Bucol. 3. *Ille colit terras*. scil. Jupiter. Æn. 1. v. 20.

14. VITALEM ÆVVM] *Ævum* dixit & Lucret. 3.

——*non omnem possit durare per ævum*.

MS. pr. tamen habet, *talem*, non *vitalem*. Quid si construas? *per quem talem &c*. scil. Jovem. ita *ævus* non sic insolesceret. Cogita Lector.

15. DA DIEM] verbum *Da* plerunque precationibus adhibitum esse, docet Brisson. 1. Form.

17. INVICTÆ] in quâ semper mans.

20. CLVE I V.] si in eo, quod agit, victoriâ clarus est, & excellit: L.

21. ADEL. STVLTA] ita Personas ordinat. Acid. Nam minorem semper corrigit major: haud contrà. Et juvat, quod Agorast. statim exclamat, *O patrue &c*. quod ferè facit post Adelphasii suæ verba.

23. OS OBL. EST F.] Marcellus: *Sublevit, significat, illusit, & pro ridiculo habuit. tractum a genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur*. unde perspicuè dilucet, inquit Douza, hoc pigmenti genus per joculum & lusum iis allini solere, quos aliis deridendos propinare volebant. idque turpiculis puellis potissimū, quas hoc contumeliæ genere à procaci juventute affici mos erat: credo ut hâc quasi censione monitæ deformitatis suæ in memoriam revocarentur. Confirmat hanc opinionem nostram Adelphasium, ibi: *Neque ab juventute* &c. vide Præcid. Douzæ ad Arbitr. lib. 1. 10. ubi pressiore spongiâ hanc (ut ipse ait) sententiam, quam fuligineâ somniorum suorum nube solens obleverit Lambinus, extergit. Idem hoc S. Ulr. Pistoris planius ad mentem Douzæ explicavit: & huc traxit etiam id Sc. sequentis, ubi Miles itidem minatur, se effecturum meretricem suam *moram, & repleturum atritate*. Quamvis id pugnis potius, quàm fuligine futurum militariter prædicet. V. N. Epid. Arg.

28. QVOD] Acid. *quo sap*. quod in ed. primam recepit Pareus.

29. QVÆ

29. QVÆ RES? JAM D.] Ita Acid. è cod. Colon. Brix. & aliis. Illud, *Qua res?* indignantium formula est. de quâ Gul. in Asin. Indignatur hîc adolescens, adscribere sibi Pœnum, quod ipse vendicabat sibi.

33. AN. MVLTA S.] ita Pist.

34. PLAC. VIRIS] Alii leg. *minusque addant op.* &c. quod & Lambinus videtur probâsse, & *viros* hîc accepisse maritos: perperam, neque *mulieres* hîc sunt uxores. Nimium studium carpitur placendi sexui virili, quod innatum illi sequiori. *Acid.* Cæterum in MSS. & Arg. & Ven. ed. est, *minusq. operum ut pl.* expuncto etiam illo *dant*.

38. QVID SPER.] Rescribo, *quî sperem*. Quâ ratione, inquit, sperare possim, nescio. nisi tamen in diis aut parentibus opis aliquid nobis est: *I. Gulielm.* Sed MS. pr. *quid*, sec. *quod*,

39. PATRVE, HIS] Lips. Antiq. lib. 2. 19. l. *patruelibus promisit f.* Ex argumento. Acidal. tamen rectiss. putat quod Lamb. in vett. repperit: *aruspex, patrue, his prom.* non, *patruelis*. Utrumque etiam versus repudiat, alterum & sensus. immo & MS. pr. *his*.

46. B. BENEFECERIS] sic MSS. at Acid. mâlit, *benefecerit*. adhuc enim Agorastocli respodet.

54. POE. PERGO] ita Acid. & olim etiam Grut. *Perge etiam tentare: in p.* ut erat fere in MSS. falsum enim est, in eis reperiri *pergo*, ut prodidit Pareus.

56. TV, FRVGI] tu verò eas tene, si bonæ frugi es. ita quidem Lamb. Sed id non penetrat interiorem mentem. Jocus est in ambiguitate verbi *tenendi*, quod & inter Venerea. V. N. suprà, Prolog. *Acid.*

57. FAXO SCIBIS.] ita & Mss. & antiqq. ed. *scibis*: rectè. nam & uni respondet, & versus hîc incipiunt mutari.

60. POSTEA HANC AMABO] sc. Adelphasium. voluit dicere, *antestabor*. L.

61. SED. ILLVD] hanc antestabor. L.

64. LATRANT C.] ita MSS. i. Etiamne ii, qui pro me facere debent, mihi adversantur? Lamb. maluit *allatrant*. quod est in Paris. Acidalius malit Brix. *Etiam mea in me latrant canes?* Vide tamen & Not. Capt. act. 3. 2.

64. ALLVDIATO] *Alludiare* dicuntur heri canibus suis, cùm eis alludunt, cumq; eos demulcent. Sticho, 2. 3. *alludiabo mulieri*.

65. PRO OSSE LING.] de hoc osculi genere Asin. 3. 3.

66. HANC C.] me.

66. T. OLEO TRANQ.] Hyperbole Proverbialis, in homines minimè iracundos, lenique ingenio præditos. Non planè abludit Cic. *In nostris inimicitiis me fore auriculâ infamâ scito molliorem*. MSS. & vett. ed. τὸ *ego* expungunt.

67. ITE, SI ITIS.] Ita è MSS. Pall. & vett. ed. in quis, *Ite sit tis. Itte sittie: Ite scitis*. & hoc revocaverat nos Camerarius cum Pareus exortus, qui revocaret Aldinam stultis, prorsus insulsè, quemadmodum ipsemet ferè sentire cœpit ultima editione.

67. FVRES ESTIS AMBÆ] Ride mihi fatuellos, qui hinc probare volunt nugas suas, *furem* esse gen. fœminini. Virg. 10. Æneid. *fatis autoribus*. Lucanus lib. 1. *utendum est judice bello*. Ergò *fatum* & *judex* sunt gen. neutri. Puer, ferulas!

78. AG. SATIS S. MACER.] Hæc submissâ voce loquitur Agor. Gruterus hæc *Hannoni* dat, ut velit, Satis diu eas tenuisse ambiguas & incertas. Sed vulgatum in MSS. est. Pareus tamen utraque editione Gruterianam sequitur suspicionem.

80. SINE ANIMO ASTO] Cujacius hæc ita capit lib. 1. de Feudis, tit. 2. tanquam si *animus astus*, esset dolosus & callidus: meo animo aliene à mente auctoris. Vult enim, non esse apud se. estque *asto*, verb. *adsto*: Gruterus.

82. NE IND: G DARENT] uti vobis servitutem, &c.

83. DI DANT] Schop. è MSS. l. *Di danunt*: & seq. versu *nos*, non *vos*: ut se & matrem & filias intelligat. Nec se exclusisse, patet seq. versu.

94. VIDEAMVR CRED.] ita MSS. non *videmur*, ut vulgo. quos tamen sequitur Pareus.

97. AG. SPERATA SAL.] *Sperata* dicebatur, quam procus sperabat sponsam suam fore: *Turn. lib. 10. 24.* V. N. Amph. ac inprimis Alb. Gentilem l. 2. c. 21. de Nuptiis: ubi docet, *Speratum* etiam dici sponsum.

97. AD. OMITTE SALVT.] Cur salutari puella ab amatore non velit? maximè, cum morem gesserit in eo, ut parentis collum linqueret. Omninò restituend.

——AG. sperata salve. omitte
Salutum & tu altera. AN. nolo ego. AG. istoc enicas me:

Quis hic homo est cum tunicis longis, quasi puer cauponius?
Satin' ego oculis cerno? estne illæc mea amica Anterastilis?
Et ea certò est! jampridem ego me sensi nihili pendier.
Non pudet puellam amplexari baiiolum in mediâ viâ!
Iam hercle ego illum excruciandum totum carnifici dabo.
Sanè genus hoc muliebrosum est tunicis demißitiis.
Sed adire certum est hanc ad amatricem Africam.
Heus tu! tibi dico mulier, ecquid te pudet?
Quid tibi negotij autem est cum istac, dic mihi?
POE. Adolescens, salve! ANTHEM. nolo, nihil ad te attinet.
Quid tibi hanc digito tactio est? POE. quia mihi lubet.
ANTHEM. Lubet? POE. ita dico. ANTHEM. ligula, i in malam crucem.
Túne hic amator audes esse, hallex viri?
Aut contrectare, quod mares homines amant?
Deglupta mænas, Sarrapis sementium,
Mastruga, ἅλς ἀγορᾶς ἅμα: tum autem plenior
Alli, ulpicique, quam Romani remiges.
AG. Num tibi, adolescens, mâlæ, aut dentes pruriunt,
Qui huic es molestus, an malam rem quæritas?
ANTHEM. Cur non adhibuisti, dum istæc loquereris, tympanum?
Nam te cinædum esse arbitror magis, quàm virum.
AG. Scin, quàm cinædus sum. iste istinc, servi, forâs:
Efferte fustis. ANTHEM. heus tu! si quid per jocum
Dixi, nolito in serium convertere.
AN. Quid tibi lubido est, obsecro, Anthemonides,
Loqui inclementer nostro cognato & patri?
Nam hic noster pater est: hic nos cognovit modò;
Et hunc sui fratris filium. ANTHEM. ita me Juppiter
Bene amet, bene factum! gaudeo, & volupest mihi,
Siquidem quid *lenoni obtigit magni mali;*
Cumque è virtute vobis fortuna obtigit.
AN. Credibile ecastor dicit: crede huic, mi pater.
POE. Credo. AG. & ego credo. sed eccum lenonem Lycum,
Bonum virum, eccum video, se recipit domum.
POE. Quis hic est? AG. utrumvis est, & leno & Lycus.
In servitute hic habuit filias tuas.
Et mihi hic auri fur est. POE. bellum hominem, quem noveris.
AG. Rapiamus in jus. POE. minimè. AG. quapropter? POE. quia
Injuriarum multam dici satius est.

VErsus sunt ab initio XXV. tetrametri catal. trochaici: reliqui senarii jamb. usq; ad finem Fabulæ.

1. Si ego M.] Meursius & Popma l. *minam*. V.N. Asin. 2.2. Horum autem omnium explicatio à Scenâ 1. act. 2. petenda est. De *Scurris* V.N. suprà act. 3.2. & Epid. 1.1. Cæterum MSS. leg. *sibi habeant oscurra ludificiis catii*, vel, *cavi*. Omn. ed. vet. *habeant s. l. caveis*. quod semel emendatum à Camerario, regnavit in libris, usque ad consulatum Parei. is utraque editione ridiculum illud *ludificiis caveis* revocavit ab exilio; laudatque ad eam faciem in Thesauro Linguæ Latinæ, titulo *Doli*. ô medicum minimè medicum!

3. Ad prandium adduxit] Ita edd. vett. & Pal. sec. verùm pr. *abduxit*.

5. Illae] meretriculæ, Adelph. & Anterast.

6. Pro minore] Huc eunt & MSS. & Ed. licet sub nebulâ. Significat autem, se nescio quid ex ædibus Lenoniis (ut solet hoc genus) manticulatum esse &c. Sic Douza explicat: qui tamem in edit. suâ Plaut. legendum censet, *Pro minâ experte prandij*.

7. Sic dedero.] triumphantis est. atque ita solent in Comœdiâ, quibus successit. Phorm. *Sic dabo, age age nunc Phormionem, qui volet, lacessito*. Menæch. 4.2. Ita autẽ MSS. optimè. nec Cælii illud *derisorem* in ullâ etiam edd. apparet, nisi illa cacata Parei. quod versum miserè vitiat. Ita quidem extat in vulgatis Priscianis lib. 3. sed MS. Gruteri disertè præfert: *Si dedero è militari*,

7. Ære milit.] Ambiguum. nam *æs militare* significat tum stipendium militare, tum gladium, &c. Jch will jhn zalen/ wie die Landsknecht pflegen. Porrò totum hunc locum ita emendat & explicat Palmerius;

Ubi nec leno, nec illæ redeunt, nec quo de eram, quicquam datur,

Pro minâ auri arram prandij pignus cepi.

Quod ad illud attinet, *quo de eram*, arbitratur studiosorum vulgus, *esse*, hoc modo venire ab *edo*, non à *sum*: quorum error eripiendus est. Truc.

De eo nunc benè sumus tuâ virtute

(V.N. Men. 3.2.) Minam lenoni Miles dederat pro prandio; eo postea nusquam apparente, arram prandii, pignus ex ædibus Lenonis A secum abstulerat. & verissimam esse opinor hanc emendationem. Quod addit;

——*ære militari tetigero lenunculum*;

ad rem quoque eam spectant versus Aulularia;

Ibi ad postremum cedit miles: æs petit, &c.

quos versus explanat Varro de L. Lat. Hæc Palm. Matth. Klock JC. è vestigiis scripturæ vet. leg.

Sic dedero: sirempse ære tetigero lenunculũ.

Germanicè dicimus, Jch wil jhn mit gleicher Müntz bezahlen. Pareus in Electis notat; *æs militare*, sunt pugni. quid dici queat, minus credibile?

10. Morula] i. Maurula; à Maurorum colore, qui nigri. Talem notat autor Moreti:

Torta comam, labroque tumens, & fusca colore.

Petronius: *Age, nunquid & labra possumus tumore teterrimo implere?* &c. quæ propriâ facies Æthiopum. Sed MSS. & omn. meæ, præter Brix. habent, *merulea*, id est, tota nigra, ut *avis merula*. quod notat & Lamb. è suis, & Turn. lib. 10. 24. itemque Ulysses Aldrovandus lib. 16. Ornithologiæ. Verùm corvi nomẽ potius usurpasset, de cujus nigrore satis constat; Melius Alciatus à *moris* maturis dici putat, qui antea scilicet pulcrè rubebant. Pareus B in Electis istud accipit de fuligine qua os dormientibus oblitum. plus quàm stultè. pugnis id futurum indicat versus præcedens.

12. Ægyptii] qui, ut loquitur Petronius, *Tincti colore noctis*: vel, ut Apul. l. 1. Florid. *Quibus in corpore color est noctis*.

12. Cortinam p. circ.] Homines Sole perusti, qui vas aquâ plenum ludis Circensibus circumferunt, ut equos cursu defessos frigidâ aspergant: *Lamb.* V.N. Sticho, 2.3. *Cortina* τρίπους & λέβης. eaque propriè, in quâ lana suffecta succos ebibit. Varro dictam vult à *corde*: at Scaliger à rotunditate; quod, ut cortes, ita hæc rotunda esset. Hinc Ennius *cortinam* pro hemisphærio cæli dixit:

Quaque freto cava cæruleo cortina receptat.

intelligit, quæcunq; continentur ὑπὸ τῇ οὐρανοῦ σκηνῇ, ut loquuntur Poetæ. Servus in Ætnâ, pro theatri incurvâ parte, sive etiam tholo, dixisse videtur: *magni cortina theatri*. Ex Conject. Scalig. & Comm. in Tacit. Lipsii. Vide & Turnebum lib. 6. 20.

13. Ad.

13. AD. TENE SIS ME] ita Grut. personas restituit. Putabat quidem Lambinus hîc Anterastilem complecti patrem, & rogare se arctiùs teneat. Sed rectius ista dicuntur ab Adelphasio; & quidem Agorastocli. Nam liberi sanè patres non vocant *voluptatem suam*. Et hac ratione pulcrè etiam confirmatur earundem personarum transpositio scena superiore v.99.

13. MILVOS] ita MSS. Pall. *m. miluos. Mala illa b.* ita versus postulat. neq; aliter Aldina. *miluos* est trisyllabum: *Grut.* V.N. Aulul. act.2:4. recentt. *milvos, mala*, quos & insequitur utraque Parei. malè, & præter MS. pr.

16. PROPEM. HOC] δεικτικῶς, eo, quod intus sum furatus. τὸ *nunc*, nec MSS. nec veteres ed. meliores habent.

19. TVNICIS LONGIS] vide notas statim versus 24.

19. PVER CAVPON.] V.N. Pseud.2:4.

22. BALIOLVM] hoc cognomine videntur peculiariter dicti Afri: à colore balio, qui est color tritici nostratis: *Alciatus*. In MSS. ambiguè scriptum: ut possit esse *baliolum*.

24. MVLIEROSVM] ita MSS. & meliores edd. sequentes *mulierosum*.

24. TVN. DEMISSITIIS] Vett. ed. pleræq; & MS. pr. *demisicys*, unico *s*. Jam, *Laxa toga* & ad talos demissæ tunicæ probro erant, & argumenta libidinosi & mollis animi. Cic. Invectivâ 2. *Quos pexo capillo nitidos & imberbes, aut benè barbatos videtis, manicatis ac talaribus tunicis, velis amictos, non togis*. Horat. 1. Sat. 2: *Maltbinus tunicis demissis ambulat*. Varro: *Cum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos*.

27. CVM ISTAC D.] Sic MSS. Cam. *cum istâc*. ut sic Pœnulum tanquam mulierem appellet; quale illud Virgilii 8. Æn.

O verè Phrygiæ, (neque enim Phryges.)

Et *Atys* juvenis apud Catull. jam eviratus ad comites suos: *Sectam meam exsecutæ &c.* Schopp. Nihil tamen vetat, quin transtulerit sermonem à filia ad patrem. & hoc verosimilius, ob responsum sequens.

30. LIGVLA] MS. pr. *legula*.

30. I IN MAL.] ita omn. edd. at MSS. τὸ *i* non habent.

31. HALLEX VIRI] Non vir, sed viri muria & pænè fex. Nam Plinio *alex* gari vitium est: imperfecta nec colata fex. J. Brod. Miscell. lib.6. cap.10. Acidal. l. *allex viri*, & interpretatur effæminatum & qui virum sibi quærat.

33. DEGLVPTA MÆN.] Ita hunc locum è v. Codd. restituit Turneb. Comment. in Orat.2. Cic. in Rull. & Adversf. lib.10:24. *Mænam*, inquit, appellat, ut *hallecem*, ex viroso & gravi salsamentorum odore, & gari vitio ac liquaminis. *Deglupta*, verbum est turpissimum, ut ψιλός Græcè. Hîc *Sarraptis* est, qui *Serapis* dicitur Ægyptiorum deus, cujus imagini senis formam comparat. ut autem suspicor, per sementes Serapis à suis sacerdotibus per pagos ad stipem colligendam circumferebatur, ut messis uberrima proveniret ejus numine: nam agriculturæ præerat. Congeminata porrò est littera *r*, ad productionem primæ syllabæ. Est & *Sarapis*, *Persica tunica*, auctore Hesychio. Idem aliquando putabat legendum, ——— *arra pisa ementium*. ut mollem virum sic contumeliosè appellarit Bacchum: & obscenum intellexerit; & qui pro arrâ dari possit vilis mercimonii. *Mastruga* autem, quæ vestis scortea est, pessimè olet; quâ Sardi utebantur & barbari Septentrionales, qui pelliti erant. (Cic. pro Æm. Scauro, hâc voce utitur, & in Orat. de Provinc. Consular. *mastrucatos*, ait, *latrunculos in Sardiniâ &c.*) Cæterùm ut salsamenta odore offendunt, sic & in foro strues salis. Atq; ita felicissimè & ingeniosissimè hunc locum, teste etiam Lambino, restituit Turnebus. Etiam Palmerio autore, ἅλς contumeliæ verbum est: hinc Curc. act.4:1. *balophanta*.

33. MENAS] MSS. *mena*.

33. SEMENTIVM] In Cam. MSS. est, *sementium Manstructa, balagoras, amatum ante pl.* Meurs. leg. *semicinctium*. cujus confectores, *semizonarij* dicti. Vulg. *senicinctium*. V.N. Aul. act.3. sc.5.

35. PL. ALLI VLP.] nam victus remigum Romanorum erat cum pane nigro allium. *Ulpicum*, allii species est. In vett. edd. *Alli ulpici*, sine copulâ. potest & epitheton esse allii, *ulpicum*. quasi dixerit, *Punicum allium*. Columella l.11. c.3. *Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον appellant, longè majoris est incrementi, quàm allium*. Acid. In MSS. est, *Alij ulpique*.

 36. MALE

36. MALÆ AVT D. PRVR.] V. N. Pſeud. 1:1. Juckt dich der Puckel? wiltu Pumpſt haben?

38. ANTHEM. CVR NON ADHIB.] Ita Perſonas reſtituit Gruterus. quòd non videat ſatis, (ſi vulgata teneantur) unde hic eſſent Militi ſervi, & quidem cum fuſtibus. at Agoraſtocli eſſe poterant, vicino ſcilicet Lenonis: ut conſtat ex Sc. 1. *At ego h. vicinam dico Adelph.*

38. TYMPANVM] Ut Galli ſacerdotes Cybeles, homines ſemiviri. Hinc amarulentum illud in Auguſtum, Suetonii cap. 68. *Videsne ut Cinædus orbem digito temperet?* Pareus, qua eſt ingenii fæcunditate, talem elicuit hinc ſententiam: Calumniatores furioſi ſunt, ut ſacerdotes Iſidis Deæ, qui in furore tympano uſi. Annon porca mugiens, veriora grunniat?

50. AN. CREPIB.] Rectè ita Piſt.

55. H. F. TVAS. ET MIHI] Ita hæc continuant vett. edit. & MSS. Et probabit, qui fallaciæ inſtitutæ & locorum meminerit, ubi de furto agitur, &c.

56. RAP. IN IVS.] MSS. *Rap. intus.*

57. INIVRIARVM MVLTAM DICI] Ita Lipſ. & Car. Langius. Impenſè benè, inquit Douza; niſi quòd *indici* malim. Sic *indicere bel-* A *lum*, & *indicere multam*, dixit Plinius Nepos. At Muretus Var. Lect. lib. 11:10. retinet vulgatum *induci*. ut eodem modo dicatur, *multam inducere*, quo apud Græc. *δίκην ἐπάγειν*, aut *εἰσάγειν*. de quo Budæus in Comment. Græcæ linguæ: & *cognitionem inducere*, apud Plin. Jun. Et in eâdem conjecturâ etſi non eâdem mente, Baptiſta Pius fuit: *induci* enim interpretatur, deleri; ut ſcilicet *ἀμνηστία* fiat injuriarum. Schoppius vulgatam lect. quæ & in MSS. eſt,

Injuriarum multo induci ſatius eſt.

tuetur: atque luſiſſe Pœnulum in verbis *Rapere* & *Inducere*. Dixerat adoleſcens, rapiendum ſibi lenonem in jus videri: diſſuadet B Pœnulus, ſibique conſultius videri ait, ſi ducatur. Deniq; Piſt. velit,

Injuriam multam induci ſatius eſt.

Ut jocetur Pœnus in eo, quod Agoraſt. dixerat, *Rapiamus in jus*. Cui ille: an tu jure agere cum monſtro iſto velis? minimè: non dignus eſt. Injuriam potius plurimam ei irrogato. Cui enim malè volumus, eum non tam jure quàm injuriâ & indigniſſimis modis perditum volumus. Sed mihi probatur MSS. lectio, quæ eſt & vett. editionum: niſi quod Pariſina,

Injuriarum mulctam indici ſatius eſt.

ACTUS V. SCENA VI.

LYCVS leno.
AGORASTOCLES.
HANNO Pœnus.
ANTHEMONIDES miles.

DEcipitur nemo, meâ quidem ſententiâ,
Qui ſuis amicis narrat rectè res ſuas:
Nam omnibus amicis meis idem unum convenit,
Vt me ſuſpendam, ne addicar Agoraſtocli.
AG. Leno eamus in jus. LY. obſecro te, Agoraſtocles,
Suſpendere ut me liceat. POE. Leno, in jus te voco.
LY. Quid tibi mecum autem? POE. quia haſce ajo liberas,
Ingenuasque eſſe filias ambas meas,
Quæ ſunt ſurreptæ cum nutrice parvulæ.
LY. Jampridem equidem iſtuc ſcivi, & miratus fui
Neminem venire, qui iſtas aſſereret manu.

Mea

Meæ quidem profectò non sunt. AN. Leno, in jus eas.
LY. De prandio tu dicis? debetur, dabo.
AG. Duplum pro furto mihi opus est. LY. sume hinc quidem.
POE. Et mihi supplicijs multis. LY. sume hinc quid lubet.
AN. Et mihi quidem mina argenti. LY. sume hinc quid lubet.
Collo rem solvam jam omnibus, quasi bajolus.
AG. Nunquid recusas contra me? LY. adversum quidem.
AG. Ite igitur intrò mulieres. sed patrue mi,
Tuam, ut dixisti, mihi despondE filiam.
POE. Haud aliter ausim. AN. bene vale. AG. & tu bene vale.
AN. Leno! arrabonem hoc pro minâ mecum fero.
LY. Perij hercle. AG. imò haud multo pòst, cùm in jus veneris.
LY. Quin egomet tibi me addico. quid Prætore opus est?
Verùm obsecro te, ut liceat simplum solvere.
Trecentos Philippos, credo, corradi potest:
Cras auctionem faciam. AG. tantisper quidem,
Ut sis apud me ligneâ in custodiâ.
LY. Fiat. AG. sequere intrò, patrue mi, ut hunc festum diem
Habeamus hilarem, hujus malo, & nostro bono.
Multum valete. multa verba fecimus.
Malum postremò hoc omne ad lenonem redit.
Nunc quod postremum est condimentum Fabulæ,
Si placuit, plausum postulat Comœdia.

QVI SVIS AM.] MSS. Cam. pr. *Quisquis am.*

V. 14. SVME HINC QVIDEM] ita MSS. & edd. δεικτικῶς. Significat se collo & suspendio omnibus satisfacturum. Er will mit der Haut bezahlen.

18. LYC. ADVERS.] ita editio Cam. & vulgati Cod. *adversum quidem.* hinc Turneb. lib. 10: 24. fecit, *haud verbum quidem.* Lamb. mālit, *ne verb. q.* sed Gruterus retinet vulga- A tum: cùm sic quoque MSS. habeant, & sensus lateat obscenus.

22. ARRABONEM] Electa Parei fingunt nobis morem talem: *Arrabonem auferebant: si quid alij darent mutuum.* Quis mortalium istud intelligat? B

23. MVLTO POST, CVM IN I.] Ita Douza F. & Pistoris. Tu qui te jam periisse dicis, multo magis id dices, quando in jus veneris.

23. IN IVS] MSS. *intus.*

FINIS POENVLI.

PERSA

PERSA.

ARGUMENTUM.

ARgumentum Fabulæ est exile, amationis servilis: & jocosum ac plausibile in Lenonis circumventione. Etiam parasiticæ levitatis exagitationem continet, dum Saturio filiam suam, cibi caussâ, non dubitat vendere. *Nomina Personarum sunt* τοξίλος, ἀπὸ τοῦ τόξου, sicut τρωΐλος. σαγαρισίων, σάγαρις securim aut ensem significat. *Saturio* est σατυρίων; etsi ad *satietatis* nomen Latinum allusit in Fabula Plautus. Est & *Saturij* nomen in Orat. pro Roscio Comœdo. σοφοκλειδίσκη, sicut παιδίσκη. λημνισελήνη à Lemno & Lunâ. In editis exemplaribus est *Lemniscelene*, hoc fieret à *lemniscis*. παίγνιον, à jocis & ludis. *Dordalus*, ridicula appellatione. Vel *Pordalus*, ἀπὸ τῆς πορδῆς, (Fartzhans) In MSS. reperitur *Dorpalus*. hic esset ἀπὸ τοῦ δόρπου, à cõvivio: Ein Schmauser. JOSEPHUS Justus Scaliger Animadvers. in Eusebium, pag. 130. Constat *(inquit)* hominem ex Perside πέρσην dici, & Latinè *Persam*. sic Poeta Græcus, quisque is fuit, unde Plautus *Persam* fabulam suam vertit, sine ullo dubio Πέρσην illam inscripserat, & rectè Plautus vertit *Persam*. Ibi enim Parasitus pro homine Persâ inducitur. At omnes edd. præ se ferunt *Persam virginem* filiam Parasiti vocatam fuisse. Tollatur ergô delirium. Nam *Persa* est nomen gentilitium virile, non fæmininum.

DRAMATIS PERSONÆ.

TOXILVS servos.
SAGARISTIO servos.
SATVRIO parasitus.
SOPHOCLIDISCA ancilla.
LEMNISELENE.
PÆGNIVM puer.
VIRGO.
DORDALVS leno.

ARGUMENTUM.

PRofecto domino suos amores Toxilus
Emit, atque curat, leno ut emittat manu,
Raptamque ut emeret de prædone virginem
Subornata suadet, sui parasiti filia,
Atque ita intricatum ludit potans Dordalum.

DOMINO] Timarchide. V.1. AMORES] Lemniselenem. 2. CVRAT, LENO VT] ita distinguendum. A lenone enim hero manumittitur Lemniselene, Toxilo liberante. 4. SVBORNATA S. S. PAR. FILIA] Ita ambo MSS. vulgo *Subornatam filiam*.

ACTVS

ACTUS I. SCENA I.

TOXILVS, SAGARISTIO, servi duo.

QVI AMANS EGENS ingressus est princeps in amoris vias,
Superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, & cum excetrâ, cum cervo, cum apro Ætolico,
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,
Quàm cum amore. ita fio miser quærendo argento mutuo;
Nec quicquam, nisi, Non est, sciunt mihi respondere, quos rogo.
SA. QVI HERO SVO SERVIRE vult bene servus servitutem,
Næ edepol illum multa in pectore suo collocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti atque absenti suo.
Ego neque libenter servio, neque satis sum hero ex sententiâ:
Sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen,
Quin mihi imperet, quin me suis negotijs præfulciat.
Quis illic est, qui contra me astat? TO. quis hic est, qui contra me astat?
Similis est Sagaristionis. SA. Toxilus hic quidem meus amicus est.
TO. Is est profectò. SA. eum esse opinor. TO. congrediar. SA. contrà aggrediar.
TO. O Sagaristio, dî ament te! SA. ô Toxile, dabunt dî quæ exoptes.
Vt vales? TO. ut queo. SA. quid agitur? TO. vivitur.
SA. Satin' ergo ex sententiâ? TO. si eveniunt quæ exopto, satis.
SA. Nimis stultè amicis utere. TO. quid jam? SA. quia jam imperare oportet.
TO. Mihi quidem tu jam eras mortuus, quia te non visitavi.
SA. Negotium edepol fuit. *TO ferreum fortasse. SA. plusculum annum*
Fui præferratus apud molas tribunus vapularis.
TO. Vetus jam istæc militia est tua. SA. satin' tu usq; valuisti? TO. haud probè.
SA. Ergo edepol palles. TO saucius factus sum: in Veneris prælio
Sagittâ Cupido cor meum transfixit. SA. jam servi hîc amant?
TO. Quid ergo faciam? dis ne advorser? quasi Titani cum dis belligerem,
Quibus sat esse non queam?
SA. Vide modò, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.
TO. Basilicè agito eleutheria. SA. quid jam?
TO. Quia herus peregrè est. SA. ain' tu, peregrè est?
TO. Si túte tibi bene esse potes pati, veni; vives mecum,
Basilico accipiere victu. SA. vah! jam scapulæ pruriunt,
Quia te istæc audivi loqui. TO. sed hoc me unum excruciat.
SA. Quidnam id est? TO. hæc dies summa hodie est, mea amica sitne libera,
An sempiternam servitutem serviat. SA. quid nunc vis ergo?
TO. Facere *amicum tibi me potis es sempiternum. SA. quemadmodum?*
TO. Vt mihi des nummos sexcentos, quos pro capite illius pendam,

Quos continuò tibi reponam in hoc triduo, aut quatriduo.
Age! si benignus, subveni.
SA. Quâ confidentiâ rogare tu à me argentum tantum audes
Impudens? quin si egomet totus veneam, vix recipi potessit
Quod tu me rogas. nam tu aquam à pumice nunc postulas,
Qui ipsus sitiat. TO. siccine hoc te mihi facere? SA. quid faciam? TO. rogasne?
Alicunde exora mutuum. SA. tu fac idem quod rogas me.
TO. Quæsivi, nusquam repperi. SA. quæram equidem, si quis credat.
TO. Nempe habeo in mundo. SA. si id domi esset mihi; jam pollicerer:
Hoc meum est ut faciam sedulò. TO. quicquid erit, recipe te ad me.
SA. Quære tamen. ego item sedulò, si quid erit, faciam ut scias.
TO. Obsecro te; resecro! operam da hanc mihi fidelem. SA. ah! odio me enicas.
TO. Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.
SA. At pol ego abs te concessero. TO. jámne abis? SA. bene ambulato!
Sed recipe te quàm primum potes: cave fuas mihi in quæstione:
Vsque ero domi, dum excoxero lenoni malum.

VERSUS tetrametri acatalectici, catalectici, Archilochii & Hipponactei. itemq; dimetri unus & alter.

SAGARISTIO] Σάγαρις & Κοπὶς arma erant Persarum, sed & Amazonum. Et *Sagarim & Copidem & Macharam* Xenophon pariter & Polybius ut synonyma habent. Vide mihi Barn. Brissonium lib. 3. De regno Persarum. Et ut hoc obiter dicam: videtur illud, quod Hungari & nostrates hodiéque Copyn vocant, *Copis* Persarum esse: de quâ Polybius tradit, è sublimi & edito loco plagam violentiùs copide, quàm ense infligi. Curtius lib. 8. *Copidas vocant gladios leviter curvatos, falcibus similes, quis amputabant belluarum manus.*

V. 1. PRINCEPS] ita MSS. Cam. i primus. At cur quæso, inquit Meursius, majores ærumnas exantlavit primus, quàm cæteri? legendum est, *priceps*, pro *præceps*. nam *pri* pro *præ* dicebant veteres. quod testatur Festus in *privignus, &c.* A quo ἀρχαϊσμῷ etiam est *prius, primum, pristinum.* Præcipites autem feruntur amatores pauperes, & velut in barathrum quoddam; vel, ut Apul. loquitur, *profundam amatoris foveam* demerguntur, multò magis quàm divites: cùm vix sit spes amore suo potiundi.

1. AMORIS VIAS] Cicero 6. 2. ad Attic. *Nulla tanta esse potest occupatio, ut interrumpat iter amoris nostri.* Propert. 3. el. 14: *Et datâ libertas noscere amoris iter.* ibi Passerat.

2. HERCULIS] MSS. *Herculi.*

3. CUM EXCETRA] i. hydrâ. quam Heraclides Ponticus πολυκέφαλον ὕδραν appellat. Horatius 2. Epist. 1.

——diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit.

Persequitur Labores Herculis & Lucret. l. 5. sub initium, & Mart. lib. 9: 104. & Sillius Ital. lib. 3. & Diodorus Siculus lib. 4. c. 3. aliique. Et quamvis usitatè XII. numerentur; Q. Smyrnæus tamen lib. 6. Paralip. circiter XX. pingit in clypeo Eurypili. eorumque μυθολογίαν pulcram habet Alciatus Emblem. 137. & Comment. in illud, Claud. Minois. Sidon. Apollinaris Carm. IX. etiam plures tangit:

NON hîc Herculis excolam Labores,
Cui Sus, Cerva, Leo, Gigas, Amazon,
Hospes, Taurus, Eryx, Aves, Lycus, Fur.
Nessus, Libs, Juga, Poma, Virgo, Serpens,
Oeta, Thraces equi, boves Iberæ,
Luctator fluvius, Canis triformis,
Portatusque polus polum dederunt.

6. NIBI NON EST] Trin. 3: 3.

11. LIPPO OCULO] *Uti tanquam lippo oculo*, Proverb. dicitur de re, quâ carere non possumus, cùm tamen damnosa nobis sit. Eleganter Plautus ad servos improbos traxit. Alc. Par. lib. 6: 12. V. N. Bacch. 4: 8. v. 72.

12. PRÆ-

12. PRÆFVLCIAT] ita MSS. & vett. edd. Et eſt. quod J. Gul. notat, pellepidum dicendi genus. Hinc ſervus fidelis & bonus *columen familiæ* dicitur, Phormione: quòd ſcilicet rebus heri ſui fulcri & columinis vicem ſit. Et ſcitum eſt illud Lucilii Epitaphium carmen:

Servo' neque infidus domino neque inutili quoiquam,
Lucilli columella hic ſitu' Metrophanes.

V.N. Pſeud. act. 3: 1. quod unicè probat etiam Acid. ſed Lipſii minimè, qui leg. *præfuciat*, pro *præficiat*.

19. AM. VTERE.] neſcis amicis uti.

20. NON VISITAVI] crebrò, ut ſolebam. non vidi: L.

21. FERREVM] *negotium ferreum* falsè appellat compedes: L.

21. PLVSC. AN.] pluſculam ſeu majorem anni partem: D.

22. TRIBVNVS VAPVLARIS] Feſtivus jocus, cum alluſione, quaſi Tribunus militaris apud Nolam. Sic in Moſtellar. ergaſtulos *genus ferratile* appellavit, &c. Vide Lipſ. Elect. lib. 2: 15.

26. TITANI] Nota eſt Fabula. P. Victorius lib. 13: 9. docet, non dictos à Platone *Titanum è genere eſſe*, qui adverſantur magiſtratibus; ut tradit Cic. 3. De Leg. ſed qui jusjurandum fidemque, maximè diis teſtibus datam, violant, ac denique deos ipſos negligunt; ingenium ſævum, quale in Titanibus exiſtit, præ ſe ferentes: unde neceſſariò in eadem mala, in quæ illi, incidere debeant, &c.

27. SAT] i. par. Chariſius: *Satis, diversè accipitur* ἀντὶ τοῦ *par*. Lucillius:
Cui, ſi conjuret, populus vix totu' ſatis ſit. D.

28. VLMEÆ CAT.] virgæ ex ulmo. *Catapultas* dixit, ut in metaphorâ militari perſiſteret.

29. ELEVTHER.] regium in morem vivens ob libertatem nactam feſtos dies agito. *Eleutheria*, feſta quæ celebrabantur Græcis in honorem Jovis Eleutherii: quem & σωτῆρα vocabant. L. At interprete Henr. Stephano, *Eleutheria* ſunt *Libertatis ſolennia*.

32. PRVRIVNT] ſc. mihi. V.N. Mil. 2: 4. & Pſ. 1: 1.

34. HÆC DIES SVMMA H. EST.] vel hodie amica mea erit libera, vel perpetuò ſerviet. J. Zeznerus Birutho-Francus his ſimilia oſtendebat mihi illa Ariſtoph. τῇ δὲ ὁ ἡμέρᾳ κεκρίσεται, [illegible] δύς. Lectio noſtra à Camerario manavit. nam edd. vett. & MSS. *Hæc de ſumma hodie eſt.* poſterior *Hæc ſumma eſt: hodie &c.* quod editionibus ſuis intulit Pareus; cùm tamen Lambinus, Douſa, alii, acquieviſſent Camerarianæ, utpote meliori.

37. PRO CAPITE] *Pro capite dare, numerare*, ſervus dicitur, qui pro libertate dat: velut à JCtis dicitur, *Ob pactionem libertatis.* Sic Pſeud. 1: 2. Pœn. act. 3: 1. Vide Briſſ. lib. 3. De verborum ſignif. & J. Grut. ad Senecam.

39. AGE, SI BENIGNVS] Sic ex MS. pr. Camerarius. nam edd. priores, *Age ſis, benign.* Pal. ſec. *Age ſed benign.* Pareus nobis mentitur ſcripturam MS. pr. *Age; ſi benignu's, ſubveni.* neq; enim aliter in eo viſas, quàm edidit Camerarius.

41. POTESSIT.] Ita Camerariana & ſeqq. nam MSS. *potis eſt*, quod & in edd. primis, ignorantia ſcilicet antiquitatis. & tamen id quaſi poſtliminio editioni poſtremæ invexit Pareus. ô durum caput!

42. AQVAM A PVMICE POSTVLAS.] ita MSS. & omn. vett. ed. unicè probatum Grutero Vulgò, è *pumice*.

43. ROGASNE.] Sic rurſus Camer. cùm prius fuiſſet in Pal. pr. *Rogan'*. verſus verò ſequens planè ruit in utraq; Pareana, dum contra MSS. & edd. vett. tranſpoſita voce edit, *me rogas*.

46. HABEO IN M.] ita MSS. Cam. (*abeo*) & edit. Arg. Ven. & Brix. ſed Pariſ. Ald. & Baſ. *habes* quod Douſa rectius putat: &, *Domi*, &, *In mundo*, eadem apud Plautum & ejus ætatis ſcriptores eſſe probat: gloſſamque Lambini inſipientem & inficetam eſſe.

49. TO. OBSECRO TE, RESECRO] Ita omn. edit. quod & Douſa probat præ illo Turnebi, qui τὸ *reſecro* Sagariſtioni tranſcribit: citatque pro ſe illud Aulul. *Reſecro mater, quod dudum obſecraveram.* Turnebo tamen favet MS. ſec. ſed pr. habet,

Obſecro te ··· reſecro ··· operam:

cum lacunulâ. Ita autem Turn. lib. 18: 25. Si quis, inquit, antiquitùs *Obſecro* dixerat; eum, quem alloquebatur, obſtringere quodam ſacramento & jurejurando videbatur: & ſi ea perſona erat, cui pudorem deberet, cuique omnia liberè in utramque partem eſſe vellet, ut eam religione ſolveret, ſubjiciebat, *Reſecro*: quo verbo obſecrationem ſolvebat. Aul. act. 4: 7. Etiam, qui obſecrabatur,

ne religione eâ obligaretur, *Resecro* dicere solebat. Persâ: *TO. Obsecro te. SA. resecro.* Sed & Rei in comitiis, cum populum supplices obsecraverant, ut eo periculo liberarentur; continuò resecrare cogebantur à Magistratu. Vide Festum: sed & Scalig. ibidem, qui morem Resecrationis reorum accuratiùs explicat. P. Pithœus Adversarior. lib. 1: 10. ad illud Festi, *Resecrare, est resolvere religione:* inter cætera hunc etiam locum sic explicat: Toxilus per amicitiam obtestatus erat Sagaristionem, ut mutuò DC. nummos daret. Dixerat Sagaristio, nummos se præsentes non habere. Ita obsecrationis religione tenebatur. Resecrat Toxilus, & eâ absolvit Sagaristionem, obsecratque ut saltem operam commodet, quò aliunde possit mutuos sumere. Dicet hîc aliquis, ubi vero tandem obtestationis religionem notas, quâ Sagaristionem teneri fingis? Nempe hîc paullò antè: *TO. Facere amicum tibi me potis es sempiternum?* Nam hæc verba, *potis es*, obtestandi obsecrandique, &, ut ita dixerim, adjurandi vim habent. Terentius: *Si tibi placere potis es, mihi ut respondeas.* Id. *potin es verum dicere?* Persius, Satir. 1. *Et verum, inquis, amo. Verum mihi dicito de me. Qui pote?* ubi, quam in obtestatione formulam non expressit, in responsione attingit, &c. V. N. Aul. 4: 7. Siberus simplicius istæc accipiebat; obsecro te, & quidem valde vehementer obsecro; ut sit pro *redobsecro.* Rob. Stephanus legit; *Obsecro te, resecroque.*

51. JAMNE ABIS? SA. BENE] ita MSS. & omn. editi. Benè ad hypocrisin. Hæc tamen uni Toxilo. dat continuè Acidalius: satellesque ejus Pareus illicò editionibus intulit suis.

ACTUS I. SCENA II.

SATVRIO Parasitus.

Veterem atque antiquum quæstum meum alimoniæ
Servo atque obtineo, & magnâ cum curâ colo.
Nam nunquam quisquam meorum majorum fuit,
Quin parasitando paverint ventres suos:
Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus,
Quasi mures semper edêre alienum cibum,
Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.
His cognomentum erat duris Capitonibus.
Vnde hunc ego quæstum obtineo, & majorum locum.
Neque quadruplari me volo: neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona:
Neque illi, qui faciunt, mihi placent: planè loquor!
Nam publicæ rei caussâ quicunque id facit
Magis, quàm sui quæsti; animus induci potest,
Eum esse civem & fidelem & bonum:
Sed legirupam qui damnet, det in publicum
Dimidium: atque etiam meâ lege adscribitor;
Vbi quadruplator quempiam injexit manum,
Tantidem ille illi rursus injiciat manum,
Vt æquâ parti prodeant ad tresviros.
Si id fiat, ne isti faxim usquam appareant,

Qui

Qui hîc albo rete aliena oppugnant bona.
Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam,
Ubi sunt magistratus, quos curare oporteat?
Nunc huc introibo, visam hesternas reliquias,
Quieverint rectè, nec ne: num infuerit febris,
Opertæne fuerint, ne quis obrepserit.
Sed aperiuntur ædes, remorandus est gradus.

VErsus Sen. jambici: ut & Sc. sequentis.

1. VETEREM ATQUE ANTIQ.] V. N. Mostell. 2.2.

1. MEUM ALIMONIÆ] Est à conjectura Camerarii, nam pro duabus his vocibus, tantum est in edd. vett. *malo*: quod & in Pal. sec. nam pr. *mali*. fuit fortè *malorum meûm*, h.e. *majorum meorum*, eoque hæsitavit librarius.

6. MURES] Sic Capt. 1.1.

Quasi mures semper edimus alienum cibum. Gr. μυσπολεῖν. Facetè Diogenes, cùm videret mures ad mensam subrepentes, *Ecce tibi*, inquit, *etiam Diogenes Parasitos alit.*

8. DURIS CAPIT.] ita Camerariana. *Durus* pro *impudente* etiam & *improbo*, antiquitus ponebatur. unde Douzæ placuit *duros capitones* hoc loco exponi, *Ore improbo, duro ferreóque* (ut Ter. Catullus & Lucill. loquuntur) hoc est, attritâ perfrictâque fronte insignitè præditos: cujusmodi habere Parasitos convenit, allusumque sit ad *Capitonum* familiam Romæ haud incelebrem. Censetque nugari Lambinum qui à pertinaciâ in comedendo eos putet dictos. Quamvis & Alciatus *Capitones* h.l. non magni capitis, sed magni ventris & gulæ, quòd omnia capiant, exposuerit. Deniq; Is. Casaubonus ad Athen. l.1.c.14. annotat, Olim inter alia instrumenta perditi luxûs, & matulas in triclinia inferri solitas, quas sæpe, ubi incaluissent, in capita sibi invicem illiserint. Hinc illud Comici (Capt. act. 1.1.)

nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangique aulas in caput: &c. dictosque propterea alios parasitos, *duros capitones.* His Casauboni applices fortè illud Quintiliani: *Colaphum tibi ducam, & formulam scribam, quòd DURUM CAPUT habeas.* MSS. Cam. ut & Mediol. & Arg. & Ven. edit. leg.

A *Neque his cognomentum duris capitonibus:* cæteræ, *Namque his* (vel *iis*) *cognom. dur. c.* neque in ullo etiam τὸ *erat* apparet; nisi in MS. primo, *Neq. iis cogn. erat d.*

10. QUADRUPLARI ME] *Me*, abundat. i. Nolo quadruplator esse. Asconius: *Quadruplatores, accusatores sive delatores criminum publicorum sub pœnâ quadrupli: sive, quòd ipsi ex damnatorum bonis, quos accusaverant, quartam partem consequebantur.* Vide Turn. lib. 3. 9. & Lips. ad Tacit. 4. Annal. ubi docet, *Quartam* fuisse præmium in crimine Majestatis, item Repetundarum; & vulgare præmium accusatorum. *Marcell. Donatus Ponzani Comes*, Dilucidat. libro, negat, *Quadruplari* hîc esse, quadruplaturam exercere. Sed Parasitum hoc dicere, se nolle ereptum ire aliena bona, *ne quadrupletur*, i. ne cogatur ad quadruplum pretium solvendum. Ita Ulpianus: *Intra annum utile verum pretium rei quadruplatur.* i. in quadruplum est. Vide ibid. plurima, pag. 873. Apud Sid. Apollinarem lib. 5. e-
B pist. 7. *quadruplatores* etiam sunt portorii & vectigalium conductores. quemadmodum *quartarij* dicebantur *muliones mercenarij, quòd quartam partem quæstus caperent.* Etiam Seneca Benef. lib. 7. c. 25. argutè *beneficiorum quadruplatores* dixit, &c.

11. IRE AL. EREPT.] Hoc imitatus Plinius Paneg. de eodem hominum genere: *Ereptum alienas pecunias eunt? perdent, quas habent.* Cato: *Prohibitum ire aliquid.* Noster Cistell. *pellices eunt depressum.* Ib. *Ire habitum honorem*, pro, *habere honorem.* Mil. *Amanti ire opitulatum.* Sallust. *Ultum ire injurias.* Apuleius Florid. 2. *aliena furatum eunt.* Cæterùm (ut obiter adolescentes moneam) tales loquendi modos, non verba esse Futuri temporis, sed integras phrases Præsentis temporis, curiosè docuit Augustinus Saturnius l. 4. c. 10. item L. Valla l. 1. c. 28.

14. INDVCI P.] adduci possum, ut credam. L.

15. EVM ESSE CIVEM ET FIDELEM ET BONVM] Sic MSS. sic edd. vett. at Pareana Prior: *Eum & fidelem & civem esse, & virum bonum*. quæ Libido innovandi!

16. LEGIRVPAM] παράνομον, τὸν τὺς νόμυς παραβαίνοντα. MSS. ambo, *legerumpam*. Vide N. Ps. 1. 3. Pareus hic iterum ferro critico scrutatur vitalia Plauti, edendo, *sed legirupam quidem ni duit in publicum*. plane contra Pall. qui nihil recedunt à vulgato nostro. sed neq; aliter primitus cusi, nisi quod ii, *quidam ne det* in pr.

17. MEA L. ASCR.] Ita Grut. ductu MSS. Cam. at Dousa, *in eam legem adscribitor*.

18. INIEXIT M.] injecerit manum, & in judicium traxerit. L. MSS. & vett. ed. *inlexi*.

19. TANTIDEM ILL.] tantâ pœnâ propositâ: *vel*, tantidem lite æstimandâ. L.

19. INIICIAT] MSS. *iniciat*.

20. AQVA PARTI] ut pari utrinque proposito periculo ad Prætorem eant. *parti*, pro, *parte*, Men. act. 3. 2. PORRO Acidalius, Difficilis, inquit, locus; quem nemo dum expedivit: quia nimis omnes recesserunt à vett. librorum lectione, in contrarium planè sensum à vulgatis euntiũ. ubi n. nostri, *quicunq; id facit*, illi habent, *qui non id facit*. ubi nostri *animus induci potest*; illi, *animus haud ind*, ubi nostri. *qui damnet*; illi, *quidem ni*; notabili diversitate. Mutilus etiam versus est, *Eum esse &*, tum sententiæ eorum defecta, *atque etiam in eâ lege ascribier*. Postremo solœcum est, *quempiam injexit manum*. Ita igitur omninò rescribamus, optimo sensu:

Nam publicæ rei caussâ qui non id facit
Magis, quam sui quæsti, animus haud induci potest,
Eum & fidelem civem esse & virum bonum;
Sed legirupam quidem, nisi det (vel, *ni duit*) *in publicum*
Dimidium. atque æquum etiam in eâ lege adscribier,
Ubi quadruplator quoipiam injexit manum,
Tantid.

quas sordes maxima parte in editionis primæ cloacam recepit Pareus; ejecit autem quædam secundâ. Sed nos librorum MSS. consensum fere repræsentavimus.

21. NE I. F. USQ.] ita MSS, & omn. editi; præter illum interpolatum: in quo est, *n. e il. fax. nunq.* quod palato Pareano mel & saccharum: adeo sus semper amat lutum, asinusque carduos.

21. FAXIM] V. N. Aul. 3. 5.

22. ALBO RETE] Erasmus: *Rete* vocat calumniam quadruplatorum: *album*, alludens ad codicillos, & dicas syngraphasque, quibus lis intenditur. Lambinus: *Albo rete*, i. occultè, insidiosè: vel specie reipub. consulendi, & personâ boni civis inductâ. Tvo Villiomarus: *Albo rete* dixit Plautus, ut idem dicit, *homines cretâ sese occultare*, (Aul. act. 4. 9.) & Ennius, *Medeam gypsatis manibus*. Quæ omnia translatio dicta sunt de iis, qui dolos suos prætextu exornant, & illis aliquam bonam caussam prætendunt, puta leges & jura, aut simile: quas fraudes εὐπροσώπως καὶ εὐπροφασίστως Græci vocant. Nec vero metaphora est à piscatione, ut falso Rob. Titius autumat. Nam si ita esset, quomodo Pl. dixisset, *oppugnare*; non, *captare*, aut *piscari*? Nullum est χῆμα in v. *oppugnare*. sed allegoria est in v. *Rete*. Nam leges *retia* vocat. Illis enim homines illaqueantur, ut feræ pedicis aut cassibus. *Albus*, ut dictum, εὐπροσώπως intelligit. Hæc est vera allegoriæ Plautinæ interpretatio. Nam Prov. non est: sed potius λόγος ἐσχηματισμένος. Porrò, Veteres libri (Paris. & Brix.) inquit Meursius, l. *albo pariete*. Legerim, *albo ariete*. Sed cur, *albo*? Quærendum amplius. An *albus paries* dolum & fallaciam significat latentem sub aliquâ honesti specie? Sanè D. Paulus litterarum sæcularium peritissimus, atque in Poetarum scriptis versatissimus, ita loquitur in Actis Apost. cap. 23. Ananiæ contumeliis amoliri volens, &c. Hæc ille. Etiam Acidal. acerrimè defendit contra omnium interpretationes, *albod ariete*: interposito *d*, hiatui evitando. Et, *ariete oppugnari*, (inquit) hîc aptius dici, nemo erit, qui nesciat, nisi qui bellicam arietis nomine machinam ignoret. Atque hanc machinam *albam* dicit eo prorsus modo, quo *rete* volebat Tvo. Leges & jura sunt quasi *aries*: sed is *albus*, i. εὐπρόσωπος & prætextu honesto exornatus: quo callidi quadruplatores oppugnant miserorum bona, sub æquitatis specie & Reipublicæ &c. Istud quoque adblandiebatur Sibero, *albo*

albo ariete, ita tamen ut allusum sit ad Album prætoris. Hier. ad Heliod. *Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Evangelij retundendus est muro.* B. Brissonius respectum putat ad *Album*, i. tabulam dealbatam; vel (ut Theophilus scribit) albis literis notatam, in quâ Prætores edicta sua, quo omnibus innotescerent, actionesque & Interdicta proponebant. J. Gulielmius: *Album* accipio, apud quos edebant actionem litigatores. quod mimicè tanquam plagam esse ait: quâ capiantur bona aliena. neque placet mihi prior conjectura mea, Verisimil. libr. 3. cap. 13. *Qui hic albo rete.* Videantur denique & Sibrandi Tetardi Siccamæ De Judicio Centumvirali lib. 1. cap. 4. & Ræyard. in Protrib. lib. singul. cap. 4. ubi legas: *Album parietem fuisse dealbatum*, cum Accursio visus est affirmasse Plautus, *Ne isti f. n. app. Qui hic albo pariete al. op. bona.* Nisi continens pro contento & μετωνυμικῶς accepisse Plautum dixeris; quam-A vis scripserit expressè Suidas λεύκωμα, hoc est, *album, parietem fuisse gypso inunctum, ad inscriptionem civilium rerum aptum.* Id enim ad ea potius, quæ, prout res incideret, ad tempus, quàm ad ea, quæ jurisdictionis perpetuæ caussâ in albo proponebantur, videtur referendum. MSS. Cam. & Ven. & Mediol. & Arg. edd. *albo rete*. In tot sententiis haud dubiè Acidalii speciosissima est: sed Tvonis & J. Gulielmii vero simillima, nisi planè vera: quod suspicor, animatus etiam auctoritate meliorum Codicum.

B 26. QVIEVER.] D. l. *Quierint*, metri caussâ. MSS. Cam. *Quieverint ne rectè necne &c.* Omn. vett. ed. *Qui evenerint.*

26. INFVERIT] Ita MSS. & omn. edit. Latinum tamen non esse, ait Palm. qui legit, *inibérit f.* Sed & apud Festum citari de Plauto, *Iniit te unquam febris*, nota Camerarius: sed suspicatur, ex alio loco.

ACTUS I. SCENA III.

TOXILUS servus,
SATURIO parasitus.

OMNEM rem inveni, ut suâ sibi pecuniâ
Hodie illam faciat leno libertam suam.
Sed eccum parasitum, cujus mihi auxilio est opus.
Simulabo quasi non videam, ita alliciam virum.
Curate istic vos, atque approperate ocius.
Ne mihi moræ sit quicquam, ubi ego intrò advenero.
Commisce mulsum; struthea coluthéaque appara
Bene ut in scutris concaleant; & calamum injice.
Jam pol ille hic aderit, credo, congerro meus.
SA. Me dicit, euge! TO. lautum credo à balneis
Jam hic affuturum. SA. ut ordine omnem rem tenet!
TO. Collyræ facite ut madeant & colliphia:
Ne mihi incocta detis. SA. rem loquitur meram!
Nihil sunt crudæ, nisi quas madidas glutias.
Tum nisi cremore crasso est jus collyricum;
Nihil est macrum illud, epicrocum, pellucidum:
Quasi juream esse jus decet collyricum,
Nolo in vesicam quod eat, in ventrem volo.

TO. Pre-

TO. Propè me hic nescio quis loquitur. SA. ô mi Juppiter
Terrestris, te coepulonus compellat tuus.
TO. O Saturio, opportunè advenisti mihi.
SA. Mendacium edepol dicis, atque haud te decet:
Nam Esurio venio, non advenio Saturio.
TO. At edis! nam jam intus ventris fumant focula.
Calefieri jussi reliquias. SA. pernam quidem
Jus est apponi frigidam postridie.
TO. Ita fieri jussi. SA. ecquid alecis? TO. vah! rogas?
SA. Sapis multum ad Genium. TO. sed ecquid meministi, herè
Quâ de re ego tecum mentionem feceram?
SA. Memini: ut murana & conger ne calefierent.
Nam nimio melius oppectuntur frigida.
Sed quid cessamus prælium committere?
Dum mâne est, omneis esse mortalis decet.
TO. Nimis pæne mane 'st. SA. MANE QUOD TU occœperis
Negotium agere, id totum procedit diem.
TO. Quæso animum advorte: hoc enim jam herè narravi tibi,
Tecúmque oravi, ut nummos sexcentos mihi
Dares utendos mutuos. SA. memini & scio,
Et te me orare, & mihi non esse quod darem.
NIHILI PARASITUS est, cui argentum domi est.
Lubido extemplò cœpere est convivium,
Tuburcinari de suo, si quid domi est.
Cynicâ esse è gente oportet parasitum probe:
Ampullam, strigilem, scaphium, soccos, pallium,
Marsupium habeat; inibi paulum præsidij,
Qui familiarem suam vitam oblectet modò.
TO. Jam nolo argentum; filiam utendam tuam.
Mihi da. SA. nunquam edepol cuiquam etiam utendam dedi.
TO. Non ad istoc quod tu insimulas. SA. quid eam vis? TO. scies.
Quia formâ lepidâ & liberali est. SA. res ita 'st.
TO. Hic leno neque te novit, neque gnatam tuam.
SA. Me ut quisquam norit, nisi ille qui præbet cibum?
TO. Ita est. hoc tu mihi reperire argentum potes.
SA. Cupio hercle. TO. tuus tu me sine illam vendere.
SA. Tun' illam vendas? TO. imò alium allegavero
Qui vendat, qui esse se peregrinum prædicet.
Siquidem hic leno nondum sex menses Megaribus
Huc est cum commigravit. SA. pereunt reliquiæ.
Posterius istuc tamen potest. TO. scis quàm potest?

Nun-

Nunquam hercle hodie hîc prius edis, ne frustra sis,
Quàm te hoc facturum, quod rogo, affirmas mihi.
Atque nisi gnatam tecum huc jam, quantum potest,
Adducis, exigam hercle ego te ex hâc decuriâ.
Quid nunc? quid est? quin dicis, quid facturus sis?
SA. Quæso hercle, me quoque etiam vendas, si lubet,
Dum saturum vendas. TO. hoc si facturus, face.
SA. Faciam equidem, quæ vis. TO. benè facis, propera, abi domum:
Præmonstra doctè, præcipe astu filiæ;
Quid fabuletur; ubi se natam prædicet;
Qui sibi parentes fuerint; unde surrepta sit.
Sed longè ab Athenis esse se gnatam autumet:
Et ut affleat, cùm ea memoret. SA. etiam tu taces?
Ter tanto pejor ipsa est, quàm illa tu esse vis.
TO. Lepidè herclè dicis. sed scin, quid facias? cape,
Tunicam atque zonam, & chlamydem afferto & causiam,
Quam ille habeat, qui hanc lenoni huic vendat. SA. heu! probè.
TO. Quasi sit peregrinus. SA. laudo. TO. & tu tuam gnatam tamen
Ornatam adduce lepidè in peregrinum modum.
SA. πόθεν ornamenta? TO. abs chorago sumito.
Dare debet: præbenda ædiles locaverunt.
SA. Jam faxo hîc aderunt. sed ego horum nihil scio.
TO. Nihil hercle verò. nam ubi ego argentum accepero,
Continuò tu illam à lenone asserito manu.
SA. Sibi habeat, si non extemplò ab eo abduxero.
TO. Abi, & istuc cura. interibi ego puerum volo
Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum,
Me esse effecturum hodie. nimis longum loquor.

OMNEM REM INVENI] dictum eo modo quo Virgilii Anna 4. Æn. v. 478. *Inveni germana viã.* aliaque infinita, cùm indicamus nullam jam superesse difficultatem consequendi ejus, quod aucupabamur. & tamen Plauti explanator Pareus pueris suis heic præit, *Invenire* positum pro *agere*. A

ALLICIAM VIRUM] Omnes ed. *Eliciam verum:* & versus aliter distinguunt.

5. APPROP. OCIUS] omn. MSS. & editi, *appr. oculus*, aut *oculos*. Brix. *vos*. nullus, *ocius*. unde suspicatur Gruterus reponendum, foculos. V. N. Capt. 4. 2. v. 67.

7. STRUTHEA] Vide Plin. lib. 15. c. 11. Ad quæ J. Dalech. notat: *Vera* (ἀληθινὰ) *Cydonia* sunt Dioscoridi parva, rotunda, odorata: vulgò *Pommes coin*. Ex his Genuenses suum delicatissimum Cydoniatum parant. *Struthia* verò magna, sed minus utilia: vulgò *Poires coin*. Vide eundem ad lib. 23. 6. Hadr. Turn. in libr. De odor. Theophrastri legit, *struthe acoluthe*, *aquam apparâ*. ut στρυθὸς ἀκόλυθος vocet pedissequum salacem: à passeris libidinosâ naturâ. Et putat Plinii memoriam in hoc loco citando paulum vacillasse.

7. COLUTHEA] bellaria & tragemata: L. In MSS. est, *coluthe quam*.

8. SCUTRIS] Inde sunt *scutula* & *scutellæ*, apud Cic. & Martial. à rotunditate scutiformi. Schüsseln. MSS. *stutris*. A

8. CALAMUM] Plinius lib.14.c.13. *Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ* (alii l. *murrino*; alii, *unguentario*) *odore condita: ut apparet in Plauti Fabulâ, quæ Persa inscribitur: quanquam in eâ & calamum addi jubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt* &c. Ad quæ Jac. Dalechampii Notas vide. Brodæus lib.4.20. Vinum sic conditum ἀνθοσμίαν οἶνον, & ἀνθίνην Græcos vocasse ait, ut & Latinos veteres, *Vini florē*. Rich. Thomson, Plinius inquit, hunc locum respicit, & ita sanè legit, ut vulgò editur. Atqui de vino illo condito nil Plautus. An lapsus memoriâ Plinius, an locus mutilus? Sanè de calamo injiciendo nihil audet Scaliger: cum quo de hâc re aliquando locutus. Ait ergò locum corruptum, & leg. *calam injice. Cala* est lignum. Lucillius:

Scinde puer calam, ut caleas.

Quod profectò valdè aptum huic loco. *Hæc ille*. Et verò Pareus *calam* retulit in contextū: Notæque ejus, tanquam si à Senatus principe scriptæ esse clamant: Ita profectò legendum ductu MSS. Pall. Imò nihil minus. attendat modò lector orationis nexui: de quavis re potius loqui debuit quàm de lignis. Vide & J. Cæs. Scalig. lib.6.9. Causs. Theophr. ubi hunc versum laudat. J. Palmer. Satis, inquit, clarè Plinius significat, *myrrhina* hîc restituendum? Lego itaque:

Misce m. str. colutbea: myrrhina
Bene ut in scutris concaleant, &c.

Vide plura, Spicileg. fol.248. ubi docet Ciceronis etiam ævo hunc locum Plauti dedisse lites. Acidalius: Aut magnus ille Naturæ mystes Plinius erravit; aut Plautus mutilatus est. Sed in Plauto nulla textus inconcinnitas apparet. ideoq; labor, ut pro *mulsum* restituam *murrham*, &c. ita & Plauti & Plinii auctoritas salva erit. V.N. Pseud. act.2.4. v.51. In MSS. est *calamum nice*.

9. CONGERRO] Festus: *Gerrones, leves & inepti, à cratibus dicti, quas Græci γέῤῥας appellant*. Inde ait Scalig. *congerrones & congerras* esse. V.N. Alin.3.3. J.Gul. *Congerro*, collusor, qui easdem exercet nugas.

10. A BALNEIS] Probè. Ordo enim legitimus, ut cœna lavationem sequatur. Edd. vett. *balneis*. quod & MSS. eunt.

11. COLLYRÆ F.] Turn. lib.4.1. Senatus Grammaticorum statuit, *Collyras* videri parvulos panes mundos, sed & genus fictorum farinaceorum, quæ ut laganæ, interdum in sartagine frigantur, interdum cocta per se edantur, interdum ex jure comedantur. ut *ocellas paniceas* in sorbitiunculâ plerunque esitamus. frigi solitas docent Gram. Græci, qui εἶδος πλακοῦντος interpretantur, & κολλυρίζειν explicant γαλάγγας τηγανίζειν, i. laganas in sartagine frigere: & κολλύρια exponunt λαλάγγια. In Plauto autem satis constat illud panificium etiam sumi ex jure: subjicit enim,

Tum nisi cremore crasso est jus collyricum.

Jus enim collyricum ecquodnam aliud jus esse potest, quàm ex quo collyræ eduntur. atque illud crassius & unctius esse Parasitus postulat.

Quasi (inquit) *juream esse jus decet collyricum.*

sic enim non sui tantùm Germaniæ, sed etiam totius nostræ Europæ decus & ornamentum, Joach. Camerarius edidit: ubi *juream* B intelligo, tanquam *placentam*, quæ è jure tota constet: ut jus collyricum non liquidum sit, neque macrum, sed tam crassum & concretum, quàm si è jure placenta fieret. *Jurea* igitur cùm dicitur, *placenta* subauditur: ut *spharita*, sc. placenta, apud Catonem. Hæc ille. Meursius è v. edd. in quibus erat, *quasi jure se amesse*, corrigit: *quasi jurescam esse*. ut Oscè *juresca* pronunciārit Toxilus pro *jurea*, &c. Vide ipsum.

12. MADEANT.] in scutris percocta sint. Ait enim Saturio: *Nihil sunt crudæ, nisi quas madidas*, i. coctas, *glutias*. V.N. Men. 1.3. & Casinâ.

12. COLLIPHIA] panes cum recenti caseo commixti: L. MS. pr. *Colyphia*. sec. *coliphia*.

16. EPICROCUM] Festus: *Epicrocum genus amiculi croco tinctum, tenue & pellucidum*. Glossar. *Epicrocum*, ἐσθῆτος εἶδος, ἢ χιτώνιον ὀρφνινὸν κατάπτερον. Vide Varr. lib.6. & Scalig. Hic metaphoricè usurpatur.

18. NOLO IN V.] Satira Varronis quædam inscribebatur, *EST MODUS MATULÆ*. (περὶ μέθης) Quo monebat adhibendum modum

modum compotationi & ebrietati. Nam è matulâ potum significavit: cum cibum sicciorem in ventrem, liquidiorem in vesicam descendere censerent; ut hîc Saturio. Varro: *In quo nobilius est Philippeum, quod accipimus, quàm quod bibimus: cum alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam.* Turneb.l.17.21.

24. VENTRIS] MSS. *Veneris.*

24. AT EDIS] Ita ambo MSS. non *edes.*

24. FOCULA] Nonius: *Focula, dicta sunt nutrimenta: unde & foculari dicitur*, ut fovere.

27. ALECIS?], *Halex* ἰχθὺς παρασχεδιασμός: Charisius. Sed significat vocabulum & salsuginem atque liquorem, in quo pisces servantur. Est fœminini *alex*, & neutri *alec*. Camer.

28. SAPIS M.] Ad hæc illustranda unicè faciunt illa Arnobii lib.4. ubi hujusmodi virtutum proprietates Genio speciatim adsignat: *Et quid, quæso, ut faciat, Præsidatum focorum deus iste sortitus est? Per humani generis coquinas currit: inspiciens & explorans quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa: curat ut ad sensum palati suis cum jucunditatibus veniant rerum incorruptarum sapores, & an ritè pulmenta condita sunt, Prægustatoris fungitur atque experitur officio.* &c. D. *Sapere ad Genium*, dictum ut Ter. Adel.5.3. *Ad omnia alia ætate sapimus rectius.* Propert.2.el.13. *Nonnihil ad verum conscia terra sapit.* Passerat.

30. MEMINI, UT M.] Hinc illud obscurum in Mil. intelligere fuerit, act.3.1.

——*pernam nihil moror:*
Aufer illam offam penitam: probus hic conger frigidus.

Qui locus mire facit ad intelligentiam præcedentium:

——*SA. pernam quidem*
Jus est apponi frigidam postridie.

Unde & Martial. lib.10.48.

——*cænaque tribus jam perna superstes.*

Quod in rem suam aptissimè torquet moræ impatientissimus Parasitus. Nam cum eidem spem speratam quidem, sed spissam nimium, de reliquiis calefaciendis lepidè fecisset Toxilus; ille esuriens; Ego vero, inquit, *calefactas istas reliquias* non moror: quin maturè potiùs jam ex hoc loco ad tuburcinandum accincti, pridianæ pernæ appositu, dum mane est, prælium committere approperamus, &c. *E Dousâ*,

30. MURÆNA] *Muræna* Latinis est *lampetra*, à lambendis petris dicta: Ausonio *mustela*; aliis tam Græcis quàm Latinis posterioribus *Exormistos*, item ἔγχελυς ἀπόφυσ-, i. *anguilla exossis.* De quâ Lampetrâ post multos ætatis nostræ doctissimos viros multos observavit Jos. Scalig. Auson. Lect. lib.1.c.26. & 3. item C. Ritterh. Comment. in Oppianum. Crassus Orator murænam in piscinâ domus suæ mortuam atratus tanquam filiam luxit. Vide & Macrob. lib.3. & alios.

31. OPPECTUNTUR] digitis, quasi pectine, circumcarpuntur & comeduntur. Nostri, Abkleubeln.

32. PRÆL. COM.] Metaphora à ludis Circensibus. Men.1.3. *Apparari mihi jussi apud te prælium.* Varro: *Discumbimus: dominus maturo ovo cœnam committit.*

33. ESSE M.] edere. L.

34. MANE QUOD &c.] Hesiodus dixit, *Auroram promovere viam & opus:*

Ἠώς τοι προφέρει μὲν ὁδοῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργου.

36. HOC ENIM] Pareus monuit, *enim* abesse ab utroque MS. Pall. sed non ita est, secundus omnibus expressit literis: hæretque in edd. vett.

40. NIHILI PARASITUS] Sic vett. edd. & Pal. sec. Pareus tamen maluit *Nihil Paras.* ineptè.

43. CYNICA ESSE E GENTE] Dousa l. *Cynica esse è gente op.* sensu pleno & eleganti. J. Gul. legebat; *Cynicam esse gentem op. parasitum probe.* ut Gignendi casu, multitudinis numero accipiatur *Parasitûm:* & ex ambiguo jocus à Saturione captatus sit. Jam, *esse probè*, est, benè admordere & tuburcinari. Tamen Acidalio minùs hoc probatur; sed illud potius Douzæ; imò unicè;

Cynicâ esse è gente oportet Parasitum probũ.

Ita, ut *probus* hic opponatur *Parasito nihili*, de quo superiùs. Dixerit igitur: Qui probus esse Parasitus velit, eum Cynicæ gentis esse oportere. Turn, & Lamb. & vett. ed. *Cynicum esse egentem op.* MSS. Pall. *Cynicum esse gentem op. per probe.* nisi quod pr. *Parasitcis.*

44. AMPULL. &c.] *Ampulla* vas olearium est, quo in balneis ad unctiones uti solebant: ut & strigilibus ibi se defricabant, destringebant.

bantque. Unde & αὐτολήκυθοι à Græcis vocabantur pauperes, qui sibimetipsis ad balneas ampullam ferebant, cum servos ampulligeros non haberent. sed *scaphium* vas est potorium: Turn. l.4.1. V.N.Bacch.1.1. Hujusmodi *ampulla* graphicè describitur ab Apul. lib.2. Flor. *Magno in cætu prædicabit, fabricatum sibi semet ampulla quoque olearium, quam gestabat, lenticulari formâ, tereti ambitu, pressula rotunditate: juxtaque honestam strigilecullam, rectâ fastigiatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea rivulo laberetur,* &c. Vilissimos etiam hominum quosque αὐτολήκυθας vocatos, notum est. Horat. *I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.* Hi ampullam, lintea, & id genus alia tenebant, si quando dominis eis usus esset. Seneca: *Vetemus lintea & strigiles Jovi ferre, & speculum tenere Junoni.* Observare etiam est, è ferro has strigiles fuisse. Plaut. Sticho, 2.1. Plutarchus scribit, Lacedæmonios arundineis, καλαμίναις, usos: Ælianos Agrigentinos argenteis. Cur igitur Parasito balnearia instrumenta, ut insignia, attributa sint à Plauto, ex his apparet: & docet copiosius P. Colvius, & Jos. Scaliger in Conject. Ita Auf. Popma, ad illud Varron. *Καταχήνης est enim vera: acausta in candelabro pendet strigilis;* notat: Sententia est; ut nullum usum præstant, nisi accensæ, in candelabro pendentes ampullæ oleariæ, vel qui

——dependent lychnii laquearibus aureis:

ita nulli usui sunt imagines, statuæ, tropæa: si non Virtutis splendore & lumine lucent. *Strigilis* est lecythus vel ampulla olearia, cujus usus in balneis, in lychniis. Plautus *Ampullam, strigilem, scaph. s.* Sed an non hic significet ellychnium ex linteis, quod etiamnum pauperiores faciunt, addubito. *Hæc ille.*

44. SCAPHIUM] Lamb. *Scaphium* vas vinarium interpretatur: potuisset etiam matulam. Ulpian. *Argento legato non puto ventris caussâ habita scaphia contineri.* Meursius.

46. OBLECTET.] parcè ac duriter sustentet. Asin. 1.2. *Sordido vitam oblectabas pane:* D. De v. *prælidij*, V.N. Pœn. 3.3.

46. OBLECTET MODO.] ita MSS. sed J. Gul. l. *domi.* Et, *Familiarem vitam*, inquit, eam vocat, quam domi à nemine vocatus agat. Ita Parasitus Capt. act.1.2. *Neque unquam quicq. me juvat domi.*

52. NORIT.] Simpliciter quidem usurpat *notionis* verbum Saturio: sed in nequiorem sententiam detorquet Toxilus. V. N. Most. 4. 2.

53. HOC] sc. modo: L.

57. SIQUIDEM HIC] ita Cam. prius impressi, *Sicut istic*, quod revocari posset, cùm extet etiam in utroque Pal.

57. SEX MENSES EST] V.N. Aul. Prol.

57. MEGARIBUS] Pro, *Megaris*, metaplasmo sanè mirifico: si locus mendo vacat: *Camerarius.* (V.N. Prol. Pœnul.) Sic eodem metaplasmo (inquit Scal.) veteres dicebant *Illuribus*. Sic & Lucan.

——occurrat Iberibus alter.

Sillius:

Omnis Iber, omnis Latio sub nomine miles.

Catullus:

Nunc Celtiber in Celtiberiâ terrâ.

60. NE FRUSTRA SIS] ita MSS. & omn. editi. Sicque fine versus Menæch. 4. 3. v.18. item Rud. 4. 3. v. 30. Frustrà igitur est Acid. qui, *sies* emendat; & plus quàm ineptus Pareus, qui id in primam editionem recepit, neque delevit in secunda.

63. ADDUCIS] Parei ultima, *Abducis*, contra MSS. & omnes editos.

63. DECURIA] ordine, dignitatis gradu, &c. L.

77. T. TUAM GNATAM TAMEN] Inconveniens τὸ *tamen* Acidalio est: itaq; malit, *item*. quòd & venditor ipse peregrinum in modum jussus sit exornari.

79. CHORAGO] V.N. Trin. 4.2.

80. DARE DEBET: PRÆB.] Ita consensu omn. MSS. & editi, optimo sensu. Unica ista Pyladæ blitei editio & hujus tradices, divortium fecêre: quas Pareus in prima sequitur. & quamvis nostrum receperit in postrema, ridiculè tamen ibidem nihilominus visitur illud *inde petito*, quod planè est supra versum.

80. LOCAVERUNT] pænultima correptâ: ut, *steteruntque comæ*. Cam.

81. ADERUNT] scil. ornamenta. D.

81. SED EGO H.N. SCIO] Hoc est, Ex re & meâ & tuâ fuerit maximè, atque huic sycophantiæ nostræ vel inprimis conducit, ut ita me assimulem, quasi sim peregrinus, quasiq; horum, quæ præmonstrasti mihi, nihil sciam.

Ita

Ita accipiendum, patet ex responso Toxili, quod sine Interrogationis puncto scribendum, hoc modo: *Tox. Nihil h. verò.* Ut sit Parasitici consilii succidanea quasi approbatio. D.

81. HORUM NIHIL SCIO] i. scire fingam. V.N. Amph. 4:5. *Grut.* qui cùm restet in Pal. sec. *horunc.* in pr. *hornuc*, autumat fuisse, *horum nunc nihil scio.*

85. INTERIBI EG.] ita Acid. è quâdam ed. ubi insertum erat, *SA. me tibi.* In MSS. Pall. est, *curam me tibi ego.* Veteriores Edd. omnes, ut & Cam. *Abi & istuc cura. ego v.*

ACTUS II. SCENA I.

SOPHOCLIDISCA, LEMNISELENE.

Satis fuit indoctæ, immemori, insipienti dicere toties.
Nimis tandem me quidem pro bardâ & pro rusticâ reor habitam
Esse abs te. quanquam ego vinum bibo, at mandata non consuevi simul bibere
Unà. me quidem jam satis tibi spectatam censueram esse, & meos mores:
Nam equidem te jam sector quintum hunc annum: cùm interim, credo,
Cuculus si in ludum iret, potuisset jam fieri ut probè literas sciret,
Cùm interim tu meum ingenium fans non edidicisti, atque infans
Potin' ut taceas? potin' ne moneas? memini & scio, & calleo, & commemini.
Amas pol misera: id tuus scatet animus. ego istuc placidum tibi
„ Ut sit, faciam. LE. MISER EST QUI AMAT.
SO. Certò is quidem nihili est, qui nihil amat: quid ei homini opus vitâ est?
Ire decet me, ut heræ obsequens fiam, libera meâ operâ ocius ut sit.
Conveniam hunc Toxilum: ejus aures, quæ mandata sunt onerabo.

TETRAMETRI versus sunt confusi & obscuri numeris: unus dimeter.

V. 1. IMMEMORI] *Immemor* interdum indocilem & hebetem significat. Contrà, *memor* docilem & dicto audientem illi, unde profeceris. Propertius: *Tu satius memorem Musis imitare Philetam.* J.Gul.

2. BARDA] ingenio tarda.

4. UNA ME Q.] ita è MSS. & vett. edd. rescripsit Gruterus, in quibus *Unam equidem.* Aldina. *vitam equid.* Camer. *Nam me quidem.* Pareana *Unam quidem.* quis propius collinearit ad scopum veri, re patet.

5. SECTOR.] multum & continuò sequor. Donatus Phorm. act. 1. sc. 2. *Sectari* propriè est, ut taurus bucculam, ut aries ovem. Hinc etiam Philosophorum *sectæ.*

5. INTERIM] ita omn. editi: & eò eunt etiam MSS: *interiam.* Parei prior. *interea jam.*

6. CUCULUS SI] ita clarè edd. Arg. & Veneta vetus. Et omninò tenendum censuit Gruterus: vel certè *Cucus:* quod propiùs accedit ad MSS. Pall. quorum pr. *cuis,* sec. *cujus.* Isidorus lib. 12: 7. *Cucus* magis arrisit oculis Parei, ostentatque id utraque editione. Sed nec-recte. CVbus fuit in authenticis, quo volebant bis ponendam priorem syllabam *cucu.* at scriba, ignarus antiquæ scripturæ, finxit *cujus. Cucos, quos Hispani cuculos vocant &c.* Et cur Poeta *Canis* hîc potius meminerit, quàm alterius animantis minùs docilis? Sanè *Canis* primum in Paris. apparet; in cæteris, *cujus, cuis, quibis, circulus, &c.*

9. ID TUUS SCATET] *Scatet*, quomodo dicatur, video; ut spectet illud, *placidum.* quæ scateant enim, fretum atque æstum ac bullas fluctuantis aquæ imitari. Neque hæc faciunt tamen, quin leviter corruptum ver-

sum suspicer: *Id tuus caret animus.* *Caret*, A cum accusandi casû plerunq;. *Tuus animus*, i. tu. Palmerius, cujus ineptias raptim invasit editio Parei prior. Sed *scatet* MSS. & omn. ed. habent.

10. FACIAM. LE. MISER] Sic Pall & edd. vett. Pareanæ amplius admisere: *faciam. LE. ecastor! miser &c.* Et hoc est restituere Plautum fide membranarum?

11. NIHILI EST QVI NIHIL AMAT.] Pareanæ dux, *Nihili est qui amat*; ejecta voce prorsus ad mentem loquentis necessaria: B quæq; etiam restat in Pall. omnibusq; editionibus, si merdosas ipsius excipias.

13. AVRES, QVÆ] MSS. *auris*. unde suspicer reponendum *aures, ijs quæ*, ut iteretur illud *is* in *auris*.

ACTUS II. SCENA II.

TOXILVS servus,
PÆGNIVM puer.
SOPHOCLIDISCA ancilla.

SAtin' hæc tibi sunt plana & certa? satin' hæc meministi & tenes?
PÆ. Melius, quàm qui docuisti. TO. ain' verò, verbereum caput?
PÆ. Ajo enimverò. TO. quid ergo dixi? PÆ. ego rectè apud illam dixero.
TO. Non edepol scis. PÆ. da hercle pignus, ni omnia memini & scio.
TO. Equidem si scis túte, quot habeas hodie digitos in manu:
Eò dem pignus tecum. PÆ. audacter! si lubido est perdere.
TO. Bona pax sit potius. PÆ. tum tu igitur sine me ire. TO. & jubeo & sino.
Sed ita volo te curare, ut domi sis, cùm ego te esse illi censeam.
PÆ. Faciam. TO. quò ergo is nunc? PÆ. domum: uti domi sim, cùm illi censeas.
TO. Scelus tu pueri es! atque ob istam rem ego aliquid te peculiabo.
PÆ. Scio fidei hercle berili ut soleat impudicitia opprobrari.
Nec subigi queantur unquam, ut pro eâ fide habeant judicem.
TO. Abi modò. PÆ. ego laudabis faxo. TO. sed has tabellas, Pægnium,
Ipsi Lemniselenæ fac des, & quæ jussi nunciato.
SO. Cesso ire ego, quò missa sum?
PÆ. Eo ego. TO. i sanè: ego domum ibo: face rem hanc cum curâ geras,
Vola curriculo. PÆ. istuc marinus passer per Circum solet.
Illic abijt hinc intrò huc. sed quis hæc, quæ me advorsum incedit?
SO. Pægnium hic quidem est. PÆ. Sophoclidisca hæc peculiaris est ejus,
Quò ego sum missus. SO. nullus esse hodie hoc puero pejor perhibetur.
Compellabo. PÆ. commorandum'st mihi *apud hanc* obicem.
SO. Pægnium, deliciæ pueri, salve! quid agis? ut vales?
PÆ. Sophoclidisca, di me amabunt. SO. quid me? utrum? PÆ hercle nescio.
Sed si ut digna es faciant, odio hercle habeant, & faciant malè.
SO. Mitte malè loqui. PÆ. cùm ut digna es, dico, benè, nòn malè loquor.
SO. Quid agis? PÆ. fœminam scelestam te astans contrà contuor.
SO. Certè equidem puerum pejorem, quàm te, novi neminem.

PÆ. Quid

PÆ. Quid malè facio? aut cui malè dico? SO. cui pol cúmque occasio est.
PÆ. Nemo homo unquam ita arbitratus est. SO. at pol multi esse ita sciunt.
PÆ. Heja! SO. heja! PÆ. tuo ex ingenio mores alienos probas.
SO Fateor ego profectò me esse, ut decet lenonis familia.
PÆ. Satis jam dictum habeo. SO. sed quid tu? confitere, ut te autumo?
PÆ. Fatear, si ita sim. SO. jam abi, vicisti. PÆ. abi nunc jam. SO. ergo hoc mihi expedi,
Quò agis? PÆ. quò tu? SO. dic tu: prior rogavi. PÆ. at pòst scies.
SO. Eo ego hinc haud longè. PÆ. & quidem ego haud longè. SO. quò ergo, scelus?
PÆ. Nisi sciero prius ex te, tu ex me nunquam hoc, quod rogitas, scies.
SO. Nunquam ecastor hodie scibis, priusquam ex te audivero.
PÆ. Itáne est? SO. itáne est? PÆ. mala es. SO. scelestus. PÆ. decet me. SO. me quidem haud decet.
PÆ. Quid ais? certúmne est celare, quò iter facias, pessuma?
SO. Offirmastin' occultare, quò te immittas, pessume?
PÆ. Par pari respondes dicto: abi jam, quando ita certa res est:
Nihili facio scire. valeas. SO. asta. PÆ. at propero. SO. & pol ego item.
PÆ. Ecquid habes? SO. ecquid tu? PÆ. nihil equidem. SO. cedò manum ergo. PÆ. estne hæc manus?
SO. Vbi illa altera est furtifica læva? PÆ. domi. eccam! huc nullam attuli.
SO Habes nescio quid. PÆ. ne me attrecta, subigitatrix. SO. sin te amo?
„ *PÆ. Malè operam locas. SO. qui? PÆ. quia enim NIHIL AMAS, cùm ingratum amas.*
SO. Tempori hanc vigilare oportet formulam, atque ætatulam:
Ne ubi capillus versipellis fiat, fœdè semper servias:
Tu quidem haud etiam es octoginta pondo. PÆ. at confidentiâ
Illa militia militatur multo magis, quàm pondere.
Atque ego hanc nunc operam perdo. SO. quid jam? PÆ. quia peritæ prædico.
Sed ego cesso. SO. mane. PÆ. molesta es. SO. ero quoque, nisi scio
Quò agas te. PÆ. ad vos. SO. & pol ego ad vos. PÆ. quid eò? SO. quid id ad te attinet?
PÆ. Enim non ibis nunc vicissim, nisi scio. SO. odiosus es. PÆ. lubet.
Nunquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis prior, quàm ego siem.
SO. Malitiâ certare tecum, miseria est. PÆ. merx tu mala es.
SO. Quid est quod metuas? PÆ. idem istuc, quod tu. SO. dic ergo, quid est?
PÆ. Ne hoc cuiquam homini edicerem, omnes muti ut loquerentur prius.
SO. Et edictum est magnopere mihi, ne cuiquam homini crederem,
Omnes muti ut loquerentur prius hoc, quàm ego. at tu hoc face!
„ *Fide datâ credamus. PÆ. novi! OMNES SVNT lenæ levifidæ:*
„ *Neque tippula levius pondus est quàm fides lenonia.*

SO. Dic.

SO. Dic, amabo! PÆ. dic, amabo! SO. nolo ames. PÆ. facile impetras.
SO. Tecum habeto. PÆ. & tu hoc taceto. SO. tacitum erit. PÆ. celabitur.
SO. Toxilo has fero tabellas tuo hero. PÆ. abi! eccillum domi.
At ego hanc ad Lemniselenem tuam heram obsignatam abietem.
SO. Quid istic scriptum? PÆ. juxta tecum, si tu nescis, nescio.
Nisi fortasse, blanda verba. SO. abeo. PÆ. at ego abiero. SO. ambula.

TETRAM. acatal. & cat. trochaici. itemque Hipponactei: unus dimeter. caduntque multi in formam anapæsticam.

V. 2. VERBEREVM CAPVT] Sic quidem MSS. & omn. edd. Sed quid hoc ad memoriam debilem, aut tardum? conjeci aliquando, *vervecenm caput.* nam *vervex* pro simplice, stupido & stolido. Juvenal. Sat. 10.

Vervecum in patria crassoque sub aere nati.

Apul. 8. Met. *vervecem, non asinum vides.* Apud Cic. Atticus de Bruto: *vide, ne, quem tu esse hebetem deputes aquè ac pecus, is sapientia munitum pectus egregium gerat:* lib. 1. De divinatione. Facit & huc illud Propertii lib. 2. el. 16.

—stolidum pleno vellere carpere pecus.

Sic Caligula Silanum *ovem auream* appellabat, apud Dionem lib. 59. Gestis anni V.C. 790. in fine. Hinc & illud Planciadis ex Moralibus Antidami: *Fabrè compactum animal hominem quis ferat sic esse pecuatum? quis averruncassit tam arietinas hominum mentes?* Quodque habemus apud Arnob. lib. 3. *Si novenarius numerus cognomen Novensilium ducit, Cornificius balare convincitur, &c.* Taxat inscitiam Cornificii. Malè igitur, *balare* substituunt, & mentiri interpretantur. Sic & apud Laert. lib. 7. Cleanthem hebetioris ingenii Timon *arietem* vocat, &c. Gruterus. Sed & Colvius & Lipsius ita legend. conjecerant. V. N. Casina, act. 3: 2. Pareus eo conjectaneo etiam editiones fecit suas unctiores; *VerBeceum,* inquit, ex MSS. lego. ubi *verbereum*, antiquè B. pro V. & *r* pro *c* ut sæpe in his libris MSS. Qualis argumentatio! eadem ratione antagonista ejus reponat contrarium; VerVeceum, inferatq; antiquè V pro B & *c.* pro *r.*

7. TVM IG. SINE ME IRE] Pægnium cum tabellis mandatisq; à Toxilo ad Lemn. missus; post aliquantam verborum commutationem dimitti se postulans, ait tandem: *Tum igitur sine me ire.* Cui respondet Tox.

—& jubeo & sino.

A *Sed ita volo te curare, ut domi sis, cum ego te esse illi censeam.*

septuosa edictione innuere volens, properato opus esse adeò, ut citius confectum sit negotium, quàm cuiquam inchoatum videatur: utque redux compareat prius, quàm à Lemn. remissus censeatur Toxilo. Quod quidem jocosum mandatum in serium convortens atque aliorsum interpretatus Puer, assimulat subdolè domum rursus vorsoriam capere decretum sibi; neque quò jussus erat, quôque intenderat antea, velle jam ulterius proficisci: proinde sic quasi edixisset Toxilus: Usque domi meæ præstoleris volo, ut apud nos sis, cum te apud Lemniselenam esse arbitrabor. Igitur subjungit statim, velut dicto ejusdem obœdiens, Puer: *Faciam.* Cujus inopinæ vorsoriæ caussam demiratus Toxilus, quærit porrò: *Quò ergò is nunc? &c.* Scio hæc longè aliter à Lambino enarrari: sed nobis Atilianum illud stat sequi: *Suam cuique sponsam, mihi meam:* Dousa.

B

10. ALIQVID] Douza malit, *aliqui*, i. aliquà re. Truc. act. 5: 1. *—gaudere aliqui me volo,* i. aliquo modo, seu aliquà re. MSS. & edd. prius, *aliquid.* alterum tamen recepit utraq; editione Pareus, observator ille religiosus antiquitatis scilicet.

10. PECVLIABO] Ludit in ambiguo. nam *Peculium* inter nequitiæ vocabula. Pseud. act. 4: 7.

Mea hæc habeo omnia, meo peculio empta.
PS. Nempe quod femina summa sustinet.

11. FIDEI H. HERILI] Notetur, *Herilis fides;* pro servo qui hero fidelis. *Acid.*

12. HAB. IVDICEM] Pistoris malit, *indicem.* Quin continuò, inquit, palàm fiat: quin omnibus indicetur. itaque lectoribus imponit Pareus, dum editione prima contrarium affingit Pistori. idem quoq; recedit à MSS. & edd. vett. versu seq. dum transponit voces, *opprobari impudicitia.*

17. MAR.

17. MAR. PASSER] Turn. lib. 16:22. E Festo discimus, *Passerem marinum esse struthiocamelum:* qui cùm ita volare soleat, ut à terrâ se non tollat, sed alarum passis velis unà currens remiget: idcircò dixit: *Vola curriculo istud q. &c.* Scalig. Auson. Lect. lib. 2:7. item in Ceirin: Quòd avis esset, *passerem* vocarunt, imitatione Græcorum, qui στρουθίον vocant; quòd peregrinus & ultramarinus, *marinum*, hoc est, διαπόντιον. Sic *pastinacam marinam* Celsus dixit, i. peregrinam. Græcis στρουθὸς διαπόντιος, & στρουθὸς ἀραβικὸς seu, λιβυκὸς, στρουθὸς μεγάλη. Pareus in Electis titulo *Piscium*, vel morti vicinos excitet ad risum, dum scribit: Passer marinus, sive struthiocamelus, ita volat in mari, ut à terra se non tollat, sed alarum passis velis unà currens remiget. Qui stupor, quæ ignorantia, absurdiora excogitet, nedum eloquatur? A

19. PECVLIARIS] V. N. Capt. 5:3.

21. APVD H. OBICEM] Ita Cam. è vestigiis MSS. in quibus est, *objeci*, versum implet. Sanè vett. mei omnes aut *objeci*, aut signatè *obicem* legunt. *Obicem*, i. quæ instar obicis remoram mihi incommodè objectat. Dousa mâlit, *apud hanc inebram*. Hoc enim, inquit, haud paullo invidiosius, quàm *obicem:* tametsi idem propemodum significans. Et verò quis nescit, *eas aves Inebras vocari solitas, quæ in auguriys aliquid fieri prohiberent?* atque adeò prorsùs *omnia Inebra appellata, quæ vel tardant, vel agentem aliquo modo remorantur:* auctor Festus. V. N. Epid. 2:2. Illud *inebram*, veluti auctoris legitimum, statim editioni suæ intulit Pareus.

24. SED SI VT] Ita MSS. & edd. vett. utraque tamen Pareana, *Verùm sicut*, quo ipso corrumpitur versus.

30. PROBAS] metiris, æstimas. L.

31. VT DECET L.] *Decet* cum Dativo positum. i. ut lenonis familiâ, vel eâ, quæ in ejusmodi domo, tanquam in lutulento cœno volutetur, condignum esse deputo. V. N. Amph. 3:4. D.

32. SATIS IAM DICTVM HABEO] Cic. 5. Philip. *De Cæsare satis dictum habeo.* H. Stephanus opinatur verbi *Habere* usum cum quibuslibet Participiis fuisse apud priscos. Sic Curcul. *Ego habeo tibi res solutas.* Cæsar l. 7. *Habere effectum.* Martial. *Habere rem factam, &c.*

32. VT TE AVTVMO?] V. N. Menæch. act. 2:3.

34. QVO AGIS?] ita MSS. Pall. Henr. Stephanus, & D. F. *Quò te agis?* sed sine causâ. Acidal. ait, vett. cod. habere, *Quò abis?* sed quinam illi? Unus ille Pyladæ mangonium passus. cæteri aut, *quo tu?* aut, *quò is?* eum tamen secutus quoq; Pareus. Idem Acid. mox legend. pertendit: *prior rogavi. PÆ. posterior scies.* sed itidem sine auctoritate. sic tamen obsequentem invenit Pareum.

40. QVO TE IMMITTAS] Fortassè verius; *quod imbitas, quòd, pro, quò;* propter numeros: ita *Palm.* cui statim obtemperavit illex libido Parei. sed non in eo quod idem legit seq: *Par pari respondes. Ilicò abi jam &c. ilicò*, i. eo vel illo loco.

42. ASTA] festivius legas divisim, *At sta. D.*

44. DOMI. ECCAM! HVC.] Malim, *domi eccam! huc.* V. N. Milit. 3:1. v. 191. Sic hac scena versu 65. *eccillum domi.*

46. INGRATVM] Jocus occultior. *Ingratus* vulgò tritum pro eo, qui immemor beneficii accepti, & mutuo amori non respondet. sed & *invitum* significat. Nihil agis, inquit B Puer, cùm me non volentem & invitum amas. Quod altera accipere poterat, tanquam dixisset, ingratum & non dignum amore. P. Colvius.

48. VERSIPELLIS FIAT] Ita edd. vett. Pareanæ *fuat.* ô novatorem! bona potius fide exhiberet nobis variantem scripturam Palatinorum. nam pr. *ne ibi capillus versipellis fias.* videtur tamen prius fuisse fa... lec. *ne ubi ullus versibellis fias.* mutatumq; deinde illud *ullus* in *capillus*, à recensore. versus videtur respuere vocem *semper*, quæ tamen in iisdem libris. unde venit in mentem fuisse forsan in primogeniis; *Ne, capillo versipelle, fædè semper servias;* alterumque enatum ex librariorum glossariis.

69. OCTVAGINTA P.] Ætatulæ ejus teneritudinem certis ponderibus ac librarum numero circumscribens cùm hæc dixisset Sophoclidisca, subjicit statim Puer: *at confidentiâ Illa militia militatur multò magis, quàm pondere:* militiam Veneris intelligi volens. Atque hoc est, quod de se etiam Magister Amoris ille, in *Eroticis* haud indisertè profitetur: *Pondere, non nervis corpora nostra carent.* Dousa.

51. ATQ. EGO &c.] Sic Pœn. *MI. Omnem operam perdis. SI. quid jam? MI. quia doctum doces.*

51. PERITAE] i. in palæstrâ meretriciâ exercitatæ. D. Propert. 2. El. ult. *Sive in amore rudis, sive peritus erit.*

55. EXTEREBR.] i. *vi extorquebis:* Nonius. Porro revocavi scripturam edd. vett. nec non Pall. duorum, *ut sis prior,* recentt. *pejor;* quos pessimè sequitur Pareus.

59. ET EDICTVM EST] interposita persona est, quei vitaretur battologia manifestaria. neque aliter fuisse in Pal. sec. Indicat Lacuna vacua immittendæ personæ. addidimus *Et* non volente versu, absorptum à voce sequenti. Etiam Lambinus duobus hominibus istud attribuit. sed quod è libris suis adjecit. *SO. at vetita sum ne hoc.* in nullo est nostrorum.

61. LEVIFIDAE] Talis ferè est & illa compositio Propert. lib. 2. eleg. 4. quæ Scaligero adolescentulo arrisit:

Cynthia formipotens, Cynthia verbilevis.

Quanquam postea *Cynthia forma,* & *Cynthia verba,* accepit, ut *flumen Rhenum, Stertinium acumen,* &c. Alii aliter, quæ hîc non recoquenda.

62. TIPPVLAE] Festus: *Tippula, bestiolæ genus sex pedes habentis, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desidat.* Glossar. ἰφυδεῖς, ἐξώπων ἐπιτρεχόμενοι τῷ νώτῳ. Gaza perperam ἀσκαρίδας vertit *tippullas.* siquidem

A *Tippullæ* non sunt vermes, sed potius aliud insecti genus, quod semper in rivis & fontibus visitur, summâ celeritate superficiem aquæ percurrens: quas vulgus Aquitanum & accolæ Garumnæ *Capras* vocant. Itaq; dicta sunt παρὰ τὰ τῖφη. Τῖφεα enim τὰ ἕλη, ubi eæ versari solent. Varro: ——*levis*

Tippulla lymphȃn frigidos transit lacûs:

Scaliger. MSS. Pall. I. *stipulæ:* cæteri codices omnes, *tippulæ.* cui non acquiescit rusticitas Parei, aitq; in Lexico, fortasse legendum *stipulæ.* quid enim, inquit, stipula levius? At quid *tippula* venustius? phy phy!

62. FIDES LENONIA] Lambinus invitis libris omnibus, atq; ipso etiam Nonio (quod B ultrò profitetur) legendum pertendit, *lenoniæ:* ut hoc totum, *fides lenoniæ,* sit patrii casûs. quod & D. F. placuit. Sed quid, quæso vos, opus nodum in scirpo quærere? atqui omnia sic planissima sunt: ut omnes etiam legunt.

65. ABIETEM] tabellas abiegnas. V. N. Bacch. 4:4. & Ps. 1:1.

66. AT EGO ABIERO] ita MSS. & omn. ed. Pareus: *& ego abiero:* sed certè cum hoc Venus etiam Plauti abierit, quæ in illâ particulâ habitat. Id negat in secunda: sed sic est. de talibus frustra sibi judicium sumat homo de rure. itaq; nec libet eis respondere quæ Taubmanno obganniit in Lexico ad *Verba blanda.* argumentis certare debebat non maledictis.

ACTUS II. SCENA III.

SAGARISTIO servus.

IOVI opulento, incluto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti,
Opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor:
Quia meo amico amiciter hanc commoditatis copiam
Danunt argenti mutui, uti egenti opem afferam:
Quod ego non magis somniabam, neque opinabar, neque censebam,
Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cælo:
Nam herus meus me Eretriam misit, domitos boves uti sibi mercarer.
Dedit argentum: nam ibi mercatum dixit esse dieseptimi.
Stultus, qui hoc mihi daret argentum, cujus ingenium noverat.
Nam hoc argentum alibi abutar. boves quos emerem, non erant.

Nunc

Nunc & amico meo prosperabo, & Genio meo multa bona faciam.
Diu quod bene erit, die uno absolvam. tax, tax, tergo meo erit! non curo.
Nunc amico homini bobus domitis meâ ex crumenâ largiar.
Nam id demum lepidum est; triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale.
„ *VIRTUS EST, UBI occasio admonet, dispicere. quid faciet mihi?*
Verberibus cædi jusserit; compedes imponi. vapulet!
Ne sibi me credat supplicem fore. væ illi! mihi jam nihil novi
Offerri potest, quin sim peritus. sed Toxili puerum Pægnium eccum.

HUIUS & sequentis item Scenæ versûs genere tetrametri sunt, numeris obscuri & confusi.

V, 2. LUB. MERITOQ. VIT.] Ita J.Gul. legit voce trajectâ, *lubens meritoque vitulor.* cum in Vet. cod. sit, *lubens vitulorque meritò.* LUBENS MERITO, solemnis formula in precibus, gratiarum actionibus, suppliciis deorum. ea exstat in multis Inscriptionibus, &c. Jam verbum, *vitulari*, aptissimè hîc reponitur: & rectè Nonius deducit *à vitâ*, quæ interdum lætitiam lubentiamque signat: unde dea hilaritatis præses, *Vitula*. etiam *vivere*, lubentiis diffluere, hoc est, *vitulari*. Et induxit illum, ut ita arbitraretur, Nævius Lycurgo, qui si à vitulo derivasset, primùm syllabam corripuisset; nunc produxit:

Ducite eò argutis linguis mutas quadrupedes;
Ut in venatu vitulantes ex suis
Locis nos mittant Pœnis decomtos feriæ.

Neque aliter Ennius apud Festum;

Habet is coronam vitulans victoriâ.

nam quod ibidem à *vitulo* deducitur, Longobardi mutilatoris somnium est, non Festi oraculum: Hæc ille. Cui & Macrobius libro 3: 2. Saturn. adstipulatur: ut notat Lipsius Antiq. Lect. lib. 5. cap. 22. quem vide. Varro tamen etiam à *vitulo* deducit: quod Scaliger rectum putat. Id enim, inquit, est μοσχίζειν Græcè, apud Menandr. Hypobolimæo. Atque istum Nævii versum ita legit:

Ut in venatu vitulantes ex abys
Locis &c.

4. DANUNT] Lips. *danit*, singulari numero: quia hæ gratiæ uni Jovi dicuntur.

5. QUOD EGO &c.] Ita suo ordini hos versus restituit Lipsius Antiq. Lect. lib. 2: 21.

A 6. DECIDIT DE C.] Sic Tibul. lib. 1: 3.

Tunc veniam subito: nec quisquam nunciet antè.
Sed videar cælo missus adesse tibi.

Priorem hujus distichi partem, ait Muretus Var. Lect. 13: 7. interpretati sunt alii ex Plutarcho in Rom. Quæst. posteriorem nemo, quod sciam, illustravit. Sciendum igitur est, fuisse illud vulgare loquendi genus, ut *cælo missos* dicerent, quos inopinato viderent. Neque mihi hoc credi postulo, sed gravi scriptori Minutio Felici, qui in Octavio: *In hodiernum, inopinato visos cælo missos; ignobiles & ignotos, terræ filios nominamus.*

7. ERETRIAM] cujus & mentio Mercat. 3: 4. v. 61. & hac fabula infra, ubi tamen Passeratius reponendum putat *Erythiam*, insulam Geryonis: qui videatur prælectionib. ad lib. 4. Eleg. 10. v. 1. Propertii.

B 8. DIE SEPTIMI] Vide N. Menæch. extr.

10. NON ERANT] sc. caussabor.

12. DIU QUOD] totius vitæ meæ lætitias in unum diem conferre libet; reliquo tempore, si ita diis visum sit, miser futurus. Non dissimile est & illud ex Hymnide; *Mihi sex menses satis sunt vitæ; septimum Orco spondeo. L.*

12. TAX, TAX,] partim ex strepitu verberum, partim allusum ad *taxo:* quod est à *tango.* unde & *Taxatores* à Scenicis dicuntur, quòd alter alterum maledictis tangit: ut docet Festus. Videatur & Agellius lib. 2. cap. 6. MSS. Cam. I. *tux tax:* Gruterus.

13. BOBUS DOMITIS] Mirè hîc hallucinatur Lamb. sed aut mihi cor bubulum est,

aut dicit Sagaristio; Nunc ego Toxilum donabo pecuniâ, quam impendere debebam boum emptioni. Similis locus Asin.3: 2.

Nimis vellem habere perticam, qui verberarem Asinos, si fortè occeperint clamare hinc ex crumenâ.

iterum Trucul. act. 3: 1. *Ego properè minas Oves in crumenâ isthâc in urbem detuli.* Et alioqui noster statim act.2: 5. *Cavesis à cornu: boves bini hic sunt in crumenâ.* Induxit eum vox *largior* cum auferendi casu. de quo multa alibi Dousa: *Hæc Grut.* Etiam Acid. notavit *Largior* cum auferendi casu hic positum. V.N.Pseud.act.1:4.

15. BENE ADMORD.] insigni damno afficere: L. Vid.N. Mostell.act.1:1. In Odyss.22. de procis Penelop.dicitur,

——κείρετε κτήματα,
——totonderunt Res.

15. QVI SALINVM] In Ald.& traducibus ejus clarè, *allium*: in cæteris, *alienum*, aut *alimentum*. in MSS. etiam *salienum*. Sed cur, inquit Meursius, *salinum cum sale*? Inepta ταυτολογία. Leg.

——*qui allium servod obsignant cum sale.*

Nam *allium* & *sal* cibus erat pauperum servorumque. Juvenal. Sat.3.

——*quis tecum sectile porrum*
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?

Persius Sat.4.——*tunicatum cum sale mordens.* Cæpe.

A Huc pertinent illa Mostell. act.1:1. &c. Idem etiam observaverat Pistoris. V.N.Cas.act.2:1. Tamen Grutero satisfacit lectio MSS. nam *Sal* sanè inter pretiosiora: adeò ut fuerit delicatorum. quod pluribus de Sallustio aliisque auctoribus probat in Suspicion. libris. Pareus prima editione secutus Meursium, postrema transfugit ad *salinum*, polypo mutabilior.

16. QVID FAC. MIHI?] Et hoc iis usitatum loquendi genus, qui periculum aut minas alterius contemnant. Eunuch. *Quid faciam? quid meâ autem? quid faciet mihi?* J.Gul.

17. VAPVLET.] ita è MSS. Pall. Gruterus: B & sic Palmerius etiam ex ingenio emendarat. Hoc officium est servi nequam, verbera, compedes, omnia floccifacere; & super etiam herum mandare malum. Quod, inquit, malum mihi dare herus possit? *vapulet.* Sic enim, quem insigniter à se contemni ostenderent, *vapulare* jubebant, ut Græci οἰμώζειν: in vulgato illo dicto libertæ: *Salve liberta: vapula Papiria.* Asin.2: 4.

Pergin' precari pessimo? M. quæ res? tun' libero homini
Male servus loquere? LE. vapula.

Curcul.act.4:4.

19. PÆGN. ECCVM.] Acid. ad numeros cogit: *sed Tox. eccum p. Pægnium.*

ACTUS II. SCENA IV.

PÆGNIVM puer.
SAGARISTIO servus.

Pensum meum, quod datum'st, confeci: nunc propero domum. SA. mane, etsi
Properas, Pægnium, ausculta! PÆ. emere oportet quem tibi obœdire velis.
SA. At sta. PÆ. exhibeas molestiam, ut opinor, si quid debeam,
Qui nunc sic tam es molestus. SA. scelerate! etiam respicis?
PÆ. Scio ego quid sim ætatis, eò istuc maledictum impunè auferes.
SA. Ubi Toxilus est tuus herus? PÆ. ubi illi libet: neque te consulit.
SA. Etiámne dicis, ubi sit, venefice? PÆ. nescio, inquam, ulmitriba tu.
SA. Maledicis majori. PÆ. prior promeritus, perpetiare.
„ *SERVAM operam, linguam liberam herus me jussit habere.*
SA. Dicis ne mihi, ubi sit Toxilus? PÆ. dico. ut perpetuò pereas!

SA. Ca-

SA. Cadere hodie tu restibus. PÆ. tuâ quidem, cucule, caussâ:
Non hercle si os perciderim tibi, metuam, morticine.
SA. Video ego te: jam incubitatus es. PÆ. ita sum. quid id attinet ad te?
At non sum ita, ut tu, gratis. SA. confidens! PÆ. sum hercle verò.
Nam ego me confido liberum fore, tu te nunquam speras.
SA. Potin', ut molestus ne sies? PÆ. quod dicis, facere non quis.
SA. Abi in malam rem. PÆ. at tu domum: nam ibi tibi parata praes est.
SA. Vadatur hic me. PÆ. utinam vades desint, in carcere ut sis!
SA. Quid hoc? PÆ. quid est? SA. etiam, scelus, malè loquere? PÆ. tandem ut liceat,
Cùm servus sis, servum tibi maledicere. SA. itáne? specta
Quid dedero. PÆ. nihil: nam nihil habes. SA. dî deæque me omnes perdant,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis.
PÆ. Amicus sum. eveniant volo tibi quæ optas, atque id fiat:
Tu me defigas; te cruci ipsum propediem affigent alij.
SA. Quin te dî deæque! scis quid hinc porrò dicturus fuerim,
Ni linguæ moderari queam. potin' abeas? PÆ. abigis facilè.
Nam umbra mea intus vapulat. SA. ut istunc dî deæque perdant!
Tanquam proserpens bestia, est bilinguis & scelestus.
Hercle illum abiisse gaudeo. fores aperite. eccere autem,
Quem convenire maximè cupiebam, egreditur intùs.

EMERE OP.] Trin. 4. 3.

2. OBOEDIRE] ita MSS. *obœdire*, per *œ*.

3. AT STA] non, *Asta*. nondum enim tam propè accesserat, ut conveniat, *asta*. Pistoris.

1. DEBEAM] si quid deberem, odiosus esses flagitator. L.

4. ETIAM R.] Sic Petron. *Scelerate, etiam loqueris?*

5. SCIO E.] Scio me puerum esse, & in eam ætatem cuivis licere impunè maledicta conjicere: idcirco nihil quicquam asperius tibi respondebo: L. Ita & MSS. & sine nota interrog. quod Acid. εἰρωνικῶς dictum accipit. Sed vett. ed. ——— *ætatis. PÆ. eho istuc maled. imp. auferes?*

7. ULMITRIBA TU] Electa Parei ex isto loco, & altero Pers. 2. 4. v. 7. docet discipulos suos, Servorum olim fuisse pabulum, plagas & flagra: inde enim Flagritribas & Ulmitribas dictos. neque pondere caret illud *ejus olim* hodie enim aliter educantur scilicet.

11. OS PERCID.] ita MSS. Cam. & vett. ed. Neque aliter legit Grut. illud Senecæ lib. 4. Nat. Q. è tribus MSS. suis: *qui me usque ad* A *mendacia hæc leviom, in quibus os percidi, non oculi erui solent, credulum præsto.* ut & illud Poetæ Hispani lib. 2. ep. 72. *Os tibi percisum est.* quod & ed. Ald. agnoscit, & Turn. 7. cap. 12. ubi *Percidere* interpretatur, batuere, tundere.

12. MORTICINE] *Morticina*, νεκύβρια dicebantur. Etiam *morticinus* convicium erat in tetros & exsangui facie homines: ut hîc. Græci vocant δημητρείους καὶ δημητριακοὺς. Plutarch. interpretat. r νεκρώδεις. ab eo *cadaverosa facies*, Ter. Hec. act. 3. 4. Latini etiam vocant *Cereritos*, posteà *Cerritos*, interpretantes illud δημητριακὺς. *Scalig.*

B 13. INCUBITATUS ES] Douza mâlit, *Intercutitus*, sive etiam *Impudicatus*, non *Incubitatus*, cum hàc interpunctione: *Video ego te: nam intercutitus es*, hoc est inter cutem flagitatus, ac sectorem passus, Festo: MSS. Cam. inquit Gruterus, & vett. edit. omnes; *incubitatus*. negant tamen alii Latinæ esse monetæ: & fortè; nisi derivetur ab *incubo*. quod quid vetat? ab eâdem certè re genus istud hominum vocatum *culcitæ*, & *spondæ interiores*. Rectè ita Gruterus. cujus sententiam firmarem aliis, quæ Interpp. ad illud Petronii notant,

super quam solus incumbis: nisi Pudori parcerem. Papias: *Incuba, qui vel quæ semper incumbit, vel incubat.*

14. AT NON SVM, ITA VT TV, GRATIS] Sic Lambinus legit, & ita planè MSS.

17. PAR. PRÆS EST.] Vulgo, *præstost*. At Palmerius: Cui dubium esse possit, quin legendum sit: *nã ibi tibi parata præs est*. Quod enim de *præde* dixerat Pægnium, subjecit alter de *vade*: &, Quid refert, inquit, domi mihi malam rem prædem esse, quæ hîc me vadetur? Eleganter Ausonius de Dictis VII. Sapientum: *Sponde; noxa præsest*. Ad quod Scaliger: *Præsest*, i. adest, vel præsto est, πάρεστι. Græcus interrogatus-εἰ πάρεστι: respondet potius πάρα, quàm πάρειμι. Sic Romanus interrogatus, an *præses*? respondebat, *præs*; non, *præs sum*. Festus inquit, *prædem* dictum esse, quòd interrogatus à populo si præsesset; respondebat, *præs*. supple, *sum*. *Præsesse* antiquitus significat præsentem esse, παρεῖναι: unde superest Participium *præsens*. Vide Auson. Lect. lib. 2. cap. 21. & ad Fest. in *præs*. item Palm. Spicileg. fol. 124. nec non Rud. Prolog.

18. VADATVR HIC ME.] Ineptit Lambinus. Hoc potiùs vult: Ille tam citò præcurrit, & me cogit ut sequar, quasi in judicium pertraherer; *Pist.* De v. *Vadari* V. N. Aul. 2. 4.

18. UTINAM VADES DESINT, IN CARCERE VT SIT] Vide Rævardum ad L. XII. tabb. c. 5.

20. SPECTA] Hæc dicuntur cum gestu & vultu minantis, & fortasse pugnum intentantis: L.

21. DEÆQVE ME OM.] non, *te*: quod probat vers. tertius.

22. DEFIGAM IN TER. COL.] *defigere*, est valde figere. Casaub. ad Pers. Sat. 5. *ingenuo culpam defigere ludo.*

22. COLAPHIS] *Alapa* fit palmâ, i. deductâ & explicata manu: (nostris *porrectâ manu ferire.*) ῥάπισμα Græcis, ut quidam volunt, annotante *Bezâ* cap. XXVII. Matthæi: vulgò Ein Maulschellen. Glossar. *Alapator*, ὁ κανχητής. At *Colaphus* idem quod κόνδυλος, qui fit digitis compressis & in pugnum coactis. Aristophanes: κονδύλους αὐτῷ δίδως, *pugnos ei ingere*: giebn Stöß. Demosthenes: κονδύλους λαβεῖν, Pumbß kriegen. Ter. Adelph. act. 2. 1. *plus quingentos colaphos infregit mihi*: quasi cum fragore & sonitu illisit & inflixit. Ibid. Sc. seq. *colaphis tuber est totum caput.*

23. AMICVS] Puer metuens sibi, blandius loqui instituit: mox tamen ad ingenium redit. L.

24. DEFIGAS] Rectè, sicut contrà, *suffigere* cruci, & *affigere* dicitur. Vide Lips. Elect. lib. 1. 18. & De Cruce.

27. UMBRA] Corpus umbræ proximum est, Significat, sibi ob hanc moram verbera proximè imminere.

28. BILINGVIS] h. l. garrulus & loquax erit: aliàs alius: L. Vide N. Pœn. 5. 2.

29. FORES APERITE.] Non tam propè erat, ut pulsârit: aut si tam propè fuisset, certè illicò à Toxilo fuisset conspectus. Malit igitur Pist. *foris aperitur.*

30. EGR. INTVS] ita J. Gulielmii MSS. habent. Neque quicquam verius. *Intùs egredi*, est, domo exire. nam etiam motum de loco id Adverb. habet, Cas. 1. 6. *exit foras Chalinus intus*. Bacch. *jubebo intus efferri foràs*. Epid. act. 3. 2. & 3. ult. Cist. 3. 1. Amph. 2. 2. Etiam MSS. Pall. *egreditur intus*: ut monuit, probavitque Gruterus; vel ideo, quod priorem dictionem respueret versus.

ACTUS II. SCENA V.

TOXILUS, SAGARISTIO, servi duo. SOPHOCLIDISCA ancilla.

PARATUM jam esse dicito, unde argentum sit futurum:
Jubeto habere animum bonum, dic me illam amare multum.
Ubi se allevat, ibi me allevat. quæ dixi ut nunciares,
Satin' ea tenes? SO. magis calleo, quàm aprugnum callum callet.

TO. Pro-

TO. Propera, abi domum. SA. nunc ego huic graphicè facetus fiam.
Subnixis alis me inferam, atque amicibor gloriose.
TO. Sed quis hic ansatus ambulat? SA. magnificè conscreabor.
TO. Sagaristio hic quidem est quid agitur, Sagaristio? ut valetur?
Ecquid, quod mandavi tibi, éstne quid in te speculae? SA. adito.
Videbitur, factum volo: venito: praemoneto.
TO. Quid hoc hîc in collo tibi tumet? SA. vomica'st, pressare parce.
Nam ubi qui malâ tetigit manu, dolores cooriuntur.
TO. Quando istaec innata'st nam tibi? SA. hodie. TO. secari jubeas.
SA. Metuo ne immaturam secem, ne exhibeat plus negotij.
TO. Inspicere morbum tuum lubet. SA. abi, atque cavesis
A cornu. TO. quid jam? SA. quia boves bini hîc sunt in crumenâ.
TO. Emitte sodes. ne enices fame, sine ire pastum.
SA. Enim metuo, ut possim in bubilem rejicere, ne vagentur.
TO. Ego rejiciam. habe animum bonum! SA. creditur! commodabo.
Sequere hâc sis! argentum hîc est, quod me dudum rogasti.
TO. Quid tu ais? SA. dominus me boves mercatum Eretriam misit.
Nunc mihi Eretria erit haec tua domus. TO. nimis tu facetè loquere.
Atque ego omne argentum tibi actutum incolume redigam:
Nam jam omnes sycophantias instruxi & comparavi.
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. SA. tanto melior!
TO. Et mulier ut sit libera, atque ipse ultro det argentum.
Sed sequere me: ad eam rem, usus est tuâ mihi operâ. SA. utere ut vis.

A AMARE] amanter orare. Vid. N. Menaech. act. 2. 3. & 3. 3.

3. ALLEVAT] MSS. Pall. & vet. ed. *adluat*. D. leg *solvat*, i. liberet. Pist. *Ubi se allevat, ibi me allevat*, ut *allevare se*, sit, aegritudinem remittere; atque adeò, quod modò dixit, *habere animum bonum*. quâ formâ & Cic. ad Attic. usus: *Allevor, cum loquor tecum absens.* Et hoc exhibui interim. Gruterus putabat etiam exsculpi posse ex altero, *ad, ubat*; ut scriptum fuerit simplici *u*, ac *i* degenerarit in *l*, quo nihil frequentius eis membranis.

4. APRVGN.] Poen. 3 2. v. 2.

5. ABI DOMVM] vetus c. *abidum.*

7. CONSCREABOR] Ita Bryardus, apud Lipsum, 1. Epist. Q. 4. nam in illo gestu glorioso exprimendo, etiam *conscreatio* sive *exscreatio* adhibetur. Et notavimus alibi è Casaub. in Theophr. *procul spuere, fuisse signum eminentia*. Quintil. *clarè exscreare*. Ita Aristophan. innuit, Oratores solitos screari, Thesmoph. Σίγα, σιώπα, πρόσεχε τὸν νοῦν. χρέμπτεται γὰρ ἤδη, ὅπερ ποιοῦσ' οἱ ῥήτορες. MSS.

A Cam. l. *constabor*. vett. cod. *contestabor*. Carp. *consecrabor*.

10. PRAEMONETO] Vet. edd. *promobeto*. MSS. Pall. *promoneto*. Hinc Pist. fecit, *praemoneto*. (Erinnere mich wider. Magnificè enim, loquitur: quasi multis aliis negotiis occupatus. ut necesse habeat admoneri de vili illâ operâ

11. HOC HIC] D. l. *sic.*

11. VOMICA] *Vomica* est abscessus malignus latens, puris plenus: ἀπόστημα πυῶδες. Hîc facetè significat tumenam, quam nummis praegnantem è collo gerebat Sagaristio.

B V. N. Asin. 3. 3.

12. MALA MANV] V. N. Amph. 1. 1.

13. INNATA EST NAM TIBI] Ita acutè Camerarius ex MS. pr. in quo; *innata sin tibi.*

15. INSPICERE MORB.] Sic Petron. *Judex querelam inspiceret.*

15. ABI, ATQVE] Deest aliquid versui: sed libri nibil juvant; nisi quod Pal. pr. *abbi atq*, de quo Parei dexteritas formavit *abl abi, atq*, idque non veritus est recipere in contextum.

16. BOVES

16. BOVES BINI] i. juga boum: *Cam.* suprà act. 2.3.

18. BVBILEM] pro *bubile*. sed parùm refert, utrum scripserit Auctor, ait Acidal. Sic dicitur *Ovile*, & *Canile*, quo & Melissus noster usus est.

18. REICERE] Appositè. Virgil. *à flumine reice capellas*. qui *reigere*, ab agendo, hîc fingunt, ne audias. *Acidal.*

18. NE VAGENTVR.] ita edd. vett. Non vidi, qui explicaret hanc vocem. at, *vagentur*, meo animo, hîc idem est quod *vagiant*, i. ne clamore suo furtum nostrum prodant, ut Herculis boves Caci. Idem profectò voluit Asin. act. 3.2. *Nimis vellem habere perticam* &c. Ergò fortè legend. *ne vagientur*, A quomodo habet alter MS. noster. nam primus, *ne vi agentur*: Gruterus. Vulgatum Pistoris ita planum facit. Dixerat Toxilus: *Emitte boves*. Cui Sag. At metuo, ne, si emittam, longius vagentur, neque eos recipere facilè possim. Huic mox operam in reducendis pollicetur Toxilus. Notum, boves extra bubile in pascuis vagari, & sæpe intercipi. In bubili autem servantur. Manet itaque in metaphorâ. Gruterus noster hîc frustrà ingeniosus fuit. Hæc ille.

19. REIICIAM | HABE] Ita distinxi locum, volente sententia, neque contradicente MS. pr. in quo erat lacuna, non ante *habe*, sed ante, *creditur*.

ACTUS III. SCENA I.

SATVRIO, VIRGO.

QUÆ res bene vortat mihi, & tibi, & ventri meo,
Perennitatisque adeò huic perpetuo cibo,
Ut mihi supersit, suppetat, superstitet:
Sequere hàc, mea gnata, me, cum diis volentibus.
Cui rei opera detur, scis, tenes, intellegis:
Communicavi tecum consilia omnia.
Eâ caussâ ad hoc exemplum te exornavi ego.
Venibis tu hodie, virgo. VIR. amabo, mi pater,
Quanquam libenter escis alienis studes,
Tuin' ventris caussâ filiam vendis tuam?
PA. Mirum, quin regis Philippi caussâ, aut Attali
Te potius vendam, quàm meâ, quæ sis mea.
VIR. Utrum tu pro ancillâ me habes, an pro filiâ?
PA. Utrum hercle magis in ventris rem videbitur:
Meum, opinor, imperium in te, non in me tibi'st.
VIR. Tua istæc potestas est, pater. veruntamen,
Quanquam res nostræ sunt, pater, pauperculæ,
Modicè & modestè melius est vitam vivere.
„ *Nam SI AD PAUPERTATEM admigrant infamiæ,*
„ *Gravior paupertas fit, fides sublestior.*
PA. Enimverò odiosa es. VIR. non sum, neque me esse arbitror,
Cùm parva natu rectè præcipio patri.
„ *Nam INIMICI FAMAM non ita ut nata est ferunt.*

PA. Fe-

PA. Ferant, eántque in maximam malam crucem.
Non ego inimicitias omneis pluris æstimo,
Quam mensa inanis nunc si apponatur mihi.
„ *VIR. Pater, HOMINUM IMMORTALIS est infamia,*
„ *Etiam tum vivit, cùm esse credas mortuam.*
PA. Quid? metuis ne te vendam? VIR. non metuo, pater:
Verùm insimulari nolo. PA. at nequiquam nevis.
Meo modo istud potiùs fiet, quàm tuo
Fiat. quæ hæc res sunt! VIR. cogita hoc verbum, pater:
„ *HERUS SI MINATUS est malum servo suo,*
„ *Tametetsi id futurum non est, ubi captum'st flagrum,*
„ *Dum tunicas ponit, quantâ afficitur miseriâ!*
Ego nunc, quod non futurum'st, formido tamen.
„ *PA. VIRGO ATQVE MULIER nulla erit, quin sit mala,*
„ *Quæ præter sapiet, quàm placet parentibus.*
„ *VIR. VIRGO ATQVE MVLIER nulla erit, quin sit mala,*
„ *Quæ reticet, si quid fieri pervorsè videt.*
PA. Malo cavere melius est te. VIR. at si non licet
Cavere, quid agam? nam ego tibi cautum volo.
PA. Malúsne ego sum? VIR non es: neque me dignum'st dicere:
Verùm ei rei operam do, ne alij dicant quibus licet.
PA. Dicat quod quisque vult: ego de hâc sententiâ
Non demovebor. VIR. at, meo si liceat modo,
„ *SAPIENTER potius facias, quàm stultè. PA. lubet.*
VIR Lubere per me tibi licere intellego:
Verùm lubere haud lubeat, si liceat mihi.
PA. Futura es dicto obœdiens, an non, patri?
VIR Futura. PA. scis nam, tibi quæ præcepi? VIR. omnia.
PA. Et id, ut surrepta fueris? VIR. doctè calleo.
PA. Et qui parentes fuerint? VIR. habeo in memoriâ.
Necessitate me, mala ut fiam, facis.
Verùm videto, ubi me voles nuptum dare,
Ne hæc fama faciat repudiosas nuptias.
PA. Tace stulta, non tu nunc hominum mores vides?
Quojusmodi hic cum famâ facilè nubitur.
„ *DUM DOS SIT, nullum vitium vitio vortitur.*
VIR. Ergo istuc facito, ut veniat in mentem tibi,
Me esse indotatam. PA. cave sis tu istuc dixeris.
Pol deûm virtute dicam, & majorum meûm,
Ne te indotatam dicas, cui dos sit domi.
Librorum eccillum habeo plenum soricum.
Si hoc accuraßis lepidè, cui rei operam damus,

Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi,
Atque Attici omnes, nullum Siclum acceperis:
Cum hac dote poteris vel mendico nubere.
VIR. Quin tu me ducis, si quò ducturus, pater.
Vel tu me vende, vel face quod tibi lubet.
PA. Bonum æquumque oras. sequere hàc. VIR. dicto sum audiens.

SENARII sunt jambici hujus & 4. seqq. Scenarum.

1. QVÆ RES BENE VORTAT] ita MSS. ambo. Vulgo, *vortant*. V. N. Aul. act. 4. 10.

2. PERENNITATISQ.] *Cibum perennitatis* dixit cibum perennem. Acidal. etsi *cibum Perennitatis* non damnat, quasi alicujus deæ: malit tamen, *Perennitatique ad.*

2. SVPERS.] ut mihi nunquam desit, & mortuo sit superstes. L.

4. CVM DIIS VOL.] ita Mil. act. 4. 7. *Agite, ite cum diis benevolentibus.*

8. VENIBIS] venderis.

17. PAVPERCVLÆ] *Res pauperculæ, sunt res minus abundæ*, quas ita vocat Ter. Adelph. 4. 3. ut quidem Palm. ibi legit.

18. MODICE ET M.] Varro Satiram inscripsit, *MODIUS*. quo in victu & vestitu reprehendit utrunque, τὸ πλεῖον τε καὶ τὸ ἔλαττον: probavit τὴν μεσότητα. Modius ipsi plane fuit τὸ μέσον, Ciceroni *Mediocritas*: cujus memorabile illud, & tanquam è tripode Apollinis oraculum; *Non eos optimè vixisse qui diutissimè vixerint, sed qui modestissimè*; id est, *modicè*. Quibus verbis postremis ad Plauti, ut solet, allusit, *Modice & modeste*: J. Gul. Veris. lib. 1. 15. Porrò *modicum* J. C. Scaliger in Theophrast. de Causs. Plantar. vult dictum, quasi *medium*. Alii a *modo* deducunt: cum, auctore Nonio, *modicum* veteribus fuerit *moderatum, quodque sit cum modo*: ubi hoc etiam exemplum allegatur, & alterum è Milite, *Modice sapis*. Varro: *Sapiens & bonum ferre potest modicè, ac malum fortiter ac leviter.* Ennius: *Quæ tibi in concubio verecundè & modicè morem gerit.*

20. SVBLESTIOR] i. *levior, infirmior*: Festus. atque idem ait, Plautum in Nervol. *vinum sublestissimum* dixisse; quia infirmos faciat vel corpore vel animo. V. N. Bacch. 3. 6.

22. PATRI.] ita MSS. Cam. *patri.*

A 23. NAMINIM.] Inimici non ita de iis, quos oderunt, loquuntur, ut res est; sed ut suspicantur, & ut probabiliter eis confingere licet. L.

25. NON EGO IN.] plures facio mensam plenam, quàm bonam famam: L.

25. ÆSTIMO] MSS. & vett. & edd. *existimo*. quod gemente versu revocavit Pareus.

27. IMMORT. E. INFAMIA] Ita Gunth. lib 4. v. 527.

Fædaque mansuræ fugio commercia famæ.

Franc. Duarenus lib. 1. cap. 42. Disp. anniverss. D. Variis, inquit, modis infamiâ quis notari potest: imprimis hominum opinione. Nam is, qui apud bonos & graves viros malè audit, *infamis* dicitur: licet ei jure & legibus nulla irrogetur infamia. Itaque eum, qui restitutus est famæ, hâc notâ adhuc laborare existimo: verumque esse, quod Plautus ait: *Hominum immortalis* &c. Hinc Claudius Cæsar, cum cuidam notam appositam, deprecantibus familiaribus, ademisset; Litura tamen, inquit, exstat. sentiens, remissâ culpâ, infamiæ prioris vestigium manere.

B

31. MEO MODO] i. arbitratu. Ter. Andr. *Sine meo me vivere modo.*

32. FIAT QVÆ HÆ RES SVNT?] MSS. Cam. *Fiat.... quæ hæ res sunt? VIR. cog.* Ut spacium illud fuerit pro Personâ. Sed ego malui hic consensum vett. ed. sequi & sententiæ concinnitatem. Neque dum enim victa erat Virgo, ut adsensum Patri sic præbuerit. Illud *Quæ hæ res sunt?* stomachantis Parasiti est: & formula nostro frequens. Was soll mir das sein? ita hîc Sc. ult. *quæ hæc res est?* Asinar. *quæ res tun' libero homini servus malè loquere?* Acid. V. N. Pœn. 5. 4.

34. TAMENETSI] ita uterque MSS. *Tametsi.*

35. TVN.

34. TUN. PON.] ut nudus cædatur. Sic & Juven. eâdem in re:

——periit libraria; ponunt
Cosmetæ tunicas.

Et Propert. 4. el. 9. *Ligdamus exuitur. Cato apud Gellium* lib. 10. capt. 3. *Iussit vestimenta detrahi, atque flagro cædi.* Passer.

38. PRÆTER] plus, aut aliter. L.

42. CAUTUM] consultum & provisum. L.

49. VERUM LUBERE H. LUBEAT, SI LIC.] ita Pistoris. Ait Parasitus, *Lubet.* id captans virgo, Video, inquit, ita rem comparatam, ut tibi quod lubeat per me quidem liceat. Verùm si liceat mihi, *vel*, si in manû meâ res esset, mihi non lubeat lubere. i. Ego hoc nollem. prius cusi *haud liceat, si lubeat mibi.*

51. PRÆCEPI] ita vett. cod. & MSS.

57. NUNC-H.] *Nunc-hominum* ἀνθρώπων τῶν νῦν ὄντων. Sic Virgil. *ante-malorum*, τῶν ἔμπροσθεν κακῶν, i. præteritorum malorum. Videatur Turn. l. 18: 32. Tibul. *ante comas*, τὰς πρὶν κόμας. Catull. *olim-furores* τοὺς πάλαι θυμοὺς. ita, *semper-lenitas*, apud Terent. Et *semper-deus*, apud Virgil. & *semper-pauper*, lib. 4. Distichorum Dionys. Catonis, unum verbum est: ut notavit ibid. Scaliger. V. & N. Trucul. act. 1. 1.

58. CUIUSMODI] i. cujusquemodi, cujusvismodi. ita Pseud. 2. 4. *——defrutum, melinam, vel cujusmodi.* Q. d. Cum omnis generis famâ facilè nubi, si dos non desit. pro eo apud Agell. & Apulejum frequentatur *cujuscemodi*: Acid. Obiter tamen nota: in MSS. & omnibus edd. legi, *Cujusmodi h. cum malâ f.*

59. DUM DOS] Ita fit Satiricum illud:

Protinus ad censum: de moribus ultima fiat
Quæstio.

Etiam puellæ rectum putant, quod est in vetere versu apud Pollucem l. 9. c. 6.

Τὰν ὀρσὰν καὶ τὰν σοφίαν νικάει χελῶναι,

i. *pecunia*, in quâ testudo sculpta erat apud Peloponnesos.

64. SORACUM] *Soracum vel Sarracum, genus vehiculi, quo ornamenta portantur Scenicorum:* Festus. Utuntur eo Cic. in Pison. Ulp. ad L. Aquil. Glossæ: *Sarraca*, ἅμαξα. Meursius notat, omninò per *O*, non per *A* scribi debere hanc vocem; nec *R* geminari, cum putaputa sit Græca Σώρακος. Juvenal. Sat. 2. & 5. *-longa coruscat*
Soraco veniente abies.

Et:

Frigida circumagunt pigri soraca Bootæ.

66. DAB. DOTIS T. I. SEXC. LOGI] Filiæ dotem promittit ex artis suæ libris sexcentos logos. Ridiculè: sed Homeri scil. exemplo, qui suæ quoq; filiæ, propter inopiam, Cypria sua carmina dedisse in dotem perhibetur. quod ex Æliano cognoscimus lib. 9. c. 15. Cæterùm aliquando, *dabuntur dotis*, conjungendum putavi, nunc potiùs videtur, ut *logi dotis* juncta capiantur. sicuti Pœnulo, *trecentos numos præsidy*, capio. Cistell. 2. 3. *talenta dotis*. Aul. 2. 2. *At nihil est dotis quoddem.* Merc. 4. 3. vers. 4. Trin. 5. 2. v. 34. Apul. Apologiâ, *trecentis millibus dotis fuit contenta.* nec aliter Cæsar. lib. 1. B. G. *Sex dies ad eam rem conficiendam spacij postulant.* Quæ omnia conversim vulgus diceret, *Spacium sex dierum: Præsidium CCC. nummorum: dotem trecentorum millium, sexcentorum logorum* &c. Acid.

66. LOGI] Seneca, Consolat ad Polyb. c. 27. *Fabellas & Æsopeos logos connectas.*

67. ATTICI] Verba enim Attica Siculis sunt multò lectiora: L. Ita Cicero: *si litteras Græcas Athenis, non Lilybæi; Latinas Romæ, non in Siciliâ didicisses.* Sed & Asconius: *Dicit illum Græcas litteras simul Latinas in Siciliâ didicisse: in eâ insulâ, quæ neutrâ linguâ benè utatur. Ita enim Pl. in Persâ, Dabuntur* &c. Eâ re Plautus novum verbum procudit *Sicilissitare*, Menæch. Prol. Meursius observat, *Siculum* pro *stulto* poni. De logis V. N. Men. 5. 2.

68. VEL MENDICO] Pulcerrimè, παρὰ προσδοκίαν *mendicum* supposuit homini ditissimo. nam auditores exspectabant, ut cum tâ præclarâ dote nubi posse diceretur vel primori civitatis, at ille, mendici conditionem inveniri posse ait. In quo & ipso honestissima sensûs ambiguitas. dum enim hoc innuitur, vilitate dotis non nisi mendicum conciliatum iri, simul ejusdem præstantia commendari videtur: atque ita interpretari licet, quasi tam opulenta ea dos sit, ut si vel egentissimo nubat, tamen abundè habeat, unde familiam sustentet. *Acidal.*

ACTUS III. SCENA II.

DORDALUS leno.

QUID nam esse acturum hunc dicam vicinum meum,
Qui mihi juratus est sese hodie argentum dare?
Quod si non dederit, atque hic dies præterierit,
Ego argentum, ille jusjurandum amiserit.
Sed ibi concrepuit foris. quisnam egreditur foras?

IUSIUR. AMISERIT.] Apulejus in Lib. de A DEO Socrat. novum & subtile etymon *Jusjurandi* habet; aitque formatam vocem, quasi *Jovis jurandum*: & versum, quem intelligit ibi, monstrat Lipsius Elect. lib. 1. 18. apud Cicer. 3. Offic. *Fides alma, apta pennis, jurandum Jovis.* & addit alterum Nævii: *Jus sacratum Jovis jurandum sagmine.* V. N. Rud. act. 5. 3. & Cist. 2. 1. Pareus Electa sua pyropo illuminavit hausto ex isto versu tali: In contractib9 jurejurando se obstringebant; ut nisi pecunia præsens detur dicta die, jusjurandum amittatur. Heus puer! cedo pelvim. Vomitum excutiunt istæc blateramina. istudne est interpretari Plautina?

ACTUS III. SCENA III.

TOXILUS servus, DORDALUS leno.

CURATE istuc intus: jam ego domum me recipiam.
DO. Toxile, quid agitur? TO. eho! lutum lenonium,
Commixtum cœnum, sterquilinium publicum:
Impure, inhoneste, injure, illex, labes popli,
Pecuniæ accipiter, avide atque invide,
Procax, rapax, trahax! trecentis versibus
Tuas impuritias traloqui nemo potest.
Accipin' argentum? accipe sis argentum, impudens,
Tene sis argentum: etiam tu argentum tenes?
Possum te facere, ut argentum accipias, lutum?
Qui nisi jurato mihi nihil ausus credere.
DO. Sine respirare me, tibi ut respondeam.
Vir summe populi, stabulum servitricium,
Scortorum liberator, subiculum flagri,
Compedium tritor, pistrinorum civitas,
Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax,
Cedò sis mihi argentum: da mihi argentum, impudens:

Possum

Possum à te exigere argentum: argentum, inquam, cedò.
Quin tu mihi argentum reddis? nihilne te pudet?
Leno te argentum poscit, solidà servitus,
Pro liberandà amicà, ut omnes audiant.
TO.Tace obsecro hercle: na tua vox validè valet!
DO.Referunda ego habeo linguam natam gratiæ.
Eodem mihi pretio sal præbibetur, quo tibi.
Nisi me hæc defendet, nunquàm delinget salem.
TO.Jam omitto iratus esse! id tibi succensui,
Quia te negabas credere argentum mihi.
DO.Mirum, quin tibi ego crederem, ut idem mihi
Faceres, quod partim faciunt argentarij:
Ubi quid credideris, citiùs extemplò à foro
Fugiunt, quàm ex portâ ludis cùm emissu'st lepus.
TO.Cape hoc sis. DO.quin das? TO.nummi sexcenti hìc erunt
Probi, numerati: fac sit mulier libera,
Atque huc continuò adduce. DO.jam faxò hîc erit.
Non hercle, cui nunc hoc dem spectandum, scio.
TO.Fortasse metuis in manum concredere.
DO.Mirum. quin citius jam à foro argentarij
Abeunt, quàm in cursu rotula circumvortitur.
TO.Abi istâc aversis angiportis ad forum,
Eâdem istæc facito mulier ad me transeat
Per hortum. DO.jam hîc faxo aderit. TO.at ne propalàm.
DO.Sapienter sanè. TO.supplicatum cras eat.
DO.Ita hercle verò. TO.dum stas, reditum oportuit.

LUTUM LEN.] Ita Aristoph. κόπρειος ἀνήρ.

V.3. COMMICTUM COENUM] Palmerius: Obsecro, hoc non melius est, quàm illud, *lutum, commixtum cæno*, vel *cænum*? quod quo modo dicatur, Plautus ipse docere nequeat. *Commictum*, vel, *comminctum cænum*, res fœdissima: quæ quo turpior, eò melior lenonis definitio. illud *commixtum cæno* visitur in Pal. pr. nec recedit sec. nisi quod destituatur priore syllaba *cæno*.

4. INIURE] Ita MSS. Pall. & omnes vett. edd. id est, homo sine jure. Nonius leg. *injurie*.

5. PECUNIÆ ACC.] ita MSS. & omn. veteriores ed. sed Brix. & quæ ab ea natæ sequiores, *pecuniarum*.

7. TRALOQUI] à principio ad extremum ordine eloqui. Talia sunt, *tralegere*, & hìc

A *transcidere* posteà: in Apul. *transvorare*. Acidal.

10. LUTUM] *Lutum* pro lutulentis hominibus posuerunt: ut & *Cænum*, pro cœnosis & turpissimis. Turn. lib.29:17.

13. SERVITRICIUM] ita MSS. & vett. ed. i. servitio trite. Colerus l. *servitutium*. quomodo dicebant *civitatium: virtutium magister*, Paulinus &c.

14. SUBIC. FL.] assiduè subjectæ flagro:

B L. At Grut., ita vocatum ait, quod flagrum ipsum subigeret, qui alibi videlicet vocetur *ulmorum Acheruns &c.* Meursius (ut olim & Pius) leg. *sudiculum flagri*. nam *sudiculum* antiquis *flagelli genus erat, quod vapulantes* (ut ait Paulus Festi mutilator) *sudantes facit*. Sed sudor ille sanguis erat, itaque facete id nomen flagello impositum. Vocat autem *sudiculum flagri* lepidè, (ut est pater omnium leporum hic noster Comicus) tanquam ipse

flagra flagellaret, non flagellaretur. eodem modo *flagritribas* & *ulmitribas* appellavit.

15. COMPEDIVM TRITOR] ita MSS. & edd. Cam. & Lambini. Veteriores, *Compedum tritor*, vel *contritor*. quod ultimum, cur admiserit Pareus, ipse viderit. versui certè officit nimis quàm notabiliter.

16. PERENNISERVE] *Perenniservus*, qui perpetuò servit uni domino, auctore T. Pompeio. Talia sunt illa, *perenni vivax*, *perenni sanctum*, *perennicremum*.

16. LVRCO] Festus: *Lura, os culei, vel etiam utris. unde Lurcones capacis gulæ homines & bonorum suorum consumptores.* Ennotat Scalig. *loram* pro ipso *utre* Ausonium dixisse, qui Hom. ἀσκὸς. Nonius: *Lurcare est cum aviditate cibum sumere.* Lucill.

Vivite lurcones, comedones vivite ventres.

23. REFERVND.] ad benè dicendum, si quis mihi prior benè dixerit; & ad malè dicendum; si lacessierit. L.

24. EODEM] Tanti mihi constat victus, quanti tibi: tu servis domino, ego ei, qui me pascit. nihil magis quàm tu, gratis vivo. *Sal* convivii principium, & tenuiorum obsoniorum. L.

25. NISI] nisi lingua mea regerere possit maledicta, ne sal quidem ei dabitur. Sal enim victus pauperiorum. Vide Casaub. ad Persii illud, Sat. V.

——digito terebrare Salinum.

quod noster, *delingere salem*: Gr. ἅλιαν τρυπᾶν.

26. ID.] ob id. L.

31. EX PORTA] In Caveis (inquit Lipsius,) sive Circo erant portæ (Varro *Ostia* appellat) ad bestias emittendas: quas hic Plautus notat. Quem totum locum silentio premit uber A alioquin interpres Lambinus: qui (fatendum est) non lucem, sed umbram sæpe facit nostro Umbro. Hæc ille, in De Amphit. cap. 9. Vide & Theod. Marcilium in Amphitheat. Martial. Jam, *Foro cedere*, dicebantur Argentarii, cùm tabernis, i. mensis suis cedentes, quæ in foro Rom. erant, aliò habitatum migrabant. Argentarii enim Romæ in foro conductas habebant tabernas. Asin. 2: 4. Curc. 4: 1. Juven. 14.

——aut à multus in arcâ
Numus, & ad vigilem ponendi Castora nummi.

35. SPECTAND.] Nescio, cui hoc argdem spectandum, utrum probum sit, nec ne. Donatus in Eun. act. 3: 5. annotat, hos *spectatores pecuniæ*, i. probatores dictos. Talis Menandro δοκιμαστὴς est.

36. IN MANVM] alicujus trapezitæ.

B 37. MIRVM QVIN] scil. tibi in manum concredam. *vel*, Mirum quin metuam, i. omninò metuo. Sic enim Plautus ubique ea formulâ utitur: in quâ frustrà Lamb. se multis locis torquet. Acidal.

42. SVPPL. CRAS] Q. d. non hodie. Atq; hinc colligere est, inquit Douza, morem antiquitùs fuisse, ut servi pileo donati, sive etiam ancillæ post manumissionem, supplicatum diis irent, quorum virtuti ac benignitati potissimum libertatem acceptam referret suam: magno religionis ac pietatis argumento. Addit præterea Pareus, servos tales raso capite pilleum eum accepisse in templo Feroniæ, libertatum Deæ. Nimirum omnibus passim locis templa erant illi9 Numinis; neq; plenè liber fiebat, quicumq; manumissus extra id templum. cui vomitum non excutiat hæc φλυαρία?

ACTUS IV. SCENA I.

TOXILVS.

SI QVAM REM accurres sobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè sub manûs succedere.
„ Atque edepol, FERME VT QVISQ. REM accurat suam,
„ Sic ei procedunt postprincipia denique.
Si malus aut nequam 'st, malè res vertunt, quas agit:

Sin

Sin autem frugi'st, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus sum facetè & callidè:
Igitur proventuram bene confido mihi.
Nunc ego lenonem ita hodie intricatum dabo,
Vt ipsus sese, quâ se expediat, nesciat.
Sagaristio, heus! exi, atque educe virginem,
Et istas tabellas, quas consignavi tibi,
Quas tu attulisti ab hero meo usque è Persiâ.

SVB MANVS] Ex animi sententiâ: quasi eam manibus tractans suo arbitratu fingeret, ac in quamvis partem conformaret: L. Milite act.3: 2. v.ult.

V.3. ATQ. ED. FERME VT] ita Scaliger, & in partem etiam Gruterus. Sed MSS. & edd. veteres ferè,
Atque ed. firmè, ut quisque rem accurat suam,
Sic ei procedit: post principio denique
Si malus &c.

4. POSTPRINCIPIA] Scalig. in Conjectaneis; Castrense, inquit, Proverbium est, *A postprinpipiis incipere: In postprincipiis stare: In postprincipiis esse.* Varro loquens de disciplinis Mathematicis apud Agellium: *Sed hac,* inquit, *aut omninò non discimus, aut prius desistimus, quàm intelligamus, cur discenda sint. Voluptas autem vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis existit, cùm perfectæ absolutæque sunt: in principiis verò ipsis ineptæ & insuaves videntur.* In quibus non solùm usus hujus Proverbii patet, sed etiam explica- A cur Proverbium ipsum. Et ipse Varro hic quoque exponit Proverb. cùm subjungit; *id est, ab his potius temporibus quàm superioribus.* sed & Plautus in Persâ idem usurpavit:
Atque edepol firmè ut quisq. rem accurat suam,
Sic ei procedunt postprincipia denique.
Nam malè hodie leg.
Sic ei procedit post principia.
Neque enim disjuncta hæc, sed conjuncta sunt, *postprincipia, &c.* Hæc Scalig. V. N. Truc.act.1: 1. ad *postpartores.* Acidalius tamen B Scaligero non quidem repugnat, sed tamen opponit veterem lectionem, *post principiò denique,* atq; ex eâ nonnihil trajectâ sententiam aptiorem (ut ipse ait) formar, hoc modo:
Atque ed. firmè ut quisque rem accurat suam,
Principiò, sic ei procedit pòst denique.
Et hoc ait planè velle Plautum.

6. SIN AVTEM FRVGI] Ita MSS. & edd. vett. Pareus maluit *Si autem.* ideo solùm credo, ne publica uteretur via.

ACTUS IV. SCENA II.

SAGARISTIO.
TOXILVS servus.

NVnquid moror? TO. euge! euge! exornatus basilicè!
Tiara ornatum lepidè condecorat tuum.
Tum hanc hospitam autem crepidula ut graphicè decet!
Sed satin' estis meditati? SA. Tragici & Comici
Nunquam æquè sunt meditati. TO. lepidè hercle adjuvas.
SA. Age, illuc abscede procul è conspectu, & tace.
Vbi cum lenone me videbis colloqui,
Id erit adeundi tempus; nunc agite ite vos.

SCENA

SCENA hæc rectiùs una sit cum superiore. A V. 2. TIARA ORNAT.] ita MSS. & omn. v. ed. nisi quod omnes, *condecora*. Quæ Gul. Canterus Nov. Lect. lib. 3. c. 18. disputat, nulli, opinor, unquam probaverit. Certè etiam Grutero ista non placent: cùm *tiaræ* anteà meminerit, sed verbo *causiæ*, quæ eadem cum ipsâ tiarâ: ut dudum ex Polluce & Athen. & Eustathio dictum aliis. J. Palmerius; Restituo, inquit,

Tiaram tuum lepida lepidè decorat schema.

tametsi vulgata Prisciani Exempla sequenti legendum foret, *theatrum*, pro *tiaram tuum*. sed falsum est. Quid enim? theatrum totum is decorabat, qui præter tunicam, zonam, chlamydem, causiam, vestes itineris, servus nihil sumpserat? diceret, *proscenium*; ferremus fortasse: quamvis ne sic quidem. quin, quoniam omnia suprà, præter tiaram nominarat, hic gaudet sibi illo Parasiti ingenio, qui amplius cogitarit, ut *tiaram* de suo adderet. Et non hoc solùm Plautus ad instruendos obiter histriones; si qui ab obitu suo eam Fabulam discerent, dixit: sexcenta sunt alia. Quid verba facimus? sequens versus neminem dubitare sinit. Quòd autem Lambinus hunc versum corrumpit, numeris, ut ait, obsecutus, nihil novum facit. Quid ni autem & *crepidam* & *aratrum*, & alia multa versibus Latinis exturbet, quia apud Græcos alio modulo sint? *Schemam* (V. N. Prol. Amph.) usu suum fecerant Latini: itaque ut inflexionem, ita ne modum quidem syllabæ attenderunt. Hæc Palm. At Lipsius leg. *Tiaræ ornatum lepida condecorat schema*. M. Klock leg. & distinguit:

—— *exornatus basilicè*
Tiarâ; theatrum lepidâ condecoras schemâ.

Torrentius leg. *theatrum lepida condecoras tua schemâ:* quem vide ad Suet. Tiberio, c. 43. Acid. è vet. scripturâ Prisciani hanc lect. eruit, quam germanissimam Plauti censet; & pro tali rapuit in editionem suam pr. Pareus: *Tiara ut lepidam lepidè condecorat schemam!* Dicitur (inquit) tiara imposita reliquum Persicum habitum lepidè condecorare. Nam *schema* pro habitu & ornatu Plautus accepit, quem Græca vox ipsa sonat, itidem, ut in Prol. Amph. Nec me movet, quòd vir magnus *schemam* ibi penulæ servilis genus interpretetur. *Tiaram* autem (ut hoc addam) diversam à *Mitrâ* fuisse, & genus pileoli, quo Persæ Chaldæique usi sint, docet Herodotus lib. 7. & D. Hieronymus ad cap. 3. Danielis. De cujus formâ curiosè Brisson. in *De regno Persar.* lib. 1. & 2. ubi ait, *Tiaram* fuisse formâ pilei, quod absque ullâ oræ latitudine, æquabile ex omni parte & rotundum erat; ac in B acutum desinens, conum flexum inclinatumque ac paululum propendens habebat. Eam tempora & buccas velasse ostendunt Ovidius lib. 11. Metam.

Tempora purpureis tentant velare tiaris.

Juvenal. Sat. 6.

—— *Phrygiâ vestitur bucca tiarâ.*

4. TRAGICI ATQ. C.] Pœn. act. 3. sc. 2. v. 4.

6. AGE IL. ABSCEDE PROCUL E CONSPECTU, ET T.] Ita è vett. D. F. & pleniùs Acidal. Cui loco planè geminus infrà, act. 4: 7. Nam quid tamen? *adspicere in conspectum*, quod in vulg. est. & sic tamen maluit cõsensum MSS. retinere Pareus, quàm novis inquinamentis fœdare textum. ita enim loquitur: tanquam non ipse millies antea extrusisset membranarum lectionem, recepta novatorum scriptura lutosissima.

6. PROCUL.] Vulgati, *deprocul*. Talia sunt *derepente, adusque abante, inante &c.*

ACTUS IV. SCENA III.

DORDALUS leno.
TOXILUS servus.

CUI HOMINI DI PROPITII sunt, aliquid ojiciunt lucri.
Nam ego hodie compendi feci binos panes in dies,
Ita ancilla mea quæ fuit hodie, sua nunc est; argento vicit:
Iam hodie alienum cœnabit, nihil gustabit de meo.
Sumne probus? sum lepidus civis, qui Atticam hodie civitatem

Maximam

Maximam majorem feci, atque auxi civi feminâ.
Sed ut & ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi!
Nec satis à quiquam homine accepi: ita prorsum credebam omnibus.
Nec metuo quibus credidi hodie, ne quis mihi in jure abjurassit.
Bonus volo jam ex hoc die esse: quod neque fiet, neque fuit.
TO. Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis,
Itaque huic insidiæ paratæ sunt probè. aggrediar virum.
Quid agis! DO. credo. TO. unde agis te, Dordale? DO. credo tibi.
TO. Dî dent quæ velis. eho, an jam manu emisisti mulierem?
DO. Credo pol, credo, inquam tibi. TO. jam libertâ auctus es? DO. enicas.
Quin tibi me dico credere. TO. dic bonâ fide: jam libera est?
DO. I, i ad forum, ad Prætorem, exquire; siquidem credere mihi non vis:
Libera, inquam, est: ecquid audis? TO. at tibi di benefaciant omnes.
Nunquam enim posthac tibi, nec tuorum, quod nolis, volam.
DO. Abi, ne jura: satis credo. TO. ubi nunc tua liberta'st? DO. apud te. TO. ain,
Apud me est? DO. ajo, inquam: apud te est, inquam. TO. ita me di ament, ut ob istam rem
Tibi multa bona instant à me: nam est res quædam, quam occultabam
Tibi dicere: nunc eam narrabo, unde tu pergrande lucrum facias:
Faciam ut mei memineris, dum vitam vivas. DO. benedictis
Tuis benefacta aures meæ auxilium expostulant.
TO. Tuum promeritum'st merito ut faciam. & ut me scias esse facturum,
Tabellas tene has. pellege. DO. hæ quid ad me? TO. imò ad te attinent,
Et tuâ refert. nam è Persiâ ad me allatæ modò sunt istæ à meo domino.
DO. Quando? TO. haud dudum. DO quid istæc narrant? TO. percunctare ex (ipsis.
Ipsæ tibi narrabunt. DO. cedò sanè mihi. TO. at clarè recitato.
DO. Tace, dum pellego. TO. haud verbum faciam.
DO. Salutem dicit Toxilo Timarchides,
Et familiæ omni. si valetis, gaudeo.
Ego valeo rectè, & rem gero, & facio lucrum.
Neque istò redire his octo possum mensibus:
Itaque hic est, quod me detinet, negotium,
Eleusipolim Persæ cepêre urbem in Arabiâ,
Plenam bonarum rerum, atque antiquum oppidum:
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus. ea res me domo expertem facit:
Operam atque hospitium ego isti præhiberi volo,
Qui tibi tabellas affert. cura, quæ is volet:
Nam is mihi honores suæ domi habuit maximos.
DO. Quid id ad me, aut ad meam rem refert, Persæ quid rerum gerant,
Aut quid herus tuus? TO. tace stultiloque: nescis quid instet boni.
Nequiquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere volt.

DO. Quæ istæc fortuna lucrifica est? TO. istas, quæ norunt, roga.
Ego tantundem scio, quantum tu, nisi quòd pellegi prior.
Sed, ut occœpisti, ex tabellis nosce rem. DO. bene me mones,
Fac silentium. TO. nunc ad illud venies, quod refert tuâ.
DO. Iste qui tabellas affert, adduxit simul
Formâ expetendâ liberalem mulierem,
Furtivam, advectam ex Arabiâ penitissimâ,
Eam te volo accurare, ut istic veneat,
Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur:
Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit.
Probum & numeratum argentum ut accipiat, face.
Hæc cura, & hospes cura ut curetur. vale.
TO Quid igitur, postquam recitasti quod erat ceræ creditum,
Jam mihi credis? DO. ubi nunc ille'st hospes, qui hasce attulit?
TO. Jam hic credo aderit: arcessit illam à navi. DO. nihil mihi opus est
Litibus, neque tricis. quam ob rem ego argentum numerem foras?
Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus mercimonio?
TO. Tacen' an non taces? nunquam ego te tam esse matulam credidi.
Quid metuis? DO. metuo hercle verò: sensi ego jam compluries:
Neque mihi haud imperito eveniet, tali ut in luto hæream.
TO. Nihil periculi videtur. DO. scio istuc, sed metuo mihi.
TO. Meâ quidem istuc nihil refert. tuâ ego refero gratiâ.
Ut tibi rectè conciliandi primò facerem copiam.
„ *DO. Gratiam habeo. sed TE DE ALIIS, QUAM alios de te suaviu'st*
„ *Fieri doctos. TO. ne quis verò ex Barbaria penitissimâ*
Persequatur. etiam tu illam destinas? DO. videam modò
Mercimonium. TO. æqua dicis. sed optumè eccum ipse advenit
Hospes ille, qui has tabellas attulit. DO. hiccine est? TO. hic est.
DO. Hæccine illa'st furtiva virgo? TO. juxta tecum æque scio,
Nisi quia aspexi. equidem edepol liberali'st, quisquis est.
DO. Sat edepol concinnâ est facie. TO. ut contemptim carnufex!
Taciti contemplemur formam. DO. laudo consilium tuum.

VERSUS tetrametri confusis numeris, usque ad hunc, *Tacedum &c.* à quo deinceps Epistola exponitur Senariis jambicis. post quam sequuntur Archilochii trochaici. & rursum Epistolæ versus jambi. i senarii, & postea iterum trochaici. A

V. 7. BENIGNUS] i. liberalis. Ter. Adel. 5: 4. *blandè dicere, aut benignè facere*. i. munificum esse.

8. NEC SATIS A.] Nec à quòquam sponsorem accepi, cujus fidem secutus, crederem. L.

9. IN JURE] apud Prætorem perjurio negârit. Curc. *qui abjurant, si quid creditum est.*

11. TRANSENN.] *Transenna* hîc est extentus funis, quo captantur aves: Turneb. Rud. 4:7. Vide N. Bacch. 4:6. Videtur autem B rescribendum, *doctu inducam dolis*, ob versum.

13. QUID AGIS? DO. CREDO. TO. &c.] Prævit Grutero ad hanc distinctionem personarum MS. uterque, in quo etiam illud *credo*, malè hactenus excudebatur, *Quid agis?*

gis? credo! unde agis &c. Nimirum vox *credo*, refert se ad versum undecimum supra. itaq; Lambini interpretatio super ea voce, acutior fortè quàm verior.

13. VNDE AGIS TE?] V. N. Bacchid. act.5:1.

15. CREDO TIBI] Facetè. postquam ab eo pecuniam accepit, dicit se ei credere. L.

17. AD PRÆT.] Hoc eò spectat, quòd nomen manumissi in Acta olim referri moris erat, caussâ etiam seu titulo manumissionis adscripto. Potest etiam ad Prætoris *vindictam* referri &c. V. N. Mil. 4:1. versu 15. Dousa.

23. PERGRANDE] ita MSS. & omn. vett. Nonius l. *prægrandem.* & virile genus pro neutro positum ait.

24. VITAM VIVAS] ita MS. pr. sed Linacer leg. *vitá vivas.* ut & Mil. act.3:1. v. 34. *diu videor vitá vivere.* Et ita est in vett.cod. itemque in MS.sec.

24. BENEDICTIS] Aures meæ non sunt contentæ benedictis tuis, sed postulant præterea benefacta benedictis consentanea: L.

38. PLENAM B.] Sic Ennius de Athenis Atticis versu verè Tragico:

Adsta, atque Athenas antiquum opulentum oppidum
Contempla.

Nam *Bonas res*, pro *Opulentitate* ab antiquis, sicut è contrario *Malas* pro inopiâ ac *egestate*, acceptas notum est. Trin. *Bonis tuis rebus meas res irrides malas*: D. Vid. N. Trin.2: 4.

46. PRÆHIBERI] ita MSS. & edd.

46. FACVL. L.] Allegoria, pro, lucrifaciendi occasionem & facultatem præbere, sive adeò lucrum certum objicere. sic Curc. *Lucere cereum*, dixit:L. In MSS.est, *lucificam.*

47. ISTAS] sc. litteras.

52. LIBERAL.] Festus: *Liberales dicuntur non solùm benigni, sed etiam ingenua forma homines.* sic infrà: *edepol liberalis est, quisquis est.* Apul. 4. Met. *virginem filo liberalem, &c.*

53. ADVECTAM] ita MS.pr.sed sec. & omn. edd. *adductam.*

55. AC SVO PER.] Mirum, ni ad formulam *Legis mancipiorum* allusit, in quâ scribebatur: VADEM NE POSCERET, NEC DABITVR. Vide Varr. VI. De L. Lat. *Douza.* Interdum paciscebatur venditor, ne fugitivum aut erronem præstaret. Nam & ita quandoque lex dicebatur, ut periculo suo emeret emptor. Servos autem, quorum nomine venditor nihil præstaret, PILEATOS venum solitos ire, docet Agell.lib.7:4. Hæc B.Briss. ad hunc locum. Etiam Fr.Hotomanus, Budeus Annot. Pand. pr. & quis non? similia Plauti loca ubertim explicarunt. vide item Not. Curcul. act.4:2. Merc.2:3. & Trin.2:4.

59. CERÆ CR.] i. scriptum ceratis tabellis.

59. MATVLAM] vilem, insulsum, meticulosum, ignavum, vanum. *Indignus, qui ei matulam porrigat:* de vehementer inæqualibus.

64. NEQVE MIHI HAVD] Aut duplex negatio magis negat: aut ita construendum, Neq; mihi, utpote nō imperito, eveniet. *Pist.*

66. IN LVTO] sic Ter. *in luto hæres versura.* MSS. *ludo.*

67. SED METVO] Notat Donatus Ter. Adel. consuetudinem hanc esse Terentii, ut inducat etiam eos qui falluntur, aliquid sapere: idemque à Plauto cùm sæpe alibi tum hic observari.

68. REFERO] renuncio. L.

71. FIERI D.] Ita Plin.lib.18:15. *Optimum est, ut vulgò dixêre, alienâ insaniâ frui.* Terent. *Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu fiet.*

71. BARBARIA T.] ita MSS. & omn. ed. meliores. vulgati *Arabia;* quibus adhæret Pareus.

72. PERSEQVATVR] sc. metuendum est. ut sit ironia: L.

72. DESTINAS] Non tu eam emere properas? &c. L.Vide N.Epid.1.1.v.2.& 2.2.v.92.

73. ADVENIT] Ita egregiè Camerarius, cùm invenisset in MSS. *adunt*, vel *addunt.* unde fecerant recensores primi *adducit Hospes*, posteriores verò, versuum ignari, *advenit, & adducit eam Hospes*, quæ glossemata fide bona repræsentavit Pareus, editione utraque: prima, tanquam si germana essent auctoris; postrema, veluti sine eis stare non posset versus. ô imperitum numerorum!

76. NISI QVIA ASPEXI.] Sic iterum Cam. Pareus revocavit exoletas editiones, *Nisi quî asp.* quare? quia rem non intelligit, & seorsim abire amat ab eis quæ placuere Camerario, Camerariiq; cultoribus.

76. QVISQVIS] Etiam fœminino gen. dixit Livius: *quisquis es mulier, &c.*

77. CONTEMPTIM] ut malignè & parce laudat! L.

ACTUS IV. SCENA IV.

SAGARISTIO. VIRGO.
TOXILVS. DORDALUS leno.

SAtin Athenæ tibi visæ fortunatæ atque opipara?
VIR. Vrbis speciem vidi, hominum mores prospexi parum.
TO. Nunquid in principio cessavit verbum doctè dicere?
DO. Haud potui etiam in primo verbo perspicere sapientiam.
SA. Quid id quod vidisti: ut munitum muro tibi visum'st oppidum?
„ VIR. SI INCOLÆ BENE sunt morati, pulcrè munitum arbitror;
„ Perfidia & Peculatus ex urbe & Avaritia si exulant,
„ Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio,
„ Septimum Perjurium. TO. euge! VIR. Octava, Indiligentia:
„ Nona, Injuria: decimum, quod pessimum aggressu, Scelus.
„ Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.
TO. Quid ais tu? DO. quidvis? TO. tu in illis es decem sodalibus:
Te in exilium ire hinc oportet. DO. quid jam? TO. quia perjurus es.
DO. Verba quidem haud indoctè fecit. TO. ex tuo inquam usu est: eme hanc.
DO. Edepol qui cùm hanc magis contemplo, magis placet. TO. si hanc emeris,
Di immortales, nullus leno te alter erit opulentior.
Evortes tuo arbitratu homines fundis, familiis.
Cum optimis viris rem habebis: gratiam cupient tuam:
Venient ad te comessatum. DO. at ego intromitti non sinam.
TO. At enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores:
Proinde tu tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis:
Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea:
Ferream seram atque anulum: ne si ferro parseris,
Ferreas tûte tibi impingi jubeas crassas compedis.
DO. I in malum cruciatum. TO. i sanè! hanc eme atque ausculta mihi.
DO. Modò ut sciam, quanti indicet. TO. vin' huc vocem? DO. ego illò accessero.
TO. Quid ais, hospes? SA. venio, adduco hanc, uti dudum dixeram.
Nam heri in portum noctu navis venit: vænire hanc volo,
Si potest: si non potest, ire hinc volo quantum potest.
DO. Salvus sis, adolescens. SA. siquidem hanc vendidero pretio suo.
TO. Atqui aut hoc emptore vendes pulcrè, aut alio non potes.
SA. Esne huic tu amicus? TO. tanquam di omnes qui cælum colunt.
„ DO. Tum mihi es inimicus certus. nam GENERI LENONIO
„ Nunquam ullus deus tam benignus fuit, qui fuerit propitius.
SA. Hoc age! opus ne'st hâc tibi emptâ? DO. si tibi vænisse'st opus,
Mibi quoque emptâ est: si tibi subiti nihil est, tantundem'st mibi.

SA. Indi-

SA.Indica,fac pretium.DO.tua merx est, tua indicatio est.
TO.Æquum hic orat.SA.vin' bene emere? DO.vin' tu pulcrè vendere.
TO.Ego scio hercle utrumque velle.DO.age indica prognariter.
SA.Prius dico:hanc mancupio nemo tibi dabit.jam scis? DO.scio.
Indica,minimo daturus qui sis,quî duci queat.
TO.Tace,tace nimis tu quidem hercle homo stultus es pueriliter.
DO.Quid ita? TO.quia enim te ex puellâ prius percontari volo,
Quæ ad rem referunt.DO.& quidem hercle tu me monuisti haud malè.
Vide sis! ego ille doctus leno pæne in foveam decidi,
Ni hîc adesses.QUANTUM est adhibere hominem amicum, ubi quid geras!
TO.Quo genere,aut quâ in patriâ sit nata, aut quibus parentibus.
Ne temerè hanc te emisse dicas suasu atque impulsu meo.
Nisi molestum est,percontari hanc paucis hic volt.SA.maximè,
Suo arbitratu.TO.quid stas? abi túte,atque ipse itidem roga.
Ut tibi percontari liceat quæ velis,etsi mihi
Dixit dare potestatem ejus: sed ego te málo tamen
Eum ipsum adire,ut ne contemnat te ille.DO.satis rectè mones.
Hospes,volo ego hanc percontari.SA.à terrâ ad cælum,quid lubet.
TO.Jube dum ea huc accedat ad me.SA.i.sanè,ac morem illi gere.
Percontare,exquire quidvis.TO.agè agè nunc tu,i præ! vide
Ut ingrediare auspicatò.DO.liquidum est auspicium. TO.tace.
Concede sis,jam ego illam adducam.DO.age,ut rem esse in nostram putas.
TO.Sequere me.adduco hanc; si quid vis ex hâc percontarier.
DO.Enim volo te adesse.TO.haud possum,quin huic operam dem hospiti,
Cui herus jussit.quid si hic non vult me adesse unà? SA.imò i modò.
TO.Do ego tibi operam.DO.TIBI ibidem das,ubi tu tuum amicum adjuvas.
TO.Exquire. heus tu,advigila! VIR.satis est dictum:quãquam ego serva sum,
Scio ego officium meum, ut quæ rogitet,vera,ut accepi,eloquar.
TO.Virgo,hîc homo probus est.VIR.credo.TO.non diu apud hunc servies.
VIR.Ita pol spero,si parentes facient officium suum.
DO,Nolo ego te mirari,si nos ex te percontabimur
Aut patriam tuam,aut parentes.VIR.cur ego id mirer, mi homo?
Servitus mea mihi interdixit,nequid mirer meum malum.
*TO.Dij istam perdant! ita cata est & callida.***
Habet cor! quam dicit quod opu'st! DO.quid nomen tibi est?
TO.Nunc metuo ne peccet.VIR.Lucridi nomen in patriâ fuit.
TO.Nomen atque omen quantivis est pretii! quin tu hanc emis?
Nimis pavebam ne peccaret.expedivit. DO.si te emam,
Mihi quoque Lucridem confido fore te.TO.tu si hanc emeris,
Nunquam hercle hunc mensem vertentem,credo,servibit tibi.
DO.Ita velim quidem hercle! TO.optata ut eveniant,operam addito.

Nihil adhuc peccavit etiam.DO.ubi tu nata es ?VIR.ut mihi
Mater dixit,in culinâ; in angulo ad lævam manum.
TO Hæc erit tibi fausta meretrix ! nata est in calido loco,
Ubi rerum omnium bonarum copia est sæpissimè.
Tactus est leno,qui rogarat,ubi nata esset, diceret.
Lepidè lusit.DO.at ego patriam te rogo quæ sit tua.
VIR.Quæ mihi sit, nisi hæc ubi nunc sum? DO.at ego illam quæro, quæ fuit.
,, *VIR OMNE EGO PRO NIHILO esse ducto, quod fuit, quando fuit :*
,, *Ianquam hominem, quando animam efflavit,quid eum quæras qui fuit ?*
TO.Ita me di bene ament,sapienter! atque equidem miseret tamen.
DO.Sed tamen,Virgo,quæ patria est tua? age mihi actutum expedi.quid taces?
VIR.Dico equidem patriam.quandoquidem hic servio,hæc patria est mea.
TO.Jam de istoc rogare omitte. non vides nolle eloqui,
Ne suarum se miseriarum in memoriam inducas?DO.quid est?
Captusne est pater? VIR.non captus ,sed quod habuit, id perdidit.
TO.Hæc erit bono genere nata,nihil scit,nisi verum loqui.
DO.Quis fuit?dic nomen. VIR.quid illum miserum memorem qui fuit?
Nunc & illum Miseram & me Miseram æquum est nominarier.
DO.Quojusmodi is in populo habitus est?VIR.nemo quisquam acceptior :
Servi liberique amabant.TO.hominem miserum prædicas ,
Cùm ipsius propè perditus est,& benevolentis perdidit.
DO.Emam,opinor.TO.etiam,Opinor? DO.summo genere esse arbitror.
TO.Divitias tu ex istâc facies.DO.ita di faxint. TO.eme modò.
VIR.Jam hoc tibi dico: jam actutum ecastor meus pater, ubi me sciet
Venisse huc;aderit hic,& me absentem redimet.TO.quid nunc? DO. quid est ?
TO.Audin' quid ait?VIR.nam,etsi res sunt fractæ,amici sunt tamen.
DO.Ne sis plora,libera eris actutum , si crebrò cades.
Vin' mea esse?VIR.dum quidem ne nimis diu tua sim, volo.
TO.Satin' ut meminit libertatis ! dabit hæc tibi grandes bolos.
Age si quid agis:ego ad hunc redeo.sequere,reduco hanc tibi.
DO.Adolescens,vin' vendere istanc?SA.magis lubet, quàm perdere.
TO.Tum tu pauca in verba confer: quî datur, tanti indica.
SA.Faciam ita,ut te velle video.ut emas, habe tibi centum minis.
DO.Nimium'st. SA. octoginta. DO. nimium st. SA. nummus abesse hinc non (potest,
Quod nunc dicam.DO.quid id est ergo? eloquere actutum,atque indica.
SA.Tuo periculo sexaginta hæc datur argenti minis.
DO.Toxile,quid ago? TO.di deæque te agitant irati,scelus,
Qui hanc non properes destinare.DO.habeto.TO.heu,prædatus probè!
Abi, argentum effer huc.
Non edepol minis trecentis cara'st : fecisti lucri.
SA.Heus tu! etiam pro vestimentis huc decem accedent minæ,

DO. Ab.

DO. Abscedent enim, non accedent. TO. tacesis, non tu illum vides
Quærere ansam, infectum ut faciat? abisne, atque argentum petis?
DO. Heus tu serva istum. TO. quin tu is intro? DO abeo, atq; argentum affero.

VERSUS trochaici Archilochii.

3. VERBUM DOCTE] ita MSS. & omn. ed. sed D.F. mâlit, *&* *doctum.*

6. SI INCOLÆ S. BENE MORATI] S. Augustinus lib. 2. 2 De Civit. Dei, ubi sermo est de Româ à Gothis vastatâ: *In ruinâ urbis lapides & ligna, in eibium autem vitâ omnia non murorum sed morum monumenta atque ornamenta ceciderunt: cùm funestioribus eorum corda cupiditatibus, quàm ignibus tecta illius urbis arderent.* Allusit huc Guntherus lib. 3 Ligurini:

Cumque ruinosis procũbunt oppida muris,
Majorem MORUM patimur querimurque ruinam.

Sed vide mihi Commentarium industriosissimi Rittershusii in Salvianum ad illud lib. 6. De Gubernatione DEI: *Nonne eadem & rerum ruina pariter & morum?*

10. QUOD PESSIMUM] Deest syllaba, consulatur versui. an fuit? *decimum quod quod pess.*

10. SCELUS] *Facinus*, *Flagitium*, *Scelus*, hoc differunt: quod *Facinus* vi aut malitiâ committitur: *Flagitium* fit libidine, vel nequitiâ: unde *flagitiosi* dicuntur impudici, adulteri, ganeones, aleatores, facinorosi, parricidæ, sicarii, sacrilegi, perjuri &c. *SCELUS*, utrumque comprehendit. Cic. Catil. *Quod facinus à manibus unquam tuis, quod flagitium à toto corpore absuit?* Vide Aus. Popmã l. 2.

11. INDE] ita Carpentarii editio in aliis omnibus tamen, *unde*, MSS. ambo, *Hæc unde ab.* sine illo, *nisi.*

11. CENT. MURUS] Sic Demosth. ἄνδρες πόλεις, καὶ οὐ τείχη. *Civitatem non muri, sed viri faciunt*, Alcæus: ἄνδρες πόλιος πύργος ἀρήιοι. Vide C Rittersh. Comm. Opp. Hal. lib. 5.

18. CUPIENT] ita MS. sec. & vett. ac pr. leg. *concipient*. hinc Rittershus. fecit, *concupient*. quod & Schop. probat in Arte Crit. Nisi forte, inquit, retinendum *concipient*. ut ludat Poeta solens more suo in phrasi, *rem habebis*: quod sequi solet conceptio. utraque tamen conjectura est Ritterhusii.

20. OCCENT. OST.] convicium tibi faciem ante ostium. V.N. Merc. 2, 3.

A 21. JUBEAS] Facito tibi fores ferreas, & ferrea cætera: ne si sumptû deterritus ferro peperceris, eâdem operâ tute tibi ferreas compedes impingas: *Lamb.* allusit autem ad custodiam Danaës. Ovid. 3. Amor. el. 7. *Ærati postes, ferrea turris erat.* Propert. 2. el. 20. *Ferratam Danaes transiliamq; domum.* Passerat.

25. I, SANE] Ambiguum. V.N. Mil. act. 2. 3. vers. 15.

35. HOC AGE] τοῦτο πράττε. Utimur, cùm uni rei mentem adhiberi volumus, & animũ adverti. V.N. Prol. Asin. Pareus in Electis adstringit actionibus seriis: sed ineptè: æquè servit voluptariis nugacibusq;. Noster infra 5. I. v. 16. *Hoc age: accumbe &c.*

35. OPUSNE EST HAC T. EMPTA] MSS. *hæc tibi empta?*

37. INDICA] *Indicare* vendentis est: ut *mercari* & *liceri* emptoris. Aul. act. 2. 8. *Indicant caros.* Bieten alles vffs theuerst. De hujus autem venditionis tractatû vide Brisson. Form. lib. 6. Florilegium Gruteri: *Merx cujus est, & ejus indicatio est.*

38. BENE FULCRE] cum lucro. V.N. Pseud. B act. 1. 3.

39. PROGNARITER] ita MSS. Cam & vett. codd. i. strenuè, constanter: *Nonius.* Lamb: & hic & in Non. mâ it. *prognaviter*: ut & Acid. aut certè, *pragnaviter*. ultimumque arripuit Paræus in prima, alterum in ultima. desultor!

40. HANC MANCUP.] Hanc nemo ea lege tibi vendet, ut velit subire periculum evictionis.

40. QUI D.] ut à me emptore abduci queat. L.

45. IN FOVEAM D.] pænè deceptus & illaqueatus sum. L.

46. NISI HIC] D.F. mâlit, *Nisi hîc adesset.* sc. Toxilus.

54. A TERRA] ἀπ' ἄκρου μέχρι γῆς. q. d. quàcunq; de re: ab extremo initio usq; ad supremum finem. *Proverb.*

56. AGE. N. TU, I PRÆ: VIDE UT &c.] ita Gruterus restituit, ejecto illo *para*, quod exulat MS. primo. In Cod. Acidalii legitur, *nunc i, prapara.* *Vide &c.* Idem in hoc ait loco inex-

inextricabiles esse absurditates: nisi ille versus exturbetur, *TO. Jubedum* &c. aut alius de vett. lib. illi subjiciatur, qui sententiam expleat explicetque: aut Personæ planè aliter ordinentur, &c. Nam quòd Toxilus ad se nunc puellam vocat, prorsus ineptum est. Lenonis enim ea postulatio est. Sed ineptius subdit Sagaristio, *Isanè*, &c. puellam iis alloqui visus, quæ procul tamen abstiterat; adeunda ultrò, ut adduceretur.

64. ROGITET] Quid si? *rogiter.*

69. NE QVID MIR.] Lamb. l.

——*ne quid mirer meum malum melim.*

TO. Noli flere. VIR. ab. TO. dy ist.——

Sed unde hauserit, non indicat in Comment. Pal. sec. defectum habet literarum septem octo post *callida*, quod ei erat initium lineæ. neque enim heic fides adhibenda Notis Pareanis.

71. HABET COR] Cordata est. V.N. Epid. act. 3.3.

73. NOMEN ATQ. OMEN] Lips. ad illud l. 4. Hist. Tacit. *Ingressi milites, quib. fausta nomina*; notat: Mos religionis priscæ: quibus magnæ curæ in his talibus initiis, homines præessent, aut interessent *bono nomine*, id est: è quorum nominibus captari velut augurium aliquod posset prosperitatis & diuturnitatis. Talia sunt *Salvius*, *Longinus*, *Statorius* &c. Mala contrà, è quibus triste aliquod, infirmum, breve: ut *Curtius*, *Minutius*, *Furius*, *Hostilius* &c. Tale vaticinium Lenonis hujus Plautini. Adi & Festum in *Lacus Lucrinus.*

74. EXPED.] Curâ me & metu liberavit. Ad spectatores. L.

75. FORE TE] J. Is. Pont. acumen loci alioqui jacentis ita extollit: *Lucridem confido fore re.* q.d. non nomine tantùm, sed re talem &c. quod conjectaneum rapuit in editionum suarum Scyllas Pareus.

76. MENSEM VERT.] i. mensem integrum: L. Turn. lib. 16. 13. ad illud 4. Eclog. Virg.

——*incipient magni procedere menses*,

annotat: procedent magni menses, non Julius & Augustus, ut stultè multi blaterant: sed menses magni anni. Nam ut *magnus* ipse *annus* dicitur, sic ejus *magni menses.* Itaque quemadmodum *annus vertens* duodecim tricenûm plus minus dierum menses habet: sic & *magnus annus* duodecim dimetata, & descripta habet mensium spacia, quæ aliquot sæcula complectuntur. Ut autem in anno magno sunt menses magni: ita in anno vertente, menses vertentes, qui à lunaribus differunt. Vitruvius l. 9.4. *Luna die octavo & vicesimo & amplius circiter bora cæli circuitionem percurrens, ex quo cæperit signo ire, ad id signum revertendo perficit lunarem mensem: Sol autem signi spacium, quod est duodecima pars mundi, mense vertente vadens transit.*

79. INCVLINA] ita MSS. Pall. Lipsius, Venuste, inquit, & scitè emendo, *inquilina.* Nam cum Virgò ea, quæ vænum ibat, libera esset Athenis nata, servitus autem in hoc modò simularetur, ut irritâ venditione circumduci leno posset: illa jam producta callidè cavet, ne suâpte confessione induatur, néve consensisse in servitutem sui videatur, & ad interrogata lenonis sic respondet, ut partim eorum scitè declinet, partim ambiguè eludat. Elusit hic, cùm interroganti, ubi nata esset, respondit, quod res erat, inquilinam se, & civem Atticam: sed id ita perplexè pronunciasse putanda est, ut ille bardus intellexerit, *In culinâ.* Itaque Toxilus statim subjicit; *Tactus est leno, qui rog.* &c. Hæc tam liquida veritas est, ut qui facetias & salem hujus dictionis nondum videat, illi homini animum pro sale datum arbitrari possimus. Antiq. Lect. lib. 1. cap. 9. At Gruterus, Nimis, inquit, subtiliter Lipsius. Nam lepos in eo, quòd rogata locum nativitatis, ædium signet: non quidem præter interrogationem, sed unde alter nihilo certior. Pareus tamen Lipsianum arripuit editione priore.

81. SÆPISSIME] Languere Acidalio hoc videtur: & quærit, an fuerit *copiosissima*: an potiùs ad sequentem versum pertineat:

——*copia est. TO. scitissime*

Tactus est leno.

quod ultimum præter MSS. & cusos in contextum editionis suæ pr. retulit Pareus. qui si fæcundum excussisset pectus, elicuisse forsan potuisset, *copia est sapidissima.*

86. QVI FVIT] mortuus est? Vid. N. Capt. act. 3. 3.

87. MISERET TAMEN. DO. SED TAMEN, VIRGO] Ita MSS. & edd. vett. maluit Acidal. sententiâ & numeris postulantibus; *miseret: tamē Virgo &c.* ut omnia istæc tribuerentur Dordalo. & sic utraque Parei nimis licenter.

91. IN-

91. INDUCAS:]ita MSS. & edd.omn. Verùm D. F. *inducat.* ut ad puellam referatur. Sic Petron. *Rursus in memoriam revocatus injuria.* & Pareus quidem illud *inducat* utraque editione admisit, hoc est adhærere manuscriptis.

99. DO. EMAM, OPINOR] ita Acidal. & Meursius è vet.editt.quæ clarè, *Emam opinor.* Ad quod respondet Toxilus: *Etiam, opinor?* scil.dicis. Ita & MSS.Cam.

101. VENISSE HUC]*D.F.* legit, *venisse hic.* i.venditam esse.

102. TOX.QUID NUNC? DO. QUID EST] ita & Grut.postulante sententiâ, Personam *Tox*, immittit, quam omisit Cam.

103. ETSI RES S.]Innuit, potiores esse amicos, quàm pecuniam: & ad vitæ præsidium plus habere momenti, amicos citra pecuniam, quàm absque amicis opes. Unde apud Scythas, autore Luciano, is habebatur ditissimus, qui certissimos amicos possideret. Ac nostris moribus, *Ibi sunt amici, ubi opes.*

104. SI CR.CADES]i.siquidem inclinari te crebrò ac muliebris patientiæ legem accipere sustinueris. Quomodo & nos in Belgis Veneris istiusmodi *Curto calci insistere* cavillantes, lepidâ ... vernaculæ vocis compositione; Kor... e hielt perhibemus. q.d. *brevicalces.* Quo enim calcaneum brevius homini, eò ad resupinandum accommodatior. Easdem etiam ab eâdem caussâ, *Comitiales esse*, hoc est, casabundas dictabant &c. Scio de hoc loco Plauti in diversâ sententiâ esse alterum sæculi nostri Persium; (Lipsium innuit: qui hæc ita l.

——*actutum. VIR. sic reor. DO. ades,*
Vin' mea esse?

Epist.Quæst.lib.2.cap.12.)eiq; persuaderi non posse, *Cadendi* verbum Latinos sic abusos. Sed verò nobiscum facit exemplum verus, quod à Senecâ Patre III.Controvers. citatur: *Fortasse pœna se praparavit, & ex quo peccare cœpit, cadere condidicit.* De Vestali incesti damnata, & de saxo dejectâ, quæ recreata ad pœnam repetebatur. Quem colorem Declamatoris irridet Seneca, ut vulgarium & in re gravi levem; non, ut parum Latinum. Sic Sulpitia apud Tibullum lib.4.10.

Gratum est, securus multū quod jam mihi de me
Permittis subito, ne malè inepta cadam.

i. ne adultera peccem alio viro, ut Scal. explicat. Atque hæc è Centur. J. Douzæ, & Quæst. Plaut. J. Gulielmii. Etiam Fr. Lindebruch. in Catalect. Virgil. ad illum v.

——*de quæstū libera facta suo est;*

hinc notat, *Cadere* inter verba Romana esse, quod si crebriusculè facerent, summulam pecuniæ corradebant, quâ se in libertatem vindicabant. Sic apud quasdam gentes virgines liberæ dotem sibi eodem modo comparabant. Augustinus etiam Phœnicibus tribuit; & Plautus Tuscis, Cistell. 2.3.

Tusco modo
Tute tibi indignè dotem quæras corpore.

V. Not. ibidem, & Curc. act. 4.1. Deniq; & Acidalius *Cadere* in obscenis ponit: quomodo & *Labi* in Propertio lib. 1. el. 1.

Ut solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.

Nostri: Sie ist zu fall kommen.

106. GRAND. BOL.] magno hæc erit tibi emolumento. L.

109. QUI DATUR, TANT.] ita Acid. & Schop. *qu. d.* Indica, quo seu quanto es daturus. Suprà: *Indica, minimo daturus qui sis: qui duci queat.* ut Men. 3.3. Plautus in Hortulo, quem Festus citat: *Praco ibi adsit cum coronâ: quique liceat, veneat,* i. quanti liceat. Vide Susp. Lect. lib. 1.3.

110. HABE TIBI CENTUM MINIS.] Ita est in Venetâ Pap. at MS. pr. *habe trecentis minis.* sec. *habe trecentum m.* Alii, *tercentum m.* Al. *trecentum m.* Sed quod edidimus videtur & Meursio rectum: idque inde apparet, quòd Dordalio lenone nimium id esse dictitante, *octoginta* dicat. nam aliàs nimis esset absurdum à trecentis statim ad octoginta descendere. Decepti autem sunt istis Toxili verbis:

Abi, argentum effer huc.
Non edepol minis trecentis carû st. fecisti lucri.

Eadem phrasis Pseud. act. 2.3.

——*aurichalco contra non carum fuit*
Meum mendacium.

Ita planissimè & Acid.

115. DOR. HABETO]ita, *habeto*, Grut. reponit cum MS. Nam vulg. illud, *habebo*, nihili est.

118. ACCEDUNT] Hactenus cusi, *accedant*, sed contra MSS. Pall. & responsum Lenonis. Pareus ille, serpentinis oculis, nihil hîc vidit.

121. AFFERO]Haud aliter MSS. & edd. omnes, præter Pareanam; quæ recepit Acidalii, *effero*, absurdè.

ACTUS IV. SCENA V.

TOXILUS, SAGARISTIO servi. VIRGO.

EDEPOL dedisti, Virgo, operam allaudabilem,
Probam & sapientem & sobriam. VIR. SI QVID BONIS
BONI FIT, esse idem & grave & gratum solet.
TO. Audin' tu! Persa, ubi argentum ab hoc acceperis,
Simulato quasi eas prorsum in navem. SA. ne doce.
TO. Per angiportum rursum te ad me recipito,
Illac per hortum. SA. quod futurum est, prædicas.
TO. At ne cum argento protinam permutes domum:
Moneo te. SA. quod te dignum 'st, me dignum esse vis.
TO. Tace! parce voci! præda progreditur foras.

VERSUS hujus & seq. 4. Scenarum, sunt jamb. senarii.

1. OPERAM ALLAUDAB.] ita MS. pr. at sec. & vett. ed. *laudabilem*. Colerus malebat, *adjutabilem*: quomodo Lips. in Milite. & eo quoque latrinam editionis primæ expolivit Pareus.

3. ET GRAVE ET] Sic Accius hæc duo conjunxit:
Id quod facis, gratum & grave est.

A *Grave*, inquit Nonius, *solidum & firmum*. Sed vide Gruterum Cistellaria 1. 1. v. 87. Noster Melanchthon: *Grave*, à graviter, i. sapienter collocatum, respicis dantis personam: *Gratum*, accipientis. Respexit Græcum σεμνὸν &c.

4. PERSA] Sagaristio; qui Persam mentiris.

5. PRORSUM] quasi proversum, rectâ viâ. Stracks gerades wegs.

ACTUS IV. SCENA VI.

DORDALUS leno. SAGARISTIO, TOXILUS servi. VIRGO.

PROBATI hic argenti sunt sexaginta minæ,
Duobus nummis minus est. SA. quid ei nummi sciunt?
DO. Crumenam hanc emere, aut facere ut remigret domum.
SA. Ne non sat esses leno, id metuebas miser,
Impure, avare, ne crumenam amitteres.
TO. Sine, quæso! quando leno 'st, nihil mirum facit.
DO. Lucro faciundo ego auspicavi in hunc diem:
Nihil mihi tam parvi 'st, quin me id pigeat perdere.
Age accipe hoc sis. SA. hunc in collum, nisi piget,
Impone. DO. verò fiat. SA. nunquid cæterùm

Me-

Me voltis? TO. quid tam properas? SA. ita negotium'st,
Mandata quæ sunt, volo deferre epistolas.
Geminum autem fratrem servire audivi hîc meum,
Eum ego, ut requiram atque ut redimam, volo.
TO. Atque edepol tu me commonuisti haud malè.
Videor vidisse hîc formâ persimilem tui,
Eâdem staturâ. SA. quippe qui frater siet.
DO. Sed scire velimus, quod tibi nomen siet.
TO. Quid attinet nos scire? SA. ausculta ergo, ut scias:
Vaniloquidorus-Virginisvendonides.
Nugipolyloquides-Argentiexterebronides,
Tedigniloquides-Nummorumexpalponides:
Quodsemelarripides-Nunquampostea eripides.
DO. Heu hercle nomen multis modis scriptum'st tuum!
SA. Ita sunt Persarum mores, longa nomina
Contortiplicata habemus. nunquid cæterum
Voltis? DO. vale. SA. & vos: nam animus in navi st meus.
DO. Cras ires potius, hodie hîc cœnares. Vale.

QVID EI N.] Quare absunt? quid facere sciunt? L. A

3. CRVMEN.] ut crumenam hanc emas: aut si duos istos nummos tibi dari etiam postulas, crumenam mihi reddas: L. Sed vide mihi & Casaub. Com. ad Theophr. Charact. Ethic. c. De Impuritate.

3. REMIGRET] *re* syllaba producitur: ut sc. 5. act. 4. v. 107. in *reduco*. Acidal. Ita *Re* præpositionem veteribus productam in *Retulit, Repulit, Reperit, Recidit, Reficit, Reducit,* & similibus; nec geminandum consonantem, docet Scalig. Ausonian. Lect. lib. 2. 21. & ad Propert. lib. 1. eleg. 22. item Gifanius Indice Lucret.

4. NE NON SAT] Sic Ter. Phorm. act. 3. 2. B

——eja, ne parum leno fies:

ἐᾳθ’ῖν. id est, vereris, ne non obtineas lenonum mores: ne non respondeas satis tuo nomini tuæque turpitudini: *Grut.* Palmerius, *Esse quid lenonem*, valet sceleris aliquid & fraudis parare. Vide & Ascon. III. Verr.

9. HVNC IN COLL.] Grut. l. *hanc in c.* quod confestim in editionem pr. admisit Pareus, Florent. & Paris. cod. *hanc* scil. crumenam. Omnes ed. meæ vett. *impone nostro. T. fiat. non, vero:* quod tamen in Pall.

A 12. MANDATÆ] Fortè legendum, *Mandata q.* Sunt enim epistolæ mandata. Hesychius: *ἐπιστολαί, ἐντολαί*. ita quoque Suidas exponit. Hinc putem, *cum mandatis mittere*, esse cum epistolis, in quibus mandata perscripta, mittere: *Colerus*. & verò Pareus incontinenti illud *mandata* sterquilinio editionis primæ intulit, contra MSS. Vett. ed. *Mandata æque s.*

21. VOLO] ita MSS. & edd. vett. ut *Volo* sit avium. at è suis explet Acidalius, *Volo pergere*. quod & editiones suas probè saburravit Pareus.

18. DO. SED SCIRE V.] Hunc versum è B vet. codice Lambinus rectè restituit. non est autem in ullo Palatino.

21. NVGIPOLYL.] J. Gulielmius leg. *Nugidololoquides*. ut ajat dolosas & fraudulentas nugas se loqui & sanè cætera pura puta Latina sunt omnia, unde sibi ridiculè nomina concinnat: ut veri vix simile sit, in hoc solo Græcissare Poetam voluisse. MSS. Cam. *Nugipiloquides*.

21. ARGENTI EXTEREB.] Vulgò, *Argentiextenebronides*. quod Lamb. malè à tenebris derivat. Rectius est, *Argentiexterebronides*, ut ab exterebrando argento ducatur scilicet. Sic autem emendarunt *D. F.* & Des. Heral-

dus,

dus,& ante utrumque Gruterus. Nam *exterebrare*,(quo suprà usus)est exsculpere,extorquere,exprimere.

22. TEDIGNILOQ.] Acerba ironia in Lenonem expressa ridiculo nomine, *Tedigniloquides*: quasi loquatur,quæ lenone digna sunt captiosa & scelesta omnia.ita idem Sagaristio paullò superius de Toxilo: *quod te dignum est,me dignum esse vis*: J.Gulielm. At I.Palmerius leg.*Tetechnilocrides*. Significabit, technis se ab eo facere lucri. Juvat,quòd Virgini nomen fecerat *Locridi*. nam *locrum* & *locellum*, pro *lucro* & *lucello* dicebant. Lips.Ep. Q.lib. 2. 12. Ficta, inquit,nomina Aristophanis more & Græcorum: pro re præsenti tamen sententiam præferre debent: itaque altero versu legerim. *Techniloquides*, quasi qui loquitur technas.

22. NVMMORVM EXPALP.]Lectio nata ante sæculum quidem,sed tamen non etiam auctoris gemina germana. nam edd. primæ: *num des*,quomodo & Pal.sec.quippe pr. *nundes*. Pareus,ne non aliquid novi nobis expromeret, in contextum recepit suum *nummid Expalp*.sed aliud profectò latet, quàm ut ab illo eruatur præstigiatore, qui à se nihil reperire potest, quàm quod jam alii antea indicarunt.

24. MVLTIS M.]ita MSS.ambo. Douza corrigebat,*multimodis*, ex Lucretio. De quo vide Gifanii Indicem cognomento Lucretianum.item Not.Bacchid.act.3.2.

26. CONTORTIPLICATA NOMINA.]Franc. Junius,Exodi cap. XXVI. v. 1. ubi Tabernaculi Dominici aulæa fieri jubentur è bysso, aut potiùs xylino retorto vel internexo, vim & indolem Hebrææ vocis verbo hoc *contortiplicato* exprimit,i.duobus aut pluribus filis in modum chordæ contortis: ut ibi in rem suam explicat.

ACTUS IV. SCENA VII.

TOXILUS. DORDALUS. SATURIO parasitus. VIRGO.

POSTQUAM illic abiit,dicere hîc quidvis licet.
Næ hic tibi dies illuxit lucrificabilis!
Nam non emisti hanc, verùm fecisti lucri.
DO.Ille quidem jam scit, quid negotii gesserit,
Qui mihi furtivam meo periclo vendidit.
Argentum accepit,abiјt.quid ego nunc scio
An jam asseratur hæc manu? quò illum sequar?
In Persas?nugas.TO.credidi gratum fore
Beneficium meum apud te.DO.imò equidem gratiam
Tibi, Toxile,habeo: nam sensi te sedulò
Mihi dare bonam operam.TO.tibin' ego?imò servii.
DO.Attat oblitus sum intus dudum edicere
Quæ volui edicta.asserva hanc. TO.salva'st hæc quidem.
VIR.Pater nunc cessat.TO.quid si admoneam?VIR.tempus est.
TO.Heus! Saturio, exi. nunc est illa occasio
Inimicum ulcisci.SA.ecce me!nunquid moror?
TO.Age illuc abscede procul è conspectu.SA.tace!
TO.Ubi cum lenone me videbis colloqui,
Tum turbam facito.SA.dictum sapienti sat est.

IMO SERUII.] MSS. ambo & omn. vett. consensu. *servi*. Cam. τὸ *servi* planè omisit. Novitiæ edd. *imò servio*. sed quis, aut unde, nobis hoc architectatus est? J. Gulielmius emendabat, *servii*. de quo ad Pseud. act. 1: 1. A quem tamen jocum nimis exilem censet Acid. & potiùs ita distinxerit.

——*TO. tibin' ego? DO. imò seriò.*

Attat obl. quòd in foricam editionis pr. intulit Pareus.

ACTUS IV. SCENA IIX.

DORDALVS leno.
TOXILVS servus.

TRanscidi loris omneis adveniens domi,
Ita mihi supellex squalet, atque ædes mea.
TO. Redis tu tandem? DO. redeo. TO. næ ego hodie tibi
Bonam vitam feci. DO. fateor habere gratiam,
TO. Num quippiam aliud me vis? DO. ut bene sit tibi.
TO. Pol istuc quidem jam ego omne usurpabo domi;
Nam jam inclinabo me cum libertâ tuâ.

TRANSCIDI] *Transcîdi* penult. longâ: à *trans* & *cado*: L.

V. 4. BONAM v.] ita MSS. Cam. at Lamb corrigit, *Bona multa feci*. Sed nihil necesse est hinc ejicere propriam & elegantem formulam, *Bonam vitam facere*: cùm significare vellent, in voluptatem & gaudium se operâ alicujus conjectos. Cas 4:4. *Venus multipotens bonam vitam mihi dedisti*: J. Gul. Ita Gruterus; Mutat hæc, inquit, Lambinus: malè: nam *Bona vita*, *delicata est*. Seneca epist. 123. *Nec dubitaveris bonam vitam quàm opinionem bonam malle*. ubi *Bona vita* dicitur, in quâ quis lautè, delicatè genialiterque vivit. unde Terentius Hecyrâ act. 3: 5. *Vixit*, B *dum vixit, bene*. Et opponitur *Mala vita*: de quâ multa in Suspp. libris. Sic & *Bona mors*. Plinius lib. 2. Epist. ult. *Quid invidetis* (ô Medici) *bonam mortem, cui dare vitam non potestis?* Cui opponitur *Mors mala*, dura scilicet. Plinius lib. 3. epist. 16. *Potestis efficere, ut malè moriar: ne moriar, non potestis*.

4. FATEOR HABERE GRATIAM] Reduxi quod erat in edd. primis, item Pal. sec. nam pr. *habeo gratiam*: unde alii, *fateor habeoque gratiam*. sed primus ille mendosior profectò est, quam ut cedere ei debeat secundus: quicum perpetuò ferè consentiunt editiones primogeniæ.

ACTUS IV. SCENA IX.

SATVRIO parasitus.
DORDALVS. VIRGO.

NIsi ego illunc hominem perdo! DO. perij! SA. atque optimè
Eccum ipsum ante ædes. VIR. salve multum, mi pater.
SA. Salve, mea gnata. DO. hei! Persa me pessundedit.
VIR. Pater hic meus est. DO. hem! quid? pater? perij oppidò.
Quid ego igitur cesso infelix lamentarier
Minas sexaginta? SA. ego pol te faciam, scelus,

Te quoque etiam ipsum ut lamenteris. DO. occidi.
SA. Age ambula in jus, leno. DO. quid me in jus vocas?
SA. Illi apud Prætorem dicam. sed ego in jus voco.
DO. Nonne antestaris? SA. tuân' ego caussâ, carnufex,
Cuiquam mortali libero aureis atteram?
Qui hîc commercaris cives homines liberos.
DO. Sine dicam. SA. nolo. DO. audi. SA. sum surdus, ambula.
Sequere hâc scelesta feles virginaria.
Sequere hâc, mea nata, me usque ad Prætorem. VIR. sequor.

NISI EGO IL. H. P.] ita omnes edd. nam MSS. non agnoscunt personas, aptissima minitanti aposiopesis. sed vide tamen, an non sit major gratia in istâ distinctione:
Nisi ego illunc h. perdo, perii. atque opt.
Acidal. quod in utraq; Pareana.

3. HEI, PERSA] ita Schop. è MSS. Cam. in quîs, & *Persa*, benè.

9. ILLI APVD PRÆT.] J. Rævard. in Protrib. cap. 4. Si reus, inquit, non latitaret, sed agendi secum Actori faceret potestatem, solebat postulationum die in jus sequi adversarium. cumque citatus respondisset, statim Actor caussam dicebat, suámque reo, sedente pro tribunali Prætore, actionem edebat. Antequam autem in jus ventum esset, reo actionem edere Actorem olim cogi non solere, ex hoc Plauti loco probari potest, &c. Vide & Fr. Hotom. in libr. Inst. Comment.

10. TVAN' EGO C.] Homines enim infames, & intestabiles, ut fures aut lenones, sine antestatione, injectâ manû, invitos in jus trahere licebat. L. D. *Antestari*, vetus JCtorum verbum, significans, accipere in testem: testibus uti; &, ut Plautus Curc. act. 4:4. ait; *testes facere*. Apud veteres enim, qui adversarium in jus pertrahere volebat, priùs aliquem de præsentibus antestabatur, hoc est, testem capiebat, ejus attingens auriculam, & sic interrogans, *Licetne antestari?* Illo autem respondente, *licet*: tum injectâ manû adversarium in judicium rapiebat. Solos autem liberos antestari fas erat: servi testes esse non poterant. Ad hoc alludit Hor. 1. Serm. 9. Hanc juris solemnitatem elegantissimè depinxit & alibi & hîc Plautus. Quare autem Antestantes testium aures apprehendamus, docet Plin. lib. 11. cap. 45. *Est* (inquit) *in aure imâ memoriæ locus, quem tangentes antestamur, &c.* Hinc (quod Jac. Susius huc refert) *vellere autem*, est admonere. Virgil.

——*mihi Cynthius aurem*
Vellit & admonuit——

Vide & Lud. Carrionem lib. 2. cap. 12. & Cujac. lib. 7. Observ. cap. 16. & Rævard. inprimis ad LL. 12. Tab. cap. 5. Lips. Epistol. Q. lib. 4. cap. 26. Item N. Curc. act. 5:2. & 3. Sunt igitur *Antestati*, qui testes fecerunt; non ii ipsi, qui in jus vocantur, ut quidam perperàm opinati sunt.

14. SCELESTA FELES V.] ita MSS. sed Personas Lipsius, Ep. Q. libro 1:4. ita disting. *sequere hâc. DOR. scelesta felles &c.* sic apud Auson Epigr. 69. *felles pullaria* est, *subulo* Lucillii, à rapiendis pueris sive pullis.

Quis Marcius? Felles nuper pullaria dictus,
Corrupit totum qui puerile secus.

Sic Rud. 3:4. *felles virginales* appellat lenones; tracto convicio à rapacitate ejus animalis. Eadem ferè Turnebus. Reperitur autem & *feles* & *felis*, in primo casu, pro *cato*: ut probat Charisius annotante El. Vineto.

ACTVS

ACTUS V. SCENA I.

TOXILUS.
SAGARISTIO servi.
LEMNISELENE.

HOstibus victis, civibus salvis, re placidâ, pacibus perfectis,
Bello extincto, re benè gestâ, integro exercitu & præsidiis,
Cùm bene nos, Juppiter, juvisti, dique alii omnes cælipotentes,
Eâ vobis grates habeo, atque ago: quia probè sum ultus meum inimicum.
Nunc ob eam rem inter participes dividam prædam & participabo.
Ite foras! hîc volo ante ostium & januam meos participes benè accipere.
Statuite hîc lectulos, ponite hîc quæ assolent. hîc statui volo primùm
Aquilam mihi: unde ego omnes hilaros, lubentes, lætificantes faciam ut fiant,
Quorum operâ hæc mihi facilia factu facta sunt, quæ volui effieri.
„ *Nam IMPROBUS est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.*
LEM. Toxile mi, cur ego sine te sum? cur autem tu sine me es? TO. agedum ergo,
Accede, mea, ad me, atque amplectere sis. LEM. ego verò. oh! nihil magis dulcest.
Sed, amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus?
TO. Omnia quæ tu vis, ea cupio. LEM. mutua fiunt à me. TO. age, age, age ergo!
Tu Sagaristio, accumbe in summo. SA. ego nihil moror! cedò parem quem pepegi.
TO. Temperi. SA. mihi istuc temperi, sero'st. TO. hoc age! accumbe. hunc diem suavem
Meum natalem agitemus amœnum. date aquam manibus: apponite mensam.
Do hanc tibi florentem florenti: tu hîc eris dictatrix nobis. age, puere,
A summo septenis cyathis committe hos ludos. move manûs; propera.
Pægnium! tardè cyathos mihi das: cedò sane. Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.
Optatus hîc mihi dies datus hodie'st ab dîs, quia te licet liberam me amplecti.
LEM. Tuâ factum operâ. BENE omnibus nobis! hoc mea manus tuæ poculum donat,
Ut amantem amanti decet. TO. cedò. LEM. accipe. TO. Bene ei, qui invidet mihi,
Et ei qui hoc gaudio gaudet.

VERSUS tetrametri numeris confusi & obscuri.

V. 1. PACIB. PERF.] Conditionibus pacis transactis. Nonius: *Paces, plural. numero novè positum.* Varro, *constituere paces.*

4. EA] ob ea, ob eam caussam: L. MSS. Camerar. *Eas.*

7. STATUITE H.] Servilis convivii descriptio. Huc pertinet locus Asin. act. 5. 1. & 2.

7. Asso-

7. ASSOLENT] flores, corollas, panem, obsonia, vinum &c. L.

8. AQVILAM] Ita hunc locum J. Lipsius è MSS. & edd. composuit, Elect. l.1:4. & correctio certa & clara est. Aquam enim duplicem initio statim poni mos erat, Calidam, Frigidam. Faceta autem allusio Comici servi, quasi ad *Aquilam* etiam *militarem*. Vide & Gul. Stuckium lib. 3. Antiquitatum Convivial. cap. 6. Etiam Palmerius pag. 249. hos versûs ordinat. Et aquulam, inquit, vult statui manibus, vel vino lymphando, &c. Etiam Meurs. Etiam ita Acidalius: nisi quòd *inde*, quasi *deinde* legat. Nam aqua, inquit, in conviviis principē locum tenuit lavandis manibus. ac post aquam sumptam, mensa demùm apponebatur. Patet Mostell. act. 1: 3. & hic v. 17. alibique. V. N. Trin. 4: 3. & Curc. 1: 3.

8. LVBENTES] Ita J. Gul. & Douza. Nam ægerrimè, inquiunt, distractionem patiuntur, *Lætificantes, læti, lubentes; Lubentia ac Lætitia.* MSS. & editi, *ludentes.*

8. VNDE EGO OM. H.] Lepidissimi versûs; sed perobscurus hic est, ob insolentiam formulæ, *faciam hilaros ut fiant*; elegantis tamen, & in uno Plauto locis sexcentis obviæ, Accusandi casu pro Nominandi posito. Epid. 4: 2. *Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc ut fiat diem.* Porrò, *lubentes*, convivii verbum proprium est, cùm fronte jam exporrectâ jocandi & sese exhilarandi cuiq; libido est. Ter. Adelph.

Hilarem ac lubentem fac te in nati nuptiis.

inde Agellio *lubentiæ conviviorum*, sunt lautitiæ, & quæ ultrò citrò reciprocant invitationes: lib. 15: 2. Apul. 1. Met. *Lectulo refoveo, cibo satio, poculo mulceo: jam ad lubentiam proclivis est joci, & scitum est cavillum.* Hinc *lubentes* pro lætis ac hilaris; & ipsa hilaritas *lubentia* dicitur, Asin. 2: 2. & Sticho, 2: 2. Sententia est: Jubet Toxilus lectulos statui, cyathos, vinum, cætera quæ assolent, inprimis caldam temperando vino adponi: ut lubentiâ & hilaritate impleat omnes, quorum operâ fallaciæ ex sententiâ successerint. placere enim sibi, vulgo quod dicitur,

Ingrato nihil quicquam esse improbius.

J. Gul. Verisim. lib. 1. c. 8. Pareus contra MSS. & edd. omnes utramque suara innovavit, rescribendo. *inde*, id est deinde. Scilicet hoc est emendare Plautum, sequi conjectaneum Acidalii.

10. NAM IMPROBVS EST HOMO, &c.] Elegans est distichon *Dionysii Catonis*, quo vetamur immemores esse beneficii:

Gratior officiis, quò sis magè carior, esto.
Ne nomen subeas, quod dicunt, officiperdi.

Officium autem (ut obiter hoc è Notis Scalig. dicam) apud istum auctorem *beneficium est*: ut in illo:

Officium alterius cunctis narrare memento.

Et *Officiperdum* proverbialiter dictum hinc videmus hominem, in quem omnia ingesta beneficia, tanquam in dolium rimosum effluebant. Idem Scalig. eâdem analogiâ vertit ὀλεσίχαρις. quomodo Homero *salix* ὠλεσίκαρπος. Sive igitur *Officiperda* sive *officiperdus*, quod utrumque probum est, is est, in quem omnia ingesta beneficia effluant, & *qui*, ut Seneca loquitur, *beneficia haurit perforato animo*, & transmittit, quicquid accipit.

10. SVMERE] MS. pr. *accipere.* quod Pareus invasit, cùm tamen in edd. omnibus, MS. sec. (quem ipsemet sæpius laudat, tanquam priore meliorem) servaret *sumere.*

12. ACCEDE, MEA, AD ME &c.] Vet. edd. *Accede ad me, atque amplectere sis.* nostrum extat in Pal. sec. nec abit pr. nisi quod is, *amplecteris.* Acidalius heic & personas & voces novat, cui obtemperatum statim à Pareo in prima. nam in secunda, ibi restituit Plauto, quod ei Taubmannus indicaverat.

15. CEDO PAREM] sic MSS. Cam. & vett. cod. omnes. Lamb. tamen velit *partem, quam p.* ut & Acidal. & P. Manutius ex Ald. At verò Palmerius, In Sambuci, inquit, libro est, *partum.* Ex eo emendabam: *cedo par, quam pepigi.* Errat enim, si quis aliam mentem Sagaristionis putet, quàm sibi quoque suam amicam in convivio, quam à Toxilo pepigerat, poscentis. Quando tu tuos amores habes, cedò meos. *Par* ita pro *compar*: quod Latinæ linguæ solitum est. In Diris:

Tuque eris isti par, & prima novissima nobis.

in Sidonio; in Petronio idem. sic enim solebant, hunc *illius par* dicere, cùm geminum moribus significabant. Rud. Prol. *Et erat hospes, par illius, &c.* Nisi quod, *par*, hic fortasse masculino genere est, *compar*. Palmerianum

rianum editioni suæ pr. intulit Pareus, sicq; laudat, tanquam Plauti genuinum, in Lexico suo.

15. EGO NIHIL MOR.] Ich acht mich der Ehr nicht/ oben an zu sitzen. Hinc manifestò dilucet, inquit Douza, summi lecti ordinem in discubitu honoratiorem habitum antiquitus, quoties non nisi biclinium, ut hîc, stratum erat. His patratis, reliquum erat, ut mensa ante utrumque lectum collocaretur: id quod mox fieri imperat Toxilus. Quæ eadem post cibum sumptum rursus removebatur. Argumento est Maroniannm illud:

Postquam epulis exempta fames, mensaque remotæ.

Neque verò audiendi illi, qui falsæ Turnebicæ opinioni acceptores, *Mensas* apud Virg. pro ferculis, magidisque ac lancibus, quas situris convivis, (quemadmodum & hodie fieri videmus) auferri ac sustolli mos erat, interpretantur. Nam & Ovidius disertè Virgilio succentans ait:

Mensaque purpureos deserit alta toros.

Item Amoribus:

Jamque frequens ierat mensâ conviva remotâ.

Amphitr: *Te dormitare ajebas: mensa ablata est.* Vide & H. Salmuthi Notas in Guidonis Panciroli JC. Res Memorabil.

16. TEMPERI] i. tempore suo dabitur, quod pepigi. Sic Cic. Epist. l. 9: 16. dixit *temperius*: quod alibi apud eundem semel duntaxat observatum à se Manutius adserit. & *temporius*, recentius esse; *temperius* autem antiquius: à *tempus*, *temperis*: ut *pignus*, *pigneris*, & verb. *pignero*. Ita in Offic. *Ad cœnam temporè venit*. Idem: *Satis temporè ad eos accedemus.* V. N. Epid. act. 3: 3.

17. DATE AQUAM MANIBUS] Johan. à VVouvveren ad illud Petronii: *Discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes*, notat: Veteres accubituri manus pedesque lavabant. Fab. Pictor: *Aquam manibus pedibusque dato.* Utrumque hîc factum Petronius innuit: nam, *pedibus*, &, *ad pedes*; ut, *manibus*, &, *ad manus aquam dare*, dicebant veteres. V. N. Scenâ seq. ad illud: *Ferte aquam pedibus.* item Brisson. l. 8. Form.

18. FLORENTEM] Errat hîc Lambinus. De *corollâ* enim *floreâ*, non de puellâ Sagaristioni oblatâ à Toxilo intelligendum. Gruterus: Quod, inquit, apud Romanos & Græcos obtinuit, ut in conviviis *Magister* aliquis crearetur, Hebræis quoque fuisse usitatum, colligo ex Jesu Syrach, cap. 32. *Si summus convivii Magister es constitutus, ne te supra alios efferas, sed quasi unum ex illis præbeas. habeto curam eorum; atque ita conside. Et cùm tuo munere perfunctus fueris, commendationem adeptus, quiesce: ut lateris eorum causâ, ornamentique gratia coronam accipias.* Ubi & hoc animadvertito, solitam dari coronam, rei benè administratæ signum: cum tamen Plautus unà cum coronâ magistratum illum imponat in Persâ: *Do hanc &c.* Porrò, quamvis aliquando talorum jactu (V. N. Mil. 2: 2.) συμποσίαρχος crearetur; videor odorari hospites nihilominus convivatori eum honorem ultrò detulisse: ut Stich. act. 5: 4.

Sed amica mea, dum comit, dumque se exornat, nos volo
Tamen ludere inter nos. Strategum te facio huic convivio.

Verba enim sunt Sagarini, qui Stichi liberalitate accipiebatur. *Hæc ille.* Sed & Lipsius ex illo, *do hanc tibi, &c.* probat, Magistros interdum solâ corollæ impositione dictos esse. Qui enim leges bibendi præscribebat, *Magister* vulgò dicebatur: Varroni etiam *Modimperator*: Horatio *Arbiter*: Plauto *Dictator*. Græc. συμποσίαρχος, βασιλεύς, στρατηγός. quâ postremâ voce & noster usus est, Sticho act. 5: 4. Hæc autem *Magisteria* (ut Cicero vocat) seu *Regna vini* (ut Hor.) sortiebantur & eligebant tâlis, in omni convivio. V. N. Mil. 2: 2. Et quanquam talorum jactûs varii erant, *Venus*, *Canus*, *Senio*, *Chius*; tamen propius fuit Magistro creando jactus Veneris: qui enim primus è convivis hanc jecerat, is *Magister*. Horat.

—quem Venus arbitrum
Dicet bibendi.

V. N. Curc. 2: 3. & lib. 3. Antiq. Lect. Lipsii. Atque hinc etiam est (inquit Gruterus) quod toties Comœdiographus noster & Martialis parasitos cœnarumque captatores inducant, qui vocatorem designent *Regis* nomine: hic, lib. 1. Epigr. 120. lib. 2: 18: 62. lib. 5: 23. lib. 10: 10. & 96. lib. 12: 48. & 61. &c. ille Capt. act. 1: 1. & multis præterea locis. Vide & Macrob. l. 1: 5. & 7. libr. 2: 1. & 8. item Grapaldum libr. 2. cap. 3.

19. A SVMMO] *A summo bibere* (auctore Lipsio, Antiq.lib.3.) est, quod Græci dicunt, ἐν κύκλῳ πίνειν: ab eo convivâ scilicet, qui summus accumbit, ad imum. Et morem hunc Romanis solemnem in omni convivio fuisse, cùm paullò hilarius se invitare vellent, facilè ostenditur vel ex hoc loco: item Asin.act.5: 2.

Da, puere, ab summo: agè tu interibi ab infimo
da suavium.

Pertinet huc illud Cic. in Catone: *Et is sermo, qui more majorum à summo adhibetur in poculis*, ita enim is locus legendus, exturbatâ voce, *magistro*.

19. SEPTENIS CYATH.] P. Faber Agonist. lib.1. cap.28. Non ad gymnicos, inquit, ludos Plautus vetusti moris non ignarus allusit, sed ad curules: quorum cursum olim apud Græcos non septimo, sed duodecimo spacio finitum, ex Pindaro ejusque Scholiaste; apud Romanos autem septimo, passim docemur. Cassiodorus lib. 3. Var. Epist. 51. Agellius lib. 3: 10. *Curricula ludorum Circensium solemnia septem fuisse*, ait. Auson. in Epitaph. Heroum, Epigr.35.

Phosphore clamosi spaciosa per æquora Circi
Septenas solitus victor obire vias.

Quanquam autem hæc vera sunt de septem Circi spacii: attamen si cui displiceat nostra hæc Plautini loci explicatio, ex palliatâ scilicet Comœdia desumpti (licet in eam injecta ex Romano more plurima) possit auctoritate Scholiastis Græci permotus ad cursum, qui δολιχόδρομος dicebatur, Plautum adspexisse arbitrari, &c. Certè Plautus haud temerè in palliatâ Comœdiâ de septeno numero locutus. de quo diligentius cogitent eruditiores. Hæc ex P. Fabro.

19. COMMITTE H.] A metaphora ludorum Circensium; qui dicuntur *committi*, cum factiones quadrigarum è carceribus emittuntur. sic Varro: *Dominus maturo ovo cœnam committit*. Cic. 3. de Fin. *Heri ludis commissis ex urbe profectus*. Nonius: *Committit*, i. incipit. Vide Scalig. Conject. & Lips. Ant.Lect. lib. 3. Pareus ex istis nostris, Lexicon suum ita illustrat: *Committere*, inquit, verbum gladiatorum, quæ dicebantur committi, cùm factiones quadrigarum è carceribus emittuntur. Absurdissimè, nihil gladiatoribus commune cum aurigariis; nihil amphitheatro cum circo. nullus puer hodie est, qui non deprehendat reprehendatque istæc blateramenta hominis vappæ. Et is nobis Lexicon Plautinum? is Electa?

20. BENE MIHI] Hilaritatis ἀφημία: Cam. Ovidius:

Et, BENE, dic, dominæ; BENE, cùm quo dormiet illa.

quod Scaliger sic laudat ad Tibullum, l.2: 1. & probat. Sed & moris erat inter bibendum nominari dominam aut amicam. Horat. lib.1. Od.27.

Vultis severi &c.

Idem lib. 3: 19.

Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ.

Hîc enim *vinum Murenæ*, ita dixit, ut Theocr. οἶνον ἐρῶντος. Pl. Stich.5: 4.

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.

Tibullus lib.2: 1.

Sed, Bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat;
Nomen & absentis singula verba sonent.

Ovid. 2. Fast.

Et Bene nos, Bene te, patriæ pater optime Cæsar.

Ita autem concisè loquebantur: pro eo quod esset: Bene vos vivere precor: Bene valere. Dixisse etiam, *Bene vixis*, aut, *vixeris*; & Græcos, ζήσαις, monet Scaliger in Culicem Virgilii. Quin & illud usurpabant, ut in honorem amici aut amicæ tot cyathos biberent, quot litteræ in eo nomine essent. Mart. lib.1: 72.

Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur;
Quinque Lycas, Lyde quattuor, Ida tribus.

Et lib. 9: 95.

Addere quid cessas &c.

Hæc è lib.3. Antiq. Lect. J. Lipsii selegimus. Vide & Dialogum ejusdem 10.l.5. Poliorcet. ubi docetur inter alia, Græcos & Romanos non tantùm diis, sed & Principibus, Beneficis, Præceptoribus, Amicis libasse, eorumq; honori bibisse, inter pocula & mensas, maximè secundas. Atque hoc esse *Græco more bibere*, Asconius pertendit, III. Verrinâ, quem videas. Nostris moribus fuerit, Uff eines Gesundheit trincken. Quanquam simplex ibi libatio, & gustatio: apud nos verò

λουτρόν ἐστιν, οὐ πότος: balneum est, non potio. infundimur & perfundimur hodie, atque adeò confundimur. dumq; alienæ Saluti libamus, nostram limamus & lædimus. Et sæpe fit, ut apud ejusmodi balneatores jus brutorum nullis precibus impetrari possit. (Das Ochsenrecht kan man nicht haben/ Denen weder im Fressen noch im Sauffen mehr wird auffgedrungen / als sie selbst wollen.) Neque cogitant isti Bitiæ & *κυλίκων ἐρέτας*, *Calicum remiges* sive *trubones* (ut Athenæus appellat) Sophoclæum illud:

——ὡς ἐγὼ τὸ πρὸς βίαν πιεῖν,
Ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ διψῆν βίᾳ:
——Bibere per violentiam,
Par est malum huic, sit ire per violentiam.

Sed hæc insania combibonum vetus est, & eam, præter alios sexcentos, graphicè descripsit olim è nostris D. Ambrosius, De Heliâ & Jejunio cap.13. Et de suo seculo Salisberiens. Policratico lib. 8. cap. 6. *Sine mensurâ*, inquit, *bibitur ad mensuram: & is cæteris prævalet, qui aut GULA aut DOLO* (quid? li, DOLIO) *stravit, aut vicit compotatores. QUÆ tamen gloria est*, (ait Seneca Epist. 83.) *capere multum? Cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusaverint; cùm superstes toti convivio fueris, cum omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit; vinceris à DOLIO.*

21. LIBERAM ME.] D. F. delet *me*: quod Acidal. antiquè & usitatissimè tam in Plauto quàm aliis rectissimè abundare ait.

22. LEM. TUA F. OPERA. B.] ita Acidalius & Brisson. in Formulis distinguunt: *Tuâ factum operâ. BENE OMNIBUS NOBIS h.* hoc sensu: Quòd à diis tibi datum esse ais, ut me liberam liceat amplecti, id tuâ tibi ipsius operâ evenit. Reliqua sint à solemni in propinationibus bene precandi formulâ. In MSS. *f. operâ* .... *benè omn.*

23. QUI INVIDET] Sic Pall. sic edd. omnes; nempe Sagaristioni, qui non habet amicam liberam, ut ego; neque tam venustam, quàm ego. Valla ac Lamb. valde verosimiliter. Quæ tamen glossa insipidissima est Acidalio: qui malit leg. *Benè ei, qui non invidet mihi.* Planè eâ sententiâ, quâ ille in Mostell.

HÆC qui gaudent, gaudeant perpetuo suo semper bono.
Quid invident, ne unquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.

& hoc commentum ejus non modò retulit in contextum editionis primæ, omnium purgamentorum capacissimam cloacam, Pareus; sed etiam retinuit in secunda; & ita quidem uti putaremus haustum è MSS. Pall. cùm Notæ ejus illæ loquacissimæ hîc nihil mutiant.

24. ET QUI HOC GAUDIO GAUDET] ita edd. primæ. MS. pr. abest illud *gaudio*: at sec. nè id quidem integrum habet, sed solummodo *gaud.*

ACTUS V. SCENA II.

DORDALUS, SAGARISTIO, LEMNISELENE, PÆGNIUM, PUER.

QUi sunt, qui erunt, quique fuerunt, quique futuri sunt posthàc,
Solus ego omnibus antideo facilè, miserrimus hominum ut vivam.
Perii! interii! pessimus hic mihi dies hodie illuxit. corruptor
Ita me Toxilus perfabricavit, itàque meam rem divexavit.
Vehiculum argenti miser ejeci, amisi: neque quamobrem ejeci, habeo.
Quî illum Persam, atque omnis Persas, atque etiam omnis personas
Malè di omnes perdant! ita miser! Toxilus hæc mihi concivit.
Quia ei fidem non habui argenti, eò mihi eas machinas molitu' st:
Quem pol ego ut non in cruciatum atque in compedis cogam, si vivam,

Siquidem huc unquam herus redierit ejus, quod spero. sed quid ego aspicio?
Hoc vide! quæ hæc fabula est? pol hîc quidem potant. aggrediar! ô bone vir
Salveto,& tu bona liberta! TO.Dordalus hic quidem est. SA.quin jube adire.
TO.Adi, si libet. agite! applaudamus. Dordale homo lepidissime, salve.
Locus hic tuus est, hîc accumbe. ferte aquam pedibus. præben' tu puere?
DO.Ne sis me uno digito attigeris, ne te ad terram, scelus, affligam.
PV.At tibi ego hoc continuò cyatho oculum excutiam tuum.
DO.Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie versavisti!
Vt me in tricas conjecisti! quomodo de Persâ manus mihi adita'st!
TO.Iurgium hinc auferas, si sapias. DO.at bona liberta, hæc scivisti,
,, Et me celavisti? LEM. STVLTITIA'ST, cui bene esse licet, eum prævorti
Litibus. posterius istæc te magis par agere'st. DO. uritur cor mihi!
TO.Da illi cantharum: extingue ignem, si cor uritur, caput ne ardescat.
DO.Ludos me facitis, intellego. TO.vin' cinædum novum tibi dari, Pægnium?
Quin elude, ut soles, quando liber locu'st hic.
Hui! babæ! basilicè te intulisti & facetè.
PV. Decet me facetum esse: & hunc irridere
Lenonem lubido'st, quando dignus'st.
TO.Perge ut cœperas. PV.hoc, leno, tibi.
DO.Perij! perculit me propè. PV.hem! serva rursum.
DO.Delude ut lubet, herus dum hinc abest.
PV.Viden' ut tuis dictis pareo?
Sed quin tu meis contrà item dictis servis;
Atque hoc, quod tibi suadeo, facis? DO.quid est id?
PV.Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te.
DO. Cave sis me attingas: ne tibi hoc scipione
Malum magnum dem. PV.utere, te condono.
TO.Jamjam, Pægnium, da pausam ....
DO. Ego pol vos eradicabo. PV.at te ille, qui supra nos habitat,
Qui tibi malè volt, maléque faciet: non hi dicunt, verùm ego.
TO.Age! circumfer mulsum: bibere da usque plenis cantharis.
Iamdiu factum est postquam bibimus: nimis diu sicci sumus.
DO.Dî faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat!
PV.Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum dem, olim quem Hegea
Faciebat. vide verò, si tibi satis placet. SA.me quoque volo
Reddere, Diodorus quem olim faciebat in Ioniâ.
DO.Malum ego vobis dabo, nisi abitis. SA.etiam muttis, impudens?
Iam ego tibi, si me irritassis, Persam adducam denuò.
DO.Iam taceo hercle. atque tu Persa es, qui me usque admutilavisti ad cutem.
TO.Tace stulte! hic ejus geminus est frater. DO.hiccine'st? TO.ac geminissimus.
DO.Di deæq; & te, & geminum fratrem excrucient. SA.qui te perdidit:
Nam ego nihil merui. DO. at enim, quod ille meruit, tibi id obsit volo.

TO.Agite,sultis,hunc ludificemus,nisi non dignu'st.SA.non opu'st.
LEM.At me haud par est.TO.eò credo,quia non inconciliavit, cùm te emo.
LEM.Attamen.TO.non tamen! cave ergo sis malo, & sequere me.
Te mihi dicto audientem esse addecet.nam hercle absque me
Foret & meo præsidio,hic faceret te prostibilem propediem.
„ *Sed ITA PARS LIBERTINORUM est,nisi patrono qui adversatus est,*
„ *Nec satis liber sibi videtur,nec satis frugi, nec satis honestus:*
Ni id efficit,ni ei malè dixit,ni grato ingratus repertus est.
LEM.Pol benefacta tua me hortantur,tuo ut imperio paream.
TO.Ego sum tibi patronus planè,qui huic pro te argentum dedi.
Pro hisce hunc volo ludificari.LE.meo ego in loco sedulò curabo. (vos!
DO.Certò illi homines mihi nescio quid mali consulunt,quod faciant. SA. heu
TO.Quid ais?SA.hiccine Dordalus est leno,qui hîc liberas virgines?
Hiccine est qui fuit quondam fortis?DO.quæ hæc res est? hei! colaphum icit.
Malum vobis dabo. TO. at tibi nos dedimus, dabimusque etiam. DO. hei nates pervellit.
PII.Licet! jam diu sæpè sunt expunctæ.DO.loquere tu etiam, frustum pueri?
LE.Patrone,i intrò amabo ad cœnam.DO.mea ignavia! tu nunc me irrides?
LE.Quiáne te voco,benè ut tibi sit?DO.nolo mihi benè esse. LE.ne sit!
TO.Quid igitur! sexcenti nummi quid agunt? quas turbas danunt!
DO.Malè disperij.sciunt referre probè inimico gratiam.
TO.Satis sumpsimus supplicij jam.DO fateor,manûs vobis do.TO.& pòst dabis
Sub furcis.abi intrò.SA.in crucem.DO.an me hic parum exercitum
Hiscè habent?TO.convenisse te Toxilum memineris.
Spectatores, bene valete: leno periit.Plaudite.

ADMODUM incerti numeris hi versus sunt tetrametri & trimetri, σὺν καταλήξει. Neque de distinctione tamen quicquam affirmat Camerarius.

1. QUI ERUNT]Ita MSS. & v. edd.Jam, *qui erunt*,&,*qui futuri sunt*,ita conjunguntur: & talia fortè sunt illa Cic. Orat.1.*aget,aut acturus est.* Epist.lib.9.9. *quod sieru facturus.* Quanquam sunt qui velint expungi illa, *qui erunt*:ne quis idem dicatur. Sed ita vis infertur versui.

2. ANTIDEO]pro *anteeo.* nam *d* fulcit numeros.

4. PERFABR.] fabricis & dolis planissimè perdidit:L.

5. AMISI]Ita MSS. & edd. Tamen Acidalius hoc,ut glossema, audacter expungit. & *ejeci vehiculum*,simile esse illi dicit, *Plaustrum perculi.* Tralatitius enim, inquit, sermo est, quem non agnovit Lambinus, cum explicat de magna vi argenti, atque adeò tanta, ut ei portandæ vehiculum sit opus. Acidalium secutus est Pareus, ut vocem illam quoque ejecit primâ suâ. Verùm enim vero Pistori videtur scriptum fuisse. *Verriculum argenti ejeci.*ut sit idem,quod, *Aureo hamo piscatus sum.*(quod Proverb.seculo Augusti postea celebratum est.)Hoc enim vult: Magnum argentū profudi, sperans id mihi lucro futurum,nunc & pecuniam amisi & id quod captabam. Quod Acidalius (inquit idem)ad illud trahit, *Plaustrum perculi*, vix quadrat. *Plaustrum percellere* concinnius dicitur, quàm *Plaustrum ejicere.Ejicere* propriè dicitur de retibus piscatorum. Quò etiam pertinebit illud: *neque, quamobrem ejeci,habeo.* Nec tam facilè τὸ *amisi* patitur se extrudi. Si autem me sequeris constans omnia. *Ejeci verriculum argenti*,i.aureo hamo piscatus sum. *Amisi*,hamum, ut contingit nonnunquam pisca-

piscatoribus. *nec*, *quamobrem ejeci, habeo*. i. piscis, quem captabam, evasit: non sum nactus quod petebam. Hoc propriè est, *aureo hamo piscari*. Judicent eruditi.

7. ITA MISER.] scil. sum. sed Pist. malit: ——*ita misera Toxilus hæc mihi convicit.*

9. QVEM POL &c.] Oratio non est integra, ut quæ irati sit hominis, aut rei novæ spectaculo commoti. L.

11. FABVLA EST?] ita omn. vett. edit. atq; etiam sec. MS. Cam. & Sambuc. quod præ illo, *familia*, unicè rectum censet Gruterus. qui & *Fabulam* rem etiam gestam notare, pluribus ostendit lib. 18. cap. 3. Suspp. In MS. pr. *famula*.

12. JVBE] D. F. *jubes*. minus rectè.

14. FERTE AQ. P.] Ridet lenonem: itaque dicit, *pedibus*; non, *manibus*; Lambinus. At Scalig. lib 6. De Emendat. temp. Lotio, inquit, non solùm Judæis, sed & Gentibus ipsis usitata. Quia enim in lectis discumbentes epulabantur, propterea prius depositis soleis lavabant: ne scilicet pulverosis pedib. strata inquinarent. Plautus Persâ: *Locus hic tuus est, hic accumbe. ferte aquam pedibus. praben' tu, puere?* Judæi verò superstitiosiores non pedes tantùm, sed & corpus totum intingebant. hinc ἡμεροβαπτισταὶ dicti, qui quotidie, ante discubitum, corpus intingebant, &c. Puriores verò à superstitione, pro universâ illâ βαπτίσει, contenti erant ποδονιπτῆρι, hoc est, pedilavio. V. & N. Sc. præcedente.

14. PRÆBEN'] Vide Mureti Castig. Terent. Eunuch. act. 5. 9.

17. CRVX STIMVLORVM] Somniabat Grut. *Quid ais crux stimulorum, tritor compedum: ut me h.* videatur idem suprà, in *Subiculum flagri*.

17. VERSAVIST.] *Versare*, est idem ferè quod vexare; hoc est aliquem habere exercitum excruciatumque. V. N. Bacch. 4. 5. vers. 6. translatio autem non tam à piscibus, ut Turnebo visum ac Gulielmio; quàm vel à fluvio marive crebrius volventibus ea quæ abstulere; vel à trocho puerorum; vel à ventorum turbine; vel à rota sive Fortunæ, sive Amoris, sive Ixionis; vel denique ab ahenis ubi lens coquitur, quæ sursum ac deorsum natitat in aqua fervente. unde forsan ille apud Ciceronem de Senectute: ——*si quid ego adjuro curamve levasso, Quæ nunc te coquit ac vexat.*

Verùm de his singulis plura Gruterus in Suspicionibus,

18. UT ME IN TRICAS CONIEC.] Meursius *Tricæ* propriè pili: quia viles & nullius pretii, inde res ejusmodi isto nomine insignitæ. Porro & funes vinculaque, ac translatè omnia impedimenta ita appellabantur: (unde *intricare, extricare*) Non aliâ ratione usurpat hîc Plautus. Evagrius interpres Athanasii De vitâ Antonii: *Operante illo intravit quidam sportellæ, quam texebat, tricam sive funiculum.* Hinc *margarita extricata*, quæ tricâ, id est, funiculo sive lineâ nec dum erant colligatæ, ut collo circumdari possent. Vlpianus: *Si, cum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usum, ea invito vel inscio viro perforasset, ut pertusis in lineâ uteretur: teneri eam Lege Aquiliâ, sive diverterit, sive nupta est adhuc*, &c.

18. MANVS EST ADITA] V. N. Pœn. 2. Opinatur Acidal. *Adire manum*, pro callidè frustrari, sumptum esse ab re athleticâ, in quâ manum adire artis forsan præcipuæ fuerit & industriæ callidioris ad adversarium occupandum. *Casp. Barth*, ingeniosiss. juvenis, hic etiam curiosè argutus est: quasi *Adire* positum sit pro *Obire*: cum *Ob* & *Ad* mutuas vices præstiterint. *Obire* autem valeat circumire, circumvenire, atque adeò decipere. Putabat se illo etiam juvari: quòd *Manus* benevolentiæ & fidei perpetuum æstimetur symbolum &c. Lector judica, utrum hoc calidum magis sit, an callidum.

19. AVFERAS] sic Aul. *Aufer cavillum*. Trucul. *aufer nugas*. Aristoph. ἄφελε τὸ παίζειν. *D. F.*

20. PRÆV. LIT.] *i. potiùs lites sequi*, ut loquitur Terentius. Plinius lib. 7. cap. 32. refert, Chilonis Lacedæmonii illud (alii aliis tribuunt) aureis litteris consecratum fuisse Delphis: COMITEM ÆRIS ALIENI ATQVE LITIS ESSE MISERIAM. Alii legunt: *Comitem æris alieni atque litis* (nempe sponsorem) *esse miserum*.

21. POSTERIVS] sc. lites sequi.

22. EXTINGVE] Argentum nimis. Ad quod exemplum est etiam illud Merc. act. 3. 4. *Ni lacrima oculos defendant, ardeat credo caput*, D.

23. LVDOS ME FAC.] sic Ter. Phorm. 5. 8. *ut ludos facit!* ἐντρυφᾷ, i. per lasciviam & delicias me contemptui & ludibrio habet. Muretus, libro Observat. Juris c. 7. notat; *Illudere, ludificari,*

ludificari, ludibrio habere, sæpe turpitudinis & obscenitatis significationem habere: ut apud Græcos, ὑβρίζειν, ἐμπαίζειν, καθυπαίζειν. Suet. in Tib. *Fæminarum capitibus illudere solitus.* Tacitus; *Tradunt Neronem pueritiæ Britannici illusisse* &c. Sic in lib. Judic. cap. 19. *adduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam*, καὶ ἔγνωσαν αὐτήν, καὶ ἐνέπαιζον αὐτῇ ὅλην τὴν νύκτα. Quod Latinus interpres modestè reddidit, *totâ nocte eos illâ abusos fuisse*, dicens. Ter. Eun.

——*scelus, postquam ludificatus est virginem.*

Hecyrâ:

——*tam ludibrio habere.* Ad quod Donatus: *Honesto verbo & pleno pudoris usus est: & novè*, pro *vitiari.*

24. QUINE LUDE,] Ita Personas ordinant Acid. & Pist. Neque enim dubium, quin instigantis hoc Toxili sit, non permittentis Dordali.

26. IRRIDERE L. LIBIDO EST.] *Libidinem* pro appetitu usurpavit etiam Tertullianus (inculpatæ Latinitatis auctor, Casauboni judicio) l. 1. Advers. Hermogen. c. 36. Idem Advers. Gentes cap. 47. *Argivi, homines gloriæ & eloquentiæ solius libidinosi.* Est quod Horat. de iisdem, ——*præter laudem nullius avari.* Idem, De velandis virginibus, cap. 13. *gloriæ libidinosum* dixit.

28. HOC, L. TIBI] Acid. l. *hem, len.*

29. PERCULIT] propè me pervertit.

29. PU. HEM SERVA RURS.] Pueri hæc sunt Lenonem iterum illudentis & lascivè tangentis. Acidalius hariolatur.

36. TE CONDONO] tibi permitto, ut isto scipione me ferias. Ridiculè ita Lambinus. Tu de *Magno malo* intelliges: quod cum Dordalus puero se daturum minaretur; ille recusat, eoque munere ipsum condonat, ut sibi fruatur. *Acid.*

37. DA PAUSAM] i. quietem, finem: παῦσαν, ποίησον. Lucilius:

Hæc ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

Lucret. lib. 3.

——*nec quisquam expergitus exstat,*
Frigida quem semel est vitai pausa secuta.

Arnob. lib. 5. *cum ab Jovis ipsius maledictis nullam pausam facere vel exigui temporis quiverit.* Ita *Pausare*, Trin. act. 1. 2.

40. CIRCUMFER] *Circumferre potionem*, idem, quòd in orbem præbere à summo: *Lipsius.* V. N. præced. Scenâ.

40. MULSUM: BIB.] ita Dousa interpungit, *Bibere da*, pro, *bibendum da.* Nisi si quis, inquit, potius *puere* ἀντὶ τοῦ *bibere*, emendandum censeat. Ad Pægnium enim sermo est directus. Sed & Gruterus, *Bibere da*, planè Latinum esse notat. Livius lib. 40. *Nihil prius petierunt à Prætore, quàm ut bibere sibi juberet dari.* Vide & Palm. Spicil. p. 127.

42. QUOD VOS N.] Non vinum, sed venenum intelligit, manifestâ verborum circuitione ab effectu quæsitâ: D.

43. LENO] Pareana, *Lena*, contra MSS. & edd. omnes.

43. SALTEM STAT. DEM] ita Acidal. è Brix. & Parmensi. nam ineptè, ut ipse ait, Lambinus *saltem* pro Verbo accipitur, quod Adverb. est. Quis verò dixit? *staticulum saltare.* Etiam Cato, *dare staticulum*, dixit. Et hîc *dandi* verbum fuisse, arguit sequens *reddendi.* MSS. tamen respuunt illud *dem*, neque requirit versus, abestque edd. primis. quare Grutero suasore iterum exturbandum.

43. STATICUL.] *Staticuli* sunt saltationes statariæ quædam non proinde motoriæ: (Macrob. ex Catone, lib. 3. 14.) quales erant in eo Chori genere, quod στάσιμον à Græcis vocatur. vel *Staticuli* à parte saltationis dicuntur, in quâ *statur*, &c. Turn. lib. 17. 10. & lib. 18. 4. V. N. Sticho extremâ.

45. IN JONIA] V. N. Sticho, 5. 7.

53. HAUD PAR] Quippe qui patronus & dominus fuerit: L.

53. QUIA NON INCONCIL.] Iterum Ironia est. Eò, credo, non debes eum ludificare, quia de te bene meritus est: & quia, cum te emebam, non mihi adversatus est scilicet: L. Vide N. Trin. 1. 2. & Most. 3. 1.

54. ATTAMEN. TOX. NON TAMEN: CAV.] ita è vett. lib. rectissimè Acid. Sermo Lemniseli interrumpitur. Non oggere mihi, inquit, tuum *Attamen*, ac mitte de priore hero, maloque cave, quam nunc meam meo dicto decet esse audientem.

56. PROSTIBILEM] Ita MSS. Cam. quâ formâ *restibilis.* Quidam v. cod. *prostibulam.* V. N. Sticho 5. 6.

57. LIBERTIN.] Pulcrè expressit libertinorum mores: ut & Persius Sat. V, ubi vide Casaubon. pag. 413.

59. NI ID EFFICIT] ita MSS. & vett. edd. Sed Veneta & Paris. *Ni illi officit.* quod videtur concinnius Pistori & Acidalio; qui tamen *offuit* malit, & versus ita transponi:
Sed ita pars lib. n. p. qui (auferēdi casu) *adv. est,*
Ni illi off. &c.
Nec satis lib. & ad hanc faciem Pareus editionem primam adornavit.

61. PRO HISCE HVNC] Ita Cam. sc. meis benefactis. Lamb. leg. *Graphicè hunc v.* Acidal. propius ad litteras malit, *Promiscè hunc v.* ita alibi, *promiscàm.* Et ultimum istud Pareus admisit in primâ, medium verò in ultimâ qualis Vertumnitas! Pal. pr. habet ... *hice hunc.* sec. ... *hic est hunc.* edd. primæ: *Hic est, hic est. hunc.*

62. MEO E. IN.] L. κατ' ἐμὸν μέρος:

64. VIRGINES?] sc. *mercatur.* quod tamen in MS. sec. Pall. expressè scriptum est.

65. QVOND. FORTIS] hoc dicto, colaphum ei impingit. L.

65. COLAPHVM ICIT] Lamb. l. *ducit*, vel, *colapho icit.* Schop. l. *colapho me icit.* ut & Acidalius. Aut fuerit Latinis litteris scriptum, κολαφίζει. *Colapho* autem *icere*, est, quod Ulpianus ait, *pugnum alicui ducere*: & Theocritus idyl. 14. ἤλασεν πὺξ ἐπὶ κόρρας. Quintilianus: *Colaphum tibi ducam, & formulam scribam, quod durum caput habeas.* V. N. supra. 1. 2.

66. DO. HEI NATES PERV.] Non videtur hunc locum intellexisse Lambinus: in quo manifestò ad Atheniensium παρατιλμὸν respectum est, de quo Suidas, & Aristophan. Pluto (act. 1. sc. 2.) ὁ δ' ἄλλος γε μοιχὸς διὰ σὲ παρατετίλλεται: Meursius, quem vide. Ut hoc in dubio relinquamus, ita pueriliter ad hunc locum notat in Electis suis Pareus: Mœchis ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensis virilia amputata, per ῥαφανιδωσι quid hac inscitia monstrosius?

67. LICET] Gruterus, Bene, inquit, Palm. distinguit, *Licet: diu s.* de quo more plura Persius Sat. 4. Martial. lib. 2. ep. 62. lib. 6. ep. 55. l. 9. ep. 28. Ausonius epigr. 123. aliiq; passim. traxerimq; eò illud tricosum Juvenal. Sat. XI.

Qui Lacedæmoniū pedeumate lubricat orbē:
fecerimq; *pitteumate*, nam transtulit hæc auctor de Gr. *Orbis* enim eis pars illa postica, ut satis notum est ex Demonactis illo apud Lucianum, qui *anulum* ut custodiret adolescens jubet. *Orbis*, inquam, & *anulus*, & illud quod dictum volui, Græcis. Jam verò *pitteumata* adhibita, monuit dudum Victorius lib. 8. c. 14. Var. lect. & Junius de Comâ c. 2. Tantùm dico, in Glossis Græcolat. haberi, Δρωπακιστής: *Dropacista, colspilarius, depilator*: ubi videtur legend. *culipilarius.* Coleis quidem etiam tale quid factum ostendunt multa, etiam illa Æl. Lampridii de Heliogabalo: & sæpe Martialis. sed vix id receperit analogia. *Hæc Grut.*

67. FRVSTVM P.] Hoc dici propter staturam ejus breviorem putat Lamb. Du Stück-schelms.

68. PATRONE I INTRO] MSS. ambo: *Patronem intrò.* hinc suspicatur Grut. *patrone mi, i intrò.*

68. MEA IGN.] tu, quæ meam ignaviam testaris, quæq; libera non esses, nisi nequam & ignavus fuissem, nunc me irrides? Quidam leg. *mera ignavia.* L.

71. SCIVNT REFERRE] scil. nummi. de his enim, quid agant quærit. ut suprà act. 4. 6. v. 2. *Acid.*

72. MANVS V. DO.] *Dare manus*, est cedere, & fateri se inferiorem. Lucr. 2.

——*si tibi vera videtur,*
Dede manus aut si falsa est, accingere cōtrà.
Utitur eo Cæsar, Cicero, Virgilius, alii. Erasmus locutionem natam putat ab iis qui manus offerunt vinciendas victoribus. at Passeratius ad. 4. el. 3. Propertii, à gestu supplicantum. Virgil. Æneid extrema: *Ille humilis supplexq; oculos dextramq; precantem Protendens.* mox: ... *Vicisti, & victum tendere palmas Ausonij videre.* Horat: *Jam jam efficaci do manus scientiæ, Supplex & oro.* An ortum ob herbam porrigentibus victoribus suis? hæc ille.

73. AN ME PARVM] Ita rescripsi cum Pall. malè antea vulgati, *anne parum.* recentiores verò versu sequenti contra libros intruserant illud pronomen; *hisce me habent.*

73. EXERCITVM HISCE] ita MSS. Pall. & omnes vett. edit. *hisce.* At Grut. putat rescribend. *Hice*: aut sanè ita interpretandam: ut & in Rud. act. 2. 1. *Hisce hami.* V. Not. ib.

75. PLAVDITE] MSS. Cam. *plaudite. pantio.* quod quid sit, Gruterus aliquis nos doceat. In cod. MS. pr. adscribitur: PLAVTI PERSA EXPLICIT RVDENS. LEGE.

FINIS PERSÆ.

RUDENS

RUDENS.

ARGUMENTUM.

NOMEN Fabulæ ex re inditum. Introducitur enim piscator, qui in mari cepisset vidulum. Funes autem nauticos atque omninò grandiores, rudentes dixêre, sive à strepitu, seu aliunde. ARGUMENTUM tale est. Amiserat parvulam filiam civis quidam Atheniensis, ea venierat Lenoni Cyrenensi. Pater hujus injuriis civium suorum ad inopiam redactus, Athenis sese Cyrenas contulit. Puellam Atticam amat adolescens, & redimere vult: sed Leno spe majoris lucri clanculum in Siciliam avehere illam parat. Navi autem fracta, hæc & altera quædam conserva ipsius, ad littus Cyrenaicum in schaphâ referuntur: & Leno rejicitur fluctibus: omnibus, quæ secum auferre voluerat, bonis amissis. Repertas autem puellas ad fanum Veneris, abducere vult. Quibus senex ille Atticus opem fert, ignarus adesse filiam suam. Supervenit adolescens, Lenonem in jus rapit. Senex filiam cognoscit de crepundiis inditis in vidulum, quem servus senis illius de mari extraxerat captum reti. Tum prospera contingũt omnibus omnia. Uxorem ducit puellam amatam adolescens: Lenoni pecunia redditur: & piscatori conciliatur libertas.

PERSONÆ hujus Fabulæ, Σκεπαρνίων, ab asciâ: etsi à *tegendo* quibusdam placuit σκεπαρνίων. Πλευσίδιππος nomen magnificum à *nautica* & *equestri re*. *Dæmones*, vel est δημόνης *popularis*, vel δαιμόνης fatali nomine. Παλαίστρα, à *ludo*. Ἀμπελίσκη à *vitibus*. Πτολεμοκρατία, fæminina forma, ἀπὸ τοῦ πολεμοκράτης; quâ voce significatur *victoria hostium*. Τραχαλίων, servile nomen, vel à *collo*, vel à *curriculo* potius factum. Λάβραξ significat *lupum piscem*. Χαρμίδης appellatio à *lætitia* ducitur. Γρῖπος; quem & γρῖφον dixêre, à *reti*. γριπεὺς piscator est apud Theocritum. γρυπὸς autem est is *qui nasum aquilinum habet*, qualis in Cyro celebratus fuit. *Camer.*

Jul. C. Scaliger: RUDENS non explet indicationem argumenti hujus Fabulæ; & commodius fecisset Plautus, si TEMPESTATEM inscripsisset. RUDENS enim in tota Fabula pæne nihil est, pæne nusquam.

DRAMATIS PERSONÆ.

ARCTURUS Prologus.
SCEPARNIO servos.
PLEUSIDIPPUS adolescens.
DÆMONES senex.
PALÆSTRA mulier.
AMPELISCA mulier.
SACERDOS anus.
PISCATORES.
TRACHALIO servos.
LABRAX leno.
CHARMIDES parasitus.
LORARII.
GRIPUS piscator.

ARGUMENTUM.

RETI piscator de mari extraxit vidulum,
Ubi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ subrepta venerat,
Ea in clientelam suipte imprudens patris.
Naufragio ejecta devenit: cognoscitur,
Suoque amico Pleusidippo jungitur.

ARCTURUS.

PROLOGUS.

QUI gentes omnes, mariaque & terras movet,
Ejus sum civis civitate cælitum.
Ita sum, ut videtis, splendens stella candida,
Signum quod semper tempore exoritur suo,
Hic atque in cælo. nomen Arcturo est mihi.
Noctu sum in cælo clarus, atque inter deos:
Inter mortales ambulo interdius.
Et alia Signa de cælo ad terram accidunt.
Qui est imperator divûm atque hominum Juppiter,
Is non per gentis alium aliâ disparat,
Hominum qui facta, mores, pietatem & fidem
Noscamus; ut quemque adjuvet opulentia:
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt, quique in jure abjurant pecuniam;
Eorum referimus nomina exscripta ad Jovem.
COTIDIE ILLE scit, quis hic quærat malum.
Qui hic litem adipisci postulant perjurio,
Mali res falsas qui impetrant apud judicem:
ITERUM ILLE EAM rem judicatam judicat,
Majore multâ multat, quàm litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.
Atque HOC SCELESTI in animum inducunt suum,
Jovem se placare posse donis, hostiis.
Et operam & sumptum perduunt: id eò fit, quia
NIHIL EI ACCEPTUM est a perjuris supplicii.
FACILIUS, SI QUI pius est, à dis supplicans,
Quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi.
Iccirco MONEO VOS EGO hæc, qui estis boni,

Quique

Quique autem agitis cum pietate & cum fide,
Retinete porro; post factum ut lætemini.
Nunc, huc quâ caussâ veni, argumentum eloquar.
Primum dum huic esse nomen urbi Diphilus
Cyrenas voluit. illic habitat Dæmones
In agro atque villa proxima propter mare,
Senex, qui huc Athenis exul venit, haud malus.
Neque is adeò propter malitiam patriâ caret:
Sed, dum alios servat, se impedivit interim.
Rem bene paratam comitate perdidit.
Huic filiola virgo periit parvula.
Eam de prædone vir mercatur pessumus,
Is eam huc Cyrenas leno advexit virginem.
Adolescens quidam civis hujus Atticus
Eam vidit ire è ludo fidicinò domum.
Amare occœpit: ad lenonem devenit,
Minis triginta sibi puellam destinat,
Datque arrabonem, & jurejurando alligat.
Is leno, ut se æquum est, flocci non fecit fidem:
Neque, quod juratus, adolescenti dixerat.
Ei erat hospes, par illius, Siculus, senex
Scelestus, Agrigentinus, urbis proditor:
Is illius laudare infit formam virginis,
Et aliarum itidem, quæ ejus erant mulierculæ.
Infit lenoni suadere, ut secum simul
Eat in Siciliam: ibi esse homines voluptarios
Dicit: potesse ibi fieri eum divitem:
Ibi esse quæstum maximum meretricibus.
Persuadet. navis clanculum conducitur.
Quicquid erat, noctu in navem comportat domo
Leno: adolescenti, qui puellam ab eo emerat,
Ait sese Veneri velle votum solvere.
Id hic est fanum Veneris, & eò ad prandium
Vocavit adolescentem huc. ipse hinc illico
Conscendit navem, avehit meretriculas.
Adolescenti alii narrant, ut res gesta sit;
Lenonem abivisse. ad portum adolescens venit:
Illorum navis longè in altum abscesserat.
Ego quoniam video virginem asportarier,
Tetuli ei auxilium & lenoni exitium simul;
Increpui hibernum, & fluctus movi maritimos.
Nam Arcturus signum sum omnium acerrimum;

Vehemens sum exoriens: cùm occido, vehementior
Nunc ambo in saxo, leno atque hospes, simul
Sedent ejecti: navis confracta est ibus.
Illa autem virgo, atque altera itidem ancillula,
De navi timidæ desiluerunt in scapham.
Nunc eas ab saxo fluctus ad terram ferunt,
Ad villam illius, exul ubi habitat senex,
Cujus deturbavit ventus tectum & tegulas.
Et servus illic est ejus qui egreditur foras.
Adolescens huc jam adveniet quem videbitis,
Qui illam mercatu'st de lenone virginem.
Valete, ut hostes vestri diffidant sibi.

A ARCTVRVS propriè dicitur ad femur seu coxam Bootæ, quem & ἀρκτοφύλακα nominant. stella clara, tempestatem ciens occasu suo, qui est autumnalis. Est & hiemalis vespertinus. *Camer.*

3. ITA SVM VT V.]V.N.Amph.act.2.1.

4. TEMPORE SVO]diebus XI. ante æquinoctium auctumnale. Sed Acid. simpliciter intelligit de tali ortu, quo per vices nunc in cælo, nunc in terrâ adsit.

7. AMBVLO]Cam.legend. suspicabatur, *ambuloque*: propter hiatum.

8. AD TER. ACCIDVNT.] dicit. alia etiam Signa idem munus habere, ut noctu quidem in cælo luceant, interdiu autem in terrâ obambulent, & facta hominum annotent &c. alludit scilicet ad opinionem communem, qua obtinet, cæteros Deos de die cælum ferè tenere, de noctè verò versari in terris. exempla hujus rei multa collegit lib.1.cap.11. Apophoretorum Behotius optimi commatis criticus. is videatur. ergo quidquid die noctuque fit in orbe universo à mortalibus minimè latet cælestes. quare si qui suam non reverentur conscientiam, et vereantur saltem tot testes Deos.

9. IMPERATOR DIV.]Jovem communiter *Imperatorem* agnominatum fuisse, monet Lipsius ad aureum Plinii Panegyric. Trajano dictum.

10. ALIVM ALIA] ita MSS. & vet. edd. Lamb.l. *in alia*. Camer. suspicatur, *alium quidem alia*. J.Gul. *aliutà*, i. aliter, antiquè. Unde in legibus Numæ regis: *SI QUIS ALIUTA FAXIT, IPSOS JOVI SACER ESTO.* Gulielmianum retulit in editionem pr. Pareus.

10. DISPARAT] in diversas oras separat: L.

11. OPVLENTIA] quomodo ad unumquemque perveniant divitiæ: *L.*

13. LITES] qui sine jure litigare expetunt falsis testibus freti: L.

14. IN IVRE ABIVR.] apud Prætorem cum perjurio infitiantur. Curc. *qui abjurant, si quid creditum est: L.*

16. MALVM]quis hic ob malefacta pænis dignus sit: L.

17. ADIPISCI]obtinere. ita MSS. Samb. & omnes edd. sed Cam. *apisci*. Cæterùm Acidal. hæc ita dispungit:

——*postulant perjurio*
Mali, res falsasque imp. apud jud. hocque in contextum audacter retulit Pareus. sed nos totum locum, ut est in MSS. & veterioribus, edidimus.

B 18. APVD IVD.]Rittershus. L. *ad judicem*: ne versus ruat. sic Pseud. 4. 7. *jam esses ad forum.* Cic. Att. 10. *ad me benè mane Dionysius fuit*, pro, apud me.

20. MAIORE M.] Jupp iter rem ab improbo judice contra leges & jusjurandum judicatam, iterum judicat, & sententiam latam corrigit: & eos, qui vicerint, majore multâ multat, quàm sit ea utilitas, quam ex lite eis condonatâ consequantur. L.

21. TABVLIS]vide Erasmi Adag. *Ex Jovis tabulâ testis.* Alluditur ad *diphteram*, in quâ Juppiter omnium mortalium acta describere fingitur à Poetis.

23. DONIS, HOST.] ita MSS. itaque Brissonius, idque rectissimum esse, docuit olim Douza, Camerarii, Gulielmii aliorumque somnio

somnio de *duonis hostiis*, & *hecatombis* exploso. Isidorus: *Dona propriè DEI dicuntur; Munera hominum*. Cic. 2. de Leg. *IMPIUS NE AUDETO PLACARE DONIS IRAM DEORUM.* Donatus Eunuch. act. 5. sc. ult. *Donum Deorum est: Præmium virorum fortium: Munus hominum*. Et conjunctionem illam, *addit ibi Dousa*, copulativam elegantiæ vel energiæ caussâ, cùm hîc, tùm alibi sæpissimè prætermissam esse. inferiùs act. 3: 6. *vi, violentiâ.* item act. 1: 3. *timidam, ejectam*. Mostell. *piscatu probo, electili.* Capt. *Rebus in dubiis, egenis.* In & vett. ed. est, *omnibus hostiis.* natum ex scriptura, qualis restat in MS. sec. Pal: *posset omnibus ostiis.* ex quibus vestigiis Camerarius videbat formari posse *hecatombis hostiis.*

24. PERDVVNT] Ita non modo Pall. ambo, sed & edd. antiquiores.

25. A PERIVRIS] omn. MSS. & edd. *perjuriis.*

25. SVPPLICII] Tale illud Æschyli: Λιταῖς δικαίαις θεὸς κλύει. Et Demost: τοσαύτῃ πλείους ἀφορμὰς πρὸς τὴν ἐκ θεῶν εὔνοιαν ἔχει πᾶς, ὅσῳ διὰ πλεῖ εὐσεβέστερα καὶ δικαιότερα πράττων. Jam, *Supplicia*, pro precibus & supplicationibus, pro hostiis & sacrificiis, sæpè capiuntur. Sallust. *In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant.* Ibid. *Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur. vigilando, agendo, benè consulendo, prosperè omnia cedunt.*

27. INVENIET V.] *Veniam ibi invenire à diis*: eleganter. ita Sall. *Gratiam ab eo reperêre sibi.* Et Plinius alibi, *Gratiam invenire*: Douza.

28. MON. V. EGO HÆC] Acid. *Icc. mon. vos ego, heic q.* sed omnes habent, *hæc.*

32. PRIMVMD.] ut idem, *memoradum*, conjunctim.

32. DIPHILVS] Actor. L.

36. MALIT.] videtur hic *malitiam* accipere pro eâ quam Gr. κακίαν appellant. L.

37. SERVAT] pro aliis spondet. L.

37. SE IMPED.] Notum est Thaletis: ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτα. *sponde: noxa præsest.* V. N. Persâ act. 2: 4.

38. REM E. PARATAM] Omn. Vet. ed. præter Brix. leg. *Rem b. partam.* sed alterum tamen restat in MSS. & requirit versus.

38. COMITATE] Gruterus notat loci hujus esse intellectum duplicem. ut velit auctor, vel sua perdidisse, dum aliis subvenit fidejussor, aut benefactor: vel eadem illa prodegisse inter scorta & parasitos. pro primò faciunt ista Curtii de Abdolomino. libr. 4. *caussa ei paupertatis, sicut plerisque, probitas erat.* de talibus sic quoque in Parænesi Isocrates: μηδένα ζήλου τῶν ἐξ ἀδικίας κερδαινόντων, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποδέχου τοὺς μετὰ δικαιοσύνης ἐζημιωμένους. pro secundo stat: Plautus ipse Trinummo, 2: 1. *Fit ipse, dum illis comis est, inops amator.* nam quod attinet ad illud, *dum alios servat*, tuetur se alio Plauti loco Trucul. 2: 7. *at hoc saltem servat me, cùm illi subest &c.* Hactenus Grut.

40. MERCATVR] Pistoris probat Ven. *mercatu'st.*

43. LVDO FIDICINO] ubi fidibus canere discitur. *Ludus fidicinus*, ut Cic. *Modi tibicini*, in Oratore: Cam. V. N. Asin. 1: 1. In MSS. tamen extat, *fidicinio.* nec sordet Grutero: neque adeò mihi profectò: cùm in omnib. etiam vet. editis sit, excepto uno Parisino. Pareus in altera editione, miratur, quod cùm non sorduerit novissimis editoribus illud *fidicinio*, miratur inquam quo id naso contempserint, respondetur, rhinocerotis.

45. PVELLAM DESTINAT] Alb. Gentilis lib. 2. cap. 22. de Nupt. *Destinatum* tripliciter dici ait, *Corde, Ore, Opere.* Et destinationem ipso opere, idem esse cum sponsalibus: laudatque inter alia hoc & illud in Persâ: *Non properas hanc virginem destinare?* item Apulei l. 4. Miles. *Pacto jugali destinatus &c.* Et videtur, inquit, *destinare* etiam esse, pro desponsatâ arrhas dare. sicuti *destinare* erat emere datâ arrhâ, & dilato in diem pretio.

49. PAR ILLIVS] Beyde einer Haar. V. N. Persâ, 5: 1.

56. QVÆSTVM MERETRICIBVS] pro eo, qui fit habendis meretricibus: vel, ex meretricibus, per lenocinium. infrà act. 2: 6. Acid.

69. INCR. HIBERN.] i. ventos & fluctus hibernos: L.

70. ARCTVRVS] Hesiodus:

Ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο.

Horat. 3. Od. 1.

Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi.

Pareus dicit quasdam edd. non habere *omnium*, & posse abesse propter versum. quod omnino nego. imò ne versus quidem sibi adhuc constat ea voce retentâ, nisi abstineamus elisionibus. male enim ejus edd. duæ *Namq.* delendum *que*, quod neque in MSS. Pall. aut Edd. vett.

74. VIRGO] PALÆSTRA.

74. ANCILLVLA] Ampelisca.

82. DIFFIDANT] V.N. Pœn. Prologo.

ACTUS I. SCENA I.

SCEPARNIO servus.

PRò di immortales! tempestatem cujusmodi
Neptunus nobis nocte hâc misit proximâ!
Detexit ventus villam. quid verbis opu'st?
Non ventus fuit, verùm Alcumena Euripidi,
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas:
Illustrioris fecit, fenestrasque indidit.

ALCVMENA EVR.] Tragœdia Euripidis, nomine *Alcumena*: in quâ, cùm Alcumena pariebat, Juppiter faciebat spurcam tempestatem oriri. *Euripidi*, genitivus antiquus, pro *Euripidis*, ut *Thucydidi*, *Thymarchidi &c. L.* Istam Fab. in Latinum transtulit Ennius, Alciatus arbitratur melius legi, *Alcmæon*, qui Amphiarai fuit filius, & cæsâ matre in insaniam versus: ut fortè ad ejus fabulam alluserit Plautus, ubi per furorem describitur; tegulas omnes domûs confringere.

5. DE TECTO] ita MSS. Cam. at Lamb. *de* delet: aitque talia esse, *Adjacet mare*, apud C. Nepot. *Propugnat nugis*, apud Horat. Jam tempestatem ejusmodi Varro quoq; describit his versibus:

Repente noctis circiter meridiem,
Cùm pictus aer fervidis latè ignibus
Cæli choreas astricas ostenderet:
Nubes aquales frigido velo leves
Cæli cavernas aureas subduxerant,
Ventique frigido se ab axe eruperant
Phrenetici septentrionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, sirus.
At nos caduci, naufragii ciconiæ,
Quarum bipennis fulminis plumas vapor
Percussit altè, mæstè in terram cecidimus.

Graphica quoque descriptio est apud Senecam. Agamem. act. 3. initio.

5. DETVRBAVIT] Propriè: quia *turbo* fecit. *Turbo* autem (verba Senecæ) *circa terras concipitur ac fertur: ideoque arbusta radicitùs vellit, & quocunque incubuit, solum nudat, silvas interim ac TECTA corripiens, &c.*

6. ILLVSTRIORIS] ita MSS. Pall. *Illustriores* autem, non propter crebra fulgura, sed propter lumen per rimas & fenestras in tecto factas, tegulis vento dejectis, immissum. Meursius legendum pertendit, *Illustrior is fecit*. sc. tectum. Nam vetustissimi, inquit, etiam neutra in *OR* efferebant, teste Prisciano lib. 7. Ita extremâ Truculento:

Hem tibi talentum argenti. Philippicum est: tene tibi.
PH. Tanto melior.

Sententiam Rigaltii vide Mil. act. 3: 1. Gruteri, contra Batavum, Truc. extr. Idem Gruterus in febri conjiciebat;

Illustriores fecit; fenestras quin dedit.

Q. d. Non modò plusculum luminis intrat fenestras nostras, sed & ecce nobis novas fenestras, quibus priùs destituebamur, dedit.

6. INDIDIT] MS. sec. *inindidit.*

ACTVS

ACTUS I. SCENA II.

PLEVSIDIPPVS adolescens.
DÆMONES.
SCEPARNIO servus.

ET vos à vostris abduxi negotiis,
Neque id processit, quâ vos duxi gratiâ,
Neque quivi lenonem ad portum prehendere.
Sed meâ desidiâ spem deserere nolui:
Eò vos amici detinui diutius.
Nunc huc ad Veneris fanum venio visere;
Vbi rem divinam se facturum dixerat.
SC. Si sapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum.
PL. Prope me hinc nescio quis loquitur. DÆ. heus! Sceparnio.
SC. Qui nominat me? DÆ. qui pro te argentum dedit.
SC. Quasi me tuum esse servum dicas, Dæmones?
DÆ. Luto usust multo, multam terram confode:
Villam integundam intellego totam mihi:
Nam nunc perlucet ea, quàm cribrum, crebrius.
PL. Pater salveto! amboque adeò. DÆ. salvus sies.
SC. Sed utrum tu mas an fœmina es, qui illum patrem
Voces? PL. vir sum equidem. DÆ. quære vir porrò patrem.
Filiolam ego unam habui, eam unam perdidi.
Virile sexus nunquam ullum habui, PL. at Di DABVNT.
SC. Tibi quidem hercle, quisquis es, magnum malum,
Qui oratione hîc nos occupatos occupes.
PL. Isticcine vos habitatis? SC. quid tu id quæritas?
An quò furatum mox venias, vestigas loca?
PL. Peculiosum esse decet servum & probum,
Quem hero præsente prætereat oratio,
Aut qui inclementer dicat homini libero.
„ *SC. ET IMPVDICVM & impudentem hominem addecet,*
„ *Molestum ultro advenire ad alienam domum,*
Cui debeatur nihil. DÆ. tace, Sceparnio.
Quid opus adolescens, est? PL. isti infortunium,
Qui præfestinet, ubi herus adsit, præloqui.
Sed nisi molestum'st, paucis percontarier
Volo ego ex te. DÆ. dabitur opera, atque in negotio.
SC. Quin tu in paludem is, exsicasque arundines.
Qui pertegamus villam, dum sudum'st? DÆ. tace.

Tu,

Tu, si quid opus est, dice. PL. dic quod te rogo.
Ecquem tu hîc hominem crispum, incanum videris,
Malum, perjurum, palpatorem? DÆ. plurimos.
Nam ego propter ejusmodi viros vivo miser.
PL. Hic dico in fanum Veneris qui mulierculas
Duas secum adduxit: quique adornaret sibi,
Vt rem divinam faciat aut hodie aut heri.
DÆ. Non hercle, adolescens, jam hos dies complusculos
Quenquam istîc vidi sacruficare: neque potest
Clam me esse, si qui sacruficant. semper petunt
Aquam hinc, aut ignem, aut vascula, aut cultrum, aut veru,
Aut aulam extarem, aut aliquid: quid verbis opu'st?
Veneri paravi vasa & puteum, non mihi.
Nunc intervallum jam hos dies multos fuit.
PL. Vt verba præhibes, me perijsse prædicas.
DÆ. Meâ quidem hercle caussâ salvus sis licet.
SC. Heus tu! qui fana ventris caussâ circumis,
Iubere melius est prandium ornari domi;
Fortasse tu huc vocatus es ad prandium.
Ille, qui vocavit, nullus venit. PL. admodum.
SC. Nullum'st periculum te hinc ire impransum domum.
Cererem te melius quàm Venerem sectarier,
Amore hæc curat, tritico curat Ceres.
PL. Deludificavit me ille homo indignis modis.
DÆ. Prò dij immortales, quid illuc est, Sceparnio,
Hominum secundum littus? SC. ut mea est opinio,
Propter viam illi sunt vocati ad prandium.
DÆ. Qui? SC. quia post cœnam, credo, laverunt heri,
Confracta navis in mari est illis. DÆ. ita est.
SC. At hercle nobis villa in terrâ & tegula. DÆ. hui!
" *HOMVNCVLI, QVANTI ESTIS! ejecti ut natant!*
PL. Vbi sunt ij homines, obsecro? DÆ. hàc ad dexteram,
Viden' secundum littus? PL. video. sequimini.
Vtinam sit is, quem ego quæro, vir sacerrimus!
Valete. SC. si non moneas, nosmet meminimus.
Sed ô Palæmon, sancte Neptuni comes,
Quique Herculi illi socius esse diceris,
Quod facinus video! DÆ. quid vides? SC. mulierculas
Video sedenteis in scaphâ solas duas.
Vt afflictantur miseræ! euge euge, perbene,
Ab saxo avortit fluctus ad littus scapham.
Neque gubernator unquam potuit.

Non vidisse undas me majoris censeo.
Salvæ sunt, si illos fluctus devitaverint.
Nunc, nunc periculum'st! ejecit alteram,
At in vado'st. jam facilè enabit. eugepæ!
Viden', alteram illam ut fluctus ejecit foras!
Surrexit: horsum se capessit: salva res!
Desiluit hæc autem altera in terram è scaphâ.
Ut præ timore in genua in undas concidit!
Salva'st! evasit ex aquâ; jam in littore est.
Sed dextrovorsum aversa it in malam crucem.
Hem! errabit illæc hodie. DÆ. quid id refert tuâ?
SC. Si ad saxum quò capessit, ea deorsum cadit,
Errationis fecerit compendium.
DÆ. Si tu de illarum cœnaturus vesperi es,
Illis curandum censeo, Sceparnio:
Si apud me esurus es, mihi dari operam volo.
SC. Bonum æquumque oras. DÆ. sequere me hàc ergo. SC. sequor.

ET VOS] Alloquitur comites suos: quia tamen κωφὰ πρόσωπα.

V. 6. AD FANUM V. VISERE] Propertius lib. 1: 1.

Ibat & hirsutas ille videre feras.

Apul. 6. Met. *Maritum intervisere venisti.* Terent. Phorm. 1:2. *Eamus visere.* Hor. 1. Od. 2.

Proteus pecus egit altos
Visere montes. Infinitivus τελικὸς.

8. MACTAT] fatigat, enicat. Pist. legit: ——*hoc quod in actâ, concinn. l.* Propè littus res agebatur: ibi, ut fit, luti nonnihil erat, quod concinnare ad reficiendas ædes volebat Sceparnio. Certè illud *mactare* frigidius est. Pareus quidem illud *in acta* recepit in contextum editionis pr. statimq; altera ejecit ut decet consilii inopem.

8. CONCINNEM] i. *conficiam*: Nonius.

9. ME HINC] ita MSS.

14. CRIBRUM CREBRIUS] Scaliger in Ætnam, ad illa:

Ut crebro introrsus spacioque vacante corymbus
Pendeat in sese.

Crebrum, inquit, *spatium* τὸ σπογγῶδες, *ut crebrum cribrum*, apud Plautum, πολύοπον. Ad eum modum, *crebro vimine*, infrà dicetur. *vacans* enim *spacium* dicitur τὸ κοῖλον, quod & *cessans* etiam vocavit. Illud verò, *Pendeat in sese*, est, suo sibi pondere libretur, ut fornix. *Hæc ille.*

15. PATER] sic vocat, ut senem juvenis. L.

19. VIRILE SEXUS] pro, virilem sexum. Vide Prisc. lib. 5. qui hunc locum citat. Varro lib. 6. *Secus pro sexus, neutri generis, & unius casûs.* Ita Sallust. 2. Histor. *Concurrentium undique virile & muliebre secus.* Agell. libr. 3. *Quod ejus virile secus futurum est.* Ausonius: *Vesta, Ceres, & Juno, secus muliebre sorores.* Arnob. lib. 5. *In quo secus virile, non solùm homines ponunt.* Ammianus lib. 16. *Egressi promiscuè virile & muliebre secus &c.* Ex Auson. Popmâ, *De usu antiquæ locut. lib. 1. c. 3.* MSS. Pall. disertim præferunt *virile sexus.*

23. MOX] ita MSS. at D. F. leg. *nox*, i. noctu. V. N. Trin. 4:2. & infrà, 2:4. Pareus intulit in editionem pr. *nox.*

24. PECULIOSUM] fortè huc respexit D. Augustinus Psal. 38. *Peculiosus servus & cujusdam magni patrisfamiliâs.* D. F.

24. PROBUM] Voluit (auctore quidem Lamb.) dicere, *improbum*: sed παρ' ὑπόνοιαν, *probum* dixit. Sanè MSS. Cam. & omnes edit. mex l. *probum.* quod Batavo quidem non improbatum. Sed rejicit tamen Gruterus, revocatque *probum*: ut velit Pleusidippus, vix tolerari in locuplete servo & probo, quæ præsumat Sceparnio iste mendicus & nequam: quod

quod verisimile est collegisse ex veste paupercul â, & habitu corporis. Quæ Acid. hic turbat, non affero.

25. PRÆT. ORAT.] qui hero præsente loqui audeat: L. Pist. suspicatur leg. *prævortat oratio.* qui prius loquitur, quàm herus. Ita mox:

Qui præfestinet, ubi herus adsit, præloqui.

34. EXSICASQ.] *Exsicare*, *præsicare*, pro *exsecare* dicebant: Turneb.22: 2. V.N. Curcul. act.3: 1.

37. INCANVM] valdè canum: vel canum, simpliciter. Virgil. 3. Georg. *incanaq́, mente*, i. cana. Charis.

39. PROPTER] operâ & culpâ talium virorum. L.

47. AVLAM EXT.] Ollam in quâ exta coquuntur. Festus: *Aulicoqua exta dicebant, quæ in aulis coquebantur, id est, elixa.* Nam sæpè, (inquit Turn. lib.22:2.) torrebant. Virg. 2.Georg.

Pinguiaq́, in verubus torrebimus exta colurnis. Varro: *Hæ sunt, quarum in sacrificiis exta in ollâ, non in veru coquuntur.* hinc & olla extaris. Et in antiquo Lexico, *Extar* exponitur *olla, ubi exta coquuntur.* Vide & Meurs.

47. AVT ALIQVID] Ex his liquet eam non fuisse omnium fanorum opulentiam, ut supellectilem commodare possent sacrificantibus: necesse fuisse petere è vicinia. Guther.cap.24. de jure Pontif. lib.4.

50. VI VERBA PRÆHIBES] ita reposuit Gruterus, è MSS. Cam. idem est cum *præbes*, & *perhibes*. V. N. Asin. 1.3. v.36.

52. FANA VENTRIS C. CIRCVMIS] βωμολόχος circumscribitur. dicebantur autem βωμολόχοι propriè scurræ, qui templa & aras frequentabant, sacrificiorum nidorem secuti: ut dicacitate suâ victum sibi emerent, & sacris scilicet epulis ventrem explerent. *Acidal.*

58. AMORE H.] Venus amore, Ceres cibò homines reficit & delectat. Schoppius leg. *Amori*: ut inferius. *Illus curandum censeo.* Trin. *qui rebus curem publicis.* Notat & Meurs. non nisi cum Dativo extulisse τὸ *curo*, pro ἐπιμελοῦμαι. Vide hinc non longulè. In MSS. est, *Amorem h.c. tritico c.* quod & in ed. Camerarii est: sed τὸ *in* expunctum ipsius manu in bibliotheca visi. Pareus edidit, *Amorem hic cunit, triticum curat ceres*, quasi ita extaret in Pall. sed imponit lectori silétio tali.

61. ILVC EST] Sic MSS. & Edd. vett. Parei utraq; *illud.* quare?

62. PROPTER VIAM] Jocus ex ambiguo. Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur *Propter viam*: in eo si quid ex epulis superfuisset, igne consumi necesse erat. Hinc Catonis jocus. Namq; Albidium quendam, qui sua bona comedisset, & novissimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, *Propter viam fecisse dicebat*: quod comesse non potuerit, id combussisse. Vide Macrob.2:2. & Turn. lib.9:4. Festus: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ Herculi aut Sanco, qui scilicet idem est deus.* Laberius: *Visus hac nocte bidentes propter viam facere. Facere bid.* i. sacrificare. Proverb. est apud Varronem, 1. De R.R. *Dii facientes adjuvant. Facientes* sunt, qui ritè operantur sacris: ut in illo Virg. *Cum faciam vitulâ.* Erasmus hic fallitur: ut docuit Muretus ad Tibull. lib.1:1. Significat Sceparnio, hos naufragium fecisse omnium bonorum: ut illi, qui propter viam faciunt, omnes reliquias flaminis consumunt.

63. QVI] quo pacto? L.

63. POST COENAM L.] Ante cœnam lavabant veteres, non post cœnam: nisi qui lue essent perditi: hi enim rem suam familiarem balneis & Venere & epulis absumebant: eoque decoctores *bonis elavisse* dicebantur. Vel igitur eò, quòd naufragium bonorum suorum fecerint, lavisse post cœnam dicit, exemplo nepotum: *vel*, quòd sint madidi, ut qui exeunt è balneis: L. Gruterus putat velle servum, eos lavisse priore vesperâ, ut interessent maturius sacrificio *Propter viam.* id enim ferè fieri solitum illo casu.

66. HOMVNCVLI Q.] Capt. Prol.

Homunculi quanti sunt, cum recogito.

Petronius itidem in naufragum: *Hæc sunt consilia mortalium, hæc vota magnarum cogitationum. En homo quemadmodum natat!*

69. SACERR.] i. omnibus modis exsecrandus. V. N. Prologo Pœnuli.

70. MONEAS] sc. ut valeamus. L.

71. PALÆMON.] Latinis *Portumnus*: quòd portubus præsit.

72. QVI HERCVLIS SOCIVS ESSE DICERIS] Expressi quod erat in Pal. pr. nam sec. *Qui Hercule*; quomodo & primitus cusi. recentes *Quique Hercule*, quod etiam in utraq; Parei

Parei editione & quidem in postrema, tanquam si *que* illud extaret in MSS. Pall. adeo qui aliis taciturnitatem impingit pro noxa, in eodem quoq; hæret luto: & tanto quidem turpius, quanto reprehensor longius abesse debebat ab illo quod in aliis odiose exagitat. Colerus, inquit, *Hercule*, hoc loco est vocandi casus. Infra, act. 3: 5.

Jam hoc Herculi est, Veneris fanum quod fuit. ita enim uterque MSS. Pall. itaq; vet. Glossarium: *Erculus*, ἡρακλῆς. Sed cur Neptuni comes? An, quia sicuti Neptuno & Palæmoni viæ marinæ, ita huic quoq; cæteræ curæ sint? Constat enim profecturos, Herculi sacrificare solitos olim. & Hercules ille dicebatur etiam *Sancus Hercules*. hæc Colerus. Vide & Tiraquellum in Alex.

77. NEQVE GVBERNATOR VNQVAM POTVIT.] Exhibui lectionem editionum primarum, cui proxime accedit uterq; MS. Pal. *Neque gubernatorum quam potuit.* sequētes finxerunt: *Neq. gubernator usquam illis esse potuit.* Gruterus conabatur: *Non æquè gubernator unquam potuit*, sensu eodem quo Pistoris. Idem tamen ferè suspicetur versum hunc collocandum post sequentem; sensu claro. Ego, inquit, etsi piscator, nunquam undas vidi majores: imò ne vidit quidem majores aliquis gubernator, cui vita ferè tota in undis. Acidal. ita: —— *in scaphâ solas duas.*

DÆ. Neq. gubernator usquam illis? SC. esse potuit.

Ut affl. &c. Ab saxo &c. Non vid.

Ad solitudinem mulierecularum commotus senex, quærit, an nullus illis gubernator sit. respondet oblique servus; potuisse aliquem esse: id est, non esse nunc quidem, sed fuisse forsan, & nunc amissum. illud commentum, Pareus editioni suæ intulit primæ. Sed neutrum Pistori satisfacit: qui malit legere, *Neq. g. usquam melius potuit.* Q. d. Adeò feliciter scapha ad littus suâ sponte appulit, ut nullus gubernator melius eandem regere potuisset. Gubernatorem non habuisse, ex istis patet:

Video sedentes in scaphâ solas duas.

Calchantem se hic quoq; præbet Pareus, conjecturamq; suam præterea in contextum intendit: *Neq. gubernatorum quisquam potuit*; scilicet, *impedire fluctus*, elliptica oratione. quid divinius potuit proferre ergastulum?

87. CRVCEM] V. N. Prol. Menæch.

89. QVO CAPESSIT] ita Grut. è MSS.

89. CADIT] Lamb. malit, *cadat*. Atqui (ait Acid.) *cadit* dictum pro *cadat*; ut *edit*, *duit*. Porrò pro *ea* malit *eo*, scil. *saxo*.

91. VESPERI] *Vesperum* etiam & *vespernam* vocabant cœnam. V. N. Mil. 4: 2. Asin. act. 4: 2.

92. ILLIS] Sic Trucul. *Tuo vestimento & cibo alienis rebus curas.* Sticho, *Meis curavi amicis.* Accius: *Neque profectò deûm summus rex omnibus curat.* Apul. *usque adeò rebus meis curat.* Schop.

ACTUS I. SCENA III.

PALÆSTRA mulier.

NIMIO HOMINUM FORTUNÆ minus miseræ memorantur,
Quàm reapse *experiundo iis datur acerbum!*
Hoc Deo complacitum est? me hoc ornatu ornatam,
In incertas regiones, timidam, ejectam?
Hanccine ego ad rem natam miseram me memorabo?
Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam?
Nam hoc mihi haud labori est laborem hunc potiri,
Si erga parentem aut deos me impiavi;
Sed id si paratè curavi ut caverem;

Tum hoc mihi indecorè, iniquè, immodestè
Datis dî! nam quid habebunt sibi igitur impij
Posthac, si ad hunc modum est innoxijs honor
Apud vos? nam me si sciam fecisse
Aut parentes sceleste, minus me miserer.
Sed herile scelus me solicitat. ejus me impietas malè
Habet. is navem atque omnia perdidit in mari.
Hæc bonorum ejus sunt reliquiæ. etiam, quæ simul
Vecta mecum in scapha'st, excidit. ego nunc sola sum.
Quæ si mihi fores salva saltem, labor
Lenior esset hic mihi ejus operâ.
Nunc quam spem, aut opem, aut consilij quid capessam?
Ita hic solis locis compotita sum,
Hic saxa sunt! hic mare sonat! nec quisquam
Homo mihi obviam venit.
Hoc quod induta sum, summæ opes oppidò,
Nec cibo, nec loco, tecta quo sim, scio.
Quæ mihi est spes, quâ me vivere velim?
Nec loci gnara sum, nec diu hîc fui.
Saltem aliquem velim, qui mihi ex his locis
Aut viam aut semitam monstret: ita nunc hàc
An illàc eam, incerta sum consilij:
Nec prope usquam hic quidem cultum agrum conspicor.
Algor, error, pavor, membra omnia tenent:
Hæc parentes haud mei scitis miseri,
Me nunc miseram ita esse uti sum. libera ego
Prognata fui maximè; nequiquam fui.
Nunc quî minus servio, quàm si forem serva nata?
Neque quicquam unquam iis profui, qui me sibi eduxerunt.

SENARII misti: multi catal. unus dimeter jambicus. Sed de veritate numerorum nihil affirmamus, hoc quidem loco. Similiter & sequente, digesti sunt versus in primos novem septenarios, reliquos senarios confusos. quales sunt & proximè seq. Scenæ. Cam.

V. 2. QVAM REAPSE] Duæ istæ voces ortæ sunt in officinis editorum ante annos centum. nam priores edd. nihil habent harum loco. in Pall. lacuna extat, non hoc modò versu, sed & sequenti, ante *Hoc deô.*

4. TIMIDAM, EIECT.] scil. *tendere*: vel A tale quid Lamb. intelligit. P. Merula *timidam* hic exponit *frigidam.*

6. PARTEM C.] μοῖραν, *sortem.* Ex antiquorum consuetudine dictum; qui sæpè diis pietatis suæ in ipsos præmia mercedemque petebant: quòd æquum esse videretur, à diis eos facilius aliquid impetrare, qui numina piè colerent. Sic apud Catull. B

O dii, reddite mi hoc pro pietate meâ!

Et cùm in adversas res inciderant, se deos læsisse arbitrabantur. *Turneb. l. 3: 13.*

9. PARATE] accuratè, deditâ operâ. Verùm de his, quæ servitutum caussas ad culpam

pam naturamque referendas notant; itemq; de servorum differentiis, vide Jos. Merceri Opin. lib. 1. c. 9.

13. APUD VOS?] Meurs. *Apud vos? vos nam me* &c. quod continuò editionis primæ cloacæ ingessit Pareus: apparetque ceu spuria in ultima ejusdem: nescio quare. nam si quid desit, honestius & apertius repetatur: *Apud vos? apud vos nam me &c.* sed nihil est addendum. vult enim æquiore animo laturam calamitatem si aut ipsa peccasset enormè, aut adeò parentes suos. horum sanè delicta puniri etiam in liberis, notius est quàm uti probari debeat.

14. ME MISERER] Sic Epid. 4, 1.

——*qua ipsa se miseratur*,

i. miseram se dolenter prædicat. Sallust. *miserando casum suum*. Tacitus: *Planci gravem casum facundè miseratur*, i. movendæ miserationi commemorat. In MSS. Pall. est, *mei miserer*. quod dum negat Pareus, nescio quid dicam. summa enim est impudentia, ea infitiari, quæ demonstrari possunt. adeantur ergo libri.

17. HÆC BON.] ita MSS.

20. LENIOR] Ita MSS. & ed. Cam. & omn. veteriores. Brix. & Lamb. *levior*.

22. COMPOT.] ita MSS. Cam. & vett. ed. idque Gruterus probat.

21. SUMMÆ] ita & MSS. Cam. & edd. sed Lips. Antiq. l. 2. c. 3. ex conjecturâ leg. *sunt meæ*. de puellâ naufragâ, cui nihil reliqui erat, præter vestitum. Probat Acid. in textum verò recepit Pareus. Ita act. 1. 5. v. 21. *Neque hoc amplius, quàm quod vides, nobis quicquam est*.

A Vide Adag. *Omnem facultatem indutus est*. Hodie vulgi joco dicitur: *Cùm subsilio, facultates omnes meæ commoventur*.

26. TECTA] Schoppius; *nec loco tecta quo sim scio*, i. ubi locorum sim nescio. Sicut enim hîc, *loco tegi*, est in loco esse: sic Pseud. act. 1. 3. *terrâ tegi*, est in terrâ esse. neque enim mortui solùm, sed & vivi terrâ teguntur. Retinenda igitur ibidem vulgata lectio, *quantum terra tegit*. Verisim. lib. 1. 12. At Meursius persuasit Pareo ut ederet,

Nec cibom, nec locom tecta quo sim scio.

Dicit autem, *locum quo tecta sim*: quomodo Arnob. lib. 1. *Nunquid machina hujus & molis, quâ universi tegimur & continemur inclusi*. Gruterus vulgatum suspicatur sic resolvendum: Nec scio cibum, nec scio locum; quo cibo, quo loco tecta sim.

B 30. AUT VIAM] V. N. Cas. act. 3. 5.

31. INCERTA SUM CONSILII] MS. pr. non habet illud *sum*. at sec. *incertam consilij*.

33. MEMBRA OMNIA] Est à Cam. nam MSS. & edd. priores, *me omnia* tantum præferunt.

37. NUNC QUI.] ita MSS. & omn. editi. Vir doctus legendum suspicabatur: *Numqui minus*. *&c.*

38. PROFUI] MSS. & edd. *profuit*. sed malè. Virgo enim pia dolet haud potuisse rependere nutricationis suæ beneficium. *Grut.* Pareus annotavit illud *me* nostrum, non videri in MSS. Pall. minus verè omnibus apicibus quilibet id reperiet in sec. qui modò oculis uti potest, præ Invidiæ fumo.

ACTUS I. SCENA IV.

AMPELISCA, PALÆSTRA, mulieres duæ.

QUID mihi melius est, quid magis in rem est, quàm corpore vitam secludă?
Ita malè vivo: atque ita mihi multæ in pectore sunt curæ exanimales.
Nunc dein vitæ haud parco: perdidi spem, quâ me oblectabam.
Omnia jam circumcursavi, atque omnibus in latebris perreptavi
Quærere conservam voce, oculis, auribus; ut pervestigarem.
Neque eam usquam invenio, neque quò eam, neque quà quæram consultum'st,
Neque quem rogitem responsorem, quenquam interea invenio.
Neque magis solæ terræ sunt, quàm hæc loca atque hæ regiones.
Neque si vivit, eam vivam unquam quin inveniam, desistam.

PA. Quaenam vox mihi propè hîc sonat? AM. pertimui.
Quid hic loquitur propè? PA. Spes bona, obsecro subventa
Mihi! AM. mulier est. muliebris vox mihi ad aures
Venit. an *eximes ex hoc miseram metu?*
PA. Certò vox muliebris auris tetigit meas.
Num Ampelisca obsecro 'st? AM. ten' Palaestra audio?
PA. Quin voco, ut me audiat, nomine illam suo.
Ampelisca. AM. hem quis est? PA. ego Palaestra sum.
AM. Dic, ubi es? PA. pol ego nunc in malis plurimis.
AM. Socia sum; nec minor pars mea 'st quam tua.
Sed videre expeto te. PA. mihi es aemula.
AM. Consequamur gradu vocem. ubi es? PA. ecce me.
Accede ad me, atque adi contrà. AM. fit sedulò.
PA. Cedò manum. AM. accipe. PA. dic, vivisne obsecro?
AM. Tu facis me quidem ut vivere nunc velim,
Quando mihi te licet tangere: ut vix mihi
Credo ego hoc, te tenere! obsecro amplectere,
Spes mea! ut me omnium jam laborum levas!
PA. Occupas praeloqui, qua mea est oratio.
Nunc abire hinc decet nos. AM. quò, amabo, ibimus?
PA. Littus hoc persequamur. AM. sequor quò lubet.
PA. Siccine hîc cum uvidâ veste grassabimur?
AM. Hoc quod est, id necessarium est perpeti.
Sed quid hoc obsecro est? PA. quid? AM. viden' amabo,
Fanum, vidésne hoc? PA. ubi est? AM. ad dexteram.
PA. video decorum dis locum viderier.
AM. Haud longè abesse oportet homines hinc: ita hic
Lepidu'st locus. nunc, quisquis *est deus, veneror,*
Ut nos ex hâc aerumnâ miseras eximat;
Inopes, aerumnosas ut aliquo auxilio adjuvet.

VITAM SECLVDAM] idem est cum *excludere.* sed praeposita litera propter suavitatem, vel hiatum vitandum. ergo notat heic *secernere, separare.* Inde *seclusa sacra* Festo mysteria arcana. Passerat. ad 1. el. 20. Propertii.

EXANIMALES] tabificae, βιωφθόροι, quae ψυχολέτορες exanimant. L.

5. NVNC DEIN] vox *Nunc* non est in Pall. MSS. sed ejus loco lacunula extat. habentque ambo, *dent.*

3. HAVD PARCO] decretum est vitam projicere. L.

8. NEQ. MAGIS] Meursius l. *Neque ma-*

A *gis sola terrae sola sunt.* V. N. Bacch. act. 2.3. & Trin. 4.3. Gruterus stat à vulgatâ; interpretaturque eam ad modum illum, quo aliquot Plauti loca Muretus lib 14. Var. Lect. c. 5. aut potius ei accommodat illud Casinae:

——nunquam edepol jejunium
Jejunium est aequè, atque ego. &c.

10. QVAENAM VOX] Pall. *Quianam.* annotatumque Grut. fortè *Cuianam.*

13. VENIT. AN EXIM.] vel ut, Pist. *ea eximet ex h. m. metu.* quia sentio me ad homines pervenisse. MSS. tamen neq; edd. vett. agnoscunt particulam *an,* forsan personae trāsponendae ad hunc modum: *Spes bona, subventa Mihi!*

Mihil AM. mulier est! mulieb. v. m. ad a. venit. PA. Exime sis ex hoc miserâ metu. AM. certò v. m. a. t. m. PA. Num Amp.

14. CERTO VOX] ita Gruterus è MSS.

28. OCCUPAS PRÆLOQUI] *Occupare*; est prævenire & antevertere: Græcè φθάνειν. Ita Phædrus lib. 2. Fab.

Quoniam occupârat alter, ne primus forem;
Ne solus esset, studui quod superfuit.

ut emendavit Rittershusius, & simile illud nescio cujus, apud Euseb. Hieronymum, elogium superaddidit: *Demosthenes Ciceroni præripuit, ne esset primus Orator: Cicero illi, ne solus.*

31. UVIDA] i. humidâ. Hor. 1. Od. 5.

Uvida suspendisse potenti
Vestimenta maris deo.

Lucret. 1.

——suspensæ in littore vestes
Uvescunt, i. humescunt.

31. GRASSAB.] i. *ambulabimus:* Nonius.

A

32. ID NECESSAR.] P. Syrus:

Honesta lex est temporis, necessitas.

Idem:

Honeste servit, qui succumbit tempori.

35. VIDEO] D. F. I. *Vidvor decorum dis locum tuerier,* in intueri. Sed alterum omnes MSS. & editi habent: nec malum. Pareus tamen Dousanum recepit in contextum.

37. NUNC QUISQUIS EST DEUS] Veteres ne errore laberentur, de nomine Dei alicujus certo dubitantes, dicere solebant: *Quisquis es.* Vide Interpp. ad illud Virgil. 4. Æn. v. 577.

——sequimur te Sancte, deorum
Quisquis es.

& P. Merulam in Cosmograph. lib. 1. cap. 2. Porro illud, *Nunc quisquis*, est à Cam. conjectura. ejus loco nihil extat in edd. vett. verùm in MSS. Pall. lacuna evincit aliquid tale desiderari.

ACTUS I. SCENA V.

SACERDOS, ET eædem MULIERES.

QUI sunt, qui à patronâ preces meâ expetessunt?
Nam vox precantum me huc foras excivit.
Bonam atque obsequentem deam, atque haud gravatam
Patronam exequuntur, benignámque multum.
PA. Jubemus te salvere, mater! PA. salvete
Puellæ! sed unde vos ire cum uvidâ
Veste dicam, obsecro! tam mæstiter vestitas?
PA. Illicò hinc imus, haud longulè ex hoc loco.
Verùm longè hinc abest unde huc vectæ sumus.
SA. Nempe equo ligneo per vias cæruleas
Estis vectæ. PA. admodum. SA. ergo æquius vos erat
Candidatas venire hostiatasque. ad hoc
Fanum ad istunc modum non veniri solet.
PA. Quæne ejectæ è mari sumus ambæ, obsecro!
Unde nos hostias agere voluisti huc?
Nunc tibi amplectimur genua egentes opum,
Quæ in locis nesciis nescia spe sumus,
Ut tuo recipias tecto, servésque nos,
Miserarúmque te ambarum uti misereat,
Quibus nec locus ullus, nec spes parata est,

Neque

Neque hoc amplius, quàm quod vides, nobis quicquam'st.
SA. Manus mihi date; exsurgite à genibus ambæ:
Misericordior nulla me est fœminarum.
Sed hîc pauperes res sunt inopesque, puellæ:
Egomet vix vitam colo: Veneri cibo meo
Servio. AM. Veneris fanum, obsecro, hoc est? SA. fateor. ego
Hujus fani Sacerdos clueo. verùm, quicquid est,
Comiter fiet à me, quò nostra copia
Valebit. ite hâc mecum. PA. amicè benignéque
Honorem, mater, nostrûm habes. SA. oportet.

M. Ant. Muretus lib. 14. cap. 17. Var. Lect. Scenæ hujus versus confusos, ut ait, planè in aliam faciem transformat. cujus tamen confidentiam non satis potest mirari Gruterus: tanquam hoc sit agere Alexandrum, qui nodum Gordium non solvebat, sed discindebat. Sanè nihil heic turbant MSS.

1. QUI A P. PRECES] Ita MSS. Cam. & omnes, quas vidi, Editt. quæ probantur & Meursio. Sic *preces precari*, apud Catonem cap. 134. *JÀNE pater, te hâc strue commovendâ bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi.* Sanè, *preces precari*, vel, Plautino verbo, *expetessere*, idem est quod nostro idiomate proferimus, Eine Bitt begehren. Lambinus substituit, *paces.* quod doctum & probum videatur etiam Douzæ. nam *paces*, inquit, solemnes in rebus divinis, pro veniâ & gratiâ, quam à diis immortalibus expetimus, accipi quis nescit? Sic certè Lucret. libro 5.

Non divûm pacem votis adit, ac prece quæsit
Ventorum pavidas paces animasque secundas?

Denique trecentis locis Plautus. de quâ re in Succidaneis in Horatium. Vide & doctiss. Aristæneti Interpret. libr. 2. epistol. 8. ubi docet, *Invocare*, & *preces expetere*, idem esse: neque hîc mutandum. Ita: *Votum postulare*, Apul. dixit in Florid.

2. EXCITAVIT] V. N. Amph. act. 1. 1.

3. GRAVATAM] Particip. à *gravor*. quidam legi volunt *gravantem*: L.

5. SALV. MATER] Solemne esse compellantibus *matres* salutare, docet VVouvverius ad illud Petronii: *Accedo aniculam quan-*
A *dam, quæ agreste olus vendebat, Rogo, inquam, mater nunquid scit ubi ego habitem*, &c.

10. EQVO LIGNEO] i. navi. sic Poeta nescio quis:

——dum copia tanta.
Dunteorum equitum (Hültzerne Reuter / sind Schiffer) *volitant per Tethyos æquor.*

Ovid. in Epistolâ Parid. ad Helenam:

Cærulea peterem quin mea vota viâ.

Etiam Hom. Douza indice, *naves* ἁλὸς ἵππους appellat. Et vetus versus est apud Charis. *Typhin aurigam celeris fecêre carinæ.* Unde & Artemidorus lib. 1. cap. 58. & Phornutus, sive ut aliis dicitur Cornutus, Neptunum ἵππειον dictum putant: quia in mari sunt naves, quod in terrâ equi. Alii tamen aliter. vide Serv. in Georg. & Theodorum Marcilium in Martial. Ita Theodoretus, ὄχημα θαλάττιον dixit Augustinus, *vehicula marina.* Hinc & nautæ dicuntur *equisones* Varroni, Marcipore: *Hic in ambivio navem conscendimus palu-*
B *strem, quam nautici equisones per viam ducerent loco.* Eâdem de causâ ναυκῶν ἱππικὰ Sophocles Electrâ. Sed legatur J. Meursii liber Commentarius in Poema obscurum, Cassandram Lycophronis, aut potius Muret. libr. 1. Var. lect. cap. 10.

11. CANDIDATAS] albati enim, i. candidâ & purâ veste ad deos adibant. Pers. Satirâ 2.

——negato
Juppiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.

Vide ad ista Casaubonum.

12. HOSTIATAS] hostiis instructas. L.

14. QUÆ NE] ita Muretus & J. Gul. *Quane eject.* sic intrà, *Quiné arrabonem* &c. *quódne ego inveni in mari?* V. N. Epid. 5. 2.

15. UNDE

15. UNDE] i. quo loco? *Charis?*

17. NESCIUS] i. in locis ignotis dubiâ & incertâ ſpe. *Neſcium* paſſivè poſuit, pro ignoto. ut contrà, *ignotos* interdum legimus activè, pro iis, qui ignorant. Vide Agell. lib. 9. 12. item N. Capt. 2. 2.

22. A GENIBVS] Electa Parei morem hinc deducunt communem: Sacerdotibus genua amplectebantur ſacrificaturi. Nuſquam id legitur in ullo Auctore Græco Latinove. & natum eſt in capite experte cerebri. circumſtantiæ omnes alia omnia volunt.

24. HIC PAVPERES RES] Virg. *Pauperis & tuguri.* Id. 12. Æn. *pauperque domus.* MSS. Cam. *hac*: videturque in pr. fuiſſe *hic.* unde Grut. leg. *Sed heic p.*

24. INOPES] Ex *Opis* varia ſignificatione, variè *inops* accipitur. modò enim Opis h. e. telluris egens & inſepultus notat Virg. Æn. 6: *Hæc omnis, quam cernis, inops inhumataque*

A *turba eſt.* modò Opis. i. agri & divitiarum egens; unde *inops, egenus* paſſim. modò exiguarum aut nullarum opum. i. virium. Propert. 2. el. 10. *Sic nos nunc inopes laudis conſcendere carmen.* ibi Paſſeratius.

25. VIX VITAM COLO] Fr. Junius Notis ad Tertull. De Pallio: *Seculum*, inquit, non eſt à *ſenibus*, ut Varro vult, nec à *ſequendo*, ut Iſidorus: ſed à *ſe*, quod eſt, ſeorſim; & *colere*, διάγειν: quo ſenſu Plautus, *vix vitam colo.* quod tamen Grutero acutius, quàm verius

B videtur.

28. QVO NOSTRA C. VAL.] ita J. Guliel. & Lud. Carrio. i. quantum potero ſciveróque. Sic Mercat. *facere certum pro copiâ & ſapientiâ, quæ te velle arbitrabor.* i. ut ſeſe ferent res, fortunæ & ſapientiæ. MS. pr. Camer. *quo nunc copia valebit.* idque præfert Grut. ut, *nunc-copia*, ſit copia præſens. eſt in ſec. *non copia.*

30. HABES] tueris, L.

ACTUS II. SCENA I.

PISCATORES.

OMNIBUS MODIS, qui pauperes ſunt homines, miſeri vivunt,
Præſertim quibus nec quæſtus eſt, nec didicêre artem ullam,
Neceſſitate, quicquid eſt domi, id ſat eſt habendum.
Nos jam de ornatu propemodum ut locupletes ſimus, ſcitis.
Hiſce hami, atque hæ harundines ſunt nobis quæſtu & cultu.
Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum:
Pro exercitu gymnaſtico & palæſtrico, hoc habemus,
Echinos, lepadas, oſtreas, balanos captamus, conchas,
Marinam urticam, muſculos, plaguſias, ſtriatas.
Poſt id piſcatum hamatilem & ſaxatilem aggredimur.
Cibum captamus è mari: ſin eventus non venit,
Neque quicquam captum eſt piſcium, ſalſi lautique purè
Domum redimus clanculum; dormimus incœnati.
Atque ut nunc validè fluctuat mare, nulla nobis ſpes eſt.
Niſi quid concharum capſimus, incœnati ſumus profectò.
Nunc Venerem hanc veneremur bonam, ut nos lepidè adjuverit hodie.

VERSUS septenarii, sive tetram. jamb. catalectici, qui Hipponactei vocantur. quales etiam Scenarum 2. proximè sequent.

4. NOS IAM D.] Ita & MSS. & omn. ed. At Schop. l. *Vos*.

5. HISCE] pro, *hice*, i. hi. *Cam*. V. N. Persa, Sc. ult. Parif. & Brix. ed. (ut & Dousa notat) leg. *Hi schœni*. σχοινός enim funis juncusque, unde piscatores nassas suas conficiunt. Hinc *schœniculæ* dictæ meretrices, à juncis, quibus se præcingebant, sic artem profitentes suam & facilitatem solvendæ zonæ, ut observavit Alb. Gentilis. Tales schœniculas intelligit Propheta Baruc, cap. 6. v. 42. *Mulieres vero cinctæ funiculis in viis ipsis sedent accendentes acus eorum*. In MSS. est, *hi scenam*. in edd. nonnullis, *his cænam*.

6. EX VRBE] Lamb. l. *Cottidie ex urbe*, è MSS. suis: quod Cam. tantùm suspicatus fuit deesse. At Gruterus suspicatur Lambinum hominibus fucum facere cum MSS. suis. nam veterrimi illi Camerarii nullam præbent suspicionem defectûs, nisi quatenus primus spacium habet litterarum duarum, ad recipiendam personam scilicet. In sec. planè nihil est vacui: ut nec in meis vetustè editis.

6. PABVLAT.] *pabulari*, verbum castrense.

7. PRO EXERC.] hîc locus seu hoc exercitium nobis gymnasii & palæstræ vicem est. V. N. Most. 1. 2.

8. ECHINOS] pisces marinos. Horat. 2. Sat. 4.

8. LEPAD.] *lepas*, ostrei genus est. MSS. Pall. *lopad*. V. N. Cas. 2. 8. Cæterùm λεπὰς exteriore tantùm parte conchâ tegitur: interiore & carnosâ ita scopulis adhærescit, tanquam osculetur, & arctissimè juncta vix divellatur. Apud Trebell. Pollionem Gallienus Imperator de lepade intellexit, cum nepotum ex fratre sponsorum manûs tenens, hoc tres versus epithalamios extempore pronunciavit:

Ite, ait, ò juvenes, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos: non murmura vestra columbæ,
Brachia non vincant hederæ, non oscula conchæ.

Sed de his omnibus sive piscibus sive testaceis videatur Athenæus l. 3. & Dalechampius, & Casaub. in illum. item Rondeletius.

8. BALAN.] de hoc pisce Plin. lib. 32. 11.

9. MAR. VRTIC.] De *urticis marinis* vide Plin. lib. 9. 45. & Aristot.

9. MVSCVL.] Bryard, ex Hor. l. *mytulos*. Martial. lib. 3. 60.

Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino:
Sumitur inciso mytulus ore mihi.

Non esse eosdem, *mytulos* & *musculos*, docet Athenæus lib. 3. Vide & Lamb. ad Horat. 2. Sat. 4.

9. PLAGVSIAS] ita MSS. Cam. at Lamb. malit, *placussias*, seu *pelagussias*, quasi πλακούσσας, à latitudine sic dictas, quòd hi pisces crustam patulam & latam habeant. Idem ferè Turneb. lib. 17. 22. Camerarius: *Plagusias* quas dicat, quærendum: nisi *pelagias* significare voluit, ut sit *pelagusias*. *striatæ* quidem testæ quasi scalpturâ nominatæ & apud Plin. sunt. Bryardus l. *plagusias striatas*, ad aliarum discrimen. Colvius ad illus Apuleji, *Conchulam striatam*, malit. *pelagias*. nam ita alio nomine *Purpuras* vocari ait, auctore Plinio lib. 9. 37. Meminit & Ant. Nebrissens. in Quinquagenâ, cap. 43.

10. HAMAT. ET SAX.] pisces hamis capimus, & saxis adhærenteis manibus: L. Copiosè Meursius ad Lycophr. Cassandram pag. 109. docet in scopulis olim piscatores piscatum exercuisse, ex Oppiano, Theocrito, Ovid. 3 Met. *ne scopulis hærerem, semper in iisdem*, &c. Aristænæto, Petronio, Isidoro in *Piscina specula*. hinc Plautum dixisse *Piscatum saxatilem*.

10. AGGREDIMVR] pænult. prod. ab *Aggrediri*. Cam.

12. SALSI L.] Jocus ex ambiguo. *Salsi*, non salibus, sed aquâ marinâ: *lauti*, non opiparis epulis sed madidi. *Purè*, dicit: quia aqua marina sordes omnes abluit: L. At tu mihi etiam vide quid *purè lautum* in Sacris sit, Aulul. act. 2/5. quo ailusum arbitror.

ACTUS

ACTUS II. SCENA II.

TRACHALIO servus, ET EIDEM PISCATORES.

ANIMO adversavi sedulò, ne herum usquam præterirem.
Nam cùm modò exibat foras, ad portum se ajebat ire,
Me huc obviam jussit sibi venire ad Veneris fanum.
Sed quos perconter, commode eccos video astare! adibo.
Salvete fures maritimi, conchitæ, atque hamiotæ,
Famelica hominum natio! quid agitis? ut peritis?
PI. Ut piscatorem æquum est; fame, siti, spéque. TR. ecquem adolescentem huc,
Dum hic astatis, strenuâ facie, rubicundum, fortem, qui tres
Duceret chlamydatos cum machæriis, vidistis venire?
PI. Nullum istac facie, ut prædicas, venisse huc scimus. TR. ecquem
Recalvum ac silonem senem, statutum, ventriosum,
Tortis superciliis, contractâ fronte, fraudulentum,
Deorum odium atque hominum; malum, mali vitij probrique plenum,
Qui duceret mulierculas duas secum satis venustas?
PI. Cum istiusmodi virtutibus operisque natus qui sit,
Eum quidem ad carnificem est æquius, quàm ad Venerem commeare.
TR. At si vidistis, dicite. PI. huc profectò nullus venit.
Vale! TR. valete! credidi: factum est quod suspicabar.
Data verba hero sunt; leno abijt scelestus exulatum,
In navem ascendit, mulieres avexit. ariolus sum.
Is huc herum etiam ad prandium vocavit sceleris semen.
Nunquid mihi meliu'st, quàm illico hîc opperiar herum dum veniat?
Eadem hanc sacerdotem Veneriam, si quid amplius scit,
Si videro, exquisivero: faciet me certiorem.

ANIMO ADV.] i. animo versari. L.

2. SE AIEBAT] D. F. delet, *se*; etiam propter versum: ut dictum sit, *ad portum ajebat ire*: quomodo Catull.

Ait fuisse navium celerrimus:

phrasi Græcanicâ. Acidal. contrà & rectè, retinend. censet: & *ajebat* διουλάβως, more Plauti, exaudiendum, &c.

5. FURES M.] ita MSS. Cam. & omnes meæ editt. Notat tamen Dousa, esse etiam qui *mures* legant, quod extare in cod. Sambuci Grut. observavit.

A 5. CONCHITÆ ATQ. HAM.] vos, qui conchas legitis, & pisces hamo captatis. Nonius: *Hamiotæ piscatores, ab hamis*: L.

7. UT PISCATOREM] Acid. malit, *piscatores*. sed profectò plus Veneris marinæ in altero est.

DUCERET CHLAM.] Hoc, opinor, eò dicit, quasi homines chlamydatos ducere, majoris sit negotii, quàm nudos. Quidam libri habent, *qui tres semihomines duc. chl.* quæ lectio non est rejicienda: ut intelligamus esse jocum Plauto non inusitatum; per quem

dum videri vult describere adolescentem A strenuum & robustum; quippe qui tres homines vestitos, vel invitos cum gladiis ferre possit; primùm non dicit, *tres homines*; sed, *tres semihomines*: deinde non dicit, *ferret*, sed, *duceret*: deinde non *Palliatos*, sed *Chlamidatos*: deinde non *cum macharis*, sed, *cum machæriis*, i. gladiolis: *Lambinus*. Sed in nullo meorum, ut nec in MSS. Cam. apparet hæc lectio; despuitque eam Gruterus: B cujus codices stabiliunt vulgatam, nisi quòd loco vocis ultimæ *venire*, habeant *veni*, item præferant *vidisti*.

11. SILONEM] Festus, & ibi Scaliger: *Silo*, qui & *silus* Ciceroni, σιμός, qui nasum habet resimum i. sursum versus repandum, more simiæ. At Lamb. hîc l. *Silenum*, i. simum instar Sileni. MSS. & edit. Cam. *Silanum*: quod valdè arridet Grutero. manere enim id nomen adhuc circa statuas fontium ait.

11. STATVTVM] i. magnæ staturæ. Autores sunt Varro, Agellius, & Solinus, summum modum adolescendi humani corporis esse septem pedes. Legitimam autem staturam fuisse quinque pedum & sex unciarum, docet Strevvech ad lib. 1. cap. 5. Vegetii. Casaub. lib. 3. ad Sueton. item J. C. Scalig. lib. 5. c. 3. Poetices. V. N. Asin. act. 2. 3.

11. VENTRIOSVM] ita MSS. Cam. sed Samb. *ventricosum*.

18. CRED.] sc. fore, quod video evenisse. L.

21. Sc. SEMEN] sceleris origo & artifex. L.

22. NVNQVID] Acid. *Nuncquid*. & sic MS. pr.

23. HANC SAC.] Lamb. in v. codd. etiam legi ait, *Eádem hac sacerdos Veneria*, *si quid* &c. Grut. verò in suis extare concorditer, *Eádem hanc Sacerdos Veneria si* &c.

ACTUS II. SCENA III.

AMPELISCA mulier,
TRACHALIO servus.

INTELLEGO: hanc quæ proxima est villam Veneris fano
Pulsare jussisti, atque aquam rogare. TR. cuja ad auris
Vox mihi advolavit? AM. obsecro! quis hic loquitur? quem ego video?
TR. Estne Ampelisca hæc, quæ foras è fano egreditur?
AM. Estne hic Trachalio, quem conspicor, calator Pleusidippi?
TR. Ea est. AM. is est. Trachalio, salve! TR salve, Ampelisca!
Quid agis tu? AM. ætatem haud mala malè. TR. melius ominare!
AM. VERVM OMNES sapientes decet conferre & fabulari.
Sed Pleusidippus tuus herus ubi, amabo, est? TR. eja verò!
Quasi non sit intus. AM. neque poleſt, neque ullus quidem huc venit.
TR. Non venit! AM. vera prædicas. TR. non est meum, Ampelisca.
Sed quàm mox coctum est prandium? AM. quod prandium, obsecro te?
TR. Nempe rem divinam facitis hîc. AM. quid somnias, amabo!
TR. Certè huc Labrax Pleusidippum ad prandium vocavit
Herum meum, herus vester. AM. pol haud miranda facta dicis.
Si deos decepit & homines, lenonum more fecit.
TR. Non rem divinam facitis hîc vos, neque herus? AM. ariolâre.
TR. Quid tu agis hîc igitur? AM. ex malis multis, metuque summo,

Capita-

Capitalique ex periculo, orbas auxiliique opúmque huc
Recepit ad se Veneria hæc sacerdos, me, & Palæstram.
TR. An hîc Palæstra'st, obsecro! heri mei amica? AM. certè.
TR. Inest lepos in nuncio tuo magnus, mea Ampelisca.
Sed istuc periculum perlubet quod fuerit vobis scire.
AM. Confracta, est mi Trachalio, hâc nocte navis nobis.
TR. Quid, navis? quæ istæc fabula est! AM. non audivisti, amabo,
Quo pacto leno clanculum nos hinc auferre voluit
In Siciliam, & quicquid domi fuit, in navem imposivit?
Ea nunc perierunt omnia. TR. oh! Neptune lepide, salve?
Nec te aleator ullus est sapientior. profectò
Nimis lepidè jecisti bolum: perjurum perdidisti.
Sed nunc ubi est leno Labrax? AM. perit potando opinor.
Neptunus magnis poculis hâc nocte eum invitavit.
TR. Credo hercle anancæo datum quod biberet. TR. ut ego amo te,
Mea Ampelisca! ut dulcis es! ut mulsa dicta dicis!
Sed tu & Palæstra quomodo salvæ estis? AM. scibis faxo.
E navi timidæ ambæ in scapham insiluimus: quia videmus
Ad saxa navem ferrier, properans exsolvi restim:
Dum illi timent, nos cum scapha tempestas dextrovorsum
Differt ab illis. itaque nos ventisque fluctibusque
Jactatæ exemplis plurimis miseræ perpetuam noctem,
Vix hodie ad littus pertulit nos ventus exanimatas.
TR. Novi, Neptunus ita solet: quamvis fastidiosus
Ædilis est: si quæ improbæ sunt merces, jactat omnes.
AM. Væ capiti atque ætati tuæ! TR tuo! mea Ampelisca,
Scivi lenonem facere hoc quod fecit. sæpe dixi.
Capillum promittam optumum'st, occipiámque ariolari.
AM. Cavistis ergo tu atque herus, ne abiret, cùm scibatis?
TR. Quid faceret? AM. si amabat, rogas quid faceret? asservaret
Dies noctesque: in custodiâ esset semper. verùm ecastor
Vt multi fecit: ita probè curavit Pleusidippus.
" *TR. Cur tu istuc dicis? AM. res palàm est. TR. scin tu etiam, QVI IT LAVATUM*
" *IN BALINEAS, ibi cùm sedulò sua vestimenta servat,*
" *Tamen surripiuntur; quippe qui, quem illorum observet, falsus est:*
" *Fur facilè, quem observet, videt: custos, qui fur sit, nescit.*
Sed duce me ad illam, ubi est? AM. i sanè in Veneris fanum huc intrò,
Sedentem flentemque opprimes. TR. ut jam istuc mihi molestum est!
Sed quid flet? AM. ego dicam tibi. hoc sese excruciat animi,
Quia leno ademit cistulam ei, quam habebat, ubîque habebat
Qui suos parentes noscere posset: eam veretur
Ne perierit. TR. ubi nam ea fuit cistellula? AM. ibidem in navi

Conclusit ipse in vidulum, ne copia esset ejus,
Qui suos parentes nosceret. TR. ô facinus impudicum,
Quam liberam esse oporteat, servire postulare!
AM. Nunc eam cum navi scilicet abiisse pessum in altum.
Et aurum & argentum fuit lenonis omne ibidem.
Credo aliquem immersisse, atque eum excepisse. id misera mæsta'st,
Sibi eorum evenisse inopiam. TR. jam istoc magis usus facto'st,
Ut eam intrò, consolerque eam. ne se sic excruciet animi:
„ *Nam MULTA PRÆTER spem scio multis bona evenisse.*
„ *AM. At ego etiam, qui speraverint spem decepisse multos.*
„ *TR. Ergo ANIMUS ÆQUUS optimum est ærumnæ condimentum.*
Ego eo intrò, nisi quid vis. AM. eas: ego, quod mihi imperavit
Sacerdos, id faciam; atque aquam hinc de proximo rogabo.
Nam extemplò si verbis suis peterem, daturos dixit:
Neque digniorem censeo vidisse anum me quenquam,
Cui deos atque homines censeam benefacere magis decere.
Ut lepidè, ut liberaliter, ut honestè, atque haud gravatè
Timidas, egentes, uvidas, ejectas, exanimatas
Accepit ad sese! haud secus, quàm si ex se simus natæ:
Ut eápse sic succincta aquam calefactat, ut lavemus!
Nunc ne moræ illi sim, petam hinc aquam, unde mihi imperavit.
Heus! ecquis in villa'st? ecquis hoc recludit? ecquis prodit?

INTELLEGO] Loquitur cum Sacerdote Veneris. A

V.2. CUIA AD.] ita & J.Gul. *Cuja vox*, nihil aliud, quàm, *cujus*: ut apud Virgilium, *cujum pecus?* Infrà: *Argentum pro istis ambabus, cuja erant domino dedi.* Bacch. act.4:9. *Is Helenam abduxit, cujâ causâ nunc facio obsidium Ilio.* Merc.4:3 *cuja illa mulier intus'st?*

5. CALATOR] i. servus. V. N. Pseud. act.4:2.

7. ÆTATEM HAUD MALA MALE] ita MS. pr. & si quid judicio, rectè. Q. d. Mihi, quæ nunquam mala fui, malè nunc est. Editiones vet. *ætatem haud malam malè.* Et hoc Douza malit: ut pro juventæ flore accipiatur, quæ *Bonæ ætatis* circuitione definita antiquitùs: ut contrà Senectus, *Malæ.* Sic Aul. act. 1:1, *Atque ut te dignam, mala, malam ætatem exigas.* atque alibi. *Ætas haud mala*, i. juventa. Ita & Salomo Ecclesiastes c. 12. tinemáte 3. *diebus juventutis* opponit *dies malos*, i. senectutem. B

12. COCIUM EST PR.] V.N. Stich.2:1.

17. ARIOLARE] divinas, cum dicis, neque nos hic rem divinam facere, neque herum. L.

24. CONFRACTA, MI TRACH. EST HAC NOCTE NAVIS NOBIS] Ad vocem *Navis* verisimile est excitatum plausum: eò magis, quò minus hîc rem intelligebat Trachalio. nam & *Navis* inter Venerea: ut notum ex illo Juliæ; *Non tollo vectorem, nisi plenâ navi.* Allusum eò Menæch. act. 2: 3. *perii misera! Quam tu mihi navem narras?* suspicabatur enim de succubâ & pellice. notum & illud Casinæ, act. 2. sc. 3. *Edepol ego illam mediam diruptam velim, &c.* præterea Menæchmi subsequa verba, gemini sensus sunt: *ligneam, sæpe tritam, sæpe fixam, sæpe excussam malleo &c.* nam nihil est istorum, quod metaphoricè non accommodes applicesque scorto, licet satis rusticè, & urbanius paulò Augustus apud Suetonium c. 75. in Vitâ ejus, &c. *Gruterus.*

26. AUFERRE] ita MSS. sed Acid. l. *adhibere*: & alterum ita usurpatum vix putat.

28. Oh!

28. OH! NEPTVNE.] Sic edd. vett. & Pal. sec. nam pr. *iob*, quamvis aliter annotaverit Pareus.

30. JECISTI BOLVM] *Jactus retis*, etiam *jactus* absolutè dicitur. Valerius Max. lib. 4:1. *A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam jactum emerat.* ita & Gr. βόλος: quo verbo aleæ etiam jactus significatur. unde hic jocus male ab aliquibus enarratus. *Perdere* autem, perimere & evertere interdum significat: unde jocus resultat: & aleatores autem & piscatores bolon jaciunt. Perdidisti igitur, Neptune, hominem perditissimum, i. lenonem maximè perdendum: propterea, Neptune, aleam pulcrè jecisti; pulcerrimum jactum fecisti. Id. Curcul. act. 5:2. *si vis tribus bolis vel in chlamydem, &c.* Ab hoc *eubolin* Græci Venereum jactum dicunt, qui in aleâ felicissimus. Cic. 1. De Divinat. *Bolus* priore producta frustum significat. Ter. Heaut. *crucior, bolum tantum mihi esse ereptum subitò è faucibus.* Budæus, Annot. prior. in Pandect.

33. TR. CREDO HERCLE] ita Pist. Nam & *hercle* non convenit fœminæ.

33. ANANCÆO] Hesych. ἀνάγκη ἡ δικαστικὴ κλεψύδρα, i. *Anange judicialis clepsydra.* unde *Anancæum*, poculum capax, urnæ judicialis instar. Vide Turn. lib. 21:12. Idem in Comment. in 2. Orat. Cic. Rullan. laudat Camer. lect. *anancæo*: atq; *anancæum* se putare fuisse poculum magnum, quod in potandi certamine necesse esset, ebibere: quasi ἀναγκαῖον. Et hoc credo verum esse. Nonius ex Varrone: *At Sybaritanam prædam, in quâ sunt tripodes, cratera, anancæa &c.* Tamen & reliquorum sententias audiamus. Is. Casaub. Animadv. in Athen. lib. 2. cap. 3. Poëta vetus, inquit, Ἀνάγκαιον vocat τὴν φρενῶν ἔκστασιν, cùm poto liberalius vino, homo suæ spontis non est, neq; mentis sanæ: & hanc necessitatem vocant γλυκεῖαν: quia erat aliud olim *anancæa potionis* genus, cujus tristis necessitas. Plautus, *perit potando, &c.* Alludit vel ad sorbitionem cicutæ necessariam & fatalem sontibus in Græciæ aliquot urbibus: vel ad haustum illum è flumine Lethæo, qui nemini mortalium non est necessarius. Gruterus id etiam capit de potu cicutæ; accommodatq; illud Persæ act. 5:2.

Dii faciant, ut id bibatis quod vos nunquam transeat.

A Matth. Bergius Professor in Acad. Norica l. *ab Antæo d.* qui Antæus Neptuni filius fuerit. Porrò Meursius, Censeo, inquit, scribendum, *credo herclean Ancæi datum.* Veteres enim *Hercle*, *Herclean* efferebant per ὑφέν, ut *fors*, *fors-an*; *forte*, *fort-an*; *forsit*, *forsit-an*. Jam *Ancæi poculum* interpretor *ultimum*, post quod animam efflaverit. Ergò vult dicere: Neptunus Lenonem invitavit hac nocte magnis poculis: & credo eum jam ultimum bibisse, id est, suffocatum esse. Eleganter verò *Ancæi poculum*. Audi rem omnem ex Didymo ad Odyss. 22. Ἀγκαῖος &c.

34. MVLSA D.] V. N. Pœn. 1:2.

36. E NAVI TIM.] ita edidit Cam. itaque est in Parmensi & Brix. Sed MSS. Cam. & omn. vetustiores, *saxo navis timida.* Schoppius emendabat, *Navi timida*: quia dicimus *timere & formidare alicui*, pro quo soliciti sumus tale illud Amph. 1:1. *servitus homini opulento.* Mil. 3:1. *studiosus rei nulla alia est, nisi adulterio.*

39. DIFFERT] in diversa aufert ab illis. L.

42. QVAMVIS FASTIDIOS.] i. admodum

B fastidiosus. V. N. Pseud. 4:7.

43. ÆDILIS EST] Solebant enim Ædiles improbas merces in profluentem interdum jactare. ut edulia quæ putebant. De mensuris etiam cognoscebant, quà aquæ: iniquas frangebant. Pers. Sat. 1. Juven. 10. Ulpian. L. XIII. D. Locari. D. Hieronym. *Ab Ædilibus, quos ἀγορανόμους Græci appellant, ver dentium coercebantur rabies.* Vide Turn. lib. 29:20. Colvium, ad illa Apuleii; *pro ædilitatis imperio, &c* & Captiv. act. 4:2. Deniq; Fr. Duarenum lib. 1. cap. 26. Anniversf. Disput.

44. TR. TVO. MEA AM.] Ita J. Grut. Nec novum Planto, ut, dum simulat continuare sensum, aliud tamen primis verbis velit. V. N. Pseud. 1:3.

45. FACERE] ita MSS. & vett. edd.

46. CAPILL. PROMIT.] Sic Tib. lib. 2:5.

Jactavit fusâ sed caput antè comâ.

Nam fanaticorum hic mos erat, ut capillum funderent: *Scaliger.* Turn. lib. 11:10. Divinaculi capillum promittebant: unde & Plautus scripsit, *promittam c. &c.* Quod & religionis caussa facere solebant. Nonius, *promittere capillum, & barbam*, apud Virgil. exponit, ad magnitudinem nutrire.

47. CAVE-

47. CAVISTIS] Legere licet per interrog. hoc pacto: *Ergò tu atque herus, quandoquidem sciebatis, cavistisne, ne abiret?* Licet & per enunciationem *εἰρωνικῶς*: ac si dicat, Non cavistis: L. At Grut. putat contractè tantùm efferri, pro *cavissetis*. Q.d. si notum vobis erat consilium Lenonis, cautionem adhibuissetis, ne id exsequi potuisset.

50. VT MVLTI FECIT] *Multi facere*, hîc idem quod *magni facere*: eique opponitur *minoris facere*. dicitque; ex levi curâ, quam ei herus impenderit, fidem facile facere, amicam in exiguo apud eum fuisse pretio. Possent verba illa compelli in unum, sed fortè non magis, quàm *lucrificare, sumptifacere, compendifacere:* quod ultimum totis vocibus separatum Bacchid.2:2. *compendi verba multa jam faciam tibi:* ita enim MSS.Cam.

51. QVI IT LAV.] Vide Alciat. Parerg. lib.2. cap.38. P.Victor. Var. Lect. lib.7:17. & Muret.ad Carm. 30. Catulli,

O furum optime balneariorum:

ubi & multis disputat ex Aristot. Problematum parte secundâ: cur fures balnearii, quos Tertullianus in Apolog. *lavantium pradones* vocat, capitali supplicio affecti sint, quum cæteris dupli tantum pœna proposita esset. Steph. Forcatulus JC. Necyomantiæ dialogo 28. Aristotelis rejectâ, hanc germanam ait esse, quòd propter frequentiam hominum, licet furtum factum esset, tamen furem cognoscere erat difficile, & sinistrâ suspicione multos notari accidebat.

56. SEDENTEM] Ritus adorationis, & eorum qui precabantur deos. Propert.lib.2. *Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit.* Item supplicum, & eorum, qui tutelæ sui caussâ confugiebant ad deûm aras. Vide P. Colv.XI. Metam. Apul. & Not. Mostell.5:1.

56. FLENTEM] in MS.pr. ab initio fuit. *fluentem*, quod, nisi, *quid flet*, sequeretur, ambitiosissimè amplecterer.

57. HOC S.] i. ob hanc rem. L.

SCILICET] *scire licet:* perspicuum est, eam demersam in profundum. V.N.Pœn. act.5:2.

64. ALIQVEM] urinatorem. L.

ÆQVVS] neutram in partem nimium propensus. L.

71. SIC SVC.] *δεικτικῶς*. Hor. lib. 2. Sat.6.

—— Veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes, nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne, quod affert.

82. ECQ. HOC RECLVD.] ita Grut. è MS. primo, qui liber lacunam habet deinde duorum versuum; præter alteram adhuc lineam vacantem, qua perscribantur personæ.

ACTUS II. SCENA IV.

SCEPARNIO servus.
AMPELISCA mulier.

QVis est, qui nostris tam protervè foribus facit injuriam?
AM. Ego sum. SC. hem! quid hoc boni est? heu! edepol specie lepidâ mulier!
AM. Salve adolescens. SC. & tu multum salveto, adolescentula.
AM. Ad vos venio. SC. accipiam hospitio, si mox venis,
Item ut affectam: nam nunc nihil est qui te inanem.
Sed quid ais, mea lepida, hilara? AM. aha! nimium familiariter
Me attrectas. SC. prò di immortales! Veneris effigia hæc quidem est.
Vt in ocellis hilaritudo est! eja, corpus cujusmodi!
Subvolturium! illud quidem, subaquilum volui dicere.
Vel papillæ cujusmodi! tum quæ indoles in savio est!

AM. Non

AM. Non ego sum pollucta pago. potin' ut me abstineas manum?
SC. Non licet te siccè placidè bellam bellè tangere?
AM. Otium ubi erit, tum tibi operam ludo & delitiæ dabo:
Nunc, quamobrem huc sum missa, amabo, vel tu mihi ajas, vel neges.
SC. Quid nunc vis? AM. sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
SC. Meus quoque hic sapienti ornatus, quid velim, indicium facit.
AM. Hæc sacerdos Veneris hinc me petere jussit à vobis aquam.
SC. At ego basilicus sum: quem nisi oras, guttam non feres.
Nostro illum puteum periculo & ferramentis fodimus,
Nisi multis blanditiis, à me gutta non ferri potest.
AM. Cur tu aquam gravâre amabo, quam hostis hosti commodat?
SC. Cur tu operam gravâre mihi, quam civis civi commodat?
AM. Imò etiam tibi, mea voluptas, quæ voles faciam omnia.
SC. Eugepæ! salvus sum! hæc jam me suam voluptatem vocat.
Dabitur tibi aqua, ne nequicquam me ames: cedò mihi urnam. AM. cape,
Propera, amabo, efferre. SC. mane: jam hîc ero, voluptas mea.
AM. Quid sacerdoti me dicam hîc demoratam tam diu?
Vt etiam nunc misera timeo, ubi oculis intueor mare!
Sed quid ego misera video procul in littore,
Meum herum lenonem Siciliensemque hospitem,
Quos periisse ambos misera censebam in mari.
Iam illud mali plus nobis vivit, quàm rata.
Sed quid ego cesso fugere in fanum, ac dicere hæc
Palæstræ; in aram uti confugiamus prius,
Quàm huc scelestus leno veniat, nosque hîc opprimat?
Confugiam hinc, res ita suppetit subitò mihi.

VERSUS tetram. catalect. troch. præter ultimos octo, qui sunt senarii jambici: quo genere & mox sequentes duæ Scenæ constant. *Cam.*

V. 2. MULIER] ita MSS. ambo Camerarii. at D. F. l. *specie lepida mulierem!* propter versum: & quòd alioqui sit elegantius. Sed hoc est Plautum in ordinem redigere: quod Pater non faceret, scio. fecit id tamen in editione sua Pareus, tam isto loco, quàm mox sequenti.

4. MOX] Douza, & alii. *nox*, i. noctu: quemadmodum & Palmerius. Ennius: *Si luci, si nox, si mox, si jam data sit frux. Nox* enim hîc manifestò Adverb. pro *noctù*, & opponitur illi, *luci.* immò & Catullus in venustiss. poëmate de comâ Berenic. *lux* eodem modo, pro *luci* usurpavit. Vide Spicileg. pag. 14.

A & Lud. Carion. lib. 2. cap. 16. Antiq. Lect. & Agell. lib. 8: 1.

4. ACCIPIAM H.] Crux hæc Interpretum: quorum sententias strictim delibabo. Quod exhibuimus, Camerarii est. Lambinus legit:

——*accipiam hospitio, si mox venies vesperi, Item ut affectam.*

Q. d. vesperi, quo tempore cænabo, ut mecum cænes, & satura cum saturo cubes, accipiam, inquam, tanquam mulierem similiter B affectam, hoc est, naufragam & calamitosam: vel tanquam mulierem honoratam & spectatam: ut Festus *Affect.am* interpretatur, &c. *Nam nunc nihil est, qui te manè mulierem.* Sententia subobscena. Nam nunc, inquit, manè nimirum, quo tempore inanis sum & siccus, nihil est, unde te mulierem accipere possim, ut mereris, vasis & armis no-

ſtris non expeditis, & Venere frigente. Veſperi igitur venies, cùm Venus in nobis Cerere & Baccho incaluerit. Hæc Lambinus. Douza legit, —— *qui te manè munerem;* ſententiâ planâ. J. Palmerius l.

——accipiam hoſpitio, ſi nox venis,
Item ut affectam: nam nunc nihil eſt, quâ te inaniem.

Affectam mulierem hìc agnoſcit & interpretatur Feſtus. *Venis*, antiquè pro, *veneris:* ut *ſcis*, pro *ſcieris: Inanire* autem uſurpaſſe ita videntur, pro, in locum aliquem, qui vacet, hoſpitem accipere: cum alioquin *inanire* frequentetur à Lucretio & aliis, pro *exinanire*. Sed ludit Plautus tanquam ficto vocabulo ab *ano.* nihil enim eſſe quo mulierem *inanet* (ſic enim etiam fortè ſcripſerit, ut verbum ſit *inano*, pro, vacuo loco recipio) quæ aliter habilis viro ſit. Ita *inforare* finxit Curculione: & in verbo *incomitiare* luſit, quia *comitium coitus.* Scalig. ad illa Feſti: *Affectata fœmina vel in bonam partem dicitur, velut honorata: vel, in malam: quaſi ad extremum periculum traducta;* notat: Rectè vet. editiones, *adſectata.* Plautus Rud.

AM. Ad vos venio. SC. accipiam hoſpitio, ſi nox venis, item, ut
Adſectatam. nam nunc nihil eſt, qui te inanem.

Paſſeratius ad 1. el. 20. Propertii, vult in Feſto legendum, *adſectata fœmina.* h. e. quæ ſollicitatur à pluribus. V. N. Capt. 4. 2. v. 40. & Perſ. 2. 1. v. 5. Propert. *Hunc duo ſectati fratres, Aquilonia pubes, Oſcula ſuſpenſis inſtabãt &c.* Plaut. Caſ. 2. 8: *Solet hic barbatos ſanè ſectari viros.* Idem quoque ſentit de Feſti loco Torrentius ad illud Horat. 1. Sat. 2. v. 78: *matronas ſectari.* At enim idem Paſſerat. ad lib. 2. el. 28. Prop. oblitus quaſi prioris ſcriptionis, citat *affectam*, pro ægra f. & ita olim, inquit, legebatur apud Feſtum: nunc editum eſt *adſectata.* Lud. Carrio Antiq. Lect. lib. 2: 16.

AM. Ad vos venio. SCE. accipiam hoſpitio, ſi nox venis.
Item ut affectas. nam nunc nihil eſt qui te inanem.

Nequam ſervulus ancillam paulo familiarius tractans, reſpondet: ſi noctu ad me veneris, præſtabo tibi officium & hoſpitium, quod præſtari ſexus veſter amat, & quod tacita petis: nam, ut nunc res eſt, parum habeo, qui te inanem & ſitientem *expleam.* id

A enim verbum Plautus modeſtè reticuit. Quanquam fortaſſe etiam legi poteſt, *qui te juvem.* Hæc ille. Schopp. è veſtigiis MSS. Camerar. legi poſſe ſuſpicatur, —— *qui te induem.* ut diceret ſervus: ſi noctu veneris, ita te accipiam, ut ægroti ſive adfecti ſolent (operimentis nimirum tegi, & ſic velut indui) cum jam, qui te tegam & induam, nihil ſit. Nec ab re præſenti abhorret, ſi de induendo eum quicquam dixiſſe putaverimus. nam ancilla tota madida erat, ut ex naufragio evaſerat. Et quod hìc ſervus ancillæ ultrò obtulit, id paulò poſt naufragus Charmides ſibi fieri poſtulat. Dicit igitur, ſe illam tanquam *adfectam* ſive *adſectatam*, veſtibus aridis induere velle, ſi noctu veniat, &c. Eadem uberius lib. 5. Suſpect. Lect. Epiſt. 6. legeris. quæ tamen pro certis nec ipſe autor venditat. Gruterus ait legi in MS. pr. *accipiam hoſpitio, ſi mox venis. Item ut affectam nam nunc nihil eſt qui te manem.* neq; aliter ſec. niſi quod in eo videatur, *mox venus*, & poſt id lacuna grandior: forte ad accipiendam perſonam: ſed ex iis nihil elicias, quàm fortè legendum

——accipiam hoſpitio, ſi nox venis.
B *AMP. Item ut affectam? SC. nam nunc nihil eſt qui te inanem.*

Denique Piſtoris, Hæc, inquit, lectio; *Item ut affectas*, juvatur eo, quod dixerat Amph. *Ad vos venio.* quod Scep. accipit, quaſi affectaret congreſſum & hoſpitium. Et mox: *nam n. n. eſt, qui te mœniam:* eâ formâ, *Non enim ille meretriculis mœniendis &c.* Aut, *qui te maneam:* quò tempus tecum de die nunc teram &c. Pareus tanquam ſi princeps eſſet hujus Senatus, declamat: Non diſſimulo, jurata fide me credere, Plautum ſcripſiſſe, *item ut affectas*, quia ſenſus id prorſus requirit. Et quàm proclive fuit errare Pompejum, ut alibi ſæpe &c. At tu, mi homo, nulli Docto tantus es, ut admitti debeas in hanc curiam: nedum voce ibidem utaris. itaq; abi cum jurata fide. abi. nulla eſt.

7. EFFIGIA] pro, *effigies:* Nonius. Atq; hæc ex Græco aliquo deſumpta Schop. ait. & ab Ariſtæneto quoque aſſormata: Ω φύσεως τὸ κάλλιστον φιλοτέχνημα, ὦ γυναικῶν ἐγκάλλισμα, καὶ διὰ πάντων ἔμψυχος τῆς ἀφροδίτης εἰκών.

9. SVBVVLTVRIVM] corpus colore ſubnigro; vel corpus alacritate & hilaritate ad vultu-

vulturii corporis similitudinem propè accedens. Lambinus.

9. SVBAQVILVM] Quia aquilæ generosiores sunt vulturibus, hâc correctione usus est, ut quidem Lambino visum. Quid *aquilus color* sit, diximus Pœn. act. 5: 2. Quamvis Marcell. Donatus in Dilucidat. *aquilum colorem* non ab *aquâ*, sed ab *aquilâ* alite, cujus color sit subniger, dictum censet.

10. PAP. CVIVSMODI] q.d. quàm solidulæ & turgidulæ!

10. IN SAVIO] V.N. Mil. 2. 1.

11. POLLVCTA P.] ita MSS. & Mediol. & Veneta Pap. nisi quòd sec. divisè, *pol lucta*. ex quo Criticastri isti novi (verba sunt Gruteri) nihil non fingerent; aut adeò *lucta* illud *palæstricè* interpretarentur, ut ipse loquitur frustra. vult enim se non esse scortum pagi publicum, vel tanquam dapem profanatam omnibus expositam, ut sentit Scaliger; qualem, *publicam libidinis victimam*, vocat Tertullianus. Guther. 4. cap. 23. de jure vet. Pontif. Douza lib. 4: 13. Centur. Jugis ille, inquit, thesaurus scientiarum Turnebus, *polluctam pago* interpretatur *communem atq; expositam pago: ut in polluclo Herculis omnia exponebantur obviis.* Ea verò explicatio cum paullò duriuscula Lipsio videretur, placuit duabus litteris mutantibus legi:

Non ego sum polluta. apage, potin' &c

Quomodo idem in re simili: *pura sum, comparce amabo me attrectare, Agorastocles.* Mihi verò aqua hic hæret: atque eò magis, quòd animadverterim Plautum eâ ipsâ loquendi figurâ usum Curculione: quo loco *polluctus virgis*, id est, ulmeâ virgarum strue cumulatissimè, ne dicam *pollucibiliter mactus* servili convicio audit Palinurus. Doctiss. tamen Bryardus, *polluta pago*, mavult. ut idem sit sensus, tum longè major vis & venustas, acerbiusq; hominem servum, quamvis urbanum, sic quasi Corydona aliquem, vel Stratillacem pudendo rusticitatis probro adspersum suggillet Ampelisca. Hæc Douza. Sanè *polluta pago*, legitur etiam in multis edd. antiquis: & J. Palmerius in hoc loco venustum se fecit, Spicileg. fol. 105. Pareus in Lexico suo, ut discipulis suis suam sibi firmet auctoritatem, Dousam ac Lipsium, viros supra sæculi hujus positos præconia, scurriliter hîc vocat *criticastros*.

12. TE SICCE] Schoppius, Risi, inquit, delirium Lambini, qui *sicce* interpretatur, sobriè, ut homines sicci & sobrii solent. *Siccè* adverb. est, pro *sic*: ut *hicce* pro *hic*. Idem & Gruterus jam ante observarat, & verba gestu adjuvanda monuerat. Palmerius ad illud Terent. Phorm. *Hæc erant itiones crebræ, & mansiones diutinæ?* annotat: *Hæc*, fœmininum est, non neutrum, ut somniant, Grammatici, & appensum *c*, ut in illis *eorunc, istunc, illunc.* Argumento est, quod addito insuper *e*, nulla suspicio mutati generis, *hæcè, hicè.* quod fit ad productionem vocabuli. ut *siccè, manè, quamè*, cui insertum *d*, ut exeat, *quamde*: pro, *sic, nam, jam, quam &c.* & *jamé* quidem multis locis apud Comicos legitur: ubi malè se habent Emendatores, qui *jam*, in versu non quadrare vident: ac huc veniunt tandem, ut dividant *jàm*, cogantque duas syllabas fieri, ut quidem mihi videtur, invitis Musis. V. N. Capt. Prol. sed & Scalig. ad Fest. Tamen in MSS. & vett. edd. planè legitur *sic*, non *siccè*. Præterea à versu isto lacuna est in MS. pr. duorum plane versuum.

16. MEVS QVOQ. H.] Hic servus digito, gestu, aut aliquo motu corporis actionem juvit. L.

18. AT EGO] In MS. pr. ante hunc versum rursus vacuum est integri versus.

18. BASILICVS] magnificus, & à quo nihil auferas, nisi vel per interpretem, vel supplici habitu. sic *basilicum* illud millies sumitur Plauto. unde alibi, *basilicè interii, basilicè ornatus incedit, basilicus status, victus, basilicæ edictiones, basilicus jactus, basilica facinora, basilicè eleutheria agere &c.* ne quis superveniat imprudentior, cui allubescat scriptura Codicis nostri una, *basiliscus*. Grut. in Schedis. Parei Electa è versu isto formarunt, Magnates non rogati suppliciter exorantur. oraculum consulendum erit, ut id intelligamus: adeo aut obscurum est; aut apertè falsum.

21. AQ. GRAVARE] *Gravari* dixit, pro gravatè dare. sicut Cicero, *præcidere alicui*, pro, præcisè negare. sic Mil. *ut, quod cupiam, ne gravetur.* & Epid. *ne gravetur, quod velis.* Schopp.

 21. Ho-

21. HOSTIS. H.] i. peregrinus. vel simpliciter, inimicus. Trin.act.1.sc.2.v.53. Post hæc etiam spacium est versus unius in MS. pr. A

27. ME D.] ita MS. pr. Cam. &, ut ipse ait, etiam Lambini. vulgò, *meæ*. MS.sec. *meo d*. Cæterùm hic quoque in MS.pr.ante Cam. hunc versum vacant duæ lineæ; ut & una linea post ipsum.

28. MARE] Idem MS. lacunam habet post isthæc quæ sit recipiendo versus.

36. C. HINC] ita rectè Cam. è MSS. in quibus *huic*: nec aliter vett.ed.at Lamb.l.*huc*. quod editioni primæ intulit Pareus.

ACTUS II. SCENA V.

SCEPARNIO servus.

PRò di immortales! in aquâ nunquam credidi
Voluptatem inesse tantam. ut hanc traxi lubens!
Nimio minùs altus puteus visus est, quàm priùs.
Vt sine labore hanc extraxi! præfiscinè,
Satis nequam sum: utpote qui hodie inceperim
Amare. hem tibi aquam, mea tu bella. hem! sic volo
Te ferre honestè, ut ego fero: ut placeas mihi.
Sed ubi tu es, delicata? cape aquam hanc sis. ubi es?
Amat hercle me, ut ego opinor: delituit mala.
Vbi tu es? etiámne hanc urnam acceptura? ubi es?
Commodulè melius: tandem verò seriò.
Etiam acceptura es urnam hanc? ubi tu es gentium?
Nusquam hercle equidem illam video. ludos me facit.
Apponam hercle urnam jam ego hanc in mediâ viâ.
Sed autem, quid si hanc hinc abstulerit quispiam
Sacram urnam Veneris? mihi exhibeat negotium.
Metuo hercle, ne illa mulier mihi insidias locet,
Vt comprehendar cum sacrâ urnâ Veneriâ.
Nempe optimo me *jure in vinculis enicet*
Magistratus: si quis me hanc habere viderit.
Nam hæc literata'st: ab se cantat cuja sit.
Iam hercle evocabo hinc hanc sacerdotem foràs,
Vt hanc accipiat urnam. accedam huc ad fores.
Heus sis, Ptolemocratia! cape hanc urnam tibi:
Muliercula hanc nescio qua huc ad me detulit.
Intrò ferunda est. repperi negotium:
Siquidem his mihi ultrò aggerunda etiam est aqua.

VOLV-

VOLUPTATEM] Formavit hinc Pareus in Electis: Aquæ inest magna voluptas. Quæ ineptiæ! eadem ratione si dicat Scarabæus, stercori magna inest voluptas, id pro generalissimo inculcabimus. Imò hæc talia vim roburque assumunt ab affectu. extra eum nihil valent.

4. PRÆFISCINE] In MSS. Cam. & vett. ed. est, *prificisciné*. Camerarius edidit, *præficissimé* & exposuit, expeditissimè. & addit: Apud Lucr. adducente Nonio legitur *præficè*. *præ* autem & *per* in compositione idem valent. nisi potiùs, *præfiscinè*, quod apud Charis. est, reponendum. Idque Lambino probatur, & Palmerio; sed & Grutero, qui ita, ut exhibui, etiam distinxit. Ut risum eo excitaverit, quòd invidiam amoliatur, arrogando sibi nequitiam. Gifanius; *Perficus*, inquit, & perficiens valere videtur & *perfectus*: εὐμαθὴς Græcis. Lucr. lib. 2. *perficè*, sonat *perfectè*: ut & Pl. Rud. *perficissimè*: etsi libri habeant, *præficissimè*: quod si retineamus, pro eodem accipiendum erit: nam τὸ *præfiscinè* ibi locum non habet. Apud Arnob. lib. 4. *perficiens* sonat, &c. *Hæc ille*. Sed *præfiscinè* germanum esse, docent illa etiam Asin. 2. 4. atque ex supervacuo etiam Turnebus in Orat. Cic. 2. contra Rullum. Q. d. Servus: Verè sine labore extraxi: neque enim jocum hîc facio, aut fascino. Nam *præ-*

A *fiscinè* est sine invidiâ & sine fascino, &, ut Sosipater interpretatur, ἀβασκάντως. *præ* enim hic negat. Hæc Turneb.

11. TANDEM V.] tandem verò omitte jocum & delitias, L.

12. LITERATA EST] i. litteris inscripta est: vel potiùs (ut I. Douza.) Veneris imagine insignita. unde sacrificiis inservire significetur. id quod in omnibus Sacrorum vasis observari solitum, ad Plinium ex Athæneo notat Hermol. Barbarus. Apul. quoque lib. 6. *lacinias auro litteratas* fingit Psychen in Junonis fano vidisse, i. litteris aureis inscriptas. Etiam Is. Casaub. ex eodem Athen. lib. 11. docet *litteratum* Gr. γραμματικὸν vocari, quicquid litteras inscriptum sit: &, ποτηρίου

B γραμματικοῦ meminisse etiam Lexiphanem Lucianeum. Infrà act. 4. 4.

21. ABS SE C.] Colvius malit, *eapse*, i. ea ipsa. quod & Lamb. in vett. libris ait reperiri. est etiam in MS. pr. Cam. sed longè præfert alterum Gruterus.

26. INTRO FERUNDA EST. REP.] ita Lamb. in omnibus suis esse affirmat: & probat Gruterus, hoc est, ipsa ratio & histrionia. MSS. Cam. *Inproferunda est rep.* ut & Arg. & Med. & Ven. sed Paris. & cæteræ, *In proferundâ rep.*

ACTUS II. SCENA VI.

LABRAX leno.
CHARMIDES Siculus.

QUI HOMO SESE miserum & mendicum volet,
Neptuno credat sese atque ætatem suam:
Nam si quis quid cum eo rei commiscuit,
Ad hoc exemplum amittit ornatum domum.
Edepol libertas lepida es, quæ nunquam pedem
Voluisti in navem cum Hercule unà imponere.
Sed ubi ille meus est hospes, qui me perdidit?
Atque eccum incedit! CH. quò, malùm, properas Labrax?
Nam equidem te nequeo consequi tam strenuè.
LA. Utinam te priùs quàm oculis vidissem meis,
Malo cruciatu in Siciliam perbiteres;
Quem propter hoc mihi obtigit misero mali!

CH.Utinam, cùm in ædes me ad te adduxisti tuas,
In carcere illo potius cubuissem die!
Deósque immortales quæsò, dum vivas, uti
Omnis tui similes hospites habeas tibi.
LA.Malam Fortunam in ædis te adduxi meas.
Quid mihi scelesto tibi erat auscultatio?
Quidve hinc abitio? quidve in navém inscensio?
Ubi perdidi etiam plus boni quàm mihi fuit.
CH.Pol minimè miror, navis si fracta'st tibi;
Scelus te, & scelestè parta quæ vexit bona.
LA.Pessum dedisti me blandimentis tuis.
CH.Scelestiorem cœnam cœnavi tuam,
Quàm quæ Thyestæ quondam anteposita est, & Tereo.
LA.Perij, animo malè fit, contine quæso caput.
CH.Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas.
LA.Eheu Palæstra atque Ampelisca! ubi estis nunc?
CH.Piscibus in alto credo præbent pabulum.
LA.Mendicitatem mihi obtulisti operâ tuâ,
Dum tuis ausculto magnidicis mendaciis.
CH.Bonam est quod habeas gratiam meritò mihi,
Qui te ex insulso salsum feci operâ meâ.
LA.Quin tu hinc is à me in maximam malam crucem.
CH.Eas! easque res agebam commodùm.
LA.Eheu! quis vivit me mortalis miserior!
CH.Ego multo tanto miserior, quàm tu Labrax.
LA.Qui? CH.quia ego indignus sum, tu dignus, qui sies.
LA.O scirpe, scirpe! laudo fortunas tuas,
Qui semper servas gloriam aritudinis.
CH.Equidem me ad velitationem exerceo:
Nam omnia corusca præ tremore fabulor.
LA.Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis postea quam abs te abij, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum instruit:
Ita salsam præbet potionem & frigidam.
CH.Ut fortunati sunt fabri ferrarij,
Qui apud carbones assident! semper calent.
LA.Vtinam fortunâ nunc anatinâ uterer,
Uti cùm exivissem ex aquâ, arerem tamen!
CH.Quid, si aliquò ad ludos me pro manduco locem?
LA.Quapropter? CH.quia pol clarè crepito dentibus.
Jure optimo me lavisse arbitror.
LA.Qui? CH.quia auderem tecum in navem ascendere,

Qui

Qui à fundamento mihi usque movisti mare.
LA. Tibi auscultavi, tu promittebas mihi
Illic esse quæstum maximum meretricibus,
Ibi me corruere posse ajebas divitias.
CH. Jam postulabas te, impurata belua,
Totam Siciliam devomiturum insulam.
LA. Quænam balæna meum vorævit vidulum,
Aurum atque argentum ubi omne compactum fuit?
CH. Eadem illa, credo, quæ meum marsupium,
Quod plenum argenti fuit, in sacciperio.
LA. Eheu! redactus sum usque ad hanc unam tuniculam,
Et ad hoc misellum pallium. perij oppidò!
CH. Vel consociare mihi quidem tecum licet:
Æquas habemus partes. LA. saltem si mihi
Mulierculæ essent salvæ! spes aliqua forent.
Nunc si me adolescens Pleusidippus viderit,
A quo arrabonem pro Palæstrâ acceperam,
Jam se exhibebit hîc mihi negotium.
CH. Quid, stulte, ploras? tibi quidem edepol copia'st,
Dum lingua vivet, quî rem solvas omnibus.

QVI HOMO] Terentius Hecyrâ:

Nescis quid mali præterieris, qui nunquam es ingressus mare.

Ovidius:

Et propè tam letum quàm propè cernit aquam
Navita.

Satiricus: Nauta est

——digitis à morte remotus
Quatuor; aut septem, si sit latissima teda.

Apud Laert. πιστὴ γῆ, ἄπιστον ἡ θάλασσα. Horatius 1. Carm. 3. *Illi robur & æs triplex*

Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus.

V.N. Most. act. 2.2.

6. CVM HERCVLE] ita MSS. tres; duo, inquam Pal. & Excerpta. sed J. Meursius, Quæ hæc, inquit, Libertas, quæ cum Hercule noluit navigare? Nugamenta mera. Lego ex v. codd. *in navem mecum herclè unà imponere.* Jocatur adhuc Leno in miseriâ suâ, dicens, se mendicum factum amisisseque omnes fortunas suas naufragio; præter libertatem, quæ secum pedem navim inferre noluerat. Et sanè ita est in omnibus editis

A veterioribus. Tamen inficetum videtur Grutero, & præter manuscriptos codices, in quibus disertis litteris compareat vulgata scriptura, (nisi quod iidem *Hercle* contractim) confirmari id putat loco Luciani libro *De mercede conductis.*

11. IN SICILIAM] ita Gruterus hortatu MSS. & vett. ed. restituit. Vulgò, *Siciliæ.*

11. PERBITERES] V.N. Capt. act. 3.5.

17. MALAM FORT.] V.N. Aul. act. 1.1.

18. QVID MIHI &c.] V.N. Epid. 2.2.

25. THYESTÆ &c.] Fabula nota est, quâ Atreus Thyestæ fratri suos liberos epulandos apposuisse narratur. De Tereo, cui Pro-
B gne uxor communem filium Itym comedendum objecit, vide vel Ovidii Metamorph. l. 6. Fabb. 7. & seqq. item Adag. *Thyestéa cœna.*

25. ANTEROS.] ita omnes vett. Codd. etiam Lambini, itemque MSS. Cam. Nam quod in edit. ipsius est, *apposita*, postea correctum vidi ab auctore.

26. ANIMO M.] λειποψυχῶ. significat, se vomiturire: Lambinus. Electa Parei hinc electant dogma tale: Vomitus sæpe morbi medicina. Apposite profectò; tanquam si iste vomere vellet à se; & non

potius

potius id cogeretur facere. tanquam si iste A ægrotaret: tanquam si convalescere cuperet. quæ affaniæ!

29. PABULUM] sic Petron.

——*regnum Neptuni pavit Ulysses.*

nimirum, quòd piscibus in mari pabulum præbuerit toties & suis & sociorum naufragiis, apud Hom. *Dauza in Præcid.*

33. SALSUM] Jocus ex ambiguo. *Salsum* enim & urbanum significat, & aquâ marinâ imbutum: L.

35. EAS! EASQ. RES] atque ego commodùm id ipsum cogitabam & optabam, ut ires in malum cruciatum: L. *Acidalius* è vett. concinnat, statimque editioni pr. infert Pareus:

CH. Eas quidem res tecum agebam commodum:

hoc sensu: Quod tu me in crucem ire jubes, eam quidem rem jam jam commodum uterque agebamus, cùm naufragi in alto jactaremur, directi in omnium maximam malam crucem. Sed enim *eas res*, non *eam rem*, de industriâ dixit; ut jocus esset in ambiguo. Nam dum illud dicere videtur; interim interspiratione quâdam prima ista, *Eas quidem*, à reliquis distinguit, & his vicissim ire lenonem solum in crucem jubet, &c. ut *eas* & B Verbum & Provocabulum sit. Vide N. Mil. act.2.3. Ingeniosè: sed lectio tamen ista nec in MSS. nec in editis usquam apparet MSS. Cam. *Das: easque.*

39. O SCIRPE] Leno se præ scirpo contemnit: quia si suis bonis contentus, ut scirpus ariditate suâ, fuisset; nunquam eò miseriarum venisset, ita Schoppius quidem Suspect. 4.5. At Gruterus simpliciter intelligit; laudare videlicet in scirpo, quòd ne in mediis quidem aquis uvescat. sic & infrà ead. de caussâ optat *fortunam anatinam.*

39. LAUDO FORTUNAS TUAS] Gr. μακαρίζω σε τῆς τύχης. Vide Casaub. ad Pers. Sat. 1.

41. VELITATION.] Festus: *Velitatio, dicta est ultrò citroque probrorum objectio: ab exemplo velitaris pugnæ.* Menæch.5.2. Afranius: *Interea verba jactare inter se & labiis velitari.* Lips. Var. lib.3.15. Turneb. Orat.2. Cic. in Rull. l.è. vet. cod. *Eq. me advelitationi exerceo*: & adducit locum Festi, in *Advelitatio*.

42. CORUSCA] trepida, micantia, vibrantia.

44. CUM VESTIM.] q. d. quantò magis algerem, si nudus abiissem. L.

45. THERMOPOL.] V. N. Trin. act.4.3.

49. FORTUNA ANATINA] Anates enim, licet diu sint in aquis, neque madent tamen, neque algent. Joh. Zeznerus, non reiculam putat lectionem, quam Colon. editio & aliæ retinent; *Utinam f. n. anthracinâ uterer.* ἄνθρακες, vivi carbones, qui etiam ex aquâ aridi exeunt. Sed potior apud me est altera ratio, & consensus MSS. & veteriorum edd. Nam illæ, quæ *anthracina* præferunt, novitiæ sunt, & passæ mangonium: perplacuit tamen ita Pareo, ut & editioni suæ inferret, & Lexico, & Electis; in quibus titulo *Carbonum*; legimus: Carbones vivi etiam ex aqua aridi exeunt. ô stabulum ignorantiæ, arripientis omne id quod qualicunque specie adblanditur oculis! MSS. Pall. *anetina.*

51. MANDUCO] *Manducus* est μορμολυκεῖον, quod in ludis circumferebatur inter cæteras ridicularias & formidolosas personas, magnis malis latéque dehiscens, & clarè crepitans dentibus; in Atellanis præsertim. Juvenalis Sat.3.

——*tandemque redit ad pulpita notum*
Exodium, cùm personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Dentes enim magnos, & voracitatem attribuebant nocturnis illis terriculamentis. Quo nomine factum, ut *Lamiam* puerorum infantium deglutricem fingerent. Etiam *Pythonem* pro terriculamento, & *Gorgonium* pro manduco dixerunt: quia γοργόνες cum magnis dentibus pingebantur. Lucillius:

Illo quid fiet Lamiâ, & Pytho oxyodontes, &c.

Scaliger in Conject. Vide & Fest. in *Manducus.*

53. JURE OPTIMO &c.] Ita Pall. & edd. vett. nam recentiores præmisere, versui supplendo, *Sed nunc.*

55. MOVISTI] sc. impietate tuâ. L

57. ILLI] *Illic*, in Siciliâ. L.

58. CORRUERE] conjicere, coacervare, συνθροΐζειν. Varro: *spicæ corruuntur in corbē.* L. & Turn. l.16.1. Scalig. in Conject. *Rutrum*, inquit, significat, quod Græcè κρωπίον. Varro: *Rutro caput displanavit.* Significat & *bostorium*; quod Græcè ῥύχανον. Lucillius:

Frumentarius est, modiū secum, atq; rutellū
Unum adfert.

(Streich-

(Streichholtz.) *Ruere* enim est modio cumulum adæquare. Cic. ad Attic. lib. 16. *De laudibus Dolabellæ deruam cumulū.* Horat. 2. Serm. 5. *Divitias ærisq; acervos ruam.* idem intellexit, 1. Serm. 1. *Ut metiretur nummos,* i. etiamsi modiis metiretur & rueret acervos nummorum. Est enim Proverb. ἀργύρεον μεδίμνῳ ἀπομετρεῖν. Xenoph.

64. SACCIPER.] *Sacciperium* majoris mo- A di marsupium, à sacco & perâ: quod alia etiam recipere posset. *Cam.*

67. CONSOCIARE] communionem bonorum facere. L. Pall. tamen conciare, ut & edd. vett.

71. JAM SE EXHIB.] ita MSS. & vett. ed. quod reducit Gruterus.

74. QUI] pro, *quâ*, i. unde: L.

ACTUS II. SCENA VII.

SCEPARNIO servus.
CHARMIDES Siculus.
LABRAX leno.

QUID illuc obsecro est negotii, quòd duæ mulierculæ
Hic in fano Veneris signum flentes amplexæ tenent;
Nescio quem metuentes miseræ? nocte hâc verò proxumâ
Se jactatas atque ejectas hodie esse ajunt è mari.
LA. Obsecro hercle adolescens, ubi istæc sunt, quas memoras, mulieres?
SC. Hic in fano Veneris. LA. quot sunt? SC. totidem quot ego & tu sumus.
LA. Nempe meæ. SC. nempe nescio istuc. LA. quâ sunt facie? SC. scitulâ.
Vel ego amare utramvis possim si probè appotus siem.
LA. Nempe puellæ? SC. nempe molestus es: vise, si lubet.
LA. Meas oportet intus esse hîc mulieres, mi Charmides.
CH. Juppiter te perdat, & si sunt, & si non sunt tamen!
LA. Intrò rumpam jam huc in Veneris fanum. CH. in barathrum mavelim.
Obsecro, hospes, da mihi aliquid, ubi condormiscam, loci.
SC. Istic ubi vis condormisce: nemo prohibet, publicum est.
CH. At vides me, ornatus ut sim vestimentis uvidis:
Recipe me in tectum, da mihi vestimenti aliquid aridi,
Dum mea arescunt: in aliquo tibi referam gratiam.
SC. Tegillum eccillud mihi unum arescit: id si vis, dabo:
Eodem amictus, eodem tectus esse soleo, si pluvit.
Tu istæc mihi dato: exarescunt faxo. CH. eho! an te pœnitet
In mari quod elavi, ni hîc in terrâ iterum eluam?
SC. Eluas tu an exungâre, ciccum non interduim:
Tibi ego nunquam credam, nisi accepto pignore.
Tu vel suda, vel peri algu; vel tu ægrota, vel vale:
Barbarum hospitem mihi in adeis, nihil moror: sat litium est.
CH. Jámne abis? venales illic ductitavit, quisquis est:
Non est misericors. sed quid ego hîc asto infelix, uvidus?
Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiscam hanc crapulam,

Quam potzvi prater animi, quàm libuit, sententiam.
Quasi vinis Græcis Neptunus nobis suffudit mare:
Itaque alvum prodi speravit nobis salsis poculis.
Quid opu'st verbis? si invitare nos paulisper pergeret,
Ibidem obdormissemus: nunc vix vivos amisit domum.
Nunc lenonem, quid agit intus, visam, convivam meum.

VERSUS tetram. troch. catalectici. *Cam.*

2. AMPLEXÆ T.] Turn. lib. 26. 2. Qui magno adfectu & studio deos colebant, aut in magno periculo erant, ut deorum fide tuti essent, aut à diis magni periculi liberationem petebant; aut aras, aut divûm simulacra amplectebantur. Virgil. 2. Æn.

——& divûm amplexa simulacra tenebant.

Vide & lib. 14. 15.

3. NOCTE HAC VERO PROXIMA] Sic vett. edd. nam Pal. pr. *nunc.* sec. *non.*

8. SI PROBE APPOT.] Aliter Ter. Eun. *Ego istam Eunuchum possum vel sobrius* &c.

18. TEGILL.] i. *cucullium culum è scirpo factum*: Festus: *Tegillum* pro integumento corporis seu veste vili & plebejâ frequentatum constat etiam è Nonio. Apul. lib. 9. *Nonnulli exiguo tegillo tantummodo pubem intecti.* Porrò adjicit Nonius, deminutum esse à *tecto.* rectè. sic. n. à *recta*, quod itidem vestis genus est, *regilla*: & *tecto* quoque vestem significari, idem docet. Cæterum in hâc Plautini *tegilli* enodatione, de *fuste* quod consomniat Lamb. frustrà est. Ex J. Gul. & J. Douzâ MSS. habet *tigillum*. ac sec. præfert, non *& illud*, ut indicavit Pareus, sed *eo illud*, quomodo & Edd. primæ; in quibus comparet nostrum *arescit*, *id.* nam MSS. *aretit*; quod esset, *aret*, *id* neque rejecerim; imo præposuerim vulgato.

20. POENITET] Grut. jubet conferamus cum illo Aul. act. 3. sc. 2. *Me haud pœnitet, tuâ me expetam?*

21. ELAVI] Pellepidè jocatur. Nam qui naufragium fecerat, elavisse se dicit: cum etiam *eluere* sit amittere, perdere, consumere. nam *in terrâ eluam*, est amittam & perdam. Asinar. act. 1. 2. *in mari reperi, hic elavi bonis*: translatio ducta est à balneis, in quibus luxu lavandi nequiores rem profligabant, & edebant: Turn. lib. 21. 12.

21. NI HIC IN TERRA ITERUM ELUAM.] Sic edd. vett. at Pareus nobis omnia turbat; dum edit, *ne hic in terra iterum in eluam*, & ita est, in Pal. pr. fuit initio *me luam*, sed statim

A *m* puncto notatum suprà & infra, quod inepté pro *in* cepit Pareus. Debuisset pótiùs fecisse, *me eluam.*

22. EXUNGARE] V. N. Trin. 2. 4. J. Gul. tamen hic, inquit, malim legi, *eluas tu, an emungare.* Dixerat Charmides:

——eho, an te pœnitet
In mari quod elavi, nisi hic in terrâ iterum eluam?

alludens ad naufragium suum, & formulam, quâ decoctores & damnosi *bonis eluere* dicuntur. cui subjiciens servulus, Mihi, inquit, susque deque est, bonis eluas, quod Fortunæ aut luxûs est: an iisdem emungare, quod dolis & technis fieri norunt, qui Latinè sciunt. Et accidisset Charmidi, si vestem mutare induxisset animum. Quanquam non negem, ad frictiones & lavationes veterum potuisse respexisse Poetam. Immò, auctore Grutero, disertè respexit ad unctiones lotionem subsequi solitas. Pareanæ obtrudunt nobis, *exunguare*, cur?

B 22. CICCUM NON INTERDUIM] οὐδὲν διαφέρει ποιοῦμαι. idem alibi: *Plumâ non interest*: Scalig. in Conjectaneis. J. Gulielmius; *Nihil interdare*, susque deque facere, οὐδ' ἀδιαφορεῖν. sic idem Plaut. *ciccum, floccum non interdare*, in eâdem significatione usurpat Capt. act. 3. 5. & Trin. 4. 2. &c. Etiam Lipsius Epist. Quæst. lib. 1. cap. 2. docet *ciccum* esse leve quiddam, ut *bilum.* Glossæ: *Ciccum* ῥοᾶς ὑμὴν, *membrana tenuis, quæ est in malo Punico cellularum discrimen*, ut Varro ait. Hesychius, κικκὸς διαχώρησις. Glossarium H. Stephani: *Ciccum*, γρῦ κόκκος. quod Græci, οὐδὲ γρῦ: Latini, *nec ciccum*: & κόκκος eadem notione apud Græcos. Timon Syllographus,

πλωχὸς μὲν φρένας εἰμὶ, νόος δὲ μοὶ οὐκ ἔνι κόκκος;
Exsensum mihi pectus, & haud hilum mihi mentis.

24. VEL TU ÆGROTA VEL VALE] Hæc quinque verba & insulsè nimis utraque Pareana

reana tribuit Charmidi, & omninò contra MSS.Pal.

Hesych. explicat Græcorum Proverb. ἡ μάλα κικκὰς. Cui par & geminum esse, *Ciccum non interduim*, ait Casaub. Athen. lib. 7. cap. 23.

25. BARB. H.] peregrinum Siculum. L.

29. VENALIS] servos venales hîc homo ductitavit: est mango. Hoc eò dicit: quòd mãgones sævi & immisericordes esse soleant. L.

28. EDORMISCAM] Jocatur. Ter. Adelph. *dum edormiscam hoc villi.*

30. VINIS GR.] Vinis Græcis, quæ travehebantur in titulum, solebant aquam marinam suffundere, præterquam Chiis. ad quem morem alludit Plautus. Vide Athen. lib. 1. & Plutarch. Διὰ τί τῷ οἴνῳ θάλασσαν παραχέουσι, &c. Plura apud Lamb. ad illud Horat. 2. Sat. 8.

——*Chium maris expers.*

31. PRODI SPERAVIT] ita MSS. & vett. edd. sed vocibus unitis. & interpretatur Lambinus, porrò distraxit. At, Monstrum hoc verbi est, inquit Gulielmius, *prodisperavit*. Mihi omnia tentanti visum est dispescere voces malè coalitas:

Itaque alvum prodi speravit nobis salsis poculis.

Neptunus, ait, largè sanè & prolixè nos accepit in mari: & speravit verba nobis dari posse, & alvum prodi salsis poculis: hoc est, futurum, ut potaremus largius, quàm alvo vitæq; adeò nostræ conduceret. nam convivæ, cum dulcedine apparatûs inducti plusculè aut comedunt aut bibunt, quàm satis est, *prodi* dicuntur. Terentius Eunucho:

Attat data hercle verba mihi sunt. vicit vinum quod bibi.

& hinc illa nota, *Vino deponere, inescare.* Cic. lib. 7. epistolâ Galli: *Lex sumptuaria, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam, dum volunt isti lauti terrâ nata, quæ Lege* A *excepta sunt in honorem adducere, fungos, helvellas, herbas omnes ita cōdiūt, ut nihil possit esse suavius. in eas cum incidissem in cœnâ augurali apud Lentulum, tanta me διάρροια arripuit, ut hodie primum videar cepisse consistere.* Unicus is locus huic explicando. Nam ut Ciceroni *alvus prodita dulcédine escarum*, ita his pænissimè *multitudine poculorum:* quæ si paululum continuasset διάρροια major aliquanto, quàm illa fuit Ciceronis, consecuta esset. *Speravit prodi*, Hellenismus est Plauto, Ciceroni aliis usitatissimus. Asin. act. 3. 3. *Verbes pol hodie me, siquidem hoc argentum ferre speres.* Metellus Celer ad Cic. *Te tam mobili in me meósq; animo esse non sperabam.* Hæc Gulielmius.

33. OBDORMISSEMUS] ita MSS. & omnes vett. edd. Perperam alii, *edormissemus*. nec enim crapulæ edormitio intelligitur, sed perpetuus somnus, i. mors. Sanè & in ed. Camerarii legitur *edormissemus*. sed tamen auctoris B manu ita correctum vidi, apud Baldas, Gytlerum Profess. Lipsiens. ubi & semper *fanum* rescripsit, pro *phano*, quod in ed. erat: & in *cur, qui, quoi, quom* & similib. τὸ *u* ubique expunctum, item in *emptum* τὸ *p*. & in *irritare* τὸ *r*, &c. quod semel annotare placuit.

34. QUID AGIT INTUS] ita MSS. & edd. Alii *agat*.

34. INTUS VISAM] ita editio omnis & MS. sec. at in pr. erat, *int' vis.* quod notat perpetuò *us* nunquam *er*. hinc Schop. facit, *intervisam* quod congessit in editionum suarum cloacas Pareus, ineptè. longè aliud *intervisere*, aliud *intus visere*. consulantur modò loca Plauti Aulul. 2. 2. v. 25. & 2. 7. v. 1. Merc. 3. 1. v. 11. Stich. 1. 2. v. 90. & 97. & 3. 2. v. 3. nemo ibi intervisit, qui non antea etiam eodem intraverat.

34. CONVIVAM] naufragii socium. ridiculè.

ACTUS III. SCENA I.

DÆMONES.

MIRIS MODIS di ludos faciunt hominibus,
MIRISQUE exemplis somnia in somnis danunt.
Ne dormientes quidem sinunt quiescere.
Velut ego hâc nocte, quæ præcessit, proximâ

Mirum atque inscitum somniavi somnium.
Ad hirundininum nidum visa est simia
Ascensionem ut faceret, admolirier:
Neque eas eripere quibat inde. postibi
Videbatur ad me simia aggredirier,
Rogare, scalas ut darem utendas sibi.
Ego ad hoc exemplum simiæ respondeo,
Natas ex Philomelâ atque ex Progne esse hirundines.
Ago cum illâ, ne quid noceat meis popularibus.
Atque illa animo jam fieri ferocior,
Videtur ultrò mihi malum minitarier.
In jus vocat me. ibi ego nescio quomodo
Iratus videor mediam arripere simiam:
Concludo in vincla bestiam nequissimam.
Nunc quam ad rem dicam hoc attinere somnium,
Nunquam hodie quivi ad conjecturam evadere.
Sed quid hic in Veneris fano
Clamoris oritur! animus mirat,

MIRIS MODIS] Eadem suprà, Merc. act. 2: 1. A

2. SOMNIA] I. Passerat. & J. Gul. I. *omina*: sed non necessariò. nam significat, mira admodum somnia & monstrosa quasi objici nobis à diis. *omina* hic sedem non habet: quia sequatur *Nunc quam ad rem dicam* &c. nam *omina* si fuerat, erant statim aut bona, aut mala. Quid quod idem in Mercat. 2.1.v.1. interpolandum erat? *Gruterus*. Interim tamen si quis velit reponere, secutus Pal. pr. exemplis: *omnia in somnis danunt*; nihil repugnavero: præsertim cùm & MS. sic & editio vetus habeat præterea. *exemplis: nam omnia in somnis danunt*, sed ingeniosius id fortè quam verius. certè in Mercatore uterque idem codex præfert *somnia*. B

6. HIRVNDININVM] hoc possessivum notat Prisc. lib. 2.

7. ASCENS. VT FAC.] ita Bacchid. 2.3. *Reversionem ad terram faciunt*.

8. ERIPERE] ita MSS. & edd. vet. ut & infrà act. 3.4. Lamb. & Acid. *derpere*. V. N. infrà act. 3.5. quod & invasit utraque editione Pareus; citatque pro Germano auctoris in Lexico.

8. POSTIBI] ita MS. sec. unâ dictione, pro *postea*. sic act. 4.7. *postibi jubebo nobis cænam coqui* Cist. act. 2. sc. ult. *herus hanc duxit postibi*: non, *pòst sibi*, quod vult Douza. Pœn. Prol. *postibi, unde sit*, &c. act. 4. sc. ult. *postibi qui eum surripuit*, &c. Et Mil. sc. ult. *postibi amittendum censeo*. sic, *interibi*, pro interea: *inibi*, pro ibidem. Et fortasse etiam *postidem* dixerunt, pro *posteà*: sicut *ibidem*, pro *ibi*. facit, ut hoc suspicer, Plauti locus Aul. act. 1. extremâ: *Nunc, quo profectus sum, ibo: post idea domum*. nam in MSS. Cam. disertim scriptum est, *postidem*. Casp. Schoppius Susp. lib. 1.15.

12. NATAS EX] confundit Plautus hanc metamorphosin Comicâ licentiâ. Vide Pierii Valer. Hieroglyph. lib. 2. D.

13. POPVLARIBVS] quæ sunt cives Atticæ, ut ego.

14. ANIMO] Acid. malit, *nimio f.*

18. CONCLVDO IN V.] Hoc ex Donato interpretandum (ait Douza) ad illud Terentiani Chremetis dictum; *Conclusam hic habeo uxorem sævam*: ita commentante, act. 5. 1. Phormionis: *Illaturus*, sævam, *bene* conclusam *protulit*: *ut si diceret*, feram. unde suspicio est, ad Rusticum hoc, non Censorium M. Catonis de Canibus præceptum per joculum respexisse Terentium: exempli gratiâ: *Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu acriores*

acriores & vigilantiores sint. Quæ suspicio eò etiam validior, quòd ferè semper mulieres scenicæ, præsertim dotatæ, *oblatratrices* (Mil. act.3; 1.) audiant in Comœdiis; & qui talem Hecubam nacti, *Venatores.* Cas. act.2:5.

A

21. V. FANO] Hunc versum integratum reperiri testantur in vet. libris Turneb. lib.21: 12. & Lamb.

V. fano mea viciniæ Cl.

In meis tamen nihil tale est, ut nec in MSS. Cam. nisi quòd in pr. *fanom* scribitur. sed & sine uterq; Pall. *mirat*; nihilq; præterea. & verò ita loqui solitos veteres testatur disertè præter alios multos Nonius. Edd. primæ, *miratur*; seqq. *miratur meus.*

ACTUS III. SCENA II.

TRACHALIO servus.
DÆMONES senex.

PRo, Cyrenenses populares! vestram ego imploro fidem,
Agricolæ, accolæ, propinqui qui estis his regionibus,
Ferte opem inopiæ, atque exemplum pessumum pessundate,
Vindicate: ne impiorum potior sit pollentia,
Quàm innocentium, qui se scelere fieri nolunt nobiles.
Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium.
Facite hîc lege potius liceat, quàm vi, victo vivere.
Currite huc in Veneris fanum: vestram iterum imploro fidem,
Qui propè hîc adestis, quique auditis clamorem meum,
Ferte suppetias, qui Veneri, Veneriæque antistitæ
More antiquo in custodiam suum commiserunt caput.
Prætorquete injuriæ priùs collum, quàm ad vos perveniat.
DÆ. Quid istuc est negotij? TR. per ego te hæc genua obtestor senex,
Quisquis es. DÆ. quin tu ergo omitte genua, & quid sit, mihi expedi,
Quid *tumultues? TR. teque oro & quæso, si speras tibi*
Hoc anno multum futurum sirpe & laserpitium,
Eámque eventuram exagogam Capuam salvam & sospitem,
Atque ab lippitudine usque siccitas ut sit tibi.
DÆ. Sanun' es? TR. seu tibi confidis fore multam magudarim,
Ut te ne pigeat dare operam mihi, quod te orabo, senex.
DÆ. At ego te per crura & talos, tergumque obtestor tuum,
Si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam,
Et tibi esse eventuram hoc anno uberem messem mali,
Ut mihi istuc dicas negotii quid sit, quod tumultues.
TR. Qui lubet maledicere? equidem tibi bona exoptavi omnia.
DÆ. Bene equidem tibi dico, qui, te digna ut eveniant, precor.
TR. Obsecro, hoc prævortere ergo. DÆ. quid negotii est? TR. mulieres
Duæ innocentes intus hîc sunt, tui indigentes auxilii,
Quibus advorsum jus, legesque insignitè injuria hîc
Facta est, fitque in Veneris fano. tum sacerdos Veneria

Indignè afflictatur. DÆ. quis homo est tantâ confidentiâ,
Qui sacerdotem audeat violare? sed ea mulieres
Quæ sunt? aut quid iis iniqui fit? TR. si das operam, eloquar.
Veneris signum sunt amplexæ. nunc······
Eas deripere vult. eas ambas esse oportet······
DÆ. Quis istic est, qui deos tam parvipendit?
TR. Fraudis, sceleris, parricidij, perjurij plenus,
Legirupa, impudens, impurus, inverecundissimus: —
Uno verbo absolvam, Leno'st: quid illum porrò prædicem?
DÆ. Edepol infortunio hominem prædicas donabilem.
TR. Qui sacerdoti scelestus fauces interpresserit.
DÆ. At malo cum magno suo fecit hercle. ite istinc foras,
Turbalio, Sparax! ubi estis? TR. i obsecro intrò, subveni
Illis. DÆ. iterum haud imperabo. sequimini hàc. TR. age nunc jam,
Iube oculos elidere, itidem ut sepijs faciunt coqui.
DÆ. Proripite hominem pedibus huc itidem quasi occisam suem.
TR. Audio tumultum: opinor leno pugnis pectitur.
Nimis velim improbissimo homini malas edentaverint.
Sed ecce ipsæ huc egrediuntur timidæ è fano mulieres.

VERSUS similes proximè superiorum. A

5. FIERI NOLUNT NOBIL.] Cam. & Lamb. ediderunt, *volunt*. at in omnibus vett. ed. itemq; MSS. est, *nolunt*. idque omnibus modis revocandum censuit Grut.

6. IMPUDENTI] ita MSS. & omnes v. eod. Lamb. l. *impudentiæ*.

7. VICTO V.] ita MSS. & omn. ed. consensu. tamen Acid. malit, *si vitam v.* sed sine auctoritate, & non necessario. recepit tamen in editionem pr. Pareus.

10. FERTE SUPPET.] Et hæc quidem moris antiqui religionisq; prærogativa tam servis quàm liberis hominibus competebat: B ut hîc apparet. Ræward. lib. 1. cap. 6. Cic. Pro domo suâ: *Hic aræ sunt, hic foci, hic Dii penates, hic sacra religionis cerimoniæ continentur. hoc perfugium est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit.* V. N. Most. act. 5: 1.

10. ANTISTITÆ] Virg. in Ceiri: *Cybeles antistita.* Cic. 4. Verr. *illius fani antistitæ.* Corn. Severus;
Stabat apud sacras antistita numinis aras.
Vide Agell. lib. 13: 19.

11. IN CUSTODIAM] Grut. suspicatur, *in custodelam*, versus caussa.

13. OBTESTOR] Æl. Donatus ad Terent. *Obtestatio*, est precatio cum mentione earum rerum, per quas petimus. Tiber. Donatus (ut volunt) ad 9. Æneid. *Obtestari*, est ob aliquam caussam deos testes adhibere; cum jurejurando.

15. TUMULTUES] pro, *tumultueris*. quanquam MSS. hic turbent, & vet. ed. habeant, *Ecqui tu es?*

16. SIRPE] *Sirpe*, pars quædam silphii, cujus & Priscianus meminit. Eaque res magnæ æstimationis & pretii erat, ait Turneb. lib. 3: 21. quem vide.

16. LASERPITIUM] ita dictum, quasi *lac sirpitium*, i. ὀπὸς σιλφικός; succus ex radice silphii expressus. Verùm quæ ad horum explicationem facere arbitratus est, copiosissimè disputavit Rob. Titius Assert. locorum Controv. lib. 8. cap. 24. Quæ tamen & ipsa magnam partem refutavit Ivo Villiomarus, in Animadvers. suis in Locos istos Controv. Titii, lib. 8. c. 12: 13. 15. unde hæc excerpsi. Radicem, inquit hic, lapserpitii odoratam fuisse, nunquam legi. neq; Theophrastus odoris meminit. Et sanè commentum est Solini. Sed notandum, quod *sirpe* pro *larserpitio* dixit: nam Plinio laserpitium planta ipsa. Plautus Rud. —— *si speras tibi &c.*

cum

Eum videatur *sirpe* corruptum ex σίλφι: quod non dubito. Quod si *sirpe* est *silphion* apud Plautum & Solinum; *laserpitium* apud eundem Plautum erit ὀπός. unde Cato Originum III. dixit, *Laserpitium pro pulmentario habet*. Quare hoc volui admonere, ut sciant studiosi, non semper laserpitium esse plantam, aut caulem plantæ, sed etiam ὀπόν. Nam sine dubio *sirpe* est depravatum ex σίλφι, vel σίλφιον: *laserpitium* autem ex *lac sirpitium*, hoc est, ὀπὸς σιλφικός. *Laser* est decurtatum ex *laserpitio*, &c. Plinius lib. 18: 3. *Ab his proximum dicetur autoritate clarissimum laserpitium, quod* Græci σίλφιον *vocant, in Cyrenaicâ* A *provinciâ repertum: cujus succum vocant Laser, magnificum in usu medicamentisque, & ad pondus argentei denarii pensum*, &c. Ad quod idem *Tho*, ibid. cap. 15. Silphium non vidit Plinius. sed neq; Herbarii hactenus ejus picturam attulerunt. neque mirum. plantam enim non viderunt. Eam nos proponimus ex nummo argenteo Cyrenæorum pervetusto, qui fuit in manibus Antonii Pisonis medici. Ex alterâ parte Juppiter Ammon cornibus arietinis visitur: in alterâ caulis silphii, cum inscriptione K Y P A, hoc est, κυρηναίων. Cui per omnia silphii historia convenit.

NUMMUS ARGENTEUS CYRENÆORUM.



JUPPITER AMMON. SILPHII PICTURA.

Apud Macrob. lib. 2: 4. Augustus per jocum B Mecænatem vocat *mel gentium, melculum suum, ebur ex Hetruriâ, laser Aretinum*. quòd Hetruriæ populis carissimus, in eoque pretio esset, quo laser apud omnes. Meminit & Cælius lib. 6. cap. 12. *silphium* inter olera fuisse pretiosissimum apud Cyrenæos: sed & Ampeliotas, gentem Libycam, inter Delphicos thesauros silphium dicandum censuisse.

17. EVENTVRAM] ita MSS. & vet. edit. at Lamb. l. *venturam*, quod tamen nec Acidal. probat. cùm alterum sit significantius, & noster usurpet lubentius.

17. EXAGOGAM] i. exportationem sive erectionem eam, & eas merces Cyrenis aut ex Lybia exportatas, salvas Capuam venturas. L.

17. CAPVAM SALVAM ET SOSPITE.] Ita Pall. & edd. vett. Pareanę binæ ineptè, *captam*. fortè fuit, *Capua salva & sospite*.

19. MAGVDARIM] ita MS. sec. *Magydaris*, radix est silphii. vide Plinium, & Prisc. lib. 7. MS. Cam. pr. *magidari*.

21. SI TIB.] ita Acid. cogente sententiâ. vulgò, *Ut tib. &c.* item, *speres*.

22. VIRGIDEMIAM] virgarum vindemiam. nomen fictum: L. Ita Varro, ex restitutione Gabr. Rolandi, apud Gulielm.

Quid tristiorem video te esse, quàm antidhàc, Lampadion? quòd familiaris filius
Amat, hæc spes est auxilii argentaria:
Ideoque scapulæ metuunt virgidemiam.

27. OBSECRO H.] ita Turn. lib. 21: 12.

30. FITQ. IN VEN.] εὐφανεστέρον futurum putat Rittershusius, si legatur, *idque in Ven.*

32. SACERD. AVDEAT VIOLARE] Ei enim ordini eundem habuere honorem homines quem ipsis Deis. Artemidorus l. 2. Onirocr. c. 74. Gutherius lib. 1. c. 4. de Pontif. jure.

34. NVNE]

34. NUNC] ita est in MSS. & edd. primis: quod Camerarius ad hoc exemplum expleri posse suspicatus est: *Vir sceleratiss.* aut, *Vir audacissimus*. Idem ad vers. sequentem attexuit *liberas:* quod nusquam alibi video. Ita tertium compleri posse censet tali clausulâ:

——*parvipendit? eloquere, obsecro.*

37. PERI. PLENUS.] ita MS. pr. & edd. at sec. *plenis:* unde Cam. fecit, *plenissimus.*

40. DONABILEM] donandum, mactabilem. L.

43. TURBALIO, SPARAX] Lorariorum nomina. utrumque Græcæ formæ: prius ἀπὸ τῆς τύρβης, τυρβαλίων, *tumultuator.* alterum ἀπὸ τῆς σπαράξεως, *lacerator:* Cam.

44. ITERUM HAUD IMP.] ita MSS. sed sec. *aut.* unde vett. ed. *iterum autem imperabo?* quod præfert Acidalius. Evocabat, inquit, lorarios. qui cùm morari viderentur, minaciter eos ita increpat. hocq; secutus est utraque editione Pareus. At Pistori non placet senem jurgari cum servis. itaque refingit: *DÆ. ita autem imperator. seq.* vel simplici mutatione: *Iterum haud imperabis.* Q.d. Jam pareo: & cum dicto progreditur Senex &c.

45. SEPIUS] V.N. Cas.2: 8.

46. PRORIPITE] MS. pr. ab initio habuit, *porrigite;* quod tenerrimè aliquando amplectebatur Gruterus. notum enim in funeribus quid sit *porrigere.* sed & de *sue collocatâ* est alibi locus Martialis, lib.5. epigr.67. Vulg. *Proripite*, quod & in Pal. sec. & ab emendatore quoq; in pr. unde videtur revocandum: tanto quidem magis quod alterum recepit in utramque editionem suam Pareus, amplecti semper solitus deteriora.

47. PECTITUR] ita MS. pr. V.N. Men. 5:7. ita alibi: *depexum dabo:* quod Terentius, *ornare ex suis virtutibus*, appellat. Vide FruterI Verisf. lib.2. cap.19. MS. sec. l. *plectitur.* sed id neutiquam admittendum, Grutero quidem judice.

ACTUS III. SCENA III.

PALÆSTRA.
AMPELISCA duæ mulieres.
TRACHALIO servus.

N*Unc id est, cùm omnium copiarum atque opum,*
Auxilij, præsidij viduitas nos tenet,
Nec ulla specu*la est, quæ salutem afferat:*
Nec scimus quam in *partem ingredi persequamur.*
Maximo miseræ *in metu nunc sumus ambæ,*
Tanta *importunitas, tantaque injuria*
Facta in *nos est modò hìc intus ab nostro hero,*
Qui *scelestus sacerdotem anum præcipem*
Reppulit, propulit, per quàm indignis modis,
Nosque ab Signo intimo vi deripuit suâ.
Sed nunc sese ut ferunt res fortunæque nostræ,
„ *Par est moriri. NEQUE EST MELIUS morte, in malis*
Rebus, miseris. TR. quid est? quæ illæc oratio'st?
Cesso ego has consolari? heus, Palæstra! PA. qui vocat?
TR. Heus, Ampelisca. AM. obsecro, quis est qui vocat?
PA. Quis is est, qui nominat? TR. si respexis, scies.
PA. O salutis meæ spes! TR. tace, ac bono animo es.
Me vide. PA. si modò id liceat, vis ne opprimat:

Quæ vis, vim mihi afferam ipsa, adigit. TR. ah desine! nimis inepta es.
AM. Desiste dictis nunc jam miseram me consolari.
PA. Nisi quid re præsidium apparas, Trachalio, acta hæc res est:
Certum'st moriri, quàm hunc pati grassari *lenonem in me.*
Sed muliebri animo sum tamen: miseræ ubi venit *in mentem*
Mihi mortis; metus membra occupat edepol. TR. etsi *hoc acerbum,*
Bonum animum habete. PA. nam, obsecro, unde animus *mihi invenitur?*
TR. Ne, inquam, timete: assidite hîc in arâ. AM. istæc quid ara
Prodesse nobis plus *potest, quàm signum in fano hîc intus*
Veneris, quod amplexæ modò, unde abreptæ per vim miseræ?
TR. Sedete hîc modò: ego hinc vos tamen tutabor. aram habete hanc
Vobis pro castris: mœnia hinc ego defensabo.
Præsidio Veneris malitiæ lenonis contrà incedam.
AM. Tibi auscultamus. &, Venus alma, ambæ te obsecramus,
Aram amplexantes hanc tuam lacrimantes, genibus nixæ,
Nos in custodiam tuam ut recipias, & tutere:
Illos scelestos, qui tuum fecerunt fanum parvi,
Vt ulciscare, *nosque ut hanc tuâ pace aram obsidere*
Patiâre, quæ el*autæ ambæ sumus operâ Neptuni noctu:*
Ne invisas *habeas, néve iccirco nobis vitio vortas,*
Si quippiam'st, minus quod bene esse lautum arbitrâre.
TR. Æquum has petere intellego: decet abs te id impetrarier.
Ignoscere his te convenit: metus has, id ut faciant, subigit.
Te ex conchâ natam esse autumant: cave tu harum conchas spernas.
Sed optumè eccum exit senex, patronus mihique & vobis.

VERSUS trimetri confusis & obscuris numeris, usque ad hunc: *Quæ vis vim mihi, &c.*

V.1. PA. NUNC ID EST] Non absimile exordium Scenæ 3. act. 3. Capt. Porro mirè turbant hic MSS. Cam. & Lamb. & vett. edit. omnes. Nos hîc & in sequentibus editionem Cam. repræsentavimus. Sanè MSS. Cam. hæc ita concipiunt, & ferè etiam vett. editi:

——viduitas nos tenet,
···cuja est, quæ salutem afferat,······
······artem ingredi persequamur:
·······æ in metu nunc sumus ambæ,
···importunitas, tantaque injuria
·····nos est modò hic intus ab nostro hero
···scelestu sacerdotem anum præcipes &c.

2. VIDUITAS] Douza malit, *viduertas.* Sed leviter tamen ita suspicatur. Pareus nihilominus eo ornavit latrinam editionis suæ primæ.

3. AFFERAT] J. Gul. Omninò, inquit, rectum existimo, *quæ salutem asserat.* Spes salutem non affert, sed promittit; animo certis rationibus inducto. *Asserere* autem confirmare est, caussis cur ita sentias expositis. Cic. Catone: *Nihil igitur afferunt, qui in re gerundâ senectutem versari negant.*

8. PRÆCIPES] Turn. lib. 21: 12. l.

Quin sc. sac. an. præcipes Rep.

Nam pro *præceps, præcipes;* & pro *anceps, ancipes* olim dicebatur. Vide Prisc. lib. 6. Sed & MSS. Pall. l. *præcipes,* item editt. antiquissimæ. nam recent. *præceps.*

10. DERIP. S.] ita MSS. neq; secus ferè edd. Rittersh. l. *vi deripuit summâ.* nam, *vi suâ* frigidiusculum est: & ne quis metri leges caussetur, sequens quoque versus Scazon est. & verò conjecturam eam utraq; admisit editione Pareus.

m 12. NEQVE

12. NEQVE EST MELIVS M.] Unde Sallust. in Catilin. *In luctu atq; miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse.* Quinctilianus Declamat. 2. *Mortem quisquis damnatis præstat, indulget.* Unde Lycus apud Sen. in Herc. F. act. 2.

Qui morte cunctos luere supplicium jubet,
Nescit tyrannus esse. diversa irroga:
Miserum veta perire, felicem jube.

19. QVÆ VIS VIM M.] ita MSS. & omnes fere edd. At placet Meursio quod in vulgata est: *TR. Quæ vis? PA. vim mihi afferam, ipsa adigit.* quod visitur in utraq; Parei editione: cum nota: Nihil verò certius hac distinctione. Vellem addidisset rationes. nam quod dicit in MSS. non esse additas personas, verum quidem est: sed vacuum quid relinqui quo poni possint, hoc quoq; verum est: quod tamen loco isto minimè factum.

22. CERTVM EST] sub. *potius: L.*

23. P. GRASSARI] τὸ *grassari* nec in MSS. nec edd. est: ut nec, *ubi venit*, in sequenti versu. nisi quod Camerarius suâ manu adscripsit. idem etiam supplevit ea quæ apparent versu 36. & seqq.

24. ACERB.] Lenonis facinus: L.

25. INVENITVR] ita MSS. & omnes edd. meliores. Brix. & hujus scoriæ, *inveniatur.* Hinc Acid. *unde animus mihi? TR. invenietur. Ne, inq.* & hoc ipsum tamen in editionem utramq; recepit Pareus.

26. IN ARA] ita MSS. Cam. & vett. edit. item Lamb. non, *arani.*

27. PRODESSE NOB. PLVS POTEST] Grut. auctoritate MSS. eliminat illud *plus*, ut subintelligatur. Comparet tamen in omn. edd. & requirit versus.

30. MOENIA] Meursius ita concinnavit è Brix. Habete, inquit, aram hanc pro castris: ego castrorum istorum mœnia hinc defensabo. nam alia sunt castra, alia mœnia ipsorum, &c. Acid. ita: *mœnia hunc: ego v. def.* Aram pro castris, se pro mœnibus futurum ait. Se notat δεικτικῶς *hunc:* quod familiare Comicis: vel Sc. sequenti, & 5: 3. & hoc in editionem pr. admisit Pareus. nam secunda ejus: *Castris; Mœnia hinc: ego vos defensabo.* quid pote frigidius? Scribi posset; *castris: mœnia hinc ego vostra defensabo.* & sic constaret sibi versus. MSS. Pall. *pro castris, mœnia, hinc ego vos d.* ut & vett. edd.

34. NOS IN CVSTODIAM] Grut. suspicatur, *in custodelam*, ob versum.

37. ELAVTÆ] Quid sit, *purè lavari;* quo Plautus respexit, diximus Amph. act. 5: 1.

41. TE EX CONCHA] Hoc examussim festivissimum, inquit Douza: & scita est Lipsii observatio; *Conchas* inter verba nequitiæ usitatas antiquitùs. neque id tamen propter id concharum genus quæ à conchigenâ illâ almâ Æneadûm genetrice *Veneriarum* nomen sortitæ, (quarum mentio est apud Senecam, Epist. 96.) sed verò ob alterum illud potiùs, quod *virginalium* & *spuriorum* titulo venit Apulejo. Nec abhorrens ab hocce tralatitio dicendi genere idiotissimus noster. Ridiculè verò ad conchas nescio quas puellis muneri dari solitas hoc accõmodat Lambinus & alter hominis Collega. V.N. suprà, act. 2: 4.

42. CAVE TV H. CONCHAS] *Concha* pro naturâ muliebri, cui ea non nimiùm absimilis: allusumque fortè ad Græcum, quo marinæ conchæ χοιρίναι vocantur, tanquam dicas *porcinas.* Porca autem & χοῖρος inter verba nequitiæ. unde lepidè in Acharnan. apud Aristophanem nescio quis affirmat, *soli dearum Veneri porcum maximè sacrum.* Occasione hujus voculæ jucunda est narratio apud Macrob. lib. 1. cap. 6. Saturn. in fine. *Gruterus.* Savaro ad lib. 4. Epist. 8. Sidonii, isthæc videtur intelligere de conchis in quibus aquæ fundebantur, quibus mulieres vultûs elegantias & ornatum quærerent & eluerent faciẽ. de quibus & Claudianus Epigr. 16. & Paullus l. 3. Sent. lin. 7. de legatis § mundo muliebri &c. Idem ait vasa quælibet in conchæ formam ficta, *conchas* dictas, teste Paullino lib. 4. de vita Martini Greg. Turon. lib. 1. de mirac. cap. 12. Paullo 3. Sent. de legato § argento propenulr. Interprete Juvenalis Sat. 3. *Pelves, conchas in quibus pedes lavant.* deniq; inquit; *concha* etiam pro trulla & matula Greg. Turon. lib. 1. de mir. cap. 31.

ACTVS

ACTUS III. SCENA IV.

DÆMONES senex.
LABRAX leno.
MULIERES duæ.
LORARII.
TRACHALIO servus.

EXI è fano, natum quantum est hominum sacrilegissime.
Vos in aram abite sessum. sed ubi sunt? TR. huc respice.
DÆ. Optumè. LO. istuc volueramus. jube modò accedat propè.
DÆ. Tune legirupionem hîc nobis cum dîs facere postulas?
Pugnum in os impinge. LA. iniqua hæc patior cum pretio tuo.
DÆ. At etiam minitatur audax! LA. jus meum ereptum est mihi,
Meas mihi ancillas invito me eripis. TR. ergo dato
De senatu Cyrenensi quemvis opulentum arbitrum,
Si tuas esse oportet, nive eas esse oportet liberas,
Nivé te in carcerem compingi est æquum, ætatémque ibi
Te usque habitare, donec totum carcerem contriveris.
LA. Non hodie isti rei auspicavi, ut cum furcifero fabuler.
Te ego appello. DÆ. cum istoc primùm, qui te novit, disputa.
LA. Tecum ago. TR. atqui mecum agendum'st. suntne illæ ancillæ tuæ?
LA. Sunt. TR. agedum ergo, tange utramvis digitulo minimo modò.
LA. Quid, si attigero? TR. extemplò hercle ego te follem pugilatorium
Faciam. & pendentem incursabo pugnis, perjurissime!
LA. Mihi non liceat meas ancillas Veneris de arâ abducere?
DÆ. Non licet: ita est lex apud nos. LA. mihi cum vestris legibus
Nihil est commercij. equidem istas jam ambas educam foras.
Tu senex, si istas amas, huc arido argento'st opus.
DÆ. Hæ autem Veneri complacuerunt. LA. habeat, si argentum dabit.
DÆ. Do tibi argentum. nunc adeò ut scias meam sententiam,
Occipito modò illis afferre vim joculo pausillulum,
Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris.
Vos adeò, ubi ego innuero vobis, si ne ei caput exoculassitis;
Quasi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam.
LA. Vi agis mecum. TR. etiam vim opprobras, flagitij flagrantia?
LA. Tun' trifurcifer, mihi audes inclementer dicere?
TR. Fateor, ego trifurcifer sum: tu es homo apprimè probus.
Num quî minus hasce esse oportet liberas? LA. quid, liberas?
TR. Atque heras tuas quidem hercle, atque ex germanâ Græciâ:
Nam altera hæc est nata Athenis ingenuis parentibus.

DÆ. Quid ego ex te audio? TR. hanc Athenis esse natam liberam.
DÆ. Mea popularis, obsecro, hæc est? TR. non tu Cyrenensis es?
DÆ. Imò Athenis natus altusque educatusque Atticis.
TR. Obsecro, defende cives tuas, senex. DÆ. ô filia
Mea! cùm ego hanc video, mearum me absens miseriarum commones,
Trima quæ periit mihi: jam tanta esset, si vivit, scio.
LA. Argentum ego pro istisce ambabus, cujæ erant, domino dedi:
Quid meâ refert, hæ Athenis natæ, an Thebis sient,
Dum mihi rectè servitutem serviant? TR. itáne impudens,
Túne hîc felles virginalis liberos parentibus
Sublectos habebis, atque indigno quæstu conteres?
Nam huic alteræ patria quæ sit, profectò nescio,
Nisi scio probiorem hanc esse, quàm te, impuratissime.
LA. Tuæ istæ sunt? TR. contende ergò, uter sit tergo verior.
Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo,
Quàm ulla navis longa clavos, tum ego ero mendacissimus:
Postea aspicito meum, quando ego tuum inspectavero,
Nisi erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius,
Optimum esse opere faciundo corium, & sincerissimum;
Quid caussæ est, quin virgis te usque ad saturitatem sauciem?
Quid illas spectas? quas si attigeris, oculos eripiam tibi.
LA. Atquin, quia vetas, utramque jam mecum abducam simul.
DÆ. Quid facies? LA. Volcanum adducam, is Veneris est adversarius.
DÆ. Quò illic it? LA. heus ecquis hic est? heus. DÆ. si attigeris ostium,
Iam hercle tibi messis in ore fiet mergis pugneis.
LO. Nullum habemus ignem, ficis victitamus aridis.
DÆ. Ego dabo ignem, siquidem in capite tuo conflandi copia'st.
LA. Ibo hercle aliquò quæritatum ignem. DÆ. quid, cùm inveneris?
LA. Ignem magnum hîc faciam. DÆ. quin ut humanum exuras tibi.
LA. Imò hasce ambas hîc in arâ ut vivas comburam. DÆ. id volo:
Nam hercle ego te barbâ continuò arripiam, & in ignem conjiciam,
Teque ambustulatum objiciam magnis avibus pabulum.
Cùm conjecturam egomet mecum facio, hæc illa est simia,
Quæ has hirundines ex nido volt eripere ingratiis,
Quod ego in somnis somniavi. TR. scin' quid? tecum oro senex,
Vt illas serves, vim defendas, dum ego herum adduco meum.
DÆ. Quære herum atque adduce. TR. at hic ne. DÆ. maximo malo suo,
Si attigerit, sive occeptassit. TR. cura. DÆ. curatum est, abi:
TR. Hunc quoque asserva ipsum, ne quò abitat. nam promisimus
Carnifici aut talentum magnum, aut hunc hodie sistere.

VERSUS trochaici Archilochii.

4. TUN' LEGIRUPIONEM] Ita retinendum, contra Carrionem & Palmerium. Ineptè tamen Interpres explicat. Nam *Legirupio* est nomen. *Facere diis*, est sacrificare. Túne, inquit, putas licere tibi, ut unà nobiscum dijs sacrifices? *Gruterus*. Etiam Acidal. notat, hæc à Lambino turpissimè explicari: melius à Carrione; à se omnium optimè, hoc modo:

TR. huc respice.

DÆ. Optume. istuc volueram: jube modò accedat propè.

Legirupionem hunc. TR. tun' hic nobiscum diis facere postulas?

DÆ. Pugn. Ita demum omnia sibi respondent. Ego tamen à consensu MSS. & edd. abire non potui. fecit id Pareus in prima sua.

5. CUM PRETIO] Est quod aliàs dicit, *magno cum malo tuo*: quasi dicat minitans, non impunè illi abiturum. Casinâ:

Malo hercle vestro tam vorsuti vivitis.

nam *Pretium* pro *pœna* à Poetis identidem ponitur: Hor. 3. Odâ. 24.

Et peccare nefas, aut pretium est mori.

Quemadmodum item è contrario, *pœna* pro *præmio* à Propert. accipitur lib. 3.

At postquam serâ captiva est reddita pœnâ,
Fortem illum Emoniis Hectora traxit equis.

Catullus:

Rufe, mihi frustrà ac nequicquam cognite amice:
Frustra? immò magno cum pretio atque malo.

Ubi *malo* substantivè positum est. Idem:

Eris: quandoquidem meos amores
Cum longâ voluisti amare pœna. Douza.

6. EREPTUM EST] ita MSS. & edd. Tamen Vir doct. olim suspicabatur *jus meum ereptum is mihi*, quasi scriptum fuerit, *eis*: unde factum, *est*. quod confestim pistrino editionis suæ intulit Pareus.

7. TR. ERGO DATO] Hæc non sunt in MSS. nec edd. ut nec *arbitrum*, in seq. versu.

8. QUEMVIS] D. F. l. *Quamvis op.* Et *quamvis opulentus*, dictum, ut Catullo; *quamvis savus & indomitus*. V. N. Men. 2. 2. quod in editionem pr. admisit Pareus; cōtra MSS. editosque universos.

A

9. SI TUAS] V. N. Curc. act. 1. 1.

10 COMPINGI] ita MSS. & edd. Pareus obsecutus Acidalio intrusit, *Nive te in carcerem compingier est æq.*

11. AUSPICAVI] non hodie hoc consilium cepi, ut &c. Tractum à more veterum, qui nihil nisi auspicatò suscipiebant. L.

16. FOLL. PUGILAT.] *Follis pugilatorius* pila est coriacea vento completa. *Pugilat* autem dictus, quòd non palmâ sed pugno percutiatur. Cæterùm & follem suspensum pugnis insectabantur pugiles.

19. NON LICET: ITA] Sic Turn. lib. 21. 12. & Lamb. ex. v. c. restituunt. Nam ista tria verba nec in MSS. Cam. nec edd. meis sunt.

20. NIHIL EST] Neque hæc verba sunt in MSS. aut edd. nisi à manu Camerarii.

21. SI ISTAS AMAS] ita MS. pr. at sec. *amabas*. sed omn. vett. ed. *ambas*. unde Pistoris, *si istas ambis*. Acidalius, In his, inquit, manifestiss. ἀλογία. Quomòdo enim Labrax educturum se foràs dicit mulierculas? cùm omnia hæc non intra fanum, sed exteriùs agantur, apud eam aram, quæ in publico erat præ foribus fani. Haud dubiè Plautus scripsit:

B

——equidem istas jam ambas abducam: uvidas
Tu senex si istas amas, huic arido arg. est opus.

ita infrà v. 55. Contemptim *uvidas* vocat. atque his *aridum arg.* opponitur. *Huic*, i. mihi. Et quia *uvidas* p. leno dixit, eò senex subjungit excusabundus: *Hæ autem Veneri complacuerunt*: quantumvis humidæ & incultæ.

21. ARIDO ARG.] Turn. lib. 26. 2. Cur *argentum aridum*? An, quia hydrargyrum etiam est, id est, liquidum argentum, cujus in commerciis non est usus? intervenit enim eis nummus ex sicco & duro argento, non è liquido vivoque. ut dicat; Ad medicandum amorem tuum non liquido, sed arido figuratoque argento est opus. An quod, ut fructus sunt aridi & liquidi, sic & metalla? An è sermone vulgi, quem effingit Comœdia, dictum est? ut enim hodie *siccum argentum* dicit vulgus: sic *aridum* hic dici arbitror. quale & sentitur magis, quod signatum est, propter asperitatem. Nonius *purum & lucidum* interpretatur. Hæc ille. Gruterus, Acutè hic, inquit, multa Turnebus, at putà-

rim potissimùm meminisse *aridi*, quia ipse *uvidus* totus. quòd adeò molestè ferret scilicet, ut uvida omnia exsecraretur etiam, vel usque ad argentum, quod tale: & sic tamen allusit ad sonum, qui in argento excocto & puro clarior & tinnulus magis, quàm in vulgaris venæ. hæc Gruterus, quæ ita interpretatus est in Electis suis Paræus: Argentum purum & excoctum, habet sonum magis tinnulum, quàm uvidum, in venis suis delitescens. Lector, risum tenes? Scilicet arbitratur iste noster, naturæ rerum ignarus infra bubsequas, verum esse quidquid legit in Plauto. ergo cùm ille Militi affingat montes argenti Ætnâ altiores, hic vult posse etiam tales inveniri si non merè aureos, at ubi tamen aureæ massæ sic extrahantur uvidæ, ut tinniant cymbalorum instar. A

23. Do TIBI] ita & MSS. Pall. at Lamb. *Dem tibi argentum? modò adeò* &c. Acidal. malit, *Eho tibi argentum?* quod affectûs etiam vehementioris. & verò ecce id traxit in editionis suæ speluncam Pareus.

26. SINE] ita MSS. pro, *si non*.

26. EXOCVLASSITIS] si oculos ipsi non exturbaveritis. Ita B. Cyprianus *Oculare* dixit, Tract. 4. De Van. Idol. *Cæcos & ignaros ad agnitionem veritatis oculare.* B

27. QVASI MVRTETA] Fasciculi myrtorum junco colligati Veneri offerebantur. Est enim myrtus Veneri sacra. Alciatus Par. lib. 6.21. legit *murana*. hæ enim in urbem venales scirpis implicatæ deferebantur.

33. INGEN. PAR.] ita edd. Cam. & Lamb. sed Brix. & traduces hujus, *sincerissimis testibus* quod & in Pareano cavo conspicitur. Argent. & Mediol. & Par. & Ven. *nata est Athenis sine testibus*. MS. Cam. pr. *Athenis In.... tibus*. MS. sec. *sine....... tibus*.

34. EX TE] Sic MSS. & cusi. Pareus jure potestatis suæ, adjecit literam, fecitque *ex ted.* quo nihil aliud obtinuit, nisi quod corruperit versum.

39. JAM TANTA ESSET, S.] ita MSS. Cam. at Lamb. *est*. Acid. suspicatur *escit*, pro *erit*: de quo Agellius & Fest.

43. FELLES V.] V. N. Persa, act. 4. 9. Turneb. lib. 21.12.

44. SVBLECT.] ita MS. Cam. sec. & probat Lips. Epist. Q. l. 1. 4. Nam. *sublegere*, surripere est. cæteri cod. l. *subjectos*: Carp. *subreptos*.

44. CONTERES] i. prostitues. Petron. *inter anhelitus sudoresq; trit9 quod voluerat accepit.* Idē, *Basiis distribis* &c. *teri.* enim libidinis est. unde *tribades* & *pædotribæ*. Passerat. ad 3. el. 11. Prop. V. N. Capt. 4. 2. v. 198.

45. ALTERÆ] pro, *alteri*, sc. Ampeliscæ. L.

47. UTER SIT TERGO VERIOR.] Sic supplevit Cam. nam MSS. solum *veri*. at edd. primæ: *contende ergo: intersit tergo utri.*

48. OFFERVMENTAS] eleganti joco ita appellat plagas & vibices, quæ tergo offerrentur, atque ita imprimerentur, ut sacris parietibus deorum donaria affigi solent. Festus: *Offerumenta sunt, quæ offeruntur.* Vide Turneb. lib. 16. 22. D.

51. AMPVLL.] qui ampullas corio intexit: L. Pareus nobis formavit *ampullarius*, cōtra MSS. editosque. Posterior ætas scorteas ampullas vocabat *pilascas*, Isid. glossæ: *Pilasca, vas vinarium ex corio:* Græcis ὄλπαι. Scholiastes Theocr. Pharm. ὄλπη κυρίως ἡ δερματίνη λήκυθος. hinc lucem capit Plautus. Varro: *Antiquissimi in convibiis utres vini primo, postea tinas ponebant.* Lucill. *terginus calix.* Divus Matth. c. 9. οὐδὲ βάλλουσι οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς. Apul. l. 7. *vinarios utres ferentes.* & Polluci ἀσκὸς inter vasa vini conditoria est. Hæc ex Animadv. in Petron. VVouwerii.

56. VVLCAN. ADD.] V. N. Most. act. 5. 1.

58. MERGIS P.] V. N. Pœn. act. 5. 2. & Amph. 1. 1. MSS. & edd. *mergis pugnis*.

62. Q. VT HVMANVM EXVRAS TIBI.] ita MSS. Pall. & probat Gruterus, meritò. Alii leg. *manum*. quod quid velit, non satis intelligo, inquit Douza: nisi fortè alludat ad illud, quod & nos hodie patrio sermone quempiam ab incepto, quod cum periculo conjunctum fiet, retrahere conantes per Proverbii speciem utimur; Siehe zu / das du die Hand nicht verbrennest. Turnebus tamen Adversarior. lib. 21. 12. & Comment. in 2. Orat. Cic. in Rullum, è v. codd. etiam mâlit, *humanum exuras tibi*. Non enim satis mali (inquit ille) precaretur Lenoni, si manûs cladem potius, quàm mortem optaret. Festus autem scribit, *Humanum* esse sacrificium, quod mortui caussâ fiat. Ergo, *exurere sibi humanum*, est se exurere. si quis tamen, *manum* defendit, à me non oppugnabitur: Hæc ille. Is. Pontanus legit, *Quin ut tu fanum exuras ibi*, exemplo illius Capt. act. 4. 2.

Tuan' caussâ me ædes incensurum censes? item Aul. act. 2.6. Acidal. *quinê ut tum, ex. tibi? Quine*, pro *quône*.

65. AMBVSTVL.] sic Catull. 33.

Infelicibus ustulanda lignis.

ita *semiustulatum* apud Cic. & Liv.

65. MAGNIS AV.] Hoc nomine rapaces aves intelligit & cadavera appetentes. ferè enim quæ rapto vivunt alites & viscere, majoris sunt formæ, quàm aliæ aves: ut *vultures* & *aquila*. Turnebus lib. 26. 2. & lib. 23. 5.

67. ERIPERE] ita omnes edd. & MSS. at Lamb. l. *deripere*. V. N. Sc. seq.

68. IN SOMNIS] ita MSS. Cam. & I. Gulielmius, at vett. edd. in *somniis*.

68. TEC. ORO.] Notat Hieronym. Columna in Ennian. Fragm. *Arusianum* A *Messium* in Exemplis Eloquutionum observare, *Oro tecum*, apud Plautum & Terent. significare, *Te oro*.

70. AT HIC NE.] sc. ab arâ abstrahat.

71. OCCEPTASSIT] ita edd. & MSS. Pall. Notat tamen Lamb. in suis cod. leg. *neve occentarit*. unde D.F. fecit, *occentassit*, i. convicium fecerit. quod mirè arridet Grutero. V. N. Merc. 2.3.

72. ABITAT] Sic MS. sec. falsòque Pareus monet in pr. esse *habitet*. nam & is *habitat*. edd. vett. *abiat*.

73. HUNC HOD.] E Brix. Acid. versûs caussâ, reponit *istunc*. quod in utraque Pareana, præter MSS. & edd. vett. & cùm metrum aliàs quoque probum sit.

ACTUS III. SCENA V.

DÆMONES senex.
LABRAX leno.
PALÆSTRA.
AMPELISCA.
LORARII.

VTRUM, tu, leno, cum malo libentiùs
Quiescis, an sic sine malo, si copia est?
LA. Ego, quæ tu loquere, flocci non facio, senex.
Meas quidem te invito, & Venere, & summo Jove;
De arâ capillo jam deripiam. DÆ. tange dum.
LA. Tangam hercle verò. DÆ. agedum ergò! accede huc modò.
LA. Jube dum recedere istos ambo illuc modò.
DÆ. Imò ad te accedent. LA. non hercle egomet censeo.
DÆ. Quid ages, si accedent propius? LA. ego recessero.
Verùm, senex, si te unquam in urbe offendero,
Nunquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si non te ludos pessimos dimisero.
DÆ. Facito istuc quod minitaris. sed nunc interim
Si illas attigeris, dabitur tibi magnum malum.
LA. Quàm magnum verò? DÆ. quantum lenoni sat est.
LA. Minacias ego istas flocci non facio tuas.
Equidem te invito jam ambas rapiam. DÆ. tange dum.
LA. Tangam hercle verò. DÆ. tange! sed scin, quomodo?

I dum,

I dum, Turbalio, curriculo affer
Duas clavas. LA. clavas? DÆ. sed probas: propera citò.
Ego te hodie faxo rectè acceptum, ut dignus es.
LA. Eheu! scelestus galeam in navi perdidi:
Nunc mihi opportuna hîc esset, salva si foret.
Licet saltem istas mihi appellare. DÆ. non licet.
Ehem! optimè edepol, eccum, clavator advenit.
LA. Illud quidem edepol tinnimentum est auribus.
DÆ. Agè accipe illanc alteram clavam, Sparax:
Agè alter istinc, alter hinc assistite.
Assistite ambo. sic! audite nunc jam:
Si hercle illic illas hodie digito tetigerit
Invitas, ni istunc istis invitassitis
Usque adeo, donec, quà domum abeat, nesciat,
Peristis ambo. si appellabit quempiam,
Vos respondetote istinc istarum vicem:
Sin ipse abire hinc volet, quantum potest,
Extemplò amplectitote crura fustibus.
LA. Etiam me abire hinc non sinent? DÆ. dixi satis.
Et ille ubi servus cum hero huc advenerit,
Qui herum arcessivit, itote extemplò domum.
Curate hæc sultis magnâ diligentiâ.
LA. Heu hercle! ne istic fana mutantur citò.
Jam hoc Herculis est, Veneris fanum quod fuit.
Ita duo destituit Signa hîc cum clavis senex.
Non hercle quò hinc nunc gentium aufugiam scio,
Ita nunc mihi utrumque sævit & terra & mare.
Palæstra! LO. quid vis? LA. apage! controversia est.
Hæc equidem Palæstra, quæ respondit, non mea est.
Heus Ampelisca! LO. cavesis infortunio.
LA. Ut potest, ignavi homines satis rectè monent.
Sed vobis dico, heus vos! num molestia est,
Me adire ad illas propiùs? LO. nihil nobis quidem.
LA. Nunquid molestum mihi erit? LO. nihil, si caveris.
LA. Quid est quod caveam? LO. hem à crasso infortunio.
LA. Quæso hercle, abire ut liceat. LO. abeas, si velis.
LA. Benè hercle factum! habeo vobis gratiam.
LO. Non, accedam potiùs: illic tu asta illicò.
LA. Edepol proveni nequiter multis modis.
Certum'st hasce hodie usque obsidione vincere.

VERSUS sunt Sen. iambici; & horum similes mox seqq. 2. Scenarum.

5. DERIPIAM] *deripere* est deorsum rapere vel trahere. Tibullus:

Sertaque de sanctis deripuisse focis.

sic *degredi*, pro *descendere*, apud Sallust, Livium, Tacitum, Ausonium, observavit Rittershus. in Not. ad Phædri Fabb. versu:

Derepit (scil. feles) *ad cubile setosæ suis.*

Victorinus de Orthographiâ: *Degredi, de superiore loco descendere.*

7. ISTOS AMBO] sc. lorarios. L.

12. LUDOS P.] pessimè ludificatum. L.

20. SED PROBAS] ita Grut. è MSS. Cam. & vett. edd. *sed probas*. Et est elegans usus particulæ, *sed*. Acidal. *ac prob.*

25. CLAVATOR] qui clavam gestat: κορυνήτης. De *servis clavigeris* vide Turn. lib. 13. 6.

26. TINNIMENTUM] clavam intelligit: quia, cùm caput eâ tunditur, aures tinnitum audiunt: *Turn. lib. 26. 2.*

28. HINC ASSISTITE] ita Gruterus è MSS.

29. ASS. AMB. SIC, AUD.] ita interpungit Acid. elegantissimè.

31. INVITASSITIS] Lipsius Plautum ludere putat in verbo *invitare*, quod & vitam tollere significat. V. N. Cas. act. 3. 6. Gruterus, Invitare, inquit, hîc non est occidere, sed accipere hospitio, immò & convivio: ut sicut ibi homines adeò implebantur cibo ac potu, ut nescirent quà abirent domum; etiam heic impleri velit Lenonem fustibus, (ut loquitur Aul. act. 3. 3.) donec nesciat ubi sit locorum. Sic in Amph. act. 1. 1. eâdem figurâ, *accipere hospitio pugna*: item, *pugnos edere*. Et quid mirum? cùm saturitate quis non secus lædatur quàm ferro: non secus alienetur mente quàm plagis. (Vide quæ notavimus ad Cas. act. 3. 5.) Theocrit. eidyll. ἴσα δὲ πληγαῖς μαθῶν. Ambrosius lib. de Heliâ, c. 13. *Huc atque illuc tanquam vulnere icti, in terram defluunt*, &c. Et mox: *sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos.* Hæc Gruterus. Nos in re simili: Einen empfahen/ tractiren. Meursius præfert, *exoculassitis*, quod est in v. codd. Actum est vobiscum, nisi oculos ei excutitis, ut domum ire nesciat excæcatus. ita superiore Scenâ, *si ne ei caput exoculassitis* &c. Verùm Gruterus vett. illos codd. negat esse veteres, satos natósque ætate avorum scilicet. Quam scripturam tamen si admittamus, perire ait venustatem omnem, quæ consistit in illo *invitas*, quod præcessit.

33. SI APP. QUEMP.] Vett. editt. *quampiam*. quod planius, nisi *quispiam* utroque genere, ut *quis*, dici permittimus, quod non impugnat Acid.

35. SIN IPSE ABIRE] Ita Pal. sec. & edd. vett. versusque integer est, si sustineantur elisiones. Pal. pr. *Sinedpse abire*, recentiores: *Si verò hic ipse abire.* quos cur sequitur Pareus?

36. AMPLECTITOTE] amplectiminor: circumcæditote. tralatio est: L. ita in Capt. act. 3. 4.

Quid cessatis compedes
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos custodiam?

Ego simpliciter capio, quasi sit à *circumplecto*. Acid. trepidat scribere unâ litterâ minus, *ampectitote*, i. circumpectite. ita Pœn. & alibi, *pectere pugnis*. & istud pro ambrosia intulit cænosæ suæ editioni Pareus; laudatque pro auctoris germano Lexicon ejus.

40. SULTIS] MSS. *stultis*.

42. HERCULIS] Hoc eò dicit, quod Senex duos servos cum clavis adstare jusserat: ac si essent duæ statuæ clavas, in modum Herculis, gerentes. Silius lib. 3.

——clavigeri venerantur numinis aras.

Acidal. è vett. l. *Jam hoc Herculist, modò Ven.* quod visitur in Parei prima: adeo nullam negligit novitatem antiquam noster iste Lubricus. In MSS. *Herculi est*, neque rejecerim. V. N. Rud. 1. 2. v. 72. ne quid autem versui desit, repeti potest: *Herculi, herclè est veneris* &c.

43. DESTITUIT] i. statuit. Cic. epist. Fam. *destituit omnes servos ad mensam ante se.* Livius lib. 7. *duo armati in medio destituuntur*: L. Cujacius Observat. lib. 10. 24. *defigit*: interpretatur.

46. CONTROV.] Nihil hîc mutandum cum Carrione. nam dicit, ludi se ambiguitate vocis *Palæstra*. Sic Epid. 2. 2. *enim isthæc captio est*: Grut. Etiam Acidal. illud Carrionis acutius putat quàm verius: & leg. ipse: *LA. apage controversias.* quod invalit Pareana prima.

47. HÆC EQUIDEM] ita MSS. Cam. & vet. ed.

48. CAVESIS] Lamb.i.*cavesis infortunio, Ut potest.LA.ign.*Q.d.Caveas à malo, quantum fieri potest. & ita ferè edd. vulgatum tamen est in MSS.Pall. quamvis Pareus annotarit, aliter extare in primo. Acidalius l. *LA. Id. potiust: ign.*

50. HEVS VOS: NVM MOLESTIA] ita in utroque MSS. & vet.ed. placetque Grutero.

53 CRASSO INF.] quod crassæ hæ clavæ tibi dabunt: L.MS.sec.*Craso*.pr.*craoso.*

54. ABIRE] ita ratio postulat; neque aliter sæculi hujus editores. Pareus maluit *adire*, cum MS. tanto pejus!

56. ILLIC TV STA] Sic Cameraria A Lamb. *Non. accedam potius.* LO.*illic tu asta illico.* MSS.Pall.*illic astate ilico.* Quid si; *LO illic astato ilico.* vel, *illic asta tu ilico.*

57. PROVENI N.] V.N.Menæch.act.5. 5.& Sticho 2.sc. ult. sic & Apul. *Favet enim Rufino Æmilianus, & proventum cupit.* qui sermo elegans & Plautinus. Atqui, *Benè provenisse: Rectè provenisse*, dicuntur; qui re vel liberis aucti. In malam quoque partem sumi, Nonius ostendit. Apul.lib.10. *At ille nequam ut posset de me suave provenire, lucro suo tantum contentus annuit.* Notat Stevvechius. V. N.Truc.2.4.

ACTUS III. SCENA VI.

PLEVSIDIPPVS adolescens.
TRACHALIO servus.
MVLIERES duæ.
LABRAX leno.
LORARII.
CHARMIDES.

MEAMNE ille amicam leno vi, violentiâ
De arâ deripere Veneris voluit? TR. admodum.
PL. Quin occidisti extemplo? TR. gladius non erat.
PL. Caperes aut fustem, aut lapidem. TR. quid ego, quasi canem,
Hominem insectarer lapidibus nequissimum?
LA. Nunc pol ego perij! Pleusidippus eccum adest:
Converret jam hic me totum cum pulvisculo.
PL. Etiamne in arâ tunc sedebant mulieres,
Cùm ad me profectus ire? TR. ibidem nunc sedent.
PL. Quis illas nunc illic servat? TR. nescio-quis senex,
Vicinus Veneris. is dedit operam optimam.
Is nunc cum servis servat: ego mandaveram.
PL. Duc me ad lenonem rectà. ubi illic est homo?
LA. Salve. PL. nihil salutem moror. opta ocius;
Rapi te obtorto collo mavis, an trahi?
Utrum vis opta, dum licet. LA. neutrum volo.
PL. Abi sanè ad littus curriculo, Trachalio:
Jube illos in urbem ire obviam ad portum mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent:
Post huc redito, atque agitato hîc custodiam:
Ego hunc scelestum in jus rapiam exulem.

Agè

Agè, ambula in jus. LA. quid ego deliqui? PL. rogas?
Quin arrabonem à me accepisti ob mulierem, &
Eam hinc abduxisti. LA. non avexi. PL. cur negas?
LA. Quia pol provexi; avehere non quivi miser.
Equidem tibi me dixeram prastò fore
Apud Veneris fanum: quid muto? sumne ibi?
PL. In jure caussam dicito: hîc verbum sat est:
Sequere. LA. obsecro te, subveni, mi Charmides!
Rapior obtorto collo. CH. quis me nominat?
LA. Viden' me ut rapior? CH. video, atque inspecto lubens.
LA. Non subvenire mihi audes? CH. quis homo te rapit?
LA. Adolescens Pleusidippus. CH. ut nactu's, habe
Bono animo: melius est te in nervum correpere.
Tibi obtigit quod plurimi exoptant sibi.
LA. Quid id est? CH. ut id quod quærant, inveniant sibi.
LA. Sequere, obsecro, me! CH. pariter suades, qualis es.
Tu in nervum rapere; eò me obsecras, ut te sequar.
Etiam retentas? LA. perij. PL. verum sit velim!
Tu, mea Palæstra & Ampelisca, ibidem illicò
Manete, dum huc ego redeo. LO. equidem suadeo
Ut ad nos abeant potiùs, dum recipis. PL. placet:
Benefacitis. LA. fures mihi estis. LA. quid, fures? PL. rape.
LA. Oro, obsecro, Palæstra. PL. sequere, carnifex.
LA. Hospes! CH. non sum hospes: repudio hospitium tuum.
LA. Siccine me spernis? CH. sic ago: semel bibo.
LA. Di te infelicent. CH. isti capiti dicito.
Credo alium in aliam belluam hominem vortier.
Illic in columbum, credo, leno vortitur:
Nam in columbari collum haud multo pòst erit:
In nervum ille hodie nidamenta congeret.
Veruntamen ibo, ei advocatus ut siem,
Si qui meâ operâ citius addici potest.

CONVERRET IAM HIC ME] ita è MSS. Gruter. Q.d. Me delebit funditus. *vel*, me ex hoc loco totum exiget, pugnis aut fustibus contundens. Vide Not. Trucul. Prol.

8. TUNC] MSS. Cam. *Nunc.*

9. PROFJIRE] i. cùm profectus es, ad me ut ires. Atque ita etiàm MSS. Pall. & vett. pleræque ed. Dousa tamen Latinum non putabat, *Proficiscor ire quopiam*. sed eos codd. præferebat, in quibus, *ires*, erat. quomodo & Sallust. *Quò initio profectus intenderat.* & istud invasit Pareana illa rapax. Nec hoc tamen, & rectè, probat Acidalius. cùm (ipsius verbis) *Proficisci*, non sit ire propriè: sed eundi facere initium; se commovere primùm ad iter. legitque *profectu's ire?* pro, ad eundum. V.N. Truc. act. 1. 2.

11. VIC. VEN.] pro, ædi Veneris.

15. OBTORTO C.] V. N. Pœn. 3. 5.

15. TRAHI] pedibus. L.

18. AD PORTUM] Verius putat Camer.

ad portam. Gruterus, quod præcesserit *littus*, malit alterum. Acidalius tamen indubitatò rescribendum clamitat, *à portu*. quod nec ad portum adolescens erat; nec ire cogitabat, sed potius in urbem. nisi si portus in urbe: Apella credat.

19. CARNIF.] Ræverd. Var. libr. 2. 18. docet, *Carnificem* fuisse carceris custodem, non Triumviros capitales. Idque adeò verum est (inquit) ut, *in carcerem*, &, *ad carnificem* trahere, uno eodemque sensu frequenter posuerint veteres: ut h. l. Plautus, &c. Proinde verisimilius est, Triumviros, carceris custodes non fuisse, sed curam custodiæ carceris habuisse, V. N. Amph. 1. 1.

19. TRADERENT] ita MSS. Cam. & vett. ed. una Paris. *traherent*.

20. AG. CVSTOD.] sic, *agitare vigilias*, alibi: & *excubias agitare*, identidem apud Sallust.

21. IN IVS.] i. locum judiciorum, sive ad sellam Prætori: μετωνυμία: *Donatus*. Et hoc verbum sæpiusculè apud Cicer. hoc sensu accipi, notat etiam Budæus. Paulus JC. *JUS, dicitur locus in quo jus redditur*. V. N. Men. act. 4. 2.

23. QVIN] ita MSS. Cam. sed Douza, & J. Gul. & Acid. l. *Quinè*. V. N. Mil. 1. 1. sic infrà: B

——*quemnè ego excipi in mari?*

23. OB MVL.] i. pro muliere. Epid. *Dedin tibi minas triginta ob filiam?* Asin. *ob asinos ferre argentum*, i. pro asinis: D.

23. MVL. ET] τὸ & Acid. ad caput sequentis versûs trahit. In MSS. legitur.

——*est Jam hinc &c.*

24. ABDVXISTI.] Douza, numerorum caussâ, l. *abduxti?* cum interrogationis etiam notâ. Acidal. malit, *avexti*, quòd sit in quodam codice. Sanè hoc deinceps etiam perseverat noster. MSS. quidem & omn. mei, *abduxisti*.

24. CVR NEGAS?] J. Palmerius è V. Cod. addit, ô! Nam illud *o!* inquit, est meditantis convicium, nec reperientis quicquam, quod dignè in Lenonem jaceretur. neque servos iratissimi adolescentis re aliâ exprimi designatius efficatiusvè potuit. Et hæc quamvis leviora sunt, mentem tamen aperiunt multò magis, quàm quæ alii prolixis suis Commentariis insaniunt. Hæc ille. Sanè ita est in Ven. & Arg. & Mediol. In Paris. *Cur negas leno?* sed ea ratione versus corrumpitur: neque visitur in Palatinis. Pareus tamen eo ornamento editionem suam pr. complit.

27. QVID MVLTO?] ita Grut. è MSS. in quibus *multo*, egregiè emendat, præ illo, *quid multas?*

33. VT NACTVS] Acidal. distinguit: *Ut nactu's, habe. Bono animo es.*

36. INVENIANT S.] Nempe & *damnum* & *malum*. Nam verum est illud, quod velut ex tripode & lauru Flacci fatur dictio:

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pæna claudo. L. D.

37. PAR. SVAD. QVAL.] Nota, *pariter qualis*. Tale prorsus consilium das, qualis ipse es, i. nequam. *Acid.*

38. RAPERE] pro, *raperis*.

39. ETIAM RETENTAS?] ita MSS. & edd. Frequentativum à *retineo*. Pistoris conjicit; *Etiam me tentas?* quod protinus editioni pr. intulit Pareus.

42. DVM RECIPIS] donec eas recuperes: L. Immò, dum redis. Alibi: *Quàm mox te recipis tu?* Pistoris.

44. ORO] ita MSS. & edd. Sed J. Gulielm. l. *Ora obs*. Hoc quidem vult, ut Palæstra oret Pleusidippum, ne rapiatur ad Prætorem. & istud rapuit in editionis suæ gurgitem Pareus.

46. SEMEL BIBO] Lips. Antiq. Lect. lib. 2. cap. 3. *sic mel bibo*. insultans enim Lenoni impuro hospes ait, ejus calamitates melli sibi & voluptati esse. At Guliel. Non debuit, inquit, mutari vera scriptura. De malo enim & infortunio, ut de potione aliquâ sæpe loquitur Plautus. Aul. 2. 3.

Nam ecastor malum mærorem metuo ne mistum bibam.

Cas. extremâ: *Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberes*. Non lubet ergò Charmidi iterum cum Lenone bibere, neque ad eum devorti in hospitium: qui tam acidis poculis nuper in mari acceptus esset. eâ caussâ hospitii jus ei renunciat: ne ea malæ rei potio iterum sibi bibenda sit. At verò Gruterus, Haud temerè, inquit, mutaverim cum Lipsio; sed nec tamen assenim interpretationi Gulielmianæ. Nam semel iterumque bibebant, cùm quid eis odium & molestum acciderat: cùm è re laboriosâ emerserant, aut in eâ versabantur, exemplo à cloacariis aut fullonibus sumpto: qui cùm persistant in stercore, in lotio, guttur sæpe proluunt.

Noster

Noster Asinariâ, act.5. sc.ult. *Non queo durare. PA. si non didicisti fullonicam, Non est mirandum.* Menæch. act. 5:1. *Quæso hercle mulier, si scis, monstra quid bibam, tuam qui possim perpeti petulantiam.* Idem alibi: *Jam bis bibisse oportuit, &c.* Claudian. 1. in Eutrop. v.270.——*vix lassa resedit,*

Et jam vina petit.

Atque hæc è Schedis Gruteri excerpsi, qui de fullonibus totum librum confecit.

47. TE INFELICENT] ita MSS. Pall. sed cod. Sambuci, *infelicitent*. V.N. infrà, act.4:6.

50. COLVMBARI] Turn. lib.26: 2. Ut *κύφων* est *numella*, nam utriusque vocabuli eadem notatio est, illius, à *κύπτω*, hujus à *nuo*: sic *columbar* genus est vinculi, cui collum inseritur, *collariumque* vocatur hîc ex parte: cum foramen ipsum vinculi *columbar* sit.

A sed & quia *columbaria* sunt foramina in peristerotrophiis, ubi columbæ nidulantur, subdit ludens; *In nervum h. ille nid. congeret.* ubi *nidamenta* sunt flocci, pinnæ, muscus, tomentum, pili, acus, cæteraque, unde nidos aves parant: quâ in significatione *congerere* propriè etiam dicitur. Virgil.3. Ecl.

——*aeriæ quo congessêre palumbes,*

i. nidificavêre. Vide & Prisc. lib.5.

51. IN NERVVM ILLE] MSS. Pall. & Samb. & vett. ed. consensu, *In nervo mille*. Pareanæ libidini placuit inferre in contextum, non istud vel illud, sed *in nervom mille*. nam unum, inquit, *m* absorptum est. unde hoc scit? obsecro. bonus esset divinator. nusquam hæret. imò ubique præterea cujusque rei reddit rationem, si modò testimonio ipsius ulla fides.

53. ADDICI] Pleusidippo à Prætore.

ACTUS IV. SCENA I.

DÆMONES senex.

BENE FACTVM, & volupe est, hodie me his mulierculis
Tetulisse auxilium. jam clientas repperi,
Atque ambas formâ scitulâ atque ætatulâ.
Sed uxor scelesta me omnibus servat modis,
Ne quî significem quippiam mulierculis.
Sed Gripus servus noster, quid rerum gerat
Miror, de nocte qui abijt piscatum ad mare.
Pol magis sapisset, si dormivisset domi.
Nam nunc & operam ludos facit, & retia:
Vt tempestas est nunc, atque ut noctu fuit.
In digitis hodie percoquam quod ceperit;
Ita fluctuare video vehementer mare.
Sed ad prandium uxor me vocat. redeo domum,
Iam meas opplebit aures suâ vaniloquentiâ.

FORMA SCITVLA.] Lectio tam certa, ut de ea ne dubitare debeat ullus Pitrhonius. & sic MS. Pal. pr. & edd. omnes post primam, in qua *foitula*. quod proculdubiò invenerat in membranis suis. Pareus obtrusit nobis monstrum verbi, *forma fortula*; idq; è Pal. secundo, ut ait: sed falsò. est enim

B ibidem, *fortulâ*. quo apparet librarium perperam expressisse quod debebat. facile enim degenerat *c* in *o* & *r* in *i*: quo ipso probetur Pall. codices minimè exaratos literis majoribus.

5. NE QVI S.] i. aliquo modo: *Acid.* MSS. & edd. *quid.*

8. SAPISSET] Sicut *resipisse* annotavit ex Prisciano *Camer.*

9. LUDOS FACIT] MSS. *ludos dat.*

9. RETIA] ita MSS. Pall. ambo: at Prisc. hinc citat *retiam*, lib. 7.

11. IN DIGITIS] Elegans Proverbialis sermo, quo significatur, piscatorem sine prædâ domum reversurum. Quam Parœmiam & noster idiotismus agnoscit in re simili: Ich wolts wol an eim Finger braten / was er fangen wird. Douza.

14. OPPLEBIT] Grut. & Schop. è MSS. Cam. in quibus *opplebit*, faciebant *oppilabit*. Apud Lucret. *congestus arenæ oppilat ostia*, i. ostia fluviorum implet & occludit. sic & *oppilationem aurium* alibi legi ajunt. Cic. Philip. 2. *Nisi se ille sub scalas tabernæ librariæ conjecisset, hisque oppilatis impetum tuum compressisset.*

ACTUS IV. SCENA II.

GRIPUS Piscator.

Neptuno has ago meo patrono gratias,
Qui salsis locis incolit pisculentis,
Cùm me ex suis pulcrè ornatum expedivit
Templis reducem, plurimâ prædâ onustum,
Salute horiæ, quæ in mari fluctuoso
Piscatu novo me uberi compotivit.
Miróque modo atque incredibili hic piscatus mihi
Lepidè evenit: neque piscium ullam unciam hodie
Pondo cepi, nisi hoc quod fero hîc in rete.
Nam ut de nocte multâ impigréque exsurrexi,
Lucrum præposivi sopori & quieti:
Tempestate sævâ experiri expetivi
Paupertatem heri, quî & meam sententiam
„ *Tolerarem, operâ haud fui parcus meâ. NIMIS HOMO*
„ *NIHILI EST, QUI piger est: nimisque id genus odi ego malè.*
„ *VIGILARE DECET hominem, qui vult sua tempori conficere officia.*
Non enim illum exspectare oportet, dum herus se ad suum suscitet officium.
„ *Nam qui dormiunt libenter, sine lucro & cum malo quiescunt.*
Nam ego nunc mihi, qui impiger fui, repperi, ut piger si velim fiem.
Hoc ego in mari, quidquid inest, reperi: quicquid inest, grave quidem est; aurum
Hîc ego inesse reor. nec mihi conscius est ullus homo. nunc hæc tibi
Occasio, Gripe, obtigit, ut liberet ex populo Prætor te.
Nunc sic faciam, sic consilium est, ad herum ut veniam doctè atque astutè.
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber.
Jam ubi liber ero; igitur demum instruam agrum, ædes, mancipia:

Navibus magnis mercaturam faciam: apud reges rex perhibebor.
Pòst animi caußà mihi navem faciam, atque imitabor Stratonicum:
Oppida circumvectabor. ubi nobilitas mea erit clara,
Oppidum magnum communibo: ei ego urbi Gripo indam nomen,
Monimentum meæ famæ & factis: ibique regnum magnum instituam.
Magnas res hîc agito in mentem instruere. nunc hunc vidulum condam.
Sed hic rex cum aceto pransurus est & sale, sine bono pulmento.

VERSVS trimetri mistis numeris, usq; ad hunc: *Vigilare dec.* unde deinceps τετράμετροι sunt.

V. 2. INCOLIT] *Incolit* cum auferendi casu sociavit virtute præpositionis: L.D.

3. EX SVIS PVLCRE] Edd. & MSS: amplius *ex suis locis pulcrè*. sed eam vocem, ceu scribarum glossam, bene ejecit Camerarius, male revocavit Pareus, invitissimo versu.

4. TEMPLIS] *Neptuni templa*. sic, *Orci Acherusia templa*, Ennius dixit. sic *silvestria templa*, Nymphis memoralibus consecrata, Lucretius. Vide N. Mil. 2:5.

5. SAL. HORIÆ] i. salvâ atque incolumi horiâ. sic Bacchid. *salute nostrâ*. Menæch. act. 1:2. *Averti prædam ab hostibus nostrûm salute sociûm*, i. salvis nostris sociis. Est autem *horia*, navicula piscatoria: ut docent Non. & Fulgentius D.

6. COMPOTIVIT] i. compotem fecit: Lips. & Gul. sic suprà, *ita hic solis locis compotita sum.*

9. NISI HOC QVOD FERO HÎC IN RETE] Sic MS. pr. nam sec. & edd. vett. non agnoscunt illud *hic*. tolerari tamen potest tum quod habeat emphasim, neque noceat versui. Pareus indicat, neutrum Palatinum habere *hoc*. At in utroque apparere, tam verum est quàm solem lucere. adeantur modò Libri ab eis quibus sunt oculi.

10. IMPIGREQVE] ita MSS. & ed. ut & v. seqq. *præposui*, non *præposivi*.

13. QVI ET M. SENTENT.] ita MSS. Pall. & edd. omnes. sed Lambino & J. Gul. placet conjectura Camerarii, *servientiam*: hic tamen malit; *Paupertatem qui heri ex meâ sententiâ Tolerarem*. Purum putum Plauti est; *ex meâ sententiâ*, quod in editionis suæ vivarium rapuit Pareus.

14. TOLERAREM] sic Sallust. *Tolerare inopiam mercede manuum*. Virg. *tolerare colo vitam tenuique Minervâ*. sich mit Handarbeit kümmerlich nehren.

15. QVI PIGER] MSS. *quis*, ut verosimile sit rescribendum, *quisquis est piger*. nam sic transposuit voculam Pal. pr.

16. TEMPORI] i. numerò & celeriter: *J. Gulielm*. Verisi. libr. 3:16. MSS. *temperi*, per *e*.

19. QVI IMPIGER FVI.] MSS. editionesque ad unam omnes sic præferunt. utraque Pareana tamen, *qui piger fui*, directè contra Comici mentem. quæ supinitas! quæ! sed nihil est in profundo Ignorantiæ barathro, quod accedat ad istam absurditatem.

20. GRAVE QVIDEM EST. AVRVM] MS. pr. *g. q. inst aurum*. sec. *grave quid est instaurum*. unde edd. primæ, *grave quidem thensaurum*. ut arbitrer restituendum, *grave quid inest. aurum*.

22. EX POPVLO PR.] ut Prætor te non solùm liberum faciat vindictâ, (V. N. Mil. 4:1.) sed etiam eximaris numero hominum inferioris loci atque ordinis: L. Brix. & traduces l. *extemplo*, vel *extempulò*: quod Pistoris præfert. In MSS. Cam. & vett. edd. est: *ut liberes ex populo præter te.*

23. AD HERVM VT VENIAM] Revocavi *ut*, suasu MSS. & edd. vett. recentiores sine caussa ejecerant; quos hic temerè sequitur Pareus.

24. PRO

24. PRO CAP.] V.N. Aul. act.5: 1.

25. ERO, IGITUR DEMUM] ita MSS. Cam. & præter Gruterum probat J. Guliel. *Igitur demum*, est, tum demum. Mostell.

——miserum est opus,
Igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet.

Qui, *domum*, legunt; non advertunt putidam ταυτολογίαν: nam sequitur *ades*.

27. POST ANIMI CAUSSA MIHI NAVEM F.] Is. Casaubonus ad illud Sueton. Cæsare c.52. *eâdem nave thalamego &c.* notat: Quales habebant paratas Ægyptii reges DCCC. Vide Appianum in proœmio. Similes, si usum spectes, veterum Gallorum *panda*. item illa Neronis, de quâ Plutarchus περὶ ἀοργησίας. Seneca *Cubiculatas & lusorias* vocat. De iis sentit Grip. Ejusmodi θαλαμηγὸν describit & Athen.lib.5.p.204. item Jos.Scalig.Lect.Au-
A son. lib.2. cap. 14. ubi ait: *Panda* est genus navigii Vibisci voluptarii, undique tecti, quo æstu ultrò citróq; reciprocante per Garumnam molliter ferebantur. eæque toris & culcitris insternebantur; ne agitatio ulla sentiretur, &c.

27. STRATON.] *Stratonicus* fuit quæstor regis Philippi, & deinde Alexandri M. filii: homo prædives: quamobrem Græcis in Pro-
B verb. venit, ut Latinis *Crassus*. Auctor Diodorus in vitâ Alex.& Ælianus. Lambinus ait nomen esse fictum à Plauto: insciré. D.

28. UBI NOB.] D.F.l.*ibi*. Sed rectius MSS. & edd. *ubi*.

32. CUM ACETO] Jocosè. Cùm *rex* diceretur servus, O bone, inquit! hic rex *poscam* (Vide N. Mil. 3: 2.) bibet, & salem pro obsonio delinget. Lipsius de Militiâ Rom. lib. 5. Dial.16. Vide & Not.Curc.4:4.

ACTUS IV. SCENA III.

TRACHALIO servus.
GRIPUS piscator.

Heus mane. GR. quid maneam? TR. dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico.
„ GR. Mitte modò. TR. at pol ego te adjuvabo. nam BONIS QUOD BENEFIT, haud perit. GR. turbida tempestas heri fuit,
Nihil habeo, adolescens, piscium: ne tu mihi esse postules.
Non vides, referre me uvidum rete, sine squamoso pecu?
TR. Non edepol pisces expeto, quàm tui sermonis sum indigens.
GR. Enicas jam me odio, quisquis es! TR. non sinam ego abire hinc te. mane.
GR. Cave sis malo. quid tu, malùm, nam me retrahis? TR. audi.
GR. Non audio. TR. at pol quin audies. GR. quin pòst loquere quid vis.
TR. Eho! modò est operæ pretium quod tibi ego narrare volo.
GR. Eloquere, quid id est? TR. vide num quispiam consequitur prope nos.
GR. Ecquid est quod meâ referat? TR. scilicet! sed boni consilij
Ecquid in te mihi est? GR. quid negotij est? modò dic. TR. dicam,
Tace, si fidem modò das mihi te non fore infidum.
GR. Do fidem tibi, fidus ero, quisquis es. TR. audi. furtum ego vidi
Qui faciebat: noveram dominum, id cui fiebat: post ad
Furem egomet devenio, feroque ei conditionem hoc pacto:
Ego istuc furtum scio cui factum est. nunc mihi si vis
Dare dimidium, indicium domino non faciam. is mihi nihil.
Etiam respondit. quid inde æquum est dari mihi? dimidium
Volo ut dicas. GR. imò hercle etiam amplius: nam nisi dat, domino dicundum Censeo.

Censeo. TR. tuo consilio faciam. nunc advorte animum:
Namque hoc attinet omne ad te. GR. quid est factum? TR. vidulum
Istum, cujus ille est, novi ego hominem jampridem. GR. quid est?
TR. Et quo pacto perijt. GR. at ego quo pacto inventu'st scio,
Et qui invenit, hominem novi: & dominus qui nunc est, scio.
Nihilo pol pluris tuâ hoc, quàm quanti illud refert meâ.
Ego illum novi, cujus nunc est; tu illum, cujus antehac fuit.
Hunc homo feret à me nemo: ne túte speres potius. TR. non ferat,
Si dominus veniat? GR. dominus huic nemo, ne frustra sis,
Nisi ego, nemo natu'st; hunc qui cepi in venatu meo.
TR. Itáne verò? GR. ecquem esse dices in mari piscem meum?
Quos cùm capio, siquidem cepi, mei sunt; habeo pro meis:
Nec manu asseruntur; neque illinc partem quisquam postulat.
„ *In foro palàm omnes vendo pro meis venalibus.*
MARE QVIDEM commune certò 'st omnibus. TR. assentio,
Qui minus hunc communem quæso mihi esse oportet vidulum?
In mari inventu'st, commune est. GR. næ impudenter impudens!
Nam si istuc jus sit, quod memoras, piscatores perierint:
Quippe cùm extemplò in macellum pisces prolati sient,
Nemo emat: suam quisque partem piscium poscat sibi:
Dicat, in mari communi captos. TR. quid ais, impudens?
Ausus etiam comparare vidulum cum piscibus?
Eadem tandem res videtur? GR. in manu non est meâ,
Vbi demisi retem atque hamum, quicquid hæsit, extraho,
Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimum'st.
TR. Imò hercle haud est; siquidem quod vas excepisti. GR. Philosophe!
TR. Sed tu en unquam piscatorem vidisti, venefice,
Vidulum piscem cepisse? aut protulisse ullum in forum?
Non enim tu hîc quidem occupabis omnis quæstûs quos voles.
Et vietorem & piscatorem te esse, impure, postulas.
Vel te mihi monstrare oportet, piscis qui sit vidulus,
Vel, quod in mari non natum est, neque habet squamas, ne feras.
GR. Quid tu, nunquam audivisti esse antehac vidulum piscem? TR. scelus,
Nullus est. GR. imò est profectò. ego qui sum piscator scio:
Verò rarè capitur: nullus minùs sæpe ad terram venit.
TR. Nil agis! dare verba speras mihi te posse, furcifer.
Quo colore est? GR. hoc colore capiuntur pauxilluli.
Sunt alij puniceo corio, magni item atque atri. TR. scio.
Tu hercle opinor in vidulum te piscem convertes, nisi caves:
Fiet tibi puniceum corium, posteà atrum denuò.
GR. Quod scelus hodie hoc inveni! TR. verba facimus! it dies:
Vide sis, cujus arbitratu nos facere vis? GR. viduli

Arbitra-

Arbitratu. TR. ita enim verò? stultus es. GR. salve, Thales!
TR. Tu istunc hodie non feres, nisi das sequestrum aut arbitrum,
Cujus hæc res arbitratu fiat. GR. quæso sanus es?
TR. Elleborosus sum. GR. ego cerritus, hunc non amittam tamen.
TR. Verbum adde etiam unum, jam in cerebro colaphos abstrudam tuo.
Ego jam hic te, itidem quasi penicillus novus exurgeri solet,
Ni hunc amittis, exurgebo quicquid humoris tibi'st.
GR. Tange: affligam ad terram te itidem, ut piscem soleo polypum.
Vis pugnare? TR. quid opu'st? quin tu potius prædam divide.
GR. Hinc tu, nisi malum, frunisci nihil potes, ne postules.
Abeo ego hinc. TR. at ego hinc offlectam navem, ne quò abeas: mane.
GR. Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.
Mitte rudentem, sceleste. TR. mittam: omitte vidulum.
GR. Nunquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.
TR. Non probare pernegando mihi potes, nisi pars datur,
Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.
GR. Quémne ego excepi in mari? TR. at ego inspectavi è litore.
GR. Meâ operâ, labore, & rete, & horiâ. TR. num qui minus,
Si veniat nunc dominus, cujus est, ego qui inspectavi procul,
Te hunc habere, fur sum, quàm tu? GR. nihilo. TR. mane, mastigia!
Quo argumento socius non sum, & fur sum? fac dum ex te sciam.
GR. Nescio: neque ego istas vestras leges urbanas scio,
Nisi quia, Hunc meum esse, dico. TR. & ego item esse ajo meum.
GR. Mane jam: repererim, quo pacto nec fur, nec socius fies.
TR. Quo pacto? GR. sine me hinc abire: tu abi tacitus tuam viam:
Nec tu me cuiquam indicassis, neque ego tibi quicquam dabo.
Tu taceto; ego mussitabo: hoc optimum atque æquissimum est.
TR. Ecquid conditionis audes ferre? GR. jamdudum fero:
Vt abeas, rudentem amittas, mihi molestus ne sies.
TR. Mane, dum refero conditionem. GR. te obsecro hercle, aufer te modò.
TR. Ecquem in his locis novisti? GR. oportet vicinos meos.
TR. Vbi tu hîc habitas? GR. porrò illic longè usque in campis ultimis.
TR. Vin' qui in hàc villà habitat, ejus arbitratu fieri?
GR. Paulisper remitte restem, dum concedo & consulo.
TR. Fiat! GR. euge! salva res est: præda hæc perpetua est mea.
Ad meum herum arbitrum vocat me hic intra præsepis meas.
Nunquam hercle hodie abjudicabit ab suo triobolum.
Næ iste haud scit quam conditionem tetulerit. ibo ad arbitrum.
TR. Quid igitur? GR. quanquam istuc esse jus meum certò scio,
Fiat istuc potiùs, quàm nunc pugnem tecum. TR. nunc places.
GR. Quanquam ad ignotum arbitrum me appellis; si adhibebit fidem,
Etsi est ignotus, notus: si non; notus, ignotissimus est.

ET

ET hi sunt tetrametri promiscui, numeris obscuris: usque ad illum: *Namque hoc att.* unde est deinceps trochaica forma manifesta.

V. 1. RVDENTEM] *Rudens*, funis nauticus. Nonius ex hoc etiam loco probat, *Rudens* esse & masc. & fœm. generis.

5. NON VID.] ita MS. Cam. sec. itaq; Nonius, Charis. & Prisc. lib. 7. & edd. at MS. Camerar. pr. *Nam* 6.

5. RETE] ita quidem MSS. Pall. non *retem*, ut citat Priscianus: cujus tamen auctoritas contemnenda non est. V. N. infra statim v. 45.

5. SQVAM. P.] sic Lucretius lib. 2.

——*mutæque natantes*

Squammigerûm pecudes, i. pisces.

6. QVAM TVIS.] ita MSS. & omn. ed. veteriores. Brix. & sequaces, τὸ *quàm* delent: quod arripuit Acidalius, quasi sensum impediat. Nam, inquit, pisces Trachalio plane non expetebat; tantùm sermonem conferre cupiens. & sic quoq; editio pr. Parei.

8. GR. CAVESIS MALO, QVID.] Doctus adolescens ferè distinxerit: *mane. Cavesis malo. GR. quid tum. &c.* tanquam eum apprehenderit Trachalio, subjeceritque unâ, *Cavesis malo.* Sed est profectò in altera plus Veneris.

9. GR. QVIN POST LOQVERE] ita pauxillâ mutatione sequor cætera Acidalium. Abstrudere prædam cupiebat antè Grypus, igitur sermonem vult differri, & postea quidvis dici. In quâ contentione vis est iteratarum utrinq; particularum *quin*. Alter urget, ut statim audiatur: idque valet, *Eho modò.* vulgata: *Audies post: GR. quin loquere:* neq; aliter MSS.

20. DARI MIHI? DIM. VOL. D.] ita interpunxit Grut. optimè: ut docent sequentia.

23. VIDVLVM ISTVM] Comicum est: pro, jampridem novi hominem, cujus iste vidulus est: L. Vide N. Epid. act. 4: 2.

25. INVENTV'ST] ita vet. libri, non, *inventum est.* Elidendi ratio ignorata sæpe turbas dedit. ita Pseud. *mentitum est* fecerant, ubi prisci rectè *mentitu'st*, pro *mentitus est.* ita hic *inventu'st*, scil. vidulus. ita v. 38. legend. *In mari inventu'st; commune'st:* quod veteri scribendi ratione est pro hodiernâ *commune'st*, i. communis est. ita Amph. act. 1: 1.

——*nimis similest mei.* Acidalius. in MSS. & meis ed. est, *inventumst.*

29. POTIVS] J. Gul. leg. *ocius.* Et hoc adverbium, inquit, abundat in sermone, aut potiùs ornamenti aut vehementiæ causâ adjicitur, quæ sentiri quàm explicari faciliùs possit. Asin. 2: 2.

Meâ quidem hercle operâ liber nunquam fies ocius.

Gruterus hoc planè rejicit. Velle enim: Nemo mortalium hoc à me auferet, nedum tu. Pseudolo, act. 4: 1.

Nunquam edepol erit ille potior Harpax quàm ego.

Aul. act. 4: 10. *haud causificor, quin eam ego habeam potissimùm:* & aliis millies.

31. IN VENATVM EO] *Venatus* de piscibus Homero etiam & Platoni dicitur. *G. Anselmus.*

34. MANV ASS.] tralatio. V. N. Pœn. 4: 2.

38. IN M. INVENTV'ST] ita MSS. & edd. Pareus in Electis legislatorem se facit, & condit talem ex loco istoc regulam juris: Quod quis in publico accepit, & quasi casu invenit, id proprium est. Vellem invenirer etiam Legulejum aliquem, qui non ad hæc diductis rideat labiis. me sanè miseret profundæ inscitiæ.

40. CVM EXTEMPLO] more Græco dixit: ut ἐπειδὴ τάχιστα: pro *extemplò quàm:* vel, *statim quàm:* Turn. l. 26: 2.

42. IN MARI] ita MSS. & sic numeri meliores. at Prisc. l. *mare.*

44. IN MANV] in potestate. V. N. Amph. Prol.

45. RETEM] ita libri omnes scripti, Lamb. etiam Pal. sec. & vetustius editi, sicuti etiam laudat Prisc. lib. 7.

47. PHILOS.] Qui seria verba facit, hîc dicitur *Philosophus.*

48. SED TV EN VNQVAM] ita restituit Grut. è MSS. Pall. *En unquam*, pro, *tune unquam*, *Unquámne? quando?* ἤ ποτε; Scena seq. *Quæso, ēn unquam h. &c.*

51. VIETOREM] Hallucinationes Criticorum, inquit Donza, flagellato non constitui hoc loco, easce donandare contentus, *victorem* partim pro *dolatio* interpretantium; partim mutantium scripturam. nec sapientiùs Bryardus *victorem* substituit ex Agellio perperàm intellecto. Ego certè *Vietorem*, germanum puto, & pro *lictore* accipiendum,

dum, idem significante. *Lictor* enim ἀπὸ τοῦ *ligando*; ut *vietor* à *viendo*, i. vinciendo seu colligando: unde *viminus* etiam appellatio deflexa. eò dico, ne quis Lambino credat à Nonio in fraudem inducto. MSS. *vitorem*: ut & vetustiores edd. Recentiores, *venatorem*: quod Paréo arrisit respicienti ad v. 31. valde pueriliter. debebat potius attendere Camerarianæ & seqq.

59. PUNICEO] cædere virgis: & ita corium tuum fiet rubrum, &c. V.N. Pseud. 1:2. v. 92. Magnum se hic facit Pareus in Electis, proditq; discipulis suis, nihil differre puniceum colorē à nigro, imò eundem esse. scribit enim, color puniceus niger est. ô portentosam colorum metamorphosin! ô ingenii acumen varum! ô hominem puniceum! id est, linguâ Pareanâ, nigrum.

63. NOS FACERE] ita MSS. & v. edd. & adstipulatur quod mox sequitur, *cujus hæc res arbitratu fiat*. item postea; *vin' ejus arbitratu fieri?* versus tamen caussa transponi poterat, *nos vis facere*. Gruterus.

64. SALVE, THALES.] Quod expressum videtur ex illo Aristoph. in Avibus, ubi Geometræ multa in Mathematicis differenti respondet quidam: ἄνθρωπος Θαλῆς: quod & Scholiastes ἐν σαρκασμῷ dictum notat. D. F. Sehet mir den klugen Mann an?

65. SEQUESTRUM] Tertull. De Patientiâ, c. 15. *Satis idoneus patientiæ sequester Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est, si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est, &c.* V.N. Mercat. 4:3. & Truc. act. 2:1.

67. ELLEBOROS.] i. insanus sum. L.

67. CERRITUS] V.N. Men. act. 5:4. Amphit. 2:2.

68. ABSTRUDAM] tuo capiti colaphos usq; adeò validè impingam, ut ad cerebrum usque penetrent. V.N. Pers. 2:4.

69. PENICILLUS] V. N. Monæch. Prol. Cur autem hîc *novus*? Existimat Pist. quòd *novus* plus humoris soleat imbibere, & ideò crebriùs exurgendus.

69. EXURGERI] ita MSS. sed per vocalem secundam, *exurgere*. i. exprimi. Cato, *Exurgeto succum, quasi heminam in pocillum fictile*: Turn. lib. 26:2. Et rectè hæc Pist. & Grut. Trachalioni restituunt, qui in piscatorem uvidùm ex mari emergentem ita jocatur. Cui mox Gripus ex suâ etiam disciplinâ par pari respondet: *Tange &c.*

70. EXURGEBO] ita Grut. è MSS. Cam. & Acidal. Festus: *Exurgêre, exprimere*. Neque enim exsugitur spongia, sed exurgetur: ab urgeo. Nihilominùs rectè Epid. *eorum exsugebo sanguinem*. Lepidè verò Gripo minatur Trachalio, id quod locupletioribus faciebat Vespasianus, quibus pro spongiis dicebatur uti: ut est apud Sueton. cap. 16. in Vitâ ejus.

71. AFFLIGAM] piscem polypum solebant terræ illidere, ut tenerior esset, & melius coqueretur: L. Nostri: Ich wil dich zuklopffen/ wie ein Stockfisch.

73. FRUNISCI] Cam. in suis libris reperisse ait, *frunisci*: quod & Lamb. de suis affirmat: idque rectum censent. alludit prima editio *fruuisti*. vulgo *fruisti*.

74. OFFLECT.] in contrariam partem flectam: L.

75. PRORETA] Turn. lib. 28. c. 43. *Proreta* est, qui in prorâ & ventos aucupatur & captat, & eorum conversiones dicit in flectendis promontoriis gubernatori, quique rupes scopulosque, ne navis eis impingatur, prospicit & explorat. Allusit Claudianus ad Mallium: *excitus lentandus navita tonsis præficitur lateri custos; hinc ardua proræ Temperat, & fluctus tempestatesq; futuras Edocet.*

75. GUBERNAT.] *Gubernator* sedet in puppi. Erasmus l. κυβερνήτης: Usurpatur autem *Proverbium*, quoties aliquo in negotio neuter alteri vult cedere: ut annotat Douza.

77. RAMENTA] *Ramentum* & *ramentum* dixerunt & *scobem*, quod humi cadit, cum limâ aut scobinâ similive instrumento aliquid atteritur. Affines sunt voces *rasura* & *rasamen*. *Rasuram eboris* apud Veget. leges, quæ *scobs eborea* Scribonio Largo dicitur & *serrago*, à serrâ. ita Cæl. Aurelianus: *cum cervini cornu serragine aspersa &c.* Gr. ψήγματα, πρίσματα, ξύσματα, ῥινήματα. If. Casaub. in Hist. Aug. Plautus apud Nonium, *Ramentâ plumbeâ sim propensior*. V.N. Bacch. act. 3:4. & act. 4:4.

79. REDITUR] *Reditur*, antiquè, pro, *redditur*: Cam. quod tamen vix admiserit Gruterus, cùm dicatur solemni quasi modo, *Redire ad arbitrium*.

81. MEA

81. MEA OP.] pendent è superioribus, A *Quémne* &c.

83. QUAM TU?] sc. quia conscius sum. Der Heler ist so gut/als der Steler.

86. HUNC MEUM ESSE DICO] Respexit solemnem Vindicationis morem, de quo Briss. Form. l. 5. pag. 374.

88. ABI TU T. VIAM] usitata hæc forma loquendi aliis etiam Classicis scriptoribus. Gehe du deines Weges.

96. ARBITRATU FIERI?] ita MSS. & edd. Sed Lamb. infercit *rem*; alii, *tu*. quæ rectè explodit Acidalius, cum noster in v. *fieri* primam solenniter producat.

99. PRÆSEP.] *Non solùm ubi pecora pabulantur, sed & omnia loca clausa & tuta præsepia dicta*: Nonius. Curcul. 2. 1.

100. ADIUD. A SUO] sc. servo. *Adjudicare* & *Abjudicare* opponuntur. Cic. *Judicabit Alexandriam regis esse: à populo Rom. abjudicabit*: L.

ACTUS IV. SCENA IV.

DÆMONES senex.
PALÆSTRA.
AMPELISCA.
TRACHALIO.
GRIPUS.

SERIO edepol, quanquam vobis volo *quæ voltis, mulieres,*
Metuo, propter vos, ne uxor mea me extrudat ædibus:
Quæ me pellices adduxisse dicet ante oculos suos.
Vos confugite in aram potius, quàm ego. MV. miseræ periimus.
DÆ. Ego vos salvas sistam, ne timete. sed quid vos foràs
Prosequimini? quoniam ego assum, faciet nemo injuriam.
Ite inquam domum ambo nunc jam ex præsidio præsides.
GR. O here, salve. DÆ salve Gripe. quid fit? TR. tuúsne hic servus?
GR. Haud pudet. TR. nihil ago tecum. GR. ergo abi hinc sis. TR. quæso responde, senex.
Tuus hic servus est? DÆ. meus est. TR. hem! istuc optimè, quando tuus est.
Iterùm te saluto. DÆ. & ego te. túne es, qui haud multo prius
Abiisti hinc herum arcessitum? TR. ego is sum. DÆ. quid nunc vis tibi?
TR Nempe hic tuus est? DÆ. meus est. TR. istuc optimè, quando tuu'st.
DAE. Quid negoti 'st? TR. vir scelestus illic est. DÆ. quid fecit tibi
Vir scelestus? TR. homini ego isti talos suffringi volo.
DAE. Quid est? quâ de re litigatis nunc inter vos? TR. eloquar.
GR. Imò ego eloquar, TR. ego, opinor. rem facesso. GR. siquidem
Sis pudicus, hinc facessas. DAE. Gripe, animum advorte, ac tace.
GR. Utin' istic prius dicat? DAE. audi, loquere tu. GR. alienón' prius,
Quàm tuo dabis orationem? TR. ut nequitur comprimi!
Ita ut occœpi dicere; illum quem dudum
Lenonem extrusisti; hic ejus vidulum, eccillum!
GR. Non habeo. TR. negas, quod oculis video? GR. at ne videas, velim.

Habeo, non habeo: quid tu me curas, quid rerum geram?
TR. QUOMODO HABEAS, illud refert: jurene anne injuriâ.
GR. Ni istum cepi, nulla caussa est quin me condones cruci:
Si in mari reti apprehendi, qui tuum potius est, quam meum?
TR. Verba dat. hoc modo res gesta est, ut ego dico. GR. quid tu ais?
TR. Quod ad primarius vir dicat, comprime hunc sis, si tuus est.
GR. Quid? tu idem mihi vis fieri, quod herus consuevit tibi?
Si ille te comprimere solitus, hic noster nos non solet.
DÆ. Verbo illo modo ille vicit. quid nunc tu vis? dic mihi.
TR. Equidem neque ego partem posco mihi istinc de istoc vidulo,
Neque meum esse hodie unquam dixi. sed isti inest cistellula,
Hujus mulieris, quam dudum dixi fuisse liberam.
DÆ. Nempe tu hanc dicis, quam esse ajebas dudum popularem meam?
TR. Admodum: & ea quæ olim parva gestavit crepundia,
Istic in istâ cistulâ insunt, quæ istic inest in vidulo.
Hoc neque isti usus est, & illi miseræ suppetias feret,
Si id dederit, qui suos parentes quærat. DÆ. faciam ut det, tace.
GR. Nihil hercle ego sum isti daturus. TR. nihil peto, nisi cistulam,
Et crepundia. GR. quid si ea sunt aurea? TR. quid istic tuâ?
Aurum auro expendetur; argentum argento exæquabitur.
GR. Fac sis aurum ut videam; post ego faciam ut videas cistulam.
DÆ. Cave malo, ac tace tu! tu perge, ut occœpisti, dicere.
TR. Unum te obsecro, hujus ut te commiserescat mulieris,
Siquidem hic lenonis ejus est vidulus quem suspicor.
Hic nisi de opinione certum nihil dico tibi.
GR. Viden' scelestus ut aucupatur! TR. sine me, ut occœpi, loqui.
Si scelesti illius est hic, cujus dico, vidulus,
Hæ poterunt novisse: ostendere his jube. GR. ain' ostendere?
DÆ. Haud iniquum dicit, Gripe, ut ostendatur vidulus.
GR. Imò hercle insignitè iniquè. DÆ. quidum? GR. quia si ostendero,
Continuò hunc novisse dicent scilicet. TR. scelerum caput,
UT TUTE es, item omnis censes esse? perjurii caput!
GR. Omnia istæc ego facilè patior, dum hic hinc à me sentiat.
TR. Atqui nunc abs te stat: verum hinc ibit testimonium.
DÆ. Gripe, advorte animum! tu paucis expedi, quid postulas.
TR. Dixi equidem: sed si parum intellexti, dicam denuo:
Hasce ambas, ut dudum dixi, ita esse oportet liberas.
Hæc Athenis parva fuit virgo surrepta. GR. dic mihi,
Quid istæ ad vidulum pertinent, servæ sint istæ an liberæ?
TR. Omnia iterum vis memorari, scelus, ut defiat dies.
DÆ. Abstine maledictis, & mihi, quod rogavi, dilue.
TR. Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo,

Ubi sunt signa, qui parentes noscere hæc possit suos,
Quibus cum parva Athenis periit, sicuti dixi prius.
GR. Juppiter te dique perdant! quid ais, vir venefice?
Quid? istæ mutæ sunt, quæ pro se fabulari non queant?
TR. Eo tacent, quia TACITA BONA 'ST MULIER semper, quàm loquens.
GR. Tum pol tu pro oratione nec vir nec mulier mihi es.
TR. Qui dum? GR. quia enim neque loquens es, neque tacens unquam bonus.
Quæso, en unquam hodie licebit mihi loqui? DÆ. si præter hæc
Unum verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput.
TR. Ut id occœpi dicere, senex, eam te quæso cistulam,
Ut jubeas hunc reddere illi: ob eam si quid postulat
Sibi mercedis, dabitur: aliud quicquid ibi est, habeat sibi.
GR. Nunc demum istuc dicis; quoniam jus meum esse intellegis:
Dudum dimidiam petebas partem. TR. imò etiam nunc peto.
GR. Vidi petere miluum, etiam cùm nihil auferret tamen.
DÆ. Non ego te comprimere possum sine malo? GR. si istic tacet,
Ego tacebo: si iste loquitur, sine me pro re meâ parte loqui.
DÆ. Cedò modò mihi istum vidulum, Gripe. GR. concredam tibi.
At si istorum nihil sit, ut mihi reddas. DÆ. reddetur. GR. tene.
DÆ. Audi nunc jam, Palæstra atque Ampelisca, hoc quod loquor.
Estne hic vidulus, ubi cistellam tuam inesse ajebas? PA. is est.
GR. Perij hercle ego miser! ut, priusquam planè aspexit, illicò
Eum esse dixit! PA. faciam ego hanc rem ex proclivi planam tibi:
Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo.
Ibi ego dicam quicquid inerit nominatim; tu mihi
Nullus ostenderis: si falsa dicam, frustrà dixero.
Vos tamen istæc, quicquid illic inerit, vobis habebitis.
Sed si erunt vera, tum obsecro te, ut mea mihi reddantur. DÆ. placet!
Jus merum oras, meo quidem animo. TR. ac meo hercle.
GR. Quid si ista aut superstitiosa, aut ariola est, atque omnia
Quicquid insit, vera dicet? annè habebit ariola?
DÆ. Non feret, nisi vera dicet: nequicquam ariolabitur.
Solve vidulum ergo, ut quicquid sit verum, quamprimum sciam.
GR. Hoc habet! solutum est: ah perij! video cistellam. DÆ. hæccine est?
PA. Istæc est. ô mei parentes, hic vos conclusos gero.
Huc opesque spesque vestrûm cognoscendûm condidi.
GR. Tum tibi hercle deos iratos esse oportet, quisquis es,
Quæ parenteis in tam angustum tuos locum compegeris.
DÆ. Gripe, accede huc: tua res agitur. tu puella, istinc procul
Dicito, quid insit, & quâ facie, memorato omnia.
Si hercle tantillum peccaßis, quòd posterius postules
Te ad verum converti, nugas, mulier, magnas egeris.

GR. Jus

GR. Jus bonum oras. TR. edepol haud orat te: nam tu injurius.
DÆ. Loquere nunc jam puella, Gripe animum advorte, ac tace!
PA. Sunt crepundia. DÆ. ecca video! GR. perij in primo prælio.
Mane, ne ostenderis. DÆ. quâ facie sunt? responde ex ordine.
PA. Ensiculu'st aureolus primùm literatus. DÆ. dice dum:
In eo ensiculo literarum quid est? PA. mei nomen patris.
Post altrinsecus est securicula ancipes, item aurea
Literata: ibi matris nomen in securicula'st. DÆ. mane!
Dic, in ensiculo quid nomen est paternum? PA. Dæmones.
DÆ. Di immortales! ubi loci sunt spes meæ? GR. imò edepol, meæ?
DÆ. Perge, te obsecro, continuò. GR. placidè! aut ite in malam crucem.
DÆ. Loquere matris nomen hîc in securiculâ quid siet.
PA. Dædalis DÆ. dî me servatum cupiunt. GR. at me perditum.
DÆ. Filiam meam esse hanc oportet, Gripe. GR. sit per me quidem.
Quì te dî omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis,
Meque adeò scelestum, qui non circumspexi centies
Prius, me ne quis inspectaret, quàm rete extraxi ex aquâ.
PA. Pòst est sicilicula argenteola, & duæ connexæ maniculæ, &
Sucula. GR. quin tu i dierecta cum suculâ, & cum porculis!
PA. Et bulla aurea est, pater quam dedit mihi natali die.
DÆ. Ea est profectò! contineri, quin complectar, non queo.
Filia mea, salve! ego is sum, qui te produxi, pater:
Ego sum Dæmones, & mater tua, ecca, hîc intus Dædalis.
PA. Salve, mi pater insperate! DÆ. salve, ut te amplector libens!
TR. Volupe'st, cùm istuc ex pietate vestrâ vobis contigit.
DÆ. Capedum! hunc, si potes, fer intrò vidulum, age Trachalio.
TR. Ecce Gripi scelera! cùm istæc res malè evenit tibi,
Gripe, gratulor. DÆ. age eamus, mea gnata, ad matrem tuam,
Quæ ex te poterit argumentis hanc rem magis exquirere,
Quæ te magis tractavit, magisque signa pernovit tua.
TR. Eamus intrò omnes, omnes quando operam promiscuam damus.
PA. Sequere me, Ampelisca. AM. cùm te dij amant, voluptati est mihi.
GR. Sumne ego scelestus, qui illunc hodie excepi vidulum!
Aut cùm excepi, qui non alicubi in solo abstrusi loco?
Credebam edepol turbulentam prædam eventuram mihi,
Quia illa mihi tàm turbulentâ tempestate evenerat.
Credo edepol ego illîc inesse auri & argenti largiter.
Quid melius est, quàm ut hinc intrò abeam, & me suspendam clanculum;
Saltem tantisper, dum abscedat hæc à me ægrimonia.

VERSVS troch. Archilochii.

1. QVANQ. VOLO VOBIS] In vulg. est. *q. vobis cupio.* Sed cùm τὸ *cupio* MSS. desit, fecit Gruterus, *quanquam volo vobis q.* ut illa perierit, ob similitudinem litterarum, quæ ei cum sequenti voce.

2. ME EXTRVDAT ÆDIBVS] ita MSS. & vett. ed. Camerarii editiò præferebat, *pedibus.* quod Lamb. arripuit: nec vidit typographi erratum esse, non Camerarii: quod ipsius manu postea correctum vidi.

3. ADDVXISSE] ita MSS. & edd.

4. QVAM EGO] sc. in aram confugiam, præ irâ uxoris ex ædibus tantum non extrusus. Ineptit Lamb.

7. AMBO] scil Lorarii. nam mulieres maximè foris esse volebat. Ad geminos igitur Lor. hæc loquitur, quos act. 3.5. Lenoni custodes addiderat: qui, postquam Pleusidippus Lenonem in jus rapuerat, domum reversi erant. *Præsides* appellat, & *ex præsidio deducit*: quia suprà in hoc constituerat, ut præsidio mulieribus essent: ut plurimis docuit Pistoris. nam Lambinus hîc hariolatur, eumque secutus Pareus.

9. GR. HAVD PVDET.] Pessimè hæc Lambinus explicat. cùm germana & facillima sententia ista sit. Interrogante Trachalione Dæmonem, Essetne is ipsius servus: ipse pro hero occupat respondere, & ait affirmanter, *Haud pudet.* i. sum vero illius: neque mei pudet eum, ut esse suum neget. Acid.

15. TALOS SVFFR.] V. N. Mil. act. 2.2. v. 1.

17. EGO, OPINOR, QVI REM] ita Acid. è suis Cod. Douza notat in nonnullis esse, *E. op. qui rerum facesso,* i. accuso. Accusator enim priore loco dicere debet. In meis tamen nihil tale est.

18. SIS PVD.] i. si quem habeas pudorem. Trin. 3.2.

20. UT NEQVITVR C.] Quàm difficile est Gripum comprimere! Apul. *Sola virginitas cum semel accepta, reddi nequitur.*

20. COMPRIMI] Ambiguum. V. N. Amph. 1.1. & Truc. act. 2.2. item, si placet, Douzæ Præcidanea in Petron. lib. 1. c. 5.

21. DVDVM] supplet Lamb. *è fano Veneris.* sed ex merâ libidine. nam nullos laudat codices: nec potest. quippe ubi nihil est. & forsan nihil desit. oratio sanè vel sic plena est.

29. QVOAD PRIMARIVS V.] Nota, *primarium virum* dici accusatorem, cujus primæ sunt agendi partes: quas sibi Trachalio vindicat: ut & superiùs v. 17. *Acid.*

40. SI ID DEDERIT] non, *dederis.*

44. FACSIS AVR.] ita Grut. MSS.

56. HINC A ME SENTIAT.] sententiam pro me ferat. Carrio, *hinc*, glossema censet: at Gruterus non item. cum versus sequens id omninò requiri clamitet, *Virùm hinc ibit testimonium.*

56. A ME SENTIAT] *A me*, est, pro me. Contrà *Abs te*, est cōtra te. Qui usus sanè particulæ *ab* & *abs* venustus ac frequēs, sed nō ubiq; intellectus. ut Trin. act. 2.1. *-abre Consulit.* Ubi Lambini contrariam interpretationem meritò Dousa explodit. Asin. act. 1.3. *-haud id est abs re aucupis.* ubi Gulielmium vide: quo tamen loco exemplum Terent. vellem omisisset. *Acidalius.*

56. HINC] sc. ex vidulo testimonium sumendum.

57. IBIT] Vett. edd. *tibi.* MSS. *ibi.* unde Douza facit, *ibit*, vel certè, *dabit.* Acid. *cibit*, scil. Dæmones: pro, *ciebit.* nostrum minus abit à literis.

65. CAVD.] ita MSS. nempe *gaudeam. Caudea, cistella è junco, à similitudine equinæ caudæ facta*: Festus Meurs. l. *caudeam*, quem vide.

70. BONA EST] subintellige, *magis*, vel, *potius.* Sophocl. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. L. D. Genus hoc loquendi Tacito percrebrum, notat Lipsius. Annal. 4. *Agrippa claris majoribus, quàm vetustis.* lib. 1. *Pacem, quàm bellum probabam.* Item Livius: *Multiplex quàm pro numero damnum est.* Curtius: *Nec me arx mea, quàm benivolentia perturbat*, &c. Vide eundem lib. 5. Epist. Quæst. 23. itemque N. Men. act. 5.1.

71. PRO ORAT.] codd. vulg. *pro portione.* at MSS. unicâ dictione, *proportione.* Gulielm. *pro oratione*, id est, quantum ex oratione tuâ colligo: ut verba facis. Amph. 1.1. *Meus pater nunc pro hujus verbis rectè & sapienter facit.*

80. VIDI] vidi milvium captare prædā, nec tamen capere. MSS. *milvum*, ut & edd. vett. neque improbem.

81. SI ISTIC TACET] ita MSS. *tacet*; requiritque versus. *Grut.*

88. ACIAM EGO H.] Hunc versum mutilum esse, Camer. annotat: quem I. Gul. ità sanavit: *-faciam e. h. rem ex proclivi planam.* sic Mil. *Fecisti modò mihi ex proclivi planam rem.* MSS. .... *nam tibi.*

91. NVLLVS] ita D. & Carrio, *Nullus est*: pro,

pro, haudquaquam, neutiquam, &c. Vulgò, *Nullum*, ut & MSS. Pall. possis & *nihilum*, volente Acidalio.

94. Ac meo h.] Hoc in versu finem deesse suspicatus est Camer. & Personam interponi debere, non Trach. sed Gripi: ut, ἐναντίωσις constet. ac si tale esset: *GRI. At meo hercle injuriam meram. Quid?* quod Lamb. & Acid. perperam ut oraculum arripuerunt. At Gruterus oculatiss. testatur, non quidem lacunam à fine esse, sed ante *at*, in pr. MS. ut ibi aliquid defuisse videatur. Meursius autem hunc locum suspicione defectûs ingeniosè liberat, & rescribit è v. edd *ac meo*: sensu perfecto.

95. Superstit.] i. fatidica: L. Warsagerin, V.N. Curcul. act 3.1.

97. Non feret] ita MS. Pall. sec. & edd. omnes Lamb. leg. *Non refert*, (ita & MS. Samb.) i. nihil refert, utrum sit superstitiosa, an non sit. sed utrum vera dicat, an falsa, hoc refert. hocque utraque sua præfert Pareus; adeò proclivis est in partem sequiorem ignorantia.

97. Ariolabitur] MSS. & edd. *ariolatur.*

99. Solutum est: ah perii] ita Veneta: quod præfert Pistoris, & maximè Acid. Vulg. *aperi*: malè. cum vidulus jam fuerit apertus. *Hoc habet*, Gripus tralatitio more exultantiū exclamat statim à solutione. Scribend. autem & hîc *solutust*: de quâ formâ superiùs act. 4.3. Parei utraq; contra MSS. & edd. vocem adhuc infarciit: *GR. Benè hoc habet. solutu'st* &c.

111. Dæ. Qua f.] ita Meurs. & Acid. personas constituunt.

112. Literatus] litteras inscriptus. V.N. suprà, 2.5.

112. Dice D.] dic. dum. Sag doch.

114. Ancipes] pro, *anceps*, i. utrinque secans. *Priscian. lib. 3. & 6.*

116. Quid nomen] ita MSS. ambo, non, *quod.*

118. Gr. Placide:] In cæteris est, *Pergite obsecro continuò placidè.* Ad quæ Acidalius: Pugnantia hæc & imperfecta sunt. cui enim cohærent illa? *aut ite* &c. Dein, *placidè* & *continuò*, sunt contraria. ubi alibi passim, *properè* & *placidè*. Mil. 2.2. *properè hoc, non placidè decet.* Igitur leg. *DÆ. Perge, te obsecro, continuò. GR. placide: aut ite* &c. Senex spei suæ avidus properat: at Gripus damnum metuens, festinari vetat.

120. Dædalis] ἀπὸ τοῦ δαιδάλου. Δαιδαλὶς formâ patronymici fæminini. *Cam.*

122. Qui te d.] ita Grut. & Schop. è MSS. Pall. nam *qui* vel *quod* imprecationum notæ, & ferè pro *utinam* dici amant. Trin. *Qui istū di perdant.* Pseud. *Malum, quod tibi dei dabunt.* Vulg. *quin*. quod retinuit Pareus, fautor pejorum.

125. Post est sicilicula] Ita partim vet. ed. partim MSS. pr. Pall. Turnebus lib. 26. 2. *Seculæ*, falces sunt Varroni, à *secando*: & *sicilire* deducitur, quod est tanquam *seculire*: inde *sicilices*. Ennius:

Incedit veles vulgo sicilicibu' latis:

& per diminutionem, *sicilicula*, parvula quædam spicula aut falculæ, quæ in crepundiis interdum puerorum habebantur. Hæc ille. Scalig. ad Festum: Glossar. *Sicila*, σμίλα, δερβήλιον. *sicilum*, ξυρὸς σκυτέως. *sicila*, σμίλα χαρτοτόμος. Est autem vox magnæ Græciæ. eo nomine intelligebant quicquid secandi vim habet: inde *Sicilia* dicta, quia ab Italiâ absecta. inde *sicilire prata*, secare. Idem ad Catull. *sicelices* aut *sicilices* cultra tonsoria vocat. *sicilire* est cædere. *sicilices* sunt, quas in sybinis aut lanceis, aut venabulis, αἰχμὰς Græci vocant.

126. I dierecta] Gehe ain Galgen &c. V.N. Trin. act. 2.4.

126. Cum sucula et p.] Turn. lib. 7.25. *Suculam* in torculari velut scrophæ similitudine vocatam auguror. ut enim scropha vel sucula porculos habet, ut Plautus ait: eodem etiā modo suum hæc machina porculum habebat, &c. Cato cap. 19. *porculum in mediâ suculâ facito.* Atque hinc Plauti eruenda est sententia.

131. Tr. Volupest] Absurdè utraque Parei editio istis præfixit Gripi personam. verba enim alia omnia ipsi conveniunt, quàm isthæc; ut liquet ex sequentibus.

138. Promiscuam D.] ita MS. sec. & vett. ed. at MS. pr. *promiscam*. Camerarius ante *promiscam* aliquid deesse, ex litura sui libri suspicatus est. quod Acidal. sententiā & numeris, ut ait, flagitantibus ita explet: *Eamus intro omnes; quando omnes operam promiscam damus.* τὸ *promiscam* & Nomen & Adverb. esse potest. nam & *promiscus* dicebant, &c.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA V.

DÆMONES senex.

PRò di immortales, quis me est fortunatior,
Qui ex improviso filiam inveni meam?
SATIN' SI CUI HOMINI dei esse benefactum volunt,
Aliquo illud pacto obtingit optatum piis!
Ego hodie, qui neque speravi, neque credidi,
Is improviso filiam inveni tamen;
Et eam de genere summo adolescenti dabo
Ingenuo, Atheniensi, & cognato meo.
Ego eum adeò arcessi huc ad me quamprimùm volo:
Jussique exire huc ejus servum, ut ad forum
Iret. nondum egressum esse eum, id miror tamen.
Accedam opinor ad fores. quid conspicor?
Uxor complexa collo retinet filiam.
Nimis pæne inepta atque odiosa ejus amatio est!

SATIN' SI] Nonnè perspicuum est, si &c. V. A N. Epid. act. 5. 2.

5. QUI NEQUE] τὸ *qui* nec MSS. nec edd. habent.

9. EGO EUM] J. Gul. *Ergo*, quod intulit utrique editioni Pareus, contra MSS. & edd. omnes.

11. ID MIROR TAMEN.] ita Acid. distinxit. Et latuit hic elegantia particulæ *Tamen* &c. de qua alibi.

14. NIMIS PÆNE INEPTA] ita MS. pr. Cam. & Lamb. è Nonio & vett. Cod. legit: atque etiam numeros sic rectius constare sibi, affirmat.

14. ODIOSA] Sic MSS. & edd. Dan. Heinsius malit, *otiosa*. quippe qui postea objurget uxorem, quòd otiosè amplexando filiam tempus terat. quod ipsum rapuit in editionem suam Pareus, contra MSS. tamen & edd. omnes.

ACTUS IV. SCENA VI.

DÆMONES, TRACHALIO servus.

ALIQUANDO osculando melius est, uxor, pausam fieri.
Atque adorna, ut rem divinam faciam, cùm intrò advenero,
Laribus familiaribus: cùm auxerunt nostram familiam.
Sunt domi agni & porci sacres. sed quid istum remoramini,
Mulieres, Trachalionem? atque optimè, eccum, exit foras.
TR. Ubi ubi erit, tamen jam investigabo, & mecum ad te adducam simul
Pleusidippum. DÆ. eloquere ut hæc res obtigit de filiâ:
Eum rogato, ut relinquat alias res, & huc veniat. TR. licet.
DÆ. Dicito daturum meam illi filiam uxorem. TR. licet.
DÆ. Et patrem ejus me novisse, & mihi esse cognatum. TR. licet.

DÆ. Sed propera. TR. licet. DÆ. jam hic fac sit, cœna ut curetur. TR. licet.
DÆ. Omnian' licet? TR. licet. sed scin', quid est, quod te volo?
Quod promisisti, ut memineris hodie ut liber sim. DÆ. licet.
TR. Fac ut exores Pleusidippum, ut me emittat manu. *DÆ. licet.*
TR. Et tua filia facito oret: facilè exorabit. DÆ. licet.
TR. Atque ut mihi Ampelisca nubat, ubi ego sim liber. DÆ. licet.
TR. Atque ut gratum mihi beneficium factis experiar. DÆ. licet.
TR. Omnian' licet? DÆ. licet. tibi rursum refero gratiam.
Sed propera ire in urbem actutum; & recipe te huc rursum. TR. licet.
Jam hic ero. tu interibi adorna cæterum, quòd opus est. DÆ. licet.
TR. Hercules istum infelicet cum suâ licentiâ!
Ita meas replevit aures. quicquid memorabam, licet.

VERSUS trochaici Archilochii.

1. ALIQUANDO] i. tandem. sic Cic. *collegi me aliquando.* Douza in Præcid. ad Petron. lib. 2.6.

1. OSCULANDO] J. Gul. l. *osculandi*, ut & H. Steph. Ennius: *pausam facere fremendi*. sed alterum etiam usitatum est. servantq; editiones omnes præter Pareanam.

1. PAUSAM] V. N. Persâ act. 5.2.

1. ADORNA.] ita MSS. & omnes vet. ed. & unicè probat. Schoppius: ut numeris & sententiæ consulatur. vulg. *adornare*.

4. PORCI SACRES] Porci sacris destinati appellabantur *sacres*. Tibullus *mysticos* vocat, Aristophan. μυσηελικὰς, & μυστικὰς. Vide Marcell. Donatum Pom. Comitem lib. 1. Dilucidationum: & N. Menæch. act. 2.1. Agnum autem & porcum immolari hostiam Laribus, contra Lambinum, quicquam animatum iisdem immolari pernegantem, ad Aulul. docet J. Douza, ad illud Horat. 2. Serm. 3.

——*immolet æquis*,
Hic porcum Laribus, &c. quem vide: ut & Turn. l. 26. c. 2. Pareus in Electis versum istum adducit, ut probet porcos sacres immolatos

A ab insanis. quid alienius? ut insani medicum vocent, ut utantur præscripta medicina? nondum factum est. ad hæc talia cogendi sunt.

11. JAM H. FAC SIT.] Omninò, *fit*, legend. non, *sis*. ut habent MSS. & edd. Vult enim, ut herus ejus quamprimum ibi sit, cujus caussâ cœnam erat paraturus; & fortassis etiam nuptialem. *Acid.*

12. OMNIAN' LIC.] Latet hic aliquid ridiculi & subobsceni: L.

21. TR. HERCULES] ita Meurs. è v. codd.

21. INFELICET] Ita quidem MSS. & ed. Camerarii. At Val. Acidal. Nihil, inquit, verbum *Infelico*: germanum, *Infelicito*. Numeri

B sæpissimè incautos in eam fraudem impulerunt: à quibus etsi contractum aut elisum illud in dimensionem postulatur, integrum tamen ipsâ scriptione ubique debet exhiberi, &c. Vide tamen Cas. act. 2.3. v. 30. Certè semper *infelico* exaratur in MSS. Pall. nusquam *infelicito*. In Edd. vet. quidem promiscuè scribitur. Parei editio prima admisit *infelicitet*, ejecitq; secunda. ô constantem!

22. MEMORABAM, LICET.] *Licet* hic est vel τὸ vel τῶ. quidquid memorabam, vox *licet*, aut servus voce *licet* aures meas replevit. *Acid.*

ACTUS IV. SCENA VII.

GRIPUS piscator. DÆMONES senex.

QUAM mox licet te compellare, Dæmones?
DÆ. Quid est negotij, Gripe? GR. de illo vidulo
Si sapias, sapias: HABEAS QUOD DI danunt boni.
DÆ. Æquum videtur tibi, ut ego, alienum quod est,

Meum

Meum esse dicam? GR. quódne ego inveni in mari?
DÆ. Tantò melius illi obtigit, qui perdidit:
Tuum esse nihilo magis oportet vidulum.
GR. Isto tu pauper es, cùm nimis sanctè pius.
„ *DÆ. O Gripe Gripe, IN ÆTATE HOMINUM plurimæ*
„ *Fiunt transennæ, ubi decipiuntur dolis.*
„ *Atque edepol in eas plerunque esca imponitur:*
„ *Quam si quis avidus poscit escam avariter,*
„ *Decipitur in transennâ avaritiâ suâ.*
Ille qui consultè, doctè, atque astutè cavet,
Diutinè uti bene licet partum bene:
Mihi istæc videtur præda prædatum irier,
Ut cum majore dote abeat quàm advenerit.
Egóne ut quod ad me allatum esse alienum sciam,
Celem? minimè istuc faciet noster Dæmones.
„ *SEMPER CAVERE HOC sapientes æquissimum est,*
Ne conscii sint ipsi maleficiis suis.
Ego mihi cùm lusi, nihil moror ullum lucrum.
„ *GR. SPECTAVI EGO pridem Comicos ad istum modum*
Sapienter dicta dicere, atque iis plaudier,
Cùm illos sapientis mores monstrabant poplo:
Sed cùm inde suam quisque ibant diversi domum,
Nullus erat illo pacto, ut illi jusserant.
DÆ. Abi intrò, ne molestus! linguæ tempera.
Ego daturus tibi nihil sum, ne tu frustra sis.
GR. At ego deos quæso, ut quicquid in illo vidulo'st:
Si aurum, si argentum est, omne id ut fiat cinis.
DÆ. Illuc est, quòd nos nequam servis utimur.
Nam illic cum servo si quo congressus foret,
Et ipsum sese & illum furti adstringeret.
Dum prædam habere se censeret, interim
Præda ipsius esset: præda prædam duceret.
Nunc hinc intrò ibo, & sacrificabo. post ibi
Iubebo nobis cœnam continuò coqui.

DE ILLO VID. SI SAPIAS, SAPIAS: H.] quod ad illum vidulum attinet. Ita & MSS. Pistoris trepidabat: *Si sapias capias.* nec tamen vulgatum damnat.

5. QUODNE EGO] An id, quod inveni, alienum esse dicis? Nam quicquid servus quærit, domino quærit &c. L.

8. ISTO TU PAUPER &c.] ita Persius Satira 5. A *Varo, regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.* εἰ δέοιτο σοι ὁ κατὰ Ζῆν βίος. Vide ib. Casaub. Pareus ex isto versu fabricavit hanc in Electis suis gnomam: Divites plerumq; sunt impii. quo quid velit, noverit Apollo ipsius bilinguis.

10. TRANSENNÆ] V. N. Bacchid. 4: 6.

12. POSCIT] Richard. Thomson. leg. *pascit*, ἀρχαϊκῶς. pro, edit: quomodo & Martial. lib. 9. Ep. 82. accipit, contra nugas Interpretis. & verò sic quoque Pareana editio pr. contra MSS. & edd. omnes.

15. DIVTINE VTI] ita MSS. & edd. omnes expuncto *ei*. quod licet notaverit etiam Pareus, pronomen tamen id retinuit in editione sua.

15. PARTVM] pro, *parto uti*. Non.

16. MIHI] Vult pius senex: prædæ sæpe dolum subesse, per eamque insidias de industriâ incautis solere tendi: idemque sibi de hâc prædâ videri. Videtur, inquit, mihi fore, ut hæc præda vicissim prædetur: παθητικῶς. nam *irier*, non *ire* legitur. atque ut ita quidem præda ipsa fiat, ut aliam ultrò prædam secum trahat, abeatque multo cum majori dote, quàm venerit. Id fieri poterat, si quis datâ operâ prædam eam objecisset: cui, si recepta & celata esset, reposcenti ac furti nomine agenti, duplum ex populi lege reddendum erat, &c. *Acidalius*.

19. NOSTER DÆM.] Loquitur de se in tertiâ personâ. ita & MSS. Pall. & edd. Alii cod. *vester*. quod præfert Acidal. ut ad servum dicantur.

20. SAP. ÆQVISS.] MS. sec. *hoc sapientissimumst*.

21. MALEFICIIS SVIS] ita MSS. & omn. editt. Sed J. Gulielm. ait scribendum, *maleficiis suis*. Nam sapientes censet esse debere nullius maleficii conscios non sibi solis, sed & iis, quos coercere jure aut imperio possint. & istud in Plauti contextum recepit Pareus. ineptè plus enim est, sive ipse quidem conscius sis alicujus mali, quam si id resciat etiam alius.

22. CVM LVSI] Ego, cùm me honestè oblectem lucrum contemno: ita Lamb. sed ridiculè. Sensus est: Postquam mihi lusi; seu, postquam mihi non modò non damno, sed & usui fuit hic vidulus, inventâ nempe filiâ, nullum præterea lucrum inde quæro. *Acidal.*

22. MOROR] *Or* long. est ex Plauti consuetudine: qui passim *Or* in fine producit: ut multis docuit Acidal.

25. CVM ILLOS SAPIENTIS MI] Hoc omnes accipiunt casu Accusandi, *sapientis mores*, τὰ ἤθη σοφὰ καὶ καλοκαγαθά: ego tamen Gignendi casu accipienda arbitror, τὰ τοῦ σοφοῦ ἤθη. nam ideam & naturam Sapientis, ut revera est, significat. *J. Gulielm.* Pareus hunc locum in Electis hac reddidit paraphrasi: Comici sapienter dicta proferunt ad applausum, cùm sunt in scena: at domum reversi, nullus est illo pacto, ut illi jusserant. At istud non est explicare rem sed implicare. vult enim populum quidem in theatro probare meliora, plausumq; adeò dare, cùm à Comico pronunciatur sententia aliqua honestior: verùm eundem populum, ut domum abiit, obtinere mores suos, neque facere in privato illud ipsum quod voce manuque publicè probaverat.

30. IN ILLO VIDVLO] Parei editio postrema, pessimo facinore ejecit pronomen *illo*, & metri damno, & nolentibus editis scriptisq. libris omnibus. eodem quoq; versu 33. admisit *illuc*, pro quo MSS. cusiq; omnes *illic*. Sic & versu 34. illa ipsa in textu exhibet *furtis*, cùm hactenus publicati servent *furti*. cur hæc obsecro? an ut omnia fœdet, omnia confundat? omnia faciat Pareana?

31. SI AVR. SI ARG.] *si*, pro, *sive*. Ennius,

——*si vivimu' sive morimur.*

Lucil. *Si iratî sem cui propitij sunt dij.* V. N. Merc. act. 2; 2. *Schop.* Ita in illâ formulâ precum & sacrorum, quæ ignoto numini fiebat: SI DEO, SI DEÆ: apud Agell. lib. 2. cap. 28.

CINIS] Tibullus lib. 1. cap. 10.

Muneribus meus est captus puer. at Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.

Ovid. 3. Amor. el. 7: *Deus quisquam Tam male quæsitas pulvere mutet opes.* Propert. 2. el. 16: *Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua.* Passerat.

32. ILLVC EST] illa caussa est, quamobrem servos improbos habemus: nempe quòd connivemus eorum peccatis. L.

34. F. ADSTRINO.] furti culpæ affinem redderet. MSS. *forti*.

36. PRÆDA IPSVS ESS.] Quia addicendus esset dominus, aut noxæ dedendus noxali judicio. L.

ACTVS

ACTUS IV. SCENA VIII.

PLEVSIDIPPVS adolescens.
TRACHALIO servus.

ITerum mihi istæc omnia itera, mi anime, mi Trachalio,
Mi liberte, mi patrone, imò potius, mi pater.
Repperit patrem Palæstra suum atque matrem? TR. repperit.
PL. Et popularis est? TR. opinor. PL. & mihi nuptura est? TR. suspicor.
PL. Censen' hodie despondebit eam mihi, quæso? TR. censeo.
PL. Quid? patri etiam gratulabor, cùm illam invenit? TR. censeo.
PL. Quid? matri ejus? TR. censeo. PL. quid ergo censes? TR. quod rogas,
Censeo. PL. dic ergo quanti censes? TR. egóne? censeo.
PA. At sume quidem, ne censionem semper facias. TR. censeo.
PL. Quid si curram? TR. censeo. PL. an sic potius placidè? TR. censeo.
PL. Etiámne eam adveniens salutem? TR censeo. PL. etiámne ejus patrem?
TR. Censeo. PL. post ejus matrem? TR. censeo. PL. quid postea?
Etiámne adveniens complectar ejus patrem? TR. non censeo.
PL. Quid, matrem? TR. non censeo. PL. quid eámpse illam? TR. non censeo.
PL. Perij! delectum dimisit. nunc non censet, cùm volo.
TR. Sanus non es, sequere. PL. duc me, mi patrone, quò libet.

ITERVM] Sic MSS. & editi. Ex conjectura tamen H. Steph. l. *Iteradum m.* Cicero hæc usurpat l. 14. ad Attic. Ep. 14. *Iteradum eadem ista mihi.*

V. 4. ET MIHI NVPTVRA EST] Ea positio verborum restat in Pal. sec. qui tamen *mi*, ut & olim cusi. at Pal. pr. habet, *& nuptura est mihi,* quamvis id neget in Notis suis Pareus.

9. AT SVME Q.] ita MSS. Pall. Jocus, ait Lamb. ex Censorum more ductus. *Censionem* enim *facere* dicebatur Censor, cùm multam Equiti irrogabat, ut docet Festus. Turnebus lib. 26: 2. l. *Adsum equidem.* Quia enim ille alter sæpius *Censeo* dixerat, quasi censuram exerceret & censum ageret: qui diuturnior esse solet, quò diutius & tardius ad censum venire cunctantur cives: nè longior, inquit, census sit, ecce coràm me tibi sisto. Sic Menæch. act. 3:1.

Qui nisi adsint, cùm citentur, census capiant illicò.

Conatur etiam aliquid Alciatus in Lex. suo A Plautino: sed conatur. Lipsius Antiq. Lect. lib. 2: 3. Certum est, inquit, Plautum scripsisse, *Absume quidem:* venusto joco. Nam cùm servus ludos herum faciens non aliud ad interrogata responderet, quàm *Censeo:* quasi indignatus adolescens, & in amphiboliâ verbi ludens, At, inquit, ne semper censeas, absume potius, & in decoctores referare. Quod sumptum est à moribus Rom. Constat enim eos, qui abliguriissent, & nihil in bonis haberent præter *sacculum* illum *Catulli*, liberos fuisse à molestiâ dedicandi sua in censum. B Quam quidem Lipsii sententiam præ cunctis probat Acidal. Et subest, inquit, alia etiam levior ambiguitas: ut *Censionem facere* sit interim simpliciter, pro *censere*. sicuti alibi, *Adscensionem facere*, & *reversionem*, pro adscendere & revorti. *Censet* autem semper Trachalio, cùm singulis heri sententiis subjicit assensum suum isto verbo, *Censeo.* quod hîc itidem addidit eò, quia suasus erat *absumere*: quod, ludens perpetuo modo, faciendum sanè sibi & ipse censet. Is. Pontanus;

At summa quidem: ne censionem semper facias.

Herus, cùm molestâ illâ & vagâ responsione, *Censeo*, itidem obtunderetur, ad strictiorem quandam censionem & veluti summarum summam super præsenti re dandam, servum adhortatur. Ita Apul. *summat opes domus aureæ &c.* Vide ipsius Analect. libr. 3. cap. 10. item Not. Trin. act. 2:4. & Mil. act. 1:1. J. Gruterus retinet vulgatum: cùm *sumo* idem sit, quod *absumo*. Lucill. apud Nonium:

Omnia viscatis manibus leget: omnia sumet.

Trinum. *Non tibi illud apparere, si sumas, potest.* V. N. Pseud. 5.1. v.23. Etiam S. Ulr. Pistoris vulgatum retinet, *At sume q.* At tu, inquit, jam satis diu censionem facis: elige tandem (hoc enim interdum est *sumere*) quos A ex omni numero in militiam tuam adscribas. De militari censione eum loqui clarissimè ostenditur paulò infrà, cum ait:

Dilectum dimisit: nunc non censet, cum volo.

Notum autem ex Livio & aliis, quomodo dilectum habuerint Romani. *Censionem* igitur *facere* est, dilectum habere: quod in eo nimirum, qui militiæ nomen daturi erant, non minus quàm coram Censoribus ordine alius post alium se sistebat, & ex omni numero tandem optimus quisque sumebatur. Nec ullo modo probatur illud Pontani commentum, neque adeo *censere* pro numerare positum memini. nisi fortasse eò trahatur, quod Trucul. sc. 1. legitur: *Accipiet illico expensa, neque censeat*: de quo tamen dubito. Hæc alie.

ACTUS V. SCENA I.

LABRAX.

Quis me est mortalium miserior, qui vivat alter hodie,
Quem ad recuperatores modò damnavit Pleusidippus.
Abjudicata à me modò est Palæstra. perditus sum!
Nam lenones ex gaudio credo esse procreatos,
Ita omnes mortales, si quid est mali lenoni, gaudent.
Nunc alteram illam, quæ mea est, visam huc in Veneris fanum.
Saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.

VERSUS hujus & proximæ Scenæ sunt Hipponact. septenarii, usque ad hunc; *Venus Cyren.* à quo usque ad finem senarii jambici.

B 2. RECUPERATORES] V. N. Bacchid. act. 2. sc. 3.

ACTUS V. SCENA II.

GRIPUS piscator.
LABRAX leno.

NUnquam edepol hodie ad vesperam Gripum inspicietis vivum,
Nisi vidulus mihi redditur. LA. perij, cùm mentionem
Fieri audio usquam viduli, quasi palo pectus tundat.
GR. Istic scelestus liber est: ego qui in mari prehendi
Rete atque excepi vidulum, dare ei negatis quicquam.
LA. Prò di immortales! suo mihi hic sermone arrexit aures.

GR. Cubi-

GR.Cubitum hercle longis literis signabo jam usquequáque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento multo,
Ad Gripum ut veniat. non feretis istum, ut postulatis.
LA.Meum hercle illic homo vidulum scit, qui habet, ut ego opinor.
Adeundus mihi illic est homo. di quæso subvenite!
GR. Quid me intrò revocas? hoc volo hîc ante ostium extergere.
Nam hoc quidem pol è robigine, non è ferro factum est,
Ita quanto magis extergeo, rutilum atque tenuius fit:
Nam quidem hoc Vere natum est verum: ita in manibus consenescit.
LA.Adolescens, salve! GR.di te ament cum irraso capite. LA.quid fit?
GR.Verum extergetur. LA.ut vales? GR.quid tu? num medicus quæso es?
LA.Imò edepol unâ literâ plus sum, quàm medicus. GR.tum tu
Mendicus es? LA.tetigisti acu. GR.videtur digna forma.
Sed quid tibi est? LA.hâc proximâ nocte in mari elavi.
Confracta est navis. perdidi, quicquid erat, miser ibi omne.
GR.Quid perdidisti? LA.vidulum cum auro atque argento multo.
GR.Ecquid meministi in vidulo, qui perit, quid infuerit ibi?
LA. Quid refert, qui perijt? GR.tamen si non hoc, aliud fabulemur.
Quid si ego sciam qui invenerit? volo ex te scire signa.
LA.Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt.
Præterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus.
G. Magna hercle præda'st! largiter mercedis indipiscar.
Dij homines respiciunt. bene ego hinc prædatus ibo.
Profectò hujus est vidulus. perge alia tu expedire.
LA.Talentum argenti commodum magnum inerat in crumenâ,
Præterea sinus, epichysis, cantharus, gaulus, cyathusque.
GR.Papæ! divitias tu quidem habuisti luculentas.
„ *LA. MISERUM istuc verbum & pessimum est, Habuisse, & nihil habere.*
GR.Quid dare velis, qui istæc tibi investiget indicétque?
Eloquere properè celeriter. LA.nummos trecentos. GR.tricas.
LA.Quadringentos. GR.tramas putridas. LA.quingentos. GR.cassam glan-
LA.Sexcentos. GR.curculiunculos minutos fabulâre. (dem.
LA.Dabo septingentos. GR.os calet tibi! num git frigidefactas?
LA.Mille dabo nummos. GR.somnias. LA.nihil addo: abi! GR.igitur audi!
Si hercle abiero hinc, hîc non ero. LA.vin' centum & mille? GR.dormis.
LA.Eloquere quantum postules. GR.quò nihil invitus addas;
Talentum magnum: non potest triobolum hinc abesse.
Proin tu vel ajas, vel neges. LA.quid istîc necessum est, video:
Dabitur talentum. GR.accede dum huc: Venus hæc volo arroget te.
LA.Quod tibi libet, id mihi impera. GR.tange aram hanc Veneris. LA.tango.
GR.Per Venerem hanc jurandum est tibi. LA.quid jurem? GR.quod jubebo.

LA. Prai verbis quid vis. id quod domi est, nunquam ulli supplicabo.
GR. Tene aram hanc. LA. teneo. GR. dejura, te mihi argentum daturum,
Eodem die, viduli ubi sis potitus. LA. fiat.
GR. LA. Venus Cyrenensis, testem te testor mihi,
Si vidulum illum, quem ego in navi perdidi,
Cum auro atque argento salvum investigavero,
Isque in potestatem meam pervenerit;
GR. Tum ego huic Gripo dico: inquito, & me tangito.
LA. Tum ego huic Gripo dico, Venus, ut tu audias,
GR. LA. Talentum argenti magnum continuò dabo.
GR. Si fraudassis; dicito, uti te in quæstu tuo
Venus eradicet caput atque ætatem tuam.
Tecum hoc habeto tamen, ubi juraveris.
LA. Et illum ego adversum si quid peccasso, Venus,
Veneror te, ut omnes miseri lenones sient.
GR. Tamen fiet, etsi tu fidem servaveris.
Tu hic operire, jam ego faxo exibit senex:
Eum tu continuò vidulum reposcito.
LA. Si maximè mihi illum reddiderit vidulum,
Non illi ego hodie debeo triobolum.
Meus arbitratus est, lingua quod juret mea.
Sed conticescam. eccum exit, & ducit senem.

REDDITVR] Ita Pal. pr. & requirit versus. eaq; propter editioni suæ intulit Camerarius. at Pareus exoletum revocavit, *reddatur.* quod extaret in MS. sec. sapientior scilicet Lambino, Dousà, ceterisque, qui acquieverant alteri.

V. 3. TVNDAT] ita MSS. & edd. sed Douza F. l. *tundar.* quod in contextum recepit Pareus, perpetuus novator.

4. EGO, QVI] ἀναχόλουθον. nam, *ego,* quò referatur, non habet. L.

7. CVBITVM] Homines pauperculi in re tali compendium Præconis facere solebant. ut Gelasimus in Sticho. Opulentiores verò præconem conducebant è publico, palámq; per eos, si quid vellent, prædicari jubebant. Qui mos in hunc usq; diem nobis quasi per manus traditus observatur. ut & ille alter, quo libellos indices sive tabulas papyrinas, longis, decumanis ac capitalibus litteris scriptas basilicarum vel templorum valvis, pilisque ac portis proponimus. Sunt autem *longa littera* pro *in longum formatis productisque* accipiendæ. Ad quas item Longam illam litteram singularem, quam ex se facturam sibi Euclionis Staphyla minatur, referundam censeo. De *longis* item *litteris* & quidem cubitali modo, etiam Pœn. act. 4: 2.

Ibi tu videas litteratas fictiles epistolas,
Pice signatas: nomina insunt cubitum longis litteris: Douza.

Lambinus ait has *maximas* & *grandes* appellari à Cicerone. V. N. Aul. 4: 1. Omnium tamen simplicissimè interpretatur & construit Gruterus; Signabo litteris cubitum longis; i. quæ longitudine cubitali. & illustrat illo ipso Pœnuli, *Ibi tu vid. &c.*

12. QVID ME INTRO R.] Gripus domum fortasse ab hero revocabatur: *vel,* cum à lenone vocaretur, putabat se vocem heri audire. L.

15. VERE NAT. EST VERVM] Ludit in floribus & fructibus vernis, qui fugaces sunt & in diem. cum contrà plerique æstivi & autumnales fructûs in totum durent annum. *Veru* ergò, quod antiquo sermone *verum* (ut

cornum

vernum, genum) appellat, rubiginosum dicit è vernis esse fructibus, & in manibus consenescere. *Turn. lib. 26: 2. & lib. 24: 46.* Eadem *Lamb.* In MSS. Cam. & vet. edd. est, *hoc venatust verum &c.* Ad quod Camer. notat: Si, *ver natum*, legas, intelligemus vel caniciem, vel tanquam serpentinas exsuvias, quas in senectute exsuere angues consuevêre.

15. CONSENESCIT] Eadem translatione Ovid. 2. Fast. *Sub quo delubris sentitur nulla senectus.* Propert. 3: El. 7. *haud ulla carina consenuit.* Catull. Epigr. 4: de Phaselo: *Nunc recondita senet quiete:* ibi Passeratius.

16. CUM IRRASO C.] Qui è naufragio servati erant, radebant caput: in signum liberationis: ut hîc Longolius notat. Quanquam illi potius in periculo, & tempestate jam invalescente caput radere, atque etiam ungues præcidere solebant. At enim cum Leno, supra Sc. 1. *crispus* dicatur, putat Pist. eum hîc dici, *irruso capite*, i. non raso: propter cincinnos in capillo crispo.

20. ELAVI] V. N. suprà, 2:7. Sciamus tamen esse à divinatione Sarraceni, aut Pii. prius impressi: *in mari & alij.* quomodo etiam habent MSS. Pall. nam Camerariana: *in mari mihi & alij.*

24. FABULEMUR.] Potentialis modus est; ne Suasionis in eo vim perperam arbitreris. L. & Acidalius.

27. CENTUM DENARIA PHILIPPEA] Ita citat Marcellus, neq; aliter vetustissimæ edd. verum enimverò uterque Pall. *centum mna Philippia.* & certè *mna Philippica* extat in Aldina ejusq; traducibus; estq; melius ad legem numerorum.

27. PASCEOLO] Nonius: *Pasceolus, ex aluta sacculus.* à Græc. φασκώλιον & φάσκωλον: ut ait Turn. lib. 3: 11. Suidas: φασκώλιον ἱμάτιον μαρσύπιον. Asconius vocat *Scorteas.* Est autem *pasceolus* ὑποκοριστικὸν à *pascelo, &c.* ut docuit copiosè Meursius.

29. DI HOMINES RESPICIUNT] ita Bacchid. *Tace modò: deus respiciet nos aliquis.* Alluditur ad *Fortunam Respicientem*, i. felicem & propitiam. Vide supra, 1: 2. Erat & Ζεὺς ἐπόψιος, *Juppiter Inspector*, apud Apollon. lib. 2. Symmachus lib. 7: 73. *Si me sanitas optata respexerit.* Apulejus lib. 11. Metamorph. *In tutelam jam receptus es Fortunæ, sed Videntis.* Videatur & J. Ludovicus de la Cerda, Jesuita & Madriti Professor Poetices, ad Bucolic. 1. Virgilii:

Libertas, quæ sera, tamen RESPEXIT inertem. Nostra hæc lectio visitur in Pall. duobus & edd. primis. nam seqq. versus caussâ fecerunt, *Dij omnes homines resp.* vel *Dij me homines q.*, quod temere adhuc tenet Pareus; etiam gemente versu.

31. COMMODUM] V. N. Mercat. 2: 3. Jo. VVovver, Notis ad M. Minuc. Felicis Octavium, In libello, inquit, De re militari, qui adjici solet *Notitiæ utriusque Imperij*, legitur: *Commodæ auctoritatis variæ priscorum monetæ.* Commodæ, i. integro margine, sive, ut Procopius κύκλῳ οὐκ ἀποτετμημένῳ. apud Plaut. *Commodum talentum*, ἐντελές: *Commodæ minæ*, μνᾶς ἐντελεῖς, at *Commodum tal. magnum*, talentum ὑπερτελές.

32. SINUS] *Sinus* vel *sinum*, vas sinuosum, rotundum & capace alvo. Virgil. Ecl. 7.

Sinum lactis, & hæc tibi liba, Priape, quot-
annis
Exspectare sat est.

Gr. δῖνος. Alii *sinum* interpretantur vas, quod vini stillicidio excipiundo siphunculis subjicitur, quod *excipulum* dicitur.

32. EPICHYSIS] Vas vinarium, è quo in cyathos vinum affundebatur: *Turn. lib. 22: 30.* Vide & Varr. 4. De L. L. & Scalig. ibid. ubi docet, apud Pollucem vasis etiam coquinarii genus esse.

32. GAULUS] vasculum in formam cymbii.

34. HABUISSE] Ita Terent. in Seipsum excruciante:

——filium unicum adolescentulum
Habeo. ah, quid dixi, habere me? imo habui.——

Seneca Epist. 98: *Habere eripitur; Habuisse nunquam.*

37. TRAMAS] i. fila putrida. Vide Notas Epid. 5: 1.

38. CURCUL. N. F.] i. res nullius usûs narras. V. N. Curcul.

39. NUM GIT FRIGIDEFACTAS?] Camer. edidit: *GR. os calet tibi: nunc id frigidefactas.* Lamb. *linguam frigidefactas* At vetere, inquit Gulielm. omnium vulgatorum codicum scripturâ nihil erat sincerius: *num git frigidefactas?* Git, μελάνθιον est: ut auctores sunt Charisius & Glossographi veteres:

ex eo pulmentum calidum conficiebant, quod in ore frigefacere Labracem Gripus ait, ne amburat guttur. Hæc J. Gulielm. cui favent & MSS. Pall. in quibus, *nungit frigefactas*. Alciatus leg.—— *nunc git frigefactas:* cum hac annotatione: Apparet, Proverbialiter dici in eos, qui trepidè admodum & summis duntaxat labiis aliquid loquuntur, & parcè promittunt. etenim hi ore contracto, proinde ac si refrigerare buccæ injectam calentem offulam velint, deformantur. Est autem *git*, frutex, quem Latini *Nigellam* vocant: gustu similis piperi. Ausonius:

Est inter fruges morsu piper æquiparans git.

Parerg. lib. 6. c. 3. & in Lexico Plautino. Acidalius & Grut. quanquam mâlint, *os calet tibi, nunc id frigef.* tamen alterum non damnant. ut dicat Gripus: Os calet tibi. an ergo calidum pulmentum è *git* comedisti, quod frigefacias? Etsi eo amplius non ad pulmenti tantùm calorem, sed ipsius etiam *git* acrimoniam peculiarem alludi potest.

39. FRIGIDEFACTAS?] ita MSS. & edd. omnes, præter Brix. quæ habet *frigefactas*. V. N. Pæn. 3: 5.

42. ELOQVERE Q.] ita MSS. & omn. ed. omisso illo *hercle*.

44. QVID ISTIC] ita MSS. & omn. veteriores ed. consensu. quod tenui. Q. d. Video quid hîc necesse sit &c. *Est* pro *sit* usitatum nostro. Alii aliter. Acidal. elegit; *quid istuc? necessum esse* v. Imperfecta oratio labascentis, *Quid istuc?* quam suppleas variis modis, sed in eam planè sententiam, quâ similis locus explicatur, Bacch. act. 4: 9. *Quid ego istuc? q.*

45. ADROGET] interroget, & tibi jusjurandum concepturo voce præeat: Fr. Polletus Hist. fori R. l. 3. cap. 2. Turn. lib. 26: 2. In stipulatione est *Adstipulator* plerunque, ut in promissione *Adpromissor*. Stipulator rogat: adstipulator adrogat: cujus vice nunc Venus erit, cujus in fano ad aram pactum conventum initur.

46. TANGE ARAM] Habetur hîc formula Jurisjurandi corporaliter præstiti conceptis verbis, & adversario præeunte. Quod observavit Brisson. lib. 8. Formul. Et notetur, Jusjurandum aris tactis præstitum, quod & Cic. pro Flacco indicat, cum ait: *Is si aram tenens juraret, crederet nemo.* Juvenal. Sat. 14.

A *Falsus erit testis: vendet perjuria summâ*
Exiguâ, Cereris tangens aramque pedemque.

Allusit Ovidius (annotante Douza) in Amoribus:

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.

Nam & sacramentum dicturi & precaturi aras tangebant, vel tenebant. (habebant enim aræ ansulas quasdam, autore Scalig. lib. 5. c. 3. Poet.) Quanquam Lipsius in isto Ovidii *mentum* legat, non, *mensam*: & ad *manuariam* illam *adorationem* referat: de quâ lib. 2. cap. 6. Electorum.

48. ID QVOD DOMI] hoc, quod habeo & propriè meum est, nunquam aliunde supplex petam. Lenones enim perjuri. Allegoria: L.

49. DEIVRA] valdè & sanctè jura: L. *Dejerare*, simpliciter est, jurare, apud Tertullian. & *dejurium*, jusjurandum, apud Agell. lib. 7. Terent. Eunuch. 2: 3. *liquet mihi dejerare*, i. liquidò possum nimis verè jurare. Vide P. Pithæi Advers. lib. 2: 8.

50. EOD. DIE] ita MSS. & edd. omisso, *illo*. ita v. 56. *audias*.

B 55. GR. TVM-EGO &c.] Meursius hic excidisse versum putat,

——*me tangito:*
Talentum argenti magnum continuò dabo.
LA. Tum ego &c.

Acidalius aliquando rectum putabat, ut primis quattuor versibus, *Venus Cyr.* à Gripo pronunciatis, subjicerentur iidem mox iteratò scripti, & Lenoni adscripti. tum deinde reliqui eodem modo alternarentur. Quod tamen Viro Nob. Jo. Matthæo VVackero, Cæs. Consil. probare non potuit. Et quî potuit tam ingenioso? qui rectè negavit, tot versus uno tenore non ita facilè comprehendere memoriâ, & sine turbatione subsequi Lenonem potuisse. ac propterea satiùs esse, si singuli aut dimidii per vices præirentur ac redderentur, ad hodiernum *Jurationum* morem. Tantâ igitur auctoritate & rei evidentiâ adductus, ista, ut edidi, reconcinnavit; quâ quidem *Personarum* dispositio: nam in cæteris fidem MSS. & meliorum edd. secutus sum. *GR. LA. Venus Cyren. &c.*

60. TECVM H. HABETO] Hunc tamen precationem diram tibi servato, eaq; in tuum caput vertatur: L.

68. LIN-

68. LINGVA QVOD IVRET MEA.] Compar hic Leno istorum fuerit, (apud Sidon. Apollinarem, lib 5. epist. 7.) *Quorum si nares afflaverit uspiam rubiginosi auri marsupii, confestim videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, & sphingarum ungues, & PERJURIA Laomedontis, & Ulyssis argutias & Sinonis fallacias, & fidem Polymnestoris, & pietatem Pygmalionis adhiberi.* Quanquam Nanus in Florilegio, hæc etiam in Juristultos & rabulas, & qui lites serunt, ubi nihil litium est, jecit: nec, ut opinor, injuria. Pareus heic argutatur, dum notat MSS. Pall. habere pro *lingua*, *tunga*. tanquam fuerit *dingua* antiquè, *d* pro *l*. Nihil minus, mi Criticaster. sed tu non rectè uteris oculis. uterque enim MS. scriptum exhibet, *arbitratus tungua*: ut vel lusco appareat, illud *t* applicandum literæ postremæ vocis præcedentis quei fiat *est*: *u* autem dispescendum, & transformandum in *li*. nihil enim vulgatius, quàm eo modo coalescere in unum characteres. idq; omnibus notum præterquam tibi Dictatori nostro, sed sine cujusquam tamen suffragio, perenni

ACTUS V. SCENA III.

GRIPUS piscator,
DÆMONES senex,
LABRAX leno.

SEQUERE hàc. ubi istic leno est? heus tu, hem tibi, bic habet vidulum,
DÆ. Habeo, & fateor esse apud me: &, si tuus est; habeas tibi.
Omnia ut quicquid infuere, ita salva sistentur tibi.
Tene, si tuus est? LA. ô di immortales! meus est. salve, vidule.
DÆ. Tuúsne est? LA. rogitas? siquidem hercle Jovis fuit, meus est tamen.
DÆ. Omnia insunt salva: una istinc cistella excepta est modò
Cum crepundiis, quibuscum hodie filiam inveni meam.
LA. Quam? DÆ. tua quæ fuit Palæstra; ea filia inventa est mea.
LA. Bene mehercle factum est, cùm istæc res tibi ex sententiâ
Pulcrè evenit, gaudeo. DÆ. istuc facilè non credo tibi.
LA. Imò hercle ut scias gaudere me, mihi triobolum
Ob eam ne duis: condono te. DÆ. benignè edepol facis.
LA. Imò tu quidem hercle verè. GR. heus tu! jam habeas vidulum.
LA. Habeo. GR. propera. LA. quid properabo? GR. reddere argentum mihi.
LA. Neque edepol tibi do, neque quicquam debeo. GR. quæ hæc factio est?
Non debes? LA. non hercle verò. GR. non tu juratus mihi es?
LA. Juratus sum: & nunc jurabo, si quid voluptati est mihi;
JUSIURANDUM rei servandæ, non perdendæ, conditum est.
GR. Cedò sis mihi talentum magnum argenti, perjurissime.
DÆ. Gripe! quod tu istum talentum poscis? GR. juratu'st mihi
Dare. LA. libet jurare. tun' meo pontifex perjurio es?
DÆ. Quâ pro re argentum promisit hic tibi? GR. si vidulum
Justum redegissem in potestatem ejus, juratus dare
Mihi talentum magnum argenti. LA. cedò qui cum habeam judicem,
Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem

Quinque & viginti natus annos. GR. habe cum hoc. LA. alio'st opus.
DÆ. Jam ab isto auferre haud sinam, nisi istum condemnavero.
Promisisti huic argentum? LA. fateor. DÆ. quod servo meo
Promisisti, meum esse oportet: ne tu leno postules
Te hic fide lenonia uti: non potes. GR. jam te ratus
Nactum hominem quem defraudares. dandum huc argentum est probum:
Id ego continuo huic dabo, adeo me ut hic emittat manu.
DÆ. Quando ergo erga te benignus fui, atque operâ meâ
Hæc tibi sunt servata. GR. imò hercle meâ, ne tu dicas tuâ.
DÆ. Si sapies, tacebis! tum te mihi benignè itidem addecet
Benemerenti bene referre gratiam. LA. nempe pro meo
Jure oras. DÆ. mirum quin tuum jus meo periculo abs te expetam.
GR. Salvus sum: leno labascit: libertas portenditur.
DÆ. Vidulum istic ille invenit: illud mancipium meum est.
Ego tibi hunc porrò servavi cum magnâ pecuniâ.
LA. Gratiam habeo, & de talento nulla caussa est quin feras,
Quòd isti sum juratus. GR. heus tu! mihi dato ergò, si sapis.
DÆ. Tacen' an non? GR. tu meam rem simulas agere; tibi mu**
Non hercle istoc me intervortes, si aliam prædam perdidi.
DÆ. Vapulabis, verbum si addes istuc unum. GR. vel hercle enica,
Non tacebo unquam alio pacto, nisi talento comprimor.
LA. Tibi operam hic quidem dat; taceto. DÆ. concede hoc tu leno. LA. licet.
GR. Palàm age, nolo murmur ullum neque susurrum fieri.
DÆ. Dic mihi, quanti illam emisti tuam alteram mulierculam
Ampeliscam? LA. mille nummos denumeravi. DÆ. vin' tibi
Conditionem luculentam ferre me? LA. sanè volo.
DÆ. Dividuum talentum faciam. LA. bene facias. DÆ. pro illâ alterâ,
Libera ut sit, dimidium tibi sume, dimidium huic cedò.
LA. Maximè. DÆ. pro illo dimidio ego Gripum emittam manu,
,, Quem propter tu vidulum, & ego natam inveni. LA. bene facis:
Gratiam habeo magnam. GR. quàm mox mihi argentum ergo redditur?
DÆ. Res soluta est, Gripe. ego habeo. GR. hercle, at ego me mavolo.
DÆ. Nihil hercle hic tibi est, ne tu speres. jurisjurandi volo
Gratiam facias. GR. perij hercle: nisi me suspendo, occidi.
Nunquam hercle iterum defraudabis me quidem post hunc diem.
DÆ. Hic hodie cœnato, leno. LA. fiat! conditio placet.
DÆ. Sequimini intrò! spectatores, vos quoque ad cœnam vocem,
Ni daturus nihil sim, neque sit quicquam pollucti domi,
Neve adeò vocatos credam vos esse ad cœnam foras.
Verùm si voletis plausum Fabulæ huic clarum dare,
Comissatum omnes venitote ad me ad annos sedecim.
Vos hic hodie cœnatote ambo. LA. fiat. DÆ. plausum date.

VERSUS trochaici sunt Archilochii.

1. ISTIC LENO EST] Pareus notat, in MSS. fuisse & : ex eo fecisse *est*: egregium facinus! sed quomodo tu id fecisse dici potes, quod ante te natum Camerarius præstitit?

3. OMNIA, UT QUICQUID INFUERE,] ita constantissime MSS. & omn. vet. edd. Et cur nuper explosum? cur *quæque* suppositum est à Pareo?

13. JAM HABEAS] Est à Pall. & vett. edd recentiores *jamne habes*. sed de conjectura. itaq; id admittere non debebat in editionem suam Pareus.

18. CONDITUM EST] inventum & comparatum est. Priscos hac brevitate sermonis elegantiss. sæpe usos, docet Lipsius Not. ad lib. 4. Taciti. *Magis usurpandi juris; quàm quia unius culpa foret*: ubi sine caussa alii τὸ *caussâ* inculcarunt. Ita Sallust. *Quæ postquam gloriosa modò, neq. belli patrandi cognovit*. Livius: *Ea prodendi imperij Romani, tradendæ Annibali victoriæ esse*. Ulpianus, ut rectè in Florent. legitur: *Si quis evitandi criminis id egit, ut Reipub. caussâ abesset*: Eleganter autem, & quasi γνώμη παροιμιώδει definivit jusjurandum Pacuvius, dum ait, *Jusjurandum esse mantile, quo quotidiana noxæ extergentur*. quod ferè, quāvis aliâ allegoriâ, extulit Laberius. *Quid est jusjurandum? Emplastrum æris alieni*. Sed quare ille dixit, *jurejurando extergeri noxas quotidianas?* Allusit nempe ad *satisfactiones*, quæ fiebant, cum in gratiam redibatur. Ejus exemplum est apud Pl. Amph. 3.2. *Mane: arbitratu tuo* &c. Et mos exigendi id à læsis seu injuriâ affectis, extat in ead. Fabulâ: *Aut satis faciat mihi, aut* &c. Habes & in Adelphis Ter. act. 2.1. Atque hæc è Not. Scaligeri ad Festum. Quæ etsi hic aliena videbuntur; gratiam tamen mereri poterunt vel antiquitatis, & Scaligeri caussâ: tum etiam quia faculam allucent illis Amphitr. & alibi aliis.

21. PONTIFEX] pro arbitro accipiendum, eoque qui quasi pontificatum sine suffragio populi gerens, jus ipse sumit sibi de divinis humanisque rebus statuendi. Dousa comment. cap. 7. ad Horatium. Revard. l. 2.3. Var. Lect. Qui consultò per deos arasque deorum pejerabant, Pontificibus pœnas dabant; qui per genium Principis, Principi: qui aliâ ratione, Censoribus. Dionys. lib. 2. scribit Pontifices de omnibus caussis ad sacra pertinentibus judicasse. Et ideò etiam de perjurio, quod per Jovem, per Dium Fidium, aut per aras deorum solenni modo præstabatur, cognovisse omnia omninò videntur: id quod vel ex hoc Plauti loco manifestum redditur. Gutherius lib. 2. cap. 3. de veteri jure Pontificio, istud non ad ultionem vel jurisdictionem Pontificum retulerit, sed ad criminis expiationem, quæ à Pontifice quæri solebat. nam commissum piaculum dicebatur, cùm id factum esset, cujus caussa hostiæ aut Libamenta deberentur; ut fraus, scelus, aut flagitium purgaretur: quod ex pontificum præcepto fiebat, si quid domestica religione piandum esset; de quo Acron ad Horat. 1. Od. 28. videatur idem dicto loco Gutherius.

23. REDEGISSEM IN POTEST.] Cùm in mentem veniat rarum illud & elegans, *In ordinem redigere*; pro, contemptui habere, & vilipendere; cui malo sic, si exempla huc ponam? Arnob. lib. 4. *Magistratum in ordinem redigere, Senatorem convicio prosequi* &c. Livius lib. 30. *Tribuni plebis in ordinem redacti*. Lactantius libro de Opificio DEI, c. 13. Plinius l. 1. epist. 23. item lib. 2. epist. 6. Vide Meurs. Exercit. Crit. & mihi ignosce.

24. CEDO QUI CUM H.] Sensus, auctore Jac. Rævardo in Protribun. hic est: Quis id, quod dare juratus sum, auferet à me judicio, si probaverim, te stipulatum esse, dolo malo: & per hoc stipulationem non valere: meque viginti quinque annis minorem esse, & ob id *Lætoriæ legis* beneficio uti posse? Vide ib. cap. 10. *quæ fuerit vetus sacramento contendendi ratio*: item Notas Pseudol. act. 1.3 Douza, Minores, *inquit*, XXV. annis, sine autore nequeunt obligari: eoque *Lætoriæ legis* beneficio in integrum restituuntur. Atque ex eâ lege Æmarum etiam Ranconnetum Plauti locum explicasse, notat Brisson. Antiquit. lib. 3. c. 3. Cicero etiam *Lætoriæ* hujus *legis*, circumscriptionem adolescentium vindicantis, meminit 3. Offic. ut observavit Torent. Suet. Vesp. c. 10. *Stipulari* autem, *Instipulari* & *Restipulari*, idem est, quod *Promittere* & *Repromittere*, auctore Cujacio. Acidalius negationem inseruit, *nive etiam dum haud siem Quinque* &c. Sed potior nobis sit auctoritas MSS. & edd. veterum: ne alia dicam. Pareana tamen impotens ferocia intulit editioni suæ.

26. HAEC

26. HABE CVM H.] sc. judicem. Certato sponsione cum Dæmone, non mecum: L.

27. JAM AB.] q.d. Volo de hâc controversiâ vestra cognoscere. nisi autem à me damnatus sit Gripus, vidulum non auferes. L.

28. PROMISISTI] Parei pr. editio *Promisti*, quo ipso pessimè versum jugulat; certè pedibus fraudat.

31. DAND. HVC] Sic Pal. pr. non *huic*.

35. TVM TE MIHI] Continuat orationem à Gripo interruptam.

36. PRO MEO I.] nempe cùm dicis, me tibi gratiam referre oportere, vidulum mihi reddis: L. Quamvis autem è Brix. & sequacibus, Acidalius reponat *tuo*: nolui tamen à sententiâ Cam. & Lambini, quam MSS. & omn. veteriores edd. firmant, discedere: satis est id fecisse Pareanam.

37. MIRVM QVIN &c.] Cum dissimulatione urbana pronunciandum. Mirum, inquit, me tuum jus non cum damno meo persequi! Q.d. stultum fuerit, jus tuum in meum damnum expetere. *Lamb.* & *J.P. Valla.*

37. MIRVM QVIN] De hâc locutione V. N. Aul. act. 1.2. & Mostell. 2.2.

39. VID. ISTIC.] D.F.I. *istunc*. Sed alterum in omnib. est.

39. MANCIP. MEVM] Gripus meus est: ita quod abs te stipulatus est, mihi debetur: L. B

43. TIBI MV.....] ita MSS. Pall. & Edd. Mediolan. Ven. & Argent. Cæteræ, ut & Pii, *mutuas*. Paris. *tuam agis*: non malè. Lambinus *cōmodas*: cujus nullū usquam vestigiū apparet.

44. NON H. ISTOC] non herclè talentum argenti mihi debitum avertes à me, si maximè vidulus mihi ereptus est. L.

47. TACETO.] MS. pr. *tacebo*, quod & in primis edd. at sec. *tacebo*. ut forte rescribendū sit. *tace. DÆ. Ebo! concede.* Porrò Pareus prius edidit *operam hanc*; contra omnes excusos & MSS. sicuti & versu 52. invexit *facis*, cùm Libri omnes scripti cusiq; antiquitus servent *facias*. ita versus 55. obtendit nobis *Gnatum*, cùm codd. omnes præferant *natam*, sed & versu 59. omisit integram vocem *occidi*, finitque verbo *suspendo*, prorsus contra MSS. editos singulos universosque. Et is tamen ille est, qui nefas ducit discedere à vestigiis librorum calamo exaratorum; qui penè insanit, cùm alius quis casu abiit à scripturâ membranaceorum; profanat que & temerè fidem A chirographorum, imò committit gravissimum crimen falsi.

48. NOLO MVRMVR VLLVM] ita MS. pr. & vetustior. edd. omnes. In Nonio (si germanum Nonii) legitur *murmurillum*. & verò etiam Pal. sec. vocibus divisis *murmur illum*.

52. DIVIDVVM T. FACIAM] i. dividam. sic *Individuam caritatem* dixit Lactant.

58. JVRISIVR. VOLO GR.] Gratia jurisjurandi solet aut ad delatum & susceptum, aut ad præstitum jusjurandum referri. Qui jusjurandum remittit, *Gratiam jusjurandi facere dicitur*: qui præstiti jurisjurandi religione aliquem liberat, is etiam jurisjurandi gratiam facit, &c. Atque ex hoc Plauti loco evidenter apparet, cùm id, quod juramento promissum est ultrò, sive (ut hîc) pactione aliquâ, remittitur, tunc etiam jurisjurandi gratiam fieri. Sueton. Tib. c. 35. *Equiti Rom. jurisjurandi gratiam fecit.* Vide Ræward. Var. lib. 3,2. Ita Torrent. Comm. Suet. Aug. c. 16 ad illa; *Gratiam fecit conjurandi cum totâ Italiâ pro partibus suis*, notat: Id est, permisit illos non conjurare pro sese cum reliquâ Italiâ. Ita; *criminum gratiam fecit*, Caligula, cap. 15. &; *edicti gratiam fecit*, Domit. c. 14. Ita Capitolinus in M. Antonino, *ætatis gratiam facere*: quod vulgò *dispensare* vocant. sic & Plautus, *jusjurandi gratiam facere*, pro, à juramento absolvere. Et, *pecuniæ gratiam facere*, pro remittere, dixit: ut Seneca epist. 10. *Diis votorum gratiam facere*, vide & Fr. Pollet. For. Rom. l. 4. 13.

59. NISI ME SVSPENDO, OCCIDI] Wo ich mich nicht heng/so sterb ich. Quasi immortalis esset, si se suspenderet, jocus est summæ caveæ tantum aptus.

63. POLLVCTI] Si nobis esset cœna tam lautè apparata, quàm esse solet eorum, qui *votivum epulum* faciunt, vos vocarem. V. N. Sticho, act. 2.1. & Scalig. ad Fest. in *Pollucere*. Gutherius veretur ne heic lapsus sit; certè impropriè locutus sit Plautus, exq; usu theatri, nam polluctum omne in fano consumebatur. videatur lib. 4. c. 23. de jure Pontif.

64. NEVE] D.F.I. *Nive*. Nisi, inquit, *ne* pro *ni* positum sit. Acid. *Nive* pro *neve* positum ait, & hoc pro *neu*. ut, *sive*, *seu*, &c. Sic tamen non temperavit se Pareus quin utraq; sua editione nobis oggereret, *Nive*, libris omnibus invitis.

66. COMMISSATVM] ita ferè MSS. Cam. *comissatum*: quod & Lam. propugnat. cæteræ. edd. ferè *comessatum*. V. N. Sticho act. 5. Sc. 4.

FINIS RUDENTIS.

STICHVS.

ARGUMENTUM.

ARGVMENTVM hujus Fabulæ est leve & futilè. Etsi in hâc bonæ & præclaræ sententiæ insertæ sunt: & *exemplum* proponitur egregium *fidei conjugalis.* Duo adolescentes fratres habebant duas sorores conjuges. Dum vivunt in luxu & delitiis, rem familiarem perdunt. hanc recuperare student mercaturis faciendis. quòd autem longo tempore abessent, vult pater filias, uxores illorum, aliis collocare, sed illæ constanter refragantur. Redeunt illi re benè & feliciter gestâ, & aucti opibus itaque facilè reconciliantur socero. Parasitus autem, quo socio & adjutore rem amiserant, ab illis repellitur, & ludibrio habetur. Sticho etiam servo potestas fit convivii agitandi cum altero servo Sagarino. PERSONARUM hæc sunt nomina, Πανήγυρις, significat *mercatum* & *conventum solennem.* Πινάκιον, diminutivum ἀπὸ τοῦ πίναξ, *tabella.* Ἀντιφῶν, *adversa lux*, vel *pro luce.* Γελάσιμος *ridiculus.* Κροκώτιον, ἀπὸ τοῦ κροκωτοῦ, diminutivum. κροκωτὸν autem & κροκωτή, *vestis crocei coloris.* Δινάκιον, *à volubilitate & conversione.* Ἐπίγνωμος, *prudens.* Στίχος significationem habet *ordinis* & *versus.* Παμφίλιππος, *omninò studiosus equorum.* Σαγαρῖνος, vel gentili formâ, vel ἀπὸ τῆς σαγάρεως, *securi* aut *gladio Persico.* Στεφάνιον, deminutum ἀπὸ τοῦ στεφάνου. *Camerarius.*

DRAMATIS PERSONÆ.

PANEGYRIS mulier.
PINACIUM mulier.
ANTIPHO senex.
GELASIMUS parasitus.
CROCOTIUM ancilla.
DINACIUM puer.
EPIGNOMUS.
STICHUS servos.
PAMPHILIPPUS adolescens.
SAGARINUS servos.
STEPHANIUM ancilla.

ARGUMENTUM.

SENEX castigat filias, quòd hæ viros
Tam perseverent peregrinantis pauperes
Ita sustinere fratres, neque relinquere.
Contráque verbis delenitur commodis,
Habere ut sineret, quos semel nactæ forent.
Viri reveniunt opibus aucti trans mare:
Suám quisque retinet: ac Sticho ludus datur

SENEX] Antipho.
1. FILIAS] Panegyr. & Pinacium.
4. DELENITUR] wird mit guten Worten beredt. *Verba delenifica* apud Lucill. & *delenifica facta*, Milite, 2:2.

ACTUS I. SCENA I.

PANEGYRIS,
PINACIUM, sorores.

CREDO ego miseram fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo; quæ tam diu vidua
Viro suo caruit. nam nos ejus animum
De nostris factis noscimus, quarum viri hinc absunt,
Quorumque nos negotiis absentum, ut est æquum,
Sollicitæ noctes & dies, soror, sumus semper.
,, *PI. NOSTRUM OFFICIUM nos facere æquum est: neque*
,, *Id magis facimus, quàm nos monet pietas.*
Sed hic, mea soror, assis-dum: multa volo tecum
Loqui de re viri. PA. salvéne, amabo?
PI. Spero quidem, & volo: sed hoc, soror, crucior,
Patrem tuum meúmque adeò, unicè qui unus
Civibus ex omnibus probus perhibetur,
Eum nunc improbi viri officio uti,
Viris qui tantas absentibus nostris
Facit injurias immeritò,
Nosque ab his abducere volt.
Hæ res vitæ me, soror, saturant:
Hæ mihi dividiæ & senio sunt.
PA. Neu lacruma, soror; neu tuo id animo
Fac, quod tibi tuus pater facere minatur.
Spes est eum melius facturum.
Novi ego illum: istac joculo dicit:
Neque ille sibi mereat Persarum
Montes, qui esse aurei perhibentur,
Uti istuc faciat, quod tu metuis.
Tamen si faciat, minimè irasci
Decet: neque id immeritò eveniet.
Nam viri nostri domo ut abierunt,
Hic tertius annus. PI. ita ut memoras.
PA. Cùm ipsi intereà vivant, valeant,
Ubi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos, neque redeunt.

PI. An

PI. An id doles, soror, quia illi suum officium
Non colunt, cum tuum facis? PA. ita pol.
PI. Tace sis! cave sis audiam ego istuc,
Cave, posthac ex te. PA. nam qui jam?
„ *PI. Quia pol meo animo OMNES SAPIENTES*
„ *SUUM OFFICIUM æquum est colere, & facere.*
Quamobrem ego te hoc, soror, tametsi es major,
Moneo, ut tuum memineris officium.
Et, si illi improbi sint, atque aliter
Nos faciant, quàm æquum est: tamen pol
Ne quid magis simus omnibus obnoxiæ opibus,
Nostrum officium meminisse decet.
PA. Placet: taceo. PI. at memineris facito.
PA. Nolo ego, soror, me credi esse immemorem viri,
Neque ille eos honores, mihi quos habuit, perdidit:
Nam mihi pol grata acceptáque hujus est benignitas:
Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet:
Neque est cur nunc studeam has nuptias mutarier.
Verùm postremò in patris potestate est situm:
FACIENDUM ID nobis quod parentes imperant.
PI. Scio, atque in cogitando mœrore augeor.
Nam propemodum jam ostendit suam sententiam.
PA. Igitur quæramus, nobis quid facto usus sit.

VERSUS hujus Sc. sunt numeris permistis, trimetri & dimetri, acatal. & catalectici, & brachicatalectici. *Cam.* Muretus lib. 5. cap. 6. Var. hanc totam Sc. transformat in meros Senarios, quem secutus est Lambinus, non etiam Dousa. neque caussa erat. Pareana tamen idem sibi licere putavit: tanquam antea scilicet miserè eam dilaceravissent bibliostrebli, ut ibidem loquitur Græculus noster.

1. MISERAM FUISSE EX ANIMO] V. N. Epid. 4. 1. Lipsius Epist. Q. lib. 3. 17. *Miseras ex suo animo*, videtur simile illi Homerico, πάϑεν ἄλγεα ὃν κατὰ ϑυμόν.

2. TAM DIU] viginti enim annos domo abfuit Ulysses.

4. DE NOSTRIS FACTIS] Ita clarè MSS. & omn. editi, idque utrâque manu teneo. Quæ illa *facta* sint, aut quomodo cum ipsis fiat, statim commemorat. Gulielmium & Muretum, quorum iste *factis* expungit, ille in *facil.* transformat, audio quidem, sed non ausculto. Meurs. corrigebat, *de nostris fatis Noss.* quomodo adolescens olim &

A Gruterus. haud ita tamen, ut in contextum reciperetur, sicut fecit Pareus. Nimis autem licenter interpolare Scenam hanc totam Muretum, & ad novam versuum legem cogere, idem Gruterus conqueritur. Atque in eo etiam reprehendendum clamitat, quòd verbum *vidua*, quod in MSS. & ed. omnibus est, ejiciat: nullam ob caussam. Si, inquit, putavit, non convenire: sciat *viduam* dici, & quæ maritum adhuc habet, & quæ nunquam habuit. Itaque in cassum Faernus hæret ad illud Terentii Phorm. Sc. pænult.

B *Nunc viduam extrudi turpe est.* Menæch. act. 1. 2. *faxo foris vidua visas patrem.* Seneca Agamem. v. 157.

Decem per annos vidua respiciam virum?

Ibid. v. 988.

Vidua ante thalamos.

Ibid. 195.

An te morantur virgines viduæ domi?

Livius lib. 1. (loquitur Tullia major) *Et se rectius viduam, & illum cælibem futurum fuisse contendere*, &c. Apul. lib. 4. Met. *Psyche*

virgo vidua domi residens. Et noster Cistell. act. 1.1. *Nunquam ego hanc viduam cubare sivi,* &c. Videantur & Javolenus JC. L. CCXLII. §3. D. de v.S. Nempe potest etiam esse viduitas, ubi duo in uno eodemque lecto. Arbiter: *An contentus fuit viduâ pudicâque nocte?* Hinc illud Mil. act. 4.1. de eâ, quæ seni nupsit; *nec nuptam esse nec viduam.* Vidua est, quatenus non experitur Venerem; nupta, quatenus habet maritum. *Hæc Gruterus.*

9. Assis-dum] ita rectè vett. edd. & MSS. in quibus tamen *adsidum,* ut fortè fuerit *assidedum.*

9. Multa v.] ita MSS. & omnes edd. Sed Acidalius ex opinione pudenter & cum veniâ, ut ipse ait, proponebat, *mutua.* quod nimis impudenter Paréus in contextum etiam admisit.

10. Salvene, amabo] Camer. & edd. ferè, *salvane.* Sed rectum, *Salvène, amabo?* nam in ejusmodi re, *Salve* Adverb. est, non Nomen: ut olim etiam Elias Vinetus ad Auson. disputavit, & tacitâ quasi sententiâ decidit Brisson. in Form. Plerunque autem subintellig. verb. *Agendi,* quod disertè adjungit Apul. 1. Metam. *Quàm salve agit, inquit, Demeas noster?* V.N. Trin. extremâ; item Acidaliū domi.

11. Adeo, unice qui unus] Edidit tyrocinio suo Pareus, *meumq́, adeò qui unus unicè Ex omnibus perhibetur civibus probus.* Quæ authadia! ne ipsemet quidem eam ferre perpetuò potuit. nam dum notat editione secunda: unicè) MSS. sic hunc versum concipiunt. Alii aliter: quos nihil moramur absq; Libb. MSS. auctoritate temerè omnia attentantes: non tam alios tangit, quàm verum de se pronuntiat. adeò improbitas nonnunquam sibi ipsi gravis fit.

14. Officio uti.] ita MSS. & omn. editi. Impudenter igitur, *fungi,* supponunt, Lambinus ac Pareus.

18. Vitæ me saturant] ita Poeta apud Linacr. l. 4.

Postquam dextra fuit cædis saturata.

19. Dividiæ] V.N. Bacchid. 4.6.

19. Senio] i. tædio & odio: *Non.* V.N. act. 2.1.

20. Neu tuo id an.] Honestiss. sermo, & sensus elegans, quem præ reverentiâ in parentem innuit obscurè jactum non exprimit. Pater ægrè & male facere minabatur; item ne ipsa ultrò sibi faciat, hortatur. *Acidal.* Parereus publicat, *Ne lac. sineve tuo &c.* invitis libris editis scriptisque.

21. Facere minatur] ita omnes MSS. & edd. nō, *facturum.* quod Pareus tamen invexit simeto editionis pr.

23. Joculo] Lamb. & Pareus *loco.* contra omnes libros.

30. Hic tertius annus] Utrum ejusmodi absentia legitimam caussam præstet divortii, disputat Hotoman. De ritu nupt. c. 24.

42. Et, si il. improbi.] Lambinus, & qui eum sequitur Pareus, hîc mirè turbant. inculcant etiā, *in nos,* item *secus,* alia item: quæ MSS. & omnium librorum consensus damnant. quem nos meritò sequimur.

44. Ne quid magis s.] Palm. verba digerebat: *Ne quid magis simus obnoxiæ opibꝰ omnibꝰ; Nostr. off. m. d.*

Nam, *opibus omnibus meminisse officium,* est, summo opere meminisse, ut officium faciamus. V.N. Merc. 1.2.

44. Obnoxiæ] Sic Pal. pr. i. affines sive cōpotes noxæ. Pallust. *Nobilitas obnoxia atq; eò perculsa* &c. Douza. Edd. vett. *obnoxæ,* quod & in Pal. altero.

52. In patris potestate est situm] Vide Hotoman. De ritu Nupt. c. 24. *An coemptione filia è patris potestate sit emancipata.*

54. Atq. incogitando] C. Colerus *ἀδιαίρεως* vult esse *incogitando* (ut est in MSS. Pall. licet contrarium afferat Pareus) & ita leg.

Scio ego, atque incogitando mærore angeor: pro, *angor.* ut Ter. Heaut. 2.2. ex Palm. emendatione: *Concurrunt multæ opiniones quæ mî animum exangeant.* Ita idem Trin. act. 2.1. leg. *incogitando.* &c. Observavit idem & Haiminsfeldus: atque in Schobingeri MS. *angeor* expressè legi notavit. quod rectissimum Acidalius clamitat & hîc & in Terentio. Ego quidem de loco illo Terentii non valde pugno; immo ferè adsentior: sed hîc à fide & sententiâ MSS. qui constanter *augeor* tenent, nondum dimoveor; quantumvis editi *angor* præferant. Etiam Camerarii judicio animus valde mihi augetur & crescit. Pareus ad isthæc, sic crocitat in Lexico suo; Legendū *angeor* censeo ductu MSS. quidquid secus arbitretur VVitebergensis Editor. potius standū judicio magnorum Philologorum, immò ipsius cod. MS. Schobingeriani. Sic ille; quæ nimis pueriliter recantât editione ultima. ô cōstantiam! ô judicium! tu interim Plaute, pro Agyrtæ hujus affectu, pateris, transformarisque in species monstrosas.

ACTUS

ACTUS I. SCENA II.

ANTIPHO.
PANEGYRIS.
PINACIUM.

QVI MANET VT MONEATVR semper servus homo officium suum,
Nec voluntate id facere meminit, servus is habitu haud probus est.
Vos meministis quotcalendis petere demensum cibum,
Quî minus meministis, quod opus sit facto, facere in ædibus?
Iam quidem in suo quidque loco nisi erit mihi situm supellectilis,
Cùm ego revortar, vos monumentis commonefaciam bubulis.
Non homines habitare mecum mihi hîc videntur, sed sues.
Facite, sultis, nitidæ ut ædes meæ sint, cùm redeam domum.
Iam ego domi adero: ad meam majorem filiam inviso domum.
Si quis me quæret, inde vocatote aliqui: aut jam egomet hîc ero.
PI. Quid agimus, soror; si offirmabit pater adversum nos? PA. PATI
NOS OPORTET quod ille faciat, cujus potestas plus potest.
AN. Si manere hîc sese malint potius, quàm aliò nubere;
Non faciant? quid mihi opu'st decurso ætatis spacio cum eis
Gerere bellum; cùm nihil, quamobrem faciam, meruisse arbitrer?
Minimè! nolo turbas. sed hoc mihi optimum factu arbitror,
Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor!
Vtrum ego perplexim lacessam oratione ad hunc modum,
Quasi nunquam quicquam in eas simulem; quasi nihil indaudiverim,
Eas in se meruisse culpam: an potius tentem leniter;
An minaciter. scio lites fore: ego meas novi optumè.
PI. Exorando, haud adversando sumendam operam censeo.
Gratiam à patre si petimus, spero ab eo impetrassere:
,, *ADVERSARI sine dedecore & scelere summo haud possumus.*
Neque ego sum factum; neque tu ut facias, consilium dabo:
Verùm ut exoremus. novi ego nostros: exorabili'st.
AN. Sic faciam! assimulabo quasi aliquam culpam in sese admiserint.
Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora:
Post id agam igitur: deinde, ut animus meus erit, faciam palàm.
Multa, scio, facienda verba. ibo intrò. sed aperta est foris.
PI. Certò enim mihi paternæ vocis sonitus aures accidit.
PA. Is est ecastor. ferre advorsum hominem occupemus osculum.
PI. Salve, mi pater! AN. & vos! ambæ illicò, agite, abscedite.
PI. Osculum. AN. sat est osculi mihi vestri. PI. quî, amabo, pater?
AN. Quia ita meæ animæ salsura evenit. PI. asside hîc, pater.
AN. Non sedeo istîc! vos sedete: ego sedero in subsellio.

PI. Mane pulvinum. AN. bene procuras mihi: satis sic fultum est mihi.
PI. Sine, pater. AN. quid opus est? PI. opus est. AN. morem tibi geram. atque hoc satis est.
„ *PI. NVNQVAM enim NIMIS CVRARE possunt suum parentem filiæ.*
„ *Quem æquius est nos potiorem habere, quàm te? post idea, pater,*
Viros nostros, quibus tu voluisti esse nos matresfamilias?
AN. Bonas ut æquum est facere, facitis; cùm tamen absentes viros
„ *Perinde habetis, quasi præsentes sint. PI. PVDICITIA est, pater,*
„ *EOS MAGNIFICARE, qui nos socias sumpserunt sibi.*
AN. Nunquis hîc est alienus nostris dictis auceps auribus?
PA. Nullus, præter nosque teque. AN. vostrum animum adhiberi volo.
Nam ego ad vos nunc imperitus rerum, & morum mulierum,
Discipulus venio ad magistras. quibus matronas moribus,
Quæ optumæ sunt, esse oportet? sed utraque ut dicat mihi.
PA. Quid istuc est, quod huc exquæsitum mulierum mores venis?
AN. Pol ego uxorem quæro, postquam vostra mater mortua est.
PA. Facilè invenies & pejorem & pejus moratam, pater,
Quàm illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque Sol videt.
AN. At ego ex te exquiro, atque ex istâc tuâ sorore. PI. edepol, pater,
Scio, ut oportet esse, si sint ita, ut ego æquum censeo.
AN. Volo scire ergo, ut æquum censes. PI. ut per urbem cum ambulent,
Omnibus os obturent, ne quis meritò maledicat sibi.
AN. Dic vicissim nunc jam tu. PI. quid vis tibi dicam, pater?
„ *AN. VBI FACILLIME SPECTATVR mulier, quæ ingenio est bono?*
„ *PA. Cui malefaciundi est potestas, quæ, ne faciat, id temperat.*
AN. Haud malè istuc. agè tu altera; utra sit conditio pensior,
Virginémne an viduam habere? PI. quanta mea sapientia est,
„ *E MALIS MVLTIS malum quod minimum est, id minimum est malum.*
„ *QVI POTEST mulieres vitare, vitet: ut QVOTIDIE*
„ *PRIDIE CAVEAT, NE FACIAT QVOD PIGEAT POSTRIDIE.*
„ *AN. QVÆ tibi MVLIER videtur multo sapientissima?*
„ *PA. Quæ tamen, cùm res secundæ sunt, se poterit noscere:*
„ *Et illa quæ æquo animo patietur sibi esse pejus quàm fuit.*
AN. Edepol vos lepidè tentavi, vostrumque ingenium ingenii.
Sed hoc est, quod ad vos venio, quodque esse ambas conventas volo.
Mihi auctores ita sunt amici, ut vos hinc abducam domum.
PA. At enim nos, quarum res agitur, aliter auctores sumus.
Nam aut olim, nisi tibi placebant, non datas oportuit:
Aut nunc non æquum est abduci, pater, illisce absentibus.
AN. Vósne ego patiar cum mendicis nuptas, me vivo, viris?
PI. Placet ille meus mihi mendicus. suus rex reginæ placet.
Idem animus est in paupertate, qui olim in divitijs fuit,

AN. Vósne

AN. Vósne latrones & mendicos homines magnipenditis?
PA. Non me tu argento dedisti, opinor, nuptum, sed viro.
AN. Quid? illos exspectatis, qui abhinc jam abierunt triennium?
Quin vos capitis conditionem ex pessumâ primariam?
„ *PA. STULTITIA EST, pater, venatum ducere invitas canes.*
„ *HOSTIS EST UXOR, invita quæ ad virum nuptum datur.*
AN. Certúmne est neutram vestrarum persequi imperium patris?
PI. Persequimur. nam quò dedisti nuptum, abire nolumus.
AN. Bene valete: ibo, atque amicis vestra consilia eloquar.
PA. Probiores credo arbitrabunt, si probis narraveris.
AN. Curate igitur familiarem rem, ut potestis, optumè.
PA. Nunc placet, cùm rectè monstras: nunc tibi auscultabimus.
Nunc, soror, abeamus intrò. PI. imò intervisam priùs domum.
Si à viro tibi fortè veniet nuncius, facito ut sciam.
PA. Neque ego te celabo, neque tu me celassis quod scies.
Ehò, Crocotium, i parasitum Gelasimum huc arcessito:
Tecum adduce. nam illum ecastor mittere ad portum volo.
Si qua fortè ex Asia navis heri aut hodie venerit.
Nam dies totos apud portum servus unus assidet.
Sed tamen volo intervisi. propera, ac actutum redi.

VERSUS hujus Scenæ sunt tetram. acatalect. & catal. troch.

V. 2. VOLUNTATE] usurpatur ita absolutè, ut *Sponte*. Milite, act. 4: 3. *Quin si voluntate nolet, vi extrudam foris.* —

2. HABITU H. PR.] Ita Mil. act. 2: 1. *qui est amor cultu optimus.*

3. QUOT CALENDIS] dictum, ut, *quotannis, quotmensibus, quotdiebus*: pro, singulis annis, mensibus, &c. Vitruv. lib. 9. cap. 4. *Itaque quotmensibus sub rotam Solis radiosque obscuratur.* Cato: *Capita oleagina quotmensibus fodere oportet.* Vlpianus, *Nihil interesse*, inquit, *utrum in annos singulos, vel quotannis: an in singulos menses, vel quotmensibus; an in singulos dies, an quot dieb. legetur.* Non igitur verum est, judice quidem Alciato, quod Valla ait, Ulpianum hisce talibus linguam Lat. corrupisse. Etiam dicebant, *quotquotmensibus, quotquotannis.* Varro lib. 4. de L. Lat. *Sacra quotquotmensibus feruntur in arcem.* A. Gell. lib. 6. *Ut Carthaginienses quotquot annis darent Pop. R. certum pondus argenti puriputi.* Ex Auf. Popmâ in Caton.

3. DEMENSUM] τὸ σιτομέτριον, *Cibaria*, ut Tertullianus vocat; vel *Diaria*, ut Martialis.
A Donatus: *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem: & id Demensum dicebatur. utrum à Mense, an à metiendo, incertum est.* Colvius *à dimetiendo* dictum non dubitat: quoniam certa mensura daretur. Juvenal.

Servorum ventres modio castigat iniquo
Ipse quoque esuriens.

Sen. Epist. 80. *Servus est: quinque modios accipit.* At cur *Quinque*? cùm Donat. *Quaternos*? Potest fieri, imo solet, ut honestiores plusculum acciperent. Appendi etiam soli-
B tum olim frumentum, patet ex L L. XII. Tabb. & Hor. 1. Sat. 5. ——*cui satis una*
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo.
Atque alia erant *Rustica* cibaria, alia *Urbana*. Hor. Epist. 1. &c. Et quia petebatur dabaturque singulis Calendis, Scriptores inferioris ævi *demensum* pro stipendio, salario, honorario quolibet, vitæ ratione etiam, usurparunt. Vide P. Colv. in l. 9. Milef. Apul. & Budæum Pand. prior. ut & Ræward. l. 5: 20. Var. Lect. Apud Theocritum Idyl. 17. ἁρμαλιὰ ἔμμηνος, *demensum*, est; sive *mensurna divisio*, ut Cyprianus appellat alimenta Presbiterorum. *Notæ Casaub.*

6. MONY.

6. MONVMENTIS] V.N. Most. 4:1. Urbanè lora è corio bubulo vocat *monumenta bubula.* nam à monendo dicuntur *monumenta.*

9. INVISO DOMVM.] Acidalio venit in mentem, posse ita etiam interpungi: *inviso. domum, Si q.* deinde *aliqui* est *aliquis*: quod statim in contextum recepit prurigo Parei.

11. OFFIRMAB.] si offirmato animo nos urgebit, ut à viris discedamus: L.

14. NON FACIANT?] Ita libuit interpungere, sententia aperta; ne abirem à libris. Pall. enim ambo, *Non faciam.* Edd. primæ, *Non faciant.* Acidalius flagitante procursu orationis, abjiciendam putabat negativam: quem secutus est utraq; editione Pareus, rejectâ omnium librorum reverentiâ; quam toties in ore habet, cùm libuit excarnificare Plautum.

14. DECVRSO ÆTATIS SPACIO] eleganter. *Spaciari* propriè est in stadio currere. nam τὸ στάδιον Æoles vocabant σπάδιον: unde Latini, qui multum Æoles imitantur, fecerunt *Spacium* suum. Inde in Eleg. De obitu Mecænat. *respacians equus* dicitur, qui finivit curriculum & spacium suum: *Scaliger.*

16. MINIME. NOLO TVRBAS.] ita distinxi, cum MSS. haberent, *minimè nolo.* contrà ipse Cam. & omnes editi, *Minimè volo turb.* Pareus fine versus rescribit *arbitrer,* nolentibus & mss. & edd.

18. PERPLEXIM] ita Asin. *verbum perplexabile.* ut alibi, *contortiplicata oratio.* Glossarium: *Tortiloquium,* συνεστραμμένη ὁμιλία. Phædrus Fab. 14. *verbosas strophas* dixit. Martial. lib. 3. *Nihil stropharum est, &c.*

19. IN EAS SIMVL.] Tmesis: pro, *eas insimulem.* Donatus ad illud Ter. Phor. act. 2:3. *Si herum insimulabis avaritiæ, male audies,* notat: *Insimulatio est & falsi & veri criminis incusatio.* Cic. *Nihil eorum, quæ Galli insimulabant, negârunt:* L.

21. AN P. T. L. AN MINACIT.] Acidalius contra MSS & Edd. omnes maluerat, *ac pot.* nam, inquit, duos init modos, utrum leniter filias tractet, an minaciter: atque in priori includit istum, num perplexabiliter atque ex obliquo. Sic enim *leniter* eas adoriatur. at contrà *minaciter*: si directè & apertâ incusatione. Quamobrem pessimè erat scriptum, *an potiùs*: quasi diversum hoc à præcedentibus caput deliberationis, &c. Idem suprà v. 17. leg. *ratiociner.* Nihil enim dum, inquit, senex statuerat: sed id optimum esse adhuc dicit, ut ratiocinetur secum priùs, quomodo principium sit accepturus. Tale illud Pseud. 5: 2. *magis cogito saviter blanditerne alloquar.* Et huic obsecutus Pareus ineptissimè.

22. PL. EXORANDO] Ovid. Metam.

——*blanditiisque magis quàm viribus uti*
Convenit.

Et miratur Acidalius, nemini de tam crasso & obvio mendo suboluisse. quando Seni dant hunc vers. qui *Pinacij* sit cum seqq. & alia turbant: de quibus curiosissimè Acidalius in *Divinat. & Interpret. Plautinis*: quem, si usquam, in hoc Colloquio mihi vide. Obiter tamen indico, omnes vett. ed. legere, *Exorando advers.* absque illo *haud.*

22. IMPETRASSERE] nos impetraturas. Meurs. l. *impetrascere,* per c.

26. NOSTROS] nostri generis homines: L. Sed de hoc alibi.

26. EXORABILIST] MSS. *exorabile est.*

27. ASSIMVLABO Q. CVLP.] Nihil tamen horum fecit postea.

29. POST ID AGAM IG.] Acidalius malebat, *prius id agam: igitur &c.* prius enim pater perplexabiliter eas pavefaciet: deinde animum suum liquido patefaciet. at MSS. & vett. edd. retinent, *Post id ag.* & sensum habet commodum, quamvis neget Pareus, qui invitissimis tum membranis, tum omnis ætatis edd. commentum alterum admisit in textum.

32. ADVORSVM HOMINEM] Douza l. *homini.* Et notanda phrasis, *occupo ferre.* quâ & Horatius usus in re simili, 2. Od. 12. MSS. tamen Pall. & Edd. vett. *hominem.*

33. ET VOS AMBÆ. ILL.] Ita Parm. & Brix. distinguunt.

33. ILICO AGITE ABSCEDITE.] ita MS. Cam. sec. & omn. edd. veteres. at pr. *ascidite.* hinc factum *assidite.* Acidalius divinabat, *absistite.* Neque enim, inquit, abscedere prorsus eas jubet, sed astare paulò remotius, id est, *absistere.* & juvat *illicò*: quod non tantùm χρονικὸν, sed & τοπικὸν Adverb. est, & idem cum *è loco.* de quo Trucul. act. 2:4. Pareus *assidite* retinuit in prima, prorsus insulsè.

34. SAT EST MIHI] Satis vos osculatus sum: L.

35. SALSV-

35. SALSURA] Translatio ad animum à palato, quod nimio sale offenditur: Douza, & P. Valla. Lambinus ita: Quia anima mea, quæ nunc insulsa & salis expers est, talibus osculis salsa fit. Significat animam senis propter ætatem esse insulsam & insuavem: osculis verò puellarum salsam & suavem reddi.

37. MANE P.] exspecta pulvinum, qui supponatur.

37. FULTUM] sc. subsellium.

40. QUEM ÆQUIUS] MS. pr. *Quin* vel *Qum*, sec. & omn. editi, *Cum.* quod valde miror.

41. MATRIS FAM.] Quid *Matrona*, quid *Materfamilias*, docet Agellius lib. 18: 6.

43. PRÆSENTES SINT] Pareus abjecit *sint*, quo ipso, versum insignitè mutilavit. certè non tenet rationem metricam magis quàm scrofipascuus aliquis.

44. MAGNIFICARE] pro, magni facere. Lucillius:

Magnificare hos, his bene velle: his vivere amicum.

V. Not. Pseud. act. 4: 1. & Cistell. 1: 1. *quia me colitis & magnificatis.* Ter. Hecyrâ act. 2: 2.

Quem ego intellexi illam haud minus, quàm seipsum magnificare.

Vide & Fr. Hotomann. cap. 23. De Ritibus nuptiar. veterum. Pall ambo *Enos.* an fuit? *Illos*, versu faciliore.

46. PRÆTER NOSQUE TEQ.] ita MSS. Cam. Non ergò fultura Acidalii opus.

OMNIBUS OS.] Talis sit omnium de iis existimatio, ut nemo eis maledicere merito possit vel audeat. L. Pareus in Electis facundiam suam hîc exerit, dum blaterat. Calumnias devitare non possumus; modò præter nostrum meritum sint. quis istud intelligat. quis magister de trivio sic unquam est locutus?

59. UBI] quâ in re exploratur? L.

60. CUI MALEF.] Acid. l. *Cùm mal.* quia præcesserit, *Ubi.* Sed alterum in MSS. & edd. est, non minus probum. commentum tamen placuit Pareo, & gementibus libris immisit textui.

61. PENSIOR.] melior, & quæ pensi magis sit habenda. V. N. Bacchid. 3: 2.

62. VIRG. AN VIDUAM DUCERE] De hâc quæstione Albericus Gentilis lib. 4. c. 14. De Nuptiis.

A 63. E MALIS MULTIS] Annotabimus hîc pluscula, ut unâ operâ aliquam multa Plauti loca illustrentur. Muretus Var. Lect. lib. 14. cap. 5. Epicharmum tradidit Aristoteles interdum sententias quasdam ita conformasse, ut è contrariis constare viderentur: cum tamen in eis bis idem diceretur &c. Risum autem commovet illa stultitiæ imitatio κατὰ τὸ παρὰ προσδοκίαν: cùm auditor, qui aliquid aliud exspectabat, suâ se spe delusum videt. quo in genere facetissimum est illud Cic. ad Att. *Noli putare, pigritia facere me, quòd non manu meâ scribam: sed mehercule pigritiâ: nihil enim habeo aliud quod dicam: & tamen in tuis quoque epistolis Alexin* (Ciceronis amanuensem) *videor agnoscere.* Plautus autem & frequenter ita ludit: & interdum sine illâ simulatâ contentione contrariorum, ridiculi caussâ ejusmodi enunciationes ponit: in quibus, ut Dialecticorum more loquar, idem sit τὸ κατηγορούμενον τῷ ὑποκειμένῳ: idq; nonnunquam paullo aliis, nonnunquam etiam planè iisdem verbis. Sic in Curculione (act. 4: 4.) Leno: *Quoi homini dii sunt propitii*: exspectes, dum dicat, Ei omnia succedunt sub manum; aut aliquid ejusmodi: at ille; *ei*, inquit, *non esse iratos puto.* Quod tale est, ac si quis

B diceret: *Vinum quod album est, nigrum non esse arbitror.* Itaque ridiculè quidam illîc acutus esse voluit, & argumentari eum à contrariis dixit. (*Sed vide tu mihi tamen Notas ibidem.*) Simile illud è Sticho:

E malis multis malum quod minimum est, id minimum est malum.

Talia erant illa, quæ ridentur à Stoicis: *Si dies est, dies est. Est autem dies: Est igitur dies.* Cui enim dubium esse potest, quin quod malum minimum est, id sit minimum malum? Sed sunt quidam μωρόσοφοι, qui hæc perinde accipiunt, ac si serio à Plauto dicerentur. Simile est illud è principio Capt.

Hos, quos videtis stare hic captivos duos,
Illi qui stant, hi stant ambo, non sedent.

Hoc enim dicit, eos captivos, qui illic stant in conspectu omnium, eos igitur stare, non sedere. Neque dictum est, *Hos duos captivos*, pro, *horum captivorum duorum*, ut quidam putat: sed talis verborum constructio est, qualis illa: *Urbem quam statuo, vestra est &c.* Deinde quasi res dubia sit, aut testibus egeat, itidem risus caussa, *Vos, vos,* inquam, *mihi*

testes estis, me verum loqui. Ubi, *vos vos*, valet, vosmetipsi: quomodo *me me* dicimus meipsum, & *tete*, teipsum &c. *Adhuc Muretus.* Des. Heraldus hic legit,

——malum quod minimum est, id minimè est malum.

sic enim, ait, sententia multò argutior: quæ eadem prorsus apud Aristot. in Rhetoricis. & hoc quoque statim occupavit Pareus, contra omnes codd. calamo exaratos, typisque fictos.

64. VITARE, VITET.] in MSS. est, *vitare vitiis.* fortè fac. *vitet is.* quod Pareus in textum recepit, nolentibus Edd. vett.

64. VT COTIDIE] Augustinus: *Cave pridie quotidie, ne quid agas hodie, cujus te pœniteat postridie.*

65. CAVEAT] *Cavere*, est sibi prospicere quocunque modo. *Vitare*, est declinare corpore & effugere noxium. ut gladiatores solent petitiones vitare & exire. Seneca Epist. *Nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens ne vitare videatur.*

67. QVÆ TAMEN, C.] ita MSS. & vett. ed. Malè *tum*, Pareana: quo ipso ruit versus.

68. PEIVS, QVAM FVIT] Est enim acerbissimum, è beato factum esse infelicem. Cic. *Tum ubi non sis, qui fueris, non est cur vivere velis:* L.

69. VESTRVMQ. I. INGENI.] Ita MSS. Pall. Lamb. hunc versum sic sanare conatur; *ingenium duûm*, i. vestrûm duarum. At Schop. è MSS. reposuit, *ingenium ingeni*, i. animum & sensum vestrûm. sicut aliàs *ingenium* pro naturâ & moribus alicujus rei usurpatur. V. N. Pœn. 5: 4.

71. HINC ABDVCAM] Haud aliter Pall. ac vett. edd. Pareana nullo exemplo substituit, *adducam hinc.* quæ petulantia?

73. NAM AVT OLIM] Similitudinis geminæ illa Ennii:

Injuriâ abs te afficior indigna, pater.
Nam si improbum Cresphontem existimaveras:
Cur me huic locabas nuptui? sin est probus,
Cur talem invitum invitam cogis linquere?

Item hæc Afranii:

Indignum ò facinus! adolescentes optimos,
Benè convenientes concordesque cum viris,
Repente viduas faciat spurcities patris.

sic enim emendat Gruterus. Porrò Alb. Gentilis lib. 4. cap. 7. De Nupt. ex hoc etiam & illo loco pr. Sc. versu 52. probat, Patri aliquando licitum fuisse dissolvere contracta se autore matrimonia filiarum. Vide ibid.

78. LATRONES] i. milites. V. N. Mil. 1: 1.

80. Q. ABHINC IAM ABIER.] ita constanter è MSS. & omn. ed. Frustra hic ergo satagunt L. & Acid. & omnium pessimè Pareus, qui consultis MSS. exhibuit tamen, *Iam quàm abierunt triennium est;* cùm vox *quòm*, & *est*, nusquam ibi compareat, ut nec in edd. vett.

81. CONDITIONEM] semper, *Conditio*, ubi de nuptiis & matrimoniis sermo: apud Plautum centies. Scenâ præced. *Et me quidem hac conditio nunc non pœnitet.* unde in Sponsalibus discutiendis formula solemnis: *Conditione tuâ non utor.* L. 11. D. de Divort. & Repud. *Colvius.* V. N. Aul. act. 3: 5.

82. VENATVM] Proverb. *Invitis canibus venari.* Quo significatur, non sat feliciter succedere, quòd à nolentibus extorquetur.

83. INVITA QVÆ AD VIR. NVP. DATVR] ita MSS. *Nusquam* enim *libertas tam necessaria, quàm in matrimonio est*, ait Quintil. Declam. 257. *Nam qui amare alieno animo potest? Omnes nuptiæ ex affectu sunt:* L. 26. c. de Nupt. *Propria hic debet esse voluntas:* c. 16: 32. Q. 2.

89. NVNC PLACET] J. Gul. l. *nunc places.* Et nescio an unquam aliter. Cui respondet, & tanquam adversatur, *Non places.* Trucul. *Non places: in mutum confers culpam.* At mihi potius placeat, quod est in MSS. & vett. editis, *placet.* Pareus captator novitatis alterum admisit in prima.

93. ARCESSITO] ita MSS. non *accersito.*

97. AC ACTVTVM] τὸ *ac*, ut & Brix. *atque*, nec in MSS. nec vet. ed. apparet: sed, *propera: act. redi.*

ACTVS

ACTUS I. SCENA III.

GELASIMUS parasitus.
CROCOTIUM ancilla.

Famem fuisse suspicor matrem mihi;
Nam postquam natus sum, satur nunquam fui.
Quam ego matri meæ retuli invitissimus,
Eam mihi nunquam retulit mater gratiam.
Nam illa me in alvo menses gestavit decem,
At ego illam in alvo gesto plus annos decem.
Atque illa puerum me gestavit parvulum,
Quo minus laboris illam cepisse existimo:
At ego non pauxillulam in utero gesto famem,
Verùm hercle multo maximam & gravissimam.
Uteri dolores mihi oboriuntur cotidie.
Sed matrem párere nequeo; nescio quomodo.
Audivi sæpe hoc vulgo dicier,
Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Esse annos. ejus ex semine hæc certò est Fames.
Nam jam complures annos utero hæret meo.
Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam,
Venalis ego sum cum ornamentis omnibus.
Inanimentis explementum quæritо.
Gelasimo nomen mihi indidit parvo pater:
Quia inde jam à pauxillo puero ridiculus fui.
Propter paupertatem adeò hoc nomen repperi:
„ *Eò, quia PAUPERTAS fecit, ridiculus forem.*
„ *Nam ILLA OMNES ARTES PERDOCET, ubi quem attigit.*
Per annonam caram dixit me natum pater:
Propterea, credo, nunc esurio acrius.
Sed generi nostro hæc reddita est benignitas,
Nulli negare soleo, si quis esum me vocat.
Oratio una interiit hominum pessumè,
Atque optima hercle, meo animo, & scitissima,
Quâ antè utebantur, Veni illò ad cœnam! Sic face!
Promitte verò! Ne gravare! Est commòdum?
Volo inquam fieri! Non amittam, quin eas!
Nunc repererunt ei verbo vicarium,
Nihili quidem hercle verbum ac vilissimum,
Vocem te ad cœnam, nisi egomet cœnem foris.
Ei hercle ego verbo lumbos defractos velim,

Ni verè perierit, si cœnassit domo.
Hæc verba subigunt me, mores ut barbaros
Discam, atque ut faciam præconis compendium,
Itaque auctionem prædicem, ipse ut veneam.
CR. Hic ille est Parasitus, quem arcessitum missa sum.
Quæ loquitur, auscultabo, priusquam colloquar.
GE. Sed curiosi sunt hic quamplures mali,
Alienas res qui curant studio maximo,
Quibus ipsis nulla est res, quam procurent, sua:
Ei quando quem auctionem facturum sciunt,
Adeunt, perquirunt quid siet caussæ illico:
Alienum æs cogat, an pararit prandium:
Vxorin' sit reddenda dos divortio?
Eos omnes (tametsi hercle haud indignos judico,
Qui ut multum miseri sint, laborent) nihil moror:
Dicam auctionis caussam, ut animo gaudeant,
„ *(Nam CVRIOSVS NEMO est, quin sit malevolus,*
Ipse egomet quamobrem auctionem prædicem:
Damna evenerunt maxima misero mihi,
Ita me mancupia miserum affecerunt malè;
Potationes plurimæ demortuæ:
Quot adeò cœnæ, quas deflevi, mortuæ!
Quot potiones mulsi! quot autem prandia!
Quæ inter continuum perdidi triennium.
Præ mœrore adeò miser atque ægritudine
Consenui: pæne sum fame emortuus.
CR. Ridiculus æquè nullus est, quando esurit.
GE. Nunc auctionem facere decretum est mihi.
Foràs necessum est quicquid habeo vendere.
Adeste sultis, præda erit præsentium.
Logos ridiculos vendo: agite! licemini.
Qui cœnâ poscit? ecqui poscit prandio?
Hercules te amabit prandio? cœnâ tibi?
Ehem annuistin'? nemo meliores dabit.
Nullis meliores esse parasitos sinam.
Vel unctiones Græcas, sudatorias,
Vel alias malacas, crapularias;
Cavillationes, assentatiunculas,
Ac perjuratiunculas parasiticas,
Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam,
Parasitum inanem, quò recondas reliquias.
Hæc vanisse jam opus est, quantum potest.

Uti decumam partem Herculi polluceam.
CR. Ecastor auctionem haud magni pretij!
Adhasit homini ad infimum ventrem fames.
Adibo hominem. GE. quis hac est, qua adversum it mihi?
Epignomi ancilla hac quidem est Crocotium.
CR. Gelasime, salve. GE. non est id nomen mihi.
CR. Certo mecastor id fuit nomen tibi.
GE. Fuit disertim: verùm id usu perdidi:
Nunc Miccotrogus nomine ex vero vocor.
CR. Heu ecastor, risi te hodie multum. GE. quando, aut quo in loco?
CR. Hîc cùm auctionem prædicabas. GE. pessuma,
Ehon' audisti? CR. te quidem dignissimam.
GE. Quò nunc is? CR. ad te. GE. quid venis? CR. Panegyris
Rogare jussit te opere maximo,
Mecum simitu ut ires ad sese domum.
GE. Ego illò mehercle verò eo, quantum potest.
Jámne exta cocta sunt? quot agnis fecerat?
CR. Illa quidem nullum sacrificavit. GE. quomodo?
Quid igitur me volt? CR. tritici modios decem
Rogare, opinor, te volt. GE. méne ut ab se petam?
CR. Imò hercle ut abs te mutuum nobis dares.
GE. Negato esse quod dem, nec mu, nec mutuum,
Neque aliud quicquam, nisi hoc quod habeo pallium;
Linguam quoque etiam venditariam.
CR. Hau, nulla tibi lingua est, qua quidem dicat, Dabo?
GE. Veterem reliqui: eccam illam, qua dicat, Cedò.
CR. Malum tibi di dent! GE. hac eadem dicit tibi.
CR. Quid nunc, iturus an non? GE. abi sanè domum:
Jam illò venturum dicito, propera, atque abi.
Demiror quid illæc me ad se arcessi jusserit,
Quæ nunquam jussit me ad se arcessi ante hunc diem,
Postquam vir abiit ejus. miror quid siet,
Nisi ut periculum fiat, visam quid velit.
Sed eccum Dinacium ejus puerum. hoc vide!
Satin' ut facetè, atque ex picturá astitit?
Næ iste edepol vinum poculo pauxillulo
Pæpè exanclavit submerum scitissimè.

SED QVAM EGO &c.] Festivissimè ridiculus est Gelasimus, & nomen suum egregiè tuetur; novo inauditoque exemplo *Famē* sibi olim *matrem*, & nunc *filiam* eandem argutans; quam parere vicissim nequeat tamen: A & eò, de ingratitudine ipsius, ventrisque sui inanitate pleni diutinâ verminatione queritur. Edidi autem locum ferè, ut eum Acidalius restituit. male namque à Pareo in prima *retulit* expressum, tanquam profectum ab

 Acidalio

Acidalio. Quomodo eundem Camerarius ex conjecturâ; & hunc ferè secutus Lambinus conati sint explicare, mâlo apud ipsos, quàm hîc legi; contentus MSS. lectionem indicasse, quæ talis:

——s.n.fui.
Quam ego matri meæ refero invitissimus,
Neque retulit quam ego refero meæ matri famî.
Nam illa me in alv.

Edd. primæ his accedunt, nisi quod ex *Quam neque retulit ego ref. mea m. famæ gratiam. Nam.*

8. CEPISSE] D. legit *cepse*, pro, *cepisse*. quod non erat cur contextui inferret Pareus. neq; enim illud ullo modo requirebat versus. Vox sanè *illa* ferè semper apud nostram in unam contrahitur syllabam. & verò nostrum omnes defendunt libri, scripti, cusi.

13. VULGO DICIER] Ita MSS. & Edd. primæ. nam seqq. interpolarunt, *vulgò à multis dicier.* posteriores, *vulgo dictum dicier.* at quid si exciderit geminæ similitudinis vox? *vulgo vulgò dicier.*

14. ELEPHANTUM] Plin. 8. 10. *Decem annis gestare in utero vulgus existimat: Aristoteles biennio: nec amplius, quàm singulos (alii, semel,) gignere: vivere ducenis annis, & quosdam trecenis. Juventa eorum à sexagesimo incipit.* V. Aristoteles l. 6. De Nat. Animal.

17. NUNC SI RIDICULUM] Mos olim præconum in mancipia vænui subjecta jocos & dicteria jactare: quod ex Luciani βίων πράσει optimè videre est: & Athen. lib. 10. Spectat huc Lucillii versus:

Conjicere in versus dictum præconis volebam.

18. CUM ORNAMENTIS] Turn. lib. 18. 21. ad illud Cicer. pro Quinctio: *Sed etiam victus vestitusque necessarius sub præcone cum dedecore subjectus est*; notat: id est, qui totus cum omnibus suis rebus & bonis, ut ne vestis quidem ei relinquatur, & si quid sibi penoris ad cibum paravit venditur. Sic pro Sestio: *Vivus, ut ajunt, & videns cum victu suo ac vestitu publicatus.* Sic ista duo conjungebant, cùm personam cum rebus omnibus se vendere significabant. Vendebant & servos cum *ornamentis*, (ut hic in Sticho) id est, cùm vestitu; nonnunquam & si quid penoris sibi instruxerant. Sed & Plautus ibidem,

Meo cibo & vestitu rem curo publicam,

dixit, ista duo copulans. *Victum & cultum* etiam sæpè conjungi reperias. Des. Heraldus eum dixisse ait, *cum ornamentis omnibus*, quòd Ornamenta sive vestimenta separatim venderentur. Persâ act. 4. 4. *Heus tu, etiam pro vestimentis huc decem accedant minæ.*

22. PAUXILLO] Vocem *puero* Acid. hinc exturbavit, versusque ita ordinavit. Quæ ipsi verissima & ὀφθαλμοφανὴς restitutio videtur. Et est profectò si sententiæ vim attendas. In hoc ergò judicium ipsius secutus; in altero non item. nam τὸ *puero* in MSS. & ed. omnibus est, & potest tolerari. Jam in MSS. *pausillo* exaratum est. Pareus hunc ordinem etiam versuum secutus est; quamvis invitis MSS. & Edd. omnibus. ubi tunc ergo ei fuit religio Antiquitatis?

23. PAUPERTAS FECIT] Juvenal. Sat. 3.
Nil habet infelix Paupertas durius in se,
Quàm quòd ridiculos homines facit.

24. OMNES ARTES] Nihil verius. Persius:
Quis expedivit Psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.

Vide Comment. Is. Casauboni. Manilius lib. 1.

Et labor ingenium miseris dedit: & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

Seneca Epist. 15. *Quos nova artificia fames docuit.* Apulejus: *Quemcunque cum aliquâ laude miramur, eum Paupertas ab incunabulis nutricata est: Paupertas, inquam, prisca apud secula omnium civitatum conditrix, omnium artium repertrix.* D. Hieron *Litteræ marsupium non sequuntur; laboris comites sunt & sudoris.* Theocr. ἁ πενία μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.

24. PERDOCET] Sic in Orat. falsò Sallustio tributâ, in quâ Cic. hâc ironiâ incessitur: *Quem Minerva omnes artes perdocuit.* D.

25. PER ANNONAM] i. *cùm annonæ incendium esset*, ut Fabius loquitur: vel ut Varro: *cum condesacta annona, & jam fames esset.*

29. SI QUIS ESUM ME VOCAT] Sic Men. act. 3. 1. *qui esum neque vocantur, neque vocant.* D. Ubi Notas à Rittershusio vide. *Vocare*, solemne Romæ verbũ in invitationibus conviviorum fuisse, docuit luculentissimè J. Gul. Verisim. lib. 1. 18. & Pl. Quæst. in Amph. c. 8. testimoniis Ciceronis, Justinian. IC. & aliorum. Legit autem hic: *si quis me vocat:* & illud

& illud, *esum* è glossâ irrepsisse, versum arguere, ait: cui Lambinus nequicquam mederi sit conatus. Catullus: *Vos convivia lauta sumptuose de die facitis: mei sodales quaerunt in triviis vocationes.* Ejusmodi autem (ut hoc obiter dicam) *Coenipetas*, quique deterius nihil quàm *domicoenia* odêre, *laudicoenos* olim dictos, notat Dousa ad lib. I. Petron. Jam isti *Vocandi* verbo tanquam è regione respondet *Revocare*, id est, eum, apud quem convivio acceptus hilarè fueris, vicissim ad te invitare. Nonius: *Revocare, est per vices mutuò vocare.* Lactantius studiosus imitator Ciceronis lib. 6.12. *Idem Deus praecepit, ut si quando coenam pararimus, eos in convictum adhibeamus, qui revocare non possint, & vicem reddere.* Idem J. Gul. docet, veteres etiam *Rogandi* solo verbo usos, cum quem, ut unà esset, & accumberet, invitarent: Verisimil. lib. 2.4. C. Rittersh. in Notis ad Phaedri Fabb. idem de verbo *Vocandi* & *Revocandi* observat. Sed & Graecos suum φωνεῖν vel καλεῖν usurpare, pro ἐπὶ δεῖπνον καλεῖν. ita ut rectissimè verterit Lactantius illud Luc. 14. ἀντικαλέσωσι, *revocent*: quod Th. Beza, *vicissim vocent*. Muretus ad versûs Catulli modò citatos; *Vocare*, antiqui saepe sine ullâ adjectione dicebant; cum, *ad coenam*, subintelligerent. Catullus: *Qui nunc vocat me, cùm malum legit librum.* Ita Parasitus in Sticho: —— *si quis me vocat.* quo loco malè quidam libri habent, *esum vocat*, contra vet. librorum fidem, & rationem metri. *Vocatores* quoque nominabant Servos, quorum operâ in vocandis convivis uterentur. Haec ille. Sed Douza cum Grutero τὸ *esum* omnino retinendum contendunt, (Curcul. act. 1.3.) & rectè: cum in MSS. & omnibus ed. extet, ut scire non possim quibus libris hybrida ille usus sit. In MSS. quidem exaratur, *si quis essum me v.* In Paris. est, *Nugis resolvo, si quis esum me v.* nam primae, *Nugare soleo, si quis esum.*

32. VENI] μίμησις orationis eorum, à quibus olim vocabantur. L.

36. VERBUM] Forte *verbulum*. Syllabam sanè adhuc desiderat metrum. & deceat parasitum. nisi forte aliud quid lateat. nam MSS. ambo, *verbum aculissimum.*

39. NI VERE] Velim huic verbo, *Vocem te ad coenam, nisi egomet coenam foris*, lumbos defractos esse: nisi ille, qui id usurpat, continuò pereat, si me eo delusit, & domi nihilominus coenat: *Pistoris.* Porrò reposui veterem scripturam, *domo*; adstipulante utroque Palatino. recentiores tantùm *domi*; quod & injuriè retinuit Pareus, calidè allatrare solitus profanatores sacrosanctae Antiquitatis. idem decipit lectores dum notat in Pall. extare *perlerit*. sic enim tantum pr. nam alter *Nive repleverit*, ut & Edd. ante Camer.

41. PRAECONIS COMPENDIUM] MSS. *praecones comp.* non malè.

42. ITAQ. AUCTIONEM PRAEDICEM] tanquam Praeco res venales proclamem. V. N. Epid. 2.2. Acid. leg. *Atque auctionem praedicem ipse, ut veneam.* Praeconis compendium facit, dū ipse auctionē praedicat, non dū ipse vaenit. quod & mox ingerit; ubi caussam & actiones & cōpendii hujus dicit: *Ipse egomet quamobrem nunc* (hoc fact. ex *non*, quod contra sensum in vett. est) *auctionem praedicem.* Haec quidem ille, cui obtemperavit Pareus. at contra MSS. Cam. in quibus *ipse ut me veni item.* hinc Grut. facit, *venitem*, aut *venditem*. nam & Edd. primae, *ipse ut venire item.*

45. SED CURIOSI] Florilegium I. Gruteri gemmeum, Tom. I. *Aliena curant evoluti propriis.*

49. QUID SIET CAUSS.] MSS. & vett. *quicquid sit causs.*

50. ALIENUM AES COGAT] Utrum aere alieno coactus auctionem faciat.

50. PARARIT PRANDIUM] Lips. l. *praelium.*

53. MISERI] Nam curiosus ultrò miseriam suo labore sibi attrahit. *Ut* non comparet quidem in Pall. sed extat in Edd. principalibus.

55. NAM CUR.] Parenthesi includendus hic Senarius, puncto post priorem versum expuncto; ut oratio decurrat unâ periodo, usque ad illa verba; *Damna ev.* Douza. Casaubonus ad Sueton. illud: *Curiosum ad speculatorem ratus*, notat propriè *curiosus* est πολυπράγμων. ita Plutarchus περὶ πολυπραγμοσύνης. MSS. *malivolus*, per *i*. item *qui non*, ut & Edd. vett. omnes. recentiores *quin sit mal.* nulla de caussa. nam & sit tamen alios pedes benè fert versus.

58. AFFECERUNT] ita MSS. Tamen Lamb. ait Cam. legere, *effecerunt*: ut sit, effecerunt me,

me male miserum. atque hoc probat ille. Sed ubi usquam hoc Camerarius? A

62. INTER] ita Titinnius:

——quæ inter decem
Annos nequisti unam togam detexere.

Alii Lintrâ, sine caussâ. *Acid.*

64. CONSENVI.] Hinc *senium* ponunt ἀντὶ κακότητος ἢ κακεξίας, sive squallore & illuvie. Scenâ 1. *Hæ res mihi dividiæ & senio sunt.* Manilius:

Æternisque senes curis.

Vide Casaub ad illud Pers. Sat. 6. *minui senio*, i, macrum fieri. nam & Horat. *macrum* pro valdè mæsto posuit; pro gaudente, *opimum*: lib. 2. epist. 1.

64. FAME EMORT.] Fulciunt hunc v. Brix. & Parm. qui leg. *fame ipsâ*, quod in ultima Parei. nam prior *ipse*: adeo nunquam sibi constat ille Proteus. suspicari posses fuisse *fame semortuus*, pro *semimortuus*, sicut *selibra* pro *semilibra*.

65. CR. RIDICVLVS ÆQVE] ita I. Grut. è MS. Camer. & vet. edit. restituit: deleto etiam *quàm*. Etiam Pistoris Crocotio hæc dabat: nec displicebat eidem, quod est in Venetâ, *quàm dum esurit*. Loquitur autem de Parasito præsente.

68. PRÆDA ERIT PRÆSENTIVM] q. d. B Non est, quòd emptor quispiam bellissimâ hâc occasione semel dilapsâ, unquam porrò speculam sibi faciat, ex hâc Parasiticâ auctione vel ramentâ plumea se propensiorem discessurum. nihil enim quæstûs erit animo aut corpore absentibus aliudve jam agentibus, &c. Oppidò quàm ridiculè, immò verè Parasiticum in morem. Lambinus sententiam Parasiti non assecutus est. D.

69. AGITE] Ita posteriores edd. sed principes *age*. quod etiam in Palat. utroque. & verò *agè* etiam sumi adverbialiter doceor à Papinio lib. 10. Theb. vers. 33. *Ite age, & obsessis vigiles circumdate flammam.* item lib. 5. v. 137: *age adversis thalamos purgate maritis.*

69. LICEMINI] Imperat. modi. *Liceri* & *licitari* in voce passivâ significationem habent activam: L. Vide N. Men. 5. 9.

70. QVI COENA] quis vult me datâ cœnâ emere? L.

71. HERCVLES] I. Gul. legit:

Hercules te amabit; prandio: cœnâ, tibi.
Ehem &c.
Nullis meliores esse Parasitis sinam.

Totus enim sermo de logis est & dicteriis parasiticis, quorum auctionem prædicat. rectè itaque *parasitis*. At D. F. l. *Nulli meliores esse parasito sinam. meliores*, sc. logos. quod invasit Pareus editione pr. Schop. ita:

Hercules te amabit prandio, cœnâ? tibi
(Ehem annuisti?) nemo meliores dabit.
Nullis meliores esse parasitos sinam.

Q. d. Hoc tibi de me polliceri ausim, quòd si cœnulâ vel prandio tibi me emas, nemo edaciorē habiturus sit Parasitū in polluctо Herculis. Is autem nos amat cœnâ, quando bonâ nostra lucris auget, ut inde lautius sibi polluctum afferatur. Sic Venus nos amat, quando venustatem nobis & potentiam in amore largitur. Lucius: *Quos Venus amabit, fecit amoris compotes.* Hæc ille. I. Hieronymus legendum suspicabatur: *Qui cœnâ poscit? ecqui poscit prandio? Hercules te amabit: prandium, cœnam mihi. Ehem annuisne?* Quærit parasitus; Ecquis cœnâ vel prandio meos logos præstinare cogitat? & per ἀποστροφὴν ad spectatorem fortasse notum; Hercules, ait, volens tibi erit & propitius, si prandium aut cœnam mihi spondeas. Apostrophe non insolens. Aul. act. 4. 9. *Quid ais tu? tibi credere certum est* &c. Et verò conjectaneum istud in spoliarium editionis suæ pr. recepit Pareus. nam secunda, nescio quibus Phalerata est interpunctionibus nauseam creantibus. Denique Acidalius ita: *Hercules te ama. tibi prandio? cœnâ tibi*? Ridiculè, inquit, Herculem invocat, ut in auctione sibi præsto sit. & ita precatur, quasi non tam sibi ab illo, quàm ipsi à semetipso velit beneficium præstari: ideòque ait, non, *me*, sed *te ama*. Cur hoc? quia decimam ex auctione voverat Herculi, &c. Ego cum Camerario scripturam MSS. exhibui. necdum pœnitet.

73. NVLLIS MEL.] Notat Casaub. ad Theoph. Charact. suos olim Parasitos jactasse & ostentasse.

74. GRÆCAS] quæ elegantiores erant, propter unguentorum copiam. L.

74. SVDATORIAS] solebant enim & Græci & Romani, priusquam accubitum irent, in balneis sudare & inungi. L.

75. VEL ALIAS MALACAS] Repræsentavi quod videbantur voluisse Pall. in quibus, *Vel alias mala castra pularias.* & forsan excidit vox repetenda, *alias malacas, alias crapularias*.

75. MALA-

75. MALACAS] molles, delicatas eisque adhibendas, qui Veneri familiariores quàm Baccho. V. N. Mil. 3.1.v.73.

75. CRAPVLARIAS] unctiones, quæ adhibendæ sunt iis, qui hesternā crapulā nondum exhalarunt. Libri vulgat. ut & Samb. habent, *ampullarias*. quod quis non à librariis factū hærētes in illo *apularias?* Et tamē quidā *ampularias* cum voce *cavillationes* conjungunt; & interpretantur, cavillationes, quæ in balneo, dum ungimur, jactantur. Etiam C. Colerus mavult *ampullarias* : ut ad supellectilem parasiticam allusum sit. Cic. 4. de Finib. *Si ad illam vitam, quæ cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, cui hæc adjecta.* Atque ita legi in MSS. Schobingerianis, notat Goldastus: & rectè ampullam jungi cum strigili. cujus accedit sententiæ Pareus, tanquam avis concolor.

78. STRIGILEM] strigilibus defricabantur veteres, posteaquam uncti fuerant, & divites quidem à Parasitis. Vide Scalig. Conject. & N. Persā act. 1.3. Hæc legerat Pareus, cùm ecce Electa ejus nobis parturiunt: Ampullam rubidam, rubiginosam strigilem fuisse parasitis, qua scilicet in balneis defricarent divites. Vah! tam ne bene cognitum habet Divitum characterem Literator iste paganus, ut puter delectari rancidis, sordidis, mutilis potius, quàm recentibus, puris, integris? quid excogitari queat à re alienius?

78. AMPVLLAM RVBIDAM] *Scorteæ ampullæ vetustate rugosæ & coloris ejusdem Rubidæ dici solent*: Festus. V. N. Pers. 1.3. Cas. 2.5.

79. PARASIT. INANEM] Jocosè de se, ut inani vase, loquitur. L.

76. QVO] in quem. D.

81. UTI DECVMAM] Decimam partem bonorum Herculi consecrabant veteres. caussam reddit Plutarch. Quæst. Rom. V. N. Mostel. 1.1. & 4.2. *Pollucere* autem sacrificale verbum est, & reddentium libamenta diis. *Pollucibiliter cænare*, id est, Salialiter, opiparè & splendidè: & *Polluctum* hujusmodi cœna, &c. Budæus in Pandect. Vide etiam N. Rud. 5.3.v.63.

81. ECASTOR] Talis oratio, qualis infrà: *Edepol rem negotiosam!* qualis Trin. act. 4.2. *Prò dii immortales, conditionem cujusmodi*: & aliæ mille: *Gruterus*. In Brix. & traducibus infarsum est, *auct. facit*: contra omn. vett. codd.

84. ADIBO H.] MSS. pr. *adibo ad hom.*

88. DISERTIM] i. planè. ita Nonius, Camer. & Gul. In MS. pr. est, *disertum*: in sec. & vett. edd. *desertum*.

88. ID VSV P.] Suspicatur Grut. *verùm in usu perdidi*. dum eo, inquit, non utor, id perdidi.

89. MICCOTROGVS] à μικκὸς, i. μικρὸς & τρωγεῖν, i. *rodere*, quasi *Paucirodus*. (Nostri: Der schmale Bißlein isset) Convenit autem hoc verbum Parasitis; qui, ut mures, aliena rodunt.

89. EX VERO] è re ipsā. Horat. 2. Satirā 2.

Cui Canis ex vero ductum cognomen adhæret.

Ovid. in Tibulli mortem:

Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!

Ita legitur, *ex facili*, *ex tuto*, pro Adverbiis *facilè*, *tutò* &c. Lamb. & Acid. V. N. Merc. act. 1. 2.

94. TE OPERE] Hæc est scriptura MSS. & vett. edd. nisi quod amplius ibidem, *te ut opere*. quæ particula hîc supervacua, cùm statim sequatur versu proximo. An fuit? *tecum op.* aut, *temet op.* nam alii variè supplent; sed syllabis verbisque nihil commune habentibus cum literis contextus.

97. EXTA COCTA] De reliquiis extorum domum portatis cœnabant. Hor. 2. Serm. 6.

Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

V. N. Amph. 3.3. Mil. act. 3.1. Pœn. act. 2.1. Rud. act. 2.3. &c. Etiam de libatis poculis bibebant. Minutius Octavio: *Præceptos cibos & delibatos altaribus potùs abhorret* &c. Etiam illud observare est, ad has dapes nullos admissos, nisi Sacerdotes, aut illos, qui à sacris non arcebantur. *Colvius*.

97. AGNIS FECERAT?] i. sacrificarat. Virg. *Cum faciam vitulâ*. Quidam leg. *fecerit*: quos tamen Acidalius Bonæ Menti facere jubet. cùm geminanda sit interrogatio in distinctum sensum, nec cum Lamb. quærendum an exta cocta sint omnium agnorum, quodcunque fecerat. In meis est *tramis*, in al. *annis*. In Meursii, *tarmis*. hinc ille fecit, *quot arnis f.* nam veteres inquit, *arna* pro *agna* dicebant &c. Vide ibid, ut & Festum.

t MSS.

MSS. *quod taenis fecerat?* corrumpendo fuit A *taenis* positum pro *agnis*.

102. NEC MV, NEC M.] Ita I. Grut. conjecit. ut *mu* scilicet degenerarit in vulgatum illud *mihi*. *Mu* minimum quid notare, innuit Varro 6. de Ling. Lat. respexitque interim ad *mutui* primam syllabam: quasi ne illa quidē ipsi, ne dum totum *mutuum*. acutissimè, & planè Grutericè. qua fronte tamen Pareus hoc ausus tolerare in editione postrema, contra MSS. suos? ubi nunc consensus librorum, ubi vetustatis reverentia?

104. LING. QVOQVE] ita MSS. & omn. edd. sola Brix. & traduces, leg. *Præter ling.* Hinc Acidalius: *Præterque linguam unam, etiam v.* quod impudenter in editionem pr. recepit Pareus. In Pal. pr. extat, *vendidit ariam.*

B

104. VENDITARIAM] *Lingua venditaria*, ea est; non quæ vendit, sed quæ vendere cupit. Nam *vendito*, non est frequenter vendo, sed vendere *cupio*. Cic. Arusp. Resp. *Atque ei sese, cui totus venierat, etiam vobis inspectantibus venditaret*, id est, se ei vendere vellet. Talia multa sunt, quæ Frequentativæ formæ censentur, cùm sint Desiderativa. Sic *prendo*, non est prendo frequenter, sed prendere cupio. *Capto*, capere desidero: ita *dormito*: *ostento*, ostendere me in aliquā re volo. *Munito*, munire cupio, Cic. pro Rosc. Am. *Ex Turn.* V. N. Amph. 2. 2. Parei Lexicon hic quoque interpretatur, *quæ vendere cupit.* Ego malim, *quæ venire cupit*, sive πράσιμον & *venalem*, ut Curc. 4. 1. v. 21. Mil. 2. 3. v. 41.

105. DICAT, DABO?] Acidal. sine interrogatione legend. pertendit.

111. ANTE H. DIEM.] ita MSS. & vett. edd. Parei editio pr. stabulum illud impudentiæ præfert, *ad hunc diem.*

113. NISI VT PERICVLVM] *Nisi* pro *Sed*, auctore Auf. Popmā: quomodo sæpiusculè, Cato de R.R. cap. 77. cap. 80. cap. 82. &c. Ter. Hecyrā:

Quid egerint inter se, nondum etiam scio:
Nisi sanè curæ est, quorsum eventurū hoc siet.

Cicero lib. 13. epist. *De re nihil possum judicare; nisi illud mihi certè persuadeo, te talem virum nihil temerè fecisse.* Idem observat Goldastus: & addit aliud exemplum ex Aul. act. 2. 7. item Cic. epist. fam. 13. ad Attic. l. 5. ep. 10. & lib. 11. ep. 6. & 23. talique orationis formā uti etiam Hebræos & Novi fœderis Scriptores ait.

115. EX PICTVRA.] i. *graphicè, euschemè*: ut alibi loquitur. V. N. Epid. 3. 3. & act. 5. 1. & infrà, act. 4. 1. Immiserunt neoterici *hic*, versui fulciendo, sed præter MSS. & vett. edd.

117. EXANCLAVIT] ita MSS. i. exhausit. videatur de ea voce Nonius. alii *exantlavit.*

117. SVBMERVM] aliquantum merum, non admodum aquā dilutum: L. Notat Cam. maluisse alios legere, *submetrum*, quod in ed. prima.

120. ROGARE, OPINOR TE VOLT. GE. MENE VT AB SE PETAM] Pall. & Edd. vett. *ab sese*, quod Pareus recepit, securus de modulo versus. Suspicer, *te volt.* esse à glossa. eo sanè delecto, versus oritur egregius.

ACTUS II. SCENA I.

DINACIUM puer.
GELASIMUS parasitus.

MERCURIUS, Jovis qui nuncius perhibetur, nunquam æquè patri
Suo nuncium lepidum attulit, quàm ego nunc meæ heræ nunciabo.
Itaque onustum pectus porto lætitiā lubentiāque:
Neque lubet, nisi gloriosè, quicquam proloqui. profectò
Amœnitates omnium Venerum atque venustatum affero.
Ripisque superat mihi atque abundat pectus lætitiā meum.
Propterea, Dinacium, pedes hortare: honesta dicta factis:
Nunc tibi potestas adipiscendi est gloriam, laudem, decus:
Heraque egenti subveni; benefacta majorum tuorum exauge.

Quæ

Quæ misera exspectatione est Epignômi adventûs viri.
Proinde ut decet, amat virum suum cupidè. nunc expedi Dinacium.
Age ut placet, curre ut lubet, cave quenquam flocci feceris,
Cubitis depulsa de viâ; tranquillam concinna viam.
Si rex obstabit obviam, regem ipsum prius pervortito.
GE. Quidnam dicam, Dinacium
Lascivibundum tam lubenter currere?
Harundinem fert, sportulamque, & hamulum piscarium.
DI. Sed tandem, opinor, æquius est heram mihi esse supplicem,
Atque oratores mittere ad me, donaque ex auro, & quadrigas
Qui vehar. nam pedibus ire non queo. ergo jam revortar.
Ad me iri & supplicari egomet mihi censeo æquum.
An verò nugas censeas; nihil esse quod ego nunc scio.
Tantum à portu apporto bonum, tam gaudium affero grande,
Vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare à dis audeat.
Nunc ultrò hoc deportem? haud placet: neque id verò officium arbitror.
Hic hoc videtur mihi magis meo convenire huic nuncio,
Adversum ut veniat, obsecret, se ut nuncio hoc impertiam.
SECUNDAS FORTUNAS decent superbiæ.
Sed tandem cùm recogito qui potuit scire hæc scire me?
Non enim possum, quin revortar, quin loquar, quin edissertem,
Heramque ex mœrore eximam, benefacta majorum meûm
Exaugeam, atque illam augeam ex insperato opportuno modo.
Contundam facta Talthybij, contemnamque omnis nuncios:
Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympiæ.
Sed spacium hoc occidit: breve'st curriculo; quàm me pœnitet!
Quid hoc? occlusam januam video. ibo & pultabo fores.
Aperite atque appropera te, fores facite ut pateant, removete moram.
Nimis hæc res sine curâ geritur. vide, quamdudum hìc asto & pulto!
Somnón' operam datis? experiar; fores, an cubiti, an pedes plus valeant.
Nimis vellem hæ fores herum fugissent, eâ caussâ ut haberent malum!
Defessus sum pultando.
Hoc postremum est vobis.
GE. Ibo atque hunc compellabo.
Salvus sis! DI. & tu salve.
GE. Jam tu piscator factus?
DI. Quampridem non edisti?
GE. Unde is? quid fers? quid festinas?
DI. Tuâ QVOD NIHIL refert, ne
Cures. GE. quid istìc inest?
DI. Quas tu vides colubras?
GE. Quid tam iracundus? DI. si in te

Pudor assit, non me appelles,
GE. Possum scire ex te verum?
DI. Potes hodie non cœnabis.

ET permisti sunt in versibus hujus Scenæ numeri, & genera diuersa tetr. catal. acat. dimetri catalect. unus & alter Senar. jamb.

1. NUNQUAM ÆQUE] Sic in hunc diem editi, neque aliter Pal. sec. verùm Pareus, quod extaret in Pal. pr. *numquid æque*; finxit nobis, *num quidquam æquè p. Suo n.l. attulit*? ô Musæ, ô Gratiæ! quid pote invenustius? at quæ etiam temeritas, excrementum istud suum inferre textui?

3. LUBENTIA] MSS. *libent.* V. N. Persa, 5.1.

6. RIPISQ.] Ita MSS. & omn. edd. uno consensu, ut mirum sit quas edd. citet Acid. dum *Nimis* repositum it. Lamb. sine caussâ emendat, *ripas*. Est autem metaphora à fluviis alveum suum superantibus. Pareana Nimisque avide devoratum editione prima, mox evomuit secunda.

6. ABUNDAT PECTUS LÆT.] *abundare voluptatibus*, multi dixerunt; nec potest quicquam venustius. Turpilius: *Satinè ut meum cor voluptatibus abundat?* Id. *Suavitate mirâ abundat.* I. Gulielm.

8. PROPTEREA] Ita MSS. & Edd. omnes usque ad Pareanam. ea nobis objecit *Propera* Acidalianum. ô sinistram liberalitatem!

10. ADVENTUS] ita Douza, *Adventûs*; vel, *adventi*, antiquè: ut *Senati*, *victi*. Acidalius hos versûs ita constituit:

Propera Dinac. &c.
Nunc t.p.ad. est g.l. decus.
Benefacta majorum tuûm exauge, heraque egenti subveni,
Quæ misera exspect. est Epign. adventûs viri.

atque hoc verum & necessarium ait esse: & ideo fortè editionis suæ viridario vario intulit Pareus. sed cur non retinuit secunda?

HONESTA] *Honestare dicta factis*, valet *verba ad rem conferre.* Inhonesta enim oratio est, cui fidem re non facias. *Palmer.*

13. CUBITIS DEPULSA] *Perurgere*, est perrumpere turbam, ὠϛίζεϑ: pro quo Horatius 2. Sat. 6. dixit *facienda injuria tardis.* In Ep. Epicuri non absimile, περιχύδιεϛός ἐιμι ὠϛιζόμενοϛ. Plautus melius: *cubitis depulsa de viâ.* Scalig.

A 14. IPSUM PRIUS PERVERTITO] Haud aliter MSS. & Edd. poscitque ratio metri. Pareus tamen fidenter expulit vocabulum *prius.*

14. EXOPTARE A DIS] Proverbialiter extulisse veteres, *Quantum à diis optat*, certum est. Ps. act. 4. 1. *Tantum tibi boni dii immortales duint, quantum optes.* Ter. Adelph. extr. *dii tibi, Demea, omnes semper omnia optata afferant.* & alibi sæpe, quæ summâ curâ collegit (verba sunt Gruteri) seculi nostri Unio, Barnab. Brissonius, in Formul. Solemnib. Sed adde tu mihi Gruterum in Suspicon. libris. Pareana pr. pro eo quod erat in omnib. edd. & MSS. *à Dis audeat*, mactavit nos, *à Dis ausit ipsis.* quæ est authadia, Imò quæ scurrilitas, de suo ita cõspurcare classicorum auctorum bene scripta, contra leges etiam metri?

26. ID VERO] Opinatus est J. Gulielmius, sententiam magis requirere, *neque id viri officium esse arbitror.* Quasi puer tam lætæ rei nuncius magnificè se inferat: & parùm virile arbitretur, tantum gaudii ultrò propalare. Quod tamen Grutero non placet: cùm non B conveniat Personæ, uti virum se dicat, qui puer est. & sic tamen voluit extare in s. a Pareus, verùm libris omnibus dissentientibus.

26. HIC HOC V.] sic MSS. at Pist. & Acidal. *Sic hoc v.* quod continuò in textum recepit Pareus; editionibus omnibus repugnantibus.

32. EX INSPERATO OPPORTUN. MODO.] J. Gul. l. *ex insperato à portu bono*: vel, *ob portum bono*, Nam, inquit, *bonum ob portum*, est quod in portu est. *Ob* antiquè significat *Ad.* Ennius:

Ob Romam noctu legiones ducere cepit.

Vide Ind. Lucret. Gifanii. *Ad*, autem in loco motum sæpe significat. Rud. *ad portum prehendere lenonem.* Alterum tamen magis probant, quæ infrà sequuntur Dinacii verba, act. 2.3. *ita celeri curriculo Prop.* &c. Acidal. τὸ *ex* delet, cæterùm probat Gulielmii, *à portu bono.* nec tamen damnat *opportuno.* Nobis sincerum est quod MSS. & vett. edit. probant. Pareus invasit commentum Acidalii.

33. TAL-

33. TALTHYBII] *Talthybius* & *Eurybates*, nuncii & præcones in exercitu Græcorum.

33. CONTEMNAMQVE]Palm.I.*conteramque*. ut aptum sit cum illo *contundam*. Curcul.4:4. —— *meæque pugnæ præliares plurimæ obtritæ jacent?* Ut hic, *obterere*; ita illic *conterere*. At J. Gul. Propriè, inquit, dictum *contemnam*. Id verbum superbiam indicat ex alto despicientium alios. Ter. Eun. *Hic ego illum contempsi præ me*. Itaque, Ulpiano auctore, à contemnendo *contumelia*: quæ aut fit, cùm contemptum alicujus facto ostendis: aut dicitur, cùm verbis solis. Asin. *Tu contumeliam alteri facies, tibi non dicatur?* Acidalius illud etiam vulgatum *contundam* tuetur. Q. d. Se superbam illam Talthybii famam compressurum, & effecturum, ut illius facta præ suis minora videantur: atque adeò omnes nuncii præ ipso contemnantur: ita enim & *Contemnam* novo modo, pro *contemni faciam*; interpretatur. Præter exempla ex Apulejo, affert illud etiam in Casinâ, act.2: 3. ubi *decidisti unguenta*, Colvius exponit, decidere & stillare fecisti. item Manilii lib.3.

Athla vocant Graij, quæ cuncta negotia rerum
In genera, & partes bis sex divisa cohærent.

Quanquam Gulielmii non damnat; si Ulpianam illam *Contumeliæ* originationem excipias, quam inde potius esse ait, unde *Contumax*. Ita, inquit, *contemnere* prorsus apud nostrum, quomodo aliàs *conterere*: cui *contundam* optimè respondet. atque inde junxit idem Pœnulo, *contemptim conterere*. Nævius: *contemptim conterit legiones, &c.* Qui *confundam* legunt, acutiores sunt quàm veriores.

34. CVRSVRAM] Veteres multa hâc formâ extulisse, notat Turneb. Orat. 3. in Rull. Cic. *Cursuram* pro *cursu*: *Usuram* pro *usu*. Cicero: *Unius usuram horæ non dedissem. Sarsura*, à farciendo, &c. contrà Mostellaria, *Viden' pictum*, pro *picturam*.

34. AD CVRSVRAM MEDITABOR ME] *Meditari* pro exercere dictum Vegetio frequentissimè, item Ciceroni, aliis; notat Stevvech. lib.1. cap.20. ad Veget. ita Virgil. Bucol.1. *Musam meditaris avenâ*, i. exerces: vel cantas, μελετᾷς: ut Serv. exponit, & Latinum inde deducit. Etiam μελετᾶν quandoque *declamare* significat, apud Plutarch. in Cicerone.

A & lib. 2. Epigram. Etiam *meditatio*, eâdem notione est.

33. SED SPACIVM] i. spacium hoc nimis citò confici potest: nimisque breve est ad cursum Olympicum. vel: spacium jam à me confectum & decursum est. Sed J. Douza: Spacium sive curriculum istud citiùs à me decursum est, quàm me cursuræ porrò longioris tædium aut satietas cepit. Acidalius Lambini defendit. Rectiùs enim hic, inquit, etsi quin rectissimè, falsâ voculæ unius scripturâ fuit impeditus. ita enim legend. *Sed spacium hoc (occidi!) breve est curriculo. q.* Perii, inquit, vix cœptum curriculum est, & jam absolvi. Pœnitet me spacii nimium brevis ad legitimam cursuram. Hujus emendationem ostentat editio Parei, sed sic nulli libri scripti cusive.

38. ASTO ET PVLTO !] ita è MSS. restitui: in quîs, *asto es pulto*: Vulgò, *hîc ades p.*

39. SOMNON' OPERAM DATIS?] Egregiè ita Gruterus è MSS. Cam. itemq; Schoppius, restituunt. Et eleganter fores somno operam dare; sive dormire, dicuntur, cùm se nihil commovent. Curcul. act.1: 2. *dormiunt pessuli*. Et apud Propert. in querelis Januæ de amatorum nocturnis occentationibus:

B *Ille meos nunquam patitur requiescere postes,*
Argutâ referens carmina blanditiâ.

Pareus incepti sui memor, notat hîc, Pal. pr. servare *somnon*, alterum *sum non*. adjicitq; Non igitur uterq; MSS. habet *somnon*, uti falsò prodidere nonnulli. At ubi hoc aliquis falsò prodidit? nonne Schoppius lib.2. Epist. 18. differentiam eam disertè expressit? Ergo etiam nodum in scirpo quærit calumnia.

40. NIMIS VELLEM] Precatur foribus, quod putat esse summum flagitium; ab hero fugere: ut postea receptæ pœnas darent, quas solent fugitivi. L.

41. DEFESSVS SVM] Numeros hosce vocant Anacreonticos, invito Acidalio. Certè & in MS. pr. Cam. aliter distinguuntur nonnulli, omnes verò in secundo.

43. COMPELLABO] MSS. Pall. & Edd. vett. *compello*.

45. PISCATOR FACTVS] quia harundinem & sportulam, & hamum ferebat.

49. QVID ISTIC INEST?] in sportula scilicet. ita emendavit Cam. prius erat, *quid istinc est?* quod & in Pall.

50. QVAS TV VIDES COLVBRAS?] Insanum dicit esse Parasitum puer, atque à Furiis & intemperiis agitari: ideoque ex eo quærit, quas colubras videat: quòd Furiæ non tædis modò ardentibus; sed colubris quoque ac serpentibus insectari eos, quos agitabant, putabantur. *Excolubrandi* verbum, quod hic A nobis pepererunt eruditus & modestus Joachimus, & hoc multo confidentior Lambinus, qui habebat plerunque bonos & obsequentes libros, sibi habeant licet. E Var. Lect. Mureti lib. 14:19. Et verò Edd. vett. servant vulgatum, totidemque literis extat in Pal. sec. nam pr. *qua tui descolubras.*

ACTUS II. SCENA II.

PANEGYRIS mulier.
GELASIMUS.
DINACIUM.

QVisnam, obsecro, has frangit fores? ubi est?
Tun' hac facis? tun' mihi huc hostis venis?
GE. Salve, tuo arcessitu venio huc. PA. eân' gratiâ fores effringis?
GE. Tuos inclama, tui delinquunt: ego quid me velles visebam:
Nam equidem harum miserebat. DI. ergo auxilium properè latum est.
PA. Quisnam hic loquitur tam prope nos? DI. Dinacium. PA. ubi is est?
DI. Respice me, & relinque egentem parasitum, Panegyris!
PA. Dinacium! DI. istuc indidêre nomen majores mihi.
PA. Quid agis? DI. quid agam, rogitas? PA. quid ni rogitem? DI. quid mecum est tibi?
PA. Men' fastidis, propudiose? eloquere properè, Dinacium!
DI. Iube me omittere igitur hos qui retinent. PA. qui retinent? DI. rogas?
Omnia membra lassitudo mihi tenet. PA. linguam quidem
Sat scio tibi non tenere. DI. ita celeri curriculo fui
Properè à portu, tui honoris caussâ. PA. ecquid apportas boni?
DI. Nimio impartior multò tanta plus, quàm speras. PA. salva sum.
DI. At ego perij, cui medullam lassitudo perbibit.
GE. Quid ego, cui misero medullam ventris percepit fames.
PA. Ecquem convenisti? DI. multos. PA. at virum ecquem? DI. plurimos.
Verùm ex multis nequiorem nullum, quàm hic est. GE. quomodo?
Iamdudum ego istum patior dicere injustè mihi.
Præter hâc si me irritassis. DI. edepol esuries malè.
GE. Animum inducam, ut istuc verum te elocutum esse arbitrer.
DI. Munditias volo fieri. efferte huc scopas, simulque arundinem,
Vt operam omnem aranearum perdam & texturam improbam,
Deiicamque earum omnis telas. GE. miseræ algebunt postea.
DI. Quid illas itidem esse censes, quasi te cum veste unicâ?
Cape illas scopas. GE. capiam. DI. hoc egomet, tu hoc converre. GE. fecero.

DI. Ecquis

DI. Ecquis hæc effert nasiternam cum aquâ? GE. sine suffragio
Populi tamen ædilitatem hic quidem gerit. DI. age, tu ociùs
Pinge humum, consperge ante ædis. GE. faciam. DI. factum oportuit.
Ego hinc araneas de foribus dejiciam, & de pariete.
GE. Edepol rem negotiosam! PA. quid sit, nihil etiam scio:
Nisi fortè hospites sunt venturi. DI. alii lectos sternite!
GE. Principium placet de lectis. DI. alii ligna cædite!
Alii pisces depurgate, quos piscator attulit!
Pernam & glandium dejicite. GE. hic hercle homo nimium sapit.
PA. Non ecastor, ut ego opinor, satis heræ morem geris.
DI. Imò res omnis relictas habeo, præ quod tu velis.
PA. Tum tu igitur, quâ caussâ missus es ad portum, mihi expedi,
DI. Dicam. postquam me misisti ad portum cum luci simul,
Commodum radiosus ecce Sol superabat ex mari.
Dum percontor portitores, ecqua navis venerit
Ex Asiâ: negant venisse, conspicatus sum interim
Cercuram, quo ego me majorem non vidisse censeo.
In portum vento secundo, velo passo pervenit.
Alius alium percontamur, Cuja est navis? quid vehit?
Interim Epignomum conspicio tuum virum, & servum Stichum.
PA. Hem! quid? Epignomum elocutus? GE. tuum virum, & vitam meam.
DI. Venit, inquam. PA. tun' eum ipsum vidisti? DI. ita ego; libens!
Argenti aurique advexit multum. PA. nimis factum bene!
GE. Hercle verò capiam scopas, atque hoc converram libens.
DI. Lanam purpuramque multam. GE. hem! qui ventrem vestiam.
DI. Lectos eburatos, auratos. GE. accubabo regiè.
DI. Tum Babylonica peristromata, consutaque tapetia
Advexit nimium bonæ rei. GE. hercle rem gestam bene!
DI. Pòst, ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,
Sambucinas advexit secum formâ eximiâ. GE. eugepæ!
Quando adbibero, alludiabo: tum sum ridiculissimus.
DI. Postea unguenta multigenerum multa. GE. non vendo logos.
Jam non facio auctionem. mihi obtigit hæreditas.
Malivoli perquisitores auctionum perierint!
Hercules decimam esse adauctam, tibi quam vovi, gratulor.
DI. Pòst autem advexit secum Parasitos. GE. hei, perii miser!
DI. Ridiculosissimos. GE. reverram hercle hoc, quod converri modò.
PA. Vidistin' virum sororis Pamphilippum? DI. non. PA. adest.
DI. Imò ajebant eum venisse simul. sed ego huc citus
Præcucurri, ut nunciarem nuncium exoptabilem.
GE. Venales logi sunt illi, quos negabam vendere;
Illicò, & meo malo est, quod malevolentes gaudeant.

Hercules

Hercuis sanè, qui deus sis, discessisses non malè.
PA. I, intrò, Dinacium: jube famulos rem divinam mihi apparent.
Bene vae! GE. vin' administrem? PA. sat servorum habeo domi.
GE. Enin verò, Gelasime, opinor provenisti futilè,
Si neque ile adest, neque hic, qui venit, quicquam subvenit.
Ibo intrò ad libros, & discam de dictis melioribus.
Nam nullos homines expello, ego óccidi planissumè.

HUIUS Scen. versus sunt trimetri & tetram. catalect. Sed plerique tetram. Archilochéi.

V. 5. NAM EQUIDEM] Ita MSS. & vett. edd. at Rittershus. l. *Nam me quid.* Intelligit autem fores. quod continuò in editionem suam pr. transtulit Pareus, ejecitque eadem levitate ex secunda. idem post *latum* attexuit *eis*, quod non est in MSS. neq; Edd. vett.

6. DI. DINACIUM] Acidalius hoc Gelasimo dat. sed, ut ipse occultè fatetur, dicis caussa, hoc est, ne nihil dixisse videatur.

10. MEN' FASTIDIS, PR.] Ita vett. edd. omnes. & hoc probat Meursius. Schopp. è MSS. Cam. l. *Mein' fastidis, propudiose?* Fastidire alicujus, est faciem suam ab aliquo velut ignoto vel indigno avertere. Aul. 2: 2. & id recepit in contextum Pareus. MSS. tamen illi, *Mihi infastidis &c.* recenti: *Men rogas, propud?*

13. ITA CEL. CURR. FUI.] ita MSS. *curr. fui.* Sic Epid. act. 1: 1. *Ut tu es gradibus grandibus*: probo & perantiquo loquendi genere. Sic idem in Clitell. apud Fest. *Quin tu, si es iturus; nimium es vegrandi gradu*: non is. Neq; audiendi, qui hæc interpolare hîc conantur hoc modo: *ita celeri ibi curriculo Properè &c.* V. N. Pseud. 4: 4. *Douza.* Turnebus etiam in illo Clitell. l. *es*: &, *vegrandem gradum*, interpretatur, minutum & parvum: Com. in 2. Orat. Cic. in Rull.

14. APPORTAS] V. N. Mostell. act. 2: 2.

15. NIMIO IMPARTIOR MULTO TANTA] MSS. & omn. vet. *tanta.* Sola Brix. & traduces, *tanto.* quod Acidalius præfert, & ait, junctim efferenda omnia, *Nimio multo tanto plus.* In quâ formâ, inquit, sunt aliquot gradus augmenti: *Plus, tanto plus, multo tanto plus, nimio multo tanto plus.* Non dissimile Bacchid. 4: 4. *nimio minus multo parum.* Frequentius tamen hæc junguntur, *nimio tanto plus*: ut in Bacchid. act. 1: 2. Frequentissimè,

A *multo tanto*, cum gradu Comparativo. Apulejus Apol. *pari quidem stultitia, sed multo tanto vanius & nequius excogitatum.* At Schopp. hîc in Plauto legendum suspicatur: *Nimio imperitior mulo: tanto plus q. s.* Quæsiverat hera, num etiam aliquid boni à portu apportet. respondet puer; Ne tu hera inscita es nimis, quæ roges quidem, an aliquid boni ad te renunciem. At ego non *aliquid*, sed nimio plus, quàm sperare auderes, adfero. Solebant enim hoc nomine (*muli*) per convicium homines subidi & stipites appellari: Cist. act. 4: 2. *mulo inscitior*: Catull. *Mule, nihil sentis.* Pall. habent, *nimio inparti multo tanta.* Edd. vett. *impartior.*

17. QUID EGO] V. N. Amph. act. 4: 3.

17. PERCEPIT FAMES] Non debuit, inquit J. Gul. hoc sollicitari: aut scribendum, *percipit fames.* nam *percipere*, degustare interdum est: & ideò aptè oppositum illi *perbibere*. B Non dissimile illud Menæch.

Quid cessas dare
Potionis aliquid, priusquam percipit insania?

Etiam παρονομασίαν quæsitam apparet in *perbibit* & *percipit*. At verò Acidal. *Percipit* quidem cum Gulielmio legit, sed contra ipsum explicat. nam, *percipere*, inquit, est penitùs capere & totum pervadere. Amphitr. *Nam mihi horror membra misero percipit dictis tuis.* Palmerius malebat, *peredit fames.* Dinacium, Mihi, inquit, medullam lassitudo perbibit: tum Parasitus, At mihi eam peredit fames; captantes manifestò ἀντίθεσιν in *perbibit* & *peredit*; quomodo Curcul. ex illis ipsis vocibus regiones finxit à Milite subjugatas, *Peredesiam* & *Perbibesiam*: & alludit Catullus:

Ignes interiorem edunt medullam.

(quod observatum posteà est & J. Is. Pontano, Notis ad Macrob. lib. 6. cap. 1.) Aliter, quæ tandem dicti gratia est? At Vir doctus (porro addit Palmerius) emendat, *perrepit.* ita

priore

priore versu, reponendum esset, *cui medullam lassitudo perbitat*. Sed ita tibi placeam, ut suum verbum Plauto reddidi: quod non dubitabis, si Parasitos cogites: quorum omnia dicta de pulmento sunt. itaque addidit, *ventris*; ridiculè. quippe ossium medulla est. sed *ventrem* totum Parasitum vocat: quomodo Terentius: *pugnos in ventrem ingere*. & hic ipse infra: *Ehem qui ventrem vestiam*. Etiam Lucillio *ventres* sunt comedones & lurcones. Quid ergò elegantius illo Eunucho? *Hunc comedendum & deridendum vobis propino. &c.* In MSS. & vett. est, *percepit*: optimè. *percipit* est in Pareana pr.

18. DI. PLVRIMOS.] ita MSS. & vett. ed. vulgò *quàm plurimos*, quod retinuit Pareus in ultima, etiam contra leges versus.

24. ARANEARVM] MSS. & vett. edd. *araneorum*. & tamen in seq. versu *earum*.

24. TEXTVRAM IMPROBAM] ita MS. sec. & omnes vett. edd. tamē Pistori placet, quod est in MS. pr. Cam. & in nescio quā editione, *texturam improbem*: noto verbi hujus significatu apud Plautum alibi. quod cùm ignoraret Pareus, nomen inde fabricavit; exhibetque nobis ridiculè Lexicon ejus, *Improbis; improbe*. Nihil minus. sed ut Ædiles multa publicè improbabant; sic ab iis secundi erant, qui quaslibet præterea merces, nec non opificia examinarent, pretiumque eis constituerent ex merito, majus minusve. *Improbem* igitur heic verbum est, cui contrarium *Approbo*. V. N. Asin. 5. 4. v. 57.

26. VESTE] Sic & Lucr. *vietam aranei vestem* dixit vesca earum tela.

28. NASITERNAM] *Nasiterna*, genus vasis aquarii, ansati & patentis, quale est, quo equi post confecta spacia in Circensibus perfundi ac recreari solent. (Pœnulo, act. 5:5.) Ita dicta, quòd tres *nasos*, hoc est, ansas haberet. ita Vatinianis calicibus assignat *nasos* Martial. & Juvenal.

Siccabis calicem nasorum quattuor.

Festus & Scalig. MSS. *nasciternam*.

28. SINE SVFFRAGIO] Usurpatur, ubi quis in alieno negotio imperiosior. Cicero: *Sed quæro quid hac re turpius: quam sine provocatione senator, sine mandatis legatus?*

30. PINGE] ita MSS. & vv. edd. sc. floribus. Poetæ veteres, in Appendice Virgilii:

VER PINGIT vario gemmantia prata colore.

Idem:

Flore solum vario depingit odoriferum Ver.

Lucr. lib. 2.

—pinguntque rosarum

Floribus, umbrantes matrem &c.

i. variant ac distinguunt. Unde Ver *pictorem mundi* quidam vocavit eleganter. At J. Lips. Antiq. lib. 5. cap. 17. legit, *Tinge h.* quomodo Hor. 2. Carm. 14,

—mero Tinget pavimentum superbo.

31. GE. EDEPOL] ita Acidal. hæc rectidè Gel. dat. sed non etiam alteram partem versus. eam enim mulieri tribuunt Edd. vett. & vacuum est personæ recipiendæ in MSS. itaque improba fide hìc est Pareus in notis, qui inquit in libris iis tribui Parasito.

33. LECTOS STERNITE] discubitiores, Pseud. act. 1:2. *lectisterniator*.

35. PISCATOR] Lips. l. *piscatu rettuli*. Loquitur, inquit, Puer ipse, qui à piscatu cum piscibus redierat. MSS. & Edd. stant à vulgatò. Pareus vitiosè Lipsianum expressit: *piscatu retulit*. adeo ubique impingit sutor ultra crepidam.

41. COMMODVM] Alciatus, *jam*; Lambinus, *tantum quod*, interpretantur.

41. ECCE SOL] ita Gruterus restituit è MSS. in quibus, *esse*. at Lipsius, & J. Gul. l. *sese sol superabat*, pro, tollebat ἐνεργητικῶς ἀρχαϊσμῷ. Ita, *penetrare se in domum*. id, *Emigrare se ædib*. Titinnius.

44. CERCVRVM] Merc. act. 1:1.

45. VELO PASSO] *Passo*, i. *laxo & rugoso*: Nonius. qui tamen alibi *Passum*, *extensum & patens* interpretatur. quod & Lambino Bryardoque, hoc quidem loco arridet impensius. *Passus* enim & *expassus* & *dispassus* seu *dispessus*, omnia veteres ἀπὸ τοῦ *pando* deduxêre; Servio atque Agellio testibus. Igitur *passo velo*, erit *explicato*, & quod vento impulsum ac completum intumescat, ac quasi prægnans fiat. Sed erro: & rectè atq; ex nauticâ disciplinâ Nonius, qui morem hunc habent, ut quotiescunque portubus insinuanda sunt navigia, *pedem faciant* illicò, laxentque velorum sinus: ne vento secundo impetum navis adjuvante syrtibus ac pulvinis illisa, vado adhærescant. *Douza*.

u

45. PERVE-

45. PERVENIT] ita etiam MSS. adolescens J. Grut. suspicabatur, *velo passo pervehi*: quod illico Pareus admisit in editionem suam, ut supra v. 41. *ecce loco esse*.

48. HEM! QVID? EPIGN.] ita Acidal. elegantissimè: *PA. Hem quid? Epignomum elocutus? GE. tuum virum, & vitam meam.* Occupat respondere Gelasimus, quemnam rediisse Dinacium nunciarit. Et passim Parasiti reges suos *Genios* etiam & *vitam* nominabant. Menæch. act. 1:2. & act. 5:5. Geminus locus & ad hunc unicus est Capt. act. 4:2. v. 98. ——*ut ego vidi. HEG. meum gnatum? ER. tuum gnatum, & Genium meum.*

50. PA. NIMIS F.] Acidalius: *GEL. nimis f. bene &c.* Et sic solent Latini, in re læta. Capt. act. 2:2. v. 25.

52. HEM! QVI VENTREM] i. meipsum. Vide suprà. In Pal. pr. non est *Em*, ut prodidit Pareus, sed *e* cum linea superjacente; quod & esse queat, *est qui*. sententia non inepta. habet tamen *hem* & sec. & Edd. vett.

53. EBVRATOS] Sic Apul. *Ebore nitentes lecti.* Ex eo enim fiebant tam cubiculares, quàm tricliniares. Varro: *Cum in eborato lecto ac purpurei operis toro cubare videas agrotum.* Propert. lib. 2. el. 10.

Nec mihi tunc fulcro sterniatur lectus eburno:
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Catull. Carmine 57.

O cubile, quot (ô nimis
Candido pede lectuli:) &c.

quod τῆς κλίνης ἐλεφαντόποδος, ad verbum interpretari non absurdè fortasse possimus. quamvis aliter virum maximum explicare sciam. *P. Colvius.*

54. BABYLONICA PERISTROMATA] de insano Persarum luxu in peristromatis & aulæis, vide mihi B. Brissonium, De regno Persico, lib. 2. & Not. Pseud. act. 1:2.

54. CONSVTAQ.] Ita edidit Camerarius, & dum Scaliger in Conject. *consuta tapetia* ex Xenophonte ῥαπτὰ explicat, videtur non improbare: neque abeunt nimis characteres membranarum, si penitius figuris cujusque attendamus. nam MS. pr. habet, *& peristromaton sillà et t.* atque ita & sec. & editio Merulæ ac Pii. nisi quod *sella* habeant, pro A *silla*. At seq. edd. *peristromata, sella & tap.* Hinc Meurs. *peristromata, solla & tap.* Et *Solla*, inquit, erant sedilia, in quibus tantùm unus sedere poterat, quæ insternebantur Babylonicis stragulis, quæ *Sollaria* dicebantur: (Plautus *peristromata* appellat: etsi non nego, etiam ad alias Babylonicas vestes referri posse) ideoque aptè conjunguntur. Est autem vox Osca. nam ea gens *Sollum* vocabat, quod totum esset ac solidum. Fuerint igitur hæc sedilia ex solido ligno: unde pretiosiora. Et sanè non omnibus ea habere licebat; quibus licebat, *Solla sternere*, & *Sollisternium habere* dicebantur. Vide Fest. Pareus Meursium sequitur. sed nihil profert caussæ. nam mihi sanè non fit vero simile sedilia lignea imponi solita navibus: cùm & in Græcia æquè fabra fieri possent; & alia esse poterant pretiosiora, quibus oneraretur navis. V. N. Pseud. 1. 2. v. 14.

57. SAMBVCINAS] i. Sambucistrias: à *sambucâ* instrumento musico. MSS. Cam. & Mediol. ed. ut & Parm. *sambucas*. sed nostrū in melioribus servatum libris, disertè testatus B est Pius. Nimirum inter cœnandum, acromata omnis generis adhibebantur. Nam aut symphoniâ personabat Triclinium, aut instrumenta varia organaque concinebant: aut Tragœdiæ aut Comœdiæ Mimique agebantur: incendebantur odores naribus gratissimi. Menæch. act. 2:3. *Sternite lectos: incendite odores.* Hinc apud Virgil. 1. Æneid. in convivio Didonis,

——*citharâ crinitus Jopas*
Personat auratâ.

& Livius lib. 29. *Tunc psaltriæ sambucistriæque & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis.* Vide Macrob. lib. 2. cap. 4. de Augusto: & Senecam de Vitâ b. cap. 11. Hinc in marmoreis tricliniis fidicinas & aulœdos scalptos videmus. Vide P. Ciaccon. lib. De *Triclinio*. item J. Bapt. Pium in Lampade Artium Liber. Gruteri, Tom. 1. pag. 393.

58. ALLVDIABO] adludam & adblandiar mulieri. Wil mich fein zudeppisch machen.

59. MVLTIGENER.] ita MSS. & vett.

60. AVCTIONEM: MIHI] ita MSS. & vet. ed. sine illo *quando*.

61. MALL-

61. MALIVOLI] ita MSS. non, *maleboli*.

64. DI. RIDICVLOSISSIM.] ita MSS. & omnes ed. hic legunt: ut omnes superius, *ridiculissimos*. Acidalius tamen notat, vitium versûs convincere hic etiam legend. *Ridiculissimos*: ut vers. 58. male; nam contrahitur, *ridiclosissimos*: itaq; reprehendendus Pareus, qui id recepit in contextum.

67. EXOPTABIL.] ita Prisc. lib. 10. MSS. tamen & ed. omnes, *optabilem*.

68. ILLICO] Acid. *Ilicet*: *meo m*. ut exclamatio sit desperantis. ita Amph. *Ilicet. mandata heri perierunt unà & Sosia*. & istud recepit in editionem pr. Pareus. nam secunda, *Illicò ex meo*. & hoc & illud expressè contra MSS. & omn. edd. ceterùm Pall. & Edd. vett. non habent *gaudeant*, sed *audeant*.

70. DISCESSISSES] decimâ scilicet adauctâ tibi ex hereditate, quam frustrà cupidissimè inhiaveram credulus. quam si ex sententiâ utriusque nostrum cernere contigisset, næ tu pulcrè ac basilicè decimâ istâ, quam vovi, mactus ac pollucitus discessisses. Lambinus Poetæ mentem non vidit. *Douza*.

72. ADMINISTREM] Sacris privatis sui erant, minister, aruspex, fidicina, popa. de ministro Amphitr: *Ac ut ministres mihi cum sacrificem*. de aruspice & popa videndus Plautus Curcul. 4. 1. versu 22. Guther. 4. c. 6. de jure Pontif.

73. PROVENISTI FVTILE] Prodidisti huc frustrà & sine quæstu: vel, spem habuisti inanem de emolumento aliquo. *Futile*, vas esse scribit Lactantius, lato ore, angusto fundo: quo utebantur in sacris Vestæ, quod stare non poterat: ut aqua statim effunderetur. quod ideò excogitatum est, quòd aqua in sacris Vestæ in terrâ non ponitur: idque si fiat, piaculum est: L. Sed hæc inepta Pist. ait: cùm *futilè* idem sit quod *futiliter*. Metaphora est ab agriculturâ & fructib. de quibus dicitur, quòd aut benè aut malè proveniant. unde *proventus annuus*. Vide N. Men. act. 5: 5. & Rud. 3: 5. & Trucul. 2: 4.

76. ILLOS HOMINES] Parasitos adventores.

ACTUS III. SCENA I.

EPIGNOMVS adolescens.
STICHVS servus.

CVm bene re gestâ salvus convortor domum,
Neptuno grates habeo & tempestatibus:
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
Iuvit, lucrisque quadruplicavit rem meam.
Olim quos abiens affeci ægrimoniâ,
Eos nunc lætantes faciam adventu meo.
Nam jam Antiphonem conveni affinem meum,
Cúmque eo revéni ex inimicitiâ in gratiam.
„ *VIDETE QVÆSO quid potest pecunia!*
Quoniam re bene gestâ rediisse me videt,
Magnasque apportavisse divitias domum,
Sine advocatis ibidem in cercuro in stegâ
In amicitiam atque in gratiam convortimus.
Et hic hodie apud me cœnat, & frater meus.
Nam heri ambo in uno portu fuimus: sed mea
Hodie soluta est navis aliquanto prius.

Age abduc has intrò, quas mecum adduxi, Stiche.
ST. Here, sive ego taceam, seu loquar, scio scire te
Quàm multas tecum miserias multaverim.
Nunc hunc diem unum ex illis multis miserijs
Volo me Eleutheriam capere advenientem domum.
EP. Et jus & æquum postulas: sumas, Stiche,
In hunc diem: tè nihil miror, abi quò lubet.
Cadum tibi veteris vini propino. ST. papæ,
Ducam hodie amicam. EP. vel decem, dum de tuo.
Vbi cœnas hodie? ST. si hanc rationem instituis;
Amicam ego habeo Stephanium hinc ex proximo,
Tui fratris ancillam: eò condixi in symbolam
Ad cœnam, ad ejus conservum Sagarinum Syrum.
Eadem est amica ambobus, rivales sumus.
EP. Age abduc eas intrò! hunc tibi dedo diem.
ST. Meam culpam habeto, nisi probè excruciavero.
Jam hercle ego per hortum amicam transibo meam,
Mihi hanc occupatum noctem: eàdem symbolam
Dabo, & jubebo ad Sagarinum cœnam coqui.
Aut egomet ibò atque obsonabo obsonium.
Atque id ne vos miremini, homines servulos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere.
Licet hoc Athenis nobis. sed cùm cogito,
Potius quàm in dividiam veniam, est etiam hîc ostium
Aliud posticum nostrarum harunce ædium,
(Posticam partem magis utuntur ædium)
Eâ ibo obsonatum, eâdem referam obsonium
Per hortum: utrôque commeatus continet.
Ite hàc secundum vos me! ego hunc lacero diem.

CVM BENE RE GESTA.] Pareus abjecit voculam *re*, nō sine ruina versus; mentiturq; insuper non extare in Palatinis, cùm tamen compareat in utroq;. quæ autopsia!

12. STEGA] V.N. Bacch. act. 2: 3.

14. ET HIC H.] omn. editi sic, præter Dousæ, qui *hic*. MSS. *Et sib.*

17. ABDVC HAS] fidicinas. Ita autem Grut. è MSS. Cam. restituit: ut & infrà: *Age abduc eas intrò-huc &c.* atque ita etiam Acid. ex conjecturâ. Vulgò, *adduc.*

18. SIVE EGO] Sic Edd. vett. at Schop. legit è MSS. Palat. *Here, si ego taceam, seu l,* & dictum *si* pro *sive*. V.N. Merc. act. 2:2.

19. MISERIAS] Douza è Festo reponit *ærumnulas*. Quod tamen Acidalius negat convenire.

19. MVLTAVERIM] i. ἐξηριθμησάμην. Veteres enim *mulcare*, i. numerare dicebant. quanquam propriè est πλειστηριάζειν in auctionibus, quod *polliceri* dicunt Latini. Scalig. Conjectaneis. Pall. ambo *mulcaverim*. Edd. vett. *mulctaverim*.

20. NVNC H. DIEM] ita omnes vett. edd. & Pal. sec. solûm pr. *Nunc nunc d.* Et sine ratione hîc turbant Novitii, perp ramque Pareus edidit, *Nunc in hunc diem.*

26. IN-

26. INSTITVIS.] Ita vett. Edd. nam Pall. *instit. Amicam.* Alii Epigono isthæc ad huc tribuunt, sed contra vett. edd. quas & secutus Camerarius non Pareus.

28. EO CONDIXI] ad Stephanium amicam communem. Douza mâlit, *Ei condixi in symbolam Ad canam, ad ejus c. s.* quem sequitur ex parte Pareus; dum exhibet, *ei cond. 1. s. Ad cœnam, ac ejus.* sed invitis MSS. & Edd. quorum hæc habent: *eo condictum symbolam ad cœnam, ac ejus.* illi verò, *ancilla meo condixi insimbolam ad cenam ad eius.* Rittershus. ad Phædr. Aliud est, *Condicere alicui ad cœnam*; vel, *Cœnam condicere*, vel etiam absolutè, *Condicere alicui*: Aliud, *Ad cœnam promittere. Promittit* ad cœnam, invitatus: *Condicit*, qui prior & ultrò seu invocatus denunciat, sed apud alterum cœnaturum; quod non nisi familiarissimi factitant. Die sich selber zu gast laden. Torrentius: *Condicere*, apud JC. est denunciare. Hinc *Condicere cœnam*, cum quis alteri denunciat, se cum eo cœnaturum. ut convivæ, non convivatoris sit. Cic. lib. 1. epist. F. 9. absolutè dixit; *cum mihi condixisset, cœnavit apud me.* Suetonius Claudio c. 21. *Velut ad subitam condictamque cœnulam invitare se populum dixerat* qualis nimirum amicis, qui seipsos invitant, apponitur: quàm idem non illepidè *sportulam* vocabat. V. N. Men. act. 1. 2. de *symbolâ* Epid. 1. 2. (Obiter etiã noto quod Scalig. in Ceirin. Propriè, inquit, proditorum est *Condictum*. nam iis quibus arcem aut urbem prodituri sunt, propriè *condicere* & *constituere* dicuntur.

32. MEAM CVLPAM] me accusato, nisi ego hunc diem totum in Genio curando consumpsero. Quasi dies videatur vexari cum eum potando, obsonando, scortando conterimus. L. Palat. pr. *pro excruciavero*, sec. *per excruciavero*, neque aliter vett. edd.

33. PER HORTVM] Ordo: Ego per hortum transibo occupatum amicam meam hanc noctem, vel, occupatum noctem &c. Acidal. leg *per h. ad amicam tr.*

34. MIHI H.] ita MS, pr. at sec. *Mi*, ut & vett. edd.

37. ATQ. ID NE VOS MIREMINI] Excusat Plautus, quòd homines servulos potantes, amantes atque ad cœnam condicentes inducat in Scenam: quod mirum nemini videri deberi dicit, in palliatâ præsertim Comœdiâ, & quæ Athenis gesta fingatur. quâ in urbe servis talia patrare potestas semper fuit. Quam rem Stichus tamen, Romæ se scilicet, haud Athenis esse, seriò demum cogitans, potiùs, quàm *in dividuam veniat*, id est, Romanis legibus, quæ ista vetabant, fraudem faciat, unde periculum capitulo creet suo; igitur sibi constitutum esse prædicat, nusquam in publicum prodire; sed partem ædium posticam uti potius. Jam de licentiâ & insolentiâ servorum Atticorum consulendus Brodæus Miscell. lib. 3. cap. 12. *E. Douzâ.* Notat & Is. Casaubonus ad Sueton. lib. 1. & Athenæum lib. 6. cap. 19. Libertorum atque etiam servorum jura Athenis solutiora fuisse quàm Romæ.

39. LICET HOC] Edd. vett. *Licet hæc.* neque aliter Pall. Pareus obtrusit nobis, licenter nimis, *Licent hæc.* neq; vidit hoc modo corrumpi metrum.

42. POSTICAM PART.] Cum hic versus in Basil. & Venetâ non appareat, censet Pistoris à Grammatello aliquo margini primò illitum, deinde ab alio in textum receptum esse. habent tamen ambo Pall. & Edd. primæ.

44. UTROQVE] ad alteras ædes ab alteris commeatus continuatus est. V. N. Milite act. 2. 5.

44. COMMEATVS] MS. pr. *comeatus* unico *m.*

45. SECVNDVM] *secundùm ire*, sequi est. V. N. Milite act. 4. 8. & Amph. 2. 1. Ordo: *Vos secundum me hàc ite.*

45. LACERO DIEM] Ego hunc diem lacerare, & ut suprà dixit, *excruciare*, hoc est, potando, epulando & scortando conterere volo: *Lamb.* At Turn. lib. 9. 21. Nimium diu loquor, & verbosus diei molestiam creo: atq; ita stultè garriendo eum excrucio. ita & Acidal. mavult, garriendo perdere. ut Asin. act. 2. 2. *Quin ego hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem.*

ACTUS III. SCENA II.

GELASIMUS parasitus. EPIGNOMUS adolescens.

LIBROS inspexi. tam confido, quàm potis est,
Me meum obtenturum regem ridiculis meis.
Nunc intervisi, jámne à portu advenerit:
Ut eum advenientem meis dictis deliniam.
EP. Hic quidem Gelasimus est parasitus, qui venit.
GE. Auspicio hodie optumo exivi forâs.
Mustela murem abstulit præter pedes.
Cum strena obscævavit, spectatum hic mihi est.
Nam ut illa vitam repperit hodie sibi,
Item me spero facturum. augurium hoc facit.
Epignomus hic quidem est, qui astat. ibo atque alloquar.
Epignome, ut ego te nunc conspicio libens!
Ut præ lætitiâ lacrimæ præsiliunt mihi!
Valuistin' usque? EP. sustentatum'st sedulò.
GE. Bene atque amicè dicis. di dent quæ velis!
Propino tibi salutem plenis faucibus.
Cœnabis apud me, quoniam salvus advenis.
EP. Vocata est opera nunc quidem: tam gratia est.
GE. Promitte. EP. certum est. GE. sic fac, inquam. EP. certa res 'st.
GE. Lubente me hercle facies. EP. idem ego istuc scio.
Quando usus veniet, fiet. GE. nunc ergo usus est.
EP. Non edepol possum. GE. quid gravare? censeo
Eas! nescio quid verò habeo in mundo. EP. i modò,
Alium convivam quærito tibi in hunc diem.
GE. Quin tu promittis? EP. non graver, si possiem.
GE. Unum quidem hercle certum promitto tibi:
Libens accipiam, certò si promiseris.
EP. Valeas. GE. certúmne est? EP. certum! cœnabo domi.
GE. Quandoquidem operam *tuam non vis promittere:*
Vin' ad te ad cœnam veniam? EP. si possim, velim:
Verùm hîc apud me coenant alieni novem.
GE. Haud postulo equidem me in lecto accumbere:
Scis tu me esse imi subsellii virum.
EP. At ii oratores sunt populi summi viri,
Ambraciâ veniunt huc legati publicè.
GE. Ergo oratores populi, summates viri,

Summi

Summi accumbent, ego infimatis infimis.
EP. Haud æquum est te inter oratores accipi.
GE. Equidem hercle orator sum, sed procedit parum.
EP. Cras de reliquiis nos volo. multum vale!
GE. Perii hercle verò planè, nihil obnoxiè.
Uno Gelasimo minus est, quàm dudum fuit.
Certum est mustelæ posthac nunquam credere.
Nam incertiorem nullam novi bestiam.
Quæné & ipsa decies in die mutat locum.
Eam auspicavi ego in re capitali meâ.
Certum est amicos convocare, ut consulam
Quâ lege nunc me esurire oporteat.

LIBROS] περὶ γελοίων, *De ridiculis.*

2. REGEM] Epignomum, qui me alit. V. N. Asin. extremâ.

7. MUSTELA] Utrumque animal, & *mustela domestica* & *felis* inter ea fuit, quæ occursu suo facerent auspicium: quod Græci vocabant ἐνόδιον σύμβολον. Exemplum de mustelâ hic est: de *fele* apud Terent. Vide Is. Casaub. ad Theoph. utrum γαλῆ mustela sit domestica, an felis. item Frid. Lindebruchii Observat. ad illud in Phorm. Ter. act. 4. 4.

Introiit in ædes ater alienus canis:
Gallina cecinit, &c.

Atque hæc μαντικῆς doctrina propriè οἰκοσκοπικὴ dicebatur de quâ Xenocrates peculiarem libr. scripsit.

A

B

7. PRÆTER PEDES] i. ante pedes Cic. 3. Verr. *Præter oculos Lollii hæc omnia ferebant.* Nonius.

8. CUM STRENA OBSCÆVAVIT. SP. HIC] Ita Pall. ambo, & Edd. vett. nisi quod ex *obsecravit.* seqq. *Tum strenua obsonavit.* recente. *Eum strenua obsonavit. sp. hoc.* Palmerius voluit, *Eum strenam obscævavit.* optimè, *strenam*: neque aliter scripsit Plautus. Mus enim erat strena mustelæ. Sed &, *obscævavit*, rectè à me positum, vincit illa vox, *strena*. Hæc enim ita conjugari solent, *scæva*, *strena*. D. F. & Acid. l. *strennuè obson.* V. N. infra 5. 2. v. ultimo. & Asin. 2. 1. v. 18. Pareus edidit, *Quom strenâ obscævavit. sp. hoc.* ibique ea scripsit, quæ nemo intelligat; ne ipse quidem.

9. VITAM] l. victum. V. N. Trin. act. 2. 4.

10. ME SPERO] Utraque Parei *meo spero.* quo quid velit, nescio. nam sic nullus liber scriptus editusve.

10. AUGURIUM HOC FACIT.] Turn. l. 26. 26. Horat. 1. Epist. 1.

——*cui si vitiosa libido*
Fecerit auspicium,

valet, si libido ei suaserit. Ab avibus ductum quæ auspicium faciunt, & movent, ut aliquid agamus, aut non agamus. Palmerius, Suam avem, inquit, Epignomum esse dicit, à quâ augurium capiat. Hunc qui domo prodiens videat, bene se de vitâ ominari. Immo rectius Acidal. πλείᾳ στιγμῇ adjectâ post *facit*, ita restituit: *augurium hæc facit. Epignomus hic quidem est qui adst.* Auspicium illi mustela fecerat: Epignomus auspicii fides & eventus erat, à quo victus reperiendus. Nam dum augurium suum commentatur secum, interim conspicit Epignomum, quem noscitans adit statim & compellat. Juvant MSS. in quis, *hæc facit:* &, *quidem est, qui &c.* & verò ea scriptura minimè negligenda; ut *hàc*, notet ab ea parte, qua ei mox venit in conspectum Epigonus.

14. SUSTENTATUM] *Sustentare se*, est portare se: & benè valere, καὶ ἐρρῶσθαι. Ita Satiricus de eo, cui constabat valetudo, *Et pedibus me porto meis.* i. benè valeo. Ita *vectare se*, ut *sustentare se*, est de opt. corporis constitutione dictum Latinis. nam *vectio* sive *vectatio* vigor est, auctore MSS. *Glossario Latino-arabico* Scaligeri: quem vide ad Manil. lib. 5. Infra, act. 4. 2. v. 8.

16. PROPINO] utitur verbo ex personâ Parasiti apto, L.

17. COENA-

17. COENABIS APUD ME] Ita quidem edd. quoque vett. at Pall. ambo, *cenem illi apud te, quoniam.* hæreo.

18. NUNC QUIDEM] J. Gulielmius: Plautini joci in morbo plerique cubant: ut hoc loco illa verba, *num quidem tam grave est?* quid velint, non video. Lambinus maluit, *numquid hoc tibi tam grave est?* sed sensus frigidus est. Uno apice addito emendavi, *nunquid emta? ni grave est, Promitte.* Epignomus *vocatam* suam operam dixerat, significans aliò ad cœnam se vocatum. id Parasitus eludens, & aliò torquens, At ea opera, inquit, an emta etiam est? nam si *vocata* tantùm, etiam nunc res integra est. Mercenariorum operæ *vocantur*, cùm ad opus faciendum arcessuntur: eædem *emuntur*, cùm pretium certum operæ dicitur. illo facto, etiam nunc negotium vel capessere vel repudiare possunt: hoc si convenit, necesse est operam absolvere, & conductior probare. ita *emere operam*, dixit Epidico, act. 1. 2. Et *dant operam*, qui vocati assunt. Cistellariâ, act. 1. 1. de convivis, qui Genium suum curant bellè:

Ita omnibus relictis rebus,
Mihi frequentem operam dedistis.

ita Gul. cujus scripturam secuta est editio Parei. Schoppius legit,

Vocata est opera nunc quidem: tam gratia est.

GE. Promitte. ut *tam* pro *tamen* sit positum. ita Menæch. *Benè vocas. tam gratia est*: ut rectè ibi Gulielm. Certè Schoppio adstipulantur duo MSS. in quîs, *tam gratiam est.*

22. CENSEO EAS! N.] ita Acidal. l. *censeo Eas.* ut τὸ *Eas* alteri versui præfigatur defecto aliàs toto pede. Nam instanter ire suadet ad suam cœnam &c. MSS. & edd. *censeas? Nescio.* Pareus illud *nescio quid habeo in mundo*, interpretatur: Ich hab sonst etwas vor der Hand: Sehe du fort: ich kan jtzo nicht erscheinen: & interim transscripsit Parasito: plus quàm pueriliter.

23. EP. I MODO.] ita Palm. è vett. ed. & MSS. Personas ordinat. *EP. I modò, Alium convive.* Jam, *I modò*; vel, *Abi*, dicebant, ubi fastidiosè & contemtim aliquem amolirentur. V. N. Ps. act. 5. 2. & Truc. sc. ult.

30. SI POSSIM, VELIM.] ita MSS. & omn. editi. Sed leg. Acid. *si possis, velim.* nescio quâ caussâ. recepit id tamen in contextum Pareus.

31. NOVEM] Varro in Satirâ, quæ inscribitur: *NESCIS, QUID SERUS VESPER VEHAT,* dicit, Convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum: id est, proficisci à tribus, & consistere in novem. ut, cum paucissimi convivæ sunt, non pauciores sint, quàm tres; cùm plurimi, non plures, quàm novem. Vide Agell. lib. 13. 11.

32. ME IN LECTO] Pluscula ex Antiq. Lect. I. Lipsii lib. 3. concisius recitabo de *Modo accumbendi.* Accumbebant reclinata superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ ac jacente: capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto. Sed quomodo, inquis, omnes æquâ parte ad mensam pertingebant? Hoc modo. Primus decumbebat ad caput lecti: pedes porrigebantur ponè dorsum secundi. Secundus verò occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto; pedes jacebant ad tergum tertii: & sic deinceps tertius; sic quartus. De loco digniori. Is, qui primus & ad caput lecti decumbebat, *Summus* dicebatur: qui ad pedes, *Imus*: qui inter istos, *Medius.* Hinc illa Plauti, *Da puer ab summo* &c. Et si tres convivæ in uno lecto; medius, dignissimus Summus fuit. Puto autem, inquit ibidem Lipsius, ad hunc morem emendandum Plautum; *medio in lecto.* Neque enim hoc Parasitus dicit, se nolle in lecto accumbere (ita enim exclusissimus à cœnâ fuisset) sed nolle Medium aut Summum: satis esse, si in imo hæreret. idque sequentia docent. Sed tamen, & rectè, Gruterus, hoc exploso, retinendum censet, quod veteriores edd. & MSS. Cam. habent: *equidem me in lecto.* Sanè qui in subselliis edebant, nullam lecti partem occupabant. Infrà, *potius in subsellio Cynicè accipiemur, quàm in lectis.* Immò ipse etiam Lipsius in Senecam paullo ante mortem suam editum, Grutero assensus est. Servi enim non in lecto, sed in subsellio juxta lectum, sedentes vesci solebant. V. N. act. 5. 4. Meursio & Acidal. rectum videbatur, quod est in Colon. & nonnullis hujus notæ aliis: *equidem summo in lecto.* cui mox opponatur *imum subsellium.* eodem etiam inclinabat Torrentius ad Horatii lib. 2. Sat. 8. v. 40. qui consulatur, & ita edidit Pareus in prima

prima, in secunda habet, *med esse*, & asserit sic extare in Pall. verùm non sine eorum injuria. neque enim illo loco habent illud *d* aut versu sequenti.

33. IMI SVBSELLII] Asconius in Verrem: *Subsellia sunt Tribunorum, Triumvirorum, Quæstorum, & hujusmodi minora exercentium; qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant.* Varro l.4. *Ut subsipere, quod non planè sapit: sic quod non planè erat sella, subsellium dictum.* Hinc ergò *imi subselli virum* dixit Plautus. V. N. Capt. 3.1.

35. AMBRACIA] Urbs est Epiri, seu Thesprotiæ potiùs.

35. PVBLICE] I. G. legit, *publicitùs*, ex Charisio. Douza mâlit *poplicitùs*. quod in sua ed. ostentat Pareus: sed præter mss.

37. INFIMATIS] i. infimâs seu infimi ordinis: Prisc. lib. 12. V. N. Most. 3.2. & Men. 2.2.

40. RELIQVIIS] MSS. *reliquis*, ut & Edd. vett.

40. VOLO] sc. cœnare.

41. PERII HERCLE V. PLANE, NIHIL OB.] ita MSS. & omnes ed. vett. meliores. Agellius citat, *Nunc ego b. perij planè, non obnoxiè.* J. B. Pius in Face Gruter. Tom. pag. 349. *obnoxiè* interpretatur, proxime & cohærenter, q. d. se nunc penitùs periisse, non autem obnoxium & adstrictum esse periculo. atque huc accommodat illud Virgil. I. Georg. v. 396.

Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna.

Acidalius. *obnoxiè* hic exponit clementer: ut & *obnoxiosè*, Epid. act. 5.2. nec probat illud Dousæ additamentum, Cujus nomine tibi A obnoxius esse debeam. Potiùs, inquit, debebat; Tanquam mihi sis obnoxius: in morem obnoxii. *Obnoxius* propriè, qui ob noxiam aliquam suam alteri concedit, suo jure non utens, animi conscientiâ fractus. ad quam originem Pl. allusit Trucul. act. 4.3. v. 60.

——*multa mihi audienda obnoxio* &c.

Hinc ad alia trahitur: & *Obnoxij* dicuntur à similitudine quâdam affectûs & conditionis, etiam qui alicui aliquid debent, tanquam devincti. & sic Asin. 2.2. v. 18. usurpatur. Qui autem tales, lenius scilicet ac lentiùs agunt plerunque cum iis, quibus obnoxii, nec pro suo jure, cedentes ac parcentes, & planè velut secundas agentes. Inde jam istæ locutiones omnes, apud Agell. lib. 7.17. quas facillimum est huc μεταφορικῶς interpretari, &c. Vide cætera Trin. act. 4.3. vers. 31. & Amph. act. 1.1. vers. 216.

B 42. UNO GELAS.] MS. pr. hunc versum ponit post antepenult. *Eam ego &c.* at sec. & vett. ed. hic exhibent. Pareus tamen ea fuit imbecillitate cerebri, ut suo loco dejectum, inferius transposuerit: ubi profectò non magis convenit quàm abaco matula. coram Epigono vox desperationis plena egregiè locum habebat. eo absente, ineptissima est: utique cùm præ se ferat, non deliberaturum de ratione mortis, sed esuritionis.

45. QVÆNE ET IPSA] Ita ferè Pall. nempe *Qua enet ipsa* etiam malebat. Acid. *Quæne ipsa*. Edd. vet. *Quin & ipsa d.*

46. AVSPICAVI] Eam, ut auspicium mihi faceret, sumpsi in re meâ, quæ ad caput & salutem pertinet. L.

ACTUS IV. SCENA I.

ANTIPHO senex. PAMPHILIPPUS.
EPIGNOMUS.

ITA me dî bene ament, measque mihi bene servassint filias;
Ut mihi volupe 'st, Pamphilippe, quia vos in Patriam domum
Rediisse video, benè gestâ re, ambos, te & fratrem tuum.
PA. Satis abs te accipiam, nisi videam mihi te amicum esse, Antipho.
Nunc qui te amicum mihi experior esse, creditur tibi.
AN. Vocem ego te ad me ad cœnam, frater tuus nisi dixisset mihi,
Te apud se cœnaturum esse hodie, cùm me ad se ad cœnam vocat.

x Et

Et magis par fuerat me dare vobis cœnam advenientibus,
Quàm me ad illum promittere, nisi nollem ei adversarier.
Nunc me gratiam abs te inire verbis nihil desidero:
Cras apud me eritis, & tu & ille, cum vestris uxoribus.
PA. Et apud me perendie: nam ille heri me jam vocaverat
In hunc diem. sed satin' ego tecum pacificatus sum, Antipho?
AN. Quando ita rem gessistis, uti vos vellem, amicos atque addecet,
Pax commerciumque est vobis mecum. nam hoc tu facito cogites,
,, Ut CUIQUE HOMINI RES parata est, firmi amici sunt: si res lassa labat,
,, Itidem amici collabascunt. RES AMICOS INVENIT.
,, EP. Jam redeo. NIMIA est voluptas, si diu abfueris à domo,
,, Domum si redieris, si tibi nulla est ægritudo animo obviam.
Nam ita me absente familiarem rem uxor curavit meam,
Omnium me exilem atque inanem fecit ægritudinum:
Sed eccum fratrem Pamphilippum, incedit cum socero suo.
PA. Quid agitur, Epignome? EP. quid tu? quamdudum in portum venis
Huc? PA. longissimè. EP. postillà jam iste est tranquillus tibi?
AN. Magis quàm mare, quo ambo estis vecti. EP. facis ut alias res soles.
Hodiéne exoneramus navem, frater? PA. clementer volo.
Nosmet potiùs oneremus vitissatim voluptatibus.
Quàm mox cocta est cœna? impransus ego sum. EP. abi intrò ad me, & lava.
PA. Deos salutatum atque uxorem modò intrò devortor domum.
EP. Apud nos eccilla festinat cum sorore uxor tua.
PA. Optimum est. jam istoc moræ minus erit. EP. jam ego apud te ero.
AN. Priusquam abis, præsente te huic apologum agere unum volo.
EP. Maxumè. AN. fuit olim, quasi ego sum, senex: ei filiæ
Duæ erant, quasi nunc meæ sunt: eæ erant duobus nuptæ fratribus,
Quasi nunc meæ sunt vobis. PA. miror, quò evasurus sit apologus.
AN. Erat minori illi adolescenti fidicina & tibicina;
Peregrè advexerat, quasi nunc tu: sed ille erat cælebs senex,
Quasi ego nunc sum. PA. perge porrò. præsens hic quidem est apologus.
AN. Deinde senex ille illi dixit, cujus erat tibicina,
Quasi ego nunc tibi dico. PA. ausculto, atque animum adverto sedulò.
AN. Ego tibi meam filiam, benè quî cum cubitares, dedi:
Nunc mihi reddi ego æquum esse abs te, quî cum cubitem, censeo.
PL. Quis istuc dicit? an ille quasi tu? AN. quasi ego nunc dico tibi.
Imò duas dabo, inquit ille adolescens, una si parum est:
Et si duarum pœnitebit, inquit, addentur duæ.
PA. Quis istuc, quæso? an ille, quasi ego? AN. is ipse, quasi tu. tum senex
Ille, quasi ego, si vis, inquit, quattuor sanè dato;
Dum equidem hercle quod edant addas: meum ne contruncent cibum.
PA. Videlicet parcum illum fuisse senem, qui dixerit:

Quoniam

Quoniam ille illi pollicetur, qui eum cibum poposcerit.
AN. Videlicet fuisse illum nequam adolescentem, qui illico,
Ubi ille poscit, denegavit se dare granum tritici.
Hercle quia æquum postulabat ille senex, quandoquidem.
Filiæ illæ dederat dotem, accipere pro tibicinâ
PA. Hercle ille quidem certò adolescens doctè vorsutus fuit,
Qui seni illi concubinam dare dotatam noluit.
AN. Senex quidem voluit, si posset indipisci cibo:
Quia nequit, quâ lege licuit, velle dixit fieri.
Fiat! ille inquit adolescens. facis benignè! inquit senex.
Habeon' rem factam? inquit. faciam ita, inquit, ut fieri voles,
Sed ego ibo intro, & gratulabor vostrum adventum filiis.
Postea ibo lavatum in Pilum: ibi fovebo senectutem meam.
Post ubi lavero, otiosus vos opperiar accubans.
PA. Graphicum mortalem Antiphonem! ut Apologum fecit, quàm fabrè!
Vt jam nunc scelestus esse ducit pro adolescentulo!
Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet senem:
Namque edepol aliud quidem illi quid amica opus sit, nescio.
Sed quid agit parasitus noster Gelasimus? etiam valet?
EP. Vidi edepol hominem haud perdudum PA. quid agit? EP. quod famelicus.
PA. Quin vocasti hominem ad cœnam? EP. ne quid adveniens perderem.
Atque eccum tibi lupum in sermone, præsens esuriens adest.
PA. Ludificemur hominem. EP. capti consilij memorem mones.

VERSUS sunt tetrametri Archilochii, hujus & seq. Scenæ.

4. SATIS ABS TE] V. N. Most. act. 1. 3. Isaac. Pontanus l. *Vades abs te accipiam.* cum sequatur: *Nunc quia te* &c. Ita Persâ: *Vadatur hic me. PÆ. Utinam vades desint, in carcere ut sis.* At Gruterus confirmat lectionem receptã. esse enim opposita, *satis dare*; ac *satis accipere.* neque mutant MSS. aut edd.

5. CREDITUR] sc. à me. quasi dicat: Creditor fio tibi sine prædibus: neque satisfactionem ullã desidero, quàm rem ipsam, quâ te & amicum mihi & benevolentem esse, satis compertum habeo: D. Consulatur tamen & I. Langelæus IC. Otii Semestr. l. 8. c. 15. cur temerè, quamvis socero, nolit credere, nisi idem, & amicus sit.

10. GRATIAM ABS TE] tibi gratificari verbis: L.

ET APUD ME] MSS. & vett. ed. *Eat apud me.*

14. ATQ. ADDECET] D. F. L. *amicosque addecet.* quod Pareus recepit in editionem suam; contra MSS. & Edd. malum *adque decet.* nam certe Pal. sec. *adque addecet.*

15. COMMERCIUM] Allegoria. Inter quas civitates bellum est, non est commercium &c.

16. UT CUIQUE H. RES] Imò adulatores adversa fortuna fugat, non amicos, quibus nullum pretium in amicitiâ placet, præter ipsam. Paupertas sola amicos retinet & ostendit in vero suo vultu. Vide I. Bernartium ad Boetium Seneca Epist. 20. *Quod tu beneficio tuo non potes scire, paupertatu scies: illa veros certosque amicos retinebit: discedet, quisquis non te, sed aliud sequebatur. Non est autem vel ob hoc unum amanda paupertas, quòd à quibus ameris, ostendit.*

16. SI RES LASSA LABAT] ita MS. pr. Cam. at sec. & omnes vet. ed. *si res lassæ labant.* recent. versus caussa eliminarant *lassa.* non male, nisi & prior quoque versus plures haberet pedes.

18. JAM REDEO] Errat hîc Lamb. Verba domo egredientis sunt, sed ad familiares pronunciata, quibus se mox rediturum affirmat. Nam forte fortunâ incidit in Pamphilip. non destinatò. *Acidalius.*

18. ABFUERIS] MSS. *afueris à d.* ita in seq. versu, *tibi*, non *ibi*.

22. EXILEM] ita MSS. & edd. at Lamb. L. *exulem*, quod & invasit Parei prima.

24. LONGISSIME] dudum veni. L. vor-langst.

25. QUO VECTI] Vox *quo* non est in Pal. pr. at sec. *quà.* quod & in Edd. vett. mutavit primum Camerarius; omnesque tulere usq; ad Pareum, qui revocavit tam diu damnatum *quà*; ceteris scilicet sapientior.

26. CLEMENTER] non nimis properè.

27. ONEREMUS] Festiviter & concinnè. Etenim ad exonerationem, quæ præcesserat, allusum. Quam metaphoræ formam etiam Mil. act. 3.1. amplexus est: *Onera te hilaritudine.* D.

27. VICISSATIM] i. *per vices:* Non.

29. DEOS SALUTATUM] *salutare deos*, pro, deos adorare. vide Turn. l. 25. c. 1.

30. APUD NOS] ita MSS. pr. at sec. & vet. ed. *nos hac illa.* Lamb. *Apud nos hic eccilla*: quod in nullo edito: fovet tamen editio pr. Parei.

32. APOLOGUM AGERE] Acid. è vet. *apol. me agere un. ἀρχαΐσμῷ.* Ridiculè autem ait, Apologum se *agere* velle. & revera agit, non narrat, &c. Sed τὸ *me* nec in MSS. nec ed. vett. apparet. amplificavit tamen eo Pareus editionis suæ primæ pomæria.

33. QUASI EGO SUM] Hujus particulæ vis omnis non omnibus est nota. Veteres autem hâc sæpe utebantur συγκριτικῶς & comparatè, pro, *quemadmodum, veluti, ut.* Ita h. l. & in Ter. Adelph.

Ita vita est hominum, quasi cùm ludas tesseris, i. ut, si ludas. Ita sæpe Lucretius. quod observavit Gifan. V. N. Epid. act. 3.3.

38. PRÆSENS HIC] scilicet, quia nos in re præsenti sumus, in quorum personas Apologus iste examussim convenit.

46. IS IPSE QUASI TU] is ipse adolescens, quasi tu senex, dixit illa superiora. L.

48. DUM EQUIDEM HERCLE QUOD EDANT ADDAS.] Sic MSS. & Edd. præter Pareanam, qui *edint* oggessit & quidem suadente Acidalio.

48. CONTRUNCENT] Ita Lucillius istos *magnos manducones*, facetè *Cibicidas* appellavit. Apulejus quoque *offulam contruncare*, & *detruncare cibum*, dixit. Sunt tamen, qui *contrucident* malim in Plauto. sed hos vel numeri refutant.

49. VIDELICET] Turn. lib. 15.1. *Videlicet*, quod est, *videre licet*, vel, *videas licet*, suæ originis casum interdum retinet. Asinariâ; *Edepol senem Demænetum lepidum fuisse nobis.* V. N. Pœn. act. 5.2. Versui consulamus, reperito, *Vid. parcè parcum illum &c.* Bryardus l. *qui hoc dixerit*; hoc sensu: Iniquè & sordidè nimis facere senem, qui suâpte sponte munificum, ulterius porrò sumptibus onerare pergat. est enim propriè *Polliceri* apud ICtos, quum ultrò offerimus, & *Pollicitatio* solius offerentis promissio. Unde rectè est in Casinâ act. 3.2. *Operam uxoris polliceor foras, quasi catillæ.* Placet autem, ut cum interrogatione potius rescribatur: *Qui eum cibum poposcerit?* τὸ *Qui* adverb. ut fiat scilicet: Douza. Sed Acidal. cui Bryardi argutia in *promittere* & *polliceri* otiosa videbatur, potius refinxit: ——*qui id dixerit. Quid autem? an ille illi pollicetur, qui eum cibum poposcerat?* Cum avaritiæ senem arguisset in cibo poscendo, infit quærere, Quid adolescens ille, an poscenti illi sit pollicitus? Cui simili formâ alter pervenustè respondet: *AN. Videl.* & istud audacissimum commentum summa cum impudentia expressit Pareus editione sua pr.

51. VIDEL. FUISSE] Ita quidem Edd. vett. sed Pall. MSS. *Vid. non fuisse illum nequam adolescentiam qui.*

53. QUIA ÆQUUM] Pareus secutus Acidalium ingessit nobis, *quin*, contra omnes libros.

57. INDIP. DE CIBO] cum puellis etiam alimoniam obtinere.

60. HABEON' REM FACTAM?] Ist etwas bey dir zu erhalten?

61. FILIIS] pro *filiabus*? Prisc. 7.

62. PILUM] Ita consensu omnes MSS. & vet. edd. Et suspicatus est olim Turnebus lib. 9.21. *Pilum* fuisse fortè insigne balinearum: ut *malum Punicum*, apud Sueton. in Domitiano, cap. 1. insigne domûs. Ait etiam se vidisse, qui exposuerit coactilia; quasi intelligeret coactilibus se muniturum & foturum, eaque sibi pro balneo fore. Lambinus maluit, *Pyelum*, i. balneum seu labrum. L. Pollux

Pollux lib.10: 16. Πύελος, vas amplum, in quo veteres lavabant. de pyelo vide etiam Lipsium Cent.3. ad Belgas, epist.75. Probat pyelum hîc & Palmerius: existimat tamen & sic legi posse: ibo lavatum à pilâ. Primum enim pilâ lusitabant: inde ad balineum: tum cœnabant. id etiam senes: apud Petronium pilâ sparsivâ exercetur Trimalcio ante lavationem: post demum se dat convivio. Atque hæc VVouvverio etiam placent. Pareus verò in contextum deinde recepit.

64. GRAPHICVM] suprà, act. 2: 1. facetè atque ex picturâ adstitit.

64. FABRE] i. artificiosè: L. perfectè, Nonius.

65. ESSE DVCIT] Douza l. sese ducit. Ducere se pro adolescentulo, est, habere, æstimare, gerere sese pro adolescentulo. Acidal. Ut etiam nunc scelestus se esse duc. Capt. act.2:3. Tuque te pro libero esse ducas: affectatâ: παρέλξει verbi esse. ita Catull. hic se facit esse venustum. ultimum istud invasit Pareus utraque editione.

66. ACCENDET SENEM] ita MS. sec. & omnes vett. sed MS. pr. acentet. C. Schoppius, Istud, inquit, accendere non intelligo satis: nisi fortè putet Pamphilippus Antiphoni tanquam seni decrepito amicam juvenculam nulli usui esse, nisi ut eum complexu suo foveat & calefaciat: quod Davidi regi factum ex sacrâ historiâ didicimus. Accendere igitur non erit hîc libidinem alicui concitare, sed verò corpus senile & egelidum fovere ac concalfacere. Sed quòd in altero MS. exstat, accentet, me ferè, ut aliud quid comminiscerer, induxit: nec scio satis, utrum attentet legi debeat. Est autem attentare propriè nihil aliud, quàm manu blandâ contrectare. Et hoc modo diceret Pamph. non se videre, quid seni amicâ opus esset, nisi quæ ipsum, ad cæteras amoris artes exarescentem, blandè contrectando fricandoque nonnihil recreare possit. At verò S. Ulr. Pistoris legendum potiùs existimat: noctu quæ in lecto occentet senem. Dabitur, inquit Pamphilippus, homini amica, quæ noctu senem (ut plerumque) insomnem cantu oblectet: (erat enim fidicina, quam postulabat) nam ad quid aliud ei amica prosit nescio. Occentare senem, eâ

A formâ dictum, quâ occentare ostium. Notum quoque, inter alia Veneris irritamenta fuisse cantum. unde ille:

Cantabant surdo: nudabant brachia cæco &c.

Rectè autem occentandi verbū usurpat Pamphilippus: quia seni hic cantus potiùs convicium erat quàm irritamentum. Quanquam etiam aliàs occentare inter verba amatoria sine convicio usurpatur, ut passim apud nostrum. Quod si durius videtur occentare senem: cùm occentare ostium, dictum quidam existiment, pro ad ostium; posset ita exponi; quæ occentet; Eum scilicet senem esse; i. quæ cantu ei convicium faciat, & senectutem exprobret. quod etiam puellis usitatum ostendit Anacreonteum illud: Anacreon senex es: Blandæ dicunt puellæ, &c. conjectaneum istud editioni suæ immiscuit Pareus. & inde eruit in Electis positionem hanc: Senes etiam nuptias inhiant, & plerunque sunt libidinosi. item, Cantu nocturno solebant se senes recreare apud concubinas. qualia Electa! qualis senum character! Jam de nuptiis senum elegantissima collegit Albericus Gentilis l.5. c.3. de Nupt.

B 67. Q. AMICA OPVS] Haud sperno, neq; muto vulgatum istud Camerario ex V. C: ubi, amica opossit. nihilo tamen minùs verniliter vett. edit. & MS. alter Pall. quid amica possit, nescio. Grut.

69. HAVD PERDVDVM] Uterq; Pall. heic mutilatus est aliquot vocibus, quas supplevit tamen omnis editio vetus.

70. NE QVID ADV. P.] Acidal. per interrogationem legit Perderémne quid advenienS statim? Perderet autem, si Parasitum aleret. Aul. act. 4: 6. nam quod edit, tam duim quam perduim.

71. LVPVM IN SERMONE] Sermo pro familiari colloquio. eadem est vis verbi Fabula: unde fabulari: quod & elegans & veteribus est pervulgatum, hodie vix notum in eo significatu. hinc Terent. Adel. act.4:1. Lupus in fabulâ: quod Plautus, in sermone. Donatus & alii minùs rectè accipiunt: Gifanius. V. & N. nostras Ecl.9. Virgil.

72. CAPTI CONSILII] mones me memorem consilii, quod jam ipse ceperam. L.

ACTUS IV. SCENA II.

GELASIMVS parasitus. PAMPHILIPPVS. EPIGNOMVS.

SEd ita quod occœpi narrare vobis, cùm hîc non affui,
Cum amicis deliberavi jam, & cum cognatis meis:
Ita mihi auctores fuêre, ut egomet me hodie jugularem fame.
Sed videóne ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is est.
Aggrediar hominem. sperate Pamphilippe, ô spes mea!
O mea vita! ô mea voluptas! salve! salvum gaudeo,
Peregrè te in patriam rediisse salvum. PA. salve Gelasime!
GE. Valuistin' bene? PA. sustentavi sedulo. GE. edepol gaudeo.
Edepol na egomet mihi modiûm nunc mille esse argenti velim.
EP. Quid eo tibi opus est? GE. hunc ad cœnam hercle ut vocem, te non vocem.
EP. Advorsum te fabulare illud quidem. GE. ambos ut vocem,
EP. Edepol te vocem libenter, si superfiat locus.
GE. Quin tu, stans obstrusero aliquid strenuè. EP. imò unum hoc potest.
GE. Quid? EP. ubi convivæ abierint, cum venias. GE. væ ætati tuæ!
EP. Vnà lautum, non ad cœnam dico. GE. di te perduint!
Quid ais, Pamphilippe? PA. ad cœnam hercle aliò promisi foras.
GE. Quid, foras? PA. foras hercle verò. GE. qui, malum, tibi lasso libet
Foris cœnare? PA. utrum tu censes? GE. jube domi cœnam coqui,
Atque ad illum renunciari. PA. solus cœnabo domi?
GE. Non enim solus. me vocato. PA. at ille ne succenseat,
Meà qui caussà sumptum fecit. GE. facilè excusari potest:
Mihi modò ausculta. jube domi cœnam coqui. EP. non me quidem
Faciet auctore, bodie ut illum decipiat. GE. non tu hinc abis?
Nisi me non perspicere censes quid agas. cave sis tu tibi!
Nam illic homo tuam hæreditatem inhiat, quasi esuriens lupus.
Non tu scis, quàm efflictentur homines noctu hîc in viâ?
PA. Tanto plureis, qui defendant, ire advorsum jussero.
EP. Non it, non it: quia tanto opere suades ne ebitat. GE. jube
Domi mihi, tibi, tuæque uxori celeriter cœnam coqui.
Si hercle faxis, non opinor dices deceptum fore.
PA. Per hanc tibi cœnam incœnato, Gelasime, esse hodie licet.
GE. Ibisne ad cœnam foras? PA. apud fratrem cœno, in proximo.
GE. Certúmne est? PA. certum. GE. edepol te hodie lapide percussum velim,
PA. Non metuo: per hortum transibo, non prodibo in publicum.
EP. Quid agis, Gelasime? GE. Oratores tu accipis! habeas tibi!
EP. Tuà pol refert enim. GE. siquidem meà refert, operà utere,

Posce

Posce. EP. edepol tibi, opinor, etiam uni locum conspicor,
Vbi accubes. PA. sanè faciundum censeo. GE. ô lux oppidi!
EP. Si artè poteris accubare. GE. vel inter cuneos ferreos.
Tantillum loci ubi catellus cubet, id mihi sat est loci.
EP. Exorabo aliquo modo. veni. GE. húccine? EP. imò in carcerem.
Nam hîc quidem meliorem Genium tuum non facies. eamus, tu.
PA. Deos salutabo modò, postea ad te continuò transeo.
GE. Quid igitur? EP. dixi equidem, in carcerem ires. GE. quin jusseris,
Eò quoque ibo. EP. di immortales! hic quidem in summam crucem
Cænâ aut prandio perduci potest. GE. ita ingenium meum est;
Quîcumvis depugno multò faciliùs, quàm cum Fame.
PA. Non ergo is tu? apud me satis spectata est mihi jam tua felicitas:
Dum parasitus mihi atque fratri fuisti, rem confregimus.
Nunc ego nolo è Gelasimo mihi te Catagelasimum.
GE. Jámne abisti? Gelasime, vide, quid es capturus consilij.
Egone? túne? mihíne? tibíne? vides, ut annona est gravis!
Vides, benignitates hominum ut periêre & prothymiæ:
Vides, ridiculos nihili fieri, atque ipsos parasitarier.
Nunquam edepol me vivum quisquam in crastinum prospiciet diem.
Nam mihi jam intus potione vinceâ onerabo gulam.
Neque ego hoc committam, ut homines mortuum me dicant fame.

SED ITA QVOD OCCOEPI N.] Ita MSS. Camer. & omn. edd. Auctore autem Lamb. respectum est ad illa, act. 3: 2. *Libros inspexi &c. Certum est amicos convocare &c.* Douza l. *St, ita ut occepi.* Acidalius existimat totum principium deesse &c. ubi narrationem interruptam sic rursus orditus sit: *Sed ita, ut occepi nar.* formulâ huic rei solemni. Trin. 4: 2. *Ita ut occœpi.* Rud. 4: 4. *TR. Ita ut oc dicere, sen.*

1. CVM HEIC NON AFFVI.] Flagellant hoc Critici: quasi absens ista narrare spectatoribus non potuerit. At me, qui ingenium Plauti & parasiti Gelasimi cogito, nihil offendit: ut, quod absens meditatus aut molitus videri vult, id spectatoribus eâdem operâ narrasse arguetur; risum scilicet è summâ caveâ, quod solet, captans. Ita ille Lambini respectûs, & Acidalii defectûs suspicio occiderit. Cùm præsertim etiam consensus omnium vett. codicum, quod edidi, probent. Pareus nihilominus deauravit editionis suæ lutum illo Acidalii, *quom hinc modò absui.* item versu 3: *Ii mihi auctores fuere.* & hoc vocat nebulo iste, persanare Plautum.

A 3. ME HODIE IVGVLAREM] Parei editio pr. *med hodie jugulem.* contra MSS. & Edd. secunda, *med hodie jugularem:* etiam præter libros. imò literâ illâ interjectâ, vitiatur planè versus, sive legamus *jugulem*, sive, *jugularem*.

8. SVSTENTAVI SEDVLO] Venusta est formula responsionis, quâ de valetudine interrogati peregrè redeuntes utuntur. V. N. suprà, 3: 2. 14.
Valuistin' usque? EP. sustentatum est sedulò.
B ita alibi. Cic. ad uxorem l. 14: 4. *Sustenta te, ut potes.*

11. ADVORSVM TE.] Hoc eò dicit, quod ipse erat *pater-cænæ* seu convivator. Suspicatur autem Grut. personas ita collocandas: *EP. Advorsum te fabulare. GEL. illud quidem, ambos ut &c.* Sic Cas. act. 3: 5. *illud quidem volebam; non, sed nostro villico.* Mostell. act. 3: 2. *Illud quidem, ut connivent, volui dicere.*

13. QVIN TV, STANS OBSTR.] ita MSS. Camer. & edd. Lambiniana inepta sunt. Palmeri9: *Quin stas obstrusero aliquid strenuè.*

Ubi

Ubi *stas*, participium est, pro *stans*: ut in Pandect. Flor. *praegnas*, pro *praegnans*: & Prol. Merc. *mussas*, pro *mussans*. Cum enim Epignomus negaret locum esse, ubi reciperetur, alioqui se illum vocaturum; Parasitus, qui nihil magis metuebat, quàm ne Epignomo caussa esset, solvit hominem eâ curâ: Non, inquit, moror sedere; stans comedero. *Obstrudere*, autem, *tuburcinare*, &, ut inquit Plautus, *corbitare*: hæc omnia pro eodem dicebant, nempe *avidè vesci*. idque etiam Festus notat: *Obstrudant*, i. *avide trudendo gulam, non sumendo cibum &c.* Is. Pontanus l. *GE. Quin tu? stans obstrusero aliquid.* Parei Lexicon commendat hic nobis *obstrunsero*: ut scilicet *n* in *obstrundo* sit ἐπένθεσις antiqua. bellè prorsus.

16. QVID AIS? PAMPH.] Ex perpetuâ formulâ est compellandi initium, cùm quid aliud porrò subjungere volunt; *Quid ais?* Acid. Alii, *Quid agis?* quomodo prius editi; etiam uterque Pall. quamvis Pareus affirmet in eis conspici *ais*.

18. VTRVM TV CENSES] sc. me domi cænare, an foris? L.

18. IVBE DOM.] MSS. *juben d.* sed edd. *Jubedum mihi cæn.* Pareus MSS. scripturam secutus corrupit versum. nimirum dum indicare vellent librarii, syllabam longam, lineam ei superponebant. id alii accepere pro *n*. sic *instans* pro *instas* Asin. 1. 1. v. 39. &c. nihil enim vulgatius.

19. RENVNCIARI] sc. te non iterum. laß jhm wieder auffsagen. Cic. *Renunciare hospitium*.

26. EFFLICTENTVR] sc. â præmiatoribus nocturnis. ita autem MSS. & vet. edd. Alii l. *afflictentur*.

28. NE EBITAT] Sic MSS. nam Edd. primæ, *ne evitat*. seqq. *ne vetat*. recentt. *ne bitat*.

31. PER HANC TIBI CÆNAM] Si nulla tibi alia cæna parata est, quàm ea quæ domi nostræ parabitur, incænatus hodie dormies L.

33. CERTVMNE EST?] Ita MSS. & Edd. vett. Pareus dum tollit *ne*, turpiter corrupit versum.

33. LAPIDE] Colvius ex loco quodam Æliani legendum opinatur *lampade*. Jam de insolentiâ Atheniensium juvenum. vide N. Amph. act. 1: 1. & Trinum. act. 2: 2.

36. OPERA VTERE, POSCE. EP. EDEP.] Eleganter. Qui beneficium alicui offerebant, atque uti eum amicitiâ jubebant; his ferè verbis id faciebant: *Tua opera est: utere, posce.* Aul. act. 2: 1. Jam ergò Parasitus, quod eum deceret, Epignomum poscere suam operam, & uti eâ in edendo jubet; qui ipsi tam amicus sit, quàm quisquam possit. *Palmerius.* At verò Lamb. legebat, *Esse edepol.* Acidal. *EP. Posse ed. tibi opinor etiam uni locum esse: conspicor Ubi &c.* Illud tamen *esse* in nullo codd. apparet. in MSS. est, *EP. Posse edepol.* neq; aliter Edd. vett.

39. INTER CVNEOS] i. vel in arctissimo potero accumbere loco, qualis est inter cuneas, quibus aliquid duobus simul inditis & adactis, magis adstringitur, vel durissimum lignum finditur & discluditur: tum enim inter duos sic adactos patet tantùm tenuissima rima: *Turn.* lib. 9: 21.

41. EP. EXORABO AL.] Rectè. Epignomus enim erat conviyator: & hic ab hospitibus suis aliquo modo se pollicetur impetraturum, ut arctiùs cubare velint, Gelasimo recepto: ac simul eum venire jubet. Minimè tamen seriò, sed magis ludificandi hominis esuriosi. *Acid.*

42. NON FACIES] i. curabis. Lamb. pro, *non*, malit *haud*, propter versum: quod incontinenti recepit in editionem suam pr Pareus; contra mss. & edd. neque necessariò. altera lectione remanente bellè tamen habet versus.

44. QVID IGITVR?] Was wird denn endlich draus werden? ita MSS. Cam. Vulgò, *Quid agitur?*

44. Q. IVSSERIS] ita MSS. & v. edd. Vulgo, *quin si jusseris.*

45. IN SVMMAM] ita J. Gulielmius. vulgati, *vi summâ*. quod quidem Latinè & ornatè dicitur: sed qui intruserunt, næ illi parum de versu laborarunt. Neque sanè opus erat vi summâ, ut Gelasimus in crucem perduceretur, si prandio aut cænâ id fieri posset. Sanè Gulielmiano alludunt aliqua etiam MSS. Cam. in quîs tamen ambigua scriptura est: & edd. veteres: in quibus, & Pii, *hic quidem ui summa in crucem &c.*

48. NON ERGO IS TV?] ita Lamb. interpunxit Acidalius, Vulgant, inquit, *PA. Non ergo is tu apud me, satis spect.* supinâ negligentiâ. Dant hæc Pamphilippo; qui jam abiit.

abiit. Et quid est, *Ire apud aliquem*. Neque Lambiniana interpunctio proba est; quanquam nec valdè improba etiam. Sed mâlo ad hoc exemplum reponi: *EP. Novi ego ista apud me: satis st.* Vel: *Novi ego ista: apud me sat.* Respicitur ad præcedentem Parasiti de se prædicationem; *Quicumvis depugno facil.* Id verum esse, respondet Epignomus: & se expertum domi suæ, quàm strenuus ille sit pugnator: Jch weiß gar wol/ das du im Maul nicht lahm bist. Kanst weidlich schnabeliren. At Gruterus leviter suspicabatur, *quàm cum fame. Non ergo is tu apud te? PA. satis spect.* quo repentè picturavit editionem suam pr. Pareus. nam ultima habet: *tu? apud ne satis.* quo quid velit, Apollo ejus sciat oportet. Cæterùm veteres ferè uno tractu. *PA. non ergo is tu apud me satis spect.* At MSS. *Non ego isti apute satis.* Et: *Non ego isti apud te … satis spect.*

50. CATAGELASIMUM] Nolo te è ridiculo & urbano risum movente, fieri derīdiculum & derisui esse: L.

51. I. ABIISTI? G.] sc. Epignome: hîc enim restabat hactenus: cùm Pamphilipp. jam antè abiisset. Ita Douza & Acidalius. Idem tamen Douza *Abiisti* ἀντὶ τοῦ *obiisti*, positum suspicabatur. *Abitionem* enim pro

A morte δυσθανασίας vitandæ, veteres usurpasse, notum ex Festo. ut semetipsum interroget Parasitus, quasi ambigens, utrumne inter vivos an mortuos potiùs numerari porrò debeat occisissimus. Vide Centur. lib. 4. cap. 20.

53. PROTHYMIÆ] animorum alacritates, promptæ voluntates. Pseud. act. 5:1. Ter. Adelph. act. 5. sc. ult. *Quod prolubium*, (non, *proluvium*) *quæ istæc subita est largitas?* ubi προθυμία seu prolubido ad donandum intelligitur: ut rectè observat Donatus, teste Gifanio.

54. IPSOS PARASITARIER] à divitibus, ut à parasitis, captari ac lactari. Lamb.

55. PROSPICIET] Sic MS. sec. & Edd. primæ. MS. pr. *inspiciet*, cui uni testi accessit novator animus Parei.

56. POTIONE VINCEA] Lepidè, ita me Deus amat, laqueum vocat *potionem vinceam*: ac potionem quidem, quòd cùm potum guttur soleat transmittere ipsi inditum, inditur & induitur ei laqueus, quasi transmissuro: *vinceam* autem à vinciendo venustè deflexit, & ad potionem *vineam* vel *vinaceam* interim eleganter allusit; quòd laqueo collum vinciatur. *Vincea*, (vel ut alii, *vicea*) continens est Festo: *Turn.* lib. 9:21.

ACTUS V. SCENA I.

STICHUS.

MOre hoc fit, atque stultè, meâ sententiâ:
Si quem hominem exspectant, eum solent provisere:
Qui hercle illâ caussâ nihil ociùs venit.
Idem ego nunc facio, qui proviso Sagarinum,
Qui nihil ociùs venit tamen hâc gratiâ.
Iam hercle ego decumbam solus, si ille huc non venit.
Cadum modò hinc à me huc cum vino transferam:
Postea accumbam. quasi senex tabescit dies.

VERSUS hujus & seqq. Scenæ sunt Senarii jambici.

V. 1. ATQUE STULTE] Cùm reperisset Pareus in MS. pr: *atque st utte*, in sec: *adq. est utta*, forte, inquit, fuit, *atq. astutè.* additque ad tam divinum conjectaneum: quod omni-

B no verum ac genuinum puto. Itáne? at ego falsum spuriumque scio. quid enim? an ulla in eo astutia, quod exspectantes provisere solemus? nulla prorsus. fieri tamen solet, & quidem stultè: cùm nihil prosit, neq; eò citius adventent exspectati. MSS. scriptura

huc quoque duxit auctorem hujus lectionis Camerarium; in quibus L degeneravit nunc in T, nunc in I: quo nihil usitatius. Editi prius, *atq. est ita*. A

3. NIHIL OCIVS] ita MSS. Cam. & omnes vett.

5. QVI NIHIL OCIVS V.] ita hic etiam MSS. & omn. edd. ante Camerarium. In pr. MS. tamen factum olim, *Qui nihilo citius v.* quod non sine caussa ipsi placuit. alteri tamen sua quoq; est venus.

6. DECVMBAM] pro, *accumbam*. ita Terent. *prior bibas, prior decumbas &c.* Asin. 5: 1.

8. QVASI SENEX TABESCIT D.] ita Grut. restituit. nam omn. MSS. & vett. ed. uno consensu, *qua senex tabescit dies*. Vulgò, *quia sensim extabescit dies*. Lucretius lib. 5.
Crescere itemque dies licet & tabescere noctes:
Et m... luces, cum sumunt augmina noctes.
Et cur *dies* non dicatur *senex*, cum *senex mulier* Tibullo dicatur, *senex fama*, Ciceroni; quæ Scaliger notavit. immo *senex nullus* Martiali lib. 10: 30. & *senex cygnus*, lib. 5: 38. & lib. 9: 43. sed & *senex cadus*, lib. 9: 95. & *senex phaselus*, Catullo, &c.

ACTUS V. SCENA II.

SAGARINUS, STICHUS, servi duo.

SAlvete Athenæ, quæ nutrices Græciæ.
Terra herilis patria! te video libens.
Sed amica mea & conserva quid agat Stephanium,
Cura est: ut valeat. nam Sticho mandaveram,
Salutem ut nunciaret, atque ei ut diceret,
Me hodie venturum, ut cœnam coqueret temperi.
Sed Stichus est hic quidem. ST. fecisti, here, facetias,
Cùm hoc donavisti dono tuum servum Stichum.
Prò di immortales, quot ego voluptates fero!
Quot risiones! quot jocos! quot savia!
Saltationes, blanditias, prothymias!
SA. Stiche! ST. hem! SA. quid fit? ST. euge! Sagarine lepidissime!
Fero convivam Dionysum mihique & tibi.
Namque edepol cœna dicta est, locus liber datus est
Mihi & tibi apud vos: nam apud nos est convivium.
Ibi voster cœnat cum uxore adeò & Antipho.
Ibidem herus est noster. hoc mihi dono datum 'st.
SA. Quis somniavit aurum? ST. quid id ad te attinet?
Proin tu lavare propera. SA. lautus sum. ST. optimè!
Sequere ergo hàc me intrò. SA. ego verò sequor.
ST. Volo eluamus hodie. peregrina omnia
Relinque: Athenas nunc colamus! sequere me.
SA. Sequor, & domum redeundi principium placet.
Bona scæva strenaque obviam occessit mihi.

SALVETE] V. N. Bacch. act. 2: 1.

V. 1. QVÆ NVTRICES] Cic. pro L. Flacco: *Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, atque in* B *omnes terras distributæ putantur.* Schop. legit, *quæ nutrix es Græciæ Terra h.* Sic & Agell. *terram Græciam*, dixit; ut Trin. act. 4: 2. *Arabiam terram*.

2. TERRA HERILIS] Lamb. *O terra h.* Douza, *Ut terra her.* & ita alibi Plautus, *Ut te conspicio lubens!* Catull. *Quàm te libenter, quámque lætus inviso!*

13. DIONYSUM] Bacchum. L. Parei editio scripsit *mihi & tibi*, cùm MSS. & edd. prius haberent *mihiq.* eo quid lucratus est? ut perderet versum.

16. IBI VOST. COENAT.] ita MSS. & Acid, *Ibi voster c.* Nam cōvivium erat apud ipsum, Epignomum nempe, cujus servus iste Stichus. Ita mox (ait Acidalius) putidissimè vulgatur, *Ibid. h. e. noster.* quod corrigendum: *Itidem herus es noster.* Apud Epignomum herum ipsius erant in convivio Sagarini herus Pamphilippus cum uxore & Antiphone. Contrà liber locus erat datus servis apud Pamphilip. ubi interea vicem heri Sagarinum sibi, & æquè dominum convivii fore, Stichus ludibundus ait. Sed MSS. & vet. edd. hic præferunt quod edidi. stulteq; nimis Pareus versu illo sequenti exhibet editione prima, *herus est voster.*

16. ANTIPHO] pro, *Antiphone.* sic *Tranium*, pro, *Tranionem.* Mostell. act. 3: 1. & *Electri filia*, pro, ἠλεκτρύωνος, Amph. Prol.

18. QUIS SOMNIAVIT], Ita Pall. & Edd. vett. Turnebus lib. 20: 14. hanc sententiam facit: *Quis somn. aurum*, i. quis furatus est aurum? *Somniator*, inquit, idem qui *dormitator.* Addit deinde exemplum Trinumo, ubi *dormitator* nocturnum furem significet. quæ omnia sanè illo viro indigna sunt. Nam si ea sententia spectaretur, reponendum fuit; *quis summanavit aurum? Summanare* enim, subducere & furari est. Sed mihi, simplicissimum quod est, probatur: *SA. Quis obsonavit? ST. aurum: quid id &c.* Stichus, Cœna, inquit, dicta est, & vinum mihi dono datum. tum Sagarinus. Quis ergò, inquit, obsonavit? Nam de cado dixerat solùm Stichus; de esca nihil; *Palmerius.* Alii l. *Quis obsonavit aurum?* pro, in obsonium dedit. Alii, *Quis seminavit aurum?* quod notat Alciatus in *Lexico Plautino*; multisque logis explicare nititur. Meursio placet: *Quis sommanavit*, id est, summanavit. nam veteres *Summanos* vocabant fures: & *summanare* furari. V. N. Curculione. act. 3. At J. Gruterus illud Turnebi interpretamentum pluribus explicat ad illud Senecæ, *quos à basilicâ immissi deinde canes ejiciunt*, cap. XI. De Brevit. vitæ. Vult enim basilicas noctu clausas, canesque circumiisse, qui ibidem serius morantes, aut etiam dormientes custodibus proderent ejiceren[t]vé. Sic templorum custodiæ canes: Cicero pro Roscio Amerino. Agellius lib. 7. c. 1. Philostratus lib. 8. de Apollonio. Nempe videntur quidam datâ operâ finxisse somnum, & ita nocte furati ibi pretiosa quæque. Ergo *somniare aurum*, esset, somnium simulando id quæsivisse, quo convivium adornatum fuit. Acidalius denique simplicissimè, non de obsonio vel auro putat quærere Sagarinum, sed tantùm, unde id donum habeat Stichus: atque id his omnino verbis. *SA. Quis id donavit autem?* quod temerè nimis inter editionis suæ pr. ceimelia ostentat Pareus, contra tot libros.

21. VOLO ELVAMUS] quicquid peculii est, profundamus: L.

23. D. REDEUNDI] Acid. *redeunti*, jam enim redierat; non incipit redire. Et placet venienti principium, quia tam bonum auspicium fecerat Stichus. Parei Electa ex hoc loco tale fingunt dogma: Omne principium rei, omen erat bonum. quo quid stultius excogitari queat? Imò quia omne principium rei, non erat omen bonum, toties occurrit apud auctores: *Principium placet*; ut contra. *Principium displicet. Abominor principium: Principium inimicis dato.* Mercat. 1. 2. v. 25. Noster supra 2. 3. v. 34: *Principium placet de lectis.*

24. BONA SCÆVA STRENAQ.] Ita clarè in MSS. Cam. & Lamb. nec abeunt vett. ed. in quis, *Bona scena strenaq.* Vulg. leg. *Bona cœna str. ob. accessi.* Jam, *scæva* quid sit, diximus Pseud. act. 4: 7. & Prol. ibidem. *Strenam vocamus*, inquit Festus, *quæ datur die religioso, ominis boni gratiâ, à numero: quo significatur, alterum tertiumque venturum similis commodi, veluti trenam, præpositâ S litterâ; ut in loco & lite solebant antiqui.* Huic etymologiæ, ait Scalig. adstipulatur versus Pomponii Attellanarii:

Asside, si qua veniet strena strena.

Palmer. indubitanter legendum censet;

Bona scæva strenaque hoc bolo accessit mihi.

Vide suprà, act. 3: 2. Etiam Bryardus l. *accessit.*

ACTUS V. SCENA III.

STEPHANIUM ancilla.

MIrum videri nemini vestrum volo, spectatores,
Quid ego hinc, quæ illic habito, exeam: faciam vos certiores.
Domo dudum huc arcessita sum. quoniam nunciatum est,
Istarum venturos viros. ibi festinamus omnes,
Lectis sternendis studuimus, munditiisque apparandis.
Inter illud tamen negotium meis curavi amicis,
Sticho & conservo Sagarino meo, cœna cocta ut esset.
Stichus obsonatus est. cæterum ego curando id allegavi.
Nunc ibo hinc, & amicos meos curabo hic advenientes.

VErsus sunt tetram. Hipponactei. A
2. HINC] ex ædibus Epignomi. L.
3. ARCESSITA] ita exaratur in MSS. non, *accersita*.
3. QUONIAM NUNC.] Deest pes. forte, *quoniam jam nunciatum est*.
8. CÆTERUM] Cæteroqui ego aliquem privatim misi, qui id curaret & coqueret. L.

ACTUS V. SCENA IV.

SAGARINUS. STICHUS, servi duo.

AGite, ite foras! ferte pompam. cado te præficio, Stiche.
Omnibus modis temperare certum'st nostrum hodie convivium.
Ita me dî ament, lepidè accipiemur, cùm hoc recipiamur in loco.
Quisquis prætereat, comissatum volo vocari. ST. convenit!
Dum quidem hercle quisquis veniat cum vino suo. nam hinc quidem
Hodie polluctura, præter nos; jactura dabitur nemini.
Nosmet inter nos ministremus, monotrophe. hoc convivium est
Pro opibus nostris satis commodulè, nucibus, fabulis, ficulis,
Oleâ in tryblio, lupilli comminuto crustulo.
,, *Sat est. SERVO homini modestè melius facere sumptum, quàm ampliter.*
,, *SUUM quemque decet. quibus divitiæ domi sunt, scaphio & cantharis,*
Batiolis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio
,, *Tamen vivimus; nos tamen efficimus pro opibus nostra mœnia.*
SA. Amicæ uter utrubi accumbamus? ST. abi tu sanè superior.
Atque adeò ut tu scire possis, factum ego tecum hoc divido.
Vide utram tibi libet etiamnum capere, cape provinciam.
SA. Quid istuc est provinciæ? ST. utrum Fontinali an Libero
Imperium te inhibere mavis? SA. nimiò liquidò Libero.

Sed

Sed amica mea & tua dum comit, dumque se exornat, nos volo
Tamen ludere inter nos. strategum te facio huic convivio.
ST. Nimium lepidè in mentem venit. potius in subsellio
Cynicè accipiemur, quàm in lectis. SA. imò enim hîc magis est dulcius.
Sed interim, stratege noster, cur hic cessat cantharus?
Vide, quot cyathos bibimus. ST. tot, quot digiti sunt tibi in manu.
Cantio est Græca: ἢ πέντε πῖν', ἢ τρεῖς πῖν', ἢ μὴ τέτταρα.
SA. Tibi propino decumâ fonte: tibi tute inde, si sapis.
Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.
ST. Bibe, si bibis. SA. non mora erit apud me. ST. edepol convivî sat est,
Modò nostra huc amica accedat: id abest, aliud nihil abest.
SA. Lepidè hoc actum est. tibi propino cantharum: vini tu habes.
Nimis vellem aliquid pulpamenti. ST. si horum quæ assunt pœnitet,
Nihil est. tene aquam. SA. melius dicis! nihil moror cupedia.
Bibe tibicen: age si quid agis! bibendum hercle hoc est, ne nega.
Quid hîc fastidis, quod faciundum vides esse tibi? quin bibis!
Age si quid agis: accipe, inquam. non hoc impendet publicum.
Haud tuum istuc est te vereri. eripe ex ore tibias.
ST. Ubi illic biberit, vel servato meum modum, vel tu dato.
Nolo ego nos pro summo bibere. nulli relerimus postea.
Namque edepol, quamvis de subitò vel cadus verti potest.
SA. Quid igitur? quanquam gravatus fuisti, non nocuit tamen.
Age tibicen, quando bibisti, refer ad labias tibias,
Suffla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia.
Age dum, Stiche! uter demutaßit, poculo multabitur.
„ *ST. Bonum jus dicis! IMPETRARE oportet, quia æquum postulas.*
Age ergo observa: si peccaßis, multam hîc retinebo illico.
SA. Optimum atque æquissimum oras. ST. hem tibi! hoc primum omnium.
„ *HÆC FACETIA ST, amare inter se rivales duos;*
„ *Uno cantharo potare, & unum scortum ducere.*
Hoc memorabile est: ego tu sum, tu es ego: unianimi sumus:
Unam amicam amamus ambo: mecum ubi est, tecum est tamen.
Tecum ubi autem est, mecum ibi autem est: neuter utri invidet.
SA. Obe, jam satis! nolo obœdes: catuli ut ludunt, nunc volo.
Vin' amicam huc evocemus? ea saltabit. ST. censeo.
SA. Mea suavis, amabilis, amœna Stephanium, ad amores tuos
Foras egredere, satis mihi pulcra es. ST. enim mihi *pulcerrima.*
SA. Fac nos hilaros hilariores operâ atque adventu tuo.
Peregrè advenientes te expetimus, Stephaniscidium, mel meum;
Si amabilitas tibi nostra placet, si tibi ambo accepti sumus.

VERSVS facetæ hujus Scenæ sunt tetram. A Archilochii: ut & Scenæ sequentis.

2. TEMPERARE] ita Lipſ. Antiq. Lect. 3. *tempemre*. MS. pr. & edd. vet. *temptare*. MS. sec. *tempere*. Vulgo, *tentare*. At Iſ. Pontanus, inductus illo, *Quisquis prætereat, commiſſatũ Volo vocari*, legit, *entemre*. Gloſſæ: *Enteiata*, ἐξεντερίζω, ita alibi: *exentemre opes argentarias*.

3. L. ACCIPIEMVR] MSS. & vett. *lep. accipiamur, q. b. recipiemur*.

4. COMISSATVM] ad ſaltandum, laſciviendum, jocandum, molliterque vivendum. *Comiſſari* idem valet, quod κωμάζειν: ejusque origo Græca eſt, non Latina à *comedo*, ut putant iſti magiſtri triobolares, qui quod ſemel malè didicerunt, dediſcere non poſſunt: *Lambinus*. V. N. Moſtell. act. 1. 4. In MSS. eſt, *Commiſſatum*. adeo ut appareat eosdem libros, nõ uno tamen modo ſemper expreſſiſſe.

5. CVM VINO SVO] Pareus unius factum trahit ad morem communem in Electis, & impudenter admodum ſic definit: In commeſſationibus quisque ſuum vinum conferebat, quaſi in ſimbolam.

6. POLLVCTVRA] ſuprà act. 2. 1. ſic *polluctum* uſurpatur Rud. extr. MSS. & omn. vett. *Hod. pollectum, præter nos jactura dabitur n*. Camer. *nos, jam dabitur*. Polluctura m vocat partem Herculanam: quam Budæus de *ferali cœna* fruſtra interpretatur. nihil enim Libitinariis in comœdia. &c. Guther. 4. cap. 23. de Jure vet. Pontif. *Jactura* reſpicit ad iter eorum maritimum; ibi enim abjiciebatur in altum, omne id quod gravaret mares præſentaneo vectorum damno. Pareus accipit de *jactura mlorum*. at quis ita unquam locutus eſt?

7. MONOTROPHE] ita MSS. & edd. vett. Stichus Sagarinum appellat *monotrophum*, quod ſolus ſit, nec contubernalem habeat ancillam, nec vicarium: qui enim talis eſt, ipſe ſibi miniſter eſſe cogitur, ſolusque veſcitur: *Turnebus*, lib. 9. 21. Quam ſententiam nec Douza improbat. Lambinus verò eam refutari ait ab ipſo Plauto, ſuprà act. 3. 1. ubi Sticho nullum tribuat conſervum nullamve conſervam; Sagarino contrà Stephanium contubernalem & conſervam. & *monotrophé* accipit, ut ſit adverbium, hoc ſenſu: Nos ſimus ipſi nobis miniſtri: ut ii, qui ſoli vivunt, miniſtroque carent. G. Longol. Qui ſolus, inquit, absque convivis domi cœnat, *monotrophé cœnare* dicitur. J. Guliel. Veriſim. lib. 3. c. 24. Vera, inquit, ſcriptura eſt: *Noſmet inter nos miniſtremus. monoſtrophe hoc convivium eſt*. Alluſit ad morem Scenicum, quo in orbem ibat cantio à ſtrophis ad antiſtrophas: ita enim in conviviis poculum à convivatoribus porrigitur pocillatori. At hi ipſi ſibi miniſtrabant, ſine puerorum operâ: quare *monoſtrophen* illud ſuum ſympoſium urbanè vocant. commentum iſtud ſtatim rapuit in vivarium ſuum Pareus; verùm inde ejecit editio ſecunda.

8. FABVLIS] parvis fabis: ut *lupillum* dixit pro *lupino* &c. Turnebus.

9. OLEA IN TRYBLIO] ita Turneb. lib. 19. 11. è MSS. conjecit, in quibus, *interiplio*. quod & Lamb. probavit. *Olea in tryblio*, i. catino aut patellâ, utitur eo & Varro. Vulgg. *Olea interrupto lupillo*: quod P. Valla expoſuit, demptâ tunicâ de lupinis. Pall. *Olea interiplio*. Edd. primæ, *oleæ interrupto*.

9. LVPILLI] ita Guliel. l. *lupilli comminute cr*. Turneb. malit, *cum minuto criſt*. Pœn. B act. 3. 2. MSS. & Edd. vett. lupillo.

11. BATIOLIS] Rectius, inquit Turneb. cum Athenæo legitur *batiocis*. batiaca & batiacium, βατιάκη καὶ βατιάκιον poculi genus. quod nec Lambino diſplicet. At etiam Gloſſarium: *Batiola*, ποτήριον. MSS. Pall. *batiocbis* & *batiobis*.

12. AT NOS N.] ita è MSS. in quibus, *ad*, recõcinavi. ſyllaba eâ in nulla antea extitit editione receptâ in ſuam bonus Pareus, cum acclamatione, εὕρηκα! quaſi ipſe miracula emendationum produceret, ſupra omnem Sterilitatem ſterilis.

11. SAMIOLO] Auſonius:
Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea regẽ,
Atque abacum Samio ſæpe oneraſſe luto.
Irden Geſäß. *Samia vaſa*, Cic. pro Murenâ. Bacchid. act. 2. 2.

13. PRO OPIBVS] Tractum ait Lambinus à civibus, qui mœnia urbis ſuæ faciunt pro opibus ſuis. Turnebus, Comicus, inquit, in Servi perſonâ dicit, eorum imitatione, qui pro ſuis opibus & facultatib. non deeſſe ſe Reipub. prædicant, ſed ſe munera facere dicunt, & de patrimonio fungendis muneribus

bus impendere. *mœnia* enim pro *muneribus* dixit antiquè. lib. 16. 11.

14. UTER UTRIBI] uter utro in loco accumbamus amicæ? L.

15. ATQ. AD. UT TU SCIRE POSSIS, F.] Pistoris legit *scitè*. Dixerat ille: Abi tu sane superior. Quibus verbis ei superiorem locū adsignat. Et mox addit: atque adeo ut possis scitè accumbere superior, en, ego paratus sum operas tecum partiri. Et quamvis me suprà cado præfeceris, tamen, *etiamnum* (eò enim pertinet ista vox) volo tibi integrum esse, utrum eligas. Vulgati, *scire*: nullo sensu. sic ille. Pall. *Atq. adeo vitu scire possis facto*: Edd: primæ: *Atque adeo: ni tu scire possis facto*.

18 IMPERIUM TE INHIBERE] V. N. Bacch. act. 3. 3. Turn. lib. 25 16. Rectè & eleganter dicitur, *Inhibere imperium*. sic, *Inhibere spem*, apud Cicer. est spem in aliquâ re habere. *Fontinalis*, deus fontiū: unde *Fontinalia*, vocata *sacra*. *Imperium* autem *inhibere Fontinali* est in aquâ imperium habere. Sententia est: Utrum aquæ an vino præesse mavis? Festus: *Fontinalia*, *fontium sacra. unde & Romæ Fontinalis porta*. Tertullianus: *Fontinalis, dea fontium*. Ita autem Turn. restituit: cum in MSS. Pall. sit *fontale*: in edd. *fontali*, versu etiam Trochaico claudicante.

18. NIMIO LIQUIDO] nimis liquidum & clarum est, me malle Baccho præsidere: *Acid.* qui Lambinum hic errare ait.

19. DUM COMIT.] Schop. è MSS. leg. *comat*, i. comatur. quomodo legant illud Terent. *Dum comantur, dum poliuntur, annus est*. MSS. & v. ed. dum *cenat*.

20. LUDERE] V. N. Mil. act. 2. 2.

20. STRATEGUM] qui has leges bibendi ferebat, *Magister* vulgò dictus. Athenæus l. 9. tradit, ejusmodi *Magistros* Græcis Οἰνόπτας, & Ὀφθαλμοὺς dici. Vide M. Æm. Porti Francisci Cretensis F. libr. *De priscâ Græcorum compotatione* &c. Persâ. act. 5. 2.

21. POTIUS IN] Scripturam veterum edd. & MSS. Cam. non possum quin exhibeam Lectori, qui judicet postea:

N. l. in mente venit: potius quàm in subsellio Cynicè accipimur, quàm in lecticis.

21. IN SUBSELLIO] in humiliore sede, Cynicorum more: L. Repetam hic quædam paulo altius à J. Lipsio. Notum est, inquit, veteres & Romanos & Græcos, nōn sedisse ad mensam, sed accubuisse. Quem morem etiamnum plerusque Oriens usurpat. Aliter fuit vetustissimis illis & heroicis temporibus: nam & Homerus heroas suos & procos Penelopes sedentes facit in convivio: & Catullus in nuptiis Pelei. Servi itē, & sordidi interdum Cynici Philosophi ad mensam non accumbebant: quo respexit hîc Plautus. immò & liberi ad fulcra lectorum pedesque parentum *sedentes* vescebantur: quasi luxuriæ ritus ille ætati ordinive non decorus. De quo accuratè dictum ad illud lib. 13. C. Taciti: *Mos habebatur Principum liberos SEDENTES vesci in aspectum propinquorum, propriâ & parciore mensâ*. Vulgatus tamen mos erat, accumbere in lectis: & hic ferè talis. In cœnaculo mensa collocabatur rotunda, humilis. inferiorum quidem hominum tripes, & ex simplici ligno; lautiorum citrea aut acernâ, aut laminâ argenteâ intecta: quam pes eburnus fabrè factus, putà in modum Pardi aut Leonis, sustinebat. Circum mensam tres ut plurimum lecti erant; ex quo *Triclinii* nomen: vel duo etiam, quod Plautus *Biclinium* vocat. Ii porrò lecti instruebantur aulæis, purpurâ aut aliâ veste stragula, pro copiâ aut inopiâ convivatoris. Id sub horam cœnæ fiebat, quæ erat ut plurimum (V. N. Asin. act. 4. 2.) diei nona. Sed priusqnam accumberent, togas mutabant vestib. quas à re *Cœnatoria* dixerunt. Tum etiam soleas pedibus demebant, ne lectum conspurcarent. Occupabant autem terni aut plerunque quaterni unum lectum. Si plures, sordidum habebatur. Ita fiebat, ut ex unâ communi mensâ vix supra XII. vescerentur, &c. Quæ omnia sagacissimus antiquitatis indagator J. Lipsius luculentius explicat lib. 3. Antiq. Lect. & lib. 13. ad Tacitum: ut & Gul. Stuckius in Antiquit. Convivalib. Jam de *modo accumbendi*, diximus suprà, act. 3. 2.

22. MAGIS EST DULCIUS] V. N. Menæch. Prologo.

24. VIDE QUOT] i. dicta, seu præscribe nobis, *quot cyathis* (ut est in Persâ) *committamus hos ludos*: D.

24. QUOT CYATH. BIB.] Vulgò *bos* interserunt, quod vel numeri excludunt: nec usquam in MSS. apparet.

24. TOT QVOT DIGITI] i. quinque. nam alteram manum modò intelligere videtur δεικτικῶς. Notandum autem, perparvum mensuræ modum fuisse: binosque cyathos effecisse sextantem: *Douza*. Lipsius Ant. Lect. 3. decem cyathos summam potionem fuisse, probat ex hoc loco.

25. CANTIO EST GRÆCA] i. *Aut quinq. bibe, aut tres, aut non quattuor. Non quattuor* autem, i. quinque. Hanc cantionem Eustath. in lib. ἰαδ ὄδυσσ. explicat: & Athenæus l. 10. sed aliter videntur, quam Plautus intelligere. Hic enim ad numerum cyathorum vini refert: ille ad aquæ & vini temperationem. Vide Notata ad Hor. 3. Od. 19. Quidam legunt non, ἢ μὴ τέτταρα, sed καὶ ἡμιτέτταρα, i. & *semiquattuor*, i. duo. Atque ita volunt significare, Stichum velle bibi decem cyathos, quot litteris constet nomen amicæ suæ STEPHANIVM. V. N. Persâ act. 5. 1. Hæc Lambinus. At Turn. lib. 16. 11. l. ex Athen. ἢ τρία πῖν'. non, ἢ τρεῖς, ut habent libri vulgati. Vide Casauboni Animadvers. lib. 10. Athen. pag. 454. itemque Plutarch. Sympos. Quæst. lib. 3. 9. Scaliger in Lect. Auson. lib. 2. cap. 27. Ausonius, inquit, confecit griphum de *ternario numero* ex Græco proverbio, ut omnes sciunt, ἢ τρεῖς πῖν', ἢ τρεῖς τρία:

Ter bibi, vel toties ternos. sic mystica lex est.

Cujus legis seu cantionis Græculæ, ut vocat Plautus, meminit & Petronius his verbis: *Excusare cepis moram: quod amica se non dimisisset, tribus nisi potionibus è lege siccatis.* Videatur & J. Is. Pontanus Notis in Somn. Scip. Macrob. lib. 1. cap. 6. ubi ista non ad temperationem vini sed ad numerum cyathorum referenda docet: laudatque illud Plin. lib. 28. c. 6. *Numerum quoque quaternarium prodidit Demetrius condito volumine: & quare quaterni cyathi, sextarive non essent bibendi.* Nam *Quinarii* seu *imparis numeri* magna ratio & reverentia fuit.

26. TIBI PROPINO DECVMA] ita MS. sec. & omn. vet. ed. at MS. pr. *decũ ama fonte*. quod valet, aquæ decimâ parte, auctore Turnebo. At vero Douza, Hanc, inquit, lectionem pro corruptâ ducit Lipsius, ac restituendam hoc modo:

Tibi propino decem: affunde tu tibi inde, si sapis.

Sed enim optimè sententia constatura sibi, siquidem Scauri Grammatici auctoritatem sequentes, *fontem*, fæminium esse positione dicamus, quoties *crateram* significat: *decumam* autem, *decumanam*, i. grandem ac capacem intelligamus. Igitur porrò *Inde* illud Imperativi modi fuerit, significans, *Infunde, misce*. Sic idem alibi: *Si vini guttam indidi in os.* quod & nos dicimus, Thue dar was ein. Innthun ergo respondebit Latino τῷ *indere*. Sic ergò *decumanâ fonte*, erit decumano cratere. Lambiniana hujus loci correctio nauci non est. Hactenus Douza. Sed & Scalig. ad Manil. *fontem* agnoscit, & κάλπην exponit; i. *urnam* sive *crateram*. Erat enim vas ingens vinarium *Crater*, quod in mediâ mensâ supra machinulam incitegam destituebant. ex eo cyathis vinum emiscebant, i. hauriebant. Acidal. hæc ita constituit: *SA. Tibi propino d eccum! à fonte tibi tute inde, si sapis.* Sagarinus Liberi curator de Libero propinat Sticho: quem Fontinali præsidentem indere sibi jubet à fonte. Et hæc divinatio mihi & ipsi profectò in mentem veniebat, cùm ductûs apicum in MSS. attentius considerarem: nam exactè omnia conveniunt: Eam etiam Pareus in contextum recepit: adeo nihil suo sinit loco. Invenitur autem *decum* pro *decem* in MSS. istis Pall. iterum Mostell. 1. 3. v. 140: *Cedo amabo decumbene* &c.

27. BENE VOS, BENE NOS] sc. vivere & valere precor: *Turneb.* libr. 16. 11. V. N. Persâ, act. 5 1.

28. BIBE, SI BIBIS] Trinck / wiltu trincken. Pœnulo; *Ite, si itis.*

28. CONVIVI SAT] satis amplum hoc nostrum convivium. vel: satis multi sunt convivæ, L.

30. LEPIDE HOC ACT.] Pistoris restitutionem loci hujus ab Acidalio laudat. Unicum hunc versum Sagaristioni tribuit. Hic enim biberat, & propinarat Sticho, ea lege, ut ipse sibi *è fonte*, i. è cado, affunderet. Nunc tradit cantharum evacuatum, & ait, Lepidè hoc actum est: tibi propino cantharum: tu vinum habes, quo iterum impleas. Stichum autem vinum in suâ potestate habuisse, apparet ex versu, infrà:

Si peccassis, multam hic retinebo illico,

i. multabo te vino, quod penes me.

31. PVLPA-

31. PULPAMENTI] *Pulpamentum*, obsonium est lautum è pulpâ, id est, parte carnosiore animalis: verbi gratiâ, quæ pars est posterior in lepore. *Lepus* enim (ut scribit Donatus) *ex parte sui posteriore pulpamentum præbet*. Hinc illud Livii Andronici dictum, à Terentio Eun. act. 3. sc. 1. usurpatum, *Lepus tute es, & pulpamentum quæris*. verbis tectum, re impudentissimum. quale illud apud Catull. *Ipse olera olla legit*: de quo ibidem Muretus.

32. MELIUS DICIS] ita MSS. & vet. omnes. Vir Doctus suspicabatur, *merum jus dicis*. ut statim infrà, *Bonum jus dicis*. Rud. act. 4. 4. *jus merum oras*, meo quidem animo.

32. CUPEDIA] Festus: *Cupes & Cupedia antiqui lautiores cibos nominabāt*. Cic. 3. Tusc. *Ambitio, mulieriositas, pervicacia, liguritio, vinulentia, cupedia* &c. Isidorus: *Cuppes, fastidiosus est & cupidus*. Glossar. *Cupedius*, κνισός. Et revera κνισός est, (verba Scal. in Fest.) quem *fastidiosum* vocamus; qui non multa, ut voratores, sed electilia edit: neque facilè invenit, quod ad palatum faciat. Et *fastidium* est, quod vulgus Gallorum dicit *Friandize*; & *fastidiosus*, *friand*. Italicè *giotto*, à glutiendo Porrò *Cupedinis forum*, est forum piscatorium.

34. QUID HIC FAST.] ita MSS. & edd. vet.

35. NON HOC IMPENDET P.] Lambini, de pensitando vectigali explicatio mira accidit Grutero, qui simpliciter ita: In eo non sunt sitæ fortunæ publicæ. Acid. l. *non impedit hoc publicum*. In publico convivium agitatur: in propatulo tibicen bibere jubetur. eòque ipso nihil debere dicitur impediri, &c. itaque addit: *Haud tuum istuc est te vereri*. Parei illa, serpente variegatior editio, expoliit se illo Acid. contra mss. & edd. quarum primæ *non hoc impende publicum*. seq. *impendo*. at Pal. pr. *non hoc impendet*. sec. *non hoc impendit*.

36. ERIPE EX ORE] De *tibiarum cantu* selectissima habet P. Faber in Agonistoco lib. 1. cap. 4.

37. VEL SERVATO] Vel eo modo, quem præscripsi, bibito; vel tu ipse, quantum bibamus, præscribito. L.

38. NOLO E. N. PRO SUMMO] Ita hic versus in MSS. & edd. v. concipitur; nisi quod Pall. *Nollo* & pr. *sumo*. Turn. l. 4. 21. & l. 9. 21. Vidi, inquit, qui non dubitarent inficiationem in affirmativam mutare: *Volo ego nos pro s. b.* non, ut scribitur, *Nolo ego*: hoc sensu: Volo nos pro summo bibere, ut modum, quem dicemus, ne superemus: isque sit cyathorum summus modus in potando. Vel potius: hoc summum sit & ultimum quod bibemus, nullique postea relinamus è cado, sed finem potandi faciamus. Fortassis autem *summa potio* decem cyathorum erat, quibus se invitarant, & Græcam cantionem cecinerant: *Quinque bibe, tres bibe, & semiquattuor*: quæ summa decem cyathorum est. Sed, *nolo*, perplacet, hoc sensu: Nolo nos bibere immanibus haustibus, aut facere solent interdum, qui ita provocant & poscunt, quasi ultimum sint poturi, neque cadum deinceps aperturi, &c. Nulli posteà relinamus cadum aperiamusque summis haustibus bibituro: *subitò enim cadus verti posset*, (ut ait) quod est, exhauriri, si tā magnis nos poculis ingurgitaremus: ut apud Horat. 2. Sat. 8.

Invertunt vinaria tota,

i. exhauriunt. nam cadus, qui inanitur, vertitur. *Bibere* autem *ab summo*, aliud quiddam erat. *Hæc ille*. quæ probat Lambinus, & insuper aliam quoque explicationem adfert. *Nolo ego nos pro summo bibere*, i. Nolo ego nos pro ultimo & extremo bibere, & tam plenis poculis nos invitare, quasi postremum simus potaturi: sed contrà, hanc compotationem in multam noctem perducere; atque ita modicis poculis nosmet irrigare atque exhilarare: itaque cadum nulli releverimus seu aperuerimus posteà. vel, *nulli*, positum est pro, *non*: ut, *nullus venit*, pro, *non venit*. Quidam legunt *volo*; & sic explicant: Volo nos bibere tanto modo, ut superari non possit: volo pocula impleri ad summas oras, ne necesse habeamus toties cadum relinere & vinum promere. Hæc Lamb. Cæterùm Scalig. in Lect. Auson. lib. 2. cap. 26. ad istum Senarium:

Ἡδὺς βίος. τὸ ζῆν ἄχθος. τὸ θανεῖν ἐλπίδας

notat: eo significatur, vivendum esse. nam vitam properare; mortē imminere. propterea tanquam jam morituri bibebant, & tanquam nunquam id facturi. Pl. Sticho: *Volo nos pro summo bibere. nulli releverimus posteà*. ita enim

 legen-

legendum: non, *Nolo*. Horum ἀσυμβλήτων ἐπιφωνημάτων pleni sunt libri veterum, præsertim Martialis & Græcorum &c. Hæc ille. Quæ probat & copiosius explicat H. Salmuth, Rer. Memorab. Tom. 1. pag. 554. & seqq. Denique Grut. suspicabatur aliquando, *Nolo ego nos pro summo bibere: nulli rei erimus postea*. id est, fiemus ad alia omnia inutiles. Quid Teuto-Francus aliquis in tot sententiis Gallo-Francorum dicat? nisi illud, *N. L.* quò tamen inclinem, propemodũ vides; qui à consensu MSS. & veterum ed. ægrè divellor, si præsertim & ratio aliqua & auctoritas quasi succedanea subveniat. Parei exprompta confidentia recepit in contextum Gruteri suspicionem, interpretaturque in Lexico suo, *Nulli rei esse*, scilicet utilem. quo quid vult? Matth. Lanoicus conjiciebat, *prorsum obbibere* acutè.

39. QVAMVIS DESVBITO] MSS. *Quam vide subito vel*. Quod cur non præferimus? extat tamen alterum in Edd. primis.

39. VEL CADVS VERTI POTEST] Meursius: Veteres, *cadum vertere*, pro exinanire dicebant: uti nos hodie, De ton op den Boden setten. Sumpta autem metaphora à more in conviviis usitato. Nam solebant pocula exhausta vertere. Ennius, & ex eo Virg. 9. Aen.

Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.

Item illud Poetæ:

Vertitur a nophoris fundus, sententia nobis:

Hæc Meursius. quibus paria & plura Torrentius ad Horatii Lib. 3. Od. 19. vers. 2. Sed enim est hodie in Saxonia, ubi rusticum censetur, poculum funditus eductum vertere; contra morem Francorum meorum. de quibus nostrum illud adolescentis extat in lib. Epigrammatum:

HEIC in Saxonia potoribus obtinet usus,
Ut fundo ex imo pocula nulla bibant.
Mos certè nihili! nam cur, quod ab ore relapsum est
Alterius, tepidâ colluvione bibam?
LAUDO meos Francos, qui se cervice supinant,
Et fundo ex imo prabita pocla bibunt.

Hoc vicinis Francorum est, *Ad nagulum bibere*.

40. QVID IGITVR?] ita Sarracen. & Paris. edd. alii, *Quid igitur?* neque aliter Pall. MSS.

41. AD LABIAS] ita Nonius hîc legit, & MSS. ambo, *labeas*. Vulgò, *labia*.

42. PROSERPENS BESTIA] i. serpens. V. N. Asin. act. 3. 3. & Pœn. 5. 2.

43. UTER DEMVTASSIT,] i. uter nostrum ab hac lege discesserit, pro multâ poculum ei auferetur: Lamb. Turneb. lib. 7. 9. ad illud Horat. 2. Sat. 2. *culpâ* (non *cuppa*) *potare magistrâ*, notat: Excogitatum erat ludi genus post cœnam, quo non Magistri imperio ad bibendum cogebantur, ne nimium ebrietati indulgeretur: sed ut ea coerceretur, nemo, nisi aliquâ in re peccârat, calicem ducebat: ut bibere, pœnæ & dedecoris esset, non invitationis aut magisterii. Plautus Sticho; *Uter*, inquit, *demutassit, poculo multabitur*: Hæc ille. Atque ita quidem hæc interpungunt, & explicare etiam videntur, præter cæteros, Scaliger, sive Tvo Villiomarus, lib. 6. cap. 15. Controv. Titian. Jac. verò Cruquius Turnebum falli ait in interpretatione versus Plautini, qui τὸ poculo addat verbo *multabitur*, quasi multa esset poculum: cũ debeat apponi verbo *demutassit*, hoc modo: *Agedum, Stiche, uter demutassit poculo, multabitur*. ut velit Plautus, utrumque servum Sagar. & Stichũ ex uno poculo vinum ducere. ita & paullò post Sagarinus,

Hæc facetia est, amare inter se rivales duos;
Uno καντharo potare &c.

Sanè, ut edidi cum Cam. & Lambino, in unâ Parisinâ vet. etiam est. In MS. sec. & omnibus ed. *procul mutabitur*. in MS. pr. *proculo mutabitur*. unde factum ut Turnebus lib. 4. cap. 21. legendum ferè censuerit, *pro culpa mulct*.

44. QVIA ÆQVVM] ita in omnibus ed. est. Sed Scrop. l. *qui aequum postulat*, ex MSS. Pall. quorum pr. *quia ecum postulat*. sec. *quia equum postulat*. sed verò iidem codd. ferè semper e perscribunt sine diphthongis.

46. ST. HEM TIB.] Acidal. distinguit ST. *hem tibi. hoc primum omnium*, Hoc fac. & *primum* exponit præcipuum, primarium: *facetia*, res facetas.

47. Hæc

47. HÆC FACETIA EST] Non abeunt ab his illa Queroli Plauti Sc. 6. *Illud autem nostræ felicitatis caput, quod inter nos zelotypi non sumus: furta omnes facimus: fraudem tamen nemo patitur: quoniam totum hoc mutuum est,* &c.

49. UNIANIMI] ita in omnibus etiam vett. est. i. unius animi. *unanimi.*

51. TECVM AVTEM] ita MSS. Sed D. F. l. *Tecum autem mihi est, mecum autem tibi est.* quod illicò in cavernam editionis suæ retulit Pareus, invitis etiam omnibus impressis.

51. NEVTER VTRI INVIDET.] ita pleno consensu MSS. & omnes vet. Primus, opinor, Camerarius substituit, *alteri* pro *utri.*

52. NOLO OBCÆDES] nolo hic quicquam tragicum & cruentum, quodque cædes imitetur. mâlo ludum catellorum, qui inter se lascive lusitant. Lucr. 5.

At catulos blandè cùm linguâ lambere tentant,
Aut ubi eos jactant pedibus morsuque petentes,
Suspensis teneros imitantur dentibus haustis;
Longè alio pacto gannitu vocis adulant.

Membranæ morticinæ habent, *Catali:* qui Alpium incolæ: talesque lascivos & delectabiles habuere ludos in conviviis. *Obcædes* autem juncto verbo dicuntur, ut *concædes.* Ex Turn. lib. 9. 21. & L. At Palmer. legend. conjicit: *nolo obscæves, catuli ut ludunt bolo.* (Germ. Spielen/wie die Katz mit der Mauß). Videtur enim violentiùs lusisse Servulus, & raptavisse, tanquam catulus obscævaret bolum. *Obscævare,* pro *avidius vesci,* aliquot locis observatum. Sanè Pal. MS. pr. *obtædes.* sec. *opcedes.* amboque, *catali.* SED nunc etiam perpetuo quasi filo attexam, quomodo ingeniosiss. Pistoris noster hujus aulæi hanc illamve texturam extricaverit. Sic ergò ille: *NOLO ego nos pro summo bibere* &c. id est, nolo nos ita bibere, quasi cadus mox ex imo sit hauriendus; sed parciùs. Indignatur enim Stichus, quòd Sagaristio vinum tam profundat. ut etiam tibicini propinet. Ita convenit mox: *nulli relerimus postea:* quod perinde est, atque illud supra: *hodie pollucitum dabitur nemini.* i. nulli amplius dabimus: sed nos tantùm inter nos bibemus. Illud Viri docti, *nulli rei erimus postea,* non convenit: quia non de modo bibendi loquitur: sed, ne aliis etiam vinū profundatur: quod Sagaristio jam in tibicine cæperat. Mox: *quamvis desubitò vel cadus verti potest.* Hîc rationem reddit, cur vinum aliis nolit dari. cùm vel inter ipsos satis citò cadus possit exhauriri. *Quamvis desubitò,* est admodum subitò. Cæterum, si verba, *nulli relerimus p.* diligentiùs considero; ferè in eam sententiam devenio, ut existimem, ea id potiùs significare: Non erit nobis posthac potestas relinendi cados vini, quæ nobis jam facta est. Relinebantur cadi tunc, cùm è cellâ vinariâ promebantur. Postquam autem semel deprompti erant, non erat opus toties relinere, quoties infundebatur. Ea igitur proprietas verbi si hîc retinenda est, *nulli relerimus postea,* erit; nunquam postea, hoc cado epoto, alium relinere atque è cellâ promere poterimus: quippe cum habeamus dono heri. *Nulli relerimus,* eâ formâ, quâ dicitur, *Nullus venit:* quod & Lamb. notavit. Summâ, omnis vis est in v. *relinere.* Hoc quidem sensu Stichus utetur tribus argumentis, cur vinum nolit tibicini datum. 1. quòd nolit cadum ad summum usque exhauriri. 2. quòd non semper talis hæreditas ipsis obveniat. 3. quòd vel aliàs nimis citò hunc cadum sint exhausturi. *NOLO obscæves.* ita legend. est, hoc sensu, quem nemo, opinor, attigit: Nolo te verba illa ominosa & infelicia proferre; *Neuter alteri invidet.* Nolo invidiæ & zelotypiæ in hoc convivio fieri mentionem. Nam veteres datâ operâ in conviviis malè ominata verba fugiebant. Unde statim: *catuli ut ludunt bolo,* hunc sensum habuerit: Nolo illā tristitia, de invidiâ, & similia; hîc locum habere. Canum illud est, qui, cum bolum simul nacti, illicò tinguntur; & ita ludum suum corrumpunt. alter enim alteri obscævat. Ich will nicht/ dz wirs so machen/ wie zween Hund an einem Bein. *Nolo obscæves,* usitata formula est infausta deprecantium.

ACTUS V. SCENA V.

STEPHANIUM ancilla; SAGARINUS, STICHUS, servi duo.

MOREM vobis geram, mea deliciæ! nam ita me Venus amœna amet,
Ut ego hîc jamdudum exissem simitu vobiscum foras,
Nisi me vobis exornarem. nam ITA EST INGENIUM muliebre,
Bene cùm lauta est, tersa, ornata, ficta est; infecta est tamen.
Nimióque sibi mulier meretrix repperit odium ociùs
Suâ immunditiâ, quàm in perpetuum ut placeat munditiâ suâ.
SA. Nimium lepidè fabulata est. STI. Veneris mera est oratio,
Sagarine. SA. quid est? STI. totus doleo. SA. totus? tanto miserior.
STE. Utrubi accūbo? SA. utrubi tu vis? STE. cum ambobus volo: nā ambos amo.
STI. Vapulat peculium: actum est, fugit hoc libertas caput.
STE. Date mihi locum, ubi accumbam, amabo! siquidem placeo: tum mihi
Cupio cum utroque mihi esse bene. STI. dispereo. SA. quid ais? STI. quid, ego?
SA. Ita me dî ament, nunquam enim fiet hodie, hæc quin saltet tamen.
Age, mulsa mea! suavitudo! salta: saltabo ego simul.
STI. Nunquam edepol me istoc vinces, quin ego ibi pruriam.
STE. Siquidem mihi saltandum est, tum vos date, bibat, tibicini.
STI. Et quidem nobis. SA. tene tibicen primùm! postidea loci
Si hoc eduxeris, proinde ut consuetus antehac, celeriter
Lepidam & suavem cantationem aliquam occipito cinædicam,
Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis. inde huc aquam!

INFECTA] tamen non perfecta est. Sic MSS. Pall. & Excerpta. Lamb. mâlit, *inficta est*, i. non formata est; quo poliit editionis suæ ganeum Pareus.

8. TOTUS DOLEO] Amor enim & corpus & animum afficit, quæ duæ hominis partes: L. Nemo non videt isthæc à Sticho dici. interim Pareana illa accurata ultima, vult ab Ancilla proferri.

9. UTRUBI] MSS. Cam. leg. *utrumubi*, aut, *utrumtibi*; quod & in edd. primis loco primo.

10. VAPULAT PECULIUM] i. minuitur & dissipatur his nequitiis: L. Nostri Studiosi dicunt: Nun gehet ein stück vom patrimonio hinweg. Et vide inquit Douza, an subsit ambiguitas in dictione *Peculium*, & æs servile & verpam salacem pariter significante. sed quid si (idem addit) *Vapula peculium*, rescribamus? ad exemplum, inquam, Proverbii veteris: *Vapula Papiria*. V. N. Persâ act. 2, 3.

10. FUGIT HOC] nunquam manumittemur colentes hoc vitæ genus. L.

12. UTROQ. MIHI] τὸ *mihi* alterum περιττεύει. Ita Cic. Fam. l. 13, 28. *Illud quod suprà scripsi, id tibi confirmo.* Vide P. Manut. lib. 7. epist. 26.

13. NUNQUAM ENIM] Lamb. hariolatur.

14. MULSA MEA, SUAVITUDO] malim ergo continuari, *mulsa mea suavitudo*: ut alici, *mulsa præmia. mulsa loqui*, &c. lepidius tamen repeteretur *mea*, sic: *mulsa mea, mea suavit.* si permitteret versus.

19. EDUXERIS] MSS. & Edd. priscæ *eduxerit*, posito S. pro T. nisi velimus antiquè pro *eductum erit*.

19. C. CINÆDICAM] *Cantionem cinædicam* vocat protervio rem libidinosioremque pruri-

pruritumque excitantem: Turn. lib.4: 21. MSS. *tantationem*.

20. VSQ. EX VNGVICVLIS] ut usque ab extremis partibus corporis toti flagremus. L.

20. INDE] infunde. Porrò, cur hæc Scena in plures discerpta sit, olim caussam A comminisci nullam potui. nunc judicio factum arbitror: ut scilicet actio, inter istas potantium, saltantium, lascivientium molitiones, luculentior & amplior esset, & Fabula aliàs non longa sic longior fieret.

ACTUS V. SCENA VI.

EIDEM.

SA. T*Ene tu hoc, educe! dudum haud placuit potio:*
Nunc minus gravatè jam accipit. tene tu. interim
Meus oculus! da mihi suavium, dum illic bibit.
Prostibili est autem stantem stanti savium
Dare amicum amica. euge euge! sic furi datur.
Quid igitur? quanquam gravatus, non nocuit tamen.
Age, jam infla buccas. ST. nunc jam aliquid suaviter!
Redde cantionem veteri pro vino novam.

VERSVS hujus Sc. sunt Senarii jambici.

V. 1. DVDVM HAVD PLAC.] Manifestò ita legendum. Suprà enim, act. 5: 4. aversatus fuerat potionem tibicen. ibi: *quid hoc fastidis? &c.* Pistoris.

4. PROSTIBILI] Turn. l.9:21. Hîc *Prostibili* est *prostibuli*, meretriculæ vilissimæ & prostantis. quanquam *Prostibuli* fortasse legendum. Hæc ille. Schop. è vestigiis vet. scripturæ leg. *Prostibile est stantem stanti savium dare Amicum am.* ut *Prostibilis*, sit adjectivum, i. vile & prostibilis conveniens. Porrò *Meretrix*, quæ & *Quæstuaria*, πορνική, honestioris loci erat, quàm *Prostibulum*: cùm illa tantùm nocte (hinc *noctes* passim, pro concubitu & furto Venereo) sui copiam faceret: hoc verò etiam die se publicè & ubivis prostituebat. Colerus, & C. Fronto.

5. SIC FVRI DATVR] suavium quasi ab invitâ extortum: L. Immò, inquit Grut. fu- B ri datur, quod datur clam & properè. Sic Trucul. act. 4:4.

Id quoque interim furtim nomen commemorabitur.

ita enim mâlit ibi cum Lipsio. G. Longolius nescio quam subesse lasciviam putat.

6. QVID IGITVR] Acidal. hunc vers. hinc exturbat: cum hîc nihil planè gravetur bibere tibicen: ut fecit suprà, act.5:4. v.40.

7. INFLA BVCCAS] Arnobius lib.2: *Vt inflandis bucculas distenderent tibiis.*

7. N. I. SVAVITER] Nu/ Harffen Peter/ macht etwas lustigs auff.

8. REDDE CANTIONEM] Pindarus Olymp. Odâ 9.

——αἴνει δὲ παλαιὸν
μὲν οἶνον, ἄνθεα δ᾽ ὕμνων
νεωτέρων.

Lauda vetus quidem vinum, flores verò hymnorum recentium.

ACTUS V. SCENA VII.

EIDEM.

SA. Q*Vi Ionicus aut cinædicus, qui hoc tale facere possiet?*
Si istoc me vorsu viceris, alio me provocato:
Fac tu hoc modo! ST. at tu hoc modo. SA. babæ! ST. tatæ! SA. papæ! ST. pax.

SA. Nunc pariter ambo. omnes voco cinædos contrà.
Satis esse nobis non magis potis est, quàm fungo imber.
Intrò hinc abeamus. nunc jam saltatum satis pro vino'st.
Vos spectatores, plaudite! atque ite ad vos comissatum.

VERSUS sunt tetram. Hipponactei. A

V. 1. QUI IONICUS AUT] Turn. lib. 4:21. Hic *cinædici* nomen non esse infamis nefandique probri, à Nonio est annotatum; sed in saltatore poni: ut & mox *cinædus contrà Staticulis stare nobis non magis potis est, quàm fungus imbri*: tamen & enervem fractumque & velut exossem tripudiatorem, eo nomine intelligi crediderim: cùm in Aul. act. 3: 2. scribatur, *Ita fustibus sum mollior miser magis, quàm ullus cinædus. Ionicum* quoq; *saltatorem* ferè molliculum & effæminatum delicatiusque se moventem interpreter: ut apud Hor. 3. Od. 6.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo. tum, quòd Ionum mores & saltationes petulantiores erant; tum, quòd (si id è propinqua repeti insulâ placet, nec in Asiam navigari) Siculi saltationem quandam, ut reor, blandam & voluptariam in honorem Dianæ celebrabant; *Ionicam* vocatam. B Pollux. lib. 4. Onom. cap. 14. τὸ δὲ ἰωνικὸν ὄρχημα ὠρχοῦντο σικελιῶται μάλιστα. Cum autem, ut à Plutarcho scriptum est in Symposiacis, Tres sint saltationis partes, φορὰ, σχῆμα & δεῖξις, *Motus, Gestus & Demonstratio*: *Staticulos* ad quietem, quæ in gestu & statu est & in demonstratione, pertinere crediderim, nec (ut opinor) injuriâ: *Vorsus* ad motum: est enim *Versus* & *Orbis saltatorius*, species quædam motus, cujus multa genera tripudiatores frequentant. sed iidem etiam sæpè se versant, in orbemque rotant. *De saltatorio orbe* sic in Pisonem scribit Cicero: *Cum illum suum saltatorium versaret orbem.* De *Staticulis* Cato apud Macrob. lib. 3:14. *Inde staticulos dare, ridicularia fundere.* Iterum: *Voces demutat, staticulos dat.* Hæc Turnebus. Vide & J. C. Buleng. De Theatro l. 1: 43.

3. PAPÆ!] Interjectio admirantis: *Charis.*

3. TATÆ!] ἐκφώνησις ὀρχηστική. *Charis.*

3. PAX!] V. N. Mil. act. 3: 1. & Pseud. act. 5: 1.

4. AMBO] sc. saltemus.

4. OMNES VOCO] Nostri: Ich nem es mit allen Tänzern an. Ich biete allen Tänzern den Truß.

5. SATIS ESSE.] ita Cam. edidit: quod in nullo Cod. extat. MSS. Pall. & Mediol. & Brix. edd. *cinædus contrà statis.* Turnebus quid voluerit, dictum supra versu primo. eam lectionem sequitur quoq; Lambinus, visiturq; in Veneta, Argent. & Parisina: sed eæ omnes auctorem habuere Saracenum, qui ita conjecit. itaq; valeat. Phrasis elegantiss. *satis cui esse, est*, parem esse. & propriè in certamine. Persæ initio:

Diisne advorser, quibus sat esse non queam?
quod quidem & Charis. sic exponit.

5. FUNGO IMBER] Ita Pall. & Edd. primæ, joco servili; tanquam videlicet imber fungo nocere nequeat, munito primum capitis grandi coperculo, deinde oriente ad radices arborum, ab imbre immunium seqq. maluerunt *fungus imbri*; quod cùm rejecerit Camerarius, cur rursus theatro suo applicuit Pareus, contra libros? quæ venustas obsecro in isto, cur cedere debeat alteri?

7. ITE AD NOS] ita omnes codd. Tamen P. Valla non *nos*, sed *vos*, agnovit. facetissima & certiss. est correctio; *atq. ite ad vos comessatum.* loco quippe Fabula clauditur ita quidem eleganti, ut insigniori quasi gemmâ non potuerit signari. Plaudere jubet spectatores Stichus; & ire comessatum; non tamen in hoc suum convivium, sed ad semetipsos. Solent quidem spectatores & alibi vocari, sed per jocum & obliquè, nunquam seriò & nuncupatim: tum verò semper eluditur illa vocatio rejectione in aliud tempus; Pseudolo, Rudente. Acidalius.

FINIS STICHI.

TRINVMMVS.

ARGUMENTUM.

HÆC Fabula & elegans est, & exemplum boni ac fidelis AMICI proponit: & abundat utilibus sententiis. COMMENDARAT liberos suos & rem familiarem Senex ad mercatum abiens, amico. Interea aliis absumptis, ædes etiam paternas venditurus erat filius perditus. In illis ædibus thesaurus defossus erat: id quia Senex is, cujus fidei omnia commissa fuerant, sciebat, præmercatur ædes. Hoc nomine cum malè audiret vulgo, castigatur ab amico quodam suo verbis. Sed facilè defendit se, re explicatâ. Petebatur autem in matrimonium filia absentis Senis ab adolescente nobili & divite: cui quærunt duo Senes, quomodo dotem dare possint, cum non vellent thesaurum indicare. Et devenitur ad fallaciam hanc, ut allegent quendam, qui quasi à patre Virginis adveniat, & aureos Philippos M. afferat. Hunc fortè rediens ante ædes convenit ille Senex pater virginis, & ignarus omnium, quid rei sit miratur. Idem cognoscit amicum suum emisse ædes; & fert iniquè. Sed mox omnibus exploratis, & fidem illius collaudat, & filiam adolescenti illi, cui erat desponsa, tradit: & filio ignoscit.

LVXVRIA & INOPIA, πρόσωπα προτατικὰ assumpta sunt. Μεγαρωνίδης, vel πατρωνυμικῶς ἀπὸ τῶν μεγάρων: vel emptor ædium, quæ sunt μέγαρα. Καλλικλῆς, à pulcritudine, seu decore & gloria. Λυσιτελὴς, à commoditate, &, ut ita dicam, conducibilitate. Φίλτων, à caritate. Λεσβόνικος, à victoria Lesbiacâ. Στάσιμος, stabilis & firmus est. Χαρμίδης, à lætitiâ & gaudio. Συκοφάντης autem conductus ad fallaciam institutam, est ἀνώνυμος. ARGVMENTI & trium statim sequentium Scenarum versus sunt jambici senarii. *Cam.*

J. Cæsar Scaliger: PLAVTVS quibusdam Comœdiarum Inscriptionibus minus satisfecit mihi: atq; adeò etiam in TRINVMMO: quam longè commodius THESAVRVM inscripsisset: cùm in totâ Trinummo verbum hoc non sit nisi semel. Vide lib. 6. c. 3. *Poetices:* item lib. 3. c. 126.

IDEM, in lib. *De versibus Comicis:* In divina Fabula, ac verè Thesauro, quam levi nimis de caussa TRINVMMVM inscripsit Plautus, protasis trimetro jambico tota constat: item epitasis: tum catastrophe.

DRAMATIS PERSONÆ.

LUXURIA.
INOPIA.
MEGARONIDES senex.
CALLICLES senex.
LYSITELES adolescens.
PHILTO senex.
LESBONICUS adolescens.
STASIMUS servus.
CHARMIDES senex.
SYCOPHANTA.

ARGUMENTUM.

THesaurum abstrusum abiens peregrè Charmides,
Rémque omnem amico Callicli mandat suo.
Istoc absente malè rem perdit filius.
Nam & adis vendit: has mercatur Callicles.
Virgo indotata soror istius poscitur:
Minus quò cum invidiâ ei det dotem Callicles,
Mandat qui dicat aurum ferre se à patre.
Ut venit ad adis, hunc deludit Charmides
Senex, ut rediit; cujus nubunt liberi.

CUIUS NUBUNT LIBERI.] Ita edd. Veneta, Arg. & Parmensis. Meritò autem Camerarius hæc suspecta habuit. nam in MS ipsius pr. legitur, *quojus nubuntur eri*, ut A in ed. Mediol. nam Merulæ, *nubuntur heri*. at in sec. *nubunturire*. in Paris. *nubunt heriles*. ex quibus liquet, quo longius receditur à primogeniis, hoc etiam longius recedi à vero.

PROLOGUS.

LUXURIA & INOPIA.

SEquere me, mea gnata, ut munus fungaris tuum.
IN. Sequor. sed finem fore quem dicam, nescio.
LU. Adest. hem! illæ sunt ædes: i intrò nunc jam!
Nunc, ne quis erret vostrûm, paucis in viam
Deducam, siquidem operam dare promittitis.
Nunc igitur primum, quæ ego sim, & quæ illa hæc siet,
Huc quæ abiit intrò, dicam, si animum advortitis.
Primùm mihi PLAUTUS *nomen* LUXURIÆ *indidit:*
Tum hanc mihi gnatam gnatam esse voluit INOPIAM.
Sed ea huc quid introierit impulsu meo,
Accipite, & date vacivas auris, dum eloquor.
Adolescens quidam est, qui in hisce habitat ædibus:
Is rem paternam me adjutrice perdidit.
Quoniam ei, qui me aleret, nihil video esse reliqui,
Dedi meam gnatam, quîcum ætatem exigat.

Sed

Sed de argumento ne exspectetis Fabulæ.
Senes qui huc venient, hi rem vobis aperient.
Huic nomen Græcè est THESAVRO Fabulæ:
Philemo scripsit, Plautus vertit barbarè:
Nomen TRINVMMO fecit. nunc hoc vos rogat
Vt liceat possidere hanc nomen Fabulam.
Tantum est. valete, adeste cum silentio.

JUl. Cæs. Scaliger: TRINVMMO διπρόσωπον A fecit Plautus Prologum, quem sanè queas ἠθικὸν appellare accommodatis ad Adolescentis nequitiam personis *Luxuriæ* atque *Inopiæ*. Quemadmodum in Rudente *Arcturi*: in Aul. *Laris familiaris*, *&c.* vide lib. 1. cap. 9. Poetices.

V. 1. SEQVERE ME, MEA GNATA] Nota juventus, nota: *Luxuriæ* filiam ac pedissequam esse *Inopiam*. Ita Claudianus in Ruffin.

Et Luxus populator opum: cui semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur Egestas.

Ita Paulinus Epist. ad Amand. *Pedissequam Pigrorum* dixit *esse Inopiam*. Vide & Tract. de Fama publ. Marc. Freheri, lib. 2. Parei editio pr. abjecit *me*, quod tamen in Pall. & Edd. vett.

3. ADEST.] finis. At J. Gulielm. l. *Ades*, vel certè, *Adesto*. nam ad se eam verbis & gestu trahit, ut in domum Lesbonici intrudat.

9. T. H. M. GNATAM GNATAM ESSE V.] Ita MS sec. *gnatam* bis repetit. sententiâ non respuente, & versu flagitante, qui aliàs integro pede deficit: quem Lamb. & alii ex ingenio malè suppleverunt. MS. pr. *ganatam*.

14. QVONIAM] i. postquam. Non enim ratio datur, cur adolescens rem perdiderit: sed illâ perditâ, postquam nil superfuit, ei filiam suam Luxuria dicitur junxisse. infrà act. 1: 2. v. 112. *Acid.*

15. MEAM GNATAM, QVICVM] J. Douza Centur. Plaut. lib. 1. c. 25. *Quicum* & *quocum* censet utrumque indeclinabile, tam Plurali quam Singulari numero, ablativi loco positum; omnibusque adeò generibus ἀδιαφόρως accommodari posse: tum eos peccare largiter, qui pro *quicum* usurpare *quibuscum*, vel etiam *queiscum*, in pluralibus dativis ausi. Sententiam suam his, & plusculis firmat exemplis. Captiv. act. 5. sc. 4.

—— quasi patricius pueris aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent:
Itidem hæc mi advenienti upupa, qui me delectem, data est.

B Curcul. act. 4: 2.

—— quibus sui nihil est, nisi una lingua,
Quî abjurant, si quid creditum est.

Ibid. act. 5: 3. *quî promisi? linguâ.* Aul. act. 5: 3. *vehicula, quî vehar.* ita Sticho, *& quadrigis, quî vehar, &c.* quin & Terentio, & ipsi Ciceroni ait usurpata. Sed vide & N. Aul. act. 2: 2.

19. PHILEMO] Menander & Philemo Thesaurum scripserunt; quam Plautus vertit, & Trinummum inscripsit.

19. BARBARE] i. Latinè. Ita Asin. Prologo, item Pænulo, act. 3. 2. *Barbaria* ponitur pro Italia. nam *Barbari* dicebantur antiquitùs omnes gentes, exceptis Græcis: ut ait Festus.

ACTUS I. SCENA I.

MEGARONIDES senex.

NÆ AMICVM CASTIGARE ob meritam noxiam,
Immune est facinus; verùm in ætate utile
Et conducibile. nam ego amicum hodie meum
Concastigabo pro commeritâ noxiâ,
Invitus, nî me id invitet ut faciam fides.

aa Nam

Nam hic nimium morbus mores invasit bonos,
Ita plerique omnis jam sunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant, interim mores mali
Quasi herba irrigua succreverunt uberrimè.
„ *NEQVE QVICQVAM hic vile nunc est, nisi mores mali.*
„ *Eorum licet jam messem metere maximam,*
„ *NIMIOQVE hic pluris pauciorum gratiam*
„ *Faciunt pars hominum, quàm id, quod prosit pluribus.*
„ *Ita vincunt illud conducibile gratiæ;*
„ *Quæ in rebus multis obstant, odiosæque sunt,*
„ *Remoramque faciunt rei privatæ & publicæ.*

NÆ AMICVM CASTIGARE] Ita Edd. omnes usque ad Cam. is cùm in MSS. invenisset, *E amicum.* abjecit eam Syllabam. non male. V.C. habebat ab emendatore *Me amicum*. Oeconomiam hujus loci examinant Cornif. ad Herrennium lib. 2. & Cic. lib. 1. De Inventione: quos vide.

2. IMMVNE.] J. Douza; Criticis, inquit, & Antiquariis nostris in controversiam fuisse video, jam inde ab antiquo, *Immune facinus* quid sit hoc loco. & Nonius quidem, *Immune*, *sine officio*, *sine munere*, interpretatur: quasi *Officioso* contrarium. Festus contrà, pro *improbo* dictum sumere videtur: cujus opinionem amplexus etiam Lambinus: in quâ me rivalem habiturus est nunquam. Sed neque Noniana explicatio satis Plautino argumento respondens; nì fortè quis τὸ *Officio* pro *Beneficio* ab illo positum arguetur. Utut est, in obscuro esse non potest, quidnam castigator iste sibi velit: cujus ego hanc esse sententiam opinor: Amicum ob meritam noxiam concastigare, *immune* quidem *facinus* videri, i. non haberi pro munere, sive beneficio: cæterùm ex re & usu magis, quàm ex sententiâ peccantis esse; ejus dico, qui ab amico severè ac serio increpitus, officii sui intempestivè commonetur, fitque melior præceptis objurgatoris sui. *Immune facinus* ergò nihil aliud fuerit, quàm ingratum benefactum, sive officium; parùmque adeò ex lubidine ejus, cuja res agitur, & ad quem castigatio illa peculiariter pertinet. Proinde, pace Mureti dico, (lib. 11. c. 15. Var.) quòd sententiam istam Plautinam adeò acriter incesserit Hippolytus Cardinalis, caussâ non erat. *Hac ille.* Sed & hoc addas licet à Scip. Gentili, qui ad Apul. Apolog. notat, Veteribus Grammaticis *Munes* dictos amicos, qui in unum consensum mutuis animis conspirabant. Lucil. apud Non. *Munifices múnesque amicis nostris videamur viri.* Possis etiam videre, quæ Palm. in Spicileg. pag. 42. de *immuni avaritiâ* disputavit. In MSS. est, *Immene*, pro, *immœne*, & hoc pro *immune*: ut *mœri* pro *muri &c.* ut rectè Camerarius. Etiam Turnebus lib. 2: 11. laudat emendationem Camerarii: eamq; confirmari ait à Festo in *Immunis*.

2. IN ÆTATE] i. interdum; vetere & eleganti genere dicendi: Turnebus lib. 15. c. 11. & lib. 26. c. 16. utitur & infrà, act. 2: 4.

5. INVITVS, NI ME INVIT.] invitus quidem eum castigabo: sed fides, quam amico debeo, suadet cogitque, ut id faciam: L.

9. SVCCREVERVNT] Douza l. *succrêrunt*, aut *succrevêre*: versus gratiâ.

11. MESSEM MAXIMAM] Verbum ἀμάω i. *meto* Græcis eâdem translatione venit, pro fructum colligo, & rem facio. Vulgo, *faire ses orges.* Tibull. 1. 2: —— *quid messes uris acerba tuas?* Ovid. Ep. Helen.: *adhuc tua messis in herba est.* Propert. 2. el. 16: *oblatas ne desere messes.* huc pertinet somnium Mithridatis apud Plutarchum in *Demetr. de viso messis aureæ.* Passerat.

12. NIMIOQ. HIC PL.] Pars hominum multo mavult gratiam inire à paucioribus, potentibus scilicet & divitibus; quàm *pluribus*, i. Reipub. prodesse: L.

ACTVS

ACTUS I. SCENA II.

CALLICLES.
MEGARONIDES, ſenes duo.

LArem coronâ noſtrum decorari volo.
Vxor! venerare; ut nobis hac habitatio
Bona, fauſta, felix, fortunatáque eveniat,
Teque ut quàm primum poſſim, videam emortuam.
ME. Hic ille eſt, ſenectâ ætate qui factus eſt puer,
Qui admiſit in ſe culpam caſtigabilem.
Aggrediar hominem. CA. cuja vox propè me ſonat?
ME. Tui benevolentis, ſi ita es, ut ego volo:
Sin aliter es, inimici atque irati tibi.
CA. O amice, ſalve, atque æqualis! ut vales
Megaronides? ME. & tu edepol ſalve, Callicles!
Valen'? valuiſtin'? CA. valeo, & valui rectius.
ME. Quid agit tua uxor? ut valet? CA. plusquàm ego volo.
ME. Bene hercle eſt, illam tibi benè valere & vivere.
CA. Credo hercle te gaudere, ſi quid mihi mali eſt.
ME. Omnibus amicis quod mihi eſt, cupio eſſe idem.
CA. Ehò, tua uxor quid agit? ME. immortalis eſt.
Vivit, victuraque eſt. CA. bene hercle nuncias,
Deosque oro, ut vitæ tuæ ſuperſtes ſuppetat.
ME. Dum quidem hercle tecum nupta ſit, ſanè velim.
CA. Vin' commutemus? tuam ego ducam, & tu meam?
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
ME. Neque enim tu, credo, mihi imprudenti obrepſeris.
CA. Næ tu hercle faxo haud ſcies quam rem egeris.
ME. Habeas, ut nactus: NOTA MALA res, optuma'ſt.
Nam ego nunc ſi ignotam capiam, quid agam, neſciam.
CA. Edepol, PROINDE VT BENE vivitur, diu vivitur.
ME. Sed hoc animum advorte, atque aufer ridicularia:
Nam ego deditâ operâ huc ad te advenio. CA. quid venis?
ME. Malis te ut verbis multis multum objurgitem.
CA. Men'? ME. num quis eſt hîc alius præter me atque te?
CA. Nemo eſt. ME. quid igitur rogitas, téne objurgitem?
Niſi túte mihi me cenſes dicturum malè.
Nam ſi in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus;
Aut ſi demutant mores ingenium tuum,
Neque eos antiquos ſervas, aſt captas novos,

Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Vt te videre audireque ægroti sient.
CA. Qui in mentem venit tibi istæc dicta dicere?
„ *ME. Quia OMNES BONOS BONAS QVE accurare addecet,*
„ *Suspicionem & culpam ut ab se segregent.*
CA. Non potest utrumque fieri. ME. quapropter? CA. rogas?
„ *NE ADMITTAM culpam, ego meo sum promus pectori:*
„ *SVSPICIO EST in pectore alieno sita.*
Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Iovi coronam de capite, è Capitolio,
Quod in culmine astat summo: si id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat suspicarier,
Qui tu id prohibere me potes, ne suspicer?
Sed istuc negotii scire cupio, quicquid est.
ME. Haben' tu amicum aut familiarem quempiam
Cui pectus sapiat? CA. edepol haud dicam dolo;
Sunt, quos scio esse amicos: sunt, quos suspicor:
Sunt, quorum ingenia atque animos non possum noscere,
Ad amici partem, an ad inimici perveniant.
Sed tu ex amicis certis mihi es certissimus.
Si quid scis me fecisse inscitè aut improbè,
Si id me non accusas, tute ipse objurgandus es. ME. scio!
Et, si aliâ huc caussâ ad te adveni, æquum postulas.
CA. Exspecto si quid dicas. ME. primùm dum omnium,
Malè dictitatur tibi vulgò in sermonibus:
Turpilucricupidum te vocant cives tui.
Tum autem sunt alii, qui te vulturium vocant:
Hostesne an cives comedis, parvipendere.
Hæc cùm audio in te dicier, excrucior miser.
CA. Est, atque non est, mihi in manu, Megaronides.
Quin dicant, non est: merito ut ne dicant, id est.
ME. Fuitne hic tibi amicus Charmides? CA. est, & fuit.
Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo.
Nam postquam hic ejus rem confregit filius,
Videtque ipse ad paupertatem protractum esse se,
Suamque filiam esse adultam virginem,
Simul ejus matrem, suámque uxorem mortuam;
Quoniam hinc iturus est ipse in Seleuciam,
Mihi commendavit virginem gnatam suam,
Et rem suam omnem, & illum corruptum filium.
Hæc si mihi inimicus esset, credo, haud crederet.
ME. Quid tu adolescentem, quem esse corruptum vides,

Qui

Qui tuæ mandatus est fidei & fiduciæ,
Quin eum restituis? quin ad frugem corrigis?
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto æquius,
Si quî probiorem facere possis, non uti
In eandem túte accederes infamiam,
Malumque ut ejus cum tuo misceres malo.
CA. Quid feci? ME. quod homo nequam. CA. non istuc meum est.
ME. Emistin' de adolescente has ædes? quid taces?
Ubi nunc túte habitas. CA. emi, atque argentum dedi
Minas quadraginta adolescenti ipsi in manum.
ME. Dedisti argentum? CA. factum: neque facti piget.
ME. Edepol fidei adolescentem mandatum malæ.
Dedistine hoc pacto ei gladium, quî se occideret?
Quid secus est, aut quid interest dare te in manus
Argentum amanti homini adolescenti, animi impoti,
Quî exædificaret suam inchoatam ignaviam?
CA. Non ego illi argentum redderem? ME. non redderes:
Neque de illo quicquam neque emeres, neque venderes,
Nec, quî deterior esset, faceres copiam.
Inconciliastin' eum qui madatu'st tibi?
Ille qui mandavit, eum exturbasti ex ædibus?
Edepol mandatum pulcrè, & curatum probè.
Crede huic tutè: suam jam melius rem gesserit:
CA. Subigis maledictis me tuis, Megaronides,
Novo modo adeò, ut quod meæ concreditum est
Taciturnitati clàm, fidei & fiduciæ,
Ne enunciarem cuiquam, neu facerem palàm;
Uti mihi necesse sit jam id tibi concredere.
ME. Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris.
CA. Circumspice dum te, ne quis aßit arbiter
Nobis: & quæso identidem circumspice.
ME. Ausculto, si quid dicas. CA. si taceas, loquar,
Quoniam hinc est profectus peregrè Charmides,
Thesaurum mihi demonstravit in hisce ædibus,
Hic in contlavi quodam. sed circumspice!
ME. Nemo est. CA. nummorum Philippeûm ad tria millia.
Id solus solum, per amicitiam & per fidem,
Flens me obsecravit. suo ne gnato crederem,
Néve cuiquàm, unde ad eum id posset permanascere.
Nunc si ille huc salvus revenit, reddam suum sibi:
Si quid eo fuerit, certò illius filiæ,
Quæ mihi mandata est, habeo dotem unde dem,

Ut eam in se dignam conditionem collocem.
ME. Pro dî immortales! verbis paucis quàm citò
Alium fecisti me! alius ad te veneram.
Sed ut occepisti, perge porrò proloqui.
CA. Quid tibi ego dicam? qui illius sapientiam
Et meam fidelitatem, & celata omnia
Pæne ille ignavus funditùs pessum dedit!
ME. Qui dum? CA. quia rure dum sum ego unos sex dies.
Me absente atque insciente, inconsultu meo,
Ædes venales hasce inscribit literis.
ME. Adesurivit magis, & inhiavit acriùs
Lupus. observavit, dum dormitaret canes,
Gregem universum voluit totum avertere.
CA. Fecisset edepol, ni hæc præsensisset canes.
Sed nunc rogare ego vicissim te volo,
Quid fuit officium meum me facere, face sciam.
Utrum indicare me ei thesaurum æquum fuit,
Adversum quàm ejus me obsecravisset pater;
An ego alium dominum paterer fieri hisce ædibus?
Qui emisset, ejus essetne ea pecunia?
Emi egomet potius ædis, argentum dedi
Thesauri caussâ, ut salvum amico traderem.
Neque adeo hasce emi mihi nec usuræ meæ:
Illi redemi rursum: à me argentum dedi.
Hæc sunt! seu rectè, seu pervorsè facta sunt;
Egomet fecisse confiteor, Megaronides.
Hem mea malefacta! hem meam avaritiam tibi!
Hascine me propter res maledicta differunt?
ME. Pausa! vicisti castigatorem tuum.
Occlûsti linguam: nihil est qui respondeam.
CA. Nunc ego te quæso, ut me operâ & consilio juves,
Communicesque hanc mecum meam provinciam.
ME. Polliceor operam. CA. ergo ubi eris paulo pòst? ME. domi.
CA. Nunquid vis? ME. cures tuam fidem. CA. fit sedulò.
ME. Sed quid ais? CA. quid vis? ME. ubi nunc adolescens habet?
CA. Posticulum hoc recepit, cùm ædis vendidit.
ME. Istuc volebam scire. i. sanè nunc jam.
Sed quid ais? CA. quid? ME. nunc virgo nempe apud te est CA. ita, est;
Juxtàque eam curo cum meâ. ME. rectè facis.
CA. Num, priusquàm abeo, me rogaturus? ME. vale.
Nihil est profectò stultius neque stolidius,

Neque

Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quàm urbani aßidui cives, quos scurras vocant.
Atque egomet me adeò cum illis unà ibidem traho,
Qui illorum verbis falsis acceptor fui:
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.
Quod quisque in animo habet, aut habiturus est, sciunt.
Sciunt id, quod in aurem rex reginæ dixerit:
Sciunt, quod Juno fabulata est cum Jove:
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen illi sciunt.
Falson' an vero laudent, culpent, quem velint,
Non flocci faciunt; dum illud, quod lubeat, sciant.
Omnes mortales hunc ajebant Calliclem
Indignum civitate hàc esse & vivere,
Bonis qui hunc adolescentem evertisset suis.
Ego de eorum verbis famigeratorum inscius
Prosilui amicum castigatum innoxium.
Quòd si exquiratur usque ab stirpe auctoritas.
Unde quicquid auditum dicant, nisi id appareat,
Famigeratori res sit cum damno & malo:
Hoc ita si fiat, publico fiat bono.
Pauci sint faxim, qui sciant quod nesciunt,
Occlusioremque habeant stultiloquentiam.

CALLICLES absentis amici Charmidæ domum, quam emerat à Lesbonico filio, immigrans mandat uxori, ut domesticum deum, qui custos ædium habebatur, exornet coronâ: quæ quidem in Latio è spicis & aristis, in Græciâ è platano fiebat: eumque ut precetur, istam fortunet habitationem. Quod ex formula, quàm præfabantur ominis caussâ sumptum: QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX FORTVNATVMQ. SIT. Lares ejusmodi floreis sertis redimitos. Tibullus I. 2. el. 1. *ornatos deos* vocàt.

5. SENECTA ÆTATE] ita, *Senectum corpus*, dixit Sallust. 4. Hist. & *Senecta membra*, Lucr. lib. 3. & *Senectam infirmitatem*, Apul. l. 7. V. N. Amph. act. 4. 2.

10. ÆQVALIS: VT] Inferserunt *mihi*, quod in nullo vet. Cod. est.

11. ET TV EDEPOL SALVE] Donatus ad illud Hec. act. 1. 2. *Salve mecastor*, notat, *Olim salutantes addidisse jusjurandum, ut sedulò hoc facere viderentur*. Vide & Brisson. in Formul.

13. UXOR? VT VALET] Electa Parei talem hinc eruunt smaragdum: Senes uxores suas perire volunt. Quod falsissimum est, sive juniorem duxerint, sive æqualem, sive annis superiorem. sed adeo stupida est Ignorantia; discernere nequit personas comicas, à veris; & eodem accipit loco dicta per ludum ac jocum, tanquam si seria essent.

22. FAXO HAVD TANTILL.] verba mihi non dederis, neq; me deceperis, si uxorem tradideris, meâ acceptâ. L.

23. NEQVE ENIM TV, CREDO] ita ed. una Parisina: cæteræ, ut & MSS. Cam. *Namque enim tu &c.* Illud Cam. & Lamb. *Nunquam tu*, nusquam apparet.

23. IMPRVD. OBREPSERIS.] inscientem fefelleris.

25. NOTA MALA RES, OPTIMA EST.] Huc pertinet illud Livianum: quando Pacuvius Calavius suadebat Campanis, ne Senatores mutare

mutare vellent: populumque jam re doctum A dicere compellebat, *Notissimum quodque malum maximè tolerabile esse.* Mimus:

Mulier tum demum est bona, cùm apertè est mala.

27. PROINDE, VT BENE VIVITVR] Lamninus interpretatur hanc gnomen: Non vivit, qui miserè vivit, nedum ut vivat. Et verò etiam Varro Modio: *Non eos optimè vixisse, qui diutissimè vixerint, sed qui modestissimè.* Seneca quoque cap. 8. de brev. vitæ: *Non est quod quēquā propter canos aut rugas putes diu vixisse: non ille diu vixit, sed diu fuit &c.* Videatur Savaro ad lib. 7. Epist. Sidonii. Ceterùm distinctio personarum est à Grutero, tanquam Callicles velit; ut ut fuerit, hoc sanè constare, non esse vitam vivere, sed bene vivere. Eo admisso cessat argutatio Acidalij, cujus hæc sunt: Quid hoc ad sensum præcedentium? ubi non de longitudine vitæ aut brevitate agitur, sed de commoditate. Germana lectio est, ——*proinde ut diu vivitur, bene vivitur.* Ait, optimam vitam esse eam, cui assueveris: optimè vivi quomodo diu vixeris: & periculosè, etiam quæ non optima sunt, mutari, ob incertos eventûs. Suam igitur se retenturum ait, ut cujus mores jam doctus sit. Possis & minori mutatione ita: B *proinde benè vivitur, ut diu vivitur.* ita Acidalius. qui in hanc sententiam & alia ibi disputat, sanè ingeniosa, si modò liceret contra omnes libros scriptos editosque transponere auctorum voces. Et tamen ecce, Pareus non ei modò accessit in editione prima, sed & secundâ: adeo facile est imponere ambitiosæ ignorantiæ.

32. ME. QVID IGITVR ROG.] Ita Acidalius. Captatus jocus in pronunciatione, *Mene?* quod Callicles non dubitantis affectu profert, ipsene, an alius sit objurgandus: sed admirantis &c.

34. SI IN TE ÆGROTANT ARTES] Lucr. lib. 4. ——*ægrotat fama vacillans.* Ita Var. lib. 1. De vitâ populi Rom. *Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atq; ægrotare incipit, & consenescere*: apud Non. in *Distrahere.* ita Græcis νοσεῖν usurpatur. Vide P. Victor. lib. 19. cap. 11. *Artes* autem, inquit Cam. hoc loco ea sunt, quæ Græcis ἐπιτηδεύματα, i. *instituta, quæ studiosè sectamur.* Ita Ter. Andr. act. 1. 1. *artes* appellat fidem & taciturnitatem. quod Donatus laudat: cum antiqui *artes* & vitia & virtutes vocarint. Ita Hor. 3. Od. 3. *artes* vocat justitiam & constantiam. Sed & Aristotelem 2. Nicom. τῶν τεχνῶν, nomine virtutes amplecti, annotat Muretus. Vide & Casaub. ad Persii Prolog. Parei Lexicon notat ad hunc versum: *Ægrotare* dicuntur ea, quæ mutantur in melius, vel pejus. prius falsissimum est, mi homo.

35. SIVE IM.] ita Cam. conjecit: cum in omnibus sit, *Sin immut.* Etiam versus transponit Acidalius: quem vide. Eum cùm secutus fuerit editione pr. Pareus; alterâ sic invehitur in mutatores istos: Sed temeritatem istam nullo modo approbare possum. At nemo id fecit Paree, nisi ipse tu: qui præterea invitissimis omnibus libris scriptis editisque in ultima ista tua, nobis oggessisti versu seq. *Aut si demutant mores ingenium moribus:* nullo interim sensu: cùm priores, *ingenium tuum.*

36. MORES] contagio morum sæculi hujus. Seneca: *desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, MORES sunt.* Tacitus similiter, de moribus Germ. *Nemo illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi, SÆCULUM vocatur.*

40. QVI IN MENTEM VEN.] Ita MSS. Pall. placuitque Pareo sed tamen adjecit literam *d quid in*; quod, inquit, hiatum impedit. at cui bono, impeditio hujus hiatus? versus sane sine ea litera omnes suos habet pedes.

41. ACCVRARE] accuratè operam dare. Ausonius:

——*Nec vero crimine lædar,*
Nec maculer dubio. paullum differre videtur
Suspectus vereque reus.

Cæsar, apud Sueton. *Tam suspicione quàm crimine carere oportet, &c.*

44. MEOSVM PROMVS PECTORI] Erasmus in Epist. *Innocentiam præstare possum: quid homines de me loquantur, non possum.* Justus Lipsius 1. Cent. epist. 77. *Mihi sententia de me, non nisi apud me fertur: nec quis sim, alium rogo. Interno isto judice si probus audiam; quid addent aut dement mihi Marculi aut Laconis alicujus sermones? Quis sim, in me situm est: qualis audiam, in vano isto vulgo.*

47. JOVI

47. JOVI CORONAM] quod *Petilius* quidam fecit: qui ex eo dictus est *Capitolinus*: L. *Capitolium*, unde dictum sit, docet contra omnes Th. Canterus Var. lib. I. cap. II. Pareus notat V.C. habere, *capite Capitolio*, non *cap. è Capitolio*. Sed planè falsò.

49. TAMEN MIHI LUBEAT] Editio Parei abjecit *mihi*, non sine peste metri, & præter omn. libros.

55. SUNT, QUORUM INO.] Ita à Grutero revocata est lectio vetustè cusorum, atque etiam MSS. Nam constituit tres amicorum differentias: de quibus iterum Mercatore, act. 5. sc. I. *Nam ubi mores* &c. videatur totus locus: ut & D. Chrysost. ad Ephesios homilià XVI. Idem & Acidalius postea monuit, prius aberat *Sunt*.

56. AD AMICI PART. P.] i. amicis an inimicis propiores sint: ut loquitur Mostell. *Plumà haud inter est, patronus an cliens propior siet Homini*, &c. Acid.

59. SI ID ME NON AC.] ita MSS. Cam.

60. ME. SCIO: ET, SI ALIA] ita Pist. restituit. Scio, inquit Megaronides, officium meum esse ut te objurgem, si quid peccâsti: nec recuso à te objurgari: sed æquum postulas, si ego alia de caussa, quàm ut tua tibi delicta indicem, processi. Vulgati: *Etsi alia l. caussâ veni*. ita fuerit contrarium superiori illi: *Nam ego deditâ operâ huc ad te advenio* &c. Plautoque notam oscitantiæ impingat. Porro quæ lex quive modus esse debeat objurgationi, docet J. Bernartius ad Boetium.

63. TURPILUCRICUPIDUM] αἰσχροκερδῆ. Sic *lucricupidinem* dixit Apulejus φιλοκέρδειαν.

64. VULTURIUM] *Vultur*, seu *Vulturius*, avis est rapax. Senem igitur ob avaritiam, atque inexplebilem naturam ac sordes, commune senectutis malum, vulturium vocat. V.N. Mostell. act. 3. 2. Cicero Pison *Appellatus est hic Vulturius illius provinciæ (si dius placet) imperator*. Ibid. *Scaurus vulturius Respub.*

65. HOSTEISNE AN C.] *Hostes*, è Varrone, *peregrinos* interpretor. ut Rudente act. 2. 4. *AM. Cur tu aquam gravâre amabo, quàm hosti' hosti commodat? SC. Cur tu operam gravâre mihi, quam civis civi commodat?* Item Curcul. act. I. I. *Si status condictus cum hoste intercedit dies.* Id quod de XII. Tabb petitum esse, indicat M. Tullius I. Offic. Ad quam item pertinere arbitror veterem illam Formulam in Sacris quibusdam usurpari solitam, cujus meminit Festus. Altum hîc Lambini silentium, prorsus οὐδὲ γρῦ. *Douza.*

68. QUIN DICANT &c.] q.d. Ut mihi ne male dicant homines, prohibere non possum: neque enim id in manu & potestate meâ est. hoc verò possum, ut ne merito meo dicant. itaque ait, *Est, atque non est* &c. Videatur & Muretus Var. Lect. lib. 15. 12.

70. REM TIBI AUCT. DABO] i. re ipsâ ostendero. Manil. lib. 2. *Ipsi res operi faciet pondusque fidemque.*

81. QUIN AD FRUGEM CORRIGIS] Propriè. Corrigimus enim luxata, seu depravata potius. Sic in Bacchid.

Ego illum haberem rectum ad ingenium bonum,
Nunc propter te tuamque pravus factus est fiduciam. D.

88. UBI NUNC TUTE HABITAS.] ita hoc sine interrogatione legendum. nam cohæret cum illis: Emistin de adolescente has ædes? sc. I. ubi nunc tute habitas. Qui enim tam amicus nescierit ubi Callicles habitet, qui hâc occasione in castigationem illius prosiluit?

92. H. PACTO] ita omn. vett. edd. sed MSS. Cam *facto*.

93. QUOD SECUS] Rittersh. è MSS. I. *sequius*. nam in iis est, *Quid secutus*. at Edd. vett. *secus*.

95. QUI EXÆDIFICARET] tralatio. quâ & Cicero utitur ad Attic. pro, consummaret & perficeret.

99. INCONCILIASTIN EUM] *Nonne per dolum decepisti?* Festus. *Inconciliare*, ait Alciatus, est dissipare, separare, divellere: quandoque, vendere: antiquis quoque decipere. V.N. Most. act. 3. I.

100. ILLE QUI MAND.] Sic Pal. sec. nam pr. *Illi qui*. Editi, *Illum qui*, ignoratione constructionis antiquariæ.

101. CREDE HUIC] Sic Grut. & MSS. Cam. atque ita aperta sententia est, sine ironiâ, quam hîc Lamb. comminiscitur, qui legit, *Crede huic tute: tuam jam melius rem gesseris*. J. Gul. I. *Crede huic tutelam. suam melius rem gesserat.*

108. SUMES] inde petes, tanquam depositum quoddam: L. Milite: *salva sumus indidem*.

109. ARBITER] V. N. Mil. act. 2. 2.

112. QUONIAM] i. postquam. Insanit hic Lamb. qui *Cum jam* substituit. ita Prol. suprà, *Quoniam ei, qui* &c. Acid. & supra versu 112. *Quoniam hinc est p.*

120. SI QUID EO FUERIT, C.] ita MSS. Cam. & Vet. edd. eleganter. Ineptè Lamb. *Si quid eo f. factum.* In Pœn. *Quin mea quoque iste habebit, si quid me fuat.* Cicero: *si quid humanitas ei accederit.* i. si mortuus fuerit. Veteres abstinebant mentione *Mortis*, ne cogerentur δυσφημεῖν & *male ominari*. itaque *abitionem* pro morte dicebant: ut Græci οἴχεσθαι. & cùm aliquem vitâ cessisse indicarent, non id proprio nomine dicebant, sed tantùm hoc, *Vixit*. Ita, *Abiit*, pro periit. item. *Fuit*. Tertullianus: *Si de aliquo jampridem defuncto tanquā vivo quis requirat, præ manu occurrit dicere; ABIIT JAM: & REVERTI DEBET.* Ita Phædrus Fab. 77.

Abiturus illuc, quò priores abierunt.

Quæ ratio similis, cum dicebant πλείονας, ἀντὶ τῶν τεθνηκότων. Ostendit item *Sepulcreti* appellatio, τὸ πολυάνδριον. Ita *mortuos* meliori scævâ & omine dicebant μακαρίτας. V. N. infrà act. 2. 2. & Scalig. Conjectan. Pareus *eo* applicat filio. ineptè patri oportebat, quod vel abecedarius videat ob ea quæ præcessere.

121. CONDITIONEM] matrimonium splendore familiæ suæ dignum.

126. ILLIUS] Patris.

128. ILLE] Lesbonicus filius.

130. INCONSULTU MEO] Ita Sall. *injussu populi & suo*, &c. Ter. Phor. *injussu meo*: & Cic. in Catone: *injussu imperatoris.* Livius: *injussu populi.* Idem: *se jussu consulum conventuros: neque injussu abituros.* V. N. C. Ritt. ad Gunther. lib. 4. 1.

131. INSCRIBIT] Brissonius l. 3. c. 8. Antiquit. Veteri more venalia prædia *proscribebantur*, id proposito divulgatóque libello venum ire, venumque exponi significabantur. Ita hìc Plautus. Ita Cic. 3. Offic. *Claudius ædes, quas in Cælio monte habebat, proscripsit, insulam vendidit.* Quin & hoc idem in locandis ædibus servatum deprehendi, ut pendente de ædibus tabulâ proscriberetur facienda locatio. Terent. Heaut. *Inscripsi illicò ædes mercede.* Cic. l. 16. ad Attic. *Iste locare incipit, non proscriptâ neque edictâ die.*

132. INHIAVIT] *Inhiandi* verbum absolutè, est appetere cupidè, & tanquam ore aperto captare: à belluarum hiatu ducta tralatione. V. N. Aul act. 2. 2. & Menæch. act. 3. 1. Virg. 2. G. *Nec varios inhiant postes.*

133. DORMITARENT CANES] ità hìc MSS. & omn. edd. sed in versu abhinc tertio MSS. & ed. Cam. *præsensisset canes. Canes*, pro *canis*: sicut *plebes, trabes* &c. antiquè. Menippi Cynici epitaph auctore Varrone:

Menippos ille, nobilis quondam Canes
Hìc liquit omnes homines in terræ pilâ.

Lucillius:

Nequam magnus homo, laniorum immani canes ut:

134. UN. VOLUIT TOTUM] Ita Shoppius è MSS. Pall. *Gregem universum voluit totum avortere.* Insolens sciolis, *universum totum*. quo tamen nihil dici potuisset Plautinius. Sic Mostell. act. 1. 2. ——*Non videor mihi sarcire posse ædes meas, quin totæ perpetuæ ruant.* Nam, *perpetuæ* ibi nihil aliud est, quàm *totæ*. sic infrà, act. 4. 3. v. 40. è duob. MSS. legendum,

——*nam id genus hominum omnibus*
Universis est advorsum, &c.

sic Apul. lib. 7. *Talibus dictis universi omnes adsensêre.* Notaverat & Grut. utrobique in Plauto ita legi. Acid. è vet. edit. *vol. secum av.* quo Pareus statim illustravit editionem suam pr. sed mox rejecit in Lexico. Vulgatæ, *tecum*.

135. NI HÆC PRÆSENS.] seipsum notat.

139. ADVERSUM QUAM] ità MSS. & ed. Cam. sed omnes vet. *Adversum quod.* quod dictum Acidal. accipit, ut *Præter quod, Præ quod*, & similia ellipticæ formæ. eum imitatus est in editione sua Pareus pr.

141. EIUS ESSET NE] Thesaurus enim in re emptâ inventus cedit emptori.

144. USURÆ] i. *usui*. L.

145. ILLI RED.] Charmidi.

149. MALEDICTA DIFF.] Puto esse Camerarii, id est, *probris & maledictis vexor?* ut loquitur Cicero. Douza reponendum hariolatur *maledictu*: ut *homines* aut *cives*, aut tale quid subintelligatur. Gruterus notat, in utroque MSS. & omnibus vet. ed. legi, --*maledictas famas ferunt?* quod modo Pareus, nulla habita ratione versus, postremæ suæ intulit,

tulit, explicatque plus quàm magistraliter. A Juretus ad Epist. 1. lib. 10. Symmachi citat: *Hascine, me propter res maledictis famæ differunt?* Tolerabilis tamen, inquit, est lectio vulgata, tali constructione: Propter hasne res obtrectationibus sum obnoxius? *Maledicta* enim hîc sunt Nominandi casu: aliter fortè quàm cepit Douza. & *maledicta* pro *maledicis* usitatissimum.

153. COMMUNICESQ.] ita MSS. Cam. & edd. hoc est particeps fias, meque in partem juves, uti collegam decet. At J. Guliel. Difficile est, inquit, explicare hoc loco istud, *Communices*: & me suspicio prehendit rectius fore *Communitesque hanc m.m.p.* Provinciæ *communiuntur*, & *munimus munia nostra*, cùm id, quod officii nostri, sedulò curamus. Et hoc Pareus invexit maculosæ illi editionis suæ pr. officinæ.

156. HABET] i. habitat.

157. POSTICULUM HOC RECEPIT] i. posteriorem domûs partem *exceptam fecit*; Nonius: vel (ut Agell. lib. 17. cap. 6.) *cùm ædes vendidit, particulam quandam, quæ post eas ædes erat, non vendidit, sed retinuit.* Budæus, in Pandectis, ut & Popma ad Caton. notant; *Recipere* antiquum verbum Juris esse. Cicero l. 2. de Orat. *Dicet, te cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæsis solium tibi paternum recepisse.* In quibus locis *Recipere* pro *Excipere* usurpatur: ut etiam observavit Ant. Augustinus ad Leg. Voconiam. item And. Querneus Egregiorum c. 2. V. N. Asin. 1. 1. v. 72. Pareus in Electis morem hinc elicit communem ponitque: In vendendis ædibus solebant excipere aliquam ædium partem. quid insulsius? B

160. JUXTAQ.] V. N. Aul. act. 4. 7.

161. NUM PRIUS Q.] Alii, *Numquid pr.* sed τὸ *quid* in nullo cod. vet. apparet.

165. URBANI ASSIDUI] *Assidui*, pro locupletibus, & facilè munus facientibus. sic vocari ab *assibus ducndis*, i. ære dando. V. Not. Amph. act. 1. 1. Nisi si quis fortè *Scurras*, i. urbanus assiduos cives istos, ita dictos deputet, ab *assidendo*: ut ad consiliabula, vel potius desidiabula referamus, in quibus hoc hominum genus assiduè garriendo, famigerando absentes, bonas horas pessimè collocare, totamque adeo ætatem suam, sic quasi peregrinantes disperdere consuevere: *Douza*. V. N. Epid. act. 1. 1.

166. UNA IBIDEM TRAHO] Innuit sese jure iisdem accensendum esse, quos modò exagitaverat scurras: aut saltem ab eorum moribus non adeò longè abesse: quòd tam faciles eorum stultiloquentiæ aures dedisset. Item infrà, act. 2. 4. ubi Lesbonicus cum servo rationem putat, quibus in rebus XL. minas sumpsisset, respondet, *ibidem unà traho.* quibus significat, si ibidem esse, & in eo, quantum scortis datum esset, supputando, etiam occupari. Tractum videri possit à vetulis pompæ alicui longæ immixtis, unàque cum aliis reptantibus. Vide Adag. Collectores.

167. ACCEPTOR.] i. approbator. L.

168. QUI OMNIA SE SIM. &c.] Gul. Canterus, lib. 2. c. 12. Nov. Lectionum: Vix puto quicquam de *Curiosis* ἐνεργέστερον potuisse dici. Simul & illud notandum, quod ait de Junonis cum Jove colloquio, in eo ad Theocriti versum de curiositate mulierum videri Plautum allusisse:

Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' ἥραν.

Quo significare voluit, eas tanto teneri cognoscendarum rerum alienarum desiderio, ut non humana tantum negotia omnia, sed & divina mysteria accurate investigent. Nam illud quidem conjugium Junonis & Jovis, etiam deos latuit, ut vult Homerus. Geminus locus est apud Juven. Sat. 6.

Hæc eadem novit, quid toto fiat in Orbe:
Quid Seres, quid Thraces agant, secreta novercæ, &c.

Et paulò post:

Instantem regi Armenio, &c.

170. SCIUNT ID QUOD IN] ita clarè MSS. & sententiâ elegantissimâ. ut mires à nemine, qui hos cod. tractarunt, animadversum. nec valdè etiam divertunt edd. veteres. Pareus Acidalii assecla, verbis transpositis nobis exhibet: *Quod in aurem rex reginæ dixerit, sciunt.* quæ licentia!

172. TAMEN ILLI SCIUNT] Eadem Pareana *ii sciunt*. contra omnes MSS. & Edd.

176. HAC ESSE ET VIVERE.] Ita restitui ductu MSS. in quibus est, *hàc esset vivere.* Sanè in omnibus ed. est. *hac esse, vivere.* Hinc olim faciebat J. Gul. Verisim. l. 1. c. 24. *Indignũ civitate, ac sese vivere* quẽ secutus est, sed majore cum licentia, Pareus, *hàc, & se vivere.* Etiam

 Acidal.

Acidal. notat, Plautum aut æquivalentia potuisse, *esse* & *vivere*, sine copulâ quidem & distincta: aut sine distinctione in diversum sensum accipi voluisse, *esse vivere*, pro, esse ut viveret, aut vivat.

177. BONIS QVI HVNC ADOL. EVERTISSET SVIS] Notabilis locutio: qualis & infrà, act.3. 1. *Ut agro evortat Lesbonicum, quando evortit ædibus.* Alibi: *Evertes tuo arbitratu homines fundis, familiis.* Cicero: *Quæ miseræ flentes eversum à te puerum patriis bonis esse dixerunt.* Apulejus: *ampliusculâ fortunâ devolutus.*

179. INSCIVS PROSIL.] ita jungendum, contra Lamb. qui, *de eor. verbis*, jungit cum *inscius.*

180. USQ. A STIRPE AVTORITAS] à primo rumoris auctore: eleganter. Alciatus Parerg. l.6.c.6. Plautus hîc *autoritatem* appellat sententiam, quam quis primus est commentus, tametsi deinde per traduces in quàm plurimos emanaverit.

181. UNDE QVICQVID] ita MSS. & omn. edd. sed Acid. malit *quidque*. ut & infrà act.4. 2.v.39. velit emendari, & istud etiam in fœtidam editionis suæ scenam infudit Pareus.

182. FAMIGERATORI RES SIT C.] In Vet. edd. *Famigerator ne* (vel *næ*) *sit c.* In MSS. Cam. *Famigerator ire sic c.* Hinc Cam. fecit, *Famigerator jure siet c.* Sed J. Gulielm. ductum litterarum Codicis Camerariani secutus, illud quod editi, ingeniosè extudit, unicâ litterulâ s geminatâ. Usitatum loquendi genus, in litibus & judiciis maximè, *Res mihi cum eo est.* De quibus hîc Plautus cùm ageret, occasionem sumpsit lepidissimi joci, *Res cum malo ei sit*: pro quo usitatè dicimus, *Malum habeat.* Sed Acidal. ex eodem fonte malit, *Famigeratoris res s.* Rem autem intelligit non famigeratoris: sed, rem eã esse cũ damno & malo famigeratoris. Res autem ea est id ipsum totum, quod præcessit. Nisi enim in exquisitione auctoritatis ab usque stirpe appareat, unde quis auditum quidque dicat; id cum famigeratoris malo esse debere statuitur. Pareus, ne nihil novaret, editione utraque, *Famigeratoris res siet*; mancipium Acidalii, qui tamen *sit*.

184. PAVCI SINT FAXIM.] Germ. Was gilts / es würden der unnützen Plauderer weniger seyn. V.N. Aul. act.3.5.

185. STVLTILOQVENTIAM] μωρολογίαν. Narrenteidungen. I. Langlæus lib. 8. cap. 11. Otii Semestr. docet, Rumorum incertorum auctores, Curiosos, & Novarum rerum percunctatores olim suppliciis esse coercitos.

ACTUS II. SCENA I.

LYSITELES adolescens.

MULTAS res simitu in meo corde verso, multum in cogitando
Dolorem indipiscor: egomet me concoquo, & macero, & defetigo.
Magister mihi exercitor animus hinc est. sed hoc non liquet,
Nec satis cogitatum est, utram potiùs harum mihi artem expetessam.
Utram ætati agundæ arbitrer firmiorem: amorin' me, an rei
Obsequi potiùs par siet: utrâ in parte plus voluptatis sit vitæ,
Ad ætatem agundam. de hac re mihi satis haud liquet. nisi hoc
Sic faciam opinor: utramque rem simul exputem: judex sim,
Reusque ad eam rem. ita faciam! ita placet! omnium primùm
Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant. NUNQUAM
AMOR QUENQUAM nisi cupidum hominem postulat se in plagas
Conjicere: eos cupit, eos consectatur, subdolè blanditur: ab re
Consulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus,
Elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor,

Blandus,

Blandus, inops, celati indagator. nam qui ab eo, quod amat,
Quàm extemplò saviis sagittatis percussus est, illico res foras
Labitur, liquitur. Da mihi hoc, mel meum, si me amas, si audes.
Ibi ille cuculus; Ocelle mi, fiat! & istuc, & si amplius vis dari,
Dabitur! ibi illa pendentem ferit: jam amplius orat. non sat
Id est mali, ni amplius etiam, quod ebibit, quod comest,
Quod facit sumpti. nox datur? ducitur familia tota;
Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ,
Cantrices, cistellatrices, nuncij, renuncij, raptores panis & peni.
Fit ipse, dum illis comis est, inops amator. hæc ego cùm ago
Cum meo animo, & recolo, ubi qui eget, quàm pretij sit parvi; apage te,
„ *Amor: non places, nihil te utor: quanquam ILLUD EST DULCE, esse & bibere.*
„ *AMOR AMARA DAT tibi satis, quod ægrè sit fugit forum, fugat tuos*
„ *Cognatos, fugat ipse se à suo contuitu.*
„ *Neque enim eum sibi amicum volunt dici. MILLE modis amor ignorandu'st:*
„ *Procul adhibendus est, atque abstinendus. nam QUI IN AMOREM*
„ *PRÆCIPITAVIT, pejus perit, quàm si Saxo saliat. apage sis amor!*
Tuas res tibi habe! Amor, mihi amicus ne fuas unquam. sunt tamen
Quos miseros maléque habeas, quos tibi obnoxios fecisti.
Certum'st ad frugem applicare animum: quanquam ibi animo
Labos grandis capitur. boni sibi hæc expetunt, rem, fidem, honorem,
Gloriam & gratiam. hoc probis pretium'st: eò mihi magis lubet
Cum probis potius, quàm cum improbis vivere vanidicis.

VERSUS hujus Scenæ, & aliquot sequentis, ita descripti sunt, ut reperimus in Pal. sec. contrà quàm hactenus factum, numeris satis longè excurrentibus & confusis & indeprehensis, primus enim minutulos admodum habebat versus, non ab eo loco tantum unde eas in editione sua distinguere cepit Pareus, sed ab initio statim scenæ.

A

V. 1. MULTAS RES] Hæc est illa consultatio omnium difficillima, ætatis degendæ genus sibi constituere. Nota est Herculis apud Xenophont. & Ciceron. lib. 1. Offic. deliberatio. L.

1. IN COGITANDO] V. N. Sticho 1:1.

3. EXERCITOR ANIMUS HINC EST] Scitum est, qui Græcè παιδοτρίβης dicitur, *magistrum exercitorem* appellari: ut notat Turneb. in locos Cic. Exercitores, Græcis *Progymnastæ* erant: quos Plinius in Paneg. & Seneca Epist. 15. *Græculos magistros* appellat.

3. HINC EST] hic Edd. vett. Lips. leg. *hic est*: quod arripuit Pareana editio. pr. Pall. *hunc est*.

6. UTRA IN PARTE] in amore, an in curà rei familiaris. L.

11. POSTULAT SE &c.] V. N. Aul. act. 5.

11. IN PLAGAS] retia. L.

12. EOS CUPIT &c.] sc. cupidos homines. Significat cordatus adolescens, Amorem ea cupidis & sectatoribus suis suadere atque consulere, quæ nihil minus, quàm ex

B

re ipsorum & usu esse experiundo inveniantur. Lambinus hîc longissimè errat: *Douza*: applaudente *Acid.* V. N. Rud. 4:4. *Ab re consulit*, Frisius in suo Lex. exponit, Er giebt einen bösen Raht. ut & illud, *Ab re orare*, vergebens bitten.

13. CUPES] ganeo, cupediarumque amans. Brod. l. 10. c. 16. Ein Genermaul.

14. ELEGANS] Meursius, Nihil, inquit, video; nisi, *Elegans* heic in vitio positum: nec aliter.

aliter vetustissimi usurpabant. Agellius lib. 11. c. 2. *Elegans homo non dicebatur cum laude: sed id ferè verbum ad ætatem M. Catonis, vitii non laudis fuit*, &c. vide ibid. ita paullo pòst *Comis*, & alibi *Benignus*.

15. NAM QVI AB EO QVOD AMAT] Sic Camer. quippe Pall. pr. *Nam quam ad quod damat*. sec. *Namque ad quod clamat*, quomodo & Edd. vett. nisi quod ex, *Nam quam*. Sarracenus conjecerat; *Nam cùm quis clam amat*. Pareus nobis objecit; *Nam qui ab eo quod emat*. quod quid velit, ipse norit, rei certè præsenti minimè convenit.

16. SAVIIS SAGITTATIS] instar sagittarum animum ferientibus: L. Eleganter dixit *savia sagittata*. aliàs, *armata oscula* vocantur, quum armis illis, quæ gestare sola per legem Corneliam licet, res geritur. ut contrà, *inerma oscula* sunt (auctore Palmerio ad Propert. lib. 1. el. 3.

Osculaque admota sumere inerma manu:

ita enim è libr. Posthii legit) cum in unum omnia vota amantium non conjunguntur, &c.

17. LABITVR] Idem de eâpte profusione Lucretius lib. 4.

Labitur interea res, & vadimonia fiunt.

Tibull. *labentur opes*. utitur eodem ferè modo & Sallustius *dilabitur*, pro diffluit ac dissipatur. Ita *Dionysius Cato*, in Distichis *de moribus*, ad filium: lib. 2. carm. 18.

Utere quæsitis parcè, quum sumptus abundat.
LABITUR exiguo, quod partum est tempore longo.

Φείδευ τῶν κτεάνων, δαπανῶν ὅτε πλῆθος ἐπιῤῥεῖ.
Ἐν μακρῷ τὸ πορισθὲν, ὀλίζοι ἐν χρόνῳ, ἔῤῥει:

ut Scaliger in senectâ ætate vertit. qui & seriò testatur, ad informandos & moribus & Latino sermone puerorum animos, neque meliorem librum neque puriùs loquentem hac Poesi extare: & miratur stuporem hodiernorum, qui de aureolo illo libro non meliùs judicent. Character & dictionis puritas veterem arguunt.

17. SI AVDES] in MSS. expressè ita extat. neq; abeunt Edd. primæ, nisi quod ex, *si audis*. recentiores *sodes*, sed nullo librorum auctoritate, itaq; quæ frons est Parei, affirmantis, *si audes*. esse glossam alterius. V. N. Aul. 2.1. v. 48. Blandimento autem hoc temperabatur imperativum *Da*, auctore Donato, And. act. 1:1.

18. IBI ILLE CVCVLVS] sc. respondet amicæ. Vide N. Asin. act. 5:2. Acid. utrobique *cucúlum* exponit stupidum amatorem. Pistoris arbitratur hoc spectare ad frequentem iterationem responsi illius amatorii, *Ocelle mi, fiat*. quod amatori non minùs sæpè repetendum, quàm Cucúlo suum *cú cú*. *Ibi ille cucúlus*, scil. auditur.

19. PENDENTEM] curâ suspensum & incertum: L. & Acid. etsi hic & alii sententiæ alludiat.

19. FERIT] sc. munere, i. multat. Ter. Phorm. act. 1:1. *Geta ferietur alio munere: L.*

21. QVOD FACIT SVMPTI,] Palmerius Spicileg. ita hæc corrigit atque explicat: *Quod facit sumpti, datur: nox ducitur: familia tota, Vestispic. &c.* Si, inquit, amatori suavium dedit scortum, illicò res foràs labitur, liquitur: ibi ille pendet do scalis, cæditur. Si alia verborum delinimenta addit, non munus solùm, etiam quicquid sumptùs facit, amatoris dispendium est. At nox si ducitur, tum verò exhauritur amator. *Ducere noctes*, elegantissimè etiam Truc. act. 1: 1. dicitur: *Si raras noctes ducit, ab animo perit*. item Prol. Pœn. *Dat aurum: ducit noctem: rogat postibi, unde sit.*

21. NOX DATVR? DVCITVR] ita dispungit Dousa Præcid. Tibull. sed Acid. *Quod facit sumpti, datur. nox ducitur, munitur fam.* pro, si nox ducitur & impetratur, muneratur fam. Truc. act. 2: 2. ——*suam non enim ille meretriculis Muniendis rem coegit*. Munire, est muneribus afficere, munerari.

22. VESTISPICÆ] Nonius: *Vestispici, i. vestium custodes servi: quod frequenti diligentia vestes inspiciant.* Varro: *Tu domi videbis, i. curabis.* Plautus: *Intus para, cura, vide. Vestispici servi* aliter Latinis dicebantur *A veste*, item in vet. Inscript. *Ad vestem . . . servus à pedibus*, &, *ad pedes*: ut monet Tit. Popma. Sic dicta *Vestispica*, quæ vestem spiceret; id est, tueretur. ἐπισκοπεῖν. Callim. ἐπιβλέπει, *curat, &c.* Siehet drauff. Ita *Calispex* legitur apud Aur. Victorem, apud eundem Marcellum Varro: *Vestispicam quod vestem spiciat.* In MSS. Cam. est *vestiplice*. Edd. primæ *vestispicii*.

22. SANDALIGERVLÆ] ancillæ quæ dominæ *sandalia*, i. crepidas & calceamenta sexûs istius altiora gerunt Trippentragers. P. Victorius lib. 14. cap. 15. Var. & inprimis Turne-

Turnebus lib. 29: 8. docent, *Sandalia*, calceamenta fœminarum divitum fuiſſe:& quidem (ut probat Pollux) elegantiſſima; interdum etiam aurea: quæ & ſua habebant repoſitoria, σανδαλοθήκας appellata. Hinc & ſervos ſandaligerulos habebant, &c. ſandalium intellexit Perſ. Satirâ 5.

——ſoleâ puer objurgabere rubrâ.

Hoc autem exemplo Douza contendit, Aul. act. 3: 5. pro, *ſalutigerulos pueros*, legi debere, *ſandaligerulos p.* ſed dubitem: præſertim cùm occurrat apud Hieronymum *literarum gerulus*.

23. PENI] ſcil. ſunt, vel ducuntur. particulatim enim familiam enumerat.

24. COMIS] Douza in Præcid. Tib. c. 17. obſervat, *comitatem* & hîc & Sc. ſeq. in vitio, & pro proluvio, i. largitate infami ſeu prodigentiâ poni: ut & *Benignitatem*: quæ prorſus ſint eadem, ſive in vitium, ſive in virtutem alterutrum deflectas: & quæ Plautus Mil. quaſi ipſe interpretans ſeſe conjunxerit:

Mihi ad enarrandum hoc argumentum eſt comitas:
Si ad auſcultandum vostra erit benignitas. Ita & *Benignus* Truc. & Horat. Serm. profuſè prodigus notatur.

25. APAGE TE] ſc. inquam: L.

26. NON PLACES] Sic quidem Edd. primæ. at MS. ſec. *non palages*. pr. *non pagales*.

26. NIHIL TE VTOR] ita Tibull. *Forma nihil magicis utitur auxiliis. D.*

27. AMARA DAT TIBI SATIS, QVOD &c.] Ita Grut. diſtinguit: ut *amara* pendeat à particula *ſatis*. V. N. Menæch. Prol.

28. FVGAT IPSE SE A. S. C.] ipſe ſe intueri horret: L.

30. PROCVL ADHIBEND.] ita MSS. & edd. vett. Sed Acidalius pugnare ait inter ſe, *pro-*

A *cul* & *adhibendus*. legit itaque, *adhibendus*. Et, *adhibere* & *abſtinere*, venuſtè, inquit, junguntur in eund. ſenſum. Simplici ita uſus Salluſt. Hiſtor. *Cauſſas invidiæ procul habere*. ſequitur juvenem hunc illex illa editio Parei pr. ſed reſipuit poſtrema ipſius.

30. ABSTINENDVS] MSS. *abtinendus*, vel *aptinendus*.

31. PRÆCIPITAVIT] i. præceps cecidit: L. Vide N. Mil. act. 2:6.

31. SAXO SALIAT] ſc. *Tarpejo*. Ita dicebant ſine aliâ additione. Lucretius:

——ſceleriſque luela
Carcer, & horribilis de ſaxo jactu' deorſum.

Tacitus lib. 2. L. *Pituanius ſaxo dejectus eſt*: Lipſ. nihil tamen prohibet quin alludat ad Leucadiam petram & ſaltum Sapphicum. Virg. ecl. 8: *Præceps aërij ſpecula de montis in undas Deferar*: Proper. 2. el. 17: *Nunc jacere è duro corpus jubat, impia ſaxo*. Paſſerat.

B

32. TVAS RES TIBI HABE] Verba in divortiis faciendis ſolemnia. V. N. Amph. act. 3: 2.

35. IB. AN. LABOS GRAND. C.] Eſt enim certamen arduum, quando vitia domare nitimur. Imitatus fortè hæc Perſius Satira V.

Et premitur ratione animus vincique laborat.

ad quæ vide Caſaubonum. Pareus ad hæc notat in Electis: Laus maxima ducitur, ſi ad frugem redeant, adoleſcentes corrupti. verùm nihil tale eliciamus ex iſtis verſibus. & alioquin triplo major laus eſt, ſi non opus eſt redire ad frugem, ſi quis perpetuò inſtiterit regiam virtutis & doctrinæ viam.

37. VANIDICIS] Comica compoſitio. Terent. Phorm. act. 1: 4. *ſævidica dicta*, noſter, *blandidicus*, Pœnulo; *magnidicus*, Rud. *falſidicus*, Capt. ita *Veridicus*, Cicero.

ACTUS II. SCENA II.

PHILTO ſenex. LYSITELES adoleſcens.

QVo illic homo foras ſe penetravit ex ædibus? LY. pater, adſum.
Impera quod vis: neque tibi ero in morâ, neque latebroſè me abs tuo
Conſpectu occultabo. PH. feceris par tuis cæteris factis, patrem
Tuum ſi percoles. Per pietatem! nolo ego cum improbis te viris,

Grate

Gnate mi, neque in viâ, neque in foro ullum sermonem exsequi.
„ *NOVI EGO HOC seculum, moribus quibus sit. malus bonum, malum*
Esse volt, ut sit sui similis: turbant, miscent mores mali; rapax,
Avarus, invidus: sacrum profanum, publicum privatum habent:
Hiulca gens. hæc ego doleo: hæc sunt quæ me excruciant.
Hæc dies noctesque tibi canto, ut caveas. quod manu non queunt
Tangere, tantum fas habent, quò manus abstineant:
Cætera, rape, trahe, fuge, late. lacrumas hæc mihi, cùm video,
Eliciunt. quia ego ad hoc genus hominum duravi? quin prius
„ *Me ad plures penetravi? nam HI MORES MAIORUM laudant:*
„ *Eosdem lutulant, quos collaudant. hisce ego te artibus gratiam*
Facio; neu colas neu imbuas ingenium. meo modo, & moribus vivito
Antiquis. quæ ego tibi præcipio, ea facito. nihil ego istos
Moror fatuos mores, & turbidos, quibus boni dedecorant se.
Hæc tibi, si mea imperia capesses, multa bona in pectore consident.
LY. Semper ego usque ad hanc ætatem ab ineunte adolescentiâ,
Tuis servivi servitutem imperiis & præceptis, pater.
Pro ingenio, ego me liberum esse ratus sum: pro imperio tuo,
Meum animum tibi servitutem servire, æquum censui.
„ *PH. QUI homo cum animo inde ab ineunte ætate depugnat suo,*
„ *Utrum is itane esse mavelit, ut eum animus æquum censeat;*
„ *An ita potius, ut parentes eum esse & cognati velint?*
„ *Si animus hominem perpulit, actum est; animo servibit, non sibi.*
„ *Sin ipse animum perpulit; dum vivit, victor victorum cluet.*
„ *TU SI ANIMUM VICISTI, potius quàm animus te, est quod gaudeas.*
„ *NIMIO SATIUS est, ut opu'st, te ita esse, quàm ut animo lubet.*
„ *QUI animum vincunt, quàm quos animus, semper probiores cluent.*
LY. Istæc ego mihi semper habui ætati tegumentum meæ,
Ne penetrarem me usquam ubi esset damni conciliabulum:
Ne noctu irem obambulatum, neu suum adimerem alteri.
Neu tibi ægritudinem, pater, parerem, parsi sedulò.
Sarta tecta tua præcepta usque habui meâ modestiâ.
PH. Quid exprobras? benè quod fecisti, tibi fecisti, non mihi.
Mihi quidem ætas acta est fermè: tuâ istuc refert maximè.
„ *Is PROBUS EST, quem non pœnitet quàm probus sit & frugi bonæ.*
„ *QUI ipsus sibi satis placet, nec probus est nec frugi bonæ.*
„ *BENEFACTA benefactis aliis pertegito, ne perpluant.*
„ *QUI IPSUS SE contemnit, in eo est indoles industriæ.*
LY. Ob eam rem hæc, pater, autumavi: quia res quædam'st, quam volo
Ego me abs te exorare. PH. quid id est? veniam jam dare gestio.
LY. Adolescenti huic genere summo, amico atque æquali meo,
Minus qui cautè & cogitatè suam rem tractavit, pater,

Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. PH. nempe de tuo.
LY. De meo: nam quod tuum'st, meum'st: omne meum est autem tuum.
PH. Quid is, egétne? LY. eget. PH. habuitne rem? LY. habuit. PH. qui eam perdidit?
Publicisne affinis fuit, an maritumis negotiis?
Mercaturámne, an venales habuit, ubi rem perdidit?
LY. Nihil istorum. PH. quid igitur? LY. per comitatem edepol, pater.
Præterea aliquantum animi caussâ in deliciis disperdidit.
PH. Edepol hominem prædicatum fermè familiariter.
Qui quidem nusquam per virtutem rem confregit, atque eget,
Nihil moror eum tibi esse amicum cum ejusmodi virtutibus.
LY. Quia sine omni malitiâ est, tolerare egestatem ejus volo.
PH. DE MENDICO male meretur, qui ei dat quod edit, aut quod bibat.
Nam & illud quod dat, perdit. & illi producit vitam ad miseriam.
Non eò hoc dico, quin quæ tu vis, ego velim, & faciam lubens:
Sed ego hoc verbum cùm illi cuidam dico, præmonstro tibi,
,, *Ut ITA TE aliorum miserescat, ne tui alios misereat.*
LY. Deserere illum, & dejuvare in rebus adversis pudet.
,, *PH. Pol PUDERE QUAM pigere præstat, totidem literis.*
LY. Edepol, deûm virtute dicam, pater, & majorum, & tuâ,
,, *Multa bona bene parta habemus. BENE SI amico feceris,*
,, *Ne pigeat fecisse: ut potius pudeat, si non feceris.*
PH. De magnis divitiis si quid demas, plus fit, an minus?
,, *LY. Minus, pater. sed CIVI IMMUNIFICO SCIS quid cantari solet?*
,, *Quod habes, ne habeas: & illud quod nunc non habes, habeas malum:*
Quandoquidem nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.
PH. Scio equidem istuc ita solere fieri. verùm, gnate mi,
,, *IS EST IMMUNIS, cui nihil est, qui munus fungatur suum.*
LY. Deûm virtute habemus, & qui nosmet utamur, pater,
Et aliis qui comitati simus benevolentibus.
PH. Non edepol tibi pernegare possum quicquam quod velis.
Cujus egestatem tolerare vis? loquere audacter patri.
LY. Lesbonico huic adolescenti, Charmidæ filio,
Qui illic habitat. PH. qui comédit quod fuit, quod non fuit?
,, *LY. Ne opprobra, pater. MULTA EVENIUNT homini, quæ vult, quæ nevult.*
PH. Agedum eloquere. quid dare illi nunc vis? LY. nihil quicquam, pater.
,, *SAPIENTIÆ ÆTAS condimentum'st: SAPIENS ætati cibus est.*
PH. Mentire edepol, gnate! atque id nunc facis haud consuetudine.
,, *Nam SAPIENS quidem pol ipse fingit fortunam sibi.*
Eo ne-multa quæ nevolt eveniunt, nisi fictor malus fiet.
Multâ est operâ opus ficturâ, qui se fictorem probum
Vitæ agendæ esse expetit. LY. sed hic admodum adolescentulus.
,, *PH. NON ÆTATE, verùm ingenio adipiscitur sapientia.*

LY. Tu modò ne me prohibeas accipere, si quid det mihi.
PH. An ego egestatem ejus tolerabis, si quid ab illo acceperis?
LY. Eo, pater. PH. pol ego istam volo me rationem edoceas. LY. licet.
Scin' tu illum quo genere gnatus sit? PH. scio, apprimè probo.
LY. Soror illi est adulta virgo grandis: eam cupio, pater,
Ducere uxorem. PH. sine dote? LY. sine dote. PH. uxorem? LY. ita.
Tuâ re salvâ. hoc pacto ab illo inibis summam gratiam:
Neque commodiùs ullo pacto ei poteris auxiliarier.
PH. Egóne indotatam te uxorem ut patiar? LY. patiundum est, pater:
Et eo pacto addideris nostræ lepidam famam familiæ.
PH. Multa ego possum docta dicta & quamvis facundè loqui:
Historiam veterem atque antiquam hæc mea senectus sustinet:
Verùm ego quando te & amicitiam & gratiam in nostram domum
Video allicere, etsi adversatus tibi fui, istâc judico.
Tibi permitto, posce, duce. LY. di te servassint mihi.
Sed adde ad istam gratiam unum. PH. quid id est autem unum? LY. eloquar.
Tute ad eum adeas, tute concilies, tute poscas. PH. eccere.
LY. Nimio citius transiges: firmum omne erit, quod tu egeris.
Gravius erit tuum unum verbum ad eam rem, quàm centum mea.
PH. Ecce autem in benignitate hoc repperi negotium.
Dabitur opera. LY. lepidus vivis. hæ sunt ædes: hic habet.
Lesbonico est nomen: age rem curâ: ego te opperiar domi.

SE PENETRAVIT] i. proripuit, aut conjecit foràs: ἐνεργητικῶς positum: quod huic nostro usitatissimum. Cui contrarium, *emergere se, erumpere se*: quibus utuntur Lucr. Terentius, Virgilius, alii. A

4. SI PERCOLES. &c.] ita distinguunt omn. edd. vett. & Palmerius; *Per pietatem*, obtestatio est atque obsecratio: ut illa: *Per deos: per te, &c.*

8. SACRUM, PROFANUM; PUBLICUM, PRIVATUM H.] Ita rectè Meursius interpunxit. Nihil interesse inter sacrum aut profanum, inter publicum aut privatum existimant. B

9. HIULCA GENS] avida, & quasi hianti ore prædam captans. L. D.

12. FUGE, LATE] Alii: *fuge latè.* perperàm. neque enim longam fugam præcipit, sed fugam & latibulum. *Acid.*

13. QUIA EGO &c.] Palmer. scribit ex sententia: *Quianam ego a. g. h. h. duravi.* utitur & Terent. & Virgilius, *quianam*, i. cur? & istud in editionem suam recepit Pareus, invitis MSS. & Edd. omn.

13. QUIN PRIUS] ita planè MSS. & Edd. vett. at legendum pertendit Scaliger in Catalect. *Quàm priùs*, pro, *priusquam*. Quia non mortuus sum, priusquam ad hoc corruptum sæculum vitam produxi. Propertius:

Quàm priùs abjunctos sedula lavit equos.

Atticum, ἢ πρὶν, pro πρὶν ἢ. Aristophanes: ἢ πρίν γε τὸν μυττωτὸν ὑμῖν ἐγχέαι; Ita *Quàm potius* veteres dicebant, pro, *potius quam. Plures* autem Græcâ notatione pro *mortuis* dicebant. quippe plures numero sunt mortui quàm vivi. Alciatus Parerg. lib. 10. cap. 13. Leges, inquit, Pontificiæ dicunt: *Viam universæ carnis ingressus est.* quasi solam carnem vorax ille Saturnus absumat, & nō cætera quoque. Elegantior verò & aptior est Plautina phrasis, &c. Gul. Canterus lib. 4. c. 18. Græcis ut κρείσσονας aliquando *deos*, ita πλείονες non rarò *mortuos* significant. Hesychius: πλείονες, οἱ τετελευτηκότες. Vide etiam suprà, act. 1. a. v. 120. & Casinæ Prologo v. 19. Quin & sermo noster *de mortuis* appellationem magnæ seu copiosæ turbæ usurpat, zum grösten Hauffen ziehen.

15. LUTU-

13. LVTVLANT] conspurcant & quasi luto inquinant. MSS. Cam. *latitant*.

15. HISCE EGO TE ARTIBVS GRATIAM FACIO.] Facilè possum pati, ut ne his artibus te excolas, &c. Antiqua & in circulis tum usitata loquendi forma: quâ usus & Sallustius: *Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, &c.* item Livius: *Omnium igitur tibi, Ap. Claudi, quæ impiè nefariéque per biennium alia super alia ausus es, gratiam facio.* sed & Sueton. Tiberio, &c. V.N. Casin.act.2:6. Gruterus emendabat, *hisce ego de artibus gratiam facio.* ita sub finem Scenæ: *Jusjurandi volo gratiam facias.* At Rich. Thomsonius malebat: *his ergò tu artibus gratiam facias.* quod ultimum recepit in contextum Pareus, sed deturpatum in pejus, *tu artibus gr. facias.*

16. MORIB. VIV. ANTIQVIS] Omnes ferè Scriptores mores suorum temporum improbantes antiqua tempora & mores laudarunt. ita Capt. act. 1: 3. *antiquis adolescens moribus.* ubi Not. vide versu 20.

17. PRÆCIPIO, EA FACITO] MSS. Cam. & vett. edd. *quæ ego tibi, præcipito & facito.* alterum est à conjectura Pii. Aldina *præcipio, hac facito,*

18. FACETOS MORES] MSS. Cam. *faceos.* hinc Cam. fecit *facetos.* Probatur Meursio *fatuos*, quod extat in Edd.vett.

19. CONSIDENT] pro considere facient: ut *desidere* in Apulejo. V.N. Sticho act.2:2. Aliàs enim qui sensus? nisi fortè leg. *bona in tempore conficient.* Acidal.

20. SEMPER EGO] Hinc usque ad finem Scenæ versus sunt tetrametri, plerique. Catalect. Archilochii. *Camerar.*

22. PRO IMPERIO TVO MEVM] Lipsius eleganti sententiâ maluit, *pro imperio, tuum. Meum an. &c. Tuum*, id est, quod ad imperium attinet, tibi me obnoxium, cætera liberum censui. *vel:* Pro ingenio liber sum, pro imperio tuus. Verùm in vulgatis & MSS. Cam. est, *pro imperio tuo Meum an. &c.* neque hoc male profectò.

25. VTRVM IS ITANE] ita Lamb. & Acid. è vett. (ut ait) quibusdam. at MSS. Cam. & vett. edd. *Utrum id itani ess.* Vulgatæ, *Utrum idne esse m.*

26. ANIMVS,] *Animus* pro libidine & affectu à ratione averso. Milite: *meo animo* A *morem gero.* ita Græci, φίλῃ ψυχῇ χαρίζεσθαι, i. *Genio indulgere.* Vide Lamb. ad Horat. 4. Odâ 7.

27. SI ANIMVS HOM.] Si in hâc pugnâ Libido hominem subegit, actum de illo est: & Libidini, non Rationi factus est servus. Lamb. utrobique l. *perculit*, quod est, pervertit, pessum dedit MSS. Cam. primo loco *perpulit*, secundo *pepulit*. at utrobiq; restat *perpulit*, in omnibus edd. vett. & laudatum Lipsio.

27. SERVIBIT] ita J. Gul. & Acid. *servibit*, quod antiquâ ratione scribendi erat *servibit*, quod habet editio omnis. Etiam Lipsius probat. Si, inquit, semel animo indulseris, ætatem illi servitutem servies. MSS. *servabit.*

28. DVM VIVIT, VICTOR VICTORVM CLVET] Plato 1. de Legibb. Τὸ νικᾶν ἑαυτὸν, πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη· τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ, πάντων αἴσχιστόν τε καὶ κάκιστον. Val. Maximus, lib. 3. *Multò seipsum, quàm hostem superâsse, operosius est.* Novitium:

Fortior est, qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia: nec Virtus altius ire potest.

P. Syrus Mimus:

B *Bis vincit, qui se vincit in victoriâ.*

Idem:

Effugere cupiditatem, regnum est vincere.

32. ÆTATI TEGVMENTVM] Hæc ego semper habui instar tegumenti & clypei, quibus ætatem tegerem & munirem: L. Vide N. Mostell. act. 1:2.

33. DAMNI CONCILIABVLVM] ubi damnum mihi possit conciliari. Vox Ciceronis etiam & Livii.

34. NE NOCTV I. AMB.] V. N. Amph. act. 1:1.

38. MIHI QVIDEM ÆTAS ACTA FERME EST] Inseruit epistolæ (2.) ad Brutum hunc versum Cicero elegantissimè: *Sed de hoc tu videris. de me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummo: MIHI QVIDEM ÆTAS ACTA FERME EST.*

39. QVEM NON POENITET] qui non invitus probus est. *vel:* qui constanter probus est: L.

40. QVI IPS. SIBI SAT.] Ita hic versus legitur in MS. pr. Cam. Planè germanus; omissus ab exscriptore, ob desinentiam præcedentis uniformē. Observatus primum omnium à C. Rit-

à C. Rittershusio. Cyprianus Serm. 3. De bono Patientiæ: *Qui nec humiles sunt, nec mites; sed sibi multum placent, hoc ipso, quod sibi placeant, DEO displicent.*

41. BENEFACTA BENEF.] Benefacta benefactis cumulato, ne quid vitii in animo innascitur. L. Vide Adagior. Collect. novitios.

41. NE PERPLVANT] ne pluviam penitùs admittant: L. Vide N. Most. act. 1: 2.

42. QVI IPSVS SE C.] Qui ipse non effert insolentiùs, sed modestè de se sentit: L.

43. AVTVMAVI] dixi. Vide Agell. lib. 15. cap. 3.

44. VENIAM IAM DARE GESTIO.] ita omnes Codd. Gestio permittere ut dicas. Sic Cornific. ad Herenn. lib. 4. *Veniam ad vos, si mihi Senatus det veniam.* i. si permittat. Nam, *veniam dare*, non est tantùm parcere & ignoscere alicujus culpæ & errato: sed interdum permittere, sinere, concedere. Vide Turneb. lib. 27. c. 12. Ne igitur audiantur nuperi Correctores, à quibus phrasis non intellecta: multò minus sequamur Pareum, qui in contextum admisit: *dic. enim jam dare g.* sed adeò omnibus literis vitiosè, ut nemo tale quid inde eruat ullis fidiculis.

47. NON NEVIS] Duæ negationes pro unà. Ita autem omnes MSS. & editi. Incuriosiss. iste Curio, *si tu non abnuis.* quod tamen lactuca fuit Parei labris, ideoq; ei locum dedit editione pr.

50. PVBLICISNE AFFINIS] Publicisne an maritimis negotiis sese implicuit? L.

51. MERCATVRAMNE &c.] Fuitnè mercator, an mango seu venalitius? Veteres enim *Mercaturam* à *Mangonio* separaverunt: ac Mercaturæ nomine mancipia censeri nolebant: quamvis genus quoddam mercaturæ exercere videantur, qui servitia vendunt: quos *venalitios* festivissimè appellat *Cappadocum reges* Horatius 1. epist. 6.

Mancipiis locuples eget æris Cappadocum rex.

i. venalitius. Seneca: *Mercator urbibus prodest, Medicus ægris, Mango venalibus.* Vide Turneb. lib. 16. c. 5. & lib. 26. c. 16.

52. PER COMITATEM] V. N. Scenâ præced.

54. PRÆDICATVM F. FAMILIARITER] *Prædicatum familiariter* eò dicit: quia turpem decoctionem æqualis sui valdè comiter & verecundâ circumlocutione protulerat: ut appareret familiarissimum illi esse. Sic enim mavult Acidalius, quàm cum Lamb. interpretari; liberè, ut solent familiares: etsi hoc sensu usus sit Epid. 1: 1.

57. SINE OMNI MALITIA EST] ut sunt omnes ferè prodigi & profusi: quos Arist. lib. 4. De Moribus, stultos potius ait esse, quàm malitiosos: L.

58. DE MENDICO] Sententia Laconici Apophtegmatis, quod exstat apud Plutarch. *Mendicus à Lacone stipem petebat: hic verò, Si darem, inquit, tibi; eò magis mendicares. Nam huic tuæ deformitati caussam præbuit is, qui primus tibi dedit, eoque te ignavum reddidit.* Sed est sententia hæc immitis, & inhumana καὶ ἀσεβής.

58. EDIT] Ita MSS. & Edd. vett. pro *edat*, ab *edim*. V. N. Men. 1: 1. Pareus tamen edidit *edat*: adeo omnis ei placet novatio.

59. PRODVCIT VITAM] Servius Dan. ad 4. Æn. legit, *prodit vitam.* ut, *prodere genus suum &c.* restat alterum in MSS. & Edd. vett.

61. ILLI CVID.] Lesbonico: L.

62. VT ITA TE ALIOR.] Ut tu aliorum egestatem ita toleres, ne ipse egeas: & ita fiat, ut alii misereantur tui. Ita autem Camerarius suâ manu è MSS. correxit: quod vidi Lipsiæ. cùm in vulg. fuerit, *misereat, cave ne &c.* natum id autem ex depravata scriptura librorum, *misereſcant tui.* quomodo restat in Pal. pr. nam sec. *miseres.. cave tui..* Porro Pareus heic edidit dein, *alius misereat*, quod ita esset in Pal. pr. nam sec. *aliis.* quæ libido mutandi omnia? etiam contra canones Ludimagistrorum.

63. DEIVVARE] i. non juvare. V. N. Epid. act. 1: 1. *Dejuvare*, proba vox: quam Ed. omn. illæ vett. agnoscunt, item MSS. Camerarii & Pal. Excerpta. & hic retinendam, contra Lipsium, qui *desivare*, vel *desinare* potius, i. deserere, vel, desinere juvare, ex Festo legit, censent Gruterus & Douza. Scaliger ad illud *desivare* notat: Vetus editio, *desinare*: fortasse melius. Glossarium: *Desinator*, ἀβοήθητος: qui scilicet desinit destitutus ope. Tamen dubito. nam & alibi legitur, *desivatur*, βοηθεῖται. Sanè apud Senecam, epistol.

CXVII. *desinare* per *N* legitur. *Imbecillæ*, inquit, *mentis ista verba sunt, & hâc desinatione misericordiam captantis*. Hæc Scalig. (quanquam Mureti & Lipsii editio habent *detestatione*.) Etiam Lips. ex eodem Glossario ἀβοηθήτους legit, i. *desivatos*, vel *desinatos*, hoc est, desertos, destitutos. Meursius verò docet, veteres quidem *desinare* & *desinere* dixisse: ut *fodare* & *fodere* &c. hic tamen *dejuvare* γνήσιον esse, atque unicè retinendum. ut & Floridus lib. 2, cap. 8. Subseciv. Lect. quas vide.

64. POL PUDERE QUAM PIGERE PRÆSTAT, TOTIDEM LITERIS.] i. cùm totidem sint litteræ. Formæ enim istæ loquendi absolutæ sunt, sine participio. Turnebus lib. 2. 29. & Comm. in 1. Orat. Cic. in Rull. Nonius: *Pudet, verecundia est: Piget, pænitentia*. Vetus Grammat. *Pudere, ad dedecus: Pigere, ad dolorem & damnum refertur*.

65. DEUM VIRTUTE] Ita loquebantur. Solebant enim res prosperas diis & virtuti acceptas referre: contrà, sua omnia minora facere, & deorum erga se beneficentiam amplificare: ne sibi ea attribuere viderentur, & in deos ingrati esse: neu eorum invidiam in se commoverent. Etsi nonnunquam etiam hominum virtutem tacitam non prætermittebant. Milite act. 3. 1. & alibi. Sallustius: *virtute ac diis volentibus magni & opulenti estis*. Turnebus lib. 2. 29. & lib. 18. 7.

66. MULTA BONA BENE PARTA HABEMUS] Sic Terent. Eun. *Omnes te in lautâ & benè-auctâ* (i. honestè acquisita) *parte putant*.

67. UT POTIUS] Sic MSS. & Edd. vett. *at pot*, recentiores.

69. CIVI IMMUNIFICO] MS. pr. *civi inmuni inmunificos scis*. sec. *civi inmini inmunificos scis*. ut videatur Grutero illud *immuni* recipiendum in contextum, ejecto *immunifico*, tanquam alterius scilicet interpretamentum; quodque alioquin officiat numeris.

73. IS EST IMMUNIS] Quisnam ex illa Isidori definitione interpretandum non videt? referentis lib. Orig. XIV. *Amœna loca Verrius Flaccus dicta ait, quòd sine munere sint, nec quicquam in his officij; quasi amunia, id est, sine fructu, unde nullus fructus exsolvitur. Inde etiam nihil præstantes, Immunes, vocantur: Douza.*

75. ET ALIIS QUI] Habemus, unde comes & liberales simus in benevolentes.

77. AGE-DUM ELOQUERE] M. Ant. Muretus, Var. Lect. lib. 15. cap. 13. totum hunc locum & legit aliter & transponit, qui legatur ut etiam Acidalius, qui ne à Mureto quidem locum rectè intellectum autumat. Videatur etiam. Quòd a. ait Lysiteles ad excusandum sodalem, *Sapientiæ esse condimentum ætatem*; &, *Sapientiam ætati cibum*, hanc sententiam habet. Quidam cibi sunt, qui recentes quidem non sunt esui: sed reponi solent in longam usionem, & muriâ aut aceto aut sale aliisque modis condiri. mitescunt autem ac concoquuntur tempore, & ad vescendum utiles fiunt. Sic sapientiam ait in juvenibus immaturam esse: procedente ætate condiri ac mitigari, quasique maturescere. Hæc Muretus. Lambini sententias, quas tamen monstrosas omnes vocat Acidalius, vide, si operæ est, apud ipsum. Turnebus, Sententia, inquit, in eo est acuta, sed obscura, *Sapientiæ ætas* &c. quæ hunc sensum continet. Ætate sapientiam parari: ut ei, qui sapiens futurus sit, sapientiam condiat ætas: ipse autem sapiens tanquam condimento ætatis, cibus quidam apparetur & commendetur. Est igitur *Sapiens ætati cibus*, quem ut cibum ætas condit ipsa. *lib. 26. c. 16.*

78. CHARMIDÆ FILIO] Interponunt alii, *Ch. hujus filio*, sed nullo adstipulante libro. fuit forte *Charmidai filio*. Pall. habent *Charamide f.*

82. SAP. ÆTAS C.] Ita Legendum, quò lepidè omnia inter se cohæreant: isto sensu: Ætas sapienti quidem est veluti pro condimento; qui ipsus ætati est pro cibo. Sapiens non ab ætate sapit, ut cibus à condimento non est cibus. Sapientia ab ingenio est: quam ætas mitigat, & ad maturitatem perducit, & meliorem molliorem que reddit: plane ut cibus à condimento perficitur, gratiorque efficitur tantum; ipse aliàs per se constans. Acid. MSS. *Sapientia æt.* nisi quod Pal. pr. *Sapientia etas*. Edd. vett. *Sapientiæ ætas*.

84. NAM SAPIENS Q. &c.] Eandem sententiam in Paradoxis expressam habes apud Cic.

Cic. ubi ait: *Nec est ulla res, quæ plus apud sapientem polleat, quàm ipsius voluntas atque judicium. cui quidem etiam, quæ vim habere maximam dicitur, Fortuna ipsa cedit, sicut sapiens Poeta dixit; Suis ea cuique fingitur moribus.* Item ab Appio in Sallustianâ ad Cæs. Oratione: *Sed res docuit id verum esse, quod in Carminibus Appius ait: Fabrum esse suæ quemque fortunæ.* Ita Nepos, in vitâ Attici: *Sui cuique mores fortunam fingunt.* Hæc J. Douza. Quibus addo, quod citat Fulgentius è Carniadis libro Thelesiaco: πᾶσα τύχη αἰσθήσει φρονοῦντος κατοικεῖ. i. *Omnis fortuna in sensu Sapientis habitat.* Utique Prudentia ars & norma est totius vitæ: ut rectè Cicero 5. de Finib. dixerit, *Artem vivendi esse Prudentiam; ut Medicinam valetudinis.* Et huic omnia subjecta, etiam ipsa Fortuna: quod hîc Plautus, & alicubi Menander probat:

ἅπαντα δ᾽ ἄλλα τῷ φρονεῖν κατίσταται,
Formulatur omne, quicquid est, Prudentia.

Desinam illo Platonis: Νοῦς ἀνθρώπου θεὸς, οὗτος ἐὰν ἀγαθὸς, θεός. *Sensus hominis deus est: is si bonus est, deus est.* Electa Parei e- B
lici erunt isto ex versu talem gnomam: Sapientia non semper annis acquiritur, sed ætate. At quid alterum ab altero differat, doce nos si quid adhuc est in te rationis.

85. EO NE MVLTA QVÆ NEVVLT] Turnebus: Utrobique *ne* pro non usurpans venustè dixit Plautus. ut act. 5. 2. *nisi nevis*. Ait igitur; Ob id non multa, quæ non vult, eveniunt. lib. 26. 16.

86. MVLTA EST OPERA &c.] Opus est ei multâ operâ & curâ fingendi ac laborandi, qui rationem vitæ rectè degendæ sibi fingere cogitat.

88. NON ÆTATE &c.] Nam puer non is semper est, cui minor ætas, sed etiam qui sapientiâ puer est. (*Adipiscitur* autem παθητικῶς, pro, acquiritur, paratur. ut Cic. Offic. *adipiscendi magistratus sunt.* Agell. lib. 18. *Nomine non adepto jam, sed cum spe mox adipiscendo.*) Ita Guntherus de Friderico Barbarossâ, lib. 1. vers. 286. *Mente se-* A
nex, ætate puer. Et Æschylus: γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ᾽ ἡβῶσαν φέρει. Sic de Juliano Ammian. Marcellinus lib. 25. *Virtute senior quàm ætate.* De Pisone Sillius libr. 8. versu 386. *Ore puer, puerique habitu: sed corde sagaci Æquabat senum atque astu superaverat annos.* In hâc sententia delitias facit ille quisquis est, qui de bello Trojano scripsit Poema sub nomine *Cornelij Nepotis* falso se venditans, cùm sit longè posterior: *Canescant alij mento; nos mente: capillo; Nos animo: facie; nos pectore. tempora quippe virtutem non prima negant, non ultima donant.* Ambrosius: *Non annorum canities est laudanda, sed morum.* Quam ad rem elegans est epigramma Philonis Anthologia 1. tit. 16.

αἱ πολιαὶ σὺν τῷ γεραρώτεραι. αἱ γὰρ ἄ-
νευ νοῦ
μᾶλλον τῶν πολλῶν εἰσὶν ὄνειδος ἐτῶν.
Canities veneranda, cui mens provida juncta est:
Hâc sine, longi ævi est opprobrium illa magis.
Αἱ τρίχες, ἢν σιγᾷς, γεραρώτεραι. ἢν δὲ λαλήσῃς,
ὡς αἱ τῆς ἥβης, οὐ φρένες, ἀλλὰ τρίχες.
Quando taces, cani mens sunt: si verò loquare,
Præ juvenum incipiunt nil magis esse pilis.

Hæc pluscula è Notis Rittersh. ad Guntherum.

102. ISTAC JVDICO] i. in illam partem censeo. Malit tamen Acid. è vestig. scripturæ vett. edd. *etsi adversatus tibi fui istuc sedulò, Tibi p.* quod statim editionis suæ lupanari intulit Pareus, contra MSS. & cusos omnes. nam Pal. pr. *etsi adversatus si tibi fui istac udico.* neque aliter sec. quam quod is, *judicib.* Edd. vett. *etsi adv. tibi fui, istæc judicio Tibi perm.* seqq. *etsi adversator tibi fui, istac judicio Tibi perm.*

105. CONCILIES, POSCAS] *Conciliandi* vox ambigua. nam & de nuptiis legitimis, & de lenocinio dicitur. honestè Ovid. *Non me nupsisti conciliante sene.* Idem: *Id me quod quereris conciliare potest.* Catull. *ut semel es flavo conciliata viro,* Apul. in Apolog. *invitam eam conciliare stude-*

studebat alteri filio suo. In honestè Sueton. A Jul. *Existimatur Servilia suam filiam Tertiam Cæsari conciliasse.* Ovid. *Quo veniunt alii conciliante viri.* Item: *En etiam partes conciliantis ago.* Plaut. Milite: *Super hac vicina quam concilio tibi.* Petron.: *Concilio tibi ô juvenis sororem.* &c. Ita conciliator, modò *proxeneta* est. Nepos in Attici vita: *Harum nuptiarum conciliator fuit M. Antonius.* modò *leno* Isidorus. *Leno, conciliator stupri.* Vopiscus in Carino: *Præfectum prætorio veterem conciliatorem fecit, quem stuprorum & libidinum conscium* B *semper atque adjutorem habuerat.* Sic & *conciliatrix*, vel *proxenetria*, ut in Philoxeno & Festo; vel *lena*. Lucillius: *Ætatem ut faciem, ut saga & bona conciliatrix.* Cicero 1. de nat. Deor: *quam blanda conciliatrix, & quam sui sit lena ipsa.* Plaut. Mil: *Ita ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi.* in Lege 1. Cod. Th. de repud. *Si mœcham vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit.* extat quoque in glossis Juvenalis: & inde Atta titulum fecit suæ fabulæ *Conciliatrix.* Mercerus ad Nonii *Saga.* videatur & Turneb. lib. 11. cap. 25.

105. ECCERE] *Eccere*, Charis. vocat *Adverb. monstrandi*: Festus *jurandi per Cererem.* Muretus, *acere*, quasi per ædem Cereris: ut *adepol*, *acastor.* Lambinus *Eccere*, quasi, *Ecce res*, vel, *Ecce rem*, vel, *Ecce*, simpliciter, dici putat: *Eccere* autem per C unicum, significare ædem Cereris. Ter. Ph. act. 2.2. Meursius, Scribendum, inquit, *Ecere*: ut *Equirine*, *Ejuno*, *Ecastor.* Efferebant etiam truncatè *Ecer*, quemadmodum *Epol.* Glossæ, *Ecer*, Κατὰ τῆς Δήμητρος: non, *Eccer.* V.N. Capt. act. 4.2.

109. LEPIDVS VIVIS] i. lepidus es, præbesque te erga me filium tuum patrem commodum. Catullus:

At tu insula, mala ac molesta vivis.

ita Amph. Prol. *Virtute dixit vos victores vivere*, i. esse. *Douza.*

ACTUS II. SCENA III.

PHILTO senex.

NON optuma hæc sunt, neque ut ego æquum censeo.
Verùm meliora sunt, quam quæ deterrima.
Sed hoc unum consolatur me atque animum meum,
Quia, QUI NIHIL ALIUD, nisi quod sibi soli placet,
,, *Consulit advorsum filium, nugas agit:*
,, *Miser ex animo fit: factiùs nihilo facit,*
,, *Suæ senectuti is acriorem hiemem parat,*
Cùm illanc importunam tempestatem conciet.
Sed aperiuntur ædes, quò ibam: commodò
Ipse exit Lesbonicus cum servo foras.

QUOD SIBI SOLI] Ita MSS. Cam. & omn. A vett.

6. FACTIVS NIHILO FACIT.] ita è MSS. suis Camerarius *factius.* omnes vet. ed. *fatius.* At J. Gul. l. *sectius.* Nam sentit, inquit, eum qui filio pertinaciter adversetur, præter animi dolorem nihil assequi. nam ipsum filium nihilo secius id quod statuerit persequi: Hæc ille. Palmerius, Spicileg. fol. 63. & seqq. copiosissimè de verbo *sectius*, sive

sive *secius* disputavit, ubi inter alia docet, *sequi cum aliquo*, Mil. act. 4. 6. esse, *sermonem cadere*. *Insequi*, apud Caton. esse *fari*. Et *sectiones*, apud Cæs. De bello Gall. & alios, *narrationes*. item *secare*, pro *sequi*: Virgil. 6. Æn. *Ille viam secat ad naves*. & 10. Æneid.

——quam quisque secat spem.

Inde & *seculum*, & *secundus*, & *secta* derivari. Ipsum etiam Ciceronem in plerisque Dialogis, *Sequor* pro *Sermocinor* usurpare, &c. Concludens tandem, Ergò, inquit, *Secius* & *sectius* à *seco*: ac *sequius* à *sequor*, idem sunt. Cujus A ignoratione Muretus etiam in Terent. offendit. *Secius* enim antiquius est; *sectius*, recentius. Vide, quæso, Not. Cistel. 4. 2. Pareus *factius* clamat verum esse: sed de significatu ejus altum tacet. id tamen potius requirebat lector. qui neque apud Lambinum, aut Dousam quidquam ejus invenerat. Et sic est. *factius*, vox est hîc planè fictitia, à *faciendo*.

7. SENECTVTI HIEMEN] Erathostenes *Senectutem*, *hiemem vitæ* dicere solebat.

ACTUS II. SCENA VI.

LESBONICUS adolescens, STASIMUS servus, PHILTO senex.

MINUS quindecim dies sunt, cùm pro hisce ædibus
Minas quadraginta accepisti a Callicle.
Estne hoc quod dico, Stasime? ST. cùm considero,
Meminisse videor fieri. LE. quid factum est eo?
ST. Comesum, expotum, exutum, elotum in balineis.
Piscator, pistor abstulit, lanij, coqui,
Olitores, myropolæ, aucupes: confit citò,
Quàm si tu objicias formicis papaverem.
LE. Minus hercle in hisce rebus sumptum est sex minis.
ST. Quid, quod dedisti scortis? LE. ibidem unà traho.
ST. Quid, quod ego defraudavi? LE. hem! ista ratio maxuma est.
ST. Non tibi illud apparere, si sumas, potest:
Nisi tu immortale rere esse argentum tibi.
Serò atque stultè, prius quod cautum oportuit,
Postquam comedit rem, post rationem putat.
LE. Nequaquam argenti ratio comparet tamen.
ST. Ratio quidem hercle apparet. argentum οἴχεται.
Minas quadraginta accepisti a Callicle,
Et ille ædis abs te accepit mancupio. LE. admodum.
PH. Pol, opinor affinis noster ædes vendidit.
Pater cùm peregre veniet, in porta est locus:
Nisi forte in ventrem filio correpserit.
ST. Trapezitæ mille drachumarum Olympicûm,
Quas de ratione debuisti, reddita.
LE. Nempe quas spopondi. ST. imò, quas dependi, inquito.
Quas sponsione pronuper tu exactus es
Pro illo adolescente, quem tu ajebas esse divitem.

LE. Fa-

LE.Factum.ST.ut quidem illud perierit. LE. factum id quoqe est.
Nam nunc eum vidi miserum, & me ejus miseritum'st.
ST.Miseret te aliorum,tui te nec miseret,nec pudet.
PH.Tempus adeundi est.LE.éstne hic Philto,qui advenit?
Is hercle est ipsus. ST.edepol na ego istum velim
Meum fieri servum cum suo peculio.
PH.Herum atque servum plurimum Philto jubet
Salvere,Lesbonicum & Stasimum. LE.di duint
Tibi,Philto ,quæcunque optes.quid agit filius?
PH.Bene vult tibi.LE.edepol mutuum mecum facit.
,, *ST.NEQUAM ILLUD verbum'st,Bene vult,nisi qui bene facit.*
Ego quoque volo esse liber;nequicquam volo:
Hic postulet frugi esse; nugas postulet.
PH.Meus gnatus me ad te misit,inter se atque vos
Affinitatem ut conciliarem & gratiam.
Tuam vult sororem ducere uxorem.& mihi
Sententia eadem'st,& volo.LE.hau! nosco tuum:
Bonis tuis rebus meas res irrides malas.
PH.Homo ego sum,homo tu es:ita me amabit Juppiter!
Neque te derisum veni, neque dignum puto.
Verùm hoc, ut dixi,meus me oravit filius,
Ut tuam sororem poscerem uxorem sibi.
LE. MEARUM RERUM me novisse æquum'st ordinem.
Cum vestris nostra non est æqua factio.
Affinitatem vobis aliam quærite.
ST.Satin'tu sanus mentis aut animi tui,
Qui conditionem hanc repudies? nam illum tibi.
Ferentarium esse amicum inventum intellego
LE.Abin' hinc dierectè? ST.si hercle ire occipiam,vetes.
LE.Nisi quid me aliud vis Philto, respondi tibi.
PH.Benigniorem Lesbonice te mihi,
Quàm nunc experior esse,confido fore:
,, *Nam & STULTE FACERE,& stultè fabularier,*
,, *Utrumque,Lesbonice, in ætate haud bonum'st.*
ST.Verum hercle hic dicit.LE.oculum ego effodiam tibi,
Si verbum addideris.ST.hercle quin dicam tamen.
Nam si sic non licebit, luscus dixero.
PH.Ita tu nunc dicis non esse æquiperabiles
Vestras cum nostris factiones atque opes?
LE.Dico.PH.quid? nunc si in ædem ad cœnam veneris,
Atque ibi opulentus tibi par fortè ut venerit,
Apposita sit cœna,popularem quam vocant,

Si illi congestæ sint epulæ à clientibus,
Si quid tibi placeat, quod illi congestum siet,
Edisne, an incœnatus cum opulento accubes?
LE. Edim, nisi ille vetet. ST. at pol ego, etiamsi vetet,
Edim, atque ambabus malis expletis vorem:
Et quod illi placeat, præripiam potissimum:
Neque illi concedam quicquam de vitâ meâ.
,, *VERECUNDARI NEMINEM apud mensam decet,*
Nam ibi de divinis atque humanis cernitur.
PH. Rem fabulare. ST. non tibi dicam dolo:
Decedam ego illi de viâ, de semitâ,
De honore populi: verùm quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longè, nisi me pugnis vicerit.
Cœna hâc annonâ est sine sacris hereditas.
,, *PH. SEMPER TU HOC facito, Lesbonice, cogites,*
,, *Id optimum esse, túte uti sis optimus:*
,, *Si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus.*
Nunc conditionem hanc, quam ego fero, & quam abs te peto,
Dare atque accipere, Lesbonice, te volo.
Dei divites sunt, deos decet opulentia
,, *Et factiones. verùm NOS HOMUNCULI*
,, *SALILLUM ANIMÆ qui cùm extemplo amisimus,*
,, *Æquo mendicus atque ille opulentissimus*
,, *Censetur censu ad Acherontem mortuus.*
ST. Mirum, ni tu illuc tecum divitias feras,
Ubi mortuus sis, ita sis ut nomen cluet.
PH. Nunc ut scias hîc factiones atque opes
Non esse, neque nos tuam negligere gratiam,
Sine dote posco tuam sororem filio.
Quæ res bene vortat! habeon' pactam? quid taces?
ST. Prò di immortales, conditionem quojusmodi?
PH. Quin fabulare, Dî bene vortant! spondeo.
ST. Eheu! ubi usus nihil erat dicto, Spondeo
Dicebat: nunc hîc, cùm opus est, non quit dicere.
LE. Cùm affinitate vestrâ me arbitramini
Dignum, habeo vobis, Philto, magnam gratiam.
Sed etsi hercle graviter cecidit stultitia mea,
Philto; est ager sub urbe hîc nobis, eum dabo
Dotem sorori. nam is de stultitiâ meâ
Solus superfit præter vitam reliquus.
PH. Profectò dotem nihil moror. LE. certum'st dare.
ST. Nostrámne vis nutricem, here, quæ nos educat,

Abalienare à nobis? cave sis feceris.
Quid edemus nosmet postea? LE. etiam tu taces?
Tibi ego rationem reddam? ST. planè periimus,
Nisi quid ego comminiscor. Philto, te volo.
PH. Si quid vis, Stasime? ST. huc concede aliquantum. PH. licet.
ST. Arcanò tibi ego hoc dico, ne ille ex te sciat,
Néve alius quisquam. PH. crede audacter quid lubet.
ST. Per deos atque homines dico, ne tu illunc agrum
Tuum siris unquam fieri, neque gnati tui.
Ei rei argumentum dicam. PH. audire edepol lubet.
ST. Primùm omnium, olim terra cùm proscinditur,
In quinto quôque sulco moriuntur boves.
PH. Apage. ST. Acherontis ostium in nostro'st agro.
Tum vinum, priusquam coactum'st, pendet putidum.
LE. Consuadet homini, credo, etsi scelestus est,
At mihi infidelis non est. ST. audi cætera.
Post id, frumenti cùm alibi messis maxima'st,
Tribus tantis illi minus redit, quàm obseveris.
PH. Hem! istic oportet obseri mores malos,
Si in obserendo possint interfieri.
ST. Neque unquam quisquam est, cujus ille ager fuit,
Quin pessumè ei res vorterit, cujum fuit.
Alij exulatum abierunt, alii emortui,
Alii se suspendère. hem! nunc hic cujus est,
Ut ad incitas redactus! PH. apage à me istum agrum!
ST. Magis, apage! dicas, si omnia à me audiveris.
Nam fulguritæ sunt alternæ arbores.
Sues moriuntur anginâ acerrumè.
Oves scabræ sunt, tam glabræ, hem! quàm hæc est manus.
Tum autem Syrorum, genus quod patientissimum est
Hominum, nemo extat, qui ibi sex menses vixerit:
Ita cuncti solstitiali morbo decidunt.
PH. Credo ego istuc, Stasime, ita esse: sed Campas genus
Multo Syrorum jam antidit patientiâ.
Sed iste est ager profectò, ut te audivi loqui,
Malos in quem omnes publicè mitti decet.
Sicut fortunatorum memorant insulas,
Quò cuncti, qui ætatem egerunt castè suam,
Conveniant. contrà istòc detrudi maleficos
Æquum videtur, qui quidem istius sit modi.
ST. Hospitium est calamitatis. quid verbis opu'st?
Quamvis malam rem quæras, illic reperias.

PH. Ai

PH. At tu hercle & illi & alibi. ST. cave sis dixeris,
Me tibi dixisse hoc. PH. dixisti arcano satis.
ST. Quin hic quidem cupit illum ab sese abalienarier;
Si quidem reperire posset, cujus os sublinat.
PH. Meus quidem hercle nunquam fiet. ST. si sapies quidem.
Lepidè hercle de agro ego hunc senem deterrui:
Nam qui vivamus, nihil est, si illum amiserit.
PH. Redeo ad te, Lesbonice. LE. dic sodes mihi,
Quid hic locutus tecum? PH. quid censes? homo'st:
Vult fieri liber; verùm, quod det, non habet.
LE. Et ego esse locuples, verùm nequiquam volo.
ST. Licitum, si velles: nunc, quoniam nihil est, non licet.
LE. Quid tecum, Stasime? ST. de istoc quod dixisti modò,
Si antea voluisses, esses: nunc serò cupis.
PH. De dote meum convenire nihil potes:
Quid tibi lubet, túte agito cum nato meo.
Nunc tuam sororem filio posco meo.
Quæ res benè vortat. quid nunc? etiam consulis.
LE. Quid istic? quando ita vis, dî bene vortant! spondeo.
PH. Nunquam edepol cuiquam tam exspectatus filius
Natus, quàm est illud Spondeo natum mihi.
ST. Di fortunabunt vestra consilia! PH. ita volo.
LE. Sed, Stasime, abi huc ad meam sororem: ad Calliclem.
Dic hoc negotii quomodo actum est. ST. ibitur.
LE. Et gratulator meæ sorori. ST. scilicet!
PH. I hàc Lesbonice mecum, ut coràm nuptiis
Dies constituatur: eàdem hac confirmabimus.
LE. Tu istuc cura quod jussi: ego jam hîc ero.
Dic Callicli, me ut conveniat. ST. quin tu i modò!
LE. De dote ut videat, quid opus sit facto. ST. i modò!
LE. Nam certum'st me sine dote haud dare. ST. quin tu i modò!
LE. neque enim illi damno unquam esse patiar. ST. abi modò!
LE. Meam negligentiam. ST. i modò. LE. ô pater!
Æquum videtur quin quod peccarim. ST. i modò!
LE. Potissimùm mihi id obsit. ST. i modò! LE. ô pater!
En unquam aspiciam te? ST. i modò! i modò! i modò!
Tandem impetravi abiret. di vestram fidem,
Edepol re gestâ pessumè gestam probè,
Siquidem ager nobis salvus est! etsi admodum
In ambiguo est etiam, nunc. quid de hâc re fuat.
Sed si alienatur, actum'st de collo meo.
Gestandus peregrè clypeus, galea, sarcina:

Effugiet

Effugiet ex urbe, ubi erunt facta nuptia:
Ibit istàc aliquò in maximam malam crucem
Latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam.
Ibo huc, quò mihi imperatum'st, etsi odi hanc domum,
Postquam exturbavit hic nos ex nostris ædibus.

MINVS Q. D. SVNT, QVOM] Ita MSS.Cam. At vett. edd. *quod.* atque hæc illustrat H. Stephanus illo Plinii lib. 4. epist. 27. *Tertius dies est, quòd audivi recitantem &c.* Mavult tamen & ipse in hâc loquendi formâ, *quum.* uti Cic. *Biennium est quum cœpit:* non, *quòd.* Vide *Expostulation.* ejus De Latinit. falsò suspectâ, cap. 6.

5. EXVTVM] J.Gulielm. emendat, *exunctum.* Magnum luxûs instrumentum cottidianæ veterum unctiones, lavationes. unde decoctorum verba, *eluere, exungere:* pro, patrimonium luxu lancinare. Rud.act.2:7. *Eluas tu, an exungâre, ciccum non interduim.* Exungere ergò, unguentis absumere est: & ea vox myropolas ejus argenti, cujus rationem serò insistit Lesbonicus, bonam partem abstulisse significat.

5. ELOTVM] inde, *heluo*, ab *eluendo:* qui aspiratur, ut aviditas magis exprobretur: fit enim vox incitatior, ut ait Festus. Nam & in balneis luxu lavandi rem profligabant. Turneb.l.21: 12. quem & vide Comment.in Orat. 1. Contra Rallum: ut & N.Rud.act.2:7.& Asin.act.1:2.

7. CONFIT CITO, QVAM SI] Ita etiam MSS.Cam. & mei: firmatq; Meursius, quem vide. J. Gulielm. & Popma, *Citò quàm*, positum ajunt, pro, *citius quàm.* Palmerius antiquâ sermonis figurâ, *tam* putat subaudiri, hoc modo: —— *confit tam citò, Quàm si t. &c.* Douza è Nonio legere velit, *Quasi:* aut, *citò* pro *citius*, interpretari. Acidalio probabile est, *Quasi si objic.* uti leg. Merc. act.2: 2.

—— *decrepitus senex*
Tantidem est, quasi si signum pictum &c. ita alibi: *Nisi si.* Licet, *quasi*, sæpiùs etiam reperias pro *quàm si.* Aul.act.2: 1. *Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem.* Curc. initio: *Tam à me pudica est, quasi soror mea sit.* Fortè & Prol. Cas. *Quasi si esset ex se nata, &c.* Certò quidem ita corrigend. Mil. 2: 6. —— *quasi si non servitutem serviat.* ubi frustrà propter numeros alii *non* in *haud* transmutant. *Confieri* autem est ἀναλοῦσθαι.

A Utitur Cicero 9. ad Attic. & Cæsar, & Virgil. 4. Æneid. Terent. Ad. act. 5: 8. *Consit, quod volo.*

8. PAPAVEREM] Charisius lib. 1. *Papaver neutri generis est: sed masculino Plautus dixit; Quasi tu obicias f. papaverem.* utitur ita & Pœn. act. 1: 2. item Cato: *papaver Gallicanus.* Varro in Admirandis; *Insria seni papaverem.* Quæ observavit Meurs. Notis ad Catonem cap. 79.

10. IBIDEM VNA TRAHO.] i. sex alteras minas duco: L. cum eisdem impensis duco; P. Valla. Sed V. N. suprà, act. 1: 2. Floridus l. 2. cap. 1. docet, *ibidem* hîc poni pro *eôdem:* quomodo & Cicero & JC. usi sint. Acidalius huic geminum notat illud Val. Max. lib. 3. c. ult. *Metu violentæ mortis amicos inimicosque juxtà ponere.* neque dissimilem esse locutionem Curc. act. 4: 2. *Eòdem h. vos pono & paro.*

12. SI SVMAS, POTEST.] Is. Pontanus: *si*
B *summes, potest.* Cui Lesbonicus convenientissimè respondet: *Nequaquam argenti ratio comparet tamen.* Aliàs quomodo constabit ἀκολουθία? Pistoris tamen hoc Pontani planè contra mentem Plauti esse censet. *Sumas* enim, inquit ille, dictum pro *insumas:* & aliter si acceperis, sequens versus non respondebit: *Nisi tu imm.* Non potest, inquit, semper durare argentum, si quotidiè insumas: nisi id immortale esse reris. Vide etiam N. Rud. act. 4: 8.

14. SERO ATQ. &c.] Vide Adag. *Post rem devoratam ratio.*

17. RATIO Q. HERCLE] Hunc versum, ait Fabius, per *parodiam*, id est, per cantici ac sermonis similitudinem, in Orat. suam in Pisonem scommaticè & mordaciter transtulit Cicero. Et quæ ibidem disputant Budæus & P. Victorius, non audienda censet Lambinus, ut & Muretus, qui eadem lib. 4. cap. 19. Var. Lect. explodit. οἴχεται, i. *periit, abiit, evanuit.* Cato: *Si ei opus non appâret.* Quod dictum eodem modo Turnebus ait, ut hoc Plauti, *Opus non appâret*, cùm non est tan-

tum operis, quantum oportebat: aut etiam nihil admodum factum est, lib.27.c.47. Scipio Gentilis Parerg. lib. 1. cap. 20. argentum ἀπιχεται, dictum putat eâ formâ, quâ Paulus JC. dixit, *Pecuniam proficisci*; vel Ulpianus, *Pecunias ire, redire, &c.* itemque Cicer. in Verr. *Pecuniam, quâ viâ iverat, eadem semitâ revertisse, &c.* Vide ibid.

21. PATER CUM] Douza l. *Patri, cum p.* sed sine ullâ caussâ.

21. IN PORTA EST LOCUS] foris & sub dio habitandum ei est. vel, ut alii, Mendicabit in portâ trigeminâ: de quâ in Captivis, act.1: 1. *Lamb.* At Gruterus lib. 21. c.6. Susp. necdum editarum, legend. suspicatur, —— *in ponte est locus*: ubi plurima scitu non indigna collegit de *Ponte*, in quo erant mendicantes. Senecæ adscribam de Vitâ beatâ, c. 25. *In sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideò tamen me despiciam, quod in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt.* verùm ea omnia indicta esse cupit. deceperunt enim ipsæ editiones quæ secutæ fuerant conjectaneum Saraceni. ab eo natum *in ponte*, non à libris.

22. NISI FORTE IN VENTREM FILIO CORREPSERIT] Nam cùm filius pro domo pecunias recepisset, quas in ventrem congesserat, si Senex revertens ad ædes suas ire voluisset, in ventrem filii necesse habebat ire: etenim ille ædes devoraverat: *Alciatus*, Parerg. lib.6. c.7. De ejusmodi *barathrone* & *eversore*, sive, ut Cicero loquitur, *gurgite & vorागine patrimonii*, nos etiam linguâ vernaculâ dictitamus: Er hat ein hitzigen Magen / kan steinerne Häuser verdawen. Atque ut obiter dicam, *Gurges* Græcis est γοργών, homo prodigiosè & ad terrorem usq; vorax. inde translata significatio ad navivoros illos fluviorum vortices. non contrà: ut contra omnes docuit Meursius.

23. MILLE DRACHUMARUM] *Mille drachumarum*: sicut, *Mille hominum*: *Mille passuum*. *Drachumarum* autem & planè exaratum est in MSS. & numeri quattuor syllabas requirunt. Nam *trapezita* κατ' ἐπιφωνηματικῶς hoc loco, ut alibi apud Plautum, τρισύλλαβον est. Fit autem *drachuma*, sicut *mina*, & *Alcumena*, interposita inter Consonantes littera i, seu *u*. Quæ fuerint autem *drachma Olympica*, quæramus. Constat verò aliis in locis aliud drachmarum pretium fuisse, secundum quas & æstimatio Talenti varia fuit. Fortasse verum, *Philippicum*, ut in Truculento: *Camer.* Vide Agell. lib. 1. cap. 16. *Reddita* autem positum est, ait Lamb. quasi dictum esset, *mille drachmæ*. ut spectarit illud, quod intelligitur; non, quibus verbis dicatur.

26. QUAS SPONSIONE] Scaliger *sponsiones*. Duo accusativi: ut Catullus, *Has vel te sic ipse flagitabam*. At Turnebus l.12:17. ad illud Cælii, lib. 8. Epist. Famil. *Ne quod furore Pauli ademptus esset boni.* Rectè, *ademptus*; non *adeptus*. Est enim Græcè locutus, ὥσπερ ἀγαθὸν ἢ ἀφῃρημένος εἴη: ut Trin. *Quas sponsione pronuper tu exactus es.* Et apud Agell. l.15:14. *Sese maximas pecunias exactos esse.* Et Cæcil. ibid. *Ego illud nihilominus exigor portorium.* Casaub. ad Theophr. Charact. c. περὶ Ἀκαιρίας, i. *de Intempestivitate*, sive *Inscientia temporis*: καὶ δίκην ὠφληκότος ἐγγύης &c. i. *Et eum qui jam antè ex sponsu fuerit cōdemnatus &c.* Hoc veteres dixissent; *Eum qui sponsionem exactus fuerit.* Plautus: *Quas sponsiones pronuper tu exactus es.* Cicero: *qui, quod pro alio spopondisset, coactus fuerit dependere.* Acid. l. *Quas* (minas) *sponsione pro nuper &c.* i. pro sponsione &c. Etiam J. Douza τὸ *pronuper* dirimit, & Præpositionem ait postpositam, hoc sensu: Pro quâ sponsione ipse flagitatus atque exactus es nuper. Lipsius leg. *Quam sponsionem pr. &c.* aut, *Qua sponsione pronuper &c.* id est, pro qua sponsione nuper tu exactus es. MSS. *qua sponsione*. nec aliter edd. vett.

27. DIVITEM] ergo etiam solvendo & ἀξιόχρεον.

29. NAM NUNC EUM] Ex hoc responso apparet, Lesbonicum longè aliter accepisse dictum Stasimi. ac si Servus suus dixisset: *Ut quidem ille* (sc. adolescens, pro quo spoponderas) *perierit*. Douza.

32. NÆ EGO] Sic Edd. omnes MSS. *ni ego*, quod Pareus ostentat editione postrema, positum pro *ne*. Summa est futilitas, publicam mundi lectionem ita mutare, ut tamen res eodem redeat.

36. QUÆCUNQUE OPTES] Quid esse queat sanius? at Parei editio pro eis turpiter nobis objecit; *qua, quomq. optes*. ex MS. inquit. at scire debebat *quaquomq.* notare nostrum *quæcunq.* nedum, ut debeat dividi in voces duas.

MUTUUM

MVTVVM MECVM FACIT] i. à me mutuò amatur: L. Sed ego potiùs ad illud, *Bene vult*, Lesbonicum respexisse opinor.

38. NISI QVI BENEFACIT.] Ita J. Douza. Nisi *qui*, id est, in aliquâ re se beneficum ostendit. quomodo *aliqui*, in Trucul. & passim. Similis autem sententia Pœnulo: *Qui bene volunt, benefici fient*. Vide & Not. Epid. act.1: 2.

44. HAV, NOSCO T.] Sic benè Camerarius *Hau*, interjectio turbatæ mentis, vel indignabundæ. MSS. & vett. edic. & Lamb. l. *haud n*. hoc sensu: Non agnosco tuos mores in istâ oratione. Putavi anteà, te esse virum prudentem mihique amicum: nunc me in rebus meis adversis, in tuis secundis abs te derideri video. sed respuit istud character sermonis, licet Pareo placuerit. *Bonæ* autem *res* pro opulentitate fuerunt antiquis: sicuti contrà, *Malæ*. ita *Boni* dicuntur divites & beati, Capt. act.3: 4.

51. CVM VESTRIS &c.] Vestri ordinis hominibus, qui estis *factiosi*, i. divites ac potentes, nos inopes tenuesque pares esse non possumus. V.N. Aul. act.2:2.

55. FERENTARIVM ESSE AM.] i. celerem & expeditum: quales sunt Ferentarii milites, qui laborantibus facilè auxiliantur: *Alciatus*. Ita J. Gulielm. Verisim. lib.8:18. Plautus, inquit, jocosè *amicum ferentarium* vocat, qui repentè opem fert & auxilium egenti amico. Allusit Turnebus ad Varronem: In ferentario amico, eum, qui subsidio futurus sit, significare videtur Plautus: & qui sit auxilium laturus. ut mihi mirum videatur, quòd Varro interpretetur *inanem*. Duxisse videtur interpretationem à levi armaturâ illorum equitum, quos dicit esse ferentarios vocatos: cum Plautus ad vocabulum potiùs alluserit. ut & alio loco scribit: *Nulla est mihi salus dataria*: à dando. Vide Advers. ejusd. lib. 23. cap. 17. item Scaligeri Conjectan. In MSS. Pall. est, *ferentaneum*.

56. DIERECTE] *Dierectus, est ad crucem actus: quasi ad diem erectus*: Nonius. Jacob. I.N. Schegkius in Præmessis Epist.13. ad illud Livii; *Dierectò arma petisse dicant*; Festus, inquit, me docuit, *dierectum per ἀντίφρασιν dici malum diem: quasi minimè rectum*. unde Latinis (notavit Scaliger) *dierectum intrare*, quod Græci, εἰσφθαρῆναι: & *dierecta abire*, quod ἐκεῖθεν ἀποφθαρῆναι, h. e. *abire in malam rem*, &c. Sensus itaque Livii est; Virginem Tarpejam in perniciem suam, malo suo sive malo die, (Germanis, zu einer vnglückhafftigen stund) arma petisse. apposité. quamvis nihil displicet lectio M. Klock, *directa arma*: ut Plautus (Menæch. act. 2: 3.) *Lembum directum*. Hæc Schegkius, prorsus juveniliter.

56. VETES] Sic egregiè Camerarius, cùm prius fuisset, *votis*. quod revocavit Pareus, pro *vetueris*, inquit, vel *vetaveris*. qua analogia?

61. IN ÆTATE] i. interdum. Turn. l.26: 16. suprà, act.1: 1.

64. LVCVS DIXERO] si non licebit cum duobus oculis, quod volo, dicere; cum uno dicam: L.

66. FACTIONES] V.N. Cistell.1:1.

66. OPES OPVLENTVS] Veteres *obes* appellabant *opes*. hinc *opicerda*, *opilio*. deinde quia in multitudine pecorum, maximè ovium, divitias collocabant, ex eo *opes* dictæ etiam divitiæ. Similiter Græcis πολύμηλος, ad verbum est *opulentus*. Vide J. Meursium.

67. QVID NVNC?] ita MSS. ambo. edd. vett. *tunc*. alii, *quid tu*, &c. medium revocavit Parei pr.

67. ÆDEM] sc. sacram aliquam. in his enim epulabantur: *Turneb*. V. N. Milite act.3:1.

68. FORTE VT VENERIT] Pist. mâlit, *fortè obvenerit*.

69. POPVLAREM Q. V.] Turnebus lib.26. cap. 16. *Cœna popularis* est epulum, quod populo datur. Nam, verbi gratiâ, in triumphis epulum populo interdum dabatur, & dabantur prandia: ut in Jul. Cæsare indicat Tranquillus. Sed & cum decimam Herculi solvebant, polluctо accipiebant populum. P. Faber Semestr. lib.1. cap.6. hinc conjicit, à clientibus olim in æde sacrâ convivium patronis apparari solitum, quod *Cœnam popularem* vocarent.

70. ILLI. ILLI] pro *illi*, sive *illic*.

26. EDISNE] *Edim*, pro, *edam*.

76. DE VITA MEA] i. de victu: ut Sticho, act. 3: 2. & apud Terent. *Cui opera vita erat*: i. qui ex operâ suâ vivebat. Donatus: *Vita*, & mores significat, & animam, & alimentum, & spatium vivendi. Vide P. Merulam ad Annal. 2. Ennl. Ita Th. Beza, Lucæ cap.15. notat, βίος Græcis tū *vitam*, tum illud ipsum declarare, quo vitam tuemur.

77. VERE-

77. VERECUNDARI NEMIN.] Sententia non Philosophi, sed servi Comici, qui felicitatis puppim ac proram in ventris expletione collocat: *Erasmus*, quem vide in Adagiis. Multò tamen elegantiùs, sed & veriùs, privatis ad me litteris magnus Scaliger; spectanda, inquit, persona est, nempe Parasitus. In Senatu dicitur; *Nulla verecundia debet nos demovere à sententiâ dicendâ, ubi de rebus divinis & humanis agitur.* divinæ & humanæ res Parasiti est esca; & *mensa* senatus. Quo quid lepidius, dici potest? Aliter accipias; perit omnis lepor.

78. CERNITUR] dimidicatur: L. Vide N. Amph. Argum.

82. HOC LONGE] ita editt. vet. & MSS. Cam. Lips. tamen l. *hoc unge.* παροιμιώδης enim, inquit, sermo est; *Transversum unguem alicui non cedere.* Nec movet me illud Mostell. *TR. non hoc longè Delphium.* Nam & illìc emendandum censeo, *hoc ungue.* etsi alterum etiam illud commodè & tanquam à demonstrante accipi posse scio. hæc ille Antiq. Lect. lib. 1. c. 5.

83. COENA HAC ANNONA EST S. S. H.] ita MSS. Cam. & vet. ed. omnes. Et quamvis Camerarius ediderit, *Cœna hæc annona est, &c.* sic tamen, ut exhibui, manu ipsius emendatum in bibliothecâ postea vidi. Turnebus quidem vulgatum explicavit, lib. 26: 16. Cæna ista popularis annuus quidam nobis velut frugum proventus est, sine ullo impendio: ut hæreditas, quæ nullis obvenit obnoxia sacrorum sumptibus. Palmerius, *Cœnam*, inquit, *annonam* vocat tanquam cænam annonariam. *Annona* enim hìc adjectivum. Cænas parasiticas, & *annonas*, quod sine impensâ, alieno sumptu dabantur, & hìc, & Captivis *hereditatem sine sacris* appellat Lipsius, Antiq. Lect. lib. 1: 5. L. ita: *Cœna hæc annon est s. s. h?* ἐρωτηματικῶς. *Hereditas*, inquit, *sine sacris* est, cùm hæres non adsciscitur in sacra & gentem. Cum eâ hereditate ludens, Servus cœnam comparat: ut item Captiveis. Muretus Var. Lect. lib. 15: 13. Jocularis, inquit, versus iste & corruptè legitur & malè explicatur. Ego vet. scripturam retineo: *Cœna, hâc annonâ, est sine sacris hereditas.* Est autem, *hâc annonâ*, ablativus absolutus: & hoc significat, hâc annonæ caritate, quæ nunc est. sic alibi: *Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.* i. cum triticum tam vile sit. Denique J. Gruterus, *Cœna hac annona* interpretor, inquit, pro ut est horum temporum benignitas nebenignitas, æquè rarò cænâ obvenit, quâm hereditas sine sacris. Vultque magnam esse caritatem invitatorum. ut contrà Horatius 1. Epist. 12.

Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.

quæ mirè torquent Interpretes: cùm velit; Inde colligi contemptum amicorum, ubi eis promptè non succurritur, ubi quid malignè præbetur, ne dicam negatur. & Juvenal. Sat. 9.

His opibus, nunquam cara est annona veneni.

His opibus, i. hâc annonâ. quo modo & Seneca l. 4. Natural. Quæst. cap. 15. *Nix habet institores & annonam, prò pudor, variam.* Et noster Milite, act. 3: 1. —— *esset his annona vilior.* Hactenus Grut. quæ unicè placent. nec tamen displicent Muretina.

85. ID OPTIMUM ESSE] Poeta vetus:

Proximus esto bonis, si non potes optimus esse.

ID NEQUEAS] Ita Camer. cùm invenisset in MSS. *id neq. ad salutem.* nam edd. primæ *id neq. via saltem.* posteriores *id nequiveris.*

87. ABS TE PETO] MSS. *apte* quod ferè arridet Pareo. at quanto proclivius suspicari, scribam reperisse in authentico *apste*, arbitratusque vitiosum, extrivisse literam mediam.

89. DECET OPULENTIA] ita MSS. & omn. edd. nisi quod MS. pr. *decet opulentie.* unde quidam fecit, *decent opulentia:* infirmo certè auxilio: id tamen in contextum recepit Pareus.

90. NOS HOMUNCULI SALILLUM ANIMÆ] Sumus vasculum salis, inquit Lambinus, i. sumus corpuscula animata. nam corpora nostra sunt tanquam animarum vascula. *Salillum animæ* dixit fortasse translatione sermonis facti à mensis pauperum, quæ sunt perquam tenues & sine apparatu. eis enim sal pro obsonio est. Horat. 2. Odâ 16.

Vivitur parvo benè, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum, &c.

Licet etiam dicere, Plautum eò spectasse, Animam corpori nostro esse pro sale. quemadmodum enim carnes pecudum si diu serventur sine sale, putrescunt: ita & corpora, efflatâ animâ, putore corrumpuntur. Vide &

& Adag. *Salillum animæ*: & si quid fortè ad A rem faciet, quod scripsit Palmer. Spicileg. fol.235. super illud Ter. Eun. act.2:2. *salsus animâ* (ut quidem ipse legit, pro *falsus animi*) atque illud item, *Plurima salute. Parmenonem Summum suum impertit Gnatho.* ubi, *summum suum*, interpretatur cum Jo. Scoppâ, Summum porcorum: laudatque illud vulgatum de Chrysippo, qui dixerit; *Sui pro sale animam datam, ne putisceret, &c.*

91. QVI CVM EXTEMPLO] Plana scriptura in libro veteri, & temerè mutata. Cùm homines nos, inquit, animam amisimus: *Cam.* at Turn. l. 26:16. & Parisina leg. *quam tum ext.* & capit ille *quàm extemplò*, pro, simul atque: ut ἐπειδὴ τάχιστα. at enim *quam* est à conjectura Pii, cùm Edd. primæ, *qua*. Pall. fanè ambo; *qui*. Suspicatus & Acid. *quam cùm ext emisimus*.

92. ÆQVO MENDIC.] ita elegantissimè Pistoris, *Æquo mendic. &c. censetur censu.* rejecto vulg. *æquè.* Aliud est enim *æquè censu censeri*, (quod etiam inter vivos fit: tam enim pauperes quàm divites censebantur) aliud *æquo censu*: quod demum apud mortuos contingit: nec, ut Romæ, classibus juxta opes B distinguuntur. Eadem posteà Lipsius ad Senecam Consolat. ad Marciam, c. 20.

92. ILLE OPVLENTISS.] Ita Hor. 2. Oda 18.

——Æqua tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris——

Lucianus fingit Philippum regem Macedonum apud inferos detritos calceos mercede resarcientem, probè insuper vapulantem à Diogene Philosopho, si quid minus rectè fecerit.

94. ILLVC DIVITIAS FERAS.] Ita auctor carminis νουθετικοῦ, sive is Judæus fuerit sive Christianus ἀνώνυμος (alteruter certè fuit) qui sub personâ & titulo veteris illius *Phocylidis*, hodie in scholis & merito suo, venerabilis est: (*Vide Jos. Scalig. ad Euseb. pag. 89.*) Οὐκ ἐν ἄδην ὄλβον ἄγειν, καὶ χρήματ' ἄγεσθ. Πάντες ἴσοι νέκυες, &c.

94. MIRVM NI TV ILLVC] Ita Edd. etiam primæ. Pareus obtrusit orbi suum, *Au! mirum ni tu illuc.* hoc ideo quod extaret in MSS. Pall. *An mirum.* quæ petulantia infarcire commentum proprium? præcipuè nemine prius cōsulto. ceterùm Pall. habent, *An mirum inito illum tecum.* nisi quod sec. *initu.*

95. VT NOMEN CLVET.] ita fueris, ut nomen est, nempe mortuus: L. At Pistoris, Non placet, inquit, Lambini interpretatio. nec tamen melius quicquam extrico; nisi quòd opinor, Servum hoc velle: Credo profectò te illuc (ad Acherontem) divitias tuas perlaturum: ubi demum (cum mortuus nimirum eris) sis *ut nomen cluet*, id est, Philto. ut ibi demum benignitatem tuam exerceas, & reverà Philto sis hominibus. nam ut nunc quidem es, in tantis divitiis satis parcus es: unde nominis tui ἔτυμον apud Orcum demum fortassis verum esse ostendes. Aut etiam: ubi mortuus sis, ita sis ut nomen cluet, i. tunc demum hæredes tui te Philtonem experientur, cùm mortuus eris, ubi divitias tuas adipiscentur. Etsi neutrum quidem plenè satisfaciat, utrumvis tamen melius esse, quàm Lambini arbitror. J. Petrus Valla, G.F. *Ius sis ut nomen cluet*, interpretatur, Nempe ita mortuus, ut nomen habes mortui.

96. HIC] in nostrâ familiâ. L.

101. QVIN FABVLARE] Cur non dicis? *Dii bene v. &c. L.*

106. SED ETSI HERCLE GR. CECIDIT ST.] ita MSS. ambo nisi quod uterq; *hercles.* quomodo etiam Edd. vett. Primus Lamb. fecit nobis, *cecidi. cecidit*: cæteræ, *hac res cecidit.* & exponit P. Valla, *facultas pessum iit.* neq; sanè displicet, quanquam sit conjectura Saraceni.

111. NOSTRAMNE VIS NVTRICEM] Ita Grut. è MSS. vestigiis versu etiam flagitante. Sic autem vocat agrum, cujus proventu tanquam nutrice alebantur. Appositè. Ita Artemidorus lib. 1. c. 81. ait, Bonum esse opifici somniare de coitu cum matre: καὶ γὰρ τὴν τέχνην μητέρα καλεῖν ἔθος ἐστί, &c. Val. Maximus l. 7. c. 6. *Siciliamque & Sardiniam, benignissimas urbis nostræ nutrices, gradus & stabilimenta bellorum &c.* ita *Marbodæus* sive *Merboldus* (qui ante annos pæne sexcētos vixit) *Indiam* vocat *nutricem & genitricem gemmarum.* Pareus edidit, *Nostramne velis Nutricem* vellē scire caussam. nam Pall. ambo *Nostramne elevis nutrice ere.* prius tamen fuerat in sec. *Nostramne vel levis.* Edd. vett. *Nostramne nutricem*, sine verbo intermedio. Idem Magister notavit in Electis ad istæc. Agri tanquam nutrices alebantur, ob felices eorum proventus. Si quis hæc agricolæ diceret, obstupesceret ad tantam inscitiam.

123. QVINTO QVOQVE SVLCO] Turnebus: *Quincto sulco, sexto, nono*; dicunt auctores: pro, *Serere quinquies, sexies, novies aratum agrum.* Pareus eadem exscripsit in Lexico suo. At in Notis suis ponit; dum quinquies aratur ager: quæ interpretatio insulsissima est. neq; enim ulla insignis est terræ pestilentia, quæ non statim noceat primo die. quare explicandum. adhuc hærent boves in quinto primi diei sulco, cùm pereunt.

124. ACHERVNTIS OSTIVM] i. inferorum. *Acherontem* enim, etsi fluvius est, sæpè inferos, non fluvium significare legimus: Turn. l.5. c.7. & lib. 19. c. 24. Veteres, cùm animas omnes ad inferos descendere putarent, multis locis esse *Ostium Orci* credebant, ut quà spiracula erant, quæ odoris fœditate animam extorquebant, &c. Sed & in locis pestilentibus *Ostium Orci* esse dicebant: ut hoc loco. Festus: *Manalem lapidem*, seu potiùs *manal* sive *manale* eleganter *Ostium manium* vocat. de quo Scaliger ad Festum. Gruterus, Lux, inquit, huic loco est à Columellâ lib.1. De Re Rust. c.3. *Nam ubi sit cum Orco ratio ponenda, ibi non modò perceptionem fructuum, sed & vitam colonorum esse dubiam; vel potius mortem quæstu certiorem, &c.* Varro de Re Rust. lib.1. c.4. *Utilissimus is ager, qui salubrior est, quàm alii: quòd ibi fructus certus. contráque in pestilenti, calamitas, quamvis in feraci agro, colonum ad fructus pervenire non patitur. Etenim ubi ratio cum Orco habetur, ibi non modò fructus est incertus, sed etiam colentium vita. Quare ubi salubritas non est, cultum non est aliud, atque alea domini vitæ ac rei familiaris, &c.* Martial. lib.1. Epigr. 86.

——*servos ubi perdidit omnes,*

Et pecus, & fructus: non amat inde locum.

Cicero: *Sunt partes agrorum aliæ pestilentes, aliæ salubres.* Idem: *Ager cælo ac loco calamitosus.*

125. TVM VINVM &c.] *Vinum pendens* ipsas uvas significat, & vindemiam nondum collectam. Cui opponunt plerique è JCtis (ut & Alciat. Annot. pr. in Pand.) *Vinum doliare*, quod Cicero *vinum de dolio*, &, *vinum de cupâ* nominat. Sed enim *vinum doliare*, quod novum est, minorisque ob id pretii, opponitur potiùs *vino diffuso*, quod maturitatem habet & suavitatem. Vide Turneb. Advers. l.1. c.1.

126. CONSVADET] ita Grut. distinxit. Servus abduxerat senem: ait herus, Est quidem apprimè scelestus noster ille servus: tamen eum tam mihi arbitror fidelem, ut nihil suasurus sit, quod contra meam rem. Lambiniana etiam Jos. Castalio flagellat.

129. TRIBV' TANTIS ILLI] *illi* pro *illic.* Ita, *tribus tantis*, elegans locutio: quâ & usus Bacchid. *Sexcenta tanta reddam.* Rittershusius ad Gunth. lib. 4: 2. etiam observavit, Quantitatem continuam pro discretâ, seu magnitudinis verbum pro multitudine seu numero usurpari. Sic *quanta* pro *quot.* Propert. lib.1. el.5.

Cumrum peperit millia quanta tibi?

pro, *quot millia.* Ita apud Ulpian. *in tantos, quanti inveniuntur*, i. in tot servos, quot inveniuntur. Et notat ibid. hâc formâ crebriùs uti Ambrosium & Hieronymum: atq; hunc inprimis.

129. OPSEVERIS] ita Cl. Mamertinus: *Formidines obserere.*

131. POSSINT INTERFIERI.] ita MSS. Cam. id est, confici, absumi. Lucr. lib. 3.

Aut flammis interfiat, màliuve ferarum.

Particula, *inter*, est capitalis, & φθαρτικὸς, ait Gifanius. Est autem *fieri* primâ longâ: ut Amph. act.2:2. & alibi: quod annotarunt veteres Grammat. In vett. ed. omnib. est, *interficier.*

133. CVIVM FVIT] V. N. Amph. act.1:3. ita autem MSS. Cam. nec divertit longius ulla vet. editio. Solus Acidalius supposuit, *cujus*; malè: pejus Editor novitius in textum etiam admisit.

136. AD INCITAS REDACTVS] ita omnes codd. Plauti, idemq; pronunciat de Nonianis Mercerus. Jos. Scaliger, Conject. in Varron.: Antiqui fines seu terminos, quos amplius promovere non est, *incitos* vocabant. Et qui eò rerum redacti erant, ut nullum certum rerum suarum consilium capessere possent, *Ad incitas redacti* dicebantur. ubi subaudi *lineas.* Metaphora enim à ludo XII. scriptorum. nam cum ad ultimam lineam promoti erant calculi, tum is, cujus intererat, *Ad incitas lineas redactus*; calculi verò ipsi *inciti* dicebantur: quod annotat Isidorus. Reliqua ejusdem Scalig. vide Pœnulo, act.4: 2. ubi & Turnebi sententiam retulimus. Notat

tat Jo. Levinejus ad XII. Panegyric. pro eodem usurpari & *incita*, sc. loca. Lucillius, Sat. 3.

Illud ad incita cum redit atque internecionem.

Idem Satira 15.

Villicum Aristocratem, mediastinum atque bubulcum

Commanducatus corrupit, ad incita adegit.

Christoph. Vladeraccus, in Floribus Plautinis, pag. 149. pertendit legendum *incita*, penultimâ productâ. Sed audiatur hic, non auscultetur, Pareus prima editione oggessit nobis auctoritate Gifanii, *ad incita*: at secunda, *ad incita' redegit*, antiquè, inquit, ut τὸ s abforbeatur. merum delirium! & tale quid, etiam versus respuit.

137. OM. A ME] MS. pr. *omnia me aud.* at sec. *omnia mea aud.* bene! miraturq; Pareus, cur igitur non receperimus in textum. quia. s. Cameraria na æque bona esset, perpēsaq; etiam exactè ad libros scriptos. quid? quod & eam admiserit Lambinus Sambucus, Dousa, alii viri Pareo aliquanto politiores.

138. FULGURITÆ] quasq; ideo, non sine sumptu, collocare, coercere, coinquirere necesse erat, id est ea parte ramos exscindere, qua de cælo tactæ essent. Jac. Gutherius c. 4. lib. 1. de Manium jure. In v. c. erat, *Nam fulgure ita afflatæ sunt.* quod non temerè damnandum. Plinius lib. 2. cap. 54. *Sed sonitum profecti esse fulminis, non illati: etiam spiritum ociorem fulmine: ideò quati priùs omne & afflare, quàm percuti.* Virgilius 2. Æneid.

——me divûm pater atque hominum rex

Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.

Nonius Dionys. lib. 1. ἀσθμαινεσμυτοῦ. Triplex autem vis fulminis: aut enim *afflat*, aut *terebrat*, aut *incendit*: inde *trisulcum* dictum. vide Festum. *Meursius.*

138. ALTERNÆ] semper è duabus altera.

139. ANGINA] Sues anginâ infestari, docet etiam Plinius l. 8. *Obnoxium genus* (sues) *morbis; anginæ maxime & strumæ.* Vide Jac. Nicol. Loensem Miscellan. Epiphill. l. 9. c. 22. & Not. Mostell. act. 1:3.

140. SCABRÆ] i. scabie asperæ.

141. PATIENTISSIMUM] *Syri* natio quasi nata servituti. Cicero pro Flacco. Quæ Douza noster lascivit, non produco.

143. SOLSTITIALI MORBO] morbo unius diei, ait Lambinus: quem tamen, ut aliter sentiret, docuisse præcedentia debebant. Vide Jac. Dalechamp. Medici Notas ad Plinium. Hier. Mercurialis & ipse Medicus Var. Lect. lib. 5. c. 3. Apud Plaut. inquit, quæsitum est, quis sit *morbus solstitialis.* Alii pro Comitiali intellexerunt: alii pro repentino & subitaneo: ut etiam alibi (Pseud. act. 1: 1.) *herba solstitialis*, quæ nata statim moritur. Turnebus (lib. 24. c. 38.) pro solstitiali morbo ardentissimas febres intellexit, quasi illæ sub solstitio maximè vagentur. Sed etsi demus Turnebo, similes febres Canicularibus diebus grassari: attamen solstitium à Caniculâ multorum dierum intervallo remotum est. Quare puto ego *Solstitialem morbum* quemcunque pravum & letalem vocari. quasi innuere velit ille Servus, neminem ibi potuisse sextum mensem vivere, sed statim unumquemque tempore solstitiali interire consuevisse. Etenim solstitium periculosum atque morbosum esse, unus ante omnes docuit Hippocrates libro De aere, aquis, & locis. Post quem Arist. 1. Sect. Problem. idem confirmat. Caussa verò est morborum &c.

143. DECIDUNT] *decidere*, pro mori. Horatius 2. Epist. 1.

Scriptor ab hinc annis centum qui decidit.

Arnob. *ex viventium numero index ille decidit.* Meursius.

144. SED CAMPAS GENUS] Ita MSS. Camer. & vett. edit. at Nonius & Lamb. legunt, *Campans*, i. Campanum genus. quos molles & libidinosos fuisse constat.

145. ANTIDIT] ita MSS. Pall. & J. Gul. auctoribus Nonii codicibus, *antidit.* ita Casin. *antideo.* Vulgò, *anteit.*

148. FORTUNATORUM M. INSULAS] Pingit has Insulas Muretus Var. Lect. lib. 5. cap. 1. Horatius Epod. 16. & Hom. Odyss. δ. v. 563. Si tamen is rectè intelligatur ab omnibus, quod dubito. Tu vide mihi magnum doctorem Is. Casaubonum Comment. in Strabonem lib. 1. pag. 2. Nam aliud sunt Μάκαρες, aliud μακάρων νῆσοι.

151. SIT] Ita bene Camer. nam ante ipsam aliæ, *sint*, quod & in MSS. ideo revocavit Pareus, non sine pernicie totius sententiæ.

156. ABSESE] ita omn. codd:

157. SI QVIDEM REP.] Acid. *Si quem r.* ne bis sit uno loco *quidem*. Sed alterum in omnibus est.

157. POSSET, CVIVS OS SVEL.] ita MSS. ferè & omnes edd. Ad quas voces, sic notat Parei pòstrema: In MSS. Pall. est *cujus sublinat;* nōn *cujus os sublinat;* quemadmodum, non sine crimine falsi prodiderunt alii Editores. eoq; ferè illis irascor, quod tam turpiter profanarint auctoritatem optimarum membranarum. Furiosè! quis violavit hìc, auctoritatem MSS? nonne disertè addiditum *ferè?* Interim si incurrit falsi crimen is, qui minus diligenter, minus circumspectè, minus verè, prodit lectionem eorum codicum; annumerabo tibi illicò loca sexcenta & amplius, ubi insignis es falsarius: quamvis aliàs ei arti nimis quam affinis.

166. QVOD DIXISTI] D. F. versûs caussâ, *dixti.* quod Pareus statim transtulit in editionem pr. sed ita ut lectoribus imponat. posuit enim *dixit*, notatq; esse à Dousa.

168. CONVENIRE NIHIL POTES] Ita MSS. & omninò omnes edd. Et ferè indignor, Pareum contra tam pertinacem omnis ævi cōsensum, hominis adolescentis divinatiunculam, dicis caussa fortè in chartam conjectam, sine omni caussâ in Contextum etiam admisisse, *conveniri nihil potest.* Et verò Pareus cùm taciturnitate errorem suum tegere debuisset, impudentiâ frontis vere suâ, sic debacchatur in Lexico: Sic expressi hunc locum, non tam de sententia Acidalii, quàm auctoritate codicum qui utrumq; habent, & *potest* & *conveniri.* Irascitur VVitebergi. Editor. Ego verò indignor, mi homo, tam sine ratione te irasci elegantissimæ lectioni. Plores deinceps cum hac tua iracundia, amice magne. Quis non hæc legens indignetur, vel ad talis Simiæ rictum?

173. TAM EXPECT.] Abest quidem *tam* MSS. Pall. sed retinent edd. primogeniæ.

175. ITA VOLO] i. opto & desidero. V.N. Curculio act. 1: 1.

180. EADEM,] sc. operâ: L.

182. DIC CALLICLI] Indecorè adolescens cupit ad se venire senem. Immò eam sententiam non esse puto. nam alia fuit fortassè addicturus, nî Servus interrupisset, in hanc mentem: Dic Callicli, *ut*, seu quomodo me dotem sorori quærere conveniat; atque ut ipse de eâdem videat: quod quidem disertè subjungit. Quin immò nihil defuerit: &, *ut me conveniat*, valere potest, *quomodo me deceat*, nam sic & Merc. extr. *Itidem ut tempus anni, ætatem aliam aliud factum convenit.* Acidalius.

182. I MODO] *I modo:* &, *Abi, abi:* dicere aliàs etiam solebant; ubi fastidiosè & contemptim aliquem amolirentur. V. N. Trucul. act. 2: 1.

183. QVID OPVS SIT FACTO] Ita Camerarius divinavit, & mirum id non ejecisse chartis suis Pareum, cum extet in Pall. & Edd. omnibus, *quid possit facto.*

185. ESSE PATIAR.] interrumpit sermonem ferè Stasimus.

186. LE. MEAM NEGLIG.] Facilè hunc v. expleveris ita: *STA. quin modò.* Aut potest iteratò scriptum fuisse alterum, *i modo:* vel, *ô pater.* Acidalius.

189. EN VNQVAM] vetustè: quod nobis, *Unquámne?* Virgil. 1. Ecl. *En unquam patrios l. &c.* Id. ——*en erit unquam illa dies?* V.N. Cistell. 1: 1.

191. GESTAM PROBE.] Hæc vera lectio. Ait: Edepol, etsi rem malè hactenus gesserimus, tamen in eō saltem probè gesta est, quòd filia herilis in tam lautam familiam collocatur. Modò hoc etiam obtineri possit, ut ager salvus nobis maneat. Hoc enim vult servus: non, ut explicat Lamb. quasi glorietur de agro servato: de quo adhuc dubitat. Eâd. formâ Sc. seq. *tanton' in re perditâ Quàm in re salvâ factus est frugalior?* Pistoris. Rectè sanè: atq; ita etiam ambo MSS. itaque etiam Cam. edidit. Pareus, *gestâ probè.* ineptè.

194. SED SI ALIEN.] MSS. & omn. ed. *Sed id si al.*

197. IBIT ISTAC] Douza legit *istinc*, pro *hinc.* quo statim unctiorem fecit editionem pr. Pareus, invitis libris omn.

198. LATROCINATVM] i. militatum. V.N. Mil. act. 1: 1.

ACTVS

ACTUS III. SCENA I.

CALLICLES senex. STASIMUS servus.

QUO MODO tu istuc, Stasime, dixisti? nostrum herilem filium
Lesbonicum suam sororem despopondisse? ST. hoc modo.
CA. Cui homini despondit? ST. Lysiteli Philtonis filio,
Sine dote. CA. sine dote ille illam in tantas divitias dabit?
Non credibile dicis. ST. at tu edepol nullus creduas.
Si hoc non credis, ego credidero. CA. quid? ST. me nihili pendere.
CA. Quamdudum istuc, aut ubi actum'st? ST. illicò hîc ante ostium.
Tam modò, inquit Pranestinus. CA. tanton' in re perditâ,
Quàm in re salvâ, Lesbonicus factus est frugalior?
ST. Atque equidem ipsus ultrò venit Philto oratum filio.
CA. Flagitium quidem hercle fiet, nisi dos dabitur virgini.]
Postremò edepol ego istam rem ad me attinere intellego.
Ibo ad meum castigatorem, atque ab eo consilium petam.
ST. Propemodum quid illic festinet sentio & subolet mihi,
Ut agro evortat Lesbonicum, quando evertit ædibus.
O here Charmide, quàm absente te hîc tua res distrahitur tibi!
Utinam te redisse salvum videam, ut inimicos tuos
Ulciscare, ut mihi, ut erga te fui & sum, referas gratiam!
,, *NIMIUM DIFFICILE'ST REPERIRI amicum, ita ut nomen cluet,*
,, *Cui tuam cùm rem credideris, sine omni curâ dormias.*
Sed generum nostrum ire eccillum video cum affini suo.
Nescio quid non satis inter eos convenit. celeri gradu
Eunt uterque. ille reprehendit hunc priorem pallio.
Haud illi euschemè astiterunt. huc aliquantum abscessero.
Est lubido orationem audire duorum affinium.

VERSUS hi sunt tetrametri catalect. Archiloch. Atque horum similes sunt Scenæ mox sequentis.

1. NOSTRUM HERIL. F.] Ita vett. edit. & MSS. Camerarii. Sed notavit Gruterus, Camerarium ad oram editionis suæ emendâsse, *vostrum*. Lambinus, Vel hîc, inquit, præscribi debet nomen *Stasimi*, & legi sine interrogatione: ut intelligamus, respondere Stasimum; *dixi, Nostrum h. f. Lesb. s. s. despondisse*. vel legendum, *vestrum her. filium* &c. vel hoc totum accipiendum τεχνικῶς, hoc pacto: Dixistine ita; Nostrum h. f. &c. Hæccine sunt tua verba, quæ mecum locutus es? Nostrum A h. filium &c. hocque videtur verius. certè omnes libri servant nostrum, præterquam à Pareo publicatus. venator ille novitatum, maluit *vostrum*, ita tamen, ut postremò alterum rursus suo reddiderit loco. qualis Satageus!

2. DESPOPONDISSE] Ita Camerarii editio, & quæ ab eo fonte derivatæ. Et probat Gruterus, aitque versum id etiam requirere. MSS. Cam. *despondissem*. Obiter tamen moneo, vett. ed. omnes aliter metiri versus.

8. TAM MODO] i. *modo*: Festus. Notat autem Prænestinorum barbariem, & irridet peregrinitatem; ut magnus ait Scalig.

lig.l.7.c.6.Poet.De dictione. Similia Trucul. 3.2.

19 ITA UT NOMEN CLUET.] Hoc declarat ipse Bacchid.act.3.2. *Homini amico, qui amicus est, ita uti nomen possidet*: i. Cujus facta respondent nomini: & qui (ut Flaccus ait) *Id curat ESSE, quod audit*: nempe amicus non tantùm Consiliarius, verùm maximè Ferentarius; hoc est, re ipsa, non logis juvans, ubi re opus est: ut I. Douza explanat.

19. CLUET] Vox & Ciceroni usurpata in Bruto.

20. SINE OMNI CURA DORMIAS.] Physicum eliciunt ex hoc loco Electa Parei prorsus incredibile: Somnus, inquit, non capitur commodè sine curis. Tuum numen Æsculapi! poteratné aliquid elici divinius? Quid est insania, si hæc non est. Interim rerum quoque naturam invertit iste bucco. tantùm enim abest ut commodè dormiamus cum curis, ut pessimè dormiamus; imò ne dormiamus quidem. Tibulli est: *Somnus sollicitas deficit ante fores*. Statii: ——*quis alta tuenti Somnus?* Inde Horatius: *Somnus agrestium Lenis virorum, non humiles domos Fastidit*.

22. CEL. GRADU EUNT] ita MSS. & omnes ab omni ævo codices. Novitius tamen Editor *sunt* pro *eunt* in Contextum etiam recepit, sine ullâ ratione. Si sic pergitur, *Plaute peristi*. Nec tamen locutionem damno; sed

A hîc obtrudi non debere ajo. Scio Epid.1.1. *Ut tu es gradibus grandibus*: Sticho, act.2.3. —*ita celeri curriculo fui*, &c. V.N. ibidem. Pareus ad isthæc, Ajacem agit furiosum in Lexico; dum vociferatur: Plautina Phrasis, quam expressi. Improbat VVitteberg. Editor: sed ἱπποκλείδης. Tu verò peristi, mi Peristander, qui has Veneres Plautinas ignoras. sic locutus Epidico, sic Sticho &c. Atqui, inquis: Hic nolo intrudatur. Nimirum geris præturam sine suffragio. Audi tamen, ô homo: In loco Stichi minimè audiendos clamas qui *fui* interpretarunt in *ivi*. utique neque tu audiendus in Trinum. qui nobis pro *sunt* intrudis *eunt*. Sed abi cum tua bile splendida. Et nobis cor esse noris. Sic ille. Quid sentis lector

B de tali corde, invitissimis libris præscribente Auctoribus quod loquantur? Idem postea, nactus codd. Palatinos, & inventa forte rimâ, quòd in iis MSS. extaret *gradus*. Splendidè porro mentitur, &, ut decet pudoris oblitum simul & fidei, affirmat in iisdem membranis legi, *gradusunt*. Adeantur libri: tantum abest, ut ullo modo quid tale inde exterebrari possit à quocunque nebulone; ut *gradus*, finiat versum unum, *Eunt* verò inchoet alterum. An non petulans hæc malitia requirit Magistratum.

24. EUSCHEME] εὐσχημῶς, honestè, decoro gestu. MSS. Cam. *Haud in eusce mea ast*. Vett. ed. *Haud juxta me ast*.

ACTUS III. SCENA II.

LYSITELES, LESBONICUS adolescentes, STASIMUS servus.

STA illico. noli avorsari, neque te occultassis mihi.
LE. Potin' ut me ire, quò profectus sum, sinas? LY. si in rem tuam,
Lesbonice, esse videatur, gloriæ aut famæ, sinam.
LE. Quod est facillimum, facis. LY. quid id est? LE. amico injuriam.
LY. Neque meum'st, neque facere didici. LE. indoctus quàm doctè facis!
Quid faceres, si quis docuisset te, ut sic odio esses mihi?
Qui bene cùm simulas facere mihi te, malè facis, malè consulis.
LY. Egóne? LE. tu na. LY. quid malè facio? LE. quod ego nolo, id cum facis.
LY. Tuæ rei bene consulere cupio. LE. tu mihi es melior, quàm egomet mihi?
Sat sapio, satis in rem quæ sint meam ego conspicio mihi.
LY. An id est sapere, ut qui beneficium benevolente repudies?
LE. NULLUM BENEFICIUM esse duco id, quod, cui facias, non placet.
Scio ego & sentio ipse quid agam, neque à me officium migrat;

Nec

Nec tuis depellor dictis, quin rumori serviam.
LY. Quid ais? (nam retineri nequeo, quin dicam ea quæ promere(s)
Itáne tandem majores famam tradiderunt tibi tui,
Ut virtute eorum anteparta per flagitium perderes:
Atque honori posterorum tuorum ut vindex fieres?
Tibi patérque avúsque facilem fecit & planam viam
Ad quærendum honorem: tu fecisti ut difficilis foret
Culpâ maximè & desidiâ, tuisque stultis moribus.
Præoptavisti amorem tuum uti virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? ah! non ita est.
Cape sis virtutem animo, & corde expelle desidiam tuo:
In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut solitus es.
Atque ego istum agrum tibi relinqui ob eam rem enixè expeto!
Ut tibi sit, quî te corrigere possis: ne omnino inopiam
Cives objectare possint tibi, quos tu inimicos habes.
LE. Omnia ego istic quæ dixisti scio, vel exsignavero:
Ut rem patriam & majorum gloriam fœdarim meûm.
„ *SCIEBAM UT ESSE ME deceret: facere non quibam miser!*
„ *Ita vi Veneris vinctus, otio captus in fraudem incidi:*
Et tibi nunc, proinde ac merere, summas habeo gratias.
LY. At operam perire meam sic, & te hæc dicta corde spernere,
Perpeti nequeo: simul me piget parum pudere te.
„ *Et postremò, NISI ME AUSCULTAS, atque hoc ut dico facis,*
„ *Tute ponè te latebis facilè, ne inveniat te honor:*
„ *In occulto jacebis, cùm te maximè clarum voles.*
Pernovi equidem, Lesbonice, imperitum tuum ingenium admodum.
Scio te sponte non tuâpte errasse, sed amorem tibi
Pectus obscurasse. atque ipse amoris teneo omnes vias.
„ *ITA EST AMOR; balista ut jacitur: nihil sic celere est, neque volat;*
„ *Atque is mores hominum moros & morosos efficit.*
„ *Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet.*
„ *Cùm inopia 'st, cupias; quando ejus copia 'st, tum non velis.*
„ *Ille qui aspellit, is compellit: ille qui consuadet, vetat.*
„ *INSANUM EST MALUM in hospitium devorti ad Cupidinem.*
Sed te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetas.
Si istuc, ut facis indicium, conâre, tuum incendes genus.
Tum igitur tibi aqua erit cupido, genus quî restinguas tuum.
Atque erit, si nactus, proinde ut corde amantes sunt cati,
Ne scintillam quidem relinques, genus quî conglisçat tuum.
„ *LE. Facile est inventu: DATUR IGNIS, tametsi ab inimicis petas.*
Sed tu objurgans me à peccatis rapis deteriorem in viam.
Meam vis sororem tibi dem: suades sine dote. hoc non convenit;

Me

Me, qui abusus sum tantam rem patriam, porrò in divitiis
Esse, agrúmque habere: egere illam autem; ut me meritò oderit.
,, *NUNQUAM ERIT alienis gravis, qui suis se concinnat levem.*
Sicut dixi, faciam: nolo te jactari diutius.
LY. Tanto meliu'st te sororis caussâ egestatem exsequi,
Atque eum agrum me habere quàm te, tua quî toleres mœnia?
LE. Nolo ego mihi te tam prospicere, quî meam egestatem leves,
Sed ut inops infamis ne sim: ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse, magis quàm in matrimonium.
Quis me improbior perhibeatur esse? hæc famigeratio
Te honestet, me autem collutulet, si sine dote duxeris.
Tibi sit emolumentum honoris: mihi quod objectent, fiet.
LY. Quid? te Dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?
LE. Neque volo neque postulo, neque censeo! verùm tamen
,, *IS EST HONOS homini pudico, meminisse officium suum.*
LY. Scio equidem te, animatus ut sis: video, subolet, sentio.
Id agis, ut ubi affinitatem inter nos nostram adstrinxeris,
Atque eum agrum dederis, nec quicquam hic tibi sit, quî vitam colas,
Effugias ex urbe inanis, profugus patriam deseras,
Cognatos, affinitatem, amicos, factis nuptiis:
Meâ operâ hinc proterritum te, meaque avaritiâ autument.
Id me commissurum, ut patiar fieri, ne animum induxeris.
ST. Non enim possum quin exclamem: Euge! euge! Lysiteles, πάλιν
Facile palmam habes. hic victus vicit tua Comœdia.
Hic agit magis ex argumento, & versus meliores facit.
Etiam ob stultitiam tuam te tueris? multam abomina.
LE. Quid tibi interpellatio aut in concilium huc accessio est?
ST. Eodem pacto, quo huc accessi, abscessero. LE. i hàc mecum domum,
Lysiteles: ibi de istis rebus plura fabulabimur.
LY. Nihil ego in occulto agere soleo. meus ut animus est, eloquar:
Si mihi tua soror, ut ego æquum censeo, ita nuptum datur
Sine dote, neque tu hinc abiturus; quod meum erit, id erit tuum:
Sin aliter animatus es, bene quod agas, eveniat tibi!
Ego amicus nunquam tibi ero alio pacto. sic sententia est!
ST. Abiit hercle ille quidem. ecquid audis, Lysiteles? ego te volo.
Hic quoque hinc abiit. Stasime, restas solus. quid ego nunc agam?
Nisi uti sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem:
Fulmentas jubeam suppingi soccis: non sisti potest.
Video caculam militarem me futurum haud longiùs:
Aut aliquem ad regem in saginam herus se conjecit meus.
Credo ad summos bellatores acrem fugitorem fore:

Et captu-

Et capturum spolia ibi illum qui meo hero adversus venerit.
Egomet autem cùm extemplò arcum mihi, & pharetrã, & sagittas sumpsero,
Cassidem in caput, dormibo placidè in tabernaculo.
Ad forum ibo: nudius sextus cui talentum mutuum
Dedi, reposcam, ut habeam mecum quod feram viaticum.

NOLI AVORSARI] ita MSS. ambo: quod verum censet Gruterus Vulgo, *adversari* quod & deinde aversatus est etiam Camer. ut liquet ex manu ipsius, quæ addita editioni ultimæ restatque in Musæo Nepotis minimè degeneris, Ludovici Camerarii.

2. QVO PROFECTVS] V. N. Trucul. act. 1. 2.

2. SI IN REM TVAM] ita MSS. & omnes vett. ed. ut & v. 10. Parei tamen editio, secuta Gifanii auspicium, obtrusit nobis, *si in re tua*; quod tamen pulcrè dissimulat editione posteriore.

3. GLORIÆ AVT FAMÆ] Quærit Lambinus, cur non dixerit, *gloriam* aut *famam*.

8. QVID MALE F.] ita MSS. & omn. vett. editiones.

11. BENEF. BENEVOLENTE R.] ita MSS. & omn. ed. vet. uno consensu: etiam Camerarii. Primus Lambinus *à* infersit, quod propagant Pareanæ. Camerarius notavit in postumis: posse etiam esse *benevolentis*, & elisâ S literâ mutatam esse scripturam.

12. NVLLVM BENEF.] Seneca lib. 2. c. 19. De Benef. *Si vis scire an velim, effice ut possim nolle.* vide Grut. Notas in *Querol. Plauti*, Sc. 2. Secutus autem hic sum judicium Acidalii, qui contendit, & præcedentia & sequentia validissimè convincere, hæc ita distinguenda. Lysiteles enim Lesbonico consulit: & hic *rumori servire* nunc se dicit: ne in crimen apud populum veniat: quod disertiùs infrà exponit: *LE. Nolo ego mihi te tam prospic.* v. 62. sic nempe *rumori servit*, cùm hanc infamiam cavet. Quanquam & aliter servire dici possit itidem rumori, qui pòst metuit, & præcavet aliam famigerationem: *Meâ operâ hinc proterritum te* &c. v. 77. sed tamen in Lesbon. hæc cautio hìc magis convenit.

13. SENTIO IPSE QVID AGAM] De hâc formulâ alicubi Gruterus, & Douza Centur. lib. 1. cap. 10. *Scio quid ago.*

13. NEQ. A ME OFFIC. MIGRAT] Ita omn. vet. edd. in MSS. Cam. est. *neque in se officium* A *m.* sed ita ut nota quæ superjaceat literam illam solitariam. hinc faciebat Schop. *neque meum se officium migrat. Migrare*, activè pro *mutare*, novum non est. Lucret.

Nec manet ulla sui similis res omnia migrat,
Omnia commutat natura & vertere cogit.

Cic. 1. De Divinat. *Credo, ne communia jura migrare videatur.* Agellius: *Cassita nidum migravit*, &c. Suspect. Lect. l. 2. 1. hæc sequitur Pareus non sine pessima insectatione Camerarii, ejusque opinioni adhærentium.

14. QVIN RVMORI SERVIAM] Multos tamen hodie invenias, qui cum illo Pomponii sentiant; *Ego rumorem parvi facio, dum sit rumen qui impleam.*

15. QVID AIS? NAM] Ratio requirit hanc distinctionem, neque aliter ferè Pal. sec. imo forte & pr. certe non favet Pareo, quamvis id præ se ferat.

18. UT VINDEX] Lamb. edidit *vibex*, uti & Douza. q. d. Ut honori posterorum tuorum ὑπώπιον, & nota cruenta seu livida esses, B eumque dedecorares & suggillares? Ita enim explicat & legit Lambinus è conjecturâ Camerarii, atque in suis etiam hoc comparere. Sanè hic testatus est. in MSS. legi *vindex*, sed cum liturâ in altero. suspicari tamen nec malè legi posse, *vibex*. Sed nos *vindex* merito vindicamus: quamvis etiam Acidilius alterum propugnet. Turnebus lib. 19. cap. 28. ad illa Varronis; *lux pinguitudini vindicta*: Vindicta, inquit, ultio pœnaque est, & noxa atque detrimentum. Sic Plautus, *ut tu honori majorum vindex esses*: quod est, eorum honorem contaminares & violares & tolleres. Quod sumptum ab his, qui quid vindicant suumq; asserunt, & manum injiciunt, proindeque alteri auferunt. nisi quis apud Varr. *vindictā pinguitudinis*, pro liberatione accipiendum censeat: à vindicta, quâ servi manumittuntur: & apud Plautum, *honori vindex fieres*, exponat, honorem manumitteres & liberares,

ne tuis tanquam addictus serviret, & infamiâ esset. qui sensus in Pl. nec insulsus est, nec à significatione alienus, & fortasse verior: *Hæc ille.* Sed & Gruterus retinet *vindex*: & assentitur sententiæ Turnebi, advocatque illa Scaligeri: *Vindicare*, nihil aliud est, quàm ἐξελεῖν, ἀφελεῖν. Præcipuè cùm Solon etiam pro ἐξαιρεῖν usurpet, & Dionysius interpretans Leges XII. Tabularum, ἀφαιρεῖσθαι itidem habeat: sicut etiam Plato, Demosthenes aliique de libertate loquentes. Quod cùm ita sit, temere sollicitatur illud à Juris consultis, NI JVDICATVM FACIT, AVT QVIPS ENDO EO IN JVRE VINDICIT, SECVM DVCITO. ita enim rectè Cujacius ex antiquis exemppl. A quo solùm pudenter dissentio, quòd dictum putem VINDICIT non eâ formâ, quâ *lavit*, *sonit*; ut ipse vult; sed more antiquo, pro *vindicet*: quomodo *edit*, & similia. nam *lavo* & *sono* tam sunt tertiæ conjugationis quàm primæ. quod nescio an & dici queat de *vindico*. Hæc Grut. à Scaligero. Locus autem Scaligeri est in Notis ejusd. ad Var. De re Rust. lib. 3. ibi: *Vindicta apud veteres erat* ἀφαίρεσις, & ἐξαίρεσις, &c.

19. FACILEM FECIT] MSS. & omn. edd. *facit.* ut & in seq. versu, *difficilius* eædem, nec non Pal. sec.

23. AH! NON ITA EST] Acidal. hoc etiam LYS. tribuit: neque repugnat Palatinus prior.

25. AMICIS OPERAM DA] Sic Edd. omnes usque ad Pareanam. ea nobis oggessit, *Amicis (ba!) da.* exclamatione valde decenti, utique porcum si alloquebatur.

26. ENIXE EXPETO] Pal. pr. *menixe.* sec. *enixè*; unde Pareus feliciter conjicit, *anxiè*; idque verum putat: at versui quid tunc fiet, magister? ejus quoque rationem habeat conjector oportet.

27. QVI T. CORRIG. POSSIS.] ita MSS. & omn. edd. vett. ut τὸ *qui* ablativi vicem sustineat. ita enim efficacius, quàm ut cum Lamb. ad *agrum* perperam referas.

29. VEL EXSIGNAVERO] i. etiam obsignavero: L. Quæ tamen Acidalio ineptissima videntur: atque litteris, *vel ex*, facit *vebex* sive *vibex*: è reliquis aliud, & sic legit: *LE. Omnia ego istac, qua tu dixisti, scio: vibex ignaviâ ego ut remp.* non absimile vero, inquit, Lesbonicum repetivisse convicium sui in se reprehensoris; à quo *vibex* appellabatur vers. 18. idemque ignaviæ desidiæque culpâ passim malè audiebat &c. Timidè tamen hoc doctis judicandum proponit. Atque adeo animosè à Pistore repudiatur: qui vulgatum omninò retinendum censet. *Vel exsignavero*, valet exquisitè in chartâ consignatum ordine recensuero, ut rem confregerim. *Exsignare*, propriè è Commentario describere & in ordinem redigere. unde in genere pro accuratâ recensione accipitur. Livius lib. 1. *Eique sacra omnia exscripta exsignataque tradidit. Exsignata*; nempe ex Commentario. Nec aliter MSS. & omnes vet. edd. Itaque vix benè de Plauto meritus est Novitius Editor è Vang. qui, quæ Viri docti sæpe dicis caussâ & timidiusculè in chartas conjecêre, statim tanquam germana in ipsum textum recepit.

29. OMNE ISTIC] ita MS. sec. & omn. edd. vett. vulgò *istac.* MS. pr. *ista.* quod arripuit Pareus, ne quid uspiam ei conveniat cum Camerario.

31. V. VEN. VINCTVS] ita MSS. & edd. Cam. & Parm. & Samb. Quidam, *victus.* Pareus prodit hærere in Pal. sec. *inunctus.* minus vere. habet enim *vinctus*, aut certè *unctus.*

32. OTIO CAPTVS] ita D. Chrysostomus: πᾶσαν κακίαν ἐδίδαξεν ἀργία.

34. CORDE SPERNERE] ita MSS. & omn. vet. edd. uno consensu. Pareus ausus est excludere editione sua vocem *corde.*

37. TVTE TONE TE] ipse tibi eris latebræ loco. Vel: tu ipse tibi obstabis & officies ne te honor inveniat, V. N. Aul. act. 4. 4.

39. IMPERITVM] Lamb. reponit *peritum*: & ita ait esse in vett. suis libris. sed ego non abierim à vulgato. nam *imperitus* veteribus, qui *impeditus*, ob differentiam inter R. & D. sicut scribebant, *arfines*, *arferre arvenire* &c. sic noster Rudentis Prologo:

Dum alios servat, se impedivit interim:

Gruterus. Etiam Meursius *Impeditum* huic loco convenientissimum censet. cùm anteà quoque Lesbonicus dixerit: *Ita vi Veneris vinctus* &c. In MSS. *Pernovi equidem Lesbonicem imperium te.*

45. MOROS] μωροὺς, id est stultos.

44. QVOD SVADETVR] Pareus notat esse in Pal. *quia non suadet.* in sec. *qui non suadet.* sed valde falletur qui ipsi credet. uterque MS. nullo apice abit à vulgata. nimirum qua est vecordi negligentia, quod spectabat ad

ad versum 46. huc retulit quis tamen mortalium hoc divinarit, qui non adierit ipsas membranas?

47. INSANVM EST MALVM] Ita Lipsius Epist. Quæst. lib. 3. 20. Festus: *Insanum magnum, pro valdè magnum, usus est Plautus*. Respexit is autem Plauti versum Bacchid.

Insanum magnum melior negotium.

Ita idem, in Nervolariâ, apud Nonium: *Insanum uterque deamat:* pro *insanè*, i. valde. imitatus hoc est Ausonius, de Crœso: *Dives insanum in modum*. Atque hæc ibidem Lipsius, quæ & J. Gruterus probat, contra H. Stephanum, in De Lipsii Latinitate. Varro libr. 6. De Linguâ Latinâ: *Plautus cùm vehementer vellet dicere, dicit Insanè. quòd insani omnia faciunt vehementer. Milite*, act. 1. 1. Ita Mostell. act. 3. 3. *insanum bona porticus*. Cicero etiam pro Milone, *insanas moles substructionum*, dixit. Silius lib. 1. *insanos imbres*, i. magnos. Et non absimili metaphorâ Galli in suâ linguâ uti memorantur. V. N. Bacchid. act. 4. 5. In MS. Cam. pr. est, *Insanum & malum est*. In sec. & omnib. vett. ed. *Insanum est & malum, in h.*

47. HOSPITIVM] locum liberum, ubi facias nequam. de *hospite Cupidine*, consulendus Anacreon. Proper. 3. el. 24. *Hospitium tota nocte parabit Amor*. Passerat.

49. SI ISTVC, VT FACIS INDICIVM,] Pistori lectio hæc Acid. perplacet: *Si istuc, ut facis indicium, conâre, e. inc. g.* hoc sensu: Si istud, quod facturum te dicis, facies; (i. si agrum vendes) *tuum incendes genus*, i. familiam tuam totam ad extremam miseriam rediges, quasi igne consumpta sit. Mox pœnitebit, & remedium aliquod afferre cupies, (hoc est, *Tum igitur tibi aqua erit cupido*, ut rectissimè leg. Douza) ut familiam tuam quasi ardentem *restinguas* (i. cupies hinc abire exulatum.) *Atque si eris nactus*, (si ex voto abieris) quæ amatorum prudentia est, eo remedio hoc efficies, ut genus tuum totum intereat, te è medio sublato. Hanc parœmiam Lysiteles infrà explicat v. 72. ibi: *Scio quidem te animatus &c.* Quæ Scaliger affert, hîc alienissima sunt. qui haud dubiè ingenii excellentia confisus locum integrum non inspexit. *Hæc ille.* Sanè in MSS. Cam. & omnibus quotquot ego excussi, etsi verba hoc ordine concipiuntur, *Si istuc ut conare facis &c.* tamen illud etiam expressè legitur, *indicium*: pro quo tamen Lambinus substitutum ibat *incendium*, perperam. Scaligeri scholion, etsi forte alienum, quia tamen per se eruditum, superaddam. Sic igitur ille: *INCENDERE locum*, veteres dicebant, pro *celebriorem reddere*. ut apud Varronem, *Incendere annonam*. Plaut. Trin. *Si istuc, ut conâre, facis indicium, tuum incendes genus*. Similiter Augustus Cæsar: *Nos forum aleatoribus excalfecimus*. Corn. Severus in Ætnâ: *Nunc opus artificem incendit*, i. admirabiliorem reddit, ut caussæ accuratius exquirantur.

50. TVM IGITVR TIBI AQVÆ] Ita Douza: ad exemplum Ovidii in Heroic. *Sæpe venenorum sitis est mihi*, i. cupido potionis, *quæ te* (ut noster loquitur) *nunquam transeat*. In MS. pr. est: *aquerit* hinc Cam. fecit, *aqua erit c.* Porrò Parei. pr. fœde nobis ingessit *restringas*, pro *restinguas*.

51. CATI] Hoc Alciatus (lib. 9. 4. Parerg.) sumit pro *capti*: atque *P.* subtractum ait esse, ut syllaba efficeretur brevis. Pistoris hoc quidem non reprehendit: putat tamen ironicè dici potiùs: eâ formâ quâ aliàs dicimus, *quæ amantium prudentia est*: ut sunt ipsi cati. Q. d. minimè sagaces & providi, Wie sie klug sindt.

52. CONGLISCAT] ita Camerarius è confusâ codd. suorum scripturâ conjecit; & exposuit, *suscitetur*. pr. *condiscat*. sec. *conclusit*; quod & in Edd. vett.

53. FACILE EST INVENTV] J. Douza: Hoc Lesbonici respōsum ad parœmiam trahendum: *Alterâ manu fert aquam, altera ignem*. Quamvis enim hoc dicere videatur Comicus, ignem etiam ab inimicis utendum sumi solere, ad frigus defendendum: aliud tamen dissimulanter innuit: nimirum, si quis rei iratus suæ, cum Venere istâ Tibullianâ, messes privatas combustum ire velit, ei porrò homini ustrinæ, ejusmodi cōcinnandæ materiam nullo unquam tempore defuturam; etiamsi mutuò illa vel ab inimicissimis sit petenda. A quibus quid mirum, si ardor iste Vulcanius impetratu facillimus, quem hoc genus manu promptum gestitat assiduè: ob caussam, quam exposui. non item de aquâ; quî incendium restinguas. Et hæc germana est paradoxæ hujus sententiæ declaratio: quicquid dicant Interpretes &c. Hæc ille. Vel, ut simplicius, & meis

meis dicam verbis: Si quis, inquit, rei suæ prodigus, amori animum adjecerit, ei occasionem nunquam defuturam, neque ipsi adeo (aut inimicæ potiùs) operam istam pro pecunia ei negabunt. A

53. FACILE EST] Acidal. l. *Facilest*, quod contractum ex *facilis est*. vide suprà.

53. TAMENETSI] ita MSS. Cam. *tamenetsi*. V. N. Mil. act. 4. 5. C. Rittershusius in Notis ad Phædri Fabb. vers.

Ignem ergò quærens aliquot lustravit domus,

Ignem, inquit, veteres non semper domi suæ excitabant, sed à vicinis plerunque petebant: neque eum facilè negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valdè alienum esse ab ipsa humanitate & vitâ hominum atque naturâ, quæ aquâ & igni carere non potest. Hinc Plaut. *Datur ignis tametsi ab in.* &c. Eodem & Ennii versus pertinent, quos refert Cicero 1. de Offic.

Ut homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, faciat,
Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Et idem Plaut. Aul. eòdem respiciens ait, act. 1. sc. 2. sive (ut in MS. Eystad.) sc. 1. *Cave quenquam* &c. De *flammâ* tamen *deûm*, i. de igne sacrificiorum, non licebat ignem accendere, vel lumen mutuari: ut testatur Phædrus libr. 4. Fabb. 68. ne scilicet Sacra profanarentur. MSS. uterque habet *ab inimicos*. sec. vero *ab* supra lineam, ut forte abjici debeat, versu sanè volente.

55. HOC NON CON] Ita edd. omn. Pal. sec. *hac non con.* pr. *haa non con.* facile fingamus *ha!* sed quis id etiam intulerit, textui, nisi Pareus?

58. NUNQUAM ERIT AL.] Ita edit. veteres hæc quoque *Lesbonico* relinquunt ad illa usque: *Tandem mel.* (ita enim leg.) optimè, verissimè. Lesbonicus de dote & agro decernit, nec amplius vult sibi contradici. tum alter stomichabundus proclamat, & validissimâ objectione adversarium premit. Quâ in re quidem languet ac jacet vulgatum *tantò*; *tandem* verò viget, & vegetat orationem. Cæterùm Lesbonici dictum ambigui sensûs est: & Lambiniana explicatio rei non satis apta. Aptior fuerit, si *gravem* interpreteris argutiusculè gratum & acceptum, *levem* contrà ingratum & minus carum &c. Aptissima, eademque veriss. sententia est: Nunquam alienis molestus & odiosus erit, qui suis se tolerabilem præbet. Id in rem præsentem ita convenit, ut non possit aliud magis. Nam nolle se sorori iniquum esse ait, aut exosum facere: & hoc qui studeat in suos, eum idem facilè cavere in alienos. *Acidalius.*

59. IACTARI] σαλεύεσθαι. dubitatione æstuare: L.

60. TANTO MELIUST, TE SORORIS] Ita MSS. & Edd. omnes præter Pareanam; quæ impudenter nobis objecit, *Tandem meliust, sororis.*

61. TUA QUI TOL. MOENIA.] unde tua *munia* & sumptûs quotidianos tolerare ac sustinere possis. L. Sic edd. vett. & Pall. ambo bis enim locum istum expressit Pal. pr. habetque priore loco *mœnia*, posteriore *munia*. quod nemo hauriet ex præcipitatis Parei notis; millies alioquin passim traducentibus membranas Electorales.

63. N. MIHI. H. F. DIFF.] ita omn. MSS. & ed. Meurs. tamen malit, *ne mehe* (pro, *me*) *hac famâ differant.* *Differre famâ*, est malis sermonibus differre. V. N. Epid. 1. 2. & istud statim audacter intulit editioni suæ pr. Pareus.

65. QUAM IN MATRIMONIUM] Vide Serv. 1. Æn. ad illud: *Connubio jungam stabili &c.* item L. 1. D. *De concubinis.* B

66. FAMIGERATIO] ita omnes vett. edd. ut & Lambini, consensu. ita suprà act. 1. 2. *famigerator*: & *famiger*, apud Varronem. Onomasticon. Græcolatinum: *Famen*, φάτις. *fama*, φήμη. *famiger*, ἀγγελιαφόρος. *famigerabilis*, διαβόητος. *famigerator*, διαφημιστής. *famigero*, διαφημίζω. *famosus*, εὔφημος. Editio Camer. præfert hic *famigeratio*; nec temerè. sic omnino visitur in Pal. pr. qui bis hunc quoque versum perscripsit. ac prius posuit hoc ipsum, posterius nostrum *famigeratio*.

67. COLLUTULET] dedecoret, & quasi luto inquinet: *Nonius.*

68. EMOLUMENTUM] *emolumentum*, non tantùm significare quæstum, aliquidvè quod conducat: sed etiam, quòd operosum est ac magnum studium requirit, docet exemplis Varronis & Cæsaris, P. Victorius lib. 22. cap. 10. à nullo Grammatico (ut ait) explicatum.

69. QUID? TE DICTATOREM] Hoc eò pertinet, quòd Lesb. dixerat, Lysitelem apud homines honorem consecuturum esse, si agrum

agrum non accipiat; se verò dedecus. Quid? inquit, si agrum mihi dederis, te Dictaturam consecuturum putas? L.

71. H. PVDICO] *Pudicus* hoc loco pro pudente & verecundo: ut & in Persâ.

73. ID AGIS] Pareus perperam notat habere Pal. pr. *Ita agis.* præfert enim *It agis.* T ponitur loco D.

74. QVI VITAM c.] unde vitam tolerer.

75. PROFVGVS] MSS. & ed.v. *profugiens.* quod revocavit Pareus, plorante versu.

79. NON ENIM POSS. QVIN] Hos versus laudat Cicero, 2. De Orat.

79. ΠΑΛΙΝ] Vocem istam nunc primum Plauto redonavit Gruterus, expressam sic Latinis literis *palin* in utroque MS. Pal. & prorsus eam requirit versus. Parei autopsia hic lolio victitavit.

82. ETIAM OB STVLTIT. T. T. TVERIS? MVLTAM ABOMINA] Ita J. Palmerius Spicileg. fol.48. Peccatum, inquit, ignoratione antiquitatis. Nam qui bene egerant histriones, secundum actionem præmio afficiebantur: contrà, mulctabantur. Et rei probandæ multa sunt: nunc unum contentus ero adscribere. Cistell. in fine Fabb.

Ne exspectetis, spectatores &c.

Itaque verniliter Servus cùm palmam dedisset Lysiteli, addit ad herum Lesbonicum: Tunc etiam te tueris, & audes committere, ut componaris & contendaris cum Lysitele tot rebus meliore: qui ita variè deliqueris, ut mulctam abominari debeas? Pulcrè abeas, si non vapules. *Abomino,* pro *abominor,* notum est. Quid *mulcta*, vide N. Menæch. act.4:2. Lips. emendat, *Ob stultitiam tuam tete veris multabo minis.* Non insolens hoc Plauto, ut avertat à Fabulâ ad actores & Poetas. Ita de *Pellione* alibi (Bacchid. act.2:2.) inserit. ita *Os columnatum Nævii* ridet, (Mil. act.2:2.) ita hic exclamat velut victor, (certabant enim, & Ædiles præmium dabant) imnò & comminatur multam stultè adversanti.

94. FVLMENTAS] Ita Pall. i. jubeam fulcimenta seu fulmenta subsui soccis, ut sint solidiores & firmiores: L. & Dousâ è Nonio. Notat & Festus, *calceamenta. clavis fixa* dici *clavata.* hinc ἡλοκόποι, *clavarii,* qui ea configebant. *Fulmentæ* autem sunt καττύματα, quod & *Solum* Latinis. *Suppacta* κατασυρμὰ: & *suppingere* est ἥλους ἐγκρούειν in calceos. Etsi enim hic clavi non nominantur, manifestum tamen id est ex illo Bacchid. act.2:3. ubi notat luxum veterum divitum, qui clavis argenteis vel aureis in hanc rem usi. nam planè ibi errare eos censet Casaubonus ad Theophr. Charact. (unde hæc excerpo) qui eum locum emendandum censeant: cum genuinum sit, *Qui soccis habeat aurum suppactum solum.* Nam etsi magnum hoc, fidem tamen veri non egreditur, cum & Antiochi exercitus *magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuerit*: Et Plinius lib.33. cap.3. de Agnone Tejo Alex. Magni purpurato simile narret; qui *aureis clavis suffigere crepidas solebat, &c.* Quanquam & *aneis* in hanc rem utebantur. Lucill. *Fulmentas clavis aneis subcudere*: quod est ἐγκόπτειν. Venio in memoriam elegantis adagii, quod exponit Scaliger, lib:2. in Manil. itemque in Conject. ad Varr. nec non Turnebus lib.15. cap.5. & H. Junius: *Fulmenta* (seu, *fulmenta*) *lectum scandunt.* quâ significatur, *Præesse velle, quod subesse debet.* Simile illi, ἄνω ποταμῶν πηγαί. Pal.pr. *socios.* sec. *sotios.* Edd.vett. *Fulcimenta i.s. soccos.*

95. CACVLAM] Glossæ vet. *Cacula,* δοῦλος στρατιώτου. Nonnullis & *Calones* dicuntur, qui militibus ligna suppeditabant: ut *Lixæ,* qui aquam, quam veteres *lixam* dixêre. vel, *calones,* quia ligneas clavas pro tutelâ dominorum gerebant: nam *ligna* κᾶλα vocarunt. Vide Fest. & inibi Scaligerum.

95. HAVD LONGIVS:] ita Douza, volente Lipsio l. *haud longius,* i. video propediem futurum, militaris cacula ut fiam.

96. SAGINAM] ita MSS. & omn. edd. vett. at Lamb. *sagenam* acerrimè propugnat: uti & Douza. Est autem *Sagena,* genus retis, quo pisces è nassâ auferuntur; aut retis sinûs, unde exire nequeunt. tralatione manifestâ: quâ & suprà usus, act.2:1. *nunquam Amor quenquam nisi cupidum hominem postulat se in plagas conjicere.* & Lucret. lib.4. *Nam vitare, plagas in amoris ne jaciamur.* Quòd si quis tamen, inquit hic, *Saginam* mâlit legere, haud magnopere pertendam: præsertim cùm illud Propertii conspiret libri 4:8.

Qui dabit immundæ venalia farta saginæ,
Vincet ubi erasas barba pudenda genas.

ff 3 Gruterus

Gruterus *Saginam*, autoritate MSS. & similium locorum curiosè defendit; ita tamen ut detrahat versus principio literam primam, quei fiat, *Vt aliquem* (nam Pal.pr. *At*) velitq; servus futurum, ut militatum eat herus ad regem aliquem. sic Epid.3.4. v.14. sic Terentius 1.1. v.59. Heaut. De *sagina*, idem sentit & Schoppius, cujus rationes vide Mostell.act. 1:1. v.62.

96. CONIECIT] Ita Pall. ita omnes edd. vett. recentiores, *conjecerit*.

97. CREDO AD 6.] Hinc Schoppius facem accendit illi Phædri, Fab.83.

Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus. i. quàm acris & fortis sis non bellator, sed fugitor. Et pulcrè Rittershusius versum Nonni in Dionys. quo θρασύδειλος denotatur,

Νόσφι μόθοιο λέοντες, ἐνὶ πτολέμοισι λαγωοί,

Latinè fecit:

Extra bella leo; lepus in discrimine pugnæ.

Acidalius: Veteres, inquit, quidam habent *sibi*, pro *ibi*: æquè benè, & nullo discrimine. Nam *spolia capturus* dicitur non herus, sed qui hero venturus sit advorsum. Ac in prioribus non accipiam simplicem fugam ad bellatores: sed acrem fugitorem adolescentem, comparatum ad summos bellatores. A quæ loquendi forma & Capt. *Nam ad sapientiam hujus ille nimius nugator fuit.* i. si Thaletem compares cum hujus sapientiâ &c. Imò erit paulò alius adhuc acutior sensus, si interpretemur, *acrum ad summos bellatores*, qui ad summos bellatores acritudine suâ accedat, ut ipsos æquet. id quod pulcerrimum locutionis genus, & hoc loco festivissimum. Nam æquiparare servus herum suum videtur velle bellatoribus summis arte & fortitudine bellicâ; cùm præter exspectationem B subjicit, fugiendi studio illos æquaturum, & laudem in contrariam partem possessurum. Similitudinem autem ejusmodi illo *ad* notari liquet. Ausonius in Burdigal. Profess. Carm. 21.

Grammatice ad Scaurum adque Probum.

Idem Carm. 16.

Et disputator ad Cleanthon Stoicon.

98. SPOLIA IBI] Sic Camer. ex utroque Pall. Pareus vulgatum *sibi*, revocavit; non sine metri labe.

99. ET SAGITTAS] Videntur à glossa certè si absint, fiat volente versu.

ACTUS III. SCENA III.

MEGARONIDES, CALLICLES, senes duo.

VT mihi rem narras, Callicles, nullo modo
Potest fieri prorsus, quin dos detur virgini.
CA. Namque hercle honestè fieri fermè non potest,
Vt eam perpetiar ire in matrimonium
Sine dote, cùm ejus rem penes me habeam domi.
ME. Parata dos domi'st, nisi exspectare vis,
Vt eam sine dote frater nuptum colloset:
Pòst adeas túte Philtonem, & dotem dare
Te ei dicas: facere id ejus ob amicitiam patris.
Verùm hoc ego vereor, ne istæc pollicitatio
Te in crimen populo ponat atque infamiam.
Non temerè dicant te benignum virgini,
Datam tibi dotem, ei quam dares, ejus à patre.
Ex eâ largitari te illi; neque ita, ut sit data, in-
columem te sistere illi, & detraxe autument.
Nunc si opperiri vis adventum Charmidis.

Perlon-

Perlongum'st: huic ducenti interea absceſſerit.
CA. Nam hercle omnia iſtæc veniunt in mentem mihi.
ME. Vide ſi hoc utibile magis atque in rem deputas,
Vt adeam Lesbonicum, edoceam ut res ſe habet.
CA. Vt ego nunc adoleſcenti theſaurum indicem
Indomito, pleno amoris ac laſcivia?
Minimè minimè hercle verò! nam certò ſcio
Locum quoque illum omnem, ubi ſitu'ſt, comederit,
Quem fodere metuo, ſonitum ne ille exaudiat,
Neu ipſam rem indaget, dotem dare ſi dixerim.
ME. Quo pacto ergo igitur? CA. clàm dos depromi poteſt,
Dum occaſio ei rei reperiatur: interim
Ab amico alicunde argentum roges.
ME. Potin' eſt ab amico alicunde exorari? CA. poteſt.
ME. Gerræ! næ tu illud verbum actutum inveneris,
Mihi quidem hercle non eſt quod dem mutuum.
CA. Malim hercle ut verum dicas, quàm ut des mutuum.
ME. Sed vide conſilium, ſi placet. CA. quid conſili'ſt?
ME. Scitum, ut ego opinor, conſilium inveni. CA. quid eſt?
ME. Homo conducatur aliquis jam, quantum poteſt,
Quaſi ſit peregrinus. CA. quid is ſcit facere poſtea?
ME. Is homo exornetur graphicè in peregrinum modum,
Ignota facies, quæ non viſitata ſit,
Falſidicum, confidentem. CA. quid tum poſtea?
ME. Quaſi ad adoleſcentem à patre ex Seleucià
Veniat, ſalutem ei nunciet verbis patris,
Illum bene gerere rem, & valere & vivere,
Et eum rediturum actutum. ferat epiſtolas
Duas: eas nos conſignemus, quaſi ſint à patre:
Det alteram illi, dicat alteram tibi
Dare ſeſe velle. CA. perge porrò dicere.
ME. Séque aurum ferre virgini dotem à patre
Dicat, patremque id juſſiſſe aurum tibi dare.
Tenes jam? CA. propemodum! atque auſculto perlubens.
ME. Tum tu igitur demum id adoleſcenti aurum dabis,
Vbi erit locata virgo in matrimonium.
CA. Scitè hercle ſanè. ME. hoc, ubi theſaurum effoderis,
Suſpicionem ab adoleſcente amoveris.
Cenſebit aurum eſſe à patre allatum tibi.
Tu de theſauro ſumes. CA. ſatis ſcitè & probè.
Quanquam hoc me ætatis ſycophantari pudet.
Sed epiſtolas quando obſignatas afferet,

Siquidem

Siquidem obsignatas attulerit epistolas,
Nonne arbitraris eum adolescentem annuli
Paterni signum novisse? ME. etiam tu taces?
Sexcentæ ad eam rem caussæ possunt colligi:
Illum quem habuit, perdidit, alium pòst fecit novum.
Iam si obsignatas non feret, dici hoc potest,
Apud portitorem eas resignatas sibi
Inspectasque esse. in hujusmodi negotio
Diem sermone terere, segnities mera'st.
Quamvis sermones possunt longi texier.
Abi ad thesaurum jam confestim clanculum,
Servos, ancillas amove. atque audin'? CA. quid est?
ME. Vxorem quoque ipsam hanc rem ut celes, face.
Nam pol tacere nunquam quicquam'st quod queat.
Quid nunc stas? quin te hinc amoves, & te moves?
Aperi, deprome inde auri ad hanc rem quod sat est.
Continuò operito denuò: sed clanculum,
Sicut præcepi: cunctos exturba ædibus.
CA. Ita faciam. ME. at enim nimis longo sermone utimur.
Diem conficimus, quod jam properato'st opus.
Nihil est de signo quod vereare, me vide!
Lepida est illa caussa, ut commemoravi, dicere,
Apud portitores esse inspectas. denique
Diei tempus non vides? quid illum putas
Naturâ illâ atque ingenio? jamdudum ebriu'st.
Quidvis probari poterit. tum, quod maximum est,
Afferre, non petere hic se dicet. CA. jam sat est.
ME. Ego sycophantam jam conduco de foro,
Epistolasque jam consignabo duas,
Eumque huc ad adolescentem meditatum probè
Mittam. CA. eo ego igitur intrò ad officium meum.
Tu istuc age. ME. actum reddam. nugacę sunt nisi.

LARGITARI TE] Ita Cam. MSS. & omn. edd. *Ex eâ largitate te ill.*

14. IN COLVMEM T.] Ut sententia aliqua esset, secutus sum conjecturam Lambini. In MSS. & vett. ed. est *columen.* Camerarius edidit *columem*: & jubet quæri quid sit *Columem*, utrum mutilatam & non integram; an aliud quid.

17. DVCENTI ABSCESSERIT] MSS. & vett. edd. *ducendi.* subintelligaturq; *voluntas*; aut tale quid; ut vult Lamb. vel *cupido.* ut A P. Valla. Rectè quidem, inquit Schoppius, hæc mutila esse Lambinus vidit, sed ipsius interpretatio locum hîc nullum habet. Nam Lysiteles eam sibi jam sine dote omni desponderat: nec audire de dote quicquam volebat. Legendum puto; *huic ducenti intereà abscesserit*: i. dos abscedet intereà Lysiteli puellam ducenti. nam dixerat antè Megaronides: si virgini dotem dederis ex pecuniâ, quam tibi pater ejus clam concredidit, dicent omnes, *Datam tibi dotem &c.* Subjungit;

Nunc

Nunc si operiri vis adventum Charmidis,
Perlongum est; huic ducenti intereà abscesserit. Vides itaq;, ad dotem referri debere. Proinde ac si dicat, Si operiri voles tantisper, dum veniat Charmides, hîc intereà illam indotatam duxerit. Vel legendum, *hinc ducenda intereà abscesserit.* Intereà dum tu adventum patris præstolaris, illa, quam ducere vult, hinc ex ædibus tuis in domum mariti abibit. Gifan. mavult, *ducendi materia abscesserit.* sed certè alienum est. Hæc ille.

20. VT ADEAM LESB. EDOCEAM &c.] Sic benè ex utroq; MS. suo Camerarius, sed & *adeam* in vett. Edd. *adeas* de ingenio finxit primùm Pius, habuitq; statim sectatores, à quibus seorsim sensit egregius ille senex Francus. non etiam Acidalius. nam consilium inquit Megaronidæ est, non ut ipse, sed Callicles adeat & edoceat adolescentem. ipsi enim cum illo nihil rei. Et huic ita suasisse, patet ex ejus responso. Ita v.29. Camerar. edidit *roges*, ubi edd. vett. *rogem* habent: & hoc rectum esse, patet ex sequentibus. Nihilominus tamen mallit Pist. non quidem *roges*, sed *roget*. ut ad Lesbonicum referatur, cujus erat dotare sororem. Habebat enim adhuc agrum, sub cujus pignore pecuniam mutuo sumere poterat. Atque ita convenit id, quod Megaronidi subjicit, *Potin est ab amico &c.* Acid. sequitur Pareus: adeo cùm libet, maximi facit Palatinos, cùm non libet, vix flocci habet.

27. QVO PACTO ERGO IGITVR] ita MSS. Et est, auctore Grut. & Schoppio elegans pleonasmus, *ergò igitur*: ut, *quamvis licet*, apud Lucret. *En ecce*, apud Apul. &c.

29. ROGES] Sic diserte uterq; MS. Pall. male igitur qui mutatum cupiunt: pessimè verò Pareus, qui etiam in contextum intulit. *rogem*. Cam. fulciendo versui edidit, *Ab amico aliquo alicundè arg. in dotem roges.* sed malim, *Ab amico aliquo aliquà alicunde argentum roges*; ut exciderint priora ob literarum similitudinem quam habent cum *alicunde*. Et sic usus Epid. 3.1. v.10.

30. EXORARI] ita MSS. & ed. non, *exorare*.

33. MALIM HERCLE VT &c.] Lamb. *det*, cujus interpretationem margini tamen adlevit Pareus, qui retinuit *des*. verùm vel sic stolida est explicatio, sumenda enim ex loco infra 4. 3. v. 44.

A 36. QVANTVM POTEST] i. quamprimum fieri potest: L. Etiam Fabricius ad Terent. monet, hanc formam impersonaliter jungi omnibus personis.

39. QVÆ NON VISITATA SIT.] quæ non sæpè in his locis conspecta sit. Adserendum hoc censui: quia in MSS. Cam. *visita sit*: in omnib. ed. *visa sit*. Camerarius edidit, *usitata sit*. V.N. Epid. & Pseud. act.2:4.

40. FALSIDICVM CONFIDENTEM.] Etsi durius hæc cohærere videbantur tamen scripturam vett. libr. noluimus temerè mutare, præsertim has tot syllabas numeris exigentibus: *Camer.* At vett. edd. *Falsidicus confidensque.*

47. DARE] Ita MSS. Cam. Lamb. mâlit, *Dari.*

50. PROPEMODVM!] Haud aliter Edd. vett. at tamen Pall. ambo. *propemodo.*

68. QVAMVIS S. P. LONGI] Ordo: *Quamvis longi s. &c. L.*

79. ME VIDE] Germ. Laß nur mich dar vor sorgen.

82. QVID ILLVM PVTAS? NAT.] ita Grut. distinxit, hoc sensu: Cùm sit tam prope vespera, vix est quod dubites, quin pro eâ quâ B est natura atque ingenio, jam diu vino sit depositus. Simile Apulejanum Apol. 1. *Quid sit diei vides: dico Crassum jamdudum ebrium stertere, &c.* (Vide N. Curc. 1: 1.) Cæterùm hinc notamus, litteras peregrè latas, portitoribus commissas: utpote qui eas deinde curarent omnibus noti. Terent. Phorm. act.1: 2.

Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modò,
Et ad portitores esse delatam: hanc petam.

Vide J. Langlæum Otii Semestr. lib.8.c.12.

84. QVOD MAXIMVM EST] MSS. *maximist*. Parei pr. stultè, *cum quod*, pro *tum*, quod in libris omn.

85. AFFERRE, NON PETERE HIC] Singularis Venus in hâc sententiâ, in quâ ingenium multorum è nostris Studiosis agnoscas.

86. CONDVCO DE FORO] V. N. Pœn. act.3: 2.

88. HVC AD ADOLESCENTEM] Gruterus adolescens volebat, quanquam hæsitanter, *adolescenti*: ideo scilicet quod MSS. & Edd. vett. non agnoscerent *ad*, quod ipsum Pareus statim editioni pr. intulit. perperam. usitatum enim libris calamo exaratis semel scribere quod bis repeti debet.

89. AD OFFIC. MEVM] ad effodiendum thesaurum.

90. ACTVM REDDAM] Hic terminant omnes vett.edd. Sed MS.pr.Cam.finem versûs ita explet; *nugace sunt nisi.* alter; *nugaces sunt nisi.* E quarum litterarum vestigiis Camerarius fecit, *nugæ hæ sunt.* At J. Palm. Spicileg. fol. 256. *Actum reddam: jam nugas hic fuit. Nugas* (inquit) est sycophanta. eum redditurum se ait, ut jam nunc ibi sit. *Nugas*, pro Nugatore, verbum probum: & agnoscit Priscianus libr. 5. Comminianus & Charisius. Ex iisdem MSS. Cam. Schoppius ita versum explet: *actum reddam, nugas sum, nisi.* Nisi tibi hoc effectum lepide dedero, nu- A gas ero. Testatur autem Charis. & Prisc. veteres dixisse, *hic, hæc & hoc nugas.* Glossæ: *Nugas, σπαταλὸς, ἀσελγής.* Item, *σπαταλὸς, nugatorius, nugax, fædus.* Sic Varro: *Quòd si Actæon occupâsset, & ipse priùs suos canes comedisset, non nugas saltatoribus in theatro fieret.* Porrò & Scipio Gentilis Com. ad Apul. Apolog. *Nugas* poni docet pro hominibus malis & postremæ notæ, è Cicer. 1. Epist. ad Q. Fratr. 2. &c. Vide & Auson. Popmam *De usu antiq. locut.* lib. 1: 3. ubi docet antiquos *S* & *X* permutasse: ut *nugas* pro *nugax*: *adassint* pro *adaxint* &c. quemadmodum *X* & *C* propter affinitatem: ut *secus* pro *sexus*, Rudente.

ACTUS IV. SCENA I.

CHARMIDES senex.

Salsipotenti & multipotenti Jovis fratri, & Nerei Neptuni,
Lætus, lubens, laudes ago, & grates gratiásque habeo, & fluctibus salsis,
Quòm penes me potestas bonis mis quid foret, & meæ vitæ:
Quom suis me ex locis in patriam urbisque mœnia reducem faciunt.
Atque ego, Neptune, tibi ante alios deos gratias ago atque habeo summas.
Nam te omnes sævumque severumque atque avidis moribus commemorant,
Spurcificum immanem, intolerandum, vesanum. contrà operâ expertus:
Nam pol placido te & clementi meo usque modo, ut volui, usus sum in alto.
Atque hanc tuam gloriam jam antè auribus acceperam, & nobiles apud homines,
Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare.
Abi! laudo! scis ordine, ut æquumst,
,, *Tractare homines. HOC DIS DIGNVM'ST, semper mendicis modesti sint.*
Fidus fuisti. infidum esse iterant. nam absque foret te, sat scio in alto
Distraxissent, disque tulissent satellites tui me miserum fœdè,
Bonaque omnia item unà mecum passim cæruleos per campos.
Ita jam quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti:
Imbres fluctusque atque procellæ infensæ frangere mâlum,
Ruere antennas, scindere vela; ni tua pax propitia foret præstò.
Apage me sis! deinde hinc certum'st otio me dare. satis partum habeo.
Quibus ærumnis deluctavi, filio dum divitias quæro!
Sed quis hic est, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu specieque
Simul? pol! quanquam domum cupio, opperiar hîc, quam gerit rem.

VERSUS hujus Scenæ sunt quadrati, hypercatalect. & Catalect. Hippon. unus dimetr.

1. SALSIPOTENTI] ἁλὸς κρατοῦντι, &, ut Horat. ait, *potenti maris deo.*

B 1. ET NEREI NEPTUNI] Ita MSS. & editio Cam. at Lamb. ex conjecturâ leg. *Neptuno & Nereo.* Quem quidem locum cum mihi constitui à Grutero per litteras rogassem, respondit: Non possum. Et quid ineptius quàm

quàm abire à consensu MSS? mallem haberi
Signum naso auriculisque minutum,
quàm interpolatum alterius artificis manu.

3. P. BONIS MIS QVID] Monstra lectionum hic finxerunt alii. nos exhibuimus Palatini primi scripturam parte sui. nam duæ voces postremæ sic ibi concipiuntur, *mea iuite*. Pal. secundus nihil discrepat, quam quod servet, *mea vita*, & primam vocem expresserit per Q. & M, cum linea supercumbente; quod ferè notat *Quoniam*. Editio princeps, *Cùm penes te potestas omnis quidem foret & meæ vitæ.* Camer. proximè libros suos scriptos: *Quos penes mei potestas boni misque foret, & mea vita.*

4. VRBISQVE MOENIA] ita conjecit Cam. cùm esset in MSS. *urbis cumam.*

7. SPVRCIFICVM] Nonius *spurcum* interpretatur sævum, vel sanguinarium. Lucill. Sat. 4. *Samnis spurcus homo.*
Turnebus, in illud lib. 1. ad Herenn. *Si quid eorum superbè, spurcè &c.* interpretatur *spurcè*, atrociter, sæviter, sanguinariè: lib. 20: 21. Nonius idem *spurciss. tempestatem* Ciceroni significare ait vehementissimam, asperrimam.

8. MEO V. MODO] meo arbitratu.

8. IN ALTO] Ita ed. Paris. clarè, & probavit olim J. Gulielmius natum tamen à conjectura Bapt. Pii. Pareus quidem refert restare *alto* in Pal. pr: sed refert suo more, contra verum. is enim ut & sec. *alio.* & omn. ed. vet. *in alto.*

13. INFIDVM] Lucill. lib. 2.
Infidi maris insidias viresque dolumque
Vt vitare velint.

13. IN ALTO DISTRAXISSENT] Fallor? an idem intellexit hisce Vidularià:
Ejusdem Bacchæ fecêre nostram navem Pentheum. quod fragmentum apud Prisc. lib. 7. Gruterus legit. Ita Virg. 8. Æneidos:
Haud procul inde citæ Metum in diversa quadriga
Distulerant. *Differre* enim & scindere, dividere, dissipare significat. Observari autem (ut & hoc obiter addam) tres versûs longos & heroicos: quos hîc, credo, de industria posuit, ut amplior evaderet oratio. primus est:
Sat scio, in alto distraxissent disque tulissent.
Alter:
Unà mecum passim caruleos per campos.
Tertius:
Fluctûsque atq; procellæ infensæ frangere malum.
Tales & in aliis notati sunt. atque (ut obiter dicam) Livius hexametro cepit historiam suam,
Facturusne operæ pretium sim, si à primordio &c.
Annales suos Tacitus;
Urbem Romam à principio reges habuêre,
Bellum Jugurthinum Sallustius;
Bellum scripturus sum, quod populus Romanus &c.
Quod quamvis in prosa est, ut Cicero in Oratore ait, vehementer vitiosum: & ipse tamen, præter *Senarios*, quos vix possumus effugere, Phaleucum,
Successit tibi Lucius Metellus;
(qualem & noster Mostell. 1: 2. v. 44.) sed & integrum hexametrum in Lucullo;
Crassis occultata & circumfusa tenebris:
quin adeò plenum distichon effudit, lib. 3. de Orat. ubi inquit: *Ac mihi quidem veteres illi majus quiddam animo*
Complexi, plus multo etiam vidisse videntur,
quàm quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest.
Quod postremum notavit Rob. Titius Assertion. lib. 9. c. 17. Etiam G. Falctenburgius legitimum ejusmodi versum longum observavit in Taciti Germaniâ:
Auguriis patrum & priscâ formidine sacrum.
Sed hæc cui tandem bono *simulata cupressus?* Quin pingo tempestatem Charmidis nostri, & *caruleos campos*, interpretor *mare*, versu Lucret. lib. 5.
Maxima quà nunc se ponti plaga carula tendit:
Item Virgil. 3. Æneid.
Annixi torquent spumas, & carula verrunt &c.
Lucr. lib. 5. & 6. *natantes campos* dixit, Virgil. l. 3. Georg. l. 8. & 10. Æn. *liquentes campos: salis campos, & arva Neptunia.*

15. ITEM VNA] ita MSS. & vett. edd. Pareus invexit, *ita una*, tantum quia diu abstinuerat manus à mutatione. nam altera sanè lectio centies istâ melior molliorq;.

16. TVRBINES VENTI] Junxit speciem cum genere. V. N. Truc. act. 5: 1.

18. RVERE] ἐνεργητικῶς. Virgil. 2. G. ——*& ruit atram Ad cælum nubem.* item: *ruit omnia latè.*

19. APAGE ME, SIS] ita MSS. & omnes ed. sed Acidalio & hoc, & Lambini glossa nugatoria videtur: legitque, *Apage te sis:* vel, *Apage à me s.* Abire enim, inquit, Neptunum jubet, cum quo nihil deinceps sibi futurum. & vero recepit Pareus commentum primum. Maluissem ego secundum, utpote minus remotum à scriptura membranarum.

20. QVIBVS ÆRVMNIS DELVCTAVI, FILIO DVM DIVITIAS QVÆRO!] Arrige aures, immò animum, qui sudorem & rem parentum temerè dilapidas, præsertim qui es ex Academiâ. P. Merula legit, *Quantis cum ærumnis deluctavi.* vel: *Quantisce ærumnis eluctavi.* quæ vox, inquit, etiam est in Merc. act. 1: 2. *Ne te opprimeret imprudentem atque deluctaret.* Eò enim magis inclinat mens ibi Acanthionis, &c.

21. SPECIEQ. SIMVL?] In pr. MS. Cam. est, *speciaque:* & alter non habet notam interrogandi. Palmerius Spicileg. fol. 138. ad illa Quadrigarii, apud Non. in *Delector: Fabius de nocte cœpit hostibus castra simul oppugnare;* Restituo, inquit, *cœpit castra hostium simulè oppugnare.* Nam *simulè* est *simulatè* & *fictè*. verbum novum, & quod nunc, opinor, primum à me restituitur! Nam etiam apud Plaut. repono, *cum novo ornatu, specieque Simula?* ut *species simula* sit personata: quamvis vulgetur, *Simul*, sanè ineptè. Pistoris tamen vulgatum propugnat. Unde enim, inquit, noverat Senex, hanc speciem simulatam, non seriam esse. Pareus tamen ea purpura editionis suæ pannum fœdè decoravit.

22. DOMVM CVPIO] ita MSS. & omn. edd. Alii, *domi.* ut Don. in Eun. *Quanquam domi cupio, operiar tamen.* i. cupidus sum domi.

ACTUS IV. SCENA II.

SYCOPHANTA, CHARMIDES senex.

HVic ego diei nomen TRINVMMO faciam: nam ego operam meam
Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias.
Advenio ex Seleuciâ, Macedoniâ, Asiâ, atque Arabiâ,
Quas ego neque oculis, neque pedibus unquam usurpavi meis.
„ Viden' EGESTAS quid negotij dat homini misero mali!
Qui ego nunc subigor trium nummorum causâ, ut has epistolas
Dicam ab eo homine me accepisse, quem ego, qui sit homo, nescio,
Neque novi: neque natus, necne is fuerit, id solidè scio.
CH. Pol hic quidem fungino genere est, capite se totum tegit:
Hillurica facies videtur hominis; eo ornatu advenit.
ST. ille qui me conduxit, ubi conduxit, abduxit domum.
Quæ voluit, mihi dixit: docuit, & præmonstravit prius,
Quomodo quicque agerem. nunc adeò, si quid ego addidero amplius,
Eò conductor melius de me nugas conciliaverit.
„ Vt ille me exornavit, ita sum ornatus. ARGENTVM HOC FACIT.
Ipse ornamenta à Chorago hæc sumpsit suo periculo.
Nunc ego si potero ornamentis hominem circumducere,
Dabo operam: ut me esse ipsum planè sycophantam sentiat.
CH. Quàm magis specto, minus placet mihi hominis facies. mira sunt,
Ni illic homo'st aut dormitator, aut sector zonarius.

Loca contemplat, circumspectat sese, atque ædis noscitat.
Credo edepol, quo mox furatum veniat, speculatur loca.
Magis lubido'st observare, quid agat: ei rei operam dabo.
SY. Has regiones demonstravit mihi ille conductor meus:
Apud illas ædis sistendæ mihi sunt sycophantiæ.
Fores pultabo. CH. ad nostras ædes hic quidem habet rectam viam.
Hercle opinor mihi advenienti hâc noctu agitandum est vigilias.
SY. Aperite hoc, aperite. heus! ecquis his foribus tutelam gerit?
CH. Quid adolescens quæris? quid vis? quid istas pultas? SY. heus senex!
Census cum juratori rectè rationem dedi,
Lesbonicum hic adolescentum quæro, in his regionibus
Ubi habitet, & item alterum ad istanc capitis albitudinem:
Calliclem ajebat vocari, qui has mihi dedit epistolas.
CH. Meum gnatum hic quidem Lesbonicum quærit & amicum meum,
Cui ego liberósque bonaque commendavi, Calliclem.
SY. Fac me, si scis, certiorem, hice homines ubi habitent, pater.
CH. Quid eos quæris? aut quis es? aut unde es? aut unde advenis?
SY. Multa simul rogitas! nescio quid expediam potissimum.
Sin unumquidquid singillatim & placidè percunctabere,
Et meum nomen, & mea facta, & itinera ego faxo scias.
CH. Faciam ita ut vis. agedum nomen tuum primùm memora mihi.
SY. Magnum facinus incipissis petere. CH. quid ita? SY. quia, pater,
Si ante lucem lucem ire occipias à meo primo nomine,
Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.
CH. Opus facto est & viatico ad tuum nomen, ut tu prædicas.
SY. Est minusculum alterum, quasi vasculum vinarium.
CH. Hic homo solidè sycophanta est. quid ais tu, adolescens? SY. quid est?
CH. Eloquere, isti tibi quid homines debent, quos tu quæritas?
SY. Pater istius adolescentis dedit has duas mihi epistolas
Lesbonici. mihi est amicus CH. teneo hunc manifestarium.
Me sibi epistolas dedisse dicit. ludam hominem probè.
SY. Ita ut occepi, si animum advortas, dicam. CH. dabo operam tibi.
SY. Hanc me jussit Lesbonico suo gnato dare epistolam,
Et item hanc alteram suo amico Callicli jussit dare.
CH. Mihi quoque edepol, quòm hic nugatur, contrà nugari lubet.
Ubi ipse erat? SY. bene rem gerebat. CH. ergo ubi? SY. in Seleuciâ.
CH. Ab ipson' istas accepisti? SY. è manibus dedit mihi ipse in manus.
CH. Quâ facie est homo? SY. sesquipede quidem est quàm tu longior.
CH. Hæret hæc res: siquidem ego absens sum, quàm præsens, longior.
Novistin' hominem? SY. ridiculè rogitas, quo cum unà cibum
Capere soleo. CH. quid est ei nomen? SY. quod edepol homini probo.
CH. Lubet audire. SY. ille edepol! illi illi! væ misero mihi!

CH.Quid est negotij? ST.devoravi nomen imprudens modò.
CH.Non placet, qui amicos intra dentes conclusos habet.
ST.Atque etiam modò versabatur mihi in labris primoribus.
CH.Temperi huic hodie anteveni. ST.teneor manifesto miser!
CH.Jámne commentatus es nomen? ST.deûm hercle me atque hominum pudet.
„ *CH.Vide homo ut hominem noveris. ST.tanquam me. FIERI ISTUC solet,*
„ *Quod in manu teneas atque oculis videas, id desideres.*
Literis recomminiscar. C est principium nomini.
CH.Callicias? ST.non est. CH.Callippus? ST.non est. CH.Callidemides?
ST.Non est. CH.Callinicus? ST.non est. CH.Callimarchus? ST.nil agis.
Neque adeò edepol floccifacio; quando egomet memini mihi.
CH.At enim multi Lesbonici sunt hîc, nisi nomen patris
Dices, non monstrare possum istos homines, quos tu quæritas.
Quod ad exemplum est? conjecturâ si reperire possumus.
ST.Ad hoc exemplũ est, Char. CH.an Chares? an Charidemus? nũ Charmides?
ST.Hem! istic erit. qui istum di perdant! CH.dixi ego jamdudum tibi;
Te potius bene dicere æquum'st homini amico quàm malè.
ST.Satin' intra labra atque dentes latuit vir minimi pretii?
„ *CH. NE MALE loquare absenti amico. ST.quid ergo ille ignavissimus*
Mihi latitabat? CH.si appellasses, respondisset, nomine.
Sed ipse ubi est? ST.pol illum reliqui ad Rhadamantem in Cecropiâ insulâ.
CH.Qui homo est me insipientior, qui ipse egomet, ubi sim, quæritem?
Sed nihil disconducit huic rei. quid ais? ST.quid? CH.hoc te rogo.
Quos locos adisti? ST.nimium miris modis mirabiles.
CH.Lubet audire, nisi molestum'st. ST.quin discupio dicere.
Omniûm primùm in Pontum advecti ad Arabiam terram sumus.
CH.Ehò! an etiam Arabia'st in Ponto? ST.est: non illæc, ubi tus gignitur,
Sed ubi absinthium fit, atque cunila gallinacea.
CH.Nimium graphicum hunc nugatorem! sed ego sum insipientior,
Qui egomet, unde redeam, hunc rogitem, quæ ego sciam, atque hic nesciat:
Nisi quia lubet experiri, quò evasuru'st denique.
Quid est tibi nomen, adolescens? ST.Pax, id est nomen mihi:
Hoc cotidianum'st. CH.edepol nomen nugatorium:
Quasi dicas, si quid crediderim tibi, pax! periisse illico.
Sed quid ais, quò inde iisti porrò? ST.si animum advortas, eloquar.
Ad caput amnis, quod de cælo exoritur sub solio Jovis.
CH.Sub solio Jovis? ST.ita dico. CH.è cælo? ST.atque è medio quidem.
CH.Ehò! an etiam in cælum escendisti? ST.imò boriolâ advecti sumus,
Usque aquâ advorsâ per amnem. CH.ehò, an etiam vidisti Jovem?
ST.Alii dii isse ad villam ajebant servis depromptum cibum.
Deinde *porrò. CH.deinde porrò nolo quicquam prædices.*
*ST.*Ego *hercle, si es molestus. CE.nam pudicum neminem*

Esse

Esse oportet, qui abs terrâ ad cælum pervenerit.
SY. Dimittam, ut te velle video. sed monstra hosce homines mihi.
Hos ego quæro, quibus me oportet has deferre epistolas.
CH. Quid ais tu nunc? si fortè eum ipsum Charmidem conspexeris:
Illum, quem tibi istas dedisse commemoras epistolas,
Noverisne hominem? SY. na tu me edepol arbitrâre beluam,
Qui quidem non novisse possim, quî cum ætatem exegerim.
An ille tam esset stultus, qui mihi mille nummûm crederet
Philippeûm, quod me aurum deferre jussit ad gnatum suum,
Atque ad amicum Calliclem, cui rem ajebat mandasse hic suam?
Mihi concrederet, nisi me ille & ego illum nossem approbè?
CH. Enimverò ego nunc Sycophantæ huic sycophantari volo:
Si hunc possum illo mille nummûm Philippo circumducere,
Quod sibi me dedisse dixit: quem ego, qui sit homo, nescio:
Neque oculis ante hunc diem unquam vidi: eine aurum crederem?
Cui, si capitis res siet, nummum nunquam credam plumbeum.
Aggrediundu'st hic homo mihi astu. heus, Pax, te tribus verbis volo.
SY. Vel trecentis. CH. haben' tu id aurum, quod accepisti à Charmide?
SY. Atque etiam Philippeum, numeratum illius in mensâ manu
Mille nummûm. CH. nempe ab ipso id accepisti Charmide?
SY. Mirum quin ab avo ejus, aut proavo acciperem, qui sunt mortui.
CH. Adolescens cedo-dum istuc aurum mihi. SY. quod ego aurum dem tibi?
CH. Quod à me te accepisse fassus. SY. abs te accepisse? CH. ita loquor.
SY. Quis tu homo es? CH. qui mille nummûm tibi dedi, ego sum Charmides.
SY. Neque edepol tu is es: neque hodie is unquam eris, auro huic quidem.
Abi sis nugator! nugari nugatori postulas.
CH. Charmides ego sum. SY. nequicquam hercle es: nam nihil auri fero.
Nimis argutè obrepsisti in eapse occasiunculâ.
Postquam ego me aurum ferre dixi, post tu factus Charmides.
Prius tu non eras, quàm auri feci mentionem. nihil agis.
Proin tu te itidem, ut charmidatus es, rursum recharmida.
CH. Quis ego sum igitur, siquidem is non sum, qui sum? SY. quid id ad me attinet?
Dum ille ne sis, quem ego esse nolo, sis meâ caussâ qui lubet.
Prius non is eras, qui eras: nunc is factus, qui tum non eras.
CH. Age si quid agis. SY. quid ego agam? CH. aurum redde. SY. dormitas, senex.
CH. Fassus Charmidem dedisse aurum tibi? SY. scriptum quidem.
CH. Properas, an non properas abire actutum ab his regionibus
Dormitator, priusquam ego hic te jubeò mulcari male?
SY. Quamobrem? CH. quia illum quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides:
Quem tibi epistolas dedisse ajebas. SY. eho! quæso, an tu is es?
CH. Is enimverò sum. SY. ain' tu tandem, is ipsusne es? CH. ajo. SY. ipsus es?
CH. Ipsus, inquam, Charmides sum. SY. ergo ipsusne es? CH. ipsissimus.

Abi

Abi hinc ab oculis. SY. *enimverò serò quoniam advenis,*
Vapulabis meo arbitratu & novorum ædilium.
CH. *At etiam maledicis?* SY. *imò, salvus quandoquidem advenis,*
Dî te perdant; etsi floccifacio, an perijsses prius.
Ego ob hanc operam argentum accepi: te macto infortunio.
Cæterùm qui sis, qui non sis, floccum non interduim.
Ibo ad illum, renunciabo, qui mihi tris nummos dedit,
Ut sciat se perdidisse. ego abeo. malè vive & vale!
Quod dî te omnes advenientem peregrè perdant, Charmides.
CH. *Postquam ille hinc abiit, pòst loquendi liberè*
Videtur tempus venisse, atque occasio.
Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus,
Quid illi negotij fuerit ante ædis meas.
Nam epistola illa mihi concenturiat metum
In corde, & illud mille nummûm quam rem agat.
NUNQUAM edepol TEMERE tinniit tintinnabulum:
Nisi qui illud tractat aut movet; mutum est, tacet.
Sed quis hic est, qui huc in plateam cursuram incipit?
Lubet observare quid agat! huc concessero.

VERSUS hujus & seq. Sc. sunt τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

2. TRIBUS NUMMIS] i. minimo. Lucianus δυ' ὀβολῶν ἀποκηρύττειν, *duobus obulis vendere.* Suetonius *nummo addicere.*

4. Q.E. NEQ. OCULIS N.] i. quas ego neque vidi, neque unquam ingressus sum. *Usurpare oculis aliquid*: dixisse quoque Ciceronem, Lambinus affirmat. Gifanius ad v. Lucr. lib. 1. —— *nec frigora quimus usurpare oculis, nec voces cernere suemus*: Valet, inquit, *usurpare*, crebrò aliquid agere aut dicere: & sæpissimè à Cic. *usurpare* pro *appellare* positum video, quod hodie satis tritum non est. Noster verò dicit, *usurpare oculis*, *usurpare sensibus*, pro *videre*, *sentire*. quæ multo minus sunt nota.

5. VIDEN EGESTAS] Electa Parei hinc ædificarunt quantivis leporis axioma: Egestas sæpe cogit extrema pati: quod secus nemo faceret, si in re esset. Non est tamen quod quis heic requirat sermonis mūditiē. nam alioquin parum videatur Latinum, *quod secus nemo faceret*; item *in re esse*, denique *extrema pati*. rem solùm acu tangit noster Socrates.

6. QUI EGO] *ego*, redundat. L.

9. FUNGINO GENERE EST] *Fungi* nihil sunt aliud ferè, quàm caput. Respexit ad causiam seu petasum, quem capite gestabat. Fulgentius tamen aliter. vide Baptist. L.

14. EO CONDUCTOR MELIUS] Si ea, quæ doctus sum expolivero, tanto melius conductor meâ operâ rem nugatoriam confecerit: L.

15. ARGENT. H. FACIT.] Idem alibi: *Videte quæso, quid potest pecunia!*

16. A CHORAGO] *Choragus*, qui *choragii Thymelici*, (ut Apul. loquitur) i. Scenici apparatûs & instrumenti præfectus ac præbitor erat. Hinc *Choragium* locus unde omnia ad ludos necessaria promuntur. χορηγία. *Choragium* etiam locum fuisse post Scenam, quo se populus reciperet è theatro, cum ludos imbres interpellarent, docet è Victruvio Scip. Gentilis. V. N. Curc. 4. 1. Eleganter etiam Theodo. Cyr. orat. 3. περὶ προνοίας. rerum omnium quibus vivimus, Deum χορηγὸν appellat. Vide & Læl. Bisciolam lib. 6. 6. tomi prioris.

18. UT ME ESSE IPSUM] J. Guliel leg. *ipsus* Contrà Acidal. *ipsum* omnib. modis tenet. Recte.

Rectè. Ait se fore illum ipsum, pro quo sit exornatus, verum, non fictum. A

20. DORMITATOR] i. fur. Turnebus libr. 20.14. Quemadmodum & Hesiodus ἡμερόκοιτον furem appellat: quòd interdiu dormiat, noctu evigilet ad furandum. Idem Jan. Langlæus lib. 8. Otii Semestr. cap. 4. Jac. Cujacius Observat. lib. 11. cap. 27. *Nocturni fures* quasi omnes Plauto sunt *Dormitatores*, ἡμερόκοιται; non *Interdiarii*, ἡμεροκλέπται. J. Savaro ad Apollinar. *fures nocturnos, dormitatores, qui de vespere suo vivunt*, (Milite, 4.2.) *præmiatores* Nævii, *nocturnos grassatores* Petronii, pro iisdem habet. Lambinus *Dormitatorem* pro amatore positum arbitratur. aitque alios simpliciter pro somnolento accipere: quòd, qui tales sunt, capite operto esse velint. alios pro fallaci: quòd, qui alios decipere cogitant, se dormire simulent.

20. SECTOR ZONARIUS] Aristoph. est, βαλαντιοτόμος, *Crumeniseca, Crumenisex*: item *Saccularius* Asconio dictus, teste Cælio lib. 10. cap. 6. Et crimen ipsum dici potest *Crumenisecium*, auctore Budæo in Pandect. Antiquitùs autem in zonis æs gerebant, vel certè crumenas in zonis propendentes. Germ. Beutelschneider. quales inter suos Armoricos frequentes esse, Langlæus profitetur. B

21. NOSCITAT] noscere conatur, explorat. Vide N. Amph. act. 2. sc. 2. & Sticho, 2.1.

22. MOX] Ita MSS. sed Pal. I. *nox*, i. noctu. V. N. Rud. 1.2. & act. 2.4. quod Pareus recepit in contextum, contra, omnes Edd. & insulsè. nam *mox*, notat propè vesperam fuisse.

27. AGITANDUM EST VIGILIAS.] ita Grut. è MSS. Cam. *Agitandum vigilias*: ad exemplum illius Virgil. *pacem Trojano à rege petendum est*. Symmach. lib. 4. *Ea mihi advertendum est*. Cic. in Cat. M. *quam* (viam) *nobis quoque ingrediendum sit*. ubi malè hodiè legunt, *qua nob*. Lucretius: *Æternas quoniam pœnas in morte timendum est* Pacuvius in Augures; qui,

Nam istos, qui avium cantum intelligunt,
Magisque ex alieno jecore sapiunt quam suo,
Magis audiendum quàm auscultandum censeo.

Græcismus est elegans, *Istos audiendum*: ἀκροατέον αὐτούς.

28. APERITNE HOC] *hoc*, δεικτικῶς. Macht da uff.

28. FORIBUS TUTELAM GERIT?] Alloquitur *Ostiarium*, qui, ut ait Ovid. *egressus introitusque videt*. Erant autem *Janitores* sive *Ostiarii* isti in catenis: idque prisco instituto, quod ex Ovid. Fastor. libr. claret. Vide VVouwerium ad Petron. Parei Electa notant ad istum locum: Ad ostium ædium sedebant ostiarii seu janitores in catena cum cane ferreo, & alio oblatratore, quasi vicario. Ab orbe condito nemo unquam febriculosus majores somniavit absurditates. quis unquã dixit scripsitve minimum quid de janitorum cane ferreo?

28. TUTELAM GERIT] Simili modo Trucul. 2.1. v. ultimo: *Ecquis huic januæ tutelam gerit*. neque aliter *hortorum tutela* tributa Priapo, à Virgilio 4. Georg. videatur Guther. lib. 2. Manium cap. 31.

30. CENSUS CUM JURATORI RECT.] ita MSS. Cam. clarè. Editiones, quas vidi, leg. *census conjuratori r.* quod tamen & Camerario jam olim suspectum fuit. Exponitur autem *Conjurator*, apud quem peregrini profiteri cogebantur & nomina & patriam & negotia, συνωμότης. Turnebus (V. N. Prolog. Pœn.) legit, *Census cum juratori, sir.* quod Lambin. retinet, & explicat; Ego, qui census sum, cum rationem dedi *juratori*, i. censori, si modò rectè dedi, tum rationem dedi. Acid. Mirificè, inquit, contortuplicata est Lamb. interpretatio cum Turn. *cum juratori* legentis. Hoc fortè non malè. *Jurator* omninò pro Censore; non tam dictus ideò, quòd ipse juraret, sed quòd alios sub juramento ex animi sententiâ censeret. Nescio tamen si non *Conjuratorem* pro collega Juratoris sive uno ex juratoribus auctor dixit. Ad censoriam quidem rem alludit simili prorsus modo Pœnuli Prologo: *Nomen jam habetis* &c. Ubi *Juratores* in diversum sensum vir doctiss. interpretatur *testes qui produci solent jurati*. Cui nemo animum vel aures commodabit. Apertè luditur in comparatione censionis. Argumentum Fabulæ quasi censetur: censendi locus proscenium est: censores sive juratores, populus & spectatores. hi rationes accipiunt, ferente & dedicante Prologi auctore. Pariter jam in Trinummo cùm rationes adventûs & petitionis à Sene posceretur Sycophanta,

phantæ, velut indignè ferens se inquiri: Quî tu, inquit, me rationes poscis? cum census sum, tum juratori rectè dedi. neque minùs dat tamen statim. Hæc loci germana sententia est, quam facilè verba conficient in hunc modum leviter etiam correcta: *Censu cum sum, juratori rectè rat. dedi.* Quo jure *cum* alii fecerunt, eodem ego *sum* addo. *si* autem deleo auctoritate vet. editionum. *Hæc ille*; cujus commentum in contextum recepit Pareus.

36. HICE HOMINES] MSS. ambo *bosce*. non de nihilo.

49. UNVMQVIDQVID] pro, *unumquodque*. ita sæpe Cicero, quod notavit Manutius lib. 6. 1. epist. Cic. Famil.

42. INCIPISSIS P.] J. Gul. l. *incipisses p.* atq; ita MS. Cam. pr. sed sec. & omn. edd *incipissis sic pot.*

45. OPVS FACE EST ET V.] V. editt. & MSS. Cam. leg. *Opus facto'st & v.* At Lamb. l. *Opus farto est*, (in Paris. *ferto*) i. cibo, quo corpus farcias. Quem Palmer. Spicil. fol. 85. acriter flagellat; & legend. pertendit, *Opus sacco est, & v.* vel, *Opus face est, & v.* Quod enim, inquit, Sycophanta diceret, tantum operis esse in nomine suo, ut, si ante lucem occipiat ire, concubiâ nocte venturus sit: respōdet Charmides, face & viatico ad nomen ejus opus esse, ut scilicet in tam longo itinere & victus si ppetat, & in tenebris lumen: ut subjicit Lipsius, qui hæc eodem planè modo & emendat & explicat. lib. 1. cap. 5. Antiq. Lect. Superaddit tamen: Nisi quis fortè scribend. putet, *Opus facla est*: pro *facula*.

46. ALTERVM] sc. nomen. pro *vasculum*, quod est in edd. uterque Pal. præfert *vix illum*.

50. MIHI EST AMICVS. CH. TEN.] ita Acidal. clarè docet, ista verba, *mihi est am.* Sycophantæ esse: etiam ex v. 64. *Non placet* &c. & v. 78. *Te potius* &c. est in Pall. à manu prima, *Lesbonicus mihi &c.* ex quo facile fiat, *is mihi*, sed non ut cum Pareo recipiamus in contextum contra libros.

55. Q. H. NVGATVR] MSS. *nugantur*: *nugantur.*

58. QVIDEM] Pall. *quiddam*. ferè probè.

59. CH. HÆRET HÆC RES] Tacitè secum, vel ad spectatores hæc mussitat Charmides. Quem quidem versum Gruterus & Rittershus. è MSS. Cam. pr. nunc primùm restituerunt. ita Amphitr.

Vir ego tuus sim? ne me appella falsa falso nomine.

SOS. Hæret hæc res: siquidem hic jam mulier factus est ex viro.

62. ILLE ED. ILLI ILLI!] ita MSS. sed Palmerius. Spicil. fol. 141. leg. *Il, il, edepol, il, il.* Neque enim hæc ullâ cum significatione sunt verba quartata: sed voces effutitiæ, comminiscentis nomen quod exciderit facilius ante, quam nunc in mentem redeat. Equidem *il, il, il*, stribligo est, & conatus reddendæ vocis.

64. QVI AMICOS INTRA DENTES CONCLVSOS HABET] Talis vulgo etiam appellatur, Der nur kommet/ wann man Essen wil. sed hîc aliud.

65. VERSABATVR MIHI IN LABRIS PR.] Nostri: Er lag mir auff der Zungen

66. TEMPERI] i. tempestivè, ita MSS. Cam. & vett. quidam mei, *temperi*.

67. JAMNE COMMENTATVS] ita omn. edd. In pr. MS. est, *Jam recommentatus es.* in alt. *Jam reincommentatus*; qua in re libuit Pareo præstare conjectorem, finxitque *Jamne recommentus es nomen.* quàm venustè, quàm appositè ad propositum! & tamen id ita arrisit homini, ut in contextum receperit.

68. FIERI ISTVC SOLET] Præponunt hîc MSS. aliam personam, teste Grutero. Sed censet Pist relinquenda esse Trinummo: ut se excuset, quòd nomen oblitus sit.

70. C. EST PRINCIP.] C. est capitalis littera nominis. Sein Nam fengt sich vff ein C an. *Reminiscentiam* vocant hanc figuram: cùm per ambages similes deducimur in memoriam rei, quæ nobis exciderat. J. Cæsar Scalig. lib. 3. capit. 90. Poet.

71. CALLICIAS] ita MSS. & edd. vett. & placet Grutero.

76. CONIECTVRA SI REPERIRE] Etiam hinc apparet, frustrà esse Vallam, cum ait, *Invenire*, esset rei perquisitæ; *Reperire*, oblatæ. Ita Cistell. *Requirens servus reperit* &c. Vide & Donat. ad illud Ter. Hecyra: *Perpol quàm paucos reperias* &c. item Not. Epid. extremâ.

77. SI AD HOC EXEMPL. EST, CHAR. CH.] ita ingeniosissimè restituit Palmerius. Quærit Charmides, ad quod exemplum sit nomē; si fortè ita tandem ad verum perveniri posset. Respodet, *Char*, esse initium. quod Acidal. unicè verum probat; abest tamen illud *Char*

Edd.

Edd. & MSS. Pall. injuriè enim Pareus notat, V.C. totum hunc versum exulare. sumat meos oculos & videbit ibidem totum.

77. NUM CHARMIDES?] Hæc posteriora in edd. non apparent: tamen ita MSS. ferè, nempe pr. *mim.* sec. *min.* illud *Charidemus* prius, est ab Acidalii hariolatione. nam edd. & MSS. habent ibi quoque *Charmides*.

81. NE MALE LOQVARE ABSENTI AMICO] ita MSS. ambo. Edd. omnes, *loq. ei præsenti am.* Lambinus, *ei, præsente amico*.

82. SI APPELL.] si nomine appellâsses ipsum, respondisset.

83. AD RHADAM. &c.] στα φαντίζει. hic enim locus nusquam est.

83. IN CERCOPIA] Meurs. l. in *Cercopiâ insulâ*. ut ita ludens appellârit Orcum regnū Rhadamantis, qui sceleratos ibi pœnis & cruciatibus maximis exercet. Nam homines scelerati & maligni κέρκωπες & πίθηκοι, Latinis *Simiæ* nominabantur, ut Trucul. docebitur.

88. ARABIAM TERRAM] *Arabia terra*: ut *Libya citrus*, Varroni: *Italia terra*, Catoni; *Thessala regio*, Apul. *Gallia mulieres*, Sallustio. quod & more Græcorum fit, qui ἑλλάδας γυναῖκας dicunt. Et vix aliter Agellius, teste Colvio. V. N. Asin. act. 1. 1.

90. CUNILA GALL.] *Cunilæ* plura sunt genera, de quibus videatur Plinius lib. 20. 16. item Commentator ejusdem Medicus Jac. Dalechampius, qui Plinio ibid. os verberat. Columella *thymbram* vult esse *silvestrem cunilam*: ut sativam & hortensem, *saturejam*.

96. PAX! PERIISSE ILLICO] Paulò priùs, inquit Meursius, scribo; *Tax*, *id est nom.* &c. hic; *si quid credidero tibi, tax periisse illicò*. Ludit Sycophanta ex instituto suo, dicitque nomen sibi quotidianum esse *Tax*: id est, tanquam hominem *tagacem*, & qui *non benè utatur manu sinistrâ*. traduci à populo. inde est, quòd respondet Charmides audito nomine, dixisse eum, furto illicò periturum, si quid ejus fidei concrederet. Nam ut *pax* à *pago*, ita etiam *tax* à *tago* deducebant. Atque ut *tangere* pro furari usurpabant, ita *tax* & pro *tactim* & pro *furtim*. Hic posteriore notione extulit; priori, in Persâ, act. 2. 3. *tax tax tergo meo erit*. Jam, quod paulò post Charmides iterum eum hoc modo compellat; nihil obstat, si ibi scribamus, *heus*, *Pax*, *te* &c. Nam utebantur hac dictione, cùm aliquem compellarent, aut sermonem ejus interpellarent. Terent. Heaut. act. 2. 3. *CL. pax. Syre mi*, &c. Nam interrumpebat Syri verba, itaque oportebat veniam postulare. Vide Scaligeri Auson. Lectiones. Ad *tax* quod attinet, debet illa vox etiam apud Terent. reponi Fab. citatâ, act. 4. 3.

Unus est dies, dum argentum eripio, pax, nihil amplius.

Ita enim utrobique legendum. Hoc quoque admonebo: ut à *paco pax*, ita ab *harpago* etiam *harpax* adverbialiter efferebant. Pseud. act. 2. 2.

——apage te Harpax, haud places.
Huc quidem herclè haud ibis intrò, ne quid harpax feceris.

Ita enim scribo Hæc ille. MSS. Cam. & Edd. vett *Pax* utrobique, robustâ auctoritate. Pareus tamen *pax* locum dedit editioni suæ. idem statim quoque expressit contra libros scri, tos impressosque *istiu*, cùm illi teneant singularem numerum.

100. ESCENDIS TI?] ita Gruterus è MSS. Cam. *escendisti*: Merc. act. 2. 1. *Escendi in lembum*, ibid act. 5. 4. vers. 90. *in currum escendi*, Amph. act. 3. 4. —— *illuc sursum escendero*, &c. Idem tamen est, quod *Ascendere*, ἀμβαίνειν ἀναβαίνειν. Pareus iterum invitis omnibus Libris invexit editionibus suis *escendistis*. quæ protervia!

100. HORIOLA] quæ navis modica piscatorum. Vide Rud. act. 4. 2. MSS. Cam. & v. edd. *doriola*. P. Valla, *doliola*: & trahit huc illud Festi in *Doliola*: sed trahit. Pareus hîc pædagogico supercilio, carpit eos, qui ineptissimè scribunt in Pall. esse *doriola*, nam To *d* hiatus caussa insertum. sed quis dæmon id ei indicavit; scriptura sanè tale nihil præ se fert. falsò interim Momus iste notat, restare in MSS. iisdem *oricola*. habent enim junctim, *immodoriola*.

101. PER AMNEM] vet. ed. omnes, *per anienem*. Sanè *Anio*, vel *Anien* fluvii nomen in Italiâ.

102. SI ALII DII.] ita Acidalius: quamvis aliquando (ut & Schoppius) *Charmidi* legebat. Nā (inquiebat) Sycophanta se cū Charmide profectū fingit. qui cùm quæsivisset domine

mine esset Juppiter, responsum fuit, eum ad villam abiisse. *Callicli* quidem id nullo modo potuit dici, nisi & is in cœlo unà fuerit. at *Charmidem*, à quo litteras acceperat, ibi fuisse verisimile est. Comites enim habuisse, vel illud innuit, quando ait;

——*imò boriolà adve&ti sumus.*

Idem tamen Acidal. (ut dictum) postmodum relictâ hâc sententiâ, ejuratisque aliis, quæ excogitari cunque possint, omnibus ita rescribendum, quantâ potest adseveratione contendit: *Alij dii isse adv.* Ecquid enim lepidius, inquit, fingi potest à nugatore isto, quàm ut de Jove interrogatus, cùm non vidisse responsurus esset, ita diceret, absente ipso deos alios de ejus abitu sibi retulisse? Nam ex, *Alii dii*, facilis degeneratio in *Callicli.*

104. EGO HERCLE] Edd. vett. *Eo hercle fies.* Acidal. *Ego h. verò, si eris* ne numeri vacillent. Sed nihil hîc certi. nam & in MS. sec. versus hic, cum duobus sequentibus, initio lacunas habet literarum quatuor. haud tamen etiam Pal. pr. in quo: *ô hercle si es molestus.*

104. NAM PUDICUM] Electa Parei densissimas Ignorantiæ tenebras hujus loci, mirifico mirioris Rationis lumine pepulerunt, dum dictant: Peregrinationibus variis exerciti, solent esse arrogantes; ex sententia Sycophantæ. hoc solum errarunt, quod Sycophantæ tribuunt dictum Charmidis. Antea, misellli literiones autumabamus allusum ad fabulam de raptu Ganymedis: qui, Hebe repudiatâ, Jovi pincerna & nescio quid prætera factus est. Schoppius è veteri scriptura MSS. Cam. suspicatur legend. ——*neminem Manere op.* ut versus sit septenarius. quem vide in Arte Criticâ, & id intulit editioni suæ Pareus. Sed sciat Lector, in illis MSS. hîc nihil extare, nisi, in primo quidem, *Pre oport. &c.* at in sec. .... *ere op.* in edd. vett. *Esse op.* Ita pro illo, in tertio versu hinc retrò, *Dein porrò*, in iisdem MSS. esse *Mande p.* in edd. vett. *Mandere p.* At versu 106. pro illo, *Dimittam ut te velle*, pr. habet *Mit aut te velle.* sec. ... *mit aut te velle.* restat tamen vulgata in edd. primis.

107. HOS EGO Q.] ita MSS. & omn. edd. Acidalius, *Quos*, quod recepit in textum Pareus.

115. MIHI CONCREDERET] Mihi, inquam, concrederet illud aurum, nisi &c.

117. SI POSSUM ILLO M. NUMMUM] ita Schop. è MSS. Cam. Elegantius, *mille nummûm.* Sic paulò post l. *numeratum illius in mensâ manu Mille nummûm.* & sic planè in MSS. pr. est; in sec. *numinos.* Illud autem in utroque sic concipitur: *Si possum illo mille nummûm Philippo civem ducere, Quod sib.* nisi quod MS. sec itidem, *nummos*, ut & v. 112.

119. EINE AURUM CREDEREM] Ita egregiè Camer. cùm esset in prioribus edd. *ei nimirum &c.* quod versus non patitur. id tamen revocavit Pareus, & tantum non conjecturæ suæ adscribit, cùm invenisset in Pall. *ne mirum.* fatuè! at enim lepidè *aurum* opponitur *nummo plumbeo.*

123. IN MENSA] apud trapezitam, in foro. L.

125. MIRUM QUIN] V. N. Mostell. act. 2. 2.

129. AURO HUIC QUIDEM] Sic omnes omnino habent edit. & MSS. Cam. Ait enim; ut in aliis rebus omnibus sis Charmides; at non eris etiam isti auro: ut explicat Gruterus. Frustrà igitur est doctus ille Batavus, qui transformavit ea in, *aurum hoc cui dem.*

132. IN EAPSE OCC.] Vett. edd. *obrepsisti meâpse occ.* quod probat Meurs. & recepit in contextum Pareus, planè contra membranas Pall.

133. POSTQUAM EO.] Notetur geminatio particulæ *post.* ita infrà v. 155. *Postquam ille hinc abiit, post loqu.*

135. RECHARMIDA] Jac. Durantius Var. lib. 2. cap. 14. Festivè, inquit, Plautus alludens ad Græci nominis (χάρμη, *lætitia*) significationem, Charmidem auri mentione interpositâ delectatum, & Charmidem professum, jubet se *recharmidare*, hoc est conceptam lætitiam & assumptum nomen deponere.

137. QUI LUBET] ita MS. pr. at sec. *quilibet.*

140. SCRIPTUM QUIDEM] q. d. Non ipsum aurum mihi dedit, sed tantùm auri summam in tabellis notatam.

142. MULCARI] Ita & MSS. Cam. & rectè: non, *multari*, aut *mulctari.* Terent. Eun. *malè mulcabo ipsam.* ita enim hîc & alibi hoc verbum in vetustis cod. scribi notat etiam Torrentius. V. N. Mostell. act. 4. 2.

143. QUIA ILLUM] *illum*, redundat: L.

144. EHOL

144. EHO! QVÆSO, AN TV IS ES?] ita MS. pr. His simillima sunt hæc Aristoph. Plauto, act. 1: 2.

Τί φής; ἐκεῖνος ὄντος εἶ σύ; Πλ. ναί: Χρ. ἐκεῖνος αὐτὸς; Πλ. αὐτότατος.

147. ENIMV. SERO Q.] MSS. *seriò*. J. Gulielmius: Jocus hic est, sed cujus sententia mihi quidem obscura est, fortassi & aliis. nam caussa, cur vapularet Charmides, in adventu solo nulla est. itaque inclino legere, *enimverò serò q*. Nam ad histrionum pœnas alludi manifestum est. Ii verò, si quid deliquerant in actione, vapulabant. In Cistellariæ epilogo:

Ornamenta ponent, postideà loci
Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet.

In culpis autem fuisse, si quis seriùs quam oporteret, proscenium ingrederetur, non dubium est. Hinc Sycophanta Charmidi minatur, qui Fabulâ jam magnam partem actâ peregrè domum venit, daturum eum pœnas, quòd seriò venerit. Hæc ille. Atque ita (*serò* scil. non *seriò*) legebat diu ante hunc etiam J. Langlæus JC. lib. 8. cap. 14. Otii Semestr. ubi docet, leviora præsentaneaque maleficia, omissis judiciorum solemnibus & formulis castigari posse.

149. AT ETIAM M.] ita MSS. & vet. ed. quod irato convenientius censet Gruterus, quàm vulg. *An*.

150. ETSI FLOCCI F.] ita Acidalius. Gratulaturus seni videbatur, cùm inciperet, *salvus quand. advenis*: at παρὰ προσδοκίαν subjicit, *dij te perdant*. Quoniam incolumis huc venisti, pereas, inquit: etsi meâ caussâ perire potueras etiam priùs; nec ego floccum interduim, si id factum. Hæc germana est sententia, joco lepidiss. constans. Tantùm pro *si te* factum *etsi* trajectis literis. Lambinus planè frustra est. MSS. *perdant si te flocci facio, an peryisse prius*. neque aliter edd. vett. at Cam. *si te fl. f. an peryisses prius*.

152. CÆTERVM QVI] E MS. ita colligit Schop. in quibus. *Sederum qui*. Vulg. *Sed enim tu qui*.

155. QVOD DII T.] MSS. *Quod*, an fuit? *Quei Dij*.

156. POSTQVAM] Hinc decem versus sunt Senarii jambici. Et aliam etiam Scenam MSS. hîc ordiuntur.

160. CONCENTVRIAT] *Concenturiare* -it colligere: dictum à Centuriis q-æ ad suffragia conveniebant. uti-u & Pseud. act. 1: 5. Ita Ter. Phorm. act. 1: 4.

——*ego in subsidiis* (ita l. Prisc.) *hîc ero*
Succenturiatus, si quid deficies.

i. ∝o successor in locum deficientis, ad supplementum Centuriæ. A re militari. unde & alterum illud sumptum potiùs censet Lambinus.

162. NVNQVAM EDEPOL] Quemadmodum tintinnabulum temerè & sine motu alieno, tinnire non solet: ita hic Sycophanta non temerè, sed ab alio subornatus, ad ædes meas cum litteris venit, &c. *è Lambino*. Alii sic: Nemo frustrà spargit aliquid, quod ad rem attinet, quin illud sit observandum.

163. NISI QVI] ita & MSS. i. Nisi quis.

163. MVTVM EST, TACET.] ita Gruterus. nam MSS. *mutus tacet*. Vett. edd. omnes, *mutum tacet*.

ACTUS IV. SCENA III.

STASIMVS servus, CHARMIDES senex.

STasime, fac te properè celerem, recipe te ad dominum domum;
Ne subitò metus exoriatur scapulis stultitiâ tuâ.
Adde gradum! appropera! jamdudum factum'st, cùm abisti domo.
Cave sis tibi, ne bubuli in te cottabi crebri crepent,
Si abieris ab heri quæstione. ne destiteris currere!
Ecce hominem te, Stasime, nihili! satin in thermopolio
Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem?
Recipe te, & recurre petere re recenti. CH. huic, quisquis est,

Gurculio'st exercitor: is hunc hominem cursuram docet.
ST. Quid, homo nihili, non pudet te? tribúsne te poteriis
Memoriâ esse oblitum? an verò, quia cum frugi hominibus
Ibi bibisti, qui ab alieno facilè cohiberent manus?
Theruchus fuit, Cerconicus, Crinnus, Cercobulus, Collabus,
Oculicrepidæ, Cruricrepidæ, Ferriteri, Mastigiæ.
Inter eósne homines condalium te redipisci postulas;
Quorum eorum unus surripuit currenti cursori solum?
CH. Ita me di ament, graphicum furem! ST. quid ego, quod periit, petam?
Nisi etiam laborem ad damnum apponam epithecam insuper?
,, *QVINTV QVOD periit, periisse ducis? cape vorsoriam.*
Recipe te ad herum. CH. non fugitivus est hic homo, commeminit domi.
,, *ST. VTINAM VETERES MORES, veteres parsimoniæ*
,, *Potius majori honori hîc essent, quàm mores mali.*
CH. Di immortales! basilica hic quidem facinora inceptat loqui.
Vetera quærit, vetera amare hunc, morem majorum, scias.
,, *ST. Nam NVNC MORES NIHIL FACIVNT, quod licet, nisi quod lubet.*
,, *AMBITIO jam more sancta'st, libera'st à legibus:*
,, *Scuta jacere, fugeréque hostes, more habent licentiam:*
,, *PETERE HONOREM pro flagitio, more fit. CH. morem improbum.*
,, *ST. STRENVOS præterire, more fit. CH. nequam quidem.*
,, *ST. MORES LEGES perduxerunt jam in potestatem suam,*
,, *Magis quis sunt obnoxiosi, quàm parentes liberis.*
Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.
CH. Lubet adire atque appellare hunc: verùm ausculto perlubens.
Et metuo, si compellabo, ne aliam rem occipiat loqui.
,, *ST. Neque istis quicquam lege sanctum'st. LEGES mori serviunt.*
,, *Mores autem rapere properant, quà sacrum, quà publicum.*
CH. Hercle, istis malam rem magnam moribus dignum'st dari!
ST. Nónne hoc publicè animum advorti? nam id genus hominum omnibus
Vniversis est adversum, atque omni populo malè facit;
Malè fidem servando, illis quoque abrogant etiam fidem,
Qui nihil meriti: quippe ex eorum ingenio ingenium horum probant.
Hoc qui in mentem venerit mihi, reipsâ modò commonitus sum.
,, *SI QVIS MVTVVM qui dederit, fit pro proprio perditum.*
,, *Cùm repetas, inimicum amicum beneficio invenis tuo.*
Si mage exigere cupias, duarum rerum exoritur optio:
Vel illud, quod credideris perdas; vel illum amicum amiseris.
CH. Meus est hic quidem Stasimus servus. ST. nam ego talentum mutuum
Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi.
Sed ego sum insipientior, qui rebus curem publicis

Potius,

Potius, quàm id quod proximum'st, meo tergo tutelam geram.
Eo domum. CH. heus tu! adsta illico. audi, heus tu! ST. non sto. CH. at ego te stare volo.
ST. Quid si egomet te velle nolo? CH. ha nimium, Stasime, sæviter!
ST. Emere meliu'st, cui imperes. CH. pol ego emi, atque argentum dedi.
Sed si non dicto audiens est, quid ago? ST. da *damnum malum.*
CH. Bene mones! ita facere certum est. ST. nisi quidem es obnoxius.
CH. Si bonus est, obnoxius sum: sin secus est, faciam uti jubes.
ST. Quid id ad me attinet, bonisne servis tu utare an malis?
CH. Quia boni malique in eâ re pars tibi est. ST. partem alteram
Tibi permitto, illam alteram ad me, quod boni est, apponito.
CH. Si eris meritus, fiet. sed respice ad me huc! ego sum Charmides.
ST. Hem quis est, qui mentionem facit homo hominis optimi?
CH. Ipse homo optimus. ST. mare, terra, cælum, di vestram fidem!
Satin ego oculis planè video? estne ipsus, an non est? is est.
Certè is est! is est profectò! ô mi here exoptatissime,
Salve! CH. salve Stasime! ST. salvum te. CH. scio & credo tibi.
Sed omitto alia! hoc mihi responde: Liberi quid agunt mei,
Quos reliqui hic filium atque filiam? ST. vivunt, valent.
CH. Nempe uterque? ST. uterque. CH. di me salvum & servatum volunt.
Cætera intus otiosè percunctabor quæ volo.
Eamus intrò! sequere. ST. quò tu te agis? CH. quónam, nisi domum?
ST. Hiccine nos habitare censes? CH. ubinam ego alibi censeam?
ST. Iam. CH. quid jam? ST. nō sunt nostræ ædes istæ. CH. quid ego ex te audio?
ST. Vendidit tuus natus ædis. CH. perii. ST. præsentariis
Argenti minis numeratis. CH. quot? ST. quadraginta. CH. occidi.
Quis eas emit? ST. Callicles, cui tuam rem commendaveras,
Is habitatum huc commigravit, nosque exturbavit foràs.
CH. Ubi nunc filius meus habitat? ST. hîc in hoc posticulo.
CH. Malè disperii. ST. credidi ægrè tibi id, ubi audisses, fore.
CH. Ego miser meis periculis sum per maria maxima
Vectus capitali periculo, per prædones plurimos
Me servavi, salvus redii: nunc hîc disperii miser,
Propter eosdem, quorum caussâ fui hâc ætate exercitus.
Adimit animam mihi ægritudo. Stasime! tene me. ST. visne aquam
Tibi petam? CH. res quum animam agebat, tum esse offusam oportuit.

VERSUS hujus Sc. tetrametri sunt catalect. trochaici.

VII. FAC TE] ita MSS. & omn. ed. vett. Tamen Palm., & N. Faber, & Godesc. Stevvech. in, De Deo Socrat. ex conjecturâ facieb. *fac te properè celeres*, ut alibi, *Fac intelligas*, Sallust. *Fac cogites*, &c. quod temerè in textum recepit Pareus.

4. NE BUBULI IN TE COTTABI CR.] Græci in conviviis solebant è poculo reliquias vini arte quâdam in terram elidere, ut sonum redderet, vel (ut Cicero de eodem 1. Tuscul.) *reso-*

resonaret: idque κοτταβίζειν, *facere cottabum*, vocabant. Quò respiciens Plautus *cottabos bubulos* facetè vocat vel plagarum crepitus, qui eduntur, cum servi corio bubulo cæduntur; vel lora ipsa, quibus cæduntur. Jam de ludicro hoc convivali, multi tradiderunt multa. Tu Lipsium mihi vide Antiq. Lect. lib. 3. & J. Parrhasium De rebus per Epistol. quæsitis: ubi hoc totum accuratè expenditur. Athenæum inprimis, qui lib. 10. & maximè 15. hæc ex professo tractat, pag. 666. & seqq. editionis Casaubonicæ.

5. SI ABIERIS] Si abieris tum, cum herus te quæret. L. Videatur Merc. 2. 4. v. 13.

6. THERMOPOLI] *Calidam aquam*, eamque puram putam, haud medicatam, aut potionem nescio quam dulcem & confectam (quod, sine autore veteri, quidam ponunt) Græcis Romanisq; antiquitus ad usum fuisse, immò ad delitias, luculenter docet J. Lipsius Elect. l. 1. c. 4. Et hic *thermopolia* dictas cauponas, in quibus hæc *Calida* væniret: & verbum *thermopotare* à Plauto ex Græco & Latino conflatum. Et quamvis postea utraque etiam, & *solitaria* & *vino infusa* in usu fuerit, hanc *Mixtam* tamen in delitiis maximè fuisse, &c. Ammianus lib. 28. de sui ævi moribus: *Ita autem pauci sunt inter eos severi vindices delictorum, ut si aquam calidam tardius attulerit servus, trecentis affligi verberibus jubeatur.* Adde Epictetum 1. Diss. c. 13. item Jul. Pollucem lib. 9. cap. 6. Comprobat hoc & illustrat Henr. Salmuth. JC. in Notis ad Guidon. Pancirollum Rer. Memorabil. Tom. 1. pag. 542. & seqq. inprimis Gul. Stuckius lib. 3. c. 6. Antiquit. Convivalium, qui hæc ex professo & copiosissimè pertractat. Quos mihi vide, qui morem hunc fugitivum & hoc sæculo desitum vel miraris vel elevas. Vide item N. Curcul. act. 2: 3. & Persâ, act. 5: 1. Sed nec fortasse negligenda, quæ Joseph. Castalio lib. 1. c. 9. Observat. in hanc rem ambitiosè disputavit.

7. CONDALIUM] *Condulus*, vel *condalus* & *condalium*, annuli genus Festo est, quem servos digitis gessisse Cælius auctor est. Scaliger ἀπὸ τῶν κονδύλων, à digitorum articulis, ducit. Plautus quoque Fabulam Menandri δακτύλιον cum verteret, *Condalium* eam nominavit. Vide & Alciat. lib. 4: 18. Parerg.

7. THERMOPOTASTI GUTTUREM] i. Postquam calidâ potione guttur proluisti. Turnebus.

8. HUIC, QUISQUIS EST, GURCULIO'ST EXERCITOR] J. Lipsius 1. Cent. Epist. 15. putat ab athletis sumptum, quibus gymnastæ sui & magistri exercitores. Quia igitur in brevitate illâ proscenii currebat Servulus & recurrebat, sed lento & mimico cursu; Senex ludit, &, Hunc hominem, inquit, tardus aliquis Gurgulio ad cursum exercuit: ita currit, nec procurrit. Non aliâ allusione aut sententiâ, suprà dictum; *magister mihi exercitor animus hic est.* Douza; Quantopere *Curculio* iste Alciatum, Lambinum, alios exercitos frustrà habuerit, non commemorabo, reâpse ostendere contentus, *Curculionem* hoc loco haud quidem pro vermiculo illo triticei farris populatore, sed verò pro eâ gutturis parte, quâ λάρυγξ eminet, quam inter comedendum moveri cernimus, interpretandum; sive pro gulâ ipsâ potiùs ut *Gurgulio* fiat scilicet. In quo gratiam dicto insuper conciliat ἀμφιβολία: præter duo ista, quæ proposui modò, etiam ad Plautinam Fabulam illam accommodare idonea: in quâ *Parasitus Curculio* similiter sese ad cursuram exercens inducitur: quo tametsi obliquè allusisse videri possit Charmides, diversum tamen vult intelligi, senili parcimoniâ servi sui edacitatem sugillans, cui agitator atque exercitor *gurgulio*, i. gula, sive adeò pars illa, per quam in ventrem descendit cibus. Hæc ille. Ut autem hîc *exercitor*, ita & *exercitio* alibi legitur, in Catonis illâ præclaræ veritatis sententiâ: *Vita*, inquit, *humana propè uti ferrum est. si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit. itidem homines exercendo videmus conteri. si nihil exerceas, inertia atq; torpedo plus detrimenti facit, quàm exercitio.*

11. MEMORIA ESSE OBLIT.] ita Capt. *memoriâ memini tamen*. Sed J. Gul. l. *Memoriæ esse obl.*

13. THERUCHUS &c.] Nomina Servulorum à Plauto conficta: quorum ἔτυμα investigare, esset otio suo abuti. Et vidi tamen qui fecerit: illâq; & ego jam huc illeveram: sed nunc induco.

13. COLLABUS] Palm. fol. 83. & 112. l. *Cottabus*. à cottabo scilicet illo flagellorum, quod in editiones suas recepit Pareus, libris scriptis editisq; invitis. & quod magis ridiculum

culum, nullo præeunte idem in ultima quater C. mutavit in K. an hoc est sequi Palatinos?

14. OCVLICREPIDÆ] quib. oculi pugnis contundi solent. Palmerius mâlit, *Occulteripidæ*, qui occultè eripiunt. hocque statim intulit editioni suæ pr. Pareus, planè versu gemente.

14. FERRITERI] quos alibi *ferritribas*, & *genus ferratile* vocat, Mostel. act. 1:1. & *ferriterisiis* (auctore Palm.) carceres & catenas: quod ferrum in iis teratur, ibid. act. 3. 2. ubi Douza tamen l. *ferriterium*.

16. QVORVM EORVM VNVS &c.] Ita versutè docti sunt & exercitati in furto artifices, ut unus eorum surripuerit cursori, dum curreret, soleam calceamenti. *Solum* & infimum pedis calcaneum & calcei soleam significat. Lucr. lib. 1. *Nullius loca trita solo, &c.* Martial. lib. 9:75.

En mordere luto putre vetusque solum.

Vide Scalig. in Conject. & Not. Bacchid. act. 2: 3.

17. GRAPHICVM] V. N. Epid. act. 3: 3. Eleganter etiam fures describit *Plauti QUEROLUS*, Scenâ 2. *Ubinam illa est cohors fuliginosa, Vulcanosa, atra, quæ de die sub terras habitant, nocte in tectis ambulant?* Dicitur *fuliginosa*: nam fures à *furvo*. *Vulcanosa*, i. noctivaga. Sic noctem etiam Horat. 1. Carmin. 4. describit —— *dum graves Cyclopum*

Vulcanus ardens visit officinas.

18. EPITHECAM] MSS. *apothecam*. ut & vett. ed. Alciatus quodvis repositorium ita dici putat: hoc verò loco dactylothecam. Cam. suspicatus est *epithecam*. quo quidem nihil certius & sensui convenientius ait Pistoris. ἐπιθήκη *additio, adjectio* est. Lambinus *hypothecam* etiam hic quadrare existimavit.

19. QVIN TV, QVOD PERIIT, PERISSE DVCIS!] Versus hendecasyllabus Phaleucus, elegans quà numeris, quà sententiâ.

19. CAPE VORSORIAM] sito παλινδρομος, Hans-kehr-umb. *Da vela retrorsum*, ut loquitur Flaccus. Turnebus lib. 20: 4. *Vorsoria* est funis, quo velum vertitur. nam eos (notat J. B. Pium) ferre non possum, qui recentem illam pyxideculam naviculatoriam atavorum memoriâ inventam explicant. A Meam confirmat sententiam, quod ab eodem scriptum est Epid. act. 1:1.

Utcunque in alto ventus est, ex imo velum vertitur.

Scalig. ad Manil. *versura*, τροπὴ est. *versuram* in porticibus dixit Vitruvius, quam *vorsoriam* Plautus.

21. ATQ. VTIN. V. MORES] MSS. leg. *ST. Utinam v. homines veteresque p.* Sed ed. antiquæ. *ST. Utinam veteres mores veteris parsimoniæ potius &c.* Sanè τὸ *atq.* nusquam apparet.

21. VTINAM VETERES HOMINES] Edd. vett. habent *mores*. sed alterum est in utroq; Pall. At recentiores versum fulciunt nonnullis interpositis. verùm potius est ut repetatur vocula sic. *Utinam veteres homines, utinam veteres parsimoniæ.*

24. VETERA AMARE H. MOREM M.] ita edd vett. & MSS. Cam. Douza conjicit leg. *Vetera amare hunc, more majorum, scias.* quod in contextum admisit Pareus.

26. SANCTA EST] i. tuta & inviolata facta est: L.

B 26. LIBERA'ST] J. Gul. Concinnius est, si scribas: *liberata legibus*. ad quod exemplum passim usurpatur, *solutus legibus*. & hoc statim arripuit editio Parei; contra libros tamen.

27. SCVTA IACERE] V. N. Epid. act. 1: 1. Parei ultima mss. cusisq; repugnantibus obtrusit nobis *habet*.

29. STRENVOS PRÆTERIRE, MORE FIT] Consuetudine nunc fit, ut viri fortes ab improbissimo quoque in honoribus petendis victi discedant, locoque moveantur. Douza jubet hic adire Festum; in *Præteritis Senatoribus*: Ego etiam Scaligerum, ad illa Festi.

31. OBNOXIOSI] Quibus Legibus mores sunt magis obnoxiosi, id est, dominantes & imperiosi, quàm parentes liberis. *Obnoxiosi* enim, qui alios sibi obnoxios habere volunt. Atque ita quidem, Lambinus. contra quem Acid. planè explicat; atque *Obnoxiosus*, inquit, è diverso prorsus, multum est obnoxius. ibique perverti jura omnia Servus queritur: & præter alia, leges à moribus jam

in suam potestatem perductas;cùm ipsi contrà legibus obnoxii esse debeât magis, quàm hodie sint parentes liberis suis, qui itidem parentibus esse potius debeant. Ita duplex est incusatio, illæc directa in mores; hæc obliqua in liberos: quæ occultior fefellit hactenus: sed quò occultior,eò acrior est, & ex transverso vehementiùs mordet. Utrumque contra naturam est: Leges moribus, parentes liberis obnoxios esse. Quem sensum invidit usurpatio vocis ejus, aut potiùs reliqua loquendi forma duplex. semel enim de jure, ut vocant, accipitur; iterum de facto: & prius in mores, alterum in parentes dictum, &c. Vide Stich. act.3:2. v.41. MSS.Cam. legunt

Magis qui sunt obnoxiosi, quàm parentes liberi.

At vett.ed.quas vidi, omnes legunt *obnoxii.* Etiam H.Stephanus, in De Plauti Latinitate, p.389. istam vocem (*obnoxiosi*) miram sibi & insolentem ait videri: cùm præsertim in edit. prioribus non habeatur: sed nuper (ut quidem ipsi videbatur) in *Plautinum fontem omnium pulcerrimum* irrepserit. Pareus hic agit Alexandrum Magnum, ac nodum Gordium, non dissolvit, sed gladio dissecat scin quomodo? insolenti usus impudentia, commentum Brantii in contextum retulit, nullum probante libro scripto, editove. edidit inquam noster Rex: *obnoxiosæ, quàm parentibus liberi.* Et tamen carnifex iste, contumeliam suam existimat, vocari Asinus: cùm profectò ipsamet sit Asinitatis quinta essentia. nam ecce ad marginem hujus lectionis, ponit interpretationem Acidalianam, prorsus ex diametro contrariam. phy phy!

32. EÆ MISERÆ &c.] Quod leges ligneis vel æreis incisæ tabulis ad parietem in foro affigantur, ut ab omnibus cognosci possint, id Servulus urbanè trahit in aliam partem, quasi legibus fiat injuria, aut quasi per leges supplicio afficiantur innocentes. Ita jocatur & Capt. 4:3. *de pernis indemnatis.* Vide & Ant. Augustin. De legibus, cap.16. item Philip. Melanchthonem, In Adhortatione De legendis Trag.& Comœdiis, anno 1545 publicatâ. Cyprianus noster lib. 1. Epist. 2. *Incisæ sint licet Leges duodecim tabulis, & publicè ære præfixo jura præscripta sint, inter Leges ipsas delinquitur: inter jura peccatur &c.*

A

36. NEQ. ISTIS] qui hodie vivunt: & sic edd. vett. nam MSS. *isti*, quod non temerè damnarim.

37. QUA SACRUM, QUA] *quà, quà.* V.N. Mil. act.4:3.

39. NONNE HOC] Nónne hoc publicâ animadversione coerceri debet? L.

39. OMNIBUS] ita disertè MSS. non, *hominibus.* V.N. act.1:2.

41. MALE FIDEM SERVANDO] Lamb. hoc ad Magistratûs refert: minùs appositè. loquitur enim de debitoribus non solventibus, & stomachatur sibi fidem in talento reddendo non servatam. Et ita, ait, malos debitores fidem non servando, facere, ut etiam iis, qui servaturi essent, tanto difficiliùs credatur. *Pist.*

42. INGEN. H. PROBANT] non obviâ notione, *probant*, pro æstimant, pendunt. ita tamen Persâ, act.2:2.

Tuo ex ingenio mores alienos probas.

Item Ovid.

Vulgus amicitias utilitate probat.

Ter. Andr. 4:1. *Hei me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo.* Gruteri Florilegium:

B

Alienum animum ex animo spectat probus suo.

45. INVENIS] MSS. Cam. *invenias.* sed alterum extat in edd. primis.

46. OPTIO] i. electio. Hunc locum, de mutuo improbis dato, existimat C. Rittershusius Plautum mutuatum esse ex istis Axionici vet. Comici versibus.

Ὅ ταν δανείζῃ τις πονηρῷ χρήματα,
Αὐτοῖς δικαίως τοῖ τόκοις λύπας ἔχει.

Qui mutuam dat improbo pecuniam,
Pro fænore is jure accipit molestias.

Sed cur *jure*? an non potius, *injuria*? Quia debuit esse in dando cautior. Vide P. Gregorii Tolosani Syntagma Juris, lib.2. cap.5:4.

51. MEO TERGO TUTEL. G.] Jocosè. ita suprà, *ecquis foribus tutelam gerit?* ita & alibi.

52. ASTA IL.] ita MSS.& vet.edd. recentiores, *sta.*

52. AT EGO TE STARE VOLO] ista absunt à MSS.Pall. nescio unde suffarcinata, inquit Pareus. nec satis; addit; Et tamen alii editores ut Plautina, tacitè in textum infersêrunt.

Si sic pergitur, Plaute periisti! Sic ille, qui Plauto plus mali unus intulit, quàm Editores universi. Nimirum, Camerarius istud retinuit, quamvis videret abesse MSS. suis; retinuit, inquam, cum lectione totius Orbis publica. & verò responsio sequens, satis ejus firmat germanitatem.

54. EMERE MELIUS EST] Persa, act. 2:4. *Emere oportet quem tibi obœdire velis.* Germ. Wilt du ein Knecht haben / so schaff dir einen.

55. DICTO AUDIENS EST] ita Lamb. & Acidal. uti & mox, *si bonus est*, &, *sin secus est*; non, *es*. Neque enim, inquit iste, hoc de Stasimo, sed de quovis indefinitè capiendum: quod vel illud convincit: *ST. Quid id ad me attinet, &c.* Ad verb. igitur *emi* non *te*, sed *aliquem* subintelligendum. MSS. ubique *es*.

55. DA DAMNUM MALUM] J. Guliel. l. *da magnum malum*: ut numeri sint salvi. & istud visus in Pareana pr. J. Palm. *Dane malum.* quod perspicuè, inquit, verum est. *Dano*, pro, *do*, vetustum. Lips. 1. Cent. Ep. 15. *da damnum malum.* quòd, *agere damnum*, minus Latinum. MSS. & vett. edd. non habent illud *da*, sed quoties syllaba periit ob geminam similitudinem quæ ei cum addita voce? itaq; admisi.

A

56. NISI Q. ES OBNOXIUS] Cum hâc exceptione quidem, nisi servo tuo, ob alia ejus rectè facta, multum debeas: L. Vide N. Stich. 3:2.

67. SED OMITTO] ita vett. cod. omnes mei, ut & MSS. Tamen Acid. supposuit, *omitte*: & hoc in suis edd. esse ait. quas ego sanè miror quæ fuerint. Quanquam nec sic malè: ut Servi gratulatio ab adventore & alia omnia festinante præcidatur. non erat tamen ut ideo contextum mutaret Pareus, qui & mox versu 73. ergo reposuit, cùm in nullo uspiam reperiatur libro, neq; adeò multum requiratur.

B

77. QUIS EAS] sic V. C. male vulgo *Qui eas*, vel versus gratia.

83. HAC ÆTATE] ita MSS. Sed J. Gul. & Douza asserunt, Nonium legere, *hoc ætate.* unde suspicantur scriptum, *hoc ætatis*, i. ætate tam præcipiti atque effœtâ. Ut, *hoc noctis*, pro, nocte tam serâ sive intempestâ. & istud arripuit Pareana pr.

84. VISNE AQUAM] Nam animi deliquio correptis aquula adspergitur.

85. RES CUM ANIMAM AG.] Cùm res familiaris peribat. Ridiculè ἄψυχοι facit ἐμψύχοι.

ACTUS IV. SCENA IV.

CALLICLES, CHARMIDES senes duo, STASIMUS servus.

Quid hoc hîc clamoris audio ante ædis meas?
CH. O Callicles! ô Callicles! ô Callicles!
Qualine amico mea commendavi bona!
CA. Probo & fideli, & fido, & cum magnâ fide;
Et salve, & salvum te advenisse gaudeo.
CH. Credo omnia istac, si ita'st ut prædicas.
Sed quis iste est tuus ornatus? CA. ego dicam tibi.
Thesaurum effodiebam intus, dotem, filiæ
Tuæ quæ daretur. sed intùs narrabo tibi
Et hoc & alia. sequere. CH. Stasime! ST. hem! CH. strenuè
Curre in Piræum, atque unum curriculum face.

Videbis jam illic navem, quâ advecti sumus.
Jubeto Sangarionem, quæ imperaverim,
Curare, ut efferantur. & tu ito simul.
Solutum'st portitori jam portorium.
ST. Nihil est moræ. CH. i, i, ambula! actutum redi.
ST. Illic sum atque hîc sum. CA. sequere tu hàc me intrò. CH. sequor.
ST. Hic meo hero amicus solus firmus restitit,
Neque demutavit animum de firmâ fide.
*Quanquam labores multos*****
Sed hic unus, ut ego suspicor, servat fidem.
Ob rem laborem eum ego cepisse censeo.

VERSUS hujus Scenæ sunt trim. jamb. acatalect. A

6. CREDO OMNIA] Numerorum caussa interseruere alii *tibi*. mallem repetere *Credo*, vel *omnia*. Pareus immani hîc usus est temeritate, & versus non simplici pernicie transposuit: *omnia istæc tibi, si ita'st, ut prædicas, credo.* at sic nulli omnino libri.

11. PIRÆUM] Nonnulli distinguunt, ut sit *Peiræeum* opidum: *Peiræum*, portus. Sed haud scio an fixa sit differentia. Vide Interpret. ad illud Ter. Eun. act. 3: 4.
Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo:
inprimis Cicer. lib. 7. ad Attic. Epist. 3. Hodie dicitur *Portus leonis*: à leone marmoreo, qui in ruinis inventus atque ibi erectus est. B

11. UNUM CURRICULUM FACE] Terent. Heaut. act. 4: 4. *Curriculo percurre*, i. instar curriculi properè. Franci mei, lauff eins lauffs.

13. JUBETO] MSS. Pall. & omnes vett. uno consensu, *Videto*: & mihi aures valdè titillat. mirator Pareus hîc quærit, cur igitur non receperim in contextum? quia Camerarius alterum invexerat, & sic potius videatur loqui debuisse Plautus quàm altero modo.

16. I, I, AMBULA] Secutus sum lineamenta Pall. in quibus, *moratii ambula*. Edd. pr. *moræ. CH. tu ambula*. Cam. *CH. nihil ambula*.

18. AMICUS SOL.] MSS. & omnes edd. *amico solus*. unde suspicatur Grut. si fortè fuerit, *amico amicus firmus*.

20. QUANQUAM LAB.] Reliqua desunt in MSS. quibus & numeri & sententia absolvatur. In exemplis vulgatis confusione omnia corrupta sunt. Dicuntur autem hæc à Servo εἰρωνικῶς: *Cam.* Sed Lamb. ita redintegrare conatus est:
Quanquam labores multos ipse pertuli.

22. OB REM] Vet. editt. hæc ita leg.
Neque demutavit animum de firmâ fide.
Hic unus, ut ego suspicor, servat fidem:
Quanquam labores multos ob rem eum ego cepisse censeo.
quod Meursio valdè arrisit: At verò Acidalius; Non de se, aut suis, inquit, laboribus Servus loquitur, sed de Calliclis: ut apparet ult. versu. ubi sententiam veram aperiam emendatione, *Ab re lab.* Non enim hic convenit de re faciendâ. Alii sunt labores, quos eum cœpisse judicat *ab re*, i. frustrà, & non ex merito ipsius. Immeritò enim calumniis exagitatum & oneratum infamiâ innuit, quam ille fide suâ sibi pepererat; ut ex superioribus clarum. Et huc etiam verborum defectorum sensus respexit, *Quanquam lab.* Hæc ille. Mihi judicium & modestiam Camerarii hîc etiam æmulari placuit. Pareus commentum Acidalii recepit in contextum editionis pr. ut decet ardelionem.

ACTUS

ACTUS V. SCENA I.

LYSITELES, adolescens.

HIC homo est omnium hominum præcipuus, voluptatibus gaudiisque antepotens:
Ita commoda, quæ cupio, eveniunt: quod ago, assequitur, subest;
Subsequitur: ita gaudiis gaudium suppeditat.
Modo me Stasimus Lesbonici servus convenit: is
Mihi dixit, suum herum peregrè huc advenisse Charmidem.
Nunc mihi is properè conveniendus est; ut, quæ cum ejus filio
Egi, ei rei fundus pater sit potior. eo. sed fores
Hæ sonitu suo mihi moram objiciunt incommodè.

HIc HOMO] Seipsum intelligit δεικτικῶς. A Sunt autem versus tetrametri & trimetri, &c. numeris confusis :. *Cam.* Gruterus & Schopp. è MS. pr. Cam. legunt

Hic homo est o. h. præcipuus vol. g. antepotens. Dixit, *gaudiis antepotens*, quasi *antepollens.* Sicut *Pietate potens*, apud Propert. pro, maximè pio. Horat. *muneribus Veneris potens.* Sanè *præcipuus*, non, *præcipuis*, est in MSS. & omnibus edd. ita in MS. sec. *anteponens.* vulgati, *præcipuis voluptatibus gaudiisque anteponendus*, nolente versu.

2. COMMODA] Palmerius l. *commodùm*, vel *commodo.* Rud. *commodùm obviam venies patri.* & *commodò* recepit Pareus in textum, repugnantibus libris.

2. SUBEST] Acidalius suspicatur hoc aut delend. aut leg. *subit.*

7. FUNDUS] i. auctor, Festus, Budæus, Turnebus lib. 4. 12. Ant. Augustinus ad Festum. Agellius l. 16. c. 8. Sigonius l. 1. c. 4. De antiq. jure Italiæ: ubi de industriâ hoc egit, Hotomannus lib. 2. Observat. c. 5.

ACTUS V. SCENA II.

CHARMIDES, CALLICLES, senes duo. LYSITELES, LESBONICUS, adolescentes.

NEQUE fuit, neque erit, neque esse quemquam hominum in terrâ diu arbitror,
Cui fides fidelitasque amicum erga æquiparet suum:
Nam exædificavisset me ex his ædibus, absque te foret.
CA. SI QUID amicum erga bene feci, aut consului fideliter,
„ *Non videor meruisse laudem: culpâ caruisse arbitror.*
„ *Nam BENEFICIUM, homini proprium quod datur, prosumpserit:*
„ *Quod datum utendum est, id repetundi copia 'st, quando velis.*
CH. Est ita, ut tu dicis. sed ego hoc nequeo mirari satis,
Eum sororem despondisse suam in tam fortem familiam,
Lysiteli quidem Philtonis filio. LY. enim me nominat.
CH. Familiam optumam occupavit. LY. quid ego cesso hos colloqui?
Sed maneam etiam opinor: namque hoc commodum orditur loqui.

CH.Vah! CA.quid est? CH.oblitus intus dudum tibi sum dicere:
Modo mihi advenienti nugator quidam accessit obviam;
Nimis pergraphicus sycophanta: is mille nummûm se aureûm
Meo datu tibi ferre, & gnato Lesbonico ajebat meo:
Quem ego nec qui esset noram, neque eum ante usquam conspexi prius.
Sed quid rides? CA.meo allegatu venit, quasi qui aurum mihi
Ferret abs te, quod darem tuæ gnatæ dotem: ut filius
Tuus, quando illi à me darem, esse allatum id abs te crederet,
Neu qui rem ipsam posset intelligere, & thesaurum tuum
Me esse penes, atque eum à me lege populi patrium posceret.
CH.Scitè edepol! CA.Megaronides communis hoc meus & tuus
Benevolens commentu'st. CH.quin collaudo consilium, & probo.
LY.Quid ego ineptus, dum sermonem vereor interrumpere,
Solus sto; nec quod conatus sum agere, ago? homines colloquar.
CH.Quis hic est, qui huc ad nos incedit? LY.Charmidem socerum suum.
Lysiteles salutat. CH.di dent tibi, Lysiteles, quæ velis.
CA.Non ego sum salutis dignus? LY.imò salve, Callicles.
Hunc priorem æquum'st me habere. TUNICA PROPIOR PALLIO EST.
CH.Deos volo consilia vestra rectè vortere.
Filiam meam tibi desponsatam esse audio. LY.nisi tu nevis.
CH.Imò haud nolo. LY.sponden' ergo tuam gnatam uxorem mihi?
CH.Spondeo, & mille auri Philippûm dotis. LY.dotem nihil moror.
CH.Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi.
Postremò, quod vis, non duces, nisi illud quod non vis, feres.
CA.Jus hic orat. LY.impetrabit te advocato atque arbitro.
Istâc lege filiam tuam sponden' mihi uxorem dari?
CH.Spondeo. CA.& ego spondeo idem hoc. LY.oh, salvete affines mei.
CH.Atque edepol sunt res, quas propter tibi tamen succensui.
CA.Quid ego feci? CH.meum corrumpi quia perpessus filium.
CA.Si id meâ voluntate factum est, est quod mihi succenseas.
Sed sine me hoc abs te impetrare, quod volo. CH.quid id est? CA.scies.
Si quid stultè fecit, ut ea missa facias omnia.
Quid quassas caput? CH.cruciatur cor mihi, & metuo. CA.quid nam id est?
CH.Quum ille ita'st ut esse nolo, id crucior; metuo si tibi
Denegem quod me oras, ne te leviorem ergo me putes.
Non gravabor. faciam ita ut vis. CA.probus es. eo, ut illum evocem.
CH.Miserum'st malè promerita, ut merita si mihi ulcisci non licet.
CA.Aperite hoc, aperite properè, & Lesbonicum, si domi'st foras
Evocate: ita subitu'st, properè quod eum conventum volo.
LE.Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subitò foras?
CA.Benevolens tuus atque amicu'st. LE.satinè salvè? dic mihi.
CA.Rectè: tuum patrem rediisse salvum peregrè, gaudeo.

LE. Quis id ait? CA. ego. LE. tun' vidisti? CA. & tute idem videas liceat.
LE. O pater, pater mi salve. CH. salve multum gnate mi.
LE. Si quid tibi pater, laboris. CH. nihil evenit, ne time:
Bene re gestâ salvus redeo si tu modo frugi esse vis,
Hæc tibi pacta'st Callicli filia. LE. ego ducam, pater?
Etiam & si quam aliam jubebis. CH. quanquam tibi succensui.
CA. Miseria una *uni quidem homini'st affatim. CH. imò huic parum st.*
Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum'st.
LE. At jam post hac temperabo. CH. dicis; si facias modò.
LE. Num quid caussæ est, quin uxorem cras domum ducā? CH. optimumst, licet.
Tu in perendinum paratus sis ut ducas. Plaudite.

VERSUS sunt hujus Scenæ tetram. catalect. troch.

1. IN TERRA DUM] *neque-dum* cohæreant. In MSS. est, ut & in omn. edd. vett. ——*hom. interdum arbitror.* alterum est ab ingenio Camerarii. cui miror hîc non adversatum suo more Pareum. sed nesciit numeros repugnare metro; qui hac lectione exorbitant, nisi transponamus, *neque quemquam esse.* haud tamen præfractè excluserim, *interdum.*

3. EXÆDIFICASSET] ejecisset me filius ædibus, si absque te foret. Dictum *ædificare ex ædibus*, ut, *expectorare ex animo*: οἶνο χοίνειν οἶνον, &c. L.

6. PROPRIUM] i. perpetuum: nec timet ut ab se repetatur. Donatus, Hieronymi præceptor *data* repeti potuisse ait: & distinguit à *deditis*: ut & Hotom. Instit. *Dona*, nisi & fierent propria, sic sanè revocabilia fuerint, non perpetua. Ita Lucr. l. 4 *amorem proprium* pro stabili & perpetuo dixit. Et Virg. 1. Æneid. de uxore perpetuâ, ——*propriamque dicabo*, idemque de stabilibus muneribus,

——*propria hæc si dona fuissent*:

item, Æneide 3.

Da propriam, Thymbræe, domum.

ita Horat. 2. Sat. 6.

Propria hæc ut munera faxis.

Sic Macrob. lib. 1. Somn. c. 21. *Proprium habere diceretur, si semper tenere liceret.* Vide Alb. Gentil. l. 3. c. 16. De jure belli.

6. PROSUMPSERIT.] ita MSS. Pall. nam Edd. vett. *proprium erit.* unde Camerarius fecit *proprium sumpserit.* quod tamen frustrà Acidalius mutat in *sumpseris*, propter *velis*, quod sequitur, nam Personas ita commutare, frequentissimum nostro. male igitur id in editionem pr. admisit Pareus. *prosumere* autem hic positum pro *porrò sumere*: nisi velimus legi *prosum sumpseris*, pro *prorsum.* positum autem *sumere*, pro, uti, frui, imò adeo absumere & consumere. V. N. Mil. 5. 1. vers. 23. Pseud. 4. 8. v. 9.

8. NEQEO MIRARI] Iidem Pall. *metuo mirari.* alterum tamen restat in Edd. omnibus.

9. FORTEM] i. *divitem, copiosam*, Nonius. V. N. Mil. act. 4. 3.

11. OCCUPAVIT] *invenit, possedit*: Nonius.

13. VAH] MSS. *Vha.*

14. ACCESSIT OBV.] Bruard. l. *occessit ob.* quod sine mora occupavit Pareana, sine libris scriptis & vetustè cusis.

16. MEO DATU] Dictum, ut *meo rogatu*; *meo concessu*, &c. *L.*

21. NEU QUI] i. aliquo modo. & rectè ita: quod vox *patrium* convenit: non, *quis*, quod tamen in MSS. & Edd. nemo enim alienum thesaurum repetere poterat. *Acid.*

22. INEPTUS, DUM S.] P. Colv. l. *ineptus dum, serm. 6, interrumpere?* sed sine ratione. id tamen Pareus statim in stabulum editionis suæ retulit.

29. SALUTIS DIGNUS?] ita Nonius: atque metaplasmum Casuum esse: at rectius J. Guliel. Hellenismum: ἄξιος χαρᾶς, ἡμῶν, ὑγιείας. ita Virgilius ——*indignus avorum.* Ovid. 3. de Arte:

Curia consilij quæ nunc dignissima tanti,

Suet. Othone: *& prædicare*, *solum successionis imperij dignum.* MSS. & Edd. *salute.*

30. TUNICA

30. TUNICA PALLIO PROPIOR] Proverbium, quo significatur, ex amicis nos aliis atque aliis magis esse devinctos, neque parem omnium habendam rationem. Pallium extrema vestis apud Græcos, ut toga apud Rom. & tunicam tegebat: ideoque corpori propior tunica quàm pallium. videatur & Pius Annotat. Poster. c. 30. Affine illi: *Surâ genu propius.*

31. DEOS VOLO] versus hic fine deficitur: *Cam.* Acidalius tamen cæteris hunc trimetrum de industriâ mistum putat. Posset tamẽ repeti: *Deos, Deas volo.* V.C. habet *Deus.*

32. TU NEVIS] Ita Edd. vett. absunt tamen Pall.

33. SPONDEN'] V.N. Aulul. act. 2.2.

34. MILLE A. P. DOTIS] V.N. Persâ, 3.1.

35. CH. SI ILLA TIBI PL.] ita Personas Acid. constituit: Indecorum enim, ut nunc vicarius Callicles partes agat etiam præsentis Charmidis.

35. PLACENDA] Mira locutio. *Placendus* à *placeo*, quasi etiam dici posset *standus, sedendus, surgendus*: à *sto, sedeo, surgo* &c. de quo Prisc. lib. 8.

38. ISTAC LEGE FILIAM] I. Rævardus, De Auct. Prudent. docet, Plautum hic eleganter de dotis promissione, quæ cum *dotis dictione* nihil quicquam commune habeat, differere.

39 SALVETE, AFFINES MEI] Vide mihi egregium par fratrum, Scipionem & Albericum Gentiles; hunc, l. 5. c. 12. De nuptiis: illum, Parerg. libro singulari: ubi docent, *Per sponsalia etiam contrahi affinitatem ex Jure Civili.*

51. ITA SUBITU'ST] Sic & Acidalius. Geminum illud, *Ita res subitaria est.* Lambinus in distinctione, *Evocate ita subitò: est pr.* pueriliter ineptit. In MSS. tamen etiam est, *ita subitò est properè.*

51. PROPERE Q.] Posses l. *propter q.* Acid.

53. SATINE SALVE] MSS. Cam. *satin' st salve?* V.N. Sticho act. 1.1. Etiam Brissonius in Formul. lib. 8. emendat, *satiuné salvè?* Ita Ter. Eun. act. 5.6. *Quid est? quid trepidas? satisnè salvè?* ubi Donatus *Salvè* interpretatur *integrè, rectè, commodè.* citatque hunc Pl. locum, & alium Sallustii. utitur eo crebrò Livius. Ita Apul. l. 1. Apol. *Puer ubi sit, & quàm salvè agat, interrogat.* Dicebant etiam, *Rectène omnia?* Peregrè enim redeuntibus vel aliunde advenientib9 familiaris erat hæc interrogatio. Ita verbum discedentis erat, *Numquid vis?* Ter. Eun. act. 2.3.

Dum hæc dicit, abiit hora. Rogo, NUMQUID VELIT.
Rectè, inquit: abeo.

ubi Donatus: hoc est, *significo me abire*, &c. Utitur & Horat. 1. Sat. 9. Cicero passim in Epistolis. V.N. Amph. act. 1.3.

60. ETIAM ET SI] ita MSS. & omnes edd. veteres. Pareana pr. *Etiam si*, exclusa vocula media.

61. MISERIA UNI Q.] ita MSS. Cam. sed vet. edd. *Mis. una quid.* at Lamb. *Miseria una uni q.* hoc sensu: Satis dare supplicii Lesbonicum ducendâ uxore. Et nota, in pœnam quasi Luxuriosis juvenibus datas olim uxores. fierique præcipit prudens Educationis magister Plutarchus. Et hinc Acid. illud Epid. 2.2. *Continuò arbitretur uxor tuo gnato*, explicat. Quin & hodie dissolutior juventus uxoriâ hâc habena castigari & coerceri solet. J. Gulielmius, Hoc, inquit, in sexum muliebrem acerbè & virulenter dictum. Sed dixerat in eandem sententiam Philemo quoque, de quo hanc Fabulam noster interpretatus est,

Ἀθάνατόν ἐστι κακὸν ἀναγκαῖον γυνή.

neque dissimiliter Propertius, vel potiùs simillimè huic loco, lib. 2. eleg. 17.

Cùm satis una tuis insomnia portet ocellis,
Una sit & cuivis fœmina multa mala.

62. PARUM EST] Nota, quàm pulcrè eâdem phrasi sibi succinant. Ait aliter; *Uxor una affatim miseria est*: alter, *parum miseria est.* V.N. Menæch. Prologo, *parum fides.*

64. NUMQUID CAUSSÆ EST, QUIN.] Ita bene Camer. nam priores, *Nunc quid caussa est, quin*, Pejus Pareus, qui, *Nunc, quid caussa est? quin*, interrogatione intermedia. adeo semper amat adversari optimo illi Senum juvenis jufruitus.

FINIS TRINUMMI.

TRU-

TRUCULENTUS.

ARGUMENTUM.

HÆC Comœdia est altera, quam Ciceroni inprimis placuisse, de Catone intelligi potest, ut retulimus in Pseudolo. Et quamvis mendocissima & lacera ad nos pervenerit: tamen quasi de ungue leonem, aut de culmo fruges æstimant, ita de his reliquiis præstantia hujus Fabulæ planè judicatur. ARGUMENTUM tale est. Meretrix quædam callida & astuta, & famulitio atque rebus ombus ad fallacias & fraudes instructa, pellicit in amorem sui tres adolescentes: unum urbanum, quem celeriter conficit: altetum rusticum, qui profusus est in dando: tertium militem, cujus stolidate abuti, & quem compilare cupiens, simulat se ex ipso esse gravidam: & hoc persuadet credulo. Ut enim hoc genus fastuosum, ita & stolidum est. Erat rustico servus immitis, & cui doleret corrumpi filium herilem: sed & ille tamen mutatur, & desinit esse sævus seu *truculentus*. nam hinc nomen Fabulæ inditum est. Ut autem minus simplex argumentum esset, inseritur & virginis stuprum, compressæ per vim ab urbano, quæ cum filiolum peperisset, hunc meretrix sibi supposuit allatum à tonstrice. Ac re palàm factâ, virgo urbano nubit, & ille à meretrice puerum repetit, ac amores hos relinquit. Ita retinet meretrix par amatorum, rusticum ac militem: & in ludificando ac despoliando milite delicias facit. FABULA habet formam eorum poematum, quæ *μίμους* appellant. Est autem ita depravata & corrupta à librariis, ut aliquoties fuerit mihi in animo me illam editurum non esse, &c. Scitò verò, &, ut Plautus loquitur, nimis, *graphicè* expressa est levitas, & malitia & fraudulentia meretricia. Et quantopere desipiant in amore & voluptatum illecebris simplices. Et quòd isto genere hominum, quod se primum esse vult, & virtutis ac dignitatis possessionem propriam esse ducit, nihil reipsâ plerunque sit vanius, neque futilius. De quo & Græcorum quispiam Comicus hæc fecit: Κομψὸς στρατιώτης, οὐδ᾽ ἂν εἰ πλάττοι θεός, Οὐδεὶς γένοιτ᾽ ἄν. Tum autem militia talis esse consuevit, cùm bella neque necessitate neque Reib. caussâ geruntur: neque cives militant, sed arma libidini & improbitati hominum & tyrannicæ potentiæ serviunt: & undique congregantur audaces & mali, quibus neque res neque spes domiest, quique mercede conducti, τοῦ ζῆν ἕνεκ᾽ ἔρχοντ᾽ ἀποθανούμενοι. NOMINA *Personarum hæc sunt*: δείναρχος, vel τῶν δεινῶν, vel ἐν τοῖς δεινοῖς ἀρχηγός, vel etiam δεινὸς ἄρχων. Hoc nomine & unus ex antiquis Rhetoribus fuit. ἀστάφιον significationem habet *uvulæ passæ*. στρατίλαξ, quasi *militatorculum* dicas: sicut πλούταξ, *ostentator divitiarum*. Φρονή-

σιον, ἀπὸ τῆς Φρονήσεως, ut ipſe Plautus interpretatur, *prudentia*. στρατοφάνης, *illuſtris in militia*. *Geta*, gentile nomen ſervi. στράβαξ, & hoc factum eſt denominatione ἀπὸ τοῦ στράβου. καλλικλῆς & in Trinummo eſt. κύαμος, ſervile nomen, ſignificationem habet fabæ. *Camerarius*.

Turnebus: PLAUTI Truculentus, ut Virbius, Æſculapii medicinâ & manu, ut ſaluti reſtituatur poſtliminio & vitæ, indiget. Periiſſe enim puto, in quo ferè nihil integrum & ſanum reſtat &c. Idem: TRUCULENTUS depoſita & perdita & propè demortua & conclamata eſt Comœdia. lib. 11. c. 21.

I. Lipſius, Antiq. lect. lib. 1. c. 3. TRUCULENTUS Plauti quid aliud, quàm Hippolytus eſt? Ita miſerè elegantisſima Fabula admutilata, lacerata, diſtracta fuit: ut vix Æſculapius cum parente ſuo illi perſanandæ ſint, &c.

I. Palmerius: PLAUTI Truculentus eſt, niſi quòd pleraque in eâ Latina nimium, cæteroqui nulli Comœdiarum ſecunda.

I. Cæſ. Scaliger: PLAUTUS longè commodius feciſſet, ſi pro *Truculento*, quod tantùm nomen crepat, *Ruſticum* inſcripſiſſet. *Ruſticus* enim ibi, non truculentus eſt. *In Hypercrit. cap. 3. & Idea, cap. ultimo.*

DRAMATIS PERSONÆ.

DINARCHVS adoleſcens.
PHRONESIVM meretrix.
GETA ſervus.
CALLICLES ſenex.
ASTAPHIVM ancilla.
STRATILAX ſervus.
STRATOPHANES miles.
STRABAX adoleſcens ruſticus.
ANÇILLA altera.

ARGUMENTUM.

TRES unam pereunt adoleſcentes mulierem,
Rure unus, alter urbe, peregrè tertius.
Utque iſta ingenti militem tangat bolo,
Clàm ſuppoſuit ſibi clandeſtinò editum.
Vi magnâ ſervus eſt ac trucibus moribus,
Lupæ ne rapiant domini parſimoniam.
Et is tamen molitur. Miles advenit,
Natique cauſſâ dat propenſa munera.
Tandem compreſſæ pater congnoſcit omnia.
Utque illam ducat, qui vitiarat, convenit;
Suumque is repetit à meretrice ſubditum.

TRES] Strabax, Dinarchus, Stratophanes. A 1. PEREVNT] Propert. libr. 2. *indignâ merce puella perit*; pro *deperit*, & amat. Lipſ. Var. lib. 3. 7.

3. BOLO] V. N. Prol. Pœn. item Rud. act. 2. 3.

4. SVPPOSVIT] ita MSS. & vett. ed. Pareana prurigine novandi ægra obtruſit nobis *clam ſuppoſivit ſibi*.

6. LVRÆ-

6. LVPÆNE R.] Acidal. hoc, ut pro violentiâ Servi languidum, quasi *μιμητικῶς* dictum, interrogatione excitat. Nimis autem pulcrè *Parsimonia* posita, pro bonis ipsis comparsis. Ita Apulejus *frugalitatem* usurpat pro frugibus & habentiâ totâ; quando ait: *Omni frugalitate absumptâ.*

7. ET IS TAMEN] Parei ultima, *Et eis t.* contra omes MSS. & Edd.

8. PROPENSA] i. multa & ponderosa.

9. TANDEM] MSS. *Tamen.*

10. UTQ. ILLAM] ita Cam, at omnes ed. *Utq. natam.* MSS, *Utque vitam.*

PROLOGUS.

PERPARVAM partem postulat Plautus loci
De vestris magnis atque amœnis mœnibus,
Athenas quò sine architectis conferat.
Quid nunc? daturin' estis, annon? annuunt.
Meditor equidem vobis me ablaturum sine
Morâ. quid si de vestro quippiam orem? abnuunt.
En mehercle in vobis resident mores pristini,
Ad denegandum ut celeri linguâ utamini.
Sed hoc agamus, quâ huc ventum est gratiâ.
Athenis tracto, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper, dum transigimus hanc Comœdiam.
Hic habitat mulier, nomine quæ est Phronesium,
Hæc hujus secli mores in se possidet;
Nunquam ab amatore suo postulat id quod datum est:
Sed reliquam dat operam ne sit reliquum,
Poscendo atque auferendo, ut mos est mulierum.
Nam omnes id faciunt, cùm se amari intellegunt.
Ea se peperisse puerum simulat Militi.
Quo citius rem ab eo auferat cum pulvisculo.
Quid multa? ætas *huic si superet mulieri,*
Is cum animâ ad eam habentiam everrerit.

DE VESTRIS MAGNIS] ita Camerarius, suasu vett. edd. omnium. nec aliter hos tres versus Apulejus 4. Floridd. & Priscianus laudant in libr. *De metris Comicis.* Vaticani, *De mueris m.* Hinc Lipsius, *De mœris*; antiquè: ut *cœnare* pro *curare*: *mœnera*, & similia. Etiam Pal. MS. pr. *deueris*, cum virgula jacente supra *u.* sec. *deumeris.* verùm nemo hactenus Lipsianum illud admisit in textum, præter Pareum; qui alios præterea suggillat ob retentum *vestris.* At quis non videt sphalmata librariorum manasse à compendiaria scriptura, *uris* cum lineola incumbente? ut taceam nihil esse absurdiùs, quam *muros* ibi ponere, ubi statim sequantur *mœnia.*

3. ATHENAS QVO] in quem locum transferat Athenas, sine architectis: vult ut putent Spectatores rem geri Athenis. Colvius l. *Athenas quò se in arcem tutus conferat.* Nota, *arx Athenis.* At Lipsius, Antiquæ notæ verbum, inquit, hinc per injuriam dejectum est. nam duo Vatic. disertè, *sine arcuspletis conferam*: tertius autem *arcuspetus*; supra tamen eâdem manu *L* addito, ut fieret *arcuspletis.* De quo ignoto sanè verbo nihil ultra habeo dicere, quam illis testibus probum videri & antiquum. Habuit enim prisca illa & horridula ætas ut verba quædam propria, ita & scribendi peculiarem modum. quæ in libris antiquis & reconditis sincerè inventa, quid nî tanquam vetusta Signa aut nummos miremur? Ita de scripturâ, quod Sc. 1. legitur,

——*aut lectus dapsilis*,

adulterium id esse item convincunt libri. nã duo Vatic. optimi, *lectus laptilis* disertè habent, quæ pura puta Plauti scriptura est, valetque *dapsilis*, *L* pro *D*, & *T* loco *S*. ita enim litteras commutabant, &c. Antiq. lect. lib. 1. cap. 15. Etiam MSS. Cam. legunt *arcusplctis*, neque contentus id recepisse in contextum editionum suarum Pareus, etiam fastuosè in vehitur Camerarium ceterosque, tanquam non sine magna Antiquitatis injuria hinc dejecerint. At ego malo cum aliis illis retinere hactenus notam vocem, quam cum censore sui tantum suffragii, recipere omnibus modis monstrosam, & cujus nullus meminit Grammaticorum. Pius nobis suffecit alterum; repertum in MSS. Apulei hac forma; *quo se archilecti conferant*. Et verò Merula, cùm prius expressisset *sine arcus peltis*, iterata editione accessit Bononiensi Baptistæ: adeo quibus ratio est cum modestia, ægri somnia malunt, quàm Parei Plautina (sic enim loquitur) oracula.

5. MEDITOR EQ. &c.] mihi persuasi me à vobis impetraturum locum: L.

10. ATHENIS TRACTO] Cam. edidit *Athenæ istæ sunto*, sed MSS. & omnes vett. *Athenis tracto ita &c.* hinc Palm. l. *Athenæ in actâ sito*, *ut hoc est proscenium*. Athenæ plures erant; in his *Athenæ Atticæ*. quæ eædem *Athenæ in actâ*. Sententia est: ubi hoc proscenium est, illud sito Athenæ in actâ. *ut*, pro *ubi*, apud Catullum. Horat. Plautum, & ubi non? Pareus nullum secutus librum ultimo edidit; *Athenas tracto*, tanquam scilicet hoc ei liceret; aut certè argutius quid inde resultaret, quàm ex lectione omnium librorum.

15. SED RELIQVAM] MSS. & vett. edd. *Sed reliquam da operam*. Nec mirabitur, *re* in *reliquum* produci, qui sciat quam vim habeant liquidæ consonantes. inde fit, ut μέλος apud Homerum, Anacreontem & Persium producatur: ab aliis item *Philosophus*, *Philippus &c.* vel ab hoc nostro. Pareus mori sæpe paratus pro MSS. suis, hic eos negligit, contentus vulgato, *reliquum d. o. ne sit reliquum.*

19. CVM PVLVISCVLO] *Auferre cum pulvisculo*, est nihil quicquam reliqui facere, sed omnia converrere, ac minimam etiam scobẽ ac ramentum pulveremque rapere: *Turnebus libr. 10. cap. 25.* V. N. Bacchid. 4. 4. & Rud. 3. 6. Vide & Adag. *Ne paxillus quidem relictus*.

20. SVPERET] sic Claudian. lib. 1. ad Eutrop.

——*quid enim servum mollemque pudebit?*
Aut quid in hoc vultu poterit superare ruboris?

V. N. Prol. Amph.

20. QVID MVLTA] Ita Camer. prius cusit *Quid multa? superem mulierem*. V. C. *Quid multa... stuic superet muliere*. sec. *Quid multa superet mulierem*.

21. IS CVM AN.] Lamb. l.

Ad se cum animâ ejus habentiam averrerit.

Jos. Scalig. malebat,

Is cum animâ ad eam habentiam omnem everrerit,

i. Is habentiam (τὴν οὐσίαν) à se ad istam transtulerit. Palmerius, Spicil. leg.

Is cum animâ ad eam habentiam ἔξω everrerit.

Omnibus Fabulis Græcas voces ponere amat Plautus: nullâ magis, quàm hâc ipsâ. Sed & illud ἔξω *everrerit*, his terve hâc Comœdiâ. quare, ut solet, in Argumento quoque ponitur. Lambinus alienam conjecturam secutus, de suo nugatur insuper: hoc est, cùm risum populo movere vult, pedit. *Habentiam* pro possessionibus Claudius dixit quoque apud Nonium: *Animus eorum habentiâ inflatur*. Hæc ille. nam pr. legit, *erce teritur*. sec. *erte teritur*; ambo verò *his cum animâ ad eum habenti*. Lexicõ Parei ostentat hic *Anima*, pro pecunia in cista vel fisco. nihil excogitari queat absurdius, alieniusque; cùm statim sequatur, *habentia*, id est pecunia & alia quæ pecuniâ cõparantur. Idẽ Lexicon inter Plautina proverbia præfert: *Fiscum cum anima avertere* Den Seckel mit den Geld nemen / conjecturâ Klockianâ. Et quis adhuc negabit Parentẽ? non eum modò qui gignit, sed regignit; non fingit modò sed refingit. Uterq; sanè loquitur Comicus, in editione Pareana principe, aliter, in postrema: aliter in Electis, aliter in Lexico, aliter in Phraseologica. In summa Proteum facit.

ACTUS

ACTUS I. SCENA I.

DINARCHUS adolescens.

NOn OMNIS ÆTAS ad perdiscendum sat est
Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis.
Neque eam rationem eapse unquam edocet Venus,
Quàm penes amantum summa summarum redit,
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotque exoretur exorabulis.
Quot illìc blanditiæ, quot illìc iracundiæ
Sunt! quot sui pericla amanda! di vostram fidem! hui!
Quid perjerandum est etiam, præter munera!
Primum-dum miros annua: is primus bolu'st.
Ob eam tris noctes utor. interea loci
Aut æra, aut vinum, aut oleum, aut triticum
Tentat, benignúsne an bonæ frugi sies.
Quasi in piscinam rete qui jaculum parat;
Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum.
Sin jecit rete; piscis ne effugiat, cavet:
Dum huc dum illuc reti eos impedit
Pisces, usque adeò donicum eduxit foras.
Itidem est amator. si id, quod oratur, dedit,
Atquè est benignus potius quàm frugi bonæ.
,, Adduntur noctes: interim ille HAMUM VORAT.
,, SI SEMEL AMORIS POCULUM accepit merè,
Eáque intra pectus se penetravit potio,
Extemplò & ipsus periit, & res, & fides.
Si iratum est scortum fortè amatori suo,
Bis periit amator, ab re atque animo simul.
Sin alter alteri potior est, idem perit.
Si raras noctes ducit, ab animo perit:
Sin increbravit; ipsius gaudet, res perit.
ITA disciplina in ædibus est lenoniis,
Priusquam unum dederis, centum quæ poscat, parat.
Aut aurum periit, aut conscissa pallula est,
Aut empta ancilla, aut aliquod vasum argenteum,
Aut vasum ahenum aliquod, aut lectus dapsilis,
Aut armariola Græca, aut aliquid semper est
Quod pereat, debeatque amans scorto suo.

Atque hæc celamus nos damna, unâ industriâ
Cùm rem fidemque nosque nosmet perdimus,
Ne quid parentes neu cognati sentiant.
Quos cùm celamus, si faximus conscios,
Qui nostræ ætati tempestivò temperint,
Vnde anteparata demus postpartoribus;
Faxim lenonum & scortorum ut *plus est,* minus
Et minus damnosorum hominum, quàm nunc sunt, siet.
Nam nunc lenonum & scortorum plus est ferè,
Quàm olim muscarum est, cùm caletur maximè.
Nam nusquam alibi si sunt, circum argentarias
Scorti lenones quasi sedent quotidie.
Ea nimia est ratio; quippe qui certò scio,
Æri plus scortorum esse jam quàm ponderum,
Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis
Referre habere, nisi pro tabulis, nescio,
Vbi æra perscribantur usuraria;
Accipiat illico expensa, neque censeat.
Postremò in magno populo, in multis hominibus,
Re placidâ atque otiosâ, victis hostibus,
Amare oportet omnes, qui, quod dent, habent.
Nam mihi hæc meretrix, quæ hîc habet, Phronesium,
Suum nomen omne ex pectore exmovit meo,
Phronesium. nam Phronesis est sapientia.
Nam me fuisse huic fateor summum atque intimum,
Quod amantis multo pessimum est pecuniæ.
Eadem, postquam alium repperit, qui plus daret,
Damnosiorem; me exinde amovit loco,
Quem infestum ac odiosum sibi esse memorabat mala,
Babyloniensem militem: is nunc dicitur
Venturus peregrè. eo nunc commenta est dolum,
Peperisse simulat sese, ut me extrudat foràs:
Atque ut cum solo pergræcetur milite;
Eum esse simulat militem puero patrem.
Quid isti suppositum puerum opus pessimæ?
Mihi verba retur dare sese? an me censuit
Celare se potesse, gravida si foret?
Nam ego Lemno advenio Athenas nudiustertius,
Legatus hinc quò cum publico imperio fui.
Sed hæc quis mulier est? Astaphium est ancillula.
Cum eâ quoque etiam mihi fuit commercium.

EAPSE]

EARSE] Dousa l. *empse*, vel *eumpse*. scil. amantem. quod ultimum Pareus in contextum recepit, contra libros omnes.

4. SVMMA SVMM.] i. penes quam summa rerum amantum potestas est. *Summa summarum* est, cum in rationibus multa nomina & capita in unam summam rediguntur, ac si multis summis factis, omnia tandem in unum consummantur: nam ut capita in summam, sic summæ in summam summarum rediguntur. Turnebus lib.10. cap.25. Id.lib.29.cap.34. *Summa summarum* est, cum multæ summæ in assem rediguntur. In Lucretio est ipsum *universum*, in quo infiniti sunt mundi.

Sicut summarum summa est æterna.——

Pistoris contendit scribendum: *Quàm penes amantem summa summarum redit*, hoc sensu: Neque ipsa Venus eam rationem docet prius, quàm tota summa summarum in sinum amantis redit, i. priusquam planissimè modis omnibus perierit: idque adeò reipsâ experiatur. & istud arripuit Pareus quoque ad pr. editionem.

6. EXORABVLIS] fictum ab *exorando*: ut à conciliando *conciliabulum*: à latendo *latibulum &c.* Vide infrà act.2:2.

8. QVOT SVI PERICLA AMANDA!] MSS. Cam. leg. *quod* (vel *quot*) *sui perclamanda*: itàque vett. edit. Hinc Meurs. eruit, *pericla manda*. nam veteres, inquit, *mare* pro *meare* dixerunt. unde *remant*, pro *remeant*. Vide Festum. Lucret.lib.3.

Refugisse volunt longè, longèque remasse.

Camerarius ediderat, *sunt, quotque pericla vianda?* Nos proximè ab eo fecimus, *quot sui pericla amanda!* soli enim amantes amant pericula sua, cùm reliqui omnes detestentur. Pareus edd. veterem revocavit, ut à se inventam. sed plus quàm puerilliter interpretatur. interim & Meursiana ægri somnia vocat, quibus vult indormiisse quoq; Camerarium, cui adhæsit Taubmannus. quàm modestè!

9. QVID PERIERAND.] ita Vatic. cod. & MSS. Cam. *perjerandum*. Rectè: & eam ejus verbi perpetuam scripturam esse debere censet Lipsius Antiq. lib.5:3. quando & *perjuria* dicimus, non *pejuria*.

10. MIROS ANNVA.] Ita Camerarius edidit è MS. pr. Etiam in altero, ——*miror animus primus ebolust*. inde Edd. veteres *primum dum mæret animus*; quod pro insigni

A invasit Pareus. adeo omnia mavult quàm quod placuit Camerario. Habet Palmer. hoc loco multa; quæ legantur licet in Spicilegiis ejus.

11. VTOR] MSS. Cam. *dutor*, &, *tutor*. quod ultimum etiam in edd. vett. Parei edd. *ducor*. Barbarè.

12. ÆRA] MS. pr. Camer. *ara ut*. sec. *ara aut*.

14. RETE QVI IACVL. P.] Ita etiam MSS. Cam. & vett. ed. V.N. Asin. act.1:1.

15. PESSVM] V.N. Aul.4:1. & Mostell. fine.

15. SINVM] laxitatem retis contrahit: L. nescio unde natum vocabulum postremum, nisi fortè à Lambino. V. C. habet ejus loco *finsa*; sec. *infra*, quod & in Edd. vett.

16. SIN IECIT RETE] ut apud Horat. 1. Od.2. *jaculatus arces*, est, quod Græcè dicitur ἔβαλεν, i. *feriit*: unde & βόλος. Sic apud Pl. *sin rete jecit*, est, si rete pisces cepit. quamquam etiam simpliciter, pro, rete ejecit in aquam, explicari potest. Turneb. lib. 21: 20. & & lib.10:25. J.Is. Pontanus lib.2. c.14. ad Macrob. leg. *Sin icit rete pisces, n.* atque *icit* interpretatur *fixit*, sive *attraxit*. Nec aliter Vi-

B dulariâ: *Ibi ut piscabar, fuscinâ ici vidulum*. istud statim rapuit in secretarium editionis suæ pr. Pareus.

17. DVM HVC, DVM II LVC] Ita MSS. Pall. nisi quod pr. *illuc reteor imp.* sec. *rete or imp.* nam Edd. vett. *rete ore imp.* at Scalig. l. *Tum hic tum illic irretitos impedit*. quod & Pareus invasit. Lamb. *Modò hic, modo illic irr.*

18. DONICVM] MSS. Pall. *dolium foràs eduxit*. neq; aliter Edd. vett.

18. EDVXIT FORAS] Sic, *arundine pisces ducere*, Ovidius dixit: &, *ductum piscium*, Valerius Max. Ein Fischzug.

19. SI ID QVOD] Ita omnis editio. neque abeunt Pall. nisi quod pr. *set id*. sec. *sed id*. perperam ultimum; *set* enim debebat mutari in *sei*. pessimè igitur Pareus nobis ingessit, *sid id quod*. addito *d* hiatus vitandi caussa. à qua fatuitate vel numeri versus ipsum absterrere poterant, qui tale quid nihil patiuntur.

20. BENIGNVS] i. prodigus. Horat. 1. Sat. 2. *Quippe benignus erat*. Vide Comment. Lamb. ad Hor.1.Od.17. & N. infra, act.1:2. Parei ultima contra omnes libros reposuit *benignius*. non sine ruina sententiæ.

21. HAMVM

21. HAMVM VORAT] V.N. Curcul. act.3: & Horat.1.Epist.7.

——hic, ubi sæpe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum.

22. AMORIS POCVLVM] est φίλτρον sive amatorium. Seneca Ep. 9. *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herbâ, sine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.*

22. MERE] V.N. Mostell.4: 2.

26. AB RE ATQ. AN.] quia bona sua perdit, dum eam placare studet, & animi cruciatur, quàm diu puella irata est: L.

27. SIN ALTER ALTERI POTIOR] ita omn.edd.vetustiores: quod & J. Gulielm. in suis vidit, & probavit. Si, inquit, mutuum fiat, ut & scortum non offensum sit, & amator in primis adventoribus; tamen perit. Etenim vel noctes raras habebit, occupatâ etiam in aliis meretrice, & angore animi conficietur; aut crebro admittetur, & ipsi quidem benè erit, sed acerrimè fortunæ miseri lancinabuntur. *Potiores* in re amorum esse eos, qui amicæ animum maximè capiant, dixi ad Menæch.act.2.sc.3.& illud Casinâ laudavi:

ME. Quàm tu ejus potior fias, satiust me mortuum.

Ejusdem rei hoc illustre exemplum est:& locus Sticho;

Quem æquius est nos potiorem habere, quàm te? &c.

Laudat & Acidalius illud *potior;* sed miratur, *alteri* sic relictum: nisi, inquit, pro *altere* sit positum: ut *diecrastini, septimi, quotidie, qui.* Malit tamen, *Sin alter autem potior est &c.* In ruderibu MSS. Cam. apparet, *Sin aliter alteri potius est, idem perit;* nisi quod pr. *alter alteri.* Pareus editione pr. oggessit nobis, *Sin alter autem potior est itidem perit.* ultima verò, *Sin alter alteri potiu' st, itidem;* & *potiust* est, inquit; notat *potior.* quid desultorium magis? quid ineptius?

29. SIN INCREB.] MS. Cam. pr. *Sin crebravit &c.* sec. *Si increp.* ut & vett.ed. sed versus illud requirunt, quod nobis dedit Camerarius; nec quidquam crebrius, quàm non repeti syllabam bis scribendam. Pareus tamen sese jactat cum illo *crebravit*, invitis, ut dixi numeris.

30. ITA DISCIPLINA] vox *disciplina* est à Cam.nam Pal. pr. *Iteca in ædibus lenosis.* sec. *Ita & in ædibus lenosis.* Edd.vett.*Ita & in ædibus lenoniis.*

32. AVT AVR.] Hæ sunt προφάσεις & caussæ, quas profert puella, quare nunquam desinat poscere. L.

34. AHENVM] Ita MSS. non *aheneum.*

34. LECT. DAPSIL.] ita vett. edd. nam MS. Pal.pr. *electus laptiles.* sec. *lectus laptiles,* ad quæ exclamat Pareus quærendo, quis tam protervus sit, qui Antiquitatis hujus consensui contradicat? & interim ipse non videt calcare ejus se auctoritatem, dum in textum recipit *laptilis,* non *laptiles,* quod expressè in Pal.Sed & qua fronte laudat tres Vaticanos codd? cùm Lipsius monuerit tertium habuisse *leptilis.*

36. QVOD PEREAT] Uterque Pal. *Quod petra.* Vide suprà, Prologo. v.3.

37. DAMNA VNA] MSS.Cam.*clam.mina.*

37. DAMNA, VNA INDVSTR.] ita Acid. distinguit. Dum damna nostra nostros celamus, interim rem pariter & fidem nosque perdimus. At si non celent ipsi, contrà lenones & scorta perituros mox ait. quæ quidem Is. Pontanus ita leg. & ordinat: *Atque h. &c. Ne quid parentes neu cognati sentiant, Cum rem fidemque hosque nosmet perdimus. Quos cum cel.* vide Analect.3.cap.ult. Sensu perspicuo. Ceterum illud, *damnâ una industria,* est à Cam. cùm invenisset in Pal. pr. *clammina industria,* in sec. *dammina industria.*

40. FAXIM &c.] V.N.Aul.act.3:5.Meurs. l.*Paxim.* V.N.Amph.act.1:3.

41. TEMPERINT.] ita Lipsius è vett. ut edint. quomodo & MSS. Cam.

42. POST-PARTORIB.] i.nostris successoribus & hæredibus, qui post nos nostra adepti bona possident: Turnebus lib.10:25. Pulcra compositio, *ante-parta,* & *post-partores.* Ita VVouverius in Propertio observavit, *ante-cupidinibus: prius-domina: ante-lino: nunc-dea:&c.* V.N.Persâ act.3:1. Pistoris, Vetus, inquit, codex:

Ut ne ante parta demus post partoribus.

Quæ Lambinus omisso, *ne*, affirmativè ita explicat: Ut quæsita à majoribus relinquamus liberis nostris, qui plura acquirant. sensu non planè inepto. Si tamen vulgata retinenda esset, putarim ita exponi posse: Ne ea, quæ ante nos parta sunt, demus iis, qui post nos parant, atque acquirunt, hoc est, scortis & lenonibus, qui nostro damno se locupletant,

tant, & ea, quæ nobis à parentibus quæsita sunt, sibi acquirunt. Conqueritur hoc Senex Mercatore:

Lancinari validè suam rem; illius augerier: nempe illius post-partoris, qui à sene quæsita sibi denuo à filio acquirebat.

43. VT PLVS EST] ita Camerarius: & ita fere MSS. & ed. veteriores. Novitium Colon. & hujus notæ, nos in sequioribus meritò habemus.

43. VT PLVS EST, MINVS] Sic Camer. sed neque in MSS. aut edd. vett. extant, *ut* vel *minus*.

44. ET MINVS DAMNOSORVM H.] *Damnosi* hîc accipi possunt, vel quibus multum insumitur, quales sunt meretrices lenonesque: vel prodigi, sumptusque nullius rationem habentes. Veteres autem *damnum* proprie τὸ ἀνάλωμα interpretabantur: ut docuit ad Varron. Scaliger. Addo ego: ut δαπάνη, *dapnum*, prius, deinde *damnum* factum est: ita δαπανᾶν *dapinare*, Capt. act. 4:2. *Æternum tibi dapinabo cibum.* Mutatur vero *a* in *i*: ut in ἀφάναι, *apinæ*. Præterea *damnosus* eâ, quâ dixi, notione in sequentibus istis (vers. 64:) intelligi debet:

Eadem postquam alium reperit, qui plus daret,
Damnosiorem: me exinde amovit loco.

Ita enim hæc etiam explicat & interpungit Meursius. at reliqua sic Acidal.

———amovit loco,
Quem senium ac odium sibi esse memorabat mala,
Babyloniensem militem, is n.

Accius: *Mors amici subigit, quod mihi est senium multo acerrimum.* Turpil. ——*odio ac senio mihi hæ sunt nuptiæ.* Sed & alterum loquendi genus usitatiss. non ceperunt corruptores.

44. QVAM NVNC SVNT,] ita MSS. Cam. *sunt*. Lamb. *est*.

47. ARGENTAR.] sc. tabernas.

48. SCORTI LENONES] ita MSS. & ed. Scorta & lenones. at Palm. primùm existimabat, *scorti-lenones* dictum esse, ut *vitilitigator*, *vitimagistratus*, *vitilena* &c. De quo Mostell. act. 1:3. Postea maluit;

Nam nusquam alibi sic sunt circum argentarias
Cortis lenones, quasi s. q.

Nusquam, inquit, plures sunt lenones, quàm circum argentarias cortes, hoc est, tabernas. Nam eæ circum forum cortes erant. & istud statim devoravit gurges editionis Pareanæ prim.

49. EA NIMIA] Ineptè Lamb. cùm hoc velit: Scortorum & lenonum nimis quàm magnus est numerus. Rationes quibus scorta & lenones computantur, nimis magnæ sunt. Ita Trin. act. 2:4. *Quid, quod ego defraudavi! LE. hem ista ratio maxima est.* Pistoris.

50. ÆRI PLVS] Sic Edd. vett. Lipsius, inquit Vaticani tres *Eriplus scortorum*. Forte legend. *Æri plus scortorum esse jam.* quasi dicat, argentarias sic obsideri à scortis, ut æs jam minus ponderum habeat, quàm ejusmodi nebulonum. Nisi placet, *triplum scortorum*: Lipsius Antiq. l. 5. c. 3. & verò *Eri plus*, quoq; restat in Pal. utroq;. sed ii *eam* pro eum. unde non malè Cam.: *Triplo plus scortorum esse eam quam pond.*

50. PONDERVM] quibus utuntur argentarii.

51. QVOS] Lenones & scorta.

52. REFERRE] attinere, utiles esse. L.

54. ACCIPIAT ILLICO EXP.] Valet, si quid expensi tulit, mox ferat, neq; tam diu desideat in argentariis, quasi censum agat & accipiat, & census tabulas Censoris more conficiendas curet: Turnebus lib. 10. cap. 25. Lambini interpretationem omitto, quam Acidalius putidissimam ait. Versum autem ita legi oportere, pignus in omnes fortunas suas dare idem paratus est:

Accepta dico, expensa ne qui censeat.

De scortis agunt isti versus etiam circum argentarias sedentibus: aitque Dinarchus, nescire se, quid in argentariis scorta haberi referat; nisi si forte pro tabulis usurpentur, in quibus rationes & usuraria æra perscribantur: sed æra quidem accepta se dicere, non expensa, &c. Fatetur res & Astaphium infrà, act. 4:2. v. 26. sic ille, quæ repentè pro legitimis textui intulit Pareana pr. disertè contra MSS. & Edd. in quibus, *Accipiat dico expensa, neque censeat.* Supra etiam iidem libri, loco *æras* præferunt *hæ*, aut *ae*.

58. HIC HABET] i. habitat.

59. SVVM NOMEN] i. prudentiam. Pareus secutus Pal. pr. largitur nobis, *omnis*. quod non patitur versus. & vero *omnes* quod & sec. præire ei poterat ad veritatem. Camerarius sanè edidit *omne*. nam priores *omnem*;

ſed ita, ut accommodarent verſui ſequenti, *Phroneſin*. Sed enim quis indicavit Pareo fuiſſe in Pal. pr. *omnis*, non *omnes*; cum expreſſerit tantum *onis*, cum lineola ſuperjacente.

60. PHRONESIVM. NAM PHRON.] Judicium Camerarii, & auctoritatem omn. MSS. & Edd. ſecutus, hunc verſum toleravi. quem Gul. Canterus, Nov. Lect. lib. 7. c. 10. ut ſpurium, & qui ex annotatione in textum irrepſerit, ejiciendum olim cenſuit.

62. QVOD AMANTIS] ita MSS. ſed Palm. legebat,

Quoad amantis inulta peſſum iit pecunia.

quod pro carbunculo lucet in Pareana pr. invitis tamen omnibus libris.

64. DAMNOSIOREM:] Vide ſuprà v. 44. & Epid. act. 2: 3. nam Pareus hîc lectores cogit comprimere ventrem præ riſu, quem excitat recipiendo in contextum, *Danoſiorem*, ab antiquo verbo *dano*, quod eſt *do*. interim non modo habet hujus lectionis adprobatorem Brantium, ſed etiam, ſi talpis placet, Pal. pr. in quo ſic expreſsè legatur, *Danoſiorem* cum ſuperjacente virgula. deinde ne offendamur ſeqq. verbis, ſic nos expedit. τὸ *me* ablativo caſu poſitum eſt, hoc ſenſu: *Danoſiorem à me amovit loco.* ô Simia! non miror quod ſic amas tuam prolem: inveniſti etiam imitatores, à quibus ſuperaris. concludit enim: Nec aliter ſanè legendum. An quis eſt quæſo tam erectæ cervicis qui contradicere auſit? non ego ſanè: tantum rideo, ſic tamen, ut non ſimpliciter pigeat pudeatq; veterum Grammaticorum Gloſſatorumque ad unum omnium, qui hactenus carbunculum iſtum invidêre ſæculo noſtro. Interim indicet velim Pareus, antequam triumphet in ſuffragio Pal. pr. quid autumet ſibi voluiſſe virgulam incumbentem illi *Danoſiorem*. & an ſoleat ſcriptis libris ſupplere vicem literæ *m*.

65. QVEM INFEST.] ita vett. edd. nec abeunt MSS. Cam. Acidal. reformabat: *Quem ſenium ac odium ſibi &c.* Benè currit, quis neget? ſed extra oleas. deprehendit tamen editio Pareana, orcheſtræq; ſuæ intulit iſtud orichalcum. ſplendet præterea, ceu comici genuinum, in Lexico Plautino.

68. PEPERI SE SIM. &c.] Ita hos verſus ſuo loco collocavit Douza, perperam antè tranſpoſitos.

71. QVID ISTI &c.] i. Quid iſti peſſimæ puero ſuppoſito eſt opus? Palmerius legit:

Eum iſti ſuppoſitum it puerum, pus, peſſuma.
Mihi verba retur dare ſe?

Illud, *Ire ſuppoſitum*, eſt (inquit) conari ſupponere. meretricem *pus* vocat contumelioſè. Horatius:

——*regis pus atque venenum.*

1. Sat. 7. Veruntamen (addit idem) quod in Edit. Rob. Stephani exſtat, ſi è libr. vet. acceptum eſt, retinendum cenſeo, *optant*, pro illo *opus*: & tum ſcripſero:

Atque ut cum ſolo pergræcetur; militi
Eum iſti ſuppoſitum puerum optant.

Et ſi quæris; hoc, ut in tali re, maximè probo. *Optant*, pro *adoptant*. Virgil.

Pars optare locum tecto, &c.

Bellè ergo hoc Dinarchus, eas puerum adoptare militi. qui enim adoptantur alieni atque extrarii, in locum filiorum veniunt. *Hæc ille*. quo tamen ſtultiora comminiſcitur Pareus in editione ultima: quod vel inde colligas. verſu ſequenti obtrudit nobis *berba*, loco *verba*.

ACTUS I. SCENA II.

ASTAPHIVM ancilla, DINARCHVS.

AD fores auſcultate, atque aſſervate ædis,
Ne quis adventor gravior abeat quàm adveniat:
Neu qui manûs attulerit ſteriles intrò ad nos,
Gravidas foras exportet, novi ego hominum mores;

Ita

Ita nunc adolescentes morati sunt. quin ei
Vt simitu adveniunt ad scorta congerones,
Consulta sunt consilia, quando intrò advenerunt;
Vnus eorum aliquis osculum amicæ usque oggerit.
Dum illi agunt quod agunt, *sunt cæteri cleptæ.*
Sin videant quempiam se asservare, obludunt, qui custodem
Oblectent per joculum & ludum: de nostro sæpe edunt, quod
Fartores faciunt. fit pol hoc, & pars spectatorum scitis
Pol, hæc vos me haud mentiri.
Ibi est ibus pugnæ & virtuti, de prædonibus prædam capere.
At nos rursum lepidè referimus gratiam furibus nostris:
Nam ipsi vident, cùm eorum aggerimus bona: quin etiam ultrò ipsi aggerunt
DI. Me illis quidem hæc verberat verbis. nam ego huic dona accõgessi. (ad nos.
AS. Commemini! jam pol ego eum ipsum, si domi erit, mecum adducam.
DI. Heus manedum, Astaphium, priusquam abis. AS. qui revocat? DI. scies.
Respice huc. AS. quis est? DI. vobis qui multa bona esse vult. AS. dato, si esse vis.
DI. Faxo, erunt! respice huc modò. AS. iò! enicas me miseram, quisquis es.
DI. Pessima, mane!
AS. I, optimè! odiosus es.
Dinarchúsne illic est? atque is est. it ad nos. DI. & tu fer contrà manum, &
pariter
Gradere. AS. tibi servio, atque audiens sum imperij. DI. túte quid agis?
AS. Valeo, & validum teneo. peregrè cùm advenis, cœna detur.
DI. Benignè dicis. AS. at enim, amabo, sine me ire quò jussit. DI. eas.
Sed quid ais? AS. quid vis? DI. istic, quò iter inceptas, qui est? quem arcessis?
AS. Archivam
Obstetricem. DI. mala fæmina es. AS. solens sum: ea est disciplina.
DI. Manifestam mendacii, mala, te teneo. AS. quid jam, amabo?
DI. Quia te adductumm huc dixeras eum ipsum, non eampse.
Nunc mulier facta est ex viro: mala es! AS. præstigiator!
DI. Sed tandem loquere. quis is homo est, Astaphium? novus amator?
AS. Nimis otiosum arbitror hominem esse te. DI. quianam arbitrare?
AS. Quia tuo vestimento & cibo alienis rebus curas.
DI. Vos me reddidistis otiosum. AS. quid jam, amabo? DI. ego expedibo:
Rem perdidi apud vos. cum re meum negotium abstulistis.
Si rem servassem, fuit ubi negotiosus essem.
AS. An túte bene rem publicam aut amoris aliâ lege
Habere posse se postulas, quin tu otiosus fias?
DI. Illa, haud ego, habuit publicum: pervorsè interpretaris.
Nam advorsum legem à me, ob meam scripturam, pecudem accepit
Æraque. AS. idem quod tu facis, faciunt rei malè gerentes:
Vbi non est, scripturam unde dent, incusant publicanos.

DI. Malè vertit res pecuaria mihi apud vos: nunc vicissim
Volo habere aratiunculam pro copia hîc apud vos.
AS. Non arvus hic, sed pascuus est ager. si arationes
Habituris, qui arari solent, ad pueros ire melius est.
Hunc nos habemus publicum: illi alii sunt publicani.
DI. Utrosque percognovi utrobidem. AS. istoc pol tu otiosus,
Cùm & illic & hic pervorsus es. sed utris cum rem esse mavis?
DI. Procaciores estis vos, sed illi perjuriosi.
Illis perit quicquid datur, neque ipsis apparet quicquam.
Vos saltem, si quid quæritis, & bibitis & comestis.
Postremò illi sunt improbi; vos nequam & gloriosæ
Malæque. AS. quæ in nos illosque, ea omnia tibi dicis, Dinarche,
Et nostram & illorum vicem. DI. quî istuc? AS. rationem dicam:
„ *Quia QVI ALTERVM INCVSAT probri, eum ipsum se intueri oportet.*
Tu à nobis, sapiens, nihil habes: nos nequam abs te habemus.
DI. O Astaphium, haud istoc modo solita es me antè appellare,
Sed blandè: cum illuc, quod apud vos nunc est, apud me haberem.
„ *AS. DVM VIVIT, hominem noveris: ubi mortuus est, quiescas.*
Te, dum vivebas, noveram. DI. an me mortuum arbitrare?
AS. Quî potis est, amabo, planius? qui antehac amator summus
Habitu'st, istunc ad amicam meras querimonias referre.
DI. Vostrâ hercle factum injuriâ, quæ propemvistis olim
Rapere. otiosè oportuit: diu ut essem incolumis vobis.
AS. Amator simili'st oppidi hostilis. DI. quo argumento est? AS. quàm-
primùm expugnari poti'st amator, optimum est amicæ.
„ *DI. Ego fateor. sed LONGE aliter est amicus atque amator.*
„ *Certè hercle QVAM VETERRIMVS homini optimus est amicus.*
Non hercle occiderunt mihi etiam fundi & ædis.
AS. Cur obsecro ergo ante ostium pro ignoto, alienóque astas?
I intrò! haud alienus tu quidem es. nam ecastor neminem hodie
Mage amat corde atque animo suo, siquidem habes fundum atque ædis.
DI. IN MELLE SVNT LINGVÆ sitæ vestræ atque orationes
„ *Lacteque: corda felle sunt lita, atque acerbo aceto.*
„ *E linguis dicta dulcia datis, corda amarè facitis*
„ *Amantes, si qui non danunt. AS. non didici fabulare.*
DI. Non isthæc mea benignitas docuit te fabulari,
Sed isti, quî cum Geniis suis belligerant, parcipromi.
Mala es, atque eadem, quæ soles, inlecebra! AS. ut exspectatus
Peregrè advenisti! DI. nam obsecro? AS. cupiebat te hera videre.
DI. Quid tandem? AS. te unum ex omnibus amat. DI. euge, funde & ædes,
Per tempus subvenistis mihi! sed quid ais, Astaphium? AS. quid vis?
DI. Estne intus nunc Phronesium? AS. tibi quidem intus.

DI. Va-

DI. Valétne? AS. imò edepol melius credo fore, ubi te videbit.
„ *DI. Hoc nobis vitium maximum est: CUM AMAMUS, tum perimus.*
Si illud, quod volumus, dicitur, palàm cùm mentiuntur;
Verum esse insciti credimus. na, ut in æstu, mutuamur irâ.
AS. Heia! haud ita res rest. DI. ain, tu, me amare? AS. imò unicè unum.
DI. Peperisse eam audivi. AS. ha! obsecro, tace Dinarche. DI. quid jam?
AS. Horresco misera, mentio quoties fit partionis:
Ita penè tibi fuit Phronesium. i intro jam amabo!
Vise illam: atque opperire ibi. jam exibit: nam lavavit.
DI. Quid ais tu? quæ nunquam fuit prægnas, qui párere potuit?
Nam equidem uterum illi, quod sciam, nunquam extumere sensi.
AS. Calebat, metuebatque te illa, ne sibi persuaderes
Ut abortioni operam daret, puerúmque ut enecaret.
DI. Tum pol isti puero quis est pater? AS. Babyloniensis miles,
Cujus nunc ista adventum expetit. imò abeo! ut nunciatum'st;
Jam hîc affuturum ajunt eum. nondum advenisse miror.
DI. Ibo igitur intrò? AS. quippini? tam audacter, quàm domum ad te.
Nam tu edepol noster es etiam jam nunc Dinarche. DI. quam mox
Te recipis tu? AS. jam hic ero: propè est, profecta quò sum.
DI. Redi verò actutum. ego interim te apud vos opperibor.

AUSCULTATE] Ed. vett. *auscultatò.* nostrum est in utroque Pal. A

1. ASSERVATE] Edd. vett. *asservabas ad.* MSS. Cam. *adservas.* &, *atque servas.* nostrum est à Camerario, quod evertit Pareus, revocata lectione vetustius cusorum, tanquam si ipsi soli purius judicium, quàm optimo illi senum, quàm Lambino, Sambuco, Dousæ &c.

2. ADVENTOR] V.N. infrà act. 2, 7. Pareana pr. *habeat* oggerit, nos *abeat* quod in libris ceteris, & omninò convenit.

3. QUIN EI] pro, *ii.*

6. UT SIMITU] i. simulatque.

CONGERON.] Nonius: *Congerones*, à congerendo. Fulgentius: *Congerones, qui aliena ad se congregant, unde apud Romanos Gerones Brutiani dicti.* Idque verum esse, Scalig. ait nam *Gerones* sunt χειρισταὶ, πραγματευταὶ, ut auctor Glossarii docet. Apud Plautum sunt *Geruli*, act. 2, 7. *Ite hàc simul muli eris, damnigeruli, foras-gerones* &c. Etiam MSS. Cam. l. *congerones*: nec aliter vett. edd. Idem tamen Nonius: *Congerrones dicti à gerris, i. nugis & ineptiis.*

A 7. CONSULTA] initia jam eis sunt consilia. MSS. Cam. *consulta f. consilio.* Et hinc fortè est, quod Io. Goldscalcus annotat, *Consultare consilio*, apud Pl. esse, unà cum alio consilium capere. Omnes etiam meæ edd. leg. *consilio*, non, *consilia.*

8. OSCULUM] MSS. & omnes edd. uno consensu, *oculum.*

8. OGGERIT] ita Pall. & omn. ed. vett. ut & J. Gul. alii *aggerit.*

9. DUM ILLI AGUNT Q. AGUNT] Ita Editio Lamb. & Douzæ. Sensus est: Dum basiator cum amicâ, quale etiam quale, agit, in eum finem, ne animadvertat, quid cæteri agant, B interim illi furantur.

9. SUNT CÆTERI CLEPTÆ] V.N. Pseud. act. 1. 1. In edd. vet. nihil hujus apparet. sed habuit MS. pr. Cam. sic. *Dum illi agant SST. cæteri cleptæ.* & hæc tria posteriora verba majoribus litteris minio scribuntur in spacio lineæ, ut essent nomina Interlocutorium. & ea de caussa etiam linea tota vacat in sec. cujus verba in ultima sunt, *dum illi agant.* neque aliter Edd. vett. sed absque lacuna. nec quidquam videtur deesse, nedum quod alii addunt, *lurcantur vel harpagant.*

10. OBLVD. QVI] ita è vett. ed. & MSS. correxi, in quîs, *obludeant qui c.*

12. FARTORES F.] nam de iis, quæ ad eos delata sunt, ut farcimina conficiant, nonnihil detrahunt, eoque vescuntur. L. MSS. pr. *fector.* cum notula, quæ utuntur scribæ, cùm indicare volunt *um*, quæque in eod. MS. iterum occurrit infra versu 16. in *eorum*. Pareus dum alium hîc reprehendit, longius ipse abit à fide & vero.

14. IBI EST IBVS] tum putant sibi de eo esse pugnandum, & ex eo virtutis famam consequuturos, si de nobis prædētur. *ibus* pro *iis*. *L.*

17. ACCONGESSI] MS. pr. *done adecessi*, sec. *dona concessi.*

18. COMMEMINI] memini, quem me arcessere jusseris, nempe Strabacem. Heram alloquitur. L.

21. DI. FAXO ER.] ita MSS. & edd. & vidit olim Guliel. Cùm ancillula meretricio more benedicto contenta non esset, sed rem & benefactum posceret, Dinarchus, Faciam, inquit, benè: tu huc modò respice.

23. I, OPTIME! ODIOSVS ES.] Sic restituit Gruterus, ex vestigiis MSS. & lepidè opponitur illud I, priori *mane*. Sanè uterque Pal. præfert *pessimam anel optume*: nisi quod pr *optune*. at ex eo *l* Pareus nobis fabricat, non *i*, sed *d*. apposite nimis si haræ aptandum erat. idem versu sequenti monstra nobis ingerit nugarum, dum non acquiescit Camerarianæ. edidit enim: *it ad nos. ips' ipsu'st. DI. i tul i, fer. &c.* putat autem talem scripturam bellè elici ex Pall. quorum pr. *atque isertas aduas lissi ituli fert.* sec. *atque is estis aduas lissi ittul fert.* at quid remotius est à talibus literis? à tali pronunciatione? libuit tamen hujusmodi portentis incestare chartam, quàm adhærere Camerario. quæ judicii scævitas!

24. FER CONTRA M.] Manus enim in salutationibus porrigitur: D.

26. COENA DETVR] V. N. Epid. act. 1. 1.

27. QVO IVSSIT. DI. EAS. SOD] Ita Ed. vett. itaque in MSS. Cam. esse, Gruterus observat: & addit, se priùs divinasse, *bene.*

29. MALA F. C. AST. SOLENS] V. N. Epid. act. 2, 2.

31. ADDVCTVRAM] Lips. notat in Vat. l. *adducituram*, antiquâ ratione: ut *atteritum* pro *attritum*. Atque ita etiam MSS. Cam. & vett. edd.

32. NVNC MVL.] Ed. vett. & MSS. Cam. A *AST. nunc m. f. est ex viro. DI. mala.* Quod probat Gruterus; nec probat, &c. Placet mihi Pist. qui vulgatum retinet. Habent enim expostulationis speciem.

33. NOVVSNE AM.] Mallet Dousa istud *novúsne amator?* ut & mox: *Quid? amator novus quispiam?* quomodo & Lipsius & Palm. Contra tamen Meursius *unus.* & verò Pal. sec. ut & Edd. vett. *novus*, sed tamen Pal. pr. *Ast apbi unous amator*, in quo omnibus literis *noVs*, hoc est, *novus*. Sic etiam iterat infra. 4. 2. v. 12.

34. QVIANAM] ita Vat. & Edd. vett. *quianam*, i. quamobrem. Pall. *quinam.*

35. REBVS CVRAS] V. N. Rud. act. 1. 3.

36. REDDIDISTIS OT.] MSS. & omn. edd. vett. *Vos mihi dedistis otiosum.*

36. EGO EXPEDIBO] Nonius & MS. Cam. sec.

37. REM PERD.] ita Nonius; *Rem perdidi apud vos*: L. Gul. In MSS. tamen Cam. & vett. edd. neque τὸ *apud vos*, neque, *cum re*, apparet. Marcello igitur gratia ob versus hujus integrationem.

39. AN TVTE BENE R.] Postulásne, Remp. aut rem amoris se bene habere aliâ lege, quàm ut otiosus fias? q. d. Neq; Respublica, B neq; amor bene potest tractari, nisi uterque otiosè suo muneri vacet. *L.* Mihi, inquit Pist. duplex sensus occurrit. Primò, ut *otiosus* capiatur ea significatione, quâ Dinarchus antè usus erat, cū dixit; *Vos me reddidistis otiosum.* Et nunc hoc vult: neq; publica vectigalia neque amorem rectè procedere, nisi is, qui operam dat, facultatibus spolietur. quod fit, cùm publica nimis carè conducuntur. quæ quidem frequens querela fuit Publicanorum. Et ita videtur intelligere Dinarchus in responso, *Illa haud ego, b. p.* Aut *Respub.* capiatur in genere de statu Reipub. totius: & tunc videtur dicere, quod Cicero pluribus expressit, pro Sestio, cum ait: *QUID est propositum Reipub. gubernatoribus, quod intueri, & quò cursum suum dirigere debent? id quod est praestantissimum maximèque optabile sanis & bonis ac beatis, cum dignitate otium. Hoc qui efficiunt, summi viri & Conservatores civitatis appellantur.* Idem, inquit Ancilla, in re amoris fit, ut amica amatorem *otiosum* reddat: sed alio fine. Et in hoc est jocus. Hæc ille. Sanè omnes edd. vett. & MS. sec. leg. hîc, *rem publicam*: Camerrarii tamen & vulg. *rem publicani*. MS. pr. *res publicum.*

40. HABE-

A

40. HABERE POSSE SE P.] Sic locum iſtum ſupplet Gruterus ex v.Edd. & MSS. quorum hi, *Habere poſſes poſt.* iſtæ, *Habere poſſe poſt.* illud *poſſe*, jam ſemiſeculum injuriè exulavit. Pare9 hic cæcus fuit, neq; quidquam mutit. Legere cupiebat Acid. *Habere te poſtul.* id eſt, tractare cupis, aut tractari poſſe putas? *Rem amoris* autem dixit, ut Amph. act. 2.2. *rem voluptatum.* & id arripuit Pareana.

41. PVBLICVM] ſc. à ſe conductum. *Publicum* hîc τὸ δημόσιον, τελώνιον eſt.

41. HABVIT PVBLICVM] Turnebus ad Varron. de L.L. Populi R. *Vectigalia* erant è portub9, quæ *Portoria* dicebantur: à paſcuis, qui *Scriptura*: (quia Publicanus ſcribendo rationē cum paſtore conficiebat: ob quod & ager *Scripturarius* dicitur) ex arationibus, *quæ Decimæ.* Cic. pro Manil. *Neque ex Portu ex Decumis, neque ex Scripturâ vectigal conſervari poteſt.* Id. 4. Verr. *Qui ſit iſte Verrutius, Mercator, an Arator, an Pecuarius.* Vide ejusd. Adverſ. l. 1. c. 5. ſed & Feſtum.

42. OB M. SCRIPT. P.] Piſt. leg. *Nam adv. legem, aliam, ob m. ſcr.* Q.d. Etſi mihi locum paſcuū locavit acceptâ pecuniâ; tamen cōtra pacta conventa peregrinum pecus in id quod mihi adſcriptū erat, recepit. Ita n. ſe explicat Adoleſcens, act. 4.2. Eſt igitur *ob meam ſcripturam*, præter id quod dedi: præter id quod mihi adſcriptum eſt. Ita, *obducere alicui aliquē*, eſt, præter eum, alium etiam adducere. Chariſius citat: *pecudem cepit*, rectius, ut Douzæ videtur: ſiquidem hanc Ulpiani diſtinctionem accipimus: Aliud eſt *capere*, aliud *accipere. Capere* cum effectu accipitur: *Accipere*, & ſi quis non ſic accepit, ut habeat. Ideoq, non videtur quis capere, quod eſt reſtituturus.

43. ÆRA Q. AST.] ita Lipſius Ant. Lect. l. 5. c. 3. è libro Roverii legit. *pecudum accepit Æraque. AST. idem q.* Idq; vehementer probat. *Æra* vocabant multam pecuniariam, quam portitores aut Scriptuarii imponerent. Sanè *Æraq.* in Pariſ. ed. etiam legitur; at in cæteris, ut & MSS. Camer. *Fierique.*

44. UBI NON EST, SCRIPTVRAM] ita MS. Cam. & Piſtoris. Ut *Scriptura* ſit illud, quod ideò datur, ut ager publicus alicui adſcribatur. Sentit: Ubi non eſt pecunia, quam dent amicæ, accuſant amicam.

45. APVD VOS] Douſa. l. *hos.* idque planum ait ex ſequentibus. quod recepit in contextū Pareus editionis unius, alterius verò ejecit.

46. ARATIVNCVLAM] i. agellum conductum, quem arem. *Arationes*, inquit Turn. ad Var. erant agri publici, qui aratoribus colendi dabantur, & tanquam locabantur, impoſitis decumis: aut denique agri etiam, qui decumas populo R. pendebant. Nec tam aratores domini erant, quàm Reipublicæ quidam coloni. Sic *arationes*, & *aratores*, in Verr. Cicero ſemper appellat agros decumanos, & eos, qui agros illos colebant, &c. Eadem copioſius Adverſ. lib. 1. 6.

47. NON ARVVS] Varro: *Ager arvus eſt, conſitus; paſcuus, florens.* Idem de re Ruſt. interpretatur *arvum*, quod aratum nec ſatum eſt. Alii *arvum* interpretantur *agrum ſationalem. Ager paſcuus* Ciceroni & Fab. *compaſcuus*, communis ad paſcenda pecora. Gemeine Waide. *Turneb.*

48. HABITVRIS] Libri vett. conſtanter, *ſi arationes Habituris, q.* Et certum eſt ita Plautū ſcripſiſſe, *Habituris*, id eſt, habere deſideras. Nam *habiturire*, ut *eſurire, iturire* &c. Si *ambituris* retineamus, nil poterit dici ineptius. non enim ambituriebat, ſed ambiebat, id eſt, habituriebat: *Meurſius.* Etiam MSS. Cam. *Habituris.* Edd. vett. *rationes habituris.*

B

49. ILLI ALII SVNT P.] Piſtoris, *illi alii*, pro, aliâ parte, adverbialiter. Acid. volebat *alibi*, quod contra libros in editionem ſuam pr. recepit Pareus.

50. UTROBIDEM] Ita Camer. cùm eſſet in Pall. *cognovit trobeidem.* nam prius impreſſi, *cognovi probe idem.*

52. PROCATIORES] Feſtus: *Procari, paſcere eſt: unde & Proci, & Procaces meretrices: & verbum Procas, i. poſcis.*

58. QVIA ALTER.] Similis ſententia Pſeud. act. 4.2. Lipſ. Antiq. l. 5. c. 3. è Vatic. emendat, *eumpſed*, vel *eum ſed*, addito *d* veteri ſcripturâ. Cicero: *Carere omni vitio debet, qui in alterum paratus eſt dicere.* Pall. *probri ſumpſit ſeniteri oport.*

59. TVA NOB.] Tu, qui te ſapientem profiteris, nihil habes à nobis, nos, quas nequam & malas eſſe arguis; abs te habemus. L

62. DVM VIVIT &c.] ſimilis locus Pſeud. act. 1.3. *Atque ego te vivum ſalvumque vellem* &c.

64. QVI POTIS EST] ita MSS. & vett. ed.

64. SVMMVS] ſc. largiendo: L.

70. LONGE ALITER] Benè. tamen ſuſpicor Plautum ſcripſiſſe *alter*, i. alius: ut Capt. Periocha, & Mil. act. 2.3. v. 17. Juvenal. Sat. 3.

—modò

——*modò longa coruscat*
Sarrato veniente abies, atque altera pinum
Plaustra vehunt.

Horat. epist. ultimâ:
Permutet dominos, & cedat in altera jura.

Claudianus:
Altera Romana longè rectoribus aula
Conditio.

Sid. Apollinaris:
Concretum gerat ipse caput: longè altera nostri
Gratia judicii: scit se, non læsus, amari.

hæc Acid. sed minimè necessario. certè contra omnes libros. & sic tamen repræsentat editio pr. Parei.

73. PRO IGNOTO.] Pal. uterque *ignato*. quod sanè monitu dignum erat, ei qui jactat nullam non exhibuisse literam membranarum, veráne ea esset, an falsa. *ignatus* pro *non natus*, sumiturque pro contemptissimo. Aul. 2.2.v.54. *Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem.*

76. IN MELLE] In Vatic. legi notat Lipsius *medie*, in alt. *medio*. hinc suspicatur *medde*, pro, *melle*, antiquâ scripturâ, *d* pro *l* ut *dacrymæ*, *Udisses* &c. Etiam in MSS. Cam. est, *medie*, & *melie*. quemadmodum in sequente v. pro *Lactéque, corda in felle*, leg. *Fac atque corda belle*; &, *Vacatque corda bella*. Et verò Parei editio, gloriosa incedit illo *Velle* pro *felle*: item mox *acervo*, pro *acerbo*. ceterum non fuisse primum authenticis, *medde*, inde colligo, quod natū sit illud *medie* ab eo qui, invenerat *melie*. at quid usitatius quàm *I* & *L* poni pro eodem ab iis qui Literas pingi tantum docti? Interim scire vellem cur contra omnes Libros Pareus *Velle* obtruserit non *Belle*.

77. SVNT LITA] ita Gul. eleganti allusione in *lita* & *sita*. atque ita a manu Camerarii etiam emendatum postea vidi in Bibliothecâ.

78. E LINGVIS] V. Edd. & MSS. Cam. *Linguis*, sine præpositione; quam requirit tamen versus.

78. AMARE FAC.] Meurs. è v.c. *corde amara facitis*. ut sit Græcismus. In MSS. & vett. edd. meis, *amare factis*.

79. SI QVI NON D.] ita Scaliger. Douza; *si, qui dent, non habent*. quod illicò editioni suæ intulit Pareus mimis remotè à libris scriptis in quibus, *si quit non danunt*, aut *quid*; quomodo & edd. vett. nam recentt: *siquidem non danunt*.

80. BENIGNITAS] i. beneficia, & liberalitas Livius: *Præda erat largitor: & benignitatem per se gratam comitate adjuvabat.* Vide Lamb. ad Horat. 1. Od. 17. ubi prolixè docet, *Benignum* idem valere, quod largum, liberalem, munificum: & dici propriè de eo, qui *bonis & dignis* largiatur: interdum etiam tamen, qui *indignis*.

81. QVI CVM GENIIS] qui ventri suo bellum indixerunt: qui Genios suos defraudant: L.

82. ILLECEB.] Scal. emendat *elecebræ*: ab eliciendo argento Menæch. 2.3. alterum restat in Pall. & Edd. ab *inliciendo*.

83. DI. NAM OBSEC.] ita totum hunc locum MSS. & edd. consuadentibus, restituit Gruter. *nam obsecro?* positum pro *obsecro nam?* quo usus noster hac fabula 2.7. vers. 42. Pareus obtrusit nobis *quidnam obs.* sed invitis libris omnibus: multoque magis invito versu. idem editione prima immani petulantia usus, objecerat orbi: *Peregre advenisti! nam cupiebat te herus videre. DI. Obsecro!* numeris maximè repugnantibus, nedum libris. idem in Lexico alteram adhuc lectionem nobis objicit in voce *Quia*: adeò nihil est fœcundius Ignorantia.

84. EVGE, FVND.] q. d. Vobis habeo gratiam, quorum beneficio redibo in gratiam cum Phronesio: L. *mihi*, nunc demum postliminio redditum auctori ex Pall. & edd vett.

89. TIBI Q. INTVS.] Scal. l. *intus haud est*. Malè. cùm Ancilla nunc manifestò blandiatur Dinarcho, postquam is fundi atque ædium meminit. quod antecedentia & seq. probant. *Pist.*

90. NÆ, VT IN ÆSTV, MVTVAMVR IRA.] Ita MSS. & ed Cam. Douza l. *Velut in æ*. Turn. lib. 10. 25. *ut in æstu mutuamur*, valet, ut in æstu alternamur, reciprocamur, mutamur, quod est ἀμειβόμεθα, περαιούμεθα. *mutuum* enim a mutatione nomen habet: nam quod ajunt ex eo dici, quia ex meo tuum fiat, bellè magis & scitè, quàm verè dictum arbitror. Palmer. l. *velut in æstu mutitamus irâ*. Agellius

lius lib. 2. *qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent. i. mutua convivia agitarent, jurare &c.* Venustè ergo Plautus, *mutitare irâ*, pro iræ atque amoris vices variare : quomodo Patricii conviviis mutitabant. Sed & *mutitamus*, patiendi significatione esse, ut item *mutamus*, pro, *mutamur*, nihil vetat: quo exemplo post act. 2,5.

——ut miseræ matres sollicitæque
Ex animo sunt, cruciantque.

Non enim rectè Camer. *cruciantur que.* atque ad hanc faciem Ausonius dixit, *crucianti cāterio.* Hæc ille. Pareana editio pr. præfert, *mutitamur ira:* cum nota marginali: Sic lego. Ita quidem legis tu. Sed quis tibi eam concessit licentiam? quare ita legis? cur tibi displicuit Cameraria na?

91. AIN TUTE] Lamb. *ain' tu me amari?* sc. à Phronesio.

92. QUID NAM? MSS. *quid eam?*

39. MENTIO] Prisc. l. *mentionem q.*

94. FUIT] i. parum abfuit, quin moreretur. Scalig. in Catalect. *Fuisse* pro, mori. V. N. Cap. 3. 3.

95. LAVAVIT] MSS. *lavabit*: quod idem

A est, vetere scripturâ, vett. edd. *lavabat.* Cæterum Parrhasius, *Quæsit. per Epist.* p. 121. copiosissimè disputat, *An solitæ sint puerperæ à partu statim lavare.* Et explicat ex hoc loco illud Ter. And. *Nunc primum fac ista ut lavet.* ubi *ista*, non quæ ex puerperio sordebant, sed ipsam puerperam significare ait.

104. ETIAMNUM, DINARCHE.] ita Grut. versum supplet repetita syllaba, & retractis vocibus binis à versu sequenti, qui alioquin laborabat pedum numero. sententiam Lambinus explere sategit illo suo, *heres tu?*

B

105. TE RECIPIS TU? AS. IAM HIC ERO: PR.] ita Pist. & Douza. itaque ferè & Acidal. *Quàm mox te recipisis?* (vel *recepsis*, pro, *receperis*, i. redieris) *AST. jam hic ero: pr.* Turbavit non rectè intellecta locutio, *profectâ quò sum.* quod est, quo institui & incepi ire. Aul. act. 1. 2. v. penult. Rud. act. 3. 6. Trin. act. 3. 2. v. 2. Terent. Eun. *Detineo te fortasse, tu profectus aliò fueras.*

106. REDI) MSS. volunt magis *Rede.* an fortuitum est? an magis syllabam secundam notant esse brevem?

ACTUS II. SCENA I.

ASTAPHIUM ancilla.

HA, ha, ha! hercle quievi, quia introivit odium. tandem sola sum.
Nunc quidem meo arbitratu loquar liberè quæ volam & quæ lubebit.
Huic homini amanti mea hera apud nos dixit neniam de bonis:
Nam fundi & ædis obligatæ sunt ob amoris prandium. verùm
Apud hunc mea hera consilia summa eloquitur liberè: magisque
Adeò ei consiliarius hic amicus est, quàm auxiliarius.
Dum fuit, dedit. nunc nihil habet. quod habebat, nos habemus:
Iste nunc id habet, quod nos habuimus. humanum facinus factum est.
„ *ACTUTUM FORTUNÆ solent mutarier. VARIA vita est.*
Nos divitem eum meminimus, atque iste pauperes nos.
Verterunt sese memoriæ. stultus sit, qui id admiretur.
Si eget, necesse est nos patiatur ali. ita æquum factu est.
Piaculum est, misereri nos hominum rei malegerentum.
Bonis esse oportet dentibus lenam probam: arridere,
Quisquis veniat, blandèque alloqui: malè corde consultare,
„ *Benè loqui linguâ. MERETRICEM esse similem sentis condecet,*

Quem-

Quemquem hominem attigerit, profectò aut malum aut damnum dari.
Nunquam amatoris meretricem oportet caussam noscere,
Quin, ubi nihil det, pro infrequente eum mittas militiâ domum.
Nec unquam quisquam probus erit amator, nisi qui rei inimicu'st suæ.
Nugæ sunt, nisi quod modò cùm dederit, dare jam lubeat denuo.
Is amatur hìc apud nos, qui, quod dedit, id oblitu'st datum.
Dum habeat, tum amet: ubi nihil habeat, alium quæstum cœpiat.
Æquo animo, ipse si nihil habeat, aliis qui habent, det locum.
Probus est amator, qui relictis rebus rem perdit suam.
At nos malè agere prædicant viri solere secum,
Nosque esse avaras. quæso! numqui malè nos agimus tandem?
„ *Nam ecastor* NVNQVAM SATIS *dedit suæ quisquam amicæ amator:*
Neque pol satis accepimus, neque ulla satis poposcit.
„ *Nam* QVANDO STERILIS EST *amator à datis*, improbus est.
Si negat se habere quod det, soli pernoctandum est.
Nec satis accipimus, satis cùm quod det, non habet.
Semper datores novos oportet quærere,
Qui de thesauris integris demunt, danunt.
Velut hic agrestis est adolescens, qui hìc habet,
Nimis pòl mortalis lepidus, nimisque probus dator.
Sed is, clam patre, etiam hanc noctem illàc
Per hortum transilivit ad nos. eum volo convenire.
Sed est huic unus servus violentissimus,
Qui ubi quamque nostrarum videt prope ædis, hàc si aggredias,
Item ut te frumento anseres, clamore absterret, abigit.
Is item est agrestis. sed fores, quicquid est futurum, feriam.
Ecquis huic tutelam januæ geris? ecquis intus exit?

VERSVS hujus Scenæ in MSS. aliter atque aliter distinguuntur.

1. HERCLE] Palm. l. *Ha ha ha he, ecere quievit, q. ut ex he ecere*, fecerint, *hercle*. Hoc nisi, aut tale quid faciemus, erit scilicet in Plauto monstrum *Hercules*, quantum ne Hercules domuit unquam, ut in Comœdiâ mulier per Herculem dejeret. Negant enim Varro & Agellius, usquam apud idoneum Scriptorem reperiri, aut, *mehercle*, fæminam dicere; aut, *mecastor*, virum. Et nefarium id ac piaculare adeò fuisse: quia fœminæ Herculaneo sacrificio abstinerent; viri Eleusinis initiis. An id nos fugere, aut priùs in cogitando Plautum potuisse, aut posteà in discendo histriones, aut demum in audiendo spectatores arbitramur? *Hæc ille*. At G. Anselmus Epiphillid. τὸ *hercle* excusat: quòd A Agellius fortè Romæ mulieres tantùm intellexerit: Hæc verò Athenis gerantur: aut quòd impudicis lex eadem non sit: aut quòd Agellius in suis Noctibus dormitârit. V. N. Asin. act. 5. 2. & Cas. act. 2. 6. MSS. *ercle*.

1. INTROIVIT] Minus verè meminit Pareus in utroque Pal. restare *introabit*. sic solum visamus in pr. & fuitne *introavit*, pro *intro abiit*.

1. QVIEVI] Tranquilio animo sum. L.

1. SOLA SVM] V. N. Cas. act. 2. 2.

3. DIXIT NEN. DE B.] Alludit ad nugas & mortualia præficarum: præter mentem Lambini. V. N. Asin. act. 4. 1. Q. d. Bona hujus apud heram elata ac sepulta sunt. mortuos enim solebant neniâ prosequi. Scal. ad Festum: *Neniam dixit*, idem est, quod, *supremam dixit*:

valedixit: abire jussit. Glossarium: *Nenia, ὕμνος ἐπὶ τῶν νεκρῶν.* Ib. *Neniæ, ἐπιτάφιος ᾠδή.*

4. OB AM. PRAND.] i. ob amorem. L.

8. QVOD NOS HABVIMVS] sc. egestatem.

8. HVM. FAC. FACTVM EST.] ita MSS. & vett. ed. Alii, *factu.*

11. VERTERVNT &c.] sc. memoria nostra atque ipsius. Janus Gulielmius Verisim. lib. 2, c. 17. ad v. Tibulli lib. 1. el. 5.

At tu qui potior nunc es, mea furta caveto. (*rotæ:*
Versatur celeri fors levis orbe citò. (vel *orbe*

notat: De eâdem Fortunæ rotâ Cic. in Pisonem: *Cum collega tui domus cymbalis & cantu personaret, in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, Fortunæ rotam pertimescebat.* Itaque etiam apud Plaut. reponendum arbitror, quod in suis MSS. reperit Lambinus; sed quid eo faceret, non vidit.

Vertit sese rota vicissim: stultust qui id admiretur.

Hæc ille. quæ etiam visas inter egregia quæ editioni suæ pr. intulit Pareus. Palmerius ita:

Verterunt sese memoriæ vicissim. qui id admiretur?
Si eget, necesse est nos patier. abi, ita æquum factu est.

Qui judicare volet. vet. edit. adhibeat: pôst deinde ne cucurbitæ caput habeat. *Abi*, exsultantis est, ut Ter. Adel. act. 5. sc. 1.

Laudo Ctesipho: patrissas: abi, virum te judico.

Ad quod Donat. notat: *ABI, verbum est vel sibi vel alteri cum laudatione blandientis. nam sic dicunt, qui jam compotes sunt votorum omnium, perfectique in rebus universis.* V. N. Asin. act. 3. 3. Sic Palm. quæ quoque Pareus arripuit stercorando editionis suæ pr. fundo. neque aliter altera; nisi quod ea antiquè *AVI*. Nos ductum ed. Camerarianæ & MSS. etiam nunc sequi maluimus: qui profectò parùm abducunt à vulgatis. nam Pal. pr. *Verterunt sese memoriæ est vitus sit quid ita miretur? Si eget necesse est nos patiam auita equom me factum est.* neq; aliter sec. quàm quod is *patiar*: Edd. vett. *Vertere sese memoriast Vices sic. quid ita miretur si eget. necesse est nos patier à vita. Æquum factum est.*

13. REI MALEGERENTVM] ita MSS. & ed. Cam. & Lamb. vulgò, *rem*, quod revocavit prima Parei.

14. DENTIBVS] quibus comedat amatores. V. N. Most. act. 1. 1.

17. QVEMQVEM] Ita Pall. & Edd. vulgatæ. sola Pareana, *Quemquam*, fatuè.

17. AVT MAL.] ut cùm à sente pungitur.

17. AVT DAMN.] ut cùm vestis laceratur. V. N. Asin. 3. 6.

18. NVNQVAM] Nunquam debet meretrix audire amatorem caussas afferentem, quare, si non largiatur, non debeat eum ejicere, & domum remittere, ut militem infrequentem, &c. Meursius notat, *Infrequentem* malè interpretari Lamb. ἀσφαλεστάτως, &c. Agellius lib. 16. 4. *Miles quum die, qui prædictus est, aberat, neque excusatus erat, infrequẽs dicebatur.* Citat Lips. Antiq. Lect. lib. 5. c. 4. Idem de Milit. Rom. lib. 5. Dialogo 18. Ignominiæ, inquit, quibus boni honestique animi haud minùs coerciti, quàm pœnis, multiplices in militiâ Rom. fuere. Primum, Hordeum pro tritico datum. Caussa hujus rei, ut indigni viderentur communi militum cibo, sed rejicerentur potiùs, jungerenturque cum jumentis. Alterum, cùm ære privantur; & stipendium non procedit: atque hi dicebantur, *ære diruti.* Ausonius in Centon. præfert: *Procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis: sin aliter, Ære dirutum facies.* Benè, *inter frequentes.* nam qui *infrequens*, patiebatur hanc pœnam. Sidonius:

——*timet Ære vocari*
Dirutus; obprobrium, non damnum, barbarus horrens.

Infrequens autem, ait Festus, *appellatur miles, qui abest, absuitque à signis.* Cornif. ad Herenn. lib. 4. *Prætereo, quod militiæ te infrequẽtem tradidisti*, &c. Tertium, cùm extra vallum & castra jubentur tendere. Caussa fuit, quasi indigni essent, qui inter verè milites agerent, projecti & objecti hosti: idque interdum sine tentoriis. Quartum, discinctos & turpi habitu prostitui, nempe ut parũ viros. Quintum, Mutare militiam. quod est, ab honestiori genere in humilius transcribi, &c. Sunt & alia quædam minora; ut stantes cibum

cibum potumque capere. Atque hæc in gratiam Romanæ antiquitatis studiosorum, inde excerpsi. Videatur & Alex. ab Alexand. l. 2.c.13.& in eum Tiraquellus.

19. MITTAS] alii, *mittat.*

21. NISI QVOD] D. leg.-*nisi qui, mod.*

21. LVBEAT] ita Lamb. è v. c. ut ait: mei certè omn. ut & MSS. *jubeat*. Acid. leg.-*nisi quoi, modò cùm dederit, dare jam lubeat denuo.*

23. DVM HABEAT &c.] Pseud. act. 1. 3.

Non est usui (vel justus) quisquam amator, nisi qui perpetuat data:
Detque usque: quando nihil sit, simul amare desinat.

Epictetus:

Nuda Venus picta est: nudi pinguntur amores:
Nam quos nuda rapit, nudos amittat oportet.

Sidonius lib. 9. epist. 6. *Per rei familiaris damna vacuatus, ut primum intelligere cœpit & retractare quantum de bonusculis avitis paternisque sumptuositas domestica Charybdis abligurisset, &c.* Scitè appellat meretricem *domesticam Charybdim*. Ita Nicetas Choniates *bulgam meretricis* ὄντερον & κοιλίαν vocavit.

23. TVM AMET] Ita MSS. & Edd. vett. at Lamb. *Dum habeat, dum amet.* Et affert illud Catulli in Epithal.

Sic virgo dum intacta manet, dum cara suis.

ut & Muretus legit & explicat è Quintiliano lib. 9. c. 3. qui ait, prius *dum* significare, *Quoad*: sequens, *Usque eò*. Notavit & Godescalcus Stewech. *De particulis Lat. L.* & Pistoris noster, cum laudatiunculâ Lambini.

23. ALIVM QVÆST.] quasi verò qui amant, quæstum rei familiaris faciant. Hic autem versus corruptissime Fragmentis infertur, ut monuit J. Gulielm.

25. RELICTIS] V. N. Epid. 4. 2.

27. NVMQVI] Alii, *num quid malè nos capimus tandem?* alii, *nunquid alienum capimus?* Quorum tamē neutrum in meis est. sed, *qui si nunquā alienos agimus tandem*, ut & in MSS. nisi quod sec. *quisim umq.* Alios igitur omnes à nostris libros habuit Lambinus.

30. IMPROBVS EST.] hæc à Lamb. cætera restant in MS. pr. Cam.

31. PERNOCTANDVM EST.] Etiam duo hæc verba à Lambino sunt. nam MSS. & edd. vett. deficiunt.

34. DEMVNT, DANVNT.] ita Pist. Solens Plauto geminare verba. Ita infrà act. 2. 3. *durare, operirier:* & similia passim. Atque hoc est quod Lena dicit, Asinar. act. 1. 3. *de pleno promere.* In MSS. est, *demus d.* Edd. vett. *dona d.* recentt. *demum.*

37. CLAM PATRE] ita omnes edd. tamen D. F. *clam patrem.* Pall. ambo. *clam pater.*

37. HANC N. ILLAC PER H.] ita vett. edd. At Lambinus hîc nobis etiam *maceriem* exstruxit, hoc modo: *etiam hac nocte illanc illam maceriem Per h.* Pall. MSS. *hac noctem illac* PER. neque ulla est lacuna grandiuscula in sec. ut vult Pareus. Imo *illac* ibi finit versum, sicut etiam facit in primo.

39. VNVS SERVVS] *unus* pro *quidam*. V. N. Pœn. act. 5. 2.

40. PROBE ÆD. &c.] Edd. vett. *propè ædes hasce egrediens, Item* &c. quod certè non displicet. nam etsi alterum restet in Pal. pr. habet tamen sec. *basci agredias*, non, ut adfirmat Pareus, *aggredias*. Palmer. *propè ædes hâc sic aggredior, has* &c.

ACTUS II. SCENA II.

STRATILAX servus, ASTAPHIUM ancilla.

QUIS illic est, qui tam protervè nostras ædis arietat?
AS. Ego sum. respice ad me. ST. quid! ego? nónne ego video? væ tibi!
Quid tibi ad hasce accessio est ædis propè, aut pultatio est?
AS. Salve. ST. satis mihi est tuæ salutis: nihil moror: non salveo:
Ægrotare mâlim quàm esse tuâ salute sanior.
Id volo scire. quid debetur hîc tibi nostræ domi? AS. comprime!

ST. Spero

*ST. Spero meam quidem hercle: tu quæ solita es comprimat.
Imprudens per ridiculum ut rustico suadet stuprum!
AS. Iram dixi. ST. ut esse cœpisti, si dem, si est una altera.
AS. Nimis hic quidem TRVCVLENTVS. ST. pergin' malè loqui mulier mihi?
AS. Quid tibi ego autẽ dico? ST. quia enim me TRVCVLENTVM nominas.
Nunc adeò, nisi abis actutum, ac dicis, quid quæras, citò,
Iam hercle ego hîc te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram.
AS. Rus merum hoc quidem est. ST. pudendúmne? tu verò clurinum pecus,
Advenisti huc sistentatum exornatis ossibus.
Quia tibi insuaso infecisti, propudiosa, pallulam.
An eo bella es, quia accepisti? ar me advenias. AS. nunc places!
ST. Quàm me illi velim! AS. mentiris. ST. dicis quod te rogo?
Mancupium quî accipias, gesta tecum penos annuos.
AS. Dignis dant. ST. Lavinia hîc sunt, quas habes victorias?
AS. Ne attigas me. ST. téne tangam? ita me amabit sarculum,
Vt ego me ruri hamaxari mavelim patálem bovem,
Cumque eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetem,
Quàm tuas centum cœnatas noctes mihi dono dari.
Rus tu mihi opprobras? ut nacta es hominem, quem pudeat probri!
Sed quid apud nostras negotii, mulier, est ædis tibi?
Quid tu hòc occursas, in urbem quotiescunque advenimus?
AS. Mulieres volo convenire vostras. ST. quas tu mulieres
Mihi narras? ubi musca nulla fæmina est in ædibus.
AS. Nulláne istîc mulier habitat? ST. rus, inquam, abierunt. abi!
AS. Quid clamas, insane? ST. abire hinc ni properas grandi gradu,
Iam ego istos fictos, compositos, crispos, cincinnos tuos
Vnguentatos usque ex cerebro expellam. AS. quânam gratiâ?
ST. Quia adeò fores nostras unguentis uncta es ausa accedere,
Quiáque istas buccas tam bellè purpurissatas habes.
AS. Erubui mecastor misera propter clamorem tuum.
ST. Itáne erubuisti? quasi verò corpori reliqueris
Tuo potestatem coloris ulli capiendi, mala.
Buccas rubricæ, cera omne corpus intinxit tibi.
Pessumæ estis. AS. quid est, quod vobis pessumæ hæc ···
ST. Scio ego plus, quàm me arbitrare scire. AS. quid id est, obsecro,
Quod scias? ST. herilis noster filius apud vos Strabax
Vt pereat, ut eum illiciatis in malam fraudem & præmium.
AS. Sanus si videâre, dicam: dicis contumeliam.
Nemo hominum hîc perire solet apud nos. res perdunt suas.
Vbi perdidêre res, abire hinc si volunt, nudis licet.
Ego non novi adolescentem vostrum. ST. verón'? AS. seriò.
ST. Quin maceria illa ait, in horto quæ est, quæ in noctes singulas*

Látere ſit minor, quâ iſte ad vos damni permenſu'ſt viam?
AS. Non mirum, vetus eſt maceria, lateres ſi veteres ruunt.
ST. Ain tu, mala, lateres veteres ruere? nunquam edepol mihi
Quiſquam homo mortalis poſthac duarum rerum creduit,
Ni iſta ego veſtra hero majori facta denarravero.
AS. Eſtne ille violentus? ST. ſuam non enim ille meretriculis
Muniendis rem coegit, verùm parſimoniæ
Duritiæque; quæ nunc ad vos jam exportatur, peſſumæ.
Hem tu, ô ſexungula! malè vivitis. egóne hæc muſſitem?
Iam enim, eccere ibo in forum, atque hæc facta narrabo ſeni:
Neque iſtuc in ſe geſtit, ergo coget exanimem mali.
AS. Si ecaſtor hic homo ſinapi victitet, non cenſeam
Tam eſſe triſtem poſſe. at pol hero benevolens ut is eſt ſuo!
Verùm ego illum, quanquam violentus eſt, ſpero mutari poteſt
Blandimentis, ornamentis cæteris meretriciis.
„ *VIDI EQVIDEM ex jumentis domita fieri, atque alias beluas.*
Nunc ad heram revidebo. ſed eccum odium progreditur meum.
Triſtis exit. haud convenire etiam hîc velim Phroneſium.

PROTERVE] Immoderatè ac ſuperbè. à *proterendo.* nam *proterbus* eſt, qui dum alius obvius eſt, *proterit*; quod & tauri faciunt in appetitu coitus buculæ in quam calent, Paſſerat.

1. ARIETAT?] Seneca crebrò hâc voce utitur, ut lib. 3. cap. 4. De irâ: *Adjice dentium inter ſe arietatorum & aliquem eſſe* (i. ediſſe) *cupientium ſonitum &c.* Lib. 2:3. *antequam acies inter ſe arietarent*, i. cum impetu concurrerent. Ita apud eund. ſunt *arietata arma*; *arietatio.* Viditné (inquit Lipſius) quiſquam pictum aut fictum aliquid amœniùs colloquio illo ſervi ruſtici cum lepidâ ancilla? In quo utriuſque ingenium ita diſertim Plautus expreſſit, ut in illo nil niſi ſordes & rus merum, in hâc Veneres & lepóres videâris cognoſcere.

2. NONNE EGO] Douza l. *non te ego v.* MSS. Cam. & vett. edd. *nonne ego videor te tibi?* Sed Acidal. *ST. quid, ego? AST. non nego. ST. video. va tibi.* quod inſeruit editionis ſuæ ſenticeto Pareus.

4. NON SALVEO.] Notat Parrhaſius Epiſt. 29. Comicum hîc minus Latinè ex perſonâ ruſtici & ex decoro locutum. ut Terentium. Eun. act. 3: 1. *emoriri riſu.* ubi Donatum vide.

A 7. TU QUÆ SOLITA ES] Lipſ. Antiq. Lect. lib. 4: 6. Venuſti joci ſententiam reſtituo, *te qui ſolitu'ſt, comprimat.* Dixerat enim ancilla ruſtico inclamanti, *comprime*, vocem videlicet, aut iram: quod ille ſatis urbanè convertens, Ego quidem, inquit, meam amicam comprimam; te alius, qui ſolet. Nam ita accepiſſe ruſticum, clarum ex ſequentibus:

Imprudens per ridiculum ut ruſtico ſuadet ſtuprum.

V. N. Rud. 4:4. MScripti, inquit Grut. *tuque ſolitas.* & legerit, *tu quem ſolita es.* nam & hoc etiam mulierum. nec accedamus ad illud Lipſicum; *te, qui ſolitu'ſt.* Vide Artemidorum

B lib. 1. cap. 81. Inde & Sophoclidiſca in Perſâ, act. 2: 2. *ſubigitatrix* vocatur à Pægnio, &c. Meurſius, *tuquem ſolitas compr.* quod eſt in omnibus v. edd. retinet, optimo δεχαίρειν. *Solitare*, ut *dolitare*, apud Catonem pro *dolere.* ultimum iſtud invexit editioni ſuæ Pareus.

8. IMPRUDENS] Ita MSS. Cam. & edd. at Palm. l.

Impudens per r. u. r. ſ. ſt.

AS. Iram dixi. ST. ut eſſe capiſti, ſic es tu, ἅλς mera.

Contumeliæ verbum eſt, ἅλς. hinc Curc. *balophanta*: Pœnulo; *balagoras*, ſeu ἅλς *agoras.*

Fortè

Fortè sit, qui probet potius: *ut esse cepisti, fidem dem, Si est una altera*. Nam in vet. quibusdam est, *fidem*. Atque tum quâdam loquendi consuetudine, quæ legi imperat, imperfecta fuerit oratio. Sed mihi placet:

——*ut esse cæpisti, ei dem me, si est una altera.*

Si, inquit, altera est tui similis, ei me ego mancipio dabo: dedam me illi in servitutem. q. d. Nulla alia tam mala est. MS.Cam. sec.& ed.vet.plerique, *fidem, si est una altera.* at pr. *si dem, sist un alteram*. Notat Pareus: Nulla Fides, inquit, me unquam respiciat, nisi germana hæc lectio est, ex vestigiis MSS. à me deprompta: *Ut esse cepisti, sic est nulla altera.* Quid tibi videtur, Lector, de ista lectione? nonne arguit hominem istum fidei nimis quam negligentem, qui talia per vanitatem deblaterat? nam quid longius abit à literis? à syllabis? à sono? priore editione obtruserat nobis, *sic es tu ἄλς mera.*

8. PERRIDICVL.] ita MSS.& edd.omnes, aut unitâ voce, *perridiculum*. at D.F.I. *per deridiculum*, versûs caussâ. quod tamen non opus, quamvis ostentet utraque sua editione Pareus.

8. VT RVSTICO] alii, *nunc ut r.*

9. VT ESSE C.] Locus corruptus. Quid si ita legamus? *ut esse cepisti, cedam, si est una altera*, i. ut molesta & odiosa esse cæpisti, cedam tibi, si una altera fæmina ad te accedat æquè odiosa: Lamb.

10. PERGIN M.] In MSS. utroq; legitur, *pergin malè loqui mulier mihi es.* quod non temerarium puto: & fortè distinctiunculâ juvandum ita, *pergin' malè loqui? mulier mihi es.* Q. d. Du bist mir der rechten eine. Pareus ait, *es* illud, notare personam. At ubi unquam persona ponitur versus fine?

11. QVID] ita Edd.vett.alluduntq; MSS. in quibus, *Quid tibi ego aut medico.* alii, *Ecquid.* Acidal. *Quid tibi ego autem malè dico?* Sed tamen malè illud *malè* inculcat, quod nusquam esse ipse fatetur. Pejus fecit Pareus, qui in contextum etiam recepit. utriusque editionis, & nihilominus vellet provocabulum *me* (quod neutra ejus habet, restatque in MSS.) à Typographo suo expressum, non sine summa versus peste.

13. QVASI SVS C.] Sermo proverbialis, pro tali primum usurpavit Tremellius ille, de quo Varro lib.2.cap.4. de Re Rust. *Grut.*

14. PVDENDVM NE] MSS. & omn. vet. *pudendum & vero &c.* aptiusq; est versui. forte fuit, *pudendum? i verò, clurinum pecus!* nam ei sæpe degenerant in *et*.

14. CLVRINVM P.] Ita MSS. & omn.edd. excepta Parisinâ, quæ *grunninum*: quod & Sarracenus agnovit. At Hadr.Turnebus lib. 10: 25. *Clusinum*, inquit, *pecus*, pro *Clurino*, fortasse legendum: in quo jocus ab urbe Clusio, ubi non admodum egregia erant fortassè pecora: & ex ambiguitate à *cludendo*: clauduntur enim meretriculæ, quæ clam habentur; ut & pecora morbida. Non desunt, qui *Lurinum* legant: alii *alurinum*, i. felinum pecus, à felium turpitudine: etiam quidam *lurinum*, i. coriaceum. Hæc ille. Colerus volebat *Cluninum pecus*, ex illo potissimum Festi: *Clunas, simias à clunibus tritis dictas existimant.* & eò emendat illud Servii è Fuldanis membranis: *Plautus cluninum pecus, simiam dixit.* Videas etiam, quæ Cæl.Rhodig. Ant.Lect.lib.4.cap.7.de *chlune* & *chlunio pecore* disputavit: nam & sic legere doctos quosdam affirmat. Meursius *clurinum* probat, cùm ita sit in vett.ed. & Arnobius usurpârit: atque in Glossario legatur, *Clura*, πίθηκος: & dubium non sit, quin veteres ita extulerint; ut *cordus* pro *condus*: *canimen* pro carmen: *genimen*, germen: *gnoma*, groma: *præcidanea*, præcidaria: *proletaneus*, proletarius: *architector*, architectus. Ita autem Astaphium Stratilax appellet, deformitatem ei exprobrans: nam homines deformes *Simia* per convicium audiebant. Milite, act.4:1.

——*PY.edepol hæc quidem*
Bellula est. PA. pithecium hæc est præ illâ.

Talis ancilla Phronesii, Trucul.2:5. v.25.

——*Ebò Pithecium,*
Face ut accumbam: adjutare sic decet puerperam.

Lycophron quoq; Thersiten hominem maximè illiberali facie πιθηκόμορφον nominat. Vel *simiam* appellasse Astaphium videri potest, quia esset ingenio maligno & versipelli. Sanè antiqui ejusmodi homines non aliter indigitabant, apud hunc Plautum, Pseud. act.2:4.

Sed

Sed quid nomen esse dicam ego isti servo? CH. Simia.

Inspice totum locum: non invenies, qui magis accommodatus ad hanc rem. Huc referendum, quod Candulus & Atlas, quia scelerum fraudumq; omnium inventores exstiterant, κέρκωπες sunt dicti. Apomasar etiam cap. CXXXV. Simiam interpretatur τὸν πανοῦργον: ut & Artemid. libb. 2. & 4. capp. 12. & 58. Item Proverb. celebratum fuit, πίθηκος ἐν πορφύρᾳ, &c. Aristophanes etiam *Equitibus*, πιθηκισμοὺς posuit pro fraudibus. Huc etiam pertinebat somnium Charmidæ Rud. (act. 3: 1. & 4.) ubi *Simia* significat Labracem hominem nequissimum. unde apparet, Comicum nostrum ὀνειροκριτικῶν minimè fuisse imperitum. In Mostell. quoq; Servus Phaniscum adversitorem contumeliosè *simiam* nominat: *Vide ut fastidit simia*. Hæc Meurs. Jam Matthias Klock, Astaphium, inquit, ancilla Stratilacem rusticum convitio lacessit: *Rus merum hoc quidem est*. at ille retorquens: *tu verò marinum pus*, pro, *pus*. *Marinum*, i. peregrinum. Vide & Scaligerum in Cirin. (item Not. Persa, act. 2: 2.) Nostri dicerent, Du Wälscher Beschiess; Hoffart. Tamen aliud innuit simul Plautus. Cùm enim *peregrina* (teste Donato) meretrices dicerentur: *meretricium pus* eam appellasse intelligi potest, & peregrinum sive exoticum dedecus. quod postremum mero ruri opponitur. (Animadverte quoq; responsionis pulcram paranomasiam, *merum rus*, *marinum pus*.) Acidalius denique levissimè suspicabatur, *tu verò urbicum pecus*. quasi hoc ruri opposuisset. Ita (ut ego quidem opinor) *urbicum pecus* dici possent elucones isti nulliusque operæ homines, quos vulgò Stadtjunckern/ Stadtphysicos/Pflastertretter vocant. Verùm hæc, quæ alibi fortè non mala, malè tamen hîc inculcantur. Et quid opus erat in contextum etiam à *Pareo* recipi, tanquam oraculum? cùm ipse auctor disertis verbis illud suum *urbicum* ut allucinationem puerilem traducat. Nos meritò tenuimus quod fides meliorum codicum suasit, & ratio probabile reddidit. ut omittatur, ejusdē esse sententiæ, & Pet. Pithæum, & Jo. Savaronem, rei literariæ principes. quorum ille quoque asserit id vocis Arnobio: hic verò, Plauti locum istum laudat ad Sidonium lib. 1. Epist. 1. qui videatur. Interim quid? tantum abest ut

A pœniteat temeritatis suæ nuperum Lexicographum, ut adhuc illud *urbicum* probet veluti simplicissimum. quo ipso quid velit ipse noverit. hoc scio, verè agere simiam, dum ibidem subjicit, Taubmannum nullo sensu, nulloq; prorsus sale Plautino, expressisse *clurinum*. Qui tam pervicax est, in amplexandis aliorum liberis; quid non moliretur pro suis simiolis? Post hæc omnia; ecce nobis oritur altera Pareana, cum illo insensato & insalito *urbicum*. quare? quia nunc nihil tentat contra MSS. qualis mutatio!

15. SISTENTATUM] ita Lipsius è duobus Vatic. Antiquum, inquit, verbum, *sistentare*, pro *ostentare*: ut in Bacchid. & Most. *extentare*. Antiq. Lect. lib. 4. cap. 6. Usus eodem & Tacitus XV. Annali. Nec aliter MSS. Cam. licet Edd. omn. *subtentatum exorn. oss.* Douza l. *es dentatum*. Acidal. *te ostentatum c. exorn.* cui insistit editio pr. Parei: Lexicon verò ejus sic grunnit: *Ostentatum venire*. Ita nudè malo legere cum vulgo, quàm illud *sistentatum* Lipsii acceptare; quod corruptum est planè verbum, & nihili prorsus. Miror itaq; Taubmanum tam delicatulum fuisse in B illo accipiendo. Magnifice prorsus, ut decet sceptriferum. qui tamen ipsemet illud ipsum *sistentatum* editioni ultimæ intulit. Quid tibi videtur Lector, de monstro tam inconstanti? dignissimúmne qui emendationi Plautinæ præficeretur extra ordinem?

15. EXORNATIS OSSIB.] Jos. Scaliger ad v. Tibulli lib. 1. el. 9. *Qui succo splendente genas onerasse?* notat: Vulgata lect. est, *Quid fuco spl. genas ornasse?* ubi *Fucus* erit sandyx & cerussa. at *succus splendens* est crassius sputum ex madido pane; ut jus collyricum, cujus illitu genis splendorem conciliabant. Tertullianus De cultu mulierum cap. 7. *Ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronunciatum est. Vos planè adjicitis ad pondus collyridas quasdam, sputorum umbilicos cervicibus adstruendo.* Collyridas vocat à succo crassiore, unde *offas* etiam vocat Juvenalis Satirâ 6.

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicetur, an ulcus.

Ex pane enim siligineo id fiebat. Idem:

Et pressum in faciem digitis extendere panem.

Sputum autem Tertullianus vocat tenue corium

rium aut crustam, quæ ex illo tectorio inducebatur. Martial. lib. 8: 33. *Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis.* *Sputo*, corio tenui. *sputi umbilicos*, bullas & pompholygas illius crustæ. sic *tenuis lamina*, πέταλωμα, i. *sputamentum* dicitur Polyb. Recepta Tibulli lectio defenditur Plauti autoritate: *Venisti huc cum exornatus ossibus.* Hæc Scaliger.

16. INSVASO] Festus: *Suasum, colos appellatur, qui fit ex stillicidio fumoso in vestimento albo. Plautus: Quia tibi suaso infec. &c. Quidam autem legunt, insuaso. nec desunt, qui dicant, omnem colorem, qui fiat inficiendo, suasum vocari: quod quasi persuadetur in alium ex albo* (quid. *alio*) *transire.* Etiam Gruterus censet, *insuaso* retinendum: cùm Glossarium; *Insuasum*, εἶδος δοκαρειοκαπνισμένον interpretetur: sive, ut Scaliger emendat, εἶδος δοκαρίων κεκαπνισμένων. Et sanè hoc vult (inquit) Festus, esse colorem similem illi, qui est in illis trabibus, quas diutinus fumus infecit. Meursius & Acidal. conjiciunt, *Quia tibin' suaso infecisti*, &c? quod pendet in Pareanarum editionum tholis.

17. QVIA ACCEPISTI? AR ME ADV.] ita Scaliger: itaque MS. pr. Camer. nam sec. *arma*, quomodo & Edd. vett. Prisci illi *ar* dixerunt pro *ad*. Vett. edd. *An eo bella es, quia cepisti arma? advenias.* Alii, *accep. arma* (i. ornamenta) *adveniens?* Christoph. Colerus leg. *An eò bella tu es, quia accepisti arma ac viriolas?* Glossarium? *Viriola*, ψελίχιον, ψίλιον. Alibi: ψίλιον, *viriola, armilla.* Et ψίλιον ἀνδρὸς, *brachionarium.* Sunt itaque *viriolæ* ornamenta muliebria aurea vel gemmea, l. 14. ff. de contr. empt. l. ult. ff. de auro, mundo &c. Acid. hæc ita constituit:

Quia tibin' suaso infecisti, propudiosa, pallulam,
An eo bella es tu? quin accedis ar me? advenias.

quod etiam ferè occupat editiones Pareanas.

18. ST. QVAM ME ILLI VELIM! AST. MENTIRIS. ST. DICIS QVOD TE ROGO?] ita Tellenas has tricas extricare conatus est Lipsius. At sic olim Scalig. *Cum te illius limen tueri dicis.* vel sic: *Cùm melius limen te tueri dicis.* MS. pr. Cam. *Cum me illi vel in mentiri dicis quid quod &c.* ita & sec. nisi quòd, *velim*, pro illo; *velin.* quomodo etiam Edd. primæ, nisi quod ex, *dices.*

19. MANCVPIVM QVI ACCIPIAS, GESTA TECVM PENOS ANNVOS.] ita Turneb. lib. 10: 25. quomodo locutum Plautum annotat Priscianus. Sic quidem & modulo versus & sententiæ lepôri consuli videtur. Quid si tamen, inquit idem, legamus, *Mancupium qui accipias, gesta tecum me, nos annulos*, ut illum servum, & se servam indicet: vel potiùs, *ahenos annulos*: ut fugitivum perstringat qui retrahendus sit catenis: cum etiam *ferrei annuli* servitiorum essent, & *æris* nomine veniat ferrum. Pall. *henos annos.* Edd. vett. *ha nos an vos.*

20. DIGNIS DANT.] Lamb. l. *dantur.* Douza, *dane*, i. da. Pall. *dignus dant.* Edd. *dignós dant.*

20. LAVINIÆ H.] Locus obscurus. Alii volunt, alludi ad Laviniam Latini filiam, quam Æneas Turno superato obtinuit, tanquam victoriæ præmium. quasi Plautus significet, in ædibus meretriciis esse Lavinias, quas cupidè expetant amatores, quæque magno constent. Alii, *Lavinias mulieres* fuisse putant, quæ mundum muliebrem aliis locarent, accepto in dies singulos pretio. Alii dicunt, significari, in ædibus meretriciis amatores bona sua profundere: quasi fiat allusio ad illud, quod diximus suprà (Trin. act. 2: 4.) de iis, qui balneis elavant bonis. Omninò hîc mihi *biscendi est nulla potestas*: ut verbis utar Lucretianis. Hæc Lambinus. Ego animadverti, in primâ sententiâ esse Turnebum; in secundâ Alciatum. Simeo Bosius Juridicus Lemovicensis, vir acutiss. libr. 15. ep. 9. ad Attic. *Lanuvium*, inquit, non modò urbem significat, sed eam quoque corporis partem, quâ sita sunt pudenda. Græci eam κοχώνην vocant. Pl. Truc.

Lanuviine hîc sunt, quas habes victorias?

Verba sunt Strabacis servi Astraphium ancillam de stupro appellantis: & manum, quâ illa mulier erat, admoventis. idcirco mox illa respondet, *ne me attrectes.* Propertius quoque,

Lanuvii ad portas heu mihi solus eram!

Inde *colei Lanuvini*, quos Cicero in Epist. ad Pætum honestos esse tradit; ut contrà *Cliternínos*, turpes, qui locus non satis huc usque intellectus est. itaque conabor eum explicare. *Lanuvium & Cliternia* urbes sunt Italiæ, unde culei vini & olei Romam advecti venales à propolis inclamabantur. Faceti verò homi-

homines cum pro culeis *coleos* acciperent, ita propolas inclamasse fingebant: & quidem *coleos Lanuvinos* honestos existimabant, quòd vox *Lanuvium* pro pudendo ita tecta esset, ut turpis non haberentur. in *Cliternia* verò inerat allusio quædam ad *herniam*: quod vocabulum, ut ait Corn. Celsus, indecorum putabatur: idcircò *coleos Cliterninos*, tanquam herniosos non honestos ducebant. Porrò κοχώνη, cui nomini Latina vox *Lanuvium*, autore hìc Cicerone, respōdet, ita Galenus interpretatur: σύζευξιν τὴν ἐν τοῖς ἰσχίοις τὴν πρὸς τὴν ἕδραν, δι' ἣν καὶ πᾶς ὁ περὶ τὴν ἕδραν τόπος οὕτως ὀνομάζεται. Hæc ille. à quibus nec alienus Passeratius, qui opinatur eam partem corporis ita dictam ob lanuginem ac quasi Lanicium, ut & Turn. lib. 23. c. 7. Gruterus: Mens quoq; hic, sapienti. nempe turgebat ei aliquid sub tunicâ. hoc indicat ancillæ. Scio Bosium putare, Strabacem manum admovisse ancillæ, quâ mulier erat. sed vix probem: ob responsum ancillæ, *ne me attrectes.* id enim ita capio, tanquam si prohibitione istâ excitaret servum, ut se invaderet. certè non adnotatam à Strabace manum, ipse asserit his: *tangámne ego te?* Cæterùm de *Lanuvio*, quæ hìc dicuntur, quid dicam nescio. an ei lux aliqua ab illis Augustini lib. 7. c. 21. De Civit. Dei? *In oppido Lavinio unius Libero totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis utebantur, donec membrum virile per forum transvectum esset, atq; in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere.* Palmerius totum hunc locum ita conatus emaculare.

An eo bella es tu, quia cepisti armeas? venias: nunc places,
Cum me limule. AST. mentire. STR. dic sis id quod te rogo:
Mancupi vin qua accipias? cape eccos ahenos anulos.
AST. Dignis dane. abin? STR. io, heic sunt quas habes victorias?

Jam, inquit, *armeas* pro diminutivo *armellas*, ut rusticus, non malè usurpat Stratilax. *armeæ* enim & *armellæ*, eædem quæ *armia* & *armillæ*, &c. Quòd deinde scripsi; *cum me limulè:* id quoque in lasciviæ notis, *limulis adspicere:* & per ludum objici solitum. Bacchid. act. 5: 2. Quòd autem armillas cepisset Astaphium, rogat eam Stratilax, velletne potius quæ mancupio caperet, ahenos anulos. cus-

A intelligendum est. vel rusticum instrumentum, quod in manu gestaret Stratilax: vel cōpedes & manicas, quæ in proscenio erant, ad repræsentanda, si ita ex argumēto Fabulæ esset, noxiorum vincula. Nam in Mimis ac Fabulis vapulabant nōnunquam servi: amplius etiam, è vinculis sæpe caussam dicebant: quibus rebus Scena, quòd dubitare nemo possit, apparabatur. Hos ergo fortasse anulos monstrat illi Stratilax. At Astaphium jubet dignis dare. Facit huic rei, quòd *anulos* pro cōpedibus apud vet. Poetas notāt Grāmatici. *Mancupi*, inquit autē, quia mancupiū, quòd manu capiatur: illa autē sive rustica instrumēta, sive vincula; verè manu capiuntur. Sed quæ *mancipio capimus*, propria perpetuaq; nobis sunt: neq; alienantur facilè. Sic ergo jubet illam in vincula indui, aut gestare, quæ ipse in manibus præferret, ut ne facilè deponere, neve sine iis esse possit, etiam cùm velit. *Mancupi capere:* quod nos dicimus, *mancupio capere.* ita solebant olim, & elegātius est. Mil. act. 1: 1. —— *& ego me illi mancupi dabo.* sic enim ibi v. lib. & ed. Postremò: *Io, heic sunt, quas habes victoria? jo*, triumphale est in victoriâ: & dicuntur hæc à mulierē cōtrectabundo: ac qui

B manū ferret ad eam partem, ubi amicitia habitat. Hæc Palmerius. Deniq; Meursius Personas & locum totum ita conatur restituere

AST. Dignis dane: lamiæ hæc (pro, hæ) sunt: quas habes victorias.
Ne attigas me. ST. tangamne ego te?

Et quidem (inquit) *lamiæ* erat in v. c. quod multo probius. Aspernatur Stratilacis munera Astaphium quasi abhorrens, Lamias esse ac terriculamenta dicens. Lucilius: *Terriculas Lamias Fauni quas Pompiliusque.* Et *Lamiæ turres* apud Tertullianum. *Victoriæ* autem κατ' ἀντίφρασιν hìc à Comico ponūtur. Erāt verò *sigilla victoriæ*, quæ magnâ frequētiâ Græci (nam hæc Athenis agi finguntur, ut omnes Fabulæ) faciebant. Val. Max. lib. 1. c. 1. *Victorias, aureas pateras, & coronas, quæ simulacrorū porrectis manibus sustinebantur, tollebat: & eas se accipere non auferre dicebat.* Cicero Verr. 6. *Erat præterea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneæ victoriæ antiquo opere, ac summâ arte perfectæ.* Hæc diis præstitibus suis in manu ponebant: scilicet ut militiæ possent hostes superare. Clarè ecce in loco Valerii citato, & illo Ciceronis eâdem Verrinâ, quam laudavi: *Insistebat*

bat in manu Cereris dextrâ simulacrum pulcerrimè factum Victoriæ. hoc iste è signo Cereris avellendum, asportandumque curavit. Hactenus Meursius. Sanè MSS. Cam. & omn. edd. leg. *Laviniæ hic sunt, quas habes victorias.* Una Paris. *lamiæ h.s.q. aves,* qua utitur sola Meursius. nam quod Pareus, nō contentus eam recepisse in contextum, etiamnū, tanquā sensui meliori propinquiorem visam, propugnet in Lexico suo, asseratque, Taubmannum meras heic nobis producere lamias, & mira humaningenii monstra; parum meminit sui; aliis impingens suamet vitia: certè cōtumeliosissimus est in Lumina nostri sæculi quorū sententiā omnibus ferè servatis verbis bona fide protulit Taubmannus nihil præterea: debebatq; saltem excipere Meursium, cujus invasit scrinia. Idem dum altera editione ostētat: *Dignis dant: Lamiæ hac &c.* qua est hebetudine, non videt turpiter claudicare versum.

21. TANGAM?] ita omnes edd. & MSS. expuncto illo, *ne ego te.*

22. HAMAXARI] *Hamaxari*, est plaustrū trahere, auctore Turn. l. 10:25. Pist. malit exponi, Plaustro jungere. Et hoc sensus requirit. Ich wolte lieber Ochsen anspannen / Oder / ein Ochsenknecht sein. Nam qui plaustro trahitur à bobus, tantū molestiæ nō percipit, quātū is, qui boves plaustro jungere cogitur. Unde & *pernoctationis* meminit, quod propriū eorum qui ruri huic ministerio præficiūtur.

22. PATALEM B.] Ita Scalig. restituit, utiturq; idem in versione Cassandræ: *Fortes patales hostient*, i. tauros ferient. Festus: *Patalem bovem Plautus appellat, cujus cornua diversa sunt, ac latè patent.* Græci quoque ab eâdem mente ejusmodi boves vocarūt πετῆλας, sive πετάλους. Athen. lib. 9. &c. ad quæ vide Casaubonum c. 4. Notat & Lipsius Antiq. Lect. lib. 4:6. & Palmer. Spicileg. cujus verba retulimus Milit. act. 4:2. Tales autē boves, inquit Turnebus, & plaustris & aratris apti: l. 10:25. Meursius è vett. edd. ipsiusq; Festi, *patulum* cōstanter tuetur: aitq; boves istos ἀναπετάστους ab eod. Festo *propatulos* quoq; dici. Obducit & Interpret. Virgilii. Vide ibid. Ita Philargyrus, Georg. 3. *Camuri, inquit, boves sunt qui conversa introrsus cornua habent: quibus cōtrarii Patuli, qui cornua diversa habēt: Labi, quorum cornua terrā spectant: his contrarii Licini, qui cornua sursum versum reflecta habent.* Glossæ: *Licinus*, ἀνάσιλλος, i. *capillitiū sursum reflexū*. Certè & MSS. Cam. legūt. *patulū voveri.*

23. PERPETEM] ita Scalig. & vet. edd. *perpetim* Pall.

A 27. Hoc] id est *hac.*

29. MUSCA NULL. FÆM.] i. nulla prorsus fæmina. Turnebus, ad jocum Ciceronis, *PUER abige muscas*: Propinqui & amici, qui gratiosi erant aut clari, deducere solebāt candidatos, qui prensatū ibant, ut petitio & gratiā, & auctoritatē majorē haberet. Igitur cum A. Sempronius Longus cum fratre Vargulam essent cōplexus, Vargula scurriliter lusit, jubēs abigi muscas. *Muscam nullam fæmina*, pro, *nulla fæmina* dixit venustè Plaut9 ex vulgi sermone, &c. Vide N. Pœn. 3:3. At Meursius, sed valdè adolescēs, putabat τῷ *fæmina* παρέλκειν. itaq; rescribebat, *ubi musca nulla est in ædibus.* Veteres, inquit, cùm domi nemo esset, rogati, jculariter respōdebant, *Ne musca quidē.* Invenio & apud Suetoniū Domitiano c. 3. *Inter initia principatus quotidie secretū sibi horariū sumere solebat: nec quicquā amplius quàm muscas captare, ac stilo præacuto cōfingere: ut cuidā interrogāti, essetne quis cum Cæsare, nō absurdè responsum sit à Vibio Crispo: Ne musca quidem.*

31. GRANDI GRADU] Aristoteles διαβεβηκότα vocat: ita & διαίρειν στόμα, *os aperire.* vide Comm. Is. Casaub. ad Theophr. Charact.

B 32. CINCINNOS] Palmer. Spicil. fol. 165. Formosam & ornatam puellam pingit Varro his verbis, me correctore: *Ante aures nodo ex subolibus parvuli intorti demittebantur cincinni. sed & oculi suppatuli, nigellis pupulis quandam hilaritatem significantes animi, rictus parvissimus; ore frenato; risu roseo.* Crines nodari solenti atq; ita Virgilius. Solent etiā intorti crispi cincinni demitti ante aures, quos scilicet cincinnos nodo descendisse. Trucul. *Jam ego ist. &c. Suboles* autem capilli ima parte capitis, à subolescendo, quia aliis succrescunt. &c.

33. EXPELLAM] Ita MSS. Cam. & omn. vett. sed Scaliger *evellam.* ut & olim B. Saracenus. malim præterea versu priore *istoc*, ut est in MSS. & Edd. vett.

34. QUIA ADEO.] Locus minus sanus. nam Pall. *Quia adeo foras nostras unguant juncta esse audes accedere.* Edd. primæ, *Quia adeo foras nostras junctas audes accedere.*

35. PURPURISSA.] Apul. lib. 1. Apol. *Quis non disciplinam matris agnovit: cum in puella videret immedicatum os, & purpurissatas genas, & illices oculos?* Tertullianus, de Cultu fæminarū: *Quæ cutem medicaminibus urgunt, genas rubore maculant.* Item: *An cum cerussā, purpurisso & croco, & in illo ambitu capitis resurgatis?* V. N. Mostell. act. 1:3.

38. ULLI] pro *ullius.* Prisc.

39. RVBRICÆ &c.] Ita Camer. è suis MSS. sed Scaliger maluit: *Buccas rubricâ, cerâ omne corpus intinxti tibi.* Turnebus libri 24: 17. Purpurissum dixit Plautus Latinè *rubricam, &c.* In alt. MS. Cam. leg. *rubriceta.* ut & in vett. ed. inde natum. quod esset in pr. *rubrice ceta.*

40. PESSIMÆ HÆC ...] ita MS. sec. & vett. ed. at MS. pr. *pessumæ hec ma.* Lamb. l. *ac cuja via?* Quid est, quamobrem vobis pessimæ habeamur, & *cuja viâ?* i. quâ ratione? M. Klock l. *quid est, quòd vobis pessimæ secubiæ?* Acidal. *quid est quòd vobis pessima sumus? ST. hàc abi.* i. abi. Sed meræ divinationes sunt. quarum ultimam tamen in textum retulit Pareus.

43. ILLICIATIS.] MSS. & Edd. *iniciatis,* & *injiciatis.*

44. SANVS SI VID.] i. Si putarem te sanum esse, dicerem, te contumeliam dicere: sed quia pro stulto te habeo, non curo. Planissimum. Scalig. l. *Sanus si sis, vide ne dixis contumeliam.* Sed profectò hæc aquila, quæ inconnivis oculis Solem ferè intuetur, hic connixit. De Lambino minus mirum. Nostrum præferunt etiam MSS. Cam. & Vatic. quod testatur Lipsius lib. 4: 6. Antiq. Lect. Nisi (inquit idem) placet, *dicam dicis contumelia:* ut, *Dicam scribere.* Etiam Acidal. nostrum unicè rectum clamitat: *AST. Sanus si videare, dicam.* Formula ista est, quâ duram sententiam molliter efferre: aut alioqui circumloquitur, quod non lubet apertè proferre. Tantundem hîc est, acsi dixisset, *Non sanus es.* ita alibi: *Si habeam, dem:* pro, nihil habeo quod dare queam. Vett. edd. *Sanius si videar, edicam. AST. dicis e.*

46. NVDIS LICET.] Nemo hîc perit, inquit, hominum; sed res tantùm. illi nudi abeant licet. Ita Gruterus è MSS. in quîs, *ut uis.* Edd. vet. *uti jus.*

47. VERON'?] Lamb. *AST. Veron'? Serion'? Quin &c.*

48. QVIN MAC.] ita uterque Pall. *Quid* edd. omnes; & laudat etiam Meurs. è Prisc. lib. 4.

49. ISTE AD VOS] Vett. edd. *is ad vos.* neque aliter Priscianus. Pall. *istivos,* sine *ad.*

50. VETVS EST M.] Scal. leg. *Non m. est, vetustâ maceriâ, lat.* ut sint ablativi absolutè positi. Est autem *maceria* murus intermedius ex lapidibus sine calce & cæmento congestus. Terentius Ad. 5: 7. *Hanc in h.* Vide Scholion sequens, quò stupor & turbatio Operarum cætera projecit, &c.

52. DVARVM RERVM] Omnis enim sermo duobus monosyllabis constat, *Est* & *Non:* Alciatus Turn. lib. 18. cap. 25. *duarum rerum,* i. divini & humani. quod verius V. N. Amph. act. 2: 2. *in horto maceriam jube dirui.* Ad quod Donatus: *Maceria dicitur paries ** nunc alicujus demaceratus.*

53. DENARRAVERO] *De* hîc auget. Horat 2. Saturâ 3. *matri denarrat.* Vide Not. Epid. act. 1: 1.

54. ESTNE ILLE VIOL.] *Ne,* pro, *Nonne.* Mostell.

Sed ego sûmne infelix, qui non curro curriculo domum?

Persâ:

Sed sûmne ego stultus &c.

Mil. act. 2: 6. v. 105. *ne id quod vidit, viderit?* Acidalius.

55. MVNIENDIS] Lambinus ex Camerarii suspicione retinuit *molliendis,* i. molliter tractandis, amplexandis. At Scaliger in Conject. l. *molendis.* Horat. ——*Non alienas Permolere uxores.* Sic Varro apud Non. in obscenum significatum accepisse videtur: *Hic alius tibi molit ac depsit.* nam & *depsere* obscenum: ut etiam Cicero ad Pætum ostendit. Catullus: ——*patrui perdepsuit ipsam Uxorem.* V. N. Milit. act. 2: 2. Lipsius Antiq. Lect. lib. 4: 6. Lego, inquit, *fum. non enim il.* Deinde illud *Molliendis* ajo auctoribus libris falsi damnandum. nam optimus Vatic. *Memiendis:* duo alii, *Monendis.* ut certum habeam latere in hac scripturâ verbum vetustius. Placeret, *Molendis:* Lucillius,

Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere cunnis:

Sed id lex versûs spernit. P. Colvius ad illud Apull. 11. Metam. *Deæ peculiaris pompa moliebatur;* notat: Terentius,

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Arbitror rectè legi Truc.

——*suam non enim ille meretriculis.*
Molliendis rem coëgit.

Turn. lib. 10: 25. leg. *moliendis.* i. movendis, aut potius deliniendis. ita Ter. Heaut. 2: 2.

Dum

Dum moliuntur; valet, dum surgunt, dum se movent. Præ cunctis tamen Placet Acidalio, quod Dan. Bucretius non modò de Palmerii suspecta suspicione, sed ex desertâ antiquæ Venetæ lectione, observârat, *Muniendis r.* Est autem *munire*, muneribus afficere, munerari. Trin. act. 2. 1. v. 21. Et hoc in contextum etiam retuli; donec certius aliquid statuatur. cum præsertim omnes meæ vett. Edit. *muniendis* agnoscant. MSS. Cam. cum Vatic. l. *muniendis*.

55. PARSIMONIÆ, DVRITIÆQVE] ita MSS. vet. ed. Alii, *Parsimoniâ duritiáque*.

57. HEM TVO, SEXVNGVLA] Hoc Palmerii maximè probo. nec potuit aptius in rapax illud genus. quomodo Aulul. 3. 6. *homines cum senis manibus* dixit; fures intelligens. MSS. *Em*, vel, *Hem tuos exungula &c.* calumniatur enim Pareus, dum notat citare nos, ex Pal. *sexungula*. id tamen formatum ad eam faciem, quâ Plinius *apum cellas sexangulas dixit*. Scalig. l. *Emptu, nexu, gulâ*. Et sententiâ, inquit, apertâ; sive ad ea referantur, quæ sequuntur; sive ad ea, quæ antecedunt. Significat enim, amatores bona sua perdere apud meretrices, emptionibus, obligationibus, & compotationibus. R. Titius l. *exungula*. ab *exsugo*.

59. NEQ. ISTVC] Ita uno consensu MSS. & omn. edd. veteres. nisi quod aliqui pro *mali* leg. *mori*. Molitiones tamen doctorum indicabo. Agmen ducat Scaliger. Is ergo refingit:

> *Ne quâ is istuc in segestro cogat examen mali.*

Facta, inquit, narrabo seni, ne quâ ratione is tantum malorum acervum congerat in stragulo seu integumento, seu stramento, quo lectus involvitur ac tegitur. ut explicat Lambinus. Festus *Deris Græci appellant, pelles nauticas, quas nos vocamus segestria*. Ad quod Scaliger: Glossæ veterum: *Segestre*, διφθέρα, διφθέρα πλοίου. Glossarium: *Segestre*, στέγαστρον, ... vel potius γεράδερμον, *vetus pellis*: ut γεράνδρυον. Idem in Conject. ad Varr. De segestri Lucillius:

> *Penula, si quæris, canterius, servus, segestre*
> *Utilior mihi quàm sapiens.*

Erat enim teges, quæ à segetibus, ut vult Varro, quod ex eis fieret, dicta fuit. Postea factam esse ex pellibus testatur Plautus apud Porphyrionem, qui dixerit de anu dormituriente: *Anus hæc in pellis periculum protenditur*. Val. Maximus ait, Catonem *hædinis usum fuisse pro stragulis*, tanquam nihil mutasset è priscâ frugalitate. certè στέγαστρον *pelles* significat. Et nostrum *dermio* ἀπὸ τῶν δερμάτων: nam *dermio* veteres dicebant. Hactenus Scaliger: quæ profectò mirabor, si doctis omnia probet. Lipsius ex conjecturâ:

> *Istuc ipse gestit, ergo coget examen mali.*

Examen mali, vis mali est. Poeta vetus:

> *Classis cita texitur, exitium examen rapit.*

Totum verò locum ita reforma in aditu operis sui J. Palmerius:

> *Estne illi violentus? SV. suam non n. ille meretriculis*
> *Moiniendis rem coegit: sed parsimonia*
> *Duritiaque: quæ nunce domo sic jam exportatur pessum.*
> *Ehem, tu sexungula, malo vites. egóne hîc mussitem?*
> *Jam enim eccere ibo in forum, atque hæc facta narrabo seni.*
> *Neque is istuc in sequestri tergo coget examen mali.*

Numerorum, inquit, rationem habui, sed ut Horatii de Plauto judicium meminerim: & ea mihi effugia patere voluerim, quæ ipse sibi. Primo versu vir doctiss. *sum* reponit, pro *suam*: cui non assentior. De Stratilace enim si loqueretur, non *violentum* sed *truculentum* vocasset, ad celebrandum Fabulæ nomen. tum ipsi Stratilaci responsionem affinxisset, quæ id nomen revocaret. Id videas, quoties ab epitheto nomen Fabulæ inditum: ut Terentii Andriâ & Hecyrâ: maximè autem hâc ipsâ Truculento. altero versu, *moiniendis*, certum est: quod valet *mœniendis* pro *muniendis*. Porrò *muniuntur meretrices*, cùm illis munus detur, hoc est, cùm quis eas muneratur &c. Tertiò *sexungula*, de conjecturâ feci: quoniam furum sex manûs alibi appellat: & *ungulas* item: quomodo Catullus *ungues*, ibi:

> *Tuis ab unguibus reglutina.*

Quæ ergò rapiendo, trahendo intenta esset, quidnî lepidè *sexungulam* appellare potuerit? Possem alias conjecturas expromere, si esset tanti. *Vitare malo*, eleganter. P. Arbiter: *Ponere jussit arma, & malo cavere*. Plautus ad id exemplum, *vitare infortunio*, dixit Curcul. 2. 3. Terentii

Terentii Adelphis act.1.1. ignoratur, & ob id corrumpitur:

Malo, coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet.

Si enim interpungendum: & illud, *malo*, non ad *coactus*, sed ad *cavet* referendum, &c. Si ergò, quomodo reposui, scribatur; de Sene ipso accipietur: sin, ut nunc monebo, de servo:

Neque is istic in sequestri tergo coget examen mali.

Non, inquit, hæc clam Sene habebo: ne, si postea resciverit, Strabax in sequestri tergo coëgerit examen mali, & ego pro eo pœnas sufferam. Ita *sequestre tergum* erit succidaneum, (V.N. Merc.4.3. & Rud.4.3.) cui ex eo etiam gratia quæretur, quòd Stratilax herilem filium sectaretur. *Phœbadius* vetus & elegans Theologus, libello de Trinitate contra Arrianos, *sequestrum* appellat CHRISTUM, qui nos inter & Deum medius, pœnas nobis paratas exceperit, & scelera aliena expiârit. Hæc ille, & gloriatur in hâc emendatione. quam & ego unam ex optimis ejus censeo, & dignam, quæ in vestibulo prostet. *Acidalii* divinationes apud ipsum vide. quarum ultima libris antiq. omnium proxima: *Neque iste huic in se gesti tergo coget examen mali.* hoc sensu: Non coget iste huic tergo examen mali in se gesti, i. quod contra se gessit. Sua suo sibi malo commissa non faciet in me expetere. & verò commentum istud egregiè exornat bubile Pareanum. cetera magnus ille Dictator autumat somnia suavissima.

A 60. SINAPI VICT.] V.N. Pseud.3.2. *Sinapi victare* dicuntur tetrici, &c. Vide Adag.

63. ORNAMENTIS] ita MSS. & omn. vett. edd. at Meursius l. *ornmentis*. quod *ornamentis* cum blandimentis non ita aptè conjungantur. Fuerint autem *ornmenta* blanditiæ quæ *exornbula* nominavit primore scenâ. Ita & Goldastus legebat. Uterque tamen judicio doctorum conjecturam suam committit. Pareus verò eam recepit in contextum; Laudatque ceu genuinum auctoris in Lexico Plautino.

64. EX IVMENTIS] Ed. Ald. *Vidi eq. juvencum ex in domito domitum fieri.* quod Pareus quoque editioni suæ impudenter immiscuit, cùm extaret in Edd. vett. *Vidi eq. jumentum ex indomito domitum fieri, atque alias belluas.* B Pall. *Vidi equidem ex inem intu domitu fieri atque alias b.* nisi quod sec. *intum*; quamvis aliter notet Pareus.

66. HAVD CONV.] P. Colvius: Malè mutârunt vet. lectionem:

Tristis exit. avet convenire etiam hic dum Phronesium.

Nam, *hicdum*; ut illa, Mil. *Nequedum exarui* &c. Pseud. *Etiamdum*. Rud. & alibi, *primùmdum*: Trinummo sic accipiendum: *Quid ineptus dum sermonem vereor interrumpere?* I. Gul.l. *haud convenit etiam hicdum Phronesium.* Ex eo, quòd tristem videt Dinarchum, colligit, nondum conventam ab eo heram suam. Edd. prima: *Tristis exit. ad convenire etiam hic dum Phr.* neque aliter Pall. nisi quod ii, *hum*, loco *dum*. illud *avet* Pius affirmat extare in antiquis codd. si verum est, præposuerim reliquis lectionibus.

ACTUS II. SCENA III.

DINARCHUS adolescens. ASTAPHIUM ancilla.

PISCES ego credo, qui usque dum vivunt, lavant,
Minus diu lavere, quàm hæc lavat Phronesium.
Si proinde amentur mulieres, diu quàm lavant,
Omnes amantes balneatores sient.
AS. Non quis parumper durare, opperirier!
DI. Quin hercle lassus jam sum durando miser.
AS. Mihi quoque præ lassitudine opus est ut lavem.
DI. Sed obsecro hercle, Astaphium, i intrò, ac nuncia

Me

Me adesse. tu i properè, & suade jam ut satis laverit.
AS. licet. DI. audin etiam? AS. quid vis? DI. dî me perduint,
Qui te revocavi! non tibi dicebam, i modò!
AS. Quid jam me revocabas, improbe nihilique homo?
Quæ tibi mille passuum peperit moræ mora.
DI. Sed quid hæc hîc autem tamdiu ante ædis stetit?
Nescio quem præstolata est: credo, militem.
Illud est! vide ut jam quasi volturij triduo
Priùs prædivinant, quo die esurisient:
Illum inhiant omnes: illi est animus omnibus.
Me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit;
Quàm si hinc ducentos annos fuerim mortuus.
,, *UT REI servire suave est! væ misero mihi!*
Post factum flector, quia ante-partum perdidi.
Verùm nunc si qua mihi obtigerit hæreditas,
Magna atque luculenta, nunc postquam scio
Dulce atque amarum quid sit ex pecuniâ;
Ita ego illam edepol servem, itáque parcè victitem,
Ut nulla faxim cis dies paucos siet.
Ego istos, qui nunc me culpant, confutaverim.
Sed est vocis sat: sentio aperiri fores,
Quæ obsorbent quicquid venit intra pessulos.

LAVANT] Varro l. 8. de L. Lat. hunc locum citat sed impeditius. quem tamen Acidalius curiosissimus expedire satagit. Sed quia in nostris libris (edd. Scaligeri, Turnebi, Popmæ) hodie plana sunt omnia nihil attinet Varroniana afferre.

2. LAVERE] Turneb. Com. in Jocos Cic. *lavare* agnoscit: & Plautum à Varrone leviter reprehendi ait, qui contra analogiam locutus sit, & *lavare* dixerit; cùm debuisset *lavari.*

4. OMN. AMANTES] MS. Cam. sec. & ómnes vett. edd. *amatores*: eleganti paronomasiâ *amatores, balneatores.* nec numeri respuunt.

5. QVIS] i. potes.

7. AST. MIHI Q.] ita personas constituunt v. edd. quod probat Meursius: notatque morem hunc Græcis vetustissimum fuisse: citans Artemid. l. 1. cap. 66. & quidem calidâ lavisse. V. N. Epid. act. 5. 1. item Bacchid. sc. 1. Mercat. act. 1. 2. Porro, *ut* non extat in MSS. qui una litera minus habent quam *lavem*, nempe *lave*. Edd. verò vett. *lavere*, omisso quoque illo *ut*.

9. TV I PROP.] ita MSS. Cam. at vett. ed. *Me adesse, cui properet suavium, Ut s. l.* idque placet Meursio. Sed Malit Acid. *tu i præ, & s.* quod comparet in contextu Pareanæ primæ.

13. MORÆ MORA.] Oratio concisa, & sic explenda: Quæ mora tantum moræ tibi peperit, quantum est mille passuum. Posset & legi, *moram*, vel *moras*: Acid. In MSS. Cam. est: *q. t. m. passum peperit more.* & illud *mora*, nec in vett. ed. usquam apparet.

15. QVEM PRÆSTOLATA EST] Ter. Eun. act. 5. 5. *Quem præstolâre Parmeno?* Ad quod Donatus; Novè, *Quem* dixit, non, *Cui præstolâre.* Cicero in Catilin. *Qui tibi ad forum præstolarentur.* Notavit idem Eugraphius vetus Ter. Commentator: *Præstolor,* est præstò sum, appareo, i. obsequor.

16. ILLVD EST: V.] ita egregie edidit Camerarius. nã in MSS & vett. edd. est, *Illũ studẽt jam quasi v.* Acidalius: *Illud vide, ut j.* Quomodo

modo Curcul. *Hoc vide, ut dormiunt pessuli, &c.* quod intulit Pareus editioni pr. at secunda præfert stolidum illud, *Illum student jam quasi.* adeò tyroni omnia placent. quàm quæ calculo probat suo insignis ille Francus.

16. QVASI VOLTVRII TRID.] Plin. lib. 10. c. 6. *Umbricius haruspicum nostro ævo peritissimus tradit, triduò antè aut biduo vultures volare, ubi cadavera futura sint.* Pl. Rud. vocat *aves magnas.*

18. ILLI EST AN.] *illi*, pro, *illic.* ita enim MSS. & omn. ed. vett.

19. ME NEMO] ita quædam ed. vett. & huc vergit etiam MS. pr. in quo *nimo.*

22. FLECTOR] omnes edd. vett. *Post factum*, sive, *actum plector.* Q. d. Se, postquam patrimonium perdidit, dare sui peccati pœnas MSS. tamen & ed. Cam. leg. *Post factum flector:* quod fuerit, sententiam muto. Scaliger emendabat, *flictor.*

22. ANTE-PART.] i. patrimonium. V. N. suprà act. 1.

27. UT NVLLA FAX.] Iocus παρὰ προσδοκίαν. Exspectabat enim auditor, ut planè contrarium subjiceret. *Cis dies paucos* autem, est intra breve tempus, propediem: Turneb. l. 19. 13. & l. 4. 15.

30. OBSORBENT] *Obsorbere*, est totum sorbere. Tale est apud Ter. Eun. *Patria obligurrieras bona.*

30. INTRA PESSVLOS] V. N. Curcul. 1. 2. MSS. & omnes ed. *infra pessulos.*

ACTUS II. SCENA IV.

PHRONESIUM meretrix. DINARCHUS.

NUM tibi nam, amabo, janua est mordax mea,
Quò introire metuas, mea voluptas? DI. per vide.
Ut tota floret! ut olet! ut nitidè nitet!
PH, Qui tam inficetus Lemno adveniens, qui tuæ
Non des amicæ, Dinarche, suavium?
DI. Vah vapulo hercle ego nunc, atque adeò malè.
PH. Quó te avertisti? DI. salva sis, Phronesium!
PH. Salve: hîc ne hodie cœnas, salvus cùm advenis?
DI. Promisi. PH. ubi cœnabis tu? DI. ubi tu jusseris.
Hic. PH. me lubente facies. DI. edepol me magis.
Nempe tu eris hodie mecum, mea Phronesium.
PH. Velim, si fieri possit. DI. cedò soleas mihi:
Properate: auferte mensam. PH. amabo, sanun' es?
DI. Non edepol bibere possum jam, ita animo malè est.
PH. Manè! aliquid fiet, ne abi. DI. ah! aspersisti aquam.
Jam redit animus. deme soleas: cedò! bibam.
PH. Idem es ecastor qui soles. sed dic mihi,
Benéne ambulavisti? DI. huc quidem hercle ad te bene,
Quando tui videndi est copia. PH. complectere.
DI. Libens. ah! hoc est mel melli dulci dulcius.
Hoc tuis fortunis, Juppiter, præstant mea!
PH. Dáne suavium? DI. imò vel decem. PH. haud istoc pauper es.

Plus

Plus pollicere, quàm ego à te postulo.
DI. Utinam à principio rei item parsissem meæ,
Ut nunc reparcis suaviis! PH. si quid tibi
Compendij facere possim, factum edepol velim.
DI. Jam lavisti? PH. jam pol mihi quidem atque oculis meis.
Num tibi sordere videor? DI. non pol mihi quidem.
Verùm tempestas memini cùm quondam fuit,
Cùm inter nos sorderemus unus alteri.
Sed quid ego facinus audivi adveniens tuum?
Quod tu hîc me absente novi negotij gesseris?
Cùmque bene provenisti salva, gaudeo.
PH. Tibi mea consilia summa semper credidi.
Equidem nec peperi puerum, nec prægnas fui,
Verùm assimulavi me esse prægnatem, haud eram.
DI. Quapropter, ô mea vita? PH. propter militem
Babyloniensem, qui quasi uxorem sibi
Me habebat annò dum hîc fuit. DI. ego senseram.
Sed quid istuc? cui rei id te assimulare rettulit?
PH. Ut esset aliquis laqueus & redimiculum,
Reversionem ut ad me faceret denuò.
Nunc huc remisit nuper ad me epistolam,
Sese experturum, quanti sese penderem:
Si, quod peperissem, id educarem ac tollerem:
Bona sua me habiturum omnia. DI. ausculto lubens.
Quid denique agitis? PH. mater ancillas jubet,
Quoniam jam decimus mensis adventat propè,
Aliam aliorsum ire, præmandare & quærere
Puerum aut puellam, qui supponantur mihi.
Quid multa verba faciam? tonstricem Suram
Novisti nostram, quæ modò erga ædes habet.
DI. Novi. PH. hæc unà operâ circumit per familias,
Puerum vestigat clanculum, ad me detulit,
Datum sibi esse dixit. DI. ô merces mala!
Eum nunc non illa peperit, quæ peperit, prior,
Sed tu posterior. PH. ordine omnem rem tenes.
Nunc ut præmisit nuncium miles mihi,
Non multò pòst hîc aderit. DI. nunc tu te interim
Quasi pro puerperâ hîc procuras? PH. quippini?
Ubi sine labore res geri pulcrè potest,
» AD SUUM QUEMQ. æquum est quæstum esse callidum.
DI. Quid me futurum est, quando miles venerit?
Relictúsne abs te vivam? PH. ubi illud quod volo

Habeo ab illo, facilè inveniam, quomodo
Divortium & discordiam inter nos parem.
Postidea ego tota tecum, mea voluptas, usque ero
Assiduò. DI. imò hercle verò accubuo mavelim.
PH. Quin dis sacruficare hodie pro puero volo
Quinto die, quod fieri oportet. DI. censeo.
PH. Non audet aliquod dare mihi munusculum?
DI. Lucrum hercle videor facere mihi, voluptas mea,
Ubi quippiam me poscis. PH. at ego, ubi abstuli.
DI. Jam faxo hîc aderit! servolum huc mittas meum.
PH. Sic facito. DI. quicquid autem erit, boni consulas.
PH. Ecastor munus te curaturum scio,
Ut cujus me non pœniteat, mittas mihi.
DI. Num quippiam me vis aliud? PH. ut, quando otium
Tibi sit, ad me revisas. DI. valeas! PH. vale.
DI. Pro di immortales! non amantis mulieris,
Sed sociæ unanimantis, fidentis fuit
Officium facere, quod modò hæc fecit mihi.
Suppositionem pueri quæ mihi credidit,
Germana quod sorori non credit soror.
Ostendit sese jam mihi medullitùs,
Se mihi infidelem nunquam, se vivâ, fore.
Egóne illam ut non amem? egóne illi ut non bene velim?
Me potius non amabo, quàm huic desit amor.
Ego isti non munus mittam? jam modò ex hoc loco
Jubebo ad istam quinque perferri minas:
Præterea obsonari duntaxat ad minam.
Multo illi potiùs bene erit, bene quæ vult mihi,
Quàm mihimet, omnia qui mihi facio mala.

JANVA EST MORDAX] J. Douza in Præcidaneis ad Tibul. c. 1. scitu digna affert de *janitorum sessione ad ostia.* eos scilicet cellares fuisse ac cum catello ferreo; item altero oblatratore, quasi vicario, servilem in modum excubuisse. Poeta vetus: *Janitoris tintinire impedimenta audio.* atque eò Plautinum hoc de *Janua mordace*, aut certè ad Inscriptionem illam ostiorum notissimam, CAVE CANEM, allusum videri. Vide & P. Fabrum Semestr. lib. 2. cap. 12. Et Casaub. ad Suet. Vitell. c. 16. & J. Grut. ad Senec. lib. 3. *De Irâ*, cap. 37. ut & Lipsium ibidem: item Not. Mostell. 3. 2.

A. 2. VER VIDE.] Sic Horat. 4. Odâ 5. de Augusto Cæsare:

Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit; populo gratior it dies.

4. INFICETVS] ita MSS. ambo; non *infacetus.* Catullus Carm. 19.

Idem inficeto est inficetior rure.

4. LEMNO ADVEN.] Douza l.

Qui tam inficetus Lemnod adveniens, tuæ
Qui non amicæ des, &c.

Gens autem illa pessimè audiebat rusticitatis & inficetiæ vitio. V. N. Cistel. act. 2. 1.

5. AMICÆ DINARCHE SVAVIVM] Pall. concorditer, *Dini archis avivium*, nisi quod

sec.

sec. *abvum*. An fuit? *amicæ Dinarchi salivium?* *Amica Dinarchi*, h. e. *mihi*; non invenustè, meo quidem animo interim si non admittitur illud *salivium*, reponatur sanè suavium. nam male Pareana ultima rescripsit *savium*, detrimento numerorum. prima verò bardè nimis duos versus vitiavit, rescribendo: *adveniens tuæ Qui non des amicæ Dinarche suavium?* ô arrogantem supinitatem!

9. COENAB. TV?] D. *tum?* quod statim arripuit Pareus. MSS. Cam. *DI. Promiss. jube cenabit? ubi tu luseris.*

11. TVERIS H. MECVM] Varro l. 5. de L. Lat. *Violavit virginem, pro, vitiavit. dicebant. æquè eâdem modestiâ potius, Cum muliere fuisse, quàm Concubuisse.*

12. CEDO SOLEAS] V. N. infrà act. 2. 8.

13. PROP. AVFERTE] D. F. *properate auferre m.* quod illicò invasit Pareus.

14. ANIMO M.] V. N. Amph. 5. 1.

15. ASPERSISTI AQVAM] Vide N. Epid. 4. 3.

16. DEME SOL.] Ita restituit & versum & sententiam Gruterus, suasu MS. pr. in quo eodem versu, *vivam*. sed & sec. edd. q; vett. *vivum*. illud *vinum*, debetur Pio. Lips. l. 3. Antiq. Lect. versum explebat auctoribus libris repetita voce *deme*, quem securi editores posteriores. sed perperam. Pareus vidit quidem nostrum *vivam*, sed eo uti nequiit, homo invenustus, qui millies tamen antea nobis obtrusit V. loco B. Nam ante discubitū excalceari volebant, ne lectum cōspurcarent. Martialis: *Deposui soleas &c.* Ita Horatius de Nasidieno inter cænam surgente: *Et soleas poscit.*

18. BENENE AMBVLAVISTI?] Formula quærens de incolumitate peregrè venientis: pendet ab alterâ, *Bene ambula*: quâ abeuntes dimittebant. In sequentibus flagitante sententiâ Acidalius etiam personas aliter ordinavit. Avara mulier sinistram ejus liberalitatē perstringit, & egestatem objicit tacitè, cùm à suaviis non esse pauperem ait. Ibi contrà ille parsimoniam suaviorum in ipsâ incusat: & ad ejus exemplum optat, olim rei item suæ se parsisse. *Dan'* est *dasne*: quomodo & Douza legebat. Talia sunt, *viden'*, *abin'*, *scin'*. Editi vett. *Da nunc suav.* MSS. *dant suav.*

25. REPARCIS] Lucret. lib. 1. utitur. sic autem compositum est *reparco*, ut *resero*, *revelo*, *refigo*, *resuo*, *regero*, *returo*, i. aperio: *retexo*, i. aliter texo vel dissuo &c. *Reparco* enim idem valet, quod non parco, largior: ut *resero*, *aperio*, &c. Lamb. Turneb. lib. 7. 11. & Gifan. Indice Lucretiano. Pistori tamen hîc hæret: & videtur ipsi potiùs reciprocum esse, & idem velle, ac; ut nunc parcis in suaviando. cum præsertim præcesserit *parsissem*. Utinam ego ita parsissem, ut tu reparcis. Ita quis dici posset erga parcum *reparcus*. Cogitent docti.

29. CVM. Q. FVIT.] MSS. ambo, & omn. vett. ed. uno consensu:

Verùm tempestas, memini, quondàm fuit:
Cùm inter nos sorderemus alteri:

expuncto ibi *cùm*, & hîc *unus*, nisi quòd Parisina: *Cum uter nostrum sorderemus alteri.* Gruterus autumabat alterum versum suppleri posse, repetita voce, *sorderemus alter alteri.*

31. SED QVID EGO F.] ita MSS. Cam. teste Schoppio nec aliter vett. edd. non, *quod*. Jam, *Sed quid eg*, ut alibi: *quid nomen*, *id nomen*. Ita Phædrus: *Ne quid de tuo facias lucrum.*

32. QVOD TV H.] Ita MSS. & ed. Cam. Ac I. Guliel. Versus hos, qui extra legem, ita, inquit, restituo:

Quod tu hic absente me novi negotii.
Gesseris; (Acidal. Gestî:) cumque bene provenisti, gaudeo.

Illud, *salva*, quod sententia non requirit, ejeci. non longè enim sequitur: (act. 2. 6.)

Cùm tu rectè provenisti, cùmque es aucta liberis,
Gratulor.

Provenire benè, εὐτυχεῖν. *Nequiter provenire*, δυστυχεῖν. Quæ disputat Palm. Spicil. fol. 233. de hoc sermone, *Bene aut malè provenire*, notavimus Menæch. act. 5. 5. & Rud. 3. 5. *proveni nequiter multis modis*. Id Terentio valet, *pulcrè procedere*. Adelph. act 5. 9. *Syre, processisti hodie pulcre*, i. *bene hodie provenit*, &c. Edd. vett. omnes, *provenisti, sanè gaudeo*: ut & MSS. nisi quod hi, *salva*, non, *sanè*. Acidalianum Pareus in editionem pr. retulit.

36. HAVD ERAM.] ita edd. vett. sed MSS. *haud ego*. unde Grut. *haud nega*. Pareus pr. editione illud *haud eram*, omisit, quod tamen in Edd. & requirit versus. retinuit autem postrema, contra MSS. suos. quæ hæc ἀβλεψία.

39. HAB. ANNO] ita Lipsius, *habebat anno*. Elegans dicendi genus, sed in libris ferè corruptū. valet autē, anno præterito: cui opponitur, *hornò*. ita Amphit. Prol. rectè Camerarius.

Lucil. *Utrum annò an hornò abstuleris à viro?* Eadem Palmer. Spicil. fol. 38. V. N. Menæch. act. 1. 3. MSS. Camer. *anno um dum*. Edd. *anno uno d.*

40. CVI REI ID TE] ita Douza è MSS. & vett. edd. in quibus, *cui rei item ass.*

41. REDIMICVLVM] Turn. l. 24. 17. Eleganti & amœnâ inflexione sermonis dictum est. cùm enim redimiculo innexi implexique teneantur crines mulierum, *redimiculum* pro quodam vinculo & nodo, quo velut alligatus teneretur *miles Babyl.* i. Græcus, qui Babylone stipendia meruerat, jucundâ suavique translatione dixit. Glossæ: καθετὴρ, ἀνάδεσμος.

45. TOLLEREM] V. N. Amph. act. 1. 3. v. 3. Pareus in Electis vult, si liberi non tollerentur, expositos fuisse à parentibus, ac plerumque traditos Gladiatoribus, qui ad artem suam alerent, si forma essent vulgaria. nam si venusta nimis, oculos eis ereptos, traditosque ut essent reginæ alicui Eunuchi. Omnia falsa, omnia absurda. omnia merè Pareana. nemo sic unquam scripsit, dixit; imò ne somniavit quidem.

49. PRÆMANDARE] Sic MSS. ambo & omn. edd. Sic Vatin. ad Cicer. l. 5. ep. Fam. *terrà marique ut conquireretur, præmandavi.* Illud I. Gulielmii suppositium *pervenari*, nulli rei; Grutero judice. Acidalius dicis caussâ chartæ alleverat, *percontari*: & verum se non arbitrari ipse liberè professus erat. Id tamen *Pareus* in contextum etiam, tanquam germanum Plauti, recepit, sanè illiberaliter, tanto quidem magis, quod istud facinus suum scurriliter planè jactet in Lexico, tanquã si Taubmannus heic frustra inculcâsset *præmandare*, verbum nihili, ut inquit. Satis impudenter! ac si penes ipsum esset dotem ac pretium aut dare aut auferre vocibus. At enim Lambinus disertè testatur idem verbum retineri ab omnibus manuscriptis Tullii cap. 12. Orat. pro Plancio: *idem postea præmandatis requisitus.* ad quem locum ita Gulielmius in Notis suis ab Elmhorstio publicatis. intelligo præmandata ea quæ conquisitoribus mandantur. Plaut. Trucul. *Præmandare, & quærere &c.* quem locum suspectum me nuper fecisse, nollem factum. Bone Deus: quantum probitas differt ab improbitate! Gulielmius erratum suum ipsemet ultrò fatetur. Pareus contrà, pertinaciter non tam defendit, quàm eo gloriatur. cùm enim debuisset rationem aliquo momento stabilire impotens factum, solummodò latrat: Sic retinui primulam lectionem Acidalii, ringente etiam Taubmanno, qui nihili illud verbum *Præmandare* inculcavit frustra. ô pudor, ubi abiisti?

50. TONSTRICEM] Notat Pareus in Electis: Etiam mulieres tonstrices dictæ, fortè κατὰ μετωνυμίαν ab arte mariti. Quàm multa non novit, qui huc confugit! imò tonstrices revera erant tales. consule Martialem lib. 2. Epigram. 17. *Tonstrix suburræ faucibus sedet primis.*

51. FACIAM?] ita MSS. & omn. vett. vulgò, *facimus?* quod & in prima Pareana.

52. QVÆ MODO] Lipsius: Quis negabit legendum, *quæ modò erga ædes habet.* i. è regione habitat. Nam *habere*, pro *habitare*, notum iis, *qui nondum ære levantur*. Douza l.

——*tonstr. Suram*
Novisti, nostras quæ modò erga ædes habet.

quod Pareo arrisit. MSS. Cam. *Novisti nostram quem erga ædem sese habet.* quomodo edd. omnes, *quæ erga ædem sese habet.* illud, *modò*, nusquam est.

57. OR. OMN.] Ita omn. edd. vett. & Pall. & Lips. Vaticano. posteriores temerè neglexerant.

61. PVLCRE POTEST,] Acidal. πλείονα ὑπογυμνῇ disparat ista: ut hic versus speciatim ad puerperium referatur, sequens generatim proferatur de omni quæstûs genere & modo.

62. AD SVVM QVEMQ.] similis sententia est Asin. act. 1. 3. & infrà act. 5.

65. INVENIAM] ita MS. sec. & omn. ed. vett. at MS. pr. *invenio*. unde Cam. *invenere*. haud malè.

63. ASSIDVO] Varro lib. 5. de L. Lat. *Frequentem operam dedistis, apud Plautum valet, adsiduam. itaque qui adest, adsiduus.* Ad quod Scalig. notat: In eâdem sententiâ Q. Cic. in libel. De petitione consulatus: *Iam assiduitatis nullum*

nullum est præceptum: verbumque ipsum docet, quæ res sit. Prodest quidem vehementer nunquam deesse, &c. At Plautus etiam jocando extulit verum etymon, in Truc. Hæc Scaliger. V.N. Mil. act.1:1.

70. QVINTO DIE] Qui dies quintus ἀμφιδρόμιος dicebatur, à ritu, quo cursim circa focum gestabatur puer. Apud Græcos infans die quinto lustrabatur: sed apud Latinos octavo quidem puellæ, nono pueri: qui *dies lustricus* dicebatur, Symmacho *lustratus solemnitas.* item *Nominalis*, quia nomen tum illi indebatur. Tertullianus *Nominalia*, Greg. Nazianz. ὀνομαστήρια dixit. *Fata etiam scribunda advocabantur, &c.* De quibus Casaub. ad Pers. Sat. 2. & Scalig. ad Auson. item J. Meursius Exerc. Crit. lib.3. c.33.

71. MVNVSCVLVM] In MS. pr. Cam. *munus civilim.* sec. & vett. Edit. *munus civilium.* quod Palmerius valdè probat, Spicil. f.100. χειμήλιον, quod reponitur extra quotidianum usum. at tale quid, non patitur versus. Pareana tamen admisit.

79. REVISAS] ita MSS. & omn. edd. tamen D.l. *intervisas.* quod in editionem suam rapuit Pareus.

79. VALEAS] V. N. infrà act.4:4.

81. FIDENTIS] mihi fidem habentis. L.

85. OSTENDIT SESE IAM M. M.] Ita numeros è Non. restituit Lambinus, non, ut vanè prodidit editionis suæ latrinâ Pareus, *Ostendit mihi sese jam mihi medullitus.* quid enim absurdius quàm bis uno versu iterare *mihi?* præcipuè cùm idem pronomen mox extet versu sequenti.

86. SE VIVA] Edd. vet. *dum vivat.* MSS. *ne vivat.*

89. JAM MODO EX.] ita omn. vett. ed. Sed J. Gul. l.2:13. Versu hoc, inquit, & numeri evagantur supra plantam, ut ajunt, & vacillat sententia. Non enim à viâ, ubi tunc erat, perferri munus ad meretricem jussurus erat; sed à se domo. Quare restituo, ——*jam domo eloco Jubebo ad istam.* Promiscuè triverunt Latini vett. *elocò* & *ilicò*; ut *illum, ellum, ollum* indifferẽter. significant autem eæ particulæ & tempus; ut hìc, & plerunque alibi: & locum; vi veriloquii. Est enim *eloco*, quasi *eò loci.* & ab *illicò* adverbia τοπικὰ descendunt *illic* & *illi.* Sanè alibi MSS. Cam. semper *eloco* scribunt, non, *illico*, ac hìc iidem leg. *jammo ex hoc loco.* Pareana tamen variegata est commento isto Gulielmii.

93. FACIO] MSS. Cam. & omn. vett. *facto.*

ACTUS II. SCENA V.

PHRONESIUM meretrix.

„ *PVERO isti date mammam. VT MISERÆ matres sollicitæque*
Ex animo sunt, cruciantúrque! edepol commentum malè!
Cúmque eam rem in corde agito, nimio minus perhibemur
Malæ, quàm sumus ingenio. ego prima domi modò docta dictito.
Quanta est cura in animo, quantum corde capio dolorem,
Dolus ne óccidat morte pueri! mater dicta quòd sum, eo magis
Studeo vitæ, quæ ausa sum tantum clam dolum aggrediri.
Lucri caussâ avara probrum sum exsecuta: alienos dolores
„ *Mihi supposivi. NVLLAM REM oportet dolosè aggrediri, nisi*
Astutè accuratéque exsequare. vosmet jam videtis,
Vt ornata incedo: puerperio ego nunc me esse ægram assimulo.
„ *MALE QVOD MVLIER facere incepit, nisi id efficere perpetrat,*
„ *Id illi morbo, id illi senio est, ea illi miseræ miseria est.*
„ *Si bene facere incepit, ejus eam citò odium percipit.*

,, *Nimis quàm paucæ sunt defessæ, malè quæ facere occeperunt;*
,, *Nimis quàm paucæ efficiunt, si quid occeperint benefacere.*
,, *MULIERI nimio malefacere melius est onus, quàm bene.*
Ego, quòd mala sum, matris operâ mala sum, & meâpte malitiâ,
Quæ me gravidam esse assimulavi militi Babylonio:
Eam nunc malitiam accuratam miles inveniat volo.
Iste hîc haud multo post credo aderit. nunc prius præcaveo sciens,
Eumq; ornata *ornatum; ut gravida, quasi puerperio cubem.*
Date mihi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam.
Hic apponite: atque abite ab oculis. eho Pithecium!
Face ut accumbam. accede. adjutare sic decet puerperam.
Soleas mihi duce; pallium injice in me huc, Archilis. ubi es,
Astaphium? fer huc verbenam mihi, tus & bellaria.
Date aquam manibus. nunc ecastor ut veniret Miles velim.

DATE MAMMAM] Sic edd. vett. & Pal. sec. nam primus, *date amam mam.* unde editio ultima Parei præfert, *date (ah! mammam.)* quæ ludibrio! quidquid in haræ suæ vacua Curia pronunciat Censor noster, à se creatus, Orbi toti obtruditur, pro Oraculo Apollinis. ô sæclum licentiosum!

V. 2. CRUCIANTUR] V. N. suprà act. 1: 2. MSS. tamen & Edd. vett. *cruciantq.*

2. MALE] i. vafrè & astutè: quomodo *mala & malitia* cùm hic statim, tum alibi passim: *Acid.*

4. DOMI MODO DOCTA D.] ita fere Palmerius. & huc aliquâ vergunt MSS. Cam. & v. edd. in quibus est, *pr. de me modò dicta d.* Quid sit, *domi habere*, & *domi scire*. V. N. Mil. 2: 1.

7. VITÆ] sc. pueri: cujus operâ *matris* nomen, meo bono maximo, inveni.

7. QUÆ AUSA SUM TANTUM CLAM DOLUM] ita Cam. edidit, quem Lambinus & alii secuti. Sed tamen MSS. Cam. MSS. & omnes vett. edd. *quæ hunc* (al. *hoc*) *ausa sum tantundem dolum adgrediar.* Et miror cur mutatum sit. Fortè, quia insolens videbatur, *Tantundem dolum*; ob canonem pædagogicum; *Tantundem, generis neutri est.* Sed cogitare debebant, Adjectivum esse, compositum è *Tantum*, & adjectione syllabicâ *dem*: sicut dicimus; *Idem, eadem, idem.* Sic ergò hîc masculinum fuerit. Fœmininum apud Ulpianum: *tantādem pecuniæ summam.* Neutrum, Pœnulo act. 3: 3. *tantundem periculū &c.*

A Pareus hîc miratur, cur Saxonicus editor cùm acquieverit lectioni veteri, admiserit interim in textum novitias Camerarii sordes. respondeo: non agnovit eas pro sordibus. at in te agnoscimus egregiam Sycophātæ scurrilitatem, dum ais, Taubmannum falsò adserere in MSS. exstare versu sequenti, *adgrediar.* Nam inquis MS. Decurtatus expressè, *adgrediri*, V. C. *adgrediari.* Quot verba, tot mendacia. Nunquam dixit, versu sequenti legi *adgrediar.* imò eo versu, talis vox nusquam comparet: at versu isto septimo, Palatinus sec. disertè retinet *adgrediar*; idemq; fuit totidem literis à manu primâ in V. C. aliquisq; Camerario suppar, si non junior, finxit *adgrediri*; binisq; adeo virgulis jugulavit B a penultimum. Quid dicis stipes? nonne præstitisset tibi tacuisse, quàm abuti lingua tam falsidica?

8. ALIEN. DOL.] partûs, [illegible].

9. NULLAM REM] Ita noster alibi: *Doli non sunt doli, nisi astu colas.*

10. EXEQUARE] Sic Edd. primæ etiam. Pall. *exsequere.*

11. PUERPERIO ÆGR.] ita v. 22. *puerperio cubare.*

15. NIMIS QUAM PAUCÆ] Pal. sec. & Edd. vett. *Nimiuq; paucæ*, & hoc loco & versu seq. quomodo ibidem quoq; Pal. pr. qui versum istum omisit. & ferè placet.

17. MULIERI NIM.] i. Mulieri multò facilius est malefacere, quàm benefacere. Lamb. l. *levius*, pro *melius.* Verùm libri omnes, ut & MSS. Cam. leg. *melius.* quod no-

tat Gruterus: & addit: *Melius hic est levius.* nec *onus* mutandum est in *opus*: nam & Mil. act. 3: 1. *Procreare liberos, lepidum est onus.*

22. EVMQVE ORNATA ORNATVM, VT] Ausus sum recipere in contextum suspicionem Gruteri; versus supplendi; sententiæque constituendæ caussa repetere *ornatu*, tanquam, ob similitudinem quæ ei cum voce sequenti, neglectam à librariis. Camerarius finxerat, *Eumque gero ornatum.* sed dictio ea abest MSS. Edd. verò primæ tantum exhibent, *Cumque ornatu ut g. Iam ornata ornatum*, quin lepidè dicatur pro *ornatu*, nemo negabit.

23. VENEREM] pro, *venerer.* quod verbum Horat. etiam παθητικῶς usurpavit: ut Lucr. & Ovid. aliiq. *comitor.* Canter. Novar. lib. 6: 24. MSS. Cam. *benerem.* Edd. omn. vet. *venerer.*

25. ADIVTARE] MSS. & Ed. vett. *accede; adjutare s.* nullus, *adjuta sic d.* Porrò Junoni à puerperis sacra facta, docet Meurs. Exerc. Crit. part. 2. lib. c. 19.

26. SOL. MIHI DVC E.] vulgo *date.* At quis credat, puerperam nudis pedibus processisse? Certo certius, auctore Pistore, est legendum; *soleas mihi deme.* Volebat accumbere: ideò soleas sibi demere jubet. Ita suprà Dinarchus, cùm in lectum se inscendere velle simulat: *Jam rediit animus: deme soleas.* Contrà, cùm surgere volebant, poscebant soleas. quod Phronesium facit, act. 2: 8. ὀψίγως. nam in MSS. utroque non, *date*, sed *duce* legitur. quod teneri debet. Moles Acidalianas non tolero. cujus tamen versus transpositionem nobis objecit Pareana pr. non præter solitum insolens.

B 27. THVS ET BELLARIA] domi sacra fiebat vulgo, infinitis de caussis, etiam ob puerperium. Varro lib. 2. de Vita pop. Rom: *Mensæ anteponebantur cum culignis ac vino, in qua quæ veniebant ad fœtum amica gratulatum Diis mactabant.* Tertull. de Anima: *Dum in partu Lucina ac Diana ejulatur, dum per totam hebdomadem Iunoni mensa proponitur; dum ultima die fata scribunda advocantur; quis non filii caput obsignat pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione?* Guther. lib. 4. de jure Pontif. cap. 7.

ACTUS II. SCENA VI.

STRATOPHANES miles.
PHRONESIUM meretrix.
ASTAPHIUM ancilla.

NE exspectetis, spectatores, meas pugnas dum prædicem:
Manibus duelli prædicare soleo; haud in sermonibus.
SCIO ego multos memoravisse milites mendacium.
Et Homeronidæ Poetillæ mille memorari potest,
Qui & convicti & condemnati falsis de pugnis sient.
,, *NON laudandus est cui plus credit qui audit, quàm qui videt.*
Non placet, cùm illi plus laudant qui audiunt, quàm qui vident.
,, *PLVRIS EST oculatus testis unus, quàm auriti decem:*
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt.
,, *NON PLACET quem scurræ laudant, manipulares mussitant:*
Neque illi, quorum lingua gladiatorum aciem præstringit domi.
,, *STRENVI nimio plus prosunt populo, quàm arguti & cati.*
,, *Facilè sibi facunditatem virtus argutam invenit.*
,, *SINE VIRTVTE argutum civem mihi habeam pro præficâ,*
,, *Quæ alios collaudat, eapse se vero non potest.*

Nunc

Nunc ad amicam, decumo mense post, Athenas Atticas
Viso, quam gravidam reliqui meo compressu, quid ea agat.
PH. Vide quis loquitur. AS. jam propinquè miles, mea Phronesium,
Tibi adest Stratophanes. nunc tibi opu'st, ægram ut te assimules. PH. tace!
Quid adhuc egeo tui, malum, ammonitricis? an me maleficio vincere est?
ST. Peperit mulier, ut ego opinor. AS. vin' adeam hominem? PH. volo.
ST. Euge, Astaphium eccam! it mihi advorsum. AS. salve ecastor, Stratopha-
Venire salvum. ST. scio. sed peperitne obsecro Phronesium? (nes!
AS. Peperit puerum nimium lepidum. ST. ecquid mihi simili'st? AS. rogas?
Quin ubi natu'st, machæram & clypeum poscebat sibi.
ST. Meus est, scio jam de argumentis. nimium quidem simili'st. papæ!
Jam magnu'st. jámne electat legionem, quam spoliare velit?
AS. Herè nudiusquintus natus quidem ille est. ST. quid tum *postea?*
Inter tot dies quidem herclè jam actum aliquid oportuit.
Quid illi ex utero exitio est, priusquam poterat ire in prælium?
AS. Consequere, atque illam saluta, & gratulare illi. ST. sequor.
PH. Ubi illa obsecro est, quæ me hîc reliquit atque abstitit?
AS. Assum: adduco tibi exoptatum Stratophanem. PH. ubi is est obsecro?
ST. Mars peregrè adveniens salutat Nerienem uxorem suam.
Cùm tu rectè provenisti, cúmque es aucta liberis,
Gratulor, cùm mihi tibique magnum dedisti decus.
PH. Salve, qui me interfecisti pene & vitâ & lumine,
Quique vim magni doloris per voluptatem tuam
Condidisti in corpus, quo nunc etiam morbo misera sum.
ST. Eja! haud ab re, mea voluptas, tibi obvenit istic labos:
Filium peperisti, qui ædis spoliis opplebit tuas.
PH. Multo ecastor magis oppletis opu'st tritici granariis;
Ne, ille priusquam spolia capiat, hinc nos extinxit fames.
ST. Habe bonum animum! PH. savium sis pete hinc à me. nequeo caput
Tollere; ita dolui, itáque ego nunc doleo: neque etiam queo
Pedibus meâ sponte ambulare. ST. si planè ex medio mari
Savium petere tuum jubeas, petere haud pigeat me, mel meum.
Id ita esse experta es, núncque experiere, mea Phronesium,
Me te amare. adduxi ancillas tibi eccas ex Suriâ duas,
Iis te dono. adduce hoc tu istas! sed istæ reginæ domi
Suæ fuêre ambæ: verùm patriam ego excîdi manu.
Iis te dono. PH. pœnitétne te? quot ancillæ sunt jam?
Quine etiam superadducas, quæ mihi comedint cibum? ST. hoc quidem
Hercle si ingratum est donum, cedò tu mihi istam, puere, perulam.
Hem! mea voluptas, attuli eccam pallulam ex parvâ Graciâ tibi.
Tene tibi! PH. hoccine mihi ob labores tantos tantillum dari?
ST. Perii hercle miser! jam mihi *auro contra constat filius.*

Etiam-

Etiamnum me vilipendit! ad id, purpuram ex Sarâ tibi
Attuli, & induvias Ponto amœnas. tene tibi! voluptas mea.
Accipe hoc! abduce hasce hinc è conspectu Suras.
Ecquid amas me? PH. nihil ecastor: neque meres. ST. nihilnè huic sat est?
Ne mihi verbum quidem unum dixit! viginti minis
Venire illæc posse credo dona, quæ ei dono dedi.
Vehementer nunc mihi est irata: sentio atque intellego.
Verùm adibo. quid ais nunc tu? númne vis me, voluptas mea,
Quò vocatus sum, ire ad cœnam? mox ad te huc cubitum ivero.
Quid taces? planissimè edepol perii! sed quid illuc boni est?
Quis homo est, qui inducit pompam tantam? certum'st quò ferant
Observare. huic credo fertur. verùm jam scibo magis.

DVELLI] Sic Palmer. *Duelli*, adverbialiter, pro *belli*, hoc est, in bello. Ostendit id, quod continuò est, *haud in sermonibus*. Capt. Prol. *Domi duellique duellatores optimi*. Ita & Douza Notis ad Sallust. V.N.Epid. 3:4. MSS. Cam. *duellis*, ut & vett. edd. omnes: ut suspicari cui liceat, *ellis*, pro *ecce illis*.

V. 4. ET HOMERONIDÆ] Ita sine dubio proximè verum Pistoris noster: *Et Homeronidæ Poëtillæ m.* hoc sensu: Possunt memorari mille Poetę (per ludibrium *Poëtillas* dixit) *Homeronidæ*, (quasi Homeri posteri & imitatores, Patronymicōs) qui convicti de falsis pugnis sint. Jocus est in Poetastros, qui exemplo Homeri pugnas heroum scriptitabant. Alciatus Parerg. l. 9:17. & lib. 5:4. Plautus, inquit, militem inducit, qui Homeri poemata ad mendaces pertinere dicat:

Et Homeronida Poetilla de illis memorari potest.

Sunt autem qui illud carmen emendent,

Et Homericon epos & Ilias &c.

Verùm servavit fortè Plautus τὸ πρέπον militis indocti, qui *Homeronida poetilla*, pro, *Homerico poëmate* barbarè pronunciarit; ut & Milite Glor. & Pœnulo. Hæc ille. Ita Tertullianus De Præscriptionibus adv. Hæret. cap. 39. *Homerocentonas* (ὁμηροκέντωνας) *vocare solent, qui de carminibus Homeri propria opera more* (al. *modo*) *centonario ex multis hinc inde compositis in unum sarciunt corpus.* Porro in MSS. Cam. est, *Et Homeronidam & post illam illi m. p.* neque aliter Edd. vett. Parisina, expressit conjectaneum Pii:

A *Et Homeri Iliada & Odysseam illi memorari possunt.*

Vt *memorari*, ἀρχαϊσμὸς fit, pro, *memorare*. Camerarius posuit, *Et Homeronidam & post illa mille m. p.* quod deinceps alii tenuere, nisi quod aliqui *postillà*. Pareus ne non aliquid recederet à Camerario, publicat, *Et Homeronida, & postillà mille m. p.* & indignatur inventos qui admiserint Pistoriana. quasi illi protervo dos ulla esset judicandi de scripturæ præstantia.

4. MILLE MEMORARI POTEST.] Rarius loquendi genus: pro mille Poetæ memorari possunt. tale illud Pœnuli fine: *Trecentos nummos Philippos, credo, corradi potest.* Acid. & Pist.

6. CVI PLVS CR.] ut Historici & Poetæ e quibus plus credimus nos, qui audivimus,

B quàm qui viderunt. Etiam Lamb. & MSS. Camer. l. *cui*, non, *qui*, ut habent Edd. quæ etiam in sequentibus pro *qui*, semper leg. *quæ*, æquè perperàm.

7. NON PLACET, c.] Non placet hoc mihi cùm, qui audiunt aut legunt res ab Historicis aut Poetis scriptas, plus laudant, quàm qui rebus gerendis interfuerunt: L. Acidal. malebat, *Non placet, quem ill.* suasore illo versu, *Non placet, quem scurræ laudant.*

8. PLVRIS EST] Ita Edd. primæ. nam Pall. deest *unus*. Festus: *Oculatus testis est, qui se vidisse dicit.* Ita Glossarium: τῇ ἐν ὀφθαλμοῖς πίστει, *oculata fide*. Philo: *Qui auritos testes accipit, is vanè, non sanè accipit.* Seneca Natur. Quæst. 4. *Ex his me testibus numero secundæ notæ,*

PP

notæ, qui vidisse quidem se negant, sed audisse. Vide Alb. Gentil. lib. 7. cap. 10. de Nuptiis: item Erasmi Adag. *Et*, Quintiliano teste, *acrior est oculorum, quàm aurium sensus.* Et Herodotus ait, *Aures minus esse fidas hominibus, quàm oculi sint.* Ex quo Seneca Ep. 6. *Plus*, inquit, *homines oculis, quàm auribus credunt.* Rationem ejus ei reddit Aristoteles libr. περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν. ὅτι ἡ ὄψις καθ' αὑτὴν, ἀκοὴ δὲ κατὰ συμβεβηκός. Placet in hanc sententiam adscribere verba Johan. Chrysost. ex Homilia 14. Epist. ad Hebr. ἡ ἀκοὴ ἡμῶν ἀπιστοτέρα τῆς ὄψεώς ἐστιν. οὐ γὰρ οὕτως, ἅπερ ἂν ἴδωμεν αὐτοῖς ὄψεσιν. Hinc est, quod Horat. in Arte, *oculos* vocat *fideles*: cùm per aures demissa segnius irritent animos. Hinc & *testis* pro spectatore ferè usurpatur. Nam & Jure civili non creditur testi se audisse dicenti, sed se vidisse. Pœnulo act. 3: 3. *testem esse*, pro *inspectare* dixit:

Quid si evocemus huc foràs Agorastoclem,
Ut ipse testis sit sibi certissimus.

Hoc ipsemet interpretans ait:

Ut tute inspectes aurum lenoni dare.

Sic in Priapeis:

Ludens hæc ego, teste te, Priape,
Scripsi non nimium laboriosè.

Et alibi:

Magnis testibus ista res agetur, &c.

Hæc Rittershusius ad v. Guntheri lib. 4.

Quos oculata fides, simul & præsentia falli
Instruit, & notus falli non sustinet ordo.

Hinc fortasse *duas portas somniorũ* apud inferos Poetæ finxerunt: *Eburneam*, per quam falsa insomnia veniant ad superos: & *Corneam*, per quam vera. Per *corneam portam* significantur oculi, qui & cornei sunt coloris, & duriores cæteris membris. Per *eburneam* verò, os; à dentibus. Jo. Saresberiens. in Nug. Curial. 2: 14. hanc caussam ponit: quòd Cornu sit pervium visui: Ebur, vel in laminam tenuiss. rasum, non item. Per corneam portam egrediũtur veræ umbræ; quòd ea demum vera sunt, quæ videmus oculis. Per eburneam portam falsæ: quod falsa plerunque sunt, quæ narrantur. Itaq; quod Æneas per eburneam dimissus est, significat, pro falsis habenda, quæ de Inferis Poeta narravit, &c. Vide nos ad illud Æn. 6.

Sunt geminæ Somni portæ.

Patiemini æquo animo hanc cupressum, ut & nonnullas fortassis alibi, vos ò mei Persii:

A si recogitabitis, Ubi, & Quibus ista struxerim.

10. SCURRÆ] i. homines urbani. V. N. Epid. Sc. 1.

19. MANIPULARES] i. militares homines. L.

10. MUSSITANT] tacent, non laudant: L.

11. QUORUM LINGUA] Rhetores & δημαγώγους, i. blandos populi rectores seu concionatores tangit: L. D.

11. PRÆSTRINGIT] ita MSS. Cam. & omn. vett. edd. solus Lamb. *præstinguit*. V. N. Mil. Sc. 1.

13. VIRT. ARGUTAM] ita Turneb. lib. 24: 17. legendum docuit, non *argutas*: quòd facilè disertam eloquentiam dicat virtute inveniri. Nam hîc *argutus* est disertus & eloquẽs. Huic adstipulatur Lambinus, & significari ait, quod à Platone scriptum & à Cicerone relatum; Unumquemque in eo satis esse disertum, quod sciret, & quod rectè facere posset. Notat Acidalius Plauto solemne verbum esse de Præficis, *argutum* & *argutari*, &c. Frivolariâ: *Superabo omnes argutando præficas.* Probus, ad Bucolic. 4. Virgil. *Argutum* ab

B ἀργὸς dictum ait, i. *celer*, quòd arguti multum ac celeriter loquantur: unde & *arguta hirundo*. V. N. Mostell. Sc. 1.

14. PRO PRÆFICA.] Festus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ.* Nævius: *Hæc quidem mehercle, opinor, præfica est, quæ sic mortuum collaudat.* Glossæ: *Præfica*, ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κατ' ᾠδὴν θρηνῳδὸς ἐπ' ἐκφορᾷ. Vide & Varr. l. 6. de L. Lat. & inprimis, quæ ad illa Scaliger. ubi docet Phrygium inventum esse *Præficam* & *Næniam*. (V. N. Asin. act. 4: 1.) Istumque morem per comites Æneæ in Italiam manasse. Statius in Epicedio Patris:

Ut Pharios aliæ fictâ pietate dolores,
Mygdoniosque colunt, & non sua funera plorant.

unde *Nenia* Phrygium vocabulum, Latinè *Lessus* &c. Et canebatur ad tibias, quæ θρηνητικοὶ αὐλοὶ dicebantur, &c. Hæc, immò plura, ad hanc rem ibid. Scaliger.

15. Q. ALIOS COLLAUDAT, EA SE SE V.] ita Gruterus ductu MSS. Cam. & vett. edd. in quo-

quorum illis est, vel *collaudate apsa severo* vel *collaudate abse se vero.* injuriéque prodit Pareus hærere in iis *collaudare.* At in Edd. omnibus, *collaudat eapse se*: vel, *eabse se*: vel, *ease.* nullus *collaudare absentes* agnoscit. Et, Quomodo, inquit Schoppius etiam, præficæ *absentes* collaudent, nescio: sed putabam præsentia potius cadavera in funere ab aliis collaudari solita. *Eapse*, pro, *ipsa*, teste Festo. Mercerus ad Nonium credit fuisse: *Præfica, quæ alios collaudat, eampse vero non potest;* repetita voce *Præfica*, sine qua versus labat.

18. JAM PROPINQ.] Acid. ita: *PH. Vide, quis loquitur tam propinque? AS. mil.* quod repente in contextum recepit Pareus. Sed non opus, ut à consensu omn. codd. sine ratione discedamus.

20. QVID ADHVC] Hunc versum è vestigiis monstrosæ scripturæ Vatic. hoc loco inseruit Lipsius, quem vide Antiq. Lect. lib.1. cap.3. Cum enim propinquaret jam Miles, sedula ancilla dominam officii monuit, ut callidè & appositè simularet ægram puerperam. At illa quasi indignata admoneri, ut quæ suâ sponte nimium esset mala & astuta, Tace, inquit, &c. At Meursius è vestigiis editionis Basil. conjicit: *Quur adhuc eho tu mala me mones rustica? me maleficio vincere est?* Pareus, ut & Apelleas suas lineas orbi publicaret, edidit, *Qur adhuc; eho! tu mala! me ammones? túne me maleficio vinceres?* & hanc lectionem, inquit, exstruxi ex monstrosis ruderibus. Rectè profectò; nam ipsa adhuc bene monstrosa est. Erat in Pal. pr. *Qui adhuc ego tu mala meamemonet ruria me malificio vincer est.* sec. *Cui adhuc ego tumala meam emonet ruri ame masficio vincerest.* Ed. prima: *Cui adhuc ego tu malam è monet ruri à me masicio vincerest.*

21. VIN ADEAM HOMINEM] Ita Lamb. Dousa, alii, Pium secuti; qui præterea non male malebat, *ad hominem.* nam MSS. & Edd. vett. *vina dea aut hominem ut volo.* Camer. *vin adeas h?* Pareus *adeam* sibi adscribit, sed cum id vidisset apud alios.

23. SALVVM.] E. Ald. *salvum gaudeo.* Sed hoc è glossâ est, neque agnoscunt MSS. aut Edd. primæ.

A 25. NATVST, M.] Vulgatum, *jam*, neq; in MSS. neque in ullo edd. vett. est.

27. JAM MAGNVS EST?] ita MSS. Cam. at verò Ed. Paris. *Jam majus est? Jamne lectat legionem, q.* Rectissimè, inquit Meursius. nam *Majus* dixere vet. pro *magnus*: hinc *Majestas.* & Juppiter à Tusc. *Deus Majus*, id est, θεὸς μέγας appellatus. De quo Macrob. lib.1. cap.12. Saturn. Vide ibid. Mediolan. & Parmens. *Jam manust.* Veneta & Arg. *Jam immanist.* omnes *lectat*, etiam MSS. Cam. Pareus publicavit, *nimium quidem similis est papa! Jam majus est? &c.* at in Lexico suo prodidit, censere se deinceps legendum, *nimium quantum.* phy!

27. LEGIONEM] ita MSS. & omn. edd. vett. non male tamen Cam. *legiones quas.* nam MSS. ejus *legionem qs poliaret*, cum virgula incubante q.

32. ABSTITIT] Vett. edd. & MSS. Cam. *reliquit ab se abisti;* nisi quod Pal. pr. *eabse.* hinc Meurs. *abstit.* quo & Ovid. utitur 11. Metamorph.

B *——renovat lectisque locusque*
Alcyones lacrimas, & quæ pars admonet, abstit.

V.N. Asin. act.2.4. Acid. vers. ex conjecturâ ita explet: *Ubi illa nam obs. e.q.m.h. rel. atque à me abstitit?* quod invasit Pareanâ pr. inam postrema, *reliquit; atq. ea ab se abiit.* at quid eo sibi velit, conjectandum est ei, qui nondum à se abiit.

34. NERIENEM] Martis uxorem. Agell. lib.13. cap.21. de hoc loco disputat.

35. CVM TV RECTE] V.N. suprà act.2.4.

36. MAGNVM DEDISTI DECVS] Sic quidem editi; sed MSS. Pall. *deristi.* sed aliud latet. nam *dedisti* locum hîc habere non potest ratione metri. *decisti* magis conveniret, pro *decidisti*, V.N. Cal.2.3. v.21.

37. QVI ME INTERFECISTI] Homerus Il. λ. Agamemnonis vulnerati dolorem cum parturientis ὠδῖσι confert. Quos versus Græcè mulieres non ab Homero, sed ab Homerâ scriptos esse dicebant: teste Plutarcho. Ita Medea Euripidis, apud Ennium:

Ter sub armis malim vitam cernere,
Quàm semel modò parere.

Versus sunt Trochaici trimetri catalectici, ut P. Merula censuit. Citat Varro, γέροντ@- διδασκάλε, item Nonius cap. 4. §. 69. Caterum ut Latini dicūt, *ferro cernere* (Virgil. 12. Æn.) *& vitam sub armis cernere*: ita Graci, κρίνειν τὸ πόλεμον, καὶ διακρίνειν.

37. PENE] Videtur Acidalio ludi hic in ambiguitate vocabuli *pene*. immo Schoppius sine velo *caudam salacem* exponit.

38. DOLORIS P.] ita MSS. expuncto illo *mihi*, quòd alii inculcant.

43. EXTINXIT] pro, *extinxerit*. Pareus ineptè ac contra vota moresque hominum expressit *Ne*, pro *Ne*. plus quàm stultè.

46. MEA SPONTE] per me, meis viribus. L.

52. POENITETNE] Ita Bryardus & J. Guliel. Plaut. Quæst. 2. (nam in Verisim. lib. 2: 3. aliter) ex vetustè cusis refinxerunt. MS. sec. *ancillastiam*. pr. *ancillasiam*.

53. QVINE ET.] Q. d. Paucæ tibi videntur tot ancillæ, quot mihi nunc sunt, nisi tu plures adducas ultrò estrices in ædes meas? De v. *pænitet*. V. N. Mil. act. 3: 1. Reformatio versus Grutero debetur, allubescētibus MSS. *Superadducas*, disertè erat in Pall. non *insuperadd*. at Edd. vett. *superducas*.

54. ISTAM] Dousa, *cistam*. quod in suas edd. retulit Pareus, contra omnes libros, & versum.

54. PVERE PER.] Post τὸ *puere* in MSS. leg. *perbiam*: in vett. edd. *pallulam*. Gruterus conjicit *perulam*. nihil enim frequentius chirographariis hac literarum tralatione. Pareus *perbiam* ostentat, & versum obtrudit pertica longiorem. *peram* fuisse peregrinantium, nemo ignorat, cui cognita *ascopera*, *hippopera*.

55. EX PARVA GRÆCIA T.] ita Palmerius. V. N. Mercat. 3: 1. In vett. ed. est, *ex pari gratiat*. In MSS. *ex pari gra tibi*; Item, *ex pari grā t*. Scal. emendabat, *pall. exoticam tibi*.

57. P. H. MISER.] Ita MSS. & vett. ed.

57. AVRD CONTRA] V. N. Epid. 3: 3.

58. VILIPEND.] Ed. vett. *nihili pendit*. MSS. *malipendit*. quod insulsum, Pareus rapuit in editionem suam: &. apertè respuit versus.

58. AD ID P. EX SARA TIBI ATTVLI, ET INDVVIAS P.] Ita Scaliger, & Palmerius, quem vide Spicileg. fol. 89. *Ex Sarā* autem, i. ex Tyro. Tyrus enim *Sarra* dicta est, à pisce *Sar*. Itaque Servius ad illud Virg. 2. Georg.

Ut gemmā bibat & Sarrano dormiat ostro,

notat; per *ostrum Tyrium* significari à Virg. purpuram Tyriam. Et *Sarranæ tibiæ* dictæ sunt, vel Tyriæ vel Africanæ. Denique Probus ait, Ennium dixisse, *Pænos Sarrā oriundos*, i. Tyro.

60. ACCIPE HOC. ABDVCE HASCE HINC E CONSP.] ita è MSS. & vett. ed. locum concinnavimus. Nam MSS. & edd. *Accipe hoc*. deinde *abduce* omnes habent. denique MS. pr. *ince conspectu* (ut & MS. sec.) *Suras*. illud, *vestitas* nusquam apparet. Et rectè Syrās illas, quas paullò ante tam contemptim haberi sensit, jam abduci è conspectu voluit.

61. NIHIL ECASTOR: NEQVE] Ita Camerarius, proximè literas MSS. Pall. at Parei prima intrusit præterea, *equidem has ecastor nihil moror*. secunda; *equidem has nihil ecastor*. quæ supina petulantia, versum miserè inquinat.

63. QVÆ EI DONO DEDI] Sic & MSS. Cam. & edd.

66. MOX AD TE] Palm. l. *nox*, i. noctu. quod Pareus editionis suæ urticeto intulit, contra libros. Idem in Electis, ex versu isto ridiculè fingit generale quid: Mariti convivaturi clam uxoribus vix abeunt. quo quid velit, ipse noverit. Puridè præterea idem noster feminas proscindit, dum regulam sic format: uxores iratæ suos maritos ne verbo quidem dignantur, quidquid etiam muneris donent.

ACTVS

ACTUS II. SCENA VII.

GETA servus. PHRONESIUM meretrix. STRATOPHANES miles.

ITE, ite hàc simul, muli æris, damnigeruli, foras gerones,
Bonorum hamaxagogæ. SATINE QUI AMAT, nequit quin nihili
Sit, atque improbis sese artibus expoliat. nam hoc qui sciam, ne quis
Id quærat ex me. domi est qui facit improba facta amator;
Qui bona sua pro stercore habet, foras jubet ferri: metuit
Publicos. mundissimum sit. puras sibi esse vult ædes.
Domi quicquid habet, verritur ἔξω. quandoquidem ipsus perditum se it,
Secretò hercle equidem illum adjutabo: neque meâ quidem
Operâ unquam nihilominus properè, quàm potest, peribit.
Nam jam de hoc obsonio, de minâ unâ deminui
Modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculaneam.
Nam hoc assimile est, quasi de fluvio qui aquam derivat sibi:
Nisi derivetur, tamen omnis ea aqua abeat in mare.
Nam hoc in mare abit, miseréque perit sine omni bonâ gratiâ. hæc
Cùm video fieri; suffuror, suppilo, de præda prædam (unquam
„ Capio. MERETRICEM ego item esse reor, mare ut est: quod des devorat, nec
„ Abundat. at hoc saltem servat mare; quod illi subest, apparet: huic des
„ Quantumvis; nusquam apparet, neque datori, neque acceptrici.
Velut meretrix meum herum miserum suâ blanditiâ intulit in
Pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.
Attat eccam, adest propinquè: credo audiisse hæc me loqui.
Pallida est, ut peperit puerum. alloquar, quasi nesciam.
Jubeo vos salvere, PH. noster Geta, quid agis? ut vales?
GE. Valeo, & venio ad minus valentem; &, melius qui valeat, fero.
Herus meus, ocellus tuus, ab te ferre me hæc jussit tibi
Dona, quæ illos ferre vides, & has quinque argenti minas. (haberes tibi.
PH. Pol haud perit, quòd illum tantum amo. GE. jussit operam orare, ut hæc grata
PH. Grata æquáque ecastor habeo. jube auferri intrò. i Cyame!
Ecquid auditis hæc quæ imperata sunt? GE. vasa nolo auferant:
Desiccari lubet. PH. impudens mecastor quanti est negotii! GE. tun' bonâ fide,
Tu ne ais impudentem me esse, ipsa quæ sis stabulum flagitii?
PH Dic, amabo te! ubi est Dinarchus? GE. domi. PH. dic ob hæc dona, quæ
Ad me miserit, me illum amare plurimum omnium hominum.
Ergo meumque honorem illum habere omnium maximum:
Atque, ut huc veniat, obsecrare. GE. ilicet. sed quis nam illic homo est,

Qui ipsus se comest pristis, oculis malis? animo hercle homo suo est miser,
Quisquis est. PH. dignus est mecastor. GE. ecquid est? PH. non novisti, obsecro?
Qui illic apud me erat; hujus pater pueri illic est. usque ad jentaculum
Jussit ali. mansi, auscultavi, observavi. GE. quem pernam,
Novi hominem nihili. illic quæso est? PH. illic est. GE. me intuetur gemens.
Traxit ex intimo ventre suspirium. hoc vide, dentibus
Frendit: icit femur. num obsecrò nam ariolus, qui ipsus se verberat?
ST. Nunc ego meos animos violentos, meamque iram ex pectore
Jam promam. loquere: unde es? cujus es? cur ausus inclementer
Mihi dicere? GE. lubido est. ST. istuccine mihi respondes?
GE. Hoc non ego te floccifacio. ST. quid tu? cur ausa es alium te
Dicere amare hominem? PH. lubitum est. ST. ain tandem? istuc primùm experiar.
Tun' tantilli doni caussâ, olerum, atque escarum, & poscarum,
Mœchum malacum, cincinnatum, umbraticolam, tympanotribam
Amas, hominem non nauci? GE. quæ hæc res! meòne hero tu improbè
Maledicere audes, fons vitii & perjurii? ST. verbum unum
Adde istoc; jam hercle ego te hìc hâc offatim conficiam. GE. tange
Modò! jam ego te hìc agnum faciam, & medium distruncabo. si tu
Ad legionem bellator clues, at ego in culinâ Ares.
PH. Si æquum facias, adventores meos non incuses: quorum mihi
Dona accepta & grata habeo; tuaque ingrata, quæ abs te accepi.
ST. Tunc pol ego & donis privatus sum, & perii. GE. planè istuc est.
Quid nunc ergo hìc odiosè es, confessus omnibus reus?
ST. Perii hercle hodie, nisi hunc à te abigo. GE. accede huc modò!
Adi huc modò? ST. etiam, scelus viri, minitâre? quem ego
Offatim jam jam jam concipilabo. quid tibi huc ventio est?
Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est, inquam,
Amicam meam? emoriere ocius, si manu niceris.
GE. Quid, manu nicerim? ST. fac quod jussi. mane! jam ego te hìc
Offatim conficiam. GE. occidi! optimum est: captio est! istam
Machæram longiorem habes quàm hæc est. sed verum
Sine dum petere, siquidem belligerandum est tecum.
Ibo domum, ego tecum, bellator, arbitrum æquum ceperim.
Sed ego cesso me hinc amoliri, ventre dum salvo licet?

MULIÆRIS] Ita Scalig. ad Festum MSS. A Cam. *simul muliere idam nigeruli.* Ed. omnes, *mulieri, damnig.* Schoppius: *Ite ite hàc simul heri damnigeruli.* Atque sic & versui melius consuli ait: &, *heri damnigerulos* vocari, qui damna, i. impensas heri ad meretricem deportarent. *damnumque* pro jacturâ sumptuque dici; quomodo ferè Horatius utatur. Sic *damnosus*, qui multum sumptûs in re aliquâ facit. Suetonius Nerone, cap. 31. *Non in aliâ re damnosior, quàm in ædificando.* V. N. suprà act. 1. 1. Acid. suspicatur; *muneridamnigeruli*, unâ voce: quomodo Pseud. act. 1. 2. *munerigerulos* seorsim dixerit. Sed Scaligeri sententia vett. codicibus, & haud dubiè vero omnium proxima, quod

quod non persuadeas Pareo, qui Acidaliana potiora duxit, quibus merdosam illam editionem suam deauraret, Lexicoque præterea includeret cum nota: Egregia compositio, & Plauto dignissima: proindeque vera lectio mihi visa. Sic ibidem. At ecce! editione altera, noster iste Proteus, Scaligeranam amplectitur: tali cum encomio; Vera hæc est lectio, è MSS. eruta jampridem. Si quis exoriretur qui affirmaret in iisdem MSS. extare, *muli arei*, ac tales vocari qui ære gestando assiduè occupantur, Pareum sanè haberet approbatorem. Et iste præsidebit emendandis auctoribus priscis, quem ne haræ quidem præficiundum arguit judicii dubiosa sinisteritas?

1. FORASGERONES] V.N. suprà, 1.2.

2. HAMAXAGOGÆ] i. qui vehiculis bona amatorum exportatis. Lipsius è MSS. *exagogæ*: ut est in nostris etiam editis. MSS. Camer. *macagote*, & *axaguce*.

3. EXPOLIAT] Ita MS. sec. & ed. vett. itaque à manu Camerarii emendatum vidi. Alii, *expoliet*: MS. primus planè omisit hanc vocem.

5. PRO STERC. HABET] Alludit ad illud, ἐκβλητότερος τοῦ κόπρου. Apul. 2. Florid. *Rem familiarem abjicit, velut onus stercoris.* Adde Val. Max. libr. 9. cap. 1. de Clodio Æsopi. Lucillius:

Prætor noster adhuc quàm spurco est ore, quod omnes
Extra castra, ut stercu' foras ejecit ad unum.

Gruterus.

6. PVBLICOS] Hos Ovidius 5. Fast. *Ædiles-plebis* vocat, ut notat Ant. Augustinus ad Festum. Lamb. l. *Publicios*.

6. MVNDISS. SIT.] Ita MSS. Cam. Es muß alles fein rein sein. At Lipsius probabat, quod in vett. edd. est, *mundissimu' st*. Ludens ait amatorem metuere Ædiles, quibus cura viarum & publicæ mundiciei erat, ideoq; mundissimum suis in rebus esse.

7. VERRITVR ἔξω.] ita hîc alibi:

Is cum animâ ad eam habentiam omnem everrerit.

Ita Cic. eleganter de Verre χαριεντιζόμενος dixit: *Quodunquam hujusmodi everriculum ullâ in provinciâ fuit?* ad nomen Verris alludens. Sic lib. 3. de Nat. deor. *Judicium de dolo malo* venustè appellat *everriculum malitiarum*. Cæterum, totum hunc locum ita leg. Palmerius Spicil. fol. 112.

Ite, ite hac simul muli beridamnigeruli, forasgerones,
Bonorum hamaxagogæ satine, qui amat, nequit quin nihili
Sit: neque improbis sed artibus exspoliet? nam hoc qui sciam, ne quis
Id quærat ex me: domi scio. (Comicè intelligitur: nam domi is est) *qui facit improba facta amator,*
Qui bona pro stercore habet: foras jubet verri: metuit
Publicos: mundissimu' st, puras sibi esse vult ædes.
Domi quicquid habet, verritur ἔξω.

9. NIHILOMINVS] Lamb. *hilo minus p.*

11. HERCVLANEAM] ita MSS. & omn. editi. Camerarius edidit, *Herculanam*. Turneb. l. 24. 17. *Nummus*, inquit, hîc valet duas drachmas. cùm enim ita scribatur:

De minâ unâ deminui
Modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculanam:

& Grammatici Græci tradant, *minam* centum esse drachmarum: partem autem Herculanam constet decimam fuisse; *Nummus* erit quinquagesima pars minæ, ut drachma centesima. sic in nummo inerunt duæ drachmæ. Denarius tamen drachmam valet; cujus æstimatione & pretio inferior multò est nummus. Igitur hîc *nummus* est didrachmum, aliter quàm vulgò loquentibus soleat usurpari. nam vulgo *Sestertius* est. V.N. Mostell. 4.2. P. Ciacconius ad Calumnam Rostratam: Geta Plaut. *quinque nummos* vocat decimam partem ex minâ, quæ centum drachmas habuit &c. Est ergò *Nummus*, drachmæ duæ: quod ex Pseudolo adhuc probatur, act. 3.2. *Illi drachmis issent* &c. Varium quippe nummi pretium etiam apud ipsos Rom. reperitur. aliàs enim Nummus argentei denarii quarta pars est: aliàs pro drachmâ ponitur. ut apud Ter. Heaut. aliàs pro didrachmâ, ut hoc loci. Sed de Re totâ Monetariâ ambitiosissimè olim tractavit Matth. Hostus, accuratissimè nuper Marq. Freherus IC. cum Nicol. Oresmio, & Gabriele Byel. de Nummis verò Hebræorum in specie, item Chaldæorum, &c

& Syrorum, Casp. VVaserus Tigur. quos adi A & audi.

17. SERVAT MARE: QVOD IL.] ita Lipſ. Vat. libri veſtigia, itemque ſententiam ſecutus, emendavit. Mulierem meretricem mari comparat. magis etiam voracem eſſe adductis dein cauſis, oſtendit: l. 5. c. 21. Scaliger è veſtigiis ſui MS. cod. formabat: *at hoc ſaltem ſervatum tibi æſtuat: eccum apparet. h. &c.* quod Lamb. in contextum retulit. Palm. l. ——*n. u. Abundat. hoc ſaltem, ſi ſerenat: at ubi æſtuat, eccum apparet: huic des Quant.* Meretricem cum mari componit. quod enim des, neutri apparere: mari quidem cùm ſerenet, nihil: at ſi æſtuet, tamen apparere. meretricem hoc pejorem eſſe, quòd nusquã quicquam appareat. *Mare ſerenat*, vel ſimpliciter, *ſerenat*; ſcis, quâ cum gratiâ hîc ſit. Aut hoc verum fateberis; aut quod nunc dicam, ——*nunquam Abundat: at hoc ſaltem ſervat; & eccum, ubi æſtuat, apparet.* Vel: *at hoc ſaltem ſervat ſecum: ubi æſtuat, apparet.* At mare, inquit, tametſi nunquam abundat, ſervat tamen naufragia & jacturas ſibi. quin etiam, cùm æſtuat apparent, & ſæpe in littora excernuntur. meretrici neque ipſi apparet quicquam, neque datori. Acidal. ſic reconcinnat: *at hoc ſaltem intereſt. nam illi æſtuanti ejectum apparet* &c. Inter mare & meretricem hoc ait intereſſe: quòd mari aliquando abſorpta reddantur & appareant ad littus ejecta per æſtum: at quæ meretrix ſemel abſumpſerit, ea conſumpta penitus nunquam reverti. & iſtud ita arriſit Pareo, ut pr. editioni ſuæ intulerit, rurſusque ejecerit ſequenti. Denique & Piſtoris ſymbolam ſuam confert, & minimâ mutatione legit: *At hoc ſaltem ſervat, in eo quod illi ſubeſt, apparet. In eo quod illi ſubeſt*, i. in fundo, ſeu alveo, qui mari ſubeſt. & apparet non tantùm, cùm mare æſtu diducitur, verùm etiam urinatoribus: ita extrahi rurſus poſſit. MSS. pall.

Servat mecum illi ſubeſte apparet des quantum.

18. ACCEPTRICI.] ita Cam. & Paraſinus. Sed reliqui Vett. & MSS. Cam. *acceptricæ*. quod optimum ait Meurſ. cùm antiqui *Acceptrica* & *acceptrix* dixerint: ut *Senex*, *ſeneca*, *Phalanx*, *phalanga*. *Chœnix*, *chœnica*, &c.

19. INTVLIT] Lipſ. l. *impulit.* quod & tranſtulit in editionis ſuæ Camarinam Pareus libris omn. invitis.

23. SALVERE.] ita eſt in MSS. Cam. & Vatican. & omnibus vet. non *valere*, quod tamen ante habuit alteri Pareana pr.

24. QVI VAL. FERO.] *Qui*, pro, *ut*: Lambino non intellectum. Adfero, inquit, tibi ab hero meo dono aurum & obſonia, ut melius valeas. Sic Curc. act. 4. 2. *Ecquid das, qui bene ſit?* Et Bacch. ſc. 1. *Dato, qui bene ſit*: Schop.

27. TANT. AMO] ita MSS. & edd.

27. OP. ORARE] Ed. V. omnes & MSS. Cam. *operare*. hinc Palmer. *juſſit opere orare*. i. magnopere. V. N. infrà, ſc. ult.

28. GRATA ÆQVAQ. H.] ita Grut. è MSS. pr.: in quo, *acaque*. in MS. ſec. nihil apparet, ut nec in vett. edd. unde ſubit mirari, quis vulgatum, *acceptaque* fabricatus ſit nobis.

29. VASA NOLO AVFERANT. DESICCARI LVBET.] Sic noviter iſtæc reſtituit, ſuaſu MSS. Pall. Gruterus. Meretrix volebat auferri dona unà cum receptaculus ſuis. id recuſat B Geta: vaſaque vel referre cupit ad herum, vel ſaltem ſua fieri, ubi exſiccata fuerint.

30. DESICCARI] Turneb. lib. 24. 17. Servus malus & joculator munera, quæ ad meretricem ferebat, ſtatim intro rapi non vult: quaſique madeant, Soli oppanſa & expoſita, quò ſiccentur, ante fores ſub dio aliquandiu habenda cavillatur. Acidalius nihil verius putat lectione veteri; *defricari*. Frictio enim genuum, inquit, adhibita in blandiore ſupplicatione: quam ſibi ſervus fieri poſtulat, ut ille alter Aſin. act. 3. 3. Sed velim tamen ſcire, qui illi libri fuerint Acidaliani, in quis ea lectio: niſi Monſtrolienſis ſit commentum. eo tamen Pareus nobilitavit profanam editionis ſuæ fornicem. Sed & Lexicon ejus blaterat: *Defricari* ſanè veriſſima lectio, ut ut ſuſpecta Taubmano, ſuo ſibi Genio apprimè ſapienti.

30. LVBET] MSS. & ed. *jubet*. Sed Pariſina, *jube*. ſed nihil frequentius quàm ut hæ literæ vices fungantur mutuas. & tamen, *jube* hîc probè locum ſuum tueatur.

30. IMPV-

30. IMPUDENS MECASTOR QUANTI EST NEGOTII!] Sic reposuit ex edd. primogeniis Gruterus; & eis alludunt Pall. in quibus, *Immo pudet me castor cuam est egori.* Pareus nobis hîc voluit esse ingeniosus; sed omninò frustrà; utpote ignarus doctrinæ characteristicæ. Recepit enim in textum excrementa isthæc: *Imò pudet mecastor. quàm est ægrè!* hoc sensu: certè pudet intro auferre tua dona. ægreque mihi est, illa tam inverecundè acceptare. quasi sc. munera detrectet, quæ omnium maximè inhiet. Meræ nugæ! vel nostra vero proxima est, vel requirit conjectorem dissimillimum.

34. ERGO M. HONOR.] Exhibuimus scripturam MSS. Palmer. *Erga eumque honorem habere cumque omnium maximum.* ut, omnium cumque, sit, ut *quicunque*. Sed & *cumque*, pro *quicunque*, aut *quandocunque* Horat. I. Odâ 32. dixit. Et istud Acid. in textum recepit Pareus editionis pr. nam secundâ adhuc ineptior est. Vett. ed. *Erga eumq. honorem eumq. h.* Camerarius hîc non se non expediit. itaque edidit, ** *Unique honorem illi me habere omnium maximum.*

35. OBSECRARE.] Ita vett. edd. omnes. MSS. Pall. *obsecrnt.* Camer. *obsecm.*

35. I LICET] ita MSS. & edd.

36. IPSUS SE COMEST.] Tale illud Homer. Iliad. 6. de Bellerophonte: quod Cicero Tuscul. Q. libr. 3. vertit,

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitat.

36. OC. MALIS] i. perversis & malignis: *L.* MSS. Cam: *tristis, oculus malis?*

37. QUID EST?] Ita MSS. Cam. at Edd. vet. *ecquid.* hinc Douza, *ecquis.*

38. USQ. AD IENTACULUM.] ita consensu omn. ed. vet. quod etsi suspectum habeo, tamen interea adsumpsi, approbatore etiam Lambino: qui addit; *Ientaculum* primus erat cibus apud Romanos, ut apud Græcos ἀκράτισμα: quem sequebatur *Prandium*: deinde *Vesperna*: postremò *Cœna*. apud Græcos ἄριστον; deinde ἑσπέρισμα; postremò δεῖπνον. Quæritur igitur hîc Phronesium, Militem aluisse puerum usque ad jentaculum duntaxat. Palmerius hunc locum ita refingit:

Qui illic apud me erat, hujus pater pueri, usque ad spectaculum.

GE. Hem vernam! novi hominem nibili.

Illa, inquit, verba: *jussit ali, mansi, auscultavi, observavi,* à glossemate irrepserunt. Qui enim invenerunt, *pater pueri illic est, usque adjentaculum*; (quomodo scribi etiam nihil vetat: ut significet, astrictum Militem & tenacem, qui tenuissimè sumptûs infanti suppeditet. sed alterum verius.) addiderunt de suo, *jussit ali*: qui, *usque ad spectaculum*, repererunt; de suo inserserunt, *mansi, auscultavi, observavi.* Ait autem, ut solet Plautus, Militem illum tantisper esse pueri patrem, dum Fabula transigatur. Hæc ille. cujus commentum Pareus recepit in contextum, sed non sine labe. expressit enim *item* pro *hem*. MS. Pal. pr. *usque adectaculem.* sec. *usq. ad jectaculum.* in quo nec illa, ut nec in vett. ed. *pueri illic est*, apparent. quod cùm neget Pareus, quid aliud vocem quàm frontis ferrreæ? iterum dico, triga ea verborum non comparet in Pal. sec.

39. MANSI, AUSC. OBSERV.] Hæc verba, quæ Palm. glossemata censet, sunt in MSS. & omnibus editis: ita tamen ut Pall. servent, *alii.*

39. QUEM PERNAM NOVI] ita MSS. & omn. editi. Quid, si in tmesi posita essent: *quemnam pernovi?* Quid, si in *perna* luderet frustum rustici? cogita. Lamb. *pernimis.* J. Rodenborchius Antverp. omnis doctrinæ liberalis penu, conjiciebat, *perviam*, leviculâ & pænè nullâ mutatione: quomodo dicitur *obviam.* Impensius probabis, si Notas videris Pseud. act. 2. 4. v. 70. Quid si διηεσμένας legas, *per viam*: ut alibi, *inter vias.* Sed alterum aut verum est, aut vero proximum.

41. SUSPIRIUM] Ed. Ald. *Suspiritium.* hinc D. F. *Suspiritum*, quomodo Cist. act. I. I. in vett. libr. *Ut petivit suspiritum altè!* & istud statum arripuit editio Pareana. Sed vulgatum est in edd vett. MSS. *suspensum.*

43. ICIT FEMUR] Profert Prisc. in verbo, *icit.* Gestus est indignantis.

43. ARIOLUS] Turnib. l. 24. 11. *Hariolum* hîc absolutè pro furioso accipit: quòd ii soleant se interdum malè mulcare. Gruterus, pro divinante: talis enim, inquit, eorum habitus: ut patet ex iis, quæ de ministris matris-deûm, aut Isidis, narrat Apul. 8. Met. & verò etiam de bellenariis & fanaticis accipit Joan. Passeratius ad lib. 2. el. 12. vers. 15: *Cur aliquis laniat sacris sua brachia cultis?* Electa

Parei affirmant: Arioli furiosi seipsos verberare solent. Imò contra est: omnes arioli se verberabant. omnes inquam & hoc Plauti verba ultrò clamant.

48. POSCARUM] V.N. Mil.3.2.

49. MALACUM] V.N. Bacch.act.1.1.

49. UMBRATICOLAM] Turneb.lib.24. 17. *Umbraticola* hîc dicitur mollis, qui in umbrosis locis degat, nec Solem pulveremque, ut homines militares, ferre soleat. Curcul. act.4.3. *Si hic me hodie umbraticus derisérit*. Juvenal.

Sed genus ignavum, quod tecto gaudet & umbrâ.

Ita *Umbraticus doctor*, apud Petronium est scholasticus. Tacitus lib.14. Annal. *studia in umbrâ educata*, i. in Scholâ declamatoriâ: ut *Pichena* explicat. Ita *Umbratilis miles*, Ammiano lib.18. *Umbraticum negotium*, Agell.lib.3.1.

49. TYMPANOTRIBAM] Turneb. lib. 24.17. *Tympanotriba*, hîc enervatus & effæminatus est; quales erant Cybelæ sacerdotes, & exsecti Matris deûm, manibus tympana pulsantes. Virgil.9. Æneid.

O verè Phrygiæ, &c.

Tympana vos buxusque vocat Berecynthia matris.

Idææ, sinite arma viris, & cedite ferro.

Etiam apud Græcos in tympano homines torquebantur. hinc eum, qui sæpe in eo per tormenta cruciatus sit, credit vocari idem Turn. (libr.17:17.) *tympanotribam*. sed hoc locum heic non habet, ubi malacus aliquis describitur, cui tympanum convenit. noster Pœn.5.5. *Cur non adbibuisti dum istæc loquereris tympanum? Nam cinædum te arbitror &c.* Sueton. Aug. *Viden ut cinædus orbem digito temperat?* Passerat.ad 3.el.17. Proper.

50. QUÆ HÆC RES?] ita Ven. & Arg. & Sarraceni edd. nec abeunt MSS. & cæteræ edd. in quibus est, *quæ hercles*. V.N. Pœn.act. 5.4.

51. FONS VITII] ita Petronius: *O hominem acutum, & urbanitatis vernulæ fontem.*

52. HAC OFF.] sc. macherâ.

52. CONFICIAM.] MSS.Cam.& edd. *officiam*. at Lips.l. *conficiam*, sive *confuciam*, ut pro 1. Antiq.Lect.5.c.21. Cæterum, *affatim* MSS. & omn. edd. vett. habent, non, *offatim*.

A

54. IN CUL.CLUO.] Lips. è cod. Roverii leg. *in cul. Ares*, i. Mars. Ita & Palm. Getamq; è culinâ veru allaturum minari, ait. Varro: *Si non plus testiculorum offenderis, quàm in castrato pecore in Apulia, vincor non esse masculum Arem*. Probaveris ipsum Martem non esse masculum, Proverbialiter dixit. Quid enim magis masculum, quàm deus belli præses, & idem Veneris maritus? Vide Adag. Erasmi, Chil. 5. Cent.1. Adag. 1. Et verò prodidit Bapt. Pius, esse libros in quibus restet, *in culinæ aries*, alios qui *ares*. Verùm enimverò, cùm recogito, plerasque edd. vet. ut & MSS. ipsos Cam. constanter legere, --*situs Ad legionem bellator cives, at ego in culina aves*, (nisi quod MSS. hîc etiam *cive*; ut Lipsiani, *ave*:) non displicet, *in culina cluo*, id est, imperium obtineo. apparet, namque illud *aves*, natum ex *cives*; *cives* ex *cluos*.

55. ADVENTORES MEOS NON INC.] Ita edd. vett. omnes, ut & MSS. Cam. nisi quod hi τὸ *non* omittunt. neque illud *haud* usquam apparet. L. Palmer. *haud meos adventores incurses*. *Adventores*, in cauponis & diversoriis hospites: apud scorta, qui rei caussâ veniebant. & ita, præter alios, Apulejus & Petronius. *Incuses* autem levius hic est, quàm pro

B

re. Etiam Scalig. ad Auson. lib.2.19. notat hîc *Adventorem* pro hospite dici: ut suprà, act.1.2. & Asin. act.2.2.

58. QUID N. ERGO &c.] Ita malui *confessus* cum omnibus libris. reus enim confitens, confessusve, nihil habebat quo se deinceps tueretur. Etiam Casp. Schopp. hunc versum, putat esse Phronesii verba, quem ex MSS. ita quoque explet:

PH. Quid nunc ergo huic odio es confessis omnibus reus?

Vides, te omnibus testibus confessis reum esse. Tu dicis te periisse, & ego autem dico, & hic Geta item dicit. quare quid huic molestus esse pergis? Nec tamen dissimulabo, in altero scriptum codice fuisse, *huic odiosè es*. quod mihi magis placet: sic tamen, ut *hic* legamus, i. quid hic manes, qui omnibus odiosus sive exosus es? Hæc ille. Nisi, quod Paris. c. *omnibus te dius*, quod natum è conjectura Sarraceni, *tedius* MSS. Pall. *confessus omnibus reus*. cætera, ut Schoppius ferè. nempe, *ergo hic odies fees*; nisi quod pr. ita ambiguè expresserit, ut possit etiam esse *fpes*. falso enim Pareus citat *foes*.

Alio-

Aliorum, *busteus*, unde sit natum, planè nescio. Cur, inquit, te fecisti ut noscerent omnes iis? Intelligit verò eos, quos Geta adduxerat, quomodo Meurs. explicat.

60. SCELUS VIRI] Sic Prop. lib. 4. 7. *Clytemnestræ stuprum* dixit περιφραστικῶς pro Clytemnestrâ impudicâ. Sic, *scelus Polymnestoris*: *error Herculis*, & talia multa Propertiana; pro Polymnestore scelesto: & errante Hercule. Comicum est, *scelus viri*, scelestus. Hæc ibid. Scaliger. & lib. 2. eleg. 22. V. N. Milite act. 5. Talia sunt & illa, *flagrans amor Herculis*, Propert. l. 1. 13. pro Hercule amore incenso. *Hiatus leonis*, pro leone hiante, Lucr. 5. *Equorum vires*, pro equis valentibus, Manil. l. 5. *Fuga servorum*, pro fugitivis, l. 2. ff. de leg. Fabiâ. quæ I. Douza F. observavit.

61. OFFATIM] ita MS. pr. ac sec. *affatim*: ut & omn. editi vett.

61. CONCIPILABO] Festus: *Concipilasti*, *dictum à Nævio, pro, corripuisti & involasti*. Ad quod Scaliger: *Concipilasti*, idem ac compilasti: ut *reciprocus, reprocus*: *reciperare, reparare*: *incitegere, integere*.

62. HANC ADITIO EST?] V. N. Epid. act. 2. 2.

63. SI MANU] P. Valla l. *si*. & ait contemnentis esse *si*, aut *phy*.

63. MANU NICERIS.] Turneb. lib. 24. 17. *Nicere*, à quo deductum est *nictare*, quod nusquam alibi, quod sciam, reperitur, significat signum facere: ut manum movere, aut eâ minari &c. MSS. Cam. & vett. ed. plerique *viceris*. Scalig. in Conject. leg.

——mortere ocyus, si viam imbiteris.
GE. Quid? viam imbiterim? ST. fac q.

V. N. Epid. & Capt. act. 3. 5. Meursius, probat, quod est in Paris. *Si manum injeceris. GE. Quid manum injecerim?* quod avidè obsorbuit Pareana editio pr. At Palmer. hæc ita legit & distinguit:

emoriere cocio, si in manum biteris.
GE. Quid manum biterim? ST. vah, quò ibi-
stis mane: jam ego te heic
Off. c. GE occidi oppido: captio est.

Vocabulum *cocionis* contumeliosum. V. N. Asin. act. 1. 3. & Mil act. 3. 2. Et hoc quidem, quid sit, *ire, venire hosti in manum*, cholæ sciunt. Sallustius ita: *Cupere prælium in manibus facere*. Virg. Martem in Manibus esse: *In manibus Mars ipse, viri &c.*

65. OCCIDI OPT. EST:] Lipsius Elect. 1. c. 21. leg. *Occidi optumum est*: eâ significatione, quâ notat Festus, *Occidamus, pro, contra cedamus*, à Plauto dici. MSS. Cam. *Occidit*. an fuit? *occidet optimum est*. ut sint verba sibi metuentis ab impetu Militis, verè tertiata, & sic tamen retrocedentis.

66. VERUM] ita MSS. Cam. pro, *veru*. V. N. Rud. 5. 2.

69. VENTRE D. SALVO] quem, nisi aufugio, Miles Machærâ perfossurus videtur. L. Parei ultima destituitur illo *ventre*, contra libros, contra versum.

ACTUS II. SCENA IIX.

PHRONESIUM meretrix.
STRATOPHANES miles.

DATIN soleas? atque me intrò actutum ducite;
Nam mihi de vento miseræ condoluit caput.
ST. Quid mihi futurum est, cui duæ ancillæ dolent,
Quibus te donavi? jámne abiisti? hem, si datur!
Quo pacto excludis? quæso potin' planiùs,
Quam exclusus nunc sum? pulcrè ludificor. sine!
Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest,
Ut ego hisce suffringam talos totis ædibus.
Num quippiam avarum ut ad mores mulierum?
Postquam filiolum peperit, animos sustulit:
Nunc, quasi mihi dicat, nec te jubeo, nec veto

Introire in adis. at ego nolo, non eo.
Ego faxo dicat me in diebus pauculis
Crudum virum esse. sequere me hac! verbûm sat est.

DATIN SOLEAS] Turneb. & l. 24, 17. Romani non solebant in publico uti soleis; sed vel in triclinio, vel in cubiculo: verùm foris calceis. atque eâ de causſâ crimini vertit Cicero Verri, quòd soleatus fuerit. *Stetit*, inquit, *soleatus Prator pop. R. cum pallio purpureo tunicâque talari*: & tribulis conviva, apud Horat. 1. Ep. 13. *gerit sub aliâ soleas*: & convivator Nasidienus 2. Sat. 8. *soleas poscit.* meretricula apud Plaut. puerperam mentiens, *soleas poscit.* act. 2, 4. & 8. Omninóque foris solea muliebre potius, quàm virile calceamentum habebatur. Catullus de Lesbiâ:

——argutâ constitit in soleâ.

Hæc ille. Vett. Edd. *Date jam soleas.* MSS. Cam. *Datin soleas.* mediæ ætatis: *Date sol.*

4. H. SIC DATVR.] V. N. Men. act. 4. 2.

5. QVÆSO POT. PLANIVS,] ita Acidalius. Rectè. nam blandius illud, *quaso*, non convenit Militi irato: sed ad spectatores pertinet. suprâ, act. 1. 2. *Qui potis es, amabo, planius?* In MSS. Camer. est, *excludis quam eso. potius pl.* In Mediol. & Parm. & Sarraceni. *excludis quaso esopitius.* Hinc Meursius fecit, *Quo pacto excludis quaso esopiis planius?* Et ἀρχαϊκῶς, inquit, *excludis*, pro *excludas.* Sensus est: Quo pacto me planiùs sedibus ejicias, & sedes mutare, i. migrare cogas? Veteres autem *Esopia* appellabant sedes: quæ in augurali & saliari carmine *sesopia* sunt: de quibus Festus. In Paris. & Arg. est, *excludis quaso ex hospitio pl.*

8. HISCE SVFF. TALOS] V. N. Mil. 2: 3.

9. AVRVM VT AD] Recentius cusi; *avarùm mutat.* Sed tamen in Vatic. ut & MSS. Cam. & omnib. vett. edd. est, *avarum ut ad mores m.* quod Lips. perspicuè verum ait. nisi quod MSS. Cam. *at* pro *ad* scribant. Acid. l. *Num quippiam aliarum mutat more* (vel *mores*) *mulierum?* ut Miles non avaritiam, sed superbiam ejus perstringat in communi vitio mulierum, quæ à partione filiorum plerumque animis fiunt elatiores. ultimum istud invasit Parei editio pr. sed remisit altera; ut solet vanitas, consistere nescia.

11. NEC VETO.] MSS. Cam. *neque volo*: ut & vett. edd. quod in *veto* mutat Pareus, suisque obtrusit, ceu antiquitatis Keimelium primum.

14. CRVDVM] I. Gul. Plaut. Quæst. ad Men. c. 4. *Impotens*, iracundum & inhumanum significat, &c. Glossographi explicant ὠμόν: & sic Latini interdum *crudum* accipiunt pro duro & inexorabili: ut hoc loco.

ACTUS III. SCENA I.

STRABAX rusticus adolescens.
ASTAPHIUM ancilla.

RUS manè dudum hinc ire me jussit pater,
Ut bubus glandem prandio depromerem.
Post illoc vêni, quàm advenit (si dis placet)
Ad villam argentum meo qui debebat patri,
Qui ovis Tarentinas erat mercatus de patre.
Quarit patrem. dico esse in urbe. interrogo,

Quid

Quid eum velit. homo crumenam sibi de collo detrahit,
Minas viginti mihi dat. accipio libens.
Condo in crumenam. ille abiit: ego perperas, minas
Oves in crumenâ hâc in urbem detuli.
Fuit edepol Mars meo periratus patri:
Nam oves illius haud longè absunt à lupis.
Nunc ego istos mundulos urbanos amasios
Hoc ictu exponam, atque omnes ejiciam foràs.
Eradicare est certum cumprimis patrem,
Post id locorum matrem. nunc hodie efferam
Ad hanc argentum, quam mage amo quàm matrem meam.
Tat! ecquis est? nulla est? ecquis aperit hoc ostium?
AS. Quid istuc alienum est, amabo, mi Strabax!
Qui non extemplò intres? anné oportuit
Ita, te quidem qui es familiaris? ST. ibitur.
Ne me morari censeas. AS. lepidè facis.

IRE ME IUSSIT] Exclusit Pareana editio utraq; pronomen *me* quod & in libris scriptis editisq;, & requirebat versus.

2. BUBUS] Ita MSS. & editi. & laudat Meursius: cùm & bubus glandem in pabulum dederint veteres: ut docent Cato c. 54. & 60. *Bubus cibaria annua in juga singula lupini modios CXX. aut glandis modios CCLX.* Et Columella lib. 6. c.3. & lib. 11. c. 2. Douza tamen l. *subus*.

3. POST ILLOC VENI, QUAM ADV.] tmesis, pro, postquam illuc veni, &c. Ait, postquam ipse venerit, alterum illum statim advenisse. non contrà. *Acid.* Pall. *illoc*.

3. SI DIS PLACET.] Douza l. *sic diis placet*. ut Bacchid. *Id quod dii volunt*. V.N. ibid. quod fatuè secuta est Pareana editio pr. MSS. Pall. *advenis ideis pl.*

5. OVES TAR.] Oves & lanam Tarentinam laudavit antiquitas. Columel. lib.7.c.2. & Plin.l.8.c.48. & Horat.2. Odâ 6.

Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen.

nam *pellitas oves* vocat Tarentinas. Laertius, *πρόβατα δέρμασιν ἐσκεπασμένα*. Galesus enim & Tarenti & Calabriæ fluvius. L.

7. CR.S. DE COLLO DETR.] Crumenam enim à collo pendentem gerebant. Inde est *decollare*: quod propriè de marsupio dicitur, quod collo abest & perit. inde sumitur pro

A *ἀτυχεῖν*: ut cum, *spem decollare*, ait Varro. Observavit Is. Casaub. ad Theophr. Charact. V.N. Capt. act.3: 1. Etiam Meurs. notat, veteres, more nostratium rusticorum, in collò crumenas gestasse: ut in Asin. act.3: 3. Epid.3: 2. Addit Passeratius è collo crumenam inde in sinum demissam. unde sinus frequēs mentio in condenda pecunia. Apulejus 8. *stipes æreas sinu recepere patulo*. Mart.5.Ep.16. *fiet vario sordidus ære sinus*. Ovid. 1. Amor. el. 10: *Quo pretium condat non habet ille sinum*. Juvenal. fine Sat. 14. *Si nondum implevi gremium*. & Sat. 1: *Major avaritiæ patuit sinus*. Seneca: *soluto ad virtutem sinu veniendum*. Proper.2. 16. *Semper amatorum ponderat illa sinus*.

B

9. PERPERAS, MINAS] Ita Scaliger in Conjectaneis, ad illud Varronis lib.2. De Re Rust. *ovem minam, i. ventre glabro*. Ergò *mina ovis* eadem, quæ *apica*. *Apica* Græcum est: *ἄπτιχος*, hoc est, *glabra*. nam, *πτίχος* & *πτίχος* in neutro, idem quod *πτίχος* masculino. Eas Aristot. vocat *κολίβας*. *εἰσὶ δὲ*, inquit, *δυσχειμερώτεραι αἱ πλατύκερκοι ὄϊες τῶν μακροκέρκων, καὶ αἱ κολίβαι τῶν λασίων*. *Magis alsiosæ*, inquit, *sunt oves minæ, quam hirtæ*. Quin & Pl. ita vocat Truculento, &c. *Perperæ*, sunt *ἄχρηστοι*. Est & Festo *mina*, mamma lacte deficiens. contrà eleganter *munificam mammam* vocat Plinius eam, quæ lac preber,

lib.11. c.40. Hæc ille. In MS.Cam.sec.est, *per peraminas.* in pr.planè desunt hęc & sequētia. Mediol. & Sarrac. edd. *perpere minas.* in aliis, *properè.* Etiam Meursius, Facetè, inquit, *Minas oves* vocat, quia venundatæ in minas essent conversæ: aut *minæ* sunt parvæ & pusillæ, (nam istâ metamorphosi tales erant:) quod etiam non malè congruit. Veteres enim *Minus* pro *parvus* dicebant; unde in Comparatione *minor &c.* vide ibid. Muretus Var. Lect. lib.9. cap. 15. Legendum, inquit, —— *ego propere minas Oves in crumenâ hac in u. d.* de pecunia enim, i. de illis viginti minis, quas pro ovibus acceperat, ita ut de ovibus loquitur: eâdem urbanitate, quâ viginti item minas pro asinis acceptas vocat *asinos*, Asin. act. 3: 2. Simul autem eò alludit, quòd oves, quæ ventrem pilosum non habent, vocabant *oves minas*, aut *apicas.* Erant illæ igitur planè *oves minæ*: neque enim pilosi sunt nummi. Quòd autem sequitur; *Fuit edepol Mars meo &c.* inde dictum est: quòd lupas Marti sacras putabant. Unde & hujus urbis (Romæ) conditores, quòd à Marte geniti essent, aluisse dicitur lupa. *Lupas* etiam vocabant meretrices, à quibus non longè abesse dicit eas oves, quas ipse tunc in crumenâ ferebat. Hactenus Muretus. cujus commentum ascivit sibi Pareana pr. nam postrema versu seq. *cruminad hac.* sine libris, & præter rationem. Turneb. lib.29: 23. Mars, qui silvæ præerat, & silvicola erat, *Silvanus* appellabatur, & lupos arcebat, &c. adde Gutherium lib.1. cap.4. de jure Manium.

10. IN CRVMENA] Douza leg. *Oves crumenâd hâc &c.* de quo Pseud. act.1:3.

13. AMASIOS] ita omn. edd. vett. at MS. Pall. pr. *amassos.* sec. *amas*···· J. Douza suspicatur hunc versum Diomedi in mentem fuisse, quum scripsit: *Item ab Amo veteres in-* A *choativo modo dixerunt Amasco. unde & Amascos amatores dicebant: ut Pl. Truc. jucundulos amascos.* ubi *mundulos* hinc emendandum. Nævius: *nunc primulùm amasco.* & *amascos* est in Pareanis.

14. HOC ICTV EXP.] hâc pecuniâ exturbabo rivales meos. Nota, *Exponere ictu*, pro, loco movere, de gradu dejicere. Cas. act.4: 4. *Pane exposivit cubito.* forsan à luctatoribus translatum. *Acid.*

16. EFFERAM] ita MSS. omn. & editi. Acid. *feram.* Jam enim, inquit, extulerat, porrò laturus ad amicam. Sed ego alterum præfero: ut arguta & elegans sit allusio ad verbum & ritum funebrem, &c. Q.d. de hoc argento jam conclamatum esse. Hæc mea est opinio. Pareus in contextum recepit Acid. commentum. B

18. TAT!] Vide Charis. lib.2. de Interjectione.

19. QVID ISTVC AL.] ita Grut. restituit. Meursius leg. *inires*; pro *intrares.* ut & Cas. act.3: 6. Palmerius sic:

Quid istuc? alienusné es, amabo, mi Strabax,
Qui non extemplò inieris? anne op.

& istud est in ed. Parei pr. nisi quod ea *inires.* at secunda longè ineptius *ires.* versui subveniamus legendo *extempulò.* Quod sequitur, *Ne me morari censeas*: in eo, *morari*, primâ longâ efferendum est: quod certum habeo fecisse Poetam in stultissimâ personâ, ad movendum risum. Sic enim in fine Fabulæ de eo ipso:

Stultus atque insanus damnis certant: nos salvæ sumus.

Suetonius Nerone: *Morari eum inter homines desiisse, productâ primâ syllabâ jocabatur.* Spicileg. fol. 88. Vide & fol. 221. item Not. Mil. act. 4: 7.

ACTUS III. SCENA II.

STRATILAX servus. ASTAPHIUM ancilla.

Mirum videtur, ruri herilem filium
Strabacem non rediisse, nisi si clanculum
Collapsus est hîc in corruptelam suam.
AS. Iam pol illic me inclamabit, si aspexerit.

ST. Nimio

ST. Nimio minus sævus jam sum, Astaphium, quàm fui:
Jam non sum TRVCVLENTVS: noli metuere.
Quid vis? AS. quid? tuam exspecto TRVCVLENTIAM.
ST. Dic, impera mihi, quid vis, & quovis modo.
Novos omnes mores habeo, veteres perdidi.
Vel amare possum, vel jam scortum ducere.
AS. Lepidè mecastor nuncias. sed dic mihi,
Habent? ST. parasitum te fortasse dicere.
AS. Intellexisti lepidè quid ego dicerem.
ST. Heus tu! jam postquam in urbem crebrò commoveo
Dicax sum factus. jam sum cavillator probus.
AS. Quid id est, amabo? istaoce ridicularia
Cavillationes vis opinor dicere?
ST. Ita! ut pauxillum differat á cavillulis.
AS. Sequere intrò me, amabo, mea voluptas. ST. tene hoc tibi:
Rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies.
AS. Perij. rabonem? quam esse dicam hanc beluam?
Quin tu arrabonem dicis? ST. ar facio lucri:
Vt Prænestinis conia est ciconia.
AS. Sequere, obsecro. ST. Strabacem hîc opperiar modò,
Si ruri veniat. AS. is quidem apud nos est hîc Strabax:
Modò rure venit. ST. priúsne, quàm ad matrem suam?
Heu edepol hominem nihili! AS. annè autem, ut soles?
ST. Imò nihil dico. AS. i intro amabo! cedò manum.
ST. Tene. in tabernam ducor devorsoriam,
Vbi malè accipiar meâ mihi pecuniâ.

TRVCVLENTVS] *Truculentus* & *Trux*, sævus & asper dicitur. & nomen hoc à *terrendo* ductum est. Turneb. Comm. in 2. Orat. Cic. contra Rullum.

7. TVAM EXPECTO TRVCVLENTIAM] Pall. MSS. ambo, item Excerpta, *expector asculentiam*; ut videatur reponendum *rusculentiam*. Edd. primæ *truculentum*. versui consulatur si repetas, *tuam jam exp.*

8. IMPERA] Debebat auceps ille vetustatis Pareus admisisse lectionem Pall. *incipera*. *inci* enim pro *in* dictum olim, pluribus ostendit Scaliger ad Festi *Incitega*.

12. HABENT? ST. PAR. TE F. DIC.] Ita ed. Cam. in cujus chirographariis erat: *Habent parasitum & fortasse dicere.* Lipsius lib. 5. Antiq. c. 21. l. *Haben? ST. παρὰ σιτῶ te fortasse d.* Amat enim Plautus in hâc Fabulâ abuti Græcas voces: Sententia quidem concinna est. Meretricula principiò de obsonio sollicita, sine quo friget Venus, *Haben?* inquit: ille autem rusticellus ut catum se & facetum faceret, occupan respondere; Intellego, inquit, de cibo quæris: ego verò ad eam rem habeo. Gruterus aliquando suspicabatur; sed aliquando:

——sed dic mihi,
Aben? ST. paratam te fortasse dicere.

Si lubet, inquit ancilla, licet. subjicit servus: Tu igitur, quantum audio, parata es. *Avere*, circa Venerea; probat illud, *Virum hercle abet*: ita enim ibi ferè MSS. Et Ovid. 5. Metam.

Et quia nuda fui, sum visa paratior illi.

At Meurs. Probo, inquit, quod est in v. codd.

——sed dic mihi,
Ain' parasitum te fortasse ducere?
ST. Intellexisti lepidè q. e. d. Heus tu &c.

ita enim etiam Personæ ordinandæ. Dixerat Stratilax, exsuisse se mores truculentos, & posse jam amare, posse scortum ducere; unde Astaphium verbi ἀμφιβολογίᾳ incertâ rogat: An dicat fortasse parasitum se ducere. nam Parasiti etiam per jocum *Scorta* nominabantur: quia nimirum impudenter cœnas captabant, & invocati aderant,&c. V.N. Capt. 1: 1. Pareana pr. istud invasit. at postrema, *Haben? parasitum te fortasse diceres.* quæ inconstantia! Cæterùm omn. vett. ed. agnoscunt, *An et parasitum te fortasse ducere?*

14. COMMOVEO] ita MS. pr. *commoveo* (in altero est *commobeo*: quod idem est.) *Hicax sum factum*, i. In edd. vett. est, *convenio.* Comer. edidit, *commeo.* Ego profectò præferam *commoveo*, ex personâ rustici.

15. CAVILLATOR] ita MSS. Pall. & omn. editi. nisi quod membranæ, *Hicaxsum factum.* edd. verò, *Hic factus.* At Lipsius, Hos, inquit, versûs in vitio esse, manifesta res est ex sequentibus. Rusticum enim illum verbum aliquod absurdè & imperitè pronunciasse, patet ex eo quòd urbana ancilla quasi divinando mentem ejus persequitur. Adde, quòd secundus versus in legem jambici trimetri committit syllabâ abundanti. Muretus leg. censebat, (ita enim sermone ab ipso accepi.)

Dicax sum factus, jam sum villator probus.

Rusticum enim illum truncasse capita dictionum patet. Probo ἀφαιρεσις Putârim tamen leg. *jam sum cauliator probus.* Nam hominem à villâ & rure sumpsisse quiddam de copiâ domesticâ, & ad caulas ovium suarum alludentem, *cauliatorem*, pro *cavillatorem* dixisse, quidni probabile sit? Et ad hoc exemplum versum illum è sequentibus emendârim, qui cæteroqui mirè friget,

Ita ut pauxillum differat à caululis:

quo rusticus quasi ἐτυμολογεῖ suum illud, *Cauliator.* Antiq. Lect. lib. 5 cap. 7. & hanc scripturam editioni suæ pr. intulit Pareus improbatq; ultimam. Palmerii Lect. vide extremâ Fabulâ.

16. ISTÆCCE RIDICULARIA] Hæc Stratilaci tribuit Pistoris: ut explicet, & quidem concisè & satis rusticè, quid velit: nempe istæc ridicularia. unde mentem ipsius de- A mum percipiens Ancilla subjicit; *Cavillationes fortasse dicis.*

17. CAVILLATIONES] Schop. l. *cavillatores*: & probat illam Mureti conjecturam, *Villator.* Quid verò distet Cavillatio à Dicacitate, docet Cic. 2. de Orat. Turnebus: *Dicta*; i. verba salsa, in brevitate ponuntur. *Cavillationes*, in perpetuitate, ut Cicero dixit. Pareus edidit, *Cavillatiores vis fortasse*, & qua est impudentia, ait se ita legere cum Schoppio. interim nullus liber antiquior agnoscit illud *fortasse.* omnes servant opinor.

18. CAVILLULIS.] Ita Cam. at MSS. Pall. *differt à cavillibus.* itaq; v. codd. omnes. quod rectum putat Meursius. *Cavilles*, pro *cavillæ* (nam fœmininè extulit suprà) ὑποκοριστικὸν est: quomodo *furcilles*, pro *furcillæ*, apud Festum, &c.

20. MECUM UT HANC NOCTEM SIES] Sic Cam. at edd. vett: *hac nocte.* Pal. sec. *ac nocte.* pr. *à nocte.*

22. AR FACIO L.] Ita Lamb. unam syllabam lucror, cum detracto *ar*, dico *rabonem.* MSS. *facto.*

23. CONIA] MSS. Cam. & vett. edd. *conea.* Taxat Prænestinos, ut malè Latinos. B Talia sunt, *Syria* pro *Assyria*: *Spania* pro *Hispania*: ut discimus ex Capellâ, & Glossario. *Striculus* Arnobio, *Histriculus* Tertulliano. Neque enim litteræ solum detractæ veteribus, verùm etiam syllabæ integræ: ut docet Meursius. Quin & Hebræos invenio ita solitos. Hieremiæ cap. 22. Jehojakimi regis Jehudæ filius *Jekonia*, appellatur per aphæresin, *Conia.*

23. CICONIA] Elegantes sunt Publii Mimi versus apud P. Arbitrum, quos apponam:

Ciconia etiam grata peregrino hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis exul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

27. ANNE AUT. UT S.] ita MSS. & edd. omnes. tamen Acid. & Schop. I. ——*jamne autem ut soles?* Sic Bacchid. *PI. Jámne ut soles?* Et Aul. sc. ult. plenè: *Jámne autem, ut soles, deludis?* & sic quoq; textui intulit Pareus.

28. ST. IMO NIH.] MSS. & edd. *ut soles jamne? nihil d.* vel ——*jamne? STR. nihil d.*

30. MEA MIHI] geminum illi Prol. Capt. *suo sibi servit patri, &c.* Grut.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA I.

DINARCHUS adolescens.

Neque gnatu'st, neque progignetur, neque potest reperirier,
Cui ego nunc dictum aut factum meliùs quàm Veneri velim.
Dii magni! ut ego lætus sum, & lætitiâ differor! ita
Ad me magna nunciavit Cyamus hodie gaudia:
Mea dona deamata acceptáque habita esse apud Phronesium.
Cùm hoc jam volupe'st, tum hoc nimiò magnæ mellinia mihi:
Militis odiosa ingratáque habita. totus gaudeo.
Mea pila est: si repudiatur miles, mulier mecum perit.
Salvus sum, quia pereo: si non peream, planè intercam.
Nunc speculabor quid ibi agatur: quis eat intrò, qui foras
Veniat: procul hinc observabo, meis quid fortunis fuat:
Quia nihil habeo: unum animos movit mihi: omnia agam precario.

CYAMUS] Quærit Acid. cujus sit iste *Cyamus*; utrum Dinarchi, an amicæ? Ita autem MSS. & omn. vett. edd. præter unam Paris. quæ habet, *Geta meus*. Quod sincerum putat Meursius: cum *Geta* servus in hâc Fab. personam sustineat. A

6. MELLINIÆ] dulcedini seu voluptati: L.

8. MEA PILA EST.] ita Grut. & Palm. è MSS. Cam. & vett. editt. Illud, *mea pila est*, proverbialiter dictum & venustè. Et meretrices, quæ se publicant, tanquam pilæ sunt. Nævius Tarentillâ:

——quasi in foro pila
Ludens datatim dat se, & communem facit.

Aut, si non ipsæ pilæ; quasi ludunt pilâ. Unde illud Afranii: *Datatim uxorem ut ludas*: (i. uxorem tuam vulges.) tanquam de pilâ loquatur. Et hoc Pomponii: *Quòd ille dicit, cùm datatim in lecto tecum lusi*: tanquam de eâ, quâ cum ludas pilâ. Atque ut obiter dicam, *Pila ludentes*, sunt σφαιρισταὶ, qui pilâ datatim ludunt, quos *pilicrepos* vocat Seneca, Epist. 56. & valdè differunt ab iis, qui *Pililudii*: quos Firmicus & Manilius lib. 5. describunt. ubi mihi Scaligerum vide. B

8. MECUM PERIT] Scio quid dici possit contra: sed tamen legendum mihi videtur, *mecum erit*. nam sanè Pall. non habent illud *perit*, sed tantum *prit*. quod parvo flexu mutes in *erit* versusq; magis requirit.

9. PLANE INTEREAM.] Ita Lamb. è MSS (ut ait) suis restituit. Tale illud Themistoclis: *Perieramus, nisi periissemus*. V. N. Capt. act. 3: 5. ad illud:

Qui per virtutem peritat non interit.

Acid. è vestigiis edit. Camer. *pane vicem ba* ruit *planè interbitem*, i. intercam. Mostell. act. 5: 1. *ne interbitat quæstio.* & istud statim Pareus arripuit in editionem suam primam. nam postrema, *parum siem.* quod pithecium ei ita bellum, ut exclamet: Cogitet mihi Lector, an non verissimam lectionem ex lacunis MSS. eruerim. At enim, bone vir, *parum esse*, non notat ut tu vis, nihili æstimari, nauci esse. Illa vulgatæ edit. *qui foras.* aliena, & à fine seq. versûs hîc assuta esse, quisq; videt. Palm. scribit: *planè eviter*, i. interimar. V. N. Cas. act. 3: 6. Edd. vett. *plane esuriam*. MS. pr. *pane uriem*, sec. *urient*. Nodus Grutero vindice dignus. & verò is per ludum ac jocum formabat ex rudis illis cæsis, *penuriem*. ut *penuriare* deduxerit Comicus à *penuria*. quod cujuscunque rei denotat inopiam; ergo & amoris.

11. MEIS Q. FORTUNIS FUAT.] Vet. edd. & Lamb. *miles quid facturus fuat*. Palm. l. *miles ecquid fortis fuat.* Sed Acid. sincerum ait, *meis quid fortunis fuat*. nam *miles*, inquit, & à numeris & à ratione ipsâ ejicitur. cùm de eo hîc nihil: quod vel sequentia probent: *Quia nihil habeo &c.* Sanè *fortunis* clarè exaratum est in MSS. Camer.

12. AN. MOVIT MIHI] ita cupiebat Pius, proximè MSS. Pall. in quibus *animos movi mihi comnia;* nisi quod sec. *omnia*. Lamb. è suis MSS.leg. *unum animus monuit me*. quod est in Parei ultima. nam prior invaserat ferè Palmer. ——*unam animos monuit mihi*. quomodo & vett.edd. Ut sit *animos*, pro *animus: & animus monuit mihi*, valeat, subjecit & suasit mihi. Caye Grammaticos audias, qui negant *V* in *O* migrare, nisi ubi geminatur: ut in *Davos, levos, pravos*. Sunt enim, ut eorum multæ, Ædilitiæ editiones, sine populi suffragio, &c.

ACTUS IV. SCENA II.

ASTAPHIVM ancilla.
DINARCHVS adolescens.

LEpide efficiam meum, hera, officium: vide intus modò ut tu tuum
Item efficias. ama, id quod decet, rem tuam: istum exinani.
Nunc dum isti lubet, dum habet; tempus ei rei secundes:
Prome venustatem amanti tuam, ut gaudia compares.
Ego interim hic restitrix his præsidebo, iste dum sic faciat
Domum ad te exagogam: nec quenquam interim istòc ad vos,
Qui sit odio, intromittam: tu perge ut lubet. ludin' istos?
DI. Qui est iste? eja! Astaphium, indica: qui perit? AS. amabo, hiccine tu
Eras? DI. molestúsne sum? AS. nunc magis quàm fuisti. nam nisi quid
Nobis usu est, nobis molestus. sed obsecro da mi operam, ut
Narrem quæ volo. DI. nam quid est? AS. num meâ refert? AS. non mu. sed
Intùs, bolos quos dat! DI. quid? amator novus quispiam?
Integrum & plenum adorta est thesaurum. DI. quis est? AS. eloquar.
Sed tu taceto. novisti tun' hunc Strabacem? DI. quid ni?
AS. Solus summam habet hic apud nos. nunc is est fundus nobis.
Animo bono malè rem gerit. DI. perii hercle ego idem.
,, *AS. STVLTVS es, qui facta infecta facere verbis postules.*
Thetis quoq; etiam lamentando lausum fecit filio.
DI. Non ego nunc intrò ad vos mittar? AS. quî dum quàm miles magis?
DI. Quia enim plus dedi. AS. plus enim es intromissus, cùm dabas.
Sine vicissim, qui dant operam, ob id, quod dant, operis utier.
Literas didicisti: quando scis, sine alios discere.
DI. Discant, dum mihi argumentari liceat, ni oblitus siem,
Quod dedi. AS. interea magister dum tu commentabere,
Volt interim illa itidem commentari. DI. quid? AS. rem accipere identidem.
DI. Dedi equidem hodie ei quinque argenti deferri minas,
Præterea unam in obsonatum. AS. idem istoc delatum scio.
De eo nunc bene sumus tuâ virtute. DI. illine ut inimici mei
Bona istîc edant? mortuum hercle me, quàm ut id patiar, mavelim!
,, *AS. MAVELIM mihi inimicos invidere, quàm me inimicis meis.*

,, Nam

„ *Nam INVIDERE alij bene esse, tibi malè esse, miseria est.*
„ *Qui INVIDENT, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.*
Stultus es. DI. quid est? AS. operire. DI. quid jam? AS. quia pol mavelim.
DI. Non licet de obsonij mna *me participem fieri?*
AS. Si volebas participari, auferres dimidium domum.
Nam itidem hîc ut Acherunti ratio accepti scribitur.
Intrò accipimus: quando acceptum est, non potest ferri foras.
Bene vale. DI. resiste. AS. amitte, sine! DI. amitto intrò. AS. ad te quidem.
DI. Imò istòc ad vos. AS. imò *iri non potest. DI. nimium potest.*
Experiri sine. AS. opperire! vis est experirier.
Dicam adesse, nisi occupata est. DI. resiste, hem! AS. frustra fit. DI. redin',
An non? AS. redeam. sed vocat me, quæ in me plus potest. DI. queî potest?
Vno verbo! AS. eloquere. DI. Mittin' me intrò? AS. mendax es, abi!
Vnum ajebas, tria jam dixti verba, atque mendacia.
DI. Abiit! intrò hinc ivit. ego ut hæc mihi patiar fieri?
Iam hercle ego tibi, illecebra, ludos faciam clamore in viâ:
Quæ advorsum legem accepisti à plurimis pecuniam.
Iam hercle apud omnes magistratus faxo erit nomen tuum.
Post id, ego te manum injiciam quadrupli, venefica!
Suppostrix puerûm! ego edepol jam tua probra aperibo omnia.
Nihili me! perdidi omne quod fuit. fio impudens.
Nec mihi adest tantillum pensi jam, quos capiam calceos.
Sed quid ego hîc clamo? quid si me jubeat intromittier?
Conceptis, me non facturum, verbis jurem, si velit.
Nugæ sunt! SI STIMVLOS pugnis cædis, manibus plus dolet:
DE NIHILO illi est irasci, quæ te non flocci facit.
Sed quid hoc est? prò di immortalès, Calliclem video senem,
Meus qui affinis fuit, ancillas duas constrictas ducere,
Alteram tonstricem hujus, alteram ancillam suam.
Pertimui, postquam una cura cor meum movit modò.
Timeo, ne malefacta antiqua mea nunc inveniam omnia.

MEVM HERA] Omnes veteres mea hera. A MSS. Cam. *mea ero.* J. Guliel. emendabat, *Lepidè efficiam meum, hera, offic.* sequi enim, *tu tuum.*

V. 2. ISTVM EXINANI.] i. spolia. quod probant Palmer. etiam & Acid. Omnes edd. mei, *estun ex inani.* Argent. *æstum.* MSS. *estum exinani.* Quid si, *astum exinans?* notâ metaphorâ. Parilina nimium abit, *dum est tibi in manu.* unde Douza: *dum istum exinaniveris,* infrà act. 4: 4.

3. EI REI SECVNDES.] i. tempus ei rei accommodes. Edd. vett. omnes, *ei obsecundes.* MSS. *ei rei secundas.* J. Gul. l. *tempus ei rei obsecunda, Exprome &.* Acidal. *secundat.* quod visitur in utraque Pareana: cujus ultima etiam præfert *Exprome*, contra omnes libros.

4. AMANTI TVAM &c.] Scal. l. *Prome venustatem, amantiam, gaudia, copeis res.* Quod Lambinus amplectitur: nisi quòd is *copeis amores* legat, i. copiosos, *Amātia* autē, à parti-

cipio *amans*: ut *habentia*, ab *habens*: & apud Lucret. *repentia*, à *repens*. *retinentia*, à *retinens*.

4. COMPARES] MSS. *compereis*.

5. RESTITRIX] MS. Pall. pr. *restititricis*: unde Camerarius, dispessâ tantùm voce edidit; *hic restiti, tricis præsidebo*. secund. *restitricis*, ut ferè omn. edd. præter Merulæ primam, ac Brix. & traduces ejus, quæ, *restricis*. Lambinus l. *Ego interim hic restitrix residebo*. i. ego interim hîc resistens remanebo. Scal. l. *Ego interim hic rei triticeæ præsidebo*. Turneb. l. 11:21. l. *restitrix his præsidebo*. ut sit; hîc resistam & manebo custos. Klock, *Ego interim hic tetricis præsidebo*. quod planè alienum est. arripuit tamen Pareus, sed non sine grandi sphalmate, dum publicat, *tetricis* & interpretatur de viro; cùm tamen ancilla loquatur. quæ nota ejus, etiam hæret in editione ultima; ubi nostrum tamen textum sequitur, desumptum à Turnebo lib. 11. c. 21.

5. PRÆSIDEBO] *Præsidere*, custodiam notat, & quasi custodiæ præfecturam & præsidatum. Mostell. *Hîc ego tibi præsidebo &c.* Curt. l. 4. *Quod si perculsis Mazaus, qui præsidebat itineri, supervenisset, ingens clades accipi potuit*. Id. lib. 3. *naves, quæ Hellesponto præsiderent*. Acid.

6. EXAGOGAM] i. dum rem paternam domo ad te exportet: L.

7. LUDIN ISTOS?] Est in Pall. & in omnibus edd. *ludin istos*. Douza. *Perge, ut lubet, ludere istos*. Acidal. *ludi istoc*, i. istum ludum: quod occupat Pareanam pr. Taubmannus malebat, *ludon' istos?* ut dicerentur spectatoribus. Totum autem locum ita emaculare nititur Palmerius.

Prome venustatem, amantiam tuam; gaudiæ copies:
Ego interim hic restitricis præsidebo, iste, d. s. f.
Donum a. t. e. n. q. interim. i. a. u.
Qui, s. o. i. tu perge, ut lubet, ludistos.

Quod ad primum, inquit, verbum, id suspicabar etiam paulò post reponendum:

Nec mihi adest billum pensi jam, quo copiem calceos:

ita enim lego. *Copiari*, passivè usus est & Cælius: *Armis & magno commeatu copiantur*. *Hillum*, pro, *bilum*. Et lepidè Cicero ac Cælius litteris unis atque alteris ludunt de Hirro, balbos esse se, & *Hillum* dicere, quem *Hir-*

A *rum* velint. Contemptim enim appellant, qui minimi pretii sit. Sed ne quid dissimulem, scripturam illam:

Prome venustatem, amantiam, gaudia, copes amores;

non damno, & meam sententiam libenter Scaligero condonaverim. Sequente deinde versu, *restricæ* sunt in aucupio funes, quorum ministerio potissimùm aves irretiuntur. Festivissimè ergò ait, *restricis præsidere se velle*: & unà interim operam daturam, ne quis interveniat, quem abesse velint: ut item in aucupiis cavent ii, qui restricis præsident, ne quid animalium admittant, quod turbas det, & illicium comedat. De lenoniâ quidem arte, ut de aucupio, libenter Poetæ loquuntur: & lena quidem illa Asin. act. 1:3. disertè:

Non tu scis? hic noster quæstus aucupii simillimust &c.

Ovidius quoque hâc de re inquit,

Incidit in casses præda petita meos.

Sed ne quid plus, minus dicam, cùm scriptos libros in consilium adhibeo, & mentem Plauti conjecto bariolus, veriùs videtur:

Ego interim hic restitrix tricis præsidebo.

Sunt enim, ut ait Marcellus, *tricæ* remorationes: & *tricari* idem quod morari. Itaque
B *mala nomina* & qui solvendo ægrè sunt, tricantur: quos *tricones numarios* Lucillius vocat. Sic ergò se ait Astaphium, dum hera intus rem suam amat, foris velle restitricem præsidere tricis, hoc est, quod continuò dicit, moraturam eum, qui odiosus interveniat. Quid si etiam *tricas* appellet tricones ipsos & inanes amatores, qui ferant docta dicta pro datis, & *dare lenti non sint*, ut ait Lucillius: ut alii, *lenti sint*. His ergò præsidere se dicit, sed restitricem. Lambinus *ἀδὶν ὤγυς*. Enim, *rei triticeæ*, legi omnino non debet. Hanc enim provinciam heræ mandat: sibi alias partes sumit, ipseque adeò exitus eam conjecturam refutat, quæ nulli bono fuerit, nisi quod moras Dinarcho injiceret. Ad extremum id dico tamen, simplicius esse, priori illi de restricis conjectura acquiescere. *Pergere ludos*, postremo versu eleganter dixit: & tamen usitatissimè. Nam *pergere iter, culpam, librum*, hæc talia, pro, in itinere, in libro perficiendo, in culpâ pergere, apud plerosque omnes antiquos reperitur. Atque id è medio nunc excessit: quî minus

minus, quàm alia sexcenta? nam vetusta abierunt, sic demum, si etiam venusta. Quod autem de hoc loco semper existimavi, dicam: scribendum videri; *tu perge, ut lubet lud' istos*, aut *ludistos*. Modus sanè carminis non postulat aliter: cui numeros restituere hinc à me non sentienti difficilè sit. sed & occasio mendi ex eo apparet, quòd per libros vulgatur, *ludi isto*, aut *ludin istos*. Neque sanè illa leviora sunt, quæ à Cicerone referuntur in De Oratore, *vasargenteis, passicrinibus, tectisfractis, omnimodis*. Hæc Palmerius.

8. QVI PERIT.] Ineptissimè Lambinus explicat, aut potiùs implicat. Sensus planus est: Dic mihi quis ille est, quem apud Phron. esse dicis? Quis est, qui perit? nam, ut tu quidem nunc verba facis, perditus est. *Pist.*

9. NAM NISI QVID] ita MSS. Cam. à quibus proximè abeunt vet. edd. *nam nisi quin n. usust*. Paris. & Parm. *nisi qui n. usust*. illud, *usui*, nusquam est, nisi in nuperis.

11. NAM QVID EST? AS. NON MV. SED &c.] ita J. Gulielmius. Sensum, inquit ille, non inelegantem elicio mutatione non magnâ:

DI. Nam quid est? num meà refert? AST. non mu. set
Intùs b.

Cùm ancilla operam Dinarchi posceret ad audiendum; ille sperans de se illi aliquid mandatum, & fortè ab amica exspectari adventum suum? Quid, inquit, rei est? an aliquid ad me pertinet? Rejiciens tam stultam urbanitatem puella; Nihil ad te, ait: sed hera mea quos lucri bolos nacta est! *Non mu*, nihilum. Lucillius libr. Satirarum 11.

Non laudare hominem quemquam: neque mu facere unquam.

Hæc ille. Sanè à MSS. & edd. vet. minimum abiens, in quis, *non musset. non mus sed. nobus sed.*

Palmerius denique totum hunc locum ita legit:

——nam si qui haud
Nobis usui est, nobis molestust. DI. obsecro da mihi operam, ut
Narrem, quæ volo. AST. nam quid id meà refert, num musses?
Sed intùs bolos quos dat! DI. quid? amator novus quispiam?

Illa verba, inquit; *nam quid meà refert? num musses?* Astaphio dedi: ne alius esset heic Dinarchus, quàm totâ reliquâ Fabulâ: qui quidem se curiosissimum audiendi, si quid intùs ageretur, ostendit: & Astaphium ut eadem esset. Neq; n. nunc primū fastidiosè & fastosè hominem rejicit, & contemptum habet. Illud, *intùs bolos quos dat!* cum admiratione proferendum, tanquam dicat, maximos. Sed si prodeuntem domo ancillam quærere putabis ex argumento Fabulæ; cui narret, quid intus geratur, quod, ut rem ipsam dicam, cum ratione magnâ est, ne præter institutum Comicum exeat, nisi quæ narratura veniat; sic reposuerim, sub Astaphii personâ:

——obsecro da mihi operam, ut
Narrem quæ volo. DI. nam quid id meà refert, num musses?
AST. Intus bolos quos dat?

Fuge credere, quæ hoc loco Turnebus, (libr. 11. cap. 21.) ne ipsi quidem autori, sat scio, probata. nam quos nobis cudit nummos & obolos, ærati sunt. quod quidem invitus de tanto viro scribo. Hactenus Palmerius. At J. Douza:

——nam quid est? num meà refert? AST. nummos, est
Intus, & bolos qui dat.

13. ADORTA] Ita MSS. & omn. ed. aptissimè etiam, pro adfectu rapacis fœminæ. Imprudenter igitur Lamb. & Pareus *adepta est* supponunt.

14. SED TV T.] MSS. & ed. vet. *Sed diu t.*

15. SOLVS SVMMAM] V. N. Menæch. act. 2. 3. MS. pr. *summa.*

15. FVNDVS] P. Nannius Miscel lib. 1. 15. *Fundus*, inquit, hîc pro fructuosissimis prædiis capitur. Et optimè convenit cum Varronis interpretatione, qui *fundum* inde dictū asserit; quòd fundat quotannis plurima.

16. P. H. EGO IDEM.] Ita MSS. Cam. & J. Gulielmii, & omn. editi. Hic tamen refingebat: *Perii h. ego quidem.*

17. STVLTVS] Refinxit hos tres versus Gruterus ad exemplar Pal. pr. suntque planè, numero valde rotundo, trochaici.

18. THETIS QVOQ.] Thetis filium suum Achillem

——lamentis gemituque & fœmineo ululatu,

ut Poeta loquitur, deflevit: & tamen suis illis lacrimis, quod factum erat, infectum reddere non potuit. Et sic quidem hunc locum accipiendum esse, evidenter in libro De Anima cap. 50. docet Tertullianus: *Fuit & Judaea lacus ante CHRISTUM. Plane stygias paludes Poeta tradit mortem diluentes. Sed & Thetis filium planxit.* De lessu vide J. Kirchman. De Fun. Rom. Athenaeus lib. 14. auctor est, ἰάλεμον, i. *lessum* sic ἐν πένθεσι cani solitum, ὡς ὑμέναιον ἐν γάμοις. Aliquid notat & Raevard. ad LL. XII. tabb. cap. 15. item Lips. Epist. quaest. 4. 12. de vett. scriptura; *losum*, & *lausum*, denique Gutherius cap. 14. lib. 1. de Manium jure. Mercerus tamen ad Nonii *Silicernium*, monet illud *lessum* aut *lausum* nullo modo heic quadrare; & fuisse potius *pansam*. ut velit tandem etiam Thetidem destitisse lugere filium. Imitatus a. illud Hom. Iliad. Ω. v. 602. καὶ γάρ τ' ἠΰκομος Νιόβη μνήσατο σίτου Τῇπερ δώδεκα παῖδες, &c. & mox. Ἡ δ' ἄρα σίτου μνήσατ' ἐπεὶ κάμε δακρυχέουσα, quis non amplexetur?

23. ARGUMENTARI] i. Ed. vett. omnes *commentari*, quod unice probat Pistoris. Lamb. & Cam. l. *argumentari*. MS. pr. *argentarilliceam ni*. sec. *argentari illic cam ni*.

23. NI OBLITUS] ita MSS. & omn. editi. *Ni* pro *ne*: Meursius. Sed Pist. mâlit, *ne oblitus siem*, i. ne obliviscar. Acid. sincerum putat: *ne oblitus siem Quod didici*. Commentari secum vult, ne, quae didicerit, obliviscatur: aut, anne sit oblitus: ita, *ne oblitus*, pro *oblitusne*.

24. QUOD DEDI] MSS. Cam. *Qui dedit*.

25. DI. QUID? AST. R.] Ita Turneb. lib. 11. 12. nec aliter MSS. Cam.

28. BENE SUMUS] V. N. Menaech. act. 3. 2.

28. MEI] ita MSS. at Douza, *mea*.

34. DE OBSONII MNA ME PART.] Illud *mna*, pro *mina* est à conjectura Grut: qui putabat id potius excidere potuisse quàm aliud quidvis. Sanè edd. vett. *da obsonij me part*. etiam Pall. *do obsoni me par*. Cameraria̧na, *de obsonio saltem me part*.

36. UT ACHERONTI] ut Orcus nunquam quicquam eorum, quae accepit, *rescribit*, i. renumerat seu reddit: sic neque meretrix. Vide Adag. Eras. *Itidem aut Acheronti* &c. Sic autem restituit Rittersh. è MSS. Cam. *Item*, pro similiter. Pl. Men. act. 5. 7. *Scilicet item tibi ut mihi d. reddebo*: sic enim è MSS. ibi legit Schop. In MSS. quidem legitur: pr. *Nam idem ut Ageonti*, sec. *Nam idem ut Acheronti hic*, quomodo & vett. edd.

38. AMITTO INTRO] Douza l. *mittin' intro?* quomodo infra, *mittin' me intro?* & hoc in textum recepit Pareus.

39. IRI NON POT.] Sic Gruterus, trajecta tantum voce *imò*, quae turbabat versum sequentem, & istum egregiè complet. Scita & versuta Astaphium negat introiri ad heram suam posse Dinarchum. At ego experiar potius, ait, & posse me arbitror. immò tu opperire potius, respondet illa. nam si experiare, vim facies. ego potius intus visam, & si illi otium est, ad te renunciabo. Euntem resistere adolescens jubet; illa frustrà eum esse, ait; & simul, ne inhumanior videatur, herili imperio se vocari domum ait. *Vis est experiri*, facetissimè dictum est. nam *experiundi* verbum de vi propriè dicitur, sive ea civilis sit judicii, sive militaris armorum Bacch. *an ego tecum experiar vi majore?* Ter. Eun. *Omnia priùs experiri sapientem quàm armis decet*. Palmerius:

AST. iri non potestur. DI. nimium potest.
Experiar sine. AST. imo operire. Vis est experior.

Illud, *Vis est*, proverbialiter efferebant. Vide N. Capt. act. 3. 5. Terent. Adel. *Non omittis? AS. non, Nisi exorem. M. Vis haec quidem est*. Itaque *experiri*, inquit, & me invitâ intrò te conjicere, priusquam commodum sit nec ne herae meae scias, haec vis fuerit. Deinde ludit in vocabulo, *experiri*, quod de certamine & pugnis ferè usurpatur: ut, *experiri cum aliquo*, sit, virium periculum facere. Verbum *potestur*, ubique vetustatis legitur. Haec Palm.

40. VIS EST] ita & MSS. Cam. Sed iidem, versu praecedenti, leg. *nimium pati*. Edd. tamen omn. *imò potest*. Ego τὸ *nimium* retinui: caetera Gulielmium & vett. edd. secutus.

41. NISI OCCUPATA EST] Expressi quod erat in edd. vett. nam Pall. mirè mendosi. nam pr. *ubi occupata'st resistat ex ex frustra sit*.

st. Redin an non redin si vocat. neq; aliter sec. nisi quod is, *resistat,* & *frustra*, unde apparet illud *ex ex* esse potius *ey ey* idundumq; ancillæ. Camerarius edidit: *Dicam adesse. DI. ubi est? AS. occupata est. DI. resiste. AS. abeo. frustra es. DI. redin An non redis? AS. sed vocat* &c. Pareus jactat se ita locum restituisse, *nisi occupata est. DI. resiste. AS. ob! exi, exi! frustra sit. DI. redin.* quid ineptius? quin propius accedamus rescribendo: *Dicam adesse. abi! occupata est. DI. resta! AS. ey! ey! frustra es. DI. redin An non? AS. redeam* &c. *ey ey*, interjectio est, quiritantis, qui aliquid à se amoliri non potest, quod alioqui molestum est.

42. QVEI POTEST, &c.] Lamb. *quæ in me plus potest quàm potes. DI. Uno verbo eloquar: mittin'* &c. Etiam D. *eloquar.* quod & Pareus recepit in contextum. Ego malui ductum sequi MSS. & edd. veterum. Lambinum abstulit forma illa vetus non attenta: *quàm potest, ὡς δυνατόν.* Milite: *Quam potest, tua verba confer in compendium.*

44. TRIA D.] Sic Camerarius, proxime ad scripturam MSS. Meursius, In v. inquit, lib. est, *Unum ajebas, stridia dixti.* Recte *stridia*, pro *tria*, ex remotissimâ antiquitate. primò dicebant *stria*; ut *stritabus* pro *tritabus.* deinde *stridia*, ut *posteà, postideà: anteà, antideà* &c, vel possunt etiam *stridea verba* dicta videri, quasi *stridula* & *obstrepera*: quâ facie *cordolium*; *vinum crucium: agnus curio.* Tamen prior explicatio magis huic loco convenit. V. N. Cistell. 1. 1. Hæc ille. Goldastus malebat, *sterilia jam d. verba.* ut est in MSS. Sambuci. In MSS. Cam. est, *unũ alebas, stridia dixit.* illud etiam, *jam*, formatum a Cam. ab *ia.* & litera prima *stridia* vocis, adnectenda verbo antecedenti, *alebas*, h. e. *ajebas.* at quid usitatius quam *d* sumi pro *a*? itaque *trid* mutandum in *tria.* Deinde nihil frequentius nostris membranis, quam non exhibere literam *m*, ut hic in *jam.* Sic habemus *promisca*, Pseud. 4. 5. v. 11. *nequa*, Pseud. 4. 4. v. 12. *nusqua*, Pseud. 4. 7. v. 47. Porro quod affirmat Pareus, initio fuisse in Pal. secundo *stria jam dixi*; putidissima est vanitas. nulla secunda manus ei accessit, præfertq; omnib9 apicib9 *stridia dixit* solūmodo *d* in *stridia* expressū est atramēto uberiori. Quod restat versū suppleamus, si *atque* reformetur in *aque.* nam nimis fatuè Pareus notham voculam *sed* hîc interposuit numerorum caussa. imò ea ipsa metrum totum incestat!

44. ATQ. MENDACIA.] J. Gul. propter numeros l. *atque ea mend.* Douza malit, *eaque mend.* sed elegantius est, quod MSS. & editorum consensus probavit.

45. ABIIT: INTRO] Palm. totum locum ita componit:

DI. quàm potest
Uno verbo. AST. eloquere. DI. mittis me intro?
AST. mendax es:
Unum ajebas, tria jam dixti verba, & mendacia.
DI. Abiit: intrò inruit.

In illis, *quàm potest uno verbo*, ut plenum sit, intelligendum est, *dicam*, vel, *audi me.* nisi continuandum, *quàm potest uno verbo eloquere, mittis me intrò?* tumque Jocus & sententia omnis in distinctione. Dixerat Dinarchus: *verbo uno eloquere, mittis me intrò?* respondet illa tanquam dixisset, *uno verbo, eloquere, mittis me intro?* Itaque duobus, inquit nominibus mendax es: unum verbum promiseras, dixisti tria: tum iis ipsis tribus mentitus es: neque enim intrò te mitto. At non se Dinarchus verbo uno dicturum spem fecerat: neque se mitti intrò dixerat: sed illam verbo uno eloqui jusserat; mittere ne se intrò, an non. Quare scribendum est. *mittis?* non, *mittin*? ne sententia tota obruatur. In distinctione tamen menti Dinarchi serviendum est, ut semper in ambiguis, quæque ancipitem cogitationem audienti relinquunt. Ut enim dicuntur, scribenda sunt: non, ut audiuntur. Nam hoc quidem modo verba omnia ambigua sunt, quomodo Chrysippus dicebat. Sed tamen, ut antè posui, ita meum esse volo: ut, *eloquere*, dicat Astaphium, sensu plano. Hactenus Palm. cujus ultimum *inruit*, Pareus etiam in textum recepit, quod esset in Pal. sec. *induit.* sed perperam. natum enim est ab *incluit*, quod visitur in Pal. pr. quod benè mutavit Camerarius in *hinc ibit.* tertio namque fere verbo liber ille ponit *l* loco *i.* Quod attinet ad versum; suppleas repetitione vocis. *Abiit? abiit! intrò hinc* &c.

46. ILLECEBRA] ita MSS. sed Lamb. l. *elecebra*, ut supra, act. 1. 2.

46. LVDOS

46. LUDOS E CLAMORE] i. *pipulo te differam ante ades.* V. N. Aul. 3. 2. Persâ, 4. 4.

49. QUADRUPLI] MSS. Cam. & edd. *quadrupus*: alii, *quadrupes.*

51. FIO IMPUDENS.] qui reposcam quod dedi. L. D. Versui medelatur Grut. repetito: *quod fuit, quod non fuit, fio imp.*

52. QUOS CAPIAM] Palmerius:

Nec mihi adest billum pensi jam, quo copiem calceos.

Vide Spicileg. pag. 91. & suprà. Isacius Casaubonus Com. in Theophr. Charact. hunc versum ita legit: *Nec mihi adest tantillum pensi jam* &c. Non rusticitatis tantùm, sed etiam impudentiæ nota erat, calceis inconcinnius uti. Vide Agell. libr. 13. cap. 20. Jam, qubus malè laxus calceus hærebat in pede, dici soliti sunt νεῖν ἐν ταῖς ἐμβάσι, i. *natare in soccis.* Ovid. Amoribus:

Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Sidonius:

Laxo pes natet altus in cothurno.

Div. Hieronym. *si pes laxa pelle non folleat.* Sanè & Gruterus è MSS. Pall. conjecerat, *Nec m. adest tantillum &c.* ii enim: *Nec mihi adest ad illum pensi*: quomodo & edd. vett. Tamen Acidal. negat istud Casauboni de calceis hîc convenire: legitque,

Nec mihi adeo est billum pensi, quos calces ciam.

Quæritur se ad incitas redactum: quòd omnia profuderit. V. N. Trin. act. 2. 4. *Hillum pensi*, est nihil pensi. *Hillum*, res nihili.

54. SI VELIT] sc. me intromitti. D.

56. DE NIHILLI] ita Palmer. & Douza. nam Pall. *De nihilo nihil est ir.* ut & edd. vett.

57. PRO DII IMMORT.] Hunc locum perturbatum ita magno consensu restituêre Gruterus, Casaubonus, & Acidalius: & primus quidem in Libr. Suspicion. ubi etiam de *Tonsoribus* scitu digna annotavit, (V. N. Aul. act. 2. 4.) atque inter illa; quemque ex ditioribus inter servos tonsorem ferè habuisse: testem laudans Val. Max. libr. 3. c. 2. & hos versûs, & illos infrà, act. 4. 4. *Nam mihi dividia est, tonstricem meam sic mulcatam.*

58. FUIT] Vox ea quidem non visitur in MSS. Pall. sed agnoscunt ed. primæ.

60. PERTIMUI] ita MSS. & vett. edd. Palm. l. *Pertimui: plus quàm una cura cor meum movit modò.* Non una, inquit, cura nunc me angit: multæ sunt.

61. TIMEO, NE M.] Sic Cam. MS. sec & plerique vet. editi:

Timeo ne me malefacta antiqua mea sine inveniam omnia.

Pal. pr. *invenia omnia.* Parisinus & Argent.

Nec mea mal. antiqua nunc senex inveniat omnia.

Ex illis Acidalius faciebat:

Timeo, ne malefacta antiqua mea sint inventa omnia.

qui & vers. sequentis Scenæ ultimum, *Na illa stimulum* &c. ante hunc collocandum censet: ut qui hîc proprius sit, ibi planè alienus: & applicat huc illud Trin. *Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus.* Mi amice, calidum hoc nimis est: amburit guttur. Et tamen, quod mireris, planè interbibere *Pareus* sustinuit. cumque pudere eum deberet hujus facinoris, ac taciturnitate fateri quasi culpā; impudenter nimis in Lexico suo hanc scripturam jactat pro *verissima.* At quæ hæc est impudentia? ut *verissimum* sit, quod in nullo extat exemplari, scripto editove? unde id tu nosti? Phy! phy! talis scurrilitas publicè virgis expianda erat. Si enim cuilibet magistello triviali licitum deinde, exturbare receptam ab omni ævo lectionem, substitutâ qualicunque cujuscunque conjecturâ; intra annos decem nullum agnoscemus auctorem classicum præ interpolaturâ verè cacatâ. Quin ipsemet Acidalius, de versus hujus sui traductione, ita scripsit: Hæc conjectura sanè verisimilis, si quod habet jus à judiciis tamen impetrare debet eruditiorum; non à mea testimonii dictione statim obtinere. Quàm modestè! at ecce Pareus nullo mortalium consulto, illicò corrumpit publicum quasi Prætoris album, admissa tam audaci, ut & Acidalius suo quoque ore fatetur, trajectione. neq; eo contentus subjicit: Non placet illa Taubmanno? Quid tum? At placet Pareo. Nimirū tantus sibi erit Pareus, quantus Taubmanus sibi οὐδεὶς ὁμοιάζει. Tantò pejus, Paree: eoque ipso prodis, ignorare te morbi tui gravitatem. in suprema inscitia insolentissimè tibi places.

ACTUS

ACTUS IV. SCENA III.

CALLICLES senex. ANCILLÆ duo. DINARCHUS adolescens.

EGONE tibi maledicam, aut tibi adeò malè velim? ut animus meu'st,
Propemodum expertæ estis, quàm ego sim mitis tranquillusque homo.
Rogitavi ego vos verberantes & pendentes simul:
Commemini, quo quicque pacto sitis confessæ: scio.
Hic nunc volo scire eodem pacto, sine malo fateamini.
Quanquam vos colubrino ingenio ambæ estis; edico prius,
Ne duplices habeatis linguas; ne ego bilingues vos necem:
Nisi si ad tintinnaculos vos voltis educi viros.
AN. Vis subegit verum fateri; ita lora lædunt brachia.
CA. At, si verum mihi eritis fassæ, vinclis exsolvemini.
DI. Etiam nunc, quid sit negotij, falsus incertusque sum:
Nisi quia timeo tamen. AN. ego nec quid peccavi scio.
CA Omnium *primum diversæ state. hem sic! istuc volo.*
Néve inter vos significetis, ego ero paries. loquere tu.
AN. Quid loquar? CA. quid puero factum est, mea quem peperit filia,
Meo nepoti? capita rerum mihi *expedite. AN. istæ dedi.*
CA. Jam tace! accepistin' puerum tu ab hâc? AN. accepi. CA. tace!
Nihil moror præterea. satis est fassa. AN. inficias non eo.
CA. Jam livorem túte scapulis istoc concinnas tuis.
Conveniunt adhuc utriusque verba. DI. væ misero mihi!
Mea nunc facinora aperiuntur, clàm quæ speravi fore.
CA. Loquere tu! qui dare te huic puerum jussit? AN. hera major mea.
CA. Quid tu? cur eum accepisti? AN. hera rogavit me minor,
Puer ut afferretur, eáque ut celarentur omnia.
CA. Loquere tu! quid eo fecisti puero? AN. ad meam heram detuli.
CA. Quid eo puero tua hera fecit? AN. heræ meæ extemplò dedit.
CA. Cui malùm, heræ? AN. duæ sunt istæ. CA. cave tu, nisi quod te rogo, nisi
Ea quæ exquiro. AN. mater dono filiæ dedit suæ.
CA. Plus quàm dudum loquere. AN. plus tu rogitas. CA. responde ocius!
Quid illa, cui donatus est? AN. supposivit. CA. cui? AN. sibi
Pro filiolo. CA. pro filiolo? Dij obsecro vostram fidem!
Ut facilius alia, quàm illa unde est, puerum alienum parit?
Hæc labore alieno puerum peperit sine doloribus.
Puer quidem beatus! matres duas habet, & avias duas:
Jam metuo, patres quot fuerint. vide sis facinus muliebre!

AN.Magis pol hæc malitia pertinet ad viros, quàm ad mulieres.
Vir illam, non mulier prægnâtem fecit. CA.& idem ego istuc scio.
„ *Tu bona ei custos fuisti. AN.PLUS potest, qui plus valet.*
Vir erat, plus valebat, vicit: quod petebat, abstulit.
CA.Et tibi quidem herclè idem attulit magnum malum.
AN.De istoc ipsa, etsi tu taceas, reâpse experta intellego.
CA.Nunquam te facere hodie quivi, ut is quis esset diceres.
AN.Tacui. at nunc non taceo; quando adest, necesse est indicem.
DI.Lapideus sum, commovere me miser non audeo.
Res palam omnis est: meo illic nunc fiunt capiti comitia.
Meum illuc facimus, mea stultitia est. timeo quàm mox nominer.
CA.Loquere, filiam meam quis integram stupraverit?
AN.Video ego te, propter mala facta qui es patronus parieti.
DI.Neque vivus neque mortuus sum: neque quid nunc faciam scio.
Neque ut hinc abeam, neque ut hunc adeam scio: timore torpeo.
CA.Dicin' an non? AN.Dinarchus, cui illam prius despondendus.
CA.Ubi is homo est, quem dicis? DI. assum Callicles! per tua obsecro
Genua, ut tu istuc insipienter factum sapienter feras,
Mihique ignoscas, quod animi impos vini vitio fecerim.
CA.Non places. in mutum culpam confers, quod nequit loqui.
Nam vinum, si fabulari posset, se defenderet.
NON VINUM hominibus *moderari, sed vino* homines *solent,*
Qui quidem probi sunt: verùm, qui improbus est; sive subbibit,
Sive adeò caret temeto, tamen ab ingenio improbust.
DI.Scio equidem, quæ nolo: multa mihi audienda obnoxia.
Ego tibi me obnoxium esse fateor, c[illegible]lpæ compotem.
AN.Callicles, vide quæso hom[illegible] ne facias injuriam.
Reus solutus caussam dicit. testes vinctos attines.
CA.Solvite istas. agite, abite, tu domum, & tu autem domum:
Eloquere hæc heræ tuæ: puerum reddat, si quis eum petat.
Eamus, tu, in jus. DI. quid vis in jus me ire? tu es Prætor mihi.
Verùm te obsecro, ut tuam gnatam des mihi uxorem, Callicles.
CA.Eundem pol te judicasse quidem istam rem intellego:
Nam haud mansisti, dum ego darem illam: tute sumpsisti tibi:
Nunc habeas ut nactus! verùm hoc ego te multabo bolo:
Sex talenta magna à dote demam pro istâ inscitiâ.
DI.Bene agis mecum. CA.filium istinc tuum te melius't repetere.
Ceterùm uxorem, quàm primùm potes, abduce ex ædibus.
Ego adeò jam illi remittam nuncium affini meo:
Dicam, ut aliam conditionem filio invenias suo.
DI.At ego ab hac puerum reposcam, ne mox inficias eat.

Nihil est. nam ipsa hæc ultro, ut factum est, fecit omnem rem palàm.
Sed nimium pol opportunè ecce ab sese egreditur foras.
Næ ista stimulum longum habet, quæ usque illinc cor pungit meum!

VERBERABANTES ET PEND.] ita I. Langlæus, lib. 9. Otii semestris, cap. 2. Nam dictionem, *has*, abesse debere, multis rationibus probari ait. *Verberantes* autem hic passivè accipit: ut idem sit quod *vapulantes*, vel, *cùm verberaremini*. quàm lectionem probasse ait Jacobo Pigotio, qui in v.c. quodam ita legi asseverârit. Sanè in MS. sec. & edd. vett. est,

——*vos verberantis has pendentis simul.*

at Pal. pr. *has*. ut videatur corrigendum, *verberantes ambas pedentes simul*, vel versus, gratiâ, qui aliàs claudicat. J. Douza: *Rog ego vos verberibus pendentes s.* Lambinus: *vos verberans p.*

5. SINE MALO] Etiam Langl. observavit, *Malum* in Plauto & Cicer. frequenter plagas & dolorem significare. V. N. Prol. Amph.

6. COLVBR.] serpentino, astuto, & vafro.

8. TINTINNACVLOS] Turnebus libr. II. 21. *Tintinnaculi viri* sunt carnifices, qui tintinnabula habent, ad sumendum de aliquo supplicium. nam qui ad supplicium ducebantur, tintinnabola gerebant, teste Zonarâ. Posset & non ineptè sic eos quispiam appellatos existimare, propter crepitum plagarum sonitumque verberum. Idem lib. 23. II. Romani, inquit, cum supplicium sumebant de servis, tintinnabula ad plebem convocandam, ut reor, adhibebant: aut arcendam, ne contaminaretur. Plautus Ps. act. 1. 3. & Trucul. act. 4. 3. sic & ex crepitu plagarum vocavit, &c. Hæc ille. J. Langlæus, 16. c. 2. *Tintinnaculos*, inquit, appellat tortores seu lorarios, qui flagris vel loris bubulis sontes cædunt: ficto vocabulo à sonitu, quem verbera efficiunt, &c. Vide etiam Des. Heraldi Adversf. l. 2. c. 6.

10. VINCLIS] V. edd. *vincis exolve. CA. mihi.* Arg. & Sarr. *vinclas*, Pal. *vincus exsolve mihi.*

12. AN EGO NEC Q.] ita J. Langlæus IC, neque aliter MSS. aut edd. vett. sed numeri requirunt, *nec-dum.*

14. SIGNIFCETIS] nutu, aut nictu.

A 14. ERO PARIES] medius inter vos stabo. L.

15. PVERO FACTVM EST] Pall. ambo *puero datumst*. ut forte fuerit *puero d actum est*. sanè edd. vett. *puero actumst.*

16. MEO NEPOTI] pro, *nepoti*; L. D. Hic statim: *Quid eo puero tua hera fecit?* V. N. Mil. act. 4. 1.

16. ISTÆ D.] pro, *isti*, sc. tonstrici Phronesii.

19. JAM LIVOREM] fatendo verum, livorem scapulis tuis deles: L. Sed non placet Pistori expositio Lambini, ut quæ sit contra proprietatem verbi *concinnare*. & censet hoc eo respectu dici, quo vulnera, cum jam sanari incipiunt, livorem contrahunt; cum refricantur, non jam livere, sed cruentari. Imbibit tamen rescribere *levorem*. quâ voce utitur & Lucr. lib. 4. ——*levor levore creatur.* & Plinius in chartâ etiam *levorem* spectari ait. Ut dicat: ingenuâ istâ confessione efficis, ut scapulæ tuæ quæ jam plagis asperæ, &, ut alibi legitur, *ostreatæ* sunt, leves fiant: dum scilicet plagis novis non excitantur. Sanè
B Pistoris emendatio valdè mihi blanditur, præsertim cùm alludat etiam MS. pr. Cam. in quo legitur, *Jam luorem &c.* Pareus non videt cur Saxonico Editori magis blandiatur *levorem*, quam *livorem*. quid mirum? mente cæcus est, animo lividus. tales non discernunt nigrum ab albo, nedum istæc affinia. Vulgatum illud, *Livorem scapulis concinnas tuis*, exposuit ante sæculum P. Valla; efficis ut livor verberibus excitatus remedium inveniat & quasi sanescat.

23. MINOR] Phronesium. nam hera major est Phronesii mater: L.

25. MEAM HER.] majorem.

31. PRO FILIOLO! DII OBSECRO.] Ita benè Edd. vett. nam Pall. *pro filiolo toni, pro filiolo. Dei &c.* unde Pareus sic auxit editionem suam. *CA. Dono! pro filiolo! DI. Dei!* ut sequentia omnia loquatur Dinarchus, valdè absurdè. Callicli omnia erant relinquenda. sed & illud *Dono* ridiculum est, vitiatque versum. Apage talem restitutorem! apage.

38. PLVS POTEST] Vetus Poeta,

Qui potes plus urget: pisces ut sæpè minutos
Magnu' comest: ut aves enecat accipiter.

Der sterckst steckt den schwächern inn Sack.

33. QVOD PETEBAT ABSTVLIT] Editio prima, *petebat adest uni.* quod & in Pal. sec. nam pr. Excerptaque Pal. *adstuni*, unde divinè Camer. *abstulit.* at Pareus gloriatur de loci restitutione, dum intulit textui, *adest uni*, quod merum pus præ Camerariano. venustissimè enim opponuntur *abstulit*, & *attulit*: cui rei attendit prudentissimi senis industria.

42. VT IS QVIS ESSET DICERES.] Sic egregiè iterum Cam. quod corrupit Pareana, dum publicat, *ut quis is; quis esset d.* quæ judicii scævitas!

44. NON AVDEO] *Audere* pro *velle*, item *posse*, novè dictum notat Acidal. nam in communi significatu capi hîc non posse, argumento esse illud, *Lapideus sum*: & quia Dianarchi præsentia jam sit præsentia. V. N. Menæch. 1. 2.

45. COMITIA] V. N. Pseud. act. 4. 7.

46. NOMINER] MS. Cam. pr. & omn. vet. *non miner*. at sec. *non minetur*. Pius *minare* exposuit, ante se agere: *ut miner* hîc sit, in carcerem agar, &c.

47. INTEGRAM] Catull. *integræ virgines.* Cæcilius: *Nomen* (vel ut aliis placet, *Hymen*) *virginis deintegravit.* Augustinus: *Obstetrix virginis cujusdam integritatem manu velut explorans perdidit, &c.* Parei editio pr. *strupaverit* nobis finxit, errore putidissimo.

48. VIDEO EGO T.] Eum video propè te. Alii sic: Video ego scil. qui stupravit filiam. deinde volunt esse ἀποστροφὴν ad Dinarchum: *te propter*, i. tuâ culpâ, Dinarche; subintell. vincta sum, & vapulavi: L.

48. PROPT. MALA FACTA QVI] Exhibui lectionem MSS. & edd. Acidal. è vestig. antiquæ lectionis divinationem fecit hujusmodi:

AN. Video ego te, propter malefacta quoius
patior onus parietis.

ut alludat ad illud Senis v. 14. *ego ero paries.* dicatque, videre se Dinarchum in propinquo, cujus ob malefacta sustineat onus hujus parietis, senis nimirum ita præmentis & urgentis indicium. & vero insulsum istud, pro cerebro Jovis, videas in Parei editione pr.

48. PATRONVS P.] qui videtur (sententiâ quidem bambini) parietem tutari, ne labatur: ita ei adhæret, latitans.

52. PER TVA TE OBS.] In genibus sedes Misericordiæ est; atque ea, qui suppliciter precabantur, amplecti solebant: Turn. libr. 11. 21. Livius libr. 8. & 25. Quintil. libr. 6. 1. Tacit. libr. 1. 5. 12. & vigesimo. Briss. libr. 8. de Formul. Gruterus ad Senecam, De brev. vitæ, c. 8. V. & N. Mil. 4. 6.

53. SAPIENTER] moderatè, σωφρόνως: L.

57. NON V. H. MOD.] MSS. & vet. vet. ed. omnes: *Non vinum moderari, sed vim solent &c.* posteriores, *sed vino solent.* Pareus Camerarianam nostram, vocat bellum quidem, sed vanum figmentum; interim mille modis ineptiorem lectionem intulit in contextum: *Nam vinum moderari, sed vim non solent.* & fatuis persuadere nititur, errore Scribæ pro *Nam* scriptum *Non.*

59. CARET TEMETO] Sic Asin. act. 4. 1. *vino viginti dies ut careat.* ubi notandum, τὸ *careat*, antiquo modo dictum videri posse, quo Ciceronem quoque libr. 4. de Rep. usum constat, unde hæc Nonius: *Ita magnam habet vim, disciplina verecundiæ: carent temeto omnes mulieres.* Sic, *carere culpa, noxiâ*, pro vacare atque expertem esse. Agellius libr. 13. cap. 20. *Prandium abstemium, in quo nihil vini potatur, caninum dicitur. quoniam canis vino caret.* Neque alienum illud Horatii Epod.

Quæque carent ventis & Solibus ossa Quirini.

item alterius, 2. Odâ 8.

——gelidaque divos Morte carentes.

Tertii hujus denique; Epod. 16. *Malis carere quæritis laboribus.* Vide Douzæ Cent. lib. 1. cap. 8. De *temeto*, V. N. Aul. act. 2. 6. Turnebus, *Carere temeto*, est vinum non bibere. Ita autem hunc locum restitui, planè ut est in vetustè editis: *sive subbibit*, (al. *subibit*) *sive adeo car.* vel, ut alii, *si adeò c.* ubi *si* pro *sive* positum, de quo V. N. Rud. 4. 7. Vox *aquam*, quæ in nuper editis est, nusquam ibi apparet. Et si adsit, sententia inanis fuerit:

Sive

Sive aquam bibit, sive caret temeto. Ecquid enim hæc sunt contraria? Dicere id quidem debet ac vult: Seu vinum, seu aquam bibit, *Vel*, seu bibit vinum, seu caret vino. quod etiam Acidalius observavit. Pius interpretatur: Sive temperatè vinum bibit, sive planè non bibit: tamen ab ingenitâ suâ sibi præposterâ naturâ malus est. Pareus hîc à se desciscit. fatetur se nondum extricare potuisse errorem ὄχλον, & interim tamen mutat textum, infertq; *qui improbus est, is quamvis bibit &c.* longissimè à scriptura MSS. in quibus, *est si quam sibibit.* unde Cam: *est, aquam si bibit.*

59. AB INGENIO] V.N.Merc. act.5:4. In MSS. est, *tamen ab ing. timidus est improbus.* quæ vox *timidus* nata à *temeto*, eq; margine tandem irrepsit in textum. Mercerus ad Nonii *Temulenta*, monet *est* non comparere in mss. rectè.

60. OBNOXIA] i. quibus obnoxius sum, & quæ meritò audiam: L. Palmerius legit, A *ob noxiam.* Neque negaverim, inquit, *obnoxia*, defendi posse, & ei rei multa verba fieri: sed alterum probabilius. Douza l. *obnoxie.* V.N. Sticho, act. 3: 2. MSS. & omn. vett. *obnoxia.*

61. C. COMPOTEM] i. affinem. L.

63. REUS SOLUTUS c.] Curtius lib.6. *Vincti hominis non supervacua solùm, sed etiam invisa defensio est, quæ judicem non docere videtur, sed arguere.* Vide Fr. Polleti for. Rom. lib. 4. c.6. *Vincti videntur prædamnati.*

B

63. TEST. VINCT. ATTINES] ita Lipsius Antiq. Lect.4: 2. præclarissimè. Nec abludunt MSS. in quibus, *ta estis victo sati ines.* item: *tam estis victo sati ines.*

73. ABDUCE] Camer. *abduces.* è MS. pr. suo, in quo, *abdu ex ad.* at sec. legit, *abduci ex.* quomodo & veteres ed. pleræque. Pius substituit, *abduce:* quod & placuit Douzæ, postulatq; metrum.

ACTUS IV. SCENA IV.

PHRONESIUM meretrix.
DINARCHUS adolescens.
ASTAPHIUM ancilla.

Blitea & lutea est meretrix, nisi quæ sapit in vino ad rem suam.
Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium.
Nam mihi dividia est, tonstricem meam sic mulcatam malè.
Ea dixit, eum Dinarchi puerum inventum filium.
DI. Ubi id audivit, quanquam penes est me ea omnis res & liberi.
PH. Video eccum, qui manstutorem me adoptavit bonis.
DI. Mulier, adsum: profectu'st. PH. quid agitur, voluptas mea?
DI. Non voluptas. aufer nugas. nihil ego nunc de istac re ago.
PH. Scio mecastor quid velis, & quid postules, & quid petas.
Me videre vis, & me te amare postulas: puerum petis.
DI. Di immortales, ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit.
PH. Scio equidem sponsam tibi esse, & filium ex sponsâ tuâ:
Et tibi uxorem ducendam jam esse: alibi jam animum tuum.
Ut me quasi pro derelictâ sis habiturus. sed tamen
„ *COGITATO, MUS pusillus quàm sit sapiens bestia,*
„ *Ætatem qui uni cubili nunquam committit suam.*
Quia si unum ostium obsideatur, aliud perfugium gerit.

DI. Otium ubi erit, de istis rebus tum amplius tecum loquar.
Nunc puerum redde. PH imô amabo ut hos dies aliquos sinas
Eum esse apud me. DI. minimè. PH. jam amabo. DI quid opu'st? PH. è re meâ (est.
Triduum hoc saltem, dum aliquò Miles circumducitur.
In eam rem, si quid habebo, tibi quoque etiam proderit.
Si auferes puerum, à Milite omnis tum mihi spes animam efflaverit.
DI. Factum cupio. nam re facere, si velim, non est locus.
Nunc puero utere, & procura. quia unde procures habes.
PH. Multum amabo te ob istam rem mecastor. ubi domi metues malum,
Fugito huc ad me: saltem amicus mihi esto manubiarius.
DI. Bene vale, Phronesium! PH. jam me tuum oculum non vocas?
DI. Id quoque interim furtim nomen commemorabitur.
PH. Nunquid vis? DI. fac valeas! operæ ubi mihi erit, ad te venero.
PH Ille quidem hinc abijt, abscessit: dicere hic quidvis licet.
„ *Verum est verbum, quod memoratur: VBI AMICI, ibidem opus.*
Propter hunc spes etiam se hodie tantum · · · · ri militem:
Quem ego ecastor mage amo quàm me, dum id, quod cupio, inde aufero.
Quæ, cùm multum abstulimus, haud multum apparet, quod datum est.
Ita sunt gloriæ meretricum. AS. aha, tace! PH. quid est, obsecro?
AS. Adest pueri. PH. sine eum ipsum adire huc! sine, si is est modò.
Sine eum ipsum adire, ut cupit, ad me hàc rectà. si venerit.
Næ istum ecastor hodie astutis confectum fallaciis.

BLITEA] Jos. Scal. Conject. ad illud Varr. *diobolares, à binis obolis,* notat: Dicebantur & βλιτάδες, in contemptum Βλιτάδες, inquiunt Grammatici, αἱ εὐτελεῖς γυναῖκες, i. *nugatoriæ mulieres,* ut vocat Festus. Plinius: *Blitum iners videtur, ac sine sapore aut acrimonia ulla. unde convicium fœminis apud Menandrum faciunt mariti.* Plautus Truc. *Lutea, blitea meretrix, &c.* Palmerius: *Alium & blitum* (fatuum frumentum) & alia talia, contumeliæ verba erant in meretrices, quæ sine lepôre viverent: quia vilissimus cibus messorum & remigum *alium. Blitum*, non magni item pretii, &c. ita Pœnulo vocat amatorem *plenum alii ulpici;* quem eundem, opinor, potuit *alium ulpicum.*

5. QVANQVAM P.] MSS. Pall. *Quanquam p. est mea omn.* At omnes ed. veteres, *Quanquam penes est me omn.* non, *mea.* Douza l. *Quam penes est m.* Palm. emendabat: *Ubi id audivi. quanquam penes est me ejus omnis res & liberi.* De uno filio dixit *liberos;* ut idem Cicero & alii, Terent. Andr. act. 5:3. Vide Agell. lib. 1. c. 13. Acidal. pertendit hunc versum Dinarchi esse, cujus res omnis apud Phron. erat: & post illum, *Di immortal.* ponendum, ita reliquos bono sensu coituros. Vide ipsum in suis Divinationibus, cap. 7. Et verò Pareus hanc transpositionem invexit editioni suæ pr. invitis omnibus libris. Is. Pontanus l. *Quanquam penes est me ea* (& hoc exhibui) *omnis res & liberi*, i. res quæ liberum sive puellum decernat. *Liberus* enim sive *liber* pro filio dici, præter Aur. Victorem, qui *liberum exitum*, & *liberi locum* extulit. accedit & Tullii auctoritas lib. 1. De Nat. deor. Sed de hoc videndu Scipio Gentilis JC. Origin. libro. At enim, cùm illa, *Ubi id audivit*, series narrationis respuat, Pistoris refingit: *DI. Lubid adire est, quam penes est? &c.* Cupiebat enim adire Phronesium &c. Grut. *Lubet adire eam, quam penes est mea omnis.* Porrò *liberi* de uno tantum noster etiam Aul. act. 4: 10. dixit: *meque meosque perditum ires liberos.* Unicam enim filiam habebat Euclio.

6. MANSTVTOREM MEO ADOPT.] ita MSS. Cam. ambo. at Edd. omnes vet. *qui meru*

isse-

tutorem me. Sed alterum & Turnebus propugnat: atque ut hiatus obstruatur, qui versum violaret, pro *me* scribit *med.* Ut *manceps* est, qui manu capit: ita *manstutor*, qui manu tuetur & tenet, quique possidet, *lib. 11: 21.* Sed cur non dixit, *manstutricem?* Respondet Lambinus: ut honorificentius esset & significantius. nam plus est mulieri partes viriles dare, quàm muliebres; & honorificentior appellatio virilis quàm muliebris. Etiam *Tonsorem* Gruterus, in Valer. Max. lib. 3. c. 2. capit tanquam de muliere dictum. At Meursius l. *qui manitutorem.* ut *manitutor* dictum sit, ut *manipretium.* Acidal. negat *manstutorem* Plautinam vocem esse, si vel aliquot Turnebi affirment: legendumq; pertendit,

Sed video eccum, qui suis tutorem me adoptavit bonis.

& τὸ *suis* in omnib. libr. vett. esse, ait. Immò, mi Acidali, tantùm in Parisinâ & hujus traducibus est, *suis*: in cæteris antiquioribus omnib. *meis.*

7. ADSVM] Palmer. l. —— *assum. PH. profestum est.* de quo V. N. Pœnulo, act. 1: 2.

7. PROFECTV'ST.] integrum, *profectus est.* Lambinus leg. *profectum est.* Q. d. profeci aliquid: non lusi operam. Lipsius l. *M. assum. PH. profectò is est. quid agitur? V.* Sed Acidalio illud ridiculum, hoc non sat bonum videtur: legendumque,

DI. Mulier, ad te sum profectus. PH. quid igitur, vol. mea.

Ille severus, Ego destinatò, inquit, ad te venio, mulier. at illa solitùm blanda, Quid igitur, mea voluptas, aut quâ caussâ venis? Acid. istud Pareus pulcrè recepit in contextum editionis suæ pr. at in secunda retinet *igitur*, nullo libro suadente. Sed quod dedi, omnium MSS. & edd. veterum.

10. VIS, ET ME TE AMARE POSTVLAS, P.] ita omnes edd. vett. itemque MSS. Pall.

13. ALIBI IAM AN.] Douza l. *atque ibi jam an.* scil. *esse.* quod in editionem suam recepit Pareus. Sed contra omn. MSS. & editos.

15. MVS PVSILL. &c.] Vide Eras. Chil. 5. Cent. 1. Adag. 4. Lactantius lib. De Irâ Dei, cap. 7. *Sunt animalia, quæ latibulis suis diversos & plures exitus pandant. ut si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis. quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia & cogitatio.* Sic de Echino scribit Aristot. Hist. Animal. 5. c. 6. & Basilius Orat. 9. in Hexaemeron, Eum in suâ cavernâ duo foramina facere, spectantia ad oppositas mundi plagas &c. Vide Rittersh. in Oppian.

17. QVIA SI VNVM OSTIVM] ita MS. pr. nisi quod pro *ostium* exaratum est *odium.* At MS. sec. & edd. vett. omnes, *Quasi unum obsideatur, aliunde p.*

17. PERFVG. GERIT.] Cod. Paris. *quærit.* Et notavit Pius, antiquam hanc esse lectionem. Sed tamen MSS. & omn. editi vet. quot vidi, *gerit.*

20. E RE MEA EST.] MSS. —— *opus jure mea.* Edd. vet. *DI. minimè. nam eo quid opus? PH. In re mea tr.*

23. IN REM MEAM] Acidalius quærebat, num posset rescribi variatis personis, iteratisq; vocibus duabus: *DI. In eam rem. PH. in eam: si quid.* nec mora, id pro oraculo immisit editioni suæ Pareus, libris omnibus invitis.

25. QVIA VNDE] MSS. & omn. edd. vet. consensu, *quando procures, habes.* Argent. & Sarracen. *quando quod proc.*

25. HABES] nempe ex iis quæ tibi largitus sum.

26. MET. MALVM] jurgia ab uxore. L.

27. MANVBIARIVS] Ita Lamb. & Turn. L. 11: 21. Esto mihi saltim amicus, si non ex animo, at fructuosus; at manubiarum & spoliorum collator. Alciatus legebat, *manubriarius*, & explicabat, facilem, promptum: quo quis ceu manubrio utitur. In MSS. Cam. est, *manubinarius*, quomodo etiam in edd. vett. omnibus.

29. FVTATIM] Ita MSS. Cam. & omnes universæ editiones quasi conjuratim. idque P. Valla interpretatus est, *profusim.* Lipsius lib. 5. cap. 11. Antiq. conjiciebat *furtim*, vel *furatim*; quod Pareus in editionem pr. recepit. ideo scilicet, quoniam ipsi magis arrideat simplicitas, quàm ista petulcitas verborum; uti loquitur in Lexico Plautino. Palmerius malebat *fututim*, tanquam sententia non postularet aliter. Et quidem apud Suetonium in Julio versum illum triumphalem.

Aurum

Aurum in Galliâ effutuisti, heic sumpsisti mutuum: per omnes libros propagarunt, mendosè: *Auro in Galliâ stuprum emisti.* Hanc eandem sententiam cùm de eodem redderet Catullus, *expatrare*, dixit: quod tantundem est atque *effutuere*: *Parum expatravit? an parum helluatus est?* *Interim*, hic notat Grutero interdum. Seneca Herc. OEteo v. 481. *Interim scelus est fides.* Quintil. Declam. 9. §30. *Interim specioso titulo bene vita pensatur.* Trajanus Imp. apud Plinium Epist. 27. *Prudenter constituis interim navibus, interim vehiculis uti, pro ut loca suaserint.*

29. COMMEMORABITUR.] MSS. *commemorabiter.* Edd. omn. vett. *commemoravi ter.*

30. FAC VALEAS!] ita Rittershusius, Meursius & Acid. In MSS. & edd. est, *facultas operæ ub.* de quo & J. Gulielmius, Offendit me genus sermonis, *facultas operæ ubi erit.* nam certè sufficit in hâc formulâ, *operæ ubi erit*: quomodo sæpè boni auctores: illo modo nescio an unquam emendabam igitur:

PH. Num quid vis? DI. valeas. operæ ubi mihi erit, &c.

abeuntium forma, *Num quid vis?* ei respondet, *Vale, Valeas, Rectè*; hujusmodi alia. suprà, act. 2: 4. Trinummo:

Num quid prius quàm abeo me rogaturus? M. Vale.

Ter. Eunucho: *Rogo, Num quid velit. Rectè, inquit, abeo.* Douza l. *salveas op.*

32. UBI AMICI, IBIDEM OPUS] ita MS. sec. Cam. & Pii, & P. Vallæ, & omnes uno consensu edd. veteres meæ. Etiam Lambinus leg. *Ubi amici, esse ibidem opus.* Et sic, inquit, habent nostri libri veteres: quibus cum vulgati consentiunt, sententiâ planâ & perspicuâ. Significat enim, ubi sunt amici, ibidem esse negotium & molestiam. Amicorum enim causâ nos interdum laborare necesse est; aut jus amicitiæ perdere, &c. Aliorum vulgatorum scripturam; *Ubi amici, ibidem sunt opes*, neque id quod sequitur, neque versum pati. Una Paris. ed. habet *opes.* idque de conjectura Bapt. Pii. Sanè apud Scythas, auctore Luciano, is habebatur ditissimus, qui certissimos amicos possideret. Vide Adag. Erasmi. Tale illud Ebræorum: *Melior est amicus in plateâ, quàm aurum in cista.* Vide Proverb. *Ben-Syræ*: & Comm. J. Drusii in eadem.

33. SPES ETIAM] Lamb. l. *Propter hunc* A *sæpe etiam se hodie excludi vidit militem.* nam propter hunc, inquit, sæpè Militem, etiam hodie, ejeci foràs. Hæc Lambinus; qui varias hujus versûs lectiones proponit; earumque; unam sic etiam interpolare quosdam ait: *Propter hunc spes cum suis donis interiit militi.* Dici autem, *spes interiit*, ut suprà, *spes animam efflaverit.* Æquè multas, aut plures etiam proponit conjecturas Palmerius Spicileg. fol. 98. è quibus hanc maximè probat: *Propter hunc spes etiam'st hodie exinaniri immilitem.* quam & in editionis suæ pr. cavum retulit Pareus. Vel: *Præter hàc spes e.* ut Sticho: *Præter hàc si me irritassis.* *Exinaniri*, de eâdem re suprâ quoque, act. 4: 2. *im*, pro, *eum, &c.* Meursius conjecit idem quod antea ex emaculatis codd. protulerat Pius: *Propter huncce spes etiam hodie jam interit in militem.* nisi quod is, *tam.* sensu pleno & plano. In MSS. Pall. est, *Pr. h. spes etiam se hodie tantum rim litem.* Pii & Mediolan. edd. *tantùm rim Militem.* Arg. *tantum vim.* Parei postrema oggerit nobis, *spes etiam'st hodie, datum iri Militem.* qui versus miserè claudicat. sic tamen adeo placuit parenti, ut exclamarit: Numquid, inquit, verius ex monstrosa le- B ctione MSS. fingi possit? Tibi quidem nihil: at ceteris sanè plurima: versuiq; faveat magis, *est hodie frustratum iri militem.*

34. QVEM EGO EC.] sc. Dinarchum. Alii, Militem: & interpretantur; magè amo, magis me amare simulo. L.

37. PUERI] scil. pater. L.

38. HAC RECTA. SI VENERIT] Hæc lectio B. Sarraceni est, atque in plures etiam edd. sparsa. quam & ego teneo, etsi non probo. Et bene in ed. Camerarii hic locus stigmatias est. MSS. Pall. ambo, *ad rectà, si tenent Neistum ec. h. hastis confectum f.* At edd. vetustiores, in quibus & Pii & Mediolan. adhærent MSStis ferè, *ad me hàc rectà si tenent.* fingitq; Pius, *ad me hàc rectam si tenet*, subintellige *viam.* Lamb. l. ——— *ad me; dimittam, si venerit.* Quod tamen violentum & sine omni ratione esse, Acid. ait: & hunc versum, ut vulgatur, relinquendum: in sequenti vero, pro *confectum*, scribendum *confexim*, i. confecerim: ut Pœnulo act. 1: 3. *effexis.* quod ipsum arripuit Parei prima.

39. ASTITIS] MSS. Pall. & omn. edd. *hastis*, aut *astis.* quod Sarracenus pro *astutis* accepit.

ACTVS

ACTUS V.

STRATOPHANES miles.
ASTAPHIUM ancilla.
PHRONESIUM meretrix.
STRABAX adolescens rusticus.

EO mihi amare! fero supplicium damnis ad amicam meam.
Vtut illud acceptum sit, priùs quod perdidi, hoc addam insuper.
Sed quid? video heram atque ancillam ante ædis. adeunda est hæc mihi.
Quid hîc vos agitis? PH. ne me appella. STRAT. nimium sævis! PH. sic sine!
Potin es ut mihi molestus ne sies? STRAT. quid, Astaphilitium, est?
AS. Meritò ecastor tibi succenset. PH. egon'? atque isti etiam parum
Malè volo. STRAT. ego, mea voluptas, si quid peccavi prius,
Supplicium ad te hanc minam fero auri. si mihi rides, espice.
PH. Manus vetat, priusquam penes sese habeat, quicquam credere.
Puero opu'st cibum: opus est matri autem quæ puerum lavit;
Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter,
Vt dies noctesque potet: opu'st igne, opus est carbonibus:
Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis:
Oleum opus est, farina puero opus est: opu'st totum diem.
Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet.
Non enim possunt militares pueri setanio educier.
STRAT. Respice ergò! accipe hoc, quî istuc efficias opus. PH. cedò!
Quanquam parum est. STRAT. addam minam adhuc istic postea. PH. pa-
STRAT. Tuo arbitratu, quod jubebis, id dabitur. da nunc savium. (rum est.
PH. Mitte me, inquam, odiosus. STRAT. nihil fit: non amor. teritur dies.
Plus decem pondo amoris pauxillisper perdidi.
PH. Accipe hoc, atque auferto intrò. STRAB. ubi mea amica est gentium?
Neque ruri, neque hîc operis quicquam facto: corrumpor situ;
Ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui.
Sed eccam video. heus amica mi! quid agis? STRAT. quis illic homo?
PH. Quem ego mecastor magis amo, quàm te. STRAT. quàm me? quomodo?
PH. Hoc modo, ut molestus ne sies. STRAT. jam abis, postquam aurum habes?
PH. Condidi intrò, quod dedisti. STRAB. ades amica! te alloquor.
PH. At ego ad te ibam. STRAB. ad me, deliciæ? PH. hercle verò seriò.
STRAB. Quanquam ego tibi videor stultus, gaudere aliquî me volo.
Nam quanquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliquî gaudeo.
PH. Vin' te amplectar, & savium dem? STRAB. quidvis face, gaudeam.
STRAT. Meósne ante oculos ego illam patiar alios amplexarier?
Mortuum hercle me duco satius. abstine hoc, mulier, manum!
Nisi si te meâ manubiâ macherâ & hunc vis emori.

PH. Nihil φλυαρεῖν *satius est, miles. si te amari postulas,*
Auro, haud ferro deterrere potes, ne amet, Stratophanes.
STRAT. Qui (malum!) bella aut faceta es, quæ ames hominem istimodi?
PH. Venitne in mentem tibi, quod verbum in caveâ dixit histrio:
„ *OMNES HOMINES ad suum quæstum callent & fastidiunt.*
STRAT. Hunccine hominem te amplexari, tam horridum atque squalidum?
PH. Quanquam hic horridu'st, quanquam hic squalidu'st; scitus bellum init.
STRAT. Dedin' ego aurum? PH. mihi? dedisti filio cibaria.
STRAB. Nunc, si hanc tecum esse speras, alia opu'st auri minâ.
STRAT. Malam rem his & magnam! STRAB. magno opere serva tibi viati-cum.
Quid ista debet, nisi tria? STRAT. quæ tria nam? STRAB. unguenta, no-ctem, savium.
PH. Par pari respondet, verùm nunc saltem si amas, mihi
Da tu de tuis deliciis, summis quid pauxillulum.
STRAT. Quid? id ai, amabo! est quod dem. dic-dum! si superet, feres.
PH. Campas dicis: abi, abi! consultavi istuc. STRAT. mihi homo
Cave faxis volnus, tibi jam cui sunt dentes ferrei.
Vulgò ad se omnes intromittit: abstine istàc tu manum.
STRAB. Iam hercle. jam magno tu vapula vir strenuus.
STRAT. Dedi ego huic aurum. STRAB. at ego argentum. STRAT. at ego pallam & purpuram.
STRAB. At ego oves, & lanam: & alia multa, quæ poscet, dabo.
Melius te minis certare mecum quàm minaciis.
PH. Lepidus ecastor mortalis! Strabax mi, perge obsecro.
„ *STVLTVS atque insanus damnis certant: nos salvæ sumus.*
STRAT. Age prior, tiro, da aliquid. STRAB. imò tu prior perde, & peri.
STRAT. Hem tibi talentum argenti! Philippicum est, tene tibi.
PH. Tanto melior! noster esto; sed de vestro vivito.
STRAT. Ubi est, quod tu das? solve zonas. PH. provocatur. STRAT. quid times?
STRAB. Tu peregrinus es: hic habito: timeo meos. non ego ambulo.
Pecua ad hanc ego in crumina obligata defero.
STRAT. Quid dedi? ut distrinxi hominem! STRAB. imò ego verò, qui dedi.
PH. I nunc intrò, amabo, & tu ergo hàc mecum. STRAT. tu eris mecum qui-dem.
STRAB. Quid tu, quid ais? cum hoccine? STRAT. ego posterior dedi.
PH. Tu dedisti, hic *jam daturus est: istuc habeo, hoc expeto.*
Verùm utrique mos geretur amborum ex sententiâ.
STRAT. Fiat! ut rem gnatam video, hoc accipiundum est, quod datur.
STRAB. Meum quidem te lectum certè occupare non sinam:
PH. Lepidè mecastor aucupavi, atque ex meâ sententiâ:
Meámque ut rem bene gestam, vestram rursus bene geram.
Verùm *amabo, si quid amatu's facere, fac jam ut sciam.*
Veneris causâ applaudite: ejus hæc in tutelâ est Fabula,
Spectatores: bene valete, PLAVDITE, atque exsurgite.

EO

EO MIHI] Ita MSS. & vett. edd. constanter. at Lamb.l. *Meo mihi more fero.* Non est, inquit, mihi novum, quòd amicam placo damnis rei meæ familiaris. Lipsius Antiq. lib.4:16. ex Cod. Roveriano colligebat, *Eu mihi, amare! fero supplicium jam bis ad amicam.* quod rapuit in editionem pr. Pareus. At Palmerius: *Eu mihi à mare: fero sup. jam bis ad amicam. Amare, mare* est: & cavendum *amare*, tanquam *à mare*. Vide alia etiam fol.95. Spicileg. Consule & N. Mil. act. 4:7. Douza l. *fero supplicium damnas ad am.* Meurs. *Ego mihi amore fero.* Vel, *amare*, Græcismus est, valetque τῶ ἐρᾷν.

2. VTVT ILLVD] ita Gruterus: quod Pareus editionibus intulit, cùm tamen MSS. & Edd. non geminent *ut*. Lambinus: *Illud ut acc.*

6. PARVM] sc. præquàm quod meretur: D. In MSS. & plerisque ed. est, *PH. legon atque ne isti etiam p.* Parisina: *legon at qui alam omni isti et.* Pius: *PH. alazon? atque ne isti et.* ut & MS. Schobing. Paræana, dum nihil vult perire de MSS. edidit: *egon? atq. na isti &c.* sed cum versus præsentanea peste.

8. MIHI RIDES, ESPICE.] ita Palmerius Spicileg. fol.97. restituit, proximè divertens à MSS. Cam. in quis *si mihi ridespice.* Olim scribebant, *escendere, estare, espicere*, pro, ascendere, astare, aspicere. V.N. Cas. act.3:5. Trin.4:2. Muretus lib. 9. cap.13. Var. Lect. emendabat, *Supplicium ad te hanc minam fero purissimi auri. respice.* sed nimis longè abit à scripturâ omnium vet. codd. Lipsius Antiq.l.4:16. —— *sed me redespice*: antiquè *d* interpolito, pro *respice*: ut *antidhac, medecum.* Sanè paulò pòst Miles iterum ad illam aversam, *Respice ergò: accipe hoc.* Denique etiam Acidalius, Legendum, inquit, primùm hoc loco, *Poten' est*: pro, *estne pote*, seu, *potestne.* deinde non agnosco ellipticam orat. *atque isti etiam parum malè volo*: quæ supplenda sit, pro merito scil. ipsius. Legam: *PH. egone isti? atque etiam id parum: Malè volo.* Succensere dicebatur Militi Phronesium: at illa parum esse ait hoc dictum de irâ. nam se non succensere tantùm illi, sed ad id malè etiam velle. Illud etiam, *si mihi rides, spice*; putatur Turnebus egregiè restituisse. Et in hoc Lambinus vectatur, qui viderit *spece* rectius esse, quàm *spice*. Muretus hîc nihil minus quàm Muretus est. Sed enim quâ vi sententiæ est illud alterum probatum ab omnibus? *si mihi rides?* Mihi quidem non ridet, nec specitur. Aptius fuerit; *nisi mihi credis, spece.* Ferre se supplicium minam, auri dicebat Miles ad Meretricem aversam: quæ cùm haud etiam respiceret, addit; Si verbis meis non credis, ipsam rem vide. Tum illa non oculis se videre, sed oculatis manibus, respondet: si igitur credi sibi velit, dandum huc in manum innuit, quod se ferre dicat. Hæc Acidal. Sanè MS. Samb. & omn. edd. vett. *si mihi rides. PH. manus &c.* sine illo, *spice*, aut *spece*. Pareus semper sui similis est: nunquam idem probat. Editione prima jactabat, *nisi mihi credis, spece.* at ultima præfert: *si mihi rides, spice.* Et iste linguis Plautum nobis loquentem faciet eo ore quem Musæ approbent?

9. VETAT] Sic MSS. Pall. & Edd. omnes. at Pareana *votat* suum orbi inculcat.

10. OPVST CIBVM] Ita MSS. Cam. & omn. editi. Lamb. l. *cibus.*

10. MATRI AVT.] Scalig. in Ciri: *Nutrix* etiam mater, in Mercat. dicitur, & *obstetrix* etiam mater, in Trucul.

12. POTET] uti scil. lacte abundet.

12. OPV'STIONE] MSS. Cam. *opust icne.* Edd. pleræque, ut & MS. alter B. Schobingeri JC. Grotheno teste, *opus lignis*, aliæ, *opus istic non.* Et notat Pius, alicubi etiam legi, *opus, isicium.*

13. INCVNABVLIS] cunarum instrumentis & ornamentis: *Camer.* & *P. Valla.* V.N. Amph.5:1.

16. SETANIO] Hoc probo, quod ductui MSS. & rationi consentaneum. Nec tamen improbo *sitanium.* J. Pollux lib. 6. c.11. Οἱ δὲ σιτάνιοι ἄρτοι, οὐκ τῶν σιτανίων πυρῶν, ὅ εἰσιν οἱ πεπλασμένοι. Turneb. lib.11:21. l. *à viâ educier.* Canes enim, verbi gratiâ, non tantùm de domini culinâ, sed & à viâ pascuntur. Errantes enim quicquid reperiunt, vorant per vias: non item, inquit, pueri militares. Jan. Palmerius Spicileg. fol.62. l.

Non enim poscâ militares pueri de bamâ educier.

Vel; *Non enim possunt mil.* Vel, ut fol. 113.

Non enim posca militares pueri & alio educier.
Posca, nihili potus est, & servilis; ut *alium*, cibus. Verbo deficitur oratio: quod usitatum est. subintell. vel *possunt*, vel *debent*, vel *solent*. Poterat & *setania* legi. *Setania, cœpæ genus minima, sed sapidissima & dulcissima*; Plinius lib.19. cap.6. sed non censeo. Hæc ille. Muretus Var. Lect. l.9:13. Rectum, inquit, judico, *setania* (vel, *setanio*) *educier*. *Setanium* enim, aut, *setania*; aut, ut apud Dioscoridem & Theophrastum legitur, *sitanium* vel *sitania* genus mespili est in Italia frequens: cujus multis locis & apud Plinium metio est. Hoc igitur dicit meretrix: non posse militares pueros vilibus & parvi pretii cibis educari: cujusmodi est setania. Ac nescio quo modo durat hodieq; apud Italos idem loquendi genus in sermone vulgi: ut si multa ac magna requiri ad aliquid efficiendum significent, dicant; *Aliud requiri quàm mespila*. Est & cœpæ genus setania. Hæc ille. Lipsius lib.4:11. Antiq. è vestigiis scripturæ libri Vatic.l. *Prutanio exducier*. Quippe, inquit, Fabula hæc acta Athenis. in qua urbe cum πρυτανεῖον fuerit, in quo bene-meritis de Rep. victus daretur: nonne ἀλληγορ. videtur, meretricem istuc respexisse, & facetè Militi obtrusisse, non posse statim militares liberos publicitus in Prutanio ali? Quòd autem Turnebus leg. censuit, *a via educier*: monuerat sanè id jam ante eum Alciatus; nec tamen cuiquam, cui pectus sapit, probaverat. Hæc Lipsius. In MSS. Cam. est, *pueri et auio exducier*. In edd. vett. *etavio*. hinc Hermol. Barbarus fecit, *ethanio*. & colum interpretatus est ex Athenæo. Est etiam qui *ethno* legit, & genus fabæ ex Aristoph. esse ait. de quo vide G. Anselmi Epiphyllides.

17. EXEFFICIAS] perfectè efficias.

21. PAUXILLISPER] i. *per particulas*: ut Nonius citat, & Camer. retinuit: etsi numeri laborare videntur. MSS. Cam. *moris pausilliper*. Edd. vett. omnes,

Plus decem pondo amoris pausillis p.

23. FACTO] i. facio: L.

23. CORRUMPOR SITU] J. B. Pius l. *corrumpor satyrio*: quem vide, si tanti est.

25. AMICA MI!] syllabam eam requirebat versus, eratq; in MSS. *amicam*. postque erat in eis, *quid agis mille quis*. ubi sciendum illud *mille* natum à persona, MIL, quæ notaret istæc loqui militem.

29. PH. HERCLE] ita Lips. & Edd. vett. personas ordinant.

31. NAM QUANQUAM ES BELLA, MALO TUO] Hoc placuit: ut quod ad scripturam MSS. & vetustiss. editionum proximè accedat. in iis enim est: *Nam quanquam est* (Sarracen. & Basil. *es*) *bella malo tuo nisi tu ego aliq*. Illud etiam, *tu ego*. constanter exhibent. unde Turnebus, adscriptione unius elementi, fecit *tuo*. nam illud, *simitu*, nusquam apparet, primitùs à Monstroliensi fabricatum. fotumq; in sinu editionis pr. Pareanæ. In Parisina est, *Nequaquam est bella malo tuo nisi tecum ego &c.* Et rectè castigavit hic Acidalius inurbanitatem Lambini urbanitatem, quam ille in voce *malo* captabat. Palmerius fol.97. l.

Necquicquam es bella, bello tuo ni simitu & ego aliqui gaudeo.

i. frustra bella es, nisi mihi fruendam das pulcritudinem tuam.

32. AMPLECTAR.] ita MSS. Cam. at omnes libri vett. constanter, *amplecter?* quod Meursio rectiss. est. cum Prisc. etiam doceat, *Amplectari* veteres pro *amplexari* extulisse.

34. MORT. H. ME DUCO S.] Ita omn. edd. veteres. Et huc vergunt etiam MSS. in quibus, *M. h. medio sat*. At Turn. lib.11:21. *Mortuum h. me esse satius*. Scalig. mâlit: *Mortuum h. me sit satius*. Pareus etiam hic inter divinos, edidit q; insulsissimè, *Mort. hercle me duo satius*. h. e. inquit, *do, trado*. at quis ita unquam locutus, nisi in hara?

35. MEA MANUBIA MACH. ET H. V. EMORI.] *Manubia machæra*, vel ex manubiis comparata: vel potiùs fulminatrix; à manubiis Jovis. sic Scalig. in Catalectis. V. N. Asin. act. 1:1. MS. pr. *Nisi te mea manu ui in machæra &c.* at sec. *manu ui macera*. Vet. edd. *Nisi te mea manu in mach.* Lambinus, *Nisi te manu mea bina in &c.*

37. AMET STRATOPHANES.] Inconcinnum hoc omne, & nugis etiam Monstroliensis conspurcatum. Quin Phronesio, (quod & Lamb. olim visum) non Strabaci ista dentur, sic correcta:

—— & hunc vis emori.

PH. Nihil

PH. Nihil φλυαρεῖν satius est, miles, si te amari postulas.

Auro, haud ferro deterrere potes me, ne amem, Stratophanes.

Quod meretricium planè dictum quomodo Strabaci competat? & quomodo idem Militem compellet nomine, quod nunquam fortasse audiverat? Hæc Acid. Ego, quod veteribus lib. est proximum, edidi: nam, ut cætera non attingam, omnes MSS. & edd. habent *ne ἀντὶ τοῦ me*, &c. *Amet* autem scil. Strabax me, ô Stratophanes.

38. AUT FACETA] ita Pius correxit. nam MSS. & vet. ferè omnes, *eatieta* est. MS. pr. *eacjeta*.

38. HOM. ISTIMODI.] Omn. v. cod. *hominem istimodi*. quod Plautus dignius censet Meurs. nec ferè aliter & MSS. Cam. nempe *homini istimodi*.

40. CALLENT] MSS. Cam. ambo, & Pii editio vetus legunt, *calent*, unico *l*. Cicero: *Lentulus calebat in agendo*. nec abhorrebat ab ea scriptura Passeratus ad lib. 4. El. 3. Propertii; sed tenuit se quia esset in Asinaria, *Ad suum quæstum callidum esse*. Gruterus Ait, solêne esse libris calamo exaratis, non geminare literas. deinde laborare versum eo recepto: denique jam per centum quinquaginta annos doctior quisque usurpavit proverbium illud facie ista veteri.

40. ET FASTIDIUNT.] Ita MSS. Cam. & omn. editi. I. Scal. in Catalect. at illud in Diris, ——*nova pabula fastidire*, norat; *Tedulos* & *fastidiosos* veteres vocabant, quibus palatum novis cibis reficiendum erat. Nam fastidiosi stomachi ut consuetis cibis gravantur, ita novorum gestu levantur. Ergò eleganter dixit in eum sensum, *fastidire nova pabula*. Ita Plautus: *Omnes h. ad s. q. call. & fastidiunt*, hoc est, quòd vulgo dicimus, *delecati sunt*. Lambinus gloriatur vestigiis antiquæ scripturæ restituisse, *& satis vident*. Palmer. Spicileg. fol. 98. Emendo: *callent & saticluunt*; vel etiam divisis, *satis cluunt*. *Saticluere*, ut *satagere*, *satesse*. *Cluat*. verbum notiss. Attius: *Qui rectè consulat, consul. cluat*. Acid. l. *& cati cluunt. quod nullâ ratione in contextum à Pareo receptum est*, impudentique insuper cavillatione ab eodem defenditur in Lexico, ad vocem *callent*. quam operæ

A pretium est hic exhibere hominum oculis; quei constet de eloquentia & ratiocinatione tam lepidi capitis: *Cati cluunt*: Ita ex vestigiis veteris lectionis illum locum expressi; nequaquam præter rationem, uti sine ratione me traducit Amicus noster, qui nuperè se ad plures penetravit, nullo tamen bono literariæ rei. Ignosco illi hanc mortalem culpam. An aliter argumentaretur porcus?

42. QUANQ. HIC HORRID.] J. Lips. Ant. Lect. lib. 4. 16. l. è Vatican. *Quanquam hic squalis est, quanquam hic horridus; scitus, bellus'st mihi*. In vett. omnib. est, *citus bellum init*. Hinc I. Gulielm. fecit, quod hos edidimus, *scitus bellum init*. Jocus protervior est, sed non indignus virosâ meretriculâ: cui non elegantes soli belli videntur, sed illi cumprimis, qui in illo duello non ignavi sunt. V. N. Mercat. act. 5. Sc. ultimâ, quæ à Grutero annotavimus. MSS. Cam. *Q. h. quali est. quam hic horridus citus, bellum hi.* nisi quod sec. *qualis*. Acidalius, Hic, inquit, locus corruptus tum pessimè à Lamb. interpolatus, stultissiméque interpretatus est. Non dubium, quin vv. 50. & 51. qui ipsi planè alieni, huc revocandi sint, ita?

B *ST. Hunccine hom. te amplexari tam horridum atque squalidum?*

PH. Quanquam hic horridu'st, quanquam hic squalidu'st, at est bellus mihi.

ST. Cave faxit vulnus tibi, (inter osculandum scil.) *tam cui sunt dentes ferrei.*

PH. Campas dicis: abi, abi: consulavi istuc mihi, mi homo.

ST. Dedin' ego aurum? PH. mihi id.

quo quidem ordine nihil planius, & sententiis autem nihil elegantius. Hæc ille. in cujus scripturam ac sententiam pedibus ivit editio pr. Parei, contra MSS. atque Edd. omnes.

45. MALAM REM HIS ET MAGNAM.] Scis, quid subintelligatur. Ita autem veteres Cod. Pii, cui adstipulantur MSS. Cam. & omn. edd. veteres, in quibus signatè, *is*. & hoc restitui. nam quod alii (quos temerè sequitur in editione sua pr. Pareus) *In malam rem i & magnam*. alii, *Malam in rem & magnam*: hariolantur. non malè quidem ad sensum: sed tamen hariolantur. Suspicatur etiam Acidalius, *opere* delendum: quod numeros gravet: & quod τὸ *magno* solum in ore rusticus habere soleat: ut v. 53. *magno tu*

 vapula

Vapula &c. Hocque Paréus delevit. Ego qui A debui, aut potui? cùm omnes MSS. & vett. edd. tam pertinaciter teneant, neque officiat versui.

45. VIATICUM] scil. in malam rem ituro.

46. QUID ISTA DEBET] Edd. vett. *isti*, neque aliter Pal. sec. at primus: *Quid isti debe isti tria.* idem deinde *nocte*. nam sec. & editi *noctes*.

48. MIHI DA TU DE &c.] Ita locum restituit Palmerius, proximè à Pall. in quibus: *Si amas Dan tu mihi de tuis delictis sum quidquid pusillulum* at Edd. vett. *deliciis*.

49. QUID? ID AI, AMABO! EST QUOD DEM.] Ita rescriptum suasu Pal. pr. in quo: *Quid ita alabo est quod idem dictum super fieri.* nec longè aliter Palm. *ai*, *est dic.* Quod plurimum ei loco obfuisse videatur, dicam. Duos versus compulerant in unum: & quando jam stadium chartæ defecisset, tertiata & quartata verba notârant *superare* autem, pro *superesse*; de quo videndus Agellius. *Campas dicis*, i. nugaris. *Abi, abi*: ita solebant, ubi fastidiosè & contemptim aliquem amolirentur. ac pro eo quoque, *i modò*. Exempla sunt Pœn. act. 1. 3. & Trin. act. 2. 4. item Sticho, ubi V. N. act. 3. 2. Scalig. ad versum Cæcilii: B

Quisquilias volantis venti spolia memoras: i modò:

notat; Ita solet in Comœdiis. Cùm sermonem alicujus non curat quis, dicit: *logos, quisquilias, floccos loqueris. abi.* In Truc.

Campas dicis; abi, abi: consultavi istuc.

Item Nævius:

Abi, abi: deturbate saxo, homo non quisquiliæ.

Quisquiliæ, singulariter. ut, *homo non nauci.*

50 CAMPAS] Parei ultima, turpiter istæc dat Militi.

50. ST. MIHI HOMO c.] Et hæc ita restituit Palm. Spicileg. fol. 94. nec aliter MSS. Camer. & vett. ed.

51. DENTES FERREI.] Hoc dicit vel propter dentes rustici eminulos: vel, propter rastros dentatos, quos manu tractabat. ita Pius.

53. MAGNO T. VAP.] *Vapula magno*, i. magnopere vapula. V. N. supra, act. 2. 7. in Pal. est *tux*.

56. MINIS] ita MSS. Cam. i. *Tis minis.* at vett. edd. *munere*. quod manifestum glossema est.

58. STULT. ATQ. INSANUS] Strabax, & Miles: L.

61. TANTO MELIOR] V. N. Rud. act. 1. 1. v. 6. Quanquam ei, quod affert ibi Meursius, minimè accedit Gruterus, qui docet, istud *Tanto melior*, respicere formulam acclamandi. Videantur Animadvers. ejus, itemque Lipsii, ad Senecam Epist. 71. Idem Epist. 31. *Tanto melior. surge, & inspira.* De Tranquillit. c. ult. *Dicamus, tanto fortior, tanto felicior!* Quinctilianus: *Unde illa laudatio: Tanto melior! nec ego intellexi.* Propert. lib. 3. elegiâ 12.

Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

Plinius Paneg. *quam verâ acclamatione celebratum est, Tanto major, Tanto augustior!* Est igitur acclamandi laudandique formulâ.

62. NOSTER ESTO.] V. N. Milite, act. 3. 3. & Pœn. act. 3. 6.

63. TIMEO MEOS] ita omnes edd. veteres. MS. pr. ——*habito nunc meos nego ambulo.* at sec. *nunc meos non ego ambulo.* *Meos* autem, i. familiares; patres, truculentum Stratilacem, &c. Verum Jan. Palmerius l. *hic habito: nubi* (pro, *nobi*. ut act. 1. 2. *Nubisne amator*, i. *nobis*. pronunciat enim verba, ut rusticus) *meos: non ego amb.* Hâc autem formulâ hîc est, *nobi meos*, quâ Eunucho; *Non nobi vestrum tam superbum*: & numero multitudinis aliquoties apud hunc ipsum. Epid. *nobi nostros: tergo dolet, cùm ego vapulo.* & initio Stichi: *Nobi nostros: credo, exorabilis est.*

63. NON EGO AMBULO.] ita consensu omnes edd. veteres. Q. d. Non ita vagus & erro sum, ut tu es: sed stabulem certamque sedem hic habeo.

64. EGO IN CRUMINA] ita MSS. & omnes olim editi. recentiores, *hanc collo in cruminâ ego obligam*; ex Prisciani l. 6. at ibidem Lambinus conjiciebat, *in hebrinâ*, sive, *in nebride*, id est, pelle cervinâ, seu hinnulinâ. minus rectè, nam MSS. illius Grammatici variant. Gruteri vetustissimus præfert, *Pecua ad hanc colont rumina ego obligata defero.* Huc autem referendum est illud act. 3. 1.

——*ego perperas minas*

Oves in erumenâ hâc in urbem detuli.

Palmerius tamen Spicileg. fol. 101. Rectius, inquit, *in nerbinâ*, legit Priscianus. Fingit enim Plautus subinde sub rusticis personis vocabula, atque ea rustica profectò: ut decoro ser-

ro ſerviat.ſuprà, act.3.2. *Caulatorem*, pro cavillatore, & *rabonem* pro arrabone. Itaque cum obærati & nexi in nervum raperentur, (Phormione; *vereor ne iſtac audacia in nervũ erumpat denique*) atque ii homines ligati & obligati ſint; pro; *crumina* vocabulum *nervinam* fecit, à nervo ſcilicet: quòd obligatos nummos ferret. Hoc probari potuit, ut quod maximè. ſed enim in vet. codice Priſciani invenio, ut manu *Modii* ad oram libri notatum eſt, *nerumina*: quæ pura puta Plauti ſcriptura eſt. *Nerumina oves* ſunt vitioſæ & morboſæ, quæ ruminare nequeunt, quas ergò paulò antè *perperas minas oves* appellàrat, eas nunc *pecua nerumina*. Et hoc quidem verius, *neruminas oves* eſſe, quas dixi. nam morbum eum ſæpè opiliones in pecu queruntur. Poterant tamen etiam videri *nerumina*, quæ rumen non habent: quæ eſſe perpera, neceſſe eſt. *Rumen* itaque pro mammâ: quomodo olim in uſu fuiſſe Varro & Cato memoriæ produnt: unde *arumos* & *ſubrumos agnos* appellari. Hæc ille nimis acutè. Acidalius ita conabatur: *STRAT. Ubi eſt, quod tu das? ſolve zonas, provocator. quid times? STRAB. Tu peregrinus. hic habito: timeo meos, non nego. clanculo pecua ad hanc collo in cr.* Ingeniosè, cur negem? Sed mihi hîc etiam B placet conſenſum vett. Codicum ſequi, qui æque bonâ ratione ſe tuetur, & quid ſi meliori? Pareus tamen iſtis commentis editionẽ ſuam pr. turpiſſimè interpolavit. at neque ultima ipſius adhæret MSS, admiſitque Palmerianum, *novi meos*,

65. UT DISTRINXI HOM.] ita Cam. & Lambinus ediderunt. quod & Pius olim in Commentario ſuo agnovit: etſi maluit, *diſcinxi*, id eſt, exarmavi, deſpoliavi. Lambinus: *Diſtrinxi hominem*, i. devinxi Phroneſium, ita ut mihi debeat, & ſatisfacere neceſſe habeat. Quæ mihi quidem Sphyngis ſunt ænigmata. Magis probaverim J. Petri Valiæ: *Diſtrinxi hominem*, i. ruſticum deduxi ad id, ut moliri ulterius nil poſſit. maximè gloſſema I. Baptiſtæ Pii, vel ab ipſo aliundè mutuatum: *Diſtrinxi h.* id eſt, ferii, & quaſi transadegi ictu muneris amatorem ruſticum. Cui ille, Immò ego, inquit, me potiùs deſtrinxi, qui mea in æmulationem tuam profudi. MSS. Camer. & edd. vett. *diſtinxi*, vel *deſtinxi*.

66. I NUNC INTRO &c.] Acid. hæc ita ſanare conatur:

A *PH. I nunc intrò amabo & tu hac. ST. ergo metum tu eris? PH. ſecum quidem.*
STRAB. Quid tu? quid ais? cum hoccine? ST. ego enim poſterior dedi.

ſenſu plano: ſed ſingulari, & qui divortium facit ab omni antiquitate, quà ad ſcripturam quidem. id tamen, vel ſic, in editionis ſuæ cavernam avertit Pareus.

70. UT REM GNAT.] pro, natam: *Turneb. lib. 11.21.* prius cuſi *gratam*.

71. LECTUM] ita MSS. & omn. edd. vet. non, *lectulum*. MS. præterea *ſinem*.

72. AUCUPAVI] i. *aucupatus ſum*: *prædatus ſum*: Nonius, hunc locum citans. Elegantem etiam paranomaſiam in *occupare* & *aucupare* notat Lambinus.

73. UT REM BENE O.] Ita vetuſtiſſ. edd. ſed MSS. Cam. *Meamq; ut rem debere negeſtam*, neque aliter ſec, quàm quod is, *Æq;* hinc edd. *Æquè ut*, Lamb. l. *Meamq; ut rem voluiſti geſtam, veſtr.*

74. VERUM AMAB.] MSS. Cam. *Romabo.* unde primùm Cam. fecit, *verum am.* priores edd. *geram Amabo.*

74. ANIMATU'S] MSS. Camerarii & edd. *animatuſt.* Pius, *animatum eſt.* Cæterùm auguratur Acidalius, ſe Muſis propitiis non ignobile faſtigium & colophonem noſtro. Comico additurum, ſi finem totum ita reſcribat tranſpoſitis verſibus

Verùm utrique mos geratur amborum ex ſententiâ,
Æquum, meâ uti re bene geſtâ, veſtram rurſus bene geram.
Verùm amabo, ſi quid animatu's facere, fac jam ut ſciam.
STRAB. Fiat, ut rem gnatam video, hoc accipiendum eſt, quod datur.
Meum quidem te lectulum certè occupare non ſinam.
PH. Lepidè ecaſtor aucupavi, atque ex meâ ſententia.
Veneris cauſſa &c.

atque hæc omnia unà cum pulviſculo converrit ad editionem ſuam pr. Pareus, contradicentibus Libris cuſis ſcriptiſque omnibus.

76. PLAUDITE] PLAUSUS quomodo ſit editus, & quo inſtrumento; docet etiam Joſ. Caſtalio, Obſervat. Decad. 10. c. 1. Horatius, 1. Epiſt. 1.

quibus

——quibus oblitus actor
Cum stetit in Scenâ, concurrit dextera læva.
Apertius Seneca Nat. Q. lib. 2. cap. 27 & 28. *Non quemadmodum illisæ manus inter se plausum edunt &c.* Ibid. *Sed palma cum palmâ collata plausum facit, &c.* Adhibebatur in plausu dando etiam ratio & quasi ars quædam: quam primùm nullam fuisse, Ovidius in Arte testatur:
In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo &c.
Vide etiam Lælium Bisciolam Ital. in Horis subcesiv. tomo I. lib. 8. cap. 2. ubi docet, artem & concentum quendam fuisse acclamandi Principibus, & plaudendi in theatris. Vide & Notas extremâ Epidico. Fabius Quinctilian. lib. 6. cap. 1. *Tunc est commovendum theatrum, cùm ventum est ad ipsum illud, quo veteres Tragœdiæ Comœdiæque clauduntur, PLAUDITE.*

FINIS TRUCULENTI.

IN vetere illo & laudatissimo Camerarii MSScripto Codice legitur ampliùs: PLAVTI TRVCVLENTVS EXPLICIT. INCIPIT VIDVLARIA. At ubi ea est tandem Plauti VIDVLARIA? Homo levior quàm pluma, quisquis fuisti Scriptor, qui ad Titulum non etiam Fabulam addidisti. Dignus mehercle, si viveres, cujus causfâ illud ex omissâ eâ & tuâ culpâ jam deperditâ Comœdiâ juventus nostra carnifici acclamaret:
JUBE hunc insui culleo, atque in altum deportari.
Ut, quia *Vidulariam Plauti* scribere pigratus es, scorteo vidulo obvolutus atque in profluentem dejectus, argumentum Poetæ sis, de te ut novam nobis scribat VIDVLARIAM.

M.AccI

M. ACCII PLAUTI FABULARUM.

FRAGMENTA

sive

Loci Ex Amissis Plauti Comoediis maximam partem à Grammaticis citati.

HÆC FRAGMENTA, & Comici (ut sic dicam) Colossi σπαράγματα. Jac. Helias Græcarum litterarum Doctor Regius à Georgio Fabricio Germano olim collecta, & postea (ut ait) à Petro Daniele Gallo alicubi correcta & aucta, Commentariis Lambinianis, quos ille ab auctoris morte Parisiis edidit, adjecit. At enim verò, cuicuimodi ea sint; necdum satis probè aut congesta, aut digesta, aut castigata animadvertet, qui de singulis paullò accuratiùs cogitaverit. Minati sunt quidem viri docti, & publicè etiam ab annis aliquã multis professi, omnia se exactiora daturos. Sed, ut res docuit, Lucinam clamarunt, quod ille ait, fœtu nondum concepto. Eos autem dum ego exspecto, nec mihi interim aliam copiam paro; fit, ut hæc etiam Editio ab operis expedita, iterum aut sine his Fragmentis, aut facie istâ priore ac deformi prodiret. Quod tamen utrumque & à Comico nostro & à me Editore procul habendum censui. Aliis itaque cunctantibus, aut prorsus fortè nolentibus, ego hanc operam sumere coactus fui: quod in priori Editione à me fieri debuisse, per epistolam Scaliger expostulaverat. Cùmque ad finem spectaret typographus, (nam Trinummus

jam procedebat) relictis omnibus rebus, dieculas aliquot huic curæ impendi, & operâ tumultuariâ, quod exhibeo, concinnavi. Nec ita me amo, aut ita in his mihi placeo, ut meliora non fieri potuiſſe, aut poſſe exiſtimem: Sed majus & otium & temporis ſpacium requiri ajo. Hoc Catone igitur, quod Auguſtus dicebat, pro tempore contenti ſimus. Pareus quidem jactat literis ſequi Pedalibus fragmẽta iſthæc ex ruderibus antiqq. Grammaticorum collegiſſe, auxiſſe, & in ordinem multò quàm ante hac commodiorem nitidioremque redegiſſe: ſed quid? nugæ ſunt. hæc iſta noſtra ſecutus eſt in omnibus per omnia; contentus aliquoties tranſponere hoc illudque; aut addere fragmentum nullius momenti; certè non erat cur hîc ambitiosè operam ſuam ſtudiumque præſcriberet, merus fucus

ACARI STVDIVM.

†

QUAM ego tantâ pauperavi per dolum pecuniâ.

ITA hoc Nonius Marcellus, capite 2. De honeſtis & novè veterum dictis, in *Paupe-ravit*, ſub nomine Plauti laudat: ubi & illud è Milite citat:

Quæ improba merx eſt, pro mercis vitio dominum pretio pauperat.

A Sed quid eſt illud *Acari ſtudium*? Editores olim emendarunt, *Ἄχαρι ſtudium*. Verùm, *Hoc plus eſt negotij, inquit cocio*. Alius reſcripſit *Achariſtio*. Sed Plautum hoc nomine Fabulam dediſſe non memini, neque alibi legere.

ABROICUS.

†

QUASI lupus ab armis valeo: clunes infractos gero.

ITA quidem Feſtus in *Clunes*, non expreſſo Comœdiæ nomine: Sed Nonius ſubtitulo *Abroico*, ſive *Agroico*, ita refert: *Quaſi lupus* B *ab armis valeo: clunes deſertos gero.* quæ interpretatur Læv. Torrentius ad Horatii l.1. Od. 17. v. 9.

ADDICTUS.

†

OPUS facere nimiò quàm dormire mavolo: veternum metuo.

CITAT hoc ἀνώνυμος Virgilii Interpres 1. Georg. Cæterum de ADDICTO, ut de AGRICO, vide Agellii Noctes Atticas l. 3. C c.3. quod inter *Ellogia Plautina* jã poſuimus. ANVM negat Agellius, vel potius Varro apud Agellium, Plauti eſſe, libro 3. c.3.

ARTA-

ARTAMO N.

†

Nunc mihi licet quidvis loqui: nemo adest superstes.

†

Vnguentum quod naribus m*ucionum nauteam fecisset.*

LAVDAT hæc Festus in *Superstes*, titulo: *Plautus in Artemone: Nunc mihi &c.* Franciscus Polletus in Historiâ Fori R. ex Asinariâ citavit; quod nos Millte act. 2. 4. allegavimus. Fallor, an virum occupatum induxit, ut ita putaret, *Artemona*, quod Personæ ibi nomen est? *Superstes* autem præsentē significat, auctore Festo, & Servio, 3. Æneide. Prætoris verba, apud Ciceronem pro L. Mu-

A rænâ: UTERISQVE. SVPERSTITIBVS. PRÆSENTIBVS. ISTAM. VIAM. DEICO. ITE. VIAM. Quasi dicat: *Utrique reo præsentibus testibus hanc viam dico*: ut Scaliger exponit. *Superstites* interpretantur etiam litigatores stantes supra fundum controversum.

UNGVENTVM] Citatum parte sua posteriore Festo, in *Nautea*.

ASTRABA

Latinè

CLITELLARIA.

PROBVS Grammaticus, in Vitâ Virgilii ASTRABA vehiculum est παρὰ τὸ μὴ στρέφεσθ. quo titulo & Plauts Fabulam inscripsit, in quâ mulieres in ejusmodi vehiculis inductæ.

AGELLIVS libro 11. c. 7. Romæ vetus celebratusque homo in Caussis, sed repentinâ & quasi tumultuariâ doctrinâ &c. legerat *apludam* veteres rusticos frumenti furfurem di-

B xisse. idque à Plauto in Comœdiâ, si ea Plauti est, quæ *Astraba* inscripta est, positum esse.

NONIVS, cap. 2. *Apludas*, frumenti furfures dicunt rustici veteres. Hoc in antiquis reperitur, quorum in dubio est auctoritas. quanquam & Plautus in *Astrabâ* fabulâ ita dixerit: cujus incertum est, an sit ejus Comœdia: atque ideò versus eosdem ponere supersedimus.

†

SEQUERE, sequere Polybadisce: meam spem te cupio consequi.
POLYB. Sequor hercule quidem. nam lubenter, mea sperata, consequor.

†

Axitiosa annonam caram è vili concinnant viris.

†

Quasi tollenonem aut pilum reciproces planâ viâ.

†

Terebrâ tu quidem pertundis.

†

Dare pedibus protinam sese ab his regionibus.

†

Terebratus multum sit: & subscudes addite.

†

Non quasi, ut hæc sunt heic limaces lividæ.

†

——— quasi tolleno, vel
Pilum Græcum reciproces planâ viâ.
Quæ nisi sic biteris, nimium is vegrandi gradu.
Pol ad cubituram, mater, mage sum exercita:
Reliquùm, ad cursuram sum tardiuscula.

†

Quid tuam amicam times, ne te manuleâ cajet.

†

Probibet divitiis maximis, dote altili atque opimâ.

†

Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim.

†

Quæ quasi carnificis angiporta purgitans.

†

Intro ad bonam meretricem: adstat ea in viâ
Sola: prostibula sanè est ———

†

Malum aufer: bonum mihi opus est.

†

Meminêre officium suum.

†

Potin' es tu homo facinus facere strenuum?
N. Aliorum est affatim qui faciant: sanè ego
Me volo fortem perbiberier virum ———

†

Tun', túne igitur mea matercula?

†

Germana mea sororcula.

†

Si quidem imperes pro copiâ, pro reculâ.

†

Datores bellissimi negotioli senecis soletis esse.

†

Adhinnire equulam possim ego hanc, si detur sola soli.

VARRO De Linguâ Lat lib. 5. *ETIAM* A *spes à sponte potest esse declinata: quòd tum sperat, cùm, quod vult, sic fieri putat, &c. Plautus in Astraba: Sequere &c.* Vide Notas Amphitruone act. 2. Scenâ 2.

v. 3. AXITIOSÆ] Varro libr. 6. De L.L. ex emendatione Scaligeri, apud Festum. Glossarium: Axites, ἀντιπλασματικαί. Festus: *Axitiosi, factiosi dicebantur: cum plures unà quid agerent facerentque. Axit autem pro egerint. unde axites mulieres, sive dij, dicebantur unà agentes.* Citat Varro ibidem & aliud ex Scythe liturgo: *Mulier es, uxor. Cuja, vir? Ego novi, scio: axiosaes.* ut Scàliger restituit. Hoc autem convicio irati dimittebant ab se mulieres. V. N. Casinâ act. 2. 2. & Pœnulo act. 4. 2.

4. QVASI TOLLEN.] De hoc ambitiosè dictum ad Pœnul. act. 5. Scenâ 3. Sanè *Reciprocare* in hoc versu nihil aliud, quàm susque deque gremio erecto aut depresso gestum ita componere, ut tolleno aut pilum Græcum videatur. Sed tu mihi vide, quæ infrà notavimus.

5. CVM IN CVRIOS.] Nonius citat in *Exterebrare*: quod exponit, vi aliquid extorquere, & scrutari, aut curiosius quærere. Lipsius Antiq. Lect. libro 3. cap. 17. leg. *terebratum q.* Observat & Turnebus lib. 29. 19.

Bacch

Bacchid. act. 5: 2. *Ut terebrat!* Persa: *Nunquam hercle istuc exterebrabis tu.*

6. Dare ped.] Ex Astrabâ citat Nonius cap.4. in *Protinus.*

7. Terebratus M.] Festus in *Subscudes.*

Atque hæc hactenus, quæ titulo Astrabæ laudata sunt ab Auctoribus. nunc deinceps, quæ Clitellariæ nomine citata, exponemus. Jos. Justus Scaliger Conjectaneis in Varronem: Infinitis propè locis Plautum in *Cistellariâ* citant Grammatici cùm tamen, quæ ipsi adducunt testimonia, desiderentur in eâ, quæ hodie exstat ejus nominis Fabula. Unde quidam *Clitellaria, Sisennaria*, aut nescio quid nugarum, substituendum putarunt. Sed non ita faciendum erat. Parvum mendum est, quod hujus Fabulæ titulum occupavit. Nam *Clitellaria* pro *Cistellaria* legendum. Facilis verò fuit lapsus, ut in *Cistellariam* notissimam Fabulam degeneraret. Est autem eadem atq; ea, quàm Græco titulo inscripserat Astrabam. ἀστράβη enim *clitella.* Sic invenies eundem Plautum citatum in *Lipargo* & *Parasito-pigro:* Terentium in *Heautontimorumeno*, & *Seipsum-excruciante*, ut apud Ciceronem: Cæcilium *Nauclero*, vel *Portitore: Obolostate*, vel *Fæneratore: Harpazomene*, vel *Raptâ: Hypobolimæo*, vel *Subdititio.* Laberium *Cropio*, vel *Sarculariâ: Belonistria*, vel *Frugione: Scylace*, vel *Catularia.* Pomponium *Hetarisca* uel *Prostibulo.* Varronem κελομαχίᾳ, vel *Caprino-prælio, &c.*

8. Non quasi] Varro lib.6. de Linguâ Lat. Acidalius leg. *Non quasi, sicut &c.* qui melius sit numeris senarii. At Scaliger hunc versum cum aliis ex eâdem Fabulâ citatis ita corrigit & disponit:

Non quasi ut hæc sumtuis limaces livida,
Diobolares, schœnicolæ, miracula,
Cùm extritis talis, cum crotilis crusculis,
4 *Capillo scisso, atque excissatis auribus.*

Rationem compositionis vide apud ipsum in Conjectaneis. Cur *limaces* dictæ sint *meretrices*, explicatum est Curculione act. 2. scenâ 1. Cur *diobolares*, Pœnulo act. 1: 2. & Truculento act.4:4. *Miracula;* φόβητρα exprimi putat Scaliger, & μορμόνας. Possent, inquit, & *miracula* esse à miraculis. Festus: *Miracula, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus ponebant.*

A 3. Cum extritis talis] In aliis legitur; *cum extortis.* Inter laudes mulierum καλλιπλόκαμος καὶ καλλίσφυρος. sicut contrà inter vitia, *compernis*, & *valga* & *vatia.* Lucillius libro 17. Satirarum:

Num censes καλλιπλόκαμον, καλλίσφυρον *ullam*
Non licitum esse uterum, atque etiam inguina tangere mammis?
Compernem aut varam fuisse Amphitruonis ἄκοιτιν
Alcmenam, atque alias: Helenam ipsam denique nolo
Dicere. tute vide, atque disyllabon elige quod vis.
Τὴν δὲ περίεργον *aliquam rem insignem habuisse,*
Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum.

Qui erant *extritis talis*, λεισποδίαι ab Atheniensibus dicebantur. Quanquam nonnulli dicunt λαισποδίας eos esse, qui δρεπανώδεις habebant πόδας. ut ii sint, quos *Falcones* à veteribus vocatos esse testatur Festus.

3. Cum crotilis crusculis] Festus leg. *crocotilis.* sed altera lectio melior. siquidem *crocotilum* vocabant exile & tenue. Videtur κροτίλος fuisse, ut κωτίλος. inde compositum
B *succrotilus.* Titinnius: *Fæminea fabella, succrotula vocula.* (Scalig. apud Fest. laudat: *Fæminina fabulare, succrotillâ voculâ.* Afranius: *Succrotillâ voce seriò &c.* In aliis etiam legitur *todellis crusculis.* itidem pro crusculis exilibus. de quibus Scaliger in Conjectan. ad Festum (pag.199.) accuratè differit. Etiam Casaubonus *todella crucula* agnoscit. Glossarium: *Persilis*, μακροσκελής. Sic & in Aristotele notatum, quod esset ἰσχνοσκελής, id est, persilis. nam ita Comici vocarunt. Eubulus Comicus κοψίχου σκέλη. Còntrà, quibus inferiores corporis partes erant crassiores, κληματίδας Αἰγυπτίας vocabant: quod de Zenone Stoico est dictum. Hæc Casaub.

9. Quasi tollen.] Ita hos versûs, quorum primi ex *Astrabâ*, ultimi ex *Cistellariâ*, aut rectius *Clitellariâ*, citantur, Scaliger junxit & quasi conferruminavit. Cæterùm ultimos duos M.Ant. Muretus Var. Lect. lib.18. cap.10. quos Nonius in verbo *Cursu*, adfert, ad hanc etiam faciem refinxit:

Pol ad cubituram, mater, magis sum exercita
A te, quàm ad cursuram. eò sum tardinscula.

 14. Quid

14. QUID TUAM] Fab. Planciades Fulgentius in de allegoriâ librorum Virgilii citat: notatque etiam Turnebus Adversar. libro 26. capit. 21. *Cajatio*, inquit ille, *puerilis dicebatur cædes.*

15. PROHIBET] Nonius in *Altilis.*

16. EXPUGABO] Idem in *Rabis.*

17. QUÆ Q. ANGIPORTA] Idem in *Angiporta.*

18. INTRO BON.] Nonius in *Prostibula* & c. 5. Observat. 8. Mercerus, quod esset in mss. *Intro abo; nam mer.* refingit: *Intrò ibo. nam meretricē astare in viâ solâ, prostibuli sane est.* Pareus in Electis discipulorū suorum ordinibus persuadere nititur, comitatum matronarum constitisse ferè è spadonibus: quod tam verum est, quàm reginas etiam ministrasse jussa mendicorum, eisdemq; solidam serviisse servitutem. phy phy!

20. MALUM AUFER] Hoc J. Gulielmius Cistellariæ vindicavit. V.N. ibid. act. 4. sc. 2. v. 40.

21. MEMINERE] Nonius cap. 9. Observatione 8.

22. POTIN ES TU H.] Citantur hi tres Senarii ab Agellio lib. & cap. 7. ubi disputat, utrum *affatim* primâ an mediâ acutâ pronunciandum sit.

25. TUN', TUNE] Hoc cum tribus insequentibus citantur ordine omnia à Prisciano lib. 3. titulo Cistellariæ Plautinæ.

29. ADHINNIRE] V.N. Cistellariâ act. 4: 2. Illud, quod similiter inter Fragmenta posuerant, *Illum amatorem tibi proprium futurum in vitâ*, totidem verbis legitur Mostell. act. 1. sc. 3. Ita à Nonio in *Conquinìscere* citatur ex hâc Fabulâ, *Et dolosi idem conquinisce istic, conquiniscito simul.* sed è Pseudolo esse, act. 3: 1. docuit Lipsius, & nitori pristino restituit: Epistolic. Quæstion. lib. 1: 18. Vide etiam, quæ popularis meus, Joach. Camerarius, de turbis, quas dedit hæc *Cistellaria*, disputavit in Observationibus suis in eam Fabulam.

BACCHARIA.

†

Quis est mortalis tantâ fortunâ affectus unquam,
Quàm ego nunc sum? cujus hæc ventri portatur pompa.
Vel nunc, qui mihi, in mari acipenser latuit antehac,
Cujus ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.

PRODUCIT hos versus è *Bacchariâ* Plauti Macrobius Saturnalium lib. 2. cap. 12. Editionis Pontanæ. Vide Notas Cistellariâ act. 1. Scenâ 1.

BIS COMPRESSA:

BOEOTIA.

†

Ut illum dii perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeò primus hîc statuit solarium,
Qui mihi comminuit misero articulatim diem.
Nam me puero uterus hic erat solarium
Multo omnium istorum optumum & verissimum.
Ubi iste monebat esse: nisi cùm nihil erat.

Nunc

Nunc etiam quod est, non est, nisi soli lubet.
Itaque adeò jam oppletum est oppidum solariis.
Major pars populi aridi reptant fame.

EX BOEOTIÂ Plauti hos allegat Agellius lib.3.cap.3. & versûs appellat Plautinissimos, ex personâ Parasiti esurientis. Ammianus Marcellinus lib. 23. de Persis: *Nec apud eos, extra regales mensas, hora est præstituta prandendi: sed VENTER UNICUIQ. VELUT SOLARIUM EST, eoq. monente, quod inciderit, editur: nec quisquam post satietatem superfluos sibi ingerit cibos.* Sed audiamus & Cassiodorum lib. 2. Variarum cap. 46. *BELLUARUM ritus est, ex ventris esurie horas sentire, & non habere certum, quod constat humanis usibus attributum.* Unde pro absurdo de ambitiosè delicatis Seneca cap.12. de brev. vitæ: *quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius admonet.* Sidonius lib.2.Ep.9: *Ecce & ab Archimagiro adventans, qui tempus instare curandi corporis moneret &c.* ibi Savaro.

CÆCUS, sive PRÆDONES.

†

Nihil quicquam factum nisi fabrè, nec quicquam positum sine luco, auro, ebore, argento, purpurâ, picturis, spoliis, tum statuis.

†

Neque eam à me invitò unquam abduces.

†

Spectari ludos magnificè atque opulenter.

†

Peregrè est.

†

Plure altero tanto, quanto ejus fundus est, velim.

†

Ita sunt prædones, prorsum parcunt nemini.

†

Velim te arbitrari factum. R. sedulum est.
submoventur hostes, removenter lapides.

†

Si non strenuè fatetur, ubi sit aurum, membra ejus exsecemus serrâ.

†

Nihil feci secus, quàm me decet.

†

Quis tu es, qui ducis me? mu! perii hercle, Afer est.

HÆc omnia, uti ego disposui, & auxi, ordine leguntur apud Sosipatrem Charisium Institution. Grammaticar. lib. 2. pag.179.182.187.189.194.195.213. Cæterum hoc tantum notatu hîc dignum censui, quod Grammaticus, ad illud *Plure altero tanto &c.* notet, Ciceronem etiam dixisse, *Plure venit.*

CALCEO-

CALCEOLUS.

†

MOLLUSCAM nucem super ejus dixit impendere tegulas.

CITAT hoc Macrobius Saturnalior. lib. 3. cap. 18. & *molluscam nucem* interpretatur A *Persicum*: quòd omnibus nucibus mollior sit.

CARBONARIA.

†

SECUNDUM ipsam aram aurum abscondidi.

†

Esto pernam, sumen sueris, spectile, callum, glandia.

†

Patibulus ferar per urbem, deinde affigar cruci.

HÆC EX CARBONARIA Plauti citant Priscianus, Festus in *Spetile*, sive *spectile*. de quo Notas vide Captiv. Act. 4. Scenâ 3. Nonius in *Patibulum*. J. Lipsius Electorum lib. 1. c. 18. In servili illo supplicio transfigi manûs & pedes solere, docent sacræ Historiæ: & Apulejus clarè lib. 4. *Paullatim Chryseros adrepit, grandique clavo manum ducis nostri, repentè nixu fortissimo, adostii tabulam adfigit, & exitiabili nexu patibulum relinquit.* Patibulum, id est, ita adfixum quemadmodum in patibulo sontes solent. Eâdem significatione Plautus dixerat in Carbonariâ: B *Patibulus ferar per urbem, deinde suffigar cruci.* Agnoscit enim Nonius *Patibulum* ibi genere masculino. Tamen in vulgatis ejus libris scribitur *Patibulum ferat per urbem*: ut sentio, mendosè: nisi tamen scribas, *suffigat cruci.* ita recidet res eodem.

CHRYSALUM etiam Plautinam Fabulam belli isti fecerant, & Fragmentum ex eâ citaverant, *Fortè ego ut in stega consederam.* Sed bono auspicio exturbavit Gul. Canterus Novar. Lect. lib. 4. cap. 6. cum ea verba sint servi *Chrysali* in Bacchidibus.

COLAX.

†

COLACEM esse Nævii & Plauti veterem Fabulam.

†

Batiolam auream octo pondo habebat, accipere noluit.

ILLUD Terentii est in Prologo Eunuchi: hoc ex *Colace* Plauti laudat Nonius in *Batiola*. Κόλαξ autem in universum dicitur omnis adulator, quâcunque mercede pro- C positâ. Propriè tamen locum habet id verbi in eo, quem ψωμοκόλακα appellari Athenæus dixit. Est autem φερωνύμως ψωμοκόλαξ, qui gulæ gratiâ adulatur. At non omnes adula-

adulatores epulas præmii loco aucupantur. majora sunt, quæ captant regum & principum assentatores. Propterea nemo Philosophorum in adulationis definitione mentionem fecit cibi: sed generaliter τῦ συμφέροντος. Vide mihi If. Casauboni Animadversiones in Athenæum, lib. 6. cap. 17. & 18. Cæterùm, ut P. Nannius monuit libro 1. capite 13. & 14. Parasitorum triplex genus erat: *Derisores*, ut Plautus appellat Capt. act. 1:1. *Plagipatidæ* sive *Lacones*, & *Adulatores*. Et nomina Parasitorum plerunq; etymo suo ad mores alludunt. Sic *Gnatho* à maxillis dictus a- A viditate edendi. Sic *Gelasimus*, quia ridiculus est; in Sticho. *Saturio*, in Persa, per antiphrasin, à saturitate dictus: quasi qui nunquam expleri posset. Sic in Milite Glorioso *Artotrogus*, à rodendo pane dictus. Sic *Peniculus*, in Menæchmis quòd tanquam spongia mensam, ita ipse reliquias omnes ciborum detergeat. Sic *Curculio*, à verme edacissimo frumenti. Ita *Colax* &c. κόλον enim *alimentum* vocarunt; eamque originationem κοιλία *venter*, & κολοιὸς *graculus* respicere videtur: de quo Alciatus 4. Parerg. cap. 16.

COMMORIENTES.

†

SYNAPOTHNESCONTES Diphili Comœdia est:
Eam COMMORIENTES Plautus fecit Fabulam.

†

——Saliam in puteum præcipes.

Terentii in Prologo Adelph. illud est, Utrumque citat Pri- B scianus hoc, quem posuimus, Fabulæ titulo.

CONDALIUM.

†

Tam crepusculo ferè, ut amens, lampadas accendit.

ITA Scaliger in Conjectan. emendavit: cùm in Varrone lib. 6. de L. Lat. legatur, *Tam crepusculo ferè ut ament lampadas accendere.* Ergo noster cum Menandri Fabulam Δακτύλιος verteret, CONDALIUM eam nominavit. Fe- C stus: *Condalus, annulus. Condalium, similiter annuli genus.* Mirum verò est, Varronem, (ut scribit Agellius) *Condalium* & *Commorientes* Plauti esse negasse: cùm Plauti esse Terentius etiam affirmet *Commorientes.*

CORNICULARIA.

†

Facite olant ædes Arabicè.

†

Qui regi latrocinatus decem annos Demetrio.

†

Latrocinatus decem annos mercedem.

†

Pulcrum & luculentum hodie evenit prælium.

†

Te obsecro, Lyde, pileum meum, mi sodalis, mea salubritas.

†

Quid cessamus ludos facere? Circus noster ecce adest.

†

Qui amant ancillam meam Hedylium oculitus.

†

Mihi Laverna in furtis celebrassis manus.

FACITE OLANT ÆDES ARABICE] E Diomede lib. I. est. Sic autem emendandum censui: cùm in vulgatis legatur, *Olunt ædes Arabicas.* item; *Facere olant ædes Arabica.* Festus autem emendationi viam præivit: apud quem legeram, *Arabice olet, i. ex odoribus Arabicis.*

2. QVI REGI LATROCINATVS] Citat Varro lib. 6. de Linguâ Latinâ: ubi docet, *latrones* dictos à latere: qui circum latera erant regi, atque ad latera habebant ferrum: qui postea à stipatione *stipatores* appellati, & qui conducti mercede; ea enim merces dicitur Græcè λάτρον. Sanè ut λάτρον *latronum*, sic stips *stipatorum* eis nomen fecit.

3. LATROCINATVS ANNOS D.] Citat Nonius cap. 2. Observatione 508.

4. PVLCRVM ET LVCVLENTVM] Nonius in *Luculentum*. Valent. Acidalius, ut senarius sibi constaret, malebat; *Pulcrum & lucentum mi hodie evenit præmium:* nempe *Præmium* interpretans *prædam*.

5. TE OBSECRO] Adfert Nonius in *Pileus*.

6. QVID CESSAMVS LVDOS &c.] Versus est trochaicus. Cæterùm quæ in vulgatis edd. huic præponuntur, non sunt Plauti, sed verba Varronis, qui lib. 4. De L. Lat. *Itaq. dicunt milites ad vectim, quem circumeunt ludentes; Quid cess.* Ita enim Fabulâ miles ludebatur, & pro circo erat, cùm per ludibrium circumiretur. (da sie Drüllten.) LVDVNT inquit Scaliger in Conjectaneis milites, qui palum ad terram destitutum seu vectim circumeant: vocentq; illum ideò *Circum*. Ex quâ circumitione Varro etymologian suam probare conatur. Quanquam translatio potius est. in eundem enim sensum Plautus ipse Milite translatè dixit: *Jam est ante ædis circus, ubi sunt ludificandi mihi.* Est enim idem jocus, qui in Corniculariâ. Posidippus item apud Athenæum eâdem translatione lusit:

ἱππόδρομος ἅπας ἐστὶ σοὶ μεγαλειῆς.

A Quod autem hîc vectim in terrâ destitutum esse cognoscimus, quem milites circumeunt: fortasse est ex vulgato exercitamenti genere in militiâ veteri: quòd milites ad palum se exercerent. Qui locus veteribus *Palaria* (der Drüllplatz) dicebatur, ut ait Charisius. Nam alioqui cùm singulari congressu duo se exercebant, locus *Batualia*, ipsi *Batuatores* dicebantur. *Batuere* enim ferulis velitari aut verberare: ut apud Suet. est in Vespasiano, &c.

7. QVI AMANT ANCILLAM] Ita citat Nonius in *Oculitus*. Alii pro *Hedylium* somniaverant *Sedulium*.

8. MIHI, LAVERNA, IN FVRTIS CELEBRASS.] Ita ingeniosissimus Scaliger restituit: cùm apud Nonium depravatissimum legeretur. Si tamen à tanto viro leviter dissentire fas mihi fuerit, pro *celebrassis* legerem *celerassis*. Scio, quid sit in peculiari illâ notione, *celebrare*, & *celebre imperium*, apud hunc

B nostrum: sed tamen *celeres manus* in furibus nescio quomodo non celebres in Auctoribus: & cavillatur inde Servulus in Aulul. act. 2: 4. *Sed uter vestrorum est celerior &c.* LAVERNAM, inquit Scaliger, Romani fures precabantur, ut instituta sua & consilia furandi ac mentiendi fortunaret. Horatius 1. Epist. 16. versu 60:

——*pulcra Laverna,*
Da mihi fallere: da justum sanctumq. videri.

meminit quoq; ejusdem Arnobius lib. 4. adversus gentes. Sic Græci eodem modo orabant τὴν πραξιδίκην, ut consilia furandi ad effectum duceret. Erat autem ea dea tantùm caput, sine reliquo corpore. Glossarium: Laverna, πραξιδίκη. Glossæ Isidori: *Laberna grassator* (ita Bon. Vulcanius) *Laberna, fermentum latronum, vel grassatorum, vel furum.* Item: *Laberna, latro, aut qui filios alienos seducit.* Vides & Plagiarium manifesto vocari *Labernam.* quod & Ausonius intellexit, cùm de plagiario bonorum Carminum ait:

Nec

Nec jam post metues ubique dictum:
Hic est ille Theo, Poeta salsus,
Bonorum mala carminum laverna.

hoc est, ut Martialis etiam loquitur *alienorum scriptorum plagiarius*. Hæc ille. Divinationes J. Guliel. vide in Plautinis quæstionibus Miscellis, cap. 1. item Mercerum in Marcello ad *Laverna*.

DYSCOLUS.

†

Virgo sum: nondum didici verba nupta dicere.

FESTUS: *Nupta verba dicebantur ab antiquis, quæ virginem dicere non licebat. ut Plautus in Dyscolo: Virgo &c.* Ergo *nupta verba* sunt obscena & *prætextata*. unde Petronio, *nuptias facere*, τὸ συνουσιάζειν. Vide & Lipsium Antiquarum Lect. lib. 2. cap. 9. & Notas Casinâ act. 2. scenâ 8. & Prolog. Captivor. versu 56. Varro Agathone: *Majores nostri virginis aures, Veneris vocabulis imbui acerbæ noluerunt, ut essent qui filiæ virginis ab omni verbo spurco tuerentur aures.* Tertull. de Spectac: *Ne verbis improbis virginalis pudor delibari videretur, injuriarumq. tenebatur, qui turpibus verbis utebatur apud virgines.* L. Item apud Labeonem § qui turpib. ff de injuriis: *Nec priusquam virgo nupta prætextam detulisset ad Fortunam virginalem, pueris coram illa obscena fari licebat.* Festus: *Nubentibus depositis prætextis, à multitudine puerorum obscæna clamantur.* Varro Agathone: *Pueri obscænis verbis novæ nuptæ aures returant.* quibus scilicet antea aures obturaverant. Savaro ad lib. 1. Epist. 5. Sidonii.

FOENERATRIX.

†

Heus tu! in Barbariâ quod dixisse dicitur
Liberta suæ patronæ, id ego dico tibi:
Liberta salve: VAPULA Papyria.

ITA hos versus à Scaligero sic restitutos citat Festus in *Vapula Papyria*, è *Fœneratrice* Plauti. Tu Notas vide Curculione act. 4. Scenâ 4. Etiam Diomedes l. 1. è Plauti *Fœneratrice* hoc fragmentum profert: *QUÆ ego populabo probè*: vel, ut alii leg. *properè*.

FRETUM.

†

Hoc illud est
Quod arietini responsum magnis ludis dicitur:
PERIBO, SI NON FECERO: SI FAXO, VAPULAVERO.

Vel, ut apud Agellium legitur, *vapulâro*: quem vide lib. 3. cap. 3.

FRIVOLARIA.

†

Commodò dictitemus.

†

Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera.

†

——sequimini hàc
Sultis legiones omnes Lavernæ. ubi rorarii
*Estis? en sunt. ubi sunt accensi? ecce**
Agito, subsidite omnes, quasi solent triarii.

†

Navè agere oportet, quod agas, non ductariè.

†

Superaboque omnes argutando præficas.

†

——tunc papillæ primitus
Fraterculabant: illud volui dicere,
Sororiabant. quid opus est verbis? &c.

†

O amice, ex multis mihi une Cephalio

†

Strebula agnina tene.

FRIVOLARIA] Scribitur & *Fribularia*.

1. COMMODO DICT.] Citat Sosip. Charisius lib. 2. pag. 174.

2. IS MIHI ERAT BILIS &c.] Ita refert Priscianus lib. 6. auctore Ant. Augustino. quanquam in meâ editione illud *querquera* non additum. Festus tamen ita: *Is mihi erat bilis querquera tussis.*

2. FEBRIS QVERQVERA] Festus ex emendatione Scaligeri: *Querquera febris*, dura ac gravis. quam quidam à *quercu* dictam putant: quòd id genus arboris cùm grave sit ac durum, tum in ingentem evadat amplitudinem. Aurelius Opilius *frigidam* ait dici & cum horrore trementem. Santra eam ex Græco deducit: quia *tremorem* ejusmodi κάρκαρον vocant. unde dici etiam *carcerem*. Lucillius: *jactans me, ut febris querquera.* & alibi.

Querquera consequitur febris capitisque dolores.

A Ad hoc exemplum Homerus: κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσι. Ita *Querquetu lanæ viræ* (addit idem Festus) putantur significari nymphæ præsidentes querceto virescenti: quod genus silvæ indicant fuisse intra partem, quæ ab eo dicta sit *Querquetularia*. Sed *feminas* quas nunc dicimus antiqui *viras* appellabant. unde adhuc permanent *virgines* & *viragines*. Hæc ille. Ad quod Scal. Quæ, inquit, nunc *feminæ* à nobis dicuntur, eæ *viræ* dicebantur. neque immeritò: Cùm masculinum sit B *vir*. Ita enim & utrumque formant sexum Hebræi *Iss. vir: Issa, vira*, hoc est fæmina. Sed hoc quasi obiter.

3. SEQVIMINI &c.] Ita Scaliger ad Festum & Varronem, hæc conciliavit.

4. LAVERNÆ] de his jam dictum in Corniculariâ.

4. RORARII.] Festus: *Rorarios milites vocabant, qui levi armaturâ primi prælium committebāt: quòd, ut ante imbrē ferè rorare solet, sic*

sic illi ante gravem armaturam quòd prodibant, rorarij dicti. Inter hós Vegetius recenset *ferentarios, funditores & tragularios*: qui ante aciem procedentes adversarios provocabant: quos si fugare poterant, sequebantur: si eorum virtute reprimebantur, recipiebant se ad suos, id est, principes & hastatos, qui erant inter principia. Nam *Principium* ferè ipsum ordinem principalium significat. Livius lib. 47. *Hastatorum prima signa, deinde Principium erat, Triarii postremos, claudebant*. Ita Thraso, apud Terent. Eunucho act. 4. Scenâ 7.

Tu hosce instrue: hic ego ero post principia.
inde omnibus signum dabo.

Vide mihi Godeschal. Stewechium ad Vegetium.

5. ACCENSI.] Varro lib. 3. de vitâ Populi Rom. *Accensos dictos* indicat: *quòd Decurionibus & Centurionibus accensebantur, id est, attribuebantur*, & levis armaturæ fuisse indicat, liberatores scilicet, funditores &c. Alii *Adscriptivos* etiam vocarunt, item *Optiones*. diversaque ipsis tributa sunt munera.

6. SVBSIDITE, OMNES, QVASI TRIARII] Festus: *Subsidium dicebatur, quando milites subsidebant in extremâ acie, labentique aciei succurrebant. Quod genus militum constabat ex iis, qui emeruerant stipendia, & tamen retinebant locum in exercitu, quæ erat tertia acies, quæ dicebatur Triariorum*. Consule & G. Stewechium ad Veget. lib. 3. c. 1. Vegetius lib. 1. c. 10. *Triarii*, inquit, *genibus positis solebant intra scuta subsidere: ne stantes venientibus telis vulnerarentur*. A quâ sessione ὕφεδροι *Tertiarii* explicantur in Glossis. Sanè *triarii* dicti, quòd in acie, tertio ordine, extremis subsidio deponuntur. Sed de re hâc totâ accuratissimè omnium & ex professo tractavit Lipsius, heu olim noster, in *De Militiâ Rom.*

7. NAVE AGERE OPORTET] Festus; *Navus, celer ac strenuus: à navium velocitate dictus*. Ennius 6. Annal.

Navorum imperium servare, est induperantum.

Sententia à veteribus celebrata: *Benè parère, est imperare*. Ergò, *nave agi*, est, cùm navis remigio aut ventis agitur. *Ductariè*, cùm adverso amne funibus trahitur. Ausonius in Mosella, politissimo Panegyrico:

Tu duplices sortite vias: & cùm amne secundo
Defluis, ut sceleres feriant vada concita remi:
Et cùm per ripas, nusquam cessante remulco,
Intendunt collo malorum vincula nautæ.

Ductariè ergo *agere*, est ῥυμουλκεῖν. Nec omittendum quod est in Glossis: *Navities*, ἀρετή. Hoc Scaliger, aliaque his non aliena reperias apud Passeratium ad lib. 2. El. 14. Propertii: *Et modò tam celeres miraris currere lintres, Et modò tam tardas funibus ire rates.*

8. PRÆFICAS] Hoc citat Nonius Cap. I. Observatione 340. Tu vide, quæ diximus Truculento act. 2. Sc. 6.

9. TVNC PAPILLÆ PRIMITVS FRATERCVLAB.] Ita Scaliger hæc concinnavit, apud Festum: Cui mammæ puellarum *sororiare* dicuntur, cùm primum tumescunt: ut *fraterculare*, puerorum. Gabr. Faërnus pro *primitùs* leg. *primulum*. Etiam inter lasciva & ἐρωτικὰ olim fuerunt *Frater* & *Soror*. Sic, ut puellæ eos, quibuscum solitæ essent, & ut propriè dicatur, quibus dare consuevissent, *Fratres* vocarent: & contrà Amatores suam comparem, cum quâ caput limarent, (ut noster alibi loquitur) *Sororem*. De quo I. Lipsius Antiq. Lect. l. 3. & Variar. l. 2. c. 1.

12. O AMICE] Hoc apud Priscian. lib. 5. sub titulo Fribulariæ Plaut. citatum offendi: ubi probat *une*, vocandi casu, ite *sole* dici.

FVGITIVI etiam Comœdiam Plauti putarunt: sed falsos esse, Scaliger ad Varronem docuit: eamque Turpilio adseruit, quæ alio nomine inscripta erat LEVCADIA, & translata ex Alexide, qui subinde citatur ἐν Λευκαδίᾳ, ἢ δραπέταις. Fragmentum autem, quod Collectores inde citarunt ex Varrone, hoc est, ita à Scalig. emendatum: *Age, age, specta: vide vibices quantas. jam inspexi. quid est?* Est quadratus jambicus. *Vibices* ἴβυκας Græci vocant σιγγάς. inde *vibices*: quas Plautus *prægnantes plagas* vocat, excitatum nempe verberibus corpus.

STREBVLA.] Visitur inter Fragmenta Festi, in *Strebula*.

GASTRION, vel GASTRON.

ITA malit Scaliger legere, quàm vel *Gestio*, vel Restio, vel *Quæstio*. cùm in veteribus disertè excusum sit *Gestrione*. Estque ea Fabula ex Antiphane versa, qui citatur ab Athenæo lib. 10.

Caro strebula, vitellina est: candbis.

Sic Scaligero videtur legendum. quanquam Turnebo videbatur rectum; *Carostribula ut de lumbus cænabis*, ut uno verbo dixerit, quod alii duobus *carnem stribulam* etiam appellant. *Carnis strebulæ* meminit Festus: item & Arnobius lib. 7. Advers. Gentes: *Nonne placet carnem strebulam nominare, quæ taurorum è coxendicibus demitur?* Videtur κώλη dicta à Græcis. ἡ γῦι ἀγκύλη ὀστώδης. à quâ curvatura & versurâ dicta *strebula*. στρεβλὸς enim curvus & pravus. unde *stribligo* depravata oratio, ὁ σολοικισμός. Videtur esse & quod scribit Hesychius. Κύτζαρος, inquit, τῶν ὀπισθιδίων τοῦ ζῴου ἡ σὰρξ ὑπὲρ τοῦ ἄρθρου.

HORTULUS.

†

Præco ibi adsit cum coronâ: quique liceat, veneat.

CITAT Festus ex *Hortulo* Plauti, in, *sub coronâ venire*. Captivi enim coronati venire solebant &c. vide ipsum Festum. *quique liceat*, est, quanti liceat. Vide etiam Not. Persâ act. 4. 4.

KAKISTUS.

†

——malo hunc alligari ad oriam;

Ut semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.

Producitur à Fulgentio in *Oria*.

LENONES GEMINI.

†

Dolet hic puellus, sese venum ducier.

QUANQUAM Varro negat hanc Fabulam Plauti nostri esse, quod ex Agellio suprà monuimus: tamen Priscanius libro 6. p. 697. hunc senarium ex eâ sub Plauti nomine allegat. quo auctore ipsum hîc toleravimus. Fortè idem est, quem Festus citat in *Puelli*: *Olim huic puello sese venum ducier.*

MEDICUS.

†

In conspicillo adservabam: pallium observabam.

†

Parasito cum virgis caseum radi potest.

†

Domi reliqui exoletam virginem.

PRIORA Nonius in *Conspicillo*, (V. N. Cist. 1. 1. v. 93.) vel ut alii leg. *Cõspicilio*, & ocularium spicillum interpretatur; Itẽ in *Caseus*, ex hâc Fabulâ producit. Ultimum Priscianus libro 10.

NERVO-

NERVOLARIA.

†

Scobinam ego limâ actutum adrasi.

†

Scranciæ, scrupedæ, strictivellæ, tantulæ.

†

Prohibent, quom mœnia aliunde ego fungor mea.

†

Ocissimè nos liberi possimus fieri.

†

Polluctè prodigum esse amatorem addecet.

†

vinum sublestissimum.

†

Insanum valdè uterque deamat.

SCOBINAM EGO] Ita apud Varronem lib. 6. De L.L. hoc Turnebus emendavit.

A 2. SCRANCIÆ] Hæc lectio versûs hujus visa mihi germanæ proxima: ideoque exhibui. Robertus Stephanus, qui Fragmenta vet. Poetarum edidit, *Accio* sive *Attio* potius tribuit. Sed nostri esse Agellius olim voluit; & Scaliger in Conject. ad Varronem lib. 6. De L. Lat. probavit. In Nonio & Festo legitur *Scraptæ*, i. nugatoriæ & despiciendæ mulieres. in nonnullis *scratiæ* & *scractiæ*. Et videtur Scaligero *scracere* olim dictum τὸ χαίμαπτοδῶς. Turnebo dictæ videntur mulieres ab iis quæ *screa* appellantur, id est, quæ quis scroare solet. ut *scranciæ* sint à screando, quasi *screaciæ*; non minùs quam screa & sputa contemnendæ. *Scranciæ* potest & sicca esse & arida & exscreando exhausta. V. N. Curc. 1. 2.

B 2. SCRVPEDÆ] quæ ægrè incedunt: ab eo, quòd qui per scrupos & lapillos incedunt, difficilè ingrediuntur. Quæ ita ægrè consisterent, veteres etiam *petreias* vocabant. Ego puto, inquit Scaliger, melius esse, ut dicamus Plautum, cùm hæc ex Græco transferret, Græca quædam vocabula reservasse. Itaque *scrupedas*, quasi *crupedas* dictas: ut *tristabus*, *striabus* &c. κρούπεδαι enim, quæ & κρούπεζαι, Græcè dicuntur *sculponeæ*. à quo homines duris pedibus & ligneis vocabantur κρούπεδαι, κρούπεζοι. Vide Hesychium.

2. STRICTIVELLÆ] In nonnullis, ait Scalig. est, *strictipellæ*. Eæ erunt, quæ stringunt cutem, & rugas in facie extendunt, itaque ad id fiebat τεντάκωθρον, ut vocat Discorides, quod Latinè *tentipellium*. Titinnius:

——*tentipellium*
Inducis: rugæ in ore extenduntur tuæ.

Apud Nonium legitur *strictivellæ*. Erunt quæ psilothro, pumice & volsellis crebrò utuntur, ad cilia castiganda, & cæteros pilos evellendos. vel, quæ calamistrorum usu nimio pellem ad..runt. Propterea dicebantur *incoctæ mulieres*. A quâ ratione, qui vibrabant capillos, homines molles & effæminatos vocat Strabo lib. 14. κατωνυράς.

2. TANTVLÆ] In Agell. & Nonio lèg. *sordidæ*. *Tantulæ* autem erunt parvulæ, breves: de quibus Pænulo.

3. PROHIBENT] Festus in *Mœnia*, quæ illic *officia* interpretatur. simile quid Sticho. act. 5. 4. *Tamen bibimus: nos tamen efficimus pro opibus nostra mœnia.* Q. d. Ferre non possunt, (ut J. Gul. explicat) si ego aliunde tamen officii mei quod est facio. *Mœnia sua fungi*, est suo loco & ordine vitam rectè, &, ut decet, tolerare. Mostell. *Fungi fortunas suas.*

4. OCISS]

4. OCISS.] Festus citat in *Ocius*.

5. POLLUCTE PROD.] Ita Scaliger, apud Festum, in *Prodegeris*, i. consumpseris, prodideris.

VINUM SUBLESTISS.] Producit Festus A in *sublesta*, infirma, tenuia. *Et vinum sublestiss.* vocari ait, quia infirmos facit vel animo vel corpore.

8. INSANUM] Nonius citat in *Insanum*. V. N. Trinummo act. 3. Sc. 2

PATINA etiam, sive PATINARIA, si dis placet, à Sarcinatoribus illis hic fabricata est, in eâque comitate Festi in *Remeligines*, i. remoræ, tale fragmentum nobis appositum: *Nam quid ille nunc tam diu intus remorantur remeligines?* Sed è loco huic gemino CASINÆ act. 4. Sc. 3. v. 7. sic deformatum, aut interpolatum esse existimo. Movet me, B quòd in opt. MS. Cam. post verbum *remoratur* aliquid deesse videatur, ut fortè hoc verbum ibi exciderit. Certè hæc PATINA in omni suppellectili Plautinâ nusquā alibi conspecta. Interim versus iste in Festo pulcrè constituit Trochæum, in Casina dividitur.

PARASITUS-PIGER, sive, LIPARGUS.

†

INDE bene appotus primulo crepusculo
Domum ire cæpi tramite rectâ viâ.

†

Ambo magnâ laude lauti: postremo ambo sumus non nauci.

†

Addite lepades, echinos, ostreas,

†

Nihil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.

PARASITUS PIGER Plauti Fabula fuit; & ut C Scaliger censet, λίπαργος Græcè inscripta.

1. INDE BENE APPOSITUS] Ita Scaliger apud Varronem lib. 6. De L. Lat. correxit, & divulsa conglutinavit.

2. TRAMITE] *Trames* à trameando: quòd scilicet transversi scandant vias rectas.

3. AMBO M.] Citat hoc Festus in *Naucum*. Tu Notas vide Mostellariâ act. 5. 1.

4. ADDITE LEPAD.] Nonius hoc laudat, Capite 17. De genere ciborum & poruum sed tamen tanquam sumpta ex *Parasito Medico*. Quid *lepades*, dictum Rudente act. 2. Sc. 1. ubi hæc eadem ad verbum ferè legeris.

5. NIL MOROR] Priscianus lib. 10. ex *Lipargo* Plauti hæc arcessit. quæ manifestò dicta sunt in pigrum Parasitum. Aurea sunt Hesiodi ista è libro 1.

Λιμὸς γάρ τοι πάμπαν ἀεργῷ σύμφορος ἀνδρί.
Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἀνέρες ὅς κεν ἀεργὸς
Ζώῃ· κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀργήν,
Οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ
Ἐσθόντες——

FAMES perpetuò ignavo comes est viro.
Atque eundem & dii oderunt & homines; quicunque otiosus
Vivat; fucis aculeo carentibus stimulo similis,
Qui apum laborem absumunt otiosi
Vorantes——

PHA-

PHAGON.

†

Honos syncerasto perit.

ITA hoc Varro lib.6. De Linguâ Lat. è Phagone Plauti citat, ex emendatione Turnebi. *Syncerastum, est omne medullium*, quâdam diminutionis formâ, fuerit *medullosum*. quomodo edulium fortè *medullitum* dicitur, in quo medulla mixta: deduciturque à συγκεράννυμι, quod est, *commisceo*. Quidam, ait, A emendant, *omne edulium*: quod non probo: cùm certum quoddam edulii genus notetur. unde & apud Plautum servo nomen est impositum,

Continuò is me ex syncerasto crurifragium fecerit.

sic enim legi debet, ut trochaicus constet.

PHASMA etiam peculiarem Fabulam fecerunt, & duo fragmenta ex Festo in *Nec*, & *Super*, excerpserunt. Sed boni Collectores nescierunt *Phasma* & *Mostellariam*, B unam & eandem esse Comœdiam, ut alibi dictum est. Nam & duo ista fragmenta in Mostell. hodiè leguntur iisdem litteris; alterū act.1.Sc.3.v.83. & alterum act.3.2, vers.40.

PLOCIONA.

†

Nam coloratam frontem habet, petilis labris.

NONIUS laudat in *Petilum*, capite 2. è *Plottno* Plauti, sed *Plociona*, rectum πλοκιώνης, *stuparum emptor &c.* Festus. *Petilam suram, siccam & substrictam vulgò interpretantur.* Nonius: *Petilum, tenue & exile.* Lucillius Satirarum lib.12.

Insignis varis cruribus & petilis.

Qui versus non sollicitandus fuit à Colvio, lib.5. Metam. Apuleii: cum in *Petilum* media brevis sit. Est autem *petilum*, auctore C Meursio, nihil aliud, quàm folium, detortum ex Græco πέταλον: ut à τρυτάνη, *trutina*: βυκάνη, buccina: μηχανή, *machina*, & talia. Quia autem folia tenuia sunt & exilia, inde translatè omnia ejusmodi *petilia* vocabant. Inde etiam *Petilii* dicti, quòd corpore essent gracili: quod genus homines etiam *Cingulos* nominatos invenimus. Vide & Scaligerum Notis in Varronem de re rust.

SATURIO.

†

CATULINAM carnem esitavisse, hoc est, comedisse Romanos, Plautus in SATURIONE refert.

†

Retrahi nequitur, quoquò progressa est semel.

†

Male tibi evenisse video. qui glaber erat tanquam rien.

†

Succenturia; centum require, qui te delectent domi.

ORDINE omnia Festus ex *Saturione* Plauti citat.

NEQVITVR] Festus: *Nequitum, & nequitur, pro non posse dicebant.* Pacuvius: *Sed cùm contendi nequitum vi, clam tendenda est plaga.* Trochaicus est, emendatore Scaligero. Ubi notabis, simpliciter etiam *plagam* pro A rete. Glossarium: *Plaga, κυνηγετικὰ λίνα.*

RIEN] Festus: *Rienes antiqui vocabant nefrundines: quia Græci eos νεφροὺς dicunt.* Glossæ: *Rienosus, νεφριτικός.*

SVCCENTVRIA] Festus: *Succenturiare, est explendæ centuriæ gratiâ supplere, subjicere.*

SCEMATICVS etiam à Marcello editus nobis est, sub Personâ Plauti, capite 4. in *Limare.* Ita enim ille: *Plautus Scematico: Nam pater tuus nunquam cum illâ etiam limabit caput.* Sed rectè vidit Lipsius lib. 1. Epist. Q. 18. legendum, *Plautus schematicus: Nam pater &c.* Illud σχηματικῶς à Nonio additum: qui monere nos voluit figuratè à B Plauto dictum, *limare caput*, pro συνουσιάζειν. Gruteri sententia cum Præceptoris sui incidit: sed Gruterica emendatio paullo propius accedit ad ductum litterarum; quam vide Pœnulo act. 1. Sc. 2. v. 80. Josias Mercerus non videt cur heic potius addiderit Nonius figuratè dictum, quàm aliis exemplis.

SCYTHA LITURGUS.

†

MULIER es, uxor. Cuja, vir? ego novi, scio: axiosa es.

†

——Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut brocchum filium.

PRODIGIA verborum erant & in titulo & in fragmento: quod utrumque sic Scaliger ingeniosissimè restituit. Nam quid est, *Plautus in SITILITERGO?* ut Varro lib. 6. De Linguâ Lat. nuncupat. HÆC fabula, inquit idem Scalig. translata est ex Antiphane, quem citat Athenæus ἐν σκύθῃ. λειτουργοὶ verò καὶ δημόσιοι ὑπηρέται vocabantur *Scythæ*, &c. Et apparet apud Græcos, Scythas eundem ordinem tenuisse, quem apud nos Germani in stipandis Regum & Principum corporibus. λειτουργὸς quoque σκύθης introducitur ab Aristophane ἐν ἐκκλησιαζούσαις. Et falsus est memoriæ Festus, qui ex *Scythe liturgo* (sed & ibi quoque depravata est lectio) citat ea, quæ extant in Milite Plauti, act. 1. Sc. 1. Sanè *Scythæ liturgi* nihil aliud erant quàm *Stipatores*, & qui vocabantur olim *Latrones.*

MVLIER ES] V. N. suprà *in Astrabâ.*

SIN EA MIHI] Versus istos hactenus tolaravimus inter Plautinos Milite 3. 1. versu 216. quod Bernardus Sarracenus ambiguis C verbis præ se ferret se ipsos eruisse è veteribus codicibus. unde factum ut Camerarius in contextum receperit, addita una alteraque syllaba, quei prior versus compleretur. Sed & eadem ratione impositum est Jos. Scaligero, qui μνημονικὸν ἁμάρτημα Festo impingit, tanquam citaret ex Scythe liturgo, quod debebat ex Milite, cùm contra accusandus foret Sarracenus, qui locum illum Festi parum curiosis legerat oculis. nam ex Grammatico locum istbunc habuisse, ipsemet fatetur Plauti sui frontispicio, ubi emendationes suas ordine explicat. idem quoque fatetur Petrus Valla, in notis suis ad eundem locum.

INSIGNITOS] aliquo vitio notatos: Tertullian. de Resur. carnis, c. 57. *Itaque & cæci & claudi, & ut quis insignis excesserit, ita & revertetur?*

VARVM] *Varus*, qui distortis cruribus est, ut Horat. exponit. à loripede diversum non putat H. Junius. contrarius *valgo*, ut ait C. Sigonius, φοιβλαισός. Vox hæc me de Proverbio

verbio submonet: quod, quia per elegans & à Jos. Scal. primùm è tenebris erutum, apponam: *Vara vibiam sequitur.* Vara, inquit ille, significat perticam ab summo furcillatam: *Vibia* autem perticam transversam, quæ furcillæ illi imposita, & colligata est. quare si vara cadat, & vibiam simul cum illâ cadere necesse. unde rectè dictum, *vara vibiam sequitur* &c. Quadrat in eos, qui cùm uni vitio indulserint, deploratâ omni verecundiâ & profligato pudore ad alia præcipites feruntur, quasi omni jactâ bonorum aleâ. Cui non absimile Hispanorum, *Funus secutus est situlam* &c. Sed præstiterit duo nomina propria interpretari *Vibiam* & *Varum*. Nam *Vibii*, & *Vari*, nomina gentilitia Romæ. *Vara Vibiam*, hoc est, τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ ἕπεται. Plura ibid.

VALGVM] *Valgus, qui diversas habet suras, atque talos vitiosos*: Fest. βλαισὸς Polluci: cujusmodi est cancrorum & lacertarum incessus. Petronius ait, *Crura in orbem pandere*, qui crura veluti in cornua extrorsum sinuata, infrà coeuntibus talis, habent. vitium Æthiopum genti proprium ac genuinum. De hujusmodi *valgo* Mart. lib. 2. 35.

A *Cum sint crura tibi, simulent quæ cornua Lunæ,*
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

Vide Præcid. Douzæ. His opponuntur ῥαιβοί. de quibus Cælius l. 8. 13. & Budæus in Annot.

COMPERNEM] *Compernes* vocat Nonius, *qui sunt longis pedibus*: quod tamen Junio nō placet. Festus; *qui sunt genibus plus justo conjunctis.* Græci vocant γονυκρότους: ut notat Scal. ad Festum & Varron.

PÆTVM] *Pætus*, qui est oculis leviter declinatis, cuique huc atque illuc tremuli celeriter volvuntur: *Prophyrio.* Venus tamen etiam *pæta* fingitur. Ovid.

Si pæta est, Veneri similis; si flava, Minervæ.

BRONCVM] *Broncus, qui dentes habet prominulos, & os productum*: Nonius. Colerus legit *brocchum*: itáque Ciceronem & Val. Max. ait scripsisse. Glossarium; *Brocchus*, ὁ τὸ ἄνω χεῖλος ἀδηκώς. Lucillius:

Brochu' Bovillanus dente adverso eminulo uno,
Hoc est, Rhinoceros.

Salsè vocat *Brocchum Bovillanum*, ob eminentem unum dentem Rhinocerota. ita ἀλληγορικῶς Mart. lib. 1. ep. 4.

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

TRIGEMINI.

†

NI fugissem, medium credo præmorsisset.

AGELLIVS Noctium Attic. lib. 7. capite 9. quem vide.

QVÆ ἀνώνυμος Grammaticus ad Chalcidium è VACCIA, monstro Comœdiæ & vocabuli adducit, —— *effert nasiternam cum aquâ*; ea leguntur in Sticho act. 2. Scenâ 3. v. 13. Festus ex *Nervolaria* adducit. ubi & Scaligerum vide.

B

VIDULARIA.

†

UBI quamque pedem videbat, suffurabatur omnis.

†

Nescio qui servus è myrtetâ prosiluit.

†

Paupera hæc res est.

†

Opposita est claxendix. at ego dicam signi quid sit.

†

Animum advortite ambo, si vultis, vidulum hic apponite.
Ego servabo, quasi sequestro detis: neutri reddibo, donicum
Res judicata erit hac.

†

Haud fugio sequestrum.

†

Inopiam, luctum, mærorem, paupertatem, algum, famem.

†

Ejusdem Bacchæ fecerunt nostram navim Pentheum.

†

Nunc, ut apud sequestrum vidulum posivimus.

†

Nunc servus argentum à patre expalpabitur.

†

Imò id quod hac nostra est patria, & quod hic meus
Est pater, illic autem Soterinis est pater.

†

Malim moriri meos, quàm mendicarier. boni ministrantur: illum nunc irrident mali.

†

Signum rectè comparebat; hujus contendi annulum.

†

Quid multa verba? plurimùm luctavimus.

†

——Jube hunc insui culleo,
Atque in altum deportari, si vis annonam bonam.

†

Ibi ut piscabar, fuscinâ ici vidulum.

†

Nam audivi fœminam ego leonem semel parire.

VIDETUR Plautus & VIDULARIAM & RUDENTEM simili argumento scripsisse: quod fragmenta, quæ inde citantur, non obscurè arguunt.

1. UBI QUAMQUE P.] Nonius in *Pedis*: ubi *pedem* exponit pepiculum.

2. NESCIO QUI] Priscianus lib. 4. pag. mihi 625.

3. PAUPERA H.] Priscianus lib. 5.

4. OPPOS. EST CLAXENDIX.] *Claxendix*, significat concham, quâ signum tegitur. Prisc. lib. 3. pag. 655.

5. ANIMUM ADV.] Prisc. lib. 6. Etiam Nonius in *Reddibo* particulam inde citat.

8. HAUD FUGIO] Priscianus lib. 6.

9. INOPIAM &c.] Prisc. lib. 6. pag. 699.

10. EIUSD. BACCHÆ] Prisc. lib. lib. 7. & Nos Trinummo act. 4. I.

11. NUNC UT AP. SEQ.] Priscianus lib. 10.

12. NUNC SERVUS ARG.] Nonius in *Expalpare*.

IMO

13. IMO ID.] Producitur Prisciano lib. 7. A ubi ait: *Hæc Soteris, hujus Soterinis &c.*

15. MALIM MORIRI MEOS] ita Nonius in *Mendicarier:* & tuetur Nob. JC. Scipio Gentilis noster, in Apologiâ Apuleij, Observatione 228. contra virum magnum, qui in altero Senario rescribebat, *Boni im* (eum) *miserantur.* Geminumq; huic esse ait verbum *servire.* in illo Apuleji loco: *Ego adeò servior: tu an habeas ad agrum colendum, an ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias,* (i. permutes) *neque scio, neque laboro.* Idem defendit Casaubonus, & Senecam etiam sic locutum docet, lib. De tranquillitate vitæ: *servis paucioribus serviri.* Sed Lipsius (ut dixi) lib. 1. Antiq. Lect. malebat, *Boni im miserantur; il-* B *lunc irrident mali.* Ut hic sit ἀπολογία versus prioris: Pauperi melius esse mori, quàm mendicari. quia si moritur, misericordiam à bonis; si perseverat vivere, irrisum à malis consequitur. Sententia est, quæ compar Menandri istis:

Ὁ πρῶτος εὑρὼν διατροφὴν πτωχῷ τέχνην,
Πολλοὺς ἐποίησεν ἀθλίους. ἁπλοῦν γὰρ ἦν
Τὸν μὴ δυνάμενον ζῆν ἀλύπως, ἀποθανεῖν.

17. SIGNVM RECTE COMPAREBAT] Nonius in *Contendere:* quod *comparare* exponit. Lucillius lib. 1. Satirarum:

——— *ut contendere possem*
Thestiadas Ledæ, atque Ixionas Archilochio.

Idem lib. 7. ex restitutione Jos. Scaligeri:

Huccine ego unquam Hyacinthi hominis Cortinipotentis
Deliciis contendi?

Cortinipotentem videtur appellare Apollinem, cui Hyacinthus in deliciis erat: ut quidem Francis. Douza autumat. quanquam Ob. Gifan. malit legere, *Deliacis cótendi*——. Cæcilius in Tyche: *Ego vitam meam Atticam contendam cum istâc rusticanâ Syrâ?* Nævius Lycurgo: *Cavesis tuam contendas imm contrà cum irâ Liberi.* Licinius Macer, in Epistolâ ad Senatum: *Illi suam vitam mecum contendunt: quorum in corpore ita crebra sunt vulnera vitæ, nova cicatrici ut locus non sit.*

18. QVID MVLTA VERBA?] Nonius in *Eluctari.* Ita Terent. Hecyrâ act. 5. Scenâ 3. *Dixitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.* pro, *luctatur.* Ita noster etiam Trinummo: *cum his ærumnis deluctavi.*

19. JVBE HVNC INSVI CVLLEO] Ignotus Grammaticus ad Chalcidium ex Vidulariâ Plauti citat.

20. IBI VT PISCABAR] Nonius in *Icit:* libro 2. Observatione 424. quanquam ibi perperam *Aulularia* scribitur. V. N. Truc. act. 1:1.

21. NAM AVDIVI] Junius Philargyrus ad Eclogam 2. Virgilii. Pareus heic ex Plauti Vidularia citat: *Dic mihi si audes, quis ea est quamvis ducere uxorem?* sed ineptè. versus enim sumptus est ex Aulul. 2. 1. v. 48. & verò Priscianus Mſ. Gruteri, unde locus hic depromptus, planè agnoscit *Aululariam.*

LOCI EX AMISSIS

citati, amisso etiam Comœdiæ nomine.

†

EPEUM fumificum, qui legioni nostræ habet coctum cibum.

†

Oggannuit odiosus omni totæ familiæ.

†

Licet vos abire curriculò.

†

Jam tibi tuis meritis crassus corius redditus est.

†

5 *Dii benè vortant! tene cruminam: in eâ erunt triginta minæ.*

†

Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quàm famam reor.

†

Stultus est adversum ætatem & capitis canitudinem.

†

Numnám mihi oculi cæcultant? estne hic noster Hermia.

†

Ejuravit militiam.

†

10 *Sic me subes cotidie, quasi fiber salicem.*

†

Herbam do.

†

Iniit te unquam febris?

†

Neque munerulem Legem, neque Lenoniam,
Rogata fuerit nec né, floccid æstimo.

†

15 *Perfidiosè captus, edepol nervo cervices probas.*

†

Muriatica autem video in vasis stagneis:
Bonam naritam, & camarum, & tagenia:
Echinos fartos, conchas piscinarias.

†

Non ego te novi, navalis scriba, columbar impudens?

†

20 *Nihil deconciliares illi, nisi quid Persibus sapis.*

†

Sacrum an profanum habeas, parvipenditur,

†

Vlcerosam, compeditam, subverbustam, sordidam.

†

Glirium examina.

†

——sed leno egreditur foras.
25 *Hinc ex occulto sermonem ejus sublegam.*

†

Nec, machæra, audes dentes frendere.

†

Floccipendo quid rerum geras.

Argen-

†

Argentum hinc facite.

†

Clandestina ut celetur consuetudo.

†

Properant prandium.

†

Quam folles taurini habent, cùm liquescunt petra, ferrum ubi fit.

†

Non bis ut possit, edit; sed posse cupit, ut edat.

†

Fortasse se amare suspicavêre.

†

Instare factum.

†

Egóne illi veneat?

†

Inimicus esto, donicum ego revenero.

†

Pedibus.

†

Corpus tuum virgis ulmeis inscribam.

†

Nunquàm ad civitatem venio, nisi cùm infertur peplum.

†

Scelerate manus.

†

Ipsa sibi avis mortem creat.

†

Pro larvato te circumferam.

†

Paupera hæc est mulier.

†

——Si qua fortè concio est,
Vbi eum bietare nondum in mentem venit.

†

Cilix, Lycisce, Sosia, Stiche, Parmeno,
Exite, & ferte fusteis privos in manû.

†

Anus hæc in pellis periculum protenditur.

†

Cedite mihi.

Mecum

†

Mecum habet patagus, morbus, as.

†

Quid est hoc? rugat pallium. amictus non sum commodè.

†

——exi tu Dave,
Age, sparge. mundum esse hoc vestibulum volo.
Venus ventura est nostra. non hoc pulveret.

†

Regiescit.

†

Pullaria.

†

Vesperna.

†

Neq; ego ad mensam publicas res clamo, neq; leges crepo.

EPEUM FUMIFICUM] Citat Varro lib. 6. de Linguâ Latinâ. Tu notas vide Bacchid. act. 4: 9. Hunc autem Epéum non tantùm cocum fuisse, quod etiam in Epigrammate apud Athenæum legitur; sed & lixam, docent versus Theocriti, quos laudat etiam Scaliger in Conjectan.

A

2. OGGANNUIT] Varro lib. 6. de L.L. ex emendatione Scaligeri. Ganniunt canes gestientes ob herorum adventum: ut apud Lucretium, ——*gannitu vocis adulant*, Et Homero γάνυται semper est gestu quodam oris exprimere gaudium, ob amici aut alterius cari adventum. Hoc etiam voluit Pindarus in Pythiis: ὐδὲ μολόντων πὰρ ματέρι ἀμφὶ γέλως γλυκὺς ὦρσεν χάριν. id est, ὐδὲ οἱ μολόντι ἰγανύσσατο μήτηρ. Hæc Scaliger. Cæterùm, *Voces animalium, Rerumq; inanimatarum* (ut præscripsit) *proprietates vocales*, ex variis Auctoribus Latinis pariter & Græcis, studiosius colligit nuper Thuringorum Orpheus Georg. Quitschreiberus. etsi alicubi exactiora fieri poterant.

B

3. LICET VOS ABIRE] Festus, in *Curriculo*: & exponit *Cursim*.

4. JAM TIBI TUIS MER.] Idem, in *Corius*. Et addit: Pari modo diverso genere dicebant, hæc lupus &c. Ennius: *Endotuetur ibi lupu' fæmina conspicio amnem*, Notat Scalig.

5. DII BENE VORTANT.] Ita Scaliger apud Festum restituit.

6. NULLAM EGO REM] Festus in *Citior*. Declinabant olim, *Cis, citis: ulis, ulsis. Citimus*, i. extimus.

7. STULTUS EST &c.] Idem in *Canitudo*, pro canitie. Non absimile illi, quod est in Epidico act. 1: 2. *Præter ætatem & virtutem stultus es.*

8. NUMNAM MIHI OCULI] Festus: *Caculant, cæcis proximi sunt oculorum acie obtusâ.* Plautus: *Nummam &c.*

9. EIURAVIT M.] Festus: *Ejuratio significat id, quod desideretur, non posse præstari.* Plautus: *Ejuravit m.*

10. SIC ME SUBES] Citat Festus in *Fiber*. Sanè *Castor* & *Fiber*, idem est animal, dictus quoque *Canis Ponticus*. quod Servius, & Rittershus. in Oppian. annotarunt. inde *Castorea* apud Virgil. 1. Georg. id est, testiculi fibri. Dictus κάστωρ, vel, quòd se castret, (quod tamen nugatorium esse liquet:) vel quasi γαστὴρ: quod præter ventrem nihil alioquin utile habeat. Dictus *Fiber*: quasi *fimber*: quòd in extremis fluminum oris, & tanquam fimbriis degat. Veteres extremum dixerunt *fibrum*: inde fibræ in animalibus & arborum radicibus. Hinc lux Plautino detur, *Sic me subes cotidie quasi fiber salicem*. Nam qui in fimbriis fluminum degit, salice delectatur. Itaq; vetus capiendus Castor in Plauto, non vespa quædam, aut alterius animalis species, ut quidam volunt, quemadmodum hæc & alia

alia de Castore eruditè disputavit Joh.Ludovicus de la Cerda Toletanus.

11. HERBAM DO] Festus: *Herbam do, cùm ait Plautus, significat, victum me fateor. quod est antiqua & pastoralis vita indicium. nam qui in prato, cursu aut viribus contendebant, cùm superati erant, ex eo solo, in quo certamen erat, decerptam herbam adversario tradebant.* Ad quod Scaliger: NAM nemo poterat dici victor, nisi prius is, quem vicisset, se victum fateretur, & victorem agnosceret. Ennius:

Qui vicit, non est victor, nisi victu' fatetur.

Quæ Nonius adfert, nihil ad rem, immò contra sententiam ipsius Nonii, &c.

12. INIIT TE V. F.] Festus, in *Iniit*, pro *introiit*.

13. NEQVE MVNERALEM] Citat Festus. Lex Cincia de donis & muneribus, non omnibus prohibuit munus accipere: sed ob caussam orandam, patrociniumq; præstandum. Ergo Lex ea tantùm ob defensam caussam donum accipere vetabat. Vide Ciceron. lib.1. Epist.ult. ad Atticum, item Plinii junioris ad Valerianum lib. 5. etiamsi Legis mentio non fit: item C. Tacitum lib. 11. 13. 15. sed & Indicem Legum Fr. Hotomanni. Notarunt Ant. Augustinus JC. & Jos. Scaliger ad Fest.

15. PERFIDIOSE CAPTVS] Festus: *Nervum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impediuntur: quanquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait, &c.* Vide Scaligerum ibid. & Notas Aulul. act.4:10.

16. MVRIATICA AVTEM V.] Citat hos versus Festus in *Narica*, quod genus piscis minuti interpretatur. Secuti autem sumus emendationem Scaligeri. *Murtatica* quid sint, diximus Pœnulo act. 1. Scenâ 2. *stagneis*, antiquâ scripturâ pro *stanneis*. quod docet Aus. Popma in *de usu antiquæ locutionis*, lib. 1. c. 3. Quanquam Scaliger *stagneum vas* suspicatur esse incrustatum. cum *stagnare* fuerit ἐμπλάττειν τὰ ἄγγη. quod vulgò in idiotismo nostro *invitriare* dicimus &c. Sunt &, qui *stagnea vasa* interpretantur χαλκοπαγῆ. *Narita* dicitur ostrei genus, quæ ἠρίτη Græcis. *Camarum*, κάμμαρον, est etiam apud Hesychium. *Tagenia*, itidem pisces sunt, qui & ταγηνιστὰ &c. Vide Athenæum. *Echinos fartos* vocat, qui farciebantur, hoc est, saginabantur in vivariis: sicut *conchas Piscinarias*, quæ in piscinis, &c. Quomodo Hadr. Turneb. hos versus emendare & interpretari conatus sit, vide apud ipsum Adversar. lib.4. cap.6.

19. NON EGO TE NOVI] Festus in *Navalis scriba*. Scaliger, *Navalis*, inquit, *scriba* dictum, tam propter *scribam*, quàm propter *navalis*. quia & nautæ & id genus hominum malè audit. Etiam apud Homerum *Navalis scriba* est convicium, Odyss. 9.

φόρτου τε μνήμων, καὶ ἐπίσκοπος ἧσιν ὁδαίων.

hoc est, γραμματεὺς φόρτου, καὶ ἐφοδίων ζημίας. Jam, *Columbar impudens*, dictum eâdem formâ, quâ Catullus mulierem prostituti pudoris vocat *lupanar*: Lucillius *carcer* vocat eum, qui meruit in vincula conjici. *Columbaria* in navi sunt ea, quibus remi eminent. dicta à similitudine foraminum, in quibus par columborum nidificat. Vide & Turnebum lib.10. cap.15.

20. NIHIL DECONCIL.] Festus in *Persicus*, quod *peracutum* ille interpretatur. Scalig. ad Varr. lib.6. de L. L. legit *Persibus*. Persuaserunt, inquit idem, Itali Vertanio, legendum *Persicus*. At nos id disertè negamus. Nam & apud Varron. & Festum legendum *Persibus*. quippe simplex fuit *sibus*. Festus: *Sibus, callidus, vel acutus.*

21. SACRVM AN PROFAN.] Adfert Festus; &, *profanum*, ait, est, *quod fani religione non tenetur.*

22. VLCEROSAM &c.] Festus in *Subverbustam*, i. verubus ustam. sive adeò *subverbustam*. Tertullianus in libro Scholastico *de pallio*, Cap.4. *Prorsus si quis Mæandrico fluxu* (ab *Menandrico confluxu*) *delicatam vestem humi protrahat, audiat ponè se quod & Comicus; qualem demens iste Chlamydem dispердit? Enimverò jam dubium censoriæ intentionis episcynio disperso, quantum denotat ui passivitas* (i. promiscua multitudo) *offert, libertinos in Equestribus, subverbustos in Liberalibus, deditìtios in Ingenuis, rupices in Urbanis, scurras in Forensibus, paganos in Militaribus. Vespillo, leno, lanista tecum vestiuntur &c.* Ergò Plautus *subverbustos* vocat τοὺς στιγματίας: quia notis inurebantur. Hadr. Junius à verbere *verbustum* deducit, &c.

23. GLIRIVM EXAM.] Nonius Marcellus in *Glis*.

24. SED LENO EGRED.] Idem cap. 4. in A *Legere*. i. surripere. unde & *Sacrilegium* dicitur, id est, de facto furtum. Virgil. Bucol.

Nam quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper.

Lucillius lib. 28. Satirarum:

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet.

Non absimile legitur Milite act. 4:2.

26. NEC, MACHÆRA, AUD.] Nonius in *Fremere* & *Frendere*. quem vide. Ego sic legend. suspicatus sum.

27. FLOCCIPENDO] Citatur à Fulgentio in Expositione sermonum antiquorum, &c.

28. ARGENTUM H.] Vetus interpres. Terent. in Phorm.

29. CLANDESTINA] Idem in Adelphis. Simile Amphitruone, *Et Clandestina ut celetur suspicio.*

30. PROPERANT] Jun. Philargyrus ad 4. Georg.

31. QUAM FOLLES] Idem ibid.

32. NON HIC UT] Citat ex Plauto J. Is. Pontanus ad Macrob.

33. FORTASSE] Donatus in Hecyrâ.

34. INSTARE FACTUM] Donatus ad Andriam, act. 1: 1. Tu vide quæ notavimus Curcul. act. 3. B

35. EGONE ILLI] Diomedes lib. 1. ubi probat, veteres & *venecor* & *venditus sum*, dixisse.

36. INIMICUS] Charisius lib. 2.

37. PEDIBUS.] Idem ibidem: & *pedibus* capit adverbialiter. quomodo videntur *pedes* capere, Milite act. 2:3.

38. CORPUS TUUM] Citat Servius ad illud 1. Æneid.

——comaque trahuntur
Per terram, & versâ pulvis inscribitur hastâ.

V.N. Menæchm. act. 5:7.

39. NUNQUAM AD CIV.] Citat Servius Æneid. 1. Sed de hoc Minervæ peplo sive pallâ videantur quæ notavimus Mercatore Scenâ 1.

40. SCELERARE MANUS.] Servius Æneid. 3. ad illud:

Parce pias scelerare manus——

notat: *Scelerare manus*, pro, polluere, Plautinus sermo, hodie non in usu. At non ideo deterior nobis, mi Servi: quod tuo ævo semi-Latino castissima Plauti & Virg. Latinitas insitata fuerit. Forte & *scelerorum* tibi sordet, quod Terent. dixit Eunucho act. 4: 3.

41. IPSA SIBI AVIS.] Servius Æneid. 6. ad illud:

Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere novâ, quod nō sua seminet arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos.

Quod de fimo turdelarum in certis arboribus Plinius narrat. Vide Ulyss. Aldovrandi Ornithologiam. Erasmus Roterod. existimat in hoc Plauti pro *creat* legendum *cacat*: quem vide in Adag.

42. PRO LARVATO TE CIRCUMFERAM] i. purgabo. Nam lustratio à circumlatione dicta est, vel tedæ, vel sulphuris. Juvenalis:

——siqua darentur Sulphura cum tedis——

Hæc Servius ad illud Æneid. 6.

Idem ter socios purâ circumtulit undâ.

V.N. Amphitr. act. 2:2.

43. PAUPERA] Laudat Servius Æneid. 12. ad illud: *——pauperque domus——* ubi pertendit, Hic & hæc *Pauper* dicendum. *Paupera* usurpativum esse, & tantùm Poetis licitum.

44. SI QUÆ FORTE] Diomedes lib. 1. Vide Notas Menæchm. act. 3:1.

45. CILIX] Horatii vetus Interpres 2. Satirâ 5.

47. ANUS HÆC IN PENNIS] Porphyrio interpres vetus Horatii. V.N. Trucul. act. 2:2.

48. CEDITE MIHI] Allegat Phocas Grammat.

49. MECUM HABET P.] Citat Macrobius lib. 5. cap. 19. Saturnal. ubi docet, apud veteres ad rem divinam pleraque ænea adhiberi solita, & in iis maximè sacris, quibus delinire aliquos, aut devovere, aut denique exigere morbos volebant. Vide ibid. Cæterum hæc Is. Pontanus ad Corybantas seu Cybeles sacerdotes refert. *Patagus* itaq; capitum istam conquassationem denotabit, de quâ apud Strabonem lib. 10. Æs, incenditum æris sonitum. Unde Poeta:

Nec te progenitum Cybeleius ære sonoro
Lustrabit Corybas.

Morbus ipse κορυβαντιασμὸς erit. Obnoxii enim huic malo perpetuis mactabantur insomniis vigiliisque & *solent*, ut ait Catullus, *imaginosum*. Platone Critone: ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν. Claudianus etiam allusisse videatur, libro in Rufinum: *Impatiensque sui morbus*. Festi autem truncata verba. *Patagus morbus*, omnino huc facere autumo &c. Hæc ille.

50. QUID

50. QVID EST HOC?] Agellius lib. 18. A cap. 12. Vide Not. Casinâ act. 2: 3. *palliolum ut rugat.*

51. EXI TV, DAVE &c.] Idem ibidem. *Pulveres.* non quod pulvere impleat, sed quod ipsum pulveris plenum sit.

54. RIGIESCIT] Festus: *Rigiescit, apud Plautum significat crescit.*

55. PVLLARIA] Festus dicit, *pullariam* à Plauto appellatam fuisse manum dexteram: à palpandis (ut Turnebus opinatur) tentandisq; pullis sive pueris &c. Adversar. lib. 3. cap. 11. Gruterus capit pro tertia manu, virili illa scilicet, de qua supra p. 1077. a. 2.

VESPERNA] Citat Festus & interpretatur *Cœnam.* Vide & Donatum ad Eunüch. Terent.

NEQVE EGO.] Extat in Servio Fuldensi fine libri 1. Æneid. ad illud: *Et Bitbiæ dedit increpitans.* Pessimo facinore quidam intulere Plautinæ Militi 3. 1. ante versum 57. cùm ne Comœdiæ quidem nomen apponatur in Servio.

Loci ex Comœdiis, quæ exstant, citati: qui tamen in nostris hodie Codicibus nusquam comparent.

AMPHITRUONE.

†

OPTIMO jure infringatur aula cineris in caput.

†

Ne tu postules matellam unam tibi aqua infundi in caput.

†

Herus Amphitruo occupatus.

†

Quæso advenientem morbo nunc medicum tibi.
Enim tu certè aut larvatus aut cerritus es.
Edepol hominem te miserum! medicum quærita.

†

Cuique, me absente, corpus vulgavit suum.

†

Exjuravisti te mihi dixe per jocum.

†

Qui nequeas nostrorum uter sit Amphitruo decernere.

†

Nisi hoc ita factum est, proinde ut factum esse autumo,
Non caussam dico. verùm qui insimules probri?

†

Manifestum hunc obtorto collo teneo furem.

†

Ibi scrobes effodito duplos sexagenos in dies.

†

At ego certè cruce & cruciatu mactabo: exi ô foras, mastigia.

OPTIMO IVRE &c.] Nonius in *Aula*. de his ollis cinere repletis & Parasitis cōtumeliosè impactis, Vide Notas Capt. act.1. Scenâ 1. & Curcul.act.3.

2. NE TV POSTVLES &c.] de hoc fragmento diximus Amphitr. act.3:4.

3. HERVS] Nonius in *Occupatus*, i. impeditus. ut Græcè dicitur ἀσχολεῖ, i. vacuus non est.

4. QVÆSE, ADVEN.] Hæc ita è Nonio in *Cerritus*, item in *Advenire*, conferruminavit Valent. Acidalius Divinationum & Interpretationum Plautinarum lib.1. cap.12. Quæ etsi germana non præsto; tamen conatus probatur.

7. CVIQVE, ME ABS.] Nonius in *Vulgare*. De quo vide J. Gulielmii Plautinas Quæstion. cap.7. Amphitr. & Notas nostras act.4:4.

8. EXIVRAVISTI] Nonius in Exjurare. de quo V.N.Amphitr.3:3. versu 17.

9. QVI NEQVEO] Nonius in *decernere*. Vide nos ibid. Amphitr.4.3. v.3.

10. NISI HOC ITA FACT.] Nonius in *Autumare*, i. dicere. Pacuvius: *Flexa, non falsa autumare dictio Delphis solet.*

12. MANIFESTVM] Idem ex Amph. citat.

13. IBI SCROBES] Nonius cap.3. Observat. 207. Priscianus lib.5. & 7. & Servius 2. Georg. Inter fragmenta Amphitr. recensetur etiam,

Prius ipse mecum etiam volo hic meditari——

item illud:

Vno ut labore exsolvat ærumnas duas.

Sed hoc extat ibid. act.1:2. illud, act.1:1.

14. AT EGO] Nonius in *Mactare*: illud *exi ô foras*, est à Mercero, cùm esset in ms. cod. *exuo foras*.

ASINARIA.

†

Qui etiam me miserum famosum flagitiis facit suis.

†

Heic aderit, credo, congerro meus.

AULULARIA.

†

Nec noctu nec diu quietus unquam eam, nunc dormiam.

†

——*sed leno egreditur foras.*

Hinc ex occulto sermone satus sublegam.

†

Homo ebriolatus somno sanari solet.

†

Qui mihi olera cruda ponunt, halec danunt.

Ego

†

Ego ecfodiebam in die denos scrobes.

†

Hic quidem pervicus custodem addidit.

†

Pro illis crocotis, strophiis, sumptu uxoris.

†

Ut admemordi hominem.

†

myrtam. myrtum.

†

CAPTEIVEI.

†

Fac fidele: cave fluxam fidem feras.

†

Pileum, quem habuit, deripuit, eumque ad cælum tollit.

†

Auctionem facio parasiticam.

CASINA.

†

Perij! illic habebit flocco jam homo lumbos meos

†

Intro ad uxorem, sufferamque meum tergum ob injuriam.

ASINARIA. QVI ETIAM &c.] Nonius in *Fama*, pro, *infamia*. Vide sententiam J. Gulielmii Asinariâ act.5. Scenâ 2. vers.25. A

2. HEIC ADERIT] Idem in *Gerra*. Quæ collectores hic addiderunt: *id est, collusor meus, qui easdem exercet nugas*; non sunt Plauti verba, sed Nonii Plautum interpretantis: ut observavit etiam J. Gulielmius. Citat idem Nonius in *Pernicies*, ex Asinariâ: *Pelle crebris perniciis*. sed depravatissimum esse quivis videt. Alludunt illa act.1.2. *Pellecebræ, pernicies* &c. Sed I. Gulielmii molitiones vide in Quæstionib. Plautinis ibid. c.3. & quæ nos loco allegato notavimus.

3. AULULARIA. NEC NOCTV] Affert Nonius in *diu*, pro die: unde *interdiu*. Quem autem in locum J. Gulielmius immittere satagat hoc fragmentum, vide apud ipsum, & Notas Aul. act.1.1.

4. SED LENO] Est in Nonii *Legere*. Mercerus ultima emendabat, *sermonem ejus*.

6. HOMO EBRIOLATVS.] Citant è Nonio, sed ita: *Homo ebriacus s.* At verò negat Lud. Carrio Emendation. lib.1.2. satis Latinè dici *ebriacum*: & reposuit *ebriolatus*: ab *ebriolo, as*: quo usus sit Laberius; quod displicet Mercero, acceditque Passeratio emendanti, *ebriatus*. Vide Aulul.4.5.v.5. & 6.

7. QVI MIHI OL.] Nonius in *Halec*. Horatius 2. Serm.4.

——*ego fæcem primus & alec,*
Primus & inveni piper album

8. EGO ECFODIEBAM] Idem in *scrobes*.

9. HIC QVIDEM PERVICVS] Idem in *Pervicus*, pro pervicaci. Vide Notas Aulul. act. 3. 6.

 10. PRO

10. PRO ILLIS CROCOTIS] Idem in *Strophium*. I. Gulielmius Aul. act. 3. Sc. 5. vers. 56. hunc impactum voluit: quem tu ibi vide, de *crocota*, Epidico act. 2. 2. A

11. VT AD MEMORDI] Agellius lib. 7. cap. 9. Ita Laberius: *De integro Patrimonio meo centum millia nummûm memordi.*

12. MYRTAM] Citant hoc ex Porphyr. vetere Horatii interprete, qui probet Plautum in Aul. & *myrtam* & *myrtum* dixisse.

13. CAPTEIVI. FAC FIDELE] Poni & istud debet inter fragmenta; quoniam nimis discrepet ab eis quæ extant Scen. 3. act. 2. v. 79.

14. PILEVM, QVEM H.] Nonius in *Pileus*.

15. AUCTIONEM F.] ἀνώνυμος Grammat. ad Chalcidium.

19. CASINA. PERIT.] Citat Nonius ex Casinâ. Sed J. Gulielmius testatur in Nonio MS. Augerii Busbequii laudari ex *Cassinariâ*. hinc ille correxerit, *Asinaria*: & putaverit dictum ab Argyrippo, dum servum vehit; act. 3. Scenâ 3.

17. INTRO AD VXOR.] Adducitur hinc à Nonio. Pro illo, *ob injuriam*, malit Acidalius *ad injur.* Sed non opus. cùm *ob* pro *ad* veteribus illis frequentatum sit. Porrò, quæ ex CISTELLARIA adferuntur, ea nos sub titulo CISTELLARIÆ sive ASTRABÆ, suprà produximus. Fragmentum ex EPIDICO quod citant, *In latebras &c.* legitur in Cistellariâ hodie, act. 1. 1.

BACCHIDES.

†

ILLA mei cognominis fuit.

†

——nam & ex mari timida ecce ego
Pavitare——

†

Quibus ingenium animi utibile, est modicum & sine
Vernilitate——

†

Ecquis evocat cum nassiternâ & cum aquâ illum impurissimum?

†

Quæ sodalem atque me exercitos habet.

†

Nam tu quidem cuivis excantare cor facilè potes.

†

Vincla, virga, mole sævitudo mala fit pejor.

†

Cor meum, spes mea, mel meum, suavitudo, cibus, gaudium.

†

Limaces viri.

†

Ne à quoquam alio acciperes mercedem annuam
Nisi ab sese: nec cum quiquam limares caput.

Cupido

†
Cupido te conficit, ánne amor?
†
Praenestinum, opino, esse: ita erat gloriosus.
†
Sin lenocinium fortè collubitum est tibi,
Videas mercedis quid tibi est aequum dari,
Ne istâ aetate me sectère gratiis.
†
Ulyssem audivi fuisse aerumnosissimum,
Qui annis viginti errans à patriâ abfuit:
Verùm hic adolescens multo Ulyssem anteit,
Qui illicò errat intra muros civicos.

ILLA MEI COGN.] Servius Æneid. 6. ad illud, A
——*gaudet cognomine terrâ*. Loquitur autem una de Bacchidibus. Alii leg. *Illa mea cognominis fuit*; non, *mei*.

2. NAM ET EX MARI.] Hoc ex Donato contulit J. Gulielmius Plautin. Quaest. in Bacchid. c. 1.

4. QVIBVS INGENIVM] Ita idem Gulielmius hoc emendavit: cùm apud Nonium in *Modicum* legeretur: *Quibus ingens in animo utibile est modicum & sine vernilitate. Modicū*, i. moderatum & cum modo. Additur: Cicero lib. 2. De Repub. *Statuo esse optimè constitutam Rempub. quae ex tribus generibus illis regali & optumati & populari confusa MODICE: nec puniendo irritet animum immanem ac ferum: nec omnia praetermittendo, licentiâ cives deteriores reddat.* Varro, περὶ τύχης: *SAPIENS est, bonum ferre potest modicè, & malum fortiter aut leviter.* Caeterùm in Charisio, lib. 2. p. 185. illa Plauti ex Bacchid. ita citantur: *Ingenio in animo utibile & modicum est.* Suae emendationis I. Gulielmius hanc ait esse sententiam; Eos utiliter suo ingenio uti, qui modesti sint, & lasciviâ juvenili non exultent. Quam Val. Acidalius non reprehendit: putat tamen à Plauto scriptum fuisse: *Quibus ingens in animo cohibile est & modicum &c.* Neque forsan, inquit, *ingens in animo*, mutandum: quod sonat τὶ μεγαλόψυχον, & illud ferox atque vix domabile animi juvenilis. Agitur planè de juvenibus ex eo genere, quibus animi illud ingens non sit effraene, sed cohibile, modestum, & sine lasciviâ protaciori. B

6. ECQVIS EVOCAT] Festus in *Nasiterna*. Juvenalis:
Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccabis calicem nasorum quattuor---
V. N. Sticho act. 2. 3.

7. QVAE SODALEM] Nonius in *Exercitum*, i. fatigatum. Sallust. *exercito corpore*. Citat idem & Sosipater lib. 2. in *Atque*. Terentius: *Atq. ex me hic natus non est, sed ex fratre.* ubi Acron; Argutè, inquit, nam per hanc Cōjunctionem transitum fecit ad narrationem. Cato: *Atque quanquam multa &c.* Haec Sosipat.

9. NAM TV QVIDEM] Servius ad Eclog. 8. & Nonius in *Excantare*. quod Servius exponit, magicis carminibus obligare. Passeratius ad 3. el. 3. ad Prop. cantu coratq; animum adimere; quod alibi *cor evocare foras*. Lucan. 6. *Tunc vos letheos cunctis pollentior herbis Excantare Deos.* Varro apud Nonium: *Ubi vident se cantando ex ara excantare non posse diripere incipiunt.* allusum ad vers. XII. tabul. *Si quis fruges excantassit*. de quo Plinius 28. cap. 7. Seneca 4. 7. nat. quaest. Servius ad illud: *Atque satas alio vidi traducere messes.* Horat. Epod. od. 5. *Sidera excantata voce Thessala.* Noster Amphitr. Scenâ, *Dy vostram fid.* suppositâ, si fortè:
---praestigiator fortè aut veneficus
Hanc excantat tibi familiam.

9. VINCLA] Nonius in *saevitudo*.

10. COR MEVM] Idem in *suavitudo*.

11. LIMACES VIRI] Nonius in *Limare*. Collectores addiderant: *quod atterant & consumant*, quod Nonii interpretamentum esse jam diu est cum monuit I. Gulielmius.

Grute-

Gruterus noster adolescens hoc fragmentum Asinariæ impingebat, act. 3. 2. ubi vide. A

12. NE A QVOQVAM] Nonius itidem in *Limare*. Vide Notas Curcul. act. 2. 1. Mercatore 3. 1. Pœnulo, act. 1. 2.

14. CVPIDO TE C.] Citat Servius 4. Æneid. & Nonius in *Cupido*. V. N. Curculione, Scenâ 1. monetque Mercerus in utrisque Mss. legi *Cupidon*.

15. PRÆNESTINVM] Nonius in *Opino*, cap. 7.

16. SIN LENOCINIVM] Charisius lib. 2. pag. 180. hoc festinanti oggessit; quod sic in numeros suos reposui & leviter correxi.

9. VLYSSEM AVDIVI] Idem ibidem; quod similiter ita constitui. Et videtur mihi sententia Plautinissima.

MOSTELLARIA.

†

SINE juxta anum sedeam, & dabo meliora consilia

MILES.

†

ITA nos nostrámque familiam habes exercitam.

†

Modicè sapis.

PSEUDOLUS.

†

Nisi carcerem aliquando effregeritis vestram domum.

POENULUS.

†

IMPORTUNA avis venit vesperi.

RUDENS.

†

QUID murmurillas tecum, & te discrutias?

†

Aulas abstulas.

STICHO.

†

Nonne hoc publicitus.

TRUCULENTUS.

†

BONA perdidi, mala repperi: factus sum extimus à vobis.

MOSTEL-

MOSTELLARIA SINE IVXTA] Servius A ad illud Æneid. 9.

——luco tum fortè parentis
Pilumni Turnus sacratâ valle sedebat.

Secundum Plautum, inquit, *sedere*, est consilium capere: qui inducit in Mostell. servum dicentem, *Sine juxta aram sedeam, & dabo meliora consilia*. Nam & ipsa *consilia* à sedendo, quasi *considia* dicta sunt. Sedentium enim animi tranquilliores fiunt. Hæc ille. Pænè gemina hodieque extant in Mostell. act. 5, 1. & quid si Servius ea respexerit?

——nimio plus sapio sedens.
Tum consilia firmiora sunt de divinis locis.

2. MILES. ITA NOS &c.] Ignotos Grammat. ad Chalcidium. Quid sit *exercitum*, diximus paulo antè.

3. MODICE SAPIS] Nonius in *Modicum*: de quo etiam superius. Gulielmius frustum istud aptabat act. 5. sc. 4. v. 53. V. N. At Josias Mercerus rejiciebat in ultimam scenam v. 29. *magis sapis*. Sed verius est, inquit, habuisse Nonium in animo locum 4. 5. versu 15. *at modicè decet*. Turpilius Comicus, in Dimiurgo:

B

Ego edepol docta dico: QUÆ mulier suum virum
Volet sibi obsequentem esse atque diutinum,
MODICE atque parcè ejus serviat cupidines.

INTER fragmenta *Militis* posuerant & versum: *Es, bibe, animo obsequere &c.* item alterum: *Viden oculis tu illam venaturam facere &c.* Sed ille extat hodie act. scen. 1. v. 83. hic, act. 4. 1. extremâ. De quibus Gul. Canterus Novar. Lect. lib. 4. c. 6. MERCATORIS etiam fragmentum fecerant; *Noctuque & diu ut viro subaola sis.* quod ad Casinam pertinere, act. 4. 4. idem Canterus monuit.

4. PSEVDOLVS. NISI CARCEREM] Servius Æneid. 1. ad illud:

——tenet ille immania saxa,
Vestras Eure domos;

Quod Poeta dicit, *saxa immania*, *vestras domos*: saxa, figuratè domos dicit; de Pseudolo tractum est, ubi ait, *Nisi carcerem &c.* Quid si respectum fuerit ad illud, quod hodie ibi legitur, act. 4. Sc. 7. v. 76.

An etiam ille unquam expugnavit carcerem patriam tuam.

Cætera κειμήλια jam apparent in suâ officinâ.

5. POENVLVS. IMPORTVNA VIS] Sosipater lib. 2. pag. 197. è Pœnulo citat. ἀνέχω. Alterum, *quænam illæc avis est?* extat act. 5. Scenâ 2.

6. RVDEMS. QVID MVRMVRILLAS &c.] Nonius cap. 2. in *Murmurillum*.

7. AVLAS ABSTVLAS] Diomedes lib. 1. pag. mihi 376. *abstulas*. ut sit Instans, *abstulo*. Attulerunt & aliud ex Rud. fragmentum, sed depravatissimum: quod à Cantero restitutum est act. 1. Sc. 5. Citarunt Nonius & Agellius lib. 9. c. 12. QVÆ porrò è STICHO, item TRINVMMO adduxerunt, ea domi habes: illud nominatim, *Fulmentas jubeam suppingi soccis*, legitur act. 3. 2.

8. STICHVS. NONNE] Charisius lib. 2. Instit. gramm. Gulielmius aptabat act. 3. sc. 2. vers. 35.

9. TRVCVLENTVS. BONA PERD.] Priscianus lib. 3. Alterum fragmentum, *dum abeam &c.* monstrosè corruptum, refinxerunt; atque in suam sedem, act. 2. 1. postliminio restituerunt J. Gulielmius, & Canterus Novar. Lect. lib. 4. cap. 6.

M. ACCIO PLAUTO SVPPOSITA.

QUÆ quidem cùm nonnulli ex hoc theatro Comico penitùs exigi vellent: quòd spuria essent: placuit mihi tamen eorum sequi potiùs sententiam, qui auctores erant, ut illis vel extremam oram indulgerem: quòd, licèt non valdè bona, tam bonum tamen nomen, hoc est, Plautinum potius quàm quodvis aliud mentiri voluerint. Huc ergò fœtus istos sive subditivos alienæ misericordiæ exposui. Qui vis, tollito: qui tolli nefas putas, tantillum loci, quæso te, ne invideto. simulque cogita, esse in iis, qui annos aliquot centenos in ipsis Plauti præsepibus sine turbâ sedem habuerunt.

AULULARIA.

IOANNES MEURSIUS Scenam, quæ nunc est ultima, fide Codicis sui ita supplet. Quæ quidem & in Edit. quam Simon quidam Carpentarius Parisiis ante sæculum procuravit, verbatim ita leguntur: ut & in Gryph. Lugdunensi, & Herv ag. Basiliensi.

—vel hercle enica; nunquam hinc feres à me.

QVID

LT. QUid hic quondam pervicus addit?
Non feramn' unquam? ST. quod non habeo. LT. efferaris cave.
Nisi actutum seni id auri redditio est. ST. sive perpensus ferar
Libitinarius, sive pollinctorius efferar, nunquam dabo, nisi fodiant
Noviter *arrogiam*. LT. væh capiti tuo. ST. immò senis & capiti
Et pastori, qui auri tantum perdidit. LT. quis repperit?
ST. Quem repperisse vis. LT. qui in arcâ illud subruptum habere
Autumat. ST. quàm pulcrè tibi, here, conniverent oculi, si id
Factum fateor. ludo: quod lusi tecum, non par est identidem
Seriò vortier. LT. at nunc jam ne me irritassis, i, & aurum
Redde: susque deque haud agites. ST. here, id si repperibitur,
Certum est geminam te lanceam confitentem icere. LT. i, & redde.
ST. Vis crassum? LT. i, & redde. ST. atat massum quæritas.
LT. I, & redde. ego ad senem propero, ut quid comitiis
Proximis videam. Senex aulam auri perdidit, Megadorus
Repudium renunciat. Filiam peperisse vitio rescit. ST. hero
Meo, quantum ego video; nemo est benignior. Alii non quod
Inventum est non occulunt, modò negant: occulunt vaniloqui.
Sed aliud post aliud si qua sit opportunitas, harpagatum
Volunt: si Eleusinie sit, facilem deam credunt; si Cotytto:
Non videre quem batuat. Ita neque amicis, neque cognatis,
Neque dis parcunt, dum benè parcant sibi, istic quidem
Ne miserum faciat senem, aut illius familiam opulentam
Auri aulam, grandem, onustam, plenam, referri jubet,
Ut se faciat olim miserum, atque suam familiam. Ast ego partem
Impartiri mâlim, unde redimar. Quod vortet benè, picus
A sinistris cantitat, qui auri custos hercle olim traditur.
Ibo, & aulam referam: quod illæc mihi benè avis occinat.

VErùm nihilominus sic etiam mutila est. Quia verò hæc COMOEDIA, si ulla alia, frequentissimè non legi solùm, sed doceri agique solet: nec facilè applausum mereri poterit, si ipsa solemni illo suo PLAVDITE careat; patiamini quæso, Persii nostri, pannum illum Bononiensem purpuræ huic Romanæ intereà sic adsui: dum fortè melius quid ab aliquo vestrum impetretur. Erant quidem ad manum aliorum etiam Supplementa, nec displicebant: inprimis *Joach. Camerarij, & Georgij Reinmanni* Profess. Regiom. elegantissimi certè ingenii & doctrinæ: sed quia ille Codrus à multis jam annis in Quattuordecim sedit, loco eum pellere & excitare novus ego Oceanus aut apparitor fortè non debui,

SUPPLEMENTUM AULULARIÆ,

Ant. Codro Urceo, Italo, Scholastico & Professore Bononiensi auctore. Qui vixit sub Impp. Sigismundo & Friderico III. Augg.

—quod non habeo. LT. feram,

VElis nolis; cùm te quadrupedem strinxero,
Et herniosus testes ad trabem tibi

Divellam appenso. Sed cur in fauces moror
Hujus scelesti ruere? & animam protinus
Cur non compello facere iter præposterum?
Das an non? STR. dabo. LT. des ut nunc, non olim volo.
SRT. Do jam: sed me animam recipere sinas te rogo.
Ah ah! quid, ut dem, poscis here? LT. nescis, scelus?
Et aulam auri plenam quadrilibrem mihi
Audes negare, quam dixti modò,
Te arripuisse? heia, jam ubi nunc lorarii?
STR. Here audi pauca. LT. non audio: lorarii
Heus, heus. LOR. quid est? LT. parari catenas volo.
STR. Audi quæso, pòst me ligare jusseris
Quantum libet. LT. audio: sed rem expedias ocyus.
STR. Si me torqueri jusseris ad necem, vide
Quid consequare. primùm servi exitium habes:
Deinde, quod concupisces, ferre non potes:
At si me dulcis libertatis præmio
Dudum captasses, jamdudum votis fores
Tuis potitus. Omnes Natura parit liberos,
Et omnes libertati naturâ student,
Omni malo, omni exitio pejor servitus:
Et quem Juppiter odit, servum hunc primùm facit.
LT. Non stultè loqueris. STR. audi reliqua nunc jam:
Tenaces nimium dominos nostra ætas tulit,
Quos Harpagones, Harpygias & Tantalos
Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,
Et sitibundos in medio Oceani gurgite:
Nullæ illis satis divitiæ sunt, non Midæ,
Non Crœsi: non omnis Persarum copia
Explere illorum Tartaream ingluviem potest.
*Iniquè domini servis utuntur suis,
Et servi iniquè dominis nunc parent suis:
Sic fit neutrobi, quod fieri justum foret.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occudunt mille clavibus parci senes,
Quæ vix legitimis concedi natis volunt:
Servi furaces, versipelles, callidi
Occlusa mille clavibus sibi reserant;
Furtimque raptant, consumunt, liguriunt,
Centenâ nunquam furta dicturi cruce:
Sic servitutem ulciscuntur servi mali
Risu jocisque. Sic ergo concludo, quòd
Servos fideles liberalitas facit.
LT. Rectè quidem tu, sed non paucis ut mihi
Pollicitus. Verùm si te facio liberum,
Reddes, quod cupio? STR. reddam: sed testes volo
Adsint: ignosces here, parum credo tibi.
LT. Ut lubet, adsint vel centum, jam nil moror.
STR. Megadore, & tu Eunomia adeste precor, si libet.
Exite: perfectâ re mox redibitis.

* H. Corn. Agrippa c. 67. de Vanit. scient. hos versus laudat.

ME. Qui

ME. Qui nos vocat? hem Lyconide. EVN. hem Strobile, quid est?
Loquimini. LT. breve est. ME. quid est? STR. vos testes voco?
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero,
Et trado Lyconidæ, Lyconides me manu
Mittit; jubetque juris esse me mei.
Itané spondes? LT. spondeo. STR. jamné audistis hoc
Quod dixit? ME. audivimus. STR. jura enim per Jovem.
LT. Hem quò redactus sum alieno malò!
Nimis procax es. quod jubet,* faciam tamen.
STR. Heus tu,* nostra ætas non multum fidei gerit:
Tabulæ notantur: adsunt testes duodecim:
Tempus locumque scribit actuarius;
Tamen invenitur Rhetor, qui factum neget.
LT.* Sed me citò expedi sis. STR. hem silicem tibi.
LT. Si * ego te sciens fallam, ità me ejiciat Diespiter
Bonis, salvâ urbe & arce, ut ego hunc lapidem. Satin
Jam feci tibi? STR. satis. ut ego aurum apportem, eo.
LT. I Pegaseo gradu, & vorans viam redi.

* *Colon. ed. quid lubet.*

* *J. Rebard. JC. Var. lib. 3. cap. 1. hos versus ut Plautinos citat.*

* *Fr. Hotom. in Formulis forens. veterum, hæc citat.*

* *Basil. ed. te ego.*

LYCONIDES, STROB. MEGAD. EVNOMIA, EVCLIO.

GRave est homini pudenti morologus nimis
Servus, qui sapere plus vult hero suo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modo mihi apportet aulam auro puro gravem:
Vt Euclionem socerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, & mihi conciliem filiam,
Ex compressu meo novam puerperam.
Sed ecce redit onustus Strobilus. ut reor,
Aulam apportat. & certè est aula, quam gerit.
STR. Lyconide, apporto inventum promissum tibi,
Aulam auri quadrilibrem. num * serus fui?
LT. Nempe. O dii immortales, quid video, aut quid habeo?
Plus sexcentos Philippéos ter & quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.
LT. O Euclio, Euclio. MEG. Euclio, Euclio, EVC. quid est?
LT. Descende ad nos: nam dii te servatum volunt.
Habemus aulam, EVC. habetisné, an me deluditis?
LT. Habemus, inquam. modò si potes huc advola.
EVC. O magne Juppiter! ô Lar familiaris, &
Regina Juno, & noster thesaurarie
Alcide, tandem miserari miserum senem.
Oh oh, quàm lætis aula tibi amicus senex
Complector ulnis, & te dulci capio osculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O spes, ô cor! luctum depulverans meum.
LT. Auro carere semper duxi pessimum

* *Alii verus.*

Et pueris, & viris, & senibus omnibus.
Pueros prostare cogit indigentia,
Viros furari, mendicarier ipsos senes.
At multò pejus est, ut video nunc supra
Quàm quod necesse est nobis auro opulescere.
Heu quantas passus est ærumnas Euclio,
Ob aulam paulò antè à se deperditam!
EVC. Cui meritas referam grates? an diis, qui bonos
Respectant homines? an amicis, rectis viris?
An utrisque? utrisque potius. Et primùm tibi,
Lyconide, principium & auctor tanti boni,
Hâc ego te aulâ auri condono: accipias libens:
Tuam hanc esse volo, & filiam meam simul,
Præsente Megadoro, & Sorore ejus probâ
Eunomiâ. LT. Et habetur, & refertur gratia,
Vt meritus es, Socer exoptatus mihi Euclio.
EVC. Relatam mihi satis putabo gratiam,
Si donum nostrum, & meipsum accipias nunc libens.
LT. Accipio, & Euclionis volo mea sit domus.
STR. Quod restat, here, nunc, memento ut sim liber.
LT. Rectè monuisti: Esto merito liber tuo,
O Strobile, & turbatam jam intus cenam para.
STR. Spectatores, naturam avarus Euclio
Mutavit: liberalis subitò factus est:
Sic liberalitate utimini vos quoque:
Et si Fabula perplacuit, clarè plaudite.

EXTAT & Comœdia titulo, *PLAUTI A QUEROLUS*, sive *AULULARIA*, nuper iterùm publicata ab *Hier. Commelino*, Notisque illustrata à triumviris illis *P. Daniele*, *C. Rittershusio*, & *J. Grutero*. Auctor ejusdem *Gildas* quidam, cognomento apud Britannos suos *Sapiens*, existimatur esse. Scripta quidem sermone poetico, *pede* tamen, ut Apulejus loquitur, *prorso*; sive, ut ipse auctor, *claudo*, hoc est, neque accuratâ neque certâ pedum lege observatâ. Commendat se istud drama & antiquitatis autoritate (putatur enim factum Theodosiano seculo, quod redolet: aut, ut quibusdam placet, circa annum Christi DLXXX.) & argumenti varietate mirificâ, & sententiarum gravitate, & dictionis Comicæ elegantiâ: passim enim imitationis Plautinæ & Terentianæ aliorumque idoneorum auctorum vestigia ibi apparent. *QUEROLUS* autem ille, *qui* (ut Lar familiaris de eo queritur) *omnibus molestus ipsique etiam Deo*, fingitur *Euclionis* nostri filius. Sed ipsam alibi pernoscere Comœdiam Lectori operæpretium erit. satis est hic ejusdem à me fieri indicium, ut inquiratur: cùm paucis ad hunc Septemtrionem notam esse sciam.

BACCHIDIBUS.

ARGUMENTUM, Prologus & Scenæ principis initium, ex editione Coloniensi Gisb. Longolij, Ultrajectini. Fabulatur Liscaris *Grammaticus ille Græcus, in epistolâ ad Bembum, se Messanæ in Siciliâ ista invenisse. Sunt etiam, qui à* Francisco Petrarchâ *conficta opinentur. Etiam in Basiliensi Ed. leguntur.*

ARGUMENTUM.

BACCHIDIS amore furit Mnesilochus.
Aurum ut redimat, Præsumia fertur Ephesum.
Cretam Bacchis navigat, atque alteram
Convenit Bacchidem: inde Athenas redit:
Hinc dat Mnesilochus ad Pistoclerum litteras,
Illam conquirat. redit: turbas movet,
Dum putat amari suam. ut mutent geminas,
Ei dat aurum: pariter amant.
Senes dum gnatis student, scortantur, potitant.

SILENUS, Prologus.

MIRUM hodie'st, ni spectatores in subselliis
Ridiculos strepunt, tussiunt, ronchos cient,
Consulcant frontem & ore contrepario
Frequenter fremunt, atque malè mussitant.
Vix in juventa locum obtineant
Aut glabri histriones, aut pervolsi ludii.
Quid veternosus prodit internuncius
Senex qui dorso fertur asinario?
Attendite quæso atque animum advortite,
Dum nomen hujus eloquor statariæ,
Æquom est vos deo facere silentium.
Officio oris non decet illos utier,
Qui non ut clament, sed ut spectent, veniunt.
Aureis date otiosas, at non in manum,
Has volo volans vox vacuas feriat.
Quid veremini, ictus an sint minus noxii,
Qui repetunt laxa, aut hiulca obstruunt?
Estis benigni, meritò vos amant cælites.
Factu'st silentium, tacent pueri.
Novam ad rem jam novom spectate nuncium.

Qui sim, cur ad vos veniam, paucis eloquar,
Simul hujus nomen proferam Comœdiæ.
Ecce fabor jam vobis quod expetitis,
Proinde vos mihi facite audientiam.
NATURÆ Deus sum, Bromii altor maxumi,
Fæmineo qui peperit rem exercitu,
Quicquid hujusce gentes ferunt inclytæ,
Nonnihil nostro gesta sunt consilio.
Nunquam quod mihi placet, illi displicet.
Æquom'st, si pater obsequitur patri.
Asibidam Ionii me vocitant greges,
Quod vecturio senex vehar asinario.
Qui sim tenetis. si tenetis, sinite,
Ut nomen hujus eloquar statariæ,
Simul sciatis ad vos cur venerim.
PHILEMON Græcam olim dedit fabulam,
Hanc qui Græcissant, EVANTIDES nuncupant.
Plotus, qui Latinissat, vocat BACCHIDES.
Quare non est mirum, si huc advenerim:
Bacchus bacchanteis Bacchas mittit Bacchides:
Ego ad vos porto. quid, dixi mendacium?
Non decet mentiri deum. at vera fabulor:
Non ego eas porto, verùm salsus asinus
Viâ defessus, tres, si ritè memorem,
Fert: unum videtis. ore quid feram, specite,
Duas sorores debacchanteis Samias,
Meretrices lepidas, uno prognatas tempore.
Iisdem parentibus fœtu gemellitico,
Non minus simileis, quàm lacti lac, si conferas,
Aut aquam aquæ, dimidiatas imputes,
Has si videres, ita confundas oculos,
Utra ut sit, non queas internoscere.
Quod restat expetitis. jam date silentium;
Hujus argumentum eloquar Comœdiæ.
SAMOS quæ terra sit, nota est omnibus.
Nam maria, terras, monteis, atque insulas
Vostræ legiones reddidêre pervias.
Hac Pyrgoteli SOSTRATA Pyrocle viro
Uno edidit gnatas nisu geminas.
Placuitque initiatis Trieteride
Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
Alteram miles secum in Cretam vexerat,
Altera geminas adnatat Cecropias.
Hanc, ut Nicoboli inspicit MNESILOCHUS,
Amare occipit, itat ad eam frequentius.
Interea juvenem pater mittit Ephesum.
Ut inde referat aurum, quod posuerat
Ipse jampridem apud Archidemidem,
Veterem amicum, senem Phœnicarium.
Is quom biennio desideret Ephesi,
Bacchidem abiisse, durum accepit nuncium:

Nam

Nam nautæ noti navigasse nunciant.
Vt fugitivam cura & corde quæreret,
At Philoxenis PISTOCLERVM filium
Sodalem unicum fulcat epistolium.
Dum Pistoclerus amico impartit operam,
Athenas dudum quæ redierant geminæ,
Conquisitorem in amorem conciunt.
Altera Pistoclerum ad sese allicit:
Altera venienti desidet Mnesilocho.
Geminæ Bacchæ duos Bacchanteis pullulos
Quid mirum si ad sese traxerint blandulæ,
Facetæ, pulcræ incurvos libirinarios,
Veterrumos senes illorum traherent patres.
Sed eccum Pistoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inventas redit, & secum insolens
Novos amoris dispuit igniculos.
Nunc prodeo, audite.

ACTUS I.

PISTOCLERVS adolescens.
LYDVS Pædagogus.

DI immortales, ut sentio quod sentio, quid? nescio.
Stans fugio. nullus est ignis, & totus ardeo.
Quid id, nisi navim? novom profectò malum
Video & sentio, potisné est terra ut terat hominem
Atque prosternat? hodie nil præter terram & Baccham tetigi,
Si Baccha est hæc, non nutrit Baccha, verùm jugulat.
E terra quoque obrepere olim dixerunt homines,
Qui dum norant, quom esse cuperent, erant nihil. *Bas. ed. non norant. qu.*
Quid mali hoc? an terra, an Baccha, fecimus naufragium?
LY. Amat hic quem video, nimirum si id est, quod emissicius
Fora, templa, theatra, porticus, omneis fornices,
Lustra, & lustraleis cellulas quæsierit sedulò.
PI. Naufragus sum, fateor. Bacchus, haud Neptunus celocem
Hanc impellit, agit, quassat, immo frangit, distrahit.
LY. Bacchis hinc procellam concitat. actu'st. perdidimus remigium.
PI. Referam me ad scopulum, ut istic cum ætate rem perduam.
Instabilis est sors rerum. pro lubidine fata agunt homines.
Ego dum amico Mnesilocho operam impertio,
Illi amicam repperi, ubi pereat cum re assiduò.
Et mihi, meæque ætati, reique meæ peperi infortunium.
Si volt Cupido, adolescens sum. ætati licet plusculum
Jacturæ facere: melius, ut id nunc fiat, quàm senio.
Sapientum profecto'st illud dictum, quod Lydus increpat:
Si Astartan * on Bromium, deosque voluptarios
Contempsit juvenis, is aut insanibit, aut amabit senex.
Referam me ad scopulum ex naufragio. pater leget fragmina.
Sequere me, Lyde. video sorores geminas. Bacchanal meum.

JOS. SCALIGER in Catalect. IN Prologo, inquit, trivali & inepto, sed ὅτι πρώην ὅτι χθὲς facto, quod præpositum est Bacchidibus Plauti, ita Silenus de se ait: *Asibidam Ionii me vocitant greges. Greges* autem *Ionii*, sunt histriones. ut alterutrum sit legendum, *Asibidam*, an *Alibidam*, planè ignoraremus, nisi subjunxisset; *Quòd Asino vehar veturio.* Legendum enim *Asivida.* Prius enim dictus *Asivehida*, formâ Patronymicâ: qualia multa componit Plautus jocans, ut *Rapacida, Plagipatida.* Hoc ex imitatione Æolum, qui ferè epitheta patronimicas formant, ut Σπινθαρχίδης. *Asinivehida* autem ratio etymi postulabat. sed consultum est euphoniæ, ut παλόγος pro παλολόγος: ἀμφιβολόγος pro ἀμφιβολολόγος. *Veturium* in illo Prologo est τὸ κτῆνος, quasi *vehiterium*: ut *Asivida*, pro *Asivehida.* Inde *veterinaria animalia.* Ergo *Asivida Silenus* ὀνελάτης. In eodem Prologo tolerabilis erat lectio, *Asibida*, quod illi imperiti librarii inter B & *digamma* nullum discrimen faciebant. Autor Copæ:

Huc Alibida veni: fessus jam sudat Asellus.
Parce illi: vestrum delicium est Asinus.

Hæc ille. Turnebus lib.13.cap.22.suspicatur legi ibid. posse etiam *asiniga*, vel potius *asisiniga*, ab asino agendo: vel etiam *asivecta.*

A Idem lib.2.cap.15. Extat, inquit, Prologus in Bacchid. non ille quidem à Plauto scriptus, qui tamen antiquitatem olet: in quo Genialis deus Silenus, *Naturæ deus*, dicitur: sic enim scribitur: *Naturæ deus sum Bromii altor maximi.* Horat. lib.2.epist.2.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput.

Est enim *Naturæ deus*, non qui universæ naturæ præest, sed qui naturam cujusq; hominis curat: & quidam hominis Genius est. Sed & Meursius ex eodem Prologo hæc citat:

B *Uno edidit gnatas nisu geminas.*
Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
Placuitque initiatis, Trieteride quas ederent,
Bacchi vocarent nomine.

quando docet; Veteres eo die, quo imponenda essent infantibus nomina (qui ob id *Nominalia* dictus, ut probat Scal. lect. Aus. lib.2. cap.22.) advocâsse Mathematicos, qui inspecto themate genethliaco fausta infaustaq; eventura prædicerent. idque vocâsse, *Fata advocare*; & *Scribere.* Arripuisse etiam quæcunque omina in bonam scævam ad impositionem nominum; idque dixisse, *Fata occupare.*

MERCATORE.

IN Mercatore, Actus 4. Scena quinta sic terminat: *SYR. etiam EVT. sequere me.* Quibus tamen vett. Editiones continuò ista attexunt:

Quid? Peristratam hic Demiphonis contuor?
Gradus grandit, emittit oculos, circumfert se, obstipat verticem.
Asservabo hinc rerum quid gerat, magnum est, quicquid quærimt.

Quam SCENAM statim excipiunt duæ aliæ.

PERI-

PERISTRATA, SYRA, LYCISSA.

DIVA Astarte hominum deorumque vis, vita, salus; rursus eadem quæ est
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, sidera.
Iovis quæcunque templa colimus, ejus ducuntur nutu, illi obtemperant,
Eam spectant: quod illi displicet, facile excludunt cæteri.
Quicquid complacitum, id sequontur, quæ vivont omnia, atque sentiunt.
Alios enicat, extinguit, alios suo lacte fovet, atque erigit: sed quos enicat,
Hi vivunt, & sapiunt: quos properat alere, ac erigere,
Hi quidem confestim pereunt, atque male sapiunt miseri.
Iacent benevolentes, odiosi humum mordent, caput reptant,
Fremunt, perstrepuntque: cumque putant vivere, tunc ruunt maxumè,
Tunc, tunc student persequi, labant juvenes, itidem rapiuntur senes.
Illi se amant: quod amant, amatum volunt, atque cognitum.
Illi verò si amare eâ ætate occœperunt, multo insaniunt acrius.
Verùm si non amant, oderunt, molesti itidem, atque difficiles;
Garruli, osores, infensi, iracundi, sibi suisque invidi.
Quod in se olim admisere turpiter, id si fiat modestius,
Nec tolerant, ut æquom est patres: sed clamant, indecenter obstrepunt.
ST. Quantum intellego, & hanc malè habet Demipho. PE. id verum.
Amat filius & perit, id quom rescisit pater, insanit vehementius.
Quæ istæc intemperies? abegit vir meus olim ipse ad mercatum Rhodum filium:
Nunc ut fert Acanthio, ipse sibimet faciet exilium.
O iniquom patrem, ô infortunatum filium, quo te recipies?
Vbi matrem relinques? sola degam? filium amittam? non patiar.
Vendidit pater? ubi ubi erit inventa, mater redimet.
Dic tu Lycissa, num in hanc viciniam adductam autumant?
LY. In hanc opinor, in amici senis cujusdam ædeis. PE. hic, præter Lysimachum,
Nullus quem sciam. ST. Lysimachum nominant.
Mirum ni senes vicini in unum nidum conspiraverint.
PE. Dorrippam ejus uxorem conveniam. LY. quid, convenias? non eam vides?
PE. Video equidem: auscultemus. nescio quid secum iracunda mussitat.

DORRIPPA, SYRA, LYCISSA, PERISTRATA.

SYRA non redit, quam accersitum patrem jamdiu est quòd miseram:
Tarda nimium aut lapis obriguit, aut angue demorsa cessavit turgida.
ST. Nulla sum, adest hera, me quærit. DO. domi manere nequeo:
Bellulam istanc pellicem mei non patiuntur oculi. exclusissem foras,
At me meus continuit Eutychus. sed omninò quod fert non creduam.
LY. Audin hera? PE. audio: sine pergat. LY. sino. DO. amici inquit senis
Gratiâ huc ad nos venisse. habet venalem, amanti dum detrahat filio.
Hæc quidem aut viri aut gnati fallacia: dissident sententiæ.
Sequestro vir ait datam: eandem verò venalem dicit filius.
ST. Ibo de improviso obviam, ne cessasse intellegat. DO. istæc filio
Non credam, qui obsequitur patri: huic verò ut mero cuculo
Id certum est mentiri ampliter: equidem coquo creduam.
Eccam Syram. ut currit venefica. Syra. ST. quis me vocat?
DO. Malum quod di tibi danunt. ST. hera, si sapis, hoc potius
Tuæ pellici, & marito dato. DO. istuc dictum tibi non amplius irascor.

Sed ubi pater? quid cessat? an hominem podagra impedit?
ST. Nec podagricus nec articularius est, quem rus ducunt pedes.
DO. Non domi? ST. non. DO. ubi? ST. rure esse autumant.
Atque nunquid redeat incertum hodie: cum villico rationis satis.
DO. Omnia mihi hodie eveniunt præter sententiam. non vivam vesperi,
Nisi illanc à me scelestam abigam: eo domum. LT. hera abit.
PE. Hem, abit? compella. LT. Dorippa, Dorippa. DO. quid molestiæ
Hoc est? quis me revocat? PE. non sum molesta: sed benevolens
Et amica te compellat tua Peristrata: mane quæso.
DO. Hem Peristrata, te pol non noram: mala bilis cruciat
Me atque exagitat. PE. istuc volo, quæso, ne neges,
Te audivi modo: dic mihi, quæ te nunc habet solicitudo?
DO. Peristrata, sic di tibi unicum gnatum sospitent, da mihi benignius operam.
Nulla dari mihi poterit melius: par est ætas: unà crevimus,
Pares ætate habemus viros: nulli colloquor lubentius.
Sollicitor merito quidem, quid tibi animi esse nunc possiet,
Si amicam hâc ætate ante oculos tuus adduxerit Demipho?
PE. Adduxit? DO. factum. PE. domi est? DO. domi: immò coqui
Conducti: parabatur convivium, ni meus disturbasset adventus omnia.
Senem miserum Venus & Cupido alieno satis vexant tempore.
PE. Sed ista levia sunt, Dorippa. utinam non ego essem miserior!
DO. Levia? PE. levia quidem. DO. quæ pejora tibi tuus faceret?
PE. Immo pejoribus pejora. DO. quæ istæc sunt? quæso loquere:
Vt tu mihi, ego tibi, quæ facto opus sunt, demus consilium.
Vetus id dictum est, Feliciter is sapit, qui periculo alieno sapit.
PE. Vnicus mihi Dorippa est gnatus: scis? DO. scio. PE. hunc pater
Olim à se extrusit Rhodum. DO. quare? PE. quoniam amaret.
DO. Ob id ipsum? PE. id quidem nunc quoque, quom ancillam domum
Adduxisset, hanc rescíscens pater produxit, venalem præbuit.
DO. Atat novi: verum dixerat filius: ego mariti amicam putabam mei.
Quoi data est? PE. seni quoidam in hâc amico viciniâ.
Credo hic alium, præter tuum, amicum habere neminem.
DO. Ea quidem est. quid filius. PE. urbem hanc se deserturum autumat.
DO. In portu res est. quid si invenerit? PE. mansurum credito.
DO. Præter spem salvæ sumus, ne dubita: apud me ea est.
PE. Apud te? ea erat opinor, de quâ loqui te audivi modo.
DO. Ea. PE. ô factum bene. meritò te amo, restituisti filium.
Fac videam. DO. eamus intrò. PE. eamus. Lycissa ades,
Acanthioni hæc nuncia: ego ad Dorippam huc devortam.

PALMERIVS, Multa, inquit, hâc Comœdiâ A inserta sunt à nescio quo, cui, ut à Plauto edita fuerat, visa est non perfecta esse. Ex iis etiam hoc est:

Nec podagricus nec articularius est, quem rus ducunt pedes &c.

scripserat ille:

——cum villico rationes putat.

DO. Satin' omnia mihi hodie even. p. sententiam?

Ejusdem hominis adjectanea negotii vim exhibuerunt Camerario:

Quasi tu nunquam quicquam assimile hujus facti feceris.

LY. Nam mea uxor propter illam tota in fermento jacet.

Vix vivus tum miser.

DE. At ego eam expurgationem habebo, ut ne quid succenseat.

Post primum versum deesse aliquid videbatur: cujus, quem dixi, lacunarius explendæ, ut putabat, sententiæ hunc subjecit:

Edepol nunquam. cavi, ne quid facerem, &c.

Hæc

Hæc ille, Sed & Camer. affirmat, has duas Scenas Plauti non esse. Porrò *Astarte*, ea est, quæ *Astaros* in divinis literis vocatur. Id Phœnicum linguâ sonat *greges*, καὶ τὰ μῆλα, tanquam suspiceris dictam à victimarum multitudine. Ea colebatur à Sidoniis, sicut *Dagon* à reliquis Phœnicibus & Assyriis. Græcis dicitur Δερκετὼ καὶ Δερκέτις: nimirum A detortâ voce à Syriaco *Adardaga*. Significatio à pisce: ut notat Scalig. in Conjectaneis. Lucianus verò Samosatensis *Astarten* exponit *Lunam*: contra quem tamen Floridus l. 2. c. 7. docet, Venerem esse. Apulejo IX. Milesi. *Regina cœli* dicitur: Herodiano ἀστροάρχη. Sed de *Astarte* omnium curiosissimè P. Faber IC, libr. 3. Semestr. c. 2. & 3.

ILLIS *porrò, Actus quinti Scenâ* 3. QUASI tu nunquam quicquam &c. *præposuerant versus XI. ejusmodi:*

LY. DEMIPHO: Sapientum illud dictum te audisse reor sæpiùs:
VOLUPTAS est malorum esca: quòd eâ non minus homines
Quàm hamo capiantur pisces. hanc quando fugiant senes,
Tu tamen senectuti gratiam non habeas: quoniam hæc tibi
Non abstulit modò, sed in amorem conjecit fortius.
Quo te consiliumque tuum atque mentem perdit funditùs,
Atque oculorum tibi præstringit aciem. me quoque
In magnum conjecisti malum: nec quid faciam scio.
DE. Lysimache, deûm hoc arbitrium est, non hominum: tûte hoc tecum
Si cogites, non æquum te facere arbitrabere,
Quom amico homini, tuique conscio ita succenseas miserè.
Quasi tu nunquam &c.

HÆc quoque, ut & superiora, abjecit Camerarius, ut spuria. Meursius quidem adolescens ista Plauto vendicabat publicè: privatis tamen ad B me litteris posteà professus est, se malle deinceps cum Scaligero & iis sentire, qui ea Plautinis minimè agnoscant.

POENULO.

POST *Actus V. Scenam VI. & ultimam, adjecerant isti satagei talem: alibi tamen aliter constitutam.*

AGORASTOCLES, LYCUS, HANNO Pœnus, ADELPH. ANTERAST. ANTHEMONIDES.

QUAM rem agit is miles, quoi lubet patruo meo loqui inclementer?
Ne mirere, mulieres quod cum sequuntur: modò cognovit filias
Suas esse hasce ambas. LY. hem, quod verbum aures meas tetigit! nunc perii.
Unde hæ perierunt? AGOR. domo Carthaginienses sunt. LY. at ego sum perditus.
Illud ego metui semper, ne cognosceret eas aliquis: quod nunc factum est.
Væ misero mihi! periere, opinor, duodeviginti minæ, qui hasce emi.
AGOR. Et tu ipse periisti, Lyce! Carthaginienses sunt. LY. at ego sum perditus. POE. quis
Utrum is est novelle noveltiens, in servitute hic qui filias habuit duas? (hic est?
AGOR. Et mihi auri fur est. POE. bellum hominem, quem noveris. Leno, rapacem
Te esse semper credidi: verum etiam furacem, qui norunt magis. LY. accedam.

Per ego te tua genua obsecro, & hunc cognatum quem tuum esse intelligo.
Quando boni estis, ut bonos facere addecet, facite, & vestro subvenitatis supplici.
Jam pridem equidem istas scivi esse liberas, & expectabam si quis eas assereret manu.
Nam meæ prorsus non sunt. tum autem aurum tuum reddam, quod apud me est:
Et jusjurandum dabo, me malitiosè nihil fecisse, Agorastocles.
AGOR. Quod mihi par facere tamen egomet consulam. omitte genua. LT. mitto.
Si ita sententia est, AGOR. heus tu leno. LT. quid lenonem vis inter negotium?
AGOR. Utinam mihi argentum reddas, priusquam hinc in nervum abducere. LT. dii
Meliora faxint. AGOR. sic est, video: cœnabis foris; aurum, argentum, collum,
Lenostris, te nunc debes simul. POE. quid me hac re facere deceat, egomet
Mecum cogito: si volo hunc ulcisci, lites sequar in alieno oppido;
Quantum audivi ingenium, & mores ejus quo pacto sient. ADELP. mi pater,
Ne quid tibi cum istoc rei fiet, te maximè obsecro. ANTER. ausculta sorori.
Abi, disiunge inimicitias cum improbo. POE. hoc agesis leno: quanquam ego te
Meruisse ut pereas, scio; non experiar tecum. AGOR. neque si aurum mihi reddas, mecum
Leno quando ex nervo emissus, compingare in carcerem. LT. jam autem ut solet.
Ego, Pœne: tibi me purgatum volo, si quid dixi iratus advorsum
Animi tui sententiam; id uti ignoscas quæso: & cum istas invenisti filias,
Ita me dii ament, mihi volupta'st. POE. ignosco, & credo tibi.
MIL. Leno, tu aut amicam mihi des facito, aut auri reddas mihi minam.
LT. Vin' tibicinam meam habere? MIL. nihil moror tibicinam: nescias,
Utrum ei majores buccæne, an mammæ sient. LT. dabo quod placeat.
AGOR. Cura. LT. aurum cras sat referam tuum. AGOR. facito in memoriâ habeas.
LT. Miles sequere me. MIL. ego verò sequor. AGOR. quid ais patrue? quando hinc ire cogitas
Carthaginem? nam tecum unà ire certum est. POE. ubi primùm potero,
Illicò. AGOR. dum auctionem facio, hic opus est aliquos ut maneas dies.
POE. Faciam ita ut vis. AGOR. agesis eamus, nos curemus. Plaudite.

IUSTUS LIPSIUS Antiq. Lect. librò 5.19. Quã Scenam, inquit, Sambucus Plautinæ Pœnulo à fine adjecit, eam in Vaticanis libris & ipse perscriptam repperi. De cujus germanitate etsi ambigi posse video: tamen cujuscujus ea est, non indignam certè judico, è quâ monstra aliquot lectionum levi manu tollamus. Primum autem animadvertendum, universam Scenam jamb. trimetris scriptam, & sic distinguendam:

Quam rem agit is miles? qui lubet (MSS. Pall. *cui lubet*) *patruo meo*
Loqui inclementer? ne mirere mulieres
Quòd eum sequuntur. modò cognovit filias
Suas &c.

atque ita deinceps.

3. ESSE AMBAS] ita Vatican. *esse ambas*. (uti & MSS. Pall.)

8. UTRUM IS EST NOV.] Lipsius leg. *Utrumbis est, vel Len vel Lycus.* Etiam MSS. Camer. *Utrumbis est.*

20. LENOSTRIS] ita MSS. Cam. Vatic. *Leno tris res*, id est, *tres*.

27. EGO POENE TIBI] Lips. scribit; *pœna*.

30. REDDAS OMNIA] Vatic. *reddas minam*, quomodo & MSS. Cam.

31. VIN TIBIC.] ita MSS. Cam.

32. MAIORES.] MS. pr. *minores*. MS. sec. *mores*. Pareus heic suggillat Taubmanni fidem, tanquam qui falsò prodiderit in Pal. pr. extare *minores*. Mi Lector, vide quæso sycophantiam! in libro eo est, *utrum eim mores*. at quod proclivius quam inde facere, *ei minores*? Si hæc talia rapiuntur in calumniam, nullus jam hiscere audebit.

33. CRAS SAT REF.] Lips. leg. *cras ad te referam*. nec abludunt MSS. Pall. nam & hæc Scena in utroque illo MSS. extat, inque priori in Senarios redacta: quam tamen & ipsam in extraordinariis cum Grutero habendam censeo.

HACTENUS SUPPOSITITIA.

JOACHI-

JOACHIMI CAMERARII

DE FABULIS PLAUTINIS DISSERTATIO, Ad aliquot Principes Germaniæ.

ANNI jam sunt XX. cùm nactus fui exemplum Plautinum scriptum, sanè vetus, sed non exaratum tamen vel erudito sæculo, vel ab homine docto. Id repertum fuit in patria mea, inter libros clarissimi & virtute ac sapientia præstantis viri, Viti Verleri Franci, unde exemptum propinquus ipsius, amicitiæ sanctiss. vinculo & max. familiaritatis usu mihi conjunctus, Micaelus Rotingus, vir opt. atque doctissimus, qui tum fortè nobiscum esset, mihi utendum dedit, & ipse dominus libri postea ut uterer benignè permisit. Ego verò, qui & puer audivissem Lipsiæ Vitum Verlerum explicantem Comœdias Plautinas, & postea adolescens studium lectionis harum retinuissem, confirmato judicio intellexi, sine cognitione hujus autoris, præsertim istius generis scriptis aliis amissis & perditis, proprietatem & naturam linguæ Latinæ percipi non posse. Hanc autem teneri, præclara ne res sit, & di- B gna in qua omnibus viribus elaboretur, alibi disseruimus: & nunc quasi ita esse vicerimus, sic positum hoc & certum nobis esto. Quantum verò momenti ad comprehendendam & perspiciendam veritatem sermonis Latini habere Plautinas fabulas animadverti, tanto dolore sæpenumero me affecit infelicitas studiorum bonorum hac etiam in parte, cùm cernerem optimum autorem tam fœdè lacerum & truncum circumferri: atque eundem medicatione indies magis affligi atque lædi. Si enim ullum cujusquam opus miserabiliter depravatum, & corruptum scelerate fuit, hoc profectò fuit opt. & præstantiss. Plautinarum comœdiarum. Correctiones autem comprobaverunt proverbium vetus & ipsæ; multorum medicorū

A curationibus ægrotos plerumq; perdi. Cum igitur illum librū veterem primum vidissem, incredibili gaudio affectus fui, quòd sperarē beneficio hujus, tam turpiter contaminatas & mendis scatentes fabulas Plautinas repurgari atq; integritati suæ restitui posse. Cum autem intueri illum attentius, & rem gerere accuratius, cœpissem, non quidē, ut ajunt ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς, sed multò certè minus quàm speraveramus, in illo libro opis & copiæ reperimus. Primùm enim statim deprehēdimus, librarium fuisse imperitū litterarū Latinarū; unum, ut apparet, ex illorum genere, qui in cœnobiis ad alias quasvis occupationes sese dare quondā consuevissent, quàm incumbere studio bonarum litterarum atq; artium. rectè ne, an secus, nunc non quæram. Sed neque librum ἀρχέτυπον, unde hic descriptus fuit, integrum & emendatum ubique fuisse, facilè potuit animadverti. Quid verò hoc mirū? cum Varro, qui & vixit iis temporibus, quibus eruditio litterarum & doctrina floruit, & proximè abfuit ab ætate Plauti, alicubi de analogia quærens, quod nō probaret quædā de Truculento, in iis librarii mendum accuset? posteriores autem sæpe de fide exēplorum questi, & vetustiss. quorumque testimoniis contra vulgatas lectiones usi fuerūt. nam illa semper corrupit imperitia quorundam, ut ait Priscianus, mutantium scripturas. Sed nostra diligentia & industria etiam quadam, permulta de nostro illo veteri libro in Plautinis Comœdiis restituta sibi fuerunt, tam in verbis quàm numeris versuum, de quorum integritate nihil etiam dubii jam nobis relinquitur. Ac possem annumerare non δεκάδας, neque ἑκατοντάδας sed planè χιλιάδας, si ostentare operam nostram vellemus: sed *pauperis est numerare pecus*. Non pauca autem confido nos, si non

emendasse, at non edidisse deterius, neque perversius, quàm priores. Quæ vero corrupta & falsa esse planè cernerem, ea indicare studui: indignum ratus, lectorem securo animo errare perpeti. Nam primùm laudandus, qui erranti comiter monstrat viam, secundo vero loco gratiam meretur is, qui, si non possit viam rectam demonstrare, indicet illam veram non esse, ne pergat errare viator, & de via diligentius quærat ac percontetur. Sed quid ego præstiterim longo sanè tempore, & assiduo studio & diuturno labore meo, alii statuent atque judicabunt. Quæ vulnera inflicta Plauto fuerunt, ea sunt in conspectu omnium. Hoc quædam minus sanabilia, quo veluti cicatrice in opinione curationis obducta non apparent omnibus, κρυπτὰ καὶ ὕπουλα, ut medici loquuntur. Ego tamen, si mihi & otii plus & profundior quies contigisset, neque tam variè distractum fuisset temporibus & casibus studium meum, fortasse cum aliis in musicis quasi certaminibus, tum in hoc spacio edere aliquid præclarioris operis potuissem. Nunc in hac adversatione fortunæ, in tanta penuria adjumentorum omnium, hac etiam communi quadam calamitate sæculi nostri, id quod nos perfecimus, neque prorsus nihili pendi debeat. Atque de illis præcipuis, perturbatione rerum publicarum & nostrarum difficultate, nihil nunc quidem dicemus. Adjumenti verò quid fuit? præter nostrum veterem codicem, non raró frustrantem conatus. Nam interpretes novi usque adeò nihil subsidii auxiliive nobis tulerunt, ut aliquantum etiam nocuerint, audacissimè mutantes & vertentes atque torquentes omnia, suaque commenta ad veterum codicum fidem referentes. Veteres autem Grammatici, profuere illi quidem non nihil: sed & ipsi mendose editi, & nonnunquam in inquirendo indiligentiores, sæpè multumque fefellerunt opinionem nostram. Quid, quod veterum summorum virorum multiplex in Plautinis Comœdiis enucleandis studium effecisse videtur, celeriter ut exempla non consentirent, sed scriptura plerisque in locis diversa proferretur. Memorantur enim *Plautinæ Quæstiones* conscriptæ à Varrone, itemque Scauri ac Sisennæ & aliorum commentationes in fabulas Plautinas. Sed apud quem non etiam Grammati-

A corum veterum, quorum qualiacunque scripta ad nos pervenerunt, autoritatem diminuerent tales explicationes? quas ex illis sæpè incogitantius descriptas apparet: *cor* esse generis masculini, quod sic docuisse Cesellium Vindicem Gellius reprehendit: *fidele* pro *fideliter*: ut Captivis, *fac fidele* cum ibi plane legatur, *Fac fidelis sis fideli*. Eliserunt autem veteres, ut nemo ferè ignorat, vitantes sibilum hujus elementi. Item, in his & similibus, *Deûm virtutem*, & *millia sex nummûm*, poni accusativum singularem pro genitivo plurali: cum manifestum sit illa esse συγκεκομμένα. Item, genium esse parsimoniam. Item, *qui serius honores adhamaverunt*: cùm appareat perperam insertam aspirationem, & verum esse *adamaverunt*. Sed in his recensendis non occupabimur, præsertim cum non esse nefas de illorum Grammaticorum traditis quærere amplius, ex istis paucis intelligi posse videatur. Atque ita demonstratum esse confido, quantulumcunque sit, quod nos in Plautinis fabulis integritati suæ restituendis perfecerimus, id studiosis linguæ Latinæ gratum acceptumque esse debere. Nos quidem ita sumus animati, ut aliorum studio nostras operas planè
B obscurari expetamus. Sed dicat aliquis: Ergo hic Autor, ut ais, ad linguæ Latinæ cognitionem necessarius est? Quo verò argumento? Cum & aliorum egregia scripta extent, & Plautina ætas sermone Latino non satis polito usa esse videatur. De his sanè, si quis res penitus exquirere velit, plurimum verborum faciendum & oratione prolixa opus esset. Sed nos breviter aliquid de utroque disseremus. Primum extare, conservata quidem, ut mihi persuadeo, divinitus, egregia scripta autorum linguæ Latinæ, fateor & scio. Sed nos de puritate & simplicitate sermonis nunc loquimur, quæ de quodam veluti filo orationis popularis ac cotidianæ perspicitur atque colligitur tantum, propter cum res ratione & cura inexquisitas, tum elocutionem inelaboratam & popularem, vel ut ita vocem, vulgarem atque vernaculam. In quo genere solo proprietas & natura inest, atque cernitur, tanquam fundamenta quædam nondum exstructa domo. Sic enim communiter loquuntur, ut & verbis significantibus, res de quibus illa fiunt, & figuris orationis exprimentibus sententiam

tentiam animi, uti velint, sine ambagibus, & quadam veluti pompa. Idque faciunt alii quidem aliis melius, ut in oppidis quàm pagis, in bene institutis familiis quàm secus. Ideoque Cicero plurimum putat contulisse Gracchis eloquentiam matris Corneliæ, quæ esset soror Africani. Nam & hæc est domestica disciplina, ut animum, ita etiam os fingere parvulorum. Qui hæc igitur fundamenta non jecerint, & fortuito cœperint quasi super arena exaggerare & educere molem quandam orationis, horum opus labet & vitiosum sit necesse est. Sed Terentium esse in medio, aliquis inquiat, qui puram orationem quodam in prologo etiam ostēret. Hic quidem Poeta & legatur & ediscatur, & nunquam de manibus deponatur. Cur autē, si vel paris, vel majoris etiam commoditatis aliunde copia offeratur, illam studiosus bonarum artiū negligat & amittat? Atque utinam quàm plurima hujusmodi scripta ad nos ab antiquitate pervenissent, ut esset quasi officina musica instructior. Atque Terentius, quo carere non posset hoc studium, est tamen in mirifica quadam attentione & cura nimis artificiosus: & dum hoc unum agit, ut Comœdia morata sit, nescio quo pacto simplicitatem sermonis non tuetur: & dum studet uti populo oratione, utitur eruditā. Omnes autem, qui de Terentio scripserunt hanc laudem illi tribuisse scimus, ut præstare hunc aliis arte & affectibus exprimendis perhiberent. Contrà in Plauto illa veluti popularitas orationis, & vulgaritas jocorum a quibusdam etiam improbata fuit: Noti enim sunt versus Horatiani;

At nostri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere sales. nimium patienter utrūque,
Ne dicam stulte mirati. Si modo ego & vos
Scimus inurbano lepidum seponere dictum,
Legitimumque sonum digito callemus &
aure.

Imò illi meritò & rectè atque sapienter Plautum laudarunt & admirati fuerunt: tuque ad Græcitatem omnia, quasi regulam, poemata gentis tuæ exigens, immeritò & perperam atque incogitanter culpas. Varro reliquit hoc scriptum: *In argumentis Cæcilius poscit palmam; in ἤθεσι Terentius, in sermonibus Plautus.* Qui est sermo? Qui in circulis, disputationibus, congressionibus fa-

A miliarium, ut Cicero ait, versatur: persequitur etiam convivia. Hæc nimirum est populi oratio. De qua Cicero etsi putat præcepta dari posse, quod attentavit Pontanus, nulla tamen fatetur esse. Hic igitur sermo, id est communis locutionis facultas, & conservata forma consuetæ & omnino urbanæ orationis in Plauto reprehenditur ab Horatio, quia non redoleat peregrinam culturam & expolitionem. Quo nomine ajo à nobis plurimi hunc fieri, & diligentissimè legi oportere. Quod enim nobis & patria & tempus non concedit, ut domi à matribus, nutricibus, pædagogis, imbuamur cognitione linguæ hujus: id præstabit lectio talium librorum, quales reliquit opt. & eximios in hoc quidem genere Plautus. quos tamen non modò bonitas ipsorum, sed aliorum similium amissio & penuria nobis commendat. Nam de antiquitate multis in partibus postea mutata, cum quidem litterarum eruditioni & doctrinæ proposita sit ad imitandum Ciceroniana ætas, qua eloquentiam perfectam & absolutam fuisse constat, de illa igitur antiquitate quod à quibusdam dicitur, nihil est. Hac enim, ut in numis antiquiss. quique
B cupidiss. expetuntur ab iis qui divitias congerunt; ita studiosis linguæ Latinæ nihil debet esse antiquius. Non ut temerè & fortuitò proferre, & quasi necessariis usibus impendere, sed potius tempori, loco, rebus reservare velint. Hoc quale sit, dici neque breviter, neque omnino planè potest: sed & in ipsis istis scriptis à doctis demonstrari solet, & à non stupidis per se etiam cogitatione comprehendi. Nam mediocris prudentia in hac parte omne facile & incommodum vitaverit, & vitium ac horrorem, sicut videtur, antiquitatis detergere, & ruditatem expolire possit. De his igitur jam satis. Cum autem hoc totum, de quo loquor puerile sit studium, video a piis & severis non immeritò quæri, Sitne verendum ut talium scriptorum lectione & cognitione, non inquinentur ac contaminentur, aut saltem profanescant mentes teneræ & ingenia simplicia ac proba, cujusmodi in pueris, qui ad spem virtutis & sapientiæ educuntur, esse volumus & optamus. Nam omnes occasiones impuritatis ab hac ætate removendæ, ut secundum Poetam, *Nil dictu fœdum factu-*

 ve

Ve limina tangat, Intra quā puer est. Et quæ alia in hanc sententiam verè & graviter dici consueverunt. Hoc sanè est, ut verum fatear, difficile. Ac veteres quidem tam nostræ religionis quàm externorum quidam viri docti & sapientes, quo pacto legi deberent Poetarum fabulæ, accuratè docuerunt. non solum enim iracundia habitat in auribus, secundum Herodotum, verùm etiam profectò impietas, levitas, libido. Quæ enim audiuntur facta aut dicta nefariè, flagitiosè, turpiter, ea mentem sauciant, tam judicium sæpenumero corrumpentes, quàm depravantes voluntatem. Quid igitur attinet circumspicere & quærere medicinam potius vulneris, quàm cavere ne plaga infligatur? Omnino res est impedita & magna. Sed quid faciemus? Aut ubi reperiemus bonum, cui non sit adjunctum malum? Omnia in totâ vitâ plena sunt periculis, neque quicqum horum est expers in ulla ætate, conditione generéque hominum. Ut si quis hæc vitare velit, hanc lucem relinquere, & terris excedere debeat. Puerili autem ætati inprimis hoc impendet, morum sanctitatis & innocentiæ atque pudoris. Quem si simpliciter, & quasi ex professo lædunt poemata, multo erat satius pænitus illa abolcri, & ut ἀδέσποτα βιβλία concremari, quàm omnino inspici, nedum proponi studiis puerilibus. Atque fuerunt quædam semper, & nunc sunt talia, quæ exterminanda de scolis existimamus. Nam quod ille ait, defendens lasciviam carminum suorum,

Vita verecunda est, Musa jocosa mea:

& alter pronunciare audet, tum demum salem & leporem habere versus,

Si sint molliculi, & parum pudici.

Horum igitur uterque planè desipit, neque assensionem invenire à nobis debet. Nam tu, qui ais tuam esse vitam pudicam, quare sine caussa in flagitio perhiberi te mendacem cupis? qui commemores ipse tua illa præclara facinora diurna & nocturna, voluptatis obscœnæ? Idem negas indicium animi librum esse. Imò ille est certè, si non propositi atque consilii, at voluntatis & cupiditatum, quas in turpitudine prodi quid attinet? Ille verò alter quam caussam affert sententiæ suæ? an quia τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον; ideo impudicis scilicet & dissolutis illi versus belli ac lepidi videntur. Quid enim per se laudabile in turpitudine esse potest? Falsum hoc est, non esse in verbis obscœnitatem, ut quidam ostendere conati fuerunt. Obscœnitate v. risum & oblectationem quærere, etiam nocens, & veritati ac virtuti contrarium. Præclarè autem & hoc Persæ servarunt, ut pleraque omnia, ne quid factu fœdum suo nomine unquam eloquerentur. ὁκόσα, inquit Herodotus, ἀυτοῖς ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. His igitur nequaquam assentiemur commendatoribus obscœnitatis; multo autem minus illi scurræ, qui obscœnè loquentes ait Romanâ simplicitate loqui. Et talia scripta prorsus excludemus è scholis puerilibus, & ab illis tanquam à peste bonæ mentis, abducemus oculos, aures, animos teneros. Atque si qua scripta tota sunt hujusmodi, tota exigantur ac rejiciantur. sin minus, & in illis est alicubi aliquid quasi purulentum & γαγγραινῶδες, illud recidatur: ut reliqua depulso veneno, tutò attingi possint. Idque & in aliis libris & in Plauto factum esse apparet, & nunc etiam faciendum esse censeo. Præstaret enim vel ineruditissimum esse aliquem, quam per eruditionem imbui spurcitia & impuritate, vel etiam impietate, scelere, furore. Sed ad nos quidem quæ prorsus essent vitiosa scripta veterum, nulla vel pauciss. pervenerunt. In aliis non est majus periculum, quam in cotidiano usu vitæ. Non potest enim fieri, ut omnes occasiones vitiorum auferantur. sed has rapiunt oculi, aures, manus, undique secundum insitam pravitatem animi uniuscujusque. Ut enim Tiresias in Tragœdia inquit, ἐν τῇ φύσει τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ᾽ ἀεί: sic etiam in animis origo est malorum omnium. Itaque improbi ac nequam homines proverbio memorantur, καθ᾽ ἑαυτοὺς ἕλκειν ὥσπερ καικίας νέφη. Atque hi ut ea quæ φάρμακα à medicis nominantur, vitiosos humores attrahunt, quæque similes illos sibi, nam & χολαγωγὰ hæc & φλεγμαγωγὰ sunt: ita alii alia admittunt probra, & peccata accersunt. Qui non bonæ frugi est, & ut Græci nominant, ἀκόλαστος, luxus, libidinis, voluptatum illecebris capitur. Theodoreæ autem & Diagoreæ naturæ, contemtum DEI & hominum ascis-

ascifcunt: ferocia ingenia, crudelitatis exempla probant: excelsa & superba, fastu inflantur, & contumeliosa redduntur. Non illa quidem de libris tantum, sed profectò de picturis ac sermonibus quoque, deque iis quæ in aliam partem fiunt atque dicuntur. Quin etiam plerique vitiorum insectationes & reprehensiones, ad vitia in se stabilienda assumunt. Audivi de quodam, qui affirmaret se quandam caussam non aliter quàm de adversariorum disputationibus cognovisse. Eodem verò modo, non pauci ex iis præceptis quibus contra vitia animi instrui possent, vitiorum doctrinam sibi faciunt. Hæc est occulta quædam vis naturæ, ut omnia impellat ad sui similium appetitionem, atque ita

Γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ' ἐπὶ πικρὸν ὄρουσε.

secundum Empedoclem.

Atque hoc est perpetuum certamen in bonis, & hæc assidua lucta cum vitiis, & cura atque contentio perveniendi eo laudis, quò se quisque incitari, & ad id perficiendũ, ad quod sibi divinitus adjumenta collata esse sentit: ne quid invita, ut dicitur, Minerva experiatur. Hæc sunt manifestiora, quàm ut demonstratione magnopere indigeant. Caussas quidem sapientia humana non videt. Uno verbulo, libidinosus, avarus, malitiosus, abblandiente morbo suo, mirificè commovetur, & alimoniam mali apprehendit. Hoc alteri aut non nocet, aut prodest etiam. Cujus pravitatis respectu, ea quæ vel ipsa perniciosa non sunt, vel etiam fructum afferre bonis possunt, prætermittenda aut explodenda non sunt. οὔτε γὰρ φύσις, οὔτε οἰκονόμος ἀγαθὸς οὐδὲν ἀποβάλλειν εἴωθεν ἐξ ὧν ἐστι ποιῆσαί τι χρηστόν, ut inquit Aristoteles. Si enim hoc fieri oporteat, nullam virginem aut matronam exornatam in publicum prodire propter libidinosos, non signari aurum & argentum propter avaros, denique non rationem collatam fuisse hominibus propter malitiosos, rectum esse videatur. Imò cœli ipsius pulcerr. species occasionem atrociss. sceleri εἰδωλολατρείας præbuisse credatur, in qua admirati homines Solem, Lunam, sidera, & horum motus, & in hoc incredibilem ordinem atque constantiam, & admirabiles quasdam affectiones, pro deis illa colere ac venerari, & simulacra effingere, & fana consecrare cœperunt. Voluit etiam hoc Ovidius docere in illa epistola scripta Augusto Cæsari, nihil esse quod non prodesse, & lædere idem possit. Atque ibi veriss. sententiam eleganti versu pronunciavit,

Omnia perversas possunt corrumpere mentes.

Quapropter de Poetis quidem quasi virus quoddam instillandum non est pueritiæ. Atque illa quæ veluti sauciare mentes & simplicitatem animi vitiari possent, ne recitanda quidem coram illis, nedum explicatione agitanda sunt. Quod nos movit, ut quædam in Plauto, quorum emendatio fuisset in promptu, inducere maluerimus, quàm in talibus ostentare eruditionem nostram. Ab iis autem quæ minus graviter, quæ scurriliter, quæ improbè dicuntur, quibus cotidianæ vitæ & temporum vitia ac peccata notantur, nemo afficietur ullo detrimento, nisi quæ eruere ultrò, seséque damno ipse afficere voluerit. Ubi quidem, quod ad pueritiam attinet, cui cupimus ad proprietatem linguæ latinæ percipiendam proponi hunc autorem, permultum situm erit in magistris & explicatoribus: qui si erunt prudentes & viri boni, non modò à sensibus & cogitationibus puerorum omnem injuriam propulsabunt commoditate interpretationis, sed illis etiam maximam utilitatem salu arium præceptorum conciliabunt. Nã si qui sunt, qui se in iis locis, quibus mentio fit flagitii alicujus, jactitant atque volutant, ut porcus in cœno, quid cum his nobis rei aut negotii sit? qui ab institutione puerili, & de scolis tanquam pestis mala & lues morum extorres agendi sunt. Ego quidem, fatebor enim verum, non semel cogitavi animo meo, an opera hæc propter eventus dubiam fortunam placere posset Deo, & non aliena esse professione Christianã videretur. Ac non pauca contra hoc in mentem mihi venerunt. Sed ratio tamen vicit, neque impium hoc studium, neque rem indignam esse cupido pietatis & virtutis. Quod si aliter videretur, & contraria sententia probaretur nobis, abjiceremus potius hæc studia ψυχόφθορα & imbuentia animos flagitiorũ aut scelerum quasi fœtore:

& non augeremus prioris vitæ delicta, neq; peccata vetera novis indies accumularemus. Sed mihi cogitanti in mentem venit, *duo* esse quæ tradi hominibus velit DEUS, *cognitionem sui, & eruditionem vitæ.* Quorum alterum divinum totum, & humanam intelligentiam superans, ipsius proprium est opus, in quo ingenii acrimonia ac vis & gnavitas, nihil loci habet: & quibus illa contigit, ii gloriari verè possunt, se adeptos esse id quod homini evenire atque tribui possit optimum & maximum: sed hæc est disciplina instaurans naturam nostram, & cor atque intelligentiam reparans, denique novum creans atque gignens hominem. quam rem Philosophia penitus ignorat, & omnis sapientia, omnisque doctrina in terris comprehendere nequit, de quo in præsentia nihil dicendum est. Alterum verò, divinum quidem donum & ipsum, collatum tamen & attributum mentibus hominum, sui quasi possessores illos habet, & non modò quale sit intelligi captu humani ingenii, sed viribus etiam hujus elaborari potest. Insevit enim DEUS animis nostris judicium boni & mali, cupiditatem ac appetitionem illius, hujus odium atque fugam. In bonis autem hoc ponit vel solum, vel certè præcipuum ac maximum & singulare officium, decus, laudem, non falsæ & inanis gloriæ, sed virtutis atque dignitatis. Ad hæc igitur propria atque peculiaria bona, institui DEUS humanum genus vult ac jubet, ut hæc divina veluti stirps exculta suos fructus ferat, consiliorum & actionum veritate & pulcritudine præstantium. His & respublicæ & privatæ cùm constituuntur, tum conservantur. Hæc est hominis excellentia, & naturæ illius, ut ita loquar, exaggeratio. His sublatis, multis bestiis humanum genus inferius reperietur. Atque horum ludus & palæstra quædam sunt litteræ & studia bonarum artium, quibus animi puerilee præparantur & finguntur ad humanitatem & virtutem, & quasi ad conspectum bonorum suorum deducuntur, conversa acie mentis ad contemplationem horum, ut quid in se insit quod ad hominum societatem & utilitatem generis sui proferri possit, quisque norit ac sciat. Nam & hoc vetus verbum subjicit atque jubet, quo præcipitur quisque sese ut nosse studeat, bona quoque, & hæc quidem inprimis, sua ut norit. Ad hæccine verò, inquiat aliquis, Plauti levissima scripta momenti quippiam allatura esse videantur? Hoc scilicet hic dicit, nihil conferre regiæ domui cementa & calcem, neque parvis quoque rebus magna juvari. Non ego enim nunc hoc disputabo, quod multi, & de quo Horatius: sic enim ille scribens Augusto,

Os tenerum pueri balbumque Poeta figurat:
Torquet ab obscœnis jam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Asperitatis & invidiæ corrector, & iræ.
Rectè facta refert: orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur & ægrum.

Sed hæc non petenda esse dicam de Plauto. Non huic decori custodiam, non discrimina personarum, non studium morum, non jocorum elegantiam & urbanitatem nunc tribuam, adimam etiam judicium, quod exactius esse in una Terentiana fabula Erasmus pronunciat, quàm in Plautinis omnibus. Non enim de his jam agimus. Quid est igitur quod autorem hunc commendare pueriliibus studiis debere videatur? parvum quiddam, & admodum exile, quod de illius lectione ostendimus posse eis contingere, simplicis & proprii sermonis copiola quædam. Hoc ego ajo esse id quo instructi illi, egregia honestatis & recti ac veri munera exequi aliquando possint. Hoc fortasse mirum alicui ex magnorum & Honoratorum numero videatur, tantillam curam puerilis ætatis, illa incrementa & excitare & perficere posse. Atque erit, ut opinor, qui verum esse neget. Mihi autem non modo sic nunc esse hoc verum libet, ut ait Terentius, sed ratio etiam vincit ac concludit. Nam constat, ad virtutem & laudem vitæ omnem more & assuefactione perduci homines. Ea enim quæ actione tota continentur, agendo etiam obtineri & comparari solent. Quid autem sine veritate & constantia pulcrum atque præclarum? Imo quid absque his non turpe atque vituperandum fuerit? Est & hoc manifestum, qui certa & exquisita & bona oratione utatur, in eo sententiam & cogitationem non esse vagam, neque futilem & levem: illa verò, ut dixi, certa, exquisita, bona

bona oratio, proprietate & ſimplicitate, & puro quaſi fonte ſermonis neglecto atq; prætermiſſo, acquiri unquam poterit? Nemo hoc dicet, aut ſuſpicabitur. Relinquitur igitur hoc quod cupimus probare, ad virtutem & ſapientiam, hoc ſtudium ſermonis proprii & certi, quamvis parvum atque minutum, tantum tamen conferre, quantum maximis & præclariſſimis quibusque effectionibus, ea ſine quibus illæ vel inchoatæ, vel abſolutæ nunquam fuiſſent. Nam quales ii ſint etiam in excellentia ingenii & doctrinæ abundantia, qui iſta parva aut ſpreverunt, aut aſſumere nequiverunt, qui volet conſideret atq; videat, oculos intendens in omnem ætatem & populum. Semper enim reperiet, cum aut errore & ſtultitia hominum, aut perturbatione & calamitate temporum, illa tenuitas & parvitas ſtudii hujus neglecta excluſave fuiſſet, & rempublicam labefactatam, & domeſticam diſciplinam perverſam eſſe, obortis variis & multiplicibus, nec non abſurdis & inconſentaneis opinionibus, cum non magis diſerta eſſet elocutio, cúmque quaſi confuſis ſonis, non intelligeretur ab uno id quod alter memoraret. Atque ita etiam hoc tum uſu venit, ut, quemadmodum Cicero, in exordiis quibusdam hujus erroris & neglectionis queritur, nihil ſit loci pudori, probitati, virtuti, rectis ſtudiis, bonis artibus, utque tandem omnia peſſum eant & confundantur. Atque fit ſæpe, ut in quadam veluti veterno ignorantiæ, cum vera pro falſis homines amplectantur, dubia pro certis, fluxa pro firmis, obſcura pro manifeſtis, tum quaſi ſopitum malum non ſentiatur: ubi verò commoveri cœpit, ibi tanquam Camarinæ cujusdam fœditas exagitatur, & vitia illa conſpicua fiunt, atque erumpentia plerunque, & quaſi curationi repugnantia in corpore humoribus malis referto, tumultuantur. Ita fit, ut reſpublicæ tum graviſſimè concutiantur, cum innoteſcunt & aperiuntur errores ac peccata ſæculi atque hominum. Quapropter ſi expetenda virtus eſt, & fugiendum vitium, non contemnantur neq; parvi fiant ea, quorum eſt quamvis exiguorum ea tamen vis, ut virtutis iter patefaciant, & quæ, cum negliguntur aut denegantur, neq; obtinentur, vitam veluti ſentes vitiorum obducere ſoleant. Quorum exempla evidentia ſuppeditant noſtra etiam tempora, quibus cum divinitus prolati & indicati fuiſſent errores multiplices, ea indignatio hominum fuit, ut non illis neque ſuæ vel improbitati vel infelicitati ſuccenſerent, ſed in reprehenſionem & ſalutaria præce[illegible]e inferrent atque inveherentur. facile enim paſſi fuere & pertulere omnia homines, quousq; abfuit adverſatio, vel affuit potius obſecundatio, & ut Plautus ait, obſequela. & eſt ſecundum Platonem, νοσοῦντι πᾶν ἡδὺ τὸ μὴ ἀντιτείνειν. Reflante autem vento, & exagitante judicia opinionesq; & ſententias hominum, eam ſcimus exortam miſeriam, cum qua conflictamur jamdudum, cujus utinam, καταστροφὰ complectatur συμφορᾶς ἀγαθῆς. Sed eventum permittamus DEO: cauſſa certe perturbationis vel commotæ vel auctæ, eſt inhumanitas & imperitia ac barbaria. De qua re neque dicemus, neque queremur, in præſentia quidem, amplius. Me autem credo vel potius certè ſcio, ſi aliud quicquam eſt quod credam aut certò ſciam, ut noſter inquit Soſia, credo ego, me & pio & non expertæ utilitatis ſtudio, hanc operam navaſſe inſtitutioni puerili, quam Plautinarum fabularum caſtigationi impendi: eámque, orò DEUM, ut ad Chriſti potiſſimum gloriam adjungat, deinde & ad rerum humanarum compoſitionem atque proſperitatem accommodet, adductis ſententiis & lingua hac in parte ad certam quandam rationem, in obſervatione & notatione proprietatis ſermonis, de principiis ſimplicis & puri ac cotidiani uſus illius. Ut enim meum quantulumcunque profectum in litterarum ſtudio, ita omnium incœpta & conatus & diligentiam cupio & opto inſervire nomini Chriſti, & dirigi ad celebrationem illius & illuſtrationem doctrinæ Evangelicæ. Id autem quod nos præſtitimus, æſtimandum aliis relinquo &c.

JOACHIMUS CAMERARIUS Pabebergensis Francisco Crammio Sagano S. D.

Dum tu terras & maria obis, & mandatas res exequeris, nos hic, ut solemus, concesso otio utimur, dum licet: & studia ac litteras nostras colimus, quasi diu multumque usus aliquis harum futurus sit. facimusq; similiter in hac parte, quemadmodum in re familiari Græcum epigramma faciendum esse præcipit, ut tanquam semper hæc duratura sint, ita colligamus atque condamus adjumenta artium bonarum, in opinione etiam, fore ut à posteritate promantur ea, quæ à nobis reposita atque conservata sint. Sed iidem, ut verum fatear, ita his studiis fruimur, & ea in augendo & amplificando est incuria nostra, quasi omnia mox interitura sint. Sed de eventu, ut par est, permittantur DEO omnia. De nostris autem rationibus judicium esto bonorum. In quas dupliciter inquiri posse video. Primum, ut dubitetur, an omnino talia scripta, qualia nunc publicamus, pietatis & religionis studio, quod præcipuum esse debet, consentanea esse videantur. Secundò, ut quæratur, cur non aliis potius in libris tantum diligentiæ & operæ positum sit. Ego verò, cum de utroque me jam antè accuratè disseruisse confidam, in præsentia possum breviter hæc explicare. Neque enim ego is sum, quem pudeat suæ ætatis: neque reperio quam spem eruditionis faciam ulli, absque cognitione utriusque linguæ, Græcæ ac Latinæ. Hæ verò quomodo perdisci potuerunt, neglecta & inobservata proprietate utriusque? Atque id est profectò, quod omnibus temporibus, etiam illis quibus studia doctrinæ maximè viguerunt, paucissimi præstantes eruditione viri reperti fuerint. Non defuit illis quidem naturæ & ingenii bonitas, non fugerunt plerią; etiam industriæ & studii laborem. Hæc autem neglectio corrupit rem, quòd non curarunt, ne suæ quidem linguæ proprietatem intelligere atque perspicere. Ex hoc & diversitas ac dissimilitudo ser- A monis nata, & dissidium sententiarum ortum, & tandem doctrina omnis, posthabita eruditione litterarum, depravata fuit. Hæc scio neque satis intelligi, & derideri à plurimis. Sed quid nos in referendis & approbandis rationibus nostris aliud possumus aut debemus facere, quàm ut ea commemoremus, quæ nos animadvertimus atque notavimus? Quæ sanè videantur levia, nisi omnium ætatum atque temporum exemplis confirmantur, quibus manifestum sit, veritate orationis non custoditâ, secutum hoc esse, ut eruditio litterarum contemneretur: & ita mox doctrinam degenerare cœpisse, & tandem penitus fuisse corruptam. Nam quam etiam Reipub. calamitatem attulerit hoc malum, nunc non disputabo, ne quis veluti *θέσιν* hanc declamitari à me existimet. Doctrinam quidem bonarum artium & studia sapientiæ non solum dignitatem conciliare rebus humanis, sed salutem etiam & incolumitatem B præstare in terris, cui persuasum non est, erga illum esset alia dispu atione opus: quam hoc tempore & argumento suscipiendam nō putavimus. Sit igitur hoc demonstratum, Neque sine doctrina vitam rectè & laudabiliter degi, neque doctrinam sine eruditione litterarum consistere, neque hanc ullam esse absque Græcæ & Latinæ linguæ cognitione, neque percipi illas posthabitâ proprietatis consideratione posse. Quæ si verè collegimus, consequens erit, ab iis quorum provincia est litterarum doctrina operam quæ in scriptorum talium, Plautinorum præcipuè, si Latina lingua discenda sit, explicatione ponitur, non malè, ac potius præclarè & utiliter sumi. Plautina enim scripta quò minus curâ quasi concinnata, & arte elaborata sunt, eo manifestius atque certius in his proprietas & natura sermonis Latini conspicitur. Hæc autem duobus præcipuè continetur: verborum simplicium vero usu, & inter se j unctorum debitâ constructione. In priora signifi-

significatio singulorum, in posteriore sensus animi declaratio spectatur. Itaque illa vocabulorum, hæc figurarum in loquendo cura & observatio est. De quibus indicandæ rei gratia tantum nos dixisse satis sit. Alterum videri possit ad explicādum difficilius. Quomodo enim non discrepabunt hæc scripta à doctrina pietati & religionis, cum sive sacrorum seu profanorum mentio fiat, summa in his levitas, & omnia falsitatis ac errorum plena esse reperiantur? Quid ego dicam de iis, in quibus delicias faciunt autores istorum scriptorum? jocos inquam illos obscœnos, & turpitudinem extremam, qua non modò aures piæ lædantur, sed animi etiam saucientur & voluntas depravetur, & cupiditates malæ excitentur. Poterant plura enumerari contraria sanctissimis præceptis, & salutaribus monitis pietatis & religionis, quæ comprehensa sunt & tradita, in his scriptis. Et ut verum fatear, hujusmodi cogitationes me non parum aliquando conturbarunt. Sed, ut opinor, verè responderi & expedire hæsitantem hoc potest: Non propositi, si quid est talibus scriptis expositum, improbè aut turpiter dictum vel factum, ad sequendum & exprimendum, non magis quam parricidia & adulteria Tragica; sed potius ad execrandum & detestandum atq; refugiendum, cùm aliis in considerationibus, tum præcipuâ iræ DEI atrocissimæ, qua ignorantes ille veritatis, eos qui in hoc mundo esse vellent præstantissimi virtute & sapientia homines, ad eam passus est perversitatem prolabi, ut de nefariis flagitiis & fœdiss. turpitudine jocos ludosque facerent: utque congregarent iis temporibus, quæ divino cultui essent consecrata, omnes utriusque sexus, cujusque conditionis & ætatis cives, ad hæc dedecora vitæ atque morum audienda ac spectanda. Quod si jam aliquem qui ista legit, quasi titillarit voluptas & libido, ut si cui videatur fortunatus fuisse Agamemnonii conjugii atque regni subsessor, is paululum se tanquam rationis remigio inhibeat, & finem intueatur, illaq; tam scelerum quàm flagitiorum ἐπιχείρια, ac postea statuat quid de his sentire & amplecti conveniat. Nam ut DEUS impunitam esse audaciam scelerum non sinit, ita neque petulantia flagitiorum caret supplicio, sive im-

A mania utraque sint, seu communis vitæ hujus peccata. Quòd si cui singulorum correptio & pœna minus manifesta est, is hanc omnium quibus mendacia potiora sunt veritate, miseriam intueatur, cæcitatis animorum, tam in judicii perversitate quàm voluntatis depravatione. Qui, etsi non est eis obscura sententia DEI, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, ut inquit Paulus. Hæc igitur horribilia sunt, neque sunt occulta, sed manifesta & ante oculos. Ut autem si quis inconcesso alicujus matronæ amore flagrans sciat se in insidias delatum esse, & versari in periculo, ne deprehendatur ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ, nunquid illum non magis tum cupiditas extimulatura, sed impendentis exitii metus ad curam salutis suæ conversurus esse videatur? Similiter & hæc dum audiuntur & leguntur, assit hic sensus iræ DEI, & metus justi supplicii: atque ille pruritus facile reprimetur. Aut si in aliquibus hoc non fiet & erunt ii pauci numero, & planè deplorati quidam, & ἀδόκιμοι τὸν νοῦν. Sed ætas, inquiat aliquis puerilis, cui tu ista potissimum apparas, in-
B cautior & imprudentior est, & levior, quàm talia ut cogitet & perpendat. Discere hæc igitur pueros volumus, & jubemus tradi diligentius, quàm illa quorum caussa proponuntur, sermonis nimirum naturam & proprietatem ut perspiciant. In quo si quid jam forte delinquatur, non nostra hæc culpa futura est, sed illorum quibus hoc onus incumbit, ut scolasticis muneribus eos præficiant, qui rectè & ordine administrare omnia sciant. Atque utinam hæc damna morum averti, & ista vitia emendari possent, quibus jam consuetudine & more læditur educatio & institutio puerilis, publicè ac privatim, non modò exemplis tam externis quàm domesticis, sed præceptis etiam traditionum quarundam, quibus manifesta quædam πλημμελήματα sanciuntur. Hoc illud est, quòd hujus sæculi corruptio indies fit major: utq; disciplina omni soluta, audiantur quidem alicubi præcepta & monita pietatis, religionis, virtutis, continentiæ, moderationis, castitatis: sed cùm inde suam quisque eunt diversi domum, nullus est illo pacto sicut illa jusserant, secundum Plautum

nostrum.

nostrum. Quid ita? Quia omnia aliter fieri, & pleraque non modo in improbitate & turpitudine animadversionem effugere, sed approbationem invenire cernuntur. Reprehenditur ebrietas: & hoc mox inter pocula recitatur esse factum, & continuatur nihilo minus. Quid alia? fraudes, imposturæ, luxus? An pro inhonestis jam habentur? Immò contra hæc ipsa propositæ edictiones, eos qui exercent protegere ac tueri videntur. Non possum in dolore, neque debeo hoc loco, de his plura dicere. Sed hæc est profectò occasio omnis deformitatis, & criminum ætatis nostræ: qua nisi emicuisset lux veritatis, jamdudum in tenebris oppressa omnia, & confusa jacerent fluctuantia in errorum quasi undis, & tandem illisa scopulis, veluti navis, quæ pelagi jactatur gurgite vasto, dissiparentur, & disjecta interirent. Sit nostrum opus parvum: est enim initii, quod speciem habere, aut magnum videri non solet. Hoc tamen agimus, & hoc conamur, ut id quod discendum esse credimus, recta via & ratione doceatur. Ostenduntur bona sæculo nostro eximia. hæc si non appetere neq; conciliare sibi homines voluerint, quid aliud existimem futurum, quàm mox ut amissa cum ingenti dolore & miseria, frustra requirant: ἐστὶ, ut ait Xenophon: τὸ μὴ λαβεῖν τἀγαθὰ οὕτω χαλεπὸν ὥσπερ τὸ λαβόντα στερηθῆναι λυπηρόν. Confirmanda autem est mens in hac parte, ne fluctuet, neu hæreat in dubitatione, qua fieri posset ut aliquando graviter & periculosè commoveretur. Nam conturbatis rationibus animorum, atque judiciis obscuratis, mirabiles errores stabiliri, & absurdissima sæpe dogmata asseri solent. Scimus quæsitum fuisse à veteribus quoque, eruditis illis & doctis viris, cultoribus religionis Christianæ, utrum permittenda esset lectio librorum eorum, quos à veritatis cognitione alieni quocunque argumento composuissent, Græcè hos secundum Paulum τοὺς ἔξω vocarunt. De quo alii aliter. Nam ii quibus illæ ἀναχωρήσεις καὶ ἀφωρισμέναι μοναὶ, & eximiæ ἀσκήσεις in cohercenda appetitione naturali placuerunt, hoc genus lectionis prorsus à suis removerunt. Ideo max. quòd non carerent illa scripta voluptate quadam leniter titillante animos, quos assuefieri ad ἀπάθειαν oporteret: ita enim habitum quendam vocarunt, quo hoc fieret, ut cogitatio neque lætitia quasi difflueret, neque tristitia contraheretur, reconcinnantes ad suæ professionis formam Stoicum dogma. Alii æquiores, non repulerunt quidem ab his libris Christianos: sed & quo consilio atque proposito illi legi, & quo modo ac attemperatione pueris proponi deberent, disseruerunt. Cum prioribus illis si quis disputare vellet, longa esset & varia oratione opus futurum. Et multi etiam totam illam separationis ἀφαίρεσιν non probant, & in hac superstitionem implicitam esse negari non potest. Hoc sanè fatendum, si quis sapientum & eruditorum veterum scriptis ad malarum cupiditatum fomenta, aut etiam incendia abutatur, & ita lectioni indulgeat, studio eum occupari indigno vitæ & moribus & sententia Christiana. Sed propter hoc vitium lectionem librorum istorum omnino damnare, est ejusmodi, ut si quis propter libidinosam aliquorum & prurientem spectandi imagines mollius atque venustius pictas intentionem, censeat undique ab omnium oculis & aspectu imagines esse amovendas. Immo tollatur voluntatis illa perversitas, & cùm mens veritate doctrinæ ad amorem castitatis convertatur, tum affectiones omnes animi disciplinæ severitate refrenentur: ita poterit & hic spectator, & ille lector etiam, suavitatem quandam intuendo & cognoscendo percipere, neque honestatis neque pietatis neque utilitatis expertem. Nam quod ad ἀπάθειαν istam attinet, γοητεία est hæc quidem, dum præstigiis quibusdam eum qui homo sit, facere conantur ut non homo esse videatur, usq; adeò, quemadmodum laudans hanc Evagrius inquit, λαλῶν διεστραμμένα, secundum Paulum, ut etiam ferarum naturâ induatur, τῆς παιδείας παρεκτραπείσης, καὶ τῆς γνώμης λοιπὸν οὐ συμβαινούσης ἀνθρώποις. Quod quidem neque rectum, & deforme ac omnino perniciosum est, id de hac opinione jam corroborata manavit, ut de ecclesiasticis studiis disciplinæ bonarum artium excluderentur: ita doctrinâ sublatâ, & introducta barbarie, postquam jam tanquam in Trojanorum castris Homericis, οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος οὐδ' ἴα γῆρυς, ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο, quò tandem Ecclesiastica res reciderit, videmus. Sed de his neque breviter dici potest, neque prolixè nunc quidem debet. Cum illis autem alteris in hoc planè consentimus, neq; inconsideratè pueris ista scripta

pta proponenda, neq; temerè ab ullo legenda, & accuratè atq; prudenter cùm enarranda, tum cognoscenda esse. In aliis quibusdam rationes ipsorum minus videntur esse explicatæ. Sed hoc nobis satis est, quòd dant, & legenda, & in scolas proferenda esse: idq; accipimus. & quod addunt, circumspectè & cautè: id vehementer etiam laudamus. Atq; utinam hac in parte cum voto nostro eorum voluntates congruerent, quorum & sententia ac autoritas in constituenda hac reipub. parte plurimum valet: & eæ sunt copiæ ac vires, ut sustinere atque perficere possint, quicquid susceperint ac voluerint. De quo tamen cum in hac & rerum perturbatione, & hominum solicitudine, & temporum miseria, quid sperem non habeam: si meo qualicunque labore inservirem patriæ, & pueritiæ studia dirigerem, & adjuvarem conatus tam ingredientium, quàm alios deducen- A tium in hæc exordia eruditionis litterarum & doctrinæ, unde ad omnem sapientiam & virtutem procedi, & cùm ad civiles administrationes, tum veræ religionis atq; pietatis respectum ac cultum præparari animi solerent, atque possent: hanc inquam operam diligentiæ & laboris mei, & Deo gratam, & nostris hominibus utilem, fructuosamq; fore credidi. Confidoq; etiam alios bonos, & ab humanitatis sensu non abhorrentes, neq; improbaturos judicio suo, rationes & lucubrationes istas, & favore quoque persecuturos esse. Sed

Ἐκ τοῦτ' εἰς θεὸν χρὴ πάντ' ἀναρτήσαντ' ἔχειν.

Nos eò, unde digressi sumus, revertamur. Manemus in sententia, studia utriusq; linguæ excolenda esse: & esse hanc viam ad scientiam & veritatem, quibus & cultus Dei, & hominum communitas continetur ac durat &c.

De Carminibus Comicis.

De Plauto Fabularum istarum autore pauca dicam: in primis ut constet quo tempore vixerit: hunc incidere in ætatem Catonis: quo & ipso Censore mortuum esse, scripsit Cicero, ante se Cos. CLX. annis, hoc est, ab V.C. circiter D.P. Claudio, L. Portio Coss. Cujus ætatis, in quam Nævius quoq; includitur, participes fuere ultra citraque Ennius, Cæcilius, Pacuvius, Terentius. Pacuvium quidem ac Cæcilium male locutos, Cicero ait. Ennium & Nævium probat. Sed nostro studio relictus est Plautus & Terentius tantùm. De his igitur petenda forma Latinæ locutionis, & sternendum quasi solum, super quo oratio bona & diserta, verbis & sententiis aptè constructa collocetur. Non enim compositio, neque veluti ædificatio qualis esse debeat illius, hinc cognosci aut dici potest. Etiam munditiæ & nitori, &, ut ita dicam, innocentiæ ac integritati sermonis antiquitas officit, cùm quia omnium rerum est sua elaboratio & perpolitio, quæ perfectio existi- B manda: tum quòd studium elegantiæ ut in vita, sic sermone quoque illa non usurpavit. Quapropter posteriores in sermone priorum nonnulla mutarunt emendantes, formam certè componendo, & quasi coagmentando atq; reconcinnando reddiderunt & pulcriorem & meliorem. Hæc jam illa est certa & constans, atque omnium eruditionis atq; bonarum artium cupidorum imitationi sola proposita, Ciceronis, & eorum qui ætate illa vixerunt: sed Ciceronis, ut principis & autoris Latinæ linguæ. de quo a ibi disseruimus copiosius, cum contra reprehensores hujus studii disputaremus. Hæc autem qui perspexerit, in Plautinis & Terentianis scriptis ita versabitur, ut quasi materiam orationis bonæ, & si fas nobis est dicere, eloquentiæ Latinæ ab illis sumat, neque in delectu vel verborum vel figurarum sermonis allucinabitur. Sed de hoc jamdum satis. De Comico autem carmine etsi alii scripsere, quæ & magnifacio, probo, tamen nostro quoque studio existimo adhuc loci

aliquid relictum esse. Cum res illa quidem ejusmodi sit, ut penitus comprehendi & omnium etiam diligentiâ quasi enucleari his temporibus nequaquam posse videatur. Quo autem est difficilior labor, eo assiduatis pluſculum in vestigando adhiberi convenit. Nihil autem tam est abstrusum, de quo non aliquid, si sæpius & studiosè exquiratur, erui posse sperandum fit. τὸ γὰρ ζητούμενον, inquit Sophocles, ἁλωτὸν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον. Minus autem certè turpe est, in eo à quo quamplurimos magnitudo & obscuritas deterruerit, quantumvis modicos, quàm illorum vestigiis insistentem nullos progressus fecisse. Si tamen est adeò digna res, ubi quis nervos intendat suos, ut ait Terentius. Quod quidem ita esse nobis persuasum est, & senserunt omnes qui aliquam famam eruditionis litterarum & doctrinæ consecuti fuerunt. Cum quidem non solum bestiæ demulceantur numeroso sono, sed solitudines etiam atque silvæ quasi afficiantur, ita respondent carminibus. Qui Musarum reliquias in cura bonarum artium non amplectetur, vel etiam contemnet, eum nos quidem nimis aut fastidiosum aut barbarum quoque esse judicabimus. Etsi fatemur in hac parte supervacaneum, in quodam inconcesso amore Musarum insanum studium impendi non oportere, ne sequentes, volucres illas, hoc remigio destituti, ut de Pyreneo fabulæ tradunt, in exitium nos præcipitemus. Sed ad rem accedamus: pauca quidem quasi præfati de horum scriptorum genere. Comicus Poeta fuit Plautus. Comœdia autem est poema δραματικὸν, hoc est expositio numerosa, id est, carmine comprehensa, & in actionem implicita, seu collata in personas, argumenti ficti, de rebus, casibus, negotiis sumptis è vita communi, & quasi cotidianis eventis. Hoc carminis genus de Tragœdia fluxit, ut Horatius docuit, qui Thespin dicit invenisse ignotum genus Tragicæ Musæ: atque addit,

Successit vetus his Comœdia non sine multa Laude.

Initia autem fuisse admodum parva & rudia: cum hilares, post labores exactos, diebus festis, concinerent aliquid, & alii, & idem Horatius in epistola ad Augustum perhibet, ubi dicit, ab innoxiis jocis libertatem hanc intolerabilem licentiam provectam fuisse. Qui primus autem Comœdiam scripserit, non constat. In libro qui Aristoteli inscribitur de Poetica, inter alia & hæc leguntur: Siculos sibi vendicare inventum Comœdiæ: fuisse enim Epicharmum ante Chonnidem & Magnetem: & uti nominis quoque testimonio. Esse enim certè Comœdiam, non ἀπὸ τοῦ κώμου, sed ἀπὸ τῶν κωμῶν, id est, non de hilaritate & exultatione, sed de pagis appellatam. Sed ab Atheniensibus pagos non κώμας, verum δήμους vocari. Similiter & quosdam Peloponnesiacos ait suum facere inventum Tragœdiam, quòd fabulæ δράματα dicantur: cum tamen Atheniensibus in usu non sit verbum δρᾶν, sed πράττειν. Ibidem & hoc scriptum est. Ab eo demum tempore Comœdiæ autores celebrari, quo formam illa & speciem quandam nacta fuerit, cum principiò obscura esset, & autores ipsius laterent. Sed Comœdia quæ priscis temporibus in usu fuit, qua nominatim hi aut improbos aut inimicos suos perstringebant, principum etiam virorum vitam & mores reprehendentes: hæc igitur antiqua dicta est. De cujus licentia κωμῳδεῖσθαι vulgo dixere eos, qui probris incesserentur. Hujus autor vetustiss. nominatur Sannyrio. Sed excellentes fuere temporibus belli Peloponnesiaci,

Eupolis atque Cratinus, Aristophanesque, Poetæ.

Hæc postea fuit mutata, cum dolerent, ut inquit Horatius, cruento dente lacessiti. Tum nomen obtinuit Mediæ, quæ dissimulato nomine vitia tantum exagitaret.

——Quin etiam lex,
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Describi.——

Atque ferunt Eupolin in mari submersum ab iis quos maledictis læsisset. Tum igitur Tragœdiarum ferè argumenta detulerunt in Scenam, retexta ad ridiculum modum. deque hoc genere Chorus paulatim defluxit. In quo præ cæteris clarus fuit Plato Comicus. Hanc secuta est Nova Comœdia, in qua primas tenuit Menander, potiente rerum Alexandro Magno. atque hæc Chorum omnino non habet, sed ornatu vario & multiplici personarum insignis est. Atq; hæc indicanda breviter & strictim putavi, de initiis ac

ac progressionibus Comœdiæ apud Græcos. Apud Latinos autem, Scenicos ludos institutos fuisse C. vel ut alibi, T. Sulpitio Bætico (vel ut alibi Potito) Licinio Stolone Coss. annotavit Valerius: & paulatim ludicram artem ad Satyrarum modos perrexisse, à quibus primus omnium Poeta Livius ad Fabularum argumenta spectantium oculos & animos transtulerit. Cicero autem scripsit, Livium primum omnium Fabulam dedisse, annis fere CCCCX. post Romam conditam. Fuere autem celebrati primùm ludi Romani patrum & equitum, qui & magni: ludicrum autem equi & pugiles, ut Livius memorat, libro primo, qui & ludorum plebejorum mentionem fecit. l. XXIIX. Idem Livius quo tempore & qua de caussa instituti esse ludi Scenici dicti sint, copiosè eadem quæ Valerius, retulit libro VII. Quod tempus est urbis circiter CCCXC. Idem tamen l. XXXVI. scripsit, ob dedicationem ædis matris magnæ primos ludos Scenicos factos, Valerium Antiatem esse autorem, Megalesia appellatos: quod tempus distat a priore annis pluribus CLXV. Cicero Livium Fabulam docuisse, ut retulimus, scripsit in Bruto, & prima Tuscul. Claudio & Tuditano Coss. anno A. V. C. CCCCX. Hoc Gellius retulit in annum D. X. ideoq; fuere qui apud Ciceronem numeros mutandos censerent. Quod nobis fieri oportere non videtur, cum ipse Cicero indicet, alios hæc aliter exposuisse, & res sint inexplicabiliter confusæ. Sed postquam componere Fabulas argumentosas Poetæ Latini cœperunt, sequentes & vertentes Græcorum scripta, in hoc genere magna licentia usi fuerunt. Cum autem essent Latinorum propria quædam Poemata, ut Atellanorum, videntur libertatem illam in Græcis & Latinis argumentis Poetæ Latini, non tam fuga laboris & cupiditate edendi sua, ut Horatius putat, quàm necessitate quadam custodisse, ne aures civium peregrinitate offenderentur. Ita factum puto, ut neque intra trimetros constiterint, neque Græcorum exquisitionem & quasi normam, ad quam numeros illi exegerant, hi servarint. Sed nunc deinceps de ratione horum & carminum Comicorum structura, quæ nostra diligentia observavit, quæque postulare videtur lectio Fabularum Latinarum, breviter quidem disseremus; ita tamen ut fortasse nondum ab aliis demonstrata indicemus. Metra præcipua sunt novem: Jambicum, Trochaicum, Dactylicum, Anapæsticum, Choriambicum, Antispasticum, Jonicum à majore, Jonicum à minore, Pæonicum. E quorum numero nunc eximemus Jambicum & Trochaicum, deque iis, quæ videbuntur, dicemus. Jambicum metrum à principe pede nomen habet: qui à conviciis appellatus fuit, ut placet Aristoteli. cumq; sit maximè conveniens sermonibus (nam fortuitò etiam loquentes, jambos crebros proferimus)

Hunc socci cepere pedem, grandesq; cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus & natum rebus agendis,

ut ait Horatius. Hoc carmen cum purum est & integrum, omnibus in locis Jambos habet: ut apud Catullum,

Phaselus ille quem videtis hospites
Ait fuisse navium celerrimus.

Et Horatium;

Beatus ille qui procul negotiis.

Quò autem gravius paulo in tarditate procederet Jambus,

Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus & patiens, non ut de sede secun-
Cederet aut quartâ socialiter. (*dâ*

Sed neq; Tragici hoc, inprimis Latini, servarunt, & Comici omnibus in locis collocarūt pedes sine discrimine, quinque: Dactylum, Anapæstum, Tribrachyn, Spondeum, Jambum.

Syllaba longa brevi subjecta, vocatur Jambus.
Deos, cliens, ferox. quæ si ambæ breves sint, Pyrrichius is pes vocatur: *lege, bere, grave.*
Spondeus habet duas longas: *exlex, concors, amens.*
Tribrachys tribus brevibus constat: *domine, canere, misera.*
Anapæstus, duabus primis brevibus, postrema longa: *Silices, rabies, patiens.*
Dactylus, prima longa sequentibus duabus brevibus: *littera, scribere, Musica.*
In Latinis Comicis rari Jambi sunt, etiam in trimetris, qui sunt Senarii. In integro tamen Jambico, vult esse ultimus pes hic, aut propter ultimæ indifferentiam: Pyrrichius quintus, quasi definiens numeros ac versum. sicut in dactylico, dactylus. Horum loco cum Spondeus ponitur, ii versus tum σπονδειάζοντες & σπονδαϊκοὶ dicuntur: ut,

Armatumque auro circumspicit Oriona.
Apollinarem conveni meum. scazon.

Claudicare enim hi versus putantur, & σκάζοντες nominantur, & χωλιαμβοί. Comici autem, ut dixi, numeros ideo minus distinxerunt, ut similitudo sermonis communis custodiretur. Itaque Cicero in Oratore sic ait: At Comicorum senarii propter similitudinem sermonis, sic sæpe sunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus & versus intelligi possit. Hæc confusio cùm est maxima, tum carmina vocantur ἀπεμφαίνοντα, id est, immanifesta, & ἀνόμοια.

Exclusit, revocat, redeam? non, si me obsecret.

Qui versus, si producas penultimam, erit dactylicus σπονδειάζων.

Tres unam pereunt adolescentes mulierem:

Totus dactylicus, præter ultimum Jambum. Hoc genus & ad octonarios perducitur à Comicis, qui sunt τετράμετροι. à Latinis etiam quadrati vocantur. Habet apud eosdem & καταληξιν, ita ut ad Senarium additus amphibrachys, id est syllaba brevis longa brevis: aut bacchius id est, syllaba brevis longa longa, (ultima enim syllaba omnis versus est indifferens) hos numeros perficiat.

Nam si remittant quippiam Philumenam,

Hic est τρίμετρος. Addantur illæ tres syllabæ, *dolores*, & erit jam τετράμετρος καταληκτικός. Nam in hoc genere alii pedes, quàm suprà memorati, non nominantur. Sed neque servarunt hoc, ut ante κατάληξιν semper esset Jambus: neque non pro syllaba longa catalectica sæpe duas breves posuerunt,

Edepol lenones, meo animo, novisti Lusce lepidè.

Ante κατάληξιν τρίβραχυς est:

Tacuisse mavellem, hau male meditate male dicax es.

Ante κατάληξιν est spondeus:

Bene ego istam eduxi meæ domi, & pudicè.
si hujus miseret.

Ante κατάληξιν est dactylus:

Nunquam me orares quin darem. nunc illum te orare melius est.

Lius est, in unam syllabam concrescunt. Hi versus appellantur Hipponactei, ab autore, & Latinè septenarii: tum enim, Priscianus ait, Varronem scripsisse, fieri septenarium, cum ad senarium Jambicum trisyllabus pes addatur, hoc modo,

Quid immerentibus noces? quid invides amicus?

A Talia sunt Aristophanea in Plauto, quorum primum hoc,

ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ξυνὸν θύμοι φαρέντες.

Trochaicum carmen est Jambicum commutatum.

Trocheus à volubilitate & ratione nomen habet, contrarius pes Jambo, constans longa & brevi, *scribe, Musa, verba.*

Hoc Jambum non admittit, quemadmodum neque in Jambicum trocheus ingreditur. Etsi reperitur etiam in Græcis τροχαϊκὸν τετράμετρον καταληκτικόν, in cujus quarto loco ponitur Jambus, ut in Nebulis,

ὦ θεώμενοι, κατερῶ πρὸς γ᾽ ὑμᾶς ἐλευθέρως.

Idque εὐπολίδειοι ἀσύστατοι vocarunt.

Sed multo majore licentia Latini usi fuerunt, & passim, ut videtur, inseruerunt jambos. Docent autem ita fieri hoc carmen, si ad senarium Jambicum addamus creticon, qui ἀμφίμακρος, id est, syllaba longa brevis longa: ut *aurifex*, hoc modo,

——Dii boni,
Boni quid porto? sed ubi inveniam Pamphilum?
Et,

B *——Lætus est,*
Nescio quid. nihil est. nondum hæc rescivit mala.

Ita hos numeros composuisse Archilochum perhibent, atque ab eo μέτρον ἀρχιλόχειον dictum. Sed hoc non servarunt Comici, præsertim Latini, ut secundam syllabam brevem semper facerent, quod præceptum de cretico subjicit. cum in hoc versu ubique reperiatur dactylus, anapæstus, spondeus, trocheus, τρίβραχυς.

Apage, non placet me hoc noctis esse: cœnavi modo.
Quid si ego illum tractim tangam ut dormiat? servaveris.
Exossatum os esse oportet, quem probè percusseris.
Facinus, nequiter ferire malam malè discit manus.
Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuò.

In fine esse ante κατάληξιν debet trocheus, ut carminis ratio appareat, sed reperitur & τρίβραχυς. ut,

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus.

Et

Et Aristoph.

ὦ σοφώτατοι θεαταὶ, δεῦρο τὸν νοῦν πρόσχετε.

Sæpe autem multumque usi fuere hoc carmine Archilochio Comici, & illo plurimas sermocinationes composuerunt. De aliis generibus quid dicam, non habeo. Etsi Sisenna, referente Rufino, anapæsticum metrum in Aululariæ quadam Scena esse dixit, sed concisum ita, ut non intelligatur. In his igitur nos frustra torquere, præsertim tam fœdè corruptis exemplis, & in metricæ nequaquam exacta cognitione, nihil necesse, vel potius curiositatis hoc fuerit, ocio non admodum liberaliter abutentis. Cõfusa quidem, id est, συγκεχυμένα μέτρα plurima sese offerunt passim tã in Plauto, quàm Terentio. in quibus Jambus & trocheus, & alii pedes ingredientes hæc metra, collocantur promiscuè. Quod autem ad καταλήξεις & βραχυκαταλήξεις & ὑπερκαταλήξεις attinet, de eo magis suspicari possumus, quàm certi aliquid demonstrare. Qui tamen cogitatione non illiberali his de rebus sese occupare voluerint, ii primum ad exemplum aliquod rationem numerorum in versibus cõferent, & ita informabunt animo qualemcunque notionem horum. Ponatur igitur hoc: Numeros esse aptos quosdam & determinatos, & consentaneos sonos vocis humanæ. Hi cum in voce naturâ insint, in oratione quoque inesse oportet. Sed cum abest cura cõpositionis, & ars quædã veluti structuræ, facilè illi & dissipantur & delitescunt. Atque hoc est quòd Aristoteles Poemata sua sponte extitisse, & fortuitò prodiisse ait, ipse αὐτοσχεδιάσματα vocat. Hæc concinnitas quædam in omnibus linguis reperitur, ad quam aurium observatione adhibita, versus extitit, elaboratus studio & arte ingeniosorum & doctorum hominũ, & processu temporum ita suo quisque in genere perfectus, ut nihil fieri elegantius neque pulcrius, aut magis sonorum posset. Potestque de nostris vernaculis cantilenis etiam aliquo modo hoc cognosci, ut, etsi fortè hoc ineptum videatur, sed in docere fideliter cupiente nihil ineptum, ut si conferamus hæc nostratia ad illa erudita, nonne in his similiter desinentibus quæ nostrum vulgus rythmos appellat, aliquid jambicis senariis simile agnoscitur? & in modis choreatum,

A quasi anapæsticum est & Pæonicum melos. Sed & in soluta oratione diligentia nunc multorum, accuratè verba componens, ῥυθμοὺς, qui sunt numeri, efficit. Certò autem & planè ostendere omnia, id esse ejusmodi puto, ut fieri nequeat. quemadmodum & in aliis quæ usu perdita fuerunt, instauratio & restitutio absoluta desperanda est. Citius enim mihi aliquis illud Hesiodeum plaustrũ lignorum centum construxerit, quàm Scenam hoc tempore explicuerit, omnibus partibus & numeris suis, ut dicitur, absolutam. Hoc tamen dubium non est, in linguæ cujusque usu communi, harum rerum rationẽ consistere, quo labefactato aut amisso, illa quoque vacillet atque confundatur, vel potius non magis appareat, necesse est. Est autem in omni genere carminum varietas numerorum depositionis, ut vocant: ea est versus conclusio, tàlis quædam. Versus dicitur ἀκατάληκτος, qui est plenus & integer, & pedes suos habet totos, ut,

Poeta cum primùm animum ad scribendum appulit,

Versus est Jambicus trimeter, qui & senarius, ἀκατάληκτος. Sic est ἀκατάληκτος Theocriteus hic primus in Fistula,

B οὐδενὸς εὐνάτειρα, μακροπτολέμοιο δὲ ματήρ.

Et postea σκάζων,

μαίας ἀντιπέτροιο θοὸν τέκες ἰθυντῆρα.

Et mox καταληκτικὸς εἰς συλλαβήν,

οὐχὶ κεράστων ὅν ποτε θρέψατο ταυροπάτωρ.

Et πεντάμετρος deinde, vel καταληκτικὸς εἰς δύο συλλαβάς,

οὗ τόμ' ὅλον ζώων ἐς τὰς μέροπος πόθον.

Atque ita usque ad δίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβὴν, καλλίονα & πλεῖστα. Nam in hoc genere μονόμετρος ἀκατάληκτος fieret unus pes. Metimur enim omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter dactylicum. Idque & Rufinus testimonio Herodoti comprobavit, veteres factitasse. nam dactylica oracula reddita fuisse ait τόνῳ ἑξαμέτρῳ. Gygis autem facinoris meminisse Archilochum in Iambico verso τριμέτρῳ, quæ hujusmodi quidam ibi ascribitur,

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Est ergo & elegiacus dactylicus, quem, ut scimus, tribus dactylicis pedibus, additi anapæsti duo absolvunt,

 ὅτ,

ὅτ, ἢ μοῖρα παθεῖν οὐκ δέδοικα παθεῖν.

Lis est cum formâ magna pudicitiæ.

Ita penthemimeris utraque conjuncta, & ipsa facit spondeum, ut sic pedes quinque dactylici construantur. Est autem penthemimeris, τὸ μὴ πενθημιμερής, id est, quinaria, cùm syllaba in verbo superest post pedes duos:

Arma virumque cano.

Hephthemimeris, τομὴ ἑφθημιμερὴς, cum sic hoc post tres pedes,

Mnesthea Sergestumque vocat.

Sed in aliis versuum generibus metra duplicatis pedibus procedunt. ut in Jambico est hoc μονόμετρον ἀκατάληκτον, id est, habet duos pedes integros,

Pessima mane,

Optume, odio es.

δίμετρον hoc

Verebar quorsum evaderet.

τρίμετρον:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

τετράμετρον hoc:

Quid faciam nunc? si tresviri me in carcerem compegerint.

Atque hactenus producti Jambici versus exempla adduxisse satis fuerit, etsi Grammatici πεντάμετρα quoque formam adjiciunt. Illum autem tetrametrum reperisse Boiscum quendam Cyzicenum, ἐπίγραμμα indicat, tetrametri ἀκαταλήκτου, & καταληκτικοῦ, quod legitur in Commentario Rufini de metris Terent.

Βοῖσκος ὁ 'κ Κυζίκου, πάντης γραφεὺς ποιήματος,

Τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.

Boiscus ille Cyzicenus scriptor omnis carminis

Versus pedum octo repperit, Phœboque dedicavit.

Verùm ad καταλήξεις revertamur. Est igitur καταληκτικὸς, cùm deest, quo minus versus compleatur, syllaba una:

Date, mox ego huc revertar:

Jambicus δίμετρος καταληκτικός. Sic enim *revertero*, nam & hac forma usi verbo fuerunt, erit jam ἀκατάληκτος.

Si mihi perget quæ vult dicere, ea quæ non vult audiet:

Trochaicus Archilochius, id est, τετράμετρος seu quadratus καταληκτικός. Sic enim, *audientur*, erit Trochaicus τετράμετρος omnibus numeris absolutus.

A Hypercatalecticus versus est, in quo syllaba una abundat. hujus exemplum de dactylicis adducunt,

Alloquitur Venus. O qui res hominumque deorumque.

Jactemur doceas, ignari hominumque locorumq.

Verùm diligentiores in dactylico genere ὑπερκατάληξιν & βραχυκατάληξιν, nominari oportere negant, sed κατάληξιν εἰς συλλαβὴν, aut εἰς δύο. Ex Plauto Priscianus δίμετρον Jambicum ὑπερκαταληκτικὸν esse hunc voluit, *Hospitio publicitus accipiar.* de quo nobis dubitare, neque hanc distinctionem servasse, antè indicavimus.

Βραχυκαταληκτικὸς dicitur, cum toto pede deficitur versus integritas. Ut si μονόμετρος sit, *Eheu mihi*, βραχυκατάληξις erit, *Eheu*. Priscianus δίμετρον hunc retulit, *Ius peregrè advenions*: de quo suprà. Et jam fassi sumus, hæc neque observari, neque exquiri potuisse à nobis, & haud scio an à nullo possint omnium qui nunc vivunt, in tam tenui scientia Musices antiquæ, & hac depravatione exemplorum.

B Sciendum autem, Comicos Latinos, prologos & primas ferè Scenas, pertexuisse Senariis Jambicis, qui sunt τρίμετροι ἀκατάληκτοι. Plautus tamen & in Amphitruone & alibi, in primis statim Scenis numeros mutavit. A trimetris autem ad longiores pervenerunt, ut τετράμετρους,

Mirabar hoc si sic abiret, & heri semper lenitas.

Ne fortè imprudens faciam quod nolit, sciens cavebo.

Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos deos?

Nec non concidisse reperiuntur versus, ut subjicerent longis breviores: nec non confudisse numeros, ut miscerentur trochei & Jambi. de quibus jam satis dictum. Hoc autem silentio prætereundum non est, in Jambico & Trochaico creticum non esse: quamvis de Archilochii Trochaici structura ille præcipiens, Rufinus ut ferunt, hoc scripserit,

Creticon Archilochus supra caput addit jambi.

Nam cretici ratio, qui est, ut diximus, ἀμφίμακρος, temporum quinque, ab hoc genere est alienior. Itaque quidam inculcantes

cantes in Jambicos & Trochaicos versus hunc pedem, audiendi, mea quidem sententia, non sunt. Etsi ut verum fatear, hoc dixisse illi videntur, in his versibus reperiri verba, in quibus creticus insit, ut *Edepol*, & similia; de quibus postea. Non quòd in versu jam sit creticus, sed quod in illis esset verbis, si totis syllabis plane proferrentur. Hæc sententia est, ut puto, *Scaligeri*, viri eruditi, qui *De versibus Comicis* edidit brevem libellum: itaque in eo requisivimus nonnulla, quæ minus explicarentur nobis, & viderentur secundum Platonem, τῆς πατρὸς δεῖσθαι βοηθοῦ, αὐτὸ γὰρ οὔτ' ἀμύνασθαι, οὔτε βοηθῆσαι δυνατὸν αὑτῷ. Ad numeros versuum Comicorum expediendos assumenda sunt ea quæ Græci πάθη nominant λέξεως, quibus & dilatantur & contrahuntur dictiones. Idque nimirum tum loquentes communiter fecerunt, ut pluribus aut paucioribus syllabis verba enunciarent, quàm nos de scriptura, aut secũdum rationem versuum nobis notam. De qua re nunc etiam breviter quædam memorabimus.

B Dilatantur verba dissolutione, seu divisione syllabarum quæ est διαίρεσις. Ut *jam*, δισυλλάβως. Quod & Scaurum Rufinus ait indicasse, qui diceret in Pseudolo, *Nunc jam* esse tres syllabas, & Plautum divisisse *jam* in duas. Tale est indicatum in eadem Fabula, *Malai*, τετρασυλλάβως. Sic & *quis*, *qui*, *quæ*, & casus horum diviserunt,

Qui per virtutem peritat, non interit.

Legendum, *Qui*, δισυλλάβως, si est vera scriptura; de quo quæretur illo in loco. Sed exempla in Plauto jam multa indicavimus. Apud Horatium lib. II. Carm. Odâ III.

Ramus quo obliquo laborant.

Est enim versus Jambicus dimeter ὑπερκατάληκτος: etsi & alia ibi lectio est. Huc pertinet *calim*, pro *clam*, ut Festus ait. Et in diversis verbis hiatus vocalium. Quod tamen non fecisse Latinos, nisi Poetas quosdam, Cicer. in Oratore scripsit, qui ut versum facerent, sæpe hiaverint. Ennium semel, *Scipio invicte*. & se.

Hoc motu radiantis etesiæ in vada ponti.

Sed sunt & apud Maronem hujus divisionis exempla,

A *Et longum formose vale, vale, inquit, Jola.*
Insulæ Jonio in magno.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.
Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Apud Horatium, lib. I. Carm.

Ossibus & capiti inhumato

Apud Lucretium, lib. V.

Passim per cæli volvunt se inania templa.

Et libro secundo,

Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Ubi tamen & διαίρεσις esse potest, dictionis *Qui*, ut in hoc versu,

At contrà quæ amara atque aspera cunque videntur.

Et apud Horatium rursum lib. III. Carm.

Jam virum expertæ malè ominatis parcite verbis.

Et Sermon. lib. I. Satyra 9.

Si me amas, inquit, paulum hic ades.

Item cùm retinetur littera *m*, ἀνεκθλιπτῶς, tum collisio usitata fieri non potest, ut

Insignita ferè tum milia militum octo.

Ut Horatius,

Nil opus est te circumagi.

Lucret. lib. III.

Namque papaverum aura potest suspensa, levisque.

Et libro I.

Corporum in plumbo est.

Et rursus,

Plus in se corporum esse.

Et mox,

Corporum augebit numerum.

Et paulo post,

Corporum atque loci.

Et rursum lib. III.

Sed dum abest quod avemus.

Et libro II. *Cæteraque cum ita sint.* Et hoc, *Nam quod fluvidum est.* Atque etiam vocalium concursum & contractionem interposita littera *d*, prohibuerunt. Sicut in *redeo*, *redbibeo*, *redarguo*, *redoleo*, *reduncus*. & in diversis dictionibus, *mederga*, *sedhoc noctis*. Ita longæ illæ manent, si natura longæ sunt. De his exempla quædam Plautina promiscuè ponam, pauca illa quidem, sed de quibus similis loci facilè explicari posse videantur.

Jam hi ambo & servus & hera frustra sunt duo,

Jam

Jam hi ambo, est Jambus, vel soluta dictione *Jam*, vel retentâ litterâ *m*.

Quot pondo ted esse censes nudum? non edepol scio.
Ille opere foris faciundo lassus noctu advenit.
Quanquam invita te carebo, animum ego inducam tamen.
Te heri me vidisse, qui hac noctu in portum adiecti sumus.
Blepharonem ut re divina facta mecum prandeat.
Nimis bella es atque amabilis, & si hoc esset meum hodie.

Qui versus omnes διαιρέσει explicari poterunt.

Contractio syllabarum crebrior est. Et apparet, fuisse linguam Latinam magis aptam ad voces cogendas, quam distrahendas. Hoc illud etiam indicat, quod retulit Cicero lib. II. De Divinatione: M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas cauno advectas vendens, *Cauneas*, clamitabat. Dicamus, inquit Cicero, si placet, monitum ab eo Crassum, caveretne iret. Sonuisse enim apparet illud, *cauneas*, contractum hoc, *cave ne eas*. Hæc indicantur nominibus συναλοιφῆς & ἐπισυναλοιφῆς. Synalœphe quæ & συνίζησις proprie vocatur, cum duæ syllabæ in unam veluti confluunt. Ut *Phaton* δισυλλάβως, pro trisyllabo *Phaethon*.

Cum te dejectum crudeli fulmine Phæton.

Nam *a* & *e* in lingua Latina diphthongum faciunt. *Deinde*, *proinde*, δισυλλάβως, Lucret. *Tandem coierunt*, τετρασυλλάβως *Nihil*, *nil*. *Mihi*, *mi*: *mehe*, *me*: *si vis*, κατ' ἔκθλιψιν, *u*, pro consonante, *Sis*, *ille & terris*, *illet*. *Sceptroque innisus eburneo. Eburno. pendent lychni laquearibus aureis*, δισυλλάβως.

Libra diei noctisque pares ubi fecerit horas.

Diei, vel *die*, duabus syllabis.

Tale & *rei*, συνεκφώνησις.

Sic *Dii*, *Di* sunt: & *iit*, *it*: periimus, *perimus*. ἐπισυναλοιφὴ autem longius patet, cum qualescunque vocales contrahuntur, deque duabus syllabis una fit. quod sæpe nobis mirifice factū videtur in lingua Græca & Latina, cum in sua fieri nemo miretur, quia minus considerat. Secundum autem diversarum linguarum naturam diversitas in his est. Sed exempla ἐπισυναλοιφῆς, ad quam quidem & ἔκθλιψις & συνίζησις referenda, hæc sunt: *fuit*, una syllaba. Lucret. lib. V. *Et ambiens multa perussit*. Et, *Et equorum duellica proles*: ubi & σύμπτωσις esse potest, *duel*. Et, *Et sonitu sterilia*. Et, *Nunc scio quid sit amor*: *Sco*, κατ' ἐπισυναλοιφὴν legendum, ut Diomedi placet. *Sodes*, si audes. *Sultis*, *si vultis* κατ' ἔκθλιψιν, *Suam*, *sam*: *suum*, *sum*. *suis*, *sis*: *eum*, *im*. *eapse*, ea ipsa: *sapsa*, se ipsa.

Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit.
Virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.
Quo res sapsa loco sese ostentatque jubetque.

Tuus, *tus*: *tua*, *ta*. *sua*, *sa*: aut συγκοπῇ μονοσυλλάβως, sicut *suavis*. Est & crebra ἔκθλιψις, & postea contractio. ut *amaverunt*, *decreverat*, *commoverit*: *amarunt*, *decreverat*, *commorit*. Et apud Lucretium, *Irritat virtutem animi*: pro *irritavit*. *Sultis*, pro *si vultis*.

Pandite sultis genas & corde relinquite somnum.

Omnino autem quo minus corriperetur pronunciatio, non obstetit veteribus, *u* pro consonante: ut, *Sine invidia laudem invenias*. Est enim *sin toid*. τετράβραχυς. *Audivi*, *audy*. Eliditur & littera *m*, *Multum ille & terris*. Hanc collisionem vocant. Etiam littera *b*, non obstitit interdum contractioni syllabarum: ut, *abi*, μονοσυλλάβως prolatum. συγκοπή est concisio, cū syllabā diminuitur verbum. *Nis*, pro *nobis*. *scilicet*, pro scias licet. *capsis*, pro cape si vis. *Emem*, pro eundem. *Cette manus*, pro cedite. *Acta non alio rege puertia*, pro *pueritia*.

Evasti? credo metues, doctusque cavebis.
Vixet, cui vitam Deus & sua dextra dedisset.
Moltus quoque surpere debet.

Quæ me surpuerat mihi. Extritio aut proprie unius tantum litteræ est, ut illa ἔκθλιψις litteræ *m*, & litteræ *u*, pro consonante: & *caldior*, *lamna*, pro *calidior*, *lamina*. *ist hic*, priore brevi. *ab oles*, pro *ab illis*. antiqui enim litteram non geminabant, ut inquit Festus. qui & *fenstram* dixere, quam posteriores τετρασυλλάβως *fenestram*. *Senx*, vel *snex*, pro *senex*. *Edepol*, *Ldpol*, *Virgines*, *virgnes*. *Semine ortu dir*. Sed magis *universum* apud Lucretium *Semne* & *univerjum*. Sic & in *eveniat*, extri-

ta i littera videtur, ut apud Ennium, referente Nonio, A

Senex sum, utinam mortem oppetam prius quam eveniat,
Quod in pauperia meâ senex graviter gemam.

Quin etiam initiales syllabas quasi absorbētes minus expresserunt. Sed ad extritionem revertamur. Delicuit igitur in Latina lingua sæpe ac multum in pronunciatione, littera *s.*

Samnis Spurcus homo vita illâ dignus locoque.

Formido quid agp. da Venus consilium.

Pandite sultis genas.

Puncto temporis reddant.

Huc referenda illa quæ à Cicerone memorantur, *multimodis, vasargenteis, palmet crinibus, tectisfractis*: pro multis modis, vasis argent. palmis & cr. tectis fr. Et illæ συγκοπαὶ, secundum quas *tali*, & *ala* extitit, de *taxillis* & *axilla*. & *meum factum, exitium*, pro meorum factorum, & exitiorum: quæ in quibusdam usitatæ admodum fuerunt, *Deum, nummum aureum, liberum*. Quinetiam *duorum virorum* judicium, aut *trium virorum* capitalium, aut *decem virorum* litibus judicandis, ait se Cicero, dicere nunquam. quomodo ergo? nimirum συγκεκομμένως, *Duumvirum*, & *triumvirum*, & *decemvirum*. Item *siet, sit. E rep.* pro *ex. pomeridianas quadrigas*, pro postmeridianas. His addantur ἀποκοπαὶ: *Viden' Ain' satin' Men' Mihin'*. de quibus abscissum est, *ne, exin, dein, proin*, amputato *de. Famul* pro famulus. Lucret. B

Ossa dedit terra proinde ac famul in infimus esset.

Volup, Animal, Exemplar: de quibus recisum est *e. illi*, pro illic. Jam de productione & correptione vocalium multa dici possent, *Fuit, fieri*, extenta priore syllaba. *Inclitus*, ut ait Cicero, prima brevi. Secundum hæc fiunt mirificæ collisiones, detritiones; & comprehensiones litterarum ac syllabarum, & pronunciatione vera, quam sæpe nos non possumus conjecturis nostris consequi, versus procedunt: in quibus scriptura non rarò, præsertim in dilatando, numeros non servat. Sed nunc & eorum, de quibus multo minus diximus, quam dici potuisset, & tamen satis fuisse plana indicatio videtur, Plautina exempla afferamus. & ita tandem hanc quasi commentatiunculam finiamus.

Similem rem ipse in legem jussit esse Juppiter.

Aut corripitur *Esse*, aut est κατ' ἐπισυναλοιφὴν. *Similem*, δισυλλάβως.

Ut conquisitores fierent histrionibus.

Histrionibus κατὰ συνίζησιν. Nisi maluerit aliquis *conquæstores*.

Qui ne quo placeret alter, fecisset minus.

Qui ne quo, spondeus: pronunciatione mediam syllabam absorbente.

Qui cum Amphitruone abivit hinc in exercitum.

Ex mox,

Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu.

Hinc in exc. &, *huc ab exc.* spondei sunt pari ratione concisionis, in brevitate syllaba quasi evanescente.

In tabernaculo: id quidem hodie nunquam poterit dicere.

Simplicissimum est, ut legatur, *tabernaclo*.

Quid in tabernaculo fecisti? victus sum, si dixero.

Quid in ta, Trocheus. Vel ut annotavimus, *Quid in*, κατὰ διαίρεσιν anapestus, &, *in taberna*, spondeus.

Ridiculi caussa: vel hunc rogato Sosiam.

Nam hanc veram lectionem puto: *vel hunc*, μονοσυλλάβως pronunciandum.

Quin, si tu voles, domi servi qui sum castrabo viros.

Dmi, μονοσυλλάβως, κατ' ἐπισυναλοιφὴν.

Portitorum simillimæ sunt januæ lenoniæ.

Aut *portitum* κατὰ συγκοπὴν, aut *millimæ*, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, pronunciandum.

Da meus ocellus, da mea rosa, da mi anime, da mea voluptas.

Aut sic, *Da meus ocel.* Aut sic, *da ma rosa*: &, *mea voluptas*, o brevi absorpto δισυλλάβως. vel *ma voluptas.*

Lenonis hæ sunt ædes, malè istis eveniat.

Pronuntiandū *evenat*, κατ' ἔκθλιψιν litteræ *i.*

Credam, pudor si cuipiam lenoni siet.

Pronunciandum *cuipiam* δισυλλάβως κατὰ συναίρεσιν & συνίζησιν.

Voltisne olivas aut pulpamentum, aut capparim?

Olivas δισυλλάβως, ut annotavimus: vel potius, *Voltine*, extrita littera *s*. Quis autem scit utra potius pronunciatio actori arriserit?

Fateor: abi deprome. age tu interea huic somnium,

Abi de, Spondeus: *huic som*, spondeus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν & συνίζησιν.

Superstitiosus hic quidem est, vera prædicat:

Quidem est ve, Spondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν: hæc collisio creberr. occurrit in Comicis versibus.

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium.

Nire vult, spondeus, elisa, *u*, pro consonante.

Quo is homo insinuavit pacto se ad te? per Dionysia.

Quo is ho, τέλβραχυς κατὰ διαίρεσιν syllabæ *quo*.

Nam eum pater ejus subegit: nunc mea mater irata est.

Nam eum pater, dactylus est: *ejus sub*, aut dactylus liquescente, *S*, aut Trochæus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, ut, *ejus*, una sit syllaba.

Hujus quæ locuta est quærere ajebas, filiam.

Hujus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, una syllaba: sicut, *ajebas*, duæ.

Ego ad anum recurro rursum. Lampadio obsecro.

Aut est, *ego ad anum*, anapæstus pronuntiatione, *e* initiale colliquante: aut etiam prioris hoc cum versus ultimæ dictionis finali syllaba, ut sæpe fit, collidente.

Videar fortasse in his alicui nimis diu immorari, & non necessariam, vel etiam inutilem operam consumere. Veruntamen ego de re neque prorsus negligenda & digna liberalibus studiis, & à plerisque tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putavi: quod quidem ejusmodi esse confido, ut qui fortè voluerint in his versari accuratius, mediocrè occasionem exercendi studium suum habituri esse videantur. Etsi autem hæc sunt præcipua, per quæ poterunt numeri versuum Comicorum expediri & quasi exsolui, tamen & alia quædam ad hanc curam assumẽda sunt, & inprimis syllabarum productio, quæ ἔκτασις, ac correptio, quæ συστολὴ nominatur. Fit autem ἔκτασις, vocali interdum producto natura brevi: ut *fuit*, & *fieri*, quod suprà retulimus. Interdum geminata consonante, ut *relligio*, *redduco*, *repperit*. συστολὴ autem syllaba correpta: ut *omitto* &, *rejicio*, & συνιζήσει *reicio*: ut,

Tityre pascentes à flumine reice capellas.

Ita putatur ἐκπεπτωκὼς,

Vitam dederitis in undis.

&, transieritis aquas. Etsi quibusdam natura

A flexionis postulare videtur, ut in hujusmodi verbis *ri*, syllaba producatur, & illa corripiatur κατὰ συστολὴν. Hæc & superius indicatorum πάθων, de Homero etiam nunc quædam indicabimus, ιλ. ε.

οἱ δ' ἵκω κλυτὰ τεύχεα δόμβμαι πεμφαινοντα.

Est enim δόμβμαι; quasi δόμμαι sicut *abjetibus*, & *ariete*, & *parietibus*. & hoc Ennianum,

Capitibus nutantes pinus, rectasque cupressos.

In quibus tamen συνίζησις sunt, pronunciato *i*, pro consonante, sicut hoc versu Οδ. γ.

πόλλ' ἐπὶ μηρί' ἔθηκα.

Est enim μηρί' ἔθη, dactylus. ἣν δ' αὐτὴ με φίλε ἀθάνη: vel ut alibi, φίλαι ἀθάνη. & ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο παλλὰς ἀθήνη. Pronunciandum enim quasi gemino λλ, ut φι longum fiat. Sicut Ιλ. β.

ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quasi ἀππ. Tale & illud ἄρες quasi ἄρρες esse videtur. ita & φιλομμειδὴς, ἀφροδίτη, habet λο syllabam productam. Et hic versus similiter pronunciationis productione sustentatur, Ιλ. γ.

αἰδοῖός τέ μοι ἐσσὶ φίλε ἑκυρὲ δεινός τε.

B Nam & aspiratio brevis vocalis pronunciationem remoratur, & ῥέζει, est quasi ῥρέζει. sicut εὐδείελον δ' ἴλιον. Rursum Ιλ. ι.

καί τοι χεῖρ' ἐπ πλείονας λυκίων κτάνε δῖος ὀδυσσεύς.

Etsi poterat facere καὶ τὸν κ' ἔτι πλέονας; tamen illud maluit, n mirum pronunciatione versum expediente, quatuor brevibus syllabis unam longam & duas breves sonantibus. sicut Οδ. ζ.

καί τε τε φαιήκων ἐς πόλιν ἠδ' ἠν ἠδ' ἱκέσθαι.

Est enim πόλιν ἠδ, dactylus non syllabis, sed veteri pronunciatione, quam nos exprimere lingua aliena non possumus. Hoc loco in mentem mihi venit versus, quem Scaliger adduxit ex Euripidis Oreste, in quo esset ἐπισυναλοιφή,

αὐταδελφὸς, οἵδε καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos & in editis ab Aldo exemplis & in explicatione reperimus σώζουσι γῆν. Hoc igitur relinquamus. Ιλ. υ.

μόρσιμον δ' αὖ τέ ἀλέασθαι.

Ubi manifesta est συγκοπὴ, & illud μόρσιμον quasi μόρσμον. sicut & in hoc, Ιλ. ω.

ἐκτὸς μὲν δὴ λέξον γέρον φίλε.

Est enim planè, γερονφίλε. Quemadmodum & Οδ.

Ὀδ.α. μηδ᾽ ἄτα φίλοι δὲ πατρὶ γένοιτ᾽. ubi φίλοι est quasi φλοι. Jam in hoc Ιλ.β. βωμοῦ δ᾽ ὑπαΐξας, συνίζησις est. Ἕως ὁ ταῦθ᾽ ὥρμαινε: Iliad.ά. cum sit pes ἀμφίβραχυς alienus carmine Heroico. θεραπεύεται τὸ μέτρον συνιζήσει, secundum Eustathium, ὡς ὁ productâ syllabâ ὁ. Aristophanes εἰρήνη: οἱ γεωργοὶ τ᾽ ἔργον ἐξέλκουσι, κἄλλος οὐδείς. οἱ γεωργ. spondeus συνίζησ. Iliad.ξ. ἥκειον δ᾽ ἐν πλευρῇσι, Hesiod. νείκεα καὶ δήϊας ὀφέλλοις.

ιλ. autem ω. in hoc,

χωόμενος ὅ ποι δήπω ἀδελφεοὶ ἐκ ξεινοὶ ἔκταμ. συνίζησις.

In hoc verò ιλ.θ.

ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ᾽ αἶαν.

Et hoc, ιλ.β.

πολυστάφυλόν θ᾽ ἱστίαιαν.

Et hoc, ιλ.ε.

ὅς τ᾽ ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφυράς.

Et paulo ante,

ὅς ῥα κακάνδρως,

δρηστὴρ ἐτέτυκτο.

Et hoc ιλ.ή.

σὺν δὴ ἔϊ κλέος ἔσαι ὅσον τ᾽ ἐπικίδναται ἠώς.

Et hoc οδ.ε.

κλῦθι ἄναξ ὅστις ἐσσί.

Et hoc οδ.λ.

Καί ῥ᾽ ἔχεν δύο παῖδας, ἀμφίονά τε ζῆθόν τε.

παῖδας ἀμφ, spondeus liquescente littera σ: ut in superioribus versibus omnibus cursui hæc numerorum obstaret, nisi removeretur pronunciatione.

Nam si versibus aliquis alienos pedes, qui sunt proceleusmaticus, & creticus seu ἀμφίμακρος, aut nescio quos alios inserit, cum constet heroici carminis proprios pedes esse dactylum ac spondeum: Jambici, jambum, Spondeum & spondeo æquales: Trochaici, trocheum & spondeum & huic æquales, & alios alius generis. Illum igitur qui admiscet alienos, non audiendum putamus, corrumpentem carminis modos, & numerorum rationem dissolventem. Sed pronunciatio hæc omnia quondam nullo cum negotio & sine omni insuavitate explicuit. Quare non assentior, neque Plutarcho, qui

A Homerum studiosum bonæ narrationis, compositionem neglexisse scribit, & primũ statim versum ἄμετρον extulisse.

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος.

Non enim ille ita extulit ut Plutarchus, multo minus ut nos secundum perscriptas litteras: neque Scaligero infulcienti creticos in Jambicos modos. Qui Erasmi sententiam de syncopa in nomine *Voluptas* cum exagitat, mentione Teutonici soni, facit, ut mihi videtur, inclementer. Nam neque nostræ, neque ipsius gentis lingua exprimere elegantiam antiquitatis, & præstare pronunciationis sinceritatem, neque sine studio & curâ singulari maxima in pronunciando vitia vitari possit. Neque ipse animadvertit, dum reprehendit Erasmum quasi Teutonum crasso aere natum, sonantem aliquid plenius, se reprehensioni ipsum exponere, quasi minus cogitatæ congruitatis in verbis. Quis enim, *mea volup* dixit? cum *volupe*, unde *volup* decurtatum, Neutri formam habeat, & sæpe adverbii significationem. ut,

Volupe est, quod agas, si id procedit lepidè ex sententia.

Etsi ad hoc delabitur, ut *voluptas*, anapæsticã

B velit esse dictionem: id quidem melius: sed illæ συγκοπαὶ pronunciationis rectius expediunt numeros, mea quidem sententia, & antiquitate teste, cujus unum etiam nunc exemplum adducere visum, Hesiodi,

ἄσκρῃ χεῖμα κακῇ, θέρει δ᾽ ἀργαλέῃ, οὐδέποτ᾽ ἐσθλῇ.

est enim θρει & λῆ. Sed de hac re, cum tantũ jam verborum fecerim, plus quidem quàm initio institueram me facturum esse, nunc desinam, & hæc nostra judicio aliorum submitto, & quod restat, observationem & curam harum rerum diligentium studio committo. Quantulamcunque autem operam hanc industriæ meæ cupio omnes boni consulere, quod bonos & bonarum artium cupidos scio esse facturos: ij enim neque ullam in litteris exquisitionem nimis parvam & futilem ducunt, neque hos conatus indicationis nostræ poterunt despicere: οὐ γὰρ τῶν ἄλλων οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ.

JUL. CÆS. SCALIGERI
DE VERSIBUS COMICIS:
Ad Sylvium Cæsarem filium.

QUIBUS artibus Poetarum ingenia excolerentur, quum esset à nobis superioribus libris explicatum: non prius absolvisse opus illud videbamur, quàm additâ de Versibus Comicis commentatione institutum teneremus. nam de origine, generibus, partibus Fabularum, quæ in Scenam afferrentur, & ab aliis olim, & à nobis ipsis perfectâ disputatione, in animo habebamus totum hoc negotium legare iis qui de pedum quantitate, deque versuum ratione conscriberent. Verùm quum & maximus vir Erasmus, & post eum plerique alii ita hanc conficere provinciam aggressi sint: ut & ille his non pauca reliquisse, & hi eadem illa aut nescisse, aut præteriisse videantur: coactus sum hac quoque opera tenuiore Poetam nostrum eò provehere, quò illorum auspiciis frustrà pervenire tentasset. Ac sanè ipsa dimensionum cognitio cùm est per se necessaria, tum etiam si non esset, videntur tamen viri illi talem effecisse: sive ad eorum magnitudinem intueare, quàm ad hujusmodi lucubratiunculam demisissent: sive negligentiam spectes, qua mutilam depravatámque relinquerent.

Ac primum quidem quam Erasmus affert, vereor ut accipienda sit dubitatio: Sit, nécne certis pedibus astricta Comœdia. nam quamquam videtur hoc dixisse Quintilianus; non tamen pedum leges potius quàm trimetrorum præscriptionem desideravit, idque non in omnibus, sed in Terentianis tantùm: quarum gratiam, quam orationis elegantia atque puritate consequutæ essent, diminutam putabat licentia versuum longiorum: quum tamen Plautus nihilo sit in trimetris frequentior. Hoc autem amplius

A eadem in quæstione peccat Priscianus: Quosdam esse, qui in Terentii Fabulis extare metra negent atque eosdem tamen ait, illa quasi arcana quædam, sibique solis cognita profiteri. Quid enim est hoc? negare numeros in versu quopiam: eosdemque numeros in eodem versu sesolos dimetiri posse. Hanc sententiam more suo de illo mutuatus Erasmus commodiorem fecit. dividit enim eam; ejusque partes ad diversa refert judicia. Alios inquit negare: alios quasi inutilem ejuscemodi existimare investigationem. Quorum utrumque quum ipse rejecisset: quod erat priore loco, meritò quasi judicatum omisit. Alterius autem rationem hanc reddere instituit: Non operam perdere nos indagandis versuum generibus. Tali enim diligentia effici, ut quæ librariorum incuria transpositæ voces sint, suis eæ sedibus restituantur. Ego verò

B neque hoc esse video necessarium, & plus conferre ad solutæ orationis libertatem. Nā neque ubivis transpositæ voces, versus tollent connexionem: & frequentissimè deprehendimus, ob numeri necessitatem ita transpositas, ut si eandem sententiam in epistolam sis allaturus, cogaris aliis sedibus digerere: veluti quum Terentianus Simo ait,

Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciæ conari, quò fiant minus.

Nam priore versu multa invertas sine dispendio numerorum. in altero autem & quotidiano sermone, & forensibus contentionibus aliter loquare. Itaque si librarii ita scripsissent,

Fallaciæ conari, quo minus fiant: ex eorum temeritate hoc fructus capiamus, ut minore negotio imitemur. Hoc igitur non negamus: versuum legibus duci nos ad verborum

sedes

sedes investigandas: sed in eo ullam esse utilitatem, hoc verò negamus: imò conducere interdum magis, si transposita sint: quo ordine orationem nostram instituamus. Sed profectò hac opera plus fuit laboris sumptum, quàm captum emolumenti: ut non sine caussa miraremur summos viros tantum studii in dimetiendis illis versibus posuisse, Priscianum, Donatum, Asprum, Jubam, Scaurum, Probum, Sulpitium, Varronem ipsum, quorum frequentiæ quum mihi in mentem venit, apparet illico aut obscura diligentia, qui infecto negotio eguerint successore: aut res ipsa perdita, quæ vel ab uno alterove tantorum virorum nequiverit confici. Quare ea quoq; caussa, sed potissimum ea, inquam, esse potuit, ut ad hanc contemplationem studium nostrum adhiberemus. neque enim sola res petenda jam nobis est, sed ipsa contentione de clarissimis viris victoria reportanda. Atque ut eorum judicia hàc quoque in parte emendemus, simul ad parem operam incitemus ingenia litteratorum: qui non minimam pronuntiandi rationem ex hac commentatione consequi sese posse intelligant. quemadmodum ubi animadverterint neq; aspirationem, neque sibilum, neq; mutam inter se conspirare valuisse, ut prima syllaba in voce *istuc* produceretur. corripitur enim in Asinariâ,

Quid istuc est? aut ubi istuc est terrarum loci?

Qua in voce qui putant sibilum extrudi pronuntiando, neque morem servarunt, neque etymologiam observarunt. Æoles enim, quos Latini maximè sunt imitati, quod alii ἐσθλὸν dicerent, ipsi ἐσλὸν pronunciabant. Ita in verbo *istuc*, satius fuit mutam abjicere. & fuit ratio: nam *is* pronomen integrum manet, cauda illa, quam nonnulli syllabicam vocant adjectionem, nullo dispendio expuncta, etiam leniori locum relinquit conjunctioni. Præterea multis in locis animadvertas, positura consonantium non produci vocalem: sed suapte natura niti brevitate: ut *in, sed, ad, quod, aliud, simul.* in quibus qui existimarunt oportere postremum elidi elementum, vehementer errarunt. Sed longè facilius videtur admitti posse brevitas in disjunctis, quàm ubi in eadem dictione conjunguntur. minus enim cohærent. At in conjunctis ita pronunciabant, ut positura nihil adderet moræ naturali brevitati. Sic *insidias* & *inferos* primam producere dixerunt: *indicationem* autem & *incautum*, corripere. quare si hoc uno in tractu atque tenore faciebant: multò commodius interjecto eo intervallo, quod separatis vocibus debetur, efficere potuere. nam si dicas *insano*, atq; ibi præpositio brevis sit, quæ in ipsis compositis longa extitisset: quantò facilius brevis erit, si dicas *in diem?* quæ si componas, brevem quoque retinent. Exempla verò hujusce pronuntiationis tot sunt, ut non tam omittendis, quàm afferendis locis culpam mereri posse videamur. Non diversæ, non eædem geminatæ usum illum corrumpere aut impedire valuerunt.

In Captivis,

In occulto miseri victitant succo suo.

Primus pes est Anapæstus: quia *ob* natura brevis. In Pseudolo & hoc comparet: id quod postea dicemus de proceleumatico,

Ædium dominum lenonem Ballionem quærito:

Nona enim syllaba cum tribus subsequentibus pede unico amplectitur.

In Milite,

Et quidem adepol omnes mores ad venustatem jugiter.

Tres priores syllabæ in voce *venustatem* anapæstum conficiunt. Naturâ nàmque brevis est secunda, sicut in *Venere*. ita etiam in *tempestate*, quia in *tempore*.

In Epidico,

Illam ridibundam atque hilarem huc adducit simul.

Primis tribus syllabis constat anapæstus.

In Asinaria,

Sed quid ego cesso ire ad forum, quod inceperam?

Ex duodecima & duabus sequentibus anapæstum vides.

In Casina,

Nunc ne tu respondere postules me tibi.

In verbo *postules* prima corripitur: quia à *possum* ducitur: hoc autem à *pote*. Quare miserum verbum *potest*, miris modis decurtarunt: ut in Trinummo,

Potest fieri prorsus quin dos detur virgini.

Ubi ex quatuor primis proceleumaticus fit. hæc igitur in conjunctis. In diversis autem penè infinita. Pseudulo,

Lubet nunc venire Pseudulum scelerum caput.

Primus anapæstus.

Captivis,

Vel extra portam trigeminam ad sacculum licet.

Vox *sacculum*, dactylus, si nolis creticum: de quo mox. Par judicium etiam ex Gurgulione,

Sitit hac anus: quantillum sitit? modica est. capit.

Octava syllaba cum duabus sequentibus efficit aut tribrachum, aut creticum.

In eadem:

Sedatum te. quàm longè à me abest? lumen hoc vide.

Septima syllaba collisa, præpositio, & pronomen, & verbum faciunt dactylum: & alterum dactylum tertia & secunda à fine, aut duos creticos.

Rursus,

Sed grandiorem gradum ergo fac ad me obsecro.

Quinta, sexta & octava, elisa septima, anapæstum creant, aut dactylum, aut potius tribrachum, si nolis creticum. Quippe quinta brevis natura octavam vulgò rentur longam, unde fiat anapæstus. Aliquis putarit primam longam, tot consonantibus, frustrà: ex quibus speret dactylum. Nos in Originibus ostendimus *ergo* Græcam esse: ubi obiter deprehendes *fac* longum, contra Grammaticos recentiores.

In Adelphis est tribrachus in tertia sede,

Indicio de se ipse erit. vos eritis judices.

Duo dactyli ex eadem Fabula,

Ille futilis, somnium. sineres verò illum tuum.

duo, inquam: illo, *somnium*: & illis, *verò illum*.

In Hecyra anapæstus ex sexta syllaba, septima & nona octava elisa. verbum enim substantivum corripit.

A Myrrhina hac sunt meâ uxore exorta omnia.

In Amphitruone dactylus.

Inimicos ossa sum semper obtuerier.

nam *semper* primam producit natura. fuit enim *semtopere*: sicut *toper, toto, opere. nuper, novo opere.*

In Asinaria,

Deam sibi invocet quam lubebit propitiam.

Sexta, septima, octava, tribrachus. non enim ausim exterere ex verbo *invocet*, tertium elementum quasi digamma Æolicum, quod alibi fecimus. Est enim παρὰ τὸ βοᾶν.

A In Casina duo,

Aut quasi lumbricus terram. quidem te postules.

Primus dactylus, quia dicebant *quase*: sicut *nise, sibe, here.* Alter tribrachus, octava, nona, decima. Ex eadem anapæstus,

Quid facies? concludere in fenestram firmiter.

Sicut in Rudente.

Illustriores fecit, fenestrasque indidit.

In Aulularia dactylus,

Ædepol mortalem parcè parcum prædicas.

Neque enim placet adverbium illud jurandi per concisionem pronunciatum. Quid enim esset *Æpol*?

De verbo verò substantivo multa quoque sunt exempla.

In Euclione,

Censen' verò adeò esse parcum, & miseri vivere? &c.

Dicas uxorem tibi esse necessum ducere.

Et in Gurgulione,

Huic anui non satis est soli. canem esse hanc quidem.

B Est etiam operæpretium observare quot interpolationibus opus fuerit in aliis vocibus ad sustinendam pedum integritatem, unde veteris pronunciationis leges deprehendantur. nam quotus quisque hactenus putavit mediam naturâ corripi in hac voce *voluptas*? At corripitur. id quod & exemplis & ratione manifestum erit. Sanè *volupe* & *peto* confecerunt nomen illud: quæ utraq; tota brevia sunt. Quamobrem inconsultò, ut sæpè, Erasmus sustulit vocalem de medio ex illo Andriæ,

Quod voluptates eorum propria sunt. nam mihi immortalitas.

Nonnihil sanè sit, si mihi fuerit, ita pronunciandum, *voluptas*. nihil enim ad Theudonicum sonum accedere potest propius. Hoc igitur ut effugiamus, constituatur in prima sede, ex iis quæ posuimus præceptis, anapæstus. tribrachum tamen esse constat ex multis aliis locis. Sunt versus in Casina quatuor,

Sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea.

Quid deosculer te? quæ res? quæ voluptas tua?

Et meis inimicis voluptatem creaverim.

Ob istanc rem quin te deosculer, voluptas mea.

In Rudente,

Eas in Siciliam: ibi esse homines voluptarios.

In

In Pseudolo,

Minis viginti vendidit, voluptás mea.

Animadvertemus præterea quàm celeriter multas vocales pronuntiando expediverint, ut etiam cum sequentibus confusas obscurarint. veluti in illis, *scias, sua, tuos, fuit, dies, deos, prius:* quæ omnia fiebant monosyllaba. sed & in aliis vocibus, quemadmodum in hisce exemplis deprehensum est.

Cistellaria,

Persequar hac. jam hoc loco cum altero constitit.

Non potes dimetiri, quin aut bacchius sit, aut concisio exemptâ mediâ ex voce illa *altero.* quo modo etiam nunc vulgus Italicum pronunciat.

Gurgulione,

Viden' ut aperiuntur ædes festivissimæ?

Quatuor syllabæ, quæ tres primas sequuntur, pedem unum constituant necesse est. quare aut una ex mediis eximetur: aut erit epitritus primus, meliùs, ut primus sit proceleumaticus.

Captivis,

Tibi ille unicus, mihi etiam unico magis unicus.

Quinq; primis vocalibus unus pes fit: quippe coactis in anapæstum. Quia *ti* pro *tibi* pronuntiabant. sic & *mi* pro *mihi*, Æolensium more, quos imitati sumus. Quare ex octava, nona, decima, undecima, duodecima, tertiadecima, est alter conflatus anapæstus. Quod verò dixerunt de duobus comparativis, *potius* & *melius*, passa esse eandem fortunam, ita ut ex ipsis fierent totidem pyrrichi: non est verum in illo quem adducunt ex Andria,

Dabit. nemo inveniet inopem potius quàm te corrumpi sinat.

Ajunt enim *potius quàm*, esse anapæstum. nos proceleumaticum agnoscimus. quemadmodum in aliis multis. Nam Erasmus quum sedibus imparibus receptum scribebat pro jambo spõdeum, dactylum, tribrachum, anapæstum: proceleumaticum non rectè omisit, qui, ut puto, memoria excidisset: creticum verò, quem sanè putaret non admitti. nam si eam in sedem posse duci sperasset, nequaquam tam multa carmina subvertisset. Proceleumaticus autem quum proximè ad naturam dactyli accedat: tribus modis sonum suum explicat. Aut enim mollis est, atque adminiculis quibusdam dactylo similior effectus: ut *Genua labant, ariete, parietibus.* duabus enim vocalibus constitutis, prior consonantis vim quandam videtur obtinere. Aut est apertior: ut in versu Enniano,

Capitibus nutantes pinus, rectásque cupressos.

Aut est coactus, ademptis consonantibus, quibus syllabarum brevitas impeditur: qualis est in Andria,

Sive invidia laudem invenias, & amicos pares.

Itaque hunc ad versum quum pervenisset Erasmus, neque in eo vellet metiri proceleumaticum, quem in suis legibus non recensuisset: & putaret duriusculè fieri, si Æolicum digamma tolleretur: ut proceleumaticus exiret: sustulit alio consilio. quippe ut exciperetur tribrachys in duabus syllabis primoribus hujus nominis, *invidia:* & ex duabus postremis vocalibus una syllaba cõcreta esset. Cæterùm ut in natura, ita in arte illius imitatrice nobis faciendum est: nihil enim vel otiosè, vel superfluò agere. Igitur ut constet ratio dimensionis, si recipias proceleumaticum: unum tantùm moliris, quum aufers digamma. sin malis tribrachyn: tum & hoc idem tibi curandum est, ut amoveas: tum præterea duabus confertis syllabis deformanda vox. Quòd si (ac verius quidem fortasse est) ita pronunciemus, ut ex iis duabus vocalibus prior quasi consonantis obtineat sonum: jam ille primus pes, non amplius sit tribrachys, sed anapæstus. nam hunc ad modum pronunciari, & in quibusdam proceleumaticis ostendimus, & apparet ex spondeo illo coacto Poetæ,

Stellio, & lucifugis congesta cubilia blattis.

& apud Horatium,

Ut Nasidieni juvit te cœna beati.

Oportet enim esse quadrisyllabum nomen, ut tolerari queat alio versu. non autem pudenter invertère Grammatici sic, *Nasidieni ut juvit*, sicut *Nasidienus ad hac.* Sic & Catullus *pituita* primam quum produxit,

Mucúsque & mala pituita nasi,

non corripuit Horatius,

——*Nisi quum pituita molesta est.*

sed trisyllabum posuit ita, ut medium elementum, Æolicum fiat digamma. quod & elicitur ex Ælii Stolonis judicio, qui à *petendo vitam*, duci ratus est. Verùm quod in *invidia* fecit, ut unam ex duabus efficeret syllab... commodius fecisset in *injuria*, illo versu,

Qui

Quo jure quâque injuria præcipitem me inpistrinum dabit?

Id quod si animadvertisset, non ausus esset eximere pronomen illud *me*, quod magna cum emphasi ac gestu ad timorem personæ positum est, & in omnibus legitur exemplaribus. Proceleumatici verò habes exempla tam frequentia, ut penè legitimi, non subdititii esse videantur. Ex Andria, *Mala mens, malus animus: quem quidem ego si sensero.* &, *Tibi generum firmum, & filiæ invenies virum.* Qui mollior est in hoc secundo, propterea quòd, uti diximus, *mi* & *ti* monosyllaba fuere: sicut & *tu, me, te.* Quod & alibi sæpe, & in Gurgulione,

Curato. ego tibi quod amas, jam huc adducam.

In Aulularia,

Eam ego hodie faciam ut hic senex de proximo.

In Asinaria dubitari potest an sit proceleumaticus: nàmque in verbo *ostendo* prima producitur naturâ,

Agedum istum ostende, quem conscripsisti syngraphum.

Commodius concîdes illud præteritum sic, *conscripsti*, sicut mox *scripsti*.

De cretico autem, quem isti omni conatu subterfugêre, pluribus tum rationibus, tum exemplis est disputandum. Nam si in Heroicum admittitur, si in Tragœdia, quod est poema clarum, nobile, elatum, castum, locum invenit: quare in medium ac vulgatum sermonem non recipiatur? est sanè apud Poetam,

Et navifragum Scyllaceum.

Dicent non fuisse librum emendatum. at Vari ac Tuccæ judicio emendatum fuit hoc, quod relinquerent. at est in emendatissimo, quod suprà adducebamus, si audias sine interpolatione,

Stellio & lucifugis.

At etiam illud existimat Terentianus, non autem dactylum,

Insulæ Ionio in magno.

At est apud Euripidem in Ecuba,

Δυοῖν καὶ παίδοιν δύω νεκρὼ κατόψεται.

Quum dicere licuisset παίδοιν δυοῖν. Itaq; nos quoque in Nemesi studuimus & auribus & gravitati, *Heu genus nefandum!* Poteramus enim, *Heu gens nefanda!* Et alio loco posuimus *sinistra*: potuit dici *scæva*. Cæterùm paucis aures Poeticæ datæ sunt. Præterea si dactylus & anapæstus in jambi loca suffecti sunt, quorum utervis una illum & syllaba & tempore superaret: quare eam licentiam sermonis eadem puritas non coegerit recipere quasdam voces, in quibus esset creticus? præsertim quum ex ipsis solis aliquot integri versus constent. qualis in Andria,

Ut malis gaudeant, atque ex incommodis.

Nam & prior conjunctio producitur positione Poetæ arbitratu, & posterior primam habet longam eadem lege. Præpositio verò brevis est natura, itaq; Ad hæc ea nomina & verba, *Deus, dies, fuit, mea, tua, sua*, & ejusmodi, de quibus suprà diximus, eò pertinent, ut quum collectionem in unam syllabam patiantur, doceant nos in cretico idem quoque fieri posse, ut emolliantur pronunciatione. Quis verò paulò diligentior non animadvertat antibacchium esse apud Homerum: αἰγοττὴν: in tam nobili versuum genere? & rursus ἀνδροτῆτα, si ita legas, non ἀδροτῆτα. Et ex bacchiis omnibus tres toti Plautini in Amphitruone,

Nec æquum, ánne iniquum imperet, cogitabit.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua.
Habendum & ferundum est hoc opus cum labore.

Quas rationes Erasmus si notas habuisset, non transtulisset *ex* Præpositionem in Andriæ Prologo sic,

Qui bene vertendo, & eas describendo malè, ex Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Quod equidem ut non improbo: ita consilium non laudo, quo est adductus, ut id comminisceretur, ob amphimacrum vitandum. qui si his rationibus non acquiescat, exemplis saltem credere cogatur. Hæc verò quum essent propè infinita: multa omisi tamen, in quibus tergiversari possent, & alia quanquam firma penè innumera, ne tædium parerent. paucis ergo contenti simus. Ex Hecyra igitur quum illud possemus adducere,

Eam calamitatem vestra intelligentia:

supersedebimus duabus de caussis, tum quia ipse liquidam non geminat in postrema dictione: tum quòd nos pronomen primo loco positum, monosyllabum agnoscimus. quare audiamus ex Asinaria,

Fortè si tussire occœpsit, ne sic tussiat.

Nec repugnarim, si velit ita legi, *Fors si.*

nam

nam is erit magis ferendus, quàm qui putabat *si* corripi. id quod non fit, ut in compositis, *nisi*, *quasi*, *siquidem*. Acrius tamen intuenti neutrum probabitur. sed *Fortè* pyrrhichium putandum, παρὰ τὸ φέρειν. In Gurgulione manifestius,

Pervelim sepultam. sed quum adhuc naso odos meo.

Odos enim ultimam producit natura.

Ex Andria,

Sive ista uxor, sive amica est, gravida è Pamphilo est.

Quo è versu creticum ut tolleret, non veritus est universæ orationi detrahere ornamentum: pronomen illud scilicet, quod in secundo statim loco legitur.

Ex Eunucho duo,

Quæ cum amatore suo quum cœnant, liguriũt.

Nam hic effugere non possumus, quin aut prima in sede creticus sit, aut in quinta. Etenim secundam vocem si non collidas, sed integram relinquas (id quod frequenter fit: ut apud Horatium, *Si me amas.* & Plautus sibi licere voluit in Pseudulo,

Si de damnosis natis, aut de amatoribus:

Creticus fit inevitabilis in quinta. Prima námq; pedis illius syllaba longa est natura, non positione. quippe *cœnare* mediam natura producit. Si verò collidas, tum in prima sede hoc eveniat. Poteram & illum adducere ex Heautontimorumeno,

Itáne comparatam esse hominum naturam omnium.

Quem qui trochaicum tentur, nugas agunt. potius ad superiorum censum deducendus: quorum ratione vox illa *comparatam*, primam corripit.

In Adelphis,

Quamaut hic non manere tandiu, aut nunc persequi.

Est enim *nunc* νῦν circunflexa: igitur & natura longa. Quomodo in Eunucho ad trochæos confugiant ibi?

Sed neminem curiosum intervenire nunc mihi.

Quem pro senario impudenter nimis meritum sese Erasmus putat.

In Aulularia,

Nempe sicut dicis, quid hic? non poterat de suo?

Adverbium enim asseverationis à Græco ductum νὴ, producit natura primam. Quis verò eximet à cretico illum in Trinummo?

Si taciturnitati clam fidei ac fiduciæ

A Nisi qui ad miseram trochæorum aram confugerit. Quare illo obruantur ex Gurgulione: quem jambicus quin sit, ut sese in omnia vertant, efficere nequeant,

Liberi lepos. ut veteris vetusti cupida sum.

Non minoris efficaciæ in Amphitruone,

Conferas sermonem, nec joco, nec serio.

Atque initio quidem arbitror vocalium imbecilliorum mollitie factum, ut subirent pedes alieni. sic dicimus, χρεὼ, πηληϊάδεω, πόλεως, πλέων. etiam ut bacchius receptus sit illo vers. hac eadem ratione,

Et laevis ocreas lento ducunt argento.

At hunc versum spondaicum existimat Diomedes vir doctus, non malè: ut mollior vocalis subeat fortiorem. Sic creticum interposuit, ut spondeum faceret in verbo *aureo*. Quod si in Tragœdia cretici sunt, in heroicis bacchius & antibacchius, ut tum Homeri, βορέης, tum Virgilii *fluviorum*, taceam anapæstum: non videatur fuisse tot monstra necessaria, quot isti eximendo elementa creant in *quidem*, *sicut*, *simul*, atque aliis. neque excludendas integras fuisse voces, aut alias spurias ingenuis supponendas. id quod fecisse Erasmum & suprà declaravimus, & in

B aliis ostendemus. Ad quæ antequam accedamus, de anapæsti quoque, ut de cæteris, receptione dicendum est. de quo Priscianus quum scriberet, excidit ei sententia sanè absurda: Erit, inquit, probabilis jambicus versus, & Tragœdiis aptus, si secundum & quartum pedem, non alios feceris quàm jambos, aut eum qui Tribrachys est, aut anapæstus: quoniam sunt pares. Qua enim lege fretus anapæstum tribracho parem dixit? nam quòd ait, etiam sedibus paribus anapæstum ritè collocari, verum est. sic enim multis in locis deprehendes: ut superflua sint exempla.

In Pluto,

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί.

Et bis in eodem,

Οἱ δ' ἐξετάσαντο, κοὐκ ἔδοξαν μ' ὀρθῶς ἔπ.

Verùm hoc est illi adeò frequens, ut nullus pudor Latinis sit jam futurus, quibus linguæ ratio persuasit, ne hoc attentius curarent: præsertim quum in Tragœdia quoque hoc admiserit, gravius sanè ac longè castius pœma. Observantior Sophocles: Euripides minus obnoxius. minus enim parcit illis sedibus,

γλῶσσαν δ᾽ ἐπιθρηνήσομεν ἰδίᾳ τῆς φρενός. A

Neque solùm in illis anapæstum: sed & in ultima, in Oreste,

Αὐτουργὸς· οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Quem si tribrachum esse argueris: syllabam nunc respicias, non legem illam qua ultima indifferens habetur.

Hunc Euripidæ versum ita legimus in nostro manuscripto. Impressum habet γλῶ. Et Æschyli quoq; est tribrachus in Prometheo,

Οἷς μὴ πελάζειν, ἀλλ᾽ ἀλιστόνους γύπεδας.

Quod verò supra dicebamus, tolli Æolicum elementum aliquando: cujus exemptione detur locus syllabis pedes conficientibus, multis exemplis observari potest. Cæterùm nequaquam ex Phormione, quemadmodum prædicabant illo versu,

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti.

Erit enim proceleumaticus ex septima, octava, nona, undecima, elisa decima. Sed tutius ex illo,

Liberius vivendi fuit potestas. nam antea,

Neque temere. est enim vivo, Græcum βιῶ. Cui quum sit additum digamma, quare non & auferatur? ut quod sonus posuerit, lex sustulerit. Sic in Pseudulo,

Boves qui convivas faciunt, herbásq; oggerunt.

Nam quemadmodum in libris De causis, & in Exercitationibus dictum est, puto non admodum vegetam, contentámque fuisse litteræ illius pronuntiationem, sicuti neque in ovo, neque in ove. quæ ut apud nostratés Germanos asperrima est, ita Vasconibus penè vocalis, non consonans: nedum ut duplex usquiam sit. Sed nequaquam par fuit ratio aut necessitas, ut elideretur idem digamma in verbo hoc, *inveniet*: eo versu ex Andria, quemadmodum iidem commenti sunt,

Dabit nemo. inveniet inopem, potius quàm te corrumpi sinat.

Neque enim mutatur versus dimensio, sive tollatur, sive relinquatur: sed in principio Amphitruonis eximitur ex ea voce, *juventutis*. atque ita fit anapæstus primus pes: propterea quòd secunda syllaba natura brevis est: sicut in affini suo, *juvenis*. Eadem natura & ars in illo ex Gurgulione,

Juventute, & pueris liberis, ama quod lubet.

Longè alia ratio in Captivis,

Nulla spes juventutis: sese omnes amant.

Nam neque aufertur Æolica littera: & prima ipsa quæ erat consonans, fit vocalis, ut formetur dactylus in secunda sede. sic audias proceleumaticum in Captivis,

Aliquem invenire suum quicum mutet filium.

Fit enim ex quinque syllabis quatuor constantibus, una collisa, & extrito digamma. Atq; hæc quemadmodum vera putem, satis dictum est: illud autem, quod ajunt, non est verisimile: Ad eundem modum extrudi consonantem illam Æolicam ex conjunctione, *enimvero*: nam quid esset, *enimvero*? verùm unicam syllabam fuisse, *enim*, quum vellent, arbitror. siquidem Græcum fuit ἦν & ἦν. neque repugnat longa vocalis: id quod etiam in libris Originum docuimus: sicut neq; in *crepida*, κρηπίς: neque in *venio*, βαίνω. Posteriorem autem vocalem ἦν, pro consonante acceptam libet existimare: veluti in *cui* & *Pompei* & *Gai*. sunt enim monosyllaba, sicut & *hui*. & quod æquè durum est propter sequentem consonantem, *huic*. At profectò quid tandem mirum sit? Nonne *suadeo* & *suavis* ita pronunciantur, ut secundum elementum nullum augeat numerum syllabarum ad pedes conficiendos? Et quot monstra invenias apud Homerum, præsertim in
B Odyssea? tot jambos, tot trochæos, tot nescio quid. Oppianus quoq; μόλιβδον ita metitur, ut duas priores syllabas corripiat. In quarto Piscationum,

Δελφῖνος μολίβδοιο μετὰ σῆμα δέξατο πήχυν.

Ubi duæ mutæ sunt, non muta & liquida. Sed & creticum posuit in primo Venationum,

Ἢ πᾶς ἄγκεα δέδορκεν ἀκκερδαινὺς βαιὴν ἐκπατάγει.

Ubi nisi ex cauda verbi tollas duo postrema elementa, etiam sibilum exterendum est, ut fiat tertia dactyli syllaba. & sic tamen legitur. Apud Apollonium quoque in secundo, considerandum est quis sit pes ille primus in hoc carmine,

Ἀτρεκέως. ὅσσα δ᾽ ὄρωρε θεοῖς φίλον οὐκ ἐπικεύσω.

Vulgo igitur ita quoque loquutos esse arbitror, non laturos Scenarum barbariem, quæ de medio sumptum sermonem usurparent. Qua ex re non vulgaris, neque mediocris oritur dubitatio. Si illi versuum generi licuit, ut quum vellent, suo modo, quum liberet, vulgatis legibus loquerentur: quare non & in alia poemata jus ejusmodi receptum est? Ergo in tanta licentia quis mirabitur, versuum

suum quoque multam variámque mutationem tolerari potuisse? quippe quum alii curtissimi, alii adeò longi sint: ut mihi libeat cum Plautino trapezita jocari, qui sic ait,

Dum unum scribo, explevit mihi totas ceras quatuor.

Quibus dimetiendis & negotium sibi exhibuere docti: & caussas reddere conati sunt consiliorum quibus adducti sint Poetæ, hoc ut agerent. sed quas caussas, mox videbimus. Quantus verò ille in Eunucho?

Et magnifica verba: verba dum sint. verùm si ad rem conferentur, vapulabit.

Hic enim sunt sedes undecim trocheorum. quare hic quoque ab illis dissentio, qui unum esse versum arbitrati sunt. mihi sanè videntur duo. Ac prior quidem trochaicus dimeter brachycatalecticus: alter verò octonarius. Sic enim pronunciavit: ut quum sic dixisset,

Et magnifica verba.

substitit, affixitque ibi propositum in verbis. postea cum re simul sententiam mutavit: ut pro factis facta redderet, & verba minitaretur. Priscianus distinctionis caussa breviores insertos versus dicit. verùm neque ille, distinctio hæc quid esset, declaravit: neque nos, quid sibi velit, sanè scimus. Nam quæ distinctio debet esse, non solùm in eadem Scena, sed etiam persona? quæve in primo statim ingressu gravissimæ Fabulæ Amphitruonis? vix in Scena pedem posuit, quum ostendit se sibi non constare. Quid distinguit ibi rerum, quas nullas adduxerit? aut quæ varietas in Pamphili conquestione: cujus una tantùm materia, duritia patris. Ergo qui in eodem argumento, quod proposuerat, perstaret: quo consilio tetrametris illud inseruit dimetrum?

Quod sussit, pereo funditus.

Alii, ut sibi videbantur acutiores, è rebus ipsis duci non solùm pedum statum aut cursum, sed etiam versuum tractus prodidere: In re perturbata mutari versus, pedésque ipsos confundi: in celeritate trochaicos trudi: gravibus personis statarios sermones fieri ex spondeis. Afferunt huc non tam pro teste, quàm pro judice prudentiam Virgilianam divinam illam profectò mihi, ac venerabilem: qui rem verborum nitore, ac numerorum æquabili concinnitate oculis subjiciat, ego verò ut horum amplector diligentiam: quam tanto studio in meis poematis exprimere conatus fuerim: ita in Comœdiis, in quibus ista fieri profitentur, falsum simul atque supervacaneum animadverti. Nam, si in personarum statibus diversis, si in continuis negotiis, si in Fabularum partibus maximè inter se dissimilibus, idem pes, idem pedum ordo, idem carminum genus ostendatur: jam nulla caussa est quin horum sententia, tanquam vana explodatur. Ergo in divina Fabula ac verè Thesauro (quam levi nimis de caussa, ut alibi dicebamus, Trinummum inscripsit Plautus) Protasis trimetro jambico tota constat, item Epitasis, tum Catastrophe. Stichus è contrario, tota trochaicis longis. In Mostellaria adolescenti Philolacheti perdito ganeis, & luxu atque otio corrupto, quique unam modò rem ageret, ut inserviret ventri, dati sunt versus omni pedum penè genere pleni. Tranioni autem servo trepido, in re desperata versus compositi, atque sibiipsis constantes. Seni Theuropidæ, viro gravi, porco, læto, aucta re, amoto maritimorum metu periculorum, senarii jambici. Quid gravius Amphitruone? quid statarium magis, quàm finis Fabulæ conversæ? concluditur tamen Fabula trochaicis. In Sticho verò tam jambis potant, quàm trochæis. Gurgulio currens in re nova, novo nuncio vehitur quidem trochæi rotis. At Acanthio in Mercatore, haud absimili in re quadratis utitur jambicis. at iisdem in Terentiana Phormione Geta pari in negotio. Ergasilus verò parasitus in Captivis, tam trochaicis quàm aliis; qui tamen ageret similem cursuram. quemadmodum & Dinacium puer in Sticho nuncii author novi, utrisque mistim usus est. Præterea trochaicis Harpax Cacula militaris in Pseudulo, dum lenonem quærit. Trochaicis Erotium meretrix in Menæchmis, ut obsonium comparandum curet. at è contrario trochaicis Lysiteles adolescens & gravis, & frugi, in Trinummo, & Chremes senex, vir bonus atque temperatus, in Andria, seria imprimis de re, paterno animo, constanti conquestione. quòd si ad Davum respiciant, qui sequenti Scena jam otium atque tranquillitatem imperando sibi, bellissimos fundit trochaicos: jam ipsi illa de celeritate aliquid consultius remittunt. Quid? quot quo-

ties choros viderunt currentes? & tamen sciunt Tribrachum ab ipsis Chorium cognominatum. quare Sophocles in OEdipo Tyranno accurrentem Theseum, atque opem ferentem trochæis adornet ex horum sententia: nisi ejusdem chorus iisdem pedibus claudat Fabulam. Quòd si argutulè comminiscantur id eò factum, quia chorus esset discessurus: quid Æschyli choro faciemus, qui in Persis stat, neque abit? quid Darii spectrum, quod ab inferis veniens, cum matre diu loquitur trochaicis? Neque secius Euripidæ Pylades cum Oreste. apud quem Eteocles quoque cum Polynice fratre ad manus jamjam venturus, non alio pede utitur in contentione. In ejusdem Troadibus unicam orationem tam jambicis, quàm trochaicis habet. Verùm exemplorum satis etiam ex ipsa Tragœdia. Poetas profectò istos Comicos nostrates, ut in mentem venerant, res arripuisse, eisque numeros arbitratu potius suo quàm legibus alienis accõmodasse reor. Hi verò legumlatores novi plerique hoc suis ingeniis obtinent peculiare: semel alicubi si quid deprehendêre, illico pro necessario præcepto habent. quòd hominum genus maxima ex parte piget laboris. atqui longo multòque opus est studio, & opus consilio prudenti: acri judicio opus est. Quanquam equidem non negaverim, Fabularum initiis, ubi animos aurésque spectatorum trimetris versibus imbuissent: ipsi sibi suo quasi jure agerent deinceps interspersis alicubi ejusdem generis longioribus. idque neque semper, neque coactos, neque consultò factitasse existimamus. Fuit tamen hoc illis in more positum: ut narrationibus trimetros majore ex parte adaptarent: neque solùm in Argumentis, aut Prologo, aut Protasi: sed etiam ejusmodi personis attributos, quæ vel aliud agerent: veluti Davus in Andria, cùm de aliis rebus loqueretur, aliâ utitur versuum dimensione: ubi ad narrationem deventum est, de navi fracta apud Andrum, ad trimetros divertitur,

Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam.

Hæc Andria.

Eadem in Epistolis quoque observatio. In Pseudolo à longis in senarios deflectitur. In Asinaria quoque, quod pactum conscriptum est inter adolescentem & lenam, senariis expletur: quoniam sit narratio quædam quam ne ibi quidem semper. Longis enim versibus narrat in Rudente Grippus, eventis fortunæ suæ sese bene acceptum: at in eadem, senex somnium trimetris. Ex utrisque verò, atque etiam aliis mistis, Sosia Amphitruonis. tametsi ubi jam conseritur, prælium, jamborum vim atque alacritatem minutiore gyro flectit ac vibrat. Quum igitur tam inconstantem legem videamus: ut Poetis illis neque curæ fuerit ut id facerent: neque salvo puri sermonis nitore efficere potuêre, uti numeris uterentur astrictioribus: nos sic inventa, aut qualia existunt, esse permittamus: ut si quid sinistri sese offerat, ne odiosè tanquam jus nostrum vel persequamur, vel etiam extorqueamus: præsertim quum licentiæ vitium à Græcis sumptum, laxiore, uti solet, negligentiâ fecerint cumulatius. Ut non tam monstrosi nobis versus quidam videri debeant: quàm miraculosi, qui puriores exeunt atque commodiores. Nam sanè vel illum primum ex Rudente, non impiger atq; hisce in lectionibus exercitatus demetiatur.

Proh dii immortales, tempestatem quojusmodi.

An statuas in ultima Tribrachyn tam luculento aditu, imò verò ipso in limine Fabulæ? non sanè placet. An postremam vocem ita pronunties ut trisyllaba sit? Qui fiet id? extritáne duplici consonante? tum verò quid erit, *quojusmodi?* Quis sic loquatur? quid igitur agendum? videtur mihi interjectio illa esse extra versum, *Proh.* Cui senarius deinde substituatur. sicuti φεῦ & *Hei.* nam ipsum corripere simul & primam hujus vocis, *immortales*, ut anapæstus excitetur, mihi sanè religio est. Similis versus in aureâ Trinummo,

Proh dii immortales conditionem quojusmodi.

& in Andria,

Nam qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi.

ut omnino mihi augeat suspicionem distortæ pronuntiationis.

Illud verò quod aliqui dubitando, quidam etiam asseverãdo negabant, Terentianas Fabulas trimetris circumscriptas: falsum esse deprehendimus. Nam & apud eum Poetam plus esse hujus carminis inveniès: & contrà, apud Plautum quadratos, aliáq; longiorum genera frequentiora. Andria penè ex æquo divisa in utranque partem est. haud enim ita multò

multò ab longis senariorum numerus superatur. In Eunucho, & Heautontimorumeno item. at in Adelphis penè ex quadrante longi ab senariis exceduntur. Phormionem potior senariorum numerus conficit. Hecyra laxior Fabula, ac pedestrior est. Itaque omnium Terentianarum ad quotidianum sermonem quàm proximè accedit. Est tamen in ea senariorum plus tertia parte. At contrà Plautinæ Amphitruonis & Rudentis vix totus quadrans expletur senariis. Asinaria, Epidicus, quam tantopere ipse author commendat, Mostellaria, Menæchmi, Miles, Mercator, Pseudulus, Aulularia, Casina, Gurgulio, Bacchides, aut ex utrisque æquè constant, aut etiam minus habent senariorum. Captivi verò, & Persa & Pœnulus, plus dimidio textæ sunt longis. Trinummus legebatur hactenus tota quadratis ferè: eam nos ita restituimus pristinæ sinceritati, ut & quingentos senarios excusserimus. quorum tamen numero præstant longi versus duplo. Quam operam etiam Truculento quum impendissemus, paulò minus ducentis reformatis: tantam longiorum invenimus multitudinē, vix ut illorum hi essent pars quinta. Atque is labor haud temere susceptus est: quum tā facilè mendacium Quintiliani authoritate tegeretur. Nam isti magni viri, dum nihil inexcussum volunt, & fastidiunt leviora, plus usurpant nominis quàm ponant operæ. id quod Erasmo quoq; evenisse, tum suprà ostendimus, tum ex multorum versuum depravatione constare potest. veluti ex Eunucho,

Habeat despicatam: & quæ nos semper omnibus cruciant modis.

Ubi genuinam lectionem depravavit, dum fugit creticum: neque potest prætendere trochaicam dimensionem. Itaque languidam atque invenustam substituit vocem *suspectam*. Auxit hunc errorem majore culpa, cùm ex eadem illum profitetur è puris creticis,

Siccine agis? quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum ea rei tibi est?

Quem tamen & jambicum quadratum agnoscas: & nulla sede creticum possis collocare. Pari infelicitate & illum ex Andria creticis conclusit, qui esset integer senarius,

A *In denegando modo quis pudor est paululum.*

Restitutâ namque per initium præpositione, quam ille nimis confidenter sustulerat in prioris finem, tolles illius & errorem & audaciam: simul deprehendes crassam temeritatem hominis, qui creticum ex tribus vocibus confectum iri speravit illis, *quis pudor est.* Verùm præceps ille fuit authoribus emendandis. nam ex Seneca versum illum forrasse Publianum,

Arcum intensio frangit, animum remissio.

sic invertit,

Remissio animum frangit, arcum intensio.

ubi Gramaticum agit, non Poetam. Dixisset commodius, quod ad pedes attinet, sic legi posse: nunc quum statuit necessitatem, caussam suam facit deteriorem. nam ad hunc quoque modum senarius est: & in aliis apud eundem authorem senariis non observatas magis leges intelligas, quàm in Comœdiis, aut aliis Fabulis. Quod si acrius contemplere, longè concinnior sententia est: quam deformat ille suâ subversione. Etenim sententia tametsi æquabiliter de arcu atq; de animo pronunciat per contraria: animum tamen ad arcum referre vult; quoniam de B animo quærere statuerit. Itaque non ab eo incipere, sed eo sententiam terminare oportuit: præsertim quum præter expectationem de animo sentiat. nihil enim mirum intentione arcum, at mirum remissione animum frangi. Quare & crescit oratio, & adeò vegeta est, ut quavis pedum dispositione potior sit atque accuratior. Adeò curiosa hæc ingenia sui confidentiâ judicio destituta, & se & alios fallunt.

De Comicorum versuum materia, partiumque quantitate satis disputatum est. de ipsarum partium numero deinceps videamus. Principiò quod superioribus libris statuebamus, hic repetendum est, Versus per initia breves fuisse, duobus ad summum contentos pedibus. id quod etiam ratione comprehenditur. Partes enim toto priores sunt. Prius casa quàm vicus: vicus quàm urbs. Exempla quoque in promptu sunt. sic enim ortum esse primum senarium in Apollinis pugna dicebamus: illa simplici acclamatione,

ἰὴ παιάν.

Quam quum & iterarent & frequentarent, notum ajunt senarium,

Ἰὲ παιὰν, ἰὲ παιάν.

Quare apud authores Fabularum audias singulari voce contentum versum: ut in Eunucho,

Occidi. sed & monosyllabum, uti dicamus, φεῦ. Et eadem geminata voce, in Plauto, ἆ, ἆ. hîc quidem distincta, alibi conjuncta: ut in Philoctete,

Ἀτταταῖ.

Repetitis deinde tractibus productiores facti,

Ἰοὺ, ἰού.

Hoc quoque in Trinummo duplicatum fuit, ut dimeter fieret,

O Callicles, ô Callicles.

Ergo cùm duûm pedum essent genera, alterum motorium, alterum statarium: qui versus è motoriis constarent, in iis binos pedes singulis collectos, tractibus feriebant qui verò è statariis componebantur, satis habebant suum cuique sedi pedem referre. In priore classe fuit pyrrichius. cujus versus Enoplius dictus fuit: quo usi sumus nos primi toto poematio in natalia Sileni: cujus initium,

Modò citus ego pede celere magis ago numeros:

Abeóque Venere duce loca super alia volans.

Scenici chori certis locis: ut in Oreste,

Χρί©- ἱμόλετέ ποτι.

Ἀνὰ κέλαδον ἀπὸ λίχε©-.

Ejusdem generis est jambicus, trochæus, tribrachys. In secundo sensu spondeus, dactylus, anapæstus, proceleumaticus, creticus, amphibrachys, bacchius, palimbacchius: neque verò sine ratione fuit hoc. In his namq; vocibus accentionum natura quatuor aut quinque temporibus frequens est. Ergo statarii versus ex pedum numero nomen obtinuere: ita ut heroici, quoniam sex spondeis constarent, senarii dicerentur: motorii verò non item: qui ob celeritatem satis haberent, ex dimidio tantùm nomen sibi vindicare: propterea quòd bini prodirent simul. Atque ita factum est, ut quibus essent pedes bini, ii Monometri vocarentur: quibus quatuor, Dimetri: quibus sex, Trimetri: quibus octo, Tetrametri. Apud Græcos hæc. Latini verò his nominibus etiam alia addidêre; non ab dimensionibus, quæ binos caperent pedes; sed à numero, quaternarios, senarios, octonarios: tantò commodius, quum unica tantùm voce etiam imparibus constitutos pedibus nominabant quinarios, septenarios. Nam hos Græci, Brachycatalectici adjectione agnoscunt, quanti sint. Illud non ei inficias, carere nos Latina voce, ubi unica syllabâ vel defectos, vel abundantes designare volumus: quos Græci Catalectos, & Hypercatalectos nominarunt. Verum de his alibi. Octonarios autem etiam quadratos appellavimus: quemadmodum in cubica figura anguli sunt octoni: quam quum dicerent Quadrantalem, eodem nomine hosce versus insignitos voluere. Etenim constituta quadrata superficies si fluat, atque postea sistatur, quadrantal creat. Quam ob caussam corpus hoc Latini Græca voce Tesseram vocitarunt: non à laterum numero, ut quidam putavere, sunt enim sex: sed ab radice constitutionis: sic enim appellant Mathematici. Præterea quum senarii plus in usu fuissent, primusque Boileus produxerit octonarios: eos ab ipso tractu longos nominavere. Ergo neque Gellius Ennianos versus Quadratos rectè appellavit trochaicos illos,

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:

Ne quid expectes amicos, tute quod possis agere.

Neque Varro in septimo de lingua Latina illos ex Eunucho,

Heri aliquot adolescentuli coimus in Pyræo.

Siquidem Rufinus author est, eundem Varronem ita sensisse, Versum septenarium fieri, quum ad senarium pes trisyllabus addere[tu]r: apponitque exemplum iisdem numeris ex Hecyra,

Nam si remittant quippiam Philumenæ dolores.

Non solum igitur à se dissentit ipse verum etiam errat definiendo. Nam & minores sunt octonariis, & majores septenariis: & trisyllabus pes, bacchius præsertim, jambo non solùm est adventitius, sed etiam alterius tractus diversi, neque dignus qui in Jambici definitionem admittatur. Et ridiculum est: non potius ex septenis fieri septenarium, sicuti è senis senarium: quam è senario, & uno pede, tanto minus trisyllabo. Sed profectò magnos

magnos viros authoritas sæpe texit, etiam male sentientes. sicuti Ciceronem quoq; fugit ratio, quum in prima quæstione Thusculana septenarios vocat illos,

Heu reliquias semiassi Regis denudatis ossibus
Per terram sanie delibutas fœdè diu vexarier,

Erasmus Varronem sequutus Tetrametrum nihilo prudentius explicavit illis verbis: Jambicum tetrametrum interdum in fine fraudari una syllabâ producta penultima: quoties Jambico dimetro accingitur dimeter catalecticus. Nam quid attinebat dicere penultimam productam? Neque enim necessariū hoc est: quo loco & tribrachus esse potest, & dactylus: quorum syllabæ postremæ breves sunt. Aut quæ est illa explicatio? quasi quum dicas, Homini interdum pes deest: quoties integro semihomine, alteri semihomini pes deest. At enimvero quis nescit tetrametros, non è duobus dimetris, sed ex quatuor dimensionibus constare? Si quis vel partium consideret rationem, quarum singulis æquale jus sit in versu: vel originem intueatur. Neque enim Boiscus ille, aliúsve quispiam, dimetro dimetrum aptavit, sed dimetrum, quem tum longissimum invenerat, monometro produxit. Præterea quis hoc audiens, non putaret esse nefas, cæsuram facere in quinto pede? siquidem ex duobus dimetris tetrametrum ita consarcinandum est, ut integro integrum addatur. Quid quod idem abusus est dimetri, trimetrique appellatione? Nam imprudenter nimis sanè versum illum ex Andria jambicum dixit pentametrum,

Hoccine credibile est, aut memorabile.

Constare namque ex decem sedibus jambicis oportebat. Quare trimeter brachicatalecticus agnoscetur. neque enim idem esse μέτρον & pedem, suo loco declaratum est: μέτρον enim capere motorios pedes binos. Hunc verò tam ridiculum errorem etiam in illo commisit,

Novi rem omnem. sed est Simo intus? est.

Nihil igitur mirum, qui motorios pedes suo defraudet jure, id quod illis abstulerit, ad statarios temerè transtulisse. Illum namque versum ex Andria,

Ut malis gaudeant, atque ex incommodis,

A Ausus est creticum dimetrum nominare. Qui tamen pes quum sit non solùm syllabarum numero, sed etiam temporum quantitate prolixior quàm spondeus: quare solus unam dimensionem non expleat, si spōdeus implet? Eum tamen sequutus Rivius, parem erroris admisit proportionem. Siquidē trochaicis anapæstum nonnunquam interseri scripsit caussa celeritatis. quod dictum cum illo superiore sanè convenit. Idem namque sentiunt, quum ille creticum ad jābum, hic anapæstum referat ad trochæum. At qui pes ita esset quatuor præditus temporibus, ut duo simul unam efficerent syllabam plenam ponderis & gravitatis, non potuit inter cursores illos annumerari: præsertim quum jambo similior esset anapæstus quàm trochæo. uterque enim à brevibus incipit, in longam desinit. quantò enim est jambus gravior trochæo, tanto est anapæstus dactylo. Quamobrem haud levi de caussa factum est, ut gravissimi poematis gravissima pars chorus ad gravissimi pedis majestatem sese conferret, scilicet anapæstum. Quid quòd ille nullam posuit rationem, propter quàm trochæus esset jambo volubilior. at verò cum Græcum nomen excitabat nos: tum superat ratio. Nam qui & syllabarum numero & temporum ratione par esset jambo, non potuit eo esse

B celerior, nisi sanè temporum, temporúmque differentium syllabarum situ, qua re una fieret illi dissimilis. Trahit enim trochæus syllaba priore vocem ita, ut in posteriore emollescat, ac quasi evanescat. Jambus è contrario celeritatem professus, gravitatem præstat. Itaque sanguinarius pes, & ad vulnerandum promptus, indicat & impetum primo, & statariam pugnam mox. Id quod Hipponax acerrimo vir ingenio cùm animadvertisset: quam rationem impetus in pede agnosceret, eam in peculiarem pedi versum transtulit: ut sicut jambus in syllaba longa pertinax pugnaret: sic ex jambo constans versus in longum pedem incumberet. Leviorem namque ratus jambum, quàm ut ad impressionem faciendam satis esset: Itaque interam prælato sedem, succedere ei spondeum fecit. quare id quoque judicio consequuti sumus nos: propius ad naturam partium accessurum fuisse totum versum, si jābus

bus imparibus, trochæus paribus sedibus cõstituti fuissent, cujus rei exemplum, quia res est minus usitata, è nostris poematiis subjiciemus. hoc ex jambicis;

Malis fortuna cornucopiæ fundit.

hoc ex trochaicis,

Si plaudit malis Fortuna, quid justis fit?

Qui numerorum sonus, aut flexus sicui videatur absurdus; is meminerit, aurium consuetudinem violentam esse: ac propterea nova, & inusitata non tam semper admirari quàm sæpè respuere. Verùm magnoperè nostra interest, qui, quoad licet, Aristotelis exemplo rerum caussas investigamus, venari rationem, propter quam, cùm jambo sedem assignarent prisci, maluerim ei deferre pares. Nam si in senario, sive ille fuit dactylicus, una tantùm satis fuerit, quinta scilicet: sive spondaicus, una item contentus est, quippe sexta: quare trochæo impares alias jambo designarunt? nempe hoc præter naturam factum videtur. Etenim per initia si solis aut jambis, aut trochæis constabant versus: videtur sanè prima quæque sedes utrique æquè debita fuisse. quibus ut respondeam, sic mihi agendum est. Non esse rerum naturam secutos veteres Poetas. Multa illis pro libidine facta fuisse: multa fortuitò excidisse, quæ postea pro legibus probarentur. Unum illud satis constat: cùm trochæo sedem primam retinuissent: non inconsultò diversam ab ea, & aliis imparibus adverso pedi jambo constituisse. quare autem hanc huic, illam illi reddiderint, profectò haud facilè est judicatu. Atque hic quidem ita sentit Priscianus. quoniam, inquit, in secundo pede cùm dimetiendo feritur versus, minor ei locò mora debita est. At mihi contrà videtur: majorem deberi moram in pronunciando, ubi tempore ipso immoramur. & falsum esset: ibi positum pedem, qui feriretur: sed contrà, verum: ibi feriri, quia pes poneretur. At hoc quærimus nunc nos, quam ob caussam ibi positus sit. Præterea si ea ratio est: quomodo constabit in trochaicis, qui ibidem feriuntur? Ut igitur quæstionis naturam consideremus, docebit nos verborum inventio, initia vocum à longis esse, in breves desinere. Nam tametsi brevis syllaba naturâ sua prior est quàm longa, quippe simplicior: tamen

A per initia inventionum cunctabantur primùm: quæ caussa est, ut vocum fines in pronunciatione obscurentur. ita enim meditantis & consulti animi, suspendere vocẽ, non præcipitare. Quapropter tam in versibus quàm in soluta oratione, postremarum syllabarum nulla est habita ratio. His argumentis jambo trochæum fuisse antiquiorem, & anapæsto dactylum, par est. ergo trochaicum versum jambico priorem. Quare cùm primæ quæque sedes throchæo fuerint peculiares, alteræ illi relictæ sunt. adhæc cùm esset pes volubilis trochæus, statim sese ingessit in versum. Jambus autem grassator ille idem fecit, quod civilibus in rebus plurimis consuevimus. quippe curamus ut ratio in principiis gravis ac sedata sit. Pugnam quoque cautius aggredimur primò, quæ postea incitatu efferuescat. Sic ad saltum ubi nos comparamus, fortius pedem figimus, ut statariæ moræ majorem impetum subjiciamus. sic Aristoteles Imperator noster, omnium bonarum artium dictator perpetuus, motum omnem sub finem probavit esse concitatiorem. Ita propositio, spondæo, & jambo, satius fuit ab hoc illum excipi, præterea recentissima quaque memoria ferè metimur ipsas res.

B Igitur assignata prima sede trochaico, ultima quoque necessario finitur trochæo, quæ sedes, primam dico, si jambi fuisset, in ultima jambum nullũ haberemus. nunc in hac ille cùm sit; pares ei sedes, quippe quæ huic responderent, attribuendæ fuêre: ut recentissimo sono scilicet novissimo, aures spectatorum captæ detinerentur.

HÆC ferè sunt, quæ de universa re dicenda erant. Reliquum est, ut ad ea, quæ particulatim animadversa sunt, descendamus. atque equidem ut sese offerent, ita ea describam. Sit ergo quod affert Erasmus ab Adelphis eo versu,

Quid is fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.

Cùm enim agnosceret senariũ, neque rationem inire posset dimensionum, abstulit alteram è liquidis in Pronomine *ille*. id quod, ut ego fateor, & posse & solere: ita tria dico. Primùm non esse opus amotione liquidæ illius, ad syllabam corripiendam: id quod suprà satis demonstravimus. Secundum, ab

eo creticum in quarta sede constitutum: quē A tamen pedem adeò evitarit, ut everterit multa. Postremò versus aut ab eo disjectos, dissipatosque, aut aliorum incuria solutos ipsum præteriisse. sic enim legendi sunt,

Quid tristis es? rogitas me? ubi nobis Æschinus
Siet? quid tristis ego sim? dixine hoc fore? quid is
Fecit? quid ille fecerit? quem neque pudet.

ubi verbum *siet*, quod & alibi sæpe, unica syllaba concretum sit. Sic ex Andriæ illo sibilum abstulit, non unde debuit,

Quis igitur est relictus objurgandi locus?

Sibilum, inquit, in pronomine *quis* eliditur. At vero cùm necessariò jambicus sit: nullo pacto ad eum modum secari possit: sed ex participio tollendum est. Sed & illum malè dimetitus est,

Perii obsecro: tam infandum facinus, mea tu, ne audivi quidem,

ait esse trochaicum catalecticum: qui sit integer quadratus jambicus: neque ad trochaicum distorqueri possit. Etiam plus in illo erravit:

Forte ad nos redierit. Vise amabo num sit. jam faxo scias. B

Nam ut evaderet Amphimacrum, non est veritus sui trochaici caudam etiam ultra pedes octo trahere. Quod si arguet *scias* esse monosyllabum: quis erit tam impudens, ut tertium pedem trochæum posse dici putet? Cæterum si cæteri omnes sint quadrati; etiā hunc, qui sequitur, jambicum malim, nulla facta in prima voce collisione,

Quo ille abire ignavus possit longius, nisi si domum.

In prologo autem Andriæ eo versu:

Nam in prologis scribundis operam abutitur.

Cùm diceret vocis hujus *prologis* primam syllabam esse Terentio productam, addidit sane frivolam rationem: Latina, inquit, consuetudine: quibus mos est, eam præpositionem productam habere. at enimvero in Latinis vocibus producant, in Græcis Græcè agant. Itaque & in Heautontim. *Oratorem voluit esse me, non prologum.* id quod neutiquā vocalis ratione, aut temere factum est, sed vi sequentis liquidæ: sicut in illo,

Ut pernoscatis ecquid spei sit reliquum?

Geminatam igitur ibi quoque sentio. etenim hoc nisi essent soliti facere: mille aliæ erant viæ ad eadem penè verba versu concludenda, ut rem novam aut inusitatam evitarent. Cæterùm nova neutiquam erat, sed pervetus, vel ab Homero usque: nam in Hymnis μέλλω, in Iliade ἐλώεσα, atque alia multa ejusmodi produxit. atque etiam nunc plurimæ nationes adeò crassè pronunciant eam litteram: ut intus esse aspiratio videatur: Ruteni, Gabali, Atuerni, Germani, Taurini. Thusci verò & Hispani tantùm addunt spiritus, ut ubi Latinè geminatur, aliud audias adjunctum. Sed nulla gens pinguis enunciat eum quàm Turcæ quibusdam in vocibus. quanquam in illo prologi versu comminisci queas, quominus, si nolis, geminetur. Sanè conjunctionem, quæ prima in eo vox est, ne collidito: quod sæpe tum in ea Fabula, tum in aliis factitatum est: veluti in Eunucho,

Unà ire cum amica imperatorem in via.

quippe si ita legas. nam alii sic: *Unà ire amica cum*: sicut *mecum*. Verùm ad producendas breves præpositiones, geminatæ sunt & aliæ consonantes: *Reppulit, Reddidit, Rettulit*. Illud autem à Donato in Hecyræ prologo,

Prope jam remotum injuria adversarium:

minus rectè. ait enim ibi geminatam. at tametsi geminari consuevisse fatemur, non tamen eum fuisse locum affectandæ novationi: qui locus sibi jambum, quandocunque posset, asciscerer. Sicuti non minus infeliciter Priscianus: qui cùm *redducit* geminare mutam diceret: idque exemplo vellet probare: dimetrum attulit ex Epodo ad hunc modum,

Redducet in sedem vice.

quid enim ajat, si negem? neque enim pedis necessitate nobis persuadebitur. Quid si cōtendam ab Horatio non esse factum: qui quoad potest, jambos etiam aucupatur? cur igitur abjecerit genuinum pedem? quam ob caussam admiserit supervacaneum elementū, ut illum excluderet? Melius fecisset, si ex Hecyra,

Remissan' opus sit vobis, an reductam domum.

Sed hoc alibi quoque disputatum est. In Scena quoque primi actus quintā, cum Pamphili

phili orationi intervenisset Mysis, atque suis A uterque seorsum affectibus uteretur: versus interseruit diversos quoque Poeta, quos Erasmus confudit, sic igitur sunt legendi:

Hócne est humanum factum, aut inceptum?
hoccine officium patris?
Quid illud est?
Prò deûm atque hominum fidem! quid est si
non hæc contumelia est?

sic enim etiam alio genere Mysis utitur iterum,

Miseram me! quod verbum audio?

cui respondet illud Pamphili,

Quod si fit, pereo funditus.

In eadem verò Scena versum illum,

Prò deûm atque hominum fidem! nullóne
ego.

appellat dimetrum redundante pede: laxè nimis sanè. nam quamobrem non quinarium? quare non trimetrum brachycatalecticum? quis audivit unquam versum ullum pede esse redundante? nonne ipse ille versus talis est hoc ipso pede, quem dicis redundare? Illud quoque malè dignoscere visi sunt, cùm actus secundi initium putarunt esse debere caudam ejus versus, qui primum claudit actum. Sic enim legunt, B

Ne ad morbum: hoc etiam teneo. Quid ais
Birrhia?

Nemo enim dicat à dimidio versuum incipere actus. Deinde apparet Mysidis abeuntis festinatio, ut Glycerium consolaretur. quare actus rectè ibi terminatur. Abrupit ergo sermonem, & versum mutilum reliquit. Præterea, sicuti diximus in primo, inter actus Comœdia vetus interserebat choros, diverbia, conversiones, affationes, atque alia ejusmodi: nova Comœdia raro Gregem, nisi in fine. Choragum etiam legimus apud Plautum. omnino verò tibicen canebat: quod è Pseudolo etiam alibi recitavimus:

Dum concenturio in corde sycophantias:
Tibicen vos interea hic delectaverit.

Tanto igitur intervallo, quibus artibus Charinus Mysidis explesset versum, quem non audiret? In eadem verò Scena ita perversè legit, ut alterum novenarium faciat, alterum pro senario reliquit sic,

Quæso ædepol, Charine quoniam id fieri,
quod vis, non potest: velis
Quod possit. Nihil aliud nisi Philumenam
volo.

Cùm tamen optimi sint octonarii, si verbum *velis* subducas in principium posterioris. Etiam eodem cum superiore consilio monometrum vocat illum,

Ah quanto satius est. Dimeter enim est brachycatalecticus. sed & nulla necessitate mutat *abi* in *abin'*, sive *abeas*: cùm frustrà putat alioqui non posse constare versum. nam & trochaicus est, si collidas: & jambicus, si non collidas. Ad hæc maxima vis ejus vocalis, quam videmus ultimam in verbo *abi*. ut illo pulcerrimo versu, quem è sua Ciri transtulit ad pastores divinus Poeta,

Ut vidi, ut perij, ut me malus abstulit
error.

Et aspiratio prohibet elisionem: veluti ibi:

Hecyra est huic nomen Fabulæ. hæc cùm
data est.

Sic imprudenter nimis elidit sibilum ex pronomine illius versus,

Sed istud quidnam est? hodie uxorem ducis?
ajunt Pamphile,

qui per se ipse nullâ factâ interpolatione rotundissimus sit octonarius. Nam quod monet, in nomina *suspicio* tertiam à fine produci, verum est: sed neque nova res, neque sine ratione. nam & Plautus ita scripsit,

Et ne in suspicione ponatur stupri.
Et clandestina ut celetur suspicio.

Sed satis nimis: cum & apud Ausonium sint exempla. Tum autem satis liquet, duas in unam vocales coaluisse: namque ab eo quod esset *suspicitum*, *suspicito* fuit. Itaque ubi erit brevis, tum intelligetur syncope: ubi longa synæresis. Ex eo quoque versu Andriæ,

An non dixi hoc esse futurum? dixti. quid
meritus es? crucem:

Prisciani authoritate dicit, tolli verbum substantivum. Quo in loco mihi oblatam sententiam occasionem, duos simul emendandi magnos viros: illum qui errarit: hunc, qui non correxerit. est enim octonarius integer. Illud verò ejus proprium, cujus culpam in alium transferre nequeat. nam verbum substantivum *adsuerũt*, trisyllabum professus est eo versu,

Cùm in pariundo aliquot adsuerunt liberæ.

qui

qui tamen versus senarius jambum habet in quarta. Ferendus tamen erat quasi lapsus, nisi altero errore culpam cumulasset, cùm primam auferri syllabam jubet ex versu,

Aufugistin'? bem, factum. satin' id tibi placet?

Integer enim senarius est, etiam nulla facta detractatione: spondæis duobus, anapæsto, duobus dactylis, jambo. Ibi temere transfert inferioris syllabam in superiorem: contrà debuit transferre in Hecyrâ neque transtulit,

Quæ dico parvi pendent. porro hoc jurgium ad
Uxorem: hæc cujus fiunt consilio omnia.

Sicut Interjectionem quoque debuit ascribere priori versui in Adelphis, ut sic legeretur,

Syre, præceptorum plenus istorum ille. phy,
Domi habuit unde disceret. fit sedulò.

Restituisset etiam in Hecyræ versu verbum, ut sit septenarius, ac priori par: sic,

Tecum ferantur, dixti: ita ut jubes faciam pater

non oportet errati loco censeri in Andria, eo versu,

Tu rem impeditam & perditam restituas? hem quo fretus sim.

in quo dicit *hem* extra versum ab alio potius additum, quàm positum à Poeta: cùm tamen sine eo mutila sit sententia, & sibilus elidatur: at alibi sæpè: quo fit jambus in octava. Sic audacter nimis aufert verbum *cupio*, ex illo Eunuchi,

Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.

ubi commodiu eximeret sequentem vocem sine ullo carminis detrimento, etiam constante sententia rotundiore. verùm aut sit proceleumaticus primus pes, & alter amphimacrus: aut pronomen, quod in postremo loco est, demittatur in versum alterum subsequentem qui nihilo secius sit senarius, sic:

Meo. id amabo, adjuta me, quò id fiat facilius.

possit *facilius* esse trisyllabum, sicut *potius* bisyllabum. & apud Lucretium aliud est pyrrichius dactyli dimidium. Rectius erit, si quemadmodum alibi, *meo* sit monosyllabum. Igitur elidetur in vocalem sequentem, ut fiat anapæsti ultima syllaba in secundâ vocis hujus *amabo*. Iniquior verò fuit illi versui ex Hecyra, *ex quo*, dum particulam expletivam delevit: qui tamen ita ut est, cum sequentibus cumque præcedentibus octonarius sit,

Mane dum sodes. timeo ne aliud credam, aliud nuncies.

Hoc ibi cùm abolet: ita alibi æquè importunè addit de suo: veluti ad eum versum ex Eunucho,

Par pari referto, quod eam mordeat:

modò addit *nunc*: modò, *mox*: modò *sic*: modò nescio quid. ego verò nihil immutandum censeo de consilio Poetæ, qui integrum Proverbium, sicuti circumferebatur, ita interseruit trochaico tractu. Quare audacius etiam *remordeat* suppositum est. nam si quid adjungas, versum labefactes: si nihil, nihil item ad concinnandum versum opus est. præsertim cum hoc exemplo non solum legatur in omnibus exemplaribus: verumetiam recitetur à Cicerone in Ep. ad Lent. & Plaut. in Mercatore. Ita impunè ille sibi putavit licere, si in quoslibet versus debaccharetur. Quæ impudentia illi quoque apposuit, nunc:

Alio pacto honestè quo hinc modo abeam, nescio.

neq; enim eliditur vocalis: sed incolumis sua natura perstat longa ante adverbii aspirationem, *hinc*: atque ita decurrit trochaicus octonarius catalecticus. quemadmodum in verbo monosyllabo nulla item collisio fit, neque in adverbio eo versu,

Ora me. obsecro te verò Phædria. i intro. hoi, bei.

Corrupit etiam syllabarum quantitates: velut in illo ejusdem Fabulæ:

Sic est, inveniam hodie, parem ubi pol referam gratiam.

Ausus est dicere: adverbii hujus, *hodie*, primam produci: Quoniam, inquit, idem sit, acsi dicas, hoc die. At quod nusquam est, narrat. Etenim cùm est *Hoc die*, propter positionem producitur. nam suaptè natura breve pronomen est: sicut ejus compar *hic*: Græcum ὁ. Quare illud Virgilii,

Hoc erat alma parens:

non solùm propter interrogationam: sed etiam ob syllabæ servitutem legunt, *hocce*, ii qui

qui existimati sunt doctiores. Breve namque fuisse, vel inde deprehenditur, ubi consonante amissa in adverbio *hodie*, correpta est. Id quod & in aliis, & in Hecyra deprehendas,

Visum est. certóne? certè. deus sum: si hoc ita
est. verum reperies.

Est enim pronomen *hoc*, secunda syllaba dactyli, qui est in quinta sede. Quapropter versus, de quo nunc est controversia, septenarius jambicus existit. In convitio autem Poetico illum ex Eunuchi prologo,

Habeo alia multa quæ nunc condonabuntur.

ait mendosum esse, neque enim Scazontes in ea genera carminum admitti. Itaque ut metrum corrigeret, linguam Latinam depravavit, cùm supposuit *condonabitur*. nam quis alius quam Batavus dicat, Tu condonaberis à me commentarios? An fortasse, ut nihil non audet, ausus est ἀπροσώπως, ac nihilominus casum apponere? quidam tamen malè conciliati sequi maluerunt ejus temeritatem, atque suis typis ita scriptum evulgarunt. Quod si pro se facere putant versum ex Phormione illum,

Argentum quod habes condonamus te,

vehementer errant. Est enim hoc illi simile,

Urbem quam statuo, vestra est.

Et hoc illis, ex Aulularia,

Pici divitiis, qui aureos montes colunt, ego
solus supero.

& ex Amphitruone,

Naucratem, quem volui convenire, in navi
non erat.

& aliis alibi multis. At equidem puto veteres excitandi spectatores gratia, nævos hosce aspersisse. neque in ea re falsus sum. Nam quî decuit minus spondeo claudere jambum, quàm dactylicum sistere? Terentius sanè non sine arte gravitatem, & lenitatem. & constantiam animi ostendens, remisit de jambi acerbitate. néve sine exemplo vetustiorum factũ putes: multa tibi loca excutienda sunt. Amphitruone,

Quod ego huc processi sic cum servili schemâ.

Qui quia suspectus est ob flexionis novitatem: habeas alium,

Age nunc reside jam. cave modò ne graxeris.

Non enim melius fugerit ad *graxeris*, quàm ad *faxeris*. ubi *faxis* legitur. Accipies etiam unum ex eadem Fabula,

Abs me fera consimilem faciã, ut prædixti.

Adducerem & è Casinæ prologo: nisi suspicarer verba esse transposita,

Clerumenoe hæc vocatur Comœdia
Græcè.

Tamen si transponas, nihil profeceris. neque enim constant dimensiones. Eadem ratio ex Truculento,

Redit animus: deme soleas. cedo vinum.

Ex Casinæ prologo eadem cautio.

Ratione utuntur, ludos neminem poscunt.

possis enim transferre. at non in Pœnulo,

Gerræ germanæ atque ædepol λῆροι λῆροι.

neque in Mostellaria,

Nunquid ad merendam istbic ero? quid
nunc? quàm mox?

& altero ejusdem,

Vide ut fastidit simia. mihi sum, sic sum.

in Cistellaria,

Tibi nunc prodimus, ac confitemur cistellam.

nisi sit *cistulæ*: ut alibi in eadem. Quod autem ejuscemodi terminatio grata fuerit: patet etiam ex catalecticis: ut in Captivis,

Cui nunquam vultum tranquillabit gratiis.

& in Aulularia,

Nam si ignis vivit, tu extinguere exemplo.

alii legunt *extempulo*. Nondum memini, & vox Hethrusca est, non Latina. & in Asinaria,

Qui mi auscultabunt, facient obsequelam.

sed & Aristophanes ἀχαρνεῦσι, Λέξον τ' Ἀθηναίοισιν ἃ ψευδαρτάβα. Quin etiam in octonariis, in quorum fine maximè videtur expetendus jambus, ut aliquem modum statuat tractui pedum longiorum, non pepercit vetustas illi sedi, quominus occuparetur spondeo: quemadmodum in Amphitruone,

Quid enim? pugnas pugnas prolocuta, &
Pterelam oppugnatum.

& ille,

Id Sosiæ factum est operâ, qui me hodie quoq;
præsentem ausit.

Ac ne in illis quidem servavit Latinitatem:

Ne te iratus suis sævis dictis protelet scio.

Substituit enim pro *sævis dictis*, *sævidicis*. at sævidicum mobile nomen est; cui igitur hærebit? An ille invenit usquam in naturæ legibus, accidens sine substantivo; ut imponeret Grammaticis adjectivum sine substantivo?

vo? in eadem verò Scena etiam pedum numerus eum fugit. namque jambicum senarium hypercatalecticum dixit illum;

Non possum adesse. ah quid agis? quò abis Antipho? mane.

Habet enim ante postremum pedem, qui est jambus, tres pedes trisyllabos, duos dactylos, unum anapæstum. Atque verò indoctè illum quoque eâdem sectionis inscitiâ metitus est. quippe brachicatalecticum appellavit. in quo periculum potius imminet, nequid redundet:

Et illam simul cum nuntio tibi hic ego affuturum hodie scio.

Est enim, nisi interpoles, longior octonario toto pede. Primus pes, ut sit tribrachys, inde jambus, spondeus: creticus, jambus, spondeus, anapæstus, jambus. Ad conficiendum verò creticum, quinque syllabis opus est, ita ut ex octava & nona una fiat. sicut illum quoque minus benè octonarium hypercatalecticum,

Probè huic filium scis esse: audivi in Asia. non est pater.

Si enim talis est: ergo postrema syllaba vocis hujus *pater*, ea est quæ redundat. quare necessariò præcedat trochæus. Quod si ita sit, ut trochaicum efficias, anapæstum pones in prima sede, non elisa posteriore vocali hujusce adverbii *probè*. Tum verò, quid facias? vocis hujus *Asia*, duas syllabas posteriores in unam cogere cogeris. quid tum postea? tandem verò exit septenarius, non octonarius, ut dicebat. Sin malis jambicum quadratum, *audii*: pronunciandum, ut *Asia* sit anapæstus, & *probè* jambus. Mihi plus placet ut *filium* sit bisyllabum: *probè* non elidat ultimam. sic erit octonarius. In Phormione frustrà laborat transponendo verba: ut numeris consulat eo versu,

Ut ad pauca redeam, & mittam illius ineptias:

mavult ita legi, *Ad pauca ut redeam*, at verò verbum *redeam* bisyllabum esse vel sexcentis locis, ubi opus est, constat. Eximit etiam vocalem hujus præpositionis *per*, eo versu Adelphorum,

Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet.

nempe frigidum admodum est, ne dicam absurdum fugæ novum genus, quo evitet creticum fatalem illum: cùm tamen adeò molliter pronuntiari possit: vix ut divertat à natura spondei. Quem si tantopere exhorreret: at sciat primas tres syllabas ex iis, quas diximus legibus, conficere tribrachyn. nomen enim hoc, *oppressio*, primam corripit, quæ est *ob* præpositio, & secundam, quia est à verbo *premo*. Sed jam vereor nequis eorum, quos ille multis locis premit Fabulis atque irridet, reponat ei gratiam: cùm in verbo hoc, *postulo*, sciant ab ipso extritam mediam vocalem. magno enim in periculo est, ne ab illis barbarus appelletur: propterea quòd Germani præsertim nostrates Vindelici, Carni, Norici, item Suevi, Saxones, ita illud verbum pronuntiant, ut vix ea vocalis exaudiatur. Verùm equidem neque irridebo maternos avos meos, neque hominis consilium: quippe qui memor sim ejus versus ex Casina,

Nunc ne tu respondere postules me tibi:

in quo non magnum faciat flagitium, si ita pronuntiet, sicut in *periculo*. tametsi alio modo metiti eum sumus. non igitur judicium reprehendo, sed judicii locum. Ei namque versui optimo atque pulcerrimo quadrato hanc injuriam faciebat,

Cùm is nihil promereat postulare id gratiæ apponi sibi.

Verùm & hîc nihil necesse habeas concidere: & memineris in verbo, *tollere*, unde fit, primam natura brevem esse: quod patet magis in præterito, *tuli*. Non enim geminasse veteres & Varro author est in voce *terra*, & Verrius in multis, ut ex Festo constat. Cæterùm Erasmus eam curam in alium versum utinam transtulisset ad nomen hoc, *periculo*, potius, quàm tolleret omnem sermonis elegantiam, atq; adeò Atticismum, scilicet pronomen: hoc est autem ex Andria,

Sine omni periculo.

Nam hocce haud dubium est quin Chremes.

Præsertim cùm anapæstus esse potuerit in prima sede. Etenim *omnis* primam corripit natura, ductum παρὰ τὸ ὁμῶς. Universitas sanè fit ex rerum conjunctione: nempe universum, extra quod nihil est. Illas verò, mutam dico sive semivocalem & liquidam, non potuisse cogere syllabam ad producendum, & pueri sciunt, & Priscianus docet ex Callimacho.

Quæ nobis videbantur animadversione digna, ne præceptorum nostrorum inscitia aut incuria, quæ nostros animos occuparat, diutius grassaretur: satis explicata puto.

Neq; præterea, quod adderetur, quicquã mihi in mentem veniebat: nisi Bembus & suam & vetusti codicis objecisset authoritatẽ. quæ quanti facienda sit, ex his colligi potest. Ex Andria in nostris legitur sic, *Quæ si non astu providentur: me aut herum pessundabunt.* Ille verò ita legit vocibus transpositis, ut cretici offam istis ob os objiciat, *Quæ si astu non providentur, me aut, &c.* creticus enim est in tertia sede. nisi Æolico elemento exacto, fiat anapæstus. fiet autem septenarius. Item in Heautontimorumeno sic legit ille, *Pergin' mulier odiosa esse? nullámne ego rem in vita mea.* at in nostris sic, *Venire in mentem. mi vir. oh pergin' mulier esse? ullámne ego.* ubi vides, si addas omnia verba illa quæ præcedunt exprobrationem senis, versus fiat stadio longior. At illi octonarii sunt. Quin lepor quoque in illis major est, *Oh pergin mulier esse?* plus enim est esse mulierem quàm odiosam. In altero autem sequente, *Rem unquam volui. quin tu in ea mihi adversatrix fueris Sostrata:* Bembus ita legit, ut una deficiat syllaba, sic, *Volui quin tu in ea mihi fueris adversatrix Sostrata.* Locutionem quoq; ne leviter pertranseas: ille enim dicit, *nullámne rem volui.* sanè tolerabilis sermo cum hoc verbo *volo.* negatio enim, quæ in nomine est, in verbum transit: & fit, *ullam rem nolui.* nequeas verò cum verbo substantivo, *nullane res est?* Quo nãq; modo esset, si non est? Neq; melius procedi in illo ex eadem. sic enim legit, *Sustulisti? sic est factum. Domin'? ergo herus damno auctus est.* Nostri sic, *Sustulisti? sic est factum, Domina. ergo herus &c.* at duo sunt, quæ dissuadẽt recipiendum. Primum, versus: qui trochaicus sit. quare in quinta sede jambum ille statuit, nos anapæstũ. Et minus simile veri fuit, domi educatam, atq; herum tamdiu latuisse. erat enim *Comica domus, i. modica:* quam vel una Bacchidis cœnâ senex penè accisam quereretur. Idcirco inepta fuisset interrogatio. Neq; erat auctus damno, quòd educasset domi. Longè enim minus impensarũ fit, si domi, quam si foris alantur liberi: sed quoniam filiam sustulisset, quam exponi jusserat, cui dos paranda foret. Sed ille in Eunucho, toto verbo longior est, temere repetito. sic enim legit, *Idque adeo visam. visam si domi' st. quisnam hinc à Thaide exit?* Sed profectò videtur quispiam non pessimi judicii neglectis numeris leporem quæsisse orationis. sicut eadem Fabula, *Nihil præter promissum.* nam nos legimus, *nihil prætermissum.* & bene cecidit: quod hic argutia etiam dimensionibus locum reliquit, si *nihil* sit monosyllabũ: quod sanè volumus. Vult autem dicere, Phædriam nihil præstaturum eorum quæ Militi pollicebatur: neque quicquam illum præter promissum, i. verba, non rem, laturum, sed in eadẽ lepor item niditissimus est, iis versibus,

Illum liquet mihi dejerare, mensibus
Sex septem prorsus non vidisse proximis.

Nostri enim vulgatè nimis legebant, *Sex vel septem.* Cæterùm & à numero excluditur cõjunctio, & sermonis puritate: sicuti si dicas: Quinquaginta plus minus annos natus sum. & Horatius ita loquutus est. & modus idem, cùm dicimus, *Plerique omnes.* est enim figura augens per emendationem. *sex,* imò, *septem: plerique,* imò *omnes.* Illud quoq; lepidius apud Bembum in Heautontimorumeno,

Confitere tu? an obsecro. istuc inimicis siet:

quàm quod legitur ab Erasmo & aliis,

Confitere tuum non esse? ah obsecro te, istuc inimicis siet.

Splendidior est oratio, negatione repetitâ sensu non verbis. & necesse est ita legi: quoniam præcedentes versus hic concinnat: quos versus tam Bembus quàm Erasmus malè disponit. Bembus sic,

Subditum se suspicatur. subditum? ain' tu? certè sic erit, mi vir.

Erasmus sic, *Subditum se suspicatur. subditum? ain' tu? certè inquam, mi vir.*

Verùm uterq; longior est: Erasmianus unâ syllaba, alter etiam pluribus, quare ita legendi sunt, ut sint trochaici octonarii catalectici,

Subditum se suspicatur: subditum? ain' tu? certè inquam,
Mi vir. confitere tu? an obsecro istuc inimicis siet.

Sic etiam in Adelphis neuter est illis duobus versibus audiendus. Bembi codex sic,

Obsecro mea nutrix, quid nunc fiet? quid fiet, rogas?
Rectè adepol spero. modò dolores, mea tu, occipiunt primulum.

Erasmus sic, *Obsecro mea tu nutrix, quid nunc fiet? quid fiet, rogas? rectè.*

Erasmus in primo malè collocat adverbium *rectè.* Bembus malè omittit pronomen *tu:* ut sint Jambici quadrati. Hæc quidem manifesta lectio. At illa ambigua utra sit probior.

In

In Heautontimorumeno vetus exemplar sic habet,

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere? &,
Quod illum insimulat durum, id non est: nam parentum injuriæ
Uniusmodi sunt fermè: paulò qui est homo tolerabilis:
Scortari crebrò nolunt, nolunt crebrò convibarier.

Bembus & aliquot eximit verba, & aliâ serie digerit numeros,

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere?
Et quod illum insimulant durum, id non est.
Nam parentum injuriæ uniusmodi sunt fermè.
Scortari crebrò volunt, volunt convibarier.

Sed numeros obterit Bembus quarto versu: in quo & trochæum invenias tertia sede, & iambum septima. Quare errorem subesse necesse est. & confundit versuum tum genera, tum quantitates. nostra autem lectio nihil horum. Sed asperior paulò visa est sententia: quæ tamen non sit. ita enim dicit, Patres duros nihil remittere de imperio, quod in liberos exerceant: omnia animi laxamenta prohibere. at qui paulò est tolerabilior, aliqua sanè patiatur: sed nequaquam crebrò ea fieri. Mutavit autem nominum numerum Terentius, cùm in singulari dixit, *paulò qui est tolerabilis:* debuit enim subdere, *non vult crebrò scortari liberos suos:* sed retulit numerum ad universitatem patrum. Et in singulari *tolerabilem* posuerat, quoniam sunt rariores. Ita mutat numerum in Eunucho:

Eunuchum porrò dixti velle te: Quia solæ utuntur his reginæ.

Quem locum alibi ostendimus è philosophiæ fontibus derivari. Pluralis enim numerus est, quasi dicat de specie in cõmuni. Singularis, quia de hoc solo Eunucho. Aristoteles & Theophrastus suâ uterque in historia frequentissimè usurpant hanc transitionem. Quam mutandi vel rationem vel licentiam hoc loco aliquis minus licere cùm putaret; sublatis illis verbis, *paulò qui est homo tolerabilis:* quæ vitia prohiberent patres in nostra lectione, ea fecit patrare filios in suâ. Antequam exeamus ex hac Scena, laudabitur lepos ac venustas eorum versuum in Andria: in quibus clauduntur iambi trochaicâ dipodiâ: quam mistionem in extremo primi declarabamus:

Adhuc Archillis quæ assolent, quæque oportet
Signa ad salutem esse, omnia huic esse video.
Nunc primum fac istæc ut lavet. post deinde
Quod jussi, ei date bibere, & quantum imperavi.

Hæc sunt, Sylvi fili, quæ laboriosissima opera excussi tibi: majorêne tædio tot ineptiarum, an metu, ne pari inscitia caperêre, nescio. Omisi verò multa carmina controversa, aut ambigua, aut vasta: quæ etiamsi ad sanitatem redigantur: at curâ hac nostra, vel sic, longè minora sint. Verùm enim verò neque tibi puerilia videri debent, qui ista ætate litterariæ laudis aditum omnem explorare juberis ab indole tua, quæ magna ac multa promittit nobis: neque mihi plebeja adeò, in quibus (omissis studiis gravioribus) tantos illos viros elaborare non pœnituit. Qui si quibus in locis lapsi sunt, vel hoc ipsum eis debeatur, quod nos excitarint ad veritatem: cujus splendorem, fili mi, quovis nomine cariorem habere debes. Magnum fuit Erasmi nomen, præsertim in Germania, litteris ipsis renascentibus: majus futurum, si ille minor esse voluisset. nunc fretus ingenii sui magnitudine, multa tractare aggressus est, paulò minus accuratè, Ita à nominis claritate profecta confidentia præcipitem illum egit, non sine dispendio multorum studiosorum: qui omnes cùm docti esse vehementer exoptarent, pauci autem laborarent: omissis ærumnis, quæ ipsis in antiquorum assiduis lectionibus multæ exequendæ erant, compendium nacti eorum, quæ Erasmus in unum coegisset, ei de omnibus fidem ita habuere, ut etiam extantibus priscorum monumẽtis, unde ille vel aliquando non bona fide accepisset, Erasmi nomen non pro teste, sed pro judice statuant in medium: atq; alieni laboris, non tanquam beneficiarium, faciant authorem. Quare vobis omnibus ejus nominis studiosis, inter quos me quoq; sanè non nolim, commodè ostendimus atq; opportunè, quid cujusque judicii sequeremini. Quod si quis (ut est ingenium quibusdam barbarum ac ferum) pertinacius negligat, foveatque ignaviam suam; te saltem habeamus ab erroribus ejusmodi vindicatum.

DESCRIPTIO THEATRI ROMANI ET GRÆCI,

E Jul. Cæsaris Bulengeri Theologiæ D. & Concionatoris Regii, De Theatro.

DUÆ præcipuæ sunt Theatri partes, A Scena & Cunei. Scena triplex est, Tragica, Comica, Satyrica. In Scena tres portæ: media, ubi regiæ aulæ; sinistra, & dextera; ubi humiliora ædificia. Utrimque ad mediam portam aliæ duæ portæ fuere, quarum valvis affixæ machinæ περίακτοι. In imâ Scenâ aditûs & Scalaria, quibus in superiorem Scenam ascenderetur. Post Scenam porticus, ubi choragia laxamentum haberent ad Chorum parandum. In Scena item Episcenia, Parascenia, Hyposcenia, Proscenium, Pulpitum, Machinæ, Aræ, ἠχεῖα, Columnæ, & alia pleraque. Episcenium Hesychio fuit, τὸ ἐπὶ σκηνῆς καταγώγιον, id est, domicilium super Scenâ. Parascenia, αἱ εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι. id est, aditûs ad Scenam. Didymus aditûs esse vult B utrinque in Orchestram, τὰς ἑκατέρωθεν τῆς ὀρχήστρας εἰσόδους. vel, ut Harpacratio, ὁ περὶ τὴν σκηνὴν ἀποδεδειγμένος τόπος ταῖς εἰς τὸν ἀγῶνα παρασκευαῖς, id est, locus circa Scenam, ubi ludi præparantur. Hyposcenium in Græco theatro sub thymele seu pulpito orchestræ fuit: de quo Athen. lib. 14. Asopodorus Phliasius Tibicine magno plausu laudato, moratus adhuc in hyposcenio, Quid hoc rei, inquit, Διὰ τρίβων αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ. Scenam Isidorus esse vult infra theatrum, meo animo minus bene: cùm Victruvius lib. 5. cap. 7. scribat, *Tectum porticûs quod est in summâ gradatione, cum Scenæ altitudine libratum perfici oportere*: id est, Scenæ altitudini exæquandum esse. Ita autem interdum Scena exaggerata fuit, ut tres Scenæ aliæ aliis impositæ essent, quam tertiam ἐπισκήνιον Victruvius vocat, parietibus suffultæ, & in imo, medio, summo, variis ornatæ columnis, nonnunquam usque ad trecentas. *Longitudo Scenæ est, ut ab uno cuneorum cornu ad alterum cum coopertura ducatur, & dimidiâ parte longitudinem orchestræ superet. Proscenium locus patens & liber fuit in fronte Scenæ*, ait Isid. in quo actores histrioniam agebant, quorum etiam imagines in proscenio positæ: C. Theod. lib. 15. t. 7. Diomedes lib. 3. *Mimi Latinè Planipedes dicti, quòd actores planis pedibus, id est, nudis proscenium introirent, non ut Tragici actores cum cothurnis, neque ut Comici cum soccis. Olim non in suggestu Scenæ, sed in plano orchestræ positu instrumentis musicis agitabant.* Suggestus ille Scenæ vocatur à Victruvio *pulpitum proscenii*, quia infra Scenam proscenium fuit, pulpitum autem quinque pedes altum supra proscenium. Itaque Scena pulpito est altior; pulpitum proscenio; proscenium orchestrâ. Servius lib. 2. Georg. ait, *Proscenia fuisse pulpita ante Scenam, ubi ludicra exercentur.* Per proscenium in Scenam ascensum fuisse, docet Synes. lib. 2. de Provident. εἰ δέ τις εἰς τὴν σκηνὴν εἰσβιάζοιτο διὰ προσκηνίου, &c. Certè in Græcia Scena proscenio altior fuit; proscenium pulpito; quod in orchestra decem pedes altum: pulpitum ipsum orchestrâ altius, quæ cum imis gradibus exæquabatur, & Scenâ brevior fuit longitudinis dimidiâ parte. In proscenio fuerunt Aræ: ut Plaut. indicat in Amphitr. Prolog.

Etiam histriones anno cùm in proscenio hic
Jovem invocarunt, venit.

item ædificia, eodem teste, in Trucul. Prolog.

Athenæ istæ sunt, ita ut hoc est proscenium,
Tantisper dum transigimus hanc Comœdiam.

E pro-

E proſcenii faſtigio actores, qui in pulpito e-tant, ſpectari poterant, ut Sueton. in Neron. cap. 12. Tragœdi igitur & Comici in pulpito proſcenii Romæ agebant, Thymelici in proſcenio aut pulpito ipſo: ut ſcribit Seneca ep. 84. &, *Ex pulpito*, inquit, *omne tibiarum genus organorúmque conſonuit.* Pulpitum ideo Romæ latius quàm in Græciâ fuit, *quòd omnes Romæ artifices in Scenam dant operam*, ut Vitruvius lib. 5. cap. 6. ait. Athen. lib. 14. Ludis, inquit, quos Luc. Anicius Rom. exercitûs Imperator edidit in Circo ampliſſimâ Scenâ exſtructâ, tibicines omnes in proſcenio conſtituit, ut unà cum Choro canerent. Apud Græcos verò, ut Vitruvius lib. 5. cap. 8. *Tragici & Comici in Scena peragunt, reliqui autem artifices ſuas per orcheſtram præſtant actiones.* Orcheſtra autem, in quâ *ſenatorum ſunt ſedibus deſignata loca*, Romæ inter cuneos & Scenam interjecta erat, producta muro pedem unum alto, quod *Podium* dicitur, qui columnis tres pedes altis ornabatur, quibus ſpectatores inniti poſſent. Ea erat graduum quatuor, aut quinque, alta pedes duodecim, longa dimidiam Scenæ partem. Gradus orcheſtræ digniſſimus imus fuit, Podio proximus & Scenæ. Inter Podium & gradus Orcheſtræ fuit ſpatium aliquod latius, in quo ſellæ curules Magiſtratuum, tribunalia Editorum, ſedes Veſtalium, ſuggeſtûs & cubilia Imperatorum, ſellæ abſentibus repoſitæ, lictoribusq; Magiſtratuum, & viatoribus locus. Hi Orcheſtræ gradûs Suetonio *primi ſubſelliorum gradus* dicuntur, quos proximè ſequuntur Equeſtria.

Græcis amplior orcheſtra fuit, Scena receſſior, minoréque latitudine pulpitum, quod *Logæum* appellant, in quo Thymelici canebant, chorus ſtabat, hiſtriones ſaltabant. Logæi altitudo pedum decem apud Græcos, cùm Romæ pulpitum proſcenii altum ſit pedes quinque. Orcheſtra ipſa primis gradibus altitudine exæquabatur. Ab eâ erant gradationes, quibus in Scenam aſcenderetur, aut deſcenderetur. Quare & Suetonius, *Ludis Decimum Laberium ſeſſum in Quatuordecim è Scenâ per orcheſtram tranſiiſſe*, ſcribit in Julio, cap. 39. In Græciâ orcheſtra licet extra Scenam procurrerit, cum Scena tamen conjuncta fuit, nec podio incluſa, ut Romæ, ſed obverſa imis gradibus, unde ſpectabant: cùm

A orcheſtra Romæ initium graduum & cuneorum fuerit, Scenæ obverſa, ut à Senatoribus omnium agentium geſtûs ſpectari poſſent. Gradûs autem alii fuêre humiliores ad aſcēſum & deſcenſum, quas *gradationes*, & *ſcalaria*, ſeu *ſcalas*, & *ſcalarum gradûs*. Vitruvius vocat: alii altiores, in quibus ſpectatoribus locus, & *in amfractu quaſi cathedra*, ait Tertull. lib. de Spectaculis.

Gradus illi alti palmo pede & digitis ſex, lati duos pedes & ſemis; ita collocati, ut in imo acuti, ſurſum latiores cunei formam redderent, unde & *cunei* vocantur. Doctiſſimus Lipſius vult ſcalas ipſas cuneos vocari: *quia* inquit, *Scalarum directio talis, ut ab imo ordiens magis diffunderetur in altum, reddeféntque cunei formam.* Malè, meo animo: cùm Vitruvius lib. 5. cap. 7. dicat, *gradationes ſcalarum inter cuneos & ſedes dirigantur ad primam præcinctionem.* & ſpectatores in cuneis ſediſſe, certum ſit. Sueton. Auguſto cap. 44. *Adſignavit prætextatis cuneum ſuum, proximum pædagogis.* Graduum initium Romæ à podio & orcheſtrâ, in quâ tres primi ſubſelliorum ordines Senatoribus attributi.

B Gradûs autem diſtincti erant tribus præcinctionibus, quæ graduum intervalla & diviſiones quædam in orbem fuerunt, unde & tres *caveæ* dictæ, quia fornicata graduum ſtructura erat in imâ, mediâ, ſummâ caveâ. In ſingulis gradationibus, & ſcalaribus erant aditûs, ſeu portæ & *vomitoria*, per quæ ab exterioribus porticibus venientes in ſedilia ſe funderent. *Aſcenſus ſcalæque*, ait Vitruvius, *inter cuneos ad primam præcinctionem*. item, *aditus in cornibus orcheſtræ ad inferiores ſedes, ubi itinerum ſupercilia. Gradus ſcalarum ad aſcenſum, erant alti ſemipedem, & unciam, lati duos pedes.* Quas vias fuiſſe arbitror, directas ab Orcheſtrâ ad Equeſtria, ubi deſinebant. Nam ab Equeſtribus ad Popularia erant aliæ viæ, quæ ibi deſinerent. Inde etiam aliæ viæ, à Popularibus ad ſuperiorem porticum, & tectum quæ ſumma cavea fuit. Calpurnius,

Nam quæcunq; patent ſub aperto libera cælo,
Aut Eques aut nivei loca denſavêre Tribuni.

In ſingulis præcinctionibus cunei ſecabantur lateralibus viis, & dividebantur præcinctionem itineribus. E porticibus ſuperioribus tenuiores ſpectabant, quam τὴν ἀνωτάτω

θεάτρου ἀψῖδα Dio vocat. Ex porticûs fuere cum tecto, ut Solis ardorem defenderent, ideoq; dicuntur Tertull. lib. de Spectaculis, cap.20. *Apuliæ*, ἀπὸ τοῦ ἡλίου, quasi *à Sole aver-* A *sas* dicas: ut *Solaria* & *Heliocamini* Soli exponuntur. Hæc mea mens de totâ theatri cõformatione. Si quid secus scriptum à nobis, dictúmve est, inscriptum, indictúmq; esto.

ISAACUS CASAUBONUS

Animadversionibus in Athenæi Dipnosophistas, libro VI. cap. VII.

STUDIORUM ea fuit quondam ratio, ut maxima eruditionis pars in dramaticorum Poetarum, ac præsertim COMICORUM lectione & intelligentiâ poneretur. Inde puriorem Hellenismum, inde notitiam eorum, quæ in Repub. erant gesta; inde vitam & mores primorum civitatis hauriebant. Itaq; ad illustranda hujus generis veterum scripta, certatim viri magni contenderunt, jam inde ab incunabulis Criticæ Professionis, sive Grammaticæ, aut quocunque modo appellare volueris eam disciplinam, QUÆ RECTAM VETERUM SCRIPTORUM INTERPRETATIONEM profitetur, & divinum Aristotelem auctorem habet primum. Attici Scriptores διδασκάλους peculiari notione appellarunt quos dixi Poetas. Et cum Fabulas suas proferebant spectandas, ἐδίδασκεν eos dicebant: sicut etiam Latini, *docere Fabulam*. Et qui productis in theatri coronam Poematis de palmâ invicem certa- B bant, non ἀνταγωνισταὶ propriè, sed ἀντιδιδάσκαλοι vel ἀντίτεχνοι nuncupabantur. Hinc appellatæ sunt διδασκαλίαι, de quibus scripserat Carystius, &c. Duobus autem modis vox διδασκαλία in hac re solet accepi. Primùm pro actione ipsâ Fabulæ, & editione, quæ dicitur etiam κάθεσις. Deinde accipitur pro eo Scripto, quo explicatur ubi, quando, quomodo, & quo eventu Fabula aliqua fuerit acta. Hæ circumstantiæ & similes his necessariæ sunt ad rectam & plenam dramaticorum Poetarum intelligentiam: immò verò ad capienda rectè historiæ Græcæ tempora. Adeò non leviter in hâc parte doctissimi veterum fuêre occupati, qui super hoc libros multos conscripserant: quibus & ipsis nomen è re indiderant διδασκαλίαι, aut περὶ διδασκαλιῶν. Et omnium primus scriptionis hujus exemplum dedit vir laudatione omni major, ARISTOTELES, &c.

ATQUE hæc sunt, quæ è monumentis doctissimorum virorum huc transferre, juventutis bono, debui. Cætera, quæ ad Scenam & Scenicorum historiam & apparatum faciunt, rectiùs feceris, meo animo, si ea domi legeris, in Opere illo, ut rectè ὁ θαυμαστότατος Casaubonus appellat, ADMIRABILI Poetices Scali- C geri: & apud *Lilium Greg. Gyraldum*, Dialogo præsertim sexto: itemque *Julium Cæsarem Bulengerum*, DE THEATRO LUDISQUE SCENICIS. Quæ omnia etsi scitu nimis necessaria: quia tamen nimis etiam multa sunt, & mole chartarum molesta, Editionem hanc nostram iis gravari consultum non putavi. INTERIM explendis hisce

ad

ad INDICEM usque, quibus nova plagula debebatur, pagellis, (cum aliud, prælo calente, non ſuppeteret) è ſexcentis Amicorum EPISTOLIS pauculas haſcé corripui; quæ vel amicitiæ noſtræ cum iis per quos A profeci, teſtes eſſe; vel litterarum candidatis judicium alicubi formare; vel denique earundem amorem aliquem, & fortè etiam auctoritatem, conciliare poterunt.

JOSEPHUS SCALIGER FRIDERICO TAUBMANNO SUO S.

TUAS ultimas litteras ſerò accepi. Alteras, de quibus mones, nullas accepi. Non enim meas deſideraſſes, aut ullum officium meum, ſi prius accepiſſem. Præterea unum tempus & una via tantùm eſt, quâ aut vos litteras dare, aut à vobis accipere poſſimus, hoc eſt, nundinæ Francfordienſes. Aliàs rarò contigit, & ſi contigit, id deputamus in lucro. Te operam collocare in PLAUTO emendando, tibi gratulamur: quia illum Scriptorem emendatum dare non cujusvis eſt, & cujus eſt, ejus & magna laus eſt. Quare τρηχεῖα ἡ ὁδός: ſed ſpero tibi ὁμαλὴν fore χαλεπή περ ἐοῦσαν. Et certè jamdudum tantus & tam priſcus auctor Latinæ Scenæ aliquem, ut tu rectè vocas, περικλέα deſiderat.

B *Ego cuperem contextum ipſum purum edi, nullis in orâ Notis appoſitis, ut vulgò fit: ſed quomodo rectè olim edidit unicus Plauti Æſculapius popularis tuus JOACH. CAMERARIUS: qui puro & emendato proximum nobis edidit. Quæ non ſunt Plauti, qualia illa olim Amphitruoni inſulta, & Prologus Bacchidum, & reliqua, non quidem recentioris, ſed tamen ſequioris ævi, in privatum locum conjici debent. Præterea Fragmenta omnia ſedulò ad calcem ponenda & illuſtranda. Hoc modo luculentum PLAUTUM promittere potes. Et quanquam confido per te ſapere, tamen hæc à me interea habe tanquam ab optante, non à ſuadente. Vale & nos ama. Lugduni Batavorum X. Cal. Septembr. Julian.*

Ex Opuſculis Joſ. Scaligeri poſtumis, Pariſiis & Francofurti editis.

JOSEPHUS SCALIGER FRIDERICO TAUBMANNO SUO S.

QUOD veſtræ litteræ, tuæ dico & Rhodomanni, per ſe præſtare poterant, id conjunctæ cumulatius fecerunt. C *Nam quum ex alterutris multum voluptatis perceperim, ex utriſque geminatum eſt gaudium meum. Neque verò nunc primùm diſco ea diligere, quæ*

à te proficiscuntur. Satis enim me docuisti olim & quantum à te amer, & quantum te ac omnia tua amare debeam. Totus eram in exspectatione tui PLAUTI: *neque adhuc spem abjeci editionis illius: quòd certus sim non frustra à te promissam olim. Quòd si potuisses adpisci Codicem, quo usus est ὁ θαυμάσιος Joachimus, non dubito quin plura fugitiva retraheres, quæ sine Codice nulla vis ingenij humani deprehendere possit. Et jam ope illius exemplaris multa eruisse audio Gruterum nostrum, hominem jamdudum in hác palæstrâ subactum, & qui, quid in hoc studio possit, jam satis indicavit, præsertim illâ ultimâ Martialis editione. De loco Plauti, (Trinummo act. 2. Sc. 4) non dubito quin spectanda sit persona, hoc est, Parasitus. In Senatu dicitur:* Nulla verecundia nos debet demovere à A sententiâ dicendâ, ubi de rebus divinis aut humanis agitur. *Divina & humanæ res Parasiti est esca; & mensa Senatus. Quo quid lepidius dici potest? Aliter accipias; perit omnis lepor.* AUSONIUM *nostrum in minimâ formâ recusum audio, sed olim. neque vidi: ut nec multa alia nostra, quæ meo injussu*

Objectos caveæ valuerunt frangere clatros.

CATULLUS *cum Sociis operâ studiosorum, qui auctiores nacti erant illos auctores, recusus est, sed ita, ut deformitate illius editionis cogar exponere fœtum, neque meum agnoscere. Itaque fortasse poterit meliorem nancisci Typographum: ut & melior & ornatior, ac multo locupletior editio prodeat. Vale. Lugduni Batavorum III. Eid. Sextil. Juliani.*

Viro Clarissimo

FRIDERICO TAUBMANNO,

Bonarum litterarum in Academiâ VVitteberg. Professori S. D.

NESCIO *quis veterum deos habere pedes laneos dixit: mihi litteræ tuæ uti visæ plumbeis, quæ sub finem Augusti Wittebergæ, Augustam post Novembris initium venerint. Sed sic quoq; gratæ, ita post tantam moram, ab amoris adhuc affectu calebant. Quem, quãtum debeo, me autem plurimum debere* B *profiteor, redamo. Parcum verborum, sicubi opera tibi mea esse usui poterit, re experieris, & imperatos & simulatores odisse. Neque quidquam nunc præterea addo.* DISSERTATIONEM *tuã legi, & ita me Deus benè amet, risi ad Episodia. Idem Lipsius faciet, ad quem fasciculum curavi. Ejus enim interest, plures extare, qui has larvas exagitent.*

de

de quibus inter centones Helmæstadianos Diras ex Virgilio expressas legere memini. PLAUTINARUM Lectionum schadas ante aliquot menses recte accepi, à Rittershusio missas. At tu eas cavesis Sambuci Codici tribuere: sunt enim ex Frisingensi Manuscripto, A *ad Sambuci editionem collato: quod si aliter in adversaria retulisti, corriges velim: & PLAUTUM ipsum, quantū potest, matures, ne epistolâ jam olim editâ salivam nobis frustra movisse videaris. Vale. Augustæ Vind. XVIII. K. decemb. Anno M.DC.II.*

Tuus
Marcus Velserus.

JUSTUS LIPSIUS FRIDERICO TAUBMANNO, Doctori publico, S.M.D.

BENIGNE tu ad me, benignè de me, in iis quæ vidi. Gratias exspectas? pro affectu dabo & debeo; pro judicio nunquam, si id tale est, & non etiam ab affectu, Audi, mi Taubmanne. Multos annos est, cùm viam hanc famæ cæpi currere, sed scopo semper publici boni; Deum & Genium meum testor. Visus est stilus meus, ut alia omittam, aliquid eminere: Laudarunt, carpserunt, & variâ judicii lance hic pependi. Tu quidem in illam laudis palàm inclinas, & momentum grande à testimonio tuo addis. Sed, ut dixi, nihil debeo: quia si rectè censes, ætas sequens idem faciet, & suffragium addet: sin aliter, dii boni, nec decem Taubmanni, Scaligeri, Casauboni, me vindicent ac tueantur. Mitto oculos ad ulteriora; uti hunc animum: & præsens quidem ætas livore, gratiâ, alio affectu & sæpè inscitiâ huc illuc trahitur, & favētiam, aut contrà donat: sed temporis filia Veritas vincet, & suum cuique pretium rependet. Agè in Sallustii stilo, quanta admiratio atque etiam invidia fuit? in Senecæ & Taciti idem dicam! hæc abeunt, bona vivunt, & solida contrà tenet istos morsus aut calumnias obdurant. Germaniam amo, ob candorem ingeniorum & morum: cur non ad optima se dant, id est, vetera; novitiâ istâ, & ut sic dicam, lactante doctrinâ spretâ? Tu & tui similes (etsi pauca vereor) præire, ducere, trahite, cum gratia pòst illorum, qui etiam B nunc obluctantur. Neque omnia ad unam faciem, & velut typum, revoco, multiplex orationis color & cultus est: ingenio suo quisque velificetur & pareat: à te quoque monitum prudenter. Vidésne in nostris vultibus, ubi formam probamus, diversissimas species eas esse? idem in oratione aut stilo: idem in pictura, Musicâ, aliâ arte: & varietas esse potest, & debet, elegantiâ & Venere semper salvâ. Dii deæque, ad unum Ciceronem nos componi! Rideat, aut indignetur ille, si vivat; & tot eloquentiæ dècora, quæ post eū, vel cum eo fulserunt. Nugæ hominum, qui tentant Latinè loqui aut scribere: qui promoverunt, & in Latii fines aut ævi veteris longius penetrarunt, tribus Anticyris ista damnent. Tamen, mi Taubmanne, si sapis, tibi sæpe,

C *——nec brachia dirige contra*
Torrentem:

à quo, vereor, ut solus ibi, & sine Theseo, etiamsi Hercules, auferaris. Vehemens hic Achelous est, cave. Illud cogita, JUDICIUM rectum à Naturâ aut Deo esse, nec magis præceptis aut monitis inseri, quàm Odorem aut Gustum. Satis super stilo. Quærebas de Virgilii versibus:

——jacet extra sidera tellus
Extra anni Solisque vias.

Ego arbitror, ultra τὴν κεκαυμένην populos intelligi: id est, ἀντίχθονας nostros. Novus, inquam, Orbis indicatur: quem *scribere* tamen

 men

men magis illi, quàm *novêre*. De tota re ad Senecam meum differo: spero satisfactum tibi iri. In Criticis nihil nunc cogito, aut laboro:

Nos aliò mentes, aliò divisimus aures.

Vobis, qui ævo vigetis, ingenio & judicio valetis, per me hæc tradita sunto. Accipite, & sine ambitione aut calore, corrigite, polite. Longior sum, nec soleo; nonne vides? amor in te abduxit: quem mihi serva merenti, vel auge. Vale, & juventutem porrò illic, sed quà datur, finge ac forma. Lovanii, postrid. Kal. Decemb. cIↃ.IↃc.II.

Ab alienâ manu est, mi Taubmanne: sed meam hic agnosce, & animum certè in te volentem Lipsii.

JOSEPHUS SCALIGER FRIDERICO TAUBMANNO S.

TUUM PLAUTUM, quem meum ex parte quoque voluisti, accepi, mi Taubmanne. Gratias tibi agere non dubitarem, si me tanto honore dignum esse arbitrarer. Quia verò, quantum ab eo merito absum, mihi conscius sum, nullas alias agere possum, nisi quas fateor me non posse agere. Hâc imbecillitatis meæ confessione plus grati animi profitebor, quam si ullo testimonio meo me tanti beneficij magnitudinem æquare posse considerem. Continebo igitur me intra fines modestiæ, & me in tuo ære esse, & non posse dissolvere, sat est si tibi probare possim. Sane non oportebat, ut ad bigam illam me funalem equum adjungeres. Illi possunt sustinere dignitatem honoris, quem illis habuisti: ego quomodo tertius illis accedere debui, non video: nisi quia id judicio à te factum alii fortassis existimare possint: ego vero amore potius in me hoc accidisse interpretari malim, quum meum cum illorum captu contendo. Utut hoc acciderit, bis me à te obrui sentio: &, quòd mihi vigilias tuas dedicaveris, & quod tam præstantium virorum pari me adjunxisti. De isto autem tuo Opere nihil aliud dicam, quàm in eo ubique & judicij, & ingenij, & industriæ tuæ manifesta extare vestigia: ut cùm in illud omnium superiorum Interpretum labores contribueris, plus præstiteris, quàm ipsi: quod ij quisque pro parte sua PLAUTUM sibi devinxerint; tu ex omnium illorum lucubrationibus totum tuum fecisti. Habeo igitur illum Comicum, non solùm, ut antea, comitem, sed etiam magistrum: quia ex tuo Commentario non minus doctus, quàm ab ejus lectione hilaris, fieri possum. Quum hæc ad te scriberem, vix defunctus eram molestissimo languore, qui me penè totum exinanivit; ut vix istis scribendis manus sufficeret. Itaque longiores ad te scriberem, si per imbecillitatem liceret: quam ut excuses, & meum bene gratum animum boni consulas, etiam atque etiam oro. Vale, Lugduni Batavorum, III. Eid. Martij Julian. cIↃ. IↃ. CVI.

JUSTUS

JUSTUS LIPSIUS FRIDERICO TAUBMANNO S. M. D.

PLAUTUM tuum veteres nostras delitias accepi; sed nunc tuum, nova & decorâ istâ facie à te perpolitum. O gratum acceptúmque donum! non dicam dolo. Certe industria elegantia simul ingenii tui in concinnando hoc Opere sic apparent, ut alii omnes, qui conati, ad tuam accurationem & lucem luscitiosi videantur. Non percutio te palpo: ne verere. expers eo more sum: & apud amicum amicè, id est, verè loquor. Debeo tibi pro hoc dono & dicatione: & quid verbis opus est? cum ipso Comico,

Ego tibi omnia facta cupio, cupiamque quæ voles.

Sed dic sodes, qui iste sacer & Germanicus liber est, de quo perviam memoras? Vidi equidem anno, nisi fallor, editum, sed anonymum, qui calumnio è & inclementer multa in me dici. Talis iterum aliquis pilum injicit? contemno: & delirent sæviantque isti larvarum pleni homines, stabula malitiæ & colu-
A mina audaciæ, non hilum me concutiunt: & susque deque habebo, quod scribant, non scribant. Modestiam natura mihi conciliavit. à vitâ abire cupiam, cùm ab hac adibo. Quid meus SENECA, quàm quietum de istis me esse jubet! huic ego insistam credere potiùs, & res alias præ Sapientiâ relictas habere. Quem tu SENECAM in brevi, me mittente, videbis & habebis in fronte Amicitiæ tesseram inscriptam. Nundinis proximis fiet, neque antè video tutò posse. At tu homo hominum in illo tractu litteratissime, quoniam hoc Plautinum negotium sic sub manus successit, adde porrò operam consimilem, & in alio argumento vel scripto juventuti bene consultum eas, & optimas artes productum atque illustratum. Præsens igitur & posterum ævum debebit, & nos meliùs nati aut facti favebimus, & plausum, vires, animosque addemus ad candidam calcem currenti. Delphis hoc tibi dictū credito, & dicentem ama. Lovanii, Idib. Decembr. ∞. IↃCV.

E Centuriâ V. Miscellaneâ, AntVVerpiæ ed.

DANIEL HEINSIUS FRIDERICO TAUBMANNO.

EN tibi, mi Taubmanne, χάλκεα χρυσείων, Poemata nostra, quæ hic prodierunt denuò. Misissem eâdem veste, quâ tua ad nos venerunt, si tantulum onus subire mercatores potuissent, qui libellum tibi mittent. De tuis gratias tibi ago, quantas deboo: quamvis nec possim, quantas vellem. De obitu Justi Lipsii hîc ad nos scribitur: nihil tamen adhuc certi habemus. PLAUTO tuo quem heroi nostro misisti, aliquandiu usus sum: operam, meo judicio,
B planè necessariam festivissimo hominum navisti homo festivissimus, & qui Pythagoricas μετεμψυχώσεις τῇ σῇ εὐτραπελίᾳ propemodum nobis probas. Noster Maximus Tyrius brevi cum bono deo lucem videbit. Si quid in Lipsiensi Bibliothecâ sit, quod juvare nos possit, fac sciamus. Audio enim bonorum ibi librorum maximam esse copiam. Hoc fac, & Vale, vir Clarissime: admodum enim festinamus. IV. Aprilis CIↃ IↃCVI. Lugd. Bat.

VIRO

VIRO CLARISSIMO, FRIDERICO TAUBMANNO.

IAM mihi illud solemne est, me meam amicis fidem atque diligentiam præstare & debere & solere, alienam non posse. Priores tuas litteras ad Casaubonum per veredarios misi, uti nunc posteriores etiam; quibus quoniam ita te velle video, & quidem vehementer, meas adjunxi, responsum ursuras. Vide quid tibi præterea exigendum ab amico existimes. PLAUTUM, quòd majoris molis esset, via Francofurtensi curavi. idem jam fasciculo isto fiet altero. Recusant enim hæc onera tabellarii, & moræ sint litteris. A De DISSERTATIONE, amo te. quàm multa tu in eâ verissimè; sed surdissimis vereor auribus. Nulla æquè in Germania bonas litteras populatur pestilitas, ac ea, quam tu meritissimò insectaris, *extemporalis temeritas*. Judicii hic defectus est. neq; ego coquum laudatum ullum vidi, qui gustu parum valeret. Vale. Et si quid Musæ tuæ muginantur, cavesis me ejus exsortem habeas. Augustæ Vind. VII. Kal. VIIbr. An. MDCVI.

Marcus Velserus.

ISAACUS CASAUBONUS FRIDERICO TAUBMANNO amicissimam Salutem.

QUI factum sit, Vir Clarissime, ut tot meæ Epistolæ, quas ad te scripsi, ad te non pervenerint, nescio. Iis enim hominibus eas ipse tradiri Francofurtum deferendas, & ibi curandas, quorum in simili re fidem multis experimentis probatam habeo. qui si quid hâc in parte peccarunt, non negligentiâ certè peccarunt, sed parvâ electione eorum quibus meas commiserunt. Itaque peto à te ante omnia hanc æquissimam δίκην, ne me tam barbarum, tantâ immanitate efferatum pectus habere tibi persuadeas, ut adeo humanè à te provocatus, nihil responderem. οὔ τι γένοιτ᾽ ἂν ἀπλωΐστερον, ἢ μιαρώτερον; ἀλλ᾽ οὐχ οὕτω ἡμεῖς γε τῶν ἀνθρωπίνων θεσμῶν τῶν ὡς κάλλιστα κειμένων, ἢ ἀνίδελες γινόμεθα, ἢ ἐπιλήσμονες. οὐ μὰ τὸν μέγαν ἐν οὐρανῷ θεόν: τῶν δὴ τῆς φιλίας δικαίων ὑβρισταὶ οὔπω πρότερον γεγονότες, οὐδὲ γραφὴν πώποτε τοιαύτην παρ᾽ οὐδενὸς ἀπαχθέντες, iterum B iterumque à te petimus, Vir doctissime, ne alienæ culpæ à nobis pœnas exigas. rescripsimus certè tibi: θεὸς δ᾽ ἐπιμάρτυρος ἔστω: & priusquam munus egregium tuum acciperemus; & postea etiam non semel: tibique quantas poteramus maximas pro tam propensâ voluntate erga nos gratias egimus. nunc quoq; idem facimus: verbis id quidem, sed magnâ cum voluntate rebus ipsis & omni officiorum genere gratum animum nostrum tibi declarandi. Quòd si viam certam indicaveris, efficiam profectò, ne posthac meum in scribendis litteris officium possis desiderare. Vale, Vir eruditissime & me ut cepisti amare perge. Clarissimis viris, qui istic sunt, & nostrum nomen, ut scribis, non ignorant, plurimum salutem, nisi grave est, à me nunciabis. Lutetiæ Parisiorum XV. Kal. Apr. CIↃ. IↃ. CVII. CL. BONGARSIUS, Regis magni ad Germ. Legatus, te plurimum etiam salvere jubet.

CL. V.

CL. V. FRIDERICO TAUBMANNO,

Philosophiæ & meliorum literarum Professori celeberrimo, & nunc Rectori in Academiâ Wittebergensi, Amico plurimum colendo S. D.

CONSTANTIAM tuam in semel suscepto amore mei, litteræ omnes tuæ, Vir doctissime, palam faciunt, quò magis verendum mihi est, ne quantum eo nomine tibi debeam, parum videar intelligere. Mihi verò longè suavissimum est, iis in locis amicum, & quidem talem amicum habere, quò vel nomen nostrum potuisse penetrare, jure magnificaciam. Tua hæc insignis humanitas est, clarissime Taubmanne, & mirifica χρηστότης: qui præ insitâ bonitate, ultrò amare nos quum cepisses, ὑπὸ τῆς πάθους δελεασθεὶς, muscam elephantum esse. O vim amoris! & persuasisti ipse tibi, & aliis quoque idem credendi autor fuisti. Primus JOSEPHUS SCALIGER, ille mortalium illustrissimus, de nostris studiis eam spem olim concepit: cui respondere mearum non erat virium. Sed nescio quomodo ille quoque δαιμόνιος ἀνὴρ, amore nostri occæcatus, omnia in majus solitus interpretari. Itaque si quid famæ per Europam sumus consecuti, A secundum Deum, id totum Scaligero ferimus acceptum. Ille me paternâ charitate complectebatur: ego ipsum pietate, quæ deceret, colebam & venerabar. Qui nunc, eo mortuo, vitam acerbam duco & prope non vitalem. O irreparabilem Reip. litterariæ jacturam! Quò plus proficio, si quid tamen adhuc profeci, eò magis ingenii illius stupendam magnitudinem admiror. Non fuit prioribus sæculis, nec fortasse unquam erit, in quo ingenium, judicium, industria & φιλοπονία, dotes, ut scis, multum diversæ & raro in unum convenientes, sic ἀθρόως & ex æquo, excellant: tum autem pietate & πάσῃ τῇ ἀρετῇ nemini mortalium fuit secundus. O virum in exemplum natum! Sed desino lacrymarum. DEUM oro, Vir clarissime, ut servet, & magis magisque tuis ceptis in dies pergat benedicere. Vale, & me ama. Lutetiæ Parisiorũ, VI. Kal. April. CIƆ.IƆ.CVIIII. Gregorii Nysseni Epistolas, & Florilegium Epigrammatum Martial. meo & Scaligeri nomine mitto.

Is. Casaubonus.

JOHANNES GODEFREDUS

Dei gratiâ Episcopus Bambergensis

FRIDERICO TAUBMANNO

Salutem.

QUÆ misisti, unà cum litteris obtulit mihi visenda Magister-Equitum JOHAN-OTTO Von Schaumberg: quæ & summopere placent, & ut spero, lectio eorum multum mihi molestiæ pellet. Gratius sane fuisset, si ab Auctore ipso id profectum fuisset, sed non puto hunc solum fœtum à tam fœcundo ingenio profecturum. B proinde & aliquando me alterius fore patrinum (ut sic dicam) spero. Interim huc significandum censui: ut me, & te amare & tua suspicere intelligeres. Hiscè vale, & me amare perge; sique parum cum hîc esses, pro merito accepturus, ignosce. Bambergæ, XXX. Decembris, Anno M. DC. X.

GRATIA TIBI DOMINE JESU.

INDEX.

RERUM ET VERBORUM memorabilium in Plautino COMMENTARIO.

Ut omnia facilius inventu essent, pagina quæque Commentarij bisecta est; & hæc segmenta litteris A B ab summo ad imum μεταξὺ descendentibus interstincta. In hoc autem Indice, a 1, b 1. *& prius segmentum paginæ,* a 2, b 2, *& c. alterum significat & c.*

A.

abiit,

INDEX.

adaxint

Apol-

ari

B.

C.

cibus

cœna

comam

conci-

D.

dare

dege-

despi-

divi-

eligere

esse

extricat

Famæ

ferro

fœne-

frivo-

G.

Græca

H.

habi-

hillum

huic

in

incoa-

Inter

Jovis

laterna

 locarium.

lusci-

M.

manulea-

media

N.

Non

obvigilatè

Olerum

Orcus

P.

palpi

patagus

puem

cum

ponè

 præ-

pro-

888 2

pro-

pul-

Q.

Quan-

quuque

recupe-

S.

ſalutare

secun-

sepul-

sesqui-

sine

spur-

stru-

surdum

T.

tantula

tox,

tusc-

V.

 victima

virtu-

Vul-

FINIS.

INDEX

INDEX

Græcarum quarundam vocum in Commentario Plautino.

δυσφο-

θεο-

λέλ-

ὄπος,

φθάνειν

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM IN TEXTU PLAUTINO.

A.

Amans

B.

C.

L.

lucri-

moli-

N.

O.

obli-

P.

Q.

R.

S.

ſuppo-

FINIS.